ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5


CÆSARIS ORA VIDEN' CAROLI? SIC SPIRAT, ET ARDET.
NOMINIS EST SEXTUS: QUINTUM SUPERABIT, AVITÂ
AUSTRIADUM PIETATE PATRUM, ET VICTRICIBUS ARMIS.

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

JOANNE STILTINGO, JOANNE LIMPENO,

JOANNE VELDIO P. M., CONSTANTINO SUYSKENO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

SEPTEMBRIS TOMUS SECUNDUS

QUO DIES QUARTUS, QUINTUS ET SEXTUS CONTINENTUR

CUM DISSERTATIONE PRÆVIA DE CONVERSIONE ET FIDE RUSSORUM.

PARISIIS ET ROMÆ

APUD **VICTOREM PALME** BIBLIOPOLAM

1868

CAROLO

REGIO PRINCIPI

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, DALMATIÆ, HIEROSOLYMÆ;

ARCHIDUCI AUSTRIÆ

Magno duci Etruriæ; duci Burgundiæ, Brabantiæ, Luxemburgi, Limburgi, Geldriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Silesiæ, Mediolani, Mantuæ etc.; principi Transilvaniæ etc.; marchioni Moraviæ etc., comiti Habsburgi, Tyrolis, Flandriæ etc. etc.

Incredibilis lætitia exsultantis Antverpiæ, sub imperium Augustæ Domus Tuæ feliciter reductæ, perpetuæ id invicem gratulantium voces, continuata jam aliquot hebdomadis et necdum cessantia publici gaudii indicia nos hortantur, SERENISSIME ARCHIDUX, ut velociter properemus, reverenter Tibi oblaturi Operis nostri de Actis Sanctorum tomum quadragesimum. Hunc, quo gratior jucundiorque advenire debet, Tibi destinavit Augustissima Imperatrix, Reginarum omnium retro seculorum Maxima. Hunc nomini Tuo dicatum voluit Amantissma Mater, quæ et alia dudum pietatis arma, quibus Sanctissimam Dei Genitricem colere a teneris discas, manibus Tuis inseruit. Hunc Tibi proponit egregia Sanctorum Amatrix et Imitatrix, ut more Austriaco Sanctos a primis vitæ annis amare incipias et imitari, ut præclaris eorum exemplis adjutus, continuare possis seriem præstantissimam Majorum Tuorum. Cum autem Progenitorum Tuorum seriem nominamus; eam Heroum Christianorum dicimus seriem, cui similem virtutum omnium ornamentis inter Principes non reperimus, Ferdinandi II Atavi Tui, Ferdinandi III Abavi, Leopoldi Proavi, Caroli VI Avi, quibus et alii superiores jungi possunt. Hos æquis passibus laudatissime sequitur Magna Maria Teresia, Mater Tua, suoque exemplo Te ad sequendum invitat. Augustissimus quoque Genitor Tuus, Franciscus I Imperator, non exiguam e domo Lotharingica Tibi imitandam adducit Majorum turmam, virtutibus Christianis ornatam, rebus præclare gestis inclytam, triumphis illustrem, quam suis ipse virtutibus magis condecorat. Patere igitur, SERENISSIME PRINCEPS, tantorum Progenitorum digna Progenies, ut ex tomo Tibi reverenter dicato, colligamus nonnullas optimi Principis virtutes, iisque opponamus contraria mali Principis vitia. Prima ad id sufficiet Vita, Moysis nimirum, Principis optimi, et ab ipso Deo electi. Inter præstantissimas autem Moysis virtutes mire elucet religio aut pietas in Deum, sive eximius Dei cultus, virtus Ma-

joribus Tuis maxime propria et dilecta. Nullus Sanctorum Moyse frequentius, nullus familiarius, nullus majori fiducia cum Domino in oratione locutus legitur : neque tamen tanta fiducia reverentiam Deo debitam orantis diminuit, sed tanto magis auxit, quanto perfectius noverat summam Dei Majestatem. Adeo Moyses ex divina voluntate pendebat totus, ut nihil moliretur, nihil aggrederetur, nisi consulto prius per orationem Deo; nulla quoque difficultate, nullo timore, nullo periculo impediretur, quo minus mandata Dei exsequeretur, ejusque honorem et gloriam studiose promoveret in omnibus. Huic tanto Deum colendi studio, cujus gratia SERVUS DEI passim in sacra Scriptura Moyses nominatur, opponamus impietatem Pharaonis, Principis mali. Numquam hic Deum orasse legitur, numquam divinam exquisivisse voluntatem, numquam Dei mandato per Moysem significato paruisse, nisi tandem ad breve tempus, quando mancipii instar plagis durissimis mortisque metu cogebatur divinæ subesse potentiæ. Jam vero, si consideremus, quantum bonum sit pietas, quantum impietas malum; nequaquam dubitabimus, quin Moyses pietate sua felicissimus fuisset, etsi usque ad mortem sub durissima Pharaonis servitute vitam traduxisset : nihilo magis dubitabimus, quin infelicissimus sua impietate fuisset Pharao, etiamsi Crœsum superasset divitiis, Alexandrum Magnum victoriis, Salomonem sapientia et gloria. Quapropter, SERENISSIME ARCHIDUX, neque Piissimos Majores Tuos, neque Religiosissimam Matrem Tuam, ea præcipue de causa felices dicimus, quia novimus eos in gravissimis periculis heroïca fortitudine stetisse invictos, multisque inclaruisse victoriis; sed quia videmus eorum pietatem tam fortem fuisse et constantem, ut nullius periculi magnitudine a norma Regiarum ac Christianarum virtutum recesserint. Vidit Piissima Mater Tua, Magna Maria Teresia, irruentia in ditiones suas sex regum fœderatorum hostilia agmina : vidit se unicam initio relictam contra tantam hostium multitudinem : vidit exercitum sibi esse præcedente Patris sui bello vehementer attritum, ærariumque exhaustum : vidit ne Viennæ quidem tutum sibi relictum esse domicilium : vidit denique omnem evidentissimi periculi magnitudinem. Quid hic consilii capiat Prudentissima Regina? Noverat nervum belli esse pecuniæ copiam : immensam in templis ditionum suarum vim esse auri argentique non ignorabat : ex illo thesauro nummos cudendos, iisque colligendos velociter milites monebant aliqui, dictitantes id dura adeo necessitate facile excusari posse. Quid ad hæc Sapiens Regina? Negat tutum sibi videri istud consilium : negat se illo umquam usuram : palatii sui argento, auro, monilibus se non parsuram; parsuram donis Deo oblatis. Nimirum Magnanima Regina vicerat cupiditatem regnandi, antequam hostes suos vinceret : regna sua frequenter Deo obtulerat animo maximo, ut de iis pro arbitrio suo disponeret : nolebat pietatis periculo ditionum suarum pericula diminuere, ne dicam augere : tam tenero ferebatur in Deum affectu, ut sine regno contenta vivere posset, non posset, læsa pietate. O quam præclara, quam pia, quam divina hæc Augustissimæ Matris Tuæ sensa, SERENISSIME ARCHIDUX : dicamus audacter, quod sentimus : præstantior et illustrior hæc est victoria, qua timorem et spem omnemque cupiditatem amore divino superavit, qua ardorem se defendendi hostesque vincendi intra leges pietatis continuit, qua regnandi libidinem Dei voluntati perfectissime subjecit; augustior, inquimus, hic est Magnæ Mariæ Teresiæ triumphus iis omnibus victoriis, quibus integra hostium ipsius agmina in Bohemia, Bavaria, Italiaque jacent sepulta. Non quidem ignoramus, quas Fortissima Heroïs ad Anisum, ad Oenum, ad Isaram, ad Danubium, ad Moldavam, ad Albim, ad Mœnum, ad Rhenum, ad Scultenam sive Panarum, ad Padum, ad Tidonem, aliisque multis locis de hostibus suis retulerit victorias. Novimus quam pauci ex numerosis variorum Principum agminibus, Germania Italiaque expulsis, in patriam suam redierint incolumes. Quin imo agnoscimus libenter, Reginam Maximam perfecisse, quod ante septem hos annos vix ullus amicorum audebat sperare, quod fieri posse nullus hostium existimabat. Certam hi de Filia Caroli VI victoriam sibi pollicebantur : eam ditiones suas defendendas suscipere adeo mirabantur, acsi novus Alexander mediocri agmine totam suscepisset Asiam subjugandam. Quapropter tanta Invictæ Reginæ bellica dicimus facinora, quanta in historiis raro reperimus, quanta nullius umquam Reginæ auspiciis patrata novimus; sed existimamus pietatis tropæa bellicis tanto esse præclariora, quanto solius Reginæ magis sunt propria; tanto illis esse illustriora, quanto difficilius est se vincere et insurgentes animi affectiones legibus pietatis subjugare, quam irruentia hostium agmina vi armorum debellare : tanto denique feliciora ac gloriosiora reliquis dicimus pietatis tropæa, quanto divinius est ambitionis tyrannidem superare, omnemque cupiditatem æquissimæ voluntati Creatoris sui subjicere, quam urbes aut provincias hostiles occupare. Quam longe a Moyse recessimus, SERENISSIME ARCHIDUX, dum Tibi aliquid de Augustissimæ Matris pietate, non confictum oratoris licentia, sed certis

tis compertum testimoniis, ad exemplum exponimus. Redeamus igitur ad præclarum Hebræorum Ducem, et nonnullas alias recenseamus virtutes, quas omnes quoque in præstantissimis Genitoribus ac Majoribus Tuis reperies, si diligenter ad eorum gesta advertas animum. Moyses, Princeps optimus, eximio populi sui amore excelluit : nam innumeros labores suscepit, ut populum Ægyptiaca servitute liberaret, duros suorum mores, ac frequentes obmurmurationes constanter pertulit, ut eos ad terram promissam perduceret : Deum eorum peccatis offensum incredibili amore placatum populo reddidit : tanta, ut breviter dicamus, cura ac sollicitudine omnium commodis, utilitati, felicitatique studuit, ut non modo boni Ducis partes impleverit, sed et patris et matris. Jam vero qui suos tanta complectebatur benevolentia, in alias quoque nationes mitis fuit et benignus : nullam bello aggressus est, nisi lacessitus prius, aut mandante Domino, cujus obtemperandum est imperio : nullam Ægyptiis plagam intulit, nisi Deo jubente. Contra Dux ille benignus mandatum Dei non exspectabat, ut Dominum oraret pro Ægyptiis, quantumvis fidem falleret Pharao, nec umquam promissa exsequeretur. Hisce si Pharaonis, mali Principis, gesta opponamus; videbimus crudelem Regem ne quidem suorum misericordia moveri potuisse, ut æqua petentibus Hebræis annueret; in hos autem, durissimo sæviisse modo. Peribat Ægytus, plagas accumulante Deo : nec tamen Rex durissimus commiseratione populi sui flectebatur, aut mitius Hebræos tractabat. Decem plagis iisque gravissimis nec suis parcere didicit, nec injustum in Hebræos deponere odium. Verum Princeps temerarius hos tam cæco insecutus est furore, ut cum toto exercitu in mare progressus, in mortem se cum suis demum præcipitaverit. Perpende nunc, SERENISSIME PRINCEPS, quam aliena sit ab iis vitiis, quam præclare relatas Moysis virtutes imitetur Amantissima Tui, imo et suorum omnium Mater. Norunt omnes, qui suavissimam ejus majestatem coram intueri meruerunt, quantam vel solo aspectu et affatu præferat benignitatem, quantam lenitatem, quantum proborum omnium amorem; quam corda intuentium in sui amorem rapiat. Oris suavitati animus et gesta congruunt : mavult amari a bonis, quam timeri : tributa, licet necessitas esset maxima, viribus uniuscujusque attemperata voluit : suis omnibus se amabilem et benignam semper exhibuit : atque ita in omnibus provinciis subditorum sibi conciliavit amorem. Quanta vero Magna Maria Teresia in exteras gentes atque in hostes etiam usa sit moderatione, quanta benevolentia, quanta liberalitate, loquuntur facta omnibus nota. Decem Principum arma in uno hoc bello contra se commota vidit. Nulli ex illis bellum prior intulit; nullum ab armis nihil sibi profuturis discedentem bello vexare perrexit : Bavariam suis occupatam armis sine ulla commutatione generoso ac liberali animo reddidit : facultatem eligendi Imperatorem, pulso trans Rhenum hostili exercitu, qui Francofurtum ita undique circumsidebat, ut tuta illuc Electoribus non pateret via, imperii Principibus liberam vendicavit. Hinc iterum factum vidimus, quod umquam futurum negabant Augustissimæ Matris Tuæ hostes, quoque multis modis impedire frustra conabantur : Augustissimus enim Genitor Tuus, quo ductore fugatus erat hostium exercitus, dignam illustrissimis natalibus et Majorum suorum præclaris meritis, dignam insignibus dotibus et virtutibus propriis, dignam Magna Regina Conjuge consecutus est eo tempore coronam. Verum ab hoc diverticulo, quamvis non injucundo, ad Moysem regrediamur, SERENISSIME PRINCEPS. Vidimus hactenus, quam ille excelluerit pietate et amore in Deum, benevolaque ac benigna omnium hominum dilectione. Si modo examinare etiam velimus alias virtutes, quæ personam ipsius ornarunt, quæque præcedentibus subservierunt; videbimus fuisse justum in negotiis, prudentem in consiliis, fortem in arduis suscipiendis et exsequendis, temperantem in victu, castum in vita conjugali, candidum animo, veracem in verbis, fidelem in promissis, modestum et gravem in moribus, moderatum in prosperis, constantem in adversis : videbimus ornatum fuisse omnibus virtutibus Regiis : videbimus alienum quam maxime fuisse ab avaritia, superbia, arrogantia, aliisque vitiis, quæ sanctum dedecent Principem. Has Moysis virtutes facile et clare invenimus in sacris Litteris : Avos autem Proavosque Tuos Moysis in hisce egregios fuisse æmulatores ex historiis intelligimus : Augustissimos vero Genitores Tuos iisdem virtutibus ita esse ornatos, ut eorum mores descripserimus, dum Moysis virtutes recensuimus, ipse, ut speramus, ætate maturiore agnoscere poteris, et facta abunde docent. Verum Epistolæ angustia non patitur, ut dicta singula factis elucidemus; quemadmodum illa eadem brevitas non permittit, ut Pharaonis vitia longiori oratione exponamus, injustitiam dicimus, imprudentiam, temeritatem, intemperantiam, impudicitiam, astutiam, perfidiam, levitatem, impotentiam animi et inconstantiam, avaritiam, superbiam, arrogantiam, aliaque plura. Numquid non exhorrescis, OPTIME PRINCEPS, ad tot monstra vitiorum? Sane monstra illa sunt tetra, horrida, perniciosa, nec minus Principum palatiis quam privatorum domibus insidiari solita.

Attamen

Attamen nec Moysi illa nocuerunt, quamvis educatus fuerit in aula Ægyptiaca ; nec Tibi nocere poterunt in aula Viennensi, si præclaris Augustissimorum Parentum et Majorum Tuorum insistere coneris vestigiis. Nam quæ Moysi fuerunt incitamenta præsidiaque ad fugienda vitia virtutesque animo inserendas, Tibi nequaquam deerunt : quin et aliquibus Moyse fortasse eris felicior. Habuit Moyses in serie Progenitorum suorum sanctos Patriarchas, quorum præclaras virtutes æmulari poterat; Tu Progenitores habes Imperatores serie non interrupta integerrimos piissimosque, quorum illustria gesta virtutesque eximiæ Te perpetuo ad æmulationem excitabunt. Moyse educatus est partim in domo paterna, partim in corrupta Pharaonis aula : Tu educaris in aula Viennensi, tot Principum integritate morum ac pietate illustrium educatrice felicissima, et quod caput est, sub oculis Piissimorum Parentum, qui de profectu Tuo mire erunt solliciti. Ille eruditus fuit omni scientia Ægyptiorum, imo et Hebræorum, quæ eidem ad pietatem magis poterat conducere. Te Augustissimi Parentes sollicite instituendum curabunt iis omnibus artibus et scientiis, cum sacris tum profanis, quæ et perpolitum reddunt Principem, et ad summa quælibet idoneum; ac nihil Te ignorare patientur eorum omnium, quæ et ad pietatem ac virtutis amorem inducunt, et a vitiis peccatisque animum potenter avellunt. Quapropter, quæ Moysi a Progenitorum illustri pietate, a natalibus, ab educatione, ab institutione fuerunt pietatis colendæ virtutisque exercendæ adjumenta; ea Tibi nequaquam deesse poterunt : neque nos dubitare possumus, quin iis feliciter more Austriaco sis usurus. Id certissime facies, FELICISSIME PRINCEPS, si cum Prudentissima Matre Tua, Moysis exemplum secuta, pietati bona peritura postponas; si omnia alia pericula periculo Divinam Majestatem lædendi minora existimes; si nulla rerum terrenarum damna cum longe gravissimo divinæ amicitiæ damno conferenda credas. Moyses, adoptatus a filia Regis Pharaonis, educatusque in spem magnam amplissimæ potestatis, animo maximo periculosa rupit vincula, seque Hebræis adjunxit, dura licet servitute afflictis, ne periculo Deum offendendi se exponeret in aula corrupta. Tibi nec aula deserenda est, in qua pietas Austriaca sedem fixit; nec rerum temporalium jactura facienda; sed Moysis exemplo ita animus in Dei timore et amore obfirmandus, ut omnibus malis carere quam divina amicitia. Hanc laudem longe maximam, hanc gloriam omnium felicissimam animo devotissimo Tibi, SERENISSIME ARCHIDUX, submisse precamur. Hanc ut divina gratia feliciter consequi possis, ac perpetuo conservare, Deum Optimum Maximum, omnis boni Largitorem, rogare non desinemus, ut Te benigne ad maturiorem ætatem provehere, diuque cum Augustissimis Parentibus, cum Serenissimis Fratribus ac Sororibus, protegere, bonis omnibus cumulare ac incolumem conservare dignetur.

SERENISSIME ARCHIDUX

SERENITATIS TUÆ ARCHIDUCALIS

Devotissimi Clientes

JOANNES STILTINGUS
JOANNES LIMPENUS
CONSTANTINUS SUSYKENUS
SOCIETATIS JESU.

SYNOPSIS

TOMI SECUNDI

DE ACTIS SANCTORUM

SEPTEMBRIS

Quadragesimus est totius Operis tomus, qui modo prodit. Hic trium dierum Sanctos complectitur, centum videlicet et triginta nominibus suis distinctos, atque anonymos martyres longe plures. Tomo præfixa est Dissertatio de Conversione et fide Russorum, in qua tempus conversæ gentis accurate assignatur, ac mox in fidem patriarcharum Constantinopolitanorum illius temporis diligenter inquiritur, ut liqueat, Catholicos fuisse Russos, postquam primum gentilitios ritus abdicarunt. Tota autem Dissertatio hunc in finem concinnata est, ut ejus subsidio facilius intelligi posset, quinam ex illis, quos ut Sanctos colunt Russi, pro Catholicis et Sanctis a nobis haberi possint ac debeant. Hinc ad nostra usque tempora investigatum, quales fuerint fidei Catholicæ et schismatis apud Russos vicissitudines.

Inter Sanctos, quorum in tomo gesta enarrantur, duo sunt veteris Testamenti, *Moyses* nimirum Israelitarum propheta, dux et legislator, ac *Zacharias* inter prophetas minores undecimus. *Moysis* gesta omnia ex sacris Litteris ordine temporis sic relata sunt et examinata, ut nihil sit omissum, quod propius ad Vitam ipsius spectare videbatur. Præterea separatis paragraphis diligenter discussa sunt, quæ Josephus et Philo Judæi de gestis *Moysis* enarraverunt; ita ut studiosus lector plura hic sit inventurus de gestis sancti Legislatoris breviter et non sine examine collecta, quam apud alios scriptores. De scriptis quoque Prophetæ, et de cultu disputatum. De *Zacharia* vero pauciora habuimus referenda, nec omnia illa satis certa : nam cultus quidem hujus *Zachariæ* certus est; at incerta pleraque, quæ de corporis inventione, sepulcro, ac reliquiis apud quosdam leguntur. Operosius investigatum est, an hic *Zacharias* sit ille, quem *inter templum et altare* occisum testatur Christus Matth. 23. Sententias antiquorum de Zacharia filio Joiadæ, ac de Zacharia patre Joannis Baptistæ non prorsus sua probabilitate destitutas fatemur; sed *Zachariam* hunc probabilius a Christo designatum credimus; et consequenter aliasquasdam neotericorum sententias refutavimus, præsertim illam, qua Zacharias ille statuitur filius *Baruch*, de cujus cæde scribit Josephus lib. 4 de Bello Judaico cap. 19 editionis Græcæ; alias lib. 5, cap. 1.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Ex Sanctis novi Testamenti, ad statum ecclesiasticum spectantibus, primum locum meretur *Onesiphorus* Apostolorum discipulus, quem S. Paulus elogio honoravit 2 Timoth. cap. 1. Pluribus ille urbibus attribuitur episcopus, quam ut una ex illis certo determinari possit : at Parii in Hellesponto pro fide occisum esse una cum servo suo *Porphyrio*, varia habent monumenta. Alexandria Ægypti tredecim simul martyres habuit in persecutione Decii, quorum agmen duxit *Faustus* presbyter. *Abdas* episcopus Susæ in Perside primus pro fide sanguinem fudit in persecutione ad annos triginta continuata, quæ cœpta fuit ab Isdegerde Persarum rege circa annum 419 aut 420. Varia hujus persecutionis occasione fuerunt examinanda atque explicanda. *Cottidus* vel *Quottidius* diaconus in Cappadocia cum Sociis legitur passus; at dubitatur, an inter Socios habuerit *Eugenium* aliquem, a quibusdam *episcopum* dictum. Africa sex egregios subministravit episcopos, ex quibus *S. Lætus* igne vitam finivit; reliqui quinque, *Donatianus*, *Præsidius*, *Mansuetus*, *Germanus* et *Fusculus* in exsilium acti sunt ab Hunnerico Wandalorum rege, multaque alia pro fide Catholica passi. Ea occasione ex Victore Vitensi ostensum est, plurimos alios episcopos similia passos esse in eadem persecutione. Italiam illustrarunt Sancti non pauci, quorum gesta hic illustrata. Prope Cutilias in Sabinis coronatus est *Victorinus* presbyter, alias *episcopus* perperam dictus, et cum aliis confusus. *Victorinum* episcopum habent Comenses in ducatu Mediolanensi; *Ursicinum* item episcopum Ravennates, uti et *Petronium* Veronenses. In pago Cessima agri Dertonensis colitur *S. Alpertus* presbyter, de quo pauca nota. Plura traduntur de *S. Marino* diacono, qui oppido *San Marino* ab incolis dicto, in quo patronus est,

est, nomen suum communicavit : sed non omnia satis sunt certa. In Galliam et vicinam Germaniam progredior, ubi occurrit *Marcellus* episcopus, a quibusdam etiam *martyr* dictus, quem sibi attribuunt Tungrenses et Trevirenses. Episcopi Virdunenses *Maurus*, *Salvinus* et *Arator* fere tantum noti sunt ex gloria posthuma, quæ diligenter illustrata. De *Fredaldo* aut *Frodoaldo*, Mimatensi aut potius Gabalitano in Occitania episcopo, pauca etiam sunt certa, quemadmodum et de *Aniano* Vesontionensi antistite, de *Gondulpho* Metensi, et de *Taurino* Ausciensi in Novempopulania. De singulis tamen breviter actum. Plura fuerunt colligenda de *S. Chagnoaldo* Laudunensi episcopo; licet nec hujus Vita ullibi scripta reperiatur. *Genebaudi* vero aut *Genebaldi*, alterius episcopi Laudunensis Acta brevia, Vitæ S. Remigii inserta, memorabile suggerunt humanæ fragilitatis divinæque misericordiæ ac sinceræ pœnitentiæ documentum. *Ansarici* demum Suessionensis episcopi Acta quidem data, sed de mendis, quibus ea conspersa sunt, lectores præmoniti.

EX STATU MONASTICO.

Septem tantum monastici Ordinis Sanctos invenio recensendos, sed duos ex iis præ ceteris illustres. Primum recenseo *S. Bertinum* abbatem, qui abbatiæ Sithiensi hodieque celeberrimæ, quam cum sociis suis Audomaropoli construxerat, diutissime præfuit, ac disciplinam monasticam in Artesia ac Flandria propagavit. Alter est *Magnus*, primus abbas celeberrimæ itidem abbatiæ Faucencis in Suevia, quem miraculorum gloria in multis Germaniæ provinciis illustrissimum fecit. Utriusque Acta data sunt ac illustrata, licet non pauca in iis fuerint corrigenda. *Eleutherius* abbas Spoletinus, qui diutius fuit cultus, quam aliqui neoterici voluerunt, præconem virtutum suarum ac miraculorum habuit S. Gregorium Magnum, cui convixit. At pauca tantum de Viro illo egregio fuere litteris consignata. Pauciora nota sunt de *Fausto* abbate Syracusano. Nec multo plura habemus de *Alberto* Pontidensi prope Bergomum abbate, si certa separentur a dubiis. *Jordanus* Ordinis Pulsanensis in Apulia abbas fuit generalis; nec tamen multa de ejus gestis innotuerunt posteris. Unicus in hac classe martyr est *Benincasa Rapaccioli*, Ordinis Servorum B. M. V., qui natalibus nobilissimis mundo datus in Italia, martyrii lauream post fidei prædicationem consecutus est in Asia.

EX STATU SECULARI.

Hic status varios in variis mundi partibus suggerit Martyrum manipulos. *Rufinum* cum sexdecim Sociis nominatim expressis et aliquot anonymis Ancyræ in Galatia attribuunt Martyrologia. Hæc item *Theodorum* cum tribus Sociis sine loco annuntiant. Similes fere turmas attribuunt Capuæ, et Alexandriæ Ægypti, *Censurinus* præfectus sub Gallo imperatore captus est Romæ, sed Ostiam in vinculis missus, ibidem cum aliis viginti et uno coronatus est. Unus ex his Romano Martyrologio adscriptus est *Herculanus* : omnes tamen in Fastis inventi, sed quidam ad alios dies relati. Acta data, quæ satis bonæ notæ sunt, varios de his Martyribus errores corrigere poterunt. Acta quoque *Marcelli* Cabilonensis in Burgundia martyris tam mendosa non videntur, quam voluit Tillemontius, Actis martyrum sæpe nimis infestus. Acta Græca *Romuli* in Græcia passi, ac *Eudoxii*, *Zenonis*, *Macarii* et 1104 Militum, qui diu post coronati sunt Melitinæ in Armenia minori, Metaphrastem habent auctorem, dataque sunt cum interpretatione jam edita apud Lipomanum. Hisce præter alios, solo fere nomine et cultu notos, accedunt duo fratres, principes Russi, *Romanus* et *David* in baptismo dicti, alias *Borisus* et *Hlibus* a suis nominati, quos vere Catholicos fuisse, et ab aliquot seculis a Catholicis cultos, ostendimus.

EX FEMINEO SEXU.

Prima in hac classe nominanda videtur *Hermione*, Ephesi sepulta, quia filia fuit S. Philippi apostoli, aut, ut alii volunt diaconi, qui etiam *Apostolus* subinde vocatur a Græcis. De ambigua illa controversia sic disputatum est in utramque partem, ut neutram sententiam improbemus; at illam credamus probabiliorem, quæ Philippo diacono *Hermionem* attribuit filiam. Huic contemporanea fuit *S. Candida* Neapoli culta, quæ a S. Petro apostolo conversa creditur. Altera quoque *Candida*, a priore distincta, Neapoli colitur, ac *junior* ibi vocatur. Pluribus tricis involuta est *Grata* Bergomensis, quam alii *virginem*, alii *viduam* vocarunt; quamque et

virginem

virginem et viduam fuisse, quidam volunt neoterici. Existimamus Pinamontem, qui Sanctæ Vitam seculo XIII scripsit, gesta quarum mulierum, quæ *Grata* ambæ vocantur, in unam confudisse; indeque factum, ut *Grata* ad seculum IV referretur, licet videatur seculo VIII et IX floruisse. Illustrissimis natalibus orta est *Ida* vidua; at virtutum splendore longe evasit illustrior, apud Westphalos præcipue culta. Vitam ejus ab Uffingo monacho scriptam de more elucidamus. Non minus illustris est *Irmgardis* virgo, comitis Zutphaniæ filia: sed hujus Vita minus exacte scripta. De *Munessa* aut *Monessa* virgine Hiberna, et de *Rhaïde* vel *Heraïde* virgine et martyre Ægyptia paucis egimus. *Bega* abbatissa, quæ varia Britanniæ monasteria incoluit, paulo uberiorem scribendi præbuit materiam. *Limbania* virgo, quæ Genuæ vixit in monasterio S. Thomæ, olim Benedictini ordinis, nunc Augustiniani, notior est miraculis post mortem patratis, quam gestis in vita. Supersunt commemorandæ duæ virgines, miraculorum gloria præ ceteris illustres, nimirum *Rosa* Viterbiensis, ac *Rosalia* Panormitana. *Rosa* tertium Ordinem S. Francisci professa est, atque in puellari ætate tantis virtutibus gratiisque splenduit, ut vel annosas anus tenella Virgo longissime superaverit, miraculis in vita ac post mortem celeberrima, præsertim mira incorrupti corporis integritate. *Rosalia* vero, licet nobilissimis orta natalibus, latebras quæsivit, et vitam duxit quam maxime solitariam; indeque factum, ut de gestis ipsius plura fuerint disputanda quam enarranda. Verum gloria ipsius posthuma ex innumeris miraculis, cultuque per omnes fere orbis partes brevi propagato, tantam præbuit materiam, ut Acta *S. Rosaliæ* separato etiam volumine in quarto edenda censuerimus. Præter hos Sanctos, de quibus præcipue in tomo agitur, paucos parum notos dabunt indices ordinarii.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ, Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis 2 Decembris 1692, et 19 Julii 1694, Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi typographos et bibliopolas, qui, ad aliorum quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere, et vendere possint libros et Opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet: cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;

Ego infrascriptus Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Francisco Retz, concedo *Bernardo Alberto vander Plassche* facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum Opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum; videlicet, Tomum secundum de Actis Sanctorum Septembris, collectis et illustratis per Joannem Stiltingum, Joannem Limpenum, Joannem Veldium P. M., et Constantinum Suyskenum, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ XXII Martii MDCCXLVIII.

PETRUS DOLMANS.

SUMMA

SUMMA PRIVILEGII REGII

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Stiltingi e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat : qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis die v Octobris anno MDCCXXXV.

Signat P. VAN CUTSHEM.

Et ego Joannes Stiltingus Societatis Jesu, permitto Bernardo Alberto van der Plassche, ut Tomum secundum de Actis Sanctorum Septembris, meo permissu apud ipsum impressum publicet. Datum Antverpiæ 1 Octobris MDCCXLVIII.

APPROBATIO ORDINARII

Orbi Literario notum est, quot Lucubrationibus, quam erudite ac diligenter ab Anno 43 præteriti sæculi usque ad hæc tempora RR. PP. Hagiographi Antverpienses Societatis Jesu Acta Sanctorum illustrare pergant. Quantum vero ex hisce utilitatis Orbi Christiano obvenerit, ultro declarare dignatus est Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XIV in litteris ad hodiernos Hagiographos benigne transmissis. Illius Operis tomum quadragesimum, secundum vero mensis Septembris, una cum Dissertatione de Conversione et Fide Russorum de verbo ad verbum perlegi attentius, et ceteris non minus studiose elucubratum reperi, ac proinde prelo dignissimum Censeo. Datum Antverpiæ IV Maii MDCCXLVIII.

G. A. J. DE BEZERRA
ecclesiæ cathed. Antverp. Presbyt. Can. Grad., Sede vacante Vicarius generalis, Scholast. , ejusdem diœcesis Officialis , Judex Synodalis , Decanus Christianitatis, Librorum Censor.

PROTESTATIO AUCTORUM

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ : idem ante hunc secundum Tomum Septembris denuo protestamur.

DISSERTATIO

A D

DISSERTATIO

DE CONVERSIONE ET FIDE RUSSORUM

PRÆFATIO

Occasio, causa, methodus et finis hujus Dissertationis. J. S.

Varietas sententiarum de fide et unitate Catholica Russorum

Quemadmodum varia fuit scriptorum sententia de unitate et fide Catholica patriarcharum Constantinopolitanæ ecclesiæ, qui inter Photium et Michaëlem Cerularium schismaticos sub finem seculi IX, seculo X et XI usque ad annum 1043 sederunt medii; ita diverse admodum eruditi censuerunt de fide obedientiaque Catholica Russorum, qui Christianam religionem eo tempore amplexi sunt, seque ecclesiæ Constantinopolitanæ subjecerunt. Etenim nonnulli crediderunt, Russos a schismaticis fuisse ad Christiana sacra traductos, et ab initio conversionis suæ schismaticos fuisse, non Catholicos. Alii, cum viderent illorum sententiam esse errori obnoxiam, nimis in partem oppositam declinarunt, volueruntque Russos omnes facere Catholicos usque ad ultima fere secula. Inter hosce numerandus est Papebrochius noster, qui in præfatione ad Ephemeridas Græco-Moscas, datas ante tomum I Maii, multa quidem recte disputavit, sed magis generaliter, quam vellem, omnes illos, quos Russi pro Sanctis habent, suspicione schismatis liberare voluit. Cautius et timidius ea de causa processit Sollerius, quando usque ad diem XV Julii, quo Vladimirus dux Russorum ab iis colitur, Opus nostrum erat productum: nihil enim certi de orthodoxa Russorum fide statuere volens, Vladimirum in Prætermissis solum memoravit, donec certiora afferrentur documenta, quibus de unitate Catholica Russorum ac de legitimo Vladimiri cultu, omne deponi posset dubium. Eodem modo processit ad XXIV Julii, ubi cultos eo die a Russis Vladimiri filios, Borisum et Hlibum, ad V Septembris rejecit, ut interim certius aliquid innotesceret.

B C

Et Opusculum de iis nuper editum.

2 *Prodiit revera anno* 1734 *Opusculum Romæ impressum, et summo Pontifici Clementi XII dedicatum, quo lux saltem aliqua in hisce tenebris affulget. Auctor Opusculi est Ignatius Kulczynski Ruthenus, monachusque et procurator generalis Ordinis S. Basilii, ac in Urbe rector SS. Sergii et Bacchi ad Montes. Titulus lucubrationi datus est talis:* Specimen ecclesiæ Ruthenicæ, ab origine susceptæ fidei ad nostra usque tempora in suis capitibus seu primatibus Russiæ cum S. Sede apostolica Romana semper unitæ. *Tam multa hic titulus promittit, ut omnis sublata esset difficultas, si auctor præstare potuisset tantum, quantum titulus insinuat. Verum quanto diligentius ac sæpius libellum istum pervolvi, tanto minus reperire potui, probari perpetuam successionem metropolitarum Russiæ Catholicorum, seu unitorum cum Ecclesia Romana, præsertim ubi alia monumenta cum assertis in isto Opusculo conferre cœpi. Arripuit scriptor ille avide, quidquid apud Papebrochium aliosque scriptores invenit argumentorum et conjecturarum ad schisma a Russis amoliendum, suasque hisce non raro conjecturas addidit. At difficultates, quæ aliunde se offerunt, dissimulatas magis quam discussas aut sublatas perspicio.*

Occasionem præbent huic scripto, quo de Sanctis Russis melius judicari possit.

3 *Hac de causa, cum Acta sanctorum Borisi et Hlibi principum Ruthenorum huic tomo inserenda essent ad diem* V *Semptembris, conversionem et fidem Ruthenorum iterum discutiendam censui; cumque dicenda ad alios quoque Russiæ Sanctos utcumque spectent, Dissertationem hanc toti potius tomo quam modicis Actis præfigendam judicavi. Itaque primo expendam, quo tempore Rutheni fuerint conversi, simulque dabo, quæ de principe Vladimiro, præcipuo conversionis adjutore, apud scriptores leguntur. Secundo examinabo, an patriarchæ Constantinopolitani fuerint Catholici circa tempus conversionis Russorum. Tertio demum per singula secula inquiram, quantum concedet monumentorum penuria, an metropolitæ Ruthenorum cum Romana Ecclesia fuerint uniti. Tota autem Dissertatio in hunc dirigitur finem, ut ex ea utcumque colligi possit, quinam ex iis, quos Russi pro Sanctis habent, certo fuerint Catholici, qui contra de schismate suspecti aut certo schismatici videantur.*

E

§ I. Russorum conversio variis temporibus tentata et cœpta sine multo fructu.

F

Rutheni hodierni de conversione majorum suorum per S. Andream improbabilia scribunt;

Posteriores *Rutheni fidem apud proavos suos a S. Andrea Apostolo prædicatam voluerunt. Hanc esse vetustam ipsorum traditionem affirmat laudatus Kulczynski in præfatione sui Opusculi ubi hæc ex Synaxario Ruthenico ad* XXX *Novembris de S. Andrea adducit:* Navigavit in Scythiam, ac tandem divina providentia perveniens in Russiam, accessit montes Kiovienses, dixitque suis sociis: Videtisne hos montes? Credite mihi magnam gratiam Dei illos illustraturam, multasque ecclesias his in partibus futuras: illuminabitur enim sacro baptismate totum Ruthenorum dominium. His dictis, ascendit altiorem præ reliquis montem, benedixitque eidem et crucem plantavit, prædicens gentis Russæ conversionem secuturam completam ab ab apostolico suo throno, quem in urbe Byzantina fundaverat. *Plura de itineribus S. Andreæ per Russiam ex eorumdem opinione dat Herbersteinius in Commentariis rerum Moscoviticarum pag.* 19. *Verum, licet satis sit credibile et probabile S. Andream in Scythia prædicasse, cum id etiam asserat Eusebius lib.* I *cap.* 3 *cum pluribus aliis, non ideo certum est, eum Russis seu Roxolanis, ut tunc vocabantur, Euangelium quoque annuntiasse: multæ enim gentes Scythiam incolebant,*

AUCTORE J. S.

incolebant, nec de conversione Roxolanorum quidquam innotuit. Quod vero dicitur de accessu Apostoli ad montes Kiovienses, *de plantata ibidem cruce, deque prædicta integra Ruthenorum conversione per episcopum Byzantinum, prorsus videtur commentitium, omnique destitutum est auctoritate antiquorum. Æque commentitium est, quod S. Andreas sedem suam statuerit Byzantii, cum nullus ibi Apostolorum temporibus sederit episcopus, ut probatum est in Historia chronologica patriarcharum Constantinopolitanorum ante tomum* I *Augusti.*

nec Russorum episcopus, sed Rhosi civitatis in Cilicia subscripsit Antiocheno concilio.

5 *Baronius. tom.* 7 *Annalium pag.* 722 *et* 723, *agens de Ruthenis a Sede Apostolica receptis, ex Matthia de Micbovia observat, coli a Russis præcipuo honore S. Thadæum et S. Bartholomæum apostolos, quod dicant se fidem ad iis accepisse. Huic autem Ruthenorum traditioni pondus addere conatus est Baronius tali ratiocinio:* Etenim reperitur interfuisse generali concilio Antiocheno sub Joviano imperatore Antipater episcopus RHOSSOS, seu RHOS vel RHOSSI translatione Latina, (quo sane nomine B a Græcis dictos esse Ruthenos, nuper demonstratum est) idemque episcopus cum reliquis subscriptus legitur in synodali epistola, data ad eumdem Jovianum imperatorem, quæ extat apud Socratem. *Habetur laudata epistola apud Socratem lib.* 3 *cap.* 25, *et nomen loci, ex quo Baronius Antipatrum Russorum fuisse episcopum credidit, Græce exprimitur ῥῶσου, Latine* Rhosi. *Cum autem vox ῥῶσου sit in genitivo casu et in numero singulari, nequit intelligi de gente Russorum, sed exponenda est de civitate, cujus episcopus erat Antipater. Porro* Rhosus, *civitas eodem tempore episcopalis in Cilicia, nota est in Geographia sacra apud Carolum a S. Paulo, qui* Rossum *vocat pag.* 290, *urbemque hanc in tabula patriarchatus Antiocheni locat in Cilicia secunda ad mare. Varios episcopos* Rhosi *vel* Rhossi *recenset ibidem Holstenius in annotatis. Sex ejusdem civitatis antistites invenit Michaël le Quien in Oriente Christiano tom.* 2 *col.* 907, *ubi hunc ipsum Antipatrum primum ponit. Fortejam alii fuerunt Rhosi antistites ante Antipatrum: nam etiam S. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis cap.* 41 *meminit de Rhosensi* Ci- C liciæ *ecclesia in hæresim lapsa. Itaque tota observatio Baronii funditus corruit: nec aliunde probari potest, ullam apud Russos vel Roxolanos tempore Apostolorum, aut etiam octo primis Ecclesiæ seculis, erectam fuisse ecclesiam. Si vero nonnulli in Russia ab Apostolis fuere conversi; illi postea ad idololatriam reversi sunt, aut certe eorum posteri.*

Russorum conversio seculo IX tentata non sine fructu,

6 *Quæ narrantur a Græcis scriptoribus de conversione Russorum seculo* IX, *firmioribus nituntur fundamentis: neque tamen plena aut stabilis fuit ea gentis conversio. Photius in epistola ad patriarchas Orientales data contra Latinos, apud Baronium tom.* 10 *pag.* 253 *conversionem illam magnifice prædicat, ita scribens:* Non enim sola gens ista *(Bulgarorum)* a priore sua impietate ad Christi fidem conversa est: verum etiam, quod apud multos sæpenumero est dictitatum, gens illa, quæ crudelitate ac cædibus omnes superat, qui Ruteni dicuntur, quique infinitos populos sibi subjecerunt, et propterea multum elati adversus Romanum imperium manus injecerunt: nihilominus etiam isti puram et immaculatam Christianorum religionem, deposita sua illa ethnica et impia supertitione, quam antea sequebantur, nostram fidem susceperunt, D subditorum loco et clientum humane nobiscum se habentes pro illa sua priore adversus nos deprædatione... Episcopum enim et pastorem receperunt, et Christianorum sacra magno studio et diligentia venerantur. *Pagius hoc factum perperam illigat anno* 861, *ibique rectius num.* 9 *observat, Russos illos deinde ad idololatriam rediisse. Verisimile est, gentis conversionem nec tam sinceram nec tam generalem fuisse, quam significare videntur verba Photii, merita ecclesiæ Constantinopolitanæ vana jactantia extollentis: imo vix inchoata erat conversio, dum hæc scribebat Photius, ut infra videbimus. Joannes Georgius Stredowsky in Historia sacra Moraviæ lib.* 2 *cap.* 9 *hanc Russorum conversionem attribuit SS. Cyrillo et Methodio, qui Bulgaros, Chazaros, Moravos, ad fidem quoque converterunt: asseritque Sanctos illos hodieque multum coli in diœcesi Præmistiensi, quæ est Russiæ Nigræ.*

fortasse per S. Cyrillum aut S. Methodium;

7 *Si satis certa esset relatio de conversione Russorum, quam* ex codice Ms. Colbertino *edidit Anselmus Bandurus in Animadversionibus ad librum Constantini Porphyrogeniti de Admi-* E *nistrando imperio pag.* 112 *et seqq.; conversio hæc Russorum probabiliter attribui posset SS. Cyrillo et Methodio, aut certe alterutri ex hisce. Nam scriptor ille anonymus, postquam narraverat a magno duce Russorum legatos Constantinopolim fuisse missos, qui flagitarent, ut episcopus mitteretur in Russiam ad prædicandam ibi fidem Catholicam, ita pergit:* Tunc porro Basilius Macedo Romanorum sceptra moderabatur, qui, exceptis cum gaudio magno hujusmodi legatis, episcopum eo misit pietate et virtute clarum cum comitibus duobus Cyrillo et Athanasio, qui et ipsi virtute, eruditione et prudentia ornatissimi erant: neque solum divinæ Scripturæ notitia repleti, sed etiam in humanioribus litteris probe exercitati, ut eorum scripta testificantur. Eo profecti illi, omnes edocuerunt et baptizarunt, et Christianæ pietatis rudimentis instituerunt. Cum autem gentem eam omnino barbaram et rudem cernerent; ac nullo modo possent doctissimi viri viginti quatuor Græcorum litteras ipsos edocere; ne rursus a pia religione deflecterent, triginta quinque litteras abs se F inventas et exaratas iisdem tradiderunt. *Posteriora hæc designant S. Cyrillum, qui litteras Slavonicas invenit, et gentibus a se conversis tradidit, ut probatum est tom.* 2 *Martii pag.* 17 *in Commentario prævio ad Acta SS. Cyrilli et Methodii. Attamen Cyrillus non potuit esse episcopus ille, qui ad Russos dicitur missus, ut ex conversionis epocha patebit.*

at cœpta illa convers non satis accurate relata:

8 *Quapropter si tota illa historia certa esset, existimarem S. Cyrillum in Russia prædicasse, et viam præparasse isti episcopo, quem Basilius Macedo in Russiam misisse dicitur. Verum ignoramus, quam antiquum sit istud scriptum, et fatetur Bandurus codicem, ex quo historiam illam dedit, scriptum esse* recenti manu. *Michaël le Quien in Oriente Christiano tom.* I *col.* 1257 *existimat, anonymum illius scripti auctorem per* Russos *designare Chazaros, omniaque de Chazarorum conversione esse intelligenda, quia constat S. Cyrillum Chazaris prædicasse eorumque multos convertisse. Verum non video, cur omnia illa de Chazaris intelligere oporteat, cum ex Photio et Constantino Porphyrogenito certum fiat, Russis circa idem tempus non sine fructu aliquo*

prædicatum

A *prædicatum fuisse Euangelium. Malim igitur credere, anonymum illum miscuisse multa, quæ. diversis temporibus facta sunt, et fortasse etiam aliqua, quæ in Chazarorum conversione contigerunt, ad Russos transtulisse. Certe quod primo loco narrat de legatis Romam et Constantinopolim missis a Russorum principe, Dlugossus in Historia Polonica ad annum 987 refert de Vladimiro, qui integro seculo serius conversus est. Quod de inventis litteris Slavonicis subditur, congruit, S. Cyrillo, qui iis litteris alias gentes erudiit, et forte etiam Russos. Miraculum vero illæsi in igne Euangelii, quos Russos ait conversos, temporibus Basilii Macedonis seu huic conversioni congruit, ut confirmatur ex aliis scriptoribus.*

illustre miraculum,

9 *Constantinus Porphyrogenitus in Basilio Macedone num. 96 de Russorum conversione sic habet :* Præterea genti Russorum nescienti mansuescere, ullive cedere, atque a Dei sensu ac pietate remotissimæ, auri argentique ac sericarum vestium affluenti largitione in fœdus pertractæ, initisque cum ea induciis, ac pace firmata, divini quoque baptismatis participes fieri B persuasit; ac archiepiscopum ab Ignatio patriarcha ordinatum ut susciperent, effecit. Is, ad dictæ gentis provinciam cum venisset, ex tali eventu illustrique facinore illius sibi animos faciles reddidit. Gentis enim princeps, subditæ plebis coacto cœtu, cum senatoribus suis ac proceribus præsidebat; qui et falsæ Religioni, ob longam consuetudinem proclivius reliquis adhærebant. Deque sua ac Christianorum fide deliberantibus, in conventum vocatur, qui ad eos recens episcopus venerat; ac, quænam ipse profiteretur, eosque docturus esset, ex illo sciscitabantur. Eo sacrum divini Euangelii librum protendente, ac quædam Salvatoris nostri miracula, Deique in veteri Testamento prodigia exponente, statim Russi subdiderunt : Nisi nos etiam ejusmodi aliquid, viderimus, ac potissimum quale in trium puerorum camino accidisse dicis, nullam prorsus tibi fidem habebimus, nec tuis verbis animum auresque nostras ultra accommodabimus.

quod accidisse ea occasione dicitur.

10 Præsul vero de illius promissionis veritate fretus, qui ait, Si quid petieritis in nomine meo, accipietis : et, Qui credit in me, opera, quæ ego facio, ille faciet, et majora his faC ciet; tum nimirum, cum non ostentationis causa, sed ad salutem animarum, hæc, quæ fiunt, sunt futura, ait, ad eos : Etsi non licet Dominum Deum tentare; si tamen ex animo statuistis ad Deum accedere, quod libuerit, hoc et petite; omninoque Deus præstabit propter fidem vestram, etsi nos despicabiles et minimi sumus. Petiere ipsum fidei Christianæ librum (divinum scilicet sacrumque Euangelium) in rogum injici ab eis accensum; ac siquidem librum nihil flamma læserit aut exusserit, ad Deum accessuros, qui ab illo prædicaretur. Quibus sic dictis, ac sacerdote oculos ac manus ad Deum levante, atque dicente, Clarifica nomen sanctum tuum, Jesu Christe Deus noster, etiamnum in oculis gentis hujus universæ; sancti Euangelii liber in rogum ignis conjectus est. Nec paucis decursis horis, ac rogo exinde extincto, inventum est sacrum volumen illæsum, nec edacis flammæ vi ulla violatum; nulla ejus ab igne noxa aut diminutione, ut ne fimbriæ quidem librum claudentes ullam aut corruptionem aut labem senserint. Quo viso barbari, ac miraculi magnitudine in stuporem acti, omni sublata hæsitatione baptismo intingi cœperunt. *Hactenus Constantinus imperator : idem referunt Zonaras, Curopalates, Cedrenus et alii.*

AUCTORE J. S.

Pagius geminam existimans fuisse seculo IX Russorum conversionem.

11 *Pagius alteram Russorum conversionem innectit anno 861, alteram anno 876, bisque eodem seculo* IX *Russos conversos credit, conaturque evincere diversos fuisse Russos, quo anno 861 ad Christiana sacra adductos scribit, a Russis illis, quos quindecim annis serius Christo nomen dedisse existimat. Verum dubitare vix possim, quin unica sit conversio, quam geminavit Pagius ob qualemcumque scriptorum in ea referenda varietatem. Nimis sane asseveranter ad annum 861 num. 7 ait laudatus scriptor :* Russi... hoc anno Christianam fidem amplexati sunt; *cum nullum afferat argumentum, quod id recte probetur. Primum adducit verba Constantini Porphyrogeniti Continuatoris lib.* 4 *num.* 33, *quæ subjungo :* Exinde factum, ut Rossi Scytica illa gens immitis ac fera Romanos agros vastaret... Verum hi quidem abunde Dei ira exsaturati, Photio, qui ad ecclesiæ gubernacula sedebat, Deum exorante, urbique propitium reddente, domum rediere : nec multo E post, legatis in urbem missis, divinum efflagitantes baptismum impetravere. *Cursim hæc auctor ille perstringit, ut conversio fusius suo loco referatur, sicut revera factum est a Constantino, cujus verba dedi num. 9. Verum vehementer festinat Pagius, qui uno anno omnia peracta existimat, videlicet Constantinopolim a Russis* quasi indagine *cinctam, ipsos post expeditionem reversos in Russiam, legatum ab iisdem Constantinopolim missum, ac demum baptisma susceptum. Neque hæc modo vult uno anno contigisse, sed eodem etiam anno, quo in conciliabulo damnatus est S. Ignatius, eique patriarcha substitutus Photius, quod factum est circa Pentecosten. Tota tantæ festinationis ratio est, quod auctor hæc scribat,* iis narratis, quæ hoc anno adversus Ignatium a Photianis gesta.

priorem sine idoneis rationibus illigat anno 861.

12 *Verum neque hæc ratio sufficit ad ostendendum Russos eodem plane anno bellum gessisse contra Græcos in vicinia urbis Constantinopolitanæ; neque evincit bellum istud eodem anno finitum esse, quo erat inchoatum. At fuerit illo anno bellum Russicum, quod utcumque ex Niceta in Vita S. Ignatii ostenditur : multo minus* F *ex adductis verbis inferri potest, legatos Russorum eodem anno venisse Constantinopolim ad baptismum flagitandum, etiamsi scriptor dicat,* Nec multo post *eos fuisse missos. Cur enim scriptor, toto fere seculo rebus gestis posterior, non potuit dicere Russos non multo post istam expeditionem fuisse conversos, licet conversio quatuor aut quinque annis sit posterior? Frivola igitur est ratio Pagii, seriusque figenda est conversio illa Russorum, ut satis colligitur ex verbis Prophyrogeniti num. 9 datis : dicitur enim Basilius Russorum genti* a Dei sensu ac pietate remotissimæ *persuasisse, ut baptismum et archiepiscopum susciperet. Quomodo Russos a pietate remotissimos imperante Basilio Macedone dixit Porphyrogenitus, si jam anno 861, id est, quinquennio antequam Basilius ad consortium imperii adscisceretur a Michaële imperatore, baptismum suscepissent, ut vult Pagius, non satis distinguens inter illa, quæ ut post facta breviter indicantur a scriptoribus, ac ea, quæ tempori suo ab iisdem illigantur? Accedit silentium Nicetæ in Vita S. Ignatii, qui Bulgaros*

garos

AUCTORE J. S.

garos quidem conversos scribit; at de Russorum conversione altum silet. Tanto magis urget istud Nicetæ silentium contra Pagium, quod hic Bulgaros et Russos eodem anno 861 conversos velit. Hanc opinionem Porphyrogenitus clarissimis verbis refutat in Basilio Macedone, ubi num. 95 fatetur Bulgarorum gentem ante imperium ipsius Christianorum ritus suscepisse; Russorum vero gentem a pietate remotissimam fuisse asserit num. 96. Lubet annum utriusque gentis conversæ paulo accuratius investigare, indeque clare ostendere unam tantum fuisse Russorum conversionem, quam in duas distraxit Pagius.

Epistola Photii anno 867 data ostendit Bulgaros circa annum 864 maxime conversos;

13 *Epistola Photii, qua tam Bulgarorum quam Russorum conversio refertur, data est anno 867. Serius data esse non potest, cum Photius eodem anno 867, die* XXV *Septembris, solio patriarchali sit dejectus, ut probat eo anno Pagius num. 15. Data quoque non est ante annum 867 : quæ enim in ea referuntur de legatis summi Pontificis ad Bulgarorum regem missis, gestisque eorum apud Bulgaros, scire non poterat Photius ante prædictum annum. Quippe Michaël Bulgarorum rex conversus* legatos suos *ad Nicolaum I Papam* mense Augusto, Indictione XIV, *id est, anno* 866, destinavit, *teste Anastasio Bibliothecario, scriptore contemporaneo, in Nicolao. Acceptis cum gaudio hisce legatis, Pontifex duos episcopos virtute præstantes* monitis *et* doctrinis *instruxit, atque in Bulgariam misit ad regem Michaëlem. Jam vero si consideremus itineris repetiti longitudinem et moram utrique itineri Romæ interpositam, facile intelligemus, non venisse episcopos, quos misit Pontifex, in Bulgariam, nisi sub finem anni 866. Non potuit igitur Photius Constantinopoli gesta eorum in Bulgaria discere ac scribere ante inchoatum annum 867, quo epistolam ipsius scriptam dixi. Jam vero ex dictis Photii tempus conversorum Bulgarorum sic deduco. Asserit ille in laudata epistola, apud Baronium ad annum 863 num. 36 edita, venisse dictos Pontificis legatos,* cum vix duos annos rectam Christianorum religionem veneraretur *gens Bulgarica. Atqui Pontificis legati eo venerunt sub finem anni 866, aut fortasse initio anni 867. Præcipua igitur Bulgarorum conversio illiganda est anno 864 : quamvis negare nolim uno anno aut fortasse altero citius inchoari potuisse; et revera ab anno 862 aut 863 inchoatam fuisse insinuat ordo rerum, quo hæc conversio narratur a Niceta in Vita S. Ignatii : non tamen anno 861 affigendam hactenus video, ut probare voluit Pagius. At nolim hic ejus argumenta excutere, quia de Bulgaris non ago, sed de Russis.*

Russorum vero conversionem circa 866 figendam

14 *Horum autem conversionem, quæ cœpta tantum fuit, scribente Photio, figendam circa annum 866, multa persuadent. Primo Photius, cujus verba dedi num. 6, de ea conversione scribit anno 867, ut de re nova. Secundo Porphyrogenitus verbis num. 9 recitatis conversionem illam refert ad imperium Basilii Macedonis. At Basilius Macedo ad imperium evectus non est ante annum 866, quo a die* XXVI *Maii imperare sic cœpit cum Michaële imperatore, ut illi præcipua imperii administratio incumberet. Probant id verba Constantini Porphyrogeniti apud Pagium ad annum 867 num. 10. Itaque poterat Basilius anno 866 vel initio anni sequentis episcopum in Russiam mittere, ut factum ab eo testatur Porphyrogenitus, quem secuti sunt Zonaras, Curopalates, Cedrenus et alii. Nonnulla tamen hic est difficultas, quia scriptores dicunt* archiepiscopum, *quem ad Russos misit Basilius, ordinatum fuisse a S. Ignatio patriarcha : nam S. Ignatius sede sua dejectus est anno 861, eamque recepit anno 867 post scriptas Photii litteras, in quibus dicit :* Episcopum enim et pastorem receperunt. *Respondeo varias hic dari posse conjecturas, at nihil certi. Forte verba Photii,* Episcopum receperunt, *tantum significant,* petierunt, *aut* recipere parati sunt. *Et sic episcopus ille ordinari ab Ignatio potuit post dejectum eodem anno Photium, et mortuo Michaële imperatore, quando solus imperabat Basilius. Secundo, forte episcopus ille antea ab Ignatio ordinatus erat ad Russorum aut aliarum gentium conversionem, rejectusque initio, demum agente Basilio a Russis admissus est. Utrumque convenit verbis Porphyrogeniti; neutrum assertis Photii repugnat. Potuit etiam aliquis presbyter ad Russos mitti, isque eorum episcopus designari, antequam scribebat Photius, et demum ab Ignatio ordinari. Possunt et aliis modis utriusque scriptoris dicta conciliari; sed nihil ex hisce certum est, nisi conversionem Russorum cœptam esse circa annum 866, cum facta dicatur sub Basilio Macedone, et certo cœpta fuerit, priusquam anno 867 scribebat Photius.*

Diversas Russorum gentes seculo IX conversas,

15 *Hæc epocha est conversionis qualiscumque Russorum seculo* IX, *ex qua geminam finxit Pagius, alteram, præmature anno 861 affigens, alteram sine ulla ratione ad annum 876 differens. Dico sine ulla ratione tam diu dilatam a Pagio Russorum conversionem, licet ille alleget pro ratione ordinem, quo id factum narravit Porphyrogenitus. Nam clarum est, nullum temporis ordinem in narranda ea conversione a Porphyrogenito servatum, cum trium gentium conversiones a Basilio adjutas inter virtutes ejus extra ordinem recenseat, sicut plurima ædificia ejus jussu constructo paulo ante enumeraverat. Speciosa magis apparent ratiocinia, quibus ex una hac conversione geminam eruere tentavit, sed jam partim sunt soluta. Affirmat ad annum 876 num. 19 ab aliis conversionem referri sub Michaële imperatore, ab aliis sub Basilio; ab aliis sub Photio patriarcha, ab aliis sub Ignatio. Hæc jam satis sunt excussa et elucidata. Addit tamen Pagius :* Priores episcopum ad se missum statim recepere;.... posteriores vero archiepiscopum a S. Ignatio ordinatum non nisi post insigne miraculum admisere. *Ex iisque concludit hoc modo :* Isti itaque Russi ab aliis diversi extitere, illisque vicini. Russorum enim nomen, sicut et gens, late extendebatur. *Ita Pagius, qui recte deinde observat Russos, seculo* IX *conversos, postmodum ad ingenium rediisse, cum efficax et integra ipsorum conversio facta sit integro seculo serius.*

Pagii ratiocinia non evincunt : at una tunc fuit eorum conversio, eaque non fuit stabilis.

16 *Verum uti hic erudito viro lubens assentior, sic omnino improbare cogor sententiam ejusdem de diversis Russis seculo* IX *conversis : nam omnia ipsius ratiocinia nihil aliud evincunt, nisi Russorum conversionem illam non eodem plane modo a scriptoribus esse relatam, quod frequentissime fit apud historicos. Verum tam levis relationum diversitas ad facta geminanda non sufficit, præsertim cum omnia conciliari possunt, uti hic posse ostendo. Si vero non possent conciliari eorum dicta, dicerem aliquos e scriptoribus errasse in adjunctis quibusdam personarum aut temporis, ut sæpe contingit; exemplumque*

A ptamque sub Michaele imperatore conversionem magis esse promotam sub Basilio. Celerum dubitari potest, an illa Russorum conversio fuerit sincera : certe stabilis non fuit : nam ignoramus, quamdiu antistes ille in Russia fuerit, ubi sedem fixerit, ubi ullam erexerit ecclesiam. Suspicor igitur tumultuariam tantum fuisse conversionem, quam Photius necdum satis cognitam jactanter prædicavit, quamque Constantinus Porphyrogenitus forte ad laudem Basilii amplificavit : nam Nicetas in Vita Ignatii altum de ea silet, quod signum est, aut sinceram non fuisse, aut cito concidisse. Sane Porphyrogenitus in libro de Administrando imperio de Russis semper loquitur tamquam de infidelibus. Magis igitur gloriæ avi sui Basilii quam sinceritati studuisse videtur, quando ita de eorum conversione scripsit, acsi gens tota Christianis sacris se constanter addixisset, ac ne verbo quidem indicavit, quando aut qua occasione illi ad priorem idololatriam redierint : nam Russos ad idololatriam relapsos constat, saltem majori ex parte ; si qui vero in fide perseverarunt, id occulte videntur fecisse.

B

§ II. Russorum regina circa medium seculi x conversa et in baptismo Helena dicta : colitur hæc apud Russos saltem schismaticos.

Conversa Russorum princeps Olga, in baptismo Helena dicta :

Circa medium seculi x spes alia affulsit conversionis Russorum, quia eorum regina baptizata est. De ejus conversione Zonaras lib. 16 num. 21 pag. 194 sic loquitur : Elga quoque uxor ducis Russorum, qui Romanos classe infestarat, defuncto marito, se ad imperatorem (*Constantinum Porphyrogenitum*) contulit, ac baptizata et pro dignitate tractata, domum rediit. *Idem quoque in Constantino narrat Cedrenus. Consentiunt Historici Poloni et Russi, non tamen de tempore, quo illa a Græcis conversa dicitur, omnino eamdem sequuntur sententiam.*

C *Dlugossus extra ordinem lib.* I *pag. 50 Olhæ conversionem scribit, docetque cum aliis in baptismo* Helenam *vocatam, ut latius apud ipsum videri potest. Cromerus vero lib. 3 Rerum Polonicarum, et Stanislaus Sarnicius lib. 6 Annalium Polonicorum cap.* I *Olgam sub Joanne Tzimisce, qui imperare cœpit anno 969, Constantinopoli Christianam factam scribunt. Hisce consonans Herbersteinius in Commentariis rerum Moscoviticarum pag. 3, de Olha, ut ipse vocat, vel* Helena *ita habet :* Dein anno mundi 6463 in Græciam profecta, baptismum sub rege Johanne Constantinopolitano suscepit, commutatoque nomine Olhæ, Helena vccata est : ac magis post baptismum a rege muneribus acceptis, domum revertitur. Hæc prima inter Ruthenos Christiana fuit, ut Annales eorum testantur, qui eam soli æquiparant. Sicuti enim sol ipsum mundum illuminat, ita et ipsa Russiam fide Christi illustrasse dicitur : Suatoslaum autem filium ad baptismum nequaquam perducere potuit. *Hactenus Herbersteinius, cujus epocha non est accurata.*

18 *Nam annus mundi 6463, secundum opinionem recentiorum Græcorum, inchoatus est Kalendis Septembris anni 954, id est, multis annis ante imperium Joannis Tzimiscæ ; et imperante Constantino, sub quo factum referunt Græci, ex quibus tamen annus rei peractæ colligi nequit, cum conversio referatur extra ordinem occasione alterius similis. Pagius quidem ad annum 941 num. 3 videtur conversionem Helenæ innectere anno 945, sed adeo sine ulla ratione idonea, ut dubitem, an non sit mendum impressionis, et an non voluerit potius indicare annum 954 aut 955, cum laudet Herbersteinium, qui alterutrum ex his annis designat, et cujus calculus non multum a vero abesse videtur. Sane Cedrenus factum refert post ea, quæ narraverat Indictione 6, quæ fuit anno 948 et ante Indictionem 14, seu annum 956. Alias temporis notas nec ipse nec Zonaras assignat. Quo igitur modo annum 945 ex iis haurire potuerit Pagius, non intelligo, sed mendum esse suspicor.*

AUCTORE J. S. cujus baptismus figendus post medium seculi x.

Conata est Helena fidem apud Russos propagare per Latinos prædicatores ;

19 *Allaborasse Helenam, ut fidem apud Russos propagaret, ex Latinis scriptoribus discimus. Lambertus Schafnaburgensis in Annalibus ad annum 960 ad propositum nostrum ita habet :* Venerunt legati Russiæ gentis ad regem Otthonem, deprecantes, ut aliquem suorum episcoporum transmitteret, qui ostenderet eis viam veritatis. Qui consensit deprecationi eorum, mittens Adalbertum episcopum fide Catholicum, qui vix evasit manus eorum. *In Chronico Hildensheimensi ad eumdem annum eadem fere verba leguntur, sed additur de Russis :* Et professi sunt se velle recedere a paganico ritu, et accipere religionem Christianitatis . . . . Illique per omnia mentiti sunt, sicut postea eventus rei probavit. *Utrique consentit Cosmas Pragensis in Chronico Boemorum apud Menckenium tom. 3 Scriptorum rerum Germanicarum col. 1775. Porro dictos Russorum legatos ab Helena regina fuisse missos, docet ad annum 959 Continuator Reginonis, ita scribens :* Legati Helenæ reginæ Rugorum, quæ sub Romano imperatore Constantinopolitano Constantinopoli baptizata est ficte, ut post claruit, ad regem venientes, episcopum et presbyteros eidem genti petebant. *Eadem exscripsit Annalista Saxo. Uterque vero Rugorum nomine Russos designat, ut clare patet ex Helena, quæ non Rugorum, sed Russorum erat regina. Quod vero hi scriptores asserant* ficte *baptizatam fuisse Helenam, id suspicati sunt, quia Adalbertus episcopus male exceptus est in Russia : at ea non fuit culpa Helenæ, sed aut filii ejus Suatoslai, cui parebant Russi, aut forte Russorum ipsorum, qui cum principe suo a fide abhorrebant.*

E

F

sed missus eo S. Adalbertus nihil profecit, maleque exceptus est a Russis :

20 *Jam vero quis ab Ottone rege, (deinde imperatore) Russis fuerit destinatus episcopus, laudatus scriptor ad annum 960 declarat his verbis :* Rex Natalem Domini Franckonofurt celebravit, ubi Libutius ex cœnobitis S. Albani a venerabili episcopo Adaldago genti Rugorum episcopus ordinatur. *Rursus ad annum 961 :* Libutius priori anno quibusdam dilationibus ab itinere suspensus, xv Martii anni præsentis obiit : cui Adalbertus ex cœnobitis sancti Maximini machinatione et consilio Wilhelmi archiepiscopi, licet meliora in eum confisus fuerat, et nihil umquam in eum deliquerit, peregre mittendus in ordinatione successit. Quem piissimus rex solita sibi misericordia omnibus, quibus indigebat, copiis instructum, genti Rugorum honorifice destinavit. *Discessit igitur Adalbertus*

AUCTORE J. S.

dalbertus in Russiam biennio fere postquam ab Helena petitus fuerat episcopus. Quare verisimile est, Helenæ auctoritatem eo intervallo non parum imminutam esse, atque ea de causa spem quoque intercidisse, quam ipsa, quæ multis annis pro filio juniore imperium administraverat, de Russis per Latinos convertendis conceperat. Verum, quidquid fuerit causæ, irritum hujus expeditionis sacræ eventum Continuator Reginonis sic exponit : Eodem anno Adalbertus Rugis ordinatus episcopus, nihil in his, propter quæ missus fuerat, proficere valens, et inaniter se fatigatum videns, revertitur : et quibusdam ex suis in redeundo occisis, ipse cum magno labore vix evasit, et ad regem veniens caritative suscipitur, et a Deo amabili Wilhelmo archiepiscopo pro retributione tam incommodæ ab eo sibi machinatæ peregrinationis, bonis omnibus et commodis quasi frater amplectitur et sustentatur. *Plura de hoc sancto Adalberto, qui postea factus est archiepiscopus Magdeburgensis, videri possunt ad* XXI *Junii, ubi ejus Acta data sunt.*

B

fides tamen utcumque per Græcos propagata tunc videtur.

21 *Porro, quamvis irritus fuerit Latinorum conatus in Russia, existimo tamen non paucos e Russis Helenæ opera ad Christianam fidem adductos per prædicatores Græcos, cum Russi ipsi in ea sint opinione, ut declarant verba Herbersteinii num.* 17 *data, quibus consonat Kulczynskius mox laudandus. Auctoritas Helenæ, quæ post fidem susceptam aliquot annis Russiam administrare perrexit, facile aliquot e proceribus ad fidem pertrahere potuit, pluresque e populo : idque re ipsa factum facile credo ob verba Ditmari, qui circa finem Chronici sui asserit, ultra quadringentas ecclesias fuisse Kioviæ, dum scribebat. Scripsit autem ea Ditmarus anno* 1018, *id est, triginta circiter annis post conversionem Vladimiri ducis, qui fidem Christianam præcipue promovit in Russia. At parum est credibile, tantam ecclesiarum multitudinem in civitate etiam maxima conditam fuisse annis triginta, ita ut admodum appareat verisimile, varias jam Helenæ temporibus fuisse constructas, Christianosque jam tunc non paucos fuisse in Russia. Fateor quidem me vehementer suspica-* C *ri, numerum ecclesiarum Kioviensium ex fama mendaci exaggeratum esse apud Ditmarum : sed vel ipsa exaggeratio innuit numerum earum fuisse maximum ; idque sufficit ad propositum meum. Quapropter non omnia satis perpendisse videtur Pagius, dum ad annum* 876 *num.* 17 *sine teste asserit, nullum præter Helenam in Russia inventum Christianum, dum anno* 988 *conversus est Vladimirus. Non ausim ego tam generaliter fidem Christianam Russis abnegare ante Vladimirum, contentus dixisse non tantum eo tempore fuisse Christianorum in Russia numerum, ut Russi possent dici Christiani respectu multitudinis idololatrarum.*

Helena Christiana obiit, et colitur a Russis schismaticis,

22 *Quod vero spectat ad Olgam vel Helenam reginam, eam non modo Christianam permansisse affirmant Russi, sed ut Sanctam etiam prædicant, et in Fastis suis commemorant, ac colunt die* XI *Julii, ubi apud nos in Prætermissis de ea meminit Sollerius. Kulczynskius de cultu ipsius ad* XI *Julii ita scribit :* Hodie colunt Rutheni obitum sanctæ Olgæ, dictæ in baptismo Helenæ, magnæ Russiæ ducissæ, quæ prodiit e stirpe ducum Pscovitanorum ; fuit vero conjux Ihori, mater Suatoslai, et avia S. Vladimiri. Suscepit baptismum Constantinopoli anno CMLII, obiit vero anno CMLXXVIII. *Deinde in* D *serie chronologica magnorum Russiæ ducum, pag.* 109 *appendicis, nonnulla mutans in chronotaxi tale texuit elogium :* Olga Igori vidua, Suatoslai mater ac tutrix, pluribus annis regnum pro filio fortiter administravit, et misso contra Dreulanos exercitu, vires eorum attrivit, mortemque suo marito illatam graviter ulta est. Tandem cum regnasset an. XXIV cessit Suatoslao filio imperium, et anno CMXLV profecta Constantinopolim, jam fere septuagenaria sacrum baptismum suscepit, ac Helenæ nomen assumpsit, sub Constantino VIII imp. . . . Redux in patriam plurimos quidem ad religionem Christianam perduxit, sed Suatoslaum filium suum ad amplectendam fidem pertrahere minime potuit.

non vero a Catholicis, quantum novimus.

23 Magnis denque ornata virtutibus ac meritis, obiit anno CMLXX, seu, ut alii volunt, an. CMLXXVIII. Ob eximiam pietatem Divorum albo ab indigenis adscripta. Putant nonnulli Olgam baptizatam fuisse an. CMLII, ut et ego in Specim. Eccl. Ruth., tum in præfat. tum ad diem XI Julii pag. XXVII dixi. Sed verior est sententia, et chronotaxi conformior initiatam baptis- E mo ipsam fuisse an. CMXLV. *Hactenus laudatus scriptor, qui annum hunc conversionis ex Pagio, opinor, desumpsit : at illum ego ne probabilem quidem existimo, cum nullo nitatur fundamento, ut num.* 18 *monui. Plura non adjungo de Helena, cujus memoriam non reperio in Ephemeridibus Græco-Moschis ante tomum* I *Maii, ita ut ignorem, a quo tempore et per quos cultus ejus fuerit inchoatus. Non etiam existimo eam coli a Russis Ecclesiæ Romanæ unitis, licet Kulczynskius* Sanctam *vocet, et coli asserat. Certe in instructionibus, Majoribus nostris ex Polonia et Lituania submissis, non inveni Helenam a Russis unitis coli, sed a schismaticis.*

§ III. Russi ad fidem conversi tempore Vladimiri ducis, qui Annam Græci imperatoris filiam ducit uxorem.

F

Vladimirus post mortem duorum fratrum

Præcipuus post Deum auctor conversionis Russorum fuit eorum princeps Vladimirus, alias Vlodimirus, Wolodimerus, *aliisque nominibus similibus vocatus. Nepos hic erat Igori et Olgæ seu Helenæ Russiæ principum, ac filius Suatoslai (quem* Splendostlabum *Græci vocant) sed e tribus natu minimus. Ducatum Novogardiensem ei dederat pater moriens. At cum unus e fratribus alterum occidisset, ipse alterum bello persecutus est, ejusque morte totum sibi Russiæ ducatum asseruit. Idolorum cultui erat ante conversionem addictissimus, multisque vitiis et præsertim impudicitiæ involutus, ut ex scriptoribus Polonis et Germanis ipsisque etiam Russis satis constat. Hac de causa difficulter credere possum* sacris fidei mysteriis *imbutum fuisse ab avia sua Helena, atque* eam amplecti *cupivisse* jam fere a puero, *ut in serie chronologica Russiæ ducum in Vladimiro scribit Kulczynskius ; licet alias verisimile sit, Vladimirum de aviæ suæ religione fuisse edoctum, eaque occasione libentius fidei mysteria discere voluisse. Porro tempus, quo Vladimirus totius Russiæ principatum adeptus*

A *lus est, accurate non exprimitur a scriptoribus; at ex tempore mortis sualoslai, patris ipsius, utcumque colligi poterit.*

circa annum 979 totius Russiæ dux factus,

25 *Herbersteinius pag.* 4 *scribit Sualoslaum occisum anno mundi* 6480 *ex calculo Græcorum, id est, anno* 972; *pagius vero anno* 973 *peremptum credit. Occisus autem est insidiis Palzinacitarum; quando post grave bellum contra Græcos gestum, pacemque initam cum Joanne Tzimisce imperatore, de quibus videri potest Pagius ad annum* 973, *in Russiam cum exercitu redibat per ditionem Palzinacitarum. At non statim post mortem patris successit Vladimirus, ut Pagius innuit ibidem num.* 12, *sed post bellum civile aliquot annis continuatum. In illo bello e tribus fratribus primus occubuit* Olega, Olcha *aut* Olgus, *(sic nomen diverse scribitur) ac Vladimirus e Russia fugit. Deinde vero Vladimirus, externo auctus subsidio, in Russiam regressus est, fratremque Jaropolcum Kioviæ obsessum occidit. Hæc omnia, quæ latius referuntur ab Herbersteinio, ad quinque facile aut sex annos durare potuerunt. Quapropter non longe* B *a vero abesse poterit calculus Kulczynskii, qui Vladimirum totius Russiæ ducem factum scribit anno* 979.

sororis Græcorum imperatorum nuptias ambit,

26 *Bella per Vladimirum fortiter gesta referre non est necesse. Attamen de uno tacere nequeo, quod dicitur gessisse contra Græcos imperatores Casilium et Constantinum, quia ex eo a quibusdam occasio conversionis repetitur. Dlugossus lib.* 3 *Historiæ Poloniæ pag.* 110 *ad annum* 990 *de ea re sic habet:* Congregata Wladimirus Russiæ dux gentium suarum multitudine copiosa, Græcis bellum infert, et castrum insigne Græcorum Korszyn conquirens, vicinam ex eo sibi subjecit regionem, cogitque oram illam ad tributum. Mittit deinde nuncios ad Basilium et Constantinum Græcorum imperatores, petens sororem eorum Annam conjugio copulari sibi, offerens se, potitum ejus connubio, extemplo de castro Korszyn, quod conquisierat, et regione, quam subjecerat, excessurum. Sed Basilius et Constantinus Græcorum imperatores respondent, non convenire sibi, et suæ honestati, cum principe gentili et idolorum cultura polluto affinitatem contrahere, et C germanam suam illius connubio sociare. Si vero errore gentili deserto fidem Christianam profiteri vellet, non se ejus petitionem abnuituros. Wladimirus autem Russiæ dux, ejusdem nunciis remissis, offert se prono animo fidem Christianam suscepturum, modo venirent personaliter, sororemque Annam offerrent, et ipsum baptizarent. Adversabatur autem soror Anna imperatorum huic affinitati, assumereque illam multiplici renitentia dedignabatur: sed Basilius et Constantinus fratres disserendo persuadendoque, quanta bona ex affinitate hujusmodi sequutura sint, et quod universa Russia ex ejus connubio fidem Christi sit susceptura, animum sororis expugnant pervincuntque ad consensum.

easque, Catholica fide suscepta, impetrat:

27 Veniunt itaque Basilius et Constantinus cum sorore sua Anna in Korszyn, et illico Wladimirum ducem Russiæ oculorum cœcitas invadit, fluctuareque vario mentis æstu cepit, an ritu suo gentili derelicto fidem Christianam et baptisma Christi esset suscepturus. Anna autem soror imperatorum et futura sua conjux docet, cœcitatem, quæ illi acciderat, suscepto baptismate disparituram. Ab episcopo itaque Cortinensi baptizatus, illico oculorum caligine depulsa illuminatus, nuptias cum Anna celebrat, et ecclesiam in signum et memoriam, tam suæ conversionis, quam baptismatis et illuminationis ædificat, castroque Corszyn imperatoris derelicto et restituto, in Russiam cum nova sponsa plenus gaudio redit. *Hactenus Dlugossus, cui consentit Kulczynskius, in elogio Vladimiri ad* XV *Julii. Verum Græci scriptores de illato per Vladimirum bello non meminerunt. Cromerus quoque et Surnicius, Polonicarum rerum scriptores, conversionem Vladimiri narrant sine ulla illius belli mentione. Herbersteinius autem urbem* Corsun *restitutam quidem a Vladimiro scribit nuptiarum causa: at eam antea ab eodem expugnatam non memorat. Potest Cherson urbs maritima in Taurica Chersoneso a Suatoslao aliove Russorum duce antea fuisse intercepta, et restituta a Vladimiro, ut asserit Herbersteinius. At utrumque æque apparet incertum ob silentium scriptorum synchronorum.*

hæ nuptiæ, de quibus certo constat,

28 *Herbersteinius pag.* 5 *conversionem Vladimiri, quem* Wolodimerum *vocat, sic exponit:* Wolodimerus quum sine impedimento totius E Russiæ esset monarcha factus, venerant ad eum ex diversis locis oratores, hortantes, ut se eorum sectæ adjungeret. Varias autem quum videret sectas, misit et ipse oratores suos, qui perquirerent conditiones et ritus singularum sectarum. Tandem quum aliis omnibus fidem Christianam Græco ritu prætulisset elegissetque, missis oratoribus Constantinopolim ad Basilium et Constantinum reges, Annam sororem, uxorem sibi ut darent, se fidem Christi cum omnibus subditis suis suscepturum; et restituturum illis Corsun et alia omnia, quæ in Græcia possideret, pollicetur. Re impetrata, constituitur tempus, eligiturque locus Corsun: quo quum venissent reges, baptizatus est Wolodimerus: commutatoque nomine Wolodimeri, Basilio illi nomen imponitur. Nuptiis celebratis, Corsun una cum aliis, sicut promiserat, restituit. Hæc acta sunt anno mundi 6469 *forte legendum* 6496: *nam mendum impressionis est clarum)* a quo tempore Russia in fide Christi permansit. *Dlugossus hisce etiam consentit ad annum* 987, *ubi dicit sollicitatum fuisse Vladimirum a Mahometanis, a Judæis, et a Christianis tam Latini quam Græci ritus; et ad omnes misisse oratores suos, ut de singulorum religione, ritibus ac cæremoniis inquirerent.* F

videntur fuisse occasis conversionis, et prælati ritus Græci.

29 *Addit oratores seu nuntios istos, cum venissent Constantinopolim, honorifice exceptos fuisse ab imperatoribus, magnæque ibidem interfuisse solemnitati: reversos vero ritum Græcorum et ornamenta templorum multum extulisse.* Ad ritum igitur Græcorum suscipiendum, *inquit*, omnium procerum sententiæ inclinabant, persuadendoque Wladimiro dicebant: Si fides Græcorum bona non esset, non avia tua Olcha, inter mulieres prudentissima, illam accepisset. Assensit itaque Wladimirus procerum sententiæ, et baptisma ritu Græcorum accepit. *Hæc ille parum sibi consentiens de causa electorum rituum Græcorum. At causam, qua ritus potius Græcos quam Latinos amplexus sit Russus, hanc præcipuam fuisse suspicor, quod affinitatem contrahere vellet cum imperatoribus Græcis, eorumque sororem sibi matrimonio jungere: hasce enim nuptias fuisse occasionem conversionis, passim affirmant scriptores. Ditmarus scriptor coævus lib.* 7 *Vladimirum acriter perstringit, asserens, Annam, quam* Helenam, *vocat,*

AUCTORE J. S.

cat, prius Ottoni III desponsatam fuisse, sed ei fraudulenta calliditate subtractam, *dicitque hortatu ipsius fidem Christianam a Vladimiro susceptam. Hoc tamen ita intelligendum existimo, quod Anna nuptias recusaverit, nisi fidem Catholicam amplecteretur Vladimirus. Hæc autem conditio nuptiarum proposita Vladimirum permovere potuit, ut de fide Christiana inquireret, eamque amplecteretur.*

Conversio hæc a Pagio figitur anno 988,

30 *Conversionem Vladimiri scriptores varii fixerunt anno* 990. *At Pagius in Critica ad annum* 987 *num.* 5 *et* 6 *ostendere conatur eam esse factam anno* 988. *Probatio hæc est. Bardas Phocas a rebellibus imperator acclamatus est* die Augusti XV, Indictione XV, *id est, anno* 987, *teste Cedreno. Hac de causa imperatores Basilius et Constantinus auxilium petierunt a Vladimiro. Hic vero negavit, se suppetias venturum, nisi Annam sororem sibi in matrimonium darent. Accepta conditione ab imperatoribus, Vladimirus cum exercitus suo accurrit, ejusque auxilio Bardas Phocas anno* 989, *mense Aprili victus est et occisus. Ex hisce colligit Pagius conver-* B *sum esse Vladimirum anno* 988, *nuptiasque eodem anno contractas. Consecutio hæc legitima est, si conversio et nuptiæ Vladimiri peractæ sint ante præstitum auxilium, ut ex Elmacino Pagius existimat.*

quo Vladimirus nuptias contraxit cum Anna Græca,

31 *Elmacinus enim lib.* 3 *pag.* 313, *postquam dixerat Bardam Phocam imperatorem salutatum, ita pergit :* Unde coactus fuit *(Basilius imperator)* mittere ad regem Russorum, qui inimici ejus erant, auxilium ab eo implorans. Is autem id ei promisit, petita ab eo affinitate : duxitque rex Russorum sororem Basilii imperatoris Romanorum, postquam hic ab eo obtinuit, ut religionem Christianum amplecteretur. Misitque ad eum Basilius episcopos, qui religione Christiana imbuerent tum ipsum, tum omnem populum ejus. Atque ante illud tempus nulla eis fuerat religio, nec professi erant quidquam. Sunt autem populus magnus : et ab eo tempore ad hoc usque omnes sunt Christiani. Hinc contendit Russorum rex cum omnibus copiis suis ad Basilium imperatorem : cumque eum jam convenissent, constituerunt occurrere Bardæ Phocæ, et terra marique ad eum C contenderunt, et in fugam eum verterunt : potitusque est Basilius toto suo regno, et vicit Phocam, eumque occidit, tertio Muharrami, anno CCCLXXIX ; et portatum fuit caput ejus Constantinopolim, atque ibidem affixum. Rebellaverat autem annum unum et menses septem. *Hæc Elmacinus.*

ut ex consensu variorum scriptorum

32 *Occisum ait Phocam, post rebellionem anni unius et septem mensium,* anno *Arabum seu Hegira* CCCLXXIX, tertio Muharrami, *seu primi Arabum mensis. Cum autem Hegira singulis annis inchoetur alio die, utpote anno solari brevior, Pagius notat Hegiram illam inchoari* X *Aprilis anni* 989 : *in Tabulis vero chronologicis domini Lenglet Dufrenoy inchoatur* XI *Aprilis. Occisus igitur est* XII *aut potius* XIII *Aprilis anni* 989, *et sic etiam Cedrenus pag.* 701 *ait Phocam occisum esse* Aprili *mense,* Indictione secunda, *id est, anno* 989. *Tyrannidem vero orsus erat* in Gjumado posteriori, anno CCCLXXIII, *id est, mense sexto Hegiræ, quæ inchoata erat* III *Maii anni* 987. *Initium igitur tyrannidis ab Elmacino ponitur circa finem Septembris aut mense Octobri anni* 987 : *nam mensis sextus Hegiræ* 377 *inchoatus est* XXVIII *Septembris. Ex hisce liquet, Cedrenum et Elmacinum eatenus consentire, quod initium rebellionis figant anno* 887. *Elmacinus vero* D *uno aut altero mense differre videtur a Cedreno, rebellionemque serius inchoare, quia prior loquitur de tempore, quo occulte cum aliquibus conspiravit Phocas ; Elmacinus vero assignat tempus, quo se palam imperatorem professus est. Hoc autem cum factum sit circa finem Septembris aut mense Octobri, nuptiæ Vladimiri locum habere non potuerunt ante annum sequentem* 988, *quo peractæ omnino sunt, si Vladimirus sponsam suam accepit ante suppetias imperatoribus latas.*

ostenditur eodem etiam anno Christianam fidem amplexus videtur saltem ut catechumenus :

33 *Id revera factum insinuant etiam Cedrenus et Zonaras. Prior pag.* 699 *sic habet :* Imperator . . . navibus adornatis Russos imponit : nam ab iis suppetias impetraverat, quod sororem suam Annam Bladimero eorum principi matrimonio conjunxisset. *Zonaras pag.* 221 *idem habet :* Imperator vero Delphinam *(Phocæ copiarum præfectum)* ad Chrysopolim castrametatum subito cum Russico exercitu adortus (nam cum Vladimero duce eorum, sorore Anna ducta, affinitatem junxerat, atque auxilia inde accersierat) hostibus facile superatis, ipsum Delphinam captum palo affixit. *Itaque tres allegati scriptores conspirant in tempus nuptiarum Vladimiri cum Anna, illæque ex eorum mente omnino affigendæ sunt anno* 988. *At non æque certum apparet, eodem anno baptizatum esse Vladimirum : neque enim laudati scriptores clare asserunt, baptizatum esse ante nuptias. Quin imo, si Vladimirus exercitui Russorum præfuerit, et cum imperatoribus rebelles domuerit, ut asserit Elmacinus, suspicio esse potest, ipsum fuisse Christianis dogmatibus instructum et baptizatum post expeditionem peractam, cum expeditio illa contra rebelles statim suscepta videatur. Quapropter Vladimirus quidem anno* 988 *et* 989 *pro Græcis bellum gessit, et verisimiliter anno* 988 *Christiana sacra amplexus est, saltem ut cathecumenus, ac nuptias cum Anna celebravit. Utrum vero etiam eodem anno cum suis baptizatus fuerit, an uno alterove anno serius, tam certum non est : nec video, cur epocha conversæ Russiæ relinqui non possit cum aliqua latitudine circa annum* 990.

hæc prima generalis Russorum conversio.

34 *Porro hanc esse primam totius Russiæ conversionem, clare edicit Elmacinus, idque ipsius testimonio asseruerunt Papebrochius noster, ipsumque secutus laudatus Pagius. Præterea Constantinus Porphyrogenitus in libro de Administrando imperio, quem anno* 949 *ad filium scripsit, cap.* 13 *Russos clare numerat inter populos infideles, ut jam ante monui, ideoque cum iis affinitatem contrahi nolebat a stirpe imperatorio, ista scribens :* Quomodo enim fas esse possit, Christianos cum infidelibus matrimonia inire affinitatesque contrahere, id canone prohibente, et universa ecclesia indignum illud et a Christiano statu alienum esse arbitrante ? *Itaque, quando idem Constantinus scripsit, quæ de Russorum conversione sub Basilio Macedone num.* 9 *ex eo recitavi, satis noverat eam conversionem non fuisse tam generalem aut constantem quam alias verba ipsius insinuant : quamquam revera non assuerit Russos ad sua usque tempora in fide perverasse. Ex hisce porro satis certum apparet, Photium præpropere scripsisse de conversione Russorum sui temporis ; Constantinum vero Porphyrogenitum, qui laudes in Basilium avum suum ultra modum effudit, de illa conversione locutum cum nimia exaggeratione, dissimulasseque,*

AUCTORE J. S.

A *dissimulasseque, quod Russi, saltem plerique, deinde ad vomitum fuerint reversi; atque hac sua dissimulatione etiam Curopalatem, Zonaram et Cedrenum in errorem pertraxisse. Verum undecumque eorum error fuerit natus, tam dicta superius in Helena conversa, deque legatis ab ea ad Ottonem missis, quam verba Ditmari ipsiusque Vladimiri inferius recitanda, clare ostendunt in Russia fidem Christianam ante Vladimiri conversionem non fuisse admissam, nisi ad breve tempus, aut solum ab aliquibus, qui tanto numero non erant, ut Russia dici posset Christiana. Sententia igitur Baronii et aliorum, qui conversionem præcipuam Russorum seculi* IX *innectere voluerunt, improbabilis omnino apparet. Conversio tamen Russiæ sic referenda est ad principatum Vladimiri, ut non negetur Russos aliquos ante fuisse Christianos.*

B

§ IV. Quid pro fidei Christianæ propagatione præstiterit Vladimirus: scripta de moribus ipsius examinantur, et de cultu ecclesiastico.

Russia tota fere conversa opera Vladimiri.

Scriptores Rutheni, Lituani, Poloni, aliique, qui res gestas Vladimiri Russiæ ducis litteris consignarunt, consentiunt eum plurima præstitisse ad promovendam fidem Catholicam in Russia, quæ tota fere sub ejus principatu facta est Christiana. Dlugossus ad annum 992 *de iis ita habet:* Sacrilegos ritus, quibus priscis temporibus Ruthenorum gens dedita erat, Wladimirus Russiæ dux eliminaturus, tertio, ex quo Christi fide illuminatus erat, anno idola, lucos arasque et templa eorum confringit, incendit, et comminuit. Simulachrum vero Fulminis, quod præcipua veneratione apud Ruthenos colebatur, ad caudam equi alligatum, spectante multitudine Ruthenorum, per terram trahi, et in flumen Dniepr * mergi, gentibus Ruthenis ex utroque sexu deorum et simulachrorum suorum fletu et ejulatu ingenti confractionem prosequentibus, mandavit. Promulgavit insuper
C Wladimirus Russiæ dux edictum, ut omnes nationes et populi sibi subjecti, relictis idolis, Christi fide et baptismatis charactere se insignirent, habiturus eos pro hostibus, bonaque eorum confiscaturus, qui detrectarent sanctis suis parere jussionibus. Qua necessitate populus Ruthenorum constrictus ad Kyow catervatim confluxit, et fidem Christi confessus in flumine Dniepr ab episcopo Corsinensi, et presbyteris ex Græcia adductis baptizatur, et in fide ac ceremoniis ejus eruditur. Audita autem est vox ejulatus draconis in aere, querentis se ex possessione Ruthenorum diuturna, non ab Apostolis aut martyribus, sed ab una fœmina ejectum esse.

* *i. e.* Borysthenem *vulgo* Nieper

multisque ecclesiis ornata:

36 Ædificavit autem Wladimirus primam ecclesiam in loco, quo prius idolis thura incendebantur, et eam B. Basilio dicari ordinavit, sed et in aliis regionibus Russiæ templa et sacerdotes Dei multiplicat. Ædificat alteram ecclesiam B. Mariæ Virgini in Kyow, et ornat eam vasis aureis et preciosa suppellectili, et tam in ea quam in aliis ecclesiis Russiæ, a duce Wladimiro et baronibus Russiæ ædificatis, Corsinensis episcopus ministros et sacerdotes instituit, pro quorum sustentatione Wladimirus dux prædia et censum largitus est, et primitias et decimas tam bojaris * quam agrestibus mandat solvi et offerri. Baptizavit et tunc Wladimirus dux decem filios suos, videlicet Wiszeslaum, Izaslaum, Suatopelkum, Jaroslaum, Wsevoldum, Suastolaum, Mscislaum, Boris, Chleb, Stanislaum, etc. Pueros Ruthenorum applicat literis, artifices insuper ex Græcia adductos salariat *, et plures ecclesias ex muro et latere ædificat. *Hactenus Dlugossus, cui de conversione totius Russiæ consonant verba Elmacini num.* 31 *data:* Ab eo tempore *(Vladimiri)* ad hoc usque *(Russi)* omnes sunt Christiani. *Studium et fervorem insignem Vladimiri in propaganda ac ornanda religione Catholica luculenter quoque innuunt verba Ditmari in Chronico circa finem, ubi de Kiovia sic loquitur:* In magna hac civitate, quæ istius regni caput est, plusquam quadringentæ habentur ecclesiæ. *Ditmarus enim tantam ecclesiarum multitudinem Kioviæ attribuit annis paucis post mortem Vladimiri, et annis circiter triginta post conversionem ipsius, ita ut necesse* E *sit plurimas ipsius tempore constructas esse: etsi credamus nonnullas jam ante fuisse ædificatas, et numerum omnium a Ditmaro fuisse exaggeratum.*

* *lege* a boiaris, *id est,* nobilibus

* *i. e.* censu instruit

Russi paulatim baptizati, volente Vladimiro, ut omnes baptizarentur.

37 *Jam vero quod supra dicit Dlugossus de baptizatis Russis per episcopum Corsinensem et presbyteros Græcos, convenire potest initio conversionis Russorum: at non crediderim episcopum Cortinensem, qui propriam habebat diœcesim in Taurica Chersoneso, diu primas partes gessisse in baptizandis Russis, cum hi proprium acceperint metropolitam, a patriarcha Constantinopolitano ordinatum, qui sedem suam posuit Kioviæ. Suspicor igitur episcopum Corsinensem in Russiam fuisse præmissum, multosque Russos per ipsum baptizatos; secutum vero Michaelem, qui inter metropolitas Kiovienses primus ponitur, simulatque de sincera Russorum conversione satis constabat. Deinde quod spectat ad edictum Vladimiri, a Dlugosso item memoratum, ut Russi omnes baptisma susciperent, istud mihi prorsus credibile et verisimile apparet, utpote congruum genio Vladimiri, et usui istius temporis minime repugnans. Verum modo plane* F *incredibili edictum istud explicuit Kulckzynskius in Vladimiri elogio ad* XV *Julii, quando hæc scripsit:* Convocavit post hæc magnates suos omnemque plebem, ac jubens unumquemque paratum esse ad suscipiendum statuta die baptismum, ad finem concionis tale addidit edictum: Si quis non interfuerit crastina die ad fluvium, is mihi hostis erit. *Quis enim credat voluisse Vladimirum, ut Russi omnes uno die eodemque loco baptisma susciperent, eoque initiarentur, priusquam dogmatibus fidei Christianæ sufficienter essent imbuti? Etenim nec unus locus Russos omnes capiebat, nec omnes tam cito ad unum locum confluere poterant, nec sanctitati professionis Christianæ congruebat, ut rudes aquis salutaribus abluerentur ante debitam instructionem. Voluit igitur Vladimirus, ut omnes baptisma susciperent, sed paulatim et post debitam instructionem. Rem tantam tempore principatus Vladimiri majori ex parte perfectam credo, sed non uno anno, nedum uno die ac loco.*

Constitutio, principis Vladimiri de judiciis

38 *Porro Vladimirum non solum curasse, ut subditi sui baptisma susciperent, sed legibus quo-* que

AUCTORE J. S.

que salutaribus religionem munivisse, colligitur ex Constitutione ipsius in favorem ecclesiasticorum data, quam Kulczynskius Latine redditam edidit in appendice pag. 29 *sub hoc titulo:* Constitutio sancti principis Vladimiri, qui baptismate illustravit Russiam, de potestate metropolitæ, de decimis, et de aliis. *Constitutionem ipsam accipe:* In nomine Patris et Filii et sancti Spiritus, Amen. Ecce ego princeps Uladimirus, dictus in sancto baptismo Basilius, filius Suatoslai, nepos Igori et beatæ Olgæ, suscepta sancta Fide Christi, obtinui ex urbe Constantinopoli primum metropolitam Kioviensem Michaëlem, qui baptizavit totam Russiam. Postmodum erexi templum in honorem sanctæ Deiparæ, et applicavi eidem templo decimas ex universo meo principatu. Inspecto insuper Græcorum Nomocanone, cum invenissemus in eo, non licere causas ecclesiastici fori judicare principibus, eorundemque ministris sæcularibus, consilio inito cum filiis meis, ducibus, ac viris nobilibus, dedimus potestatem judicandi causas ecclesiasticas metropolitæ et episcopis in universa Russia. Nullus igitur in posterum ex meis successoribus audeat se ingerere in judicia fori spiritualis. Præcipimus etiam nostris gubernatoribus et judicibus, ne de decimis aut aliis causis ecclesiasticis absque deputatis a metropolita vel aliquo episcopo ministris judicare aut decernere quidquam præsumant.

causisque ad tribunal ecclesiasticum spectantibus,

39 Causæ autem ad tribunal ecclesiasticum spectantes sunt istæ. Divortium, adulterium, stuprum, raptus mulieris, machinatio mortis inter maritum ac uxorem, matrimonium contractum in consanguinitate aut affinitate, veneficia, auguria, superstitiones, fascinationes, hæresis, concubitus inter conjuges illicitus, furtum in templis rerum sacrarum, exhumatio cadaverum, mutilatio, peccatum bestialitatis, procuratio abortus; item si filius percusserit patrem, aut filia matrem, aut nurus socrum: si unus alterum læserit graviter verbis obscænis: si quis secuerit crucem, aut sacram imaginem: si quis introduxerit in templum canes aut aves absque magna necessitate, vel aliquo alio modo domum Dei prophanaverit: si quis oraverit ad arborem, aut ad ignem, aut ad fontem. Hæ omnes, et aliæ similes causæ concessæ sunt ecclesiis jure divino, et constitutionibus sanctorum Patrum, ac privilegiis Christianorum regum et principum apud cunctas nationes, quæ fidem Christi profitentur. Unde et nos præcipimus, ne princeps, magnates, ac judices ad hujusmodi judicia se intrudant, hoc enim privilegium contulimus, juxta antiquiorum cæsarum decreta, et septem generalium conciliorum statuta, ecclesiis Dei. Injungimus pariter nostris judicibus, ut ex proventibus judiciorum novem partes fisco principis, decimam vero partem ecclesiis applicent. Volumus autem, ut metropolita legem antiquitus a Deo latam, et terminos a sanctis Patribus positos, custodiat diligenter, tanquam redditurus aliquando rationem in extremo judicio pro animabus suæ curæ commissis. Jam vero subditi, quos tradidimus potestati ac jurisdictioni metropolitæ, hi sunt. Hegumenus, hegumenia: presbyter, presbyterissa, diaconus, diaconissa, et liberi eorum: cantores ac clerici omnes: monachus, monialis, famuli templo inservientes, medici, obstetrices, viduæ, peregrini, cæci, claudi, et alii mendici, infirmi, xenodochiorum curatores, monachi apostatæ. Hujusmodi personarum causas, sive inter se sive cum aliis extraneis, judicet metropolita per suos judices: pœnæ vero fiscales dividantur per medium inter principem ac metropolitam.

et de decimis persolvendis metropolitæ et episcopis:

40 Et quia effato ipsiusmet Veritatis æternæ, traditione sanctorum Apostolorum ac Patrum, decreto primi orthodoxi cæsaris Constantini, et cunctorum ejus successorum sancitis, tum generalium conciliorum ordinationibus docemur, quod debeant metropolitæ, ecclesiis, ac universo sancto clero contribui decimæ ex tributis, ex proventibus, ex contractibus, ex venationibus, et ex omni eo, quod ad aulam ac ærarium principis intrat; ideo statuimus et decernimus, ut hæc universalis lex Catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ inviolabiliter servetur: nemo enim potest fundamentum antiquitus jam positum movere, et aliud substituere; cum insuper et in lege veteri Deus præceperit Israëlitis, ut novem partibus suarum rerum fruerentur, decimam vero ipsi Deo redderent. Quamobrem volumus ut ex pœnis in quovis tribunali fiscalibus decima pars, ex nundinis quilibet decimus mercatus; item ex tributis, ex fructibus, ex venationibus, ex gregibus, ex frugibus, ex omnibus denique cujuscumque generis redditibus novem partes percipiat rex aut princeps, decimam vero partem ecclesia metropolitana, et reliquiæ ejus suffraganeæ. Quod si quis violaverit hanc meam constitutionem, reddet rationem in tremendo judicio, coram Deo, et coram angelis ejus, ubi uniuscujusque opera revelabuntur, sive bona, sive mala; ubi alter alterum nemo poterit juvare, sola justitia ac bonis operibus patrocinantibus: ubi injusti judices judicium implacabile invenient, ignis eorum non extinguetur, et vermis eorum non morietur. Nemini igitur liceat infringere hanc meam voluntatem. Si quis vero ex meis aut filiis, aut nepotibus, aut abnepotibus, ex sanguine meo in posterum subsequentibus: vel etiam, si quis magnatibus, judicibus cæterisque ministris violaverit hanc meam ordinationem, et cœperit judicare causas ecclesiasticas, metropolitæ ac episcopis per me traditas, comparebit mecum in tremendo Dei judicio, et cadet super ipsum maledictio sanctorum Patrum.

unde accepta hæc constitutio,

41 *Editor in præfatione Appendicis suæ docet, se hanc Vladimiri constitutionem extraxisse* e vetusto volumine manuscripto, Rituale Ruthenicum nuncupato, ubi in præfatione ad eamdem constitutionem hæc habentur: « Imperantibus Constantino et Basilio, convertit ad fidem Christi S. Vladimirus universam Russiam, et adducto secum e Græcia Michaële metropolita, posuit constitutionem in archiepiscopali ecclesia, quæ ut inviolabiliter custodiretur, præcepit suis omnibus successoribus, et aliis ducibus in Russia ditiones habentibus, cunctosque terribilibus juramentis obstrinxit. Unde succedentes ipsi orthodoxi magni Russiæ duces non solum privilegia per ipsum collata confirmarunt, sed etiam eadem amplificarunt, et fundatæ ecclesiæ metropolitanæ, matri reliquarum ecclesiarum, civitates, terras, pagos, vineas, agros, mellificia, lacus, fluvios, ceterasque possessiones cum omnibus proventibus in perpetuum donaverunt ac inscripserunt, adjunctis insuper decimis, quæ proveniunt ex omnibus magnorum ducum ditionibus » etc.

42 *Porro ad recitatum Vladimiri decretum observo,*

AUCTORE J. S.

quæ probat plures tempore Vladimiri statutos in Russia episcopos.

A *observo, mentionem in ea fieri non solum metropolitæ, sed etiam episcoporum, ita ut nonnulli quoque episcopi in Russia constituti fuerint tempore Vladimiri. Le Quien tamen in Oriente Christiano tom.* I *col.* 1260 *existimat Russiam* tribus sæculis integris *sub solo fuisse metropolita, et caruisse* episcopalibus aliis sedibus. *Id sibi compertum ait* certissimo Nicetæ Choniatis testimonio. *Ex ejus lib.* 5 *Thesauri fidei cap.* 5 *hæc adducit verba de concilio Nicæno primo* : Cum enim nondum civitatibus omnibus suus obtigisset episcopus, eo factum est, ut plures id temporis non convenerint. Provinciarum enim aliæ uni tantum parebant, ut Scythia seu Rosia, in hodiernum usque diem. Aliæ duos aut ad summum tres habebant, ut Dalmatia *etc. Verum respondeo, me tantum non tribuere adducto Nicetæ loco, ut existimare possim ipsis quoque Vladimiri temporibus plures non fuisse in Russia episcopos. Quippe non solum in decreto Vladimiri jam data, sed etiam in decreto Jaroslai filii ejus, quod sequitur apud Kulczynskium, de pluribus Russiæ episcopis fit mentio. Præterea si quis solum inspicere voluerit catalogum metropolitarum Kioviensium, quem Kulczynskius contexuit in Opere suo pag.* 110 *et sequentibus, videbit plures a seculo* XI *Russiæ episcopos memorari. Quare ac verba Nicetæ, qui tantum Latine editus est a Petro Morello, respondeo, dubitari posse, an verba ipsius Græca recte exposita sint Latine. Si vero de recta interpretatione constaret, dicerem Nicetam errare potuisse : nam incredibile est, quod narrat, si verba ipsius sic intelligamus, ut totam Russiam usque ad seculum* XIII *administratam ab uno metropolita velit sine ullis suffraganeis. Nunc etiam quædam de moribus et cultu Vladimiri veniunt examinanda.*

Ditmarus acriter perstringens mores et peccata Vladimiri,

43 *Ditmarus lib.* 7 *Chronici sui circa finem de Vladimiro ita loquitur* : Amplius disputando progrediar, regisque Russorum Wladimiri actus iniquos perstringam. Hic a Græcia ducens uxorem Helenam *, tertio Ottoni desponsatam, sed ei fraudulenta calliditate subtractam, cujus hortatu sanctæ Christianitatis fidem suscepit, sed eam justis operibus non ornavit. Erat enim fornicator immensus et crudelis, magnam vim sæpe Danais imbellibus ingerens. Tres vero habens filios, uni eorum Bolizlavi ducis, nostrique persecutoris, filiam in matrimonium duxit, cum qua missus est a Polonia Reinbernus, præsul Salsecholbergensis. Qui in pago Hasengun * dicto natus, liberalique scientia a prudentibus magistris doctus, gradum episcopalem ascendit, ut spero, dignus. Quantum autem in cura sibi commissa laboraverit, nec meæ scientiæ, nec etiam facundiæ sufficit. Fana idolorum destruens incendit, et mare dæmonibus sacratum, immissis quatuor lapidibus, sacro chrismate perunctis, et aqua spargens benedicta, novam propaginem Domino in infructuosa arbore, id est, in populo nimis insulso, sanctæ prædicationis plantationem eduxit. Vigiliarum et abstinentiæ ac silentii assiduitate corpus suum affligens, cor ad speculum divinæ contemplationis infixit. Quem prædictus rex, audiens filium suum hortatu Bolizlavi clam velle sibi repugnare, cepit cum filio proprio et uxore ejus et in singulari custodia clausit. In qua pater venerabilis, quod in aperto fieri non potuit, in secreto studiosius in divina laude peregit. Hic cum se lacrymis, assiduæque orationis ex corde contrito prolatæ hostia, summo Sacerdoti reconciliaret, ex arto corporis carcere solutus, ad libertatem perennis gloriæ gaudens transiit. Præfati vero nomen regis Wlodomeri potestas pacis non justæ interpretatur : quia non illa pax vera dicitur, quam impii invicem vel habitatores hujus mundi possident, quia semper nutat; sed solus vera pace specialiter utitur, qui omnem motum animi sui componens, regnum Dei solatio vincentis patientiæ in angustia promeretur. Episcopus iste in cœlesti securitate pausans, minas viri impii deridet, et castitate gemina potitus, fornicatoris illius ultrices flammas speculatur : quia doctore nostro Paulo teste, adulteros judicabit Deus. Bolizlaus autem hæc omnia comperiens, in quantum potuit vindicare non desistit.

* *alii* Annam

* *al.* Hassegun

insinuat eum etiam post baptismum non recte vixisse ;

44 Post hæc rex ille plenus dierum obiit, integritatem hæreditatis suæ duobus filiis relinquens, tertio adhuc in carcere posito : qui postea elapsus, conjuge ibidem relicta, ad socerum fugit. Rex prædictus lumbare venereum habuit, innatæ fragilitatis majus augmentum : sed magister nostræ salutis Christus, cum lumbos nostros, E luxuriæ nocentis abundantia refertos, præcingi juberet, continentiam, et non aliquod provocamen innotuit. Et quia de lucerna ardente a suis prædicatoribus rex præfatus audivit, peracti criminis maculam assidua eleemosynarum largitate detersit. Scriptum est enim : Facite eleemosynam, ac omnia munda sunt vobis. Hic cum jam decrepitæ ætatis esset, regnumque prædictum diu haberet, obiit, sepultus in civitate magna Cuiewa *, in ecclesia Christi martyris Clementis, juxta prædictam conjugem suam, sarcophagis eorum in medio templi palam stantibus. *Hactenus Ditmarus, cujus locum ex Ms. nostro recitavi, quod aliqua minus recte legantur in editis. Gravis certe est accusatio scriptoris hujus contemporanei, qui non solum Vladimirum perstringit ob peccata ante susceptam fidem commissa, sed vel maxime reprehendit mores jam conversi ad fidem, ut patet ex iis verbis :* Fidem suscepit, sed eam justis operibus non ornavit. Erat enim fornicator immensus et crudelis *etc. Gravius etiam est, quod infra sequitur :* Fornicatoris illius ultrices flammas speculatur; quia F doctore nostro Paulo teste, adulteros judicabit Deus. *Hæc enim verba non solum Vladimirum graviter accusant jam Catholicum, sed etiam defunctum videntur damnare.*

* *i.* Kiova

resipuisse tamen ante finem vitæ :

45 *Attamen nequeo existimare eam esse mentem Ditmari. Nam posterioribus verbis insinuat, Vladimirum aliquot annis ante obitum resipuisse et sanctioribus moribus fuisse ornatum. Quid enim significant hæc verba,* Peracti criminis maculam assidua eleemosynarum largitate detersit; *nisi Vladimirum in peccatis prædictis non perseverasse usque ad finem vitæ? Noverat utique Ditmarus, maculam peccati, quod continuatur, nullis abstergi eleemosynis ; sed necessarium esse dolorem de peccato peracto et propositum de eo non iterando, ut quis eleemosynarum largitate aut aliis operibus piis se Deo reconciliet, seu peracti peccati maculam detergat. Quapropter existimasse videtur Ditmarus, Vladimirum multis luxuriæ et crudelitatis obnoxium fuisse peccatis, (idque Herbersteinius Polonique scriptores etiam habent) ab iisque non statim a suscepto baptismo prorsus abstinuisse, ut decebat principem Christianum ; resipuisse tamen in senectute : et tunc non modo incubuisse ad fidem*

in

AUCTORE J. S.

in Russia propagandam; sed simul ad satisfaciendum divinæ justitiæ de peccatis præteritis, quantum poterat, et ad cœlestes thesauros sibi per opera charitatis comparandum. Itaque pium ac probum in senectute fuisse Vladimirum, ipse insinuat Ditmarus, licet alioquin ob carcerem Reinberni irato in ipsum animo videatur scripsisse, atque idcirco verba ipsius modo non nimis severo, sed potius benigniori sint interpretanda. Fortasse omnia fere, quæ accusat Ditmarus, facta sunt ante fidem a Vladimiro susceptam: nam peccata ipsius baptismo prævia invidiosius jactari potuerunt ab offensis ob carcerem Reinberni, itaque perferri ad Ditmarum, acsi post baptismum fuissent a Vladimiro continuata.

ita ut verba Ditmari obesse non debeant sanctitati Vladimiri, si hæc aliunde probetur:

46 *Verum, sive Vladimirus peccata sua subinde iteraverit Christianorum cœtui insertus, sive ea statim a fide suscepta correxerit, quod in medio relinquo, scimus tantas esse divinæ misericordiæ divitias, ut superabundaverit subinde gratia, ubi abundavit delictum, teste Apostolo; ideoque Sanctum in fine vitæ fieri potuisse Vladimirum, etsi antea in peccata prolapsus fuerit gravia. Hac de causa S. Hieronymus in Epistola ad Furiam dixit:* Non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus male cœpit, sed bene finivit *etc. Bene autem finivisse Vladimirum, innuunt etiam verba Dlugossi ad annum* 1005, *ubi de sepultura ejus hæc scripsit:* Confluxit autem ad honestandum funebria sua Ruthenorum multitudo, quæ in sepultura sua planctum magnum edens, vociferabatur patrem se et liberatorem patriæ et fidei Christianæ in Russia plantatorem immature perdidisse. *Itaque nihil detractum volo sanctitati Vladimiri ob verba Ditmari, neque hæc impedirent, quominus Sancti titulo ipsius nomen honorarem, si satis constaret de legitimo cultus ipsius initio, de quo pauca nunc disserenda.*

verum non invenimus nomen Vladimiri in Fastis ante seculum XV,

47 *Dlugossus, qui historiam suam conscripsit post medium seculi* XV, *de cultu Vladimiri apud Ruthenos non meminit, licet cultum filiorum ipsius Borisi et Hlibi commemoret. Hoc silentium vehementem ingerit suspicionem, Vladimiri cultum non fuisse Dlugosso cognitum, ideoque non valde antiquum tunc fuisse aut celebrem apud Ruthenos. Crescit hæc suspicio, quia nullum invenio vestigium cultus seculo* XV *antiquioris apud ullum scriptorem, ne apud Kulczynskium quidem. Edidit ille* Officium integrum de S. Vladimiro Russiæ rege, *ut loquitur in præfatione Appendicis suæ, sed nullibi explicat, quam antiquum sit istud officium, quamque antiquus Vladimiri cultus, quave occasione aut cujus auctoritate cœptus. Præterea nec Officium, nec ullum aliud monumentum, quod mihi innotuit, meminit de miraculis per Vladimirum patratis, quorum causa cultus fuerit inchoatus. Verumtamen memoriam Vladimiri, qui Basilius in baptismo nominatus est, invenio ad* XV *Julii in Ephemeridibus Moscis, quas Papebrochius edidit ante tomum* I *Maii. Ex hisce igitur suspicio oritur, cultum Vladimiri cœptum esse apud Ruthenos eodem fere tempore, quo prædictæ Ephemerides sunt collectæ. Fieri etiam potest, ut collector Ephemeridum nomen Vladimiri primus inseruerit Fastis sacris, cultusque ipsius eodem tempore fuerit inchoatus. Fateor hanc suspicionem firmo carere fundamento, ita ut statim evanescere debeat, si quis antiquius ex monumentis idoneis ostendat cultus initium.*

et nescimus, an ab eo seculo cultum habuerit apud Catholicos.

48 *Porro in laudatis Ephemeridibus sub figura regis, capite radiato exhibiti, solum litteris Græcis habetur* Bladimerus *aut* Vladimerus, *quod de Vladimiro duce recte exponit Papebrochius, hæc adjungens verba:* Historiam vitæ et sanctitatis monumenta cuperem ex antiquioribus Ruthenorum Mss. discere, nec non præsentem corporis vel sepulcri venerationem ac statum. *Cum huic Papebrochii desiderio necdum satisfactum esset, ut jam in præfatione monui, Sollerius ad* XV *Julii Vladimirum Actis non inseruit tamquam Sanctum, sed ex neotericorum Fastis recitavit elogia, quæ ibidem videri possunt in Prætermissis. Geminum erat Sollerii dubium, quo minus auderet de Vladimiro ut Sancto agere, alterum de fide vere Catholica, quod deponere me posse existimo, ut patebit ex sequenti* §; *alterum de sanctitate et cultu legitimo, quod satis sublatum non video. Quæ me teneat formido, breviter explico, ut eruditus aliquis Ruthenus eam tanto facilius possit eximere. Scio quidem Vladimirum tamdiu cultum esse a Ruthenis Schismaticis, ut initium hujus cultus plusquam centum annis præcedat decretum Urbani VIII, anno* 1634 *datum; at non novi, an tanto tempore cultus sit a Catholicis. Etenim cum Ephemerides Moscæ, in quibus primo memoratum invenio, certo non fuerint compositæ ante seculum* XV, *et verisimiliter editæ sint Moscuæ a schismaticis, timeo ne forte cultus ille inchoatus sit et continuatus a solis schismaticis usque ad annum* 1594, *quo pars Ruthenorum se Romanæ subjecit Ecclesiæ. Verum timor ille evanescet, si quis idoneis monumentis probare possit, Vladimirum seculo* XV *etiam cultum fuisse ab iis Ruthenis, qui sub metropolita Kioviensi Romanæ Ecclesiæ fuerunt uniti. Hoc enim qui ostenderit, omnem nobis dubitationem de immemorabili cultu Vladimiri exemerit.*

§ V. Inquiritur utrum initio conversionis Russi fuerint Catholici; ideoque ostenditur patriarchas Constantinopolitanos istius temporis fuisse cum Romana Ecclesia unitos.

Aliqui crediderunt Russos fuisse conversos a schismaticis:

Antonius Possevinus Societatis Jesu in Opusculo de Rebus Moscoviticis, ad summum Pontificem Gregorium XIII scripto, part. 2 *pag.* 92 *editionis Plantinianæ scribit, Moscos seu Russos* ante quingentos annos, duce Moscorum Volodimero Christianam fidem a schismaticis *hæreticis accepisse. Deinde pag.* 114 *inter difficultates Russiam ad religionem Catholicam convertendi hanc recenset*, quod (licet res plane fabulosa sit) corpora quorumdam, qui schismatici fuerunt, integra se habere gloriantur, per quos miracula frequenter edi, cæcis visum restitui, ægrotos sanari, constanter affirmant. . . Inter alios autem numerantur Cleba et Boris, Petrus metropolita, Alexius, quorum corpora extare aiunt Moscouæ. *Hæc quidem*

A *dem Possevinus; at cum integro fere seculo conversionem Russorum serius ponat, quam eam factam esse ostendi, minus mirandum est, quod crediderit fidem Russiæ illatam esse a schismaticis: nam ita incidit in tempora, quibus patriarchæ Constantinopolitani post Michaëlem Cerularium aperte schismaticum de schismate saltem fuere suspecti. At quando Vladimirus cum suis fidem suscepit, patriarcha Constantinopoli erat Nicolaus Chrysoberges, quem scriptores Catholici de schismate suspectum non amplius habent, neque merito suspectum habere possunt.*

verum post mortem Photii ecclesia Constantinopolitana rursum unita est cum Romana.

50 *Imo idoneis rationibus probari potest, omnes patriarchas, qui post Photium schismaticum usque ad Nicolaum Chrysobergem in ecclesia Constantinopolitana sederunt per seculum integrum et ultra, Catholicos fuisse, et cum Ecclesia Romana conjunctos, multosque ex iis tamquam Sanctos coli. Quamvis enim Photius dux auctorque habeatur Græcanici schismatis, id tamen non alio modo intelligendum est, quam quod ipse schismaticus fuerit, animoque schismatico* B *multa contra Ecclesiam Latinam scripserit, quæ recentiores schismatici diu post adoptarunt, ut schisma inducerent, et Romanam Ecclesiam calumniarentur. Verum tales non fuerunt Photii in sede patriarchali successores, quorum primus S. Stephanus, Basilii Macedonis imperatoris filius. Hic cum a Photio ordinatus esset diaconus, ipse Leo imperator frater ejus et Stylianus episcopus Neo-Cæsariensis in Euphratesia nomine omnium episcoporum, presbyterorum et diaconorum ecclesiæ Constantinopolitanæ scripserunt ad Stephanum Papam, ut cum ordinatis a Photio dispensare dignaretur, multas rationes allegantes, et honorificentissime de Romana Ecclesia ejusque primatu loquentes. Epistola tota Styliani videri potest apud Baronium tom.* 10 *pag.* 611 *et seqq.*

ut probatur ex litteris utrimque scriptis.

51 *Pauca ex ea huc transfero:* Quoniam vero scimus, *inquit omnium nomine Stylianus*, quod a vestra apostolica Sede corrigi, et juxta canones corripi debemus; hac de causa humilibus his nostris litteris tuam oramus venerabilitatem, ut misericorditer nobiscum agas. *Et inferius:* Quapropter decet etiam tuam singularem virtutem, Photium quidem tamquam ab C initio schismaticum, et a schismaticis illegitime ordinatum, et propter alia multa, quæ operatus est mala, expellere; eos vero, qui ab ipso decepti sunt, misericorditer cum illis dispensari rogamus, ut ecclesiæ Constantinopolitanæ pax et tranquillitas ita restituatur ..... Quapropter tuam rogamus beatitudinem, ut populum (parum abest) desperatum misericorditer suscipias. Rogat te Petrus, cujus Sedem administrandam obtines *etc. Stephanus Papa, acceptis hisce litteris una cum litteris Leonis imperatoris, quæ excidisse videntur, non statim postulata concessit, quod ita scripsisset imperator, acsi Photius sponte sedi renuntiasset. Stylianus igitur aliis litteris, quas edidit Labbeus tom.* 8 *Conciliorum col.* 1410, *preces iteravit pro ordinatis a Photio. At, mortuo Stephano, Formosus Papa rescripsit per litteras ibidem col.* 1411 *subjunctas, docens se legatos missurum Constantinopolim, seque ordinatis a Photio communionem laicam concessurum sub conditionibus quibusdam in litteris expressis, quæ videri possunt. Porro verisimile quidem est, non voluisse omnes se istis conditionibus subjicere, idque colligitur ex epistola Joannis Papæ IX ad eumdem Stylianum, quæ habetur apud laudatum Labbeum col.* 1430. *At illa quorumdam pertinacia non obstabat, quo minus ecclesia Constantinopolitana esset unita cum Romana.* AUCTORE J. S.

Unitæ quoque fuerunt Ecclesiæ inchoato seculo x,

52 *Sub initium seculi* x *grave ortum est schisma in ecclesia Constantinopolitana ob quartas nuptias Leonis imperatoris, quas improbabat tam vehementer Nicolaus Mysticus patriarcha, ut per imperatorem sede sua fuerit deturbatus, eique suffectus Euthymius. Cum autem imperator legatos summi Pontificis sententiæ suæ de quartis nuptiis habuisset faventes, Nicolaus Patriarcha, sedi suæ deinde restitutus, graviter ea de re conquestus est per litteras, quas edidit Baronius post tom.* xi *in addendis pag.* 737, *et Labbeus tom.* 9 *col.* 1264. *In hisce litteris, quantumvis acriter de legatis expostulet, primatum Ecclesiæ Romanæ agnoscit, ita scribens:* Et quidem decebat, primatum ecclesiasticum sibi vendicantes, rem totam serio inquirere, atque ad summum Pontificem referre *etc. Et infra:* In eos animadvertendum, beatissime Pater, qui supersunt, qui tot in me tantasque turbas criminationibus falsis excitarunt. Hæ tuæ E erunt partes, id a te dignitatis primum tua, Romanæque Sedis decus exigit *etc. Responsum Papæ ad hasce litteras nullibi editum invenio. Verum, ubi schisma prorsus erat sublatum Constantinopoli, idem Nicolaus anno* 920 *litteras dedit ad Joannem Papam X, misitque cum legato imperatoris suum quoque legatum, rogans, ut Pontifex legatum mitteret Constantinopolim. Insinuat illa epistola, non potuisse obtinere Nicolaum, quæ petierat in prima epistola, cum dicat* officia *summi Pontificis erga se* temporum difficultatibus intermissa *fuisse, seque* consuetam ecclesiis unionem *exoptare. Porro Pontificem misisse legatos, eorumque opera pacem fuisse restitutam, scribit laudatus Nicolaus in litteris ad Simeonem Bulgariæ principem, in quibus honorifice loquitur de summo Pontifice, et de pace per legatos pontificios composita ita habet:* Hæc de legatione Romana, ... cujus adventum scandalis, quæ ob tetragamiam apud nos omnia turbarant, impositus est finis, pax clero reddita, cœtus sacri mira animorum conspiratione habiti; et, ut verbo dicam, Romana ac F Constantinopolitana ecclesia ita in unam eamdemque coalita est fidem ac consensionem, ut nihil amplius vetet, quo minus nos optatissima illorum communione et sanctificatione perfruamur. *Itaque illo tempore ne umbra quidem erat schismatis, sed Catholicus fuit Nicolaus, uti et Euthymius, qui Sedem ipsius aliquot annis obtinuit.*

et pax illa duravit sub sequentibus patriarchis

53 *De Stephano II, qui Nicolao suffectus est, nulla quoque rationabilis oriri potest dubitatio, quin probe fuerit Catholicus, cum nihil legatur fecisse contrarium. Nulla quoque suspicio schismatis est tempore duorum sequentium patriarcharum S. Tryphonis et Theophylacti, quorum postremus ordinatus est, præsentibus legatis Romani Pontificis. Theophylacto subrogatus est S. Polyeuctus. Hunc autem fuisse Catholicum, satis probari potest ex Liutprando Cremonensi episcopo, qui circa postremos Polyeucti annos Ottonis imperatoris legatus fuit Constantinopoli apud Nicephorum Phocam, totamque legationem suam descripsit. Edita est hæc Legatio tom.* 2 *Scriptorum Italiæ pag.* 479 *et seqq. Agnitum autem fuisse hujus legationis tempore primatum Romanæ Ecclesiæ ab Imperatore et patriarcha Constantinopolitano*

AUCTORE J. S.

Constantinopolitano, vel ex eo liquet, quod Liutprandus coram Græcis subinde Romanum Pontificem nominaverit universalem Papam, *patriarcham vero Constantinopolitanum nuspiam* œcumenicum *appellaverit; neque tamen aut imperator aut patriarcha de hisce titulis litigaverint, quamvis Nicephorus pertinaciter recusarit Ottoni titulum* imperatoris *attribuere, idemque ægerrime tulerit, quod in litteris Romani Pontificis, cujus legati etiam ad Nicephorum venerant, vocaretur* Græcorum *imperator, et non* Romanorum. *Nullum tunc fuisse schisma, rursus colligitur ex eo, quod Liutprandus ubique cum Græcis communicaverit, neque ullam schismatis mentionem fecerit, licet exacerbato in Græcos fuerit animo. Vere itaque dixit Liutprandus pag.* 488: Sed quid hoc memorem, cum ipsa Constantinopolitana ecclesia nostræ sanctæ, Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ merito sit subjecta? *etc.*

usque ad Nicolaum sub quo conversi sunt Russi:

54 *Quod spectat ad successores Polyeucti, Basilium Scamandrenum et deinde Antonium Studitam, nihil prorsus invenio, quod illos de schismate* B *suspectos reddere possit. Post hosce demum secutus est Nicolaus Chrysoberges, sub quo conversi sunt Russi. Nulla item huic Nicolao controversia intercessisse legitur cum Romano Pontifice, ideoque ab hodiernis scriptoribus passim habetur Catholicus. Baronius tamen ad annum* 995 *num.* 10 *ita scribit, ut videatur credidisse ecclesiam Constantinopolitanam schismate fœdatam fuisse tempore Nicolai. Opinio illa Baronii nata est partim ex acclamationibus, quæ leguntur in Jure Græco-Romano post tomum unionis apud Leunclavium pag.* 108, *quod Photius ibidem recenseatur inter patriarchas orthodoxos; partim ex dicto Marci Ephesii, qui in concilio Florentino Sess.* 6 *sic est locutus:* Itaque ex eo tempore ad hunc usque diem in magna Constantinopoleos ecclesia ita legitur: « Omnibus, quæ adversus sanctos patriarchas, Photium et Ignatium, scripta vel dicta sunt, anathema ». *Ex hisce enim credidit Baronius Photium non fuisse damnatum a sequentibus patriarchis. Nulla hæc esset difficultas, si vera esset eorum opinio, qui dixerunt, Photium in communione Ecclesiæ Romanæ defunctum esse.* C *At id non satis est probabile, et abunde jam refutatum a Leone Allatio in Opere de perpetua consensione Ecclesiæ Occidentalis atque Orientalis lib.* 2 *cap.* 5.

respondetur ad objectionem,

55 *Quapropter respondeo, acclamationes illas, quæ leguntur apud Leunclavium, commentitias videri, aut certe interpolatas esse. Etenim decretum unionis, quod iis præmittitur, factum est anno* 920, *imperantibus Constantino et Romano Lacapeno: Acclamationes vero, quæ illi post breve Scholium subjunguntur, spectant ad imperium Basilii et Constantini, quorum opera in Scholio divisio sublata dicitur, postquam duraverat* monaginta annos. *At primo non dicitur, quo modo per imperatores sublata sit divisio, utrum in aliquo concilio, an novo aliquo decreto, an alio quovis modo. Itaque scholium istud videtur esse hominis privati, qui illud diu post decreto unionis adjecit. Si autem scholium sit privati scriptoris, etiam acclamationes ejusdem sunt. Relata enim pace, ita pergit:* Quamobrem prædicandi magnique faciendi veniunt, qui opus tam gratum Deo, tamque magni momenti ad exitum perduxerunt: *atque hisce ipsas acclamationes subnectit. Secundo verisimile non* D *est* sacerdotes atque monachos *ob quartas nuptias Leonis imperatoris divisos fuisse annis nonaginta, ut habet Scholium, seu usque ad annum fere* 995. *Nam de concordia anno* 920 *facta scripsit ipse Nicolaus Mysticus num.* 52 *laudatus:* Pax clero reddita *etc.*

quæ formari potest contra Nicolaum Chrysobergem.

56 *Scio quidem aliquid rursum discordiæ ortum esse, quando nomen Euthymii in diptycha relatum est a Polyeucto; sed ea dissensio nec tanta fuisse videtur nec tam diuturna. Audi Curopalatem pag.* 64 *editionis Venetæ:* Polyeuctus autem primo sui sacerdotii anno in sacris diplomatibus * inscripsit Euthymii patriarchæ nomen illius, qui Leonem imperatorem sibi socium asciverat, quando quartam duxit uxorem. Ad * hoc quidem episcopi ad breve quoddam tempus recusarunt Polyeucti socii esse. Verum paulatim imperatoris obsequuti voluntati, risum moverunt judicantibus. *Eadem habet Cedrenus pag.* 640. *Itaque cum primus annus Polyeucti sit* 956. *Quomodo* ad breve tempus *duravit dissensio, si usque ad annum* 995 *protracta est? Quomodo episcopi illi* aliquamdiu, *ut loquitur Cedrenus,* noluerunt res sacras cum Polyeucto communes E habere, *et* mox imperatoris voluntati obsequuti *cesserunt, si dissensio diu post mortem Polyeucti adhuc durabat? Itaque Curopalates et Cedrenus, quando scribunt per Sisinnium, Nicolai Chrysobergis successorem, dissidentes ob quartas nuptias ad concordiam perductos esse, nec sibi satis consentiunt, nec acclamationibus, quas discutio, cum in hisce Nicolaus laudetur ut vivus, et de Sisinnio taceatur. Ex dictis concludo, fidem non esse adhibendam istis acclamationibus, quæ tamquam synodales editæ sunt apud Leunclavium sine mentione ullius synodi, cum videantur potius cujusdam schismatici scriptoris. Quod vero spectat ad dicta Marci Ephesii, nullam hic schismaticus fidem meretur, præsertim de rebus tam antiquis, quibus quinque fere seculis erat posterior. Præterea Marcus Ephesius non loquitur de Nicolao Chrysoberge, sed de synodo, quæ Constantinopoli habita est, vivente Photio. Itaque Nicolaum non magis tangit, quam alios Photii successores, quos constat fuisse Catholicos.* F

* diptychis

* ob

Successor Nicolai Sisinnius etiam unitus fuit cum Romana Ecclesia:

57 *Duo sequentes patriarchæ suspecti sunt Leoni Allatio, quod calumnias Photii in Ecclesiam Romanam renovare voluerint. Hinc lib.* 2 *cap.* 8 *de Sisinio ita loquitur:* Quies nihilominus ecclesiarum per tot annos continuata, qua quælibet ecclesia suis juribus utebatur, ita tamen ut suprema potestas soli Romanæ vindicaretur, videtur interrupta fuisse a Sisinnio Patriarcha: non ita tamen, ut vel Latini communi Græcorum calculo condemnarentur, vel Græci ab illis separarentur. *Credidit enim Photii epistolam encyclicam, quam recitat Baronius ad annum* 863, *nomine tantum immutato, a Sisinnio ad alios Orientis patriarchas rursus fuisse missam. At ratio unica illius opinionis est, quod epistola illa a Baronio inventa sit cum nomine Sisinnii. Hinc dubitans addit Allatius:* Nisi etiam dicamus, nomen Sisinii ab aliis illi epistolæ appositum fuisse. *Id satis verisimile apparet, cum nec aliunde constet de missa a Sisinnio illa epistola, nec de ejus propensione ad schisma; cumque in eadem epistola, etiam prout mutila reperta est nomine Sisinnii, quædam legantur, quæ unice pertinent ad tempora Photii, quæque a Sisinnio scribi non poterant nisi ineptissime. Difficulter igitur credere possum, Sisinnium isti*

epistolæ

A *epistolæ nomen suum præfixisse, eaque usum pro sua. Verum, quidquid sit de illa epistola, constat nomen Romani Pontificis Constantinopoli e sacris diptychis fuisse lectum tempore Sisinnii, ex eoque manifeste ostenditur, tempore Sisinnii ecclesiam Constantinopolitanam communicasse cum Romana.*

idem de Sergio Sisinnii successore ostenditur,

58 *Gravior schismatis suspicio est de Sergio, qui Sisinnio suffectus est anno 999. Baronius sine ulla dubitatione schismaticum credidit: at mitior est aliorum sententia, eaque verior. Id variis argumentis potest probari. Primo post mortem S. Leonis Papæ IX Michaël Cerularius schismaticus scripsit ad Petrum Antiochenum multas in Ecclesiam Romanam calumnias, atque epistolæ suæ num. 9 hæc inseruit verba:* Rumor autem quidam nostris auribus insonuit, quod memoratum Papam etiam perfectio tua in sacris diptychis referat; itemque Alexandrinus et Hierosolymitanus antistes. *Dissimulat homo vafer se certo scire, de quo dubitare non poterat, cum omnes illi tres patriarchæ essent Catholici, certe usque ad illud tempus. Eadem calliditate mox* B *apertum addit mendacium his verbis:* Nosti enim, a tempore sanctæ et œcumenicæ sextæ synodi, ac deinceps, relationem Papæ in sacris diptychis apud nostras videlicet sanctas ecclesias excisam fuisse *etc. Petrus Antiochenus, acceptis hisce litteris, apertum istud mendacium clare refutans, dissimulansque, quid suo tempore ea de re in ecclesia Antiochena fieret, inter alia num. 5 hæc respondit:* Ad hæc ergo quoque testis sum omni exceptione major, aliique mecum plures eorum, qui in ecclesia præcellunt, quod sub beatæ memoriæ patriarcha Antiochiæ domno Johanne, Papa Romæ, ipse etiam Johannes nominatus, in sacris diptychis referretur. Constantinopolim præterea ante hos annos quadraginta quinque ingressus, reperi sub sanctæ memoriæ patriarcha domno Sergio prædictum Papam in sacra Missa cum aliis patriarchis referri. Quo autem pacto postea amputata fuerit relatio, quamque ob causam, clam me est. Ac de his quidem ita persuasum habens, nolo te amplius circa Papæ relationem laborare.

et simul de præcedentibus confirmatur:

59 *Baronius refert hasce litteras ad annum 1054, quo mortuus est S. Leo. Possunt tamen* C *etiam anno sequenti datæ. Eadem litteræ exactius Latine redditæ leguntur apud Cotelerium tom. 2 Monumentorum ecclesiæ Græcæ, atque inde data verba desumpsi. Jam vero ex hisce litteris validum desumo argumentum, quo ostendam, Nicolaum Chrysobergem, Sisinnium, Sergium, eorumque successores usque ad Michaëlem Cerularium communicasse cum Ecclesia Romana. Data est Petri Antiocheni epistola brevi post mortem S. Leonis anno* 1054 *aut* 1055. *Quadraginta et quinque annis ante hanc datam, id est, anno* 1009 *aut* 1010 *nomen Romani Pontificis recitabatur in diptychis Constantinopoli, quando Sergius erat patriarcha per annos circiter decem. Id tunc novum fuisse, nec Petrus dicit, nec aliunde verisimile est. Itaque credendum est, idem fuisse factitatum tempore decessorum Sergii, præsertim cum nihil innotuerit de ulla dissensione aut controversia, quæ sub finem seculi* x *aut initium sequentis intercessisset inter Pontificem Romanum et patriarcham Constantinopolitanum. Mansisse quoque nomen Papæ in diptychis post tempus a Petro assignatum usque ad Cerularii tempora, ipse Petrus satis insinuat, licet id valde dissimulanter faciat, dum ait, se ignorare,* quo pacto, postea ejus amputata fuerit relatio, quamque ob causam. *Si enim postremis illis quadraginta et quinque annis fuisset aliquod dissidium, quod mutationi tam notabili præbuisset occasionem, istud ignorare non potuisset Petrus; verisimile est, mutationem esse inductam sine gravi discordia.*

ostenditur schisma Cerularii novum fuisse,

60 *Deinde S. Leo XI in epistola, edita apud Labbeum tom. 9 Conciliorum, qua Michaëli Cerulario ejusque consorti Leoni Acridano respondet, abunde ostendit, schisma istud Cerularii ortum esse post pacem diuturnam ecclesiarum. Quippe de eo ubique loquitur ut de re nova, et ubi multa dixerat de bono pacis et de malo schismatis, cum significatione maximi doloris sic utrumque alloquitur:* Quia tu, carissime nobis, et ADHUC dicende in Christo FRATER, et antistes Constantinopolitane, tuque Leo Acridane, dicimini Apostolicam et Latinam Ecclesiam NOVA præsumptione atque incredibili audacia nec auditam, nec convictam, palam damnasse pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem Dominicæ passionis celebrare. *Ipsum Cerularium, quem necdum communione sua hic excludit Leo, initio* E *communicasse cum Romana Ecclesia, patet ex verbis allegatis. Verum excommunicationem variis epistolæ locis comminatur, nisi resipiscant, eamque deinde inflixit. In altera Leonis ad Michaëlem epistola, quæ sexta est apud Labbeum, sic loquitur Pontifex:* Illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos et orthodoxos patres, per mille et viginti a passione Salvatoris annos, novus calumniator Ecclesiæ Latinorum emersisti *etc.*

indeque infertur, decessores ipsius fuisse Catholicos;

61 *Hinc Wibertus archidiaconus S. Leonis in ejus Vita, apud nos data tom. 2 Aprilis, cap 5. pag. 662 scribit:* Ea tempestate orta est hæresis Fermentaceorum, quæ calumniatur sanctam Romanam Sedem, imo omnem Latinam et Occidentalem Ecclesiam, de azymis vivificum Deo offerre Sacrificium. Quam calumniam etiam scripto ediderunt episcopi Michaël Constantinopolitanus et Leo Achridanus. *Præterea tempore Cerularii imperator Constantinus Monomachus, et plerique Constantinopolitani erant probe Catholici, ut habemus ex laudatis Leonis IX litteris, ex Wiberto Vitæ scriptore, ac demum ex sententia contra Michaëlem ejusque asseclas lata, in qua apud Labbeum col. 992 hæc* F *leguntur:* Quamobrem cognoscant ante omnia gloriosi imperatores, clerus, senatus, et populus hujus Coustantinopolitanæ urbis, et omnis Ecclesiæ Catholicæ, nos hic persensisse magnum, unde vehementer in Domino gaudeamus, bonum; et maximum, unde miserabiliter contristemur, malum. Nam quantum ad columnas imperii, et ejus honoratos, atque cives sapientes, Christianissima atque orthodoxa est civitas: quantum autem ad Michaëlem abusive dictum patriarcham, et ejus stultitiæ fautores, nimia zizania hæreseon quotidie seminantur in medio ejus.

ut scriptores varii agnoverunt.

62 *Ex omnibus colligo, schisma tempore Cerularii novum fuisse, ejusque decessores fuisse cum Ecclesia Romana conjunctos, quemadmodum apud Allatium supra laudatum lib. 2 cap. 8 num. 5 asserunt* Emmanuel Calecas lib. IV adversus Græcos, *et* auctor manuscriptus de Translationibus episcopum, *cujus verba Græca Allatius Latine sic expressit:* Post Photium Antonius, ut diximus, postmodum Stephanus *(imo prius*

AUCTORE J. S.

prius Stephanus deinde Antonius) Nicolaus Mysticus, Euthymius, rursus idem Nicolaus, postea Stephanus, Trypho, Theophylactus, Polyeuctus, Basilius, Antonius, Nicolaus Chrysoberges, Sisinnius ex præfecto, Sergius, Eustathius, Alexius, et Michaël Cerularius. Animadvertas hos omnes, præter unum Cerularium, cum Italis communicasse. *Hæc vera esse omnino mihi persuadeo cum ob rationes jam ante adductas, tum vel maxime quia nullum habemus monumentum idoneum, ex quo probari possit, ullum ex iis fuisse schismaticum, cum tamen de Photii et Cerularii schismate monumenta supersint plurima.*

Improbabile est, quod contra fidem Sisinnii objicitur:

63 *Porro hanc concordiam Constantinopolitanæ ecclesiæ cum Romana, cujus primatum agnoscebat patriarcha Constantinopolitanus, scriptores neoterici plerique agnoverunt post Leonem Allatium. De solis Sisinnio et Sergio dubitarunt, an in schisma propensi non fuerint; sed simul docuerunt, eos saltem ad apertum schisma non prorupisse. Si autem consideremus, quam leves sint rationes, ob quas prædicti patriarchæ de mo-*
B *litionibus quibusdam ad schisma tendentibus facti sint suspecti; eos quoque longe probabilius tali suspicione liberabimus. Nihil Sisinnium reddidit suspectum, nisi quod nomen ejus sub Photii epistola sit inventum. At cum Sisinnius prædicetur a Græcis ut vir litteratus et eloquens; difficulter credi potest, eum usum esse Photii epistola pro sua, ut jam monui. Quam inepte id fecisset Sisinnius, uno argumento ostendam. Conversio Bulgarorum ut nuperrime peracta narratur in epistola Photii, etiam sicut illa inventa est cum Sisinnii nomine. Atqui illa Bulgarorum conversio centum fere et triginta annis facta erat ante patriarchatum Sisinnii. Qua igitur prudentia Sisinnius epistolam illam tamquam suam ad reliquos misisset patriarchas? Res hæc tam clara est, ut solum inspicienda sit ipsa epistola apud Baronium ad annum* 863 *num.* 34 *et seq., ut quis intelligat eam epistolam non potuisse sic adoptari a Sisinnio, nisi sana mente æque destitutus fuisset ac fide Catholica. Itaque plane corruit fundamentum suspicionis, quæ famæ Sisinnii fuit adspersa: atque æquitas postulat, ut omni schismaticæ machinationis suspicione libe-*
C *retur.*

levia item sunt, quibus Sergii fides

64 *Levia etiam sunt, quæ contra Sergium objiciuntur. Nimirum scriptores aliquot schismatici, rebusque gestis longe posteriores asseruerunt, nomen Romani Pontificis e diptychis deletum esse a Sergio. Verba scriptorum illorum videri possunt apud Allatium lib.* 2 *cap.* 8, *ubi etiam leguntur asserta aliorum melioris notæ scriptorum, qui factum istud non Sergio, sed Michaëli Cerulario attribuunt. Quam inepta sint schismaticorum de Sergio asserta, clare ostendit Allatius; nec tamen, quod miror, eorum opinionem ut falsam prorsus refutavit; nec Sergium ea suspicione liberavit. Verumtamen vel sola epistola Petri Antiocheni, num.* 58 *laudata, sufficere videtur ad opinionem istam omnino repudiandam; cum ex ea epistola constet Sergium circa annum patriarchatus sui decimum e diptychis recitasse nomen Romani Pontificis. At, inquiet aliquis, potuit Sergius postea nomen Papæ Romani delere. Sic est: potuit id deinde facere Sergius; atque ita ab eo factum credidisse videntur schismatici memorati. At suspicor eos fuisse deceptos epistola mendacis Cerularii ad Petrum Antiochenum num.* 58 *adducta, in qua dicitur nomen Romani Pontificis in* D
diptychis Constantinopoli non fuisse a tempore.. sextæ Synodi. *Apertum istud mendacium Petrus quidem refutavit oculato suo testimonio. Attamen schismatici videntur Cerulario suo credere voluisse, quantum poterant: id est, indicare saltem voluerunt, ante ipsius Cerularii tempora nomen Papæ e diptychis sublatum fuisse Constantinopoli*

quibusdam fuit suspecta:

65 *Verum id tam inconcinne narrarunt, ut nullum mereantur fidem; præsertim cum Petrus Antiochenus dicat, se ignorare* quo pacto.., quamque ob causam *omissa fuerit Constantinopoli in diptychis Papæ relatio; insinuans nullam fuisse causam illius mutationis, adeoque mutationem non esse factam nisi ab ipso Cerulario. Præterea scriptores omnes agnoscunt Sergii successorem Eustatium communicasse cum Romano Pontifice. Alia igitur paulo post admittenda esset mutatio, de qua rursum nihil scivit Petrus Antiochenus. Quapropter longe mihi verisimilius apparet, pacem ecclesiarum non fuisse turbatam sub Sergio. Verba Nicetæ Nicæni, ex quibus in contrariam opinionem perductus est Allatius,* E
hæc sunt: Et sub Sergio, qui sub Bulgaroctono patriarchatum tenuit, dicitur rursus schisma exortum fuisse: sed quam ob causam, ipse ignoro: videtur tamen propter sedes fuisse. *Verum exigui momenti sunt hæc verba, cum scriptor rebus gestis longe posterior non nisi incertam referat famam, ut ex voce* dicitur *clare patet; cumque ipse dicat causam dissidii ignotam sibi esse. Major igitur habenda est fides aliis scriptoribus, qui inter Photium et Michaëlem Cerularium in ecclesia Constantinopolitana non admittunt dissensionem tantam a Romana, ut ad schisma eruperit: nam eorum sententia jam ante abunde firmata est.*

ex dictis sequitur Russos initio conversionis fuisse Catholicos.

66 *Jam vero ex disputatis duas elicio conclusiones, quarum causa hanc dissertationem institui. Prima est, quod varii patriarchæ, de quibus ut Sanctis actum est in hoc Opere, vere fuerint Catholici, etiamsi inter Photium et Cerularium sederint seculo* IX *et* X: *vidi enim id a Majoribus nostris suppositum magis fuisse quam probatum. Altera conclusio est, quod Russi, sub finem seculi* X *conversi, fidem acceperint a Catholicis, ideoque certo Catholici fuerint ini-* F
tio conversionis; imo etiam certo usque ad mortem Vladimiri ducis, usque filiorum SS. Borisi et Hlibi, de quibus agetur ad V *Septembris: nam omnes isti defuncti sunt circa annum* 1015, *aut certe diu ante patriarchatum schismatici Cerularii anno* 1043 *inchoatum. Nunc etiam inquirere conabor, quantum patietur monumentorum penuria, quales vicissitudines passa sit Russorum religio, ut ex ea disputatione utcumque colligi valeat, quinam e Sanctis Russis ut vere Sancti tuto admitti possint. Nam Henschenius quidem sine multo examine quorumdam Russiæ metropolitarum fidem orthodoxam asseruit tom.* 2 *Februarii pag.* 639, *sententiam alienam fideliter referens. Eum vero secutus Papebrochius in præfatione ad Ephemeridas Græco-Moscas ante tomum* I *Maii generatim de fide Russorum disputavit. At non satis expenderunt argumenta, quæ contra Russos afferri possunt, quia breviter tantum agere voluerunt, ideoque successores eorum opinioni non acquieverunt.*

§ VI.

A

§ VI. Russi toto seculo xi fuerunt Catholici, ut probatur ex metropolitis singulis.

Sola ignorantia Russos schismate eximere nequit :

Sane vehemens contra Catholicam Russorum sententiam, et unionem cum Ecclesia Romana, oritur suspicio, quia eorum metropolitæ passim missi aut confirmati creduntur a patriarchis Constantinopolitanis, quorum pars major post Michaëlem Cerularium fuit schismatica. Catholici enim haberi non possunt Russiæ metropolitæ, si res sacras habebant communes cum schismaticis patriarchis, ab iisque auctoritatem suam accipiebant. Etenim ignorantia sola eos excusari non posse, satis certum videtur præsertim si consideremus metropolitas, episcopos, aliosque viros doctos. Quapropter verba laudati Papebrochii pag. 4, ubi de Moscis dicit : Qui lingua B moribusque diversissimi a Græcis, plerumque nec sciebant, conjuncti an sejuncti essent Latini et Græci inter se; solum autem considerabant suam ab initio susceptæ fidei erga Constantinopolitanum patriarcham subjectionem. *Hæc, inquam, verba non nimis generaliter sumenda sunt, acsi sola sufficere possent ad excusandos Russos. Simplices quidem utcumque ea ignorantia excusari possunt, episcopi etiam et metropolitæ, qui ante a Catholico patriarcha confirmati erant, sic excusari poterant, quamdiu nulla ipsis erat necessitas communicandi cum patriarcha schismatico, aut quamdiu nihil ipsis de ejus schismate innotuerat. At gentem universam tali ignorantia per secula integra excusare nec possumus nec debemus. Verumtamen non sequeretur, Russos toties fuisse schismaticos, quoties schismatici fuere Constantinopolitani, etiamsi semper a patriarchis istius urbis fuissent in dignitate sua confirmati Russorum metropolitæ, cum inter patriarchas varii fuerint Catholici aliique non aperte schismatici, a quibus ordinari potuerunt Russiæ metropolitæ, qui etiam tempore schismaticorum patriarcharum Catholici permanere poterant.* C *At hac ratione non multos schismatis suspicione liberarem, si omnes metropolitæ constanter recurrissent Constantinopolim pro confirmatione obtinenda, nec distinxissent inter patriarchas Catholicos et schismaticos.*

at metropolita Russorum tempore Cerularii confirmationem non petiit :

68 *Verum probari potest, metropolitas Russiæ non semper confirmationem suam petiisse a patriarchis Constantinopolitanis ; atque hæc est præcipua ratio, qua Henschenius usus est ad ostendendum multos ex iis abhorruisse a schismate, et probe fuisse Catholicos. Factum id esse tempore Michaëlis Cerularii, testatur Albertus Wiink Koialowicz in Miscellaneis Lituaniæ, editis Vilnæ anno 1650. Agens enim de schismate Græco-Russo, pag. 41 ait Jaroslaum Russiæ principem, intellecto Cerularii schismate, defunctoque metropolita Theopempto, perfecisse,* ut clerus Russiæ, non requisito patriarcha Constantinopolitano, ad basilicam Kiiöviensem cathedralem, Sapientiæ æternæ dicatam, congregatus, anno MLI eligeret Hilarionem natione Russum. Hic vero, uti expresse meminerunt Annales Russorum et Moschorum, ad patriarcham Constantinopolitanum non recurrit. *Hoc testimonium, ex Russorum Annalibus petitum, vel solum sufficere potest. At idem aliunde etiam sit verisimile. Nam tres metropolitæ, qui Hilarionem præcesserant, omnes fuerant Græci : ille vero Russus erat natione. Præterea Jaroslaus addictior fuisse videtur Latinis quam Græcis : filiam enim suam Annam Henrico I Galliarum regi uxorem dedit : Græcis vero bellum intulit, comparata ingenti classe, ut videri potest apud Dlugossum lib. 3 col. 212 ad annum 1040, apud Zonaram in Constantino Monomacho tom. 2 pag 253 et seq., et apud Cedrenum pag. 758 et seq., qui* Bladimerem *Russorum regulum, cum filius esset Jaroslai, ut habet Dlugossus.*

idemque fortasse factum a duobus aliis seculo xi seculis :

69 *Hisce obstare videtur, quod Pagius ex Cedreno pag. 739 mortuum credat Jaroslaum anno 1036. At respondeo, Pagium errasse, nec Cedrenum agere de Jaroslai morte ; sed de obitu duorum principum Russorum minoris conditionis, qui* Nosisthlabus et Hieroslabus *ab eo nominantur : Jaroslaum enim diu superfuisse post annum 1036 consentiunt Poloni et Russi scriptores. Itaque abunde probatum existimo, Hilarionem Russiæ metropolitam non adhæsisse schismati* E *Græco Cerularii. De decessoribus vero Hilarionis nullum debet esse dubium cum sederint ante schisma a Cerulario instauratum. Post Hilarionem duo alii successerunt Russi, videlicet Georgius I anno 1063, ac Joannes I anno 1080, si accuratus si catalogus Kulczynskii, quem discutiendum non suscipio : at solum observo hunc catalogum in chronotaxi passim ad aliquot annos dissentire a catalogo Michaëlis le Quien. Porro non invenio ullam rationem, cur crederemus duos hosce metropolitas non fuisse Catholicos. Primo electi sunt post depositionem Cerularii, prior tempore Joannis Xiphilini patriarchæ, alter sub Cosma Hierosolymitano, de quibus patriarchis non satis constat, schismaticine fuerint an Catholici. Nihilo magis clarum est, utrum laudati metropolitæ a Græco patriarcha confirmationem acceperint. Imo verisimilius est, id eos non fecisse exemplo decessoris Hilarionis, si schisma adhuc durabat Constantinopoli, tum quia Russi erant natione, tum vel maxime quia schisma nondum in Russiam penetraverat.* F

nam schisma in Russiam necdum penetraverat anno 1075

70 *Verum nulla relinquitur dubitatio, quin Russia iis temporibus subjecta esset Sedi Apostolicæ, si consideremus litteras Gregorii VII ad Demetrium Russorum regem, datas* xv Kal. Maii Indictione XIII, *id est, anno 1075. Hac de causa eas ex Baronio ad annum 1075 num. 29 huc transfero :* Gregorius episcopus servus servorum Dei Demetrio regi Russorum et reginæ uxori ejus salutem et Apostolicam benedictionem. Filius vester limina Apostolorum visitans ad nos venit, et quod regnum illud dono sancti Petri per manus nostras vellet obtinere, eidem beato Petro Apostolorum principi debita fidelitate exhibita, devotis precibus postulavit, indubitanter asseverans, illam suam petitionem vestro consensu ratam fore ac stabilem, si Apostolicæ auctoritatis gratia ac munimine donaretur. Cujus votis et petitionibus, quia justa videbantur, tum ex consensu vestro, tum ex devotione poscentis, tandem assensum præbuimus, et regni vestri gubernacula sibi ex parte beati Petri tradidimus, ea videlicet intentione atque desiderio charitatis, ut beatus Petrus vos et regnum vestrum, omniaque vestra bona, sua apud Deum intercessione custodiat, et cum omni pace, honore

AUCTORE J. S.

nore quoque et gloria idem regnum usque in finem vitæ vestræ tenere vos faciat, et hujus militiæ finito cursu, impetret vobis apud supernum Regem gloriam sempiternam. Quin etiam nos paratissimos esse, noverit vestræ nobilitatis serenitas, ut ad quæcumque justa negotia hujus Sedis auctoritatem pro sua necessitate petierit, proculdubio continuo petitionum suarum consequatur effectum. Præterea ut hæc et alia multa, quæ litteris non continentur, cordibus vestris arctius infigantur: misimus hos nuntios nostros quorum unus vester notus est et fidus amicus; qui et ea, quæ in litteris sunt, diligenter vobis exponent, et quæ minus sunt, viva voce explebunt. Quibus pro reverentia beati Petri, cujus legati sunt, vos mites et affabiles præbeatis; et quidquid vobis dixerint ex parte nostra, patienter audiatis, atque indubitanter credatis; et quæ ibi ex auctoritate Apostolicæ sedis negotia tractare voluerint, et statuere, nullorum malo ingenio turbari permittatis, sed potius eos sincera charitate favendo juvetis. Omnipotens Deus mentes vestras illuminet, atque per temporalia
B bona faciat vos transire ad gloriam sempiternam. Dat. Romæ decimoquinto Kal. Maii Indict. XIII. *De rege isto Demetrio ex Russia per fratrem suum ejecto scribit ad eumdem annum* 1075 *Schafnaburgensis.*

tempore Demetrii, qui verisimiliter idem est cum Izaslao duce Kioviensi:

71 *Observat vero Kulczynskius in Appendice pag.* 112, *Demetrium non fuisse ducem Kioviæ* sed Haliciæ, Premisliæ, et fortassis etiam Voliniæ. *Attamen laudatus Schafnaburgensis et Sigebertus ad annum* 1074 *de eo loquuntur, tamquam de duce aut rege, qui cum fratre suo de Russorum imperio contendebat: et scimus Izaslaum* (*vel Zaslaum*) *Jaroslai filium, ac ducem Kioviensem, a fratre Suatoslao armis impetitum fuisse Kioviaque profugisse in Poloniam cum thesauris suis, ut videri potest apud Dlugossum. Quare, si Zaslaus ille alio nomine* Demetrius *fuerit dictus, uti admodum verisimile est, quia duces Russiæ gemino nomine gaudebant eo tempore, omnia ipsi recte congruent, et in ducatum Russiæ seu Kioviensem restitutus fuerit per Boleslaum Poloniæ regem, ut refert laudatus Dlugossus ad annum* 1075 *et* 1076. *Porro, sive Demetrius dux fuerit Kioviensis, ut*
C *probabilius apparet, sive aliarum tantum Russiæ provinciarum; cum omnes episcopi Russi subessent metropolitæ Kioviensi; cumque tamen Gregorius nullam in litteris suis de schismate mentionem faciat; ne verisimile quidem est Russos tunc schismati Græco contra Romanam Ecclesiam fuisse implicitos.*

reliqui seculi XI *metropolitæ item Catholici.*

72 *Post memoratos metropolitas natione Russos, in catalogo Kulczynskii duo successerunt Græci, videlicet Joannes II* (*apud le Quien Joannes III*) *anno* 1091, *et sequenti anno Ephrem. Hosce Catholicos fuisse, credit laudatus Kulczynskius, quia præfuerunt tempore Alexii Comneni imperatoris, quem Catholicum fuisse existimat cum Leone Allatio lib.* 2 *cap.* 10. *Verum alii scriptores de Alexio Comneno aliter censent. Quare præplacet aliud argumentum, quo Koialovicius Ephremum fuisse Catholicum ita ostendit:* Successit... ad annum MXCII Ephrem, natione Græcus, at a Græco schismate alienus: nam cum ejus tempore Urbani II Papæ constitutione institutum esset, ut in singulos annos, IX Maii recurrente, translati Myra S. Nicolai episc. conf. corporis in Italiam Barum recoleretur memoria, Ephrem ei constitutioni paruit. Unde in hunc usque diem a Russis D
memoria hæc in ecclesiis eorum colitur, licet a Græcis negligatur. *Hoc argumento clare ostenditur, Russos eo tempore mandatis Ecclesiæ Romanæ obtemperasse; indeque verisimile fit, legatum aliquem Pontificium tunc quoque fuisse in Russia; præsertim cum viderimus eo legatos anno* 1075 *missos a Gregorio VII. Hactenus de metropolitis seculi* XI, *quos omnes Catholicos fuisse sufficienter me ostendisse existimo.*

§ VII. Seculo XII aliqui metropolitæ Catholici, plures fidei dubiæ: seculo XIII, quo schisma prævaluit in Russia, non defuerunt tamen Catholici; sed metropolitæ omnes fidei sunt dubiæ aut suspectæ.

E

Seculo XII *primi quatuor metropolitæ fidei utcumque suspectæ:*

Post Ephremum in sæpe laudato catalogo sequuntur quatuor alii metropolitæ natione Græci, nimirum Nicolaus, Nicephorus, Nicetas et Michaël II. De hisce certa non invenio indicia, utrum Catholici fuerint an schismatici; quod de ipsis quoque istius temporis patriarchis non omnino est clarum, ita ut ignorantia fortasse eo tempore excusare potuerit metropolitas, qui communicaverunt cum Constantinopolitanis. Primus ex illis Nicolaus videtur interfuisse synodo Constantinopolitanæ de præstatione canonicorum, *cujus decretum legitur in Codice Juris Græco-Romani pag.* 269. *Certe ibi inter metropolitas legitur* Nicolaus τοῦ Ῥωσίας, *id est, Russiæ, quantum existimo. Habita est synodus mense Novembri, Indictione* X, *id est, anno* 1101, *sub Nicolao Grammatico patriarcha, de cujus recta fide dubitatur. Quartum ex prædictis metropolitis, qui est Michaël II, item synodo alteri interfuisse Constantinopoli anno* 1156 *sub Luca Chrysoberge patriarcha, observat le Quien in catalogo metropolitarum Kioviensium. Ex hisce* F
patet, duos illos metropolitas communicasse cum patriarchis Constantinopolitanis, idemque ea de causa verisimile est de duobus intermediis. Verum, ut jam monui, non ideo habendi sunt certo schismatici, cum id de ipsis patriarchis non sit omnino certum, ideoque incertius de metropolitis. Eos tamen nonnihil hac de causa videri suspectos, fatendum est; præsertim cum aliunde nequeant probari Catholici.

at Clemens eorum post annum 1156 *successor rursum certo Catholicus:*

74 *Porro, quidquid sit de quatuor illis, rursum deinde Russi se a Græcis separarunt, teste Koialovicio, qui hæc habet:* Habetur quoque in Annalibus Russorum, Izaslao duce in Russia imperante, anno MCXLVI electum esse metropolitanum Russiæ Clementem, qui, non requisito patriarcha Constantinopolitano, consecratus fuit impositione capitis sancti Clementis Papæ. *Kulczynskius idem in suo catalogo latius explicat his verbis:* Post obitum Michaëlis (*metropolitæ*) cum nuntiatum fuisset prælatis Ruthenis rursus Photianum schisma in Græcia recrudescere, statuerunt synodum celebrare. Quapropter convenientes Kioviam Onuphrius Czernihoviensis, Theodorus Bialogrodensis, Euthymius Pereiaslaviensis, Damianus Juriensis, Theodorus

A dorus Vladimiriensis, Niphon Novogrodensis, et Emmanuel Smolenscensis episcopi, postquam decrevissent posse eligi metropolitam absque scitu et consensu patriarchæ Constantinopolitani, elegerunt unanimiter Clementem, eumque consecrarunt, imponentes capiti ejus caput S. Clementis Papæ et martyris, in signum subjectionis ac obedientiæ, quam semper profitebatur ecclesia Ruthenica S. Sedi apostolicæ Romanæ. *Hæc probant, Russos eo adhuc tempore abhorruisse a schismate, gentemque verisimiliter Catholicam fuisse etiam sub præcedentibus metropolitis. Clemens vero metropolita factus est post annum* 1156, *ut patet ex dictis de Michaële II.*

post Clementem seculi duo metropolitæ parum noti, deinde Joannes probabilius Catholicus :

75 *Clementem hunc in catalogo sequitur Græcus Constantinus, atque hunc Theodorus, apud Le Quien Feodor dictus. De hisce nihil certi invenio. At eorum successor item Græcus Joannes III, inquit Kulczynskius,* reddidit per epistolam obedientiam Alexandro III Pontifici Romano, ita exigente Rostislao orthodoxo principe. *De eodem Koialovicius ita habet :* Anno deinde MCLXX, Græcus natione, de nomine Joannes, metropoli- B tanus creatus est. Quantum unioni cum Romana Ecclesia addictus fuerit, testantur ejus litteræ ad Alexandrum Papam ea de re scriptæ, quæ Sclavonico idiomate inter Russorum monumenta habentur. *Le Quien vero in catalogo Kioviensium antistitum suspicatur, hujus Joannis metropolitæ, quem quartum ejusdem nominis ponit, cum Kulczynskio tantum sit tertius, esse epistolam illam schismaticam et canones æque schismaticos, quos edidit Herbersteinius in Commentariis rerum Moscoviticarum pag.* 22 *et seq. Verum malim credere Koialovicio quam conjecturæ, quæ solido caret fundamento. Præterea non dubito, quin canones illi sint serius compositi, cum unus ex illis agat de Tartaris, qui tantum innotuerunt seculo* XIII, *certe in Russia.*

fides Russorum circa finem seculi XII *valde dubia :*

76 *Post Joannem III Kulczynskius recenset anno* 1185 *Nicephorum,* quem, *inquit,* unitum cum Romana Ecclesia vixisse historici Lithuani passim affirmant. *Verum de eo dubitari potest, cum inferius visuri simus Russos non diu post hæc tempora schismati fuisse implicitos. Eadem de causa de Matthæo metropolita, quem* C *circa annum* 1206 *successisse docet, non minus potest dubitari : argumenta enim, quibus Kulczynskius probare nititur Catholicum fuisse, non magni sunt momenti. Primum est, quod Constantinopoli tunc esset patriarcha Latinus et Catholicus, quia urbs illa a Latinis erat possessa. Id certum est. At cum schismatici suum etiam haberent patriarcham, necdum constat, utri se subjecerit metropolita Russiæ. Alterum argumentum est, quod Colomannus Hungarus ritus Latini eo tempore fuerit electus dux Haliciensis. At ea ratione non probantur Russi Latinis fuisse addicti, cum mox expulerint Colomannum, quod inaugurari voluisset ab episcopis ritus Latini, ut habet Dlugossus ad annum* 1208. *Itaque allegatis argumentis certo non evincitur, Matthæum fuisse Catholicum. Certe dubitare vix possim, quin Græci paulatim abusus quosdam hisce temporibus in Russiam invexerint, Russorumque animos a Latinis abalienaverint.*

cum initio seculi XIII *errores quidam apud Russos invaluerint,*

77 *Russos autem in varios errores paulatim a Græcis fuisse pertractos seculo* XII *aut* XIII, *colligitur ex litteris quorumdam Pontificum infra dandis. Addi hisce possunt quæstiones Cyrilli cujusdam verisimiliter metropolitæ, quos edidit Herbersteinius pag.* 25 : *nam suspicor eas pertinere ad seculum* XIII, *tum quod duo vel tres Cyrilli eo seculo fuerint metropolitæ, tum quod in iis quæstionibus nihil statuatur de Tartaris, qui ante medium ejusdem seculi in Russiam penetrarunt. Continent hæ quæstiones varios ritus Judaicis non absimiles; et Latinum, qui ritum Ruthenicum voluerit amplecti, multis cæremoniis, lotionibusque et orationibus recipi jubent, receptumque haberi pro* novo Christiano. *Ex hisce autem colligo, hominem fuisse schismaticum, qui eas quæstiones composuit. Non erat tamen Cyrillus ille tam alienus a Latinus, quam fuit Joannes, de cujus canonibus supra memini. Porro de Cyrillis metropolitis catalogi non consentiunt : nam Kulczynskius duos consequenter ponit Cyrillos ab anno* 1225 *usque ad annum* 1237, *deinde vero Josephum, et post hunc Cyrillum III. Le Quien vero duos tantum habet Cyrillos, quibus prædictum Josephum interponit. Duone an tres fuerint Cyrilli, non definio : at hac occasione lectores moneo, nullam seriem aut laterculum Kioviensium præsulum* publici juris *factum a Papebrochio, quamvis id dixerit Le Quien,* E *et* Papebrochii laterculum *sæpe nominet. Henschenius in Alexio tom.* 2 *Februarii pag.* 639 *aliquot præsules Kiovienses ex Koialovicio recensuit tamquam orthodoxos, non ut seriem illorum antistitum contexeret, sed ut breviter indicaret non omnes fuisse schismaticos. Nuda illa præsulum nomina Le Quien honorifico laterculi Papebrochiani nomine insignivit, et sic haud dubie multos decepit e lectoribus suis, qui illum Papebrochii laterculum frustra quærent.*

nec tamen Russi ab Apostolica Sede multum essent alieni,

78 *Jam vero quod spectat ad Cyrillos metropolitas, de eorum fide favorabiliter sentiunt Koialovicius et Kulczynskius. Prior sic loquitur :* Secuti sunt deinde Cyrilli duo aut tres metropolitani Kiiowienses, natione Russi, et procul dubio uniti : nam circa ea tempora etiam imperator Orientis Michael Palæologus in Lugdunensi concilio obedientiam summo Pontifici professus erat et patriarchalem sedem Joannes Beccus *(Catholicus)* Constantinopoli occupabat. *Verum ea ratio tantum valet pro Cyrillo III ejusque successore, non vero pro Cyrillo primo aut secundo, qui citius præfuerunt. Melius argumentum pro qualicumque obedientia Russorum tempore* F *Cyrilli I habemus ex epistola Honorii Papæ III inscripta* Universis regibus Russiæ, *dataque anno* 1227, *quam Odoricus Raynaldus edidit ad annum* 1227 *num.* 8 *et* 9. *Qua de causa eam huc transfero :* Gaudemus in Domino, quod, sicut audivimus, nuntii vestri ad venerabilem fratrem nostrum Mutinensem episcopum A. S. L. a latere nostro transmissi, eum humiliter rogaverunt, ut partes vestras personaliter visitaret, quia cupientes sana doctrina salubriter instrui, parati estis omnes errores penitus abnegare, quos propter defectum prædicatorum, sicut dicitur, incurristis; et pro quibus iratus contra vos Dominus permisit vos hactenus multipliciter tribulari, tribulandos acrius, nisi de invio erroris ad viam properaveritis veritatis, cum quanto diutius duraveritis in errore, tanto timere possitis angustius duriores; quia etsi non irascitur per singulos dies Dominus, in eos tamen, qui converti contemnunt, suæ tandem vibrat gladium ultionis.

fides eorum eo tempore debet haberi dubia :

79 Per vos itaque certificari volentes, an velitis habere ab Ecclesia Romana legatum, ut ejus salutaribus monitis informati, Catholicæ fidei, sine

AUCTORE J. S.

AUCTORE J. S.

sine qua nemo salvatur, amplectamini veritatem, universitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente, quatenus super hoc voluntatem vestram nobis per literas, et fideles nuntios intimetis. Interim autem pacem cum Christianis de Livonia, et Estonia firmam habentes, non impediatis profectum fidei Christianæ, ne divinam, et Apostolicæ sedis incurratis offensam, quæ facile de vobis potest, quando vult, sumere ultionem, sed potius Domino largiente per veram obedientiam, et gratæ devotionis obsequia utriusque mereamini gratiam et favorem Dat. Later. XVI Kal. Febr. Pont. nostri anno XI. *Hæc epistola insinuat, Russos necdum pertinaciter schismati adhæsisse, cum Pontifex ne quidem moneat, ut a schismate designare voluerit. Cum tamen non carerent erroribus, fides eorum, ut minimum, dubia haberi debet, nec ausim certo asserere, Cyrillum I fuisse a schismate immunem. Suspicor inter episcopos non satis de fide convenisse, quod alii aliis addictiores essent Romanæ Ecclesiæ.*

B

num videntur quidem aliqui pro unione scisisse, sed schisma prævaluisse :

80 *Huic conjecturæ favet epistola Gregorii IX, apud Raynaldum ad annum* 1231 *num.* 43 *edita, scriptaque eodem anno* illustri regi Russiæ. *Pontifex enim, exposito primatu Romanæ Ecclesiæ, ita prosequitur :* Unde cum, venerabili fratre nostro episcopo Prutenorum referente, te intellexerimus esse principem Christianum, sed observantem Græcorum ac Prutenorum mores ac ritus, ac facientem in regno tuo ab aliis observari, divina tamen gratia inspirante, volentem accedere ad devotionem et obedientiam Apostolicæ Sedis et nostram, nos intimis affectibus sitientes animæ tuæ salutem, tuumque profectum, commodum et honorem, serenitatem tuam monemus et hortamur in Domino, quatenus sanam doctrinam non abnuens venerabiliter amplexari, ritus et mores Christianorum Latinorum devote suscipias et observes, te regnumque tuum pro amore Christi submittendo suavi dominio Romanæ Ecclesiæ matris universorum fidelium *etc. Hæc ita intellexit Raynaldus, acsi Pontifex Russos habuisset pro schismaticis, et revera id verba videntur innuere. At, si omnia accurate*

C *expendamus, dubitare vix poterimus, quin sententiæ Russorum multum fuerint divisæ : neque enim verisimile est principem voluisse* accedere ad devotionem et obedientiam Apostolicæ Sedis *sine consilio quorumdam episcoporum, qui primatum Romanæ Ecclesiæ videntur agnovisse. Contra vero necesse non erat ad obedientiam Romani Pontificis accedere, si Russi ita solum ritus Græcos observabant, ut tamen debitam Romanæ Ecclesiæ præstarent obedientiam. Itaque pars schismatica videtur eo tempore prævaluisse : atque id satis liquet ex iis, quæ ante medium seculi* XIII *facta videbimus sub Innocentio IV. Venerunt quidem iis temporibus aliquot prædicatores in Russiam, qui Russos non paucos ad ritus Latinos transtulerunt : atque inter eos S. Hyacinthus toto quadriennio mansisse dicitur Kioviæ, ubi et monasterium Ordinis sui erexit. At id adeo non favet fidei Russorum ritus Græci, ut eam potius reddat magis suspectam : minus enim erat necesse Russos ad ritus Latinos transferre, si Græcos sine erroribus et debita cum obedientia observabant.*

Circa annum 1246 Russi,

81 *Post Cyrillum unum aut duos, quorum fides dubia est, secutus est Josephus, natione Græcus, patria Nicænus, cujus initium Kulczynskius affigit anno* 1237, *Le Quien anno* D
1247. *Hujus tempore (nisi decessor ipsius Cyrillus revera usque ad annum* 1247 *vixerit) Romanæ Ecclesiæ spes maxima affulsit de sincera Russorum conversione. Rem narrat Raynaldus ad annum* 1246 *num.* 28. *Petierat Daniel Russorum princeps coronam regiam, promittens se omnes suos subditos adducturum ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ. Coronam ei impositam ob Opisone Apostolicæ Sedis legato, asserit Dlugossus ad annum* 1246 *pag.* 706. *Litteras Innocentii IV ea occasione scriptas recitat ad eumdem annum Raynaldus num.* 29 : *idemque ex Vincentio Bellovacensi lib.* 31 *cap.* 39 *refert, quam bene in Russia excepti fuerint Minoritæ, qui missi fuerant a summo Pontifice ad Tartarorum imperatorem, indeque redibant per Russiam. Hi reduces narraverunt, se a Daniele Russorum rege optime receptos et octiduo Kioviæ retentos, regemque cum episcopis dixisse,* quod dominum Papam habere vellent in specialem dominum et in patrem; sanctam quoque Romanam Ecclesiam in dominam et magistram, confirmantes etiam omnia, quæ prius de hac materia per abbatem suum transmiserant. E
Et super hoc, aiebant legati, etiam nobiscum ad dominum Papam nuntios suos et litteras transmiserunt. *Confirmantur hæc omnia ex gemina Innocentii IV epistola apud Raynaldum ad annum* 1247 *num.* 28 *et* 29. *Prior data est ad archiepiscopum Prussiæ et Apostolicæ Sedis legatum, cui demandat Pontifex provinciam reconciliandi regem* et totam gentem ac regnum ejus, hactenus a fidei unione præcisos.

qui majori ex parte erant schismatici,

82 *Ad hæc Pontificis verba tantisper subsistamus. Nam hic insinuare videtur Innocentius Russos ante hanc reconciliationem fuisse schismaticos. Quapropter nequeo assentire iis, qui Russos omnes usque ad hæc tempora Catholicos faciunt; et ne quidem Kulczynskio, qui levibus conjecturis metropolitas omnes schismate eximit. Nihilo magis assentior iis, qui vel hoc tempore vel diu ante omnes schismati involutos existimarunt. Nam cum plures essent in Russia duces, et episcopi varii, poterant aliqui ex iis debitam præstare obedientiam Romanæ Ecclesiæ : poterant id ipsum facere metropolitæ, ignorante aut non curante principe. Exemplum principis Russi Catholice defuncti dat ipse Innocentius in epistola ad Alexandrum ducem Susdaliensem apud* F
Raynaldum ad annum 1248 *num.* 41. *Erat ille Jeroslaus Susdaliæ dux, anno* 1245 *veneno, ut videtur, a Tartaris sublatus, postquam debitam Romanæ ecclesiæ obedientiam præstiterat. Similia ante facere potuerunt alii principes, episcopi et metropolitæ.*

se cum principe suo Romanæ Ecclesiæ subjecerunt :

83 *Quidquid tamen sit de obedientia metropolitarum præcedentium, quæ seculo* XIII *huc usque valde ambigua est, videntur se omnes simul cum rege suo Danièle subjecisse Romanæ Ecclesiæ anno* 1246, *aut sequenti. Ritus tamen Græcorum non deseruerunt, neque id erat necessarium. Innocentius quoque rituum licitorum mutationem non exigebat, sed in litteris ad Danièlem regem ita scribit :* Cum te de cætero specialem inter devotos Ecclesiæ reputemus, petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, libenter ad gratiam exauditionis admittimus, et votis tuis favorem benevolum impartimur. Exproptor, charissime in Christo fili, tuis supplicationibus inclinati, episcopis et aliis presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, et alios eorum ritus, qui fidei Catholicæ

A Catholicæ, quam Ecclesia Romana tenet, non obviant, observare, auctoritate præsentium indulgemus. Dat. Lugd. vi Kal. Sept. anno v, *id est*, 1247. *Perfecta hæc videbatur subjectio ; at dubitari potest, an satis fuerit sincera ex parte regis, cum certe non videatur fuisse diuturna : nam scriptores Poloni passim testantur, Daniëlem postea recessisse ab obedientia Romanæ Ecclesiæ debita.*

sed non diu post ad schisma redierunt :

84 *Polonis Historicis suffragantur litteræ Alexandri Papæ IV, quas recitat Dlugossus ad annum* 1266, *et Raynaldus ad annum, quo datæ sunt,* 1257 *num.* 26 *et seqq., ex quibus pauca huc transfero. Ubi Pontifex conversionem Daniëlis narraverat, et diadema regium ipsi ea occasione concessum, sic pergit :* Sed tu, sicut ad audientiam nostram non sine cordis turbatione pervenit, tam spiritualium quam temporalium beneficiorum immemor, tantæque gratiæ prorsus ingratus, præstiti juramenti religione contempta, id, quod circa obedientiam ejusdem Ecclesiæ ac prædictæ observationem fidei promisisse dignosceris, observare postmodum non curasti in animæ tuæ periculum, ipsius injuriam
B fidei, Ecclesiæ prædictæ contemptum, et opprobrium Jesu Christi *etc. An hæ Alexandri IV litteræ, quibus regem ad pœnitentiam hortatur, desideratum habuerint effectum, non invenio. Obiisse eum anno* 1266 *multi affirmant. Catholicum mansisse scribit quidem Kulczynskius in Cyrillo III, laudans Stricovium, Dlugossum et Miechovium : at hi duo posteriores diserte schismaticum dicunt et apostatam, dum mortem anno* 1266 *referunt. Stricovium ad manum non habeo, sed merito dubito, an hic magis faveat fidei Daniëlis, qui fortasse numquam sincere conversus est. Certe concilium Kioviense sub Cyrillo III, celebratum, quod edidit Kutczynskius in Appendice pag.* 36, *non favet sinceræ et stabili Russorum subjectioni, cum in eo ne verbum quidem legatur de Romana Ecclesia.*

cum Græci se anno 1274 Romanæ Ecclesiæ subjecerint ad breve tempus : idem forte fecere Russi.

85 *Difficulter igitur credere possum, Russos a schismate Græcorum diu fuisse immunes seculo* xiii *usque ad concilium Lugdunense II, in quo Græci ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ redierunt anno* 1274. *Anno* 1275 *Constantinopolitanam ecclesiam regere cœpit Joannes Veccus vel*
C *Beccus. Catholicus hic patriarcha Cyrillum III ad debitam subjectionem perducere potuit, eique successorem dare Catholicum, uti factum aiunt Koialovicius et Kulczynskius, dicentes* Maximum *anno* 1283 *Constantinopoli a Vecco in Russiam missum metropolitam. Verum si Maximus a Vecco creatus est metropolita, id factum oportuit ante finem anni* 1282, *quo Veccus* xxvi *Decembris sede sua deturbatus est ab Andronico imperatore schisma renovante. Quidquid tamen sit de modica temporis differentia, cum Constantinopoli rursum fuerit patriarcha schismaticus, ubi Maximus ornatus erat dignitate metropolitica, non ausim asserere ipsum mansisse Catholicum, præsertim si, eo mortuo, Russi successorem petierint Constantinopoli, ut scribit Kulczynskius ad* xxi *Decembris in Petro metropolita.*

§ VIII. Seculo xiv nullus metropolita certo Catholicus, licet aliqui vulgo credantur Catholici, et quidam a schismaticis colantur ut Sancti : seculo xv Photius schismaticus successorem habuit Catholicum.

Licet scriptores aliqui Petrum metropolitam velint Catholicum ;

Quatuor solum metropolitas toto seculo xiv *producit Kulczynskius, atque ex iis tres honorat Sanctorum titulo, quem an mereantur non satis perspicio : neque enim pro fide eorum Catholica eas invenio rationes, ut ausim asserere eos certo fuisse Catholicos. Primus ex metropolitis hujus seculi est Petrus, quem Catholicum et Sanctum fuisse contendit Kulczynskius in Catalogo metropolitarum, ita scribens pag.* 117 : E
Ceterum hunc sanctum primatem vixisse in unione cum Romana Ecclesia, indubium est, tum quod cum Latinis episcopis, ex Ordine Prædicatorum in Lituania ac Russia recenter institutis, optimam pacem coluerit, teste Okolscio in Vitis episcoporum Latini ritus Kiovien., tum quod legatos a Sede apostolica, Bartholomeum episcopum Electensem et Bernardum abbatem, cum professione fidei orthodoxæ in Russiam missos, devotissime exceperit, ut scribit Kviatkievicz in Ann. Litu. ad an. mcccxxiv. *Hæc quidem amicitia cum Latinis et exceptio legatorum Apostolicorum, si de utraque constaret, favorabilem suspicionem ingereret de recta Petri fide ; at necdum certam faceret ejus obedientiam.*

id tamen nec de eo nec de ejus successore Theognosto in monumentis invenio :

87 *Verum vix ausim credere, Petrum tam amice vixisse cum Latinis, aut visitatum fuisse a memoratis apostolicæ Sedis legatis : nam Petrus sedere cœpit anno* 1307, *ut vult laudatus scriptor, aut anno* 1308, *ut habet Le Quien :* F
et non diu post sedem suam transtulisse dicitur Moscuam. Probandum igitur esset, episcopos Latini ritus Moscuæ aut in ejus vicinia iis temporibus fuisse, de quo vehementer dubito. Quod spectat ad laudatos Joannis XXII legatos, ii fuerunt missi ad ducem Lituaniæ Gediminum, qui magnam Russiæ partem occupaverat, ut eum ad Christi fidem converterent : de quo spes erat exorta, sed ea effectu caruit, prout videri potest apud Raynaldum ad annum 1324 *num.* 45 *et seqq. Non satis igitur intelligo, quomodo legati Pontificii dicantur devotissime excepti a Petro metropolita, qui Moscuæ degebat, et ad quem missi non erant. Præterea Vladislaus Poloniæ rex in litteris ad Joannem XXII, quas edidit Raynaldus in addendis tomi* 15, *ad annum* 1324 *nuntiat mortem duorum ultimorum principum* Ruthenorum de gente schismatica, *auxilium contra Tartaros implorans. Itaque cum rex ille Russos vocet* gentem schismaticam, *ejus metropolitam eodem tempore Catholicum fuisse non ausim asserere. De Græco ipsius successore Theognosto, cujus initium anno* 1328 *innectitur a Kulczynskio, nihil invenio, quod Catholicum fuisse suadeat.*

88 *Theognosto Alexius suffectus est post medium*

AUCTORE J. S.

Alexius eorum successor passim habetur Catholicus,

dium seculi XIV, *si non nimis longe aberrent catalogi. Nam Le Quien metropolitam facit ab anno* 1353 *usque ad* 1373; *Kulczynskius vero ab anno* 1364 *usque ad* 1378, *non dubitans quin ille fuerit Catholicus et Sanctus. Koialovicius in Miscellaneis sæpe laudatis in eadem de fide ipsius est sententia, quam probare conatur hoc ratiocinio :* Wolodimiro deinde Olgerdi magni Lituaniæ ducis filio principatum Kiioviensem administrante, Dionysius Græcus, a patriarcha Constantinopolitano missus, ab eodem principe in carcerem conjectus est. Quare necesse est Alexium, natione Russum, qui sub eodem duce ante Dionysium metropolitanus fuit, et ob vitæ sanctitatem inter Divos a Russis colitur, Ecclesiæ Romanæ subjectum fuisse. *Acquievit Henschenius opinioni hujus scriptoris, Vitamque Alexii dedit ad* XII *Februarii.*

aliqui etiam Sanctum dicunt : nec tamen videtur coli a Catholicis :

89 *Existimo tamen, Henschenium maxime permotum esse ad edendam Alexii vitam, cum quod ea inter Vitas aliorum Sanctorum transmissa esset in collectione Ms., manu suffraganei Vilnensis subnotata, tum quod crederet eum coli* B *a Russis omnibus, etiam Catholicis, sicut coluntur Romanus et David. Verum ex variis instructionibus de Sanctis Russiæ, quas inter collectanea nostra reperio, nulla me plane certum reddit de cultu Alexii apud Ruthenos Catholicos. Quin et clare negatur in una, quæ nomine scriptoris caret, sed præ ceteris accurata videtur. Verba huc transfero :* De Alexio et Petro metropolitis uniti festum non celebrant. Putant eos fuisse viros bonos et obedientes Ecclesiæ. De miraculis spargunt schismatici multa. *Et infra :* Schismatici Alexii metropolitæ diem celebrant die XII Februarii *etc. Hæc aliaque faciunt, ut vix mihi persuadere possim, Alexium coli a Ruthenis Catholicis, cum omnia, quæ de ipsius cultu invenio, tam dubie prolata sint, ut de solis schismaticis intelligi possint, licet aliqui contrarium crediderint ac persuaserint Henschenio.*

idcirco nos Petri et Alexii sanctitatem hodie non agnoscimus :

90 *Hisce de causis expungenda credimus et pro expunctis haberi volumus omnia, quæ de sanctitate hujus Alexii metropolitæ, sive ad* XII *Februarii, sive aliis locis dicta sunt. Expuncta similiter volumus, quæ dicta sunt de sanctitate Petri metropolitæ, quem schismatici colunt* XXI *Decembris, ac Jonæ metropolitæ, qui ab iisdem* C *celebratur* XXX *Martii, et de quo breviter egit Papebrochius ad* XV *Junii. Hæc, inquam, pro expunctis haberi desideramus, donec certius nobis constiterit tam de fide eorum Catholica quam de cultu apud Catholicos. Ex hisce tamen nolim inferat studiosus lector, metropolitas illos tres a nobis haberi pro schismaticis : nam id non dicimus, sed solum de obedientia eorum Romanæ Ecclesiæ debita dubitamus. Russi Catholici passim suspicantur Petrum et Alexium viros fuisse bonos et Catholicos. Verum id esse potest : nam potuerunt abstinere a communione cum patriarchis Constantinopolitanis : sed hoc satis probatum non invenio.*

nec tamen schismaticos dicimus, sed utcumque dubitamus

91 *Præterea si certo constaret eos numquam aperte recessisse a Constantinopolitanis ; in favorem tamen utriusque hæc formari posset conjectura. Seculo* XIV, *quo hi Ruthenorum ecclesiam gubernaverunt, sæpe actum est ab imperatoribus Græcis de ecclesia Constantinopolitana debito modo subjicienda Romanæ ; resque eo usque promota fuit sub Joanne Palæologo, ut Raynaldus ad annum* 1367 *num.* XI *tres patriarchas, videlicet Constantinopolitanum, Alexandrinum* D *et Hierosolymitanum ecclesiarum suarum conjunctioni cum Romana assensisse scribat, id colligens ex litteris Urbani V, quas recitat. Quin et ipse imperator anno* 1369 *Catholicam fidei professionem edidit Romæ coram Urbano V. Potuerunt igitur Petrus et Alexius illam conjunctionem Ecclesiæ Orientalis toto animo desiderare et sperare, ejusque necessitatem æque ac primatum Romanæ Ecclesiæ agnoscere ; sed nullum reperire modum, quo se seorsum Romanæ Ecclesiæ aperte subjicerent. Quin et Alexius anno* 1364, *si credimus Kulczynskio, consecratus est a Philotheo patriarcha, quem aliqui Catholicum fuisse existimant. Hæc aliaque plura afferri possunt ; sed nihil invenio, ne pro Alexio quidem, quod de Catholica ejus obedientia nos plane faciat certos.*

Cyprianus Alexii successor fidei dubiæ : ei vero successit Photius schismaticus :

92 *Alexio apud Kulczynskium subjungitur anno* 1378 *Cyprianus, quem etiam* Sancti *titulo condecorat, ac præfuisse dicit usque ad annum* 1408. *Verum nihil allegat, quo probari possit certo Catholicum fuisse Cyprianum : ideoque rursum cogor tanto magis de fide ejus dubitare, quanto incertior est chronotaxis Kulczyns-* E *kii, quia patriarchæ Constantinopolitani circa id tempus non omnes æque certo fuerunt schismatici. Sequitur in catalogo Photius Græcus, quem schismaticum fuisse omnes asserunt. Koialovicius in Miscellaneis de eo conjecturas suas ita exprimit :* Intrusus deinceps circa annum MCDVII ad pontificatum Kioviensem fuerat Græcus natione, Phociey vulgo dictus, fortasse quispiam Phocius schismati per Phocium Constantinopolitanum olim excitato nimis addictus, quod sensim propagare ac firmare per Russiam cœperat. Id vero ubi advertit magnus Lituaniæ dux Alexander Vitoudus, jam religione Catholicus, curavit concilium metropolitanum anno MCDXV Novogrodecum in Lituania indici, in eoque prædictum Græci schismatis promotorum ex episcopatu deponi : neque Græcum ei sufficí permisit, quod satis adverteret, Græcorum opera schisma per Russiam invalescere. *Edidit istud concilium Novogrodense Kulczynskius in appendice pag.* 46, *et deinde decretum Alexandri Vidoldi Lituaniæ ducis Catholici, qui profitetur se esse ritus Latini, aliosque ad eum tacite invitat. Verum monumentis illis clare* F *patet, Photium non fuisse depositum causa schismatis in Russiam inducti, de quo nulla fit mentio, sed propter expilationes ecclesiæ Kioviensis aliaque delicta.*

quo e sede dejecto, metropolita fit Gregorius I,

93 *Si quis tamen de intentione ducis istius Catholici conjecturam facere velit, verbaque ipsius attente considerare, vehementer suspicabitur, non alia de causa eum curasse, ut Photius sede sua dejiceretur, eique sufficeretur, quem ipse per Ruthenos eligendum curabat, quam ut eo modo ecclesiam Ruthenicam perduceret ad obedientiam Romani Pontificis. Caute vero et dissimulanter id egit, ostendens episcopis, quantum damni pateretur ecclesia Kioviensis per Græcos metropolitas, volensque ut Photium expellerent, aliumque, quem vellent, peterent ab imperatore et a patriarcha Constantinopolitano, aut alias ipsi aliquem in synodo eligerent. Annuentibus episcopis, dux legatos misit Constantinopolim, qui ita loquerentur :* Si modo nobis non dederitis metropolitam, quem volumus, nos eum eligemus synodaliter ac canonice, ut jam olim factitatum fuit in Russia, testantibus Annalibus. *Terminus quoque a duce præfixus est ; cumque ille*

A *ille elapsus esset, nec legati Constantinopolitani venissent, dux Vitoldus rursum convocavit duces* Ruthenos, ... episcopos ac archimandritas cum multo clero, qui, *ut ipse in suo Decreto loquitur*, in præsenti synodo elegerunt unanimiter metropolitam Kioviensem ac totius Russiæ Gregorium virum religiosissimum. *Hunc fuisse Catholicum, dum electus est, probabilius existimo; ac minime dubito, quin Catholicus saltem deinde sit factus, seque Romanæ Ecclesiæ subjecerit, si forte talis ante non erat.*

qui fuit Catholicus:

94 *De eo Koialovicius scribit sequentia :* Suffectus itaque est *(metropolita)* Gregorius Cemiwlacus Bulgarus, vir singulari eruditione in sacra doctrina commendatus. Is deinde a Vitoudo Romam ad summum Pontificem, et Constantiam ad concilium legatus ivit, tum in aliis negotiis, tum maxime in causa procurandæ unionis universalis inter Græcam Romanamque Ecclesiam. De qua re scripsit idem Gregorius ad Patres Constantiæ concilio generali tunc præsentes. *Addit numerum Catholicorum ritus etiam Græci multum crevisse, atque unionem sensim coaluisse, collaborantibus ad opus tam salutare Vladislao Poloniæ rege ejusque fratre Alexandro Vitoldo jam laudato, de quorum studio* B *ad rem Catholicam promovendam videri potest epistola prædicti Vladislai regis ad concilium Constantiense anno* 1416 *data, editaque a Raynaldo ad eumdem annum num.* 29. *Ex eadem epistola, uti et ex Constantiensi concilio intelligitur, Ruthenos Græci ritus pro schismaticis habitos fuisse tam a rege Poloniæ, qui spem præbet eos ad unitatem Ecclesiæ reducendi, quam a concilio, in quo Hieronymus de Praga accusatur, quod cum Ruthenis schismaticis communicaverit, eorumque sectam foverit, ut videri potest apud Harduinum tom.* 8 *Conciliorum col.* 524 *et* 525. *Hæc sane vehementem præbent suspicionem contra fidem decessorum quorumdam Gregorii, non tamen contra ipsum, cujus electione omnia videntur mutata, quemadmodum eodem tempore Constantinopoli etiam orthodoxus videtur fuisse Euthymius II patriarcha, cujus successor Joseph II certo fuit Catholicus.*

at schismatici suum eodem tempore habebant metropolitam.

95 *Observat tamen Koialovicius non paucos in Russia schismaticis erroribus pertinaciter inhæsisse, eosque ad eam pervenisse audaciam,* ut principum auctoritate legumque metu contem- C pto, Harasimum seu Erasmum quempiam metropolitanum Russiæ dixerint universæ. Degebat ille Vitepsiæ *(in Lituania :)* quam civitatem eum occasione belli, inter Lituaniæ principes orti, Boleslaus Swidrigello expugnasset, Harasimum ibidem captum, vivum exuri jussit anno MCDXXXIII. *Le Quien in catalogo suo scribit, se in Annalibus reperire Photium viginti duobus annis Russorum ecclesiæ præfuisse. Cum autem alii initium Photii figant anno* 1407, *alii* 1408, *alii* 1409, *imo quidam etiam id differant usque ad* 1417, *sed minus recte, quantum apparet; non videtur depositio ipsius ab omnibus Russis admissa fuisse : nam Kulczynskius ex decreto synodi asserit, depositionem illam contigisse anno* 1415, *die* XV *Decembris. Verisimile igitur est, Photium non fuisse desertum a schismaticis, sed hosce ei usque ad mortem paruisse: et tunc demum ei a schismaticis suffectum esse Harasimum illum, de quo agit Koialovicius. Jam vero ex hisce intelligitur, metropolitam quidem et Russos, Poloniæ regi aut Lituaniæ duci subditos, majori saltem ex parte Catholicos fuisse; suum tamen etiam caput fuisse schismaticis, qui in Moscovia aliisque locis vicinis superiores videntur mansisse, ut manifestius fiet ex periculo sequentis metropolitæ.*

§ X. Russi seculo XV circa tempus concilii Florentini in duas scissi partes, quarum una Catholica usque ad annum fere 1520; altera constanter schismatica.

Isidorus metropolita Catholicus, re bene gesta in concilio Florentino,

Rerum ordo ad tempora concilio Florentino vicina nos perduxit. Videmus Russos occasione Photii schismatici jam dividi cœptos : ea vero scissura major et perpetua facta est occasione concilii, cui obtemperare Russorum pars voluit, pars altera pertinaciter refragari; atque ita contigit, ut metropolita Catholicus esset Kioviæ, schismaticus Moscuæ. Catholicus protectorem habebat regem Poloniæ, cui Kiovia E *cum parte Russiæ parebat; schismaticum protegebat princeps Moscoviæ. Defunctus erat Gregorius Cimowlacus, sed Catholicum habebat successorem, de quo Koialovicius ita loquitur :* Mortuus interea Cimowlacus successorem accepit Isidorum Bulgarum anno MCDXXXVII, virum doctrina et pietate celeberrimum. Adfuit ille concilio Florentino, ibique acriter Græcorum schisma oppugnavit. A Pontifice Eugenio IV Cardinalis S. R. E. creatus, et legatus a latere missus in Russiam, Poloniam, Lituaniam, Germaniam, Chelmiæ anno MCDXL unionem promulgavit, et Sandecii præsente Sbigneo episcopo Cracoviensi in ecclesia Latini ritus suo Græco Russo ritu palam sacrificavit.

fit legatus Apostolicus ad promulgandum in Russia concilium;

97 *Raynaldus ad annum* 1439 *num.* XI *edidit litteras, quibus Eugenius IV Isidorum constituit legatum. In hisce Pontifex, relata unione Græcorum, Isidorum sic alloquitur :* Te, cujus virtus et diligentia in hac sancta unione admodum cognovimus profuisse, et quem Dei benignitas præclaris virtutum dotibus illustravit, ac vitæ integritate et morum, nec non magnitudine consilii, rerum agendarum experientia, prudentia quoque et sacrarum litterarum doctri- F na plurimum exornavit, in Lituaniæ, Livoniæ, ac totius Russiæ provinciis, nec non in civitatibus, diœcesibus, terris et locis Lechiæ *, quæ tibi jure metropolitico subesse noscantur de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio pro statu universalis Ecclesiæ atque nostro nostrum et apostolicæ Sedis legatum de latere cum plena potestate, auctoritate Apostolica facimus. *Hæ litteræ datæ sunt anno* 1439, XVI *Kal. Septembris.*

* *i. e.* Littiæ *vel* Leitlandiæ

sed Moscuæ male excipitur et carceri includitur:

98 *Verum non eodem modo ubique exceptus est Isidorus legatus, quod non omnes schismati renuntiare vellent, uti etiam contigit in Orientali ecclesia. Matthias de Michovia hac de re ita scribit, acsi omnes Rutheni cum ipso Isidoro ante concilium Florentinum schismatici fuissent ac tales etiam postea permansissent. Verba ipsius, quæ et alios in errorem pertraxerunt, lib.* 4 *cap.* 57 *talia sunt :* Anno, quo supra, (1440) Isidorus natione Græcus, archiepiscopus Kioviensis, Cardinalis noviter creatus, et

AUCTORE J. S.

et Eugenii Papæ legatus in Russiam missus, vir maturus et prudens, ferens secum bullas Apostolicas plumbeas, et imperatoris Constantinopolitani aureas, intravit in Sandecz feria sexta Parasceve, ubi per Sbigneum episcopum Cracoviensem hospitio fuit receptus, et ad celebrandum divina more suo Græco, tamquam Romanæ Ecclesiæ reunitus, admissus. Unio tamen illa Ecclesiæ Latinæ et Græcæ breviuscule duravit, Græcis et Ruthenis illam irridentibus. Unde, dum præfatus Isidorus ad suos suffraganeos in Russiam et Mosquam venisset, et illam unionem cis prædicaret, per principes Mosquæ * captus, in carcere reclusus, et omnibus thesauris, quos jam notabiles conquisierat, spoliatus fuit. Ex post tamen de hujusmodi captivitate, favente Deo, per fugam salvatus erat. *In hisce corrigenda sunt varia.*

* Moscoviæ

non tamen omnes Russi schismatici erant aut alieni a concilio :

99 *Nam primo Isidorus non recte dicitur* Romanæ Ecclesiæ reunitus, *cum omnia persuadeant ipsum cum Ruthenis antea Ecclesiæ Romanæ obedientem fuisse, exceptis tamen Ruthenis iis, qui noluerant sequi exemplum metropolitæ sui Gregorii primum et deinde Isidori.* B *Ruthenos autem Catholicos fuisse ante concilium, egregie confirmatur ex gemina inscriptione ecclesiæ Vaticanæ apud Ciaconium in Eugenio IV. In utraque enim tempore concilii ad unitatem fidei reducti dicuntur* Græci, Armeni, Æthiopes, *nec memorantur Rutheni, qui non fuissent omissi, quantum videtur, si eadem illorum fuisset ratio. Præterea, Ruthenos tempore satis notabili cum universali Ecclesia conjunctos fuisse seculo* XV, *colligitur ex Oratione Pii II, quam anno* 1459 *habuit in conventu Mantuano. In ea enim apud Harduinum tom.* 9 *col.* 1432 *sic loquitur Pontifex, damna Ecclesiæ referens* : Jam Russiani ætate nostra desciverunt a fide, jam Bohemi defecerunt. *Hæc verba satis indicant, Ruthenos non fuisse ad momentum subjectos in concilio Florentino, sed antea Catholicos pro majori parte fuisse, et tales mansisse, donec schismatici adeo rursum prævalerent, ut Rutheni defecisse a fide ob majorem partem dici possent, sicut Bohemi a fide defecisse dicuntur, quia Hussitæ in Bohemia multum prævaluerant contra Catholicos.*

Isidorus successorem habuit Gregorium II,

100 *Porro Isidorus, postquam e carcere liber evaserat, dignitati metropoliticæ renuntiasse dicitur, multaque deinde præclare gessit, ut* C *videri potest apud Ciaconium laudatum aliosque historicos. De ejus successore Catholico Kulczynskius in Catalogo sic habet* ; Gregorius II, natione Bulgarus, Constantinopoli S. Demetrii abbas, fidus Isidori Cardinalis Achates, promovente eodem, obtinuit metropolitanam dignitatem a Nicolao V summo Pontifice anno MCDXLII, a quo consecratus, Apostolicisque litteris munitus, perrexit in Russiam, sedemque suam Kioviensem occupavit pacifice, libentissime eum excipiente ac in honore habente Casimiro Jagellonide rege Poloniæ, unaque magno duce Lituaniæ ac Russiæ. Sed cum Jonas quidam, anti-metropolita schismaticus a Moscis electus, limites archiepiscopatus Kioviensis invadere cœpisset ; hinc supplicante Sedi apostolicæ Gregorio nostro metropolita, Pius II Pontifex maximus edidit bullam sub dat. Rom. anno MCDLVIII, tertio Nonas Septembris, qua præfato Jonæ de Asciscenia, filio (ut loquitur bulla) perditionis, superiorem Russiam, nempe Moscoviam reliquit, inferiorem vero, subjectam videlicet regno Poloniæ, eidem Gregorio D et successoribus Kioviensibus archiepiscopis assignavit, statuit atque decrevit.

sed huic non parentes Mosci, habuerunt deinceps metropolitas schismaticos :

101 *Enumeratis deinde episcopatibus decem, quos Pontifex Kioviensi subesse voluit, sic pergit* : Ab illo igitur tempore Russia superior, seu Moscovia, proprios in spiritualibus rectores habebat, Russia vero inferior, appendix nempe regni Poloniæ, archiepiscopis Kioviensibus, quorum seriem prosequar, obediebat. *Hisce consona scribit Koialovicius, addens tamen multos quoque schismaticos mansisse in ditionibus regis Poloniæ; quod intelligitur satis ex Vita S. Casimiri, Poloniæ regis filii, qui curavit per regem ferri edictum,* ne, qui e gente Russica ab unione Catholicæ et Romanæ religionis desciverant, templa vel nova erigere, vel vetustate collapsa restaurare possent. *Leguntur hæc in annotatis ad Vitam S. Casimiri tom.* I *Martii pag.* 349. *Porro observandum breviter, catalogum metropolitarum Kioviensium, quem in Oriente suo Christiano contexuit Le Quien, in successoribus Isidori usque ad annum* 1594 *misere turbatum esse, quia secutus est catalogum ex Moscovia acceptum, ex quo dedit metropolitas schismaticos, qui Moscuæ sedem habuerunt, miscens tamen iis subinde unum aut alterum e Catholicis, qui sederunt Kioviæ.* E *Kulczynskius vero solos dedit Kiovienses metropolitas, prætermissis omnino iis, qui Moscuæ sederunt, et deinceps schismati inhæserunt : atque hujus sequar catalogum. Breviter tamen moneo de Jona illo schismatico, quem Mosci tempore Isidori et Gregorii habuere metropolitam, hunc esse posse Joannem illum metropolitam, cujus epistolam et canones schismaticos edidit Herbersteinius pag.* 22 *et seqq. sine ulla temporis nota. Nam Le Quien putat Jonas fuisse* Joannem Rhezanii archiepiscopum, *et metropolitam electum a schismaticis. Sane neminem invenio, cui epistola probabilius attribui possit quam huic Jonæ: sed conjectura tantum est, quam incertum fateor.*

post Gregorium II. Misaël metropolita item Catholicus :

102 *Redeo ad Gregorium metropolitam, quem Catholicum fuisse omnino existimo, non obstantibus verbis Pii II supra datis : nam, teste Koialovicio, ipse Pius II scripsit Casimiro Poloniæ regi, ut commendatum haberet Gregorium. Erat igitur hic metropolita Catholicus ; sed Moscoviam amiserat, ac plurimi etiam in ditionibus* F *regis Poloniæ erant schismatici, qui pastorem suum non sequebantur. Post Gregorium II secutus est alius metropolita Kioviensis, item Catholicus, de quo hæc scribit Koialovicius :* Gregorio post administratam XXX annis ecclesiam Russorum mortuo, anno MCDLXXIV suffectus est Misaël, paulo ante episcopus Smolescensis : qui anno MCDLXXVI cum præcipuis magni ducatus Lituaniæ ducibus ac proceribus consilio inito, insignem legationem Romam instituit. In ea Græco-Russæ ecclesiæ nomine Sixtum IV Papam caput Ecclesiæ Christianæ universæ, Vicarium Christi, Petrique successorem agnoscit : eidem, quam credendi regulam Russi sequantur, per capita præcipua explicatam proponit. Quandoquidem vero proximo anno MCDLXXV Romæ esset celebratus sacer jubilæi annus, petit eamdem gratiam Russiæ communicari. Denique postulat, ut legati legum ecclesiasticarum periti mittantur, qui Florentini concilii vestigiis constantissime insistendo lites et dissidia, Romanum inter et Græcum ritum per provincias regni Poloniæ

A loniæ et magni ducatus Lituaniæ exorta, componant. Multi procerum ei legationi subscripserunt, atque ante eos Misaël electus metropolitanus. *Hæc, a Kulczynskio item relata, dubitare non sinunt, quin Misaël fuerit Catholicus.*

Ex legatione Joannis Basilidis spes nata de conversione Moscorum :

103 *Interim Romanis Pontificibus Paulo II et Sixto IV spes affulserat magna Russos etiam Moscoviæ duci subditos uniendi Ecclesiæ universali, ac rem ita narrat Raynaldus, acsi jam fuisset peracta. Verum Moscus sponsam potius quæsivisse videtur, quam sincere voluisse se Romanæ subjicere Ecclesiæ. Cupiebat Joannes Basilides Moscoviæ dux uxorem ducere Zoën vel Sophiam, Thomæ Palæologi despotæ Peloponnesi filiam, et imperatoris Constantinopolitani neptem, fortasse ut iis nuptiis jus aliquod acquireret in Constantinopolitanum imperium a Turcis occupatum. Cum autem Sophia illa Romæ esset, ac liberalitate summi Pontificis frueretur; eam habere uxorem non poterat Moscus, nisi honorifica legatione consensum Pontificis obtineret. Rogavit igitur, ut sibi ea de causa legatos* B *mittere liceret, idque obtinuit, ut patet ex litteris Pauli II ad Casimirum Poloniæ regem, quas edidit Raynaldus ad annum* 1470 *num.* 9. *Deinde anno* 1472 *Joannis Basilidis legati Romam venerunt, ac sponsam obtinuerunt. Hi autem legati dixerunt quidem, ducem suum Joannem adhærere concilio Florentino, nec velle deinceps admittere metropolitam a patriarcha Constantinopolitano consecratum : quin et asseruerunt ducem petere* oratorem ad se mitti, qui fide eorum *(Russorum)* omnium inspecta, rebus etiam cognitis, si quid devium est, in viam rectam reducat *etc. Hæc aliaque plura de iis Volaterranus tunc vivens in Opere Ms. apud Raynaldum ad annum* 1472 *num* 48.

sed ea effectu caruit.

104 *Verum ex eadem Volaterrani narratione colligitur, promissa ea non fuisse clara :* Veniebat enim nonnullis in dubium, *inquit*, quid in his esset nostri officii, quando de fide Ruthenorum non satis constaret. *Præterea in nuptias consensus datus hisce quoque rationibus,* quod, si maxime hæretici Rutheni sint, non tamen ex jure Pontificio irrita cum iis conjugia habentur, et quod errantes filii alliciendi etiam C honoribus et benignitate ad gremium matris Ecclesiæ videntur. *Dubitabatur igitur Romæ de sincera subjectione. Quæ vero deinde secuta sunt, clare docuerunt sinceram non fuisse, et Moscos sub Joanne Basilide mansisse schismaticos. Certe Alexander VI in litteris suis anni* 1496 *Ruthenos vocat schismaticos, agens de iis, qui sub eodem Joanne Basilide in provincias regni Suecici irrumpebant, ut videri potest apud Raynaldum ad annum* 1496 *num.* 24. *Helena quoque Joannis filia, postquam nupta erat Alexandro deinde Poloniæ regi, tam pertinaciter schismati inhæsit, ut ea de causa Poloni noluerint illam coronare reginam. Audiamus de hisce Koialovicium in Historia Lituaniæ ad annum* 1502, *ubi relata Alexandri regis coronatione, de Helena subdit.* Februario proximo Helena conjunxe Lituania venit; sed quod Græco schismati pertinaciter addicta, alienam se plurimum a Romana religione gereret, non permiserunt Poloni, ut reginarum more coronaretur. *Itaque minime dubitandum, quin Mosci manserint sub Joanne Basilide schismatici.*

AUCTORE J. S. Kiovienses metropolitæ etiam Catholici sub finem seculi XV ;

105 *Catholicos vero seu unitos cum Ecclesia Romana fuisse Kiovienses Misaëlis successores usque ad annum* 1520, *consentiunt Koialovicius et Kulczynskius, qui id tam clare de plerisque probant, ut etiam credi possit de aliis intermediis, præsertim cum Kiovia toto illo tempore fuerit sub rege Poloniæ : constat enim iis temporibus Polonos schismati maxime fuisse contrarios. Primus Misaëlis successor anno* 1477 *ponitur Simeon, de quo siluit Koialovicius, et brevissime tantum de eo agit Kulczynskius. Sequitur Jonas I, cognomento* Hlezna, *ab utroque memoratus. Hujus orthodoxiam Kulczynskius, qui anno* 1482 *creatum affirmat, ostendit hoc modo :* Is inter primos charus fuit Casimiro regi Poloniæ, quem etiam ex hoc seculo migrantem in viam æternitatis disposuit, ut vel inde arguere liceat, vixisse ipsum unitum cum Ecclesia Romana. *Catholicum ipsum fuisse, pro certo habeo :* Sanctum *tamen nominare non ausim cum Kulczynskio, cum non existimem hunc Jonam umquam cultum fuisse ut Sanctum.*

inter hos Jonas Hlezna, quem tamen ut Sanctum coli non credimus ;

106 *Papebrochius quidem ad* XV *Junii, seu tom.* 2. *hujus mensis pag.* 1103, Jonam Hleznam *coli existimavit, quia in Menologio Ruthenico, quod anno* 1679 *impressum est Moscuæ, ad* XV *Junii invenit hanc annuntiationem :* Item S. P. N. Jonæ, metropolitæ Kyoviensis et totius Russiæ thaumaturgi. E *Verum omnia, quæ ibidem de Jona breviter dixit Papebrochius, deleta cupimus, quia satis certum existimo, Jonam ibi memoratum coli cœpisse a schismaticis, nec credo umquam esse cultum a Catholicis. Si autem consideremus Jonam Hleznam Kioviensi ecclesiæ præfuisse, vergente ad finem seculo* XV; *Ruthenosque schismaticos eidem parere noluisse, sed alteri eique schismatico adhæsisse metropolitæ, qui sedebat Moscuæ; ne quidem probabilis apparebit opinio Papebrochii, qui levi de causa existimavit ejus memoriam Menologio Moscovitico insertam esse anno* 1679, *acsi schismatici mortuum colerent, quem vivum pro metropolita suo agnoscere detrectarunt. Jam vero sicut errorem Papebrochii candide agnosco, et deletum Sancti titulum aliaque omnia de hoc Jona a Papebrochio scripta desidero; ita quoque non dubito, quin a via aberraverit Le Quien in Catalogo suo metropolitarum Kioviensium, ubi scribit schisma anno* 1520 *instauratum esse a Jona* Hesna, *hunc Hleznam designans : nam Jonas Hlezna annis fere triginta erat defunctus, quando anno* F 1520 *schisma instauratum est a Jona II, quem ignoravit Le Quien, aut cum altero confudit.*

sed existimamus Jonam in Menologio Ruthenico annuntiatum esse schismaticum.

107 *Jam vero quod spectat ad Jonam illum, cujus memoriam annuntiari dixi in Menologio Ruthenico anni* 1679; *satis probabili conjectura illum assignare peterimus. Etenim vix dubitare possim, quin designetur Jonas ille schismaticus, qui Moscuæ sedem tenuit circa medium seculi* XV, *quando Isidorus et Gregorius II sedebant Kioviæ. Hunc enim Jonam a schismaticis coli, testantur Kulczynskius in Appendice pag.* 138 *et Le Quien in Catalogo. Nec obstat huic opinioni, quod Jonas vocetur* metropolita Kioviensis : *nam eo etiam titulo utebantur, qui sedebant Moscuæ. Nihilo magis sanctitatem ipsius probat, quod* thaumaturgus *a suis nominetur in Menologio neoterico. Quippe magis faciles sunt hæretici et schismatici ad titulos honorificos antesignanis suis attribuendos, quam ut quidquam ex iis tuto concludere possimus.*

AUCTORE J. S.

simus. Sic prophetam *vocarunt metropolitam Joannem, cujus epistolam et canones edidit Herbersteinius: nec tamen dubitare possumus, quin fuerit schismaticus, cum id liqueat ex ipsa laudata epistola et canonibus. Nunc ab hac necessaria digressione revertamur ad successores Jonæ Hleznæ.*

Metropolita Macarius Catholicus: item Josephus,

108 *De hisce Koialovicius pag.* 47 *ita habet :* Ad annum MCDXCII *(apud Kulczynskium* 1490) urgente Alexandro, qui, mortuo parente Casimiro rege, magnus Lituaniæ dux renuntiatus fuerat, metropolitanus creatus est Macarius abbas Vilnensis ad sanctissimam Trinitatem, unus ex illis, quorum nomina legationi sub Misaële institutæ adscripta legimus. Macario successit Josephus Sultan e nobili inter Lituanos familia ortus. Unitum eum fuisse evincunt litteræ illius de unione et concilio Florentino ad Niphonem Constantinopolitanum anno MCDXCVII scriptæ. *Plura addit tam ipse quam Kulczynskius, ut ostendant Josephum Romanæ Ecclesiæ fuisse obedientem. Exstat porro epistola Niphonis patri-*
B *archæ, qua Josepho respondit, editaque est apud Raynaldum ad annum* 1486 *num.* 62, *ubi data notatur anno* 7000 *orbis conditi secundum recentiores Græcos, id est,* 1492, *et* die V Aprilis, Indictione XI, *quæ innuit annum sequentem. Ex hac epocha, si corrupta non est, clare liquet, chronotaxim Kulczynskii et Koialovicii non carere mendis: at jam alias monui, me eam non discutiendam aut corrigendam suscepisse.*

saltem initio susceptæ dignitatis;

109 *Secundo ex responso Niphonis habemus, ipsum quoque fuisse Catholicum, quamvis non potuerit aperte suos ad Catholicam unitatem cogere: atque ea videtur fuisse ratio, cur Josephus ad eum scripserit, nimirum ut auctoritate patriarchæ Ruthenos omnes, quantum posset, ad obedientiam pertraheret. Niphon responsum suum sic orditur :* Accepimus litteras dilectionis tuæ, scriptas humilitati nostræ, quibus significas Romanorum Ecclesiæ episcopos Ruthenos et Lituanos vobis molestos esse, vosque compellere ad unitatem ecclesiasticam Florentiæ decretam. Unde metuis ingentia pericula, amissionem privilegiorum et libertatis, quæ illo tempore, quan-
C do unio decreta est, a regibus Poloniæ vobis concessa sunt. *Hæc verba insinuant, ita scripsisse Josephum, acsi damnorum metu ad unitatem vellet accedere. Verum ita fortasse scripsit, ut etiam patriarchæ satisfaceret, eumque ad suam pertraheret sententiam, ac per eum Ruthenos. Præterea, si Josephus initio electionis suæ vacillasset; epistola Niphonis, qua concilium Florentinum et unio cum Latinis multum commendatur, nata erat omnem tollere dubitationem. Niphon autem in fine hæc addit :* Scripsimus principibus et antistitibus Ruthenis ac Lituanis nostri ritus, ut tibi in omnibus ad nutum sint. *Quantum profuerit hæc epistola ad schismaticos ad unitatem pertrahendum, prorsus ignoramus. At non dubitamus, quin Josephum aliosque unitos in unitate Catholica confirmaverit. Constat etiam ex litteris Alexandri Papæ VI, quas recitat Raynaldus ad annum* 1501 *num.* 37, *multos tempore Josephi a ritu Græco ad Latinum transire voluisse.*

sed paucos ex Ruthenis habuisse videtur sibi adhærentes.

110 *Verum utcumque dubitandum videtur, utrum Josephus usque ad annum* 1520, *cui obitus ipsius innectitur, perseveraverit in unitate Catholica. Certe si ipse Catholicus sincere fuerit talisque permanserit, non videtur multos habuisse sibi adhærentes ex Ruthenis. Quippe an-* D
no 1514 *in concilio Lateranensi per Joannem de Lasko archiepiscopum Gneznensem coram Leone X expositus est status ecclesiarum Ruthenicarum, eaque expositio apud Raynaldum edita. Ex hac autem colligo, Ruthenos omnes, qui non erant Ritus Latini, fuisse schismaticos. Ista enim ibi leguntur de Ruthenis regi Poloniæ subditis :* Inter quos Rubeos reges Poloniæ fundarunt unam metropolim et septem cathedrales ecclesias, et parochiales multas fidei Romanæ : sed tamen multo plures sunt ecclesiæ Ruthenorum.... Istæ omnes nationes Ruthenæ seu Ruthenorum præsumunt se esse de fide Græcorum : attamen fidei ipsorum errores colliguntur infrascripti. *Deinde inter errores, quos recenset, imprimis est obedientia negata Romanæ Ecclesiæ, quam variis calumniis impetunt. Itaque si Josephus metropolita usque ad annum* 1520 *Romanæ adhæsit Ecclesiæ, paucos habuit sibi consentientes, schismate ubique prævalente : atque ea forsan de causa odioso apud Moscos istius temporis nomine* Latinus *vocatus est.*

E

§ X. Ab anno 1520 usque ad annum 1594 metropolitæ Kiovienses omnes schismatici : concilium anno 1594 habitum, in quo metropolita cum episcopis in ditione regis Poloniæ degentibus statuit se subjicere Ecclesiæ; quod fit anno sequenti : metropolitæ deinceps Catholici.

Metropolitæ schismatici ab anno 1520 usque ad 1594:

Schisma Græcum, quod numquam penitus exstingui potuerat, in ditionibus Poloniæ et Lituaniæ magis rursum invaluisse initio seculi XVI, *ex mox dictis abunde liquet. Crevit id malum, ubi accessit metropolita schismaticus, anno* 1520 *creatus : nam Jonam II, natione Moscum, anno* F
1520 *metropolitam factum, consentiunt Koialovicus et Kulczynskius : amboque fatentur schismaticum fuisse, ac schisma ejus opera per ditiones Poloniæ et Lituaniæ magna sumpsisse incrementa ; quod malum prior etiam attribuit negligentiæ Sigismundi Augusti Poloniæ regis. Idem agnoscit, sequentes metropolitas fuisse schismaticos usque ad unionem factam tempore Clementis VIII, de qua videbimus. Post Jonam II Kulczynskius anno* 1526 *ponit Josephum III : huic anno* 1538 *substituit Macarium II : deinde anno* 1550 *Silvestrum, anno* 1568 *Joanam III, anno* 1577 *Eliam, anno* 1578 *Onesiphorum, ac demum anno* 1588 *Michaëlem III, cui cognomen erat* Rahoza. *Quin hi omnes fuerint schismatici, nequaquam dubito, sed ultimus se deinde subjecit auctoritati summi Pontificis.*

quod satis certum videtur.

112 *Kulczynskius quidem plerosque schismatis labe eximere conatur, sed ratiunculas et conjecturas adducit tam frivolas, ut necesse non sit eas huc transferre ac refutare. Sane quando Rutheni anno* 1595 *se Clementi VIII subjecerunt,*

A *runt, Silvius Antonianus præfectus cubiculi pontificii, eorum legatos allocutus est, teste Baronio tom.* 7 *Annalium pag.* 727, *hisce verbis* : Ad matrem et magistram omnium ecclesiarum sanctam Romanam Ecclesiam reditis, Rutheni episcopi, post annos centum et quinquaginta *etc. Anni* centum et quinquaginta *numerabantur a concilio Florentio, quod tamdiu erat præteritum. Non quidem toto illo tempore Rutheni episcopi omnes fuerant schismatici: neque hoc ex illis verbis colligi posse existimo, cum antea ostensum sit, aliquot metropolitas post concilium Florentinum fuisse Catholicos et Romanæ Ecclesiæ unitos. Ex iis tamen verbis recte colligi videtur, metropolitas et episcopos, qui fuerunt post annum* 1520, *quo Jonas II schismaticus Ruthenis præerat metropolita, verisimiliter unitos non fuisse: neque enim credibile est, Silvium Antonianum sic locuturum fuisse nomine summi Pontificis, si sua adhuc ætate metropolitæ et episcopi Rutheni fuissent uniti Romanæ Ecclesiæ. Quapropter non* B *existimo, id satis verisimiliter dici de ullo metropolita post annum* 1520 *usque ad annum* 1594. *Quod spectat ad Ruthenos Moscoviæ, de variis eorum legationibus ad summos Pontifices, conatibusque Pontificum ad eos convertendos, plura non addam, cum constet omnes istas legationes fructu optato caruisse.*

Celebrata Synodo anno 1594, metropolita cum episcopis Poloniæ ditionis se Ecclesiæ subjiciunt :

113 *Verum anno* 1594 *Brestæ in Lituania a Ruthenis Poloniæ subditis celebrata est synodus, de qua plenius agit Possevinus in Apparatu sacro ad vocem* Rutheni. *Testatur ille synodum illam fuisse indictam jussu Clementis VIII. Huic autem nomine summi Pontificis interfuerunt episcopi aliquot ritus Latini, et ex Ruthenis metropolita Michaël Rahoza cum aliis episcopis ritus Græci ex ditionibus regis Poloniæ. Decreta est in illo concilio integra subjectio, electique duo episcopi legati, qui suo et omnium nomine obedientiam Romano Pontifici profiterentur. Hi porro episcopi legati anno sequenti Romam venerunt ad Clementem VIII, a quo benigne excepti sunt. Litteras nomine metropolitæ et novem episcoporum Ruthenorum Græci ritus tulerunt, omniumque illorum nomine fidei professionem ediderunt coram Clemente VIII, prout hæc latius enarrat* C *Baronius, apud quem videri possunt decretum concilii Brestensis de unione facienda, litteræ omnium nomine ad Pontificem scriptæ, fidei professio ex scripto recitata, aliaque Romæ peracta. Ita pastores Ruthenorum ad Romanam Ecclesiam solemniter redierunt: at eo totum gregem ducere non potuerunt, quod multi schismatici nimis pertinaciter erroribus suis adhærerent.*

114 *Michaëli metropolitæ Catholico apud Kulczynskium anno* 1599 *suffectus legitur Hypatius Pociey, qui primus fuerat ex legatis ad Clementem VIII missis. Hunc tanto odio prosecuti sunt schismatici, ut unus illorum ipsum Vilnæ in medio foro occidere conatus sit, et graviter vulneraverunt. Obiisse dicitur anno* 1613 *egregius hic metropolita, eique suffectus Josephus IV, multis clarus certaminibus contra schismaticos, e quibus plusquam* 200000 *convertisse dicitur. Mors ipsius a Kulczynskio innectitur anno* 1635. *Celebravit anno* 1626 *concilium Kobrynense, quod Urbanus VIII anno* 1629 *approbavit, ut videri potest apud Kulczynskium in Appendice pag.* 54. *Schismatici ejus tempore alium sibi metropolitam Kioviensem aliosque episcopos elegerunt. Hosce autem cum protegerent Kosaci, Mosci, potentesque schismatici, sequentes metropolitæ Catholici, Raphaël Korsak anno* 1636 *electus, et Antonius Sielava, eidem anno* 1642 *suffectus, multa passi sunt, et parum pro unitis perficere potuerunt. Paulo felicior fuit Gabriël Kalenda, qui anno* 1664 *metropolita creatus dicitur, et rem Catholicam iterum utcumque promovit. Hujus vestigiis institit successor Cyprianus II, qui anno* 1776 *ad dignitatem metropoliticam evectus erat; et anno* 1705 *successorem habuit Leonem Lalenski, sub quo multa rursum passi sunt Rutheni Catholici. Successit deinde anno* 1713 *Georgius II, qui in quietiora incidit tempora. Leo II, Georgio suffectus, anno* 1720 *synodum celebravit, præsidente in ea nuntio Apostolico Hieronymo Grimaldo, quam confirmavit Benedictus XIII. Mortuo Leone II anno* 1728 *metropolita factus est Athanasius Szeptycki, qui Ruthenis unitis præesse pergebat, dum anno* 1733 *Opusculum suum vulgavit Kulczynskius.* E

AUCTORE J. S. et deinceps huc usque metropolitæ fuere Catholici,

cum episcopis sibi subjectis.

115 *Hic post catalogum metropolitarum, qui occupata per Mescos Kiovia, commorantur Vilnæ in Lituania, enumerat episcopos, metropolitæ suffraganeos, videlicet archiepiscopum Polocensem in ducatu Lituaniæ, Vladimiriensem in Volhinia, Luceoriensem in eadem provincia, Leopoliensem in Russia rubra; archiepiscopum Smolenscensem, cujus sedes per schismaticos occupata est; Chelmensem in Russia Rubra, Premysliensem in eadem provincia, ac demum Pinscensem in Lituania. Verum singulis episcopis hic* F *enumeratis alii quoque episcopatus subsunt, ita ut longe plures sint episcopatus quam episcopi. Hoc factum suspicor, quia multi Rutheni sequuntur ritum Latinum, quibus sui quoque sunt episcopi: nam numerus personarum ea divisione in singulis diœcesibus longe minor esse debet, quam foret, si omnes Catholici eumdem sequerentur ritum. Hæc de conversione et fidei vicissitudinibus in Russia ad usum maxime Operis nostri disserenda censui.*

INDEX

INDEX

SANCTORUM

AD TOMUM II SEPTEMBRIS.

A

B

tra

S

T

V

Z

INDEX

CHRONOLOGICUS

SECULO

NOTITIA

NOTITIA

FIGURARUM

Præter Operis Frontispicium, et plurimas minoris formæ figuras locis suis affixas, figuræ in folio aut majores hoc ordine ponuntur.

ACTA

A D

ACTA SANCTORUM

SEPTEMBRIS

TOMUS SECUNDUS

QUARTA DIES

SANCTI, QUI PRID. NONAS SEPTEMB. COLUNTUR.

Sanctus Moyses, propheta, dux et legislator populi Israelitici, in Nebo monte Arabiæ.

B **S. Candida a S. Petro apostolo conversa, Neapoli.**

S. Hermione, filia S. Philippi, Ephesi.

S. Marcellus M., prope Cabilonem in ducatu Burgundiæ.

S. Marcellus ep. et mart., Tungris vel Treviris in Germania.

S. Rufinus, S. Silvanus, S. Marcellus, S. Gaianus, S. Helpidius, S. Antoninus, S. Eusticus, S. Maximus, C **S. Eusebius, S. Gaianus alter, S. Vitalica, S. Gaison, S. Magnus, S. Castus, S. Saturninus, S. Donatus, S. Eleusus cum Sociis — martyres Ancyræ in Galatia.**

S. Theodorus, S. Oceanus, S. Ammianus, S. Julianus — martyres.

S. Marinus diaconus conf., patronus reipublicæ cognominis in Italia. E

S. Maurus, S. Salvinus, S. Arator — episcopi Virduni in Gallia.

S. Munessa vel Monessa virgo, in Hibernia.

S. Candida mulier conjugata, Neapoli.

S. Grata Virgo, ut fertur, Bergomi in Italia.

S. Fredaldus vel Frodoaldus ep. M., Mimate in Occitania.

S. Ida vidua, Hertzfeldii in episcopatu Monasteriensi.

B. Irmgardis Zutphaniæ comitissa, Coloniæ Agrippinæ. F

S. Rosalia Virgo anachoretis, prope Panormum in Sicilia.

S. Rosa virgo tertii Ordinis S. Francisci, Viterbii in Italia.

B. Benincasa Rapaccioli, Ordinis Servorum B.M.V. martyr, in Asia.

PRÆTERMISSI

A D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI

Sanctæ Theopistis virginis et martyris *meminit Ferrarius*, Romæ *eam adscribens in Catalogo generali, ubi in annotatis addit*, Ex tabulis ecclesiæ S. Martini in Montibus, ubi colitur et reliquiæ habentur. *At plura de hac Sancta non videtur cognovisse, cum illam non annuntiet in Catalogo Sanctorum Italiæ. Anastasius Bibliothecarius in Sergio II narrat multa Sanctorum corpora ad ecclesiam laudatam S. Martini translata, interque ea corpus* S. Theopistis *virginis et martyris. Non ignoravit ea Baronius, cum mentionem hujus translationis faciat in annotatis ad Martyrologium* XXVIII *Octobris*, S. Theopistem *vocans* Neopistem ; *nec tamen hujus Sanctæ memoriam Martyrologio Romano inseruit. Quapropter nobis etiam hæc* B *sufficient, præsertim cum plura de* S. Theopiste *ad notitiam nostram non pervenerint. Possunt videri etiam, quæ de* S. Neophyte *vel* Neopiste *dicta sunt die* IV Jan.

Babylas *magister cum octoginta quatuor Pueris apud Sirletum annuntiatur hodie post S. Babylam episcopum Antiochenum, tamquam ab eo distinctus. Menæa eumdem* Babylam *cum octoginta quatuor pueris Sociis longiori elogio exornant; et aliqua memorant, quæ, si vera sunt, distinguendus haud dubie est hic* Babylas *a synonymo episcopo, de quo ad* XXIV *Januarii actum. Quippe* S. Babylas *episcopus sub Decio passus ; alterius vero martyrum statuitur sub Maximiano, et videtur Nicomediæ attribui, cum episcopus passus sit Antiochiæ. Numerus quoque Puerorum sociorum maxime diversus est. Verumtamen Baronius in Annotatis ad* XXIV *Januarii unum dumtaxat agnoscit* Babylam *episcopum Antiochenum, et* Babylam *magistrum ab eo non distinguit. Baronii sententia, licet minime certa sit, mihi tamen admodum apparet verisimilis: nam in Menologio Basiliano, quod Sir-* C *letiano et Menæis est antiquius, unus tantum annuntiatur* Babylas *episcopus Antiochenus. Secundo Pueri socii utrobique* Babylæ *adjuncti suspicionem ingerunt confusionis, præsertim cum in elogio, quod* Babylæ *magistro in Menæis datur, quædam se offerant, quæ petita videntur ex Actis* S. Babylæ *episcopi. Locum unum accipe satis notabilem. Apud nos in primis Actis* S. Babylæ *episcopi num.* 8 *Sanctus ita loquitur :* Ecce ego et Pueri, quos dedit mihi Dominus. *Eadem sacræ Scripturæ verba cantasse in Menæis dicitur* Babylas *magister, dum ad supplicium ducebatur. Tertio* Babylas *Antiochiæ magister fuisse dicitur apud Sirletum et in Menæis, sicut* Babylas *episcopus Antiochiæ pueros instruebat; idque magis notandum est, quia in Menæis asseritur, accusatum fuisse apud Maximianum Nicomediæ agentem, acsi cum Pueris suis lateret in vicina crypta. Quis non videat, prorsus esse improbabile, magistrum Antiochenum cum Pueris, quos instruebat, prope Nicomediam in crypta fuisse absconditum? Quapropter vehementer suspicor* Babylam *hunc ludimagistrum ex solo errore natum esse apud Græcos recentiores, eique occasionem dedisse, quod* S. Babylas *episcopus Pueros instruxisse legatur : atque hæc suspicio augetur silentio Chrysostomi aliorumque Patrum, qui de* S. Babyla *episcopo egerunt. Porro duos non fuisse ejusdem nominis Antiochenos episcopos, jam probatum est in Historia chronologica patriarcharum Antiochenorum ante tomum* IV *Julii pag.* 16 *et sequentibus, ubi etiam Acta* S. Babylæ *vindicata sunt contra objectiones Tillemontii. Hanc igitur Historiam, et Acta* S. Babylæ *adeat studiosus lector, qui plura cupit* XXIV Januarii.

Thamel *idolorum primum sacerdos et deinde martyr annuntiatur hodie in Martyrologio Romano. Idem, quantum apparet, quatuor Sociis jungitur in Menologio Sirleti, quod ita* E *habet :* Eodem die, natalis sanctorum martyrum Petronii, Charitinæ, Zarbeli, Thatuelis et Bevææ, qui sub Adriano imperatore pro Christo sanguinem fuderunt: ex quibus Thatuël cum esset dæmoniacæ fallaciæ sacerdos, ab episcopo quodam Christiano ad Christi fidem conversus est : quamobrem. . . cum Bevæa sorore gladio consummatur. *Consentiunt Menæa hodie. Verum de his actum ad* XXIX *Januarii, quo die* Sarbelus *et* Bevæa *in Græcorum Fastis annuntiantur, uti et in Martyrologio Romano. Vide igitur quæ in* Sarbelio *et* Barbea, *a quibus* Thatuël *seu* Thamel *et* Bevæa *non videntur distingui, disputata sunt ad* XXIX Januarii.

S. Anatholii episcopi *memoria* Vesuntione *a Ferrario ponitur in Catalogo generali. Lege quæ de illo scripsimus* III Februarii.

Sancti Suicberti (*al.* Swiberti) episcopi Verdensis et confessoris canonizatio *annuntiatur a Greveno :* commemoratio *melius vocatur in Martyrologio Germanico Canisii, prout citari a nobis solet, cum* canonizatio *ista sit fabulosa : de qua tamen etiam agunt Wion,* F *Dorganius ac Menardus. Wion* factam *scribit* a Leone III Pontifice, Carolo Magno imperatore præsente, anno octingentesimo tertio, *Sed canonizationem illam esse apocrypham indicavimus jam pridem in Commentario prævio ad Vitam S. Ludgeri episcopi Mimigardefordensis* § 7 *et* 8, *ad diem* XXVI *Martii : de S. Swiberto etiam actum est ad diem* I Mart.

Translatio corporis S. Cuthberti Dunelmum hac die facta anno 991 *recolitur in Breviario Sarisberiensi, Missali antiquo Ms. Anglicano, et pluribus Martyrologiis Mss. et excusis. Historiam Translationis edidimus post Vitam S. Cuthberti* XX Martii.

S. Theodosiam *virginem et martyrem Cæsareæ in Palæstina annuntiat Ferrarius in Catalogo generali. De ea cum Martyrologio Romano actum est die* II Aprilis.

S. Robertus *Molismensis* adhuc in ventre matris existens beatissimæ Virgini desponsatur. *Annuntiatio est Kalendarii Cisterciensis, quod anno* 1617 *Divione excusum est. Desponsationem hanc pluribus refert Chalemotus in sua Serie. Videri potest apud nos Vita laudati hujus*

A *jus sancti abbatis cap.* I, *pag.* 669, *ad diem* XXIX Aprilis.

Vultanum *abbatem in Hibernia annuntiat Grevenus cum Florario nostro Ms., in quo tamen titulus* abbatis *omittitur. Non novimus hunc* Vultanum *aut* Ultanum *abbatem, nisi forsan idem sit cum* Ultano *abbate Hiberno, sed in Belgio defuncto, de quo actum est* I Maii

S. Veranus confessor apud Rhemenses in Gallia cum fratribus Gibriano, Petrano, et cæteris sanctitate clarus. *Annuntiatio est Camerarii lib.* 3 *de Scotorum pietate ad hunc diem, mittitque lectorem ad Flodoardum Historiæ Remensis lib.* 4 *cap.* 9, *et alios. Ad diem* VIII *Maii solum* S. Gibrianum *nominavimus ante Commentarium Vitæ ejus præmissum ; sed in ipsa Vita sub initium narratur venisse ex Hibernia in Gallias cum sex fratribus et tribus sororibus. Inter fratres autem et sorores ibidem nominatos, sunt* Veranus *ac* Petranus. *In Annotatis ad dictam Vitam scripsimus, necdum tunc nos legisse, an et quo die colatur* Petranus ; Veranum *autem referri a Ferrario*
B *et Saussayo* III *Decembris. De cæteris in eisdem Annotatis facta etiam est mentio. Flodoardi locus supra citatus inscribitur* de S. Gibriano et fratribus ejus. *Hæc vero, quæ ibidem narrantur contigisse post corpus* S. Gibriani *alio translatum, videntur indicare, cultu etiam aliquo, et forte publico honoratum fuisse* Veranum. *Res ibidem sic memoratur :* Denique postquam a præfato sepulturæ suæ *(membra)* sublata sunt loco, quædam mulier cæca, Erentrudis nomine, illo candelam deferens accessit impetrandæ causa medelæ. At comperto, sacrum corpus inde sublatum penitus esse, nimio angore affecta cœpit flendo conqueri, cur Sanctus hic Domini abinde se permisisset auferri, et cur deseruisset vicinos, quibus beneficia solitus erat præbere divina. Subveniri ergo sibi gemitibus exposcens, visum sibi est proficisci debere ad vicum Matusgum, ubi frater ejus sanctus quiescebat Veranus. Ad cujus sepulcrum candelam ponens, seque in oratione pro-
C sternens, cœpit flendo utrumque invocare fratrem. Dumque sancti nomen crebro repetit Gibriani, cœpit caligo albuginis ab oculis ejus abrumpi, sicque divina propitiante pietate prisco redonatur lumine. *Hæc jam pridem excusa apud nos in Historia translationis S. Gibriani ex Flodoardo, visum est, huc transcribere, et lectorem mittere ad diem, quem jam designavi,* VIII Maii.

S. Bonifacius IV *videtur annuntiari hodie in Auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum, quia additur :* Qui fanum Pantheon ecclesiam Christi fecit. *Puto tamen scriptorem illius Martyrologii potius errasse : nam passim in antiquis Martyrologiis Hieronymianis hodie occurrit Bonifacius I, qui Pantheon non dedicavit. At Pantheon dedicavit Bonifacius IV, cujus hodie memoria alibi non invenitur : sed celebratur die, quo et Acta ejus apud nos data sunt,* XXV Maii.

Herentrudis virginis *meminit Grevenus ac Martyrologium Ms.* Trevirense, *uti eidem prænotatur*, sancti Martini. *Si hæc sit eadem cum* Erentrude (*al.* Erendrude) abbatissa, *de cujus translatione actum est heri inter Prætermissos ; denuo lectorem mittimus ad diem* XXX Junii.

Aggei prophetæ *meminit Grevenus. Est in Martyrologio Romano, et apud nos cum Osea propheta ad diem* IV Julii. D

Octava S. Augustini episcopi *ponitur inter Auctaria Usuardi nostri ex Belino. De hac quoque agitur in Florario nostro Ms. et alibi. Sanctus hic spectat ad diem, quo Acta ejus illustrata sunt,* XXVIII Augusti.

Rhomæ, S. Scropiæ (*immo* Scrapiæ) virginis passio sub Adriano principe *memoratur in Martyrologio seu Viola Sanctorum, anno* 1508 *edita. Dedimus eam cum S. Sabina ad diem, quo hæc notatur in Martyrologio Romano,* XXIX Augusti.

S. Paulinus *Trevirensis episcopus annuntiatur hodie in plerisque apographis Hieronymianis. In Auctariis vero duobus Usuardi apud Sollerium citatis reperitur* Paulus *confessor, uti etiam habetur in Florario nostro Ms. Suspicor nomen* Paulini *in* Paulum *fuisse mutatum, ideoque de* S. Paulino *videri potest dies* XXXI Augusti.

MMMDCXXVIII Martyrum commemoratio, qui in montibus et speluncis Nicomediæ latentes, com- E
prehensi a Maximiano præside, plurimis tormentis traditi pro Christiani nominis confessione, mortem lætanti animo subierunt, *ex Menologio Græcorum, quod Latine reddidit Cardinalis Sirletus. Annuntiant etiam hosce Martyres Menæa magna Græca, et ex Latinis Ferrarius in Catalogo generali. Consule Prætermissos ad diem hesternum* III Sept.

Theotimum *et* Theodulum *annuntiat Menologium Sirleti his verbis :* Eodem die natalis sanctorum martyrum Theothimi et Theoduli, qui pro Christi confessione igne combusti sunt. *Consonant Menæa, in quibus ita memorantur :* Sancti Theotimus et Theodulus, qui ex lictoribus crediderant, igne consumuntur. *Adduntur hi versiculi :*

Θεότιμος τέθνηκε συνὶ Θεοδούλῳ
Τιμὴν σὺν αὐτῷ δουλικὴν δοὺς Κυρίῳ.
Theotimus occubuit cum Theodulo,
Honorem cum ipso servilem dans Domino.

Videntur hi desumpti esse ex elogio S. Hermiones ad hunc diem dando, ubi duo lictores dicuntur conversi, alter Theodulus, *alter* Timotheus *vocatus. Nominis autem* Timothei F
eadem significatio est ac Theotimi, *cum utroque significetur* colens *aut* honorans Deum, *ita ut hæc nomina facile potuerint confundi, præsertim cum nomina fortasse sint imposita solum ab eventu, uti innuit etiam nomen* Theodulus, *seu* servus Dei. *Verumtamen in elogio* S. Hermiones *non leguntur igne combusti, sed ipsa orante post conversionem mortui. Cum autem plura de hisce non sciantur, et hæc ipsa non satis videantur certa, tacente etiam Menologio Basiliano, satis futurum credidimus, si* Theotimum *et* Theodulum *hoc loco commemoraremus.*

Ultanum *episcopum Arbrecainensem in Hibernia die* IV *Septembris coli, variis locis asserit Colganus, sed id tam clare non probat, ut nullum nobis relinquat dubium. Certe Scriptores varii Hiberni eumdem laudant* Ultanum *sine titulo* Sancti, *nec ullum apud nos diligenti inquisitione invenimus, qui* Sanctum *nominavit. Accedit non levis dubitandi ratio, ex silentio variorum Catalogorum, in quibus recensentur Sancti Hiberniæ, sine ulla mentione* Ultani *Arbrecainensis. Hac de causa roga-*

A vimus RR. Patres Minoritas Hibernos, qui schedas Colgani servant Lovanii, ut diligenter inquirere dignarentur, an in iis Vita hujusce Ultani episcopi, aut alia sanctitatis ejus monumenta reperiri possent. At quantamcumque diligentiam præstiterint humanissimi Patres, nihil repertum est inter relicta a Colgano monumenta. Ultanum igitur prætermittimus, eum libenter daturi, ubi certiora de sanctitate et cultu ejus ad manum fuerint documenta.

Agaton et Ammon et Amonius, Petrus et Johannes, v Martyres cum matre Rafica *habentur in Fastis sacris ecclesiæ Æthiopicæ apud Jobum Ludolfum inter alia Æthiopica, quæ edidit. Hos etiam tamquam sanctos Martyres intexit Martyrologio suo universali Castellanus. De legitimo eorum cultu et gestis edoceri cupimus.*

Catharinæ Mathæi *Vitam ad* iv *Septembris cum titulo* Beatæ *Sacro suo Diario Dominicano inseruit Marchesius, eam a patria nominans* Catharinam de Raconisio. *Verum cum obierit anno*
B 1547 *die* iv *Septembris, de cultu legitimo et satis diuturno ante decretum Urbani VIII merito dubitamus.*

B. Simonis abbatis, Caziaci Ordinis Benedictinorum et postmodum monachi Cisterciensis *memoriam annuntiat* in Clara Valle *Henriquezius in Menologio Cisterciensi: at cum nulla publicicultus argumenta proferat in annotatis, ad elogium ab eo concinnatum remittimus lectorem.*

B. Friderici Aystettensis episcopi *idem meminit* Waldsassii in Germania, *sed cultum legitimum nihilo magis probat.*

S. Julianum *martyrem Romæ annuntiat Bosca in Martyrologio Mediolanensi, asseritque corpus ipsius servari* Ciserani *in diœcesi Mediolanensi. Consule dicenda de eo ad hunc diem in* SS. Oceano, Theodoro, Ammiano et Juliano.

S. Prosperam *virginem et martyrem,* cujus corpus Mediolani in ecclesia sanctæ Radegundæ colitur, *Romæ annuntiat idem Bosca in Martyrologio Mediolanensi.* Prosperam *vero cum in nullis Martyrologiis inveniam, suspicor corpus Sanctæ alicujus anonymæ e cryptis Ro-*
C *manis acceptum esse, nomenque tunc inditum.*

Eleuterius *episcopus memoratur in Kalendariis aliquot, verisimiliter ab alio die huc translatus: plures enim sunt istius nominis sancti episcopi.*

Justinus *etiam nescio quis in Kalendariis occurrit, haud dubie jam alio die memoratus aut memorandus.*

Franconis *episcopi Wormatiensis hoc die defuncti mentio facta est in Prætermissis ad* xv *Aprilis ad vocem* Frontonis. *Laudatur ubique* Franco *a pietate et prudentia; sed de cultu ipsius nihil hactenus invenimus.*

Musæum *presbyterum Massiliensem, laudatum a Gennadio in Catalogo de scriptoribus ecclesiasticis, ut virum scientia Scripturarum conspicuum seculo* v, *ut* Sanctum *celebrat Grevenus et post eum Ferrarius in Catalogo generali, Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani ac Castellanus in Martyrologio universali. At nos de cultu ecclesiastico ipsius nihil novimus.*

Dedicatio ecclesiæ S. Mariæ, impp. Valeriano et Gallieno *signatur* Leontinis *apud Caietanum in Martyrologio Siculo, quod excusum* D *est in Idea Operis de Vitis Siculorum Sanctorum etc.*

S. Auxiliam, *nescimus quam,* in Burgundia *annuntiat hodie Castellanus, quam ait* coli ut virginem et martyrem Tilli * et Presciniaci * *in diœcesi Augustodunensi. Gratum erit, si quis eruditus Gallus plura nos docere poterit de hac Sancta.*

* Thil * Precy

Stephanam a Seraphino, *Ordinis S. Francisci de Paula, cum titulo Beatæ annuntiat* Panormi in Sicilia *Arturus in Gynecæo. Verum dum ait eam obiisse anno* 1586, *nec ullam de cultu publico mentionem facit, satis ipse insinuat omittendum fuisse* Beatæ *titulum.*

Petrum de Almanaco *defunctum* in Gallicia, *et* Maschium Aquilanum *subinde etiam* Thomasium *dictum, et mortuum Aquilæ in Vestinis, ambos Ordinis Minorum fratres laicos,* beatos *suo more vocat Arturus in Martyrologio Franciscano. Hueberus vero in Menologio utrumque piis accenset: iisque alios jungit viros præclaros et insignes ejusdem Ordinis, nimirum* Robertum Caracciolum *episcopum Aquinalem,* Franciscum a Regibus Talabricæ in Hispania E *mortuum, et* Henricum Seyfridum Oenobrigæ in Tyroli. *Addit quoque* Mariam de Jesu *Ordinis S. Claræ, quam miris exornat laudibus. Plura de hisce omnibus ibidem videri possunt.*

In civitate Bruxellensi sanctorum confessorum pariterque pontificum Constantii, Aloë et Jannes. *Annuntiatio est in Additionibus Cartusiæ Bruxellensis Mss. ad Usuardum Greveni. Non determinatur locus, ubi Bruxellis* Sancti *isti, ut vocantur, vel eorum reliquiæ existant. Unde fit, ut ulterior de eisdem notitia ibidem acquiri non facile possit, aliunde mihi ignotis.*

Simpliciolæ virginis et Gallæ matris ejus *annuntiatio ponitur a Greveno* in Aphrica, *de quibus etiam mentio fit in Martyrologio Germanico, quod nomine Canisii citari solet. Nec plura de his scimus.*

Venerabilis Maria-Lumaca, relicta (*id est*, vidua) Francisci Pollalionis equitis, institutrix Filiarum Providentiæ: quæ, nulli rei parcens, impendit se usque ad mortem studio indefesso ad subducendas periculo puellas, *annuntiatur a Castellano* Parisiis, *apposito anno* 1657. *Vita Gallice scripta* F *legitur in Anno Dominicano part.* i *Septembris pag.* 123 *et sequent.*

Guilielmus Goudanus, Ordinis S. Francisci, pro fide Catholica martyrium passus cum milite, per Comitem Lummæum, *annuntiatur cum titulo* Beati *a Castellano* in Monte sanctæ Gertrudis (*vulgo* Geertruyden-Bergh) apud Bredam in Hollandia. *Acta ejus habentur apud nos die* ix *Julii in Appendice ad historiam Martyrum Gorcomiensium a pag.* 835. *Auctores plures alios assignat Arturus in notis ad diem* iv *Septembris, qua in Martyrologii sui textu eum memorat cum titulo* beati Martyris. *Ad* Comitem Lummæum *quod attinet; consuli de illo potest historia Martyrum Gorcomiensium tomo citato pag.* 737, *ubi vocatur* Comes a Marca, Lumæi dominus. *Plura insuper de illo dantur ibidem a pagg.* 786 *et* 832. *De hodierno autem pugile* Guilielmo *videri possunt hac die Raissius in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii Joannis Molani, et Hueberus in Menologio Franciscano, qui cum sine titulo* Beati *annuntiant. Eos imitamur*

A mur et nos, quamdiu non constiterit nobis de publico ac legitimo ejus cultu.

Ammonii discipuli Origenis episcopi et confessoris *meminit Florarium nostrum Ms. Notus est Ammonius Origenis magister apud Eusebium Ecclesiasticæ historiæ lib.* 6 *cap.* 19 *pag.* 220 *editionis Valesianæ; discipulum vero ejusdem hoc nomine non novi: de cujus etiam sanctitate ac episcopatu nihil comperti habeo. Gratum fuerit, si quis plura nos possit docere.*

S. Antonius Hungarus M. *memoratur hodie in Acie bene ordinata Philippi a Visitatione Ordinis Carmelitici. Auctor quoque annotationes hasce Mss., nobis communicatas, adjunxit.* S. Antonius Hungarus Carmelita, visitans Terram sanctam, in Turciam ab infidelibus tractus, in igne illæsus mansit, ac tandem pro Christo capite plectitur circa annum MDXCIX, ab immemorabili tempore cultus cum sanctitatis titulo. *Historiam illam discutere non est necesse: verum non intelligimus, quo modo laudatus scriptor invenire potuerit cultum immemorabilem, si Antonius occisus sit circa annum* 1599. B *Merito igitur in Kalendario Carmelitico, quod ipsorum Breviario præfigitur, omittitur* Antonius.

Emmanuel rex C. *ibidem mox subjungitur. Hæ vero deinde annotationes dantur:* V. Emmanuel Eduardi Portugalliæ regis filius, in Carmelo Ulissiponensi cum B. Nunnio Pererio consanguineo suo religiosus, vitam sanctissimam terminabat anno MCDLXXXI. *Non capio, cur* Emmanuel *nominetur* rex, *cum regis solum fuerit filius, ac ne legitimo quidem thoro natus. Varia ipsius officia recenset Lezana in Annalibus Ordinis ejusdem tom.* 4 *pag.* 856.

S. Chagnoaldum *episcopum Laudunensem annuntiant hodie Castellanus et Martyrologium Parisiense, atque ideo apud nos huc fuit remissus a* XXIII *Augusti, quo item memoratur. Verum plures testantur hunc Sanctum coli die* VI Septembris.

B. Thesaurus Beccheria *abbas generalis Ordinis Vallis Umbrosæ (cujus cultus uti et aliorum ejusdem Ordinis Beatorum, probatus est tom.* I *Augusti pag.* 101 *et seq.) memoratur hodie a Wione, Menardo, et Ferrario; at Vallumbrosani asserunt beatum Martyrem occisum esse die, quo de ipso agetur,* XII Septemb. D

C

Theodoli, Mauritii et Sociorum ejus translatio *Seduni annuntiatur in Auctariis Usuardi apud Sollerium. Tres reperiuntur episcopi Octodurenses, seu Sedunenses, qui* Theodori *seu* Theoduli *nomine insigniuntur, et cultu gaudent, ut probatum est in S. Theodoro I ad* XXVI *Augusti. At cum Theodorus II adfuisse dicatur translationi S. Mauritii martyris et Sociorum ipsius, ut relatum est in S. Theodoro II ad* XXV *Augusti, suspicor hic tantum agi de translatione Mauritii et Sociorum, de quibus cum Martyrologio Romano agemus ad diem* XXII Septembris.

S. Chaletricum *Carnotensem episcopum annuntiant hac die, qua obiit, Castellanus et Martyrologium Parisiense: nos vero de eo agemus die, qua colitur* VIII Octobris. *Vide Append. ad Tom.* VIII *Septemb. pag.* 770 *not.* IV.

Justus *puer et martyr Bellovacensis memoratur hodie in Florario nostro Ms., et in aliis quibusdam Fastis; sed de eo agemus cum Martyrologio Romano* XVIII Octobris. E

Martyres *infinitos Casini occisos a Saracenis tempore S. Bertharii abbatis annuntiant Wion, Menardus, aliique in Fastis Benedictinis; at illorum cultum non probant. Historia tamen dari poterit in* S. Berthario *abbate et martyre, quem Mabillonius Sec.* 4 *Benedict. part.* 2 *pag.* 467 *coli testatur die* XXII Octobris.

S. Bonifacius *Papa I in Hieronymianis, aliisque Fastis pluribus memoratur hac die. Cum Romano Martyrologio de eo agemus* XXV Octob.

In Britanniæ finibus translatio sancti Berini episcopi et confessoris, *signatur in Auctariis ad Usuardum nostrum, cum elogio ejusdem Sancti; ibidem etiam sic laudatur ex Greveno:* In Anglia, commemoratio sancti Birini episcopi Dorcacensis et confessoris: *de quo etiam meminit Martyrologium Germanicum, quod sub nomine Canisii citari solet. Habetur in Martyrologio Romano Sanctus ille episcopus Dorcestriensis die* III Decembris.

S. Barbaræ *translatio reperitur hodie in auctariis Usuardi apud Sollerium. Memoria sanctæ hujus Virginis et martyris in Romano est* IV Dec.

F

A D

DE S. MOYSE PROPHETA, DUCE

ET LEGISLATORE POPULI ISRAELITICI

IN NEBO MONTE ARABIÆ

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Memoria Sancti in Fastis sacris, et cultus ecclesiasticus : monumenta præcipua, ex quibus hic Commentarius concinnandus.

B

Memoria Moysis annuntiata die IV *Septembris,*

Sanctissimi *Prophetæ et Legislatoris Hebræorum memoriam die* IV *Septembris præcipua annuntiant Martyrologia, cum Latina tum Græca, exceptis tamen Hieronymianis, Beda et Rabano. Vetus seu parvum Romanum breviter sic habet :* Moysis prophetæ, *atque eadem brevitate usi sunt Ado, Usuardus et Notkerus. Prolixiori elogio* Moysen *exornat Wandelbertus in hunc modum :*

Legis divinæ lator, susceptor et auctor,
Colloquio visuque Dei dignate frequenti,
Præcelso pridie * tumularis monte Moyses;
Nulli post licuit cujus cognoscere bustum.

* *i. e.* pridie Nonas

Locus mortis additur in hodierno Romano his verbis: In monte Nebo terræ Moab sancti Moysis legislatoris et prophetæ. *Ex Græco Menologio unum addo elogium, quale illud Latine redditum est in nuperrima editione eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani :* Moyses propheta et legislator patre Hebræo natus in Ægypto est. Hunc, cum Pharao rex Ægypti præcepisset, ut Hebræorum gentis masculi quidem infantes interimerentur, feminæ vero servarentur, C mater fiscella inclusum in fluvium projecit. Sed cum Pharaonis filia, ut lavaretur, ad flumen venisset, fiscellam conspicata, et infantem in illa plorantem, eum in filium sibi adoptavit, instituendumque omni Ægyptiorum scientia curavit. Adulto apparuit Deus, mandavitque, ut Hebræorum populum ex Ægypto educeret. Cum igitur populum eduxisset, et multa signa atque prodigia edidisset, mareque medium scidisset, perque aridam transiisset; petram etiam virga percutiens, aquas inde elicuisset; quadraginta demum annos militiæ præfuisset; annis ante Christi Resurrectionem mille quadringentis octoginta quinque mortuus est, sepultusque in quodam eremi monte a Michaële magno militiæ Dei principe.

et aliis quoque diebus :

2 *Conspirant in eumdem diem Menæa, aliique Fasti Græci; uti et Ephemerides Græco-Moschæ, ante tomum* I *Maii editæ, Synaxarium Ruthenorum Ms., Martyrologium Arabico-Ægyptium, quod Latinum fecit Gratia Simonius. At Coptorum Ægypti et Æthiopum regni Habessinorum Fasti, cum editi apud Jobum Ludolfum, tum apud nos manuscripti, memoriam* Moysis *prophetæ annuntiant die* VIII *Septembris. Kalendarium Syriacum seu Chaldaïcum* Moysis, principis prophetarum *meminit die* V *Augusti.* Moysen *quoque una cum Aarone et Elisæo die* XX E *Julii commemorarunt* Synaxarium Ms. membranaceum Sirmondi, codex Taurinensis Ms. b ducis Sabaudiæ, ac Martyrologium Arabico-Ægyptium, *jam ante laudatum, uti Majores nostri observarunt in Prætermissis ad eumdem diem. Latini quoque aliqui alios dies* S. Moysi *attribuerunt, videlicet* XXVI *Februarii,* I *et* XII *Martii et* V *Augusti, quemadmodum ad dies singulos annotatum est in Prætermissis.*

cultus Hierosolymæ et Venetiis, ubi ecclesia magnifica, et antiqua :

3 *Officio ecclesiastico* S. Moyses *colitur tam in Oriente quam in Occidente. Waddingus in Annalibus Minorum tom.* I *pag.* 499 *ad annum* 1342 *dedit Kalendarium festorum propriorum ecclesiæ Hierosolymitanæ, in quo ad diem* IV *Septembris festivitas* S. Moysis *præscribitur hisce verbis:* S. Moysis prophetæ et confessoris duplex. *Venetiis in ecclesia patriarchali colitur eodem die Officio semiduplici, uti disco ex variis ejusdem ecclesiæ directoriis. At majori ibidem solemnitate* S. Moysis *festivitas celebratur in ecclesia eidem sacra, quæ parochia est presbyterorum et plane magnifica. Sacram hanc* S. Moysi *ædem describit nuperus auctor in Thesauro antiquitatum et historiarum Italiæ tom.* 5 *part.* 2 *pag.* 15, *ex quo nonnulla huc transfero :* Anno Salutis DCCXCVI nobilissimæ F Scopariæ familiæ cura et impensis in S. Mosis honorem hocce templum erectum fuit, ac post longinquum temporis spatium a familia Viara * restauratum. Anno vero MDCXXXVII parochianorum eleemosynis, adjuvante D. Antonio Abrahamo ejusdem ecclesiæ parocho ac plebano meritissimo, a fundamentis reædificatum, ac in amplam et augustam formam redactum est... Hoc in templo septem magnifica altaria posita sunt : quorum præcipuum altare majus, ultimo completum,... habet e marmore Veronensi montem, in quo Moses tabulas Legis a Deo accepit, Mosis vero figuram ex albo Carrariæ marmore. Ibidem etiam opere anaglyptico insculpta est de vituli adoratione historia... In chori sedilibus, nuceæ materiæ, anaglyptici operis, tota S. Mosis Vita descripta est. In lacunari vero templi adest Mosis effigies, aquam virga e lapidibus educentis. *Reliqua ecclesiæ ornamenta, quæ brevitatis causa prætermitto, unaque expressam ipsius formam ibidem curiosus lector inveniet.*

* Venieria secundum alios

4 *Non*

Monasterium olim in monte Thabor eidem verisimiliter dicatum :

A 4 *Non minus antiqua fuit ecclesia in monte Thabor* Moysi *erecta, si una ex tribus, ibi olim ædificatis,* Moysi *sacra fuit, uti credunt aliqui. De hisce Beda de Locis sanctis cap.* 17 *habet sequentia :* Mons Tabor in medio Galilææ campo, in tribus milibus manans ad Boream a Chenezareth distat, ex omni parte rotundus, herbosus valde et floridus, altitudine triginta stadiorum. Vertex ipse campestris et multum amœnus viginti et trium stadio * dilatatur, ubi grande monasterium grandi quoque sylva circumdatur, tres ecclesias habens, juxta quod Petrus ait, Faciamus hic tria tabernacula. Locus muro cinctus, grandia gestans ædificia. *Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ pag.* 143 *ait a S. Helena ibi templum ædificatum in memoriam Christi transfigurationis, Petro, Jacobo et Joanni dicatum :* Huic templo, *inquit*, accesserunt postea duo monasteria, ut hic essent quasi tria, ex D. Petri desiderio, tabernacula. Quorum unum invenio fuisse Græcorum, atque D. Eliæ consecratum : verisimile est, alterum fuisse Moysi dedicatum : utrumque autem videtur habuisse abbatem. Nunc trium horum templorum, et per B ambitum planitiei.... aliorum palatiorum, turrium, nobilissimorumque ædificiorum grandes tantum visuntur ruinæ, in quibus leones aliæque feræ latent. *De hisce etiam aliqua dicta sunt in Commentario de S. Job propheta tom.* VII *Maii pag.* 670.

* spatio

mesquita Turcarum ejusdem nomine insignita, forsan quod fuerit Christianorum ecclesia.

5 *Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ lib.* 6 *cap.* 3 *narrat* in medio fere viæ inter Jerusalem et Jordanem *reperiri mesquitam* Turcarum, quæ S. Moyses appellatur, quam illi in magna habent veneratione. Illo autem nomine insignitam esse dicunt, quoniam S. Moysem veteris Legis promulgatorem ibi tumulatum credunt. *Ubi vero observavit, rationem illam esse falsam, nominis hasce dat conjecturas,* Vel quia a fidelibus ibi ecclesia ædificata fuit ad honorem S. Moysis legislatoris, vel alterius Sancti eodem nomine nuncupati *etc. Prima conjectura satis apparet verisimilis, quia dubitare non possumus, quin variæ ecclesiæ* S. Moysi *fuerint erectæ, et maxime in Palæstina. Verum illas omnes investigare majoris esset laboris quam utilitatis. Quapropter hæc sufficiant de cultu Sancti Le-* C *gislatoris apud Christianos, ut ad gesta ipsius colligenda et elucidanda progrediamur, ubi assignaverimus præcipuos fontes, ex quibus illa colligemus.*

Tota Moysis Vita ex sacris Litteris deducenda ;

6 *Præcipua* S. Moysis *gesta descripsit ipse Propheta, inspirante et dirigente Spiritu sancto, in quatuor posterioribus libris Pentateuchi. Accedunt et alii sacræ Scripturæ libri, in quibus de* Moyse *ejusque gestis agitur, quique non minus ex inspiratione S. Spiritus fuere conscripti. De omnibus autem illis, quæ de* Moyse *narrantur in sacris Litteris, nefas est dubitare : at non omnia tam clare enarrata sunt, nec omnia eo ordine conjuncta, ut cuilibet facile sit, totam* S. Moysis *Vitam ex sacra Scriptura discere, etiamsi doctorum interpretum adhibere velit subsidium. Porro, quamvis non omnes res gestæ* Moysis *in sacris Litteris narratæ sint ; de omni enim illo tempore, quo vixit in aula regis Ægyptii, perparum commemoravit Scriptura sacra, et alia non pauca breviter dumtaxat perstrinxit : tamen sacræ Litteræ non exiguam præbent materiam ad Vitam* Moysis *conscribendam, modo omnia suo ordine collocentur, et obscuriora elucidentur Sanctorum Patrum aliorumque sacræ Scripturæ interpretum subsidio. Hac de causa eo me collimaturum profiteor, ut monumenta illa sacra ordine digerantur, ac nonnihil elucidentur, ubi videbitur necessarium. Vita igitur* Moysis *ex ipsis sacræ Scripturæ verbis ea brevitate colligetur, ut facta ad ipsum non spectantia omittantur, et quæstiones de gestis ipsius illustrentur.*

Philo quoque et Josephus seorsum examinandi : ac demum edenda Vita Nysseni.

7 *Cum autem de* Moyse *etiam non pauca scripserint duo auctores Hebræi non prorsus contemnendi, nimirum Philo Judæus de Vita* Moysis, *et Flavius Josephus in Antiquitatibus Judaicis, illorum etiam rationem habebo. Uterque enim non modo laudatur a S. Hieronymo in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum ; sed uterque etiam magni semper fuit habitus. Falsa quidem illi scripserunt non pauca, et sacris Litteris repugnantia ; at vera etiam plura tradiderunt, atque aliqua habent in sacris Litteris omissa, quæ, etsi certa non sint, probabilia tamen apparent. Hac de causa eorum asserta non miscebo cum verbis sacræ Scripturæ : sed post aliquam vitæ partem ex sacris Litteris expositam, separato paragrapho disquiram, quam probabilia aut improbabilia sint, quæ Philo et Josephus, aliive scriptores similes, de* Moyse *narraverunt.* E *Hac methodo nec sacra et certa miscebuntur profanis et incertis ; nec omittentur illa, quæ scriptores non sacri aliunde discere potuerunt. S. Gregorius Nyssenus Vitam* Moysis *breviter quoque conscripsit. Hanc Vitam intactam in Commentario relinquam, sed totam Commentario subjiciam, divisam de more et annotatis illustratam.*

§ II. Sancti natales et genealogia, parentes, frater et soror : occultatus tribus mensibus exponitur ; ac inventus a filia Pharaonis, matri suæ, ut nutrici, committitur : deinde adultus filiæ Pharaonis redditur.

Persecutio contra Israëlitas in Ægypto,

F Natus est S. Moyses *parentibus Hebræis in Ægypto, dum Israëlitæ, seu posteri Jacobi patriarchæ, durissima servitute ibidem premebantur a Pharaone ; qui paulo ante præceperat, ut omnes eorum infantes masculi, simulac mundo dati essent, statim occiderentur. Notum autem est ex sacris Litteris, Jacobum patriarcham in Ægyptum venisse cum omni sua familia, dum filius ipsius Josephus patriarcha summa ibidem potentia et gratia florebat apud regem Pharaonem. At mortuo Josepho omnibusque Jacobi filiis ; mortuis etiam regibus illis, qui Josephum magni fecerant atque ipsius gratia Israëlitas foverant, paulatim erupit gravissima persecutio contra Israëlitas, quod illi sic multiplicarentur, ut timorem ingererent novo regi Pharaoni. Occasio persecutionis ipsaque persecutio sic narratur Exodi cap.* I : Quo *(Josepho)* mortuo, et universis fratribus ejus, omnique cognatione illa, filii Israël creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt : ac roborati nimis, impleverunt terram. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph : et ait ad populum suum : Ecce populus filiorum Israël multus,

AUCTORE J. S.

tus, et fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne forte multiplicetur : et si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terra.

qua præcipitur, ut occidantur eorum infantes masculi:

9 Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus : ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom et Ramesses. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant : oderantque filios Israël Ægyptii, et affligebant illudentes eis : atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur. *Porro cum rex ille,* qui ignorabat Joseph *(id est, qui non considerabat beneficia, a Josepho Ægyptiis præstita) videret dura illa servitute non minui Israëlitas; primo conatus est eorum infantes masculos per obstetrices occidere, ut ibidem sequitur. Verum deceptus ab obstetricibus, legem dedit, quam* Moyses *sic ibidem exponit :* Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens : Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite : quidquid feminei, reservate. *S. Lucas Act. cap. 7 ex ore S. Stephani de iisdem brevius sic habet :* Cum autem appropinquaret tempus promissionis, ... crevit populus et multiplicatus est in Ægypto, quoadusque surrexit alius rex in Ægypto, qui non sciebat Joseph. Hic circumveniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur. Eodem tempore natus est Moyses *etc. Quo anno creati mundi, aut ante natum Christum hæc facta sint, non disquiro; nec quis fuerit ille Ægypti rex, qui primus illam persecutionem movit : nam a quæstionibus ad generalem chronologiam spectantibus abstinere statui, ne Commentarius hic fiat justo prolixior.*

B

genealogia Moysis, *qui tunc natus et tribus mensibus occultatus,*

10 *Parentes* Moysis *fuerunt Amram et Jochabed; frater vero natu major Aaron, et soror ante Aaronem nata Maria. Ortus fuit ex tribu Levitica, atque avum habuit Caath, proavum Levi, abavum Jacob, atavum Isaac, ita ut septimus fuerit ab Abrahamo patriarcha. Traditur* Moysis *genealogia lib.* I *Paralip. cap.* 6 *his verbis :* Filii Levi : Gerson, Caath et Merari. Filii Caath : Amram, Isaar, Hebron, et Oziel. Filii Amram : Aaron, Moyses, et Maria. *Exodi cap. 6 post traditam Amrami genealogiam, uxor ipsius sic exprimitur :* Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam : quæ peperit ei Aaron et Moysen. *Num.* 26 ℣ 59 *Amram dicitur habuisse* uxorem Jochabet filiam Levi. *At, cum hic dicatur patruelis Amrami,* filiam Levi *interpretes passim exponunt* natam *e tribu Levitica : nam alias fuisset non patruelis, sed amita Amrami. De Amramo et Jochabetha agitur Exodi 2, ubi natales* Moysis *sic referuntur una cum iis, quæ secuta sunt :* Egressus est posthæc vir de domo Levi; et accepit uxorem stirpis suæ : quæ concepit et peperit filium : et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. *Factum hoc laudat Apostolus ad Hebræos cap.* XI ℣ 23, *et parentum fidei attribuit hoc modo :* Fide Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum. *S. Stephanus apud Lucam Act. 7 de his sic loquitur :* Eodem tempore natus est Moyses, et fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui.

C

11 *Attamen deinde expositus est Puer, quod amplius celari non posset, uti* Moyses *ipse narrat Exod. 3, præcedentibus subjungens ista :* Cumque jam celare non posset *(Filium suum Amram,)* sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine ac pice : posuitque intus Infantulum, et exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore ejus, et considerante eventum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine : et puellæ * ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis : et allatam aperiens, cernensque in ea Parvulum vagientem, miserta ejus, ait De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror Pueri, *(Maria videlicet, quæ antea e longinquo spectaverat, et hac de causa accesserat)* Vis, inquit, ut vadam, et vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit Infantulum? Respondit : Vade. Perrexit puella, et vocavit matrem suam. Ad quam locuta filia Pharaonis : Accipe, ait, Puerum istum, et nutri mihi : ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier *(Jochabed nimirum mater)* et nutrivit Puerum : adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses, dicens : Quia de aqua tuli eum *Rursum brevius S. Stephanus Act. 7 his verbis :* Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum *(ope nutricis)* sibi in filium. *Hactenus de primordiis* Moysis *ex sacris Litteris. Nunc examinemus, quænam hisce adjuncta sint a Philone, Josepho, aliisque : at ea solum, quæ ad* Moysen *proxime spectant.*

D

tandem ad ripam fluminis exponitur, ubi inventus a filia Pharaonis, matri nutriendus datur.

* *i. e.* famulæ

E

§ III. Discutiuntur, quæ de primordiis Moysis Scripturæ addiderunt Josephus, Philo et alii.

Persecutio contra Hebræos : ratio, cur Pharao infantes masculos occidi jusserit :

F

Flavius Josephus, lib. 2 *Antiquitatum Judaïcarum cap.* 5 *magis explicat, quibus laboribus Ægypti rex Israëlitas opprimere studeret, sic scribens :* Nam et flumen in multas fossas diducere sunt jussi, et mœnia exædificare, et aggeres exstruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam insanis substructionibus vexabant gentem nostram, cogendo varias artes ediscere, et laboribus ferendis assuescere. *Hæc S. Scripturæ non sunt contraria, sed probabiliter addita. At falsum est, quod ait* per quadringentos annos *hoc modo pressos fuisse Hebræos. Rationem deinde reddere conatur, cur Pharao omne Hebræorum genus masculinum occidi jusserit, ita prosecutus :* Exortum est deinde aliud quiddam, cur genus nostrum magis etiam cuperent exstinctum. Quidam ex eo genere hominum, quos gens illa vocat sacrorum scribas, quorumque prædictionibus multum tribuit, prænunciat regi nasciturum per id tempus apud Israëlitas quemdam, res Ægyptiorum olim graviter afflicturum, si modo ad ætatem adultam pervenerit: nam et virtute fore præcellentissimum, et gloria per omne ævum celebrem.

quam allegat Josephus, refutatur :

13 *Hæc sane prædictio, si vera est, poterat tyrannum ad infantium cædem facile impellere. Verum prædictio fictitia videtur, cum S. Scriptura pro omni ratione persecutionis alleget invidiam et formidinem Pharaonis, ex nimia Israëlitarum multiplicatione ortam, atque huic videtur*

A *tur attribuere tres persecutiones distinctas, quæ omnes tendebant ad minuendum Hebræorum numerum. Harum prima erat oppressio per labores arduos et continuos. Altera præceptum obstetricibus datum de infantibus masculis occidendis. Cum autem hæ artes non sufficerent, et vel sic multiplicaretur gens Hebraïca; tyrannus ad præceptum publicum confugit, illudque* omni populo suo *dedit, ut masculi Hebræorum infantes* in flumen *projicerentur : quæ erat persecutio tertia. At non est consilium contra Dominum : ne hoc quidem modo Israëlitæ multum fuere diminuti, uti patet ex multitudine maxima, quæ deinde cum* Moyse *Ægypto egressa est, ita ut verisimile sit crudele istud edictum non fuisse scrupulose observatum, aut certe non diu viguisse.*

uti et visio Amrami ab eodem parum probabiliter scripta,

14 *Mox alteram prædictionem de* Moyse, *Amramo patri factam, prolixe enarrat Josephus. Huic oraculo credunt aliqui favere verba Apostoli ad Hebræos cap.* XI ℣ 23, *quia asseritur* fide occultatus. *Afferuntur etiam S. Stephani verba Act.* 7 ℣ 25, Existimabat autem intel-B ligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis, *ut hisce oraculo fides concilietur. Verum neutra probatio mihi tam efficax apparet, ut oraculum istud, rescissis etiam superfluis, pro certo habere ausim. Quippe Apostolus rationem absconditi* Moysis *allegat eamdem plane, quam ipse allegaverat* Moyses *Exod.* 2 ℣ 2, *ubi ait :* Et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. *Apostolus vero :* Occultatus est tribus mensibus a parentibus suis, eo quod vidissent elegantem Infantem. *Ratio igitur absconditi Infantis non fuit oraculum, quo nixi parentes credebant eum servandum; sed elegantia Pueri plusquam humana eorum fidem sic excitavit, ut sperarent servari posse, et tribus mensibus absconderent. Audiamus S. Chrysostomum Hom.* 26 *in Epistolam ad Hebræos, ubi locum explicat :* Unde ergo speraverunt ii *(parentes* Moysis) fore ut servarent infantem? Ex fide. Ex qua fide? Viderunt, inquit, et scitum Infantem. Ipse aspectus eos attraxit ad fidem. Ita statim ab initio, et ex ipsis fasciis Justo multa infusa erat gratia, non hoc efficiente natura, sed Deo. *Favet S. Stephanus Act.* 7
C ℣ 20, *dicens de* Moyse *nato :* et fuit gratus Deo. *Græce :* ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *id est,* erat pulcher Deo *per Hebraïsmum, qui sic exponendus :* Erat summa ac divina quadam gratia seu pulcritudine. *Quod spectat ad verba laudata S. Stephani : neque hæc mihi videntur Josepho efficaciter favere : nam occidendo Ægyptium dabat Israëlitis occasionem sperandi, se ipsius ope liberandos. Sic locum rursus explicat Chrysostomus Hom.* 16 *in Acta, hæc scribens :* Atqui operibus *(cæde Ægyptii)* patrocinium demonstrabatur, neque erat ratiocinio opus : neque tamen sic intellexerunt. *Expositio hæc clare eruitur ex verbis sequentibus : nam post data verba,* Existimabat autem intelligere *(id est, intellecturos,)* fratres *etc. mox subditur :* At illi non intellexerunt; *id est, ne visa quidem Ægyptii occisione, intellexerunt,* Moysen *sibi ad salutem datum.*

qua ei conservatio et futura nascituri Moysis magnitudo prædicta asseritur :

15 *Quapropter nec opus fuit oraculo aliquo, ut Amram* fide *occultaret filium, nec ut* Moyses *existimaret, intelligere Hebræos, quod Deus vellet ipsis per manum suam dare salutem. Visionem tamen illam, tamquam minus probabilem, et auctoritate sacræ Scripturæ destitutam, pro majori parte ex Josepho subjungam, quia scriptores non pauci eamdem utcumque admiserunt :* Amarames *, *inquit,* Hebræus vir inter suos nobilis, solicitus tum publico periculo, ne gens defectu juventutis ad nihilum redigeretur, tum privatim quod domi prægnantem uxorem haberet, inopia consilii laborabat, et ad implorandum divinum præsidium conversus, orabat ut tandem misereretur hominis, a quibus unis perpetuo cultus fuerit : daretque finem præsentis afflictionis, quæ toti generi perniciem minaretur. Deus autem precibus supplicis ad misericordiam flexus, astitit ei per somnum, jussitque in futurum bene sperare. Memorem se esse pietatis eorum majoribus acceptæ, nec ipsis defutura præmia, sicut nec progenitoribus defuisse .... *Et paucis interjectis sic pergit :* Nunc quoque scito mihi cordi esse et publicam vestram incolumitatem, et privatim tuam gloriam. Puer enim iste, cujus nativitatis metu Ægyptii fœtus vestros ad necem damnaverunt, tibi nascetur. Hic neque deprehendetur ab observatoribus, et postquam evaserit, præter opinionem educatores nactus, suo tempore Hebræos ex Ægyptia servitute liberabit, memoriamque sempiternam hoc præclaro facinore consequetur, E non apud suos tantum, sed et apud exteros, me istud beneficium in te tuosque posteros conferente. Fratrem quoque talem habebit, qui dignus sit meo sacerdotio, ipse et posteri ejus in omne ævum.

* *i. e.* Amram

natales Moysis et occultatio Infantis : corrigitur in prædictis Josephus :

16 His per visionem cognitis, Amarames experrectus narravit hæc Jochabeli uxori, quæ res utrisque solicitudinem auxit. Jam enim non Puero tantum timebant, sed ne quo pacto promissa felicitas intercideret. Sed mox oraculo fidem fecit mulieris partus, quæ tam facile est enixa, ut observatores fefellerit, nihil sentientes eorum, quæ in vulgaribus puerperiis sentiri solent. Hunc infantulum per tres menses clam nutrierunt. Deinde Amarames, veritus ne re deprehensa iram regis incurreret, ac mox et ipse una cum Puero sublatus e medio promissionem Dei faceret irritam, maluit salutem Filii totam ipsius providentiæ committere : ratus etiamsi Puer lateret, quod tamen perdifficile erat, molestum tamen in continuo periculo vivere, non ejus tantum, sed et suo. De Deo vero certam spem habebat, provisurum ut oraculi veritatem eventus indica- F ret. *Hæc Josephus. Visionem prædictam nullo niti fundamento sacræ Scripturæ jam ostendi. Quam vero ipsa sibi parum cohæreat, paucis accipe. Primo, ait Deus Amramo :* Hic neque deprehendetur ab observatoribus. *Deinde tamen, si credimus Josepho,* Amrames veritus ne re deprehensa iram regis incurreret *etc. Si promiserat Deus, Puerum non deprehendendum, quomodo Amram, cujus fidem laudat Apostolus, timere poterat, ne deprehenderetur? Secundo, de facili partu Jochabethæ nihil legitur in Scriptura. Tertio, verba hæc Dei,* Fratrem quoque talem habebit, *ita sonant, acsi necdum natus fuisset Aaron, qui tunc erat triennis. Verum hic error potius est interpretis quam Josephi, cujus verba sic aptius reddas Latine :* Erit vero ipsius frater talis. *Nam Græce est :* ἔσται δὲ αὐτῷ καὶ ὁ ἀδελφὸς τοιοῦτος, *ubi articulus* ὁ *ostendit agi de certo fratre, atque ideo* αὐτῷ ipsi, *si mendosum non sit, non aliud significare quam* αὐτου ipsius.

expositio Moysis,

17 *Expositionem Infantis Josephus sic narrat :* Hoc consilium postquam satis placuit, excogitaverunt tale quiddam. Lectulo e papyro

contexto

AUCTORE J. S.

contexto, quantus Infantulum commode capere poterat, bitumineque illito, ne aqua penetrare posset, indiderunt Puerum, atque ita in flumen projecti salutem divinæ providentiæ commiserunt. In hunc modum cum a flumine deferretur, Mariamne (*id est Maria*) Infantuli soror jussu matris ex adverso per ripam descendebat, observatura, quo tandem papyraceum illud vas deportaretur a flumine. Hic vero manifestissime Deus declaravit, nihil humana sapientia, sed omnia bonitate ipsius omnipotenti confici; eosque, qui propter utilitatem suam aut securitatem aliis perniciem moliuntur, quantalibet utantur diligentia, sæpe tamen voti compotes non fieri: rursum, qui suam salutem Deo committunt, præter opinionem e mediis periculis emergere. *Prudens hæc est et verissima Josephi observatio. At peccat contra sacras Litteras in referenda expositione Infantis, dum eum non modo flumini injectum perperam asserit, sed fluxu avectum, et sororem Mariam per ripam sequentem inepte fingit: nam Exod.* 2 ℣ 3 *habetur,* fiscellam scirpeam, *in qua erat Puerulus, positam esse* in carecto
B ripæ fluminis, stante procul sorore ejus. *Positus igitur est Infans in carecto, ubi modica aut nulla erat aqua, qua avehi posset; stetitque soror ejus, nec sequi debuit avectam flumine fiscellam, cum hæc eodem loco maneret, donec fuerit inventa.*

et inventio: errores Josephi in hisce.

18 *Præterea scriptor Hebræus pro fiscella e scirpis facta supposuit lectulum e papyro, Ægyptiaca planta, contextum. Exigua tamen hic est differentia, et vox Hebraïca varie a variis exposita est. Ipsa quoque verba Græca Josephi non necessario de papyro exponi debent, sed ambigua sunt. Satis est, quod sciamus, fiscellam aut corbem fuisse e juncis contextam, et bitumine contra aquas munitam, in qua Infans fuit expositus. Subdit auctor inventionem* Moysis, *in qua sæpius labitur, eam sic narrans:* Erat filia regis nomine Thermuthis. Hæc dum ludit ad ripas fluminis (*imo vero dum eo venerat,* ut lavaretur in flumine) conspicata vas fluitans, missis natatoribus, jubet lectulum ad se in ripam extrahi. *Nec fluitabat fiscella, nec natatoribus opus erat; at fiscellam prope ripam* in papyrione, *seu in loco, ubi papyrum crescebat, positam famula*
C *una ad principem attulit.* Quo ut jussum erat allato, *ait Josephus*, mire placuit Puer, quod esset magnus ac pulcher. Tanto enim favore Deus Moysen prosecutus est, ut eum fecerit ab illis ipsis nutriri et educari, qui propter ejus nativitatem reliquos quoque Hebræos perdendos decreverant. *Hæc ultima ait, insistens prædictioni magi Ægyptii de futura* Moysis *magnitudine: at illam prædictionem parum esse probabilem jam dixi.*

Inventio ex Philone, qui asserit Moysen servatum et adoptatum a filia Pharaonis,

19 *Philo in Vita* Moysis *rationem probabilem suggerit, qua impelli potuit filia regis ad* Moysen *servandum et adoptandum. Verba ipsius accipe:* Erat regi unica dilecta filia. Eam ferunt dudum nuptam non potuisse matrem fieri, quamvis liberorum cupidam, præsertim sexus potioris, ut esset, qui in fortunatam aviti regni sortem succederet, migraturi alioquin in familiam aliam nepotum penuria. Qua cura pressam, et ea die maxime anxiam, cum hactenus solita esset domi se continere, ac ne limen quidem transcendere, proripuisse se cum puellis familiaribus ad fluvium, ubi Puer fuerat expositus: deinde lavantem aspergentemque se inter opaca condensaque stagnorum, conspicatam jussisse afferri Puerum: tum a capite ad calcem D
contemplatam, miratamque formam et habitudinem, ploranti condoluisse, affectu jam ad maternam pietatem vergente, acsi ex ipsa Infans fuisset progenitus: cumque didicisset eum esse natum ex Hebræis parentibus, tunc edicto regis territis, consultasse de alendo Puero: (nec enim tutum videbatur confestim eum ferre in regiam) sic hæsitanti sororem Infantis supervenisse tamquam e specula, et conjectantem de causa, rogasse, num juberet eum nutriri apud quamdam Hebræam mulierem, non dudum partu levatam: annuente vero illa, Infantem ut alienum suæ matri commendasse: eamque libenter pollicitam suam operam in nutricando, tamquam mercedis gratia, Deo providente, ut prima educatio contingeret Infanti domi apud hos ipsos, ex quibus procreatus fuerat.

quod hæc prole careret, idemque asserunt alii satis probabiliter:

20 *Artapanus historicus antiquus, quem frequenter laudat Eusebius, Philoni consentit de sterilitate filiæ Pharaonis, quam* Merin *vocat: nam Eusebius lib.* 9 *de Præparatione Euangelica ad propositum nostrum sic habet:* Artapanus autem Merin, Chenephri regis Ægyptio- E
rum filiam ait Puerum, quoniam ipsa non pareret, Judæum adoptasse, quem Judæi Mosem, inquit, Græci Musæum appellant, cujus doctrina multa Orpheus didicit. *Chronicon Alexandrinum ad annum mundi* 3837 *de hisce Tradit sequentia:* Hoc anno Pharao rex Ægypti omnes Hebræorum mares jussit in flumen abjici. Multis vero regibus tum imperitantibus, Palmanothes circa Heliopolim regnabat. Hic una cum cæteris regibus Hebræis infestus erat, cui filia fuit Merrhi nomine, quam Chenebroni Mempheos regi elocarat. Hæc, cum esset sterilis, Moysen in flumen expositum sustulit, locoque filii educavit. *S. Epiphanius Hæresi* 78 *pag.* 1055 *filiam illam Pharaonis vocat* Thermuten, Amenophi filiam, hoc est Pharaonis: *nam* Pharao *nomen est commune omnibus illorum temporum Ægypti regibus, qui singuli propriis quoque nominibus distinguebantur. Jam vero non inquiro, an recte plures in Ægypto reges statuat Chronicon Alexandrinum; neque etiam examino, cujus regis filia fuerit* Thermuthis *illa, aut* Merrhi*; at solum observo, prole verisimiliter caruisse, uti Philo tradidit, cum constet* Moysen *ab ea fuisse adoptatum.*

F

ratio allata a Josepho, cur Puer datus sit nutriendus Hebrææ, rejicitur.

21 *Verum rursum probare nequeo Josephum, qui rationem redditurus, cur mulieri Hebrææ traditus sit nutriendus* Moyses, *hujusmodi instituit narrationem:* Itaque jubet Thermuthis mulierem alicunde adduci, quæ Puero mammam præbeat. Quo non admittente mammam, sed adversante, idque cum alia post aliam adduceretur: Mariame quasi non data opera, sed fortuito ad spectandum intervenisset, Nihil agis, inquit, regina, dum nutrices Infanti adhibes alieni generis mulieres. Quod si Hebræam aliquam accerseres, tum forte popularis mammam admitteret. Cumque recte monere videretur puella, jussa est ipsa hoc negotium exequi, et lactantem quampiam adducere. Ac mox usa permissa potestate, rediit adducens communem matrem, ignotam omnibus, qui tum aderant. Tum Infans perquam libenter inhærere mamillæ visus est: et, rogante regina, mulier commissi Infantis curam suscepit. *Nullam id factum habet auctoritatem ex sacris Litteris: quin potius ita res narratur Exod.* 2, *ut videatur insinuari, Mariam simulac allatus erat Puer ad Thermuthim,*

A *muthim, se statim oblulisse ad quærendam Infanti nutricem. Si autem rem ipsam inspicere velimus, credibilius est, Mariam, quæ erat puella decennis fere aut duodennis, ausam fuisse servitium suum offerre ad quærendam nutricem, quam consilium suggerere post adductas alias de Hebræa potius quærenda quam Ægyptia. Hisce de causis relatio Philonis, utpote Scripturæ conformis, longe probabilior est, quam sit hoc commentum Josephi, qui rationem aliquam comminisci voluit, cur Puer Hebrææ nutrici fuerit commissus.*

Moysi nomen datum, cujus etymologia exponitur,

22 *De nomine* Moysi *dato sic loquitur Philo:* Posthæc nomen ei datur, sumptum ex ipsa re, quod esset ex aqua sublatus. Nam Ægyptiorum lingua MOS aqua dicitur. *Josephus vero :* Et quia projectus fuerat in profluentem, ab hoc casu nomen est sortitus. Aquam Ægyptii vocant MO, YSES vero servatos. Quare composita voce ex utrisque nomen Infanti fuit inditum, qui deinde citra controversiam prudentissimus Hebræorum evasit. *Habuit igitur* Moyses *nomen Ægyptium, si credimus hisce scriptoribus, qui linguam Hebraïcam noverant, et forte etiam Ægy-* B *ptiam : quod de Philone certum videtur, cum patria fuerit Alexandrinus, nisi Ægyptiorum istius temporis lingua deinde prorsus exoleverit. Clemens Alexandrinus hisce consentit lib.* I *Stromatum scribens sequentia :* Deinde Puero nomen imponit regina, MOSES, apta etymologia, eo quod eum ex aqua sustulisset. Aquam enim MOY vocant Ægyptii, in qua moriturus fuerat expositus: MOYSEN enim vocant eum, qui ex aqua emersus respiraverit. *Uti hic Clemens Alexandrinus, ita et Josephus lib. contra Apionem asserit aquam* moy *dictam fuisse Ægyptiis, ita ut verisimile sit* μῶ *pro* μωῦ *transcribentium vitio in textum priori loco irrepsisse.*

quæ minus probabiliter negatur a quibusdam :

23 *Varii nihilominus neoterici, præsertim Hebraïzantes, voluerunt nomen* Moyses, *aut* Moses, *ut alii scribunt, esse Hebraïcum, illudque deducunt a radice Hebraïca* masa, *quæ significat* extrahere, *seu* extraxit. *Fateor sic recte deduci nomen* Moses, *at non* Moyses, *nisi corrupte. At nullo modo verisimile est, Pharaonis filiam* Moysi *dedisse nomen Hebraïcum potius quam* C *Ægyptiacum. Deinde sacra Scriptura magis favet antiquorum sententiæ, cum insinuet nomen formatum esse ex voce, quæ* aquam *significat, et ex altera, quæ* trahere, tollere, salvare, *aut quid simile: nam dicitur Exod.* 2 ℣ 10: Vocavitque nomen ejus MOYSES, dicens: QUIA DE AQUA TULI EUM.

alii volunt aliud nomen Ægyptium fuisse, cui Hebraïcum Moyses respondet ;

24 *Alii existimant, illud Ægyptium nomen fuisse* Moysi *datum a principe Ægyptia, quod idem significabat Ægyptiace ac nomen* Moyses *Hebraïce. Abenezra apud Scipionem Sgambatum lib.* 2 *Archivorum veteris Testamenti titulo* 8 *de eo sic habet:* Moyses nomen Hebraicum est, ex Ægyptiaco nomine translatum. Ægyptiaca vero lingua vocatur MUNIOS, et sic scriptum est in libro de Cultu terræ, qui versus est ex lingua Ægyptiaca in Arabicam. *Huetius in Demonstratione evangelica prop.* 4 *cap.* 13 *num.* 4 *hanc opinionem quasi certam adstruit, et manifesti erroris eos insimulat, qui crediderunt nomen* Moysis *non esse Hebraïcum:* Et tamen, *inquit,* ex Ægyptio ductum est, quod ipsi primum impositum fuit. Nemo enim, opinor, finget sibi Ægyptiam puellam, Pharaonis filiam, Ebraicæ, ut verosimillimum est, ignaram linguæ, Ebraicum nomen ex Ebraica lingua petitum Mosi tribuisse.

AUCTORE J. S.

at probabilius ipsum nomen Moyses Ægyptium est.

25 *Non inficior hanc postremam opinionem nullo probabiliorem esse, quam illa sit, quæ tradit* Moysi *nomen Hebraïcum ab Ægyptia muliere impositum. Attamen præplacet antiquorum sententia, præsertim ob auctoritatem Philonis, de quo S. Hieronymus in præfatione ad librum de Interpretatione nominum Hebraïcorum ita loquitur:* Philo vir disertissimus Judæorum, Origenis quoque testimonio comprobatur edidisse librum Hebraïcorum nominum, eorumque etymologias juxta ordinem litterarum e latere copulasse. *Calmetus in Dictionario Biblico amplum* Moyses *recitans elogium consentit de origine nominis Ægyptiaca, atque hæc affert ad propositum nostrum:* Cl. abbas Renaudot, post navatam Ægyptiacæ linguæ operam, observat, aquam MOOOU, si vero eductum sive acceptum significare: *hoc nempe tempore. Ex eo autem, quod nomen* Moyses *originem habet ex vocibus Ægyptiacis, factum suspicor, ut Hieronymus tam varias ipsius significationes Hebraïcas dubitanter assignet: nam lib. de Nominibus Hebraïcis Exodi* E *sic habet:* MOSES attrectans, vel palpans, aut sumtus ex aqua, sive assumptio. *In Nominibus apud Lucam repertis, ita rursum:* Moses, assumtio, vel palpans sive contrectans, aut urgens, sed melius, ex aqua.

Moyses nomen id suum ab initio non habuit, sed aliud verisimiliter acceperat in circumcisione;

26 *Porro dubium apparet, utrum* Moyses *illud nomen acceperit, simulac inventus est a filia Pharaonis, an vero postea, dum adultus eidem traditus est a matre: nam sacra Scriptura impositionem nominis refert una cum adoptione, dum narrat* Moysen *a matre sua filiæ Pharaonis redditum; Philo vero et Josephus nomen Puero impositum aiunt, dum nutriendus matri fuit commissus. Quidquid autem verius sit de hac temporis differentia, quod certo definiri nequit, constat, illud nomen non fuisse* Moysi *ab initio, nec datum esse a parentibus. Hac de causa laudatus jam Clemens Alexandrinus lib.* I *Stromatum sic prosequitur:* Clarum est ergo, quod prius circumciso Puero parentes aliquod nomen imposuerunt. Vocabatur autem JOACHIM. Habuit autem tertium quoque nomen in cælo, postquam assumptus est, ut dicunt Mystæ, nempe MELCHI. *Collectio illa de nomine in circumcisione imposito probabilis est; at non ait Clemens,* F *unde didicerit illud fuisse* Joachim; *quodque subdit de tertio nomine, Rabbinicum videtur et fabulosum.*

at istud ignotum, uti et fabulosa videntur multa alia nomina.

27 *Laudatus Sgambatus multo plura recenset nomina* Moysi *a quibusdam data, sed ex fontibus nihilo melioribus.* Rabbi Godolias in Catena Kabbalæ multo plura *(nomina)* commemorat, *inquit, hæc ipsius verba subjiciens:* Filia Pharaonis vocavit eum MOYSEM. Pater ejus vocavit eum CHEBER. Mater vocavit eum JEKUTHIEL. Soror vocavit eum JETHER. Fratres vocaverunt eum ABIZENOACH. Caath vocavit eum ABISOCHO. Israël vocavit eum SEMAIAM FILIUM NATHANAELIS. Sæpe etiam vocabant eum TOBIAM, aut SOPHER. *Alia quoque nomina ibidem recenset Sgambatus ex aliis scriptoribus ejusdem furfuris, ac tandem ejusmodi illorum nominum catalogum exhibet:* Moyses, Munios, Joachim, Melchi, Cheber, Jekuthiel, Jether, Abizenoach, Abisochi, Semaias, Tobias, Sopher, Musæus, Hermes, *(id est* Mercurius) Osarsiph, Psom-thom-phan-chthe, Heman,

AUCTORE J. S.

man, Alpha. *Huetius prop.* 4 *cap.* 3 *num.* 5 *hæc nomina, aliaque plura, etiam recenset; et locum adducit S. Hieronymi (ut credit) ex libro* I *Quæstionum Hebraïcarum in libros Paralipomenon, ubi alia adhuc nomina* Moysi *attribuuntur et explicantur. Verum nec libri illi sunt S. Hieronymi, ut recte probavit nuperus editor Joannes Martianay in Appendice tomi* 2 *col.* 10; *sed Hebræi cujusdam non admodum antiqui: nec ex omnibus istis nominibus ullum pro certo admittere possum, nisi ipsum nomen* Moyses, *aut* Moses, *quodque inde derivarunt Græci, qui* Musæum *sæpe nominaverunt. Verisimile quidem est, aliud nomen eidem a parentibus in circumcisione fuisse impositum; sed ignoramus, quale illud fuerit.*

§ IV. Moyses a filia Pharaonis in filium adoptatus, eruditur omni scientia Ægyptiorum: negat deinde se filium filiæ Pharaonis, occisoque Ægyptio quodam, fugit ex Ægypto.

Adoptatus est in filium filiæ Pharaonis adoptione perfecta,

Moysen *a filia Pharaonis adoptatum fuisse in filium tradunt sacræ Litteræ verbis num.* XI *adductis: nam* Moyses *ipse dicit:* Quem illa adoptavit in locum filii. *Et S. Stephanus:* Et nutrivit eum sibi in filium. *At uterque locus tempus adoptionis incertum relinquit: nam Stephanus utcumque insinuat, adoptatum fuisse, simul ac fuit inventus;* Moyses *vero adoptionem narrat eo tempore, quo adultus filiæ Pharaonis fuit restitutus. Non tamen negat* Moyses, *adoptionem esse factam citius; nec tam clare loquitur Stephanus, ut nequeat adoptio differri usque ad tempus, quo relata est a* Moyse. *Hoc igitur tempus inter incerta relinquimus. Verum ex Apostolo ad Hebræos cap.* XI *colligitur, adoptionem hanc fuisse talem, qua hæres designabatur, acsi proprius fuisset filius filiæ Pharaonis: nam* Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, . . . majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi *etc. Videbat igitur* Moyses *se frui posse thesauro Ægyptiorum, seu opibus filiæ Pharaonis, si adoptione stare vellet. Non tamen video, ex hoc loco certo inferri posse,* Moysen *creditum fuisse filium nativum filiæ regis, aut regno fuisse destinatum: quippe verba illa,* Negavit se esse filium, *alio modo intelligenda sunt, ut videbimus infra; nec thesaurus Ægyptiorum, quem Dei amore despexit* Moyses, *est ipsum Ægyptiorum regnum.*

et educatus in aula, ubi eruditur omni sapientia Ægyptiorum:

29 *Porro ex prædictis colligitur,* Moysen *educatum fuisse in aula regia, aut certe in palatio filiæ Pharaonis. At non exprimitur, quo ætatis anno a matre ad aulam fuerit ductus. Verba illa,* Adultumque tradidit filiæ Pharaonis, *videntur innuere non modo lactatum esse a matre; sed etiam pueritiæ annos apud parentes exegisse, adolescentemque traditum regis filiæ, ut ea curante disciplinis optimis institueretur. Factum id esse testatur S. Stephanus Act.* 7 ℣ 22 *his verbis:* Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, et erat potens in verbis et in operibus suis. *Didicit ergo* Moyses *omnes scientias Ægyptiis istius temporis usitatas, iisque instructus evasit potens in verbis et in operibus. Collige ex dictis,* Moysen *imbutum fuisse scientiis Hebræorum et Ægyptiorum: dubitari enim non potest, quin parentes Puerum docuerint non modo linguam Hebraïcam, omniaque ad cultum unius Dei et religionem Hebræorum spectantia; sed eas etiam scientias, quibus solebant erudiri Hebræorum pueri et adolescentes, certe quantum pro ætate præstanti ingenio capere poterat. Sic omnia disponebat divina providentia, ut* Moyses, *quem ducem populi sui designabat, omni eruditione evaderet perfectissimus. Quid præterea usque ad annum ætatis quadragesimum egerit* Moyses, *non exponit sacra Scriptura, cui hic inhæremus.*

anno quadragesimo aulæ et adoptioni renuntiat, et Hebræis se aggregat:

30 Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus *(id est, anno ætatis quadragesimo)* ascendit in cor ejus ut visitaret fratres suos filios Israël; *inquit S. Stephanus Act.* 7 ℣ 23. *Hæc autem verba non significant visitationem sic factam, acsi* Moyses *post illam redire voluisset ad aulam: nam eo modo verisimiliter Israëlitas jam antea sæpe visitaverat. Verum affirmat Stephanus* Moysen *anno quadragesimo ætatis aulam penitus reliquisse, ac se aggregasse Israëlitis, quos fratres suos esse cognoverat a pueritia sub disciplina parentum suorum. Hanc loci explicationem certam facit Apostolus ad Hebræos cap.* XI ℣ 24, *ubi actum tam heroïcum fidei* Moysis *attribuit, sic scribens:* Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem. *Eadem de re uterque locus agit, et ipse etiam* Moyses, *cujus verba dabo inferius. At quædam obscuriora hic exponenda.* Negavit, *inquit Chrysostomus in hunc locum,* hoc est, odit, aversatus est. Cælo enim proposito, erat supervacaneum admirari regiam Ægypti. *Declaravit igitur* Moyses *se Israëlitam esse, renuntiansque adoptioni, exivit aula ad fratres suos Israëlitas, malens cum iis pati quæcumque toleranda forent, quam cum periculo peccandi in aula manere. Qui vero intelligat Apostolus per* improperium Christi, *non plane convenit inter interpretes. Mihi, ut brevis sim, sic loqui videtur Apostolus, quia scribit ad Christianos, quos Christi exemplo ad patientiam hortatur; atque ideo per* improperium Christi, *intelligo improperium, quale etiam Christus sustinuit.* Quid est improperium Christi? *ait Chrysostomus,* Opprobrium, quod vos patimini, quod Christus sustinuit. *Illud nimirum tolerare propter remunerationem maluit* Moyses, *quam thesauros Ægypti possidere.*

Ægyptium ob injuriam Hebræo illatam occidit,

31 *Quid apud fratres suos egerit, narrat* Moyses *ipse Exod.* 2 ℣ XI *his verbis:* In diebus illis, postquam creverat Moyses, egressus est *(relicta aula)* ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, et virum Ægyptium percutentem quemdam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc atque illuc, et nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit fabulo. *Stephanus Act.* 7 ℣ 24 *idem factum sic refert:* Et cum vidisset quemdam injuriam patientem, vindicavit illum: et fecit ultionem ei, qui injuriam sustinebat, percusso Ægyptio,

A Ægyptio. Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt. *De hoc* Moysis *facto varie locuti sunt sancti Patres. S. Hilarius lib.* 5 *de Trinitate de eo sic loquitur*: Moyses in reginæ filium adoptatus, et omnibus Ægyptiorum doctrinis eruditus, cum utique ex naturæ affectu Hebræi injuriam morte Ægyptii ultus esset, Deum tamen paternarum benedictionum nesciebat. *Intelligendus est Hilarius de tanta Dei, seu naturæ divinæ cognitione, quantam postea apud rubum consecutus est* Moyses. *Subdit enim ad probationem hæc verba*: Namque ob metum cædis proditæ Ægyptum derelinquens, cum in terra Madian pastor ovium esset, ignem in rubo sine concrematione rubi contuens, Deum audivit, et nomen interrogavit, et naturam cognovit.

quod factum laudat S. Ambrosius,

32 *Cum autem Hilarius dicat*, ex naturæ affectu *Ægyptium occisum, non videtur attendisse ad verba S. Stephani,* Existimabat autem intelligere fratres *etc., quæ præcipue valent ad cædem excusandam; sed eodem fere modo cædem illam considerasse, quo S. Ambrosius lib.* I *Hexaëm. cap.* 2 *de ea sic scribens*: Denique B priusquam ad populi liberandi munus vocaretur *(Moyses)* naturali æquitatis studio provocatus, accipientem injuriam de popularibus suis ultus, invidiæ sese dedit, voluptatique eripuit, atque omnes regiæ domus declinans tumultus, in secretum Æthiopiæ se contulit *etc. Idem Pater lib.* I *de Officiis cap.* 36 *sententiam suam declarat his verbis*: Non igitur in viribus corporis et lacertis tantummodo fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi: neque in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam in vitio est, quam ille, qui facit. Unde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, ita ut Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait: Eripe eum, qui ducitur ad mortem. *Factum igitur non modo excusat, sed et laudat Ambrosius, quia injuste oppressum defendebat* Moyses: *quod haud dubie licitum est, si fiat cum moderamine incutpatæ tu-* C *telæ, ut loquuntur theologi; uti factum supposuit Ambrosius.*

Nazianzenus, Chrysostomus; at Augustinus primo non est ausus factum defendere,

33 *Gregorius Nazianzenus epist.* 81 *ad Theodorum Tyanensem episcopum de eodem facto ait*: Laudibus item affectus est Moses, quod ex illata Israëlitæ injuria dolore commotus, Ægyptium obtruncarit. *Chrysostomus etiam in Psal.* 131 *cædem illam contra obtrectantes hæreticos cum mansuetudine* Moysis *conciliat, et laudat pluribus verbis. Verum S. Augustinus lib.* 22 *cap.* 70 *contra Faustum Manichæum, qui hanc cædem* Moysi *objiciebat, non sic ausus est defendere, ut justam fuisse cædem diceret. Audiamus pauca ipsius verba e pluribus, quibus generosam* Moysis *indolem ex hoc ipso facto commendat.* Ut interim omittam, *inquit*, quod cum percussisset Ægyptium, quamquam illi Deus non præceperit, in persona tamen prophetica ad hoc divinitus fieri permissum est, ut futurum aliquid præsignaret: unde nunc non ago; sed omnino tamquam nihil significaverint, facta illa discutio; consultaque illa æterna lege reperio, non debuisse hominem ab illo, qui nullam ordinatam potestatem gerebat, quamvis injuriosum et improbum, occidi. Verumtamen animæ virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ... Sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem, a cive improbo injuriam perpetientem, non observato ordine potestatis, inultum esse non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat, sed adhuc incultus, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat... Resecandum hoc vitium vel eradicandum; sed tamen tam magnum cor, tamquam terra frugibus, ita ferendis virtutibus excolendum. *Hæc et plura similia ibidem Augustinus.*

deinde tamen dubitans argumentum protulit, quo videtur defendi posse.

34 *Attamen sanctus Doctor, quando deinde Quæstiones in Exodum scripsit, non inhæsit firmiter huic opinioni: nam ibidem quæst.* 2 *sic habet*: De facto Moysi, cum occidit Ægyptium ad defendendos fratres suos, satis disputavimus in illo Opere, quod de vita patriarcharum adversus Faustum scripsimus; utrum indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiserit, sicut solet uber terra, etiam ante utilia semina, quadam herbarum quamvis inutilium feracitate laudari; an omnino ipsum factum justifican- E dum sit. Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam. Tamen, sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem; ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco * tacet) hoc audere potuisse. *Hæc posterior Augustini sententia, licet ab eo dubitanter prolata, sacris Litteris maxime videtur congrua. Quippe, si credebat* Moyses *fratres suos intelligere se electum a Deo ad eorum salutem, electum se ipse sciebat: ideoque judiciariam quamdam potestatem ab hoc facto exorsus videtur, licet illa necdum esset declarata, et deinde per annos quadraginta fuerit suppressa. Alii volunt* Moysen *ex inspiratione divina occidisse Ægyptium: quod idem fere mihi apparet, cum inspiratione divina admonitum existimemus, se vindicem populi sui a Deo statutum. Adducuntur et alia quædam ad excusandam illam Ægyptii cædem, cujus æquitas verisimiliter clarius perspiceretur, si omnia facti adjuncta essent relata.*

* *i. e. Exod.* 2

Sequenti die, dum litigantes conciliare nititur, audit eum notam, et fugit:

F 35 *Non intellexisse Hebræos, quemadmodum intellecturos* Moyses *existimaverat, illum sibi a Deo parari defensorem, mox insinuat factum sequens, quod hisce verbis narrat Stephanus Act.* 7 ℣ 26: Sequenti vero die apparuit illis litigantibus: et reconciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis, ut quid nocetis alterutrum? Qui autem injuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem aut judicem super nos? Nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptium? Fugit autem Moyses in verbo isto *etc. Consentit* Moyses *ipse, rem ita explicans Exod.* 2 ℣ 13: Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes; dixitque ei, qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum? Qui respondit: Quis te constituit principem et judicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, et ait: Quomodo palam factum est verbum * istud? Audivitque Pharao sermonem hunc, et quærebat occidere Moysen, qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in terra Madian *etc. Uterque locus clare asserit, fugisse* Moysen *ex timore:*

* *i. e.* factum

AUCTORE J. S.

re : nam quod ait Stephanus, in verbo isto, *significat* ea de causa, *nimirum quia, vulgata cæde, pœnam metuebat. Agnoscit hunc timorem Chrysostomus in Epistolam ad Hebræos cap.* XI *explicans hæc verba :* Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis, *quæ aliqui adducunt tamquam huic timori apparenter contraria, multum laborantes, ut* Moysen *cum Paulo concilient.*

hæc fuga suscepta est ex timore, et laudabilis quidem,

36 *Verum, si locum Apostoli attente consideremus, satis clare patebit, eum non loqui de hac fuga* Moysis ; *sed de discessu ejusdem ex Ægypto cum omnibus Israëlitis, ut suo loco ostendam. Laudatus Chrysostomus timorem* Moysis *cum ejusdem fide sic conciliat :* Quid dicis? Non timuit. Atqui hoc dicit Scriptura, quod, cum audivisset, timuit, et ideo fuga suæ saluti consuluit, et aufugit, et furtim se subduxit, et postea erat meticulosus. Attende diligenter et accurate ei, quod dictum est. Illud, Non veritus iram regis, dixit, respiciens ad id, quod postea adstiterit. Timentis enim erat non attingere rursum defensionem et patrocinium, neque rem B aggredi. Rursus autem attingere erat ejus, qui Deo omnia committebat... Erat ergo fidei fugere. Cur ergo non mansit? inquit. Ne in prævisum se injiceret periculum *etc. Hæ rationes evincunt,* Moysen *laudabiliter fugisse; et fugam illam fidei minime repugnare. Imo ne timor quidem fidei repugnat, ita ut fides et cum fuga et cum timore facile conciliari possint. Verum videtur Apostolus clare dicere, non veritum esse* Moysen, *quando* fide reliquit Ægyptum. *At* Moyses *item clare affirmat, se timuisse, dum ex Ægypto fugit in Madianitidem.* Timere *autem et* non timere *non recte conciliari possunt, si de eodem agamus tempore. Quapropter nec data expositio satis videtur plana, nec ullas alias inveni, quæ tam apparent claræ, quam sit illa, quæ dicit Apostolum loqui de discessu* Moysis *cum omni populo suo ; nam in illo discessu urgendo et exsequendo maxima apparuit fides Prophetæ, summam regis animositatem constanter negligentis.*

sed de illa non loquitur Apostolus ad Hebræos.

37 *Unum contra hanc expositionem opponi potest, atque illud ipsum est, opinor, quod plures interpretes induxit ad locum Apostoli de hac fuga intelligendum. Apostolus post citata verba statim subjungit :* Fide celebravit Pascha *etc.* C *Atqui Pascha celebratum est prima vice, priusquam* Moyses *cum Israëlitis ex Ægypto discederet. Ordo igitur, quem ibidem servavit Apostolus, videtur exigere, ut locus intelligatur de fuga ex Ægypto, quæ diu præcessit. Verum respondeo, Pascha quidem celebratum esse uno die ante exitum, sed non antequam* Moyses *coram Pharaone exitum illum urgeret : nam id facere cœpit multis diebus ante celebratum Pascha. Itaque cum fides* Moysis *maxime enituerit in urgendo Pharaone ad egressum concedendum, multaque prodigia hunc in finem patraverit, non loquitur Apostolus dumtaxat de gestis unius diei, quo Ægypto egressi sunt filii Israël, sed de omnibus illis, quæ coram iracundo et indignante rege fecit* Moyses, *ut Ægyptum cum suis relinqueret. Hæc autem cum majori ex parte contigerint ante celebrationem Paschæ, etiam ante celebrationem Paschæ recto ordine sunt commemorata. Præterea ordo ibidem non tam scrupulose in omnibus servatus est ab Apostolo, ut hac una ratio prævalere deberet allatis in contrarium rationibus, licet ordo hic ab Apostolo esset inversus. Ceterum, quo fugerit, et ubi deinde habitaverit* Moyses, *inferius exponam suo loco.* D

§ V. Referuntur et examinantur ea, quæ relatis in Scriptura addiderunt alii.

Philo vult Moysen creditum filium regium, regnoque destinatum,

P*hilo non modo* Moysen *a filia Pharaonis adoptatum cum sacris Litteris admittit, sed affirmat etiam arte et fictione prædictæ principis pro vero filio habitum, et regno Ægyptio destinatum. Audiamus quo se modo explicet :* Ubi vero majoribus quam pro ætate incrementis auctus, mature ablactatus est; mater eadem et nutrix eum reddidit ei, a qua acceperat, eleganti sane præditum indole. *Serius restitutus est filiæ Pharaonis, quam innuit Philo istis verbis,* Ubi ... ablactatus est *: nam* adultum *nominat sacra Scriptura, quod ad decimum quartum aut decimum quintum ætatis annum referri potest. Pergit Philo his verbis ;* Illa *(filia Pharaonis)* videns eum supra ætatem proficere, ex aspectu renovata accensaque benevolentia, facit filium supposititium, quæ jam ante muliebri arte finxerat se gravidam, ut nativus putaretur, non ascititius. Tam facile succedit quidquid Deo placet, quantumvis arduum. *Post multa vero de institutione et moribus Adolescentis post recitanda, rursum sic habet de Sancto :* At hic evectus in summum rerum fastigium, nepos tanti regis habitus, spe omnium destinatus successor aviti solii, nec aliud quam REX JUNIOR appellatus, secutus est majorum suorum instituta gentilia *etc. Hæc ille.* E

ut neutrum satis est verisimile.

39 *At nec fictio illa, quamvis sacræ Scripturæ non prorsus sit contraria, admodum est verisimilis; nec ipsa destinatio ad regnum : nam si fingere voluisset princeps,* Moysen *ex se natum, non videtur electura fuisse nutricem Hebræam, quæ educaret filium in spem regni suppositum; quod non bene cohæret cum immani odio, quo Pharao insectabatur Hebræos. Si autem, ut verisimile est, cognitum fuit in Ægypto,* Moysen *natum esse ex matre Hebræa, nullo modo fit verisimile, regnum eidem fuisse destinatum. Quem igitur, inquiet aliquis, Ægyptiorum thesaurum contempsit* Moyses? *Non alium, opinor, quam opes filiæ regis, quarum hæres esse poterat, si adoptatione stare voluisset, et se pro filio ipsius gerere. Hisce opibus et admirabili dexteritate ingenii poterat inter præcipuos Ægypti principes locum habere, si se eorum moribus attemperare voluisset, et gentem suam cum iisdem vexare et opprimere. Quippe gratia filiæ Pharaonis id efficere poterat apud regem patrem, ejusve successorem, ut dilectum sibi* Moysen, *summis naturæ dotibus ornatum, pro filio et hærede habere sinerent, Deo præsertim eorum corda movente, et hæc omnia disponente ad salutem Israëlitarum. Josephus de prædicta fictione nihil habet, et ne quidem de destinatione* Moysis *ad regnum constanter loquitur, non ignoraturus fictionem aut prætermissurus, si illam ex idoneis monumentis hausisset Philo, et non potius conjecturas suas tradidisset.* F

40 *Porro Josephus adoptionem alio modo narrat, et, quantum apparet, non sine fabulis admixtis.*

AUCTORE J S

Josephus educationem et adoptionem Moysis narrans,

A *mixtis. Verba ejus accipe :* Puer autem non pro ætate proficiebat intellectu, sed inter ludendum præ cæteris æqualibus sapere videbatur, et quidquid ageret, nova quadam indole res magnas olim gerendas præ se ferebat. Post tertium vero annum ætatis admirandam gratiam ei Deus addidit. Nemo enim erat adeo tetricus, ut visa Moysis pulchritudine non obstupesceret : et persæpe accidebat ut dum gestatur ac circumfertur, obvios quosque in se converteret, ita ut relictis seriis negotiis mallent præcellenti ejus forma oculos pascere. Tanta erat puerilis gratia, ut inviti homines ab hoc spectaculo discederent. Quo factum est, ut Thermuthis hunc sibi filium adoptaverit, cum alioquin germanis liberis careret : allatumque patri ostentabat, dicens de successore se cogitare, etiamsi Deus illi nullum filium gignere dederit. Hunc Puerum, inquit, ego educavi non minus indole quam pulchritudine divina excellentem, quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse videri potest : quem decrevi adoptare mihi filium, tibi vero in principatu ac imperio successorem ; et cum dicto patri Infantem in manus imposuit.

varius admisceret fabulas.

B 41 At ille postquam acceptum ad pectus appressisset, filiæ gratificaturus comiter diadema suum ejus capiti imposuit. Moyses vero capiti pueriliter detractum prolabi in humum passus, pedibus etiam calcavit, id quod mox ominosum est visum, et regno nihil boni portendere. Moxque ille sacrorum scriba, qui nativitatem ejus Ægypto cladem allaturam prædixerat, occidere Puerum volebat, vociferans : Rex, Puer iste, per cujus necem nobis securitatem Deus pollicetur, vaticinium jam confirmavit, insultando tuo regno et diadema calcando. Hoc interempto tam Ægyptiis metum, quam Hebræis spem et fiduciam adime. Thermuthis vero confestim eum eripit, rege quoque non invito, cui Deus talem animum indiderat, Moysis saluti providens. Itaque educabatur quam accuratissime. Quamobrem Hebræi quidem felicitatem suo generi sperabant, Ægyptiis vero suspecta erat hæc educatio. Sed cum nemo extaret vel e cognatis regiis vel ex aliis optimatibus, qui etiamsi Moyses sublatus esset, magnopere videretur procuraturus Ægyptiorum commoda, abstinuerunt ab ejus cæde. C *Hæc omnia non multum fidei merentur, præsertim quod dicitur de corona capiti* Moysis *imposita, et ab eo calcata. Nihilo verisimilius est, sperasse Pharaonis filiam,* Moysen *ad regnum promovendum in locum patris sui, ut jam monui. Quin imo probabilius est, non vixisse amplius patrem Thermuthidis, quando* Moyses *ipsi traditus est. Nam ex Chronico Eusebii rex ille Ægypti, sub quo natus est* Moyses, *triennio post obiit, et alius successit. Quam igitur spem habere poterat Thermuthis de* Moyse *ad regnum promovendo, præsertim cum ignorare non posset, principes Ægyptios regnum non facile delaturos ad eum, quem noverant ex Hebræis parentibus esse natum?*

Philo Moysi attribuit magistros Ægyptios, Græcos,

42 *De moribus et instructione* Moysis *multa scripsit Philo. Et mores quidem ipsius probabilibus conjecturis egregie expressit ; de doctrina vero ejusdem falsa veris miscuit. Audiamus ipsa scriptoris verba, ut errores, quantum fieri potest, clarius corrigamus.* Ita nactus educationem regiam, nequaquam infantium more delectabatur assentationibus, jocis, lusibusque, quamvis indulgenter haberetur ab educatoribus : sed jam tum modestiam gravitatemque præferens, malebat audire spectareque utilia. Confestim enim accesserunt aliunde præceptores, quidam ultro venientes e præfecturis Ægypti proximis, alii magnis præmiis invitati e Græcia. Eo intra modicum tempus ille superavit, nativa docilitate institutionem præcurrens, ut reminisci videretur, non discere, in rebus difficilioribus de suo comminiscens aliquid : nam præclara ingenia multa novant circa scientias. Et quemadmodum bonæ habitudinis corpora membris omnibus agilia securos pædotribas faciunt exhibendo illis vel nihil negotii vel minimum, itidemque agricolis generosæ plantæ per se proficientes in bonas arbores : sic anima bene nata præceptis obviam se offerens, a seipsa magis quam a magistris adjuvatur, arreptisque rudimentis eujuscumque scientiæ, equus (juxta proverbium) fertur in planiciem.

Chaldæos et Assyrios :

43 Itaque numeros et geometriam, universamque musicam, rhythmicam, harmonicam, metricam, sive contemplativam, sive per instrumenta vocesque promentem se modis variis, accepit ab Ægyptiis doctoribus : et insuper occultam philosophiam descriptam literis (ut vocant) hieroglyphicis, hoc est notis animalium, E quæ ipsi venerantur etiam pro numinibus. Reliquas liberales artes Græci docebant. Ex propinquis autem regionibus evocati, Assyrii suas literas, Chaldæi sideralem scientiam. Hanc et ab Ægyptiis didicit, mathematicæ cum primis deditis : observansque quid utrisque conveniat, in quo discrepent, intactus a contentionibus veritatem quærebat : quippe qui nihil præter eam admittebat, longe aliter quam isti, qui accepta semel qualiacumque dogmata obstinate defendunt, sive probata sive improba, more causidicorum mercenariorum, jus et æquum negligentium.

at Græci certo improbandi, cum Moyses Græcis doctoribus sit antiquior ;

44 *In hisce corrige primo, quod dicitur de accitis doctoribus e Græcia : nam* Moyses *omnibus Græcis doctoribus longe est antiquior. Audi S. Augustinum de antiquitate Græcorum doctorum cum Hebræis collata erudite disserentem lib.* 18 *de Civitate Dei cap.* 37 *:* Tempore igitur Prophetarum nostrorum, quorum jam scripta ad notitiam fere omnium gentium pervenerant, philosophi gentium nondum erant, qui hoc etiam nomine vocarentur, quod cœpit a Samio Pythagora, qui eo tempore, quo Judæorum est F soluta captivitas, cœpit excellere atque cognosci. Multo ergo magis ceteri philosophi post Prophetas reperiuntur fuisse. Nam ipse Socrates Atheniensis, magister omnium, qui tunc maxime claruerunt, tenens in ea parte, quæ moralis vel activa dicitur, principatum, post Esdram in Chronicis invenitur. Non multo post etiam Plato natus est, qui longe ceteros Socratis discipulos anteiret. Quibus si addamus etiam superiores, qui nondum philosophi vocabantur, septem scilicet Sapientes, ac deinde physicos, qui Thaleti successerunt, in perscrutanda natura rerum studium ejus imitati, Anaximandrum scilicet et Anaximenem et Anaxagoram, aliosque nonnullos, antequam Pythagoras philosophum primus profiteretur, nec illi Prophetas nostros universos temporis antiquitate præcedunt : quandoquidem Thales, post quem ceteri fuerunt, regnante Romulo eminuisse fertur, quando de fontibus Israël in eis Litteris, quæ toto orbe manarent, prophetiæ flumen erupit. Soli igitur illi theologi poetæ, Orpheus, Linus, Musæus, et si quis alius apud Græcos fuit, his Prophetis Hebræis,

AUCTORE J. S.

Hebræis, quorum scripta in auctoritate habemus, annis reperiuntur priores. Sed nec ipsi verum theologum nostrum Moysen, qui unum verum Deum veraciter prædicavit, cujus nunc scripta in auctoritatis canone prima sunt, tempore prævenerunt, ac per hoc quantum ad Græcos attinct, in qua lingua litteræ hujus sæculi maxime ferbuerunt, nihil habent unde sapientiam suam jactent, quo religione nostra, ubi vera sapientia est, si non superior, saltem videatur antiquior. *Origenes quoque variis locis testatur,* Moysen *non modo Græcis doctoribus, sed etiam litterarum inventione apud Græcos antiquiorem esse; uti et Tertullianus, Justinus, Eusebius, Epiphanius aliique plures, ita ut hæc res minime sit dubia : at aliqui de antiquitate* Moysis *nimium dicunt, ut alia occasione dicetur.*

Assyriis quoque et Chaldæis verisimiliter non usus est Moyses :

45 *Corrigendum secundo videtur, quod dicitur de doctoribus Chaldæis et Assyriis : Stephanus enim solum affirmat,* Moysen *eruditum fuisse* omni sapientia Ægyptiorum, *nec videtur omissurus fuisse doctores Chaldæos et Assyrios, si plura ab iis didicisset, quam discere poterat ab* B *Ægyptiis aut Hebræis. Imo hi doctores Assyrii et Chaldæi videntur* Moysi *potius attributi ab interprete Gelenio quam a Philone. Certe sic legitur Græce :* Οἱ δ' ἐκ τῶν πλησιοχώρων, τάτε Ἀσσύρια γράμματα, καὶ τὴν τῶν οὐρανίων Χαλδαϊκὴν ἐπιστήμην. *Hæc verba exactius sic vertas cum Petro Francisco Zino apud Surium :* At illi, qui e locis finitimis venerant, tum Assyrias litteras, tum Chaldaïcam de rebus cœlestibus scientiam docuerunt. *Per finitimos autem intelligi possunt ipsi Hebræi, qui non omnes videntur ignorasse Assyriorum et Chaldæorum scientias. Clemens Alexandrinus lib.* I *Stromatum Assyrios magistros prætermittit; at Græcos male adoptat ex Philone, et Chaldæos similiter Ægyptiis adjungit. Scientias vero* Moysis *exponit hoc modo :* Cum autem ætate esset grandior, arithmeticam et geometriam, rythmicam et harmonicam, et præterea medicinam simul et musicam doctus est ab iis, qui erant insignes inter Ægyptios : et præterea eam, quæ traditur per symbola seu signa, philosophiam, quam in litteris ostendunt hieroglyphicis... Didicit autem litteras C Ægyptiorum, et rerum cælestium scientiam a Chaldæis et ab Ægyptiis. *Addit Clemens :* Eupolemus autem in libro de Judææ regibus, dicit Moysen primum fuisse sapientem, et grammaticam primum tradidisse Judæis, et Phœnices accepisse a Judæis, Græcos autem a Phœnicibus. *At hæc carent idoneo fundamento : nam patriarchæ* Moysis *proavi sapientiæ non erant expertes, nec omnes aliæ nationes tempore* Moysis, *ut observat Augustinus loco mox indicato, ita scribens :* Verum, quod fatendum est, non quidem in Græcia, sed in barbaris gentibus, sicut in Ægypto, jam fuerat ante Moysen nonnulla doctrina, quæ illorum sapientia diceretur : alioquin non scriptum esset in libris sanctis, Moysen eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum.

multiplex Moysis scientia,

46 *Sapientiam* Moysis *breviter et recte depingit laudatus Clemens Alexandrinus paulo post his verbis :* Est itaque noster Moses propheticus, legum ferendarum peritus, ordinandæ et instruendæ aciei gnarus, exercitus ducendi artem tenens, politicus et philosophus. *Porro non defuerunt, qui magiam etiam* Moysi *attribuerent. Hosce autem recte refutat Salianus in Annalibus veteris Testamenti ad annum mundi* D 2470 *ita scribens :* Absit autem ut Virum sanctissimum tales artes aut didicisse umquam aut tradidisse credamus, quas non solum exercere, sed etiam discere velle sceleratum est. Recitat quidem Clemens Alexandrinus ex Mystis quibusdam et Artapano nonnulla Moysis Opera, quæ magiam sapere videantur, de quibus suis dicetur locis, sed ea tantum ipse recitat; et si facta fuerunt, Dei potius virtuti vult adscribi. Quidam etiam impostores apud nostrum Del Rio in Disquisitionibus magicis, quendam de ratione conficiendi auri librum a Mose et Maria sorore ejus editum finxere, tanta in ea re fide digni, quanta improbis nebulonibus debetur. Ceterum quæ magia naturali, minimeque improbata continentur, et physiologiæ finibus ambiuntur, potuerunt a Mose magna ex parte cognosci pro ingenii ejus subtilitate et peritia magistrorum.

47 *De moribus* Moysis *ita pergit Philo :* Egressus deinde pueritiam, magis curam intendit, non ut quidam frena laxans concupiscentiis, quamvis non deessent incitamenta plurima, quæ E se ubertim offerunt in regum domibus : sed sobrietate atque temperantia tamquam habenis quibusdam eas cohibens, ut ferrentur impetu nimio, atque ita singulos affectus suapte natura impotentes et indomitos cicurabat, quantum poterat. Quod si alicubi decessisset ab officio vel offendisset nonnihil, severe a se ipso pœnas exigebat : et in universum dabat operam ut ad primos impetus animi resisteret, quasi contumacem equum observans, nimirum ne, invito auriga ratione, cursum plus satis accelerantes, confunderent perturbarentque omnia : hæ sunt enim bonorum et malorum origines : bonorum, si ratio teneat imperium; contrariorum, si affectus dediscant obedientiam. Merito igitur stupori erat omnibus familiaribus, tamquam novum naturæ miraculum, incertis, qualis mens habitaret in ejus corpore, humana, an divina, an mixta ex utroque, cum nihil vulgare haberet, augustiora cæteris omnia. Nam nec ventri quidquam dabat præter tributum naturæ necessarium, nec voluptatum sub ventre nascentium nisi liberorum causa meminerat; frugalitatem colebat ut nemo F alius, in universum abhorrens a deliciis. Animo enim vivere malebat quam corpore, philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, ut cum sermone vita congrueret. In summa qualis erat vita, talis et oratio, cum nihil discreparet, haud aliter quam in instrumento musico. *Hactenus Philo, cujus verba hic curiosius non excutio, licet nonnulla sint exaggerata.*

et mores probatissimi.

§ VI.

A

AUCTORE J. S.

§ VI. Discutitur bellum Æthiopicum, quod Moysen feliciter gessisse Josephus aliique scribunt: occasio aulæ deserendæ fugiendique ex Ægypto.

Bellum Æthiopicum Moysi demandatum scribit Josephus,

Josephus post præcedentia bellicam Moysis *fortitudinem celebraturus, talem instituit narrationem:* Itaque sic natus et sic educatus; postquam adolevit, brevi suæ virtutis specimen edidit, et quantum momenti vel suis vel Ægyptiis esset allaturus, occasionem nactus talem. Æthiopes, qui supra Ægyptum incolunt, agebant et ferebant facultates Ægyptiorum. Illi moti indignatione ducunt in eos exercitum, contumeliam cum injuria conjunctam ulturi: mox prælio commisso; partim in acie ceciderunt, B partim in fugam turpiter compulsi retro ad suos se receperunt. Quo successu elati Æthiopes fugientibus instabant, et ignavum rati, si fortuna non uterentur, concepta spe subjugandæ Ægypti, late eam populabantur: degustataque prædæ dulcedine, non temperantes sibi, ad majora audenda accendebantur. Cumque vicinas regiones pervagantibus nemo cum armis obviam iret, pergebant ulterius Memphim usque et mare, nulla civitate resistere valente. Quibus calamitatibus Ægyptii pressi, mittunt, qui remedium ab oraculis petant. Cumque responsum esset, Hebræum in auxilium advocandum, rex a filia postulat Moysen, qui universis copiis cum imperio præsit. Paruit illa, sed prius rege jurejurando obstricto, nihil in perniciem Juvenis machinaturum, pro magno hoc auxilium imputans et sacerdotibus probro dans, quod non puderet nunc ejus opem implorare, quem prius ut hostem occidendum esse monuerint ac jusserint. *Illa Thermutidis cautio et exprobratio adducitur a Josepho, quod semper velit congrua scribere oraculo de futura* Moysis *magnitudine, jam antea examinato. Causa au-*C *tem belli Æthiopici sic exposita est, uti et ratio electi ducis* Moysis, *ut nihil contineat sacris Litteris contrarium. At non bene cohæret cum Chronico Eusebii, quod supponatur eo tempore in vivis fuisse rex ille, sub quo natus est* Moyses. *Verum, etsi credamus in hoc errasse Josephum, necesse non est, ut dicamus totum istud bellum esse fictitium*

uti et Artapanus, multa de eo narrans incerta:

49 *Artapanus apud Eusebium lib.* 9 *de Præparatione Euangelica cap.* 4 *idem bellum brevius referens, asserit,* Chenephrim *(Ægypti regem) ex invidia* Moysi *id bellum demandasse, ut in eo periret. Pro causa invidiæ allegat præclara Sancti opera, famamque ex iis natam. Verba Eusebii accipe, sed fide penes Artapanum relicta, quam hic sane non magnam meretur.* Artapanus autem Merin, Chenephri regis Ægyptiorum filiam, ait, puerum, quoniam ipsa non pareret, Hebræum adoptasse, quem Judæi Mosem, Græci Musæum appellant, cujus doctrina multa Orpheus didicit. Hunc osem instrumenta bellica invenisse affirmat, litteras quoque, quas sacerdotibus tradidit, Ægyptiorumque urbem in sexdecim partes divisisse, ac singulis præfectos instituisse: quæ omnia videlicet fecerat, ne populi, ut solebant, conspirantes, modo hunc, modo illum regno expellerent. Unde factum esse ait, ut quasi Deus ab Ægyptiis coleretur, et propter litterarum sacrarum interpretationem Mercurium appellatum: quibus rebus Chenephrim invidia commotum, causam interficiendi Mosi quæsivisse: et sic adversus Æthiopes in Ægyptum irruentes cum imperio ipsum misisse, exercitumque sibi a Judæis maxime conscripsisse, ut propter imperitiam militum una cum eis periret. *Hactenus de causa missi ad bellum* Moysis *Artapanus, cui facile credimus* Moysen *non fuisse otiosum in Ægypto usque ad annum vitæ quadragesimum. At non existimamus omnia esse vera, quæ ille de ipsius ibidem gestis retulit: nec scimus, uter causam electi ad bellum* Moysis *rectius exposuerit: imo ne quidem affirmare ausim, recte expositam esse ab alterutro. Minus etiam verisimile est, quod dicitur de exercitu ex Hebræis maxime conscripto, cum rex Ægypti non tantum posset fidere Hebræis, quos gravissime premebat.*

stratagema Moysis,

50 *De bello autem per* Moysen *gesto sequentia subdit Josephus:* Moyses vero Thermutidis simul ac regis rogatu libenter hoc negotium suscipit. Quod factum gentis utriusque vatibus lætitiam attulit. Ægyptii post partam ejus virtute de Æthiopibus victoriam, occasionem sibi per E dolum tollendi non defore sperabant: contra Hebræi, Moyse copiis præposito, adfore sibi facultatem evadendi ex Ægyptia servitute. Ille vero volens hostem opprimere, priusquam de adventu suo cognosceret, non per fluminis ripam, sed per interiora terræ expeditionem fecit. Qua in re satis declaravit, quantum ingenio polleret ac prudentia. Cum enim hoc iter difficile esset præ multitudine serpentum (nam hic tractus plurimos gignit, aliquot etiam genera, quæ nusquam alibi reperiuntur, noxios omnes et ipso aspectu horrendos, et in his quosdam volucres, ut non solum humi latentes insidientur, sed et sublimes ex improviso noceant) commentus est ad securum iter exercitus stratagema dignum admiratione. Vasa enim plexilia non pauca e papyro in arcæ formam fieri curavit: quæ completa ibibus secum deferebat. Est autem hoc animal infestissimum serpentum generi. Quapropter fugitant earum insectationem, et inter fugiendum, sicut a cervis, retracti devorantur: sunt autem F mansuetæ alites; et contra solos serpentes feroces. De quibus nunc desino plura, utpote apud Græcos non incognitis. Postquam igitur ventum est in terram venenosis bestiolis scatentem, ibes illis immisit, quarum bona opera usus, itinere impune peracto, nec opinos Æthiopes invasit: commissoque prælio fusos ac fugatos, et spe occupandæ Ægypti frustratos retro in suam regionem compulit.

et gesta in illo bello ex Josepho,

51 Nec hoc contentus, oppida illorum evertebat, et ubique magna cædes hostium patrabatur; quo factum est, ut post hæc auspiciis Moysis feliciter gesta tantam alacritatem exercitus præ se ferret, ut nihil non laboris toleraturus videretur, jamque aut excidium aut captivitas Æthiopibus immineret. Ad ultimum compulsi in Saba, regiam ejus gentis, quam postea Cambyses Persarum rex de sororis suæ nomine Meroën appellavit, obsidione sunt cincti. Erat autem pene inexpugnabilis, utpote Nilo circumquaque cincta, accedentibus ad ejus munitionem et aliis fluviis Astapo et Astoborra, qui objectu suo difficiliorem trajectum facerent. Itaque sita in insula, et muro valido inclusa, non fluminibus

AUCTORE J. S.

bus tantum arcebat hostem, sed aggeribus, qui mœnia inter et flumina ad eorum inundationes prohibendas instructi, ad hoc quoque tum proderant, quod hosti etiam post superata flumina aditum ad urbem oppugnandum negabant. *Hactenus Josephus. Vera sunt, quæ de ibide refert : nam ibis, seu ciconia nigra, est avis Ægyptia ingentis magnitudinis, infestissima serpentibus, quorum multos manducat, el occidit alios.*

item ex Artapano ; in relatione utriusque nulla incerta :

52 *Eusebius relationem Artapani sic prosequitur :* Quod bellum, ut ab Heliopolitanis accepisse asserit, decennio gestum fuit : et propter diuturnitatem ejus civitatem in eo loco conditam, ubi sedentes Æthiopum imperium sustinebant : quam Hermopolim, inquit, id est, Mercurii civitatem, appellant : ibim consecratam ibi primo fuisse, quoniam nocentes interficeret serpentes. *Constat quidem ibim cultam fuisse ab Ægyptiis; at nescimus, an illa idololatria cœpta sit Hermopoli, de qua per* Moysen *structa nihil habet Josephus. Id certo dici potest, cultum ibidis non esse cœptum a* Moyse. *At rursum incertum est, an aves illæ*
B *deinde coli sint cœptæ ob servitium istud, quod* Moysi *ab iis præstitum ait Josephus. Id quidem verisimile appareret, si omnino constaret de ibidibus a* Moyse *contra serpentes adhibitis, et de Hermopoli per ipsum condita : verum nec Josephus tantæ est auctoritatis, ut primum pro certo habeamus : nec tanti facimus Artapanum, ut secundo multum fidei tribuendum existimemus. Si autem omnino in illa expeditione constructa fuit Hermopolis ; id factum non videtur, quando* Moyses *cum exercitu obsidebat urbem Meroën : ingens enim utriusque urbis est distantia. Neque etiam tunc conditam ait Artapanus ; sed solum in expeditione illa decennali. Jam vero, uti nihil de Hermopoli condita habet Josephus, ita de Meroë obsessa tacet Artapanus ; ita ut utrumque æque videatur incertum. Nihilo certius est, an Meroë eadem sit cum urbe regia Saba, quod alii aiunt, negant alii.*

finis belli improbabiliter a Josepho narratus :

53 *Finem belli prædictis omnibus improbabiliorem refert Josephus, sic prosecutus :* Hic *(apud urbem Sabam, deinde* Meroën *dictam)* cum Moyses desidere exercitum ociosum ægre ferret, hoste non audente manus conserere, in-
C terim tale quiddam accidit. Erat Æthiopum regi filia, nomine Tharbis. Hæc Moysen mœnibus exercitum admoventem et egregie dimicantem conspicata, virtutemque Viri admirata, qui et Ægyptiorum fortunam labantem in integrum restituisset, et Æthiopas modo victores in extremum periculum adduxisset, vehementi ejus amore est correpta : quo in dies crescente, mittit ad eum e servis fidissimos, conjugium suum offerens. Assensit ille hac conditione jurejurando firmata, post urbem sibi traditam ducturum se eam uxorem : ac mox dicta factum sequitur. Sævitum est nihilominus in hostem, et actis Deo gratiis, nuptiisque celebratis, Ægyptiorum exercitus victor domum est reductus. *Artapanus, omissis hisce nuptiis, quæ probabiles non sunt, affirmat,* Æthiopas admiratione virtutis ita Mosem coluisse, ut etiam circumcisionem ab eo didicerint. *Hactenus illi de hoc bello, seu vero seu fictitio, de quo eruditi non consentiunt : nam et sancti Patres in diversas abierunt sententias, et interpretes aliique neoterici. Et sane certo statui non potest, verene bellum contra Æthiopas gesserit* Moyses, *an illi attributum sit, quod ab altero quopiam factum, aut omnino non factum.* D

probabilius tamen apparet, aliquid subesse veri de illo bello :

54 *Verumlamen aliquid subesse veri, mihi apparet probabilius ob hasce rationes. Josephus et Artapanus, antiqui scriptores, qui non videntur invicem descripsisse, de bello gesto consentiunt : neque hi ex sacris Litteris mendacii possunt convinci, cum bellum istud sacræ Scripturæ non sit contrarium. Quin potius talis ubique in Scriptura exhibetur* Moyses, *ut ad res bellicas maxime fuerit idoneus : nam et omni sapientia Ægyptiorum, cujus pars haud dubie erat scientia militaris, ut filius adoptivus filiæ regis, eruditus erat ; atque animi magnitudine præstabat, ut satis colligitur ex cæde Ægyptii et defensione filiarum Jethro contra pastores : adhæc mira erat prudentia et ætate florente, ita ut nihil insolens aut insusitatum simus credituri, si existimemus* Moysen *aliquot annis ante discessum ex aula ad expeditionem aliquam bellicam contra Æthiopas fuisse missum. Silentium ipsius* Moysis *nullius hic est momenti : nam siluit ille omnia, quæ gessit, dum vixit in aula : neque tamen existimare possumus, ipsum ibidem otiosum fuisse per* E
annos viginti quinque. Magis urgere quibusdam videtur, quod Josephus æque ac Artapanus quædam relationi suæ inseruerit, quæ fabulosa prorsus apparent. Verum uterque scriptor, dum vera Moysis *gesta, et in Scripturis relata commemorat, non paucis similiter fabulis eadem deturpat. Nullo igitur modo ex adjunctis quibusdam fabulosis inferri potest, totum istud bellum esse fictitium. Porro dissensio Josephi et Artapani in præcipuis quibusdam adjunctis me maxime movet, ut existimem non omnia esse fictitia. Quippe difficulter credi potest, eamdem historiam a duobus scriptoribus, tempore et loco distantibus, confictam esse. Hic autem dici non potest, Josephum ex Artapano fabulam mutuatum esse, eamdemque pro sua libertate auxisse fictitiis ornamentis. Si enim Josephus ducem habuisset Artapanum, non omisisset præctara* Moysis *gesta in Ægypto ante bellum Æthiopicum, nec tacuisset conditam Hermopolim, aliaque ab Artapano relata, seu vera illa sint, seu fictitia. Quapropter, omnibus attente consideratis, bellum istud Æthiopicum a* Moyse *gestum esse, mihi apparet probabilius ; sed dubitare nequeo, quin multæ fabulæ in* F
ejusdem belli relatione sint confictæ. Scio quidem sanctissimum Prophetam longe majorem esse, quam ut prophana illa laude egeat ; at solum inquirere volui, quid veritati magis appareat conforme.

at uxor in illo bello ducta, quæ esset filia regis,

55 *Inter fabulas Josephi præ ceteris discutiendæ ac refutandæ sunt nuptiæ, quas hac occasione a* Moyse *contractas scribit. Fortasse figmentum illud Josepho in mentem venit, quid uxor* Moysis *Num.* 12 ℣ 1 *vocatur* Æthiopissa. *Certe Abulensis in cap.* 4 *Numerorum, quæst.* 4 *Josephum sequitur, ita scribens :* Dicendum, quod non est dubium, quin Moyses habuerit in uxorem Tharbis filiam regis Æthiopum, quia Josephus lib. 2 Antiquit. refert latissime, quomodo Moyses dux belli Ægyptiorum contra Æthiopes accepit in uxorem filiam regis Æthiopum : sed in his, quæ sunt pure historica, et non repugnant sacræ Scripturæ, credendum est Josepho, qui fuit vir harum rerum peritissimus. Etiam doctores nostri, ut Isidorus et quidam alii, qui historias referunt, dicunt Moysen habuisse filiam regis Æthiopum in uxorem, quod partim

AUCTORE J. S.

A partim dicunt moti ex auctoritate Josephi, qui illud prius scripsit, partim autem propter sacram Scripturam, quæ hic dicit, quod Moyses habuit uxorem Æthiopissam. *Hactenus Abulensis, qui figmenta Josephi nondum satis habebat perspecta; sed ea deinde magis detecta sunt. Jam vero nullum præsidium est Josepho aut Abulensi, ex allegato loco Numerorum, quia certum est, Sephoram Madianitidem* Æthiopissam *ibi nominari, uti fatetur ipse Abulensis quæst.* 6, *et nos infra videbimus. Relatio quoque Josephi aliunde nullum habet fundamentum, cum nullus scriptor Josepho æqualis aut antiquior illas nuptias referat, ne Artapanus quidem, etsi de bello Æthiopico agat, et veras* Moysis *nuptias cum Sephora paulo post referat.*

plane videtur fictitia.

56 *Silentium Artapani non exigui in hac re est momenti, cum et de Meroë urbe loquatur, et de uxore* Moysis *non diu post ducta, quam vocat* Raguelis Arabiæ regis filiam, *ita ut mirum esset, eum ignoraturum fuisse primam illam* Moysis *uxorem, si illam ipse omnino du-* B *xisset. Accedit silentium Philonis, quo intelligimus aut primam illam* Moysis *uxorem Judæis fuisse incognitam, aut fabulosa Philoni visa esse, quæ Hebræi de illa tradiderant. Præterea verisimile non est,* Moysen *eo usque cum exercitu progressum esse in Æthiopiam, ut pervenerit ad urbem Meroën, quæ immenso intervallo ab Ægypto est dissita, præsertim cum Artapanus tantos* Moysis *progressus siluerit, et potius insinuaverit, bellum diu continuatum esse circa limites utriusque imperii, aut in superiore Ægypto, affirmans Hermopolim interim conditam, quæ in Ægypto erat, et multum distabat a limite Æthiopiæ. Demum Josephus, dum nuptias celebratas scribit, et* sævitum esse nihilominus in hostem, *pacem et bellum male miscet; dum vero ait, post nuptias* Moysen *cum exercitu rediisse, nec addit, utrum comitata fuerit sponsa; ostendit se fabulam composuisse, cujus non facilem invenit exitum. Sane nec verisimile est, regis Æthiopiæ filiam cum* Moyse *in Ægyptum profectam, et paulo post ab eo relictam, dum aula deserta ad Israëlitas se contulit. Nihilo quoque verisimilius est, conjugium* C *contractum esse, ut conjuges mox invicem desererent, et uxor in Æthiopia, Maritus in Ægypto maneret, nec invicem deinde viderent. Fabellam aliam hic commenti sunt aliqui, nimirum* Moysen *annulum uxori tradidisse, quo sui oblivisceretur, et sic liberum rediisse in Ægyptum. At commenta illa sunt haud dubie Rabbinorum, nec modo fictitia, sed plane impia. Quapropter cum plerisque eruditis nuptias illas* Moysis *prorsus fictitias esse existimo.*

Fuga ex aula et Ægypto confusa a Josepho, neque exacte relata;

57 *Fugam* Moysis *ex Ægypto Josephus narrat tamquam sequelam expeditionis Æthiopicæ hoc modo:* Illi vero *(Ægyptii,)* accepta salute, odium pro gratia Moysi reposuerunt, et majoribus studiis insidias contra eum machinabantur: suspicatique, ne rebus feliciter gestis elatus, res novas in Ægypto moliretur, apud regem eum cædis accusaverunt. Jam enim et ipse suspectum hominem habere cœperat, partim invidia motus ob bellum fortiter ac prudenter administratum, partim etiam metu alicujus cladis, sollicitantibus huc et irritantibus indesinenter scribis ac sacrificis; ut jam Moyses minimo minus abesset a pernicie, opprimendus dubio procul, nisi rem olfaciens in ipso temporis articulo se clam subduxisset: et cum vias observari intelligeret, per solitudines fugam arripuit, qua evasurum inimici minime suspicabantur. *Artapanus etiam partim apud Eusebium, partim in Chronico Alexandrino laudatus, ait* Moysi *reverso insidias fuisse structas, atque ea de causa fugisse, postquam Chanetothen Ægyptium sibi insidiantem interfecerat. Additur in Chronico Alexandrino, filiam Pharaonis, quæ* Moysen *adoptaverat, non diu ante fuisse defunctam. Verum, licet satis verisimile sit,* Moysen *laborasse invidia, quæ frequens est in aulis principum, causam fugæ non exacte illi exprimunt, et videntur supponere aulam simul et totam Ægyptum a* Moyse *desertam, cum tamen ex ordine sacræ Scripturæ clarum videatur,* Moysen *primo secessisse ex aula, et se Israëlitam professum: deinde vero post occisum Ægyptium ex Ægypto fugisse. Cum autem constet, Hebræos odio fuisse Pharaoni, non alia erat necessaria causa, cur* Moysen *similiter odio prosequeretur, quam quod ille Hebræorum societatem præ aula eligeret.*

E

nam prius aulam deseruit, deinde ex Ægypto fugit;

58 *Philo pag.* 472 *occasionem, qua aulam aversatus est* Moyses, *probabiliter describit.* At hic, *inquit*, evectus in summum rerum fastigium, . . . secutus est majorum suorum instituta gentilia, adoptivorum parentum bona, etsi splendida, tamen adulterina judicans; e diverso naturalium parentum, etsi ad tempus viliora, vera tamen et propria. Itaque utriusque partis judex incorruptissimus, tum ejus ex qua natus, tum ejus in quam adoptatus fuerat, alteri benevolentiam præstabat, alteri gratitudinem: et retulisset abunde gratiam, ni animadvertisset in ea terra impiam regis sævitiam. *Tum egregie describit iniquissimam Hebræorum vexationem atque oppressionem, cujus causa non modo aulam aversatus est, sed etiam penitus dereliquit, uti recte observat S. Basilius Hom.* I *in Hexaem., res ordine describens hisce verbis:* Qui tyrannidis fastum perosus, et ad tribulium humilitatem recurrens, una cum Dei populo divexari maluit, quam temporaria peccati suavitate frui. Qui justitiæ amorem ex ipsa natura sortitus est; quandoquidem prius etiam, quam ipsi committeretur populi principatus, ob naturale nequitiæ odium ad mortem usque malos insectatus fuisse comperitur. Qui ab iis, quos beneficiis affecerat, fu- F gatus, ac libenter Ægyptiacos tumultus derelinquens, adveniensque in Æthiopiam, et illic omnino ab aliis negotiis feriatus, totos quadraginta annos rerum contemplationi impertivit. *Hæc simul dare volui, ut rerum ordo, a plurimis non observatus, ex Basilio confirmetur.*

causa aulam deserendi potuit esse sævitia Ægyptiorum in Hebræos;

59 *Hunc egressum ex aula etiam non observavit Philo, aut certe non distinxit a fuga, utriusque occasionem et causam alias probabiliter sic exprimens:* Hæc ille continue ferebat indignissime, cum nec prohibere injuriam *(Hebræis ab Ægyptiis illatam)* posset, nec oppressis succurrere: verbis tamen quantum poterat sublevabat, præfectos subinde admonens, ut moderarentur laxarentque nimiam in urgendo duritiam: operarios vero, ut præsentem statum ferrent fortiter, sicut viros decet, nec animis deficerent una cum corporibus, utque sperarent mutationem in melius, omnia enim mundana verti in contrarium, nubila in serenitatem, procellas in quietum aerem, tempestatem in tranquillitatem, res vero humanas eo magis, quo instabiliores sunt. Talibus incantationibus tanquam bonus medicus putabat se levaturum mala quamvis

AUCTORE J. S.

quamvis gravissima: quæ tamen ad tempus lenita, mox exasperabantur denuo, et ex intervallo augebantur novis ærumnarum accessionibus: erant enim inter præfectos quidam efferati rabie, nihil differentes a venenatis carnivorisque bestiis, humana specie beluæ, sub qua mores ferinos celabant, ferro adamanteque duriores. Ex his unum immanissimum, quia nihil remittens exacerbabatur etiam precibus, nisi celeriter jussa fierent, pulsans miseros, verberans, excrucians, interemit, fas esse ratus: et re vera fas erat, cum occidere, qui vivebat in perniciem hominum.

causa vero fugiendi timor.

60 Hoc auditum rex ægre tulit, ut indignum facinus, non quod aliquis occisus esset, aut occidisset, sive jure sive injuria: sed quod Nepos ab eo dissentiret, nec eosdem, quos ipse, haberet pro sociis et hostibus, amans quos ille oderat, infensus vero dilectis ab eo; et miserans, quos rex inclementer exagitabat. Hanc occasionem nacti purpurati, et suspectum habentes Juvenem, quem norant aliquando exacturum pœnas præsentis crudelitatis, quamprimum potuerit; patulas avi * aures impleverunt plurimis calumniis

* regis

B hinc inde insusurrantes, ut de amittendo principatu reddiderint solicitum. Dicebant enim: Te ipsum aggredietur, nihil mediocre sapit, semper molitur aliquid, ante tempus ad regnum aspirat, aliis pollicetur, alios territat, indemnatos interficit: quo quisque est tui amantior, eo magis eum persequitur. Quid cunctaris? an ut quæ conatur efficiat? Proderit insidiatori hæc dilatio. Moses interea secessit in finitimam Arabiam, ubi tutius degere poterat. *Quod ait Philo, fuisse unum ex præfectis operum, quem occidit* Moyses, *non quidem legitur in sacra Scriptura; attamen verisimile est. Verum non æque probabile apparet, quod regem Ægypti nominet* avum Moysis, *supponens eumdem, sub quo natus fuerat* Moyses, *eo tempore vixisse; quod non recte cohæret cum chronotaxi regum Ægypti. Quod spectat ad criminationes procerum apud regem, ex pro conjecturis non improbabilibus haberi possunt.*

C

§ VII. Gesta Moysis in Madianitide: uxor ibi ducta, et duo filii generati.

Moyses post fugam ex Ægypto habitavit in Madianitide circa mare Rubrum,

De *loco, ad quem ex Ægypto fugit* Moyses, *Exod.* 2 ℣ 16 *dicitur:* Moratus est in terra Madian. *Stephanus vero Act.* 7 ℣ 29 *ait:* Fugit autem Moyses, . . et factus est advena in terra Madian. *Plurimi scriptores duas urbes*, Madian *dictas, fuisse volunt, alteram non longe a mari Mortuo, alteram prope mare Rubrum collocantes. Eam sane opinionem passim apud neotericos reperio, ita ut jam quasi pro certo haberi videatur, non modo geminam Madian, sed et geminam Madianitidem fuisse. Verumtamen res mihi nequaquam apparet certa; sed diligentiore examine digna. Id interim certum est, Madianitidem illam, ad quam fugit* Moyses, *fuisse prope montes Horeb et Sinaï: nam pascens gregem pervenit ad montem Horeb, ut dicitur Exod. 3. Ex hac observatione rursum sequitur, Madianitidem non longe abfuisse a mari Rubro, seu a sinu Arabico, uti alias vocatur: nam mons Sinaï vicinus est prædicto mari, a quo* D *eum aliqui interpretes in Tabulis suis geographicis justo longius amoverunt. In hac porro Madianitide vixisse* Moysen *quadraginta annis, certum est, nec de eo ullatenus dubitari potest. Pars illa est Arabiæ Petrææ; atque ideo auctores profani dicunt*, Moysen *fugisse in Arabiam. S. Hieronymus in Locis Hebraïcis de metropoli hujus regionis ita scribit:* Madian, urbs ab uno filiorum Abraam ex Chettura sic vocata. Est trans Arabiam ad Meridiem in deserto Saracenorum contra Orientem maris Rubri: unde vocantur Madianæi, et Madianæa regio. *Hæc omnia congruunt cum vicinitate montis Sinaï, qui item est in parte maxime Meridionali Arabiæ Petrææ, et ad Orientem Maris Rubri. Per voces* trans Arabiam *intelligit limitem Arabiæ* ad Meridiem, *sic tamen, ut pars Arabiæ censeatur; nisi maluerit deserta illa, Ægypto vicina, ab Arabia distinguere.*

alium quoque Madianitidem fuisse neoterici putant circa mare Mortuum:

62 *Hieronymus post data verba subdit, aliam quoque reperiri civitatem,* Madian *vocatam,* juxta Arnonem (*fluviolum*) et Areopolim (*Moabitarum metropolim,*) cujus, *inquit*, nunc ruinæ tantummodo demonstrantur. *Non adduxi omnia* E *Hieronymi verba, quia de recta eorum lectione digladiantur scriptores. At sententia Eusebii et Hieronymi explicata videri potest in postrema editione Veronensi. Ex hoc autem loco Hieronymi scriptores neoterici non solum aliam urbem* Madian, *sed etiam regionem Madianitarum diversam statuunt ad Orientem maris Mortui, ac de ea gente intelligunt omnia, quæ postea de Madianitis a* Moyse *partim excisis erunt narranda. Calmetus in Dictionario biblico ad vocem* Madian *non modo duas Madianitides amplectitur; sed præterea probare nititur, Madianitas ad Orientem maris Mortui positos fuisse posteros Abrahami et Ceturæ, descendentes nimirum ex* Madian, *quarto eorum filio; Madianitas vero vicinos mari Rubro verisimiliter descendisse ex Chus, filio Cham: ex quo sequitur, uxorem* Moysis *non fuisse ex posteris Abrahami: atque in eo S. Hieronymo adversatur. Porro ratio distinguendi duas Madianitides in Scripturis nulla mihi occurrit, nisi hæc unica, ex qua totam illam opinionem ortam existimo, videlicet quod Madianitæ aliquando memorantur prope mare Rubrum, aliquando prope mare* F *Mortuum, quodque extensio illa major sit visa, quam ut una gens totum illum tractum incoluerit.*

sed probabilius est eamdem gentem se extendisse a mari Rubro usque ad Moabitidem.

63 *Verum si attente considerare velimus omnia, quæ de Madianitis referuntur in sacris Litteris, non improbabile videbitur, eos fuisse extensos a mari Rubro usque ad mare Mortuum, seu usque ad confinia Moabitarum et Idumæorum: quod solum requiritur, ut omnia de Madianitis relata facile intelligantur. Primo Gen.* 25 ℣ 2 *et* 1 *Paralip.* 1 ℣ 32 *inter filios Abrahami ex Cetura quartus numeratur* Madian. *Et mox quinque enumerantur filii Madian, nimirum* Epha, et Opher, et Henoch, et Abida et Eldaa. *Itaque Madian fuit frater Isaaci, ita ut mirari non possemus, si Madianitæ tempore* Moysis *tam numerosi fuissent, quam Israëlitæ simul et Idumæi, qui omnes posteri erant Isaaci ex duobus tantum filiis. Imo, si quinque filios Madian cum duobus Isaaci conferamus, facile videbimus, ne mirandum quidem fore, si fuissent utroque prædicto populo numerosiores. At nequaquam necesse est asserere, Madianitas solis Israëlitis*

A *Israëlitis numero superiores fuisse, ut intelligere possimus, tractum illum Arabiæ, quæ mari Rubro et mari Mortuo interjacet, ab ipsis fuisse inhabitatum, cum illius longitudo major non sit, sed potius minor, quam sit longitudo Terræ promissæ, per quam Israëlitæ se extenderunt sub duce Josue. Præterea Madianitæ tractum illum Arabiæ inhabitare poterant, etiamsi existimare velimus eos numero longe inferiores fuisse Israëlitis, cum minus frequentes haberent urbes, et verisimiliter pro majori parte sub tentoriis degerent, atque huc illuc vagarentur pro commodo gregum suorum. Hæ rationes sufficiunt ad ostendendum, non esse statuendas duas Madianitarum gentes, elsi Madianitas inveniamus prope mare Rubrum, et rursum in eorum vicinia esset* Moyses, *quando castrametabatur in campestribus Moab : nam a mari Rubro usque ad Moabitas illi extendebantur. Scriptura etiam suadet, unam tantum fuisse gentem Madianitarum : nullibi enim Madianitas a Madianitis distinguit. Quin et ex ipso Calmeto addi possunt sequentia ipsius verba :* Ex Madianitis illi tantum noti videntur Orientalibus, qui tenebant loca
B ad mare Rubrum juxta Sinaï, quo veniens Moyses Sephoram duxit. *Non alia de causa, opinor, hi soli Madianitæ noti sunt Orientalibus, quam quod nulli alii umquam fuerint; sed hi solum se paulo longius extenderint. Hæc observatio lucem affundere potest variis deinde narrandis.*

Moyses in Madianitidem veniens, Sephoram ducit uxorem, filiam Raguelis sacerdotis ;

64 Moyses *prima sua gesta in Madianitide sic exponit a ℣ 15 :* Moratus est in terra Madian, et sedit juxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam : et impletis canalibus adaquare volebant greges patris sui. Supervenere pastores, et ejecerunt eas : surrexitque Moyses, et defensis puellis, adaquavit oves earum. Quæ cum revertissent ad Raguel patrem suum, dixit ad eas : Cur velocius venistis solito? Responderunt : Vir Ægyptius liberavit nos de manu pastorum : insuper et hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus. At ille, Ubi est? inquit. Quare dimisistis Hominem? Vocate eum, ut comedat panem. *Hic Scriptura brevitatis cau-*
C *sa omittit* Moysen *venisse ad Raguelem, invitatumque ab eo, ut secum maneret : nam id sequentia abunde indicant,* Moyse *sic prosequente narrationem suam :* Juravit ergo Moyses, quod habitaret cum eo : accepitque Sephoram filiam ejus uxorem. *Ex his facile colliget studiosus lector ; necesse esse, ut mira in* Moyse *fuerit gratia ; cum visus statim invitatus sit ad manendum; et deinde viri primarii filiam acceperit uxorem. At pauca hic observanda de socero et uxore* Moysis.

hic Raguel verisimiliter est idem qui Jethro,

65 *Primo dubitant interpretes an Raguel idem sit cum Jethro, qui cap.* 3 ℣ I *etiam vocatur* socer Moysi, *quia idem ille Jethro cap.* 18 *nominatur* cognatus Moysi. *Vox Hebraïca* Chothen *ubique est eadem, sed prioribus locis Latine reddita est* socer, *posterioribus vero* cognatus, *ita ut vox Hebraïca videatur esse istius significationis, ut designet aliquem affinitate junctum, neque ex ea determinari possit, socerne is sit, an solum cognatus per affinitatem. Si vero consideremus Scripturam Vulgatam, dicendum est, eumdem esse hominem, qui alibi* Raguel, *alibi* Jethro *vocatur, quia tam* Raguel *quam* Jethro *dicitur* socer Moysis, *qui certo non nisi unum habuit socerum, sicut unam dumtaxat habuit uxorem. Quod autem Jethro deinde appelletur* cognatus *per affinitatem, non evertit rationem datam : nam socer latiore significatione vocari potest* affinis, *aut* cognatus *per affinitatem ; at nullus vere nominari potest* socer, *nisi socer revera sit. Itaque Vulgata nostra Raguelem et Jethronem pro eodem habet. Consentiunt Vulgatæ Septuaginta interpretes, qui jam Exod.* 2, *ubi socer* Moysis *in Vulgata appellatur* Raguel, *pro* Raguel *habent* Jethro. *Præterea Symmachus, Aquila, Josephus et passim antiqui omnes in eam sententiam videntur conspirasse, cum non invenerim ullum antiquorum allegari pro opposita. Itaque, licet vox Hebraïca sit ambigua, et alibi aliter Latine expressa legatur, censeo antiquis interpretibus sacræ Scripturæ hic acquiescendum esse, dicendumque Raguelem et Jethronem eumdem esse* Moysis *socerum. Gesta ipsa inter Jethronem et* Moysen *Exod.* 18 *sententiam hanc ratione verisimili persuadent : neque enim videtur Jethro tanta libertate, quanta ibidem usus est, Ducem numerosi populi moniturus fuisse, nisi fuisset socer, ideoque plus auctoritatis habuisset, quam haberet affinis ætate æqualis aut inferior.*

sacerdos veri Dei, atque ex posteris Abrahæ : rationes contra postremam partem allatæ,

E 66 *Observandum secundo, Raguelem aut Jethronem non fuisse sacerdotem idolorum, sed veri Dei, qualis fuit Melchisedech : nam Jethro deinde ad* Moysen *reversus,* obtulit holocausta et hostias Deo, *ut dicitur Exod.* 18 ℣ 12. *Tertio ex dictis nostris de Madianitis sequitur, Jethronem ejusque filiam Sephoram fuisse ex posteris Abrahami. Consentit Origenes Hom.* XI *in Genesim, ita scribens :* Sed ne hoc quidem latere nos debet ex his, quæ per historiam referuntur, quæ et quales sint generationes, quæ ex ipsa propagantur. Si enim horum meminerimus, facilius de diversis gentibus, quæ in Scripturis dicuntur, poterimus agnoscere : verbi causa, ut cum dicitur, quod Moyses accepit uxorem filiam Jethro sacerdotis Madian ; qui Madian invenitur filius fuisse Cethuræ et Abraham. Agnoscimus ergo, quod uxor Moysi ex semine Abraham sit, et non fuerit alienigena. *Quamquam hæc satis certa videntur, breviter tamen respondebo argumentis eorum, qui hosce Madianitas ex Chus ortos fuisse volunt, aut certe rem dubiam existimant. Præcipua eorum ratio* F *est, quod Sephora Num.* 12 v I *vocetur* Æthiopissa, *seu* Chusitis : *nam Æthiopes ex Chus filio Cham ducunt originem. Alteram rationem addit Calmetus ad vocem* Madian, *ut dubitationem suam confirmet ; eamque exprimit his verbis :* Arabes scriptores reputant Madianitas exteras esse gentes, qui sedem sibi constituerunt in Arabia, alienas proinde a numero tribuum veterum illarum gentium, quæ regionem illam frequentabant, et quarum insuper historiam scriptores illi fuse executi sunt in Commentariis suis et Genealogiis. Id autem maxime favet opinioni, referenti Madian ex parente Chus. *Ita ratiocinatur vir eruditus, cujus observatio vera est : at sequela prorsus contraria erat deducenda, ut mox videbimus*

ad quarum solutionem observantur aliqua de antiquis incolis Arabiæ :

67 *Eruditissimus Assemanus in Bibliotheca Orientali tom.* 3 *part.* 2 *cap.* 10 § I *fuse disputat de gentibus, quæ Arabiam primæ incoluerunt; singulaque asserta probat ex monumentis præsertim Orientalibus, de quibus loquitur Calmetus. Porro Assemanus dividit Arabiæ incolas in indigenas et advenas. Indigenas rursum dividit in duas partes, quarum primam ait oriri a*

Jectan,

AUCTORE J. S.

Jectan, *filio* Heber. *Confirmari id potest ex sacra Scriptura Gen.* 10 ỷ 26, *ubi sic habetur:* Qui Jectan *(filius* Heber *et frater* Phaleg, *ut præmittitur)* genuit Elmodad, et Saleph, et Asarmoth, Jare et Aduram, et Uzal, et Decla, et Ebal, et Abimaël, Saba, et Ophir, et Hevila, et Jobab. Omnes isti filii Jectan. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque ad Saphar montem Orientalem : *id est, inquit Assemanus*, a Musa seu Muza emporio sinus Arabici usque ad Sapphar seu Tapphar urbem Homreitarum. *De altera gente deinde idem hæc subjicit :* Altera Arabum etiam indigenarum origo derivatur ex Chus filio Cham *etc.* Ab his nati Chusæi seu Chusitæ, et Sabæi, qui Arabiam incoluere ad Persici et ad Rubri maris sinum *etc. Hæc latius prosequens, sic demum concludit :* Denique a Chus Chusæi, qui Græcis et Latinis Æthiopes dicuntur : etsi enim Chusæorum nomen sequiori ævo pro Æthiopiæ Africanæ incolis, quos Habassinos dicimus, usurpari cœptum est ; Chusæos tamen, antequam sinum Arabicum trajicerent, inque adversam Æthiopiæ partem migrarent, in Arabia habitasse,
B certissimis argumentis demonstrat Bochartius lib. IV cap. 2.

partim ostendunt Madianitas revera esse ex posteris Abrahæ,

68 *Expositis hisce de Arabibus indigenis, progreditur ad advenas, seu adventitios, qui ex Abrahamo et Lot ducunt Originem. Abrahami posteri sunt partim ex Agar, uti* Ismaëlitæ, *qui varia deinde nomina sortiti sunt; partim ex Cetura, inter quos reperiuntur* Madianitæ, *partim etiam ex Sara, quales sunt Idumæi, ex Esau filio Isaaci descendentes. Ex Lot vero orti sunt Ammonitæ et Moabitæ.* Ab his, *inquit Assemanus, nimirum ab Abraham, Lot, et Esau*, orti notissimi Arabiæ populi, Ismaëlitæ, Madianitæ, Moabitæ, Ammonitæ, et Edomitæ seu Idumæi, quos Arabes advenas et adscititios vocant, quod nimirum eo postea advenerunt, ubi primi Arabes habitabant, quibuscum connubia et fœdera contraxere. *Hæc non solum ex Arabum historia; sed vel sola ratione evidenter probari possunt : nam nec Abraham nec Lot primum habitarunt in Arabia. Itaque eorum posteri eo delati sunt, postquam a gentibus longe antiquioribus dudum inhabitata erat. Quapropter ex eo, quod Madianitæ ab Arabibus habeantur pro advenis, evidenter sequitur, Ma-*
C *dianitas non esse ex posteris Chus, qui indigenæ erant; sed ex posteris Abrahami, qui deinde advenerunt.*

partim non adversantur.

69 *Jam vero ut melius intelligatur, qua de causa Sephora vocetur* Æthiopissa, *seu Hebraïce* Chusitis, *pauca etiamnum laudati Assemani verba subjungo, quæ habet ibidem num.* 4 : Madianitarum caput Madian in deserto Saracenorum maris Rubri, unde vocatur regio Madiana-a, ubi antiqui Chusæi habitabant.... Urbs eorum MADIAN, quæ est Ptolemæi MODIANA. *Itaque dubitandum non videtur, quin* Æthiopissa, *seu* Chusitis, *dicta fuerit a loco, quem inhabitaverant Chusæi, quemque tunc incolebant Madianitæ. Sic Franci a Gallia sæpe dicuntur* Galli, *Gothi ab Hispania* Hispani, *Angli a Britannia* Britanni; *omnesque passim populi, postquam novas sedes occuparunt, aliquando sortiti sunt nomen antiquum gentis suæ, aliquando regionis, quam occupaverant. Utrumque nomen videtur expressisse Habacuc cap.* 3 ỷ 7 *his verbis :* Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. *Sic S. Ambrosius laudatus num.* 32 *et Basilius num.* 58 D
Madianitidem vocant Æthiopiam.

Duo filii Moysis in Madianitide nati.

70 Moyses *ex ducta uxore duos in Madianitide genuit filios, uti ipse narrat hoc modo :* Quæ (*Sephora*) peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens : Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens : Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis. *Per annos quadraginta ibidem moratus est* Moyses, *uti constat ex Act.* 7 ỷ 30. *Quid interim egerit, breviter sic exponit cap.* 3 ỷ I : Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian. *Nec hanc vitam pastoritiam excludere voluit, opinor, S. Basilius num.* 58, *etsi dicat :* Illic omnino ab aliis negotiis feriatus, totos quadraginta annos rerum contemplationi impertivit. *Nam cura pascendi gregem non magnopere impedit contemplationem, sed potius ad contemplandum præbet otium. Sub finem horum annorum obiit Pharao, uti insinuat* Moyses *cap.* 2 ỷ 23 *sic scribens :* Post multum vero temporis mortuus est rex Ægypti : et ingemiscentes filii Israël, propter opera vociferati sunt : ascenditque clamor eo- E
rum ad Deum ab operibus. Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, et Jacob. Et respexit Dominus filios Israël, et cognovit eos. *Hæc omnia significant, appropinquasse tempus, quo Deus statuerat liberare Israëlitas secundum promissionem patriarchis factam.*

§ VIII. Aliorum quorumdam de prædictis narratio datur et examinatur.

Josephus fugam Moysis et adventum in Madianitidem,

J*osephus relata ex Scripturis explicat, et auget quibusdam conjecturis, quæ satis apparent probabiles. Quare ipsius verba de fuga* Moysis *et prioribus gestis in Madianitide huc transfero.* Cum vias, *inquit*, observari intelligeret, per solitudines fugam arripuit, qua eversurum inimici minime suspicabantur : et quamvis alimenta nusquam inveniret, inediam patientia superabat. Cumque ad urbem Madienam pervenisset, in Rubri maris litore sitam, denominatam ab uno ex Abrahami et Chæturæ fi- F
liis, sedens ad quemdam puteum lassitudinem ex laborioso itinere contractam recreabat. Erat enim tempus meridianum, et urbem jam in prospectu habebat. Hoc loco ei negotium incidit natum ex incolarum vivendi ratione, per quod et virtutem suam declaravit, et melioris fortunæ occasionem invenit, cum enim ea regio laboret aquarum inopia, pastores operam dabant ut primi puteos occuparent, ne forte, exhausta aqua ab aliis, ipsorum pecora potu carere cogerentur.

uti et adjutas Raguelis sacerdotis filias,

72 Veniunt igitur ad puteum septem virgines sorores, Raguelis sacerdotis filiæ, qui in magno honore ab ejus loci habitatoribus habebatur : quæ patris gregum curam gerentes, id quod etiam per fœminas apud Troglodytas ex more fit, hausta aqua, quantum satis videbatur, gregibus eam potandam in lacunas ad hunc usum factas diffundunt. Cumque pastores supervenissent, et repellendo puellas aquam sibi usurparent, Moyses iniquum ratus non ferre opem injuriam patientibus virginibus, et se inspectante vim

A vim virorum plus pollere quam jus puellarum, abactis usurpatoribus auxilium eis ita, ut decebat, præbuit. At illæ, accepto beneficio, postquam ad patrem venerunt, et pastorum injuriam, et quomodo ab hospite adjutæ fuerint, ei retulerunt: rogabantque, ne illi hoc beneficium periret.

gratesque hac de causa Moysi relatas probabiliter exponit.

73 Tum ille collaudata puellarum erga benefactorem gratitudine, jussit ut Moysen adducerent, meritam gratiam recepturum. Qui ubi venit, indicavit ei, quomodo ex filiabus cognovisset de auxilio, quod eis tulerat, et virtutem ejus admiratus, in non ingratos hoc beneficium collocatum aiebat. Relaturum enim se gratiam, non modo parem, sed aliquanto majorem, deinde adoptato in filium unam ex filiabus nuptum tradidit: ad hæc pecorum, ex quibus olim universa barbarorum possessio constabat, curatorem eum ac dominum constituit. Hanc fortunam Moyses nactus apud Jetheglæum, quod Raguelis cognomen erat, degebat, apud socerum pascens pecora. *Quod supra de Troglodytis asserit Josephus, verum est; at cavendum, ne quis putet, Madianitas ab eo confundi cum Troglodytis:* B *nam Troglodytas, qui habitabant præcipue in Africa ad litus oppositum sinus Arabici, seu maris Rubri, solum adducit, ut ostendat non apud solos Madianitas pecorum curam etiam feminis demandari.*

Philo vero auxilium puellis præstitum liberiori paraphrasi narrat,

74 *Philo, relata breviter* Moysis *fuga, de auxilio puellis præstito, sic ratiocinatur:* At hic diversam viam ingressus, sequebatur sanum suum animum, non sinens se transversum abripi, et ideo nonnumquam audentior quam pro viribus, fidebat justitiæ, qua fretus ultra ferebat opem infirmioribus. Dicam unum ejus facinus, quod in hoc tempus incidit, parvum in speciem, sed indicium magni animi. Arabes exercent pecuariam pascuntque greges promiscue viri, mulieres, juvenes virginesque, non plebeii solum, sed et nobiles. Septem puellæ, unius sacerdotis filiæ, gregem ad quemdam fontem adduxerant, demissisque per funem urnis, per vices certatim hauriebant, fundebantque aquam in proximos alveos, donec implerentur. Supervenerunt alii pastores, qui contempta debilitate virginum, conati sunt eas submovere una cum suis gregibus; ad paratum potum agentes sua pecora, fruituri C alienis laboribus. Id Moses, qui non longe aberat, conspicatus confestim accurrit, clamitans: Non desistetis ab injuriis in solitudine, qua ad fraudem abutimini? non pudet vos circumferre ignava brachia inertesque humeros? capillos, barbas, carnesque viriles video, viros non video: puellæ juveniliter tractant, quæ tractanda sunt; vos juvenes estis puellis delicatiores. Non abitis? non ceditis his, quæ priores venerunt, quæ jus aquæ habent haustæ ipsarum opera, quo uberior esset copia? Itane paratam auferetis? non facietis per cælestem oculum justitiæ, qui videt quidquid sit etiam in locis desertissimis: non auferetis impune. Is me præter opinionem misit in auxilium, nec enim decro injuriam patientibus, fretus illa magna manu, quam vos excæcati cupiditate non cernitis, nec fas est vos cernere, sentietis tamen eam ex occulto ferientem, nisi resipiscitis. His verbis territi, quæ videbantur hominis afflati divino furore; veritique ne vera caneret, paruerunt: admissisque virginum gregibus ad alveos, passi sunt earum pecora prius bibere.

AUCTORE J. S.

easque ingratitudinis accusat, artem quoque pastoritiam

75 Illæ domum lætæ reversæ, insperatum casum patri denarraverunt, ita ut caperetur magno desiderio videndi ejus Hospitis. Objurgabat igitur earum ingratitudinem: Cur dimisistis hominem? quin adduxistis? et si forte recusabat, exorastis etiam? estisne mihi alicujus inhumanitatis consciæ? aut non timetis, ne iterum incidatis in violentos et injustos alios? Necesse est ut auxilio destituamini tam obliviosæ erga bene meritos. Recurrite, unde venistis, donec erratum potest corrigi: ite propere; vocate non tam ad hospitium, quam ad recipiendam gratiam: debetur enim. Reversæ ad fontem, in propinquo cum inveniunt, et patris verbis persuasum, domum deducunt. Qui primum speciem, mox et mentem ejus admiratus (nec enim opus habet felix ingenium longa experientia) dat ei uxorem filiarum formosissimam, hoc uno facto virtutem ejus approbans, per seipsam amabilem, ut externa commendatione non egeat, modo detur innotescere. Post eas nuptias præfuit gregibus, ad principatum se præparans. Nam pastoralis ars ad regnum est præludium, hoc est ad regimen hominum, gregis mansuetissimi: quemadmodum bellicosa ingenia præex- E ercent se in venationibus: in feris enim experiuntur futuri præfecti militiæ, brutis præbentibus materiam exercitii tam belli quam pacis tempore. Nam præfectura mansueti pecoris habet quiddam simile cum regno in subditos. Ideo reges cognominantur pastores populorum, non contumeliæ sed honoris gratia.

extollit supra modum: in hisce quædam corrigenda.

76 Imo quantum ego intelligo, non juxta vulgarem opinionem, sed rei veritatem vestigans (rideat qui volet) solus potest esse rex undequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, et curando minora animalia didicit, quomodo debeat præesse præstantioribus: impossibile est enim ut magna prius quam parva perficiantur. Factus igitur omnium ætatis suæ pastorum optimus, et utilitatis pecorum providentissimus, dum nullum laborem fugitat, sed ultro et injussus alacriter eis prospicit, prompte bonaque fide auxit gregum copiam, adeo ut jam invidiosus esset apud pastores cæteros, nihil simile videntes in suis gregibus, qui præclare secum agi putabant, si nihil detrimenti acciperent, mirantes illius numerum indies crescere, nec tantum singulas oves pulchre pinguescere, sed præter egregiam corporum habitudinem fœcunditate quoque laudari, et pascuis frui longe F saluberrimis. *In hoc Philonis discursu nonnulla sunt observanda. Primo filias Raguelis non recte tamquam ingratas traducit: nam verisimile est, ut observat Josephus, gratas fuisse, et desiderasse, ut agnosceretur* Moysis *beneficium; at non ausas fuisse eum ducere ad ædes paternas injussu parentis. Secundo artem pastoritiam nimium extollit, dum definit eam principibus necessariam esse ad regimen subditorum. Malim ego existimare* Moysen *ab arte pastoritia vocatum esse ad liberationem et regimen Israëlitarum, quemadmodum Apostoli a piscatoria ad conversionem mundi, ut sapientia ac potentia Dei magis eluceret. Tertio ita nuptias* Moysis *cum Sephora referunt Josephus et Philo, acsi statim fuissent contractæ, idemque clarius asserit S. Gregorius Nyssenus infra edendus. Incertum tamen est, an tam cito coaluerint nuptiæ, quarum tempus* Moyses *ipse non expressit. Quin potius non tam cito contractæ videntur, cum duo* Moysis *filii parvuli essent, quando post annos quadraginta reversus est in Ægyptum.*

77 *Artapanus*

AUCTORE J. S.

Raguel ab aliquibus dicitur princeps, et potuit revera civitatis suæ princeps esse :

77 *Artapanus loco jam indicato apud Eusebium Sephoram vocat* Raguelis Arabiæ regis filiam. *Ibidem in Annotatis num.* 13 *Ezechielus antiquus poeta Sephoram* Moysi *sic inducit loquentem :* Rex autem terræ est, unus et gubernator et dux solus. Præsidet autem urbi huic et judicat homines sacerdos, qui est meus et harum pater. *Chaldæus interpres etiam locum* Moysis, *ubi in vulgata Latina legitur*, sacerdoti Madian *exposuit*, principi Madian. *Hac occasione notant interpretes, vocem Hebraïcam* cohen *non modo* sacerdotem *proprie significare*, *sed* principem *etiam, quia principatus sæpe conjunctus erat cum sacerdotio. Hac de causa probabile est, Raguelem principem simul et sacerdotem fuisse ; non quidem principem totius gentis Madianitarum ; sed principem civitatis, in qua habitabat : quales Madianitarum principes erant* Evi, Recem, Sur, Hur et Rebe, quinque principes gentis, *quos Israëlitæ deinde occiderunt Num.* 31 ỷ 8, *quique ibidem etiam* reges *nominantur. At certius est sacerdotem fuisse veri Dei, quia, ut jam dixi num.* 66 *sacrificavit Deo : quod* Moyses *non permisisset, nisi fuisset* B *veri Dei sacerdos. Qui volunt fuisse sacerdotem idolorum, pro ratione allegant, quod Madianitæ essent idololatræ. At non probant, omnes Madianitas jam idololatras fuisse tempore* Moysis, *quo idololatria necdum tam late erat sparso, nec tam erat universalis, ut aliqui non reperirentur veri Dei cultores, etiam in gentibus ea peste infectis.*

genealogia ejus vitiosa in Chronico Alexandrino,

78 *In Chronico Alexandrino ad annum Moysis* 80 *talis Sephoræ texitur genealogia.* Ex Abrahamo et Cætura nascitur Jezanus, ex Jesano Dadanus ; e Dadano Rhaguel ; ex Rhaguele Jothorus et Jacobus, ex Jothoro Sephora, quam duxit Moyses. Ergo Moyses ab Abrahamo septimus, sexta vero Sephora recensetur. *Verum hæc genealogia fictitia mihi apparet, et facile erroris convinci potest. Nam* Jecsan *quidem (hic* Jezanus) *est secundus filius Abrahami ex Cetura : atque ille filium habuit* Dadan, *(qui hic* Dadanus.) *Verum inter filios Dadan, qui enumerantur* I *Paralip.* 1 ỷ 32 *nullus est Raguel. Falsum quoque est Raguelem esse patrem Jothori, seu Jethro : quem eumdem cum ipso esse jam probavi. Unde id acceperit auctor illius Chronici, intelligimus ex Eusebio, qui lib.* 9 *de Præ-* C *paratione Evangelica cap.* 4 *sic habet :* Demetrius historicus... dicit Mosem ex Ægypto in Madian profugisse, ac ibi Jethronis filiam, Sephoram nomine, in uxorem duxisse : quam, conjectura a nominibus capta, ex Abraham genus traxisse affirmat : Abraham enim ex Cetura Jessam genuisse, et ex Jessan natum fuisse Adam *, a quo Raguelem (*adde* a Raguele) vero Jethro et Rab, et Jethronis filiam Moysi nuptam fuisse. Generationes quoque ait ita convenire, ut verisimile sit Sephoram et Mosem, ex Abraham descendentes iisdem temporibus fuisse : Mosem enim septimum, Sephoram autem ex Abraham sextam fuisse, et Madian urbem ab uno filiorum Abrahæ nominatam fuisse. *Vitiosa hæc esse jam ostendi. Quin et verisimilius est, Raguelem fuisse ex posteris Madian, quarti filii Abrahami : nam ab eo genti est nomen. Id tamen pro certo non asseruerim, cum inter Madianitas aliqui forsan fuerint posteri ex aliis Ceturæ filiis.*

* Dadan

79 *Præmissa, opinor, legerat Hugo Grotius, quando collegit ex dictis Num.* 10 ỷ 29 *Raguelem non esse patrem, sed avum Sephoræ. Quippe ad verba Exod.* 2 ỷ 18 Raguelem Patrem suum D *(Sephoræ nimirum) sic notat :* Id est, avum, ut colligitur Num. x ỷ 29. Confer, quod Gen. xxiv ỷ 48. *Verum verba num.* 10 ỷ 29, Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo, *neutiquam evincunt, Raguelem esse avum Sephoræ : nam Hobab frater fuit Sephoræ, ideoque cognatus, seu potius sororius* Moysis. *Locus Gen.* 24 ỷ 48 *nihilo magis juvat opinionem Grotii. Dicit quidem eo loco servus Abrahæ :* ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus, *Rebeccam intelligens, Isaaco nuptiis jungendam, quæ revera non erat filia Nachor fratris Abrahami, sed filia Bathuelis, filii Nachor. Verum nec Nachor, qui avus erat, hic vocatur pater Rebeccæ, nec Rebecca Nachoris vocatur filia ; at Bathuel potius vocatur* frater *Abrahami, licet esset solum fratris filius. Sic Gen.* 13 ỷ 8 *ipse Abraham Lot fratris sui filio similiter dicit :* Fratres enim sumus. *Nolim tamen negare, aliquem subinde in Scripturis* patrem *vocari, etsi revera pater non sit, sed unus e majoribus aut proavis : at verba illa,* Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, *clarius patrem designant, quam ut de avo intelligi possint. Consule itaque dicta num.* 65. E

ex qua videtur Grotius asseruisse Raguelem fuisse avum Sephoræ.

§ IX. Visio rubi ardentis : missio Moysis in Ægyptum, et controversiæ huc spectantes.

Visio rubi ardentis nec combusti, uti refertur a S. Stephano :

Q*uo tempore acciderit celeberrima* Moysis *visio, missioque ejusdem in Ægyptum ad liberandos diuturna servitute Israëlitas, declarat S. Stephanus Act.* 7 ỷ 30, *rem totam breviter sic enarrans.* Et expletis annis quadraginta *(in Madianitide, quando octogenarius erat* Moyses) apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum : et accedente illo, ut consideraret *(flammam non comburentem,)* facta est ad eum vox Domini, dicens : Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob *: id est, ego sum Deus quem coluerunt patres tui, Abraham, Isaac et Jacob.* Tremefactus autem *(hac voce)* Moy- F ses, non audebat considerare, *flammam videlicet rubi, uti ante auditam vocem facere disposuerat. Quippe reverentem timorem incutiebant tam vox præcedens, quam quæ subduntur hoc modo :* Dixit autem illi Dominus : Solve calceamentum pedum tuorum : locus enim, in quo stas, terra sancta est ; *propter extraordinariam Dei præsentiam et manifestationem.* Moyse *autem ad summam reverentiam composito, vox divina sic prosequitur :* Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Et nunc veni, et mittam te in Ægyptum. *Hactenus S. Stephanus enarrans visionem, cui hoc epiphonema subjungit :* Hunc Moysen, quem negaverunt, dicentes : Quis te constituit principem et judicem ? hunc Deus principem et redemptorem misit, cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.

quæritur utrum Moysi apparuerit angelus an Dei Filius:

81 *Ex verbis S. Stephani difficilis oritur quæstio, quæ etiam locum habet in multis aliis sacræ Scripturæ locis : nam persona, quæ* Moysi *apparuit*

AUCTORE J. S.

A *apparuit, aliquando* angelus *vocatur, aliquando* Dominus *et* Deus. *S. Augustinus quæst.* 3 *in Exodum duas sententias dubitanter sic proponit :* Dominus in angelo ; an Dominus angelus ille, qui dictus est Magni consilii Angelus et intelligitur Christus? *Dubitabat igitur eo tempore Augustinus, utrum ipse Filius Dei, an angelus aliquis cum* Moyse *fuerit locutus. Idem sanctus Doctor lib.* 2 *de Trinitate cap.* 13, 14 *et* 15 *de hac quæstione etiam disputat in utramque partem, sed ibidem minus approbare videtur, quod de Filio Dei nominatim dicitur. Fortius id rejicit S. Augustinus in Opere contra Maximinum Arianum, quod sub finem vitæ scripsit, lib.* 2 *cap.* 26 *de visione hac ita disputans :* Deinde quæro, quis apparuerit Moysi in igne, quando rubus inflammabatur, et non urebatur? Quamquam et illic angelum apparuisse, Scriptura ipsa declarat, dicens : Apparuit autem illi angelus Domini in flamma ignis de rubo. In angelo autem Deum fuisse, qui dubitet? *Deinde probat, non Filium magis intelligi posse quam Patrem, qui per se* Moysi *fuisset locutus, quia uterque æque est Deus Abraham et Isaac et Jacob. At-*
B *que ideo paulo ante dixerat Maximino :* Frustra itaque asseris Filium Dei visum fuisse ab hominibus, Patrem autem non fuisse visum; cum per subjectam sibi creaturam et Pater videri potuerit, et Filius, et Spiritus sanctus; per suam vero substantiam nullus horum visus est. *Et deinde sic concludit :* Quapropter verum esse agnosce, Divinitatem non per suam substantiam, in qua invisibilis et immutabilis est; sed per creaturam sibi subjectam mortalium oculis apparuisse, cum voluit *etc.*

ut S. Augustinus, qui de eo olim dubitaverat, fuse probat,

82 *Tract.* 3 *in Joannem breviter et clare mentem suam exprimit sanctus Doctor his verbis :* Loquebatur ergo, fratres mei, cum Moyse angelus, portans typum Domini. *Demum lib.* 5 *de Trinitate Augustinus late ostendit, non Filium Dei per se, sed angelum Dei personam repræsentantem, egisse cum* Moyse *aliisque patriarchis aut prophetis, ita ut contrariam opinionem omnino videatur repudiasse, eamque initio solum dubitanter proposuisse propter auctoritatem antiquiorum Patrum, qui illam fuerant amplexi. Varia argumenta ex Scripturis hunc in*
C *finem desumit cap.* XI. *Pauca e clarioribus huc transfero. Primo verbis citatis clarissime dicitur apparuisse* angelus, *ut jam observavit Augustinus supra : atque idem tamen* Dominus *mox vocatur et* Deus. *Secundo Stephanus quoque Act.* 7 ℣ 53. *Judæis dicit :* Qui accepistis Legem in dispositione angelorum. *Hoc testimonium allaturus Augustinus sic loquitur :* Sed quid ultra differimus ora eorum evidentissimo atque gravissimo alio documento oppilare, ubi non angelus singulariter, nec viri pluraliter, sed omnino angeli dicuntur, per quos sermo non quilibet factus, sed Lex ipsa data manifestissime ostenditur : quam certe nullus fidelium dubitat Deum dedisse Moysi ad subjugandum populum Israël, sed tamen per angelos datam. *Eodem modo Gal.* 3 ℣ 19 Lex *dicitur* ordinata per angelos : *quem locum quoque adduxit Augustinus. Heb.* 2 ℣ 1. Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus *etc. Allato hoc testimonio, sanctus Doctor ait, se voluisse dare testimonium, ubi non diceretur* per angelum, *sed* per angelos, *quia Filius Dei aliquando in Scriptura vocatur* angelus, *nimirum Malach.* 3 ℣ 1 *nominatur* Angelus testamenti; *quodque eo argumento uterentur aliqui, ut per angelum intelligerent Filium Dei.*

egisse cum Moyse et aliis prophetis angelum, qui Deum repræsentabat.

83 *Pluribus aliis argumentis utitur ibidem laudatus Pater, ac deinde disputationem suam concludit hoc modo :* Sed jam satis, quantum existimo, pro captu nostro disputatum et demonstratum est, . . . quod antiquis patribus nostris ante Incarnationem, cum Deus apparere diceretur, voces illæ ac species corporales per angelos factæ sunt; sive ipsis loquentibus vel agentibus aliquid ex persona Dei, sicut etiam Prophetas solere ostendimus; sive assumentibus ex creatura, quod ipsi non essent, ut Deus figurate demonstraretur hominibus, quod genus significationum nec Prophetas omisisse, multis exemplis docet Scriptura. *Objectionem præcipuam paulo ante solvit hunc in modum :* Sed ait aliquis : Cur ergo scriptum est, DIXIT DOMINUS AD MOYSEN : et non potius, DIXIT ANGELUS AD MOYSEN? Quia cum verba judicis præco pronuntiat, non scribitur in Gestis, ILLE PRÆCO DIXIT, sed, ILLE JUDEX. Sic etiam, loquente Propheta sancto, etsi dicamus, PROPHETA DIXIT, nihil aliud quam Dominum dixisse in- E
telligi volumus. Et, si dicamus, DOMINUS DIXIT, Prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit, admonemus. *Porro quod Filius Dei Malach.* 3 ℣ 1 *vocetur* Angelus testamenti, *infirmum est, ad probandum, quod ipse apparuerit* Moysi : *nam agit Malachias de adventu Filii Dei in humana carne, non de Filio Dei secundum solam divinam naturam considerato. Addit hoc loco Calmetus tertiam objectionem, ex Deut.* 33 ℣ 16, *ubi* Moyses *precatur tribubus Joseph benedictionem illius,* qui apparuit in rubo ; *atqui, ait Calmetus, non aliam quam Dei benedictionem ipsi poterat precari. Verum facile respondetur, Deum in rubo apparuisse per angelum, non vero per se, sicut Legem dedit per angelos, non per se. Itaque sententia S. Augustini, quæ deinde prævaluit, mihi longe præferenda videtur oppositæ. Plura videri possunt apud theologos, qui de hac re disputant prolixius.*

Deus per angelum Moysi in rubo apparens promittit liberationem Israëlitarum,

84 *Nunc, præmissa hac monitione,* Moysen *ipsum Exod.* 3 *loquentem audiamus :* Moyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian : cumque minasset * gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi : et videbat quod rubus arderet, et non F
combureretur. Dixit ergo Moyses : Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, et ait : Moyses, Moyses. Qui respondit : Adsum. At ille, Ne appropies, inquit, huc : solve calceamentum de pedibus tuis : locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et ait : Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam : non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus : et sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram bonam et spatiosam, in terram, quæ fluit lacte et melle ; ad loca Chananæi, et Hethæi, et Ammorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi. Clamor ergo filiorum Israël venit ad me : vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. *Hactenus gratissima erat* Moysi *oratio*

* i. e. duxisse

AUCTORE J. S.

oratio angeli Deum repræsentantis : neque enim dubitare possumus, quin liberationem populi sui vehementer desideraverit, multisque precibus flagitaverit.

cujus curam diu recusando Moysen peccasse aliqui volunt : quod incertum :

85 *Verum ubi intellexit, se tanti operis ducem designari, diu cunctatus est, multasque objecit difficultates, ac tandem præfecturam illam deprecari cœpit, sed frustra. Noverat nimirum* Moyses, *quantæ esset difficultatis Israëlitas ex Ægypto educere, tum quia multo tempore versatus in aula Ægyptiaca, regis et procerum sententiam hac de re penitus perspexerat, tum quia Israëlitas ipsos suspectos habebat, memor illius responsi,* Quis te constituit principem et judicem super nos? *Præterea sciebat se notum Ægyptiis, a quibus ad mortem fuerat quæsitus ; et regis illius mortem necdum fortasse didicerat. Ad hasce timendi rationes accedere poterant tædium munerum publicorum, et amor vitæ privatæ ac fere solitariæ, quorum differentiam longo usu expertus erat; et præsertim profunda humilitas, qua cogitabat se tantæ provinciæ imparem. Hæc omnia tamen vincere debebat electio et destina-* B *tio Dei, qui vires idoneas et abundantes tribuit illis, quos ad munus sublime aliquod vocare dignatur; nec ultra timere aut onus deprecari debebat* Moyses, *ubi de electione ac voluntate Dei factus erat certior. Hac de causa aliqui existimant,* Moysen *nimia pusillanimitate diutius, quam par erat, deprecatum esse munus injunctum, et leviter saltem sua resistentia peccasse, quia infra cap.* 3 ℣ 14 *dicitur,* Iratus Dominus *etc. Verum illa opinio non est omnium, nec prorsus certa : nam vox* iratus *significare potest, angelum loqui cœpisse graviore tono quasi irascentis, ne pergeret deprecari* Moyses, *qui revera mox acquievit, postquam Dei voluntatem penitus perspexerat. Certe S. Augustinus lib.* 22 *contra Faustum cap.* 69 *huc respiciens* Moysen *vocat,* humilem in recusando tam magnum ministerium, subditum in suscipiendo, fidelem in servando *etc. Quapropter cum et alii Patres humilitatem* Moysis *hic laudaverint, nequaquam certum esse existimo, eum vel levissime hic peccasse : contra certissimum esse, quod observat S. Hilarius tract. in Psalm.* 138, Moysen *eo tempore familiarem Dei cognitionem adeptum esse. Nunc ipsius verba* C *rursum audiamus.*

Deus jubet Moysen ire in Ægyptum, ut liberet populum.

86 Sed veni, *inquit angelus Deum repræsentans*, et mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël, de Ægypto. Dixitque Moyses ad Deum : Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israël de Ægypto? Qui dixit ei : Ego ero tecum : et hoc habebis signum, quod miserim te. Cum eduxeris populum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israël, et dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen; Ego sum, qui sum. Ait : Sic dices filiis Israel : Qui est misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysen : Hæc dices filii Israël : Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos : hoc nomen mihi est in æternum, et hoc memoriale meum in generationem et generationem. Vade, et congrega seniores Israël, et dices ad eos : Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, dicens : Visitans visitavi vos, et vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto : et dixi, ut educam D vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, et Hethæi, et Amorrhæi, et Pherezæi, et Hevæi, et Jebusæi, ad terram fluentem lacte et melle. Et audient vocem tuam, ingredierisque tu, et seniores Israël, ad regem Ægypti, et dices ad eum : Dominus Deus Hebræorum vocavit nos : ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro. *Illud iter trium dierum significat distantiam montis Horeb, seu Sinaï, ab Ægypto. Plures quidem dies illi itineri deinde impenderunt Hebræi, sed id factum est, quia non incesserunt recta via, et quia verisimiliter non perfecerunt quotidie solitum unius diei iter.*

prædicensque difficultates futuras prodigiis superandas, reluctantem invenit,

87 *Deinde angelus ita pergit:* Sed ego scio, quod non dimittet vos rex Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam. Extendam enim manum meam, et percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum : post hæc dimittet vos. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis : et cum egrediemini, non exhibitis vacui : sed postulabit mulier a vicina sua et ab hospita sua vasa argentea et aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios ac filias vestras, et spoliabitis Ægyptum. E *Hisce significat Dominus, se non modo velle præsenti calamitati eripere Israëlitas, sed præteritam etiam utcumque compensare, iisque qualemcumque mercedem dare pro injusta servitute, laboribusque gravissimis, quibus longo tempore oppressi fuerant ab Ægyptiis. Porro* Moyses, *auditis omnibus, timidior factus est, quam erat initio. Quippe cap.* 4 : Respondens Moyses ait : Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent : Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum : Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit : Virga. Dixitque Dominus : Projice eam in terram. Projecit, et versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses. Dixitque Dominus : Extende manum tuam, et apprehende caudam ejus. Extendit, et tenuit, versaque est in virgam. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob. Dixitque Dominus rursum : Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, et protulit F iterum, et erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi; neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam : sume aquam fluminis, et effunde eam super aridam, et quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.

et se excusantem,

88 *Postquam hisce signis excusatio præcedens Moysi erepta erat, ad aliam deprecando se convertit. Sic enim prosequitur :* Ait Moyses : Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius : et ex quo locutus es ad Servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum. *Sensus obvius horum verborum est : Jam antea eloquens aut facundus non fui : at nunc, præ timore fortasse, lingua mihi magis impedita est et magis tarda ad eloquendum. At textus Hebraïcus, qualis hodie est, exhibet hunc sensum. Nec antea eloquens fui, ac ne nunc quidem, ex quo cœpisti loqui Servo tuo, eloquens sum. Dubitari quoque hic potest, utrum defectus ille eloquentiæ oriretur ex linguæ impedimento aliquo, quale est balbuties, uti multi locum intelligunt, an*

A *an vero ex defectu eruditionis, quem hic confessus fuerit* Moyses. *S. Ambrosius secundum sensum amplexus est lib.* 2 *de Abraham cap.* 10, *licet agnoscat* Moysen *eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum, quod illam nihili faceret ipse* Moyses. *Hinc ait Ambrosius :* Denique quasi ineruditio respondetur quod erudiretur a Domino : „ Ego aperiam os tuum, et instruam te, quod „ debeas loqui „. *Sane verba, quæ sequuntur,* Doceboque te, quid loquaris, *favent huic sententiæ. Sive autem linguæ, sive eruditionis defectum causatus sit* Moyses, *angelus excusationi satisfecit hoc modo :* Dixit Dominus ad eum : Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum et surdum, videntem et cæcum? Nonne ego? Perge igitur, et ego ero in ore tuo : doceboque te, quid loquaris.

petentemque ut magis idoneus, aut etiam Messias mitteretur, sed tandem obedientem.

89 At ille : Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus es. *Sensus obvius est, Mitte idoneum magis, quem mittere decrevisti. At multi Patres et interpretes locum intelligunt de Messia, qui* Missus *vel* Mittendus *vocatur Gen.* B 49 ℣ 49, Donec veniat, qui Mittendus est, *id est, donec veniat Messias. Sane hæc expositio non est incongrua : nam poterat tanti momenti liberatio Israëlitarum* Moysi *apparere, tantæque simul difficultatis, ut existimaret opus esse Messia, quem Deus mittere statuerat, non indignum. Poterat adventum Messiæ* Moyses *flagitare, quod nosset Israëlitarum duritiam, illamque sua opera non satis corrigendam existimaret, quodque speraret populum a Messia non solum servitute Ægyptiaca educendum, sed etiam improbitate, moribus perversis, ac peccatorum vinculis solvendum. Verum Dominus* Moysen *non exaudivit, et plures excusationes amputavit, graviori tono voluntatem suam declarans :* Iratus Dominus in Moysen, ait. Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit : ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. Loquere ad eum, et pone verba mea in ore ejus : et ego ero in ore tuo, et in ore illius, et ostendam vobis, quid agere debeatis. Ipse loquetur pro te ad populum, et erit os tuum : tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua * facturus es signa. *Tandem nihil ausus opponere, quod divinam* C *voluntatem omnino perspexisset,* abiit Moyses *(cum grege suo,)* et reversus est ad Jethro socerum suum, dixitque ei : Vadam et revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam, si adhuc vivant. Cui ait Jethro : Vade in pace. *Ita humilis* Moyses *visionem divinam celat socerum suum, honestam simul et veram abeundi afferens causam, cui ille acquievit.*

* *i. e.* qua *vel* per quam

§ X. Visio et missio Moysis a Josepho, Philone, et Artapano relata.

Josephus non sine erroribus narrat visionem in rubo,

Josephus lib. 2 *cap.* 12 *visionem ac missionem narraturus, mox offendit in tempore designando : nam relato adventu* Moysis *in Madianitidem, nuptiisque cum Sephora ibidem statim, ut opinatur, contractis, tempus visionis assignat per voces* aliquanto post, *cum tamen intercesserit anni quadraginta. Quod paulo post addit de* vulgato rumore, Numen *in monte Sinai* habitare, *fabulosum quoque apparet. Insuper male* Moysen *audaciæ arguit, quod eo venisset. Fieri quidem potest, ut Josephus respexerit ad* Moysis *verba, qui montem Horeb vocat* montem Dei : *at male collegit ex illis verbis, jam tunc montem Horeb aut Sinai (qui sunt duo ejusdem montis cacumina) Deo sacrum fuisse, cum* Moyses *solum vocaverit* montem Dei *ob ea, quæ deinde ibidem sunt facta. Hisce observatis verba Josephi subjungo, ceteros lapsus infra correcturus.* Aliquanto vero post, egit pastum greges in montem, qui dicitur Sina, omnium in ea regione celsissimum, et pascuis valde commodum ; abundabat enim herba, eo quod vulgato rumore, Numen illic habitare, pastoribus hactenus inaccessus ob religionem loci fuerat. In eo monte mirabile vidit prodigium : ignis enim rubi fruticem depascere visus, nec frondes, nec flores, nec ramos quidquam læsit, cum tamen inde maxima et flagrantissima flamma emicuisset. Ille tam inopinato spectaculo non mediocriter attonitus, magis etiam obstupuit, postquam vocem ex igne emissam et nominatim sibi vocato verba facientem audivit : quibus et audaciam E ejus taxavit, qui non sit veritus locum hactenus ob religionem hominibus inaccessum calcare, et consuluit insuper, ut quam longissime a flammis abscederet : et contentus quidem sit hac visione, non indignus ea propter suam ac majorum suorum virtutem habitus, cæterum ulterius nihil curiose inquirat.

missionem Moysis,

91 Prædixit etiam, quantum honorem ac gloriam consecuturus esset apud homines, divino favore assistente : jussitque confidenter in Ægyptum proficisci, futurum illic ducem ac ductorem Hebræorum multitudinis, et liberaturum cognatum populum ab iniqua ejus gentis dominatione. Etenim habitaturi sunt, inquit, terram illam, quam Abrahamus generis vestri princeps tenuit, et omnia bona ejus percepturi, tua prudentia ad hanc felicitatem illos perducente. Sed fac memineris, ut eductis Hebræis ex Ægypto in hoc loco sacrificium gratiarum actionis ob felicem successum offeras. Et oraculum quidem tale ex igne prodiit. Moyses vero tam visis quam auditis territus, infit : Potentiæ quidem tuæ, Domine, quem et ego veneror et majores mei coluerunt, non sum tam insanus ut parere dubitem : attamen non intelligo, quomodo Vir privatus et nullis viribus præditus, vel meis persuadere potero, ut relicta terra, quam nunc habitant, me ducem sequantur : vel etiamsi persuasero, quomodo Pharaothes sit cogendus, ut illos exire permittat, quorum opera et labore constat Ægyptiorum felicitas. Deus autem jussit illum securum esse de toto hoc negotio, se illi numquam non adfuturum pollicitus, et sive verbis opus fuerit, vim persuadendi largiturum, sive operibus, virium satis additurum. Mox jussit, ut virga in terram projecta fidem promissorum acciperet. Quo facto, draco humi repebat, et in spiras se convolvens caput erigebat quasi repugnaturus, si qui insequetur : ac mox denuo in virgam est mutatus. Post hoc manum in sinum mittere jussus, cum paruisset, albam et colore calci similem eximit, quæ mox in pristinum colorem rediit. Jesus deinde aquam e propinquo haustam humi effundere, vidit in colorem sanguineum versam.

aliaque ibidem facta :

92 Ad hæc stupentem, ut confidat hortatur, cum sciat maximum sibi adjutorem affore, ut-

AUCTORE J. S.

que apud omnes his prodigiis utendo fidem illis faciat, a Deo se missum, ejusque jussu omnia facere : iret sine cunctatione, et festinus in Ægyptum properaret, neque die neque nocte iter intermittendo, neve diu tempus terendo, longiorem Hebræos servitutem et afflictionem redderet. Moyses autem nihil amplius dubitans de promissionibus, quarum certitudinem tot argumentis auditis et visis satis colligebat, precatus, ut eamdem, potentiam in Ægypto, cum exerta opus fuerit, experiretur : supplex illud etiam rogabat, ut quem conspectu ac colloquio suo dignatus fuerat, ei nomen quoque suum volens ac libens indicaret, ut rem divinam illi aliquando facturus, nominatim eum ad sacrificium invocare posset. Tum Deus aperit ei suum nomen, numquam antea hominum ulli auditum aut cognitum, quod mihi eloqui nec jus nec fas esse arbitror. Moysi vero non tunc tantum, sed quotiescumque opus esset, talium prodigiorum facultas aderat : atque ita nihil dubitans de oraculi ex igne redditi veritate, deque Dei adjutoris favore, magnam spem concepit fore, ut tandem et sui liberarentur, in Ægyptii insigni

B aliqua clade afficerentur. *Hactenus Josephus, cujus primos lapsus jam supra notavi, cæteros hic observaturus.*

aliquot ipsius errores assignantur :

93 *Primo igitur discedit a Scriptura, dum ait suasum esse* Moysi, ut quam longissime a flammis abscederet : *nam* Moyses *tantum scribit, sibi dictum esse;* Ne appropies huc. *Addita quoque Scripturæ sunt, et parum congrue conficta, quæ sequuntur :* Et contentus quidem sit hac visione, *reliquaque usque ad finem numeri. Secundo labitur Josephus, dum duobus primis signis cum nonnulla amputatione relatis, tertium quoque,seu aquam in sanguinem versam, apud rubum contigisse scribit : nam angelus solum præcepit, ut tertium illud in Ægypto patraret,si primis non crederetur ; at istud apud rubum non est patratum. Tertio ordinem quarumdam rerum invertit hic scriptor, præsertim dum scribit* Moysen *petiisse nomen Dei,postquam jam certus erat de Dei promissionibus : nam nomen Dei citius petitum. Falsam quoque petiti nominis rationem allegat, scribens illud petitum, ut* nominatim eum ad sacrificium invocare posset. *Quarto demum varia*

C *prætermittit, uti facile videbit lector, modo verba Scripturæ cum verbis Josephi conferre voluerit.*

Philonis relatio de visione,

94 *Philo quoque non sine lapsibus aliquot hanc historiam exposuit; sed eas corrigemus post verba ipsius data.* Accidit quondam, *inquit*, ut dum sectatur loca herbida, rigua lætaque pascuis, in quodam nemore videret visionem horribilem. Rubus erat, frutex spinosus et invalidus, is nemine ignem admovente, subito incensus est : correptusque totus a radice usque cacumen, flamma in morem fontis scatente, manebat integer et illæsus, quasi non esset incendii materia, sed ipse ab igne aleretur. E medio promicabat forma quædam pulcherrima nulli visibili similis, divinum simulacrum, luce fulgens clarissima, ut suspicari posset Dei esse imaginem. Vocemus eam angelum, quandoquidem futura prænunciavit tanto clarius, quanto magnificentior erat visio : significabat enim ardens rubus oppressos injuria, urens vero ignis oppressores. Quod autem non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur, inimicorum violentia ; sed conatum eorum fore irritum, illos vero evasuros incolumes. Porro nuncius divinæ pro-

D videntiæ faciebat spem, tot horrendorum periculorum fore lætum et facilem exitum. Ea conjectura excutiatur diligentius. Rubus (ut dixi) frutex debilis est et senticosus, ut vel solo contactu vulneret. Nec absumitur ignis voraci natura, imo conservatur etiam, qualis antea fuit permanens, adeo nihil amittens, ut nitesceret etiam. Hæc omnia designabant exhortationem quandam, tantum non inclamantem pressis calamitate : Nolite succumbere : hæc vestra infirmitas est potentia, quæ punget vulnerabitque plurimos. Qui delere cupiunt vos, inviti servabunt, tot mala illæsi evadetis, et cum maxime vastari videbimini, tunc maxime enitebit vestra gloria. Vos quoque crudeles et igni voraci similes, ne nimium confidatis vestris viribus : cogitate invictissimas opes aliquando deletas, et resipiscite. Ecce flamma, suapte natura urens, ut lignum uritur, lignum vero cremabile urit evidenter ignis in modum.

missione Moysis,

95 Hos ostento mirifico postquam Deus Mosem de rebus futuris manifeste præmonuit; addit et oraculum, ut sine cunctatione ad curam suæ gentis revertatur, pollicens se non solum libertatis autorem, sed etiam ducem novæ co- E loniæ paulo post deducendæ; et promptum favorem offerens ad omnia. Jam dudum, inquit, me miseret oppressorum intolerandis injuriis, quos nemo vel miseratur vel sublevat, et video tum singulos tum universos unanimiter supplices implorare sperareque meum auxilium. Sum autem exorabilis et propitius veniam petentibus ex animo. I, regem accede, nihil omnino solicitus. Qui tum regnabat, cum præ metu fugeres, defunctus est : in regnum successit alius, cui nulla tecum simultas intercedit. Eum accedens una cum tuæ gentis senioribus, dic oraculo meo juberi universam gentem, ut extra fines regni progressi trium dierum itinere, sacra patrio ritu mihi faciant. Ille non ignarus tribules suos cæterosque omnes haudquaquam his dictis credituros : Quid si, inquit, percontabuntur, quod sit nomen ejus, qui misit me, nec dicere potero, nonne impostor videbor ? Cui Deus : Primum dic eis, Ego sum qui sum : ut discant differentiam inter ens, et non ens, et nullum nomen de me dici proprie, cui soli esse competit. Quod si, ut sunt debiliores ingenio, requirent appellationem; indica eis, non tantum esse me F Deum, sed etiam trium virorum a virtute denominatorum, Deum Abraham, et Deum Isaac et Deum Jacob : quorum alius doctrina, alius natura, alius meditatione quæsitæ virtutis est regula.

prodigiis tunc factis,

96 Quod si etiam tunc nolint credere, tribus prodigiis docti flectentur, quæ antea nemo unquam vel vidit vel audivit. Erant autem hæc : virgam, quam habebat, in terram projicere jussus est : ea mox animata reptabat, versa in draconem serpentum principem. Ille territus monstro, præ timore fugam parans revocatur, et a Deo confirmatus, jubetur caudam ejus prehendere : quo facto, draco adhuc repens ad tactum constitit, extensusque in longum, mox denuo in baculum versus est, mirante utramque mutationem Homine, et vix discernente, utra esset horribilior : in tantum erat ambiguus animo. Sequutum est confestim aliud prodigium. Alteram manum jussus est in sinum mittere, et paulo post eximere : eo facto, manus nive candidior repente apparuit, rursumque condita in sinum ac prolata pristinam speciem coloremque nativum

A nativum recepit. Hæc solus a solo discebat, tanquam a magistro discipulus, habens secum instrumenta prodigiorum, manum et baculum, quibus quasi viatico instructus est. Tertium nec circumferre secum nec prædiscere potuit, quod Ægypto servabatur non minus horrendum stupendumque. Id tale fuit. Sume, inquit, aquam fluminis, et effunde in terram, eritque sanguis cruentissimus, cum colore mutatis et cæteris viribus. Visum est autem hoc quoque credibile, non solum propter certam Autoris fidem, verum etiam propter præterita manus virgæque miracula.

atque excusatione Moysis, secutaque ejus obedientia,

97 Nihilominus deprecabatur hanc functionem, causatus exilitatem vocis, et linguæ tarditatem, negansque sibi adesse facundiam, præsertim postquam Deum loquentem audierat: ratus enim mutam esse humanam eloquentiam cum Veritate collatam, et verecundo ingenio præditus, subtrahebat se graviori quam pro viribus, ut putabat, oneri; rogabatque ut alius eligeretur ad exequenda mandata magis idoneus. Deus pudore delectatus, respondit: An nescis, quis os homini B dederit, et linguam indiderit, quis guttur cæteraque vocis rationalis instrumenta fecerit? Ego sum, noli timere, meo nutu articulate disseres omnia, facundia mutata in melius, et usque proficiente, nec aliter absque impedimento fluente et cogitationes promente, quam fontes manant lympidissimi. Quod si opus fuerit interprete, fratrem habebis sermonis ministrum ac vicarium, qui ad populum tua dicta perferat nuncius, tu vero illum Dei mandata docebis. His auditis, quia periculosum erat amplius contradicere, profectus *etc. De toto hoc Philonis discursu paucas observationes subnecto.*

nonnulla correctione indigere ostenditur.

98 *Primo, quod ait num.* 94 *de forma quadam pulcherrima e medio igne promicante, nec ex sacris Litteris haurire potuit Philo, nec verisimile est, sed plane fictitium videtur. Quæ vero subditur explicatio rubi ardentis sine combustione, aliis quoque placuit et satis videtur congrua. Aliqui eamdem sic immutant, ut per ignem intelligant Deum, qui per Ægyptios incenderit quidem et purgaverit populum suum, sed non consumpserit. Secundo num.* 95 *conjungit ea, quæ diversis temporibus* Moysi *sunt di*C*cta: nam de morte Pharaonis serius certior factus est* Moyses, *quam hic insinuatur. Deinde quæ subjicit auctor de nomine Dei, lucem accipient ex S. Hieronymo, qui in Epistolam ad Ephesios cap.* 3 *sic disserit ad propositum nostrum:* Loquitur in Exodo Dominus: Ego sum qui sum. Et: « Hæc dices filiis Israël: Qui est » misit me ad vos ». Numquid solus Deus erat, et cetera non erant? Utique angeli, cœlum, terra, vel maria, et ipse Moyses, cui Dominus loquebatur, et Israël, et Ægyptii, ad quos, et contra quos, Princeps, et Adversarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune substantiæ, sibi proprium vendicat Deus? Illa, ut diximus, de causa; quia cetera, ut sint, Dei sumpsere beneficio. Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est, suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit. *Brevioribus verbis theologi id sic explicabunt: Quia solus Deus est* Ens a se, *et alia omnia sunt* entia ab alio. *Tertio demum Philo aliqua ex mandatis et promissionibus Dei omisit, uti et reditum* Moysis *ad Raguelem. At cetera satis recte exposita.*

Artapanus de omnibus nonnihil audierat, indeque vera falsis miscuit.

99 *Artapanus de morte regis Ægyptii, et visione ac missione* Moysis *pauca narravit, ab Eusebio sic expressa lib. 9 cap.* 4: Interea elephantiæ morbo, quoniam multis modis Judæos premebat, Ægyptiorum regem expirasse *(asserit.)* Ad alia enim opera, quæ ipsos construere jussit, diversam etiam, quam Ægyptii, vestem indui voluit, ut facilius cogniti, ab omnibus tamquam impii punirentur. Mosem autem a Deo quotidie liberationem populi petere, et quodam die repente coram eo ignem e terra, ubi nulla incendio apta materies erat, subito erupisse, ac vocem editam fuisse, liberandos sibi esse Judæos, et in antiquam patriam ducendos. *Hactenus Eusebius sententiam recitans Artapani, qui aliqua de omnibus audivit, sed falsa versis miscuit. Primo obiisse eo tempore Pharaonem, certum est; at incertum, an elephantiasi finem vivendi fecerit: incertum æque est, an Hebræos vestem mutare jusserit Pharao. Quin magis apparet verisimile, eos semper vestitos fuisse more suo, eoque diverso ab Ægyptiis. Clarius tamen est, errare Artapanum, dum affirmat, ignem subito e terra erupisse: nam* Moyses E *incensum vidit rubum; non ignem e terra erumpentem. Plura ejusdem scriptoris figmenta ordine suo refutabimus.*

§ XI. Iter Moysis in Ægyptum, quæque in illo itinere eidem contigerunt: missio Moysis coram Israëlitis probata.

Moyses ab angelo intelligit mortem Pharaonis, et novum regem pertinaciter restiturum:

Quamquam varias excusationes attulerat Moyses, *ne mitteretur in Ægyptum ad liberandos diuturna servitute Israëlitas, nihil tamen dixisse legitur de periculo vitæ suæ, licet nonnihil quoque de eo videatur fuisse sollicitus, cum existimaret, sibi adeundum esse regem illum, a quo fuerat ad mortem quæsitus. Certe, postquam reversus erat in urbem Madian, divina bonitas hunc quoque scrupulum eidem eximere voluit per angelum. Quippe* Moyses *Exod.* F 4 ℣ 19 *sic prosequitur narrationem suam:* Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, et revertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyses uxorem suam, et filios suos, et imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua. Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum: Vide, ut omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, et non dimittet populum. *Pauca hic observanda de induratione Pharaonis frequenter recurrente, quæ occasionem disputandi præbuit tam Catholicis quam hæreticis. Nolim improbare multa, quæ a doctoribus Catholicis dicta sunt ad locum elucidandum, sed pauca mihi sufficient ex S. Augustino, ne sim justo prolixior.*

qua occasione ostenditur ex Augustino, Deum dici indurare aliquem, quando ei non dat gratiam congruam.

101 *Sanctus Doctor lib.* I *ad Simplicianum quæst.* 2 *similes sacræ Scripturæ locutiones fuse examinat, versansque illa verba Apostoli Rom.* 9 ℣ 16, Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; *atque illa* ℣ 18, Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat, *observat posteriorem sententiam* ita sententiæ superiori posse congruere, ut obduratio Dei sit nolle misereri;

AUCTORE J. S.

sereri; ut non ab illo *(Deo)* irrogetur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantum, quo sit melior, non erogetur. *Itaque clare videtur S. Augustinus edicere,* obdurare Dei *et* non misereri *hic idem esse. Jam vero, quid sit* misereri *Dei, paulo ante declarat his verbis :* Item verum est : " Non volentis neque currentis sed " miserentis est Dei : " quia, etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum, ut sequantur. *Et mox :* Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. *Ex hisce manifeste sequi videtur, verba illa,* Ego indurabo cor ejus *significare : Sinam indurari cor Pharaonis, nec dabo ei gratiam congruam, seu talem gratiam, qua duritiam cordis sui emolliat, et, præceptis meis obediat. Cum hac expositione facile conciliari possunt, quæ fusius habet S. Augustinus in Quæstionibus in Exodum quæst.* 18 *et sequentibus aliquot.*

B

Proficiscens in Ægyptum de vita periclitatur, liberaturque circumcisione filii ;

102 *Pergamus igitur cum* Moyse, *qui narrationem suam sic prosequitur :* Dicesque ad eum *(ad Pharaonem nimirum :)* Hæc dicit Dominus : Filius meus primogenitus *(id est instar primogeniti dilectus)* Israël. Dixi tibi : Dimitte filium meum, ut serviat mihi; et noluisti dimittere eum : ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. *Hactenus de mandatis Dei ad* Moysen *in Ægyptum proficiscentem. At mirabile et obscurum est, quod sequitur :* Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquam dixerat : Sponsus sanguinum, ob circumcisionem. *Quæri primo hic potest, utrum* Moysen, *an filium ipsius Eliezerum occidere voluerit angelus occurrens : nam diversæ hac de re sunt sententiæ. Verum phrasis videtur exigere, ut periculum occisionis de* Moyse *intelligamus, cum dicatur :* Occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum, *de filio vero ipsius nihil præcedat. Dubitatur secundo, cur angelus* Moysi *mortem intentarit. At hoc etiam dubium Scriptura utcumque eximit : quia Sephora filium non circumcidisset hujus periculi causa, nisi intellexisset, sive ex signo, sive ex verbis angeli,* Moysen

C *periclitari ob filium necdum circumcisum.*

neque ideo tamen necessario peccati debet argui ob non circumcisum citius filium :

103 *Ex hac causa periculi tertia oritur dubitatio, nimirum an peccaverit* Moyses *non citius circumcidendo filium suum : nam mors intentata suspicionem peccati injicit : et revera multi interpretes ita de hoc facto loquuntur, ut agnoscere videantur nonnullam* Moysis *negligentiam in prætermissa eatenus circumcisione filii. Non video tamen, id certo dici posse aut debere, quia verisimile non est circumcisionem filii a* Moyse *dilatam fuisse sine causa, quam justam legitimamque credidit. Cornelius a Lapide in hunc locum cum aliis censet, dilatam a* Moyse *esse circumcisionem,* quod minor hic filius, Eliezer scilicet, recens jam esset natus, cui proinde vel Moses, vel potius mater, gravia damna itineris metueret, si eum circumcideret. Distulit ergo rem Moses, donec veniret in Ægyptum. Hac enim eadem de causa Hebræi peregrinantes in deserto per quadraginta annos non sunt circumcisi, ut patet Josue cap. v. Verum angelus mortem minitans Mosi, hunc nimium timorem illi excussit, idque ne Moses legislator futurus, remissor in lege servanda fuisse videretur. Moses enim quasi dux cæteris perfecto in lege implenda exemplo præire debebat. D *Si res ita contigerit, omni culpa* Moysen *absolvere facile possumus : nec tamen existimare debemus, terrorem illum ei sine causa objectum ab angelo. Quippe exemplum Legislatoris nocere potuisset illis, qui ignoraturi erant causam dilatæ circumcisionis filii ipsius. Forsan etiam Dominus hoc terrore Sephoram ad circumcidendum filium adigere voluit, ut* Moyses *ipsam cum filiis non invitam possel domum remittere, ne impedimento essent in Ægypto. Certe Augustinus quæst.* 12 *in Exodum Sephoram a* Moyse *remissam credit, sic concilians duo in speciem contraria, nimirum quod Exod.* 4 *asino imposita sit, ut duceretur in Ægyptum, atque Exod.* 18 *reversa sit ad* Moysen. *Verba ipsius accipe :* Sed intelligendum est, post illam, quæ ab angelo futura erat, interfectionem Moysi vel infantis, reversam fuisse *(Sephoram)* cum parvulis. Nam quidam putaverunt propter hoc angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerii, quod divinitus impositum Moyses gerebat, femineus sexus comitaretur. *Voluit verisimiliter* Moyses *secum uxorem et filios ducere,* E *ne illam repudiare videretur ; ideoque circumcisionem filii ad preces uxoris differri posse forsan existimavit. Verum Dominus injecto terrore totum illud negotium disturbavit, timoremque timore pepulit. Hæc ex conjecturis, uti in re obscura.*

textus obscurus antea allatus

104 *Quarto in varias admodum sententias abierunt scriptores, qui interpretati sunt sequentia verba,* Tetigitque pedes ejus : *nam alii intelligunt pedes angeli, quos Sephora tetigisset supplicabunda pro vita Mariti ; alii interpretantur pedes pueri, ac demum alii pedes* Moysis. *Horum mihi præplacet sententia, quod tota phrasis sic melius connectatur. Sane mihi vix dubitandum videtur, quin Sephora ejusdem pedes tetigerit, cui dixit :* Sponsus sanguinum tu mihi es. *Atqui hæc verba non dixit angelo ; nec pedes igitur angeli tetigit. Quapropter existimo Sephoram se supplicem abjecisse ad pedes* Moysi, *eique dixisse,* Sponsus sanguinum tu mihi es, *ut illis verbis insinuaret, se malle manere domi, a qua necdum longe aberat, quam cum tanto periculo eum comitari in Ægyptum. Sic etiam sequentia verba recte intelliguntur de Sephora :* et dimisit eum, postquam dixerat : Sponsus sanguinum, ob circumcisionem : F *Sephora nimirum* dimisit, *id est, solum proficisci sivit* Moysen, *ut ipsa cum filiis rediret ad patrem ;* postquam dixerat, Sponsus sanguinum, *quod* Moysi *dictum jam vidimus, quodque dixit* ob circumcisionem, *seu quia coacta fuerat in circumcisione sanguinem filii sui effundere. Alii voces illas* et dimisit eum *intelligunt de angelo* Moysen *dimittente, seu non amplius volente occidere. Verum illi mire torquere et luxare debant phrasim Vulgatæ, et personas mutare agentes et loquentes sine justa causa, cum Vulgata omnem actionem et locutionem clare videatur ad Sephoram referre.*

probabili paraphrasi explicatur,

105 *Itaque verba rursum accipe, ut commodam omnium paraphrasim subnectamus :* Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, et volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, et ait : Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit

AUCTORE J. S.

A misit eum, postquam dixerat Sponsus sanguinum ob circumcisionem. *Nunc et paraphrasim, quæ mihi apparet probabilior, subnecto : Cum* Moyses *se itineri commisisset cum uxore Sephora et duobus filiis, divertissetque ad quoddam hospitium, occurrit ei angelus mortem eidem minitans. Sephora, cum intelligeret illud* Moysi *periculum imminere ob filium nondum circumcisum, illico arripuit petram acutissimam, quæ forte obvia erat, aut jam ante præparata ad circumcisionem, eaque filium suum circumcidit. Placato sic angelo, et forsan disparente, Sephora supplex advoluta est* Moysis *pedibus, dicens, eum servatum non esse, nisi sanguine filii sui, insinuansque se redire malle quam tanto cum periculo comitari. Cumque* Moyses *ipse mallet, ut uxor cum filiis domi maneret, lubens annuit ejus precibus. Quare Sephora* Moysen *iter suum prosequi sivit, domum reditura cum parvulis. Rupertus in Exodum lib.* I *cap.* 20 *hanc expositionem amplexus est, illaque haud dubie recte congruit cum textu* B *Vulgatæ. Favet quoque datæ expositioni, quod constet Sephoram cum filiis remissam fuisse a* Moyse, *quodque illa remissio nesciatur alio tempore facta. Fateor tamen interpretes complures non sine ratione aliam sententiam fuisse amplexos; atque hac de causa eorum argumentis breviter est respondendum.*

et respondetur ad rationes explicationi oppositas :

106 *Primo opponunt verba Septuaginta interpretum, qui, inquiunt, pro* Et dimisit eum, *habent,* Et recessit ab eo angelus, *vel,* et abiit angelus ab eo. *Verum in pluribus editionibus non legitur adjecta vox* angelus, *ita ut dubitari possit, an vox illa ad textum pertineat, præsertim cum in Hebraïco textu nec tempore S. Hieronymi reperta sit, nec nunc reperiatur. Objiciunt secundo hodiernum textum Hebraïcum, qui est :* Et ipse dimisit eum, *id est,* angelus Moysen, *non pergens ei mortem intentare. Hoc argumentum plane evinceret, non posse hic intelligi Sephoram, si textus Hebraïcus hodiernus plane esset incorruptus : nam verbum Hebraïcum secundum proprietatem illius linguæ denotat genus masculinum, quod Sephoræ non congruit. At quis nos securos plane reddat de sinceritate textus Hebraïci? Certe S. Hieronymus linguæ Hebraïcæ peritissimus, si in suis codicibus eamdem phrasim* C *Hebraïcam invenisset, non videtur phrasim Latinam expressurus fuisse eo modo, quo nunc eamdem habemus expressam. Dicitur de Sephora,* Tulit... et circumcidit... tetigitque.. et ait, *et mox nullo alterius personæ indicio addito,* et dimisit. *Quis illud* dimisit *non intelligat de eadem persona, de qua præcedentia omnia dicta sunt, præsertim cum rursum sine indicio mutatæ personæ subdatur,* postquam dixerat, *hocque similiter de Sephora sit intelligendum? Phrasis erit plane hiulca, si verbum* dimisit *de alio intelligamus quam de Sephora.*

Sephora domum remissa: Aaron occurrit Moysi, qui cum eo voluntatem Dei Israëlitis exponit.

107 *Porro, quidquid sit de propria loci istius intelligentia, quam incertam esse fateor, cum et plures aliæ explicationes dentur; omnino tamen existimo cum S. Augustino, Sephoram cum filiis suis ea occasione domum fuisse remissam a* Moyse, *qui iter suum prosecutus est, fratremque Aaronem invenit, Dei jussu occurrentem. Quippe* Moyses ℣ 27 *sic pergit :* Dixit autem Dominus ad Aaron : Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei *(Horeb aut Sinai)* et osculatus est eum. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, et signa, quæ mandaverat. Veneruntque simul *(in Ægyptum, seu in terram Gessen, in qua habitabant Israëlitæ)* et congregaverunt cunctos seniores filiorum Israël. Locutusque est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen : et fecit (Moyses *nempe)* signa coram populo, et credidit populus. Audieruntque, quod vitasset Dominus filios Israël, et quod respexisset afflictionem illorum : et proni adoraverunt. *Facile crediderunt* Moysi *Israëlitæ, quando edidit signa a Deo mandata, quod nihil sibi metuerent mali : at simulac gravius ea occasione premi cœperunt ab Ægyptiis,* Moysi *et Aaroni statim obmurmurarunt, ut videbimus.*

§ XII. Josephi et Philonis relationes de præmissis : utrum Moyses imposterum ab uxore abstinuerit. E

Josephi narratio de itinere et primis gestis in Ægypto,

I*ter* Moysis *in Ægyptum, gestaque ejus prima cum Aarone et senioribus Israëlitarum satis concinne narrat Josephus : at omittit ea, quæ occasione angeli mortem* Moysi *minitantis facta jam vidimus; et præter Scripturam ait, seniores Israëlitarum eidem obviam progressos. Verba ipsius accipe :* Cumque *(Moyses)* cognovisset Pharaothem Ægyptiorum regem, sub quo ipse fugerat, esse defunctum, a Raguele commeatum rogat, ut salva ejus pace ac gratia liceat sibi in Ægyptum ob publicam cognatorum ac tribulium suorum utilitatem proficisci : quo impetrato, et assumpta, quam ibi duxerat, Raguelis filia, liberisque communibus, Gerso et Eleazaro, iter in Ægyptum arripuit. Quorum nominum prius PEREGRINUM significat, posterius, DEI AUXILIUM, quod divina ope insidias Ægyptiorum evasisset. Cumque jam non longe a limitibus abessent, Aaron frater venit obviam, Deo sic jubente : cui mox indicavit, quidquid in monte viderat, et omnia mandata, quæ divinitus illic acceperat. Mox ulterius progressus, obvios invenit præstantissimos quosque Hebræorum, qui adventum ejus præsenserant : et mox F ne quid amplius de fide Moysis dubitarent, prodigia divinæ voluntati attestantia sunt eis ob oculos exhibita : quibus præter omnem opinionem visis attoniti, sperare jam cœperunt providentiam Dei securitati illorum et incolumitati non defuturam. Atque ita obsequentiores nactus Hebræos, et in potestate ipsius se futuros pollicentes, accensos nimirum libertatis amore, ad novum regem se confert.

uti et Philonis : uterque omittit aliqua.

109 *Philo quoque non omnia narravit, quæ* Moysi *in itinere acciderunt; at pauca solum de prædictis breviter sic expressit :* Profectus una cum uxore ac liberis iter faciebat in Ægyptum : inventoque fratre, qui venerat obviam, adjunxit eum sibi comitem, communicatis oraculis. Is jam ante habebat præparatam divinitus animam ad obsequium, ut incunctanter assentiret sequereturque. Sic ingressi Ægyptum unanimiter, primum senioribus gentis clam convocatis indicant oraculum, Dei miseratione instare libertatem et migrationem ad sedes meliores; idque ipsum Deum polliceri, offerreque se ducem itineris. *Hæc Philo, nihil memorans de angelo occurrente,*

AUCTORE J. S.

te, nec explicans, utrum Sephora cum filiis in Ægyptum usque comitata sit.

Aliqui Patres habent, Moysen post visionem rubi ab uxoris usu abstinuisse,

110 *Nonnullorum sententia est*, Moysen *post audita apud rubum divina oracula deinceps se continuisse ab uxore. S. Gregorius Nazianzenus Orat.* 47 *sic loquitur hac de re :* Mosem ferunt post audita Dei oracula nunquam cum uxore consuetudinem habuisse, nec liberos procreasse. *Idem magis asseverat S. Epiphanius Hæresi* 78 *num.* 16 *his verbis :* Etenim Moyses, posteaquam propheta esse cœpit, nullam amplius cum uxore consuetudinem habuit ; neque liberos in eo statu suscepit : quippe qui cum Domino majori vitæ suæ parte versaretur. An, si nuptiis vacare voluisset, quadraginta noctes ac dies in monte Sina perseverare potuisset? Potuisset quadraginta totos annos in solitudine ad divinarum se rerum administrationem intendere? sacerdotio vacare? enarrare Dei mysteria? Cum Deo denique perpetuo colloqui nuptiarum obstrictus onere potuisset? *S. Hieronymus lib.* I *adversus Jovinianum idem innuit, sic scribens :* Perspicuum est B de Moyse, quod periclitatus esset in diversorio, nisi Sephora, quæ interpretatur AVIS, filium circumcidisset, et præputium nuptiarum cultro euangelico desecasset. Iste nempe Moyses est, qui quum vidisset visionem magnam, et angelum sive Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi solvisset corrigiam calceamenti sui, et abjecisset vincula nuptiarum. Nec mirum hoc de Amico et propheta et legifero Dei, quum omnis populus accessurus ad montem Sina, tribus diebus sanctificari jussus sit, et se ab uxoribus abstinere.

eaque sententia est verisimilis, quia nullos deinde legitur genuisse liberos.

111 *S. Ambrosius lib.* I *de Cain et Abel cap.* 2 *de* Moyse *sic habet :* Humanæ dignitatem conditionis excessit eo usque, ut Dei donaretur nomine, sicut habemus scriptum, dicente Domino : « Posui te in Deum Pharaoni. » Etenim victor passionum omnium, nec ullis captus sæculi illecebris, qui omnem istam secundum corpus habitationem cælestis puritate conversationis obduxerat, mentem regens, carnem subjiciens, et regia quadam auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cujus similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat. *Non clare quidem asserit Ambrosius,* Moysen *ab uxore se abstinuisse post visionem in* C *rubo; puritatem tamen ipsius adeo celebrat et continentiam, ut suspicionem præbeat, se ejusdem cum laudatis Patribus fuisse sententiæ. Hanc autem sententiam, præter rationes a Patribus allatas, maxime probabilem facit, quod liberos nullos habuisse legatur* Moyses, *nisi filios duos antea genitos; quodque Sephora remissa fuerit ad patrem. Fuit quidem illa ad* Moysen *reducta cum filiis Exod.* 18; *at nullibi legitur* Moyses *eam recepisse ad usum matrimonii, nec ulla deinde Sephoræ in Scripturis fit mentio, nisi Num.* 12, *ubi ipsius causa soror* Moysis *Maria cum Aarone locuta est contra* Moysen. *At hanc Mariæ murmurationem nequaquam favere contrariæ sententiæ, suo loco videbimus. Fateor tamen rem esse incertam.*

D

§ XIII. Moyses et Aaron mandata Dei Pharaoni exponunt : Israëlitæ gravius ea de causa oppressi, obmurmurant Moysi et Aaroni : hi vero, jubente Domino, signa coram Pharaone edunt; sed frustra : prima Ægyptiorum plaga.

Moyses et Aaron mandata Dei exponunt Pharaoni,

Quid egerint Moyses *et Aaron, postquam consentientes sibi seniores Israëlitarum invenerant, exponitur Exod.* 5 *in hunc modum :* Post hæc ingressi sunt Moyses et Aaron, et dixerunt Pharaoni : Hæc dicit Dominus Deus Israël : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto. At ille respondit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israël? Nescio Dominum, et Israël non dimittam. Dixeruntque : E Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, et sacrificemus Domino Deo nostro : ne forte accidat nobis pestis aut gladius. Ait ad eos rex Ægypti : Quare Moyses et Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. *Hæc Pharao non sine indignatione gravique iracundia : nec dubitari potest, quin* Moyses *et Aaron statim recesserint, ut consulerent Dominum, quid ulterius esset agendum.*

qui graviore onere premit Israëlitas ;

113 *Pharao vero hisce non contentus, cum suis consilium iniit, statuitque Israëlitas gravius premere, ne similia imposterum petere sustinerent, prout sequitur in textu sacro :* Dixitque Pharao : Multus est populus terræ : videtis quod turba succreverit : quanta magis (succrescet,) si dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum et exactoribus populi, dicens : Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius : sed ipsi vadant, et colligant stipulas. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam : vacant enim, et idcirco vociferantur, dicentes : Eamus, et F sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, et expleant ea : ut non acquiescant verbis mendacibus. Igitur egressi præfecti operum et exactores, ad populum dixerunt : Sic dicit Pharao : Non do vobis paleas : ite, et colligite, sicubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant, dicentes : Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt, qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis dicentibus : Quare non impletis mensuram laterum, sicut prius, nec heri nec hodie? *Ex hisce mire elucet tyrannica Ægyptiorum crudelitas, cum verisimiliter plus operis exigerent, quam omni suo conatu perficere possent Israëlitæ : nam collectio palearum, quæ concisæ luto miscebantur ad soliditatem laterum, multum haud dubie temporis absumebat.*

114 *Hac de causa præpositi Israëlitarum, qui pro aliis puniebantur, quod non laborarent*

AUCTORE J. S.

horum præpositi primum coram Pharaone frustra queruntur, deinde Moysi et Aaroni obmurmurant:

A *rent ultra vires suas, convenerunt Pharaonem ipsum, ut conquererentur de tyrannico illo procedendi modo, seque excusarent de non expleto opere imperato: sed nihil apud tyrannum profecerunt. Audi* Moysen *hæc enarrantem:* Veneruntque præpositi filiorum Israël, et vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra servos tuos? Paleæ non dantur nobis, et lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, et injuste agitur contra populum tuum. Qui ait: Vacatis otio, et idcirco dicitis: Eamus, et sacrificemus Domino. Ite ergo, et operamini: paleæ non dabuntur vobis, et reddetis consuetum numerum laterum. *Hoc accepto responso, Israëlitarum præpositi, nescientes quo se verterent,* Moysi *et Aaroni afflictionem suam imputarunt.* Videbantque se præpositi filiorum Israël in malo, eo quod diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. Occurreruntque Moysi et Aaron, qui stabant ex adverso egredientibus a Pharaone: et dixerunt ad eos:
B Videat Dominus, et judicet, quoniam fœtere fecitis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, et præbuistis ei gladium, ut occideret nos.

Moyses vero ad Deum recurrens, novis promissionibus spem suam confirmat,

115 *Audito hoc convitio,* Moyses *ad misericordiam magis quam ad iracundiam motus est, quia non ignorabat, se revera occasionem seu prætextum præbuisse Pharaoni Israëlitas crudelius opprimendi. Itaque dolore et misericordia tactus, reverenter querelas suas coram Deo exposuit, ejusque opem cum fiducia imploravit, nec frustra: nam ita pergit sacer textus:* Reversusque est Moyses ad Dominum, et ait: Domine, cur afflixisti populum istum? Quare misisti me? Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, et non liberasti eos. Dixitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem *(pressus,)* dimittet eos, et in manu * robusta *(coactus)* ejiciet *(id est, exire compellet)* illos de terra sua. Locutusque est *(ulterius)* Dominus ad Moysen dicens: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, et Jacob, in Deo omnipotente: et nomen meum ADONAI non indicavi eis. *Quasi diceret, Tibi majorem præbui fiduciæ causam, quam majoribus tuis, quibus*
C *nomen meum tetragrammaton (id, quia ineffabile Hebræis,* Adonai *seu* Dominus, *Latine solet exponi) non indicavi, sicuti tibi indicavi apud rubum. Pergamus cum textu:* Pepegique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ. Ego audivi gemitum filiorum Israël, quo Ægyptii oppresserunt eos: et recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israël: Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, et eruam de servitute: ac redimam in brachio excelso, et judiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, et ero vester Deus: et scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum; et induxerim in terram, super quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Isaac, et Jacob: daboque illam vobis possidendam, ego Dominus.

* i. e per manum

atque Israëlitas frustra consolatus, jubetur Pharaonem prodigiis aggredi.

116 *Hæc consolatio fiduciam* Moysis *nonnihil depressam magis erexit: verum Israëlitæ præsenti sua calamitate ita animos abjecerant, ut ne hisce quidem promissionibus eos resumpserint, non satis considerantes, ad magna passim non perveniri, nisi per magnos labores. Verba* Moysis *accipe:* Narravit ergo Moyses omnia filiis Israël: qui non aequieverunt ei, propter angustiam spiritus, et opus durissimum. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ingredere, et loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israël de terra sua. Respondit Moyses coram Domino: Ecce filii Israël non audiunt me: et quo modo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis. *Pusillanimitas Israëlitarum fecit, ut* Moyses *ad pristinam excusationem relaberetur. Verum Dominus cap. 7 amputavit ulteriores excusationes, jussitque* Moysen *signorum ostentatione aggredi Pharaonem, majoremque auctoritatem apud regem superbum assumere. Rem* Moyses *narrat his verbis:* Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis: et Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi: et ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israël de terra sua. Sed ego indurabo cor ejus, et multiplicabo signa et ostenta mea in terra Ægypti, et non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, et educam E exercitum et populum meum, filios Israël de terra Ægypti per judicia maxima. Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, et eduxerim filios Israël de medio eorum. Fecit itaque Moyses et Aaron, sicut præceperat Dominus; ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

Vertit Moyses virgam suam in serpentem, quod imitantur magi:

117 *Hisce generatim expositis, ad singula enarranda* Moyses *sic procedit:* Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron: Cum dixerit vobis Pharao, Ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, et projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus: tulitque Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, quæ versa est in colubrum. Vocavit autem Pharao sapientes et maleficos: et fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas et arcana quædam similiter. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron *(in colubrum versa)* virgas eorum. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos (Moysen *nimirum et Aaronem)* sicut præceperat Dominus. *Præcipui* F *horum maleficorum creduntur fuisse* Jannes *et* Mambres, *de quibus Apostolus 2 Timoth. 3 ℣ 8 ait:* Quemadmodum autem Jannes et Mambres restiterunt Moysi *etc. Hi autem suis præstigiis effecerunt, ut Pharao potuerit existimare,* Moysen *et Aaronem simili arte uti, et magos solum esse magis suis peritiores, atque ea de causa non moveretur ad consentiendum, sicut Dominus futurum prædixerat, quando præcepta sua dabat* Moysi *et Aaroni. Hoc primum prodigium coram Pharaone factum non computatur inter decem plagas Ægypti: nam ex eo nihil mali obvenit Ægyptiis.*

vertit aquam in sanguinem per totam Ægyptum,

118 *At prima Ægyptiorum plaga statim subnectitur hoc modo:* Dixit autem Dominus ad Moysen. Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas: et stabis in occursum ejus super ripam fluminis: et virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua. Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, ut

AUCTORE J. S.

ut sacrificet mihi in deserto: et usque ad præsens audire noluisti. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, et vertetur in sanguinem. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur et computrescent aquæ, et affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis. Dixit quoque Dominus ad Moysen. Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, et extende manum tuam super aquas Ægypti, et super fluvios eorum, et rivos ac paludes, et omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem: et fiat cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis. Feceruntque Moyses et Aaron, sicut præceperat Dominus: et elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone et servis ejus: quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluvius, et non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, et fuit sanguis in tota terra Ægypti. *De hac plaga Psalm.* 77 ỹ 44 *sic canit Psalmista:* Et convertit in sanguinem flumina eorum, et imbres eorum, ne biberent. *Et Psalm.* 104 ỹ 29: Convertit aquas eorum in sanguinem: et occidit pisces eorum. B

quod item imitantur magi: utrum prima hæc plaga etiam fuerit in terra Gessen?

119 *Post prædicta vero* Moyses *addit causam, cur non flecteretur pertinacia Pharaonis, ita scribens:* Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis; et induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus. Avertitque se et ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. *Quæritur hic passim, unde aquam illam, quam verterunt in sanguinem, acceperint malefici, cum omnis aqua Ægypti in sanguinem fuerit conversa a* Moyse? *Variis id modis fieri potuit: nam potuit illa aqua esse marina, quæ versa non erat in sanguinem, utpote ad potandum inepta. Potuit fodi puteus, prout revera puteos foderunt Ægyptii, atque ex illo aqua illa hauriri. Potuit illa aqua accipi a magis, priusquam omnis aqua in sanguinem erat conversa: non enim dicitur tota conversio unico momento temporis facta. Plures etiam modos, quibus aqua illa a magis haberi potuit, recitant interpretes; sed probabiliores solum recensere breviter volui. S. Augustinus quæst.* 23 *in Exodum existimat, terram* C *Gessen a plaga sanguinis et sequentibus fuisse immunem, ibique aquam a magis acceptam, quam in sanguinem verterunt. Et sane non video ex Scripturis probari posse, terram Gessen eadem plaga fuisse tactam, licet interpretes varii id velint probare ex his verbis:* Et fuit sanguis in tota terra Ægypti. *Quippe cap.* 8 ỹ 24 *similiter* musca *venisse dicitur* in omnem terram Ægypti: *et tamen ex eodem capite constat, terram Gessen a plaga muscarum fuisse liberam. Itaque sententia illa S. Augustini mihi præ ceteris videtur probabilis: non enim idonea ratio facile assignari poterit, cur tota terra Ægypti uno loco magis comprehendat terram Gessen, quam altero. Demum quid fecerint Ægyptii hac plaga percussi,* Moyses *sic refert:* Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis, aquam ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium. *Hactenus de prima Ægyptiorum plaga ex sacris Litteris.*

D

§ XIV. Josephi, Philonis, et Artapani de præmissis relationes examinatæ.

Josephus gesta in primo et secundo congressu

Josephus primum Moysis *cum Pharaone congressum cum secundo, ordinemque rerum gestarum mire confundit: varia quoque* Moysi *dicta attribuit, quæ nec vera sunt, nec probabilia. Verba accipe, observationibus nostris castiganda:* Ad novum, *inquit*, regem se confert. Ibi posteaquam commemorasset operam suam pro Ægyptiis contra Æthiopas, contemptim agros eorum vastantes, navatam, laboresque exhaustos, dum non aliter quam pro suis popularibus bellum administraret, adjicit malam gratiam pro tot beneficiis sibi redditam. Oraculum deinde, in Sina monte acceptum, regi aperit, necnon prodigia, quibus de voluntate Dei confirmatus, omnem hæsitationem posuerit, singillatim enumerat; addit deinde preces, E ne per incredulitatem Dei decretis obstaculo esse velit. Cæterum cum a rege contemptim audiri se animadverteret, exhibet illi specimen prodigiorum, quæ in Sina viderat. *Prodigia illa regi sunt exhibita non in primo, sed in secundo congressu. Deinde non est verisimile,* Moysen *merita sua regi exprobrasse, aut tam enucleate visionem suam eidem statim exposuisse. Redeo ad Josephum.*

Moysis cum Pharaone non solum conjecturis suis,

121 Rex vero iratus sceleratum eum appellat, qui Ægyptiorum olim fugitivus, nunc magicis præstigiis instructus, ad reliquos decipiendos venerit. Habere se quoque sacerdotes, qui eadem ostenta repræsentare nossent, non minus peritos hujusmodi artium: nec esse, cur se Moyses jactare debeat, quasi solus divina præ cæteris virtute polleat, atque ita apud rudem multitudinem quasi supra mortalem conditionem positus se venditet: confestimque cum et ipsi suas virgas projecissent, in dracones sunt versæ. Tum Moyses nihil his motus, Ne ipse quidem, inquit, ignoro aut contemno artes Ægyptiorum: attamen quæ ego operor, tanto præstantiora esse F aio, quam istorum magiam, quanto intervallo res divinæ humanas post se relinquunt: jamque manifeste declarabo, non esse hæc præstigias veritatis specie parum cautis imponentes, sed ipsissimam Dei virtutem, argumentum omnipotentis illius voluntatis apud incredulos futuram: et cum dicto virgam in terram mittit, jubens ut fiat draco, quæ mox dicto parens Ægyptiorum virgas, quæ draconum specie reptabant, unam post aliam aggressa, omnes ad unam devoravit, ac mox in pristinam speciem reversam Moyses rursum sustulit. *In hisce Josephus rursum varie labitur. Nam primo Pharaonem ex solis conjecturis loquentem, et* Moysi *exprobrantem inducit. Secundo cum ait,* Cum et ipsi *(magi)* suas virgas projecissent, *supponit* Moysen *id antea fecisse, prout revera per Aaronem fecit; idemque rursus factum narrat, acsi* Moyses *idem bis fecisset. Tertio de Aarone silet, acsi non adfuisset, omniaque verba et opera soli* Moysi *attribuit; cum tamen constet, omnia per Aaronem facta, jubente* Moyse. *Quarto* Moysen *pessime sic loquentem inducit, acsi magicas Ægyptiorum artes approbasset.*

122 Rex

A 122 Rex autem, *ait pergens Josephus*, ad indignationem magis quam admirationem hoc facto commotus, cum nihil acturum respondisset, neque quidquam Ægyptiacis artibus profecturum, mandat operarum exactori, qui Hebræis erat præpositus, ut de labore nihil eis remittat, sed gravioribus etiam quam antea operum difficultatibus premat. At ille prius paleas eis ad lateres fingendos præbere solitus, posthac id facere desiit: sed interdiu detentos in opere, noctu ad comportandas paleas dimittebat, pristini laboris onus conduplicaturus. Moyses autem neque minis regis a proposito deterrebatur, neque assiduis suorum querelis, ut a cœpto desisteret, vel minimum flectebatur: sed obfirmato contra utrumque animo, in hoc totus erat, ut suos in optatissimam libertatem restitueret. Itaque denuo regem accedit, suadens ut dimittat Hebræos in Sina montem, illic Deo sacrificaturos, hoc enim ipsum jussisse, nec posse quemquam ejus voluntati resistere: quapropter dandam operam ne favorem ejus contemnere videatur, utque populo potestatem exeundi faciat, ne forte contra moliendo posthac culpam in se transferat, si quid B ipsi tale acciderit, qualia Dei voluntati resistentibus evenire solent. Nam necessario calamitates eos comprehendere, qui divinam iram in se provocaverint: et tum terram tum aerem illis infestum existere, tum procreationem filiorum parum feliciter procedere, clementis etiam ad vindicandum in eos concitatis. Atque hæc mala non posse evitare Ægyptios, etiamsi Hebræos regionem eorum exire contingat, nisi hanc profectionem bona pace ipsorum impetraverint. *Hactenus Josephus, qui recte quidem oppressionem majorem Hebræorum primo congressui postponit; sed eam perperam postponit signis, quæ in secundo congressu contigerunt, quod utrumque confuderit, ut jam vidimus. Deinde alterum* Moysis *cum Pharaone conventum quidem narrat: sed solum minas quasdam* Moysis, *ex conjecturis confictas, illi eorum conventui attribuit: licet* Moyses *tam cito non videatur miratus Pharaoni. Reliqua Josephi de hisce asserta accipe.*

sed ordine etiam confuso corrumpit:

C 123 Rege vero, *inquit*, nihili faciente verba Moysis, neque vel tantillum ad ejus preces advertente, gravissima mala in Ægyptios incubuerunt: quæ singulatim recensebo, tum propter eorum novitatem, tum ut eo magis appareat, non vanas fuisse Vatis nostri prædictiones: postremo quia hominum interest talia cognoscere, quo magis ea caveant, quibus irritatus Deus ad infligendas pœnas commoveri solet. Primum annis sanguineis fluentis prolabens, ad potus inopiam eos redegit, cum præterea nullum fontem habeant: nec coloris tantum id erat vitium, sed si quis siti coactus gustaret, confestim acri dolore corripiebatur: eratque talis Ægyptiis solis, Hebræis vero dulcis ac potabilis, et omnino pristinam naturam retinens. Quo miraculo rex inops consilii, timens incolumitati gentis, permisit Hebræos abire; cumque malum cessasset, rursum ad pristinam mentem rediit, sententiam suam revocans. *Peccat Josephus, dum asserit post hanc plagam permisisse Pharaonem, ut Hebræi abirent, sed sententiam revocasse. Potius referre debuerat, a magis quoque aquam in sanguinem conversam; atque ita factum esse, ut Pharao pertinax in sententia sua persisteret.*

prima plaga ab eodem narrata, errorque ipsius correctus.

124 *Philo in narratione ejusdem historiæ subinde quoque a sacra Scriptura recedit, et observationes suas de more adjungit. Singula excutiemus post data ipsius verba, quæ interpres Latine sic reddidit:* Post hæc (Moyses *et Aaron*) regem ipsum audent appellare, ut populum extra fines regni emittat ad sacrificium. Aiebant enim solitudine opus esse ad peragendos ritus patrios, diversos ab aliorum cæremoniis, et ideo secessum requirentes, ne vel offendant alios, vel profanentur exterorum oculis parum faventium spectaculo. At rex ab incunabulis innutritus majorum suorum fastui, nec credens ullum Deum præter ista visibilia, contumaciter respondit: Quis est, cui me obedire jubetis? Non novi istum, quem prædicatis novum Dominum: non dimitto gentem, prætextu celebritatis sacrorumque cupientem jugum excutere. Deinde homo iracundus et inclemens ignominia notat præfectos operum, qui sinerent otio lascivire populum, alioqui non desideratum festa et sacrificia. Hæc enim non esse intentorum operi necessario, sed suaviter delicateque viventium. Ergo, cum populus gravius quam ante premeretur, et Mosi sociis indignaretur ut impostoribus, eis clamque palamque impietatem objiciens, ac E ementita oracula; tandem Propheta aggreditur exerere miracula, quæ didicerat; quo spectatoribus incredulitatem eximeret: interfuit et rex cum cohorte purpuratorum. *Per præfectos operum, quos ignominia notavit Pharao, intelligi debent præfecti ex Hebræis, quibus rursum præerant Ægyptii. Quæ vero asserit de obmurmurationibus contra* Moysen, *acsi pro impostore cum suis habitus fuisset ab Hebræis, nonnihil exaggerata sunt supra relationem S. Scripturæ; licet alioquin non careant omni verisimilitudine, et pro conjecturis haberi possint.*

AUCTORE J. S.

Philo primum Moysis cum Pharaone congressum, ejusque exitum,

125 *Philo deinde sic pergit*: Itaque confluente ad regiam multitudine, frater Mosis baculum, elatum prius, ut esset omnibus conspicuus in terram projicit; qui mox id draconem mutatur. Tum circulus spectatorum præ metu stuporeque solutus diffugit. Sophistæ vero magique, quotquot aderant, Quid vos terret? inquiunt. Nec nos sumus rudes talium artium: et nos talia patrare possumus. Deinde cum quisque suam virgam projecisset, multi dracones circa primum illum volvebantur sinuosis orbibus; ille vero arrecta cervice immani hiatu non aliter quam objectos pisces circumquaque petitos absorbuit: atque ita deglutitis, in pristinam virgæ naturam rediit. Id tam F magnificum spectaculum etiam iniquis animis omnem suspicionem exemit, ne putarent hæc agi humanis vaframentis aut artibus excogitatis ad ludibrium, sed divina potentia, qua nihil non facile perficitur. *Quod hic asseritur de dracone ex* Moysis *virga facto, quem, post devoratos serpentes ex magorum virgis ortos, rursum in virgam mutatum affirmat, ex probabili conjectura dicitur: nam Scriptura non exprimit, quomodo, aut quando, secunda illa mutatio facta sit. Potui fieri mutatio Aarone caudam serpentis arripiente, ut* Moysi *contigit apud rubum; aut sponte etiam, ut credidisse videtur Philo, quem rursus audiamus.*

prodigium mutatæ in serpentem virgæ,

126 Attamen cum ne tam manifesta quidem efficacia posset eis exprimi, ut victos se faterentur; sed nihilominus pertinaci audacia resisterent, addicti obstinatæ inhumanitati impietatique, tamquam laudatis virtutibus; nec miserantes oppressos iniquo servitio, nec divina mandata exsequi inducentes in animum, tum manifestis oraculis declarata, tum ostensis subsecutis atque prodigiis:

plagas omnes generatim,

AUCTORE J. S.

giis : opus fuit graviore censura, ut afflictionibus agminatim ingruentibus castigarentur stolidi, qui dedignabantur erudiri bonis rationibus. Decem pœnæ regioni inflictæ sunt, ut qui in peccando nihil sibi reliquum fecerant ad summam malitiam, punirentur modis omnibus, ferirenturque perfecto pœnarum numero. Ne genera quidem pœnæ fuerunt vulgaria. Nam elementa mundi, terra, aqua, aer, ignis conspirarunt in impios, Deo vindice, ad declarandam ejus potentiam, ea, quibus ad creationem salutemque rerum usus est, vertentis quandolibet in impiorum perniciem. Hæ pœnæ trifariam distributæ sunt : tres pertinentes ad crassiora elementa, terram et aquam, ex quibus constant corpora cum suis qualitatibus, fratri Mosis commissæ : totidem soli Mosi, quas inflixit per ignem et aerem : . . . una utrique communis, ordine septima, tres reliquæ ad complendum denarium Deo servatæ sunt. Ab aqua fuit initium : hanc quoniam honorant Ægyptii præ cæteris, tamquam rerum omnium principium, primam adhibuit Deus ad terrendos castigandosque noxios. *Ha-*
B *ctenus Philo. Divisio illa decem plagarum placuit etiam Origeni Hom. 4 in Exodum. Ex hisce, licet Deus omnes præcipue intulerit, tres primæ, nimirum sanguinis, ranarum, et sciniphum, attribuuntur Aaroni, quod ipse in iis manum aut virgam extenderit, in duabus super aquas, in tertia super pulverem terræ. In reliquis dividendis Philo non servat ordinem, quo illatæ sunt, sed quo ipse eas erat narraturus. Tres soli* Moysi *adscribit, quod in illis* Moyses *legatur manum aut virgam in cœlum extendisse, uti factum est in plaga septima grandinis, in octava locustarum, et in nona tenebrarum. Sextam plagam ulcerum, quam septimam vocat et recenset Philo, soli Moysi attribuit Origenes, quod ille solus cinerem in cœlum sparserit; at utrique eam adscribit Philo, quod ambo simul cinerem collegerint. Demum tres aliæ, nempe quarta muscarum, quinta pestis animalium, et decima, seu mors primogenitorum, soli Deo attribuuntur, quia nihil in hisce operati alii.*

ae primam singillatim referens, conjecturas et aliquos errores admiscet.

127 Quid igitur mox accidit? Mosis fratre jussu Dei percutiente virga fluvium, in sanguinem vertitur, quam longus est ad mare usque ab Æthiopia, idem in stagnis, fossis, puteis, fontibus, et omnibus Ægypti aquis evenit, ut deficiente aqua potabili ripas nemo petere, et novas venas aperientibus pro limpido liquore
C sanguis emicaret tamquam e vulnere : piscium quoque genera extincta sunt cuncta, vitali facultate versa in pestiferam, ut fœtore complerentur omnia, putrescentibus simul tot corporibus, hominum quoque siti enectorum magnus numerus acervatim jacebat in triviis, non sufficientibus domesticis ad sepulturæ officia : nam per septem dies hoc malum duravit, donec Ægyptiis suppliciter Mosem invocantibus, et illo deprecante, Deus misertus est pereuntium. Is cum sit exorabilis, mutavit sanguinem in aquam dulcem, redditis amni fluentis salubribus, qualia prius fuerant. *In hac plaga narranda bis labitur Philo, aut certe idoneum non habet in Scriptura fundamentum. Asserit primo, sanguinem emicuisse novas venas aperientibus, seu puteos fodientibus. Verum id videtur repugnare hisce verbis Exod. 7 ℣ 24 :* Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis, aquam ut biberent : non enim poterant bibere de aqua flu-

minis. *Clare hic textus insinuat, aquam fodiendo fuisse repertam, præstante misericordia Dei illud remedium Ægyptiis, ne omnes siti enecarentur. Secundo nullibi asserit Scriptura, hanc sanguinis plagam cessasse per preces* Moysis, *uti affirmat Philo. Verisimilius et congruentius sacris Litteris dici potest, primam plagam cessasse solum, ut eam secunda exciperet.* D

De hisce ab Artapano gentili nonnulla etiam relata,

128 *Artapanus homo gentilis de hisce aliqua audierat, verisimiliter ex traditione aut relatione Ægyptiorum : at fabulas potius edidit, quam veram historiam. Eusebius mentem ipsius hoc modo exprimit loco sæpius indicato :* Hac re *(voce nimirum divina)* fretum *(Moysen,)* priusquam exercitum comparasset, ad regem Ægyptiorum soceri consilio descendisse *(asserit,)* dixisseque orbis Domini jussu liberandos esse Judæos. Quo audito, in carcerem ipsum fuisse intrusum : unde nocte, custodibus mortuis, et repente portis patentibus, januisque omnibus, quæ ibi fuerant, fractis, exivisse, rectaque via in regiam usque ad regis cubiculum januis apertis ad ipsum regem intrasse : interrogatumque a stupente rege, quodnam esset Dei nomen., a E
quo missus esset. Cumque cervicibus inclinatis, Moses in aure sibi dixisset, audientem mutum cecidisse, et a Mose suscitatum fuisse, scripsisse quoque ipsum nomen Dei in tabula dicit : quas litteras cum nonnulli sacerdotum deriderent, legere nescientes, spasmo ait omnes expirasse : tunc etiam, signum rege petente, baculum a Mose in serpentem conversum, omnibusque magno timore perculsis, a cauda captum draconem, in baculum rursus convertisse : deinde Nilum baculo percussum, abundasse adeo, ut universa Ægyptus submersionem timuerit, singulisque annis ex illo tempore similiter abundarit : postea, cum aqua rursus baculo percussa, in alveum suum rediisset, animalibus in fluvio cunctis morte corruptis, magno fœtore aquam ita oluisse, ut Ægyptii siti simul et pestilentia simul laborarent; regem autem perterritum, inclinatum jam fuisse ad dimittendum populum : sed Memphiticos sacerdotes vocatos, morique jussos, nisi aliquod signum ipsi etiam ederent, magicis artibus dracone producto, et fluvii colore mutato, effecisse, ut elatus rex atrociter Judæos tractaret. *Hactenus ille, vera falsis miscens.* F

sed multis erroribus et fabulis deturpata.

129 *Primo fallitur, dum ait* Moysen *soceri sui consilio ad Pharaonem ivisse : quod vero de exercitu non comparato dicitur, ineptum est. Secundo carcer ille* Moysis, *omniaque occasione carceris relata, fictitia plane apparent, licet alioqui mirandum sit, non præcepisse Pharaonem, ut* Moyses *carceri includeretur. At verisimile est, Pharaonem in primo congressu magis contempsisse* Moysis *dicta, quam ab eo timuisse : deinde vero ob signa visa magis timuisse, quam ut auderet carceri* Moysen *includere. Tertio pro aquis Nili in sanguinem conversis ingentem exundationem sic substituit, ut tamen agnoscat aquas fuisse corruptas, piscesque mortuos; quin et pestilentiam ortam, quam Scriptura sacra non agnoscit. Quarto aquas fuisse rursum percussas, sicque in alveum rediisse, regemque iis signis fuisse inclinatum ad dimittendos Israëlitas, rursum non habet* Moyses *ipse, neque hic edicit, quomodo fluvius deinde ex sanguine rursus in aquam fuerit mutatus. Quinto fabulosum est, annuam Nili exundationem a fictitia illa exundatione ortum habere. Sexto demum alia quæ-dam*

AUCTORE J. S.

A *dam minus exacte et perturbato ordine relata sunt, modo tamen utcumque tolerabili. Ex hisce autem colligere possumus, mirabilia a* Moyse *in Ægypto patrata etiam a profanis scriptoribus relata fuisse, sed non sine erroribus, uti passim contigit in antiquis historiis profanis.*

§ XV. Secunda plaga ranarum, tertia sciniphum, quarta muscarum, quinta pestis jumentorum, sexta ulcerum, septima grandinis.

Secunda plaga ranarum, quam imitantur magi,

Postquam *prima plaga Ægyptiorum diebus septem continuata, Pharaonem non permoverat ;* Dixit quoque Dominus ad Moysen *(Exod.* 8 :) Ingredere ad Pharaonem, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum ,
B ut sacrificet mihi : sin autem nolueris dimittere , ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Et ebulliet fluvius ranas : quæ ascendent, et ingredientur domum tuam, et cubiculum lectuli tui, et super stratum tuum, et in domos servorum tuorum, et in populum tuum, et in furnos tuos , et in reliquias ciborum tuorum : et ad te , et ad populum tuum , et ad omnes servos tuos , intrabunt ranæ. *Hæc mandata cum minis adjunctis* Moyses *per Aaronem Pharaoni denuntiavit, licet Scriptura id non referat, sed potius subintelligendum relinquat.* Dixitque Dominus ad Moysen, *nimirum quia Pharao non flectebatur :* Dic ad Aaron : Extende manum tuam super fluvios , ac super rivos et paludes, et educ ranas super terram Ægypti. Et *(jubente Moyse)* extendit Aaron manum super aquas Ægypti, et ascenderunt ranæ operueruntque terram Ægypti ; *tanta nimirum copia, ut secundum comminationem præmissam domos, cubicula, lectosque ipsos , et alia loca ingrederentur.* Fecerunt autem et malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram
C Ægypti. *Sane difficile non erat dæmoni ranas, Deo permittente, aliunde adducere, et coram magis statuere.*

Moysis precibus deinde ablata :

131 *Fastus tamen regis hoc prodigio nonnihil depressus est, ut sequitur :* Vocavit autem Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Orate Dominum, ut auferat ranas a me et a populo meo : et dimittam populum , ut sacrificet Domino. Dixitque Moyses ad Pharaonem : Constitue mihi, quando deprecer pro te , et pro servis tuis, et pro populo tuo , ut abigantur ranæ a te , et a domo tua, et a servis tuis , et a populo tuo : et tantum in flumine remaneant. Qui respondit : Cras. At ille, Juxta, inquit, verbum tuum faciam, ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster. Et recedent ranæ a te, et a domo tua, et a servis tuis , et a populo tuo : et tantum in flumine remanebunt. Egressique sunt Moyses et Aaron a Pharaone : et clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi : et mortuæ sunt ranæ de domibus, et de villis, et de agris. Congregaveruntque eas in immensos aggeres , et computruit terra. Videns autem Pharao, quod data esset requies , ingravavit cor suum , et non audivit eos , sicut præceperat Dominus. *Non stetit promissis Pharao post ablatam plagam, sive quod non nisi ficto animo promisisset, sive quod homo inconstans mentem mox mutaverit. Verum pertinacia illa continuo aliam sensit plagam.*

tertia plaga sciniphum, quam imitari non potuerunt magi :

132 *Quippe* Moyses *sic progreditur :* Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron. Extende virgam tuam, et percute pulverem terræ : et sint sciniphes in universa terra Ægypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens : percussitque pulverem terræ, et facti sunt sciniphes in hominibus, et in jumentis : omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti. *Disputant interpretes, quale genus insecti designetur per vocem* sciniphes, *aut, ut alii scribunt,* ciniphes : *nam vox videtur derivari a voce Græca nonnihil mollita, quæ scribitur* σκνίφες , σκνίπες *et* κνῖπες *in singulari* σκνὶψ *vel* κνὶψ. *Alii culices explicant, alii pediculos, alii pulices , alii animantia nova , et ante numquam visa. At mihi præplacet sententia Philonis, cujus verba dabo § sequenti. Porro hyperbole est , cum dicitur* omnis pulvis *in sciniphes versus : at illa hyperbole ostendit, innumeram fuisse multitudinem sciniphum, qui suis* E *punctionibus haud dubie ingentem excitarunt molestiam tam hominibus quam jumentis. Voluerunt et hoc prodigium imitari magi Pharaonis; sed frustra, Deo id non permittente. Audi textum sacrum :* Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes , et non potuerunt : erantque sciniphes tam in hominibus, quam in jumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem : Digitus Dei est hic. Induratumque est cor Pharaonis, et non audivit eos , sicut præceperat Dominus. *Observari hic potest primo, Pharaonem de hac plaga non præmonitum fuisse, aut certe id non dici in sacris Litteris. Secundo, magos hic agnovisse potentiam Dei, eamque professos esse coram Pharaone, qui tamen ne hac quidem illorum confessione pertinaciam suam deposuit. Hinc post tertiam hanc plagam continuo subsecuta est quarta, Pharaone rursum præmonito.*

quarta plaga muscarum omnis generis,

133 *Hanc* Moyses *refert hisce verbis :* Dixit quoque Dominus ad Moysen : Consurge diluculo , et sta coram Pharaone : egredietur enim F ad aquas : et dices ad eum : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, et in servos tuos, et in populum tuum , et in domos tuas, omne genus muscarum : et implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, et universa terra, in qua fuerint. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ : et scias quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque divisionem inter populum meum et populum tuum : cras erit signum istud. Fecitque Dominus ita *(nimirum ubi frustra a* Moyse *monitus erat Pharao.)* Et venit musca gravissima in domos Pharaonis et servorum ejus , et in omnem terram Ægypti : corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis. *De hac plaga, uti et de secunda Psal.* 77 ỳ 45 *sic dicitur :* Misit in eos cœnomyiam , et comedit eos , *(sanguinem exsugendo , acriterque torquendo morsibus suis ;)* et ranam , et disperdidit eos. *Rursum Psal.* 104 ỳ 31 *de hac et tertia :* Dixit, et venit cœnomyia : et cinifes in omnibus finibus eorum. *Vox Græca* κοινομυία, *quæ hic servata est ab interprete Latino, ad litteram*

AUCTORE J. S.

teram significat communem muscam, *id est*, omne genus muscarum, *prout recte vertit S. Hieronymus cum aliis. Muscarum morsibus etiam homines occisi in Ægypto dicuntur Sap.* 16 ℣ 9.

quæ non fuit in terra Gessen, uti probabiliter nec præcedentes :

134 *S. Augustinus in Exodum quæst.* 26 *de exemptione Hebræorum a plagis hic primum indicata, sic loquitur :* Quod hic Scriptura aperuit, ne ubique diceret, intelligere debemus et in posterioribus et in prioribus signis factum esse, ut terra, in qua habitabat populus Dei, nullis plagis talibus vexaretur. Opportunum autem fuit, ut ibi hoc aperte poneretur, unde jam incipiunt signa, quibus magi similia nec conati sunt facere. Procul dubio enim, quia ubique fuerant sciniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen, ibi conati sunt magi similiter facere, et non potuerunt. Quousque ergo deficerent (*magi,*) nihil de illius terræ de segregatione dictum est; sed ex quo cœperunt ea fieri, ubi jam illi similia facere nec conari auderent. *Hæc observatio S. Augustini mihi admodum apparet probabi-*
B *lis; omnino tamen certa non est : nam, si existimare quis velit tres plagas præcedentes, sanguinis videlicet, ranarum et sciniphum, etiam fuisse in terra Gessen; dicere poterit, nec aquam fuisse sanguineam Hebræis, sed solis Ægyptiis; nec ranas aut sciniphes quidquam Hebræis molestiæ intulisse : nunc vero terram ipsam, in qua erant Hebræi, a communi plaga excipi, ut Hebræorum exemptio Ægyptiis clarius innotesceret.*

Pharao hac plaga durante promittit libertatem abeundi Hebræis, sed deinde non stat promissis.

135 *Porro plaga hæc muscarum Pharaonem movit; sed non ita permovit, ut Dei mandatis prorsus obtemperare voluerit : in sacrificium enim Hebræorum consensit, at non in egressum eorum ex Ægypto.* Moysen *audiamus :* Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et ait eis : Ite, et sacrificate Deo vestro in terra hac. Et ait Moyses : Non potest ita fieri : abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro : quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in solitudinem : et sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis. Dixitque Pharao : Ego dimittam vos, ut sacrificetis Do-
C mino Deo vestro in deserto : verumtamen longius ne abeatis : rogate pro me. Et ait Moyses : Egressus a te, orabo Dominum : et recedet musca a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus cras : verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino. Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum. Qui fecit juxta verbum illius : et abstulit muscas a Pharaone, et a servis suis, et a populo ejus : non superfuit ne una quidem. Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum. *Solet hic quæri, quid intelligat* Moyses *per* abominationes Ægyptiorum. *Verum res mihi elucidari videtur per sequentia verba :* Quod si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii *etc. Per* abominationes Ægyptiorum *igitur intelliguntur ea animalia, quæ colebant Ægyptii ;* *et* abominationes Ægyptiorum *sunt abominanda Ægyptiorum numina. Sic Apin colebant in forma bovis et vituli : Jovem Hammonium in ariete. Colebant et alia animantia, ut crocodilos, ibes, aliaque multa. At hoc modo non quæritur.*

Plaga quinta mors animalium,

136 *Pertinacia Pharaonis et perfidia in non servandis promissis aliam mox adduxit plagam, quam* Moyses *sic exponit Exod.* 9 : Dixit autem Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem D
et loquere ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Quod si adhuc renuis, et retines eos : ecce manus mea erit super agros tuos : et super equos, et asinos, et camelos, et boves, et oves, pestis valde gravis. Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israël et possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his, quæ pertinent ad filios Israël. Constituitque Dominus tempus, dicens : Cras faciet Dominus verbum istud in terra. *Annuntiavit hæc* Moyses *Pharaoni, sed frustra.* Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die : mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum : de animalibus vero filiorum Israël nihil omnino periit. *Observa hic vocem* omnia *non stricte intelligendam de omnibus omnino animantibus Ægyptiorum, cum aliqua deinde grandine occisa legantur, sed vel de omnibus, quæ erant in agris, ob præcedentia verba,* Erit manus mea super agros tuos; *vel de omnibus, quæ peste contacta erant; vel denique vocem* omnia *hic significare* multa *aut* pleraque, *paucis solum relictis. Addit textus sacer :* Et mi- E
sit Pharao ad videndum : nec erat quidquam mortuum de his, quæ possidebat Israël. Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum. *De hac plaga Psal.* 77 ℣ 50 *sic legitur :* Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum : et jumenta eorum in morte conclusit.

sexta ulcerum. Moyses gravi comminatione Pharaonem aggreditur,

137 *Moyses vero ad plagam sextam sic progreditur :* Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron : Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone. Sitque pulvis super omnem terram Ægypti : erunt enim in hominibus et jumentis ulcera, et vesicæ turgentes in universa terra Ægypti. Tuleruntque cinerem de camino, et steterunt coram Pharaone, et sparsit illum Moyses in cælum : factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus et jumentis : nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera, quæ in illis erant, et in omni terra Ægypti. Induravitque Dominus cor Pharaonis, et non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen. *Non dicitur Pharao ipse hac ulcerum pla-* F
ga fuisse percussus : venum terribili comminatione eum urgere jussus est Moyses, *priusquam sequentem plagam nominatim prædiceret. Verba accipe :* Dixitque Dominus ad Moysen : Mane consurge, et sta coram Pharaone, et dices ad eum : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, et super servos tuos, et super populum tuum; ut scias quod non sit similis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum percutiam te et populum tuum peste, peribisque de terra. *Per pestem hic non designatur pestilentia proprie dicta, sed malum quodcumque mortem inferens : nam inter plagas Ægyptiacas non recensetur pestis hominum. Pestis igitur pro morte ponitur, uti Septuaginta habent, non pestis, sed mortis mentionem facientes : et mors revera Pharaoni multisque e præcipuis proceribus et populo ejus illata fuit, dum persecutus est Israëlitas per mare rubrum.*

prædicens generatim omnia mala, quæ infligeret Deus ad nomen suum manifestandum,

138 *Aliqui, inquit in hunc locum Cornelius a Lapide, ex Hebræo data verba sic vertunt et connectunt cum sequentibus :* Et quidem, si voluissem, potuissem te occidere peste, et perisses de

AUCTORE J. S.

A de terra ; verum ideo posui et servavi te, ut ostendam in te fortitudinem meam. *Favere utcumque huic expositioni videntur sequentia verba, quæ sic leguntur in Bibliis vulgatis :* Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narretur nomen meum in universa terra. *Verum, ut observat laudatus interpres, phrasis Hebraïca non habet particulam* si, *et verba Hebræa* assertive, non autem conditionate minantur Pharaoni pestem et interitum : . . quasi dicat *(Dominus :)* Plagas plagis addam, donec excidaris a terra. *Hæc igitur interpretatio tenenda est, nec sequendus videtur Chaldæus, qui alterius interpretationis est primus auctor : nam illi longe præferenda est versio S. Hieronymi, et Septuaginta interpretum, quibus multæ aliæ consonant. Præterea absoluta comminatio futurorum malorum usque ad interitum Pharaonis rectius cohæret cum verbis præcedentibus :* In hac vice mittam omnes plagas meas *etc. : nec ullo modo repugnat verbis istis :* Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, et narre-
B tur nomen meum in universa terra : *nam hisce verbis rationem reddit Dominus, cur plagis tam multis percutiat Pharaonem, priusquam eumdem morte puniat, videlicet ut plagarum multitudine nomen suum illustrius faciat per universum orbem. Hunc sensum exigunt Septuaginta, in quibus pro* posui te *legitur* servatus es.

sinens hac de causa crescere pertinaciam Pharaonis.

139 *Apostolus Rom.* 9 ℣ 17 *verba illa citat hoc modo :* Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam : et ut annuntietur nomen meum in universa terra. *S. Augustinus quæst.* 33 *in Exodum expendens hæc verba, observat Deum mala permittere, malisque ad tempus parcere, ut erudiantur electi, hæc subdens :* Novit ergo Deus bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed perfert eos patienter, quousque scit oportere ; non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum. Ecce enim ut annuntiaretur nomen Dei in universa terra, vasis misericordiæ utique prodest. Ad eorum itaque utilitatem Pharao servatus est, sicut et Scriptura testatur, et exitus docet. *Porro Deum non exci-*
C *tasse Pharaonem ad pertinaciam illam multis locis declarat idem sanctus Doctor, et nominatim quæst.* 36 *verba Exod.* 10 ℣ 1, Ego enim induravi cor ejus, . . . ut faciam signa mea hæc in eo, *duriorem quidem in speciem habere significationem agnoscit.* Sed, *inquit,* sic intelligendum est, acsi diceret : Ego enim patiens fui super eum et servos ejus, ut non eos auferrem, ut ordine superveniant signa mea super eos. Quia enim patientia Dei obstinatior fiebat malus animus, ideo pro eo, quod est, PATIENS IN EUM FUI, dicitur, Gravavi cor ejus. *Ita dixerat quæst.* 24 etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat *inter causas obdurationis Pharaonis numerari posse. Quippe* patientia Dei, *inquit,* secundum corda hominum, quibusdam utilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis, ad resistendum Deo, et in malo perseverandum : non tamen per se ipsa inutilis est, sed secundum cor malum, sicut jam diximus. Hoc et Apostolus dicit : Ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum autem duritiam cordis tui, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram *etc.*

Septima plaga grandinis,

140 *Post comminationem illam generalem jussus est* Moyses *Pharaoni prædicere plagam grandinis, quæ ordine septima est, quamque haud dubie prædixit iis verbis, quibus eum instruxit Dominus a* ℣ 17 : Adhuc retines populum meum : et non vis dimittere eum ? En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die, qua fundata est, usque in tempus præsens. Mitte ergo jam nunc, et congrega jumenta tua, et omnia, quæ habes in agro : homines enim, et jumenta, et universa, quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur. *Aliqui huic comminationi fidem adhibuerunt in bonum suum, eam vero alii malo suo neglexerunt, ut sequitur :* Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos et jumenta in domos : qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos et jumenta in agris. Et dixit Dominus ad Moysen : Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa terra Ægypti super homines, et super jumenta, et super omnem herbam agri in terra Ægypti. Extenditque Moyses virgam in cælum, et Dominus dedit tonitrua, et grandinem, ac discurrentia fulgura super terram : pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando et ignis mista ferebantur : tantæque fuit magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in E
universa terra Ægypti, ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum : cunctamque herbam agri percussit grando, et omne lignum regionis confregit. Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israël, grando non cecidit.

quæ multiplex fuit,

141 *Hanc plagam variis locis breviter attigit sacra Scriptura. Psalm.* 77 ℣ 47 : Et occidit in grandine vineas eorum, et moros eorum in pruina. Et tradidit grandini jumenta eorum, et possessionem eorum igni. *Rursum Psalm.* 104 ℣ 32 : Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum, et ficulneas eorum : et contrivit lignum finium eorum. *Sapient.* 16 ℣ 16 *magis explicatur, quam multiplex et mirabilis fuerit hæc plaga :* Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt : novis aquis, et grandinibus, et pluviis persecutionem passi, et per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus F
ignis valebat : vindex est enim orbis justorum. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia : sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis, exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret. *Et* ℣ 22 : Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant : ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine et pluvia coruscans. *Demum cap.* 19 ℣ 19 : Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, et aqua extinguentis naturæ obliviscebatur. *Ex hisce facile colligitur, terribilem fuisse tempestatem, conspirantibus contra Ægyptios omnibus fere aeris injuriis ; grandine nimirum inusitatæ magnitudinis, horrendis tonitribus, noxiisque fulguribus per terram discurrentibus atque obvia quæque consumentibus : junctis quoque, quo tempestas appareret magis mirabilis, glacie, nive, pluvia, ut clare agnoscerent Ægyptii ab omnipotente Dei manu se percuti.*

142 *Agnovit id ipsum Pharao, tantoque terrore correptus est, ut homo superbus se humiliaret*

AUCTORE J. S.

et Pharaonem vehementer terruit: plurimaque intulit

liaret coram Moyse, *et culpam fateretur, non tamen ut serio converteretur. Audiamus* Moysen *rei exitum enarrantem cap.* 9 ỷ 27 *:* Misitque Pharao, et vocavit Moysen et Aaron, dicens ad eos : Peccavi etiam nunc : Dominus justus ; ego et populus meus impii. Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, et grando : et dimittam vos, ut nequaquam hic ultra maneatis. Ait Moyses : Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, et cessabunt tonitrua, et grando non erit : ut scias, quia Domini est terra : novi autem, quod et tu, et servi tui, necdum timeatis Dominum Deum. *Damnum Ægyptiorum in frugibus terræ sic deinde subdit :* Linum ergo et hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, et linum jam folliculos germinaret : triticum autem et far non sunt læsa, quia serotina erant. *Bonfrerius in hunc locum observat primo, voces Hebraïcas, quas S. Hieronymus vertit,* Eo quod hordeum esset virens *alias reddi posse,* Quia hordeum erat in spica; *et verti a Septuaginta,* Hordeum ger-
B minaverat, *ita ut hordeum tunc videatur* habuisse, *inquit,* culmum et spicam, sed eam adhuc teneram et virentem. *Secundo ait, pro voce* folliculos *poni* calamum *ab aliis :* Sed, *inquit*, eodem res redit : folliculus enim est theca seu extrema pars calami erumpentis, quæ frumenti spicam vel lini semen involutum tegit. *Itaque hordeum et linum grandine confracta et comminuta sunt : atque hoc damnum accessit ad detrimentum hominum et jumentorum, qui occisi erant in agris : et arborum, quæ partim fulmine partim grandine erant confractæ.*

damna; nec tamen Pharaonem flexit.

143 *Tertio observat, vocem* far *ab aliis exprimi* speltam *aut* zeam. *Deinde rationem illam non læsi tritici et farris,* Quia serotina erant, *sic elucidat :* Redditur . . . ratio, cur istis grando non nocuerit, quia serius prorumpebant et germinabant. Intelligendum ergo vel adhuc hæc non erupisse e terra, vel adhuc in herba fuisse, ita ut ei non multum grando et fulgura nocere potuerint; nocent enim hæc iis, quæ resistunt; at vero quæ adhuc in terra latent, aut facile cedunt, non multum nocere possunt . . . Dixi autem hæc adhuc vel in terra latuisse, vel in herba fuisse, ita ut germen adhuc in sua ra-
C dice lateret; ita enim sonant Hebræa, « Quia adhuc « caliginosa et obscura erant », hoc est necdum apparebant, seu, ut vertunt Tigurina, « adhuc late- « bant ». *Finem plagæ et pertinaciam Pharaonis* Moyses *enarrat sequentibus verbis :* Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum : et cessaverunt tonitrua et grando, nec ultra stillavit pluvia super terram. Videns autem Pharao, quod cessasset pluvia, et grando, et tonitrua, auxit peccatum : et ingravatum est cor ejus, et servorum illius, et induratum nimis : nec dimisit filios Israël, sicut præceperat Dominus per manum Moysi.

D

§ XVI. Quid de secunda, tertia, quarta, quinta, sexta et septima plaga scripserint Josephus Philo et Artapanus.

Plaga ranarum ex Josepho,

Secundam *Ægyptiorum plagam Josephus narravit his verbis :* Deus autem motus hominis ingratitudine, qui nec a periculo liberatus vellet sapere, aliam plagam Ægypto infligit. Ranarum vis immensa terram eorum populabatur, refertus erat et fluvius, ut aqua inde non nisi sanie harum viciata hauriri posset, immorientibus earum plerisque et imputrescentibus. Plena erat et terra turpi limo, ex quo enascebantur, rursusque in eundem resolvebantur : quin et domesticum victum fœdabant in esculentis atque poculentis nusquam non repertæ : et in cubilibus quoque passim oberrantes : ita ut omnia E
fœterent putore e ranis mortuis exhalante infecta. His malis cum exagitarentur Ægyptii, rex jubet Moysen cum Hebræis abire, quo velit : et quamprimum hoc dixit, evanuerunt ranæ, terraque simul et flumen in pristinam naturam sunt restituta. Vix dum hoc malum cessaverat, cum Pharaothes denuo mutatus, priorum oblitus, retinere populum cœpit : et quasi aliarum etiam afflictionum naturas experiri vellet, negabat exitum, quem prius concesserat timore magis compulsus quam ex animi sui sententia. *Hactenus Josephus, quem nonnulla omittere ex collatione cum sacris Litteris facile advertet lector.*

et Philonte.

145 *Philo quoque eamdem plagam refert in hunc modum :* Sed non multo post remissam mulctam scelerati ad eandem crudelitatem redierunt, quasi omnino e terris migrasset justitia, aut quasi elapsi ex una pœna non possent aliam incurrere. Itaque more puerorum per ætatem nondum sapientium suo malo didicerunt non contemnere, nam vindicta secuta e vestigio, ut illis cessantibus tardaverat, ita ad iniquitatem properantes prævertit. Rursus F
enim Mosis frater jussus ad fossas et stagna paludesque virgam porrexit. Vix manum extenderat, cum ranarum tanta vis prorepsit, ut non tantum fora compleret ac loca subdivalia, verum etiam domos villasque, et cuncta ædificia, tam sacra quam profana, tam privata quam publica, haud secus acsi hoc genus aquatilium missum esset in diversi elementi coloniam, natura mutante rerum vicissitudines : nam terra est aquæ contraria. Itaque cum nec foras progredi posent homines, viis oppletis ; nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, et ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationem redacti, rursum ad eosdem, ut ante, confugiunt, rege pollicitante permissurum se Hebræos abire impune ac libere. Sic exorato Deo populi sui precibus, ranæ partim receperunt se in fluvium, partim mortuæ cumulabantur in triviis, etiam e domibus eodem congestæ propter intolerabilem graveolentiam exhalantem e cadaveribus bestiolarum, quæ vivæ quoque molestæ sunt sensibus. *Artapanus apud Eusebium de ranarum plaga brevissime meminit.*

146 *In*

A

In tertia plaga sciniphibus pediculos male substituit Josephus :

146 *In tertia plaga Josephus a sacris Litteris abberrat : nam pro sciniphibus seu culicibus pediculos substituit, quos* pedunculos *nominat interpres Latinus, Græca Josephi verba Latine sic exprimens :* Rursum igitur Deus alia clade in hominem fraudulentum vindicat, pedunculorum enim magna vis e corporibus Ægyptiorum scatebat, a quibus mali male perdebantur, neque lavacris neque medicamentorum inunctionibus extinguere eos valentes. Qua nova peste turbatus rex, et non magis ipso periculo quam ejus fœditate ac turpitudine territus, nequam cum esset, ægre dimidiata ex parte resipuit. Hebræis enim exire permissis, ac mox malo cessante, liberos et uxores reditus obsides ab eis exigebat, quo facto magis etiam Deum exasperat, putans se providentiam ejus circumvenire posse, quasi Moyses et non potius Deus pœnas de Ægyptiis Hebræorum oppressoribus sumeret. *Hanc Josephi sententiam de pediculis Hebræi passim et Hebraïzantes imitantur, vocem Hebraïcam* chinnim *sic interpretantes.* Verum, *inquit Pererius in cap.* 8 *Exod. disp.* 2, istam B opinionem de pediculis improbabilem facit narratio ipsa Moysis describentis hanc plagam : ait enim ex pulvere terræ percussæ generatos fuisse sciniphes. At pediculi ex ipso humano corpore generantur; sicut etiam Josephus supradictis verbis scripsit, dicens per hanc plagam scaturisse pediculos e corporibus Ægyptiorum, infideliter profecto Historiam sacram commemorans, quæ non ex corporibus Ægyptiorum, sed ex pulvere terræ generatos esse ait sciniphes. *Alterum Josephi peccatum in præmissis verbis est, quod asserat, Pharaonem promisisse, se abeundi licentiam daturum Hebræis : at de illa promissione tacuit* Moyses *ipse.*

ut Philo sciniphes describit,

147 *Philo de tertia illa plaga longe rectius Josepho veriusque ratiocinatur,* sciniphes *aut* sceniphes *exacte, ut videtur, describens :* Postquam, *inquit,* ab hac pœna *(ranarum)* respirarunt modicum, sicut athletæ collectis viribus, quo vehementius urgerent *, ad consuetam reversi malitiam, obliti sunt eorum, quæ pertulerant. At Deus aquis cessare jussis, terrestrem pœnam induxit, eodem usus castigatore : qui ubi terram virga percussit, tot scenipes ex ea C profusi sunt, ut velut extensa nubes totam obtineret Ægyptum. Id animal est molestissimum, quamvis minutum admodum. Nam non solam superficiem cutis lædit pruritu noxio, verum etiam interiora per aures naresque penetrat, involat et in oculos, nisi quis caveat : sed qui caveri poterant tot dira examina? Quæret fortasse aliquis, cur Deus tam vilibus animalibus ad vindictam uti maluerit, quam ursis, pardis, leonibus, cæterisque feris carnivoris : aut, si hæ non placebant, saltem familiaribus Ægypto aspidibus, quarum morsus sine mora enecat. Is si nescit, discat, Deum voluisse incolas castigare, non tollere. Nam si eos omnino delere voluisset, non opus erat animalium opera, sed divinitus immissa fame ac pestilentia. Præterea discat et illud in omni vita profuturum. Quidnam? Homines quando bella gerunt, auxilia sibi asciscere potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant : Deum vero omnipotentem et nullius egentem opera, si quando vult tamquam instrumentis quibusdam uti ad exigenda supplicia, non valida eligere, quorum robur curat minime, sed vilia parvaque instruere invictis viribus, atque ita noxios plectere, quod nunc quoque accidit.

* *Græce urgeant*

AUCTORE J. S. uti et Origenes, ita ut insectum videatur fuisse Ægyptiis cognitum.

148 Quid enim scnipe vilius? Tamen tantum effecit, ut tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur, hunc esse Dei digitum, manum enim *(Dei)* ne a tota quidem terra, quanta est, sustineri posse, imo nec a mundo universo. Hæc sunt inflicta per fratris ministerium. *Ita Philo, cujus in sciniphibus describendis ideo mihi major est auctoritas, quia Hebræus Hebraïcam vocem intelligere potuit, et Ægyptius animalculum ipsum cognoscere, quod, nisi cognovisset, non videtur tam prolixe fuisse descripturus. Philoni satis consonat Origenes Hom.* 5 *in Exodum ciniphes sic describens :* Hoc animal pennis quidem suspenditur per aera volitans, sed ita subtile est et minutum, ut oculi visum, nisi acute cernentis, effugiat : corpus tamen cum insederit, acerrimo terebrat stimulo, ita ut, quem volantem videre quis non valeat, sentiat stimulantem. *Horum sententiam reliquis omnibus probabiliorem existimo; sciniphesque fuisse insectum aliquod Ægyptiis non ignotum, seu fuerint genus quoddam minutissimorum culicum, seu spectes insecti a culicibus quoque distincta.* E

Josephus in quarta plaga pro muscis feras varias adoptavit ;

149 *De quarta Ægyptiorum plaga breviter magis quam exacte Josephus sic scripsit :* Varias ergo et multiformes bestiolarum *(Græce* θηρίων, *id est* ferarum) species immittit, quales nemo ante eam diem umquam viderat, tanta copia, ut tota regio malo hoc repleretur; præ quarum frequentia et homines plurimi extinguebantur, et terra nullo pacto coli poterat : et qui præsentaneum exitium evadebant, insecti tamen earum veneno a morbis corripiebantur. *Aberrare videtur primo Josephus, dum ait ferarum fuisse hanc plagam : et secundo, dum huic insistens opinioni, plurimos homines ab hisce feris peremptos affirmat. Quippe, etsi quidam interierint muscarum morsibus, ut dicitur Sap.* 16 ℣ 9, *de occisis in hac plaga hominibus nulla alia est mentio in Scripturis; nec verisimile est numerum occisorum tantum fuisse, quantum insinuat vox* plurimi. *Quod vero spectat ad species ferarum, Josephum secuti sunt aliqui Hebraïzantes, qui vocem Hebraïcam* harob *interpretantur* mixtionem, *illamque explicant de mixtione quarumlibet bestiarum noxiarum, tam venenosarum quam rapacium, ut serpentium, draconum,* F *leonum, luporum, scorpionum, similiumque aliarum. Verum huic explicationi non modo contraria sunt Biblia vulgata, sed etiam Septuaginta, aliique antiqui, ut probabo post data de hisce Philonis verba.*

Philo vero aliique muscam caninam intelligunt :

150 *Philo quartam hanc plagam, non servato ordine Scripturæ, serius commemorat, quod eam recenseat inter illas, quas Deus inflixit, non adhibita Aaronis aut* Moysis *opera, uti hic factum Origenes quoque observavit Hom.* 4 *in Exodum. Philo autem hanc sic narrare incipit :* Supersunt tria genera inflicta ab ipso Deo, sine ullo humano ministerio, quæ singula indicabo, quantum potero; primum per animal omnium audacissimum cynomyiam, cui veram appellationem imposuerunt periti nominum, ut erant sapientissimi, compositam e duobus impudentissimis animantibus, musca et cane, altera vincente omnes volucres temeritate, altero omnes terrestres quadrupedes. Accurrunt enim intrepide, et si quis arceat, non cedunt pervicacia, donec satientur carnibus et sanguine. Ac cynomyia particeps amborum audaciæ, mordax et insidiosum est animal. Nam e longinquo cum stridore in teli morem magno impetu advolat, infixaque cuti hære

AUCTORE J. S.

hæret pertinaciter. Tunc vero diris exagitatæ, multo molestiores erant, ultra nativam sitim sanguinis armatæ ad ultionem divinitus contra homines impios. *Sic ille, secutus Septuaginta interpretes, qui vocem Hebraïcam item interpretantur* cynomyiam, *seu* muscam canicam. *Ita quoque legerunt Origenes, S. Augustinus, aliique Patres, qui Septuaginta interpretes sequebantur, et antiquiores sunt versione S. Hieronymi.*

at contendit S. Hieronymus legendum esse muscam communem, non caninam.

151 *Verum S. Hieronymus, ubicumque hæc vox reperitur, legi vult* κοινόμυια *non* κυνόμυια, *seu* musca communis, *id est, omne genus muscarum, non* musca canina. *Accipe verba ipsius in Epistola ad Suniam et Fretellam :* Κοινόμυϊα, non ut Latini interpretati sunt, MUSCA CANINA dicitur per υ Græcam litteram; sed juxta Hebraïcam intelligentiam per *δίφθογγον* debet scribi οι, ut sit κοινόμυϊα, id est, omne muscarum genus. Aquila πάμμικτον, id est, omnimodam muscam, interpretatus est. *Innuit hisce S. Hieronymus vitium irrepsisse in lectionem Septua-
B ginta interpretum, atque in illis potius legendum* κοινόμυια *quam* κυνόμυια : *id tamen incertum est, cum passim omnes in Septuaginta legerint* κυνόμυια, *eaque lectio usitatior sit quam* κοινόμυια. *Hac de causa existimant interpretes, Septuaginta expressisse unam speciem muscarum, eamque molestissimam et impudentissimam pro omni muscarum genere; atque ita Septuaginta interpretes, Philonem, Patresque antiquos cum Scriptura vulgata conciliant. Ceterum agi de muscis, non de bestiis aut feris majoribus, ex eo etiam fit verisimile, quod ex aliis plagis constet Deum voluisse minutis bestiis domare ferocitatem Ægyptiorum, non vero innumera ferarum multitudine omnes opprimere. Artapanus apud Eusebium inter plagas Ægyptiorum etiam recenset* muscas venenosas.

Pestem animalium omittit Josephus, sed eam refert Philo :

152 *Josephus ad aliam plagam progressurus labitur in effectu quartæ narrando, dum ait Pharaonem post quartam plagam dimittere quidem viros et mulieres voluisse, sed pueros retinere : quæ oblatio Pharaonis serius contigit. De quinta plaga idem prorsus silet, sed a quarta ad sextam transilit. Philo vero quintam plagam seu pestam animalium breviter narrat hoc modo :* Post hanc pœnam *(muscarum)* successit alia, nemi-
C ne tunc quoque ministro irati Numinis, videlicet interitus pecudum : nam armenta et greges ovium caprarumque; præterea jumenta omnis generis, una die tamquam ex composito gregatim moriebantur, portendentia paulo post secuturam pestem hominum : quemadmodum aiunt publicas pestilentias solere primum in bruta sævire animalia. *Quod hic dicit de futura hominum pestilentia, intelligit de subita morte omnium primogenitorum, uti ex sequentibus ipsius verbis colligitur.*

ulcerum plaga ex utroque,

153 *Sextam, seu ulcerum plagam, Josephus narrat hoc modo :* Rege vero ne tum quidem resipiscente, ut voluntati divinæ cederet,... non defuerunt Deo variæ prioribus etiam graviores pœnæ, quibus ob regis malitiam in universam gentem severe animadverteret : sed exulceratis intus in cute corporibus, miserabilem in modum non mediocris numerus absumebatur. *Philo, observans ad sextam plagam concurrisse Aaronem et Moysen, exactius de eadem philosophatur in hunc modum :* Unam *(plagam)* de communi sententia fratres ambo inflixerunt in hunc modum. Deo jubente, cinerem e fornace hauserunt manibus, quem solus Moses ja- D
ctavit in aerem. Moxque pulvis excitatus, et longe lateque dispersus, hominibus brutisque dira per totam cutem inussit ulcera, carnibus simul intumescentibus, et fœdis pustulis scatentibus, acsi successæ clam effervescerent. Quo cruciatu, sicut per erat in exulceratione ac inflammatione, oppressi, non minus animo laborabant quam corpore; misere vexati doloribus. Videbatur enim unum ulcus a vertice usque ad imos pedes, his, quæ membratim sparsa erant, continua serpigine in unum coëuntibus : donec rursum Legislatore supplicante pro affectis, morbus levatus est. Cæterum hæc castigatio commissa est ambobus : propter pulverem fratri, penes quem erat cura pœnarum e terra provenientium, Mosi propter aerem mutatum ad affligendos incolas, nam hic erat minister calamitatum ex aere cœloque nascentium.

uti et grandinis, quam Philo, relata constitutione Ægypti,

154 *De septima, seu grandinis plaga, jejune rursum Josephus hæc scribit :* Et cum ne sic quidem rex resipisceret, grando numquam ante in Ægyptio cælo visa, tunc vero major quam
apud alios hiberno tempore, aut in Septentrio- E
nali regione, vere jam adulto superne ruens omnes eorum fructus contrivit. *Philo, ut ostendat, quam nova et inusitata Ægyptiis accidere debuerit hæc grandinis plaga, prolixe ratiocinatur de constitutione Ægypti, quæ pluviarum prorsus fere est expers, magisque grandinis, fulminis, tonitruum, similiumque aeris injuriarum; Nili exundatione, quæ statis temporibus quotannis inchoatur, terras fœcundante. Rationes, quas affert, de raritate pluviæ in Ægypto, non discutio : sed totum ipsius ratiocinium huc transfero.* Nunc videamus, *inquit,* quas pœnas ipse Moses sumpserit, et ex quibus naturæ partibus. Aer ac cælum mundi portiones purissimæ, aquis et terræ successerunt in Ægyptiorum castigatione, cujus administrator Moses electus fuit. Aer prior turbari cœpit. Nam Ægyptus pene sola inter regiones in meridiano tractu sitas, unam ex quatuor anni temporibus ignorat hyemem, vel quia (ut fertur) non longe abest a zona torrida, cujus occulto afflatu calescunt finitima : vel quia circa æstivum solstitium inundans fluvius nubes absumit. Incipit enim crescere æstatis initio, et sub ejus finem
desinit : quo tempore etesiæ quoque impingunt F
ex adverso in Nili ostia, impediturque aquarum exitus, mari tumescente per ventorum violentiam, et fluctibus quasi pro muro se opponentibus, ita ut amnis fluenta retro agantur. Ita fit ut aquis sibi invicem occurrentibus, tum his, quæ superne a fonte descendunt, tum his, quæ repelluntur ab ostiis, et dilatari nequeuntibus propter ripas eminentiores exaggeratasque, tandem necessario supereffundatur.

conatur magis elucidare.

155 Est et alia causa, cur hyems Ægypto sit supervacanea. Nam quod imbres alibi, hic restagnationes fluminis efficiunt, arva fœcundantes ad proventus frugum annuos. Natura autem non solet ita in vanum operari, ut pluvias terræ non indigenti largiatur, simulque gaudet varietate sui artificii, concentum e contrariis qualitatibus temperans, et ideo aliis superne e cælo, aliis inferne e fontibus ac fluviis præbet aquarum commoda. In hoc statu regionis vernantis alienis mensibus, quæ circa brumam irroratur parvis rarisque pluviis duntaxat in locis maritimis, supra Memphim autem regiam nullas omnino sentit, repente aer novam sumpsit faciem, ut hybernis

A bernis regionibus consuetæ tempestates simul ingruerent, imbres, grandines, procellæ atque turbines, collisiones nubium, continua fulgura tonitrua prodigiosa specie. Grando enim intermixta nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed utraque uno eodemque deferebantur impetu. Nec solum inclementia cæli contristabat incolas, verum etiam rei novitas. Credebant enim, nec falso, ab irato Deo mutari omnia tempestatibus insolitis, arbusta segetesque vastantibus, pereuntibus simul non paucis animalibus, partim frigore absumptis, partim elisis grandine ruente more lapidum, nonnullis etiam ictis fulmine, ex quibus si quæ supererant, ambusta circumferebant vulnera ad terrorem videntium.

§ XVII. Plaga octava locustarum, et nona tenebrarum narrantur ex sacra Scriptura.

B

Minatur Moyses locustarum plagam,

Quandoquidem pergebat Pharao contra stimulum calcitrare, jussus est Moyses *novam ipsi plagam comminari, uti refert cap.* 10 *his verbis :* Et dixit Dominus ad Moysen : Ingredere ad Pharaonem : ego enim induravi cor ejus, et servorum illius : ut faciam signa mea hæc in eo, et narres in aures filii tui, et nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, et signa mea fecerim in eis : ut sciatis quia ego Dominus. Introierunt ergo Moyses et Aaron ad Pharaonem, et dixerunt ei : Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum : Usquequo non vis subjici mihi? Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi. Sin autem resistis, et non vis dimittere eum : ecce ego inducam cras locustam in fines tuos : quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat; sed comedatur, quod residuum fuerit grandini : corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, et servorum tuorum, et omnium Ægyptiorum : quantam non viderunt patres tui, et avi, ex quo
C orti sunt super terram usque in præsentem diem. Avertitque se, et egressus est a Pharaone. *Rex totam hanc comminationem videtur frigide audivisse; at non ita proceres ejus, præteritis malis edocti, numquam vanas fuisse* Moysis *comminationes.*

proceribusque Pharaoni frustra suadentibus ut pareat,

157 *Hi igitur Pharaoni suaserunt, ut satisfaceret tandem* Moysi, *nec sineret totam Ægyptum funditus interire. Pharao non ausus aperte refragari procerum suorum consilio, nolens tamen Israëlitas dimittere, arte usus est, jussitque* Moysen *coram proceribus totam postulationem suam enucleate exponere, ut sic videretur procerum suorum consilio detulisse, recteque recusare, quod petebatur, tamquam nimium fuisset, et nullo modo concedendum. Hanc Pharaonis mentem colligo ex relatione* Moysis, *qui præcedentibus hæc subdit :* Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum : Usquequo patiemur hoc scandalum? Dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit Ægyptus? Revocaveruntque Moysen et Aaron ad Pharaonem : qui dixit eis : Ite, sacrificate Domino Deo vestro. Quinam sunt, qui ituri sunt? Ait Moyses : Cum parvulis nostris et senioribus pergemus, cum filiis et filiabus, cum ovibus et

Septembris Tomus II.

armentis : est enim solemnitas Domini Dei nostri. Et respondit Pharao : Sic Dominus sit vobiscum, quo modo ego dimittam vos, et parvulos vestros. Cui dubium est; quod pessime cogitetis? Non fiet ita, sed ite tantum viri, et sacrificate Domino : hoc enim et ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis. *Sic Pharao eludebat, non solum* Moysen *et Aaronem, sed suos etiam consiliarios; at non impune.*

sequitur octava hæc plaga, locustis omnia vastantibus,

158 Dixit autem Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, et devoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti : et Dominus induxit ventum urentem tota die illa et nocte : et mane facto, ventus urens levavit locustas. Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti : et sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque universam superficiem terræ, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, et quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ E
grando dimiserat : nihilque omnino virens relictum est in lignis et in herbis terræ, in cuncta Ægypto. *Psalmista hujus etiam plagæ damna memorat psalm.* 77 ℣ 46 *:* Et dedit ærugini fructus eorum, et labores eorum locustæ. *Et psalm.* 104 ℣ 34 *:* Dixit, et venit locusta et bruchus, cujus non erat numerus. Et comedit omne fœnum in terra eorum : et comedit omnem fructum terræ eorum. *Vox* Ærugo *significat corruptionem seu vitium frumenti; quod solet induci per pluviam. Verum S. Hieronymus aliique vocem Hebraïcam, quam septuaginta exposuerunt* æruginem, *interpretati sunt* bruchum; *atque ita uterque Psalmistæ locus consonat, nihilque addit relationi* Moysis : *nam* bruchus *est species quædam locustarum.*

et homines quoque usque ad mortem vexantibus : humiliatur rex; at non convertitur.

159 *Sapiens cap.* 16 ℣ 9 *videtur dicere, locustas, uti et muscas antea, hominibus etiam mortem attulisse :* Illos enim *(inquit)* locustarum et muscarum occiderunt morsus, et non est inventa sanitas animæ illorum : quia digni erant ab hujusmodi exterminari. *Crediderim, non quidm unico bestiolarum illarum morsu occisos fuisse Ægyptios, sed vel multiplicatis præter modum illarum morsibus ad mortem usque vexatos, vel* F
ex earum morsibus corruptionem aut malum aliquod in corporibus Ægyptiorum ortum, quo deinde mortem oppetierunt. Aliqui volunt fame enectos Ægyptios, quod locustæ omnia consumpsissent : at id verbis datis non est conforme, cum dicatur morsus occiderunt, *non fames ex morsibus deinde enata. Tantum damnum, quantum ex hac plaga toti Ægypto illatum est, movit Pharaonem, ut malo quæreret remedium, non tamen ut mandato divino acquiesceret.* Moysen *audiamus :* Quamobrem festinus Pharao vocavit Moysen et Aaron, et dixit eis : Peccavi Dominum Deum vestrum, et in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, et rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum. Qui flare fecit ventum ob Occidente vehementissimum, et arreptam locustam projecit in mare Rubrum : non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël.

Nona plaga tenebrarum,

160 *Secuta est plaga nona, minus quidem*

12 *damni*

AUCTORE J. S. *damni illatura, sed plus terroris. Non præmonuit Pharaonem Dominus, atque ex eo etiam capite terror Pharaonis et Ægyptiorum auctus est. Plagam hanc* Moyses *breviter narrat his verbis:* Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum: et sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, ut palpari queant. Extenditque Moyses manum in cælum: et factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat: ubicumque autem habitabant filii Israël, lux erat. *Quantumvis sit brevis hæc descriptio, abunde tamen patet, quam vehemens fuerit Ægyptiorum formido, cum toto triduo nullus se de loco moverit. At fusius omnia hujus plagæ mala describit Sapiens cap.* 17, *ex quo illa paulo latius enucleabo, ne textus solus obscurior quibusdam appareat. Primo tenebrarum horrore erant ita attoniti, ut essent quasi vinculis et catenis constricti. Hoc Sapiens, præmissa justitia divinorum judiciorum, sic enarrat:* Magna sunt enim judicia tua, B Domine, et inenarrabilia verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt. Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ; vinculis tenebrarum et longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt. *Hæc tanta formido eos cohibuit, ne loco se movere auderent. Voces,* fugitivi perpetuæ providentiæ, *significant, carentes perpetua Dei providentia, qua statis temporibus post noctem lux reducitur.*

cujus terribiles 161 *Secundo timor augebatur sonitu terrorem incutiente, mœstisque visionibus, uti subdit Sapiens:* Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende, et cum admiratione nimia perturbati. Neque enim, quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, et personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant. *Tertio nulla luce poterant tenebræ dispelli: sed ad augendam formidem ignis subinde coruscationes apparebant, quæ solæ videbantur cum spectris quibusdam terrificis, ita ut magi præ tremore languerent. Verba accipe:* Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec C siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: et timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur: et magicæ artis appositi erant derisus, et sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia. Illi enim, qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

effectus 162 *Quarto qualibet voce animalium quorumcumque, aliarumque rerum strepitu etiam naturali ob conscientiam scelerum suorum, atque ob immobilitatem horrore ingenti percellebantur, uti exponit Sapiens, sic pergens:* Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: et aerem, quem nulla ratione qui effugere posset, negantes se videre. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat. Illi autem, qui impotentem vere D noctem, et ab infimis, et ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes, aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus enim illis et inspiratus timor supervenerat. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonitus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo; deficientes faciebant illos præ timore.

163 *Hæc satis indicant, omnia timorem incussisse Ægyptiis, quod hi nihil videntes vel minima haberent suspecta, quodque cum conscientia scelerum suorum, tum præteritarum plagarum experientia, sæva omnia tristiaque sibi imminere suspicarentur. At nonnulla ex datis verbis, utpote obscuriora, paululum elucidanda sunt. Primo verba illa,* Etsi nihil illos ex monstris perturbabat, *eumdem videntur habere sensum, acsi legeretur,* perturbasset: *quasi diceret, Etsi non vidissent spectra illa terrifica, vel solus animalium transitus et serpentium sibilatio mortiferum illis inferebant timorem. Secundo voces illas,* Nihil enim est timor, nisi proditio cogitationis auxiliorum, *sic interpetror, Timor nihil facit, nisi abjicere omnem cogitationem, seu omnem spem auxiliorum interpretandorum:* proditio *enim hic est* abjectio. *Tertio sequens versiculus,* Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat, *ita videtur exponendus, Quanto minor in animo est expectatio, seu spes auxilii, tanto majorem credit causam ignoratam, quæ suo timore torquet: nam voces* inscientia ejus causæ *idem significant, ac Causa ignorata, seu non recte cognita. Quarto sequens versiculus rursum est obscurus, in quo nox vocatur* impotens, *quia Ægyptios reddebat impotentes, diciturque* ab infimis et ab altissimis *(id est, profundissimis)* inferis *supervenisse, quia tenebræ erant similes inferni tenebris; deinde vox* dormientes, *ponitur pro* dormiebant, *aut* dormientes erant: *demum* animæ traductio *idem est. ac animæ deliquium. His positis, totum versiculum sic expono: Illi, qui triduo illo tenebrarum, quæ tenebris infernalibus similes, omnes quasi impotentes reddebant, eodem modo manebant loco affixi instar dormientium, aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando præ vehementia metus animæ patiebantur deliquium. Reliqua satis clara sunt.* E F *exponuntur,*

164 *Quinto Hebræi lumine fruebantur, atque omnia apud illos peragebantur more solito: nam Sapiens ita pergit:* Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, et non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris. Sanctis autem tuis maxima erat lux, et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non ipsi eadem passi erant, magnificabant te: et qui ante læsi erant (*per Ægyptos,*) quia non lædebantur, *Hebræis nihil patientibus: Pharao in pertinacia persistit,*

A tur, gratias agebant : et ut esset differentia, donum petebant, *continuationis videlicet. Hactenus de terribili hac plaga, quæ timorem non exiguum Pharaoni haud dubie ingessit : attamen eumdem non permovit, ut omnibus postulatis annueret. Audi* Moysen *rei eventum enarrantem* ℣ 24 : Vocavitque Pharao Moysen et Aaron, et dixit eis : Ite, sacrificate Domino : oves tantum vestræ et armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses : Hostias quoque et holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro : *nimirum permittendo, ut omnia animalia nobiscum ducamus, quemadmodum subdit :* Cuncti greges pergent nobiscum : non remanebit ex eis ungula : quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri : præsertim cum ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad Moysen : Recede a me, et cave, nę ultra videas faciem meam : quocumque die apparueris mihi, morieris. Respondit Moyses : Ita
B fiet, ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam; *videlicet, nisi ultro me vocaveris, uti factum est.*

et Moysen non vocavit, durantibus tenebris, sed iis ablatis post triduum.

165 *Duo hic quæri possunt, primo quo modo Pharao vocaverit* Moysen *et Aaronem, si nullus toto triduo tenebrarum se loco moverit. In varias sententias abierunt interpretes; at una solum solida, plana et facilis mihi apparet responsio, nimirum* Moysen *ejusque fratrem non fuisse vocatos a Pharaone durantibus tenebris, sed post lucem Ægypto redditam. Ortæ sunt tenebræ, non præmonito rege, eædemque recesserunt post triduum, nec rogante, nec deprecante, aut quidpiam promittente Pharaone, idque ex ipso* Moyse *satis colligitur. Quippe ait tenebras fuisse* tribus diebus, *nec quemquam Ægyptiorum se* de loco *movisse. Relataque gravitate et diurnitate mali, tandem effectum, quem in animo Pharaonis reliquerat, breviter narrat; non dicens, Pharaonem rogasse, ut tenebris liberaretur: quod signum est, jam tum iis liberatum fuisse; solumque advocasse* Moysen, *ne rursum simile quid pateretur. Secundo, quomodo* Moyses *prædixerit decimam plagam Pharaoni, uti ipsum fecisse con-*
C *stat ex cap.* XI, *cum non fuerit vocatus a Pharaone ante illam plagam, et hic dicat se ultro non accessurum. Respondeo* Moysen, *priusquam a Pharaone recederet, revelatione divina monitum, eidem prædixisse decimam plagam, seu mortem primogenitorum, uti infra dicam, cum de ea tractabo. Nunc missis quibusdam quæstionibus minoris momenti, ad Josephum et Philonem regredior.*

§ XVIII. Octava et nona plaga ex Josepho et Philone, quorum lapsus corriguntur.

Josephus errat in plaga locustarum,

J*osephus plagam locustarum breviter tradit, corrigendus in eo, quod oblationem Pharaonis, quæ secuta est post plagam nonam, octavæ perturbato ordine subjungat. Verba ipsius accipe :* Et si quid intactum grando reliquit, nubes locustarum supervenientes ita absumpserunt, ut fructuum colligendorum spes Ægyptiis omnibus omnino sit adempta. Quod si rex stultus tantum, et non etiam malus fuisset, poterat vel jam dictis cladibus admonitus resipiscere, ut tandem de aliquo tot malorum remedio cogitare inciperet. At Pharaothes tametsi non ita insaniebat, ut causam non intelligeret, tamen tanta malitia pectus ejus obsederat, ut adduci nullo modo posset, quin Deo quasi per contentionem repugnare, et in publica commoda sciens volensque peccare pergeret. Itaque tandem Hebræis pueros etiam una cum mulieribus concedit, sed jussis, ut bona sua Ægyptiis tanquam prædam relinquerent, eo quod ex ipsorum bonis nihil post tot calamitates superesse conquerebantur. *Hæc ratio retinendi bona Hebræorum non habetur in Scriptura. Vera ratio erat, ut retentis bonis Hebræorum de eorumdem reditu securior esset Pharao.*

et Philo quoque ordinem perturbat.

167 *Philo in hac plaga referenda ordinem etiam perturbat : nam conditiones a Pharaone oblatas* Moysi, *quæ inter comminationem plagæ et plagam ipsam intercesserunt perperam postponit plagæ, quam recte describit hoc modo :* Post E
finem autem hujus cladis *(grandinis, et comminationem alterius)* rege cum suis reverso ad contumaciam, Moses jubente Deo virgam extendit in aerem. Moxque auster incubuit violentissimus, per totam diem noctemque invalescens, malum vel per se valde noxium. Est enim aridus invehens dolorem capitis et gravedinem, languorisque tædium, præsertim in Ægypto, regione ad Austrum opposita, et exposita solibus, ut, quamprimum is ventus movetur, æstu exurat omnia. Tunc vero intulit etiam locustarum agmina in stirpium perniciem, quæ indesinenter affluentes absumpserunt, quidquid post tempestates superfuerat, ut in amplissima regione nihil relinqueretur viride. Ad has extremas calamitates redacti vix resipuerunt regi occlamantes : Quousque non permittis his viris exitum? An nondum sentis Ægyptum perditam? Ille, ut tum videbatur, assensit : relaxataque clade ad Mosis deprecationem, ventus a mari exortus locustas dispulit.

In tenebris Ægyptiorum varie labitur Josephus,

168 *Josephus plagam tenebrarum relaturus, statim offendit, dum asserit ortas tenebras,* Moyse *cum Pharaone altercante; nisi velit solum dicere, controversiam inter* Moysen *et Pharaonem necdum finitam fuisse, quando cœperunt tenebræ. Alia quoque mox corrigenda immiscuit nar-* F
rationi, hisce verbis conceptæ : Moyse vero negante æquum postulari, alioqui non habituros, unde sacrificarent, atque hac controversia diutius durante, tam densæ tenebræ omnisque luminis expertes Ægyptiis sunt circumfusæ, ut prospectu in universum privati alii alio casu absumerentur, illo quoque metu imminente, ne forte penitus ab ea caligine absorberentur. Deinde his discussis, post tres dies ac totidem noctes, cum nondum flecteretur Pharaothes, ut liberum exitum permitteret, his verbis eum Moyses aggreditur; Quousque repugnabis Dei voluntati, qui omnino vult ac jubet Hebræos dimitti, nec est aliud præter hoc remedium adversus mala, quibus affligimini. Rex vero irate ferens hanc dicendi libertatem, minatus est eum capite plectendum, si posthac de hac re molestus esse pergeret. Respondit Moyses, se non amplius hac de causa verba facturum, sed ipsum cum optimatibus Ægyptiis ultro Hebræos rogaturum, ut quamprimum inde proficiscantur, atque his dictis abiit. *Peccat in hisce Josephus primo, quod alia verba attribuat* Moysi, *quam eo tempore coram*

AUCTORE J. S.

coram Pharaone ab eo dicta narrant sacræ Litteræ. Secundo, licet Pharao deinde ultro vocaverit Moysen *et Aaronem, tamen id eum facturum non legitur prædixisse* Moyses, *uti nimis libere affirmat Josephus. Tertio errat dum ait,* his dictis abiit : *nam mortem primogenitorum prius Pharaoni prædixit* Moyses : *quam ille prædictionem omisit.*

neque eas exacte narrat Philo,

169 *Philo in referendis Ægyptiorum tenebris nonnulla quoque discussione eget, mox subjungenda : nam ita ratiocinatur :* Verum hoc quoque malo defunctis, quia rex manebat, ut ante, difficilis, supervenit calamitas major, quam ulla hactenus. Sereno enim die repente offusæ sunt tenebræ, sive ob defectum solis majorem solito, sive continuis densisque nubibus cælum subtexentibus, et nimia constipatione interclusis radiis, ut dies nihil differret a nocturna caligine : qua per triduum continuata, videbatur una perpetua nox longissima. Tunc aiunt eos aut non ausos e cubili surgere; aut, si necessitates naturales urgerent, more cæcorum palpando parietes, B et si quid erat præ manibus, ægre potuisse progredi. Nam ignis, quo utimur quotidie, vel aere turbato extinguebatur, vel vincebatur a crassissimis tenebris, ita ut, salvis oculis, summe necessarium videndi sensum, ceu exoculati, requirerent : quo adempto, cæterorum nullus usus erat. Nam nec loqui, nec audire, nec cibis frui licebat, sed per silentium fame cruciabantur, nulli vacantes sensui, præsenti malo prægravante, donec Moses miseratione motus Deum exoravit. Tum demum successit lux tenebris, et nocti dies serenissima. His plagis percussos ferunt a Mose, mixta fulminibus grandine, et locustis, et tenebris lumen nullum admittentibus.

qui duas recenset causas, quibus potuerunt oriri tenebræ, sed ambas improbamus :

170 *Ad hanc Philonis expositionem observo primo, duplicem ab eo causam afferri, qua oriri potuerint tenebræ Ægyptiacæ, sed neutram certo affirmari. Prima, ab eclipsi solis petita, plane rejicienda est; nam eclipsis naturalis ac totalis ne per integram quidem horam durare potest, nedum per triduum. Deinde eclipsis solis tam spissas nequit inducere tenebras : obscurato enim sole per interpositionem lunæ, alia sidera nonnihil præbent luminis. Demum si solis defectio lu-* C *men ademisset Ægyptiis, illud similiter ademptum fuisset Hebræis. Altera causa tenebrarum, ex densitate et nimia constipatione nubium petita, aliis etiam placuit, tum quia tenebræ vocantur* palpabiles, *tum quia nec sidera, nec aliud quodvis lumen, poterat tenebras illas illuminare, teste sacra Scriptura. At ne hæc quidem causa mihi placet, quia, cum inter Ægyptios degerent Hebræi, si sola nubium constipatio causa fuisset tenebrarum, hæ fuissent utrisque communes. Malim igitur dicere tenebras illas plane fuisse prodigiosas, aliamque earum causam ignorari, quam quod Deus illas produxerit ad pœnam Ægyptiorum, Deumque id facere potuisse variis modis, quorum aliquos indicare possemus, sed nullum certo statuere, cum de eo nihil dictum sit in Scriptura.*

alii ipsius errores corriguntur.

171 *Secundo, Philo harum tenebrarum tempore nihil fere agi potuisse ab Ægyptiis asserit; et nonnihil tamen actionis iis attribuere voluit; non satis consequenter, quantum mihi apparet. Nam si nec loqui potuerint, uti asserit; nec cibis frui, uti verisimile est ex sacris Litteris, cur magis progredi potuerint, ad satisfaciendum naturæ necessitatibus, sane non video. Quin imo motum illum ex loco in locum apertius negat sacra Scriptura, quam præcedentia : clare enim* D Moyses *dicit :* Nemo.. movit se de loco, *videlicet quia* una, *ut ait Sapiens,* catena tenebrarum omnes erant colligati. *Tertio usum aliorum sensuum non perdiderant, uti videtur Philo asserere : imo ne oculorum quidem usu prorsus erant destituti, cum spectra aliaque timorem incutientia viderent. Verum ex tenebris subito ortis, aliisque per Sapientem relatis, tanto correpti atque abrepti sunt timore, ut hic usum sensuum multum potuerit impedire. Quarto, quod ait oratione* Moysis *cessasse tenebras, Scriptura non habet.*

§ XIX. Prædicta plaga decima : petita Ægyptiorum supellex: Pascha primum, jubente Domino, celebratum : plaga decima Ægyptiis illata, seu occisi omnium primogeniti. E

Moyses jussus sub pœna mortis non redire ad Pharaonem, antequam abit,

Ubi *post plagam tenebrarum Pharaon, nolens pecora Hebræorum dimittere, sub interminatione mortis* Moysi *et Aaroni prohibuerat, ne amplius ad se redirent, priusquam abibat* Moyses *cum fratre, revelatione divina jussus est Pharaoni postremam plagam prædicere, quod et fecit : neque enim alio modo conciliari possunt duo a* Moyse *scripta, quod non rediret ad Pharaonem, nisi vocatus; quodque postremam cladem Pharaoni prædixerit. Revelatio jubentis Dei et prædictio* Moyses *refertur cap.* XI *hoc modo :* Et dixit Dominus ad Moysen : Adhuc una plaga tangam Pharaonem et Ægyptum, et post hæc dimittet vos, et exire compellet. *Quænam esset hæc plaga, Dominus item* Moysi *aperuit : nam ille pro auctoritate, quam adeptus erat apud omnes, illam mox prædixit, non veritus minas regis, ut narrat his verbis :* Fuitque Moyses vir valde magnus in terra Ægypti. Et ait : Hæc dicit Dominus : Media nocte egrediar in Ægyptum : F et morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam : et omnia primogenita jumentorum. Eritque clamor magnus in universa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est. Apud omnes autem filios Israël non mugiet canis ab homine usque ad pecus : ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israël. *Hæc pœnæ prædictio, in qua breviter elucidanda sunt nonnulla.*

prædicit ultimam plagam,

173 *Primo* ancilla, quæ est ad molam, *seu quæ trusatilem molam versat in pistrino, sumitur pro vilissima persona, et Pharaoni tamquam excellentissimo opponitur; quasi diceretur,* A *primogenito summi usque ad primogenitum infimi. Secundo,* non mugiet canis, *proverbium est, quo significatur, omnia quieta fore apud Hebræos. Porro prædicta plaga,* Moyses *quoque prædicit, quem illa effectum habitura esset, quod hactenus non fecerat : sic enim prosequitur :* Descendentque omnes servi tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes : Egredere tu, et omnis populus, qui subjectus est tibi. Post hæc egrediemur. Et exivit a Pharaone iratus nimis. *Hæc* Moysis *dicta ingentem haud dubie terrorem ingesserunt*

A *gesserunt Pharaoni. At ne vel sic quidem superbia et pertinacia ipsius flecti potuerunt.* Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti. Moyses autem et Aaron fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël de terra sua.

ad dies aliquot differendam. Petunt Hebræi pretiosam Ægyptiorum supellectilem:

174 *Plaga autem illa postrema, cujus diem* Moyses *non significaverat, non statim nocte sequenti fuit inflicta, quia filiis Israël varia erant agenda, antequam Ægypto exirent. Primo jussit Dominus petere pretiosam Ægyptiorum supellectilem, uti cap.* XI ỷ 2 *narrat* Moyses *hoc modo:* Dices ergo omni plebi (*ait Dominus* Moysi) ut postulet vir ab amico suo, et mulier a vicina sua, vasa argentea et aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. *Mandata Domini* Moyses *exposuit populo, atque hic lubens obtemperavit, ut refertur cap.* 12 ỷ 35 *his verbis:* Feceruntque filii Israël, sicut præceperat Moyses: et petierunt ab Ægyptiis B vasa argentea et aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: et spoliaverunt Ægyptios. *Hac de causa dicitur Psal.* 104 ỷ 37: Et eduxit eos cum argenteo et auro: et non erat in tribubus eorum infirmus. *Singulare quoque hoc et insigne Dei beneficium notari potest, quod omnes Israëlitæ recte valerent, quando egrediendum erat Ægypto, licet ingens eorum esset multitudo.*

hanc spoliationem Ægyptiorum contra Manichæos defendit Augustinus,

175 *Porro Manichæi hanc Ægyptiorum spoliationem improbabant,* Moysen *carpentes tamquam injustum. Hinc S. Augustinus lib.* 22 *contra Faustum Manichæum ei sic respondet*: Quid ergo jam de exspoliatis Ægyptiis Faustus objicit, nesciens quid loquatur? Quod faciendo Moyses usque adeo non peccavit, ut non faciendo peccaret. Deus enim jusserat, qui utique novit non solum secundum facta, verum etiam secundum cor hominis, quid unusquisque, vel per quem, perpeti debeat. Carnalis itaque adhuc ille populus erat, et rerum terrenarum cupiditate occupatus: Ægyptii vero sacrilegi et iniqui: nam et auro illo, hoc est, Dei creatura, male utentes ad Creatoris injuriam, suis C idolis serviebant, et homines peregrinos labore gratuito injuste ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant et isti, quibus talia juberentur; et illi, qui talia paterentur: et forte secundum suas voluntates et cogitationes Hebræi magis permissi sunt facere ista, quam jussi: sed eis Deus permissionem suam per famulum suum Moysen innotescere voluit, quando mandavit, ut diceret. Fieri autem potest, ut sint aliæ causæ occultissimæ, cur hoc illi populo divinitus dictum sit: sed divinis imperiis cedendum obtemperando, non resistendum est disputando. Apostolus dixit: Quis enim cognovit sensum Domini, aut qui consiliarius ejus fuit? Sive ergo ista sit causa, quam dixi; sive alia quælibet in secreta et abdita Dei dispositione lateat, cur hoc per Moysen illi populo dixerit, ut ab Ægyptiis sibi commodanda peterent, quæ auferrent: hoc tamen confirmo, nec frustra nec inique dictum esse, nec licuisse, Moysen aliter, quam Deus dixerat, facere, ut penes Dominum esset consilium jubendi, penes Famulum autem obsequium peragendi.

176 *Brevius de eodem facto idem sanctus Doctor quæst.* 39 *in Exodum sic scribit:* Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat, quid quemque pati oporteret: nec Israëlitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt: quemadmodum cum minister judicis occidit eum, quem judex jussit occidi: profecto si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit occidit a judice debuisse. *Addo verba Sapientis, qui cap.* 10 *breviter perstringens oppressionem Hebræorum in Ægypto, signaque et prodigia ibidem patrata, subjicere videtur rationem, cur Deus peti et auferri jusserit bona Ægyptiorum, ita scribens* ỷ 15 *et sequentibus:* Hæc (*Sapientia divina*) populum justum, et semen sine querela, liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant. Intravit in animam Servi * Dei, et stetit contra reges horrendos in portentis et signis. Et reddidit justis mercedem laborum suorum; *illorum videlicet laborum, quibus coacti fuerant gratis servire Ægyptiis. Dedit autem mercedem illam jubendo spoliationem Ægyptiorum: nam de hac agere Sapientem, liquet ex ordine, quo facta singula perstringit, mox subdens de exitu Hebræorum,* Et deduxit illos in via mirabili. *Hæc sufficiant de justitia et æquitate hujus facti.* E

AUCTORE J. S. fuit hæc merces debita laborum pro Ægyptiis susceptorum:

* Moysis

spoliatio illa maxime fuit in terra Gessen; verisimiliter tamen in aliis quoque locis.

177 *Aliam quoque quæstionem hic versat S. Augustinus quæst.* 39 *in Exod., hæc scribens:* Est etiam ista nonnulla quæstio. Si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, ubi nec plagæ fiebant, quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo petit quisque a proximo vel a proxima, (*in Scripturis* vicina, *ut mox observat*) aurum, argentum, et vestem?... Unde intelligendum est, etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Ægyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt merito Hebræorum etiam illa divina beneficia (*immunitatis a plagis*) pervenire; ut hinc eos et diligerent iidem Ægyptii cohabitatores, et, quod petebant, facile commodarent: nec tamen Deus judicavit ita illos alienos fuisse ab injuriis et contritionibus, quas populus Dei pertulit, ut nec isto damno ferirentur, qui plagis illis, propterea quod terræ illi parcebatur, percussi non erant. *Tota conjectura S. Augustini* F *huc reducitur. Videntur Ægyptii in terra Gessen cum Hebræis habitantes fuisse soli immunes a plagis Ægyptiorum. Contra vero soli amisisse pretiosam suam supellectilem. Verum plerique interpretes non admittunt, Ægyptios in terra Gessen immunes fuisse a plagis: cumque non pauci Hebræi per reliquam Ægyptum degerent, utpote ibidem ad varia opera deputati, potuerunt illi etiam vasa pretiosa ab aliis Ægyptiis petere, quibus vicini erant, ita ut probabilius appareat, spoliationem illam etiam factam extra terram Gessen, licet verisimile sit, in terra Gessen maxime locum habuisse.*

Jubetur Moyses solemnitatem Paschalem instituere,

178 *Præterea, antequam Dominus percuteret primogenitos Ægyptiorum, filiis Israël immolandus ac commendendus erat agnus Paschalis, quam festivitatem Dominus in Ægypto per* Moysen *instituit, ac prima vice celebrari jussit, ut deinde quotannis Paschalis solemnitas eodem ritu observaretur in perpetuum. De hujus institutione ac celebratione breviter agam, uti et de aliis ritibus, cæremoniis, legibusque per* Moysen *institutis, populoque Hebræo datis, sine exacta rituum illorum aut legum expositione, ne Commentarius hic in immensum excrescat, præsertim cum*

AUCTORE J. S.

cum res gestæ Moysis *sine expositione rituum ac legum institutarum commode explicari possint.* Moyses *cap.* 12 *institutionem esus agni Paschalis, totiusque festivitatis per septem dies continuandæ exponit, atque ita orditur:* Dixit quoque Dominus ad Moysen et Aaron in terra Ægypti: Mensis iste *(Nisan, respondens fere pro majori parte Martio nostro,)* vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni, *(certe quoad res ecclesiasticas.)* Loquimini ad universum cœtum filiorum Israël, et dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque *(paterfamilias, nisi tam exiguam habeat familiam, ut alteri potius jungi debeat)* agnum per familias, et domos suas. Si autem minor est numerus *(familiæ,)* ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, *(aut illi accedet,)* juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.

atque agnum a singulis familiis immolandum curare;

179 *Non debebat immolari agnus eadem die decima mensis Nisan, sed quatriduo servari ac tunc demum immolari, ut sequitur* ℣ 6: Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo *(nimirum suum singulæ familiæ)* filiorum Israël ad vesperam. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, et in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.... Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus: et in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus eritis: et videbo sanguinem, et transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti. Habebitis autem hunc diem in monumentum: et celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. *Qualis deberet esse agnus immolandus, aut pro agno hœdus, quibus cæremoniis alteruter comedi deberet; quam religiose servari septem dies azymorum, quantaque solemnitate celebrari dies prima et septima, ibidem expositum vide, aut latius apud interpretes.*

uti, Moyse jubente, fecerunt Hebræi, hac de causa primogenitos suos non amisisuri.

180 Vocavit autem Moyses, *ut sequitur* ℣ 21, omnes seniores filiorum Israël, et dixit ad eos: Ite tollentes animal *(agnum aut hœdum)* per familias vestras, et immolate Phase. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, et aspergite ex eo superliminare, et utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, et in utroque poste, transcendet ostium domus, et non sinet percussorem ingredi domos vestras et lædere. Custodi verbum istud legitimum tibi et filiis tuis usque in æternum. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas. Et cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, et domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit; *summa reverentia excipiens mandata Domini, et* Moysis, *cujus auctoritatem prodigiis præcedentibus abunde stabiliverat Deus. Exacte quoque illa impleverunt, ut sequitur:* Et egressi filii Israël fecerunt, sicut præceperat Dominus Moysi et Aaron. *De Paschate celebrato per* Moysen *sic loquitur Apostolus Heb.* XI ℣ 28: Fide celebravit Pascha et sanguinis effusionem: ne, qui vastabat primitiva, tangeret eos. *In conventu jam relato potuit etiam* Moyses *exponere mandatum Domini de petenda Ægyptiorum supellectile: præcipereque ut omnia alia ad iter pararent, atque ad urbem Ramessen confluerent, simulac monerentur, ut inde omnes simul proficiscerentur* XV *mensis.*

Decima plaga, qua perempti omnes Ægyptiorum primogeniti:

181 *Comesto ab Hebræis agno Paschali, Dominus percussit Ægyptios decima plaga, quam* Moyses *sic refert:* Factum est autem in noctis medio *(inter diem* XIV *et* XV *mensis Nisan)* percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in folio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, et omne primogenitum jumentorum. Surrexitque Pharao nocte, et omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus: et ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus. *Plagam hanc Psalmista memorat psal.* 77 ℣ 51 *his verbis:* Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. *Et psal.* 104 ℣ 36: Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum. *Per* primitias omnis laboris eorum *ipsos rursum intelligit primogenitos, quia primo a patribus suis geniti, et a matribus portati: per tabernacula Cham designantur urbes Ægyptiorum, qui a Cham ducebant originem. Psal.* 135 ℣ 10 *rursum dicitur:* Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum.

æqua hæc eorum pœna fuit, et Hebræis præcognita;

182 *Plura vero de hac Ægyptiorum calamitate explicuit Sapiens cap.* 18. *Primo enim observat* ℣ 5 *hanc æquissimam fuisse pœnam Ægyptiorum, qui Hebræorum infantes voluerant occidere, quando* Moyses *fuit servatus.* Cum cogitarent *(Ægyptii)* justorum occidere infantes: et uno exposito filio *(Moyse)* et liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti. *Deinde cladem Ægyptiorum Hebræis præcognitam, horumque salutem ac comestionem agni Paschalis, voce* sacrificabant *indicatam, sic pergit exponere:* Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere scientes, quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio. Sicut enim læsisti adversarios: sic et nos provocans magnificasti. Absconse enim sacrificabant justi pueri bonorum, et justitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter et bona et mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes. *Hæc illa nocte agebant Hebræi, a* Moyse *de omnibus præmoniti, et ad comedendum agnum Paschalem a vespera præcedenti per familias congregati.*

quam late patens

183 Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. Simili autem pœna servus cum Domino afflictus est, et popularis homo regi similia passus. Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est. De omnibus enim *(præcedentibus plagis)* non credentes propter veneficia *(seu magorum prodigiosa opera:)* tunc vero primum, cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt *(id est, confessi sunt, ut habetur Græce)* populum Dei esse. Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox et suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo

A Sermo tuus de cælo a regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram prosilivit: gladius acutus insimulatum * imperium tuum portans, et stans replevit omnia morte, et usque ad cælum attingebat stans in terra.

* *id est*, non simulatum

quamque terribilis fuerit hæc clades,

184 Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, et timores supervenerunt insperati. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent. *Ex posterioribus hisce verbis colligitur, Ægyptios superstites morientium clamoribus didicisse causam miserabilis hujusce stragis, licet alias causam satis scire potuissent ex prædictiane* Moysis, *si hæc omnibus innotuisset. Verum credibile est, Pharaonem ejusque proceres semper curasse, ne prædictiones et comminationes* Moysis *multis innotescerent, aut per Ægyptum vulgarentur. De cæde hac primogenitorum variæ tractantur quæstiones; sed cum illæ non spectent proprie ad* Moysen *ipsum, brevitatis gratia omnes prætereo.*

quæ victus Pharao, Hebræos abire jubet.

B 185 *Cessit tandem hac plaga percussus Pharao, nec ausus est diutius iter Hebræorum impedire. Quin potius tam ipse quam ceteri Ægyptii vehementissime institerunt, ut sine mora proficiscerentur. Audiamus* Moysen *ipsum hæc referentem cap.* 12 ℣ 31: Vocatisque Pharao Moyse et Aaron nocte, ait: Surgite, et egredimini a populo meo, vos et filii Israël: ite, immolate Domino, sicut dicitis. Oves vestras et armenta assumite, ut petieratis, et abeuntes benedicite mihi. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. *Quam vehementer eorum abitum urserint Ægyptii, magis dicetur, cum Israëlitarum egressum narrabimus. Porro cum Dominus morte primogenitorum Ægypti effecisset, ut Hebræi libere egrederentur; cumque horum primogenitis eodem tempore pepercisset, in memoriam tanti beneficii omne primogenitum Hebræorum sibi sacrum esse voluit, ut prolixe refertur cap.* 13, *cujus prima verba subjungo:* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, in filiis Israël, tam de hominibus quam de jumentis: mea sunt enim omnia. *Tulit hanc legem* Moyses, *eamdem latius explicans, prout ibidem videri potest.*

C

§ XX. Præmissorum relatio ex Josepho, Philone, et Artapano examinata.

Josephus comestionem agni,

Josephus Hebræorum præparationem ad iter, comestionem agni Paschalis, mortem primogenitorum Ægyptiorum, datamque Hebræis abeundi facultatem refert hoc modo: Deus autem cum decrevisset adhuc una plaga ictos Ægyptios cogere ad dimittendos Hebræos, jussit Moysen edicere populo, ut paratum habeant sacrificium, præparatum tertiadecima Xanthici mensis in quartamdecimam, qui apud Ægyptios Pharmuthi vocatur, idem Hebræis Nisan, et Macedonibus Xanthicus: utque ipse Hebræos educat, omnia sua secum portantes. Ille vero instructos prius ad profectionem, et per sodalitia distributos, in uno loco continebat. Illucescente vero quartadecima, omnes ad exitum animati sacrificabant, et sanguine domos lustrabant, aspersas hyssopo (*Græce* ὑσσώπου κόμας ἀναλαβόντες, *id est*, sumptis hyssopi fasciculis, *nimirum pro aspergillo*) et peracta cœna reliquias carnium exusserunt, tamquam exituri, unde nunc quoque solemne manet nobis idem sacrificium, qui festivitatem vocamus Pascha, id transitum significat, eo quod Deus illa die, præteritis illæsis Hebræis, Ægyptios morbo percussit.

AUCTORE J. S.

aliaque refert non sine erroribus:

187 Nam pestis illa nocte absumpsit primogenita Ægyptiorum, ut agminatim ad regiam concurreretur a proximis, vociferantibus non amplius detinendos Hebræos. Tum rex, accito Moyse, mandat ut abeant, ratus post eorum exitum regionem, cessantibus calamitatibus, sublevandam: donis etiam Hebræos honorabant, alii quo celerius discederent, alii propter vicinitatis consuetudinem. *Posterioribus hisce verbis dissimulat scriptor politicus magis quam religiosus, petitam ab Hebræis fuisse supellectilem Ægyptiorum, tamquam ad usum sacrificii necessariam, et postea reddendam; donaque Ægyptiorum substituit, haud dubie veritus, ne offenderentur gentiles atque Hebræos injustitiæ accusarent, si rem candide enarrasset. Ejusmodi dissimulationibus plenus est Josephus, qui sæpe honori suæ gentis magis consuluit quam veritati, et non raro facta narravit eo modo, quo magis apparerent verisimilia, licet minus essent vera. Tempus quoque præparati et comesti agni non recte exprimit.* E

Philo mortem primogenitorum

188 *Philo non memorat hoc loco comestionem agni Paschalis, sed de plaga primogenitorum, aliisque ante egressum factis prolixe ratiocinatur.* Tandem, *inquit*, accessit extrema pœna decima, superioribus omnibus atrocior, ipsis Ægyptiis morientibus, non tamen omnibus: nolebat enim Deus regionem desertam reddere, quam castigatam tantum voluit. Itaque parcens maximæ turbæ omnis ætatis virorum atque mulierum, morti addixit solos primogenitos, exorsus a maximo natu regio filio, et in vilissimæ ancillæ pistrinariæ filium desinens. Nam circiter noctem mediam quotquot primi patris matrisque appellationem jucundissimam attulerunt parentibus, et vicissim ab ipsis primi nominati sunt filii, sani F valentesque, nullo præcedente morbo, repente interierunt ad unum, ut nulla familia sine domestico luctu tunc inventa sit. Prima vero luce, cum quisque suos charissimos inopinata nece sublatos videret, cum quibus superiore die suaviter usque vesperam convixerat, ut in publico luctu gravissimo, comploratione impleverunt omnia: cum enim nemo esset exors ejus calamitatis, unus erat clamor omnium, uno luctu obtinente totam regionem, quacumque patebat: qui tantisper dum intra privatos parietes se continebat, singulis aliena mala ignorantibus, privatus etiam tum videbatur. Ubi vero alii dicerunt ex aliis, geminabatur comploratio, accedente gravanteque dolore publico, ut ne consolator quidem existeret; quis enim solaretur alterum, ipse consolatione indigens?

ejusque plagæ effectum, et spoliationem Ægyptiorum narrat:

189 Cæterum ut in tali casu solet fieri, putantes hæc esse majorum malorum initia, et soliciti de interitu superstitum, flentes convolabant in regiam, scississque suis vestibus regi causam calamitatis imputabant, dicentes nihil mali se passuros fuisse, si Moses impetrasset, quæ petierat: nunc habere se obtinatæ pervicaciæ contentionisque

AUCTORE J. S

tentionisque intempestivæ præmia. Deinde pro se quisque certatim hortabatur populum, ut propere tota regione decederent, vel unam diem horamve differre longum rati, et periculosum insuper. Ad hunc modum expulsi protrusique, memores ingenuitatis pristinæ, ausi sunt facinus, quo injurias acceptas rependerent: multum enim prædæ nacti, sarcinas partim suis humeris, partim jumentis imposuerunt, non præ avaritia (ut obtrectatores dicerent) aut alienarum fortunarum concupiscentia (quæ enim esse poterat?) sed primum ut diuturni laboris necessariam mercedem reciperent: deinde ut pro acceptis tempore, quo servierant, injuriis, si non pro merito, aliquid tamen damni reponerent. Nec enim est par jactura libertatis et pecuniæ, cum nemo sanus non malit vitæ quam libertatis adire periculum: itaque utrumque factum jure tueri possunt, sive ut in pace mercedem receperunt, qua tamdiu fraudati fuerant: sive ut bello victores victos bonis spoliaverunt, ab illis enim orta fuerat injuria, qui hospites supplicesque suos (ut ante dixi) quasi captivos in servi-
B tutem redegerant. Tandem ubi se obtulit occasio meliorum temporum, populus inermis illatam sibi vim ultus est, protegente ipsa Justitia. *Hactenus Philo, qui spolia Hebræorum iis rationibus excusat, ut satis videatur probabilis prior et Scripturæ conformis, non æque secunda, quæ magis vindictam sapit. Attamen brevius solidiusque Hebræorum justitiam ostendisset, si cum sacra Scriptura edixisset, omnia acta esse jussu Dei, penes quem rerum omnium est dominium. Debuerat similiter addere, quo modo spolia illa obtinuerint.*

deinde fortes Ægyptiorum et Hebræorum in hisce plagis recte distinguit.

190 *Deinde idem auctor plagas Ægyptiacas breviter recenset, ac Hebræorum sortem eleganter distinguit a calamitatibus Ægyptiorum, sic scribens:* Tot plagis Ægyptus castigata est, quarum tamen nulla Hebræos attigit, quamvis cohabitantes in eisdem oppidis, vicis, domibus, terra, aqua, aere, igne, præcipuis naturæ partibus conspirantibus, ut impossibile esset effugere; id quod maxime mirum fuit, ab eisdem rebus uno eodemque loco ac tempore, alios servari, alios interimi.
C Fluvius versus erat in sanguinem, at non Hebræis: his enim haurientibus fiebat potabilis. Ranæ ex aquis in terram subrepentes fora, villas, domos impleverant; solos Hebræos devitabant, acsi scirent discernere, qui puniendi essent, qui nequaquam. Non scnipes, non cynomyæ, non locustæ, quæ arboribus, satis, animalibus, hominibus vastitatem intulerant, ad hos advolaverunt: non imbrium, grandinum, fulminum continuata vis ad hos usque pervenit: exulcerationem molestissimam ne in somnis quidem senserunt; cum densissimæ tenebræ offunderentur aliis, ipsi in diurna puraque luce degebant. Cum interirent Ægyptiorum primogeniti, nemo Hebræus periit; et merito, quando ne pecudum quidem pestis ad horum greges ulla venerunt contagia. Nec aliud videri poterant illo tempore quam spectatores calamitatum alienarum, ex quibus utilissimam doctrinam pietatis perciperent: numquam enim tam manifestum bonorum et malorum judicium extitit, alteris exitium, alteris salutem afferens.

Artapanus de omnibus aliquid confuse tradidit,

191 *Artapanus quoque de Ægyptiorum calamitatibus nonnulla commemorat apud laudatum jam sæpe Eusebium, qui, prout redditus est Latine, post relatam primam plagam, de ceteris eum hæc scribere affirmat:* Tunc a Mose terram baculo percussam, muscas venenosas; D deinde rursus percussam, ranas, locustas, aliaque hujusmodi monstra produxisse. - . Tandem cum grandine percuteretur, et terræ motu Ægyptus universa quateretur, quo domus et templa multa ceciderunt, perfractum calamitatibus regem, Judæos liberasse; quos ab Ægyptiis argentea aureaque vasa, vestem, ac aliam gazam mutuo accepisse *etc. In hisce multa quidem corrigenda, cum nullus sit plagarum ordo, nulla exacte sit relata. Attamen vel sic ex hisce colligere licet, memoriam calamitatum suarum apud Ægyptios diu viguisse, etiamsi confusa illa fuerit, et popularibus traditionibus, ut fieri solet, non parum corrupta.*

et inter plagas memorat terræ motus, qui non sunt improbabiles.

192 *Ad inter calamitates Ægyptiorum fuerit terræ motus, quo domus et templa multa corruerint, certo definire non ausim. Nam expressa mentio de terræ motu in Scripturis nullibi reperitur; sed plaga grandinis modo tam terribili refertur, ut quædam concussiones terræ cum fulminibus ac tonitribus grandinem comitari potuerint, idque sileri in Scriptura. Salianus ex Græco Eusebii textu, quem consulere volui, verba Artapani plenius sic reddit Latine:* Rege autem E adhuc dementato, Moysen grandinem et terræ motus noctu excitasse, ut qui terræ hiatus effugerent, grandine interirent, et qui vitarent grandinem, terræ hiatibus absorberentur. *Verumtamen magis crediderim terræ motus fuisse partem plagæ decimæ, iisque idola templaque idolorum corruisse ea nocte, qua percussi sunt primogeniti Ægyptiorum. Certe Dominus prædixit de hac quoque plaga:* Et in cunctis diis Ægypti faciam judicia. *Factum id esse, quando perierunt primogeniti, asseritur Num.* 33 ỷ 4. *Non exprimit quidem Scriptura, quo id factum sit modo: nec tamen dubitari potest, quin factum fuerit; nec aptior videtur dari posse conjectura, quam si suspicemur idolorum templa terræ motibus corruisse. Ceterum varias plagas ab Artapano prætertas, aliasque non nisi confuse relatas, facile videbit lector, modo relationem nostram, ex sacris Litteris datam, cum ipsius verbis conferre voluerit.* F

Philo regem constitutum Moysen asserit; at rectius dux vocatur, aut legislator:

193 *Philo porro priusquam egressum Israëlitarum ex Ægypto narrat, multa disserit de principatu* Moysis, *quem* regem *et* principem *nominat, atque hoc tempore principatum Israëlitarum adeptum asserit. Regis tamen nomen non ita congruit* Moysi, *quam* ducis *et* legislatoris, *ut postea videbimus. Dux vero Israëlitarum a Deo proprie constitutus est* Moyses, *quando per visionem in rubo jussus est populum Ægypto educere; at dici potest, hoc tempore agnitum fuisse ab Israëlitis, nisi id jam factum fuerit in conventu seniorum, quos convocavit, simulac Ægyptum est ingressus. Quidquid autem verius sit de tempore, quo Israëlitæ* Moysen *pro duce suo agnoscere cœperunt, non potuit ille libere imperare Israëlitis, quamdiu cum iisdem sub dominio Pharaonis erat constitutus, atque ideo Philo principatum* Moysis *recte orditur ab egressu Israëlitarum. Porro quanti populi dux fuerit, declarat primum his verbis:* Erant autem viri demigrantes supra sexcenta millia. *Loquitur de viris, qui ea erant ætate, ut arma portare possent; atque hi deinde recensi sunt et inventa* sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta, *ut legitur Num.* I ỷ 46. Reliquæ turbæ, *inquit Philo,* senum, puerorum, mulierum, iniri non poterat numerus. Huc accedebat servitiorum

A vitiorum multitudo promiscua et quasi supposititia. Hos Hæbrei susceperant e feminis Ægyptiis, contributos paterno generi. Quidam etiam pietatis amore se adjunxerat : et erant, qui tot continuis castigationibus profecerant in melius. *Quam itaque ingens fuerit multitudo, quilibet facile videbit.*

a Deo principatum adeptus quanta integritate,

194 Horum omnium, *ait Philo*, princeps Moses electus est : quam potestatem accepit, non ut alii, fretus armis et machinis, aut equestribus, pedestribus, navalibusque copiis : sed virtutis ergo honoratus et charitatis, qua universos prosequebatur indesinenter, Deo quoque favente honori Viri optimi. Nam quia regnum Ægypti dereliquerat cum esset nepos regius, et offensus incolarum superbia violentiaque adoptatores suos abdicaverat, simulque spes illas abjecerat præ generosa magnanimitate et amore justitiæ, visum est omnipotenti rerum Gubernatori, frequentioris meliorisque gentis regnum ei reponere, quæ una omnium erat functura sacerdotio, et vota factura pro universo humano genere, quibus et mala averterentur, et impe- B trarentur prospera. Assumpto autem principatu, non hoc egit, sicut nonnulli solent, ut augeret suam familiam, et filios, quos duos habebat, extolleret, socios ac mox successores habiturus : sed ubique incorrupte se gerens, in rebus minimis æque ac maximis, superavit naturalem affectum erga liberos, malens rationis obtemperare judicio. Unicum enim habebat propositum necessarium, juvare subditos, et dictis factisque utilitati eorum consulere, nullam occasionem prætermittendo in promovendis eorum negotiis.

continentia, modestia, justitia,

195 Solus hic omnium, qui unquam principatus gesserunt, non aurum, non argentum in thesauros condidit, non tributa exegit, non palatia, non latifundia, non greges, non famulitia, non reditus, non alias opes sibi paravit, quamvis posset habere omnium harum rerum copiam ; sed existimans animæ pauperis indicium esse, mirari materiales divitias, has quidem ut cæcas contempsit, illas vero naturales perspicacesque honoravit et amavit, si quis unquam alius, in vestitu victuque quotidiano nihil præ se ferens fastus tragici, sed simplicitatem frugalitatemque exercens privati hominis. Regem autem in his solis agebat, quæ vere sunt regia, ut sunt C continentia, fortitudo, sobrietas, solertia, prudentia, scientia, industria, tolerantia, justitia, voluptatis contemptus, ad virtutem exhortatio, objurgationes, castigationesque peccantium legitimæ, et recte facientium laudes atque præmia, Itaque quoniam avaritiæ renuntiaverat, et divitiis honoratis apud homines, perfectas maximasque divitias pro his ei Deus reddidit : hoc est, ut tantumdem posset, quantum terra et mare ac flumina elementaque cætera, et quæ ex his sunt condita.

amicitia cum Deo, aliisque virtutibus illum administraverit.

196 Fecit enim eum suæ potentiæ participem, totum mundum ei subdens tamquam hæreditarium. Quamobrem singula elementa obediebant ut Domino, ad jussum ejus suas vires mutantia. Nec mirum, quandoquidem juxta proverbium, amicorum omnia sunt communia, amicus autem Dei Propheta dicitur : unde consequitur, ut divinæ possessionis usum habeat : nam Deus nullius eget, cum possideat omnia. Bonus autem vir nihil proprie possidet, nec seipsum quidem verum de thesauris Dei, quantum potest, accipit, et merito. Cum mundi civis sit : ideo nullam privatim in orbe habet patriam : quippe qui hæreditatem habet non unam quampiam regionem, sed mundum universum. Quid quod majorem etiam cum omnipotente rerum Patre conditoreque societatem adeptus, communi appellatione dignatus est? nominatur enim totius gentis deus atque rex, et caliginem, ubi Deus erat, intrasse dicitur, hoc est in illam invisibilem, incorpoream, specie formaque carentem, exemplarem essentiam, abstrusas a mortali natura contemplationes considerans. Seipsum quoque suamque vitam, quasi tabulam elegantissime pictam proposuit spectandam, divinum opus imitandumque posteris. *Ita disserit Philo; nec in omnibus illis, quæ de moribus* Moysis *affirmat quidquam reprehendendum video. Verum non invenio, ubinam* Moyses *nominatus fuerit* totius gentis deus atque rex. *An vero* Moyses *divinam essentiam viderit, suo loco discutietur. Deinde ostendit Philo, quantum populo prosit bonum principis exemplum, quantumque eidem noceat malum, de* Moyse *sic subjiciens :* Et fortasse, quia Legislator futurus erat, multo ante ipse Lex animata rationalisque factus est per Dei providentiam, quæ nescientem destinabat huic E muneri.

§. XXI. Egressio Israëlitarum : prima mansio in Ramesse, secunda in Socoth, tertia in Etham, quarta in Phihahiroth : transitus maris Rubri, et interitus Pharaonis cum toto suo exercitu.

Egressi Ægypto sunt Israëlitæ annis 430 post promissionem Abrahamo factam,

Moyses *Exod.* 12 ℣ 40 *ait :* Habitatio autem filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum et triginta annorum. Quibus expletis, eodem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti. *Hæc verba multis quæstionibus et controversiis dederunt materiam, cum clare possit probari ex Scripturis, Israëlitas ab ingressu Jacobi aut Josephi non tanto tempore in Ægypto mansisse; idque* F *abunde ostendit S. Augustinus quæst.* 47 *in Exodum, dicens quadringentos illos et triginta annos inchoandos esse a promissione Abrahamo facta, secundum Apostolum Gal.* 3 ℣ 17, *ubi ait :* Quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex *(in monte Sinai primo anno post egressum)* non irritum facit *(testamentum Dei)* ad evacuandam promissionem. *Audi ipsum Augustinum :* Ex illa ergo promissione, qua vocatus est Abraham, et credidit Deo, post quadringentos et triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore, quo Jacob intravit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significavit : non enim dixit, „ Incolatus „ filiorum Israël „, quem incoluerunt in terra Ægypto, anni quadringenti triginta; sed aperte dixit, „ Quem incoluerunt in terra Ægypto et „ in terra Chanaan, ipsi et patres eorum „. *Sic additur in Septuaginta,* et in terra Chanaan.) *Et recte concludit sanctus Doctor :* Ac per hoc manifestum est, computandum esse tempus etiam patriarcharum, Abrahæ, Isaac, et Jacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan;

AUCTORE J. S.

naan; id est, ex illa promissione, in qua ejus fidem laudat Apostolus, usque ad illud tempus, quo ingressus est Israël in Ægyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, et deinde semen Israël in Ægypto : ac sic completi sunt quadringenti triginta anni a promissione usque ad exitum Israël ex Ægypto, quando facta est Lex in monte Sina, quæ non infirmat testamentum ad evacuandas promissiones. *Hæc sententia S. Augustini, uti multis placuit, ita mihi videtur satis certa.*

die XV mensis Nisan, numero sexcenta circiter millia virorum, nullo infirmo existente :

198 *Egressi autem sunt Israëlitæ die mensis Nisan* XV, *cujus præcedente nocte perierunt Ægyptiorum primogeniti; nec sufficiens habuerunt tempus ad paranda cibaria longinquo itineri necessaria.* Tulit igitur populus, *inquit Moyses cap.* 12 ỳ 34, conspersam farinam, antequam fermentaretur : et ligans in palliis, posuit super humeros suos. *Rursum* ỳ 39 : Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægygto conspersam tulerant : et fecerunt subcinericios panes azymos : neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram :
B nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. *Hæc festinatio tamen non effecit, ut* Moyses *oblivisceretur præcepti Josephi patriarchæ, qui Gen.* 50 ỳ 24 *jusserat ossa sua asportari ex Ægypto. Nam Exod.* 13 ỳ 19 Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum; eo quod adjurasset filios Israël, dicens : Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. *Quam ingenti numero, et unde profecti sint, narratur cap.* 12 ỳ 37 *his verbis :* Profectique sunt filii Israël de Ramesse in Socoth, sexcenta fere millia peditum virorum, absque parvulis. Sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves et armenta et animantia diversi generis multa nimis. *Huic egressui Psal.* 104 ỳ 37 *sic accinitur :* Et eduxit eos cum argento et auro : et non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata est Ægyptus in profectione eorum; quia incubuit timor eorum super eos.

prima eorum mansio, seu locus congregationis Ramesses :

199 *Prima mansio Israëlitarum passim statuitur Ramesses, quæ urbs erat Ægypti, quam ipsi ædificaverunt Pharaoni, ui dicitur Exod.* I ỳ XI. *Hæc autem prima mansio sic intelligenda est, ut sit locus, ad quem convenerunt Israëli-*
C *tæ, ad egrediendum Ægypto ; non vero locus, in quo castrametati sunt post iter primi diei a congregato agmine institutum. S. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam de* 42 *Mansionibus Israëlitarum de Ramesse sic scribit :* Ad hanc urbem, quæ in extremis Ægypti finibus erat, populus congregatus est, qui in desertum exire cupiebat. *Credunt nonnulli Israëlitas jam congregatos fuisse in Ramesse, aut in ejus vicinia die præcedenti, ibique agnum Paschalem comedisse. At non video, quam apte id probari possit ex Scriptura, cum id nullibi dicatur : nam urbs Ramesses verisimiliter tantam multitudinem non capiebat, nec videntur in castris agnum Paschalem comedisse : in illo enim ritu describendo variis vicibus domuum fit mentio, non tabernaculorum. Malim igitur existimare, Israëlitas tempore matutino undique confluxisse ad urbem Ramessen, et eodem die inde, postquam congregati erant, profectos esse in Socoth. Postremum minime dubium est : nam Num.* 33, *ubi mansiones Israëlitarum enumerantur, ita legitur :* Hæ sunt mansiones filiorum Israël, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi et Aaron, quas descripsit Moyses juxta castrorum lo-

ca, quæ Domini jussione mutabant. Profecti igitur D
de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi, altera die Phase, filii Israël in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis, et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam et in diis eorum exercuerat ultionem) castrametati sunt in Soccoth. *Idola Ægyptiorum fuisse destructa eodem tempore, quo occisi sunt primogeniti, uti Dominus Moysi promiserat, ex hoc loco evincitur, sive id terræ motibus factum fuerit, sive alio quocumque modo.*

quam gloriosus et utilis ipsis fuerit hic discessus :

200 *Quod vero dicitur Dominus eduxisse populum suum* in manu excelsa, *quodque Psal.* 135 ỳ 12 *exprimitur,* in manu potenti et brachio excelso, *seu potenti dextera cogendo Pharaonem ad dimittendum populum, putem intelligendum esse non solum de posteriori plaga, sed de omnibus plagis et prodigiis simul consideratis, quæ tandem Pharaoni consensum extorserunt. Sic Jos.* 24 ỳ 5 *nomine Domini Israëlitis dicit Josue :* Misique Moysen et Aaron, et percussi Ægyptum multis signis atque portentis. Eduxique vos et patres vestros de Ægypto. *Ita et Stephanus Act.* 7 ỳ 36 *de* Moyse *dicit* : Hic eduxit illos, fa- E
ciens prodigia et signa in terra Ægypti. *Quapropter et locum Apostoli de omnibus hisce explicandum existimo Heb.* XI ỳ 27 *de* Moyse *dicentis :* Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis : invisibilem enim tamquam videns sustinuit. *Porro gloriosus admodum Israëlitis erat hic discessus : nam discedebant, superatis Ægyptiis, plagisque ac metu debellatis, tamquam victores, prout aliis quoque locis sacræ scripturæ innuitur. Utilissimus quoque erat, non solum quia durissima servitute liberabantur, sed etiam quia multas Ægyptiorum divitias secum portabant, tamquam mercedem diuturnæ servitutis. Deinde quia jam magis singulari protectione Dei erant fruituri, uti populus Deo ejusque servitio dicatus, quemadmodum dicitur Psal.* 113 ỳ I *his verbis :* In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro; facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël potestas ejus.

columna nubis per diem, ignis vero per noctem præcedens, eorum iter dirigebat ;

201 *Singularem hanc Omnipotentis protectionem discere poterant, cum ex prodigiis in Ægypto factis, tum ex eo, quod in tanta multitudine nullus esset infirmus. Aliud visibile divinæ in eos benevolentiæ signum erat columna nubis per diem præcedens contra nimios solis ardores, et columna ignis noctu præcedens ad tenebras* F
dispellendas, eademque columna utroque tempore dux erat viarum, per quas proficisci oportebat. Audi de hisce Moysen *Exod.* 13 ỳ 21 : Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis : ut dux esset itineris utroque tempore. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo. *Psal.* 104 ỳ 39 : Expandit nubem in protectionem eorum, et ignem, ut luceret eis per noctem. *Sap.* 10 ỳ 17 : Et fuit illis *(Dominus per columnam)* in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. *Sic* Moyses *exorans Dominum Num.* 14 ỳ 14 *dicit,* Qui audierunt quod tu, Domine, in populo isto sis,... et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem. 2 *Esdr.* 9 ỳ 19 *dicitur Deo :* Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto : columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam; et columna ignis

per

A per noctem, ut ostenderet eis iter, quod ingrederentur. *Nubis hujusce etiam meminit Apostolus* 1 *Cor.* 10 ℣ 1.

Deo igitur, non Moysi, attribuendum, quod non recta via Palæstinam petierint: rationes

202 *Ex hac columna patet, non* Moysi, *sed Deo adscribendum esse, quod Israëlitæ non recta via ex Ægypto in Palæstinam sint profecti, sed per multos circuitus eo tandem pervenerint:* Moysis *enim officium erat columnam sequi ducem. Porro de itinere non instituto recta in Palæstinam* Moyses *Exod.* 13 ℣ 17 *sic habet:* Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans, ne forte pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare Rubrum: et armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti. *Voces* armati ascenderunt *varias controversias pepererunt apud interpretes, præsertim quia Septuaginta pro iis habent*, Quinta autem progenie ascenderunt; *Oleaster,* Quini ascenderunt; *alias,* Accincti, Quintati, Accincti armis, Instructi; *alii demum,* Accincti quinque armorum generibus. *Jam vero expositio Septuaginta interpretum* B *verum quidem continet sensum, uti varii jam ostenderunt: præferenda tamen est expositio Scripturæ vulgatæ, quam et alii interpretes tradiderunt. Ne autem hic sim prolixior, nihil aliud mihi videtur significari, nisi Israëlitas nonnullis armis, qualia comparare potuerant, fuisse instructos; atque instar agminis armati pulchro ordine iter instituisse. At non crediderim, illos fuisse armatos, sicuti milites armantur, quando ad bellum procedunt; sed solum ad defensionem suam, quantum fieri potuerat. Plura arma obtinuerunt post demersum in mari Rubro Pharaonis exercitum; et post victos Amalecitas.*

dantur hujus circuitus.

203 *Redeo ad rationes, ob quas divina providentia Israëlitas longissimo tempore per loca deserta ducere voluit, cum eos potuisset paucis diebus ad terram promissam perducere. Deut.* 8 ℣ 2 Moyses *Israëlitas sic alloquitur:* Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret, et nota fierent, quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non. Afflixit te penuria, C et dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu et patres tui: ut ostenderet tibi, quod non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, et pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est: ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui. *Rursum Moyses in Cantico suo Deut.* 32 ℣ 9 *de iis ita canit:* Pars autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus. Invenit eum in terra deserta, in loco horroris et vastæ solitudinis: circumduxit eum, et docuit: et custodivit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans, expandit alas suas, et assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. *Hæ rationes circumducendi populum non pugnant cum prima: nam omnes concurrunt ad eumdem finem. Noluit Dominus paucis diebus Israëlitas ad terram promissam perducere, ne homines diuturna servitute timidi bellorum apparatu terrerentur. Voluit autem eosdem plurimis annis hærere in locis adeo desertis, ut ibidem non possent alimenta invenire ad vitam conservandam, itaque ex dato divinitus victu discerent, quantum de divina providentia esset sperandum: deinde ut Leges quoque suas melius discerent, quando non erant aliis occupationibus distracti in solitudine.*

Secunda et tertia mansio: in hac primo memoratur columna;

204 *S. Hieronymus de secunda mansione Israëlitarum sic scribit in laudata sæpiusque laudanda Epistola ad Fabiolam, citans illa verba,* Castrametati sunt in Soccoth: Secunda mansio. In hac coquunt panes azymos, et primum tendunt tabernacula, unde et ex re locus nomen accepit: SOCCOTH quippe interpretatur in lingua nostra TABERNACULA sive TENTORIA. *Coctos ibi panes azymos subcinericios, habemus Exod.* 12 ℣ 39, *et verba jam dedimus num.* 198: *nec quidquam præterea de hac mansione legitur. Tertia mansio Num.* 33 ℣ 6 *assignatur his verbis:* Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis. *Et Exod.* 13 ℣ 20: Profectique de Socoth, castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. *De hac ita laudatus Hieronymus:* Tertia mansio offertur post Tabernacula, in qua primum videtur Dominus nocte in columna ignis, et per diem in E columna nubis; ut præcedat populum, et dux itineris fiat. *Alteram observationem mox adjungit in hunc modum:* Ex quo intelligimus locum Soccoth adhuc juxta Ægypti fuisse regiones: in eo enim, quod dicitur, Quæ est in extremis finibus solitudinis, ostenditur inter confinia esse eremi et Ægypti.

nec tamen probari potest, eam non citius præcedere cœpisse.

205 *Crediderim utrumque locum fuisse intra terminos regni Ægyptiaci, sed Soccoth fuisse in parte Ægypti habitata et culta, Etham vero in terra deserta versus Arabiæ confinia, nisi Etham jam fuerit in ipsa Arabia, ubi est solitudo* Etham, *alias* Sur *dicta, per quam profecti sunt Israëlitæ post transitum maris Rubri. Id certum videtur, Etham fuisse aut in ipso Arabiæ limite, aut ei viciniorem, quam fuerit sequens mansio. Porro prima Hieronymi observatio non passim ab omnibus admittitur, quia Scriptura non dicit columnam nubis et ignis primum præcedere incepisse in Etham, sed solum, relato adventu in Etham, subditur,* Dominus autem præcedebat eos.... in columna *etc.; atque illud* præcedebat *æque referri potest ad anteriora tempora, puta ad Ramessen, quam ad Etham.* F *Sola ratio, quæ favet S. Hieronymo, est, quod de illa columna* Moyses *non sit ante locutus. At eodem modo refert* Moyses *ibidem* ℣ 19 *ossa Josephi asportata esse a se, postquam jam narrarat adventum in Soccoth. Quapropter illa Hieronymi observatio nec certa mihi apparet, nec tamen prorsus repudianda: neque enim probari potest, columnam citius præcessisse, dicique potest, ductum columnæ non fuisse necessarium in regione Ægypti habitata et nota, ideoque videri tantum incepisse præcedere, quando venerunt ad solitudinem.*

Quarta mansio, quam regressi, jubente Deo, capiunt prope mare Rubrum:

206 *Quarta mansio fuit non longe a mari Rubro, eaque sic assignatur Num.* 33 ℣ 7: Inde (*ex Etham*) egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, et castrametati sunt ante Magdalum. *Iter ad hanc mansionem institutum est expresso Domini jussu, qui voluit, ut Israëlitæ, qui mare Rubrum circuire poterant, ac sic ex Ægypto in Arabiam penetrare, proficiscerentur ad latus Ægyptium maris Rubri, quod deinde transeundum erat, ut pervenirent in Arabiæ solitudines. Hoc iter præbebat*

AUCTORE J. S.

bebat Pharaoni occasionem ita persequendi Hebræos, ut pœnam pertinaciæ suæ incurreret. Audi Moysen *Exod.* 14 ℣ 1 : Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : Loquere filiis Israël : Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum et mare contra Beelsephon : in conspectu ejus castra ponetis super mare. Dicturusque est Pharao super filiis Israël : Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor ejus ac persequetur vos : et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus : scientque Ægyptii, quia ego sum Dominus. Feceruntque ita.

hinc Pharao temere eum exercitu insequitur :

207 Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus : immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super populo, et dixerunt : Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis ? Junxit ergo currum, et omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit, et duces totius exercitus. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, et persecutus est filios Israël : at illi egressi
B erant in manu excelsa. Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare : omnis equitatus et currus Pharaonis, et universus exercitus, erant in Phihahiroth contra Beelsephon. *Insignem Pharaonis temeritatem in persequendo Dei populo expendit Sapiens cap.* 19, *observans justo Dei judicio permissum esse, ut Pharao tam inconstanter ageret, et ad pœnam sceleribus suis dignam deduceretur.* Impiis autem, *inquit*, usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim *(Deus)* et futura illorum : quoniam cum ipsi *(Ægyptii)* permisissent, ut se educerent *(Hebræi)* et cum magna sollicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti. Adhuc enim inter manus habentes luctum, et deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ : et quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur : ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas : et horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio : et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mor-
C tem invenirent. *Hæc Dei consilia* Moysi *non erant incognita, nec ille timebat Pharaonis exercitum.*

murmurant hac de causa contra Moysen Israëlitæ,

208 *Verum multitudo populi timidi, nec tam exacte instructi de providentia divina, nec tanta fide de auxilio Dei confidentis, ut ex præteritis beneficiis futura sperare auderet, tanto correpta est timore, ut in graves obmurmurationes contra* Moysen *eruperit. Audiamus* Moysen *ipsum rem exacte referentem Exod.* 14 ℣ 10 : Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israël oculos, viderunt Ægyptios post se : et timuerunt valde : clamaveruntque ad Dominum, et dixerunt ad Moysen : Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine : quid hoc facere voluisti, ut educeres nos de Ægypto ? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes : Recede a nobis, ut serviamus Ægyptiis ? Multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine. *Hæc murmuratio filiorum Israël non carebat peccato, meritoque reprehenditur Psal.* 105 ℣ 7 : Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua : non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ : et irritaverunt ascendentes in mare, mare Rubrum. D

Moyse vero eos excitat ad fiduciam:

209 *Verumtamen tanta fuit Dei bonitas, ut nec peccantes desereret, sed mirabili modo contra inimicos protegeret, uti ibidem mox subditur :* Et salvavit eos *(Deus)* propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam. Et increpuit mare Rubrum, et exsiccatum est : et deduxit eos in abyssis sicut in deserto. Et salvavit eos de manu odientium : et redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos : unus ex eis non remansit. Et *(sic tandem rursus)* crediderunt verbis ejus : et laudaverunt laudem ejus. *Hæc fusius* Moyses *ipse, qui timorem Israëlitis primum sic eximere conatus est* ℣ 13 : Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : state, et videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie : Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moysen *(orantem haud dubie pro salute populi :)* Quid clamas ad me ? Loquere filiis Israël, ut proficiscantur. Tu autem eleva virgam tuam, et extende manum tuam E
super mare, et divide illud : ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, ut persequantur vos : et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus, et in curribus et in equitibus illius. Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, et in curribus atque in equitibus ejus.

angelus columna nubis utrique exercitui interposita impedit accessum Ægyptiorum :

210 *Providit interim Dominus, ne illa nocte, antequam mare Rubrum ingressi erant Hebræi, eis nocere possent Ægyptii, ut sequitur :* Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos : et cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum et castra Israël : et erat nubes tenebrosa *(ex parte scilicet Ægyptiorum,)* et illuminans noctem *(ex parte Hebræorum)* ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. *De hac tenebrosa nube, quæ Ægyptiis Hebræorum conspectum abstulit, etiam meminit Josue, de liberatione Hebræorum sic breviter scribens cap.* 24 ℣ 6 : Eduxique vos, *ait Dominus Israëlitis*, et patres vestros de Ægypto, et venistis ad mare : persecutique sunt Ægyptii patres F
vestros cum curribus et equitatu usque ad mare Rubrum. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israël : qui posuit tenebras inter vos et Ægyptios, et adduxit super eos mare, et operuit eos. *Hujus quoque nubis mentionem facit Sapiens cap.* 19 ℣ 7, *cujus verba mox dabo. Videamus interim mirabilem maris Rubri divisionem, et transitum Israëlitarum.*

deinde Moyse manum extendente dividitur mare,

211 Moyses *Exod.* 14 ℣ 21 *de hisce sic loquitur :* Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente tota nocte, et vertit in siccum : divisaque est aqua. Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris : erat enim aqua quasi murus a dextera eorum et læva. *Sapiens cap.* 19 *nonnulla addit hoc modo :* Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur *(id est, novam quasi figuram assumebat)* deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi. Nam nubes castra eorum obumbrabat, et ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, et in mari Rubro via sine impedimento, et campus germinans de profundo nimio *(seu in summa*

AUCTORE J. S.

A *ma illa maris profunditate :)* per quem *(campum)* omnis natio *(Israëlitica)* transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia et monstra.

ac viam aperit Israëlitis, qui transeunt illæsi ;

212 *Psalmista quoque mirabilia hæc non tacuit, nam Psal.* 113 *huc respiciens, exclamat :* Vidit mare et fugit : *Psal.* 76 : Notam fecisti *(Deus)* in populis virtutem tuam : redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob et Joseph. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ : et timuerunt, et turbatæ sunt abyssi. Multitudo sonitus aquarum : vocem dederunt nubes, Etenim sagittæ tuæ transeunt : vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ : commota est et contremuit terra. In mari via tua, et semitæ tuæ in aquis multis : et vestigia tua *(quia redierunt mox aquæ)* non cognoscentur. Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron. *Hic locus totus videtur intelligendus de transitu maris Rubri : nam prima et ultima satis sunt clara. Per media autem describuntur imbres* (Multitudo sonitus aquarum) B *et conjuncta tonitrua* (Vocem dederunt nubes) *et fulmina* (sagittæ tuæ) *et tonitrua rursum rotas corruum Ægyptiorum subvertentia* (vox tonitrui tui in rota) *ac demum fulgura et terræ motus per sequentem versiculum. Hæc igitur valent ad exponenda jam data* Moysis *verba,* Et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum... interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum *etc. Rursum Psal.* 77 ℣ 13 : Interrupit mare, et perduxit eos : et statuit aquas *(non defluentes)* quasi in utre *(essent.) Quin et sine timore transgressos Israëlitas, innuit ibidem* ℣ 53 : Et deduxit eos in spe, et non timuerunt : et inimicos eorum operuit mare. *Plures locos afferam infra, ubi interitus Ægyptiorum exponetur.*

Ægyptios vero sequentes mare, ad pristinam formam regrediens,

213 *Stultam Pharaonis præsumptionem ejusque interitum pergens* Moyses *sic narrat* ℣ 23 : Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus ejus et equites, per medium maris. Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subver- C tit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii *(sero sapientes :)* Fugiamus Isaaëlem : Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Moysen : Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus et equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum : fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare : nec unus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israël perrexerunt per medium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinistris : liberavitque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, et manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos; timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino, et Moysi servo ejus.

universos involvit, et suffocat.

214 *Sap* 10 ℣ 18 : Transtulit *(Dominus)* illos per mare Rubrum, et transvexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorum demersit in mare, et ab altitudine inferorum *(id est, quasi a profunditate inferni)* eduxit illos. Ideo justi tulerunt spolia impiorum, et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, et victricem manum tuam laudaverunt pariter : quoniam Sapientia aperuit os mutorum *(Israëlitarum, catenus quasi mutorum in laudes Dei)* et linguas infantium fecit disertas. *De prædictis omnibus Judith* 5 ℣ XI *hæc referuntur :* Cumque ejecissent eos Ægyptii a se, et cessasset plaga ab eis, et iterum eos vellent capere, et ad suum servitium revocare, fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, et isti pede sicco fundum maris perambulando transirent. In quo loco, dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus, qui factum posteris nuntiaret. *Judith ipsa orans Dominum cap.* 9 ℣ 6 *de tenebrosa nube, qua castra Hebræorum videre nequiverunt Ægyptii, deque horum interitu sic meminit :* Respice *(Domine)* castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, con- E fidentes in quadrigis, et in equitatu suo, et in multitudine bellatorum. Sed aspexisti super castra eorum, et tenebræ fatigaverunt eos. Tenuit pedes eorum abyssus, et aquæ operuerunt eos. *Demum* Moyses *Deut.* XI ℣ 3 *et seq. hujusce facti meminisse jubet Israëlitas, ut grati sint Domino pro tanto beneficio.*

Canticum facto partim de mox relato,

215 Moyses *vero ipse statim in gratiarum actionem pulcherrimum Canticum concinnavit, illudque cum universo populo cecinit. Pars hujus cantici prior eleganter enarrat facta in mari Rubro, pars autem posterior futura prædicit, licet more prophetico omnia dicantur tamquam præterita. Totum Canticum huc lubet transferre, prout exprimitur Exod.* 15 *præmissis his verbis :*

Tunc cecinit Moyses et filii Israël carmen hoc Domino, et dixerunt :

Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem dejecit in mare.

Fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem : iste Deus meus, et glorificabo eum : Deus patris mei, et exaltabo eum.

Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus. F

Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare : electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.

Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, percussit inimicum.

Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos : misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.

Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ : stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

Dixit inimicus * : Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

* Pharao

Flavit spiritus * tuus, et operuit eos mare : submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

* ventus

Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?

Extendisti

AUCTORE J. S

Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra; *nempe fundus maris. Hactenus de præteritis.*

partim de futuris, quod in gratiarum actionem cecinit Moyses cum omni populo.

217 *Nunc sequitur futurorum prædictio: sequens tamen versiculus partim etiam congruit præteritis.*

Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti: et portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum * sanctum tuum.

* terram promissam

Ascenderunt populi, et irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philistiim.

Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

Irruat super eos formido et pavor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.

Dominus regnabit in æternum, et ultra.

B Ingressus est enim eques Pharao cum curribus et equitibus ejus in mare: et reduxit super eos Dominus aquas maris: Filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.

Ultimo hoc versiculo repetit Moysis, *quod primo proposuit. Hoc idem Canticum cecinerunt etiam mulieres, præeunte Maria sorore* Moysis, *ut subjungitur:* Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis et choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum et ascensorem ejus dejecit in mare. *Hactenus de glorioso maris Rubri transitu, qui populum ad aliquot dies in officio continuit. Verum non fixerunt ibi tentoria Israëlitæ, nec diu sorte sua fuerunt contenti, ut videbimus.*

§ XXII. Quæ de itinere Israëlitarum usque ad mare Rubrum, marisque transitu relata a Josepho, Philone, et Artapano, discutiuntur.

C

Josephus discessum Hebræorum narrat non sine erroribus;

Josephus iter Hebræorum usque ad mare Rubrum sic describit, ut nihil de columna præcedente, nihil de ordinatione Dei commemoret, ratus, opinor, gentilibus suspectam fore tantam Dei cum homine familiaritatem. Verba ipsius subjungo: Atque hoc pacto exitum est, flentibus Ægyptiis et pœnitentibus ob præteritam malam tractationem. Iter autem faciebant per Latopolim *(Græce λητοῦς πόλιν, id est,* Latonæ civitatem) tunc desertam: Babylon enim post eo loco est condita, Cambyse *(Persarum rege)* Ægyptum vastante. *Iter illud non modo incertum, sed ne verisimile quidem est, cum Ramesses in terra Gessen sita, Arabiæ ac mari Rubro propinquior videatur fuisse, quam fuit Babylon Ægyptiaca: nam hæc eo fere loco sita erat, ubi nunc est Caïrus, quæ ex ejus aliorumque locorum conjunctione coaluit. Pergit ita Josephus:* Cumque abeuntes iter strenue continuarent, tertia die pervenerunt Beelsephontem ad Rubrum mare sitam, cumque nihil per viam invenirent propter solitudinem, macerata farina, et modico calore in panis speciem solidata, se sustentabant: quo victu per triginta dies sunt usi, neque enim plus commeatus Ægypto extulerant, atque eum ipsum parce dispensabant ad necessitatem magis quam ad satietatem. Quapropter in memoriam ejus inopiæ festa per octo dies celebramus, quos vocamus Azymorum. Cæterum multitudo migrantium una cum liberis et uxoribus vix erat numerabilis: qui vero militarem ætatem habebant, sexcentorum millium numerum explebant. Reliquerunt autem Ægyptum mense Xanthico, luna quintadecima, anno quadringentesimo trigesimo, postquam Abraham pater noster in Chananæam venit: et post Jacobi migrationem in Ægyptum anno ducentesimo decimoquinto. Moyses vero annum tunc agebat octuagesimum, et frater ejus Aaron triennio erat major, deferebant etiam secum ossa Josephi, ita ut filiis suis mandaverat. *Quod ait scriptor festa azymorum instituta esse propter inopiam cibariorum in via toleratam, indignum sane est homine Hebræo, cum dies azymorum institutos constet in Ægypto una cum agno Paschali.* D E

uti et Philo, qui rationes non electi itineris recti perperam Moysi attribuit.

218 *Philo de itinere Hebræorum rectius scribit, sic tamen, ut debuisset asseverantius loqui de columna ducente, et causam non electi itineris recti, Deo potius quam* Moysi *attribuere.* Ergo, *inquit,* postquam *(Moyses)* de communi consensu accepit imperium non sine Numine, decrevit coloniam in Phœnicen, Cœlesyriam, Palæstinamque, tunc communi nomine Chananæam, deducere, cujus fines disterminabantur ab Ægypto trium dierum itinere. Duxit autem per viam minime compendiariam: tum quia verebatur, ne regionum earum incolæ metu amittendarum una cum libertate sedium armati occurrerent; ipsi vero ab hostibus rejecti ad hostes reverti cogerentur, a novis ad veteres, præter ludibrium passuri graviora quam antea; tum quia volebat per vastas solitudines ducendo experiri horum obedientiam, instructorum non amplis commeatibus, sed paulatim deficientibus, Quamobrem de recta via decedens, invenit obliquum tramitem: eum ingressus est, ratus ad Rubrum mare ducere. Fertur illo tempore accidisse ingens naturæ miraculum, quale numquam auditum fuerat post hominum memoriam. Præcedebat populum nubes in magnæ columnæ speciem, solari splendore lucens interdiu, noctu vero flammeo, ut ejus ductu absque periculo erroris incederent. Credi tamen potest aliquem e summi Regis præfectis angelum, nube volutum eos duxisse, quem nefas sit aspici mortalibus oculis. F

Josephi relatio de Pharaonis insequentis consilio.

219 *Josephus consilium Pharaonis persequendi Hebræos, rationes, cur* Moyses *non sit profectus recto itinere, iterque et apparatum Pharaonis sic exponit:* Ægyptios autem pœnituit, quod Hebræos dimisissent: cumque rex præ cæteris hanc rem ægre ferret, totum præstigiis Moysis imputans, decretum est, ut in eos irruerent, et correptis armis reliquoque apparatu, persequebantur, retracturi, si possent assequi. Non enim timendum ne Deus offendatur, cum jam semel exitus illis sit concessus: sperabant etiam facile se in potestatem redacturos inermes, et de via lassos. Itaque obvium quemque rogantes, qua tenderent, raptim insequebantur, tametsi per viam difficilem, non solum exercitibus, sed expeditis quoque viatoribus. Moyses autem hac Hebræos

A Hebræos ideo duxit, ut si Ægyptii mutata sententia persequi eos vellent, pœnas militiæ violatique pacti persolverent: neve Palæstini, quos ob veterem simultatem infensos habebat, de hac profectione certiores fieri possent, est enim illorum regio Ægypto contermina, quapropter omissa via, quæ in Palæstinam ducit, per desertum via dispendiosa ac difficili voluit Chananæam invadere: obiterque juxta Dei mandata in montem Sina populum sacrificaturum adducere.

et de rationibus itineris obliqui correcta:

220 Sed ubi ad Rubrum mare perventum est, ecce Ægyptiorum multitudo circumfusa in arctum eos compellit: aderant enim septingenti currus cum equitum quinquaginta millibus, et ducenta millia scutatorum peditum. Hi vias omnes obsederant, quibus effugium Hebræis patere poterat, inter rupes et mare conclusis, quo loco mons præ aspretis invius ad littus usque procurrit, atque ita ne fugæ quidem spe relicta Hebræos mare inter et montem obsidione premebant, oppositis armatis, qua exitus in campos aperiebatur. *In hisce primo frivolum videtur,* B *quod ait Pharaonem cogitasse non offendendum Deum, si Israëlitas persequeretur, qui hisce semel concesserat exitum. Nam sola Pharaonis inconstantia effecisse videtur, ut pœniteret eum datæ abeundi facultatis, spesque eos facile retrahendi ad sequendum impulit, ut facile colligi potest ex verbis sacris Exod.* 14 ℣ *et* 5. *Secundo accuratum quoque non est, quod scribit de rationibus, quæ* Moysen *impulerunt ad iter instituendum per solitudinem: nam id totum volente Deo ob rationes ante datas factum vidimus num.* 202 *et* 203.

Philonis narratio de persequente Israëlitas Pharaone.

221 *Philo de consilio, apparatu, et expeditione Pharaonis ad retrahendum Israëlitas hæc scripsit:* At rex Ægyptius, postquam animadvertit hos ferri per devia, sicut putabat, ingressos desertum, a nullis tritum viatoribus; gaudebat eos aberrasse a recto itinere, videlicet ratus non inventuros exitum: jamque missionis pœnitens, statuit eos persequi, aut metu retracturus in servitutem aut internecione deleturus gentem profugam. Deinde assumpto omni equitatu, jaculatoribus, funditoribus, sagittariis, velitibus, et universis levis armaturæ militibus, sexcentisque falcatis curribus, præfectisque huic C expeditioni purpuratis, quo alacrius sequerentur cæteri sine detrectatione militiæ; excurrit summa celeritate, properans, ut fugientes improvisos opprimeret. Solent enim insultus repentini terrere gravius, et securi facilius intercipiuntur quam soliciti: id tunc quoque sperans ille sequenbatur, quasi ad primum clamorem victor evasurus. Et jam populus in littore castra posuerat: quibus prandium parantibus primum exaudiebatur strepitus, ut propinquante tanta virorum equorumque multitudine certatim properantium: mox progressi extra tabernacula circumspectabant arrectis auribus: paulo post conspectus est in tumulis hostilis exercitus instructus ad prælium explitata acie. *Sexcentos currus Pharaoni attribuit Philo, septingentos Josephus, uter rectius non facile dixero: nam Scriptura Exod.* 14 ℣ 7 *enumerat* sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit. *Nihilo magis definiri potest, uter equitum peditumque numerum, reliquumque apparatum rectius recensuerit, sed uterque, opinor, conjectura usus est ex viribus Ægypti desumpta.*

222 *Subdit mox laudatus Josephus, quibus animis Hebræi in angustias redacti exercitum Pharaonis aspexerint.* In hac, *inquit,* locorum iniquitate conclusi, cum nec obsidionem præ inopia tolerare, nec exitum ad fugam invenire possent, nec arma adessent, etiamsi maxime pugnare cuperent, nihil superesse videbant, nisi ut turpi deditione saluti consulerent: quo factum est ut Moysen incusarent, obliti prodigiorum, quibus libertatem eis Deus significaverat: minimumque aberat, quin Propheta lapidato, contemptisque per incredulitatem pollicitationibus, deditione in pristinam servitutem redirent; nam et lamentis mulierum ac puerorum exasperabantur, nihil nisi perniciem expectantium, cum essent rupibus et mari et armatis circumcirca cincti, nec ulla spes effugii relinqueretur. *Hactenus de hisce Josephus satis recte, si de periculo* Moysis *magis caute fuisset locutus: nam Scriptura non habet, parum abfuisse, quin lapidaretur.*

AUCTORE J. S. Josephus in referenda murmuratione populi, nimis exaggerat periculum Moysis:

at Philo in hisce Scripturæ adhæret:

223 *Philo vero pressius Scripturæ adhærens, et solum pauca ex probabili conjectura addens, eadem hoc modo enarrat:* Hoc tam inexpectato E casu perterriti, cum nec arma illis ad defensionem suppeterent (non enim ad bellum, sed ad quærendas sedes exiverant) nec ipsi fugam expedirent, a tergo mari claudente, a fronte imminentibus hostibus, ab utroque latere abjacentibus vastis inviisque solitudinibus, trepidabant desperantes, ut fit, in tantis calamitatibus, incusabantque Principem, occlamantes: Num deerant sepulcreta in Ægypto, ut nos huc adductos necatosque sepelires in solitudine? Nonne quævis servitus est morte levior? Inescasti plebeculam spe libertatis, ut adiret vitæ periculum, abusus es nostra simplicitate, quasi nescires Ægyptiorum malitiam et iracundiam. Non vides nullum patere nobis e tot malis instantibus effugium? Quid agimus? Inermes armatis occurremus? At fugiemus? Quomodo, cum simus cincti, ceu cassibus, infestissimis hostibus, locis inviis, et mari carente navigiis, si tamen est navigabile?

rursum Josephus ea occasione attribuit Moysi orationem, Scripturæ parum conformem;

224 *Deinde Josephus* Moysen *inducit alloquentem Hebræos oratione quidem tali, qua uti poterat Dux populi, de Dei subsidio confidens; sed rursus nimis timidus scriptor prædictionem* Moysis *de morte omnium Ægyptiorum, uti et preces ejusdem, et promissionem Dei silentio pres-* F *sit, ita de hisce scribens:* Moyses autem efferata licet contra se turba, nulli succumbens difficultati, non cessabat eis prospicere, Deo fretus, quem post tot libertatis præsagia probabile non erat permissurum, ut aut delerentur, aut in potestatem inimicorum relaberentur. Cumque medius in concione constitisset, sic ad eos verba fecit: Si homo aliquis res vestras bene ac prudenter hactenus administrasset, oportebat et in posterum similem ejus curam et diligentiam expectare: nunc postquam Deus ipse gubernandos vos suscepit, quantæ insaniæ fuerit ejus opem non sperare, qui per me ultro vobis præstitit, quidquid ad vestram salutem ac libertatem conferre videbatur: imo hæc ipsa difficultas et angustia magis vos ad sperandum accendere debuerat: ipse enim vos in arctum hunc locum concludi voluit, ut ex tanta necessitate præter vestram æque ac hostium opinionem servaret, atque in hunc modum declararet, non solum potentiam suam, sed favorem etiam, quo vos perpetuo prosequitur: non enim in parvis rebus Deus propitius auxilium afferre solet, sed tum potissimum

AUCTORE J. S.

potissimum quando spei superest minimum. Ergo hujus ope freti, qui potest et ex parvis magna facere, et horum potentiam debilem reddere, ne terreamini Ægyptiorum apparatu, neque propter fugam mari et montibus impeditam animum despondete; potest enim Deus et hos in planiciem, et mare in terram vertere.

Philo vero minus a Scriptura recedit.

225 *Philo autem minus recedit a narratione* Moysis, *de quo subjungit :* His ille auditis *(populi obmurmurationibus)* ignoscebat, memor divini oraculi : divisisque mentis et sermonis officiis, eodem tempore, altera deprecabatur Deum tacitus, ut eos e desperatis rebus eriperet : altero confirmabat solabaturque tumultuantes : Nolite animo concidere, aliud est humanum, aliud divinum auxilium. Cur tantum credibilibus sermonibus fidem accommodatis? Noster adjutor nullis opus habet apparatibus, exitum invenire in rebus dubiis est Deo proprium, solus ille plus quam universa creatura potest. His illos etiam tum sui compos hortabatur, paulo vero post jam afflatus familiari Numine hæc cecinit : Exercitus iste instructissimus, ut videtis, armis virisque, non terrebit vos postea, internecione totus
B delebitur submergeturque, ut ne reliquiæ quidem ejus in terra maneant, idque non post longum tempus, sed nocte proxima. Hoc ille tum responsum edidit.

Josephus mirabilia in transitu maris Rubri facta

226 *Josephus, ubi ad divisionem maris Rubri transitumque Israëlitarum progreditur, maluit more sibi consueto rem totam sic referre, ut gentilibus utcumque verisimilis appareret, quam mirabilia illa, ut gesta sunt, enarrare; atque hac de causa varios narrationi suæ immiscet errores mox corrigendos. Verba accipe :* Hæc effatus *(Moyses,)* ad mare eos, Ægyptiis spectantibus, ducebat. Habentes enim eos sub oculis, quod essent persequendo defatigati, pugnam in sequentem diem differre consultius putabant. Ut vero ad extremum littus ventum est, tum Moyses sumpta virga Deum in auxilium supplex invocat, dicens : Tu, Domine, scis ipse, quod nec viribus, nec artibus humanis ullum hinc nobis patet effugium : superest, ut ipse salutem huic populo expedias, qui Ægypto relicta, huc est delatus, tuam voluntatem tuamque fidem secutus. Ad te solum omni alia spe, omni consilio destituti confugimus : ad tuam tantum
C providentiam respicimus, quæ sola nos iratis Ægyptiis eripere potest. Succurre igitur propere, et potentiam tuam exere, et populum jam conclamatæ salutis ad fiduciam et spem excita : in difficultatibus constituti sumus, sed nostris non tuis. Tuum est, Domine, hoc mare, tuus et mons, qui nos claudit : et hic potest te jubente aperiri, et illud in terram verti; possumus et per aerem sublimes effugere, si ita nos servari tibi placeat.

extenuat, variosque admiscet errores :

227 Hæc precatus, mare virga percutit : quo ictu repente scissum, et retrorsum se recipiens, nudum solum Hebræis ad fugam capessendam relinquit. Moyses autem videns adesse Deum, et mare de suo solo cessisse, primus progreditur; hortatur Hebræos, ut alacriter sequantur per viam divinitus datam, et læti præterito periculo gratias agant ob tam incredibilem salutis rationem, tam subito exortam. Illis vero impigre subsequentibus, nimirum divina ope fretis, Ægyptii primum insanire eos putabant, in manifestam perniciem ruentes. *In hisce corrige sequentia. Primo falsum est, Hebræos ad mare ductos a* Moyse, *spectantibus Ægyptiis : nam*
D *interposita nubes tenebrosa Israëlitarum conspectum Ægyptiis adimebat, certe donec illi longius per mare processerant, quam ut iis nocere possent Ægyptii. Hac quoque de causa ineptum est, quod ait Ægyptios primum existimasse insanire Hebræos. Secundo oratio illa, quæ* Moysi *attribuitur, non congruit Prophetæ, qui jam omnem rei eventum a Deo didicerat, ejusque mandata acceperat. Tolerabilior tamen esset, si fuisset citius* Moysi *adscripta ; nimirum simulac adventum agminis Ægyptii audiverant Hebræi. Præterea miraculum istud extenuat, omissis non paucis, quibus istud redditur illustrius, ut videri potest num.* 211 *et* 212.

sed interitum Ægyptiorum rectius narrat :

228 *Idem scriptor de Ægyptiis per mare sequentibus ita prosequitur :* Postquam vero viderunt eos longe processisse, et impune absque omni impedimento iter facere, impetu facto, persequi eos cœperunt, quasi et ipsi tutum per mare iter habituri : et præmissis equitibus, a littore descendebant. Jamque in adversum littus evaserant Hebræi, hostibus, a tergo relictis, quos armis graves ipsa etiam miraculi novitas nonnihil est remorata : sed cum incolumes illos terram E
tenere viderent, sibi quoque eundem eventum pollicebantur, Verum fefellit eos hæc opinio, nescientes, non quorumvis talem viam esse, sed Hebræorum tantum; et fugientibus tantum ad salutem patere, non hostibus, qui eos perdendi animo infectarentur. Ergo cum jam universus exercitus introgressus esset, refunditur iterum mare, et Ægyptios fluctibus involvit, ventis etiam eodem impellentibus : accesserunt et imbres de cœlo, et aspera tonitrua fulguribus simul intermicantibus : fulmina quoque deferebantur, et nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti solent : nam et nox eos caliginosa nimis ac tenebrosa comprehendit : atque ita totus ille exercitus est deletus, ut ne nuncius quidem cladis domum reverteretur. *Nihil in hisce magnopere reprehendendum invenio : nam imbres, tonitrua, fulgura et fulmina, suo loco confirmavi ex Psalmista.*

Philo referens transitum Hebræorum,

229 *Philonis de hisce relatio nævis quoque non caret, licet alioquin magis inhæreat sacris Litteris hic auctor, præcedentia sic enarrans :* Post solis autem occasum exortus est Auster vehementissimus, qui mare tunc solitum cum æstu decedere, protrusit etiam ulterius, nudatis littoribus, sicut fit in torrentium eluvie : nox quoque densis nubibus obscura nullis illustrabatur sideribus, F
quo magis caligo persequutoribus esset formidabilis. Tum Moses jussus virga mare percutit : quo facto aquæ scinduntur, et altera pars in altum tollitur stans more parietis solida, altera ceu freno imposito vi occulta retrahitur, media scissura siccata patentem latamque viam præbente ad populi transitum. Moses gaudens, conspecto hoc tam prodigioso miraculo, suis addebat animum, jubebatque castra movere quam possent celerrime. Inter cunctandum autem novum prodigium se obtulit. Nubes, quæ hactenus viæ dux solita erat præcedere, tunc retrograda in extremo visa est agmine, quasi ad ejus custodiam, objectu suo fugientes a persequentibus dirimens, illis muniens iteo tutius, hos retardans et infringens impetum eorum celerem. Quo portento Ægyptii perterriti, tumultu atque trepidatione complebant omnia, turbatis præ metu ordinibus incursantes in se invicem, ac sero frustraque conantes fugere.

230 Nam Hebræi summo mane per siccam viam

A viam trajiciebant una cum uxoribus ac liberis. Hostes autem, undis marinis rursum in unum coeuntibus, mergebantur cum suis equis et curribus, æstuum refluum volventibus etiam Aquilonis flatibus, ut ne ignifer quidem superstes relinqueretur, nunciaturus acceptam cladem Ægyptiis. At Hebræi stupentes, quod prodigiosam insperatamque sine sanguine nacti essent victoriam, et videntes hostem deletum momento temporis, duos choros, alterum virorum, alterum mulierum, statuerunt in littore, cecineruntque Deo hymnos gratulatorios, præeunte carmen viris Mose, sorore vero hujus mulieribus, nam in choreas ductabant. *Hactenus Philo, qui primo ordinem rei gestæ mutat, dum ventum præponit divisioni maris, et percussioni* Moysis. *Secundo nonnihil extenuat miraculum, dum littora æstu per ventum adjuto nudata dicit. Tertio male noctem obscuram omnibus inducit, cum tenebras a caliginosa nube productas solis Ægyptiis adscribere debuisset. Quarto mare a* Moyse *virga percussum affirmat cum Josepho multisque aliis : at Scriptura solum habet,* Moysen *extendisse manum et virgam elevatam super mare, ita ut percussio illa, ut minimum, sit incerta. Quinto demum non satis exprimit prodigia illa, quibus Dominus exercitum Ægyptiorum delere cœpit in mari; maleque commemorat refluum maris cursum, quo minueretur miraculum.*

et internecionem Ægyptiorum, etiam frequenter labitur :

B

231 *Lætitiam et cantica Hebræorum, recte relata a Philone, sic quoque exprimit Josephus :* Hebræi vero vix sui compotes erant præ gaudio ex tam inopinata salute concepto, accedente huc etiam hostium interitu, quo major esset libertatis securitas, nemine superstite, qui eos in servitutem vindicare cuperet, et Deo ex professo illis auxilium submittente. Quapropter tum sua salute, tum inimicorum supplicio, læti magis quam illi antehac homines, in hymnis et hilaritate totam noctem exegerunt : et Moyses carmen laudes Dei, et ob præsentem favorem gratiarum actiones continens, hexametro versu composuit. Hæc ego, ut in sacris codicibus inveni, ita sigillatim conscripsi. *Diem potius, aut certe tempus matutinum, in lætitia et canticis exegerunt Hebræi : nam interitus Ægyptiorum contigit in vigilia matutina, seu primo diluculo. At*

reliqua de hisce a Josepho scripta corriguntur.

C *gravius peccat idem scriptor, dum ait se omnia scripsisse, prout in sacris codicibus invenit, tum quia a sacris Litteris subinde sciens prudensque videtur recedere, tum quia deinde de transitu maris nimis timide disputat, acsi res fuisset dubitationi obnoxia. Addit mox Josephus :* Postera vero die, cum æstus et ventus arma Ægyptiorum in littus expulisset, in quo tum Hebræi castra posuerant, Moses id quoque divina providentia factum interpretatus, ne posthac inermes essent, collecta viritim distribuit : atque ita jam probe munitos ad Sina montem duxit, sacrificaturus ibi Deo, et munera pro salute populi oblaturus. *Quod hic de collectis Ægyptiorum armis dicitur, etsi in Scriptura clare non exprimatur, passim tamen creditur, quia Exod.* 14 ℣ 31 *Israëlitæ* viderunt Ægyptios mortuos super littus maris : *castrametatos vero ibidem fuisse Hebræos, perperam affirmat Josephus, cum repugnet sacra Scriptura Num.* 33 *omnes enumerans mansiones.*

232 *Artapanus apud Eusebium transitum maris Rubri, et interitum Ægyptiorum agnovit, sed duplici modo rem narratam fuisse asserit.* Memphitas enim dicere, cum magnam locorum Moses haberet peritiam, refluxum mari observasse, ac ita cum populo transivisse. *Ita nimirum Memphitæ Ægyptii transitum miraculosum, quem negare nequibant, conabantur peritiæ* Moysis *adscribere, acsi modo naturali contigisset. At fluxus aut refluxus maris efficere nequit, ut aquæ hinc inde murorum instar assurgant, et medium spatium relinquant vacuum et siccum, quemadmodum hic factum constat ex sacris Litteris. Quare melior est altera Artapani relatio, quam Eusebius subjungit hoc modo :* Heliopolitarum (*civitas erat primaria Ægypti)* propter gazam, quam Judæi mutuo abstulerunt, regem commotum, magna manu in Judæos profectum fuisse : Mosem vero percussisse baculo mare, ut cælesti voce admonitus fuit, et sic diviso mari transisse : cum post Judæos persequerentur Ægyptii, tum fulminibus, tum refluentibus aquis periisse, Judæosque liberatos annos triginta *(imo quadraginta)* in eremo vixisse, quasi nivem *(mana scilicet)* Deo quotidie illis pluente, qua nutriebantur. *Alios scriptores ethnicos, qui multa mentiti sunt de discessu Israëlitarum ex Ægypto, huc non transfero, ne sim prolixior;* E *eademque ratio suadet a fabulis Rabbinorum abstinere.*

AUCTORE J. S. Artapanus transitum agnovit, sed falsa veris miscet.

§ XXIII. Quinta mansio in Mara, ubi murmurat populus ob defectum aquæ dulcis, quam ex amara Moyses impetrat : sexta mansio in Elim : septima ad mare Rubrum : octava in deserto Sin, ubi murmuranti populo primum coturnices dantur, deinde et manna.

F *Laudatus Hieronymus quintam Hebræorum mansionem indicat his verbis :* Quinta mansio est in Mara, quæ interpretatur Amaritudo. *Quomodo illuc pervenerint, indicatur Num.* 33 ℣ 8 : Profectique de Phihahiroth, transfierunt per medium mare in solitudinem : et ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara. *Jam tertia mansio fuerat in Etham ; nunc vero ad quintam perveniunt per desertum Etham. Nonnulli ex his locis voluerunt inferre, Israëlitas non pertransivisse latitudinem maris Rubri a littore Ægyptiaco usque ad littus Arabicum ; sed in longitudine mare pertransiisse, ingressos nimirum per littus Arabicum, et per idem littus egressos. Verum illa opinio mihi prorsus apparet improbabilis, quia sic non fuissent conclusi inter exercitum Pharaonis et mare, nec vere transivissent* per medium mare. *Neque* Etham *occurrens in tertia mansione et in itinere ad quintam* desertum Etham *quidquam habet difficultatis : nam Etham videtur fuisse in limite Ægypti et Arabiæ ad Septemtrionem maris Rubri; desertum autem Etham se late extendisse in Arabiam seu juxta littus Arabicum maris. Israëlitæ vero, dum erant in Etham,* reversi *sunt ut dicitur Exod.* 14 ℣ 1, *seu versus Meridiem*

Quinta mansio in Mara, loco deserti Etham, quod ideo duplex statui non debet :

AUCTORE J. S.

Meridiem a confinio Arabiæ regressi, et dein castra posuerunt ad littus Ægyptiacum maris Rubri. Itaque, postquam mare transiverant, venerunt ad desertum Etham, quod etiam desertum Sur *vocatur, ut mox videbimus.*

murmurant ibidem ob amaritudinem aquarum, quas Moyses injecto ligno facit dulces :

234 *Exod.* 15 ℣ 22 *iter ad quintam mansionem, factaque ibidem sic referuntur* : Tulit autem Moyses Israël de mari rubro, et egressi sunt in desertum Sur : ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, et non inveniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ : unde et congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens : Quid bibemus? At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum : quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. *Quam fuerint terribilia deserta, per quæ iter erat instituendum, dicitur Judith.* 5 ℣ 14 *:* Egressi vero mare Rubrum, deserta Sina montis occupaverunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit. Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum. *Ecclesiasticus cap.* 38
B ℣ 4 *et* 5 *lignum, quod* Moysi *ostendit Dominus, comparat cum medicamentis naturalibus, ideoque videtur innuere, aquas vi naturali istius ligni dulces esse factas et potabiles :* Altissimus, *inquit*, creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? *Argumentum sane illud pro medicamentis naturalibus non concluderet, nisi naturalis ligni vis aquam dulcem fecisset. Dissentiunt tamen nonnulli interpretes, voluntque lignum non fuisse, quod dulcedinem aquæ tribuit, sed Deum miraculo aquas fecisse potabiles ad solam ligni præsentiam. Dubitans de hisce S. Augustinus quæst.* 57 *in Exodum, propendensque ibidem in priorem sententiam, quæ mihi quoque apparet propabilior, recte subdit :* Sed in tali etiam natura ligni quis nisi Creator et Demonstrator laudandus est?

præcepta quædam populo data. Sexta mansio in Elim,

235 *Priusquam ex eo loco recederent Israëlitæ, Deus nonnulla eis præcepta dedit, cæremonialia verisimiliter et judicialia, quibus experiretur, quam essent obedientes suis legibus. Non*
C *exprimitur, quænam illa fuerint præcepta, nec lubet quorumdam de hisce conjecturas recensere. At de legibus datis* Moyses *sic loquitur Exod.* 15 ℣ 25 *et seq. :* Ibi constituit ei præcepta, atque judicia, et ibi tentavit eum, *(dando nimirum prædicta præcepta ad experimentum obedientiæ aut inobedientiæ)* dicens : Si audieris vocem Domini Dei tui, et quod rectum est coram eo feceris, et obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te : ego enim Dominus sanator tuus. *Ex quinta mansione profecti sunt ad sextam, quæ* Elim *dicitur, quæque commodior fuit præcedente, nec aliquo eventu est notabilis. Num.* 33 ℣ 9 *illa sic describitur :* Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, et palmæ septuaginta, ibique castrametati sunt. *Nec plura dicuntur Exod.* 15 ℣ 27 *quam hæc* : Venerunt autem in Elim filii Israël, ubi erant duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmæ : et castrametati sunt juxta aquas.

236 *Septima mansio filiorum Israël non memoratur in Exodo, quod nihil in illa memorabile contigerit. Verum Num.* 33 ℣ 10 *breviter describitur his verbis :* Sed et inde *(ex Elim)* egressi, fixerunt tentoria super mare Rubrum. D

septima ad mare Rubrum, a quo numquam longe recesserunt usque ad montem Sinai.

S. Hieronymus aliquid hic sibi difficultatis objicit. Et quæritur, *inquit*, quomodo post transitionem maris Rubri et fontis Mara, et Elim, rursum ad mare Rubrum venerint, nisi forte in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrerit, juxta quem castrametati sunt. Aliud est enim transire mare : aliud in proximo figere tabernacula... Verbum Jam Suph apud Hebræos ex mari et rubro compositum est. Suph autem et rubrum et scirpus vocatur. Unde possumus suspicari, quod venerint ad paludem quamdam, qui et carecto et juncis plenus fuerit. Quod autem omnes congregationes aquarum Scriptura sancta mare vocet, nulla dubitatio est. *Verum nulla mihi apparet difficultas in illa castrametatione ad mare Rubrum; et ne quidem necesse est sinum aliquem longius procurrentem imaginari, nedum pro mari Rubro lacum aliquem substituere, cum Israëlitæ numquam longe a mari Rubro recedere debuerint, ut pervenirent ad montem Sinai, qui mari Rubro est vicinus. Itaque mirandum non est, Israëtitas aliquando castrametatos fuisse ad mare Rubrum, videlicet in littore Arabico, cum numquam longe ab eo* E *deberent recedere. Errarunt multi interpretes et geographi, quod montem Sinai justo longius a mari Rubro removerint, quoque crediderint Israëlitas, antequam venerunt ad montem Sinai, longius a mari Rubro in Arabiam penetrasse, quam revera sit factum.*

Octava mansio in deserto Sin, ubi post mensem itineris deficiunt cibaria :

237 *Octava Israëlitarum mansio fuit in solitudine Sin, de qua S. Hieronymus observat sequentia :* Sciendum, quod omnis usque ad montem Sinai eremus Sin vocetur, et ex tota provincia etiam locus unius mansionis nomen acceperit; sicut et Moab tam urbis quam provinciæ nomen est. In hac solitudine quinque mansiones sunt : Jam Suph (*alias* ad mare Rubrum) de qua supra diximus, et Eremus Sin, et Dephca, et Alus, et Raphidim, de quibus loquemur in consequentibus. *Num.* 33 ℣ 10 *adventus ad hanc mansionem sic indicatur :* Profectique de mari Rubro, castrametati sunt in deserto Sin. *Exod.* 16, *omissa septima mansione, ut jam monui, de hisce leguntur sequentia :* Profectique sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai; quinto decimo die mensis secun- F di, postquam egressi sunt de terra Ægypti. *Impenderunt igitur Israëlitæ mensem lunarem itineri a Ramesse usque ad desertum Sin : nam decimo quinto die primi mensis iter suum inchoaverant. Ex hisce colligitur, ipsos in aliquibus mansionibus ad dies aliquot substitisse, non tamen ad multos : cibaria quoque, quæ secum ex Ægypto tulerant, huc usque durasse, nisi in locis quibusdam minus desertis aliquid subinde cibariorum impetrare potuerint. At cibaria tandem fuerunt consumpta, indeque murmuratio ob hanc causam ibidem orta.*

orta inde murmuratione, Deus cibos promittit Moysi, Moyses populo :

238 Moyses *hanc enarrat hoc modo :* Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen et Aaron in solitudine. Dixeruntque filii Israël ad eos : Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panem in saturitate. Cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen *(orantem, opinor, pro necessitate populi :)* Ecce ego pluam vobis panes de cælo : egrediatur populus, et colligat,

A colligat, quæ sufficiunt per singulos dies : ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent, quod inferant : et sit duplum, quam colligere solebant per singulos dies. *Quod dicitur de duplo colligendo die sexto, seu die Veneris, ordinavit Dominus, ut dies Sabbati sancte observaretur, nullumque opus in illo fieret. Pergo iterum cum sacro textu :* Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israël : Vespere scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti : et mane videbitis gloriam Domini : audivit enim murmur vestrum contra Dominum : nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses : Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate; eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum : nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

idem Deus rursus promittit Moysi, audiente populo, cui coturnicum multitudo data,

239 Dixit quoque Moyses ad Aaron : Dic universæ congregationi filiorum Israël *:* Accedite coram Domino : audivit enim murmur vestrum. *Hæc* Moyses *edoctus a Domino, qui ipsius auctoritatem apud populum, multis jam prodigiis vindicatam, novo rursum modo stabilire decreverat, uti mox fecit : nam subditur :* Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israël, respexerunt ad solitudinem : et ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus est autem Dominus ad Moysen, *(audiente populo)* dicens : Audivi murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos : Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus : scietisque quia ego sum Dominus Deus vester. *Utrumque statuto tempore est secutum.* Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra : mane quoque ros *(id est, manna)* jacuit per circuitum castrorum. *Primum beneficium non fuit permanens, sed pro unica tantum vice populo datum. Dedit quidem Dominus rursum multitudinem ingentem coturnicum apud Sepulcra concupiscentiæ, (sic locus ex facto vocatus) at tunc coturnices magis in pœnam murmurantium datæ sunt quam pro beneficio: sed hac vice populus coturnices comedit sine pœna. De prioribus hisce loquitur Psalmista Psal.* 104 ℣ 40 *:* Petierunt, et venit coturnix : et pane cæli saturavit eos. *De posterioribus vero variis locis agitur.*

deinde manna per annos quadraginta continuatum,

C 240 *Alterum beneficium, quod continuavit Deus annis quadraginta, latius explicat* Moyses, *simul enarrans, quoties monendus fuerit populus ut eo uteretur eo modo, quo volebat Deus, nimirum ne plus singuli colligerent, quam mensuram præscriptam, quæ erat unius Gomor; ne irent collecturi die Sabbati; ne servarent in posterum diem, quod frustra foret; et alia similia, quæ rudis populus non statim observabat, seu quod mentem sancti Legislatoris non satis percepisset, seu quod non satis studeret præscripta servare.* Moysen *audiamus :* Cumque *(manna, ante* ros *vocatum)* operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filii Israël dixerunt ad invicem : Manhu, quod significat, Quid est hoc? Ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses : Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. Hic est sermo, quem præcepit Dominus : Colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum : gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis. Feceruntque ita filii Israel : et collegerunt, alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor : nec qui plus collegerat, habuit amplius : nec qui minus paraverat, reperit minus : sed singuli juxta id, quod edere poterant, congregaverunt.

AUCTORE J. S

de quo variæ observantur, maxime pro observatione Sabbati;

241 Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus atque computruit : et iratus est contra eos Moyses. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum : cumque incaluisset sol, liquefiebat. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines : venerunt autem omnes principes multitudinis, narraverunt Moysi. Qui ait eis : Hoc est, quod locutus est Dominus : Requies Sabbati sanctificata est Domino cras : quodcumque operandum est, facite : et quæ coquenda sunt, coquite : quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane. Feceruntque ita, ut præceperat Moyses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo. Dixitque Moyses : Comedite illud hodie quia E Sabbatum est Domini : non invenietur hodie in agro. Sex diebus colligite : in die autem septimo Sabbatum est Domini, idcirco non invenietur. Venitque septima dies : et egressi de populo, ut colligerent, non invenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen : Usque quo non vultis custodire mandata mea, et legem meam? Videte quod Dominus dederit vobis Sabbatum, et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices : maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. *Hæc reprehensio non cadit in* Moysen, *sed in quosdam Israëlitas, qui contra mandatum ipsius castris exiverant die Sabbati ad manna colligendum. Verum mandatum Domini et* Moysis *tandem cœptum est ab omnibus observari, ut sequitur :* Et sabbatizavit populus die septimo.

figura, sapor, usus et excellentia mannæ :

242 *Nomen cibi Israëlitis dati, figuraque ejus et gustus, mox explicantur hoc modo :* Appellavitque domus Israël nomen ejus *(cibi)* MAN *:* quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. *De eodem Num.* XI ℣ 7 *sic legitur :* Erat autem nam quasi semen coriandri, coloris bdellii *(id est,* F *coloris candidi et lucidi, seu nonnihil ad flavedinem vergentis.)* Circuibatque populus, et colligens illud frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, et faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man. *Effectus hujusce cibi magis excellentes describit Sapiens cap.* 16 ℣ 20, *ita eumdem celebrans :* Pro quibus angelorum esca nutrivisti populum tuum : et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat : et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. *Verba hæc clare evincunt, saporem mannæ non fuisse unicum, sed singulari tribuentis Dei beneficio mutatum fuisse pro arbitrio et desiderio comedentium, modo hi se indignos non redderent hac Dei liberalitate : nam plerique interpretes existimant idem beneficium variorum saporum non fuisse concessum impiis, quos brevi tædere cœpit hujuscecibi, quod non perciperent*

AUCTORE J. S.

rent nisi saporem naturalem, primo ex Moyse *indicatum. Amplectitur hanc expositionem S. Augustinus lib.* 2 *Retract. cap.* 20, *ibi restringens, quod de varietate saporis mannæ sine ulla restrictione assueverat lib.* 1 *ad Quæstiones Januarii cap.* 3.

unum gomor ex eo in tabernaculo repositum.

243 *Beneficium dati Hebræis mannæ in deserto celebratur variis Scripturæ locis. Psalm.* 77 ℣ 23 : Et mandavit *(Deus)* nubibus desuper, et januas cæli aperuit. Et pluit illis manna ad manducandum, et panem cæli dedit eis. Panem angelorum manducavit homo : cibaria misit eis in abundantia. *Mitto alios cum veteris tum novi Testamenti locos, quod plura, quam hactenus dicta sunt, de manna non tradant, et solum cum* Moyse *subjungo sequentia Exod.* 16 ℣ 32 : Dixit autem Moyses : Iste est sermo, quem præcepit Dominus : Imple gomor ex eo et custodiatur in futuras retro generationes; ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. Dixitque Moyses ad Aaron : Sume vas unum, et mitte ibi man, quantum potest capere gomor : B et repone coram Domino, ad servandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo *(nimirum in illo, quod tunc exstabat, et postea in tabernaculo fœderis)* reservandum. Filii autem Israël comederunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem : hoc cibo aliti sunt, usque quo tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars est ephi. *Hæc postrema verba adduntur ad explicationem mensuræ gomor, quæ singulis dabatur : at de quantitate illius auctores non consentiunt.*

§ XXIV. Facta in deserto post transitum maris Rubri usque ad manna impetratum ex Josepho et Philone.

Josephus iter a mari Rubro satis recte enarrat,

Josephus iter a mari Rubro usque ad locum Mara compendiose et satis recte descripsit; at gesta ibidem solita temeritate corrupit, ut mox ostendam. Recentem hanc, *inquit,* lætitiam C ex insperato acceptæ salutis offuscavit nonnihil itineris molestia, quo per deserta in Sina montem ducebantur : „quod emetienda esset regio difficilis propter ciborum et aquarum extremam inopiam, et ne brutis quidem alendis, nedum hominibus idonea : erat enim tota squalida, et nihil omnino humoris habens, unde fructus provenire solent. Talem autem viam necessario sunt ingressi, cum aliam non possent, deferebantque secum aquam, priusquam desertum intrarent, haustam, Duce ita præmonente : qua absumpta, puteos magno labore propter duritiem terræ fodientes aquabantur : ac ne sic quidem vel satis bonam, vel quantum sufficeret, inveniebant. In hunc modum iter facientes, perveniunt prima vespera in locum quemdam, cui propter aquas vitiosas nomen fecerunt Mar, amarorem vocabulo significante: ibique lassis de via, et commeatu quoque jam absumpto, inopiam sentire incipientibus divertere placuit.

245 Invitabat ad manendum puteus forte repertus, qui tametsi tantis copiis non posset sufficere, nonnihil tamen solatii propter naturam regionis præbebat : audiebant enim nihil aquæ in D progressu se inventuros, hæc ipsa quoque amara fuit, et nulli potabilis, non homini solum, sed ne jumento quidem. Moyses autem videns eis animum cecidisse, nec habens quod diceret (non enim erat res cum hoste, quem virtute repellere posset, sed et viri et imbellis mulierum ac puerorum multitudo ex æquo periclitabantur) ægre expediebat consilium, populi miseriam ad proprium infortunium referens : ad hunc unum enim concurrebant mulierculæ infantibus opem implorantes, viri vero mulieribus; ne se despiceret, utque salutis remedium aliquod quæreret. Ad preces igitur versus, orat ut Deus, mutata aqua, ex vitiosa potabilem reddat.

at gesta, et præsertim mutationem aquæ amaræ in dulcem, corrumpit.

246 Quod annuente hanc gratiam, arripit frustum ligni, forte ibi jacens, et medium per longitudinem scissum in aquam mittens, docet Hebræos Deum exauditis precibus pollicitum, daturum se aquam desiderantibus, si gnaviter jussa peragerent. Quibus rogantibus, quid facto opus sit, ut aqua mutetur, jubet robustissimum quemque certatim puteum exhaurire, dicens, majore parte evacuata reliquum potabile fore. Quo E facto, aqua agitatione continua purior reddita, potum jam non aspernandum multitudini exhibuit. *Obscuravit hic scriptor divinum beneficium, quo per lignum a Deo assignatum aquis amaritudo fuit ablata, dum agitationi continuæ effectum attribuit, qui ligno, aut, ut alii volunt, soli miraculo erat adscribendus. Peccat in hisce primo, dum lignum forte obvium, quod scissum fuisse Scriptura quoque non memorat, aquis injectum scribit : lignum enim istud non casu fortuito inventum, sed* Moysi *ab angelo ostensum fuit. Peccat secundo gravius, dum medicationem aquæ soli* Moysis *industriæ attribuit, acsi agitatione dulcis fuisset reddita, existimans id credibilius fore gentilibus. Tertio dissimulat Hebræus scriptor murmurationem populi sui, eamque mutat in modestam auxilii implorationem, quam necessitas extorquebat, ita consulens honori nationis suæ. At vera fuerant scribenda, non credibiliora aut Hebræis honorifica; præsertim cum dixerit se narraturum omnia, in sacris Litteris inventa.*

Philo murmurationem populi,

247 *Philo illa omnia enarrat sincerius, ita scribens :* Relicto deinde mari, aliquandiu faciebant iter securum erepti hostibus : sed cum per F triduum aquam non invenirent, rursum præ siti mæsti ad querelas revertebantur, quasi nullo accepto beneficio : semper enim præsens molestia solet auferre memoriam voluptatis præteritæ. Conspectis deinde fontibus, accurrunt læti, decepti vana spe, tamquam hausturi : amaræ enim erant aquæ, quarum gustu offensi defecerunt et animis et corporibus, non tam suam, quam puerorum vicem dolentes, quos petentes potum non poterant videre siccis oculis. Nonnulli vero inconstantiores, et parum certæ pietatis, etiam præterita incusabant, ut quæ non salutem afferrent, sed graviorem perniciem, quod multo satius esset hostili manu cadere, quam siti excruciari insuper : illic enim esse citam mortem, vel potius ad immortalitatem transitum : hanc autem veram esse mortem, diuturnam simul ac cruciabilem, cum sensus ejus magis quam ipsa timeatur.

et mutationem aquæ amaræ exponit rectius.

248 In hac lamentatione populi rursum Moses supplex Deum precatur; ut gnarus imbecillitatis animalium, præsertim hominum, propter corporis necessitates a cibo pendentium, et duro tantum ventri servientium, det veniam desperantibus

AUCTORE J. S.

A sperantibus; et omnium egestatem expleat, idque sine dilatione, quando mortalium naturalis incuria celerem opem desideret. Ille facile exoratus aperit supplicis animæ oculum, et ostendit lignum, quod sublatum jussit in fontes immitti. Sive vis ea nativa fuit, ignorata hactenus: sive tum primum ad præsentem usum est indita. Quod ubi factum est, fontes dulcedinem acceperunt, ut essent potabiles, acsi numquam ante amari quidquam habuissent, adeo nullum relictum fuerat vestigium vitii pristini. Ad hunc modum extincta siti voluptas geminata contigit, quandoquidem quoties præter spem incidit, majorem affert lætitiam. Impletis deinde hydriis, discesserunt tanquam epulati in festivissimo convivio, ebrietate non temulenta ebrii, sed illa sobria, quam meracam hauserant ex propinationibus sui Principis pietati deditissimi. *Hactenus Philo, recte dubitans, utrum vis ligni naturalis, an indita a Deo ad hunc usum, aquas fecerit dulces: nam utrumque est probabile.*

Errores Josephi, murmurationem populi ad locum non suum referentis:

B 249 *Josephus vero prædictis erroribus alios adjungit, sic prosecutus:* Hinc castris motis, pervenerunt Ilym (*Elim*) agrum, ut primo aspectu e longinquo videbatur, non malum, ferebat enim palmas. Ut vero propius est ventum, fefellit omnium expectationem. Palmæ enim non plures erant quam septuaginta, eæque non admodum proceræ propter loci ariditatem, nam ne a fontibus quidem rigabantur, qui duodecim eo loco erant, sed non ita largi, ut emissis rivulis humiditatem terræ subministrarent. Quare ad egerendam arenam versi, in nullas venas incidere poterant, et si quid modicum distillaret, fossione turbatum inutile ad potum reddebatur. Arbores quoque non multum fructum ferebant propter eandem aquarum inopiam. Quamobrem exortum est murmur multitudinis contra Ductorem, omnem miseriæ suæ causam in unum illum conferentis: triginta enim dierum itinere confecto, commeatum omnem, quem secum extulerant, jam absumptum desiderabant; et cum nihil alimentorum in terra deserta invenirent, minimum a desperatione aberant: atque ita præsente egestate præteritorum tam Dei quam Moysis beneficiorum memoriam excutiente, in iram concitati, videbantur jamjam correptis saxis in C Imperatorem suum invasuri, autorem interitus sibi clamitantes. *Errat in hisce primo Josephus, quod locum* Elim *accuset, acsi ibidem aquarum penuria laborassent Hebræi: nam locus Exod.* 15 ℣ 27 *laudatur a duodecim fontibus,* et castrametati sunt juxta aquas, *nec ulla aquæ penuria ibidem innuitur. Errat iterum, dum murmurationem, serius ortam, illi loco, et partim aquarum penuriæ attribuit.*

Philonis discursus de mansione Elim:

250 *Rectius Philo de eo loco sic disputat:* Atque ita pervenerunt in stationem secundam (*a transitu maris Rubri, sed alias sextam*) aquas habentem et arbores, cui nomen Ælim erat, riguam duodecim fontibus, apud quos erant septuaginta palmæ ramosæ ac virentissimæ, bonum omen genti afferentes, si quis observet oculis mentis perspicacibus: nam ea dividitur in tribus duodecim, singulas fonti similes, ut quæ pietatis fluentis scateant, unde indesinenter proficiscuntur præclara facinora. Principes autem familiarum totius gentis fuere septuaginta, merito assimilati palmæ arborum præstantissimæ: quæ aspectu pulcherrima, fructum quoque fert optimum, et vitalem vim habet non in radicibus defossam, ut cæteræ, sed in summo, quasi cor, sitam in ramorum medio, a quibus circumquaque stipatur, ceu princeps a suis satellitibus. Cujusmodi natura est etiam mentis quæcumque sanctitatem degustavit, solet enim hæc sursum spectare et in sublimibus versari, occupata contemplandis divinis pulchritudinibus, naucifaciens terrenas, et hæc lusus reputans, illa seria. *Quod dicitur de septuaginta gentis principibus, deinde statutum videbimus.*

alii errores Josephi in murmuratione populi compressa

251 *Pergit deinde Philo ad murmurationem populi, exortam in deserto Sin ob defectum cibariorum, quam Josephus anticipavit, ut jam vidimus. Audiamus igitur primum, quo modo quietem populo redditam, idem Josephus referat.* At ille, *inquit*, irritatam multitudinem, et tam acriter in se concitatam animadvertens, fretus Deo et conscientia rei bona fide administratæ, prodit in medios vociferantes et saxa intentantes; cumque singularem quamdam gratiam in vultu præferret, popularisque facundia cum primis polleret, exorsus est iram eorum mitigare, obsecrans ne in præsentem necessitatem intenti omnium præteritorum beneficiorum memoriam abjicerent: utque a difficultate tunc pre- E mente animum ad Dei gratiam ac dona verterent, quibus toties præter opinionem cumulati fuissent. Nunc quoque expectarent eum bonum exitum procuraturum, quem verisimile sit ad probandam eorum fortitudinem, patientiam et gratitudinem, utque appareat præteritane an præsentia plus apud eos possint, hanc rerum angustiam immisisse. Cavendum igitur ne ob intolerantiam atque ingratitudinem divino favore indigni deprehendantur, qui et voluntatem ipsius, quam secuti Ægyptum reliquissent, contemnant, et se Ministrum ejus iniquis odiis persequantur, præsertim cum hactenus in nullo eorum, quæ Dei jussu gerenda susceperat, deceptos se queri possint.

justa longiorem orationem Moysi attribuentis,

252 Enumerat deinde singillatim, quomodo afflicti fuerint Ægyptii, dum eos contra Dei voluntatem detinere conarentur: quomodo idem flumen illis quidem cruentum et ad potum inutile, ipsis vero dulce fuerit ac potabile, quomodo ita refluo mari locum eis et viam ad effugium cedente, ipsi quidem per eam evadentes salutem sint consecuti, inimicos vero internecione deletos inspectaverint: et quomodo in eam usque F diem inermes, Deo præbente armorum quoque copiam sibi comparaverint: tum quoties ex ipsis interitus faucibus eos præter omnium opinionem incolumes Deus eripuerit, qui cum semper sit omnipotens, ne tum quidem de ipsius providentia desperandum. Quamobrem æquo animo ferenda omnia, cogitandumque non esse serum auxilium, quantumvis differatur, quod rebus adhuc integris accipitur; et sic existimandum, non contemni a Deo sua pericula sed fortitudinem explorari ac libertatis amorem, ut videat utrum ejus cupidine et ciborum et aquarum inopiam sustinere valeant, an potius more pecudum dominis in suum usum pascentibus servire malint.

ejusque periculum nimis exaggerantis,

253 Se quidem non tam sibi privatim timere, cui cæso injuste nihil mali accidere possit; quam ipsorum incolumitati, si per istam lapidationem facta et consilia Dei damnare videantur. His verbis furentes ad saniorem mentem reduxit, et jam ad facinus armatis saxa de manibus excussit. *Huc usque Josephus, corrigendus primo, quod periculum lapidationis* Moysi *adscribat, correptaque jam a populo saxa asserat, licet*

AUCTORE J. S. *cet in Scripturis de periculo lapidationis eo tempore nulla fiat mentio, sed primum in alia murmuratione, deinde in Raphidim secuta. Secundo popularem facundiam non recte Legislatori attribuit, ideoque longiorem orationem texuit quasi ad eodem dictam : nam* Moyses *non solebat multis verbis murmurantem populum compescere ; sed precibus ad Deum confugere, miraculisque et prodigiis os obstruere conquerentibus.*

at murmurationem illam, 254 *Philo hanc populi murmurationem expressit his verbis :* Non multum deinde fluxit temporis, cum deficientibus cibariis fame tentabantur, quasi per vices prementibus eos necessitatibus. Graves enim dominæ sitis et fames suo quæque tempore urgebant, ut altera cessante, succederet altera : id vero afflictis erat molestissimum et intolerabile : qui postquam sibi videbantur evasisse sitis periculum, in famis insidias inciderant. Nec solum præsens gravabat inopia, sed etiam in futurum commeatus desperatio : videntes enim vastam solitudinem, frugum sterilem, despondebant animum. Nihil apparebat præter rupes asperas, aut campos salsuginosos B saxososve tumulos, aut arenarum acervos altissimos : nusquam fluvius vel torrens vel perennis, nusquam fons, nulla sata, nullæ arbores, non mites, non silvestres, non volucre, non terrestre animal, nisi venenosa reptilia perniciosa homini, serpentes et scorpii. Adhæc subibat animum copia et ubertas regionis Ægyptiæ, quam conferentes cum egestate premente, tanto magis indignabantur; tales voces jactantes alii apud alios : Libertatis spe migravimus, nunc ne vivere quidem possumus. Felices nostri Ducis pollicitationibus, reipsa sumus miserrimi omnium mortalium. Quis finis erit tam longi et inutilis itineris? Tum navigationes, tum terrestres peregrinationes habent terminum aliquem propositum, vel portum frequentem commerciis, vel urbem aut regionem quampiam.

et mentem Moysis in illa, rectius explicat Philo. 255 Soli nos vagamur per invias solitudines destituti spe rerum omnium : progredimur enim per deserta patentissimo similia pelago, et indies major offert se vastitas. Postquam nos inflavit vanis sermonibus, et aures spe replevit, nunc ventres fame vexat, nec alimenta expediens ne- C cessaria. Prætextu deducendæ coloniæ tantam decepit multitudinem, e locis cultis in inculta seductam : superest ut eam deducat ad inferos, quæ est via vitæ ultima. His opprobriis petito non tam molestum erat male audire, quam ferre hominum inconstantiam : experti enim plurima miracula præter solitum rerum ordinem, non debebant amplius suas conjecturas sequi utcumque probabiles, sed potius amplecti fidem, cujus toties experimenta viderant. Attamen cum reputaret nullam calamitatem esse graviorem inopia, facile ignoscebat imperito vulgo et suapte natura mobili, tantum intento præsentibus, quæ tum præteritorum memoriam eximunt, tum in futurum spem adimunt. *Hæc Philo, voces murmurantis populi, et deserti vastitatem sic ex conjecturis amplificans, ut tamen a probabilitate non recedat.*

Relatio Josephi de coturnicibus populo datis. 256 *Josephus de impetrato per* Moysen *cibo, coturnicibus videlicet et manna, hæc deinde scribit :* Sed quoniam intelligebat *(Moyses)* non de nihilo concitatos, ad preces et supplicationes confugit : et conscensa quadam specula, opem Dei rebus per inopiam afflictis deposcebat, in cujus solius manibus salus populi reposita esset : utque propitius veniam daret populo, duris rebus exasperato, et propter hoc more humano D ab officio decedenti. Deus vero curæ sibi populum fore pollicetur, et opem, quam peterent, jamjam affuturam. His impetratis, Moyses descendit ad multitudinem : illi vero animadvertentes promissionibus divinis lætum, et ipsi, posito mœrore, vultus hilares sumpserunt. Tum ille stans in medio concionis, ait se præsenti necessitati a Deo remedium afferre. Nec ita multo post magna vis coturnicum, quod genus avium præ cæteris Arabicus sinus alit, superato interjacente mari, longo volatu fessarum, qui alioquin etiam non est sublimis, in Hebræos defertur. Illi vero cibos divinitus oblatos certatim comprehendentes, remedium inopiæ quærebant : et Moyses rursum ad supplicationes vertitur, ob auxilium a Deo promissum simul atque exhibitum : qui ad hunc modum pastis, alia mox alimenta demisit.

267 Nam interim, dum Moyses precabundus palmas attollit, ros de cœlo delabitur : qui cum manibus ejus hærens concrevisset, suspicatus ille, hanc quoque alimoniam a Deo demitti, degustat : lætusque re comperta, turbam E ignaram et putantem hiberna tempestate ningere, monet opinione falli, nec vulgarem rorem de cælo descendere, sed alimoniam, quæ ope alia destitutos periculo famis eximeret : ac mox prægustatum offert, ut experto crederent. Illi vero ad ejus exemplum novo cibo læti fruebantur, qui suavitate ad mellis dulcedinem accedebat, aspectu vero ad aromatis similitudinem, quod bdellium dicitur, magnitudine coriandri semini similis : eumque pro se quisque certatim colligebant, sed mox edicto admonentur, ut ex æquo assaronis mensuram quotidie colligerent : non enim defore hoc cibi genus. Quod eo factum est, ne infirmioribus deesset, dum robustiores per avaritiam plus satis colligunt : quod si quis, contempto edicto, ultra præscriptum modum collegisset, plus defatigatus nihilo plus habebat quam cæteri. Quidquid enim ultra assaronem sequenti die supererat, inutile reddebatur, amaritudine ac vermibus corruptum : adeo divinus et incredibilis erat hic cibus : cujus hæc natura est, ut qui hunc habet, alium non desideret. *uti et de manna depluente,*

F

258 Quin et nostris temporibus tota ea regio genere hoc compluitur, quemadmodum olim in Moysis gratiam Deus id alimentum demisit, hoc Hebræi MANNA vocant : nam hæc VOX MAN in nostra vernacula est percontativa, QUID HOC EST interrogans, atque ita perpetuum gaudium ac securitatem per hunc cibum sunt adepti, quo per annos XI deinceps sunt sustentati. *Nonnulla hic rursum observanda. Primo* Moysen *orantem in* quadam specula *inducit, seu in colle quodam, de qua specula nihil in Scripturis. Contra, Deum coram populo ad* Moysen *fuisse locutum tacet. Secundo de altera* Moysis *oratione post acceptas coturnices, nihil quoque in libris sacris. Tertio apertum figmentum est, quod manna orantis Legislatoris manibus adhæserit, ab eoque fuerit gustatum; quodque populus ningere putaverit, erroremque dedoctus sit a* Moyse *: manna enim descendens non vidit populus, cum noctu aut primo diluculo deciderit, et non intra castra, sed* per circuitum castrorum, *ubi mane inventum, ut dicitur Exod* 16 ỳ 13. *Quarto per bdellium, cui colore manna simile dicitur, aroma intelligit Josephus, ita interpretatus vocem Hebraïcam* bedolach, *quam Septuaginta explicarunt per* crystallum : *in qua varii assignantur errores :*

A crystallum : *Paginnus* margaritam *interpretatus est, alii* onychem, *alii cum Plinio volunt* bdellium *esse* gummi transparens. *Ex hisce satis apparet, significationem vocis Hebraïcæ incertam esse. At certum est, manna fuisse album, cum id habeat Scriptura, cui etiam Philo recte consentit.*

differentiæ variæ inter manna vulgare, et manna Israëlitarum.

259 *Quinto demum disputant eruditi, an manna vulgare, quod suo tempore in Arabia fuisse ait Josephus, quodque etiamnum reperitur, ejusdem sit naturæ cum manna, quo pasti sunt Israëlitæ. Litem illam dirimere non est facile : at certo affirmari potest, manna singulari beneficio Dei datum fuisse Israëlitis, et multas habuisse qualitates, quibus caret manna hodiernum. Primo enim decidebat constanter per annos quadraginta, exceptis solis Sabbatis, tantaque quantitate, ut innumeræ multitudini ad cibum sufficeret. At hodiernum manna non reperitur constanter toto anni tempore, sed solum quibusdam mensibus; nec tanta illius invenitur copia; nec excludit dies Sabbati. Deinde manna vulgare non statim corrumpitur, sed asservatur et venditur; idemque caret omnibus illis* B *effectibus natura superioribus, quos de manna Israëlitarum suo loco narravimus. Quapropter frivolum videtur, velle manna vulgare prorsus comparare cum manna Israëlitico, asserereque cibo illo, qualis nunc reperitur in Arabia, per annos quadraginta sustentatos fuisse Israëlitas sine ullo miraculo.*

Philo datum populo manna

260 *Philo ordine præpostero prius egit de manna, deinde de coturnicibus; posterius beneficium primum referens hoc modo :* Itaque mœstis omnibus et nihil præter extremam calamitatem expectantibus, imminentem, ut putabant, capiti : Deus partim propria motus clementia, partim in honorem Ducis suo jussu electi, quo magis ejus pietatem sanctitatemque commendaret, parem prosperis rebus et dubiis, miseriæ remedium exhibuit, novum et inauditum antea : ut tam manifestis signis sui favoris præsentis reverentiam eis induceret : ne si quando non omnia cederent ex sententia, spem simul et patientiam abjicerent. Quid igitur accidit? Postridie diluculo multum roris circum castra decidit paulatim nivis in morem, dissimilis huic vulgari et pene quotidiano, C quippe qui nec aqua erat, nec grando, nec nix, nec glacies, quod genus nubes invehunt hibernis tempestatibus : sed in milii speciem minutus candidissimus, ut acervatim extra tabernacula jaceret mirando spectaculo, quo stupefacti scitabantur ex Duce, quænam esset hæc numquam ante visa pluvia, aut in quem usum demissa. Tum ille divinitus hoc oraculum edidit : Mortalibus data sunt arva campestria sulcis proscindenda, ut sementem agricolis reddant cum fœnore proventus annui, quantum satis sit ad rerum victui necessariarum copiam : at Deo non una pars, sed totus mundus subditur, cujus portiones pro potestate vertit in usus quoscumque vult. Nunc sic illi visum est, ut alimentis aer, non aqua subserviat, quandoquidem terra quoque solet producere pluviam. Ægyptius fluvius quotannis arva inundans et irrigans, quid aliud est quam terrestris pluvia.

describens, multa omittit,

261 Miranda sane res, etiamsi nihil accessisset novi præterea : accessit tamen quod magis mireris. Afferebantur certatim vasa jumentis et humeris hominum, ut et in futurum commeatus sufficeret : sed non erat opus reponere, ex quo Deus decrevit recentia semper dona suggerere. Urgenti necessitati abunde satis factum est, cunctis suaviter vescentibus : quidquid servatum est in crastinum, totum periit, ita corruptum, ut fœteret scateretque vermiculis. Abjectis igitur his reliquiis, inveniebant cibos alios, cum rore matutino depluentes quotidie, tum quoque septimo diei honor eximius est habitus. Quoniam enim nihil operis eo die permittitur, a parvis magnisque cessatione indicta, ne feriæ violarentur propter usum necessarium, duplum Deus pluebat pridie Sabbati, jusso populo colligere, quod duraret in biduum proximum, cibo tantisper incorrupto manente præter solitum. Successit et aliud miraculum haudquaquam prætereundum silentio, per continuos quadraginta annos, toto illo tam diuturno itinere, necessarius victus non defuit juxta semel institutum ordinem temporum, non secus quam si ex horreis dimensum distribueretur singulis : simulque discebant observationem illius diei sacratissimæ ac desideratissimæ. Cum enim jam dudum quæsissent, quis esset mundi natalis, quo hoc universum absolutum est; rem a suis majoribus ignoratam tandem didicerunt, non solum oraculo, verum etiam argumento E manifestissimo. Videbant enim corrumpi (ut dixi) quidquid supererat diebus cæteris, quod depluebat pridie Sabbati, duplum provenire, durareque in biduum. Usus vero ejus erat hujusmodi : prima luce collectum molebant aut terebant, dein elixo quasi placentis vescebantur suavissime, absque pistoris opera.

262 *Hæc de dato Israëlitis manna Philo, quem omisisse non pauca adjuncta, facile videbit lector, modo conferat datam ex Scripturis relationem. Addidit quoque suas conjecturas idem scriptor, dum Moysen cum populo loquentem inducit. Verum præcipuus ipsius lapsus est, quod innuat, coturnices datas post manna, cum de illis hæc subjiciat :* Imo ne delicatioribus quidem cibis diu caruerunt, quales habentur in regionibus habitatis et felicibus, Deo proferente suas opes in solitudine. Vespertinis enim horis coturnicum nubes advolabat a mari, tota castra inumbrans, terræ tam propinqua, ut facile præberet aucupium. Has capiendo coquendoque, ut cuique libebat, fruebantur carnibus optimis, ne desiderarent obsonia. *Datæ fuerunt conturnices vespertino tempore, et ante* F *manna; at non singulis vesperis, ut sensu obvio intelligi potest Philo, iterum hic lapsus, si istud voluerit.*

et ei coturnices perperam postponit.

§ XXV. Nona mansio in Daphca, decima in Alus, undecima in Raphidim, ubi murmurantibus datur aqua ex percussa petra : victoria de Amalecitis : adventus Jethro.

Mansio nona, et decima : undecima in Raphidim, ubi murmurat populus,

Postquam coturnices et manna in octava mansione impetraverant Israëlitæ, rursum se dederunt itineri. Nonam mansionem et decimam non commemoravit in Exodo Moyses, *quod nihil magni momenti in illis occurrerit; at Num.* 33 ℣ 12 *et seq. de iis sic habet :* Unde egressi, venerunt in Daphca. *Prima littera mutata, Septuaginta legerunt* Raphca, *et S. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam scribit* Daphca. *Decima*

AUCTORE J. S.

ma mansio in Alus mox ita subditur: Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. *Continuo etiam adjungitur mansio undecima in Raphidim hisce verbis:* Egressique de Alus in Raphidim fixere tentoria, ubi populo defuit aqua ad bibendum. *Exod.* 17 *de hoc itinere, et adventu in Raphidim leguntur ista:* Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castramentati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui jurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, et murmuravit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, et liberos nostros, ac jumenta siti?

cui Moyses aquam dat ex petra percussa.

264 Moyses *hac rursum murmuratione impetitus, ad Dominum confugit, ut malo remedium quæreret: nec sua eum spes fefellit. Audi textum sacrum:* Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic?
B Adhuc paululum, et lapidabit me. Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populum, et sume tecum de senioribus Israël; et virgam, qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, et vade. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israël: et vocavit nomen loci illius TENTATIO, propter jurgium filiorum Israël, et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? *Psal.* 77 ℣ 13 *de hoc Dei beneficio dicitur:* Interrupit petram in eremo: et adaquavit eos, velut in abysso multa. Et eduxit aquam de petra: et deduxit tamquam flumina aquas. *Et Psal.* 104 ℣ 41: Dirupit petram, et fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina. *Ejusdem facti meminit Apostolus* 1 *Cor.* 10 ℣ 4. *Verum non confundenda est hæc murmuratio cum alia, quæ contigit sub finem vitæ* Moysis *ad Aquam contradictionis, ubi petram bis percussit, ut ex ea aquas eliceret.*

Victoria de Amalecitis

265 *Aliud in eodem loco Israëlitis supervenit periculum ab Amalecitis, qui degebant in*
C *Arabia Petræa inter Ægyptum et Chanaanitidem, quique populum Israëliticum nec opinantem aggressi sunt. Factum narrat* Moyses *Exod.* 17 ℣ 8 *et seqq. hoc modo:* Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israël in Raphidim. Dixitque Moyses ad Josue: Elige viros, et egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Josue, ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec: Moyses autem, et Aaron, et Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graves: *nimirum propter diuturnam extensionem in altum, quam volebat Deus, ut daret victoriam Israëlitis.* Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est, ut *(hoc modo)* manus illius non lassarentur usque ad occasum solis. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii.

precibus Moysis impetrata:

266 *De hac victoria Eliachim sacerdos sic loquitur Judith* 4 ℣ 13: Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, et in potentia sua, et in exercitu suo, et in clypeis suis, et in curibus suis, et in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit. *Ad hanc quoque victoriam, et ad aquam e petra datam respexit Sapiens cap.* XI, *ita scribens de Israëlitis:* Direxit opera eorum in manibus Prophetæ sancti *(Moysis.)* Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: et in locis desertis fixerunt casas. Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt. Sitierunt, et invocaverunt te, et data et illis aqua de petra altissima, et requies sitis de lapide duro. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum *(Ægyptii,)* a defectione potus sui, et in eis, cum abundarent filii Israël, lætati sunt; per hæc, cum illis *(Ægyptiis)* deessent, bene cum illis actum est. D

pœnas postea de Amalecitis sumere jubet Deus.

267 *Præterea voluit Deus, ut aliquando pœnæ sumerentur de Amalecitis ob factum hoc inhumanum, quo Israëlitas nihil mali meditantes in itinere aggressi sunt. Audi* Moysen *Exod.* 17 ℣ 14: Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub cælo. Ædificavitque Moyses altare: et vocavit E
nomen ejus, DOMINUS EXALTATIO MEA, dicens: Quia manus solii Domini, et bellum Domini, erit contra Amalec, a generatione in generationem. *Præceptum suum de puniendis Amalecitis repetiit Dominus Deut.* 25. ℣ 17: Memento, quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto: quomodo occurrerit tibi, et extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus, et non timuerit Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, et subjecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est; delebit nomen ejus sub cælo. Cave ne obliviscaris. *Provincia delendi penitus Amalecitas a Deo demandata fuit Saüli; qui tamen minus exacte mandatum Domini exsecutus est, ideoque ipse regno privatus. Vide* 1 *Reg. cap.* 15.

Jethro cum Sephora et filiis Moysis venit ad castra,

268 *In eadem mansione Jethro cum Sephora et filiis* Moysis *ad Prophetam accessit, utileque eidem suggessit consilium de magistratibus inferioribus constituendis, uti advertit laudatus sæpe S. Hieronymus, dicens:* Devicto adversario *(Amalecita)* supervenit Jethro, adduxit Zephoram et utrumque filium; dat concilium septuaginta Seniorum. *Audiamus* Moysen *Exod.* 18: Cumque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia, quæ fecerat Deus Moysi, et Israëli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israël de Ægypto: tulit Sephoram uxorem Moysi, quam remiserat, et duos filios ejus, quorum unus vocabatur GERSAM, dicente Patre: Advena sui in terra aliena: alter vero ELIEZER: Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, et eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Jethro cognatus Moysi, et filii ejus, et uxor ejus, ad Moysen in desertum, ubi erat castrametatus juxta montem Dei, *(Horeb videlicet.)* Et mandavit Moysi *(ante adventum per nuntium)* dicens: Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, et uxor tua, et duo filii tui cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui, adoravit, et osculatus est eum: salutaveruntque se mutuo verbis pacificis. *Dubitatur hoc loco, an hic Jethro idem sit cum Raguele socero* Moysis; *quia hic Latine non vocatur* Socer, *sed* cognatus. *Verum eadem est vox Hebraïca* chothen, *quæ alias* socer *vertitur, alias* cognatus, F

quæque

A *quæque proprie* affinem *significat, ut varii interpretes observant. Hac de causa vox Hebraica etiam hoc loco* socer *reddita est a variis, uti reddita est in Vulgata de eodem Jethro Exod.* 3 ℣ 1. *Quapropter probabilius existimo, fuisse Jethro ipsum* Moysis *socerum, qui filiam suam Sephoram ad eum adduxit; ut latius dixi num.* 65.

et honorifice suscipitur a Moyse,

269 *Quid vero inter* Moysen *et Jethro actum fuerit, mox* Moyses *narrare pergit hoc modo:* Cumque intrasset *(Jethro)* tabernaculum, narravit Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni, et Ægyptiis propter Israël; universumque laborem, qui accidisset eis in itinere, et quod liberaverat eos Dominus. Lætatusque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israëli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum,. et ait : Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, et de manu Pharaonis; qui eruit populum suum de manu Ægypti. Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos : eo quod superbe egerint contra illos. Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta et hostias Deo : veneruntque B Aaron et omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo coram Deo. *Jethro fuisse veri Dei sacerdotem, jam ante monui; idque abunde colligitur ex sacrificio per ipsum oblato. Nec quidquam in contrarium evincunt hæc verba,* Nunc cognovi *etc. : neque enim ex illis inferri potest, potentiam Dei ante non fuisse cognitam Jethro, cum angelus Dei personam gerens Gen.* 22 ℣ 12 *eodem modo dicat Abrahamo, filium suum immolare paranti :* Nunc cognovi quod timeas Deum *etc. Solum igitur dictis verbis innuit Jethro, prodigia in Ægypto patrata, quæ ei narraverat* Moyses, *esse illustre divinæ potentiæ argumentum.*

cui consilium suggerit de creandis judicibus inferioribus :

270 *Hisce observatis, cum* Moyse *pergamus :* Altera autem die sedit Moyses, ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus ejus, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait : Quid est hoc, quod facis in plebe ? cur solus sedes, et omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam ? Cui respondit Moyses : Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, C veniunt ad me, ut judicem inter eos, et ostendam præcepta Dei et leges ejus. At ille, Non bonam, inquit, rem facis : stulto labore consumeris et tu et populus iste, qui tecum est : ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur, ad eum : ostendasque populo cæremonias et ritum colendi, viamque, per quam ingredi debeant, et opus, quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes, et timentes Deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam; et constitue ex eis tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui judicent populum omni tempore : quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent : leviusque sit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, et præcepta ejus poteris stustentare : et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace. *Hæc Jethro libere pro auctoritate soceri, et prudenter.*

271 Moyses *autem, uti vir erat non minus docilis et humilis, quam prudens, nec ægre tulit libertatem in monendo, nec datum consilium neglexit, uti mox sequitur :* Quibus auditis, Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios et decanos. Qui judicabant plebem omni tempore : quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes. Dimisitque cognatum suum : qui reversus abiit in terram suam. *Miris elogiis docilitatem et humilitatem* Moysis *prosequuntur sancti Patres, quia consilium soceri sui tam facile secutus est. At sufficiet brevis observatio S. Augustini, qui quæst.* 68 *in Exodum de hisce sic loquitur :* Insinuatur hic etiam humilitatis exemplum, quod Moyses; cum quo loquebatur Deus, non fastidivit, neque contempsit alienigenæ soceri sui consilium. Quamquam et ipse Jothor, cum Israelita non fuisset, utrum inter viros verum Deum colentes religioseque sapientes habendus sit, quemadmodum et Job, cum ex ipso populo non fuisset, merito quæritur : immo credibilius habetur.

AUCTORE J. S.

Moyses vero illud magna humilitatis laude secutus,

varios magistratus instituit :

272 *Porro* Moyses *Deut:* 1 ℣ 9 *paulo latius narrat, quomodo judices statuerit, eosque instruxerit, ita populum allocutus :* Dixique vobis illo in tempore : Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, et estis hodie sicut stellæ cæli plurimi... E Non valeo solus negotia vestra sustinere, et pondus ac jurgia. Date ex vobis viros sapientes et gnaros, et quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes. Tunc respondistis mihi : Bona res est, quam vis facere. Tulique de tribubus vestris viros sapientes et nobiles, et constitui eos principes, tribunos, et centuriones, et quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula. Præcepique eis, dicens : Audite illos, et quod justum est, judicate; sive civis sit ille, sive peregrinus. Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum : nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. Præcepique omnia, quæ facere deberitis. *Hæc* Moyses.

F

credunt aliqui Jethro serius venisse ad Moysen : eorum rationes

273 *Ceterum aliqua dubitatio hic expendenda venit de tempore et loco, quo Jethro ad* Moysen *venit, videlicet an in Raphidim, eoque tempore, quo factum cum* Moyse *narravi, an vero in sequenti mansione solitudinis Sinai, uti volunt Abulensis, Torniellus, Salianus, aliique, quos secutus est Calmetus in Exodi caput* 18, *rationes pro hac opinione breviter allegans ordine sequenti. Prima ratio petitur ex datis verbis Exod.* 18 ℣ 5 : Venit ergo Jethro... ad Moysen..., ubi erat castrametatus juxta montem Dei : *nam* montem Dei *de monte Sinai exponunt. Verum mansio in Raphidim propinqua erat monti Horeb, qui frequenter* mons Dei *dicitur, et pars est montis Sinai. Illa igitur ratio nihil prorsus evincit contra mansionem in Raphidim, ubi castra erant, quando* Moysi *dicebat angelus Exod.* 17 ℣ 6 : En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb : percutiesque petram, et exibit ex ea aqua. *Alterum argumentum sumit ex verbis mox datis Deut.* 1 ℣ 9, Dixitque vobis in illo tempore *etc., quia* ℣ 6 *præmittitur :* Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb : Sufficit vobis, quod in hoc monte mansistis : revertimini, et venite ad montem Amorrhæorum. *Posteriora verba haud dubie dicta sunt sub finem mansionis ad montem Sinai.*

AUCTORE J. S.

Sinai. Quapropter si voces, illo in tempore, *idem plane tempus designant, non instituit* Moyses *judices inferiores in Raphidim, ubi castrametatus fuerat anno fere integro citius. Hoc præcipuum videtur pro illa opinione argumentum, cui tamen duplici modo responderi potest. Primo* Moyses *quadragesimo itineris anno loquens ad populum, multaque præterita breviter recensens, noluit istis vocibus,* illo in tempore, *idem plane tempus significare, quo mandaverat Dominus, ut ex vicinia montis Sinai proficiscerentur, sed dumtaxat tempus aliquod vicinum, ut Salianus ipse annotavit ad annum mundi* 2544 *num.* 723. *Altera responsio est, vocem* dixi *idem significare posse ac* dixeram, *uti sæpe fit apud Hebræos. Utraque responsio est Bonfrerii in Deut. cap.* I ỷ 9.

proponuntur et refutantur;

274 *Tertio argumentatur Calmetus ex Num. cap.* 10, *ubi* Moyses *sub discessum a monte Sinai rogat cognatum suum* Hobab, *ut secum proficiscatur. Credit autem Calmetus Hobab eumdem esse cum Jethro, adeoque adventum ejus circa id tempus contigisse. Verum respondeo Hobab probabilius esse filium Jethro, ut suo loco* B *ostendam. Quarto argumentatur ex murmuratione contra* Moysen *orta Num.* 12 *propter uxorem Sephoram : nam conjicit Calmetus, Sephoram necdum multo tempore fuisse in castris, quando illa murmuratio illius causa orta est. At illa conjectura exigui est momenti, et plane incerta, cum mulier æque præbere possit occasionem obmurmurandi post diuturnam commorationem quam post brevem. Quintam demum rationem profert Calmetus ex Exod.* 18 ỷ 16, *ubi* Moyses *socero suo ait.* Et ostendam præcepta Dei, et leges ejus : *quæ verba intelligit de legibus in monte Sinai datis. Verum fallit ista consecutio. S. Augustinus nobiscum sentiens quæst.* 67 *in Exodum sic respondet :* Quæri potest, quomodo ista Moyses dixerit, cum lex Dei adhuc nulla conscripta esset : nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate præceperit. *Sane non erant Hebræi sine lege naturæ, multaque de illa occurrere poterant dubia. Præterea habebant legem* C *circumcisionis, Sabbati, multasque alias sibi proprias, quæ partim in Ægypto, partim in itinere latæ erant et promulgatæ, ut dictum est suis locis; ita ut ista ratio prorsus sit inanis. Nihilo magis urgent aliæ quædam ratiunculæ a Calmeto neglectæ, qualis est, quod Jethro Exod.* 18 ỷ 12 holocausta et hostias Deo *obtulerit. Nam dudum ante holocausta Deo ablata sunt, sacrificiaque alia : et Jethro ea haud dubie obtulit ritu sibi consueto, non ritu per legem Mosaïca præscripto. Temporis quoque brevitatem, qua Israëlitas credunt in Raphidim perstitisse, immerito objiciunt adversarii : nam potuerunt Israëlitæ facile ad octiduum subsistere in Raphidim, ut paucis ostendo. Venerunt in solitudinem Sin, seu mansionem octavam,* quintodecimo die mensis secundi, *ut dicitur Exod.* 16 ỷ I. *Substiterint ibi ad dies quinque aut sex, atque hisce addamus iter tridui, quo deinde per Daphca et Alus venerunt in Raphidim. Eo igitur pervenire potuerunt die vigesima quarta aut vigesima quinta mensis secundi. Jam vero ad mansionem Sinai venerunt die tertia mensis tertii, eademque die profecti erant ex Raphidim, ut suo loco ostendam. Facile igitur ad octiduum* D *subsistere potuerunt in Raphidim. Ex omnibus autem, quæ narrantur de Jethro, non colligitur ipsum plusquam triduo apud* Moysen *perstitisse. Itaque temporis brevitas non obstat sententiæ nostræ.*

ac variis rationibus stabilitur sententia nostra.

275 *Quapropter non video, cur cum Hieronymo, Augustino, aliisque Patribus et interpretibus plerisque, sequi non debeam ordinem, quem* Moyses *in rebus referendis tenuit in Exodo. Sane solus hic ordo majoris momenti est, quam sint omnia argumenta in contrarium allata, cum probari nequeat, ordinem rerum a* Moyse *fuisse perturbatum. Ad hanc rationem, quæ alias vel sola sufficere debet, accedit conjectura admodum verisimilis a loco et tempore. Nulla mansio Israëlitarum propinquior fuit urbi Madian, in qua habitabat Jethro, quam mansio in Raphidim prope montem Horeb : nam constat,* Moysen *antea oves Jethro duxisse ad viciniam montis Horeb. Certe sequens mansio prope montem Sinai longius abest a mari Rubro, adeoque ab urbe Madian, quæ mari adjacet. Locus igitur, utpote vicinior urbi Madian, sententiæ nostræ favet. Verum tempus eamdem con-* E *firmat fortius. Adventus Jethro sic refertur Exod.* 18 ỷ I : Cumque audisset Jethro... omnia, quæ fecerat Deus Moysi, et Israëli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israël de Ægypto, tulit *etc. Quis credat Jethro illa primum audivisse, postquam toto anno transacta erant; aut, si citius dicatur audivisse, toto anno distulisse adventum suum? Tanto id incredibilius est, quanto minus scire poterat Jethro, occasionem invisendi* Moysis *sibi postea non defuturam, etiamsi iter differret. Nonne Jethro existimare poterat et prudenter debebat,* Moysen *cum Israëlitis iter suum prosecuturum sine diuturna commoratione, sicuti fecerunt usque ad montem Sinai? Et vero non distulisse Jethro iter suum, sed occasionem visendi* Moysis *statim arripuisse, cum maxime erat vicinus, alia etiam evincunt. Quippe dicitur Jethro audivisse, quæ contigerant in Ægypto et in exitu Israëlitarum ; non quæ facta erant in monte Sinai, licet essent magis vicina. Narravit* Moyses *socero suo, quæ in Ægypto, et in itinere erant facta; non vero quæ prope montem Sinai et in ipso monte patrata erant mirabilia : non alia utique de causa, quam quod posteriora hæc necdum facta essent, cum Israelitæ ad* F *montem Sinai nondum pervenissent. Hæc disputare volui, ut ordo rerum gestarum, quem sine idoneis rationibus quidam perturbare aggressi sunt, integrum conservemus; licet alioquin controversias chronologicas brevitatis causa omittendas duxerim.*

Dubitatio de tempore creatorum septuaginta seniorum.

276 *Altera occurrit dubitatio de judicibus per* Moysen *hoc tempore statutis, nimirum an in iis cum S. Hieronymo numerare debeamus septuaginta Seniores : nam plerosque neotericos in ea video esse sententia, ut credant septuaginta Seniores serius constitutos esse ipsius Dei jussu Num.* XI ỷ 16. *Verumtamen non video, sententiam S. Hieronymi improbabilem esse, si recte intelligatur et exponatur : nam* septuaginta Senes *jam memorantur Exod.* 24, *quando Israëlitæ degebant prope montem Sinai, ita ut non sit omnino improbabile, illos jam creatos fuisse hoc tempore designarique primo loco per* principes ; *eosdem vero deinde majori auctoritate ac spiritu prophetico donatus a Deo, ut* Moysen *sublevare possent*

A *possent non solum in rebus civilibus, sed etiam in spiritualibus. Verum hæc breviter potius indicare placet, quam certi quidpiam statuere.*

§ XXVI. Eadem ex Josepho et Philone, quorum relatio discutitur.

Adventus in Raphidim, et aqua laborantibus siti

De *adventu in Raphidim, gestisque ibidem, Josephus ita orditur :* Sed ex loco, in quo hæc primum contigerunt, castis motis, postquam in Raphidim pervenerunt, extrema jam siti laborabatur, eo quod et præcedentibus diebus raros fontes invenire datum est, et tunc in regionem omnino aquis carentem inciderunt. Rursum igitur Moysi irascebantur. Ille vero declinato aliquantisper turbæ furore, ad deprecandum vertitur, rogans, ut, qui cibum in egestate dederat, nunc potum quoque in extrema necessitate largiretur tantum non siti deficientibus, quan-B doquidem solus cibus in hoc rerum statu nihil proderat. Deus vero nihil cunctatus, promittit Moysi daturum se fontem et aquarum abundantiam, unde minime sperarent; jubetque ut virga feriens petram in conspectu sitam, inde peteret ea, quæ desiderabant, velle se ut per otium et absque labore potum adipiscantur. His acceptis a Deo, Moyses revertitur ad populum præstolantem, et intentis oculis se spectantem : jam enim videbant a specula descendentem. Qui postquam reversus est, ait Deum eos ex hac etiam necessitate liberaturum, et insperato modo salutem largiturum, fluvio de petra illa prorumpente.

ex petra data ex Josepho :

278 Quo audito territis, si lassitudine ac siti enectis petra esset excidenda, Moyses ferit eam virga, quæ e vestigio dehiscens aquam evomuit copiosissimam simul ac limpidissimam. Illi vero inopinato spectaculo attoniti, vel aspectu ipso recreabantur : moxque magna cum voluptate bibebant, quod esset dulcis, et qualem divinitus datam esse conveniebat. Quapropter et Moysen plurimi faciebant, quem Deo tam carum vide-C rent, et Deo pro accepto beneficio, quas poterant, per sacrificia gratias referebant. Testantur autem sacræ Literæ in templo dedicatæ, quod Deus Moysi prædixerit petram ex se aquam profluentem esse edituram. *Hæc Josephus, qui omittere debuerat terrorem fictitium Israëlitarum, acsi credidissent petram sibi excidendam fuisse : nam ne quidem ex Scriptura probari potest, prædictum fuisse a* Moyse, *quo modo Israëlitæ aquam acciperent, priusquam illam e petra fluentem conspexerunt.*

et Philone.

279 *Philo, omissa populi murmuratione, et mutationibus castrorum, aquam ex petra datam sic narrat :* In hac copia ciborum intervenit magna potus inopia : jamque deplorata erat salus omnium, cum Moses, sumpta sacra illa virga, per quam in Ægypto prodigia patraverat, Numine correptus, rupem percutit, quæ seu vena opportuno ictu aperta, seu aquis tum primum eo corrivatis per occultos cuniculos, erumpentibusque præ impetu, more fontis tantum profudit, quantum et ad sitis remedium, et ad diuturnam aquationem suffecit tot milibus. Omnes enim hydrias impleverunt, sicut prius ad fontes amaros, in dulcem naturam versos, Dei providentia. Quod si quis huic narrationi non credit; non novit Deum, nec quærit noscere; alioqui certo certius sciret, miracula ista esse Dei ludicra, collata cum seriis operibus : quale est creatio cæli cum fixis erraticisque sideribus, lucis dici, solisque productio *etc. Similia multa naturæ miracula auctor agglomerat, recteque subdit :* Verum ista, cum digna sint admiratione maxima, contemnuntur propter consuetudinem : quæ autem inusitata sunt, quamvis minora, miramur indulgentes novis imaginationibus. *Recte hæc advertit; at parum probabile est, quod ait dubitanter de* vena opportuno ictu aperta, *quæ forsan aquas dederit : nam soli miraculo res est attribuenda.*

Conatus Amalecitarum ad invadendum Israëlitas,

280 *Bellum Amalecitarum prolixe narrat Josephus, cujus relationem subjungo :* Hebræorum autem fama longe lateque divulgata, rumoribusque de his per omnes gentes circumquaque sparsis, non mediocris metus accolas ejus regionis occupavit, et missis ultro citroque legationibus adhortabantur se invicem, ut aut arcerent, aut delerent etiam, si modo possent, adventantem multitudinem. Præcipui vero hujus expeditionis instigatores erant, qui Gobolitidem regionem et E urbem Petram incolunt, vocanturque Amalecitæ, inter eas gentes pugnacissimi. Horum reges et se invicem et finitimos ad Hebraïcum bellum concitabant, externum exercitum, Ægyptiorum fugitivos, perniciem sibi struere dictitantes : quos non oportere contemni, sed priusquam vires eorum augeantur, uberem aliquam regionem adeptæ, et fiducia ex ipsorum cessatione concepta, priores bellum aggrediantur, tuto posse opprimi; consultiusque esse in deserto eorum conatus ulcisci, quam expectare, dum urbibus bonis ac opulentis potiantur. Hoc enim esse prudentium, initiis adversariorum potentiæ quamprimum obstare, nec expectare, dum quotidianis successibus in majus augeatur, et potius curare, ne in discrimen veniant, quam ut periculo eximantur. Post hujusmodi legationes decretum est communi consilio, ut Hebræos adorti prælio repellere conentur. *Apparatus hic Amalecitarum in Scriptura omissus est; at probabiliter a Josepho expositus. Plures conspirasse Amalecitarum reges admodum verisimile est, cum nequeat dubitari, quin ea gens, æque ac vicinæ, plures* F *haberet principes, qui* reges *vocabantur. Minus certum est, an aliarum quoque gentium principes quidam adfuerint, cum de solis Amalecitis loquatur Scriptura sacra. Quod vero dicitur de incolis urbis Petræ, si intelligatur metropolis Arabiæ Petrææ, minus est probabile, cum hæc videatur fuisse aut Madianitarum aut Idumæorum.*

horum vero ad resistendum præparatio;

281 *Quid* Moyses *egerit, ubi hostes adventantes audivit, mox ita exponit :* Nihil tum minus expectabat Moyses, quam motum aliquem indigenarum : ergo cum videret trepidare ac tumultuari populum, cui de improviso et imparato cum instructissimo hoste confligendum erat : hortatur ut Dei sententia freti, cujus auspiciis libertatem servituti prætulissent, nihil aliud quam victoriam cogitarent : neve reputarent quod armis, pecuniis, commeatu et aliis hujusmodi præsidiis sint inferiores : sed cum Deum pro se contra hostes stantem habeant, tales animos conciperent, ac si humanis etiam opibus essent longe superiores; nec ignorare illos, quantus sit Adjutor, toties in gravioribus malis expertos; hunc et hostibus esse infensum, et Hebræis propitium; eumque

AUCTORE J. S.

cumque favorem satis declaratum, dum famem ac sitim prodigiose ab eis depellit, dum mari et monte inclusis insperatum effugium expedit: adhæc tanto magis ad victoriam aspirandum, quod post hanc nihil sint desideraturi eorum, quæ ad humaniorem victum pertinere videntur. Talibus dictis animato populo, convocatisque tribunis et optimatibus, universos et singulos hortatur, juniores quidem ut grandiorum dicto audiant; hos vero ut omnes imperatoris sui nutus observent. At illi periculum contemnentes, et conflictus cupidi, sperabant hanc pugnam miseriæ finem allaturam, et ultro Moysen rogabant, ut se confestim in hostem duceret, neve intempestiva cunctatione alacritatem militum hebetaret.

Moysis cura, initium pugnæ

282 Tum ille selectis e reliqua multitudine ad pugnam idoneis, Jesum præficit Naveci filium, e tribu Ephræmitide; virum manu ac consilio juxta promptum, et pietate insignem, et a Moyse præceptore hac parte non degenerantem: aliquot etiam cohortes ita disponit, ne ab aquatione intercludi possit, plures etiam ad præsidium castrorum et imbellis multitudinis relinquit. Per
B noctem deinde ad prælium se expediunt, et armis simul ac corporibus curatis, intenti signum classico per Moysen dari expectant: qui et ipse pernox cum Jesu consultabat, eumque de instruendis ordinibus admonebat. Appetente vero jam die, hortatur ducem, ut spei de se conceptæ respondere studeat, et re feliciter gesta existimationem sibi apud milites comparare: similiter Hebræorum optimum quemque privatim, ac mox omnes armatos verbis ad fortudinem accendit, atque ita instructos et animatos Jesu et Deo committit. Ipse montem ascendit. Jamque ad manus ventum erat, pugnabaturque strenue, nec adhortationes mutuæ deerant: et quamdiu Moyses erectas manus tendebat, Amalecitæ deteriore conditione præliabantur.

qua insignem victoriam consequuntur Israelitæ:

283 Moyses vero extensione manuum lassatus, cum observasset, quotiescumque manus demitteret, toties suos non ferentes hostis impressionem cedere; jubet fratrem Aaronem, et sororis Mariames maritum Uronem, utrimque astantes, manus sibi indesinenter sustinere, neque permittere, ut per lassitudinem deferrentur. Quo facto,
C egregie vicerunt Hebræi, fuissentque internecione deleti Amalecitæ, nisi interveniente nocte, fuga et latebris quidam eorum salutem sibi quæsissent. Qua victoria non alia vel magnificentior vel magis opportuna majoribus nostris contigit: nam et occurrentem exercitum fuderunt ac fugaverunt, et omnibus circumquaque degentibus magnum terrorem incusserunt, et laboris præmium prædam opimam reportaverunt: namque castris etiam hostilibus expugnatis publice et privatim sunt ditati, qui ad eam diem vix quotidianum victum sibi parare poterant. Nec in præsens tantum ea victoria profuit, sed in futurum etiam: non solum enim corpora adversariorum, sed animi quoque eo prælio sunt fracti: et omnibus circumquaque gentibus ex illo tempore facti sunt formidolosi. Ipsis vero opulentiæ non mediocris accessio est facta: multum enim auri et argenti in castris fuit repertum, multa æramenta vel escaria vel coquinaria, magnus etiam pecuniæ signatæ numerus: ad hæc textilia et armorum ornatus, aliaque supellex castrensis et varia præda jumentorum et impedimentorum, quæ exercitum sequi solent. Quin et audaciores multo successus hic Hebræos reddidit et fortitudinis ac industriæ magis studiosos, nihil non sibi pollicentes, si virtutem strenue colerent: et hoc quidem prælium talem exitum est sortitum. D

fructus hujus victoriæ:

284 Sequenti vero die Moyses cæsorum cadavera spoliavit; arma, quæ fugientes abjecerant, collegit; et illis, quorum opera insignior fuerat, præmia distribuit; Jesumque ducem pro concione collaudavit, milite per acclamationes laudem viri comprobante: adeoque incruenta fuit hæc victoria, ut ne unus quidem ex Hebræis desideraretur, cum hostilium cadaverum numerus præ multitudine incompertus manserit. Mactatis deinde pro gratiarum actione victimis, aram Deo victori posuit: prædixitque internecione delendos Amalecitas, ut ne unus quidem ejus generis relinquatur, quod Hebræos ultro armis aggressi essent, idque in deserto et inopia laborantes. Postremo ducem exercitus victoriali epulo excepit. Hoc fuit primum prælium post exitum de Ægypto, quo hostem lacessentem fortiter rejectum magna clade affecerunt: post quod per dies aliquot festis epiniciis celebratis, et quiete viribus reparatis, instructo agmine iter continuabant. Jam enim creverat armatorum numerus, et ad hunc modum paulatim procedentes, tertio mense postquam ex Ægypto moverant, ad montem Sina pervenerunt, in quo E
Moyses visionem ardentis rubi viderat, ut jam ante commemoravimus. *Hactenus de hac pugna Josephus, relata a* Moyse *conjecturis probabilibus augens, sic tamen, ut nonnulla opus sit correctione.*

nonnulla in data relatione corriguntur.

285 *Primo, improbanda est spes illa de humaniore victu obtinendo per istam pugnam;* Moysi *enim satis constabat, ditionem Amalecitarum a Deo non concedi populo suo ad habitationem; sed pergendum esse per solitudines ad Chanaanitidem. Secundo, quæ ad pugnam spectabant, potius per Josue ordinata videntur,* Moyse *jubente, quam per* Moysen ipsum, *cui pleraque perperam attribuit Josephus: nam Exod.* 17 ℣ 9 Moyses *dicit Josue:* Elige viros: et egressus, pugna contra Amalecitas. *Tertio victoriam majorem facit Josephus, quam eam facere videtur Scriptura, quæ solum testatur fugatos esse Amalecitas. At ille et castra hostilia expugnata, spoliaque ditissima obtenta nimis liberaliter addit: hæc enim, ut minimum, incerta sunt. Nihilo certius est, quod nullus ex Israëlitis in pugna ceciderit, tacente rursum Scriptura. Quarto incertæ item sunt conjecturæ, quæ dicuntur de præmiis post pugnam distributis, et laudatione Josue. Quinto demum iter versus montem Sinai contigit quidem paulo post, sed non ante adventum Raguelis, uti vult Josephus: nec ille est mons, in quo* visionem ardentis rubi *viderat* Moyses; *certe quatenus collis Horeb, cui in Raphidim paopinqui erant Israëlitæ, a monte Sinai, ut pars a toto, distingui potest.* F

Pugnam contra Amalecitas

286 *Philo in referenda pugna et victoria de Amalecitis gravius labitur, quemadmodum ostendam post data ipsius verba.* Tandem, *inquit,* post pererratas diu solitudines invias apparuerunt quidam terræ habitabilis termini, ceu suburbana regionis ejus, quam sibi destinaverant. Habitabatur autem a Phœnicibus. Hic sperantes vitam quietam tranquillamque, multum opinione sua falsi sunt: nam regionis ejus rex populationem agrorum metuens, excita oppidatim juventute, opposuit se, ut arceret eos a transitu. Quod si armis viam sibi aperire conarentur, aggrederetur integris viribus et recenti milite fessos itineribus

A itineribus et commeatuum inopia aquarumque penuria, quibus illi necessitatibus laborabant alternantibus. At Moses, re per exploratores cognita, non longe ab hoste castra metatus est. Delectu juniorum habito, imperatorem his Jesum præficiens, unum e minoribus ducibus, ipse properavit ad quærendum majus auxilium. Purificatus enim solemnibus lustrationibus, ascendit propinquum tumulum, suppliciter Deum invocans, ut Hebræis daret victoriam, quos liberasset a gravioribus periculis, depulsa non solum hominum violentia, verum etiam lue, quæ corruptis elementis Ægyptios infestaverat, atque etiam per totum iter fame alias inevitabili.

describens Philo,

287 Cum autem starent utrimque instructæ acies, novum accidit prodigium in ipsius Prophetæ manibus, modo levissimis, modo mire gravibus, quæ quoties levitatem recipiebant, ad cælum sublatæ, confirmabant socios ad rem gerendam fortiter: quoties vero degravabantur, prævalebat hostilis acies, Deo, significante, quod alterorum propria hæreditas sit terra, mundi pars infima, alterorum B æther sacratissimus, et quemadmodum in rerum universitate cælum est terra potius, sic etiam populum suum bello superaturum adversam aciem. Cum igitur aliquantisper manus bilancis in morem nunc sursum tollerentur, nunc deorsum vergerent, certareturque marte dubio, tandem repente, velut pinnas habentes pro digitis, sublatæ volitabant per aerem, manentes in sublimi, donec Hebræis certa victoria contigit, internecione deletis hostibus, et clade justa domitis ab his, quos injustis armis lacessebant. Tunc Moses altare dedicavit, quod ex re nominavit DEI REFUGIUM, in quo vota persolvit mactatis victimis. *Hactenus Philo.*

in varios incidit errores.

288 *Verum statim gravissime labitur in loci et gentis descriptione, dum affirmat pugnam hanc contigisse circa terminos* regionis ejus, quam sibi destinaverant *Israelitæ, Phænicesque fuisse, qui illic habitabant, ubi dimicatum est. Primo enim solitudo, in qua pugnatum est, non longe distat a mari Rubro, multoque longius aberat a Chananæa seu Palæstina, quam petebant Israëlitæ, quam ab ea distabat ipsa terra Gessen, ex qua ante mensem fere et dimidium erat egressi. Secundo Amalecitæ et Madianitæ tunc eos tractus* C *incolebant, iisque vicini erant Idumæi et Moabitæ, qui communi regionis vocabulo* Arabes *vocari poterant, non* Phœnices, *qui jam tunc ad mare Mediterraneum habitabant. Tertio mire nugatur Philo de manibus* Moysis *orantis, nunc subitam gravitatem eis attribuens, nunc tantam levitatem, acsi pennis fuissent sublatæ. Verum in gravitate manuum* Moysis *nullum apparet miraculum, cum continua elevatione lassarentur, gravioresque apparerent, quod vires elevantem deficerent. Hac de causa cogebatur subinde manus demittere, ut sic vires resumeret, donec impositus lapidi, et sustentantibus utrimque manus ejus Aarone et Hur, continuare laborem elevandi manus potuerit, sive modo naturali, sive quod Deus sufficientes præberet vires: nam solum dicitur, manus ipsius eo modo non fuisse lassatas.*

Adventus Raguelis, in quo varia emendantur:

289 *Josephus relata prædicta victoria, interjectaque perperam castrorum motione, adventum Raguelis seu Jethro, a Philone prætermissum, narrare incipit non sine erroribus mox corrigendis.* Cum autem, *inquit,* rei feliciter gestæ fama ad Raguelem quoque pervenisset, gratulabundus occurrit, Moysen et Sepphoram, et eorum liberos salutaturus. Is lætus soceri adventu, sacrificium instaurat, et populo epulum præbet prope rubum, et flagrationem illæsus evaserat. Dum vero multitudo per suas quisque cognationes epulatur, Aaron cum suis, assumpto et Raguele, laudes divinas concinebant, Autorem salutis ac libertatis celebrantes: Ducem quoque suum faustis carminibus prosequebantur, cujus virtute omnia sibi ex sententia successissent. Raguel quoque privatim multa in populi laudem, multa in Moysis ejus servatoris cecinit, cujus auspiciis tot viri boni ac fortes regerentur. *Errat primo in hisce scriptor, quod Sephoram filiosque* Moysis, *quos Raguel secum adduxit, apud* Moysen *ante jam fuisse insinuet. Secundo quod dicat* Moysen *obtulisse sacrificium: nam id factum est a Raguele. Tertio quæ adduntur de carminibus in* Moysis *laudem dictis, deque epulo multitudinis per cognationes, meræ sunt conjecturæ.*

consilium a Raguele datum creatosque judices

290 *Josephus deinde sic prosequitur:* Sequenti autem die Raguel, videns Moysen multitudine negociorum obrui, (finiebat enim lites, quorum opus erat, omnibus ad ipsum deferentibus, E et alio arbitro jus suum tenere se posse non existimantibus, et his etiam, qui causam sub tali judice perdebant, æquo animo sententiam ferentibus) tunc quidem siluit, neminem volens impedire, quo minus justitia Viri frueretur. Ubi vero tandem a negotiorum tumultu absolutum vidit, seductum seorsum, quid facto opus esset, docuit: consuluitque, ut minores causas aliis cognoscendas cederet; ipse vero tantum reipublicæ negotia tractaret: non deesse enim Hebræis et alios, dijudicandis litibus idoneos: curam vero tot milium salutis sustinere posse neminem, nisi Moysi similem. Itaque cum non ignores, inquit, tuas dotes, quæ totis populo periclitanti fuerunt usui, tibi ipse parcens, permitte aliis, ut ipsi inter se lites ex jure dirimant: tu vero divino tantum cultui deditus esto, quo facilius populum e præsenti necessitate eximas. Quin et illud pro virili consuluerim, ut lustratis ac recensitis copiis, eas in dena milia distribuas, singulis hujusmodi legionibus suos duces præficiendo: easque rursum in cohortes millenarias, quingenarias, centenarias et quinquagenarias partiaris: itemque in manipulos triginta et viginti et decem commilitonum. Tum deinde ita distinctis præfe- F ctos imponas, singulis appellatione a numero subditorum militum indita. Judices autem viros virtute ac justitia præstantes populi suffragiis creabis, qui de controversiis eorum decernant: et si forte quid gravius inciderit, ejus cognitionem ad te relegent: atque hoc pacto neque Hebræorum quisquam suo jure fraudabitur, et tu sine interpellatione Deum colens, favorem ejus propensiorem exercitui conciliabis.

exponit Josephus minus exacte.

291 Hoc Raguelis consilium Moyses libenter admisit, fecitque quidquid ille monuerat, non sibi hoc commentum usurpans, neque autorem ejus celans, sed pro concione populo indicans, cujus hoc inventum fuerit. Quin et in libris suis Ragueli ascribit inventionem ordinum militarium ac judiciorum, malens dignos sua laude non fraudare, quam sibi alienum decus usurpare, ut hinc quoque virtutem ipsius conjicere liceat: de qua suis locis sæpe nobis dicendum. *Pauca observanda de consilio* Moysi *dato, quod hic exsecutus est. Ordines in Scriptura sic enumerantur Exod.* 18 ỳ 25 principes populi; *hisce autem* dena millia *subditorum attribuit Josephus pro militia*

AUCTORE J. S.

militia. At plerique neoterici existimant, vocem principes *generatim fuisse positam, nec hac voce designari magistratum aliquem distinctum a sequentibus, qui enumerantur. Ratio illorum est, quod Jethro Exod.* 18 ỳ 21 *consilium istud* Moysi *suggerens*, principes *non nominaverit, quodque illi ubique omittantur apud Septuaginta interpretes. Verumtamen jam monui non mihi videri improbabile*, *per* principes *intelligi septuaginta Seniores.* Manipulos *autem* triginta et viginti *Josephus male addidit Scripturæ, in qua post principes solum recensentur tribuni*, *centuriones*, *quinquagenarii et decani: hique electi dicuntur pro judiciis, non pro militia.*

B

§ XXVII. Duodecima mansio apud montem Sinai : Lex populo data, fœdusque solemni ritu inter Deum et Israelitas sancitum.

Israëlitæ veniunt ad montem Sinai die tertio mensis tertii:

De *adventu ad mansionem duodecimam; plurimis rebus nobilitatam*, *Num.* 33 ỳ 15 *hæc leguntur:* Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. *Tempus additur Exod.* 19 *in hunc modum:* Mense tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, et pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israël fixit tentoria e regione montis. *De anno et mense nulla est difficultas: nam eodem anno, quo egressi sunt Ægypto, et anni illius mense tertio, venerunt ad montem Sinai. Verum voces hæ,* in die hac, *varie admodum explicantur ab interpretibus, quorum alii diem mensis primum, alii postremum intelligunt; at hi parum probabiliter. Plures vero probabilius tertium mensis diem designatum volunt, vocesque* in die hac *idem significare phrasi Hebraica, ac* in die eadem. *Hæc quoque explicatio mihi præplacet*,

C

quia præcedit, mense tertio, *atque eo videtur referri illud* in die hac. *Aliqui tamen suspicantur voces* in die hac *referri ad discessum ex Raphidim, nihilque significari, nisi eodem die, quo discesserunt ex Raphidim, venisse ad montem Sinai. At hæc sententia magis placeret, si discessus ex Raphidim commemoratus esset ante voces* in die hac. *Verum cum tota temporis epocha præmittatur, eo commode referri nequeunt istæ voces. Præterea sic diem non assignasset* Moyses, *sed mensem sine die: hoc autem ipsius consuetudini repugnat, cum diem quoque mensis commemorare soleat ubicumque mensem assignat. Demum cum Lex data credatur in Pentecoste, seu die quinquagesimo ab exitu, et sexto mensis tertii, eaque data sit die tertio post diem adventus non computatum, ut mox videbimus*, *vix dubitandum videtur, quin die tertio mensis tertii, qui* Sinuan *dicitur, ad hanc mansionem venerint Israëlitæ.*

mansio hæc plurimis factis nobilitata,

293 *S. Hieronymus in Mansione* 12 *ait:* Ad hunc locum quadragesima septima die perveniunt. *Allataque probatione ex verbis scripturæ infra allegandis, subdit:* Supputemus numerum, et inveniemus quinquagesimo die egressionis Israël ex Ægypto in vertice montis Sinai Legem datam. Unde et Pentecostes celebratur solennitas, et postea Euangelii sacramentum Spiritus sancti descensione completur. *Quam multa in hoc loco facta sint, mox ita breviter perstringit:* Longum est, si replicare velim, quid in Lege præceptum sit: quomodo fabricatum tabernaculum, quæ varietas hostiarum, quæ vasorum diversitas, quæ indumenta pontificis, quæ sacerdotum et levitarum cæremoniæ, quid egerint: quomodo populus numeratus sit. Hoc tantum dicam, quod media pars Exodi, et totus Leviticus liber, et Numerorum præcepta non modica, et per singulas populi tribus distributio, et oblationes principum in hac mansione descriptæ sint; multorumque voluminum disputatio huic loco sufficere vix possit. *Hæc verba Hieronymi me etiam monent, ut memor propositæ brevitatis, ea solum pertractem, quæ ad* Moysen *spectant proprius; leges vero*, *cæremonias, indumenta sacerdotalia, tabernaculum, omniaque ad illud spectantia non nisi leviter attingam, et suis Scripturæ locis assignem. Ceterum hic occurrit lapsus Calmeti breviter observandus, ne*

D

E

lectorem minus attentum in errorem trahat. In Exodi cap. I ỳ I *ait, uno die ex Raphidim non fuisse perventum usque ad montem Sinai, quia castrametati antea fuerunt ad montem Horeb. Verum* Moyses *Num.* 33 *enumerat exacte omnes castrametationes; at nullam collocat in Horeb, cui mansio in Raphidim tam propinqua erat, ut ibidem ex petra Horeb aquas acceperint Israelitæ.*

Moyses, juvente Deo, curat

294 *Gesta ad montem Sinai* Moyses *narrare incipit Exod.* 19 ỳ 3 *hoc modo:* Moyses autem ascendit ad Deum *(oraturus, opinor, in parte aliqua montis,)* vocavitque eum Dominus de monte, et ait: Hæc dices domui Jacob, et annuntiabis filiis Israël: Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portaverim vos super alas aquilarum, et assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israël. *Dubitari potest, an hæc eodem die, quo perventum erat ad montem Sinai, angelus Dei nomine dixerit* Moysi, *an vero die sequenti. Quidquid sit de hac diei differentia;* Venit Moyses: et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandaverat Dominus. Respondit que omnis populus simul: Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. *Secunda hæc est Dei monitio apud montem Sinai. Quod vero sequitur, in secundo illo colloquio* Moysi *mandatum videtur, licet verba sequentia novum congressum primo intuitu insinuent:* Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum. Qui dixit ei *(id est, quantum existimo, Cum prædicta nuntiabat* Moyses, *Dominus insuper dixit ei)* Vade ad populum, et sanctifica illos hodie et cras *(id est, die quarto mensis tertii quo hæc dicta sunt, et die quinto ejusdem mensis)* laventque vestimenta sua.

F

ut mundetur populus ad audienda mandata divina:

295 Et sint parati in diem tertium *(sextum videlicet mensis:)* in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai

A nai. Constituesque terminos populo per circuitum, et dices ad eas : Cavete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius : omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis : sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet. *Prohibitio est non transeundi terminos.* Cum cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem, *nempe usque ad statutos terminos. Hæc mandata Domini data sunt uno die post adventum Israëlitarum ad montem Sinai, seu die quarto mensis; quod forsan etiam verum est de primo colloquio* Moysis *cum Domino, at de illo minus certum : nam fieri quidem potuit, ut* Moyses *post iter ex Raphidim die tertio mensis semel montem ascenderit, et collocutus fuerit cum angelo; at fieri non potuisse videtur, ut iter illud, ascensio montis, convocatis seniorum, iterataque ejusdem montis ascensio, in eumdem diem inciderint; præsertim cum nihil sit, quod cogat omnia illa in unum diem congerere; sed rationes potius suadeant, ultima hæc mandata a die adventus sepa-*

B *rare. Redeo ad textum sacrum :* Descenditque Moyses de monte ad populum, et sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua, ait ad eos : Estote parati in diem tertium, et ne appropinquetis uxoribus vestris.

apparatus terribilis promulgationi decalogi prævius ;

296 *Quo apparatu deinde promulgata sit Lex, seu decalogus, sic pergit* Moyses *exponere :* Jamque advenerat tertius dies, et mane inclaruerat : et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat : et timuit populus, qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, et prolixius tendebatur : Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, et vocavit et Moysen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset, dixit ad eum : Descende, et contestare populum, ne forte velit

C transcendere terminos ad videndum Dominum, et pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Dixitque Moyses ad Dominum : non poterit vulgus ascendere in montem Sinai : tu enim testificatus es, et jussisti, dicens : Pone terminos, circa montem, et sanctifica illum. Cui ait Dominus : Vade, descende : ascendesque tu, et Aaron tecum : sacerdotes autem et populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Descenditque Moyses ad populum, et omnia narravit eis.

decalogus ab angelo promulgatus coram omni populo,

297 *Post hæc angelus Deum repræsentans, quique idcirco* Dominus *vocatur, ut ostendi num.* 82 *et* 83, *præcepta decalogi promulgavit coram omni populo, vocem illius audiente, sed nullam formam vidente. De hisce Exod.* 20 *sic legitur :* Locutusque est Dominus cunctos sermones hos : Ego sum Dominus Deus tuus *etc. Decem præcepta ibidem legi possunt. Præceptis autem subduntur hæc* ℣ 18 *:* Cunctus autem populus videbat *(id est, percipiebat sensibus)* voces et lampades, et sonitum buccinæ, montemque fumantem : et perterriti ac pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses ad populum : Nolite timere : ut enim probaret vos, venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis. *Deut.* 4 Moyses *narrat populo gesta hoc tempore, promulgationem Decalogi sic exponens a* ℣ 9 *:* Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui,... a die, in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens : Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, et discant timere me omni tempore, quo vivunt in terra doceantque filios suos. Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad cælum : erantque in eo tenebræ, et nubes, et caligo. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, et formam penitus non vidistis. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, et decem verba *(id est, præcepta,)* quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Mihique mandavit in illo tempore, ut docerem vos cæremonias et judicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri E estis.

qui nimio correptus terrore, rogat Moysen, ut reliqua ex ipso audire liceat :

298 *Rursum Deut.* 5 *de hisce egit* Moyses *cum populo* ℣ 2, *verba sua sic referens :* Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. Non cum patribus nostris iniit pactum *(tale nimirum, Legem suam dando ;)* sed nobiscum, qui in præsentiarum sumus, et vivimus. Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis. Ego sequester et medius fui inter Dominum et vos in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus. Timuistis enim ignem, et non ascendistis in montem. *Quæret hic aliquis, quomodo* Moyses *quadragesimo anno, quando plerique erant mortui, qui adfuerant promulgationi Legis, populo dicat fœdus pactum esse* Nobiscum, qui in præsentiarum sumus et vivimus. *Respondeo ita locutum esse, quia fœdus initum erat cum populo, qui illo etiam tempore idem censebatur. Deinde vero* Moyses *repetit decem præcepta, ac de iis subjungit ibidem* ℣ 22 *:* Hæc verba locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis, et nubis, et caliginis voce magna, nihil addens amplius : et scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas F tradidit mihi. Vos autem, postquam audistis vocem de medio tenebrarum, et montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, et majores natu, atque dixistis : Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem et magnitudinem suam : vocem ejus audivimus de medio ignis, et probavimus hodie, quod loquente Deo cum homine, viverit homo. Cur ergo moriemur, et devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere? Tu magis accede : et audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi : loquerisque ad nos, et nos audientes faciemus ea. *Tanto terrore populum inconstantem percellere voluit Dominus, ut eumdem mandatis suis redderet obsequentiorem.*

hac de causa revertit jubetur populus ad tentoria,

299 *Cum autem hanc reverentiam et timorem probaret Dominus, reliqua præcepta soli* Moysi *exposuit angelus, ut ille eadem populo communicaret, sicuti et duas tabulas, præcepta decalogi jam promulgati continentes,* Moysi *deinde*

AUCTORE J. S.

inde dedit in monte. Audi textum sacrum, sic prosequentem : Quod cum audisset Dominus, ait ad me : Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi : bene omnia sunt locuti... Vade et dic eis : Revertimini in tentoria vestra. Tu vero hic sta mecum, et loquar tibi omnia mandata mea, et cæremonias atque judicia : quæ docebis eos, ut faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem. *Ad hoc quoque tempus spectare videtur promissio Messiæ a Domino* Moysi *facta, licet* Moyses *eam populo tantummodo communicasse legatur sub finem vitæ. Certe Deut.* 18 ℣ 15 Moyses *populum alloquitur his verbis :* Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies, ut petisti a Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti : Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, et ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi : Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui : et ponam verba mea in ore ejus, loB queturque ad eos omnia, quæ præcepero illi : qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. *De Messia, seu de Christo, hæc verba explicat S. Petrus Act.* 3 ℣ 22, *ita loquens Judæis :* Moyses quidem dixit : Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis juxta omnia, quæcumque locutus fuerit vobis. Erit autem : omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. *Jam vero verba ipsa* Moysis *abunde indicant, promissionem illam factam esse occasione populi deprecantis audire ipsam Domini vocem. At non additur,* Moysen *jussum esse promissionem illam mox populo communicare.*

Moyses vero montem ascendere, ubi varia accipit mandata,

300 *Porro* Moyses *jussus montem ascendere ad Dominum, id se fecisse refert Exod.* 20 ℣ 21 *his verbis :* Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus. Dixit præterea Dominus ad Moysen : Hec dices filiis Israël : Vos vidistis, quod de cælo locutus sim vobis. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. *Pergit deinde Dominus, seu angelus* C *eum repræsentans, plurima præcepta pro majori parte judicialia* Moysi *præscribere, uti studiosus lector inveniet dicto cap.* 20. *cap.* 21, *cap.* 22 *et cap.* 23, *ubi* ℣ 20 *hæc inseritur promissio :* Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes : quia non dimittet, cum peccaveris, et est nomen meum in illo *(id est, opinor, agit meo nomine.)* Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligantes te *etc. Hæc promissio non caret comminationibus, et revera post Legem latam non impune peccaverunt, aut murmuraverunt Israëlitæ, sed severa punitio sontes mox secuta est, ut facile videbit studiosus lector, modo omnia attente consideraverit. Promissiones plures, sed omnes sub ea conditione, si mandata Dei servarent, angelus ibidem accumulavit, præsertim de populo in terram promissam inducendo, incolisque ipsius conterendis. Verum, priusquam discederet* Moyses, *redeundi mandatum accepit, uti exponitur cap.* 24 ℣ 1 *his verbis :* Moysi quoque dixit : Ascende ad Dominum tu, et Aaron, Nadab et Abiu *(filii Aaronis,)* et septuaginta senes ex Israël, et adorabitis procul. D Solusque Moyses ascendet ad Dominum, et illi non appropinquabunt : nec populus ascendet cum eo.

quæ scripta populo prælegit, illumque solemni fœdere Deo obstringit.

301 *Hisce mandatis acceptis,* Moyses *descendit de monte, ut ea Israëlitis, quos in hunc finem congregare debuit, communicaret summatim primum, singula deinde exacte solemniter prælecturus. Rem sic narrat cap.* 42 ℣ 3 : Venit ergo Moyses et narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia : responditque omnis populus una voce : Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses *(post dimissum populum, tempore vespertino aut nocturno)* universos sermones Domini : et mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, et duodecim titulos per duodecim tribus Israël. Misitque juvenes de filiis Israël *(verisimiliter ex singulis tribubus, quia sacerdotium necdum alicui tribui erat proprium)* et obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses E *(de immolatis victimis)* dimidiam partem sanguinis, et misit in crateras : partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo : qui dixerunt : Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Ille vero sumptum sanguinem *(ex crateribus)* respersit in populum, et ait : Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. *Omnem populum, et librum etiam Legis, aspersum fuisse illo sanguine, cui aqua erat admixta, docet Apostolus Heb.* 9 ℣ 19, *ubi quoque ait, id factum esse lana coccinea et hyssopo, nimirum per aspergillum ex utrisque compositum. Verba Apostoli accipe :* Unde nec primum quidem *(Testamentum)* sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato Legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo; ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens : Hic sanguis Testamenti, quod mandavit ad vos Deus. *Hæc solemnitate conditum est Testamentum vetus, fœdusque initum inter Deum et populum Israëliticum, quo hic se obstringebat ad observandum leges a Deo* F *datas ; Deus vero promittebat, Israëlitas fore populum sibi singulari modo dicatum et proprium, quem semper protegeret, quamdiu dictas leges observaret.*

A

§ XXVIII. Moyses per dies quadraginta cum Deo moratur in monte, ubi accipit præcepta de tabernaculo, aliisque ad tabernaculum spectantibus, uti et de indumentis et consecratione sacerdotum: acceptis quoque tabulis descendit, populoque in idololatriam lapso, tabulas frangit ac Deum placat.

Moyses cum senioribus montem ascendit, ubi augusta eis offertur species:

Post *peractam solemnitatem fœderis* Moyses, *memor præcepti Dominici, quo jussus erat ad montem redire, eo pergit cum sociis designatis, ut refertur Exod.* 24 *his verbis:* Ascenderuntque Moyses et Aaron, Nadab et Abiu, et septuaginta de senioribus Israël: et viderunt
B Deum Israël: et sub pedibus ejus quasi opus lapidis saphirini, et quasi cælum, cum serenum est. Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israël *(et ideo propinquiores facti erant)* misit manum suam *(eos occidendo; sed contra communem eorum persuasionem)* videruntque Deum et *(pergentes vivere)* comederunt et biberunt. *Locus quidem obscurior est; at data expositio, uti multorum est, ita etiam præplacet, et satis videtur genuina. Principes hi viderunt augustam aliquam formam aut Regis cujusdam aut Legislatoris, quantum apparet, cum de pedibus fiat mentio. At contra hanc sententiam Calmetus in hunc locum objicit primo verba* Moysis *ad populum Deut.* 4 ỷ 15*:* Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis. *Respondeo agi de die, qua præcepta decalogi populo promulgavit Dominus. Verum nulla est consecutio illa: Universus*
C *populus illa die non vidit aliquam similitudinem: ergo aliqui seniores electi nullo umquam tempore similitudinem, seu formam aliquam humanam, qua Deus repræsentabatur, videre potuerunt. Nihilo melius concludit secunda ipsius ratio, nempe quod* Moyses *deinde adhuc desideraverit Deum videre. Poterat enim Legislator, quia satis noverat, se non vidisse ipsam Dei naturam, perfectiorem Dei visionem optare. Redeo ad textum sacrum.*

dein Moyses quadraginta diebus sine cibo et potu manet in monte,

303 Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, et esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, et Legem ac mandata, quæ scripsi, ut doceas eos. Surrexerunt Moyses et Josue minister ejus: ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hic, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israël. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: et fuit ibi quadraginta diebus, et quadraginta noctibus. *Mansisse* Moysen *in monte in quadraginta diebus et totidem noctibus sine omni cibo et potu, legitur Deut.* 9 ỷ 9, *atque ex eodem loco colligitur, sex dies priores, quibus cum Josue fuit in nebula, inter quadraginta dies computandos, non vero iis superaddendos, uti volunt aliqui: nam ait* Moyses *ibidem:* Perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, et aquam non bibens. *Non dicit,* quadraginta sex diebus, *uti tamen dicere debuisset, si contraria sententia esset vera.*

ubi multa mandata accepit, et demum duas tabulas.

304 *Porro* Moyses *multa rursum præcepta illo tempore accepit, eaque narrantur Exod.* 25, *et sequentibus capitibus. Cap.* 25 *refertur, quasnam oblationes deberet accipere a populo ad constructionem tabernaculi, arcæ, propitiatorii, mensæ, candelabri, et aliorum huc spectantium, quorum forma præscribitur partim ibidem, partim cap.* 26 *et* 27. *Deinde cap.* 28 *jubetur Aaronem ejusque filios quatuor sacerdotes consecrare his verbis:* Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, et E
Abiu, Eleazar, et Ithamar. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam et decorem. *Mox quoque describitur, qualia Deus vellet Aaronis, seu summi sacerdotis, vestimenta, et qualia filiorum ipsius, seu aliorum sacerdotum. Deinde cap.* 29 *refertur, quo ritu Aaronem et filios ejus consecrare deberet. Rursum cap.* 30 *de altari thymiamatis, variisque ad tabernaculi et sacerdotum inunctionem spectantibus præcepta dantur. Cap.* 31 *designat Dominus duos viros, Beseleel et Ooliab, quos idonea instruxerat sapientia, ut prædicta omnia componerent. Sabbati quoque requies sub pœna mortis præscribitur. Tandem tabulas accipit Moyses, ut ibidem legitur* ỷ 18*:* Deditque Dominus Moysi, completis hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digito Dei.

Israëlitæ interim in gravissimum

305 *Dum* Moyses *in monte Sinai cœlestibus hisce favoribus gaudet, populus inconstans, diuturnam pertæsus moram, ad gravissimum idololatriæ crimen prolapsus est.* Moyses *ipse Exod.* 32 *rem explicat hoc modo:* Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversus Aaron, dixit: F
Surge, fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus qui acciderit. *Miranda sane hæc populi, qui tot signa et prodigia viderat, qui tot tantosque Dei favores obtinuerat, qui fœdere tam solemni nuper se divino servitio adstrinxerat, inconsiderata levitas; seu* Moysen *mortuum aut ablatum crediderit, seu se ab eo derelictum. Verum non minus mira apparet pusillanimitas Aaronis, quod non fortius se tanto crimini opposuerit, sed solum tentaverit indirecte scelus impedire jubendo, ut pretiosiora sua adferrent, sperans verisimiliter id illos non facturos, atque ita rem exitu carituram.* Moysen *audiamus sic prosequentem:* Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum filiorumque et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me. Fecitque populus, quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio, et fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dii tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, et præconis

AUCTORE J. S.

præconis voce clamavit, dicens; Cras solemnitas Domini est. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, et hostias pacificas, et sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. *Per* ludere *hic probabilius intelligo canere, choreas agere, et similia facere in honorem idoli: nam in hisce idololatriæ crimen fuisse clare edicit Apostolus* I *Cor.* 10 ℣ 7, *hæc ipsa adducens verba. Fuerunt nonnulli, qui conati sunt in hisce omnibus excusare Aaronem, quod voluerit omnia referre ad cultum veri Dei. Verum non lubet ipsius intentionem curiosius indagare, cum saltem constet, eum nimia indulgentia peccasse, et accusetur a* Moyse, *et ab ipso Deo, uti infra videbimus.*

labuntur idololatriæ crimen,

306 *S. Stephanus Act.* 7 ℣ 36 *de* Moyse *et de hac idololatria Israelitarum sic loquitur:* Hic eduxit illos, faciens prodigia et signa in terra Ægypti, et in Rubro mari, et in deserto annis quadraginta. Hic est Moyses, qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, tamquam me, ipsum audietis. Hic est, qui fuit in ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus nostris: qui accepit verba vitæ dare nobis.
B bis. Cui noluerunt obedire patres nostri: sed repulerunt, et aversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos: Moyses enim hic, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum sit ei. Et vitulum fecerunt in diebus illis, et obtulerunt hostiam simulacro, et lætabantur in operibus manuum suarum. *Psal.* 105 ℣ 19 *idem Israelitarum peccatum graviter perstringitur his verbis:* Et fecerunt vitulum in Horeb: et adoraverunt sculptile. Et mutaverunt Gloriam suam (*id est, Deum*) in similitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari Rubro. Et dixit (*Deus,*) ut disperderet eos; si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus; ut averteret iram ejus, ne disperderet eos. *Clarum est* Moysen *precibus suis impedivisse, ne Israëlitæ pro hoc crimine prorsus perderentur a Deo. At voces illæ* in confractione *variis modis congruenter exponi possunt. Nam primo intelligi possun de confractione fœderis*
C *cum Deo initi, et sic solum designant tempus, quo* Moyses *populum suum servavit a ruina. Possunt quoque sumi de confractione tabularum, aut potius de comminutione vituli, et sic indicant modum, quo* Moyses *usus est ad iracundiam divinam placandam, licet preces quoque et pœnam multorum adjunxerit.*

quo angelus Moysi indicat: hic vero orat pro populo,

307 Moyses *crimen populi sui ex angelo intellexit in monte, uti narrat Exod.* 32 ℣ 7 *sic scribens:* Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt cito de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, et adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rursumque ait Dominus ad Moysen (*jam verisimiliter pro populo orantem:*) Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna et in manu robusta? Ne, quæso, D
dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, et deleret e terra: quiescat ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, et Israël, servorum tuorum, quibus jurasti per temet ipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli: et universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, et possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, adversus populum suum. *Attamen necdum omnino placatus erat Dominus, ut colligitur ex sequentibus.*

descendit de monte, tabulas confringit, Aaronem graviter objurgat,

308 Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte, et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem Josue, (*quem in priori montis loco morantem* Moyses *reviserat*) tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnæ auditur in castris. Qui (*rectius edoctus*) respondit. Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros: E
iratusque valde projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis: arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israël. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum: dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægyti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, et dederunt mihi: et projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus. *Frivola sane hæc erat excusatio.* Moyses *vero, licet alias esset mitissimus, honorem Dei, scelere tam enormi læsum, insigni magis, quam eatenus cœperat, severitatis specimine reparare studuit, ut hoc etiam modo Deum facilius deinde redderet propitium.*
F

et per Levitas viginti tria hominum millia occidi jubet :

309 Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus (*auro suo, et magis honore amicitiæ divinæ*) spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis (*id est, idoli, quod eo nomine vocatur, ut sæpe alibi, seu propter ignominiosum idolum*) et inter hostes nudum (*divina protectione, aut inermem, ut alii volunt*) constituerat; et stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi: quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir (*quilibet*) gladium super femur suum: ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum (*id est, obvios quosque sine ulla distinctione.*) Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio et in fratre suo, ut detur vobis benedictio. *Hac punitione perfecta, in qua apparet mira auctoritas* Moysis, *hic deinde mitius populum reprehendit, ac Deum placavit, ut videbimus.*

310 *Verum lubet prius audire, quæ de hisce* Moyses *ipse populo exposuit Deut.* 9 ℣ 8, *ubi*

sic

cum vellet ob hoc peccatum Dominus totam gentem delere,

A *sic populum alloquitur* : Nam et in Horeb provocasti eum *(Deum)* et iratus delere te voluit, quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti, quod pepigit vobiscum Dominus : et perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus... Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas, scripta digito Dei, et continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. Cumque transissent quadraginta dies, et totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, dixitque mihi : Surge, et descende hinc cito, quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile. Rursumque ait Dominus ad me : Cerno quod populus iste duræ cervicis sit : dimitte me, ut conteram eum, et deleam nomen ejus de sub cælo, et constituam te super gentem, quæ hac major et fortior sit. Cumque de monte ardente descenderem, et duas tabulas fœderis utraque tenerem manu, vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, et fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse
B velociter viam ejus, quam vobis ostenderat : projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro.

precibus intercessit Moyses,

311 Et procidi ante Dominum, sicut prius, quadraginta diebus et noctibus panem non comedens, et aquam non bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, et eum ad iracundiam provocastis : timui enim indignationem et iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice. Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, et pro illo similiter deprecatus sum. Peccatum autem vestrum, quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi, et in frustra comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit. *Hæc ultima verba insinuant, quomodo* Moyses *dederit potum Israëlitis ex aqua, in quam projecerat pulverem vituli; nimirum quia ex dicto torrente potum sibi hauriebant. Quod vero narratur de iterato quadraginta dierum jejunio, acceptisque secundis tabulis, extra ordinem oc-*
C *casione fractionis primarum dicitur : nam aliquot diebus serius factum est. Reliquia vero contigerunt eodem die, quo descendit* Moyses *de monte Sinai.*

qui, cum difficulter impetrare posset, ut ignosceret Deus, summam

312 *Quid sequenti die egerit Legislator, dicitur Exod.* 32 ℣ 30 : Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum : Peccastis peccatum maximum : ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro. Reversusque ad Dominum ait : Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos : aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Cui respondit Dominus : Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo : tu autem vade, et duc populum istum, quo locutus sum tibi : angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo et hoc peccatum eorum. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron. *Aliqui credunt Israelitas eodem loco et tempore punitos plaga quadam nullibi nominata, uti peste aut simili : alii volunt, in pœnam illius peccati inflictas esse omnes itineris difficultates, quas passi sunt in deserto At fortasse percussio illa intelligitur de cæde viginti trium millium, quæ* Moysis *jussu, et Domino haud dubie inspirante, peracta erat. Quod vero præcedit,* in die ultionis visitabo, *commode intelligi potest de die judicii, seu de æterna pœna infligenda iis, qui peccatum suum debita pœnitentia non delevissent aut delerent. Verum præcipue hic interpretes disputant de verbis* Moysis, Dele me de libro tuo *etc., quæruntque, utrum petierit æterna beatitudine privari, si Dominus peccatum populo non condonaret, an vero solum præsenti vita, an alia quapiam prærogativa, qua libro Dei esset inscriptus.*

hic in orando ostendit charitatem.

313 *S. Augustinus quæst.* 147 *in Exodum mentem suam sic exprimit* : Securus quidem hoc dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Verumtamen advertendum est, quantum malum in illo peccato perspexerit Moyses, quod tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, ut pro eis illa verba Deo funderet. *S. Paulinus Nolanus consilium* Moysis *eodem modo exponit in Epistola ad Amandum, quæ erat* E
21, *at in nuperrima editione est* 12 : *nam recitatis Prophetæ verbis, de illis sic loquitur* : Quod ille divini colloquii Particeps, non salutis suæ negligens, nec insolens Domino, profundi arte consilii ausus est dicere, ut Domino justo, debitum peccatori populo interitum comminanti, oblationem suæ potius abolitionis opponeret, divinæ videlicet pietatis justitiæque securus, ut parceret et injustis misericordia Domini, dum justum non potest delere Justitia. *Rursum Augustinus Serm.* 88, *alias* 18 *de Verbis Domini, de hac* Moysis *oratione sic ratiocinatur* : Indicat Deus Famulo suo populi factum, et dicit eos se perditurum a facie sua. Intercedit Moyses ad ipsum populum rediturus... Et ne forte hoc necessitate potius quam caritate fecisse videretur, obtulit illi Deus alium populum : Faciam te, inquit, in gentem magnam, ut illos deleret. At ille non accepit, cohæret peccatoribus, petit pro peccatoribus. Et quomodo petit? Magna probatio dilectionis, fratres. Quomodo petit? Videte illam, de qua sæpe locuti sumus, maternam quodammodo caritatem. Cum Deus minaretur sacrilego populo, pia Moysi viscera tremuerunt, F
opposuit se pro illis iracundiæ Dei. Domine, inquit, si dimittis eis peccatum : sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Quam paternis maternisque visceribus, quam securus hoc dixerit, adtendens justitiam et misericordiam Dei; ut, quia justus est, non perderet justum; quia misericors est, ignosceret peccatoribus. *Hæc eximia* Moysis *caritas certa est, recteque exposita videtur petentis intentio : at de quo libro loquatur, incertius mihi apparet, quam ut certi aliquid statuendum videatur.*

§ XXIX.

AUCTORE J. S.

§ XXIX. Moyses rursum agit cum Domino, cujus minas tandem sedat, ac faciem videre desiderat : quomodo Deum viderit : iterum quadraginta diebus manens in monte, tabulas secundas accipit, et vultu splendente descendit.

Dominus pergit se iratum populo ostendere,

Quamquam Moyses *urgentissimis precibus Dominum mox placare conatus est, plenam tamen reconciliationem non nisi paulatim obtinuit. Jam ante descensum e monte impetraverat, ne totum populum deleret Deus. Dei autem sequenti maxime institerat pro reconciliatione; at responsum acceperat non prorsus favorabile,* B *uti videri potest num.* 312. *Eidem responso instituit Dominus, seu angelus ordinis superioris, Dominum repræsentans, Exod.* 33, *ubi leguntur sequentia :* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Vade, ascende de loco isto tu, et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram, quam juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens : Semini tuo dabo eam : et mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, et Amorrhæum, et Hethæum, et Pherezæum, et Hevæum, et Jebusæum, et intres in terram fluentem lacte et melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es ; ne forte disperdam te in via. Audiensque populus sermonem hunc pessimum, *(quod Dominus nollet comitari,)* luxit : et nullus ex more indutus est cultu suo. Dixitque Dominus ad Moysen : Loquere filiis Israël : Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, et delebo te. Jam nunc depone tuum, ut sciam, quid faciam tibi. Deposuerunt ergo filii Israël ornatum suum a monte Horeb. *Post hasce Domini minas,* Moyses *quoque ad augendum populi timorem, et forsan etiam, jebente Domino, tabernaculum extra castra posuit.* C *At non agitur hic de tabernaculo, quod Dominus componi jussit ; illud enim necdum erat exstructum, sed solum de tabernaculo priori, seu* Moysis *illud fuerit, seu omnibus commune.*

et Moyses tabernaculum ponit extra castra ;

315 *Verba textus sacri accipe* ỳ 7 : Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis *(uti aliud quoque deinde fuit vocatum.)* Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis, extra castra. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, et stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse *(angelus e nube)* cernentibus universis, quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, et adorabant per fores tabernaculorum suorum. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo. *Quod supra dicitur,* Moysen *locutum fuisse cum Domino* facie ad faciem, *non significat, eum vidisse Domini faciem : nam paulo post eam videre desiderat, sed familiariter fuisse cum eo locutum, et cum præsente coram, sic tamen, ut angelum, quocum loquebatur, non videret. Josue autem* puer *vocatur non ab ætate puerili, sed quia erat* Moysis *discipulus, eoque multo junior : Græce* νέος juvenis *legitur.* D

sed tandem obtinet a Deo,

316 *Quo autem modo novis rursum precibus Dominum deprecatus fuerit* Moyses, *ac tandem obtinuerit, quod petebat, subditur* ỳ 12. Dixit autem Moyses ad Dominum : Præcipis ut educam populum istum : et non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris : Novi te ex nomine, et, Invenisti gratiam coram me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, et inveniam gratiam ante oculos tuos : respice populum tuum gentem hanc. *Oratio* Moysis *nonnihil obscuritatis habet, et varie exponitur. Verum expositio Bonfrerii mihi præplacet. Hæc autem talis est :* Quia Deus supra asseruerat se nolle cum eis ascendere, sed dumtaxat missurum angelum suum præcursorem, quæ res Moysi nullo modo arridebat, amice cum Deo queritur Moyses non esse desiderio sua satisfactum, nec sibi assignatum ducem, quem cupiat. Petit ergo an perstet in sententia, missurusne sit angelum secum, an vero ipsemet Deus, tabernaculo ei in castris constructo, sit eos comitaturus, et dux in terram promissam futurus. *Hæc primorum verborum explicatio. Media vero significant summam* Moysis *apud Deum gratiam, qua utitur pro argumento, ut petat :* Ostende mihi faciem tuam, *ubi Hebræa habent,* Ostende, *vel,* Fac me cognoscere viam tuam. *Atque hinc colligit cum aliis Bonfrerius,* Moyses *hic nondum petere visionem Dei, uti petiit postea ; sed solum, ut Deus se comitem et ducem viæ exhibeat. Ratio hujus expositionis est, quia* Moyses *in eo totus esse videtur, ut id obtineat a Deo. Favent quoque verba sequentia, quibus Deus Moysi annuit :* Dixitque Dominus : Facies mea præcedet te *(id est, ego ipse præcedam)* et requiem dabo tibi. E

ut Israelitas velit comitari in via : rogans quoque Dei faciem videre,

317 Et ait Moyses : Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego et populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram ? Dixit autem Dominus ad Moysen : Et verbum istud, quod locutus es, faciem : invenisti enim gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine ; *id est,* Nominatim te cognosco et charum præ ceteris habeo, *inquit rursum Bonfrerius, qui existimat quoque, nihil hic petitum esse a* Moyse, *aut concessum a Deo, quod verbis præcedentibus non erat concessum ; sed eam concessionem approbatam et confirmatam. Posset fortasse dici,* Moysi *soli primam promissionem convenire ; secundam vero omni populo. Certe* Moyses *de se tantum initio locutus fuerat, dixeratque angelus,* præcedet te ; *at deinde de toto populo agit, et Dominus similiter annuit. Hisce autem obtentis, ad aliam postulationem prosilit* Moyses, *ut sequitur :* Qui *(Moyses)* ait : Ostende mihi gloriam tuam. Respondi : Ego ostendam omne bonum tibi, et vocabo in nomine Domini coram te : et miserebor, cui voluero ; et clemens ero, in quem mihi placuerit. Rursumque ait : Non poteris videre F

A dere faciem meam : non enim videbit me homo, et vivet. Et iterum : Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, et protegam dextera mea, donec transeam : tollamque manum meam, et videbis posteriora mea : faciem autem meam videre non poteris. *Hæc verba rursum multas habent difficultates.*

partim exauditur :

318 *Primo hæ voces* Ostendam tibi omne bonum, *videntur hic solum significare,* Ostendam tibi *bonum aliquod excellentissimum, seu gloriam meam, at ex parte, ut infra additur. Secundo voces,* Vocabo IN NOMINE DEI coram te : et MISEREBOR CUI VOLUERO, ET CLEMENS ERO, IN QUEM MIHI PLACUERIT, *attribuendæ sunt angelo, qui transiturus erat coram* Moyse, *et sic indicaturus præsentiam suam, dicendo videlicet nomen Dei, et aliqua Dei epitheta, præsertim hæc,* Miserebor *etc.; quæ simul indicabunt me gratis hunc tibi favorem præstare. Tertio posteriora omnia satis insinuare videntur, nihil aliud hic promitti* Moysi, *nisi quod videret corpus illud gloriosum, quod assumebat angelus Deum* B *repræsentans, quocum frequenter et familiariter* Moyses *loquebatur, sic tamen, ut voces quidem ex propinquo audiret; at corpus assumptum ab angelo non videret. Nihil præterea* Moysi *hic promissum esse, colligitur quoque ex eventu mox referendo. Utrum vero ipsam Dei essentiam aliquando in vita videret* Moyses, *latius inquiram circa finem Commentarii.*

deinde jubetur duas tabulas componere, et cum iis montem ascendere, ubi fruitur visione,

319 *Porro Dominus per angelum suum eodem tempore jubet* Moysen *duas tabulas componere, quales fuerant priores, mandatum suum sic exponens cap.* 34 : Ac deinceps (*Moysi Dominus :*) Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, et scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem : boves quoque et oves non pascantur econtra. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant : et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai. *Mox sequitur impletio promissionis* Moysi *die præcedente factæ, quod videret posteriora Domini, eaque sic narratur :* Cumque descendisset Dominus per nu- C bem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait : Dominator Domine Deus, misericors et clemens, patiens et multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia : qui aufers iniquitatem, et scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam et quartam progeniem. *Disputant hic interpretes, utrum verba illa, tempore visionis dicta,* Dominator Domine *etc.,* Moysi *attribuenda sint, uti insinuat textus Vulgatæ; an angelo transeunti, ut quidam volunt habere textum Hebræum, et Septuaginta interpretes. Verum textus Hebræus ambiguus est, et utrique sensui aptari potest, uti et textus Septuaginta. Quapropter non video, necessario hæc verba* Moysi *abjudicanda esse. Idem dicendum de vocibus* invocans nomen Domini, *quæ rursum in Hebræo ambiguæ sunt,* Et invocavit nomen Domini, *uti et in Græco,* Et vocavit.

quæ varie exponitur :

320 *Cornelius a Lapide in hunc locum cum multis aliis existimat, relata verba Domino seu angelo potius attribuenda esse quam* Moysi, *quia cap.* 33 ℣ 19 *similia verba se in transitu dicturum promiserat Dominus, et quia Num.* 14 ℣ 17 *eadem fere verba Domino, ut ante dicta, attribuit* Moyses; *atque huic expositioni adaptari posse verba Vulgatæ ostendit, vultque Dominum illa verba dixisse, ut* Moysi *traderet formulam orandi. Probabilis sane est hæc interpretatio; at cum fateatur, textum Hebraicum et Græcum, utrique sensui aptari posse; idque facilius fieri possit, quam verba Vulgatæ sic possint exponi, ut voces sæpe dictæ angelo aut Domino attribuantur, altera ejusdem expositio mihi præplacet. Hanc tradit eo modo :* Si verba nostri interpretis de Mose velis accipere, tanquam ab eo prolata; dicito, Deum transentem coram Mose hæc verba primo protulisse, deinde Mosem Deum secutum secundo illa pronuntiasse, ut ab eo hæc Dei verba iterata fuerint. *Porro alia quoque mihi, singula consideranti, explicatio incidit; eamque lectori lubens communicabo. Recitavit* Moyses *cap.* 33 ℣ 19 *verba, quæ transiens Dominus erat dicturus, uti et alia, quæ acturus tunc erat, mox ibi subjungit. Verum cap.* 32 ℣ 5 *et seq. de hisce silet* Moyses, E *quia jam relata erant; et tantum narrat, quid ipse occasione istius visionis dixerit. Hæc conjectura mihi apparet verisimilis, quia verba, quæ Domino dicenda attribuuntur, multo breviora sunt, et non plane eadem cum iis, quæ* Moyses *dixit secundum hanc sententiam. Verba vero Num.* 14 ℣ 17 *parum ad rem faciunt, cum non sint eadem, et collecta potius videantur ex dictis diverso tempore. S. Augustinus quæst.* 154 *in Exodum credidit, promissam* Moysi *visionem mystice explicandam esse,* Moysique *oblatam non fuisse, quia nullibi dicitur* Moyses *posteriora Domini vidisse. Verum alii omnes passim existimant, eam visionem hic referri, licet non omnia rursum expressis verbis asserantur facta, quæ promissa erant.*

orans rursum pro populo, ac quadraginta diebus manens in monte,

321 *Postquam visio, quæ brevis haud dubie fuit, quaque durante* Moyses *stetit immotus, ex oculis ipsius evanuerat, ad solitas preces revertitur : nam sic putem intelligenda verba sequentia :* Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram, et adorans, ait : Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervi- F cis est) et auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas. Respondit Dominus : Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam, quæ numquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus : ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile, quod facturus sum. Observa cuncta, quæ hodie mando tibi : ego ipse ejiciam ante faciem tuam morrhæum *etc. Deinde traduntur varia præcepta, quorum observationem Dominus inculcat : subditurque* ℣ 27 : Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies et quadraginta noctes : panem non comedit et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba fœderis decem. *De hisce loquitur* Moyses *ad populum Deut.* 10 ℣ 10 *hoc modo :* Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus : exaudivitque me Dominus etiam hac vice, et te perdere noluit. Dixitque mihi : Vade, et præcede populum, ut ingrediatur, et possideat terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis.

322 *Et ibidem* ℣ 1 *de tabulis :* In tempore illo

AUCTORE J. S.

tabulas cum inscriptis decem præceptis recipit, quas deinde arcæ inclusit :

illo dixit Dominus ad me : Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem : faciesque arcam ligneam, et scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis setim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus. Scripsitque in tabulis juxta id, quod prius scripserat, verba * decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est : et dedit eas mihi. Reversusque de monte, descendi, et posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ huc usque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. *Quod dicitur de tabulis arcæ impositis, paulo serius factum est, ni mirum postquam arca erat composita. At* Moyses *in Deuteronomio facta solet narrare sine ordine temporis, prout singula magis conducebant ad propositum. Mansisse deinde quoque tabulas in arca, habemus 3 Reg. 8 ỷ 9, ubi hæc leguntur :* In arca autem non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum B filiis Israël, cum egrederetur de terra Ægypti: *Idem dicitur 2 Paralip. 5 ỷ 10 : earumdemque in arca positarum meminit Apostolus Hebr. 9 ỷ 5.*

* i. e. præcepta

splendor vultus Moysis.

323 *Cum autem de monte cum tabulis descendit* Moyses, *novum ac gloriosum spectaculum obtulit vultu splendente, et radios instar cornuum emittente. Audi verba ipsius Exod. 34 ỷ 29 :* Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron et filii Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere. Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filii Israël : quibus præcepit cuncta, quæ audierat a Domino in monte Sinai. Impletisque sermonibus, posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum, et loquens cum eo, auferebat, donec exiret, et tunc loquebatur ad filios Israël omnia, quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem C suam, si quando loquebatur ad eos. *Hactenus textus sacer. Dubitari autem non potest, quin splendorem illum, qui tantus erat, ut, teste Apostolo 2 Cor. 3 ỷ 7,* non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus, *Deus* Moysi *contulerit ad majorem auctoritatem et reverentiam ei conciliandam apud populum, intimamque suam cum eo familiaritatem declarandam. De velamine, quo* Moyses *faciei splendorem obtegat, ut Israelitæ liberius cum eo loquerentur, meminit Apostolus 2 Cor. 3 ỷ 13, allegoricam illius significationem exponens.*

D

§ XXX. Tabernaculi aliorumque constructio, erectio et consecratio : Aaron et filii ejus sacerdotes consecrati : ac duo ex his morte divinitus puniti.

Moyses exponit mandata Domini de tabernaculo, aliisque construendis :

Postquam fœdus Israelitarum cum Domino instauratum erat per Moysen, *plenaque populi reconciliatio iterata tabularum acceptione erat confirmata, sanctus Legislator omnem adhibuit diligentiam, ut mandata Domini populus perfecte impleret. Hac de causa populum convocatum docuit, quid fieri jussisset Dominus, ut legitur Exod. 35 :* Igitur congregata omni turba filiorum Israël, dixit ad eos : Hæc sunt, quæ jussit Dominus fieri. *Repetitoque præcepto de Sabbato religiose observando, procedit ad oblationem omnium, quæ necessaria erant ad construendum tabernaculum, aliaque ad cultum Dei et cæremonias spectantia.* Et ait Moyses : E (ỷ 4) ad omnem catervam filiorum Israël : Iste est sermo, quem præcepit Dominus, dicens : Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius et prono animo offerat eas Domino : aurum et argentum et æs, hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, et byssum, pilos caprarum, pellesque arietum rubricatas, et ianthinas, ligna setim, et oleum ad luminaria concinnanda,. et ut conficiatur unguentum, et thymiama suavissimum, lapides onychinos, et gemmas ad ornatum superhumeralis et rationalis. *Hæc dona erant offerenda. Præterea, ut sequitur,* Quisquis vestrum sapiens est *(seu peritus artifex)* veniat, et faciat, *(sub directione videlicet Beseleel et Ooliab)* quod Dominus imperavit : tabernaculum scilicet, et tectum ejus; *ceteraque ad cultum divinum, cæremoniasque et vestes sacerdotales spectantia, quæ ibi enumerantur.*

populus vero dona offert hunc in finem plura, quam erat necesse

325 *Promptissime mandanti hæc* Moysi *paruerunt Israelitæ, uti dicitur ỷ 20 :* Egressaque omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum F opus tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum et ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas, et inaures, annulos, et dextralia : omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habebat hyacinthum et purpuram, coccumque bis tinctum, byssum et pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, et ianthias, argenti ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus. Sed et mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, et vermiculum, et byssum, et pilos caprarum, sponte proprio cuncta tribuentes. Principes vero obtulerunt lapides onychinos, et gemmas ad superhumerale et rationale *(vestimenta sunt summi Sacerdotis)* aromataque et oleum ad luminaria concinnanda, et ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris suavissimi componendum. Omnes viri et mulieres mentes devota obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israël voluntaria Domino dedicaverunt. *Imo tantus fuit ardor Israelitarum,* ut

A *ut finem non fecerint offerendi, nisi jussi novo mandato. Audi ea de re dicta* Moysis *cap.* 36 ỳ 3 *:* Qui *(artifices)* cum instarent operi, quotidie mane vota *(id est, dona)* populus offerebat. Unde artifices venire compulsi, dixerunt Moysi: Plus offert populus quam necessarium est. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis, eo quod oblata sufficerent et superabundarent.

et artifices prompto animo opus aggrediuntur,

326 *Porro uti pretiosissima quæque promptissime offerebantur ab Israelitis, ita artifices plurimi se sponte obtulerunt, ut sub designatis a Domino Beselcel et Ooliab omnia perficerent opera, quæ Dominus fieri jusserat. Beselcel vero et Ooliab, quos Dominus singulari sapientia et intelligentia ad hunc finem instruxerat,* Moyses *populo præsentavit, ut habetur cap.* 35 *circa finem. Hi vero cum aliis se sponte offerentibus opus alacriter aggressi sunt, sicut exponitur cap.* 36 *his verbis :* Fecit ergo Beseleel et Ooliab, et omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus intel- B ligentiam et intellectum, ut scirent fabre operari, quæ in usus sanctuarii necessaria sunt, et quæ præcepit Dominus. Cumque vocasset eos Moyses, et omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, tradidit eis universa donaria filiorum Israel. *Hoc igitur modo a dictis artificibus constructa sunt tabernaculum, arca, vestes sacerdotales, ceteraque omnia ad tabernaculum cultumque divinum et cæremonias attinentia, in quibus materiam pretiosissimam opus haud dubie superavit, cum ideam omnium Dominus ipse* Moysi *suggesserit,* Moyses *vero eam artificibus communicaverit; atque hi singulari scientia et peritia ad omnia scite exequenda a Domino sint donati.*

ita ut sex aut septem mensibus omnia fuerint perfecta :

327 *Sex circiter menses omnium constructioni videntur impensi, aut ad summum menses fere septem: nam mense tertio inchoato Israelitæ venerunt ad montem Sinai, ibique fuerunt tribus ut minimum mensibus, antequam constructio prædictorum inchoaretur, ut facile colligi potest ex gemina* Moysis *quadraginta dierum mansione in monte, gestisque anterioribus et intermediis, ita* C *ut opera illa inchoata videantur mense sexto. Itaque, cum omnia fuerint perfecta ante finem anni, ut mox videbimus, per sex menses, et forsan partem septimi, constructio omnium tenuit. Porro plurima, eaque admodum pretiosa, quæ pertinebant ad solum tabernaculum, explicat Exodus cap.* 36, *ubi partes tabernaculi describuntur. Cap.* 37 *narratur constructio arcæ, propitiatorii, mensæ, candelabri, lucernarum, altaris thymiamatis, ac thymiamatis ipsius, et unguenti; uti et cap.* 38 *altaris holocausti, labri æneі, totiusque atrii tabernaculi cum partibus suis. Tandem cap.* 39 *enarrantur omnia indumenta pontificalia ac sacerdotalia ab iisdem composita, affirmaturque, omnia constructa fuisse, quæ fieri jusserat Dominus, ita ut nihil ex omnibus deesset. Demum ibidem* ỳ 43 *subjungitur :* Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

jubetur Moyses tabernaculum erigere et sacerdotes consecrare ;

328 *Perfectis autem omnibus, mandatum accepit* Moyses *a Domino, quod refertur cap.* 40 *his verbis :* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonii, et pones in eo arcam, demittesque ante illam velum *(ad separationem sancti a sancto sanctorum :)* et illata mensa, pones super eam, quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis, et altare aureum, in quo adoletur incensum, coram arca testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones, et ante illud altare holocausti: labrum inter altare et tabernaculum, quod implebis aqua. Circumdabisque atrium tentoriis, et ingressum ejus. Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur: altare holocausti et omnia vasa ejus: labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint sancta sanctorum. Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. Fecitque Moyses omnia, quæ præceperat Dominus. *Verum non omnia uno die, aut levi opere sunt perfecta.*

AUCTORE J. S.

erectio tabernaculi, positioque omnium ad illud spectantium :

329 Igitur, *ut sequitur* ỳ 15, mense primo anni secundi *(ab egressu,)* prima die mensis, collocatum est tabernaculum. Erexitque Moyses illud, et posuit tabulas ac bases et vectes, statuitque columnas, et expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat. E *Hæc tota tabernaculi constructio, per partes nominata, sed sine atrio. Sequitur arca cum oraculo seu propitiatorio, quæ locanda erat in illa tabernaculi parte, quæ vocatur* sanctum Sanctorum, *veloque separabatur ab altera parte, quæ dicitur* sanctum. ỳ 18 Posuit et testimonium *(id est, tabulas)* in arca, subditis infra vectibus, et oraculum desuper. Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum... Posuit et mensam in tabernaculo testimonii ad plagam Septemtrionalem extra velum ... Posuit et candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte Australi, locatis per ordinem lucernis ... Posuit et altare aureum sub tecto testimonii contra velum, et adolevit super eo incensum aromatum.. Posuit et tentorium in introitu tabernaculi testimonii, et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum et sacrificia .. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii et altare, implens illud aqua. Laveruntque Moyses et Aaron ac filii ejus manus suas et F pedes, cum ingrederentur tectum fœderis, et accederent ad altare ... Erexit et atrium per gyrum tabernaculi et altaris, ducto in introitu ejus tentorio. *Hæc positio totius tabernaculi cum atrio, omnibusque ad illud pertinentibus. Omnia autem facta sunt,* ut Dominus imperaverat, *quod frequenter repetitur.*

gloria Domini illud obumbrat :

330 Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonii, et gloria Domini implevit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, et majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. *Quod non posset* Moyses *ingredi ob nimiam nubis claritatem et densitatem, initio tantum contigit in dedicatione. Nam alias* Moyses *sæpe ingrediebatur, ut consuleret Dominum, ut habetur Num.* 7 ỳ 89 *:* Cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, ut consuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam testimonii inter duos cherubim, unde et loquebatur ei. *Post erectionem autem tabernaculi, ex nube ei incubante discebant Israelitæ, quando proficisci deberent, aut manere in loco, quemadmodum Exod.* 40 ỳ 34 *exponitur his verbis :* Si quando

AUCTORE J. S.

quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israël per turmas suas: si pendebat desuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, et ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas. *Hæc de tabernaculi nube referuntur occasione erectionis. At redeamus ad ea, quæ* Moyses *fecit eo die, quo tabernaculum non solus, sed juvantibus artificibus, qui istud construxerant, erexit.*

consecratio tabernaculi,

331 *Jusserat Dominus non solum erigere tabernaculum, sed etiam illud cum ceteris omnibus consecrare, atque inungere insuper Aaronem et quatuor filios ejus, ac sacerdotio initiare. Cæremoniæ hæ inchoatæ creduntur eodem die, et continuatæ sunt per dies septem, sicuti refertur Levit.* 8, *ubi etiam referuntur sacrificia, quæ singulis diebus hac de causa per* Moysen *fuere oblata. Ritus consecrationis ibidem legi potest. Exod. vero* 29 *præcipit Dominus* Moysi, *quo modo omnia fieri deberent; ibique* ℣ 37 *altaris consecratio æque per septem dies continuanda præscribitur, quam*
B *consecratio pontificis et sacerdotum. Et Levit.* 8 ℣ 10 *ante unctionem Aaronis, sic refertur tabernaculi aliorumque inunctio :* Tulit et unctionis oleum *(Moyses)*, quo livinit tabernaculum cum omni supellectili sua. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud et omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo. *Totis illis septem diebus consecrandi manebant in tabernaculo ut dicitur* ℣ 33 *ubi additur :* Septem enim diebus finitur consecratio. *Hanc solus peragebat* Moyses, *qui et sacrificia iisdem diebus cuncta offerebat.*

cujus causa principes munera offerunt :

332 *Porro hujus consecrationis gratia principes Israelitarum ingentia obtulerunt munera. Num.* 7 *de hac oblatione leguntur sequentia :* Factum est autem in die, qua complevit Moyses tabernaculum, et erexit illud: unxitque et sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter et omnia vasa ejus: obtulerunt principes Israël et capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum, qui numerati fuerant *(jam ante perfectum tabernaculum Exod.* 28 ℣ 25) munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. *Serviebant hæc plau-*
C *stra ad vehendas partes tabernaculi, quando erat proficiscendum. Hæc oblatio fieri potuit die prima mensis, qua tabernaculum erectum est. Verum altera principum oblatio* ℣ 10 *relata, quæ diebus duodecim continuata est, tantum videtur inchoata post dedicationem absolutam, seu die octava mensis, eaque sic refertur :* Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris die, qua unctum est, oblationem suam ante altare. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. *Singuli autem eadem munera per dies duodecim obtulerunt, ut ibidem videri potest. Hanc oblationem verisimiliter tantum cœptam esse die octava mensis, ea de causa asserui, quod oblationes fierent ad sacrificia offerenda, quodque non alia sacrificia oblata videantur diebus septem, quibus duravit consecratio, quam quæ hunc in finem referuntur oblata Levit.* 8. *Quod vero dicitur*, die, qua unctum est, *altare scilicet, potest exponi de die prima post absolutam unctionem; et forsan rectius de tempore indeterminato, ut solum significet* circa illud tempus. *Certe ita intelligi debet oblatio omnium duodecim principum, de qua dicitur* ℣ 84 *:* Hæc in dedicatione altaris oblata sunt a principibus Israël, in die, qua consecratum est, acetabula argen- D
tea duodecim *etc.: nam duodecim diebus consequentibus singuli unum acetabulum cum aliis muneribus obtulerunt per vices.*

consecratio sacerdotum prodigio nobilitata ;

333 *Die octava mensis primi Aaron sacrificia offerre cœpit cum quatuor filiis sacerdotibus; sed duo ex his seniores eodem die sublati sunt morte repentina. Res tota narratur Levit.* 9 *et* 10 *hoc modo :* Facto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron et filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron : Tolle de armento vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, et offer illos coram Domino. Et ad filios Israel loqueris : Tolle hircum pro peccato *etc*... Hodie enim Dominus apparebit vobis *(aliquo nimirum prodigio,)* Tulerunt ergo cuncta, quæ jusserat Moyses, ad ostium tabernaculi : ubi cum omnis multitudo astaret, ait Moyses : Iste est sermo, quem præcepit Dominus : facite, et apparebit vobis gloria ejus. *Deinde referuntur varia sacrificia, quæ sacrificavit Aaron, juvantibus filiis. Subditur vero* ℣ 22: Et extendens *(Aaron)* manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, et holocaustis et pacificis, descen- E
dit. Ingressi autem Moyses et Aaron in tabernaculum testimonii, et deinceps egressi, benedixerunt populo. Apparuitque gloria Domini omni multitudini: et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, et adipes, qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas. *Hactenus læta omnia novis sacertotibus, quos Dominus hoc prodigio honorificavit.*

duo ex sacerdotibus, quia ad sacrificandum sumpserant ignem non sacrum, morte puniti

334 *At trisliora eodem, ut videtur, die secuta sunt, dum Dominus nonnullam duorum negligentiam severa pœna punire voluit, ut ostenderet quanta cura ad altare oporteat accedere. Cap.* 10 Moyses *factum et pœnam sic exponit:* Arreptisque Nadab et Abiu, filii Aaron *(natu majores)* thuribulis, posuerunt ignem et incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum : quod eis præceptum non erat, *(id est vetitum erat.)* Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, et mortui sunt coram Domino, *in tabernaculo videlicet. Num.* 3 ℣ 4 *de morte illa hoc legitur :* Mortui enim sunt Nadab et Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspe- F
ctu Domini in deserto Sinai, absque liberis. *Item Num.* 26 ℣ 61 : De Aaron orti sunt Nadab et Abiu, et Eleazar et Ithamar : quorum Nadab et Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienam coram Domino. *Ratio mortis ubique eadem ponitur, nimirum quod* obtulissent ignem alienum coram Domino, *id est, quod ignem non sacrum, thuribulis ad tabernaculum allatum, posuissent in altari thymiamatis, cum debuissent sumere ignem ab altari holocaustorum, ut ex hoc loco colligitur. Certe locum sic explicant plerique interpretes, et recte, quantum existimo. Negligentiam hanc morte punivit Dominus. At ex gravitate pœnæ illius temporalis non recte colligemus gravitatem peccati eorum, cum leve etiam peccatum morte punire possit Dominus, vitæ mortisque arbiter.*

sepultique, at vetitum aliis exire tabernaculo :

335 *Quid autem* Moyses *fecerit, visa hac morte duorum fratris sui filiorum, quos Domini jussu sacerdotes consecraverat, narrat Levit.* 10 ℣ 3 *sic prosecutus :* Dixitque Moyses ad Aaron : Hoc est, quod locutus est Dominus : Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor. *Sensus est, juslum*

A *justum me ostendam puniendo peccata eorum, qui mihi appropinquant, seu sacerdotum; et efficiam, ut hanc meam justitiam populus videat et prædicet; atque ita a peccatis deterreatur.* Quod audiens tacuit Aaron. Vocatis autem Moyses Misaele et Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite et tollite fratres vestros de conspectu sanctuarii, et asportate extra castra. Confestimque pergentes tulerunt eos, sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, et ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum. *Portabantur extra castra ad sepulturam, quia Judæi in urbibus aut in castris mortuos non sepeliebant. Præterea* Moyses *Aaroni ejusque filiis prohibuit, ne externa doloris signa proderent, quemadmodum refert* ℣ 6 *his verbis*: Locutusque est Moyses ad Aaron, et ad Eleazar, et Ithamar, filios ejus: Capita vestra nolite nudare, et vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, et super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, et omnis domus Israel, plangant incendium, quod Dominus suscitavit: vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia B juxta præceptum Moysi. *Poterant alii plangere et lugere defunctos incendio, idque re ipsa fecerunt; at non Aaron ejusque filii, quia erant in ministerio sacro.*

alii quoque sacerdotibus nonnihil erroris obrepserat.

336 *Porro aliis quoque sacerdotibus aliquid erroris obrepsit, sed pœnam non incurrerunt. Sacerdotes enim de sacrificiis, excepto holocausto, aliqua comedebant,* Moysesque *id eos facere jusserat* ℣ 12. *At* ℣ 16 inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar et Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait: Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, et data vobis, ut portetis iniquitatem multitudinis, et rogetis pro ea in conspectu Domini, præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta et comedere debueritis eam in sanctuario, sicut præceptum est mihi? Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, et holocaustum coram Domino: mihi autem accidit, quod vides. *Mortem duorum filiorum insinuat, et sic pergit*: Quomodo potuit comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis, mente lugubri? C Quod cum audisset Moyses recepit satisfactionem. *Similia ostendunt, quam attentus ad omnia, quam peritus cæremoniarum, quamque accuratus in minimis etiam fuerit sanctus Legislator.*

§ XXXI. Enumeratio populi: Levitæ ad usum tabernaculi assumpti et numerati: tubæ compositæ, aliaque ad servandum ordinem in profectione agminis.

Leges multæ acceptæ a Deo et conscriptæ,

Erectio tabernaculi, aliaque ea occasione facta, quæ narravimus, magnam partem absumpserunt mensis primi anni secundi ab egressu. Reliqua pars illius mensis videtur impensa fuisse variis legibus ad ritus et cæremonias spectantibus, quas seu in monte Sinai, seu in tabernaculo, a Domino accepit Moyses, *et per partes haud dubie conscripsit et promulgavit, cum omnes simul conscribi et promulgari non potuerint ob multitudinem; cumque multa ex illis ad solos sacerdotes spectent aut ad Levitas. Videri de illis potest totus liber Leviticus, qui nihil fere continet nisi leges maxime cæremoniales, quasdam tamen etiam morales et judiciales. In fine autem totus liber clauditur his verbis*: Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai. *Et caput penultimum hoc etiam modo finitur*: Hæc sunt judicia atque præcepta, et leges, quas dedit Dominus inter se et filios Israel in monte Sinai per manum Moysi. *Verumtamen ex his verbis nolim concludere, omnia præcepta* Moysi *data fuisse in monte Sinai: nam data verba intelligi possunt de tribus ultimis capitibus, cum caput* 25 *sic inchoëtur*: Locutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai *etc. Contra ex multis aliis locis facile colligi potest, multa adhuc* Moysi *præcepta data fuisse post erectum tabernaculum: eo autem tempore Dominus Servo suo loqui solebat in ipso tabernaculo. Illo quoque tempore contingere potuit dubitatio illa de pœna homini blasphemo irroganda: de qua consultus Dominus Levit.* 24 ℣ 13 *jussit hominem lapidibus obrui, uti factum refertur* ℣ 23 *his verbis*: Locutusque est Moyses ad filios Israel: et eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel, sicut præceperat Dominus Moysi. E

populus enumeratus,

338 *Multa deinde ordinata sunt per* Moysen, *jubente Domino, ut tam in castrametationibus quam in itineribus elegans servaretur dispositio. Primum ad hunc finem conducebat enumeratio totius populi per singulas tribus, de qua Num.* I *hæc leguntur*: Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens: Tollite summam universæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domos suas, et nomina singulorum, quidquid sexus est masculini a vigesimo anno et supra, omnium virorum fortium ex Israel, et numerabitis eos per turmas suas, tu et Aaron. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis. *Nominatis autem duodecim tribuum principibus, ut ibidem videri potest, sic pergit*: Hi nobilissimi principes multitudinis per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israel: quos tulerunt Moyses et Aaron cum omni vulgi multitudine: et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, et domos, ac familias, et capita, et nomina singulorum, a vigesimo anno et supra, sicut præceperat Dominus. Numeratique sunt in deserto Sinai. *Singularum tribuum numerum mox* Moyses *ibidem refert, ac de omnibus simul computatis* ℣ 45 *sic subjungit*: Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos et familias suas a vigesimo anno et supra, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria milia virorum quingenti quinquaginta. *Levitæ non comprehendebantur hoc numero: attamen duodecim erant tribus, quia posteri Josephi duas tribus constituebant,* Ephraim *nimirum et* Manasse, *ita ut tribus Levi esset decima tertia.* Levitæ autem, *ut sequitur*, in tribu familiarum suarum non sunt numerati cum eis, *ita mandante Domino, qui hanc tribum elegerat ad usum tabernaculi, ut dicemus.* F

339 *Enumeratis*

AUCTORE J. S

totus exercitus in quatuor agmina divisus,

339 *Enumeratis Israëlitis, totum exercitum jussit Dominus dividi in quatuor agmina, quæ singula constarent ex ternis tribubus, et quorum primum ad Orientem, alterum ad Meridiem, tertium ad Occidentem, ac quartum demum ad Aquilonem castrametaretur; ut et in itinere eodem ordine proficiscerentur. Pulcherrima hæc dispositio, qua numerosissimi exercitus confusio vitabatur, refertur Num.* 2 *hoc modo:* Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens: Singuli per turmas, signa, atque vexilla, et domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis: *seu tabernaculo relicto in medio. Mox primum agmen ita describitur:* Ad Orientem Judas *(caput hujus agminis)* figet tentoria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab: et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar: et omnis numerus pugnatorum ejus, quinquaginta quatuor millia quadringenti. In tribu Zabulon B princeps fuit Eliab filius Helon. Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti. Universi, qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: et per turmas suas primi egredientur. *Hoc primum agmen ceteris erat numerosius. Secundi agminis, ad Meridiem castrametati, caput erat tribus Ruben, eique adjunctæ erant tribus Simeon et Gad. In hoc agmine erant* centum quinquaginta millia et mille quadringenti quinquaginta. *Tertii agminis, ad Occidentem locati, caput fuit tribus Ephraim, quæ secum habebat tribus Manasse, et Beniamin, Summa erat* centum octo millia *et* centum. *Agmini quarto, ad Aquilonem constituto, præerat tribus Dan, erantque adjunctæ tribus Aser et Nephthali. Erant autem in hoc agmine pugnatores* centum quinquaginta septem millia sexcenti, *qui ultimum agmen constituebant.*

Levitæ ad servitium tabernaculi assumpti, ac bis vario modo recensiti

340 *Quemadmodum ordinem duodecim tribuum pulcherrime disposuit* Moyses, *mandante Domino, ita non minus accurate divisit ministeria Levitarum, qui hac etiam de causa seorsum numerati sunt. Num.* 1 ℣ 48 *indicat Dominus, ad quod ministerium destinasset Levitas.* C Moysen *audiamus:* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Tribum Levi noli numerare *(cum aliis,)* neque pones summam eorum cum filiis Israël: sed constitue eos super tabernaculum testimonii et cuncta vasa ejus, et quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum et omnia utensilia ejus: et erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur *(videlicet inter tabernaculum et quatuor Israelitarum agmina jam dicta.)* Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum: cum castrametandum, erigent: quisquis externorum accesserit, occidetur. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas et cuneos, atque exercitum suum. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, et excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii. *Cap.* 3 ℣ 5 *ad propositum nostrum hæc dicuntur:* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei, et excubent, et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii, et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio D ejus. Dabisque dono Levitas Aaron et filiis ejus, quibus traditi sunt a Israel. Aaron autem et filios ejus constitues super cultum sacerdotii. *Mox quoque addit Dominus, se Levitas sibi vendicare pro primogenitis, quos jam in Ægypto sibi sanctificaverat. Census deinde Levitarum habitus est, sed non eodem plane modo, quo alii Israëlitæ erant enumerati; at pueri etiam unius mensis sunt recensiti. De his dicitur* ℣ 14*:* Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens: Numera filios Levi per domos patrum suorum et familias, omnem masculum ab uno mense et supra. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus, et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson et Caath et Merari. *Hi tres erant filii Levi, et patres omnium Levitarum, qui ab illis divisi fuerunt in Gersonitas, seu filios Gerson; Caathitas, seu filios Caath; et Meraritas, seu filios Merari: trium harum familiarum ministeria per* Moysen *distincta videbimus. Gersonitæ* ab uno mense et supra *recensiti sunt* septem millia quingenti: *Caathitæ* octo millia sexcenti: *Meraritæ* sex millia ducenti. E *Exiguus sane horum erat numerus, si compareretur cum numero aliarum tribuum. Levitas autem omnes pro primogenitis Aaroni dedit Deus ad ministerium tabernaculi. Deinde aliam enumerationem Levitarum ab annis triginta usque ad quinquaginta fieri jussit Deus, ut sua singulis ministeria assignarentur.* Omnes *autem, ut habetur Num.* 4 ℣ 46, qui recensiti sunt de Levitis, et quos recenseri fecit ad nomen Moyses et Aaron, et principes Israel, per cognationes et domos patrum suorum, a triginta annis et supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, et onera portanda, fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.

deinde sua accipiunt ministeria,

341 *Ministeria autem Levitarum sic divisa leguntur Num.* 4. *Postquam Aaron cum filiis suis omnia, quæ erant in tabernaculo, videlicet arcam, mensam, candelabrum, altare aureum seu thymiamatis, reliquamque minorem supellectilem, deposuerant, et probe multis operimentis involverant, dabant ea omnia Caathitis, quibus præerat Eleazar sacerdos, illique omnia ista humeris suis portare debebant, sacerdotibus onera dividentibus. Hoc erat ministerium Caathitarum, ex quorum familia erat* Moyses *ipse et Aaron. Gersonitæ vero, quibus præfectus erat Ithamar sacerdos, portabant omnes cortinas, et altare æneum seu holocaustorum, omniaque ad illud altare spectantia. At hi plaustra habebant, quibus onera sua vehere poterant. Meraritæ, quibus item erant plaustra, vehebant omnes tabulas, vectes, columnas, et bases tam tabernaculi quam atrii, aliaque eo spectantia. Hisce item Ithamar præerat. Latius hæc videri possunt Num.* 4. *De plaustris vero Gersonitis et Meraritis non vero Caathitis per* Moysen *datis, sic legitur Num.* 7 ℣ 6*:* Itaque cum suscepisset Moyses plaustra et boves, tradidit eos Levitis. Duo plaustra et quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id, quod habebant necessarium. Quatuor alia plaustra et octo boves dedit filiis Merari, secundum officia et cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis. Filiis autem Caath non dedit plaustra et boves: quia in sanctuario serviunt, et onera propriis portant humeris. F

et ideo consecrantur ab Aarone:

342 *Porro, ut Levitæ designata ministeria obirent, eos primum consecrari voluit Dominus. Hac*

A *Hac de causa* Moysen *docuit ritum consecrationis Levitarum, ipsamque consecrationem fieri jussit per Aaronem, uti legitur Num.* 8, *ubi etiam cæremoniæ consecrationis enarrantur. De re peracta* ℣ 20 *habentur sequentia :* Feceruntque Moyses et Aaron et omnis multitudo filiorum Israël super Levitis, quæ præceperat Dominus Moysi: purificatique sunt, et laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis, ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron et filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est. *Quanto autem tempore servire tabernaculo deberent Levitæ, mox ita subjungitur :* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Hæc est lex Levitarum : A viginti quinque annis et supra ingredientur, ut ministrent in tabernaculo fœderis. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt : eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant, quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitis in custodiis suis.

B *Hactenus de Levitis, quorum singulis familiis suus etiam assignatus est castrametandi locus, ut videri potest Num.* 3. *Præterea aliquæ leges cæremoniales, iisdem temporibus latæ, legi possunt Num.* 5, 6 *et* 9.

tubæ duæ compositæ : quo signo proficiscerentur aut quiescerent Israëlitæ.

343 *Priusquam a monte Sinai recesserunt Israëlitæ, jussit demum Dominus componi duas tubas argenteas, quibus tanta multitudo imperium* Moysis *facilius posset cognoscere, uti refertur Num.* 10. *Sacerdotes his tubis clangebant, ususque earum erat multiplex. Nam pro varietate clangoris, varia significabantur; illisque tubis convocabatur nunc populus universus, nunc soli principes : alias iisdem tubis signum dabatur ad castra movenda, earumdemque erat usus tam in bello quam in festivitatibus. Hisce omnibus dispositis, sanctus Legislator exspectabat signum ad proficiscendum, deserendumque locum, in quo per integrum annum, exceptis aliquot diebus, non otiose nec inutiliter fuerat castra metatus. Signum istud Num.* 9 ℣ 15 *et seq. sic describitur :* Igitur die, qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque

C mane. Sic fiebat jugiter : per diem operiebat illud nubes, et per noctem quasi species ignis. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israël : et *(quando erant in itinere)* in loco, ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur. *(Atque eo modo)* ad imperium Domini proficiscebantur, et ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco : et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israël in excubiis Domini, et non proficiscebantur, quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, et ad imperium illius deponebant. Si fuisset nubes a vespere usque mane, et statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur : et, si post diem et noctem recessisset, *(similiter ad iter)* dissipabant tentoria. Si vero biduo aut uno mense vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israël in eodem loco, et non proficiscebantur : statim autem ut recessisset, movebant castra. Per verbum Domini figebant tentoria, et per verbum illius proficiscebantur : erantque in excubiis Domini *(id est, diligenter observantes motum nubis)* juxta imperium ejus per manum Moysi. *Hactenus de gestis in deserto Sinai, unde* Moysen *cum toto exercitu discedentem videbimus, postquam Josephum et Philonem de gestis ibidem discusserimus.*

AUCTORE J. S.

§ XXXII. Asserta Josephi et Philonis de gestis apud montem Sinai expenduntur et corriguntur, multis tamen brevitatis causa omissis.

Josephus prioru gesta apud montem Sinai

Josephus lib. 3 *de gestis apud montem Sinai sic agit ut honori gentis suæ consulere maluerit, et fidem historiæ etiam apud gentiles conciliare, quam omnia exacte narrare, quæ in sacris Codicibus invenit. Priori de causa penitus omissa est conflatio vituli aurei, et illius adoratio, uti et pœna tantum scelus secuta, et con-* E *fractio tabularum : eadem quoque de causa tantum unius mansionis in monte per quadraginta dies continuatæ meminit. Altera ratio Josephum haud dubie impulit, ut facta prodigiosa aut prorsus omitteret, aut narraret modo minus mirabili, imo etiam de relatis in Scriptura libertatem sentiendi, quæ vellent, lectoribus imprudenter attribueret. Ut autem singula aptius discutiam, verba ipsius subjungo.* Interea *(inquit cap.* 3*)* dum his locis populus hæret, Moyses pro concione ait se ire in montem Sina, collocuturum cum Deo, et aliquid utile eis inde reportaturum : jubetque ut ipsi interim in propinquo castrametentur viciniores Deo futuri. His dictis, ascendit Sina montem omnium regionis ejus celsissimum, et ob nimiam altitudinem cautesque præruptas non ascensus tantum hominum, sed aspectus quoque ipsos defatigantem, ut non immerito propter Numen incolens religiosus haberetur. Hebræi vero juxta mandatum Prophetæ motis castris radices montis occupant, suspensi animis, quidnam boni, ita ut promiserat, esset e Deo reportaturus : atque interim, dum Ductorem suum exspectant, festos dies agebant, castitatem servantes F tum in cæteris, tum abstinendo a congressu mulierum per triduum, sicut jussi fuerant, et assiduis precibus Deum solicitantes, ut propitius Moysem excipiens, donum sibi per eum aliquod mitteret, quod ad vitam bene ac feliciter degendam conducibile foret.

variis erroribus corrumpit :

345 Interim et victu sumptuosiore utebantur, et ornatu splendidiore una cum uxoribus ac liberis excolebantur : atque in hunc modum duabus diebus inter epulas exactis, appetente jam tertia, nubes primum præter solitum supra tota castra Hebræorum sublimis pependit, tentoria, quam late patebant, contegens, reliquum cælum circumquaque clara serenitate obtinente : procellæ deinde cum imbre vehementi ruebant, et fulgura simul crebro micantia terrebant, fulminaque elisa significabant Moysen ex sententia cum Deo propitio convenisse. Hæc lecturi, ut cuique placuerit, accipiant : mihi certe fas non fuit discedere ab illis, quæ in sacra historia conscripta habentur. *Hactenus Josephus, imprudenter permittens, ut* lecturi, ut cuique placuerit, accipiant *relata, cum ea in sacris Litteris haberi dicat. At non pauca alia hic corrigenda. Primo*

AUCTORE J. S.

mo illud Numen incolens *montem Sinai, acsi mons ille jam ante fuisset religiosus, refutatum est num.* 90. *Secundo Hebræi castra non posuerant in ipsis montis radicibus, ut hic dicitur, cum vetitum eis fuerit Exod.* 19 ỳ 12 fines illius *tangere. Tertio* Moyses, *dum prima vice montem ascendit, non mansit ibi triduo, ut ait hallucinans Josephus, sed post iteratos itus et reditus triduo populum præparavit ad mandata Dei excipienda. Quarto triduo illo non epulabantur, nec festos dies agebant; sed puritati tam externæ quam internæ erant intenti. Quinto nubes tertia die tridui supra tota pendens castra prorsus fictitia est.*

sequentia vero

346 *Hisce observatis, Josephum rursus audiamus:* Cæterum, *inquit*, Hebræi visa insolita tempestate, ejusque horrendo strepitu aures feriente, supra modum turbabantur, nam et rei novitas terrebat, et rumor vulgatus de monte, quod crebro Deus eum inviseret. Quamobrem continebant se intra tabernacula mœsti, putantes actum de salute Moysis, et illo per iram Dei sublato, se quoque simile exitium manere. In B tali rerum statu ecce tibi Moyses exultants lætitia, vultuque ipso animum gaudio gestientem præferens: quo conspecto, repente metus omnis abiit, inque locum ejus spes magni alicujus boni successit: nam et aer ad ejus adventum pristinam serenitatem recepit. Mox igitur concionem advocat, auditurum, quæ mandata a Deo referat. Quam ubi convenisse animadvertit, e superiore loco, ut ab universis audiretur, in hunc modum est affatus: Viri Hebræi, Deus optimus maximus, quemadmodum numquam antea vota nostra est aspernatus, ita hoc quoque tempore me Legatum vestrum benignissime excepit, et jam in castra vestra præsens ac propitius adest, præscripturus vobis vivendi rationem, qua nulla beatior ne cogitari quidem potest.

nihilo exactius

347 Quare per ipsum perque ejus magnifica opera vos obsecro, ne contemnatis quæ vobis dicturus sum, meam mediocritatem intuentes, quodque humanam linguam audituri estis: sed expendentes mandatorum bonitatem ac utilitatem, agnoscite ejus majestatem, qui ut vestra commoda provehat, me internuncio ad vos uti C non est dedignatus. Non enim Moyses Amaramæ et Jochabelis filius, sed is, qui pro vestra salute Nilum sanguineis fluentis labefecit, et Ægyptiorum contumaciam tam variis calamitatibus fregit, qui per mare viam vobis munivit, qui omnium egenis cibos cælitus excogitavit, qui potum desiderantibus e petra scatere jussit, a quo Adamus terræ ac maris usumfructum accepit, per quem Noe diluvium effugit, per quem Abrahamus nostri generis autor ex errone possessor Chananææ terræ est factus, per quem Isacus confectis senio parentibus est natus, per quem Jacobus duodecim honestissimis filiis est ornatus, per quem Josephus in Ægyptiorum præsidem evasit: is, inquam, vobis hæc præcepta largitur: ego nihil aliud sum quam tanti Numinis interpres. Ea vobis sacrosancta erunt, et conjugibus ac liberis antiquiora: illis enim parendo beatam vitam agetis, fruentes terra fertili, mari tranquillo, progenie juxta naturæ leges felici, eritisque hostibus vestris semper formidolosi. Ego enim cum Deo coram collocutus, immortalem ejus vocem audivi: adeo illi cordi estis vos et generis vestri incolumitas.

348 His dictis adducit populum cum liberis et conjugibus, ut Deum loquentem eis audiant, D et quid agendum, docentem, ne dicta minus auctoritatis haberent, si per humanam linguam in animos eorum illaberentur: itaque omnes audiebant vocem e sublimi descendentem, ut nemo non intelligeret. Præcepta autem, quæ Moyses duabus tabulis inscripta reliquit, non est fas totidem verbis evulgare, sententias tantum eorum indicabimus. *Hæc Josephus, decem præcepta deinde sic compendio recitans, ut primum in duo dividat; nonum vero et decimum tamquam unum habeat. Corrige insuper in datis verbis primo hæc verba,* continebant se intra tabernacula mœsti: *nam, ut dicitur Exod.* 19 ỳ 17 Moyses *eduxit populum, postquam audiri cœperunt tonitrua, fulguraque micare, et maxime postquam clangor buccinæ perstrepebat, quem perperam omisit Josephus. Secundo fictitius est ille Hebræorum timor de salute* Moysis, *qui ipsis aderat, donec ad momentum a Deo vocaretur in montem. Tertio fictitia item est aeris illa serenitas, quæ reddita esset ad adventum* Moysis, *antequam præcepta erant per angelum promulgata. Quarto prolixior illa* Moysis *declamatio ad populum eo tempore locum non habuit. Sexto demum tabulæ eo tempore datæ non sunt* Moysi, *sed postea. Porro recitatis decem præceptis eo, quo dixi, modo, subjungit auctor:* Hæc ubi E multitudo læta ex ipso Deo, sicut Moyses prædixerat, audivit, dimissa est concio. Sequentibus autem diebus sæpius ad Ducis tentorium ventitantes, postulabant ut etiam leges eis a Deo deportaret. Ille et in hoc gratificatus leges tulit, et quid, quove modo agendum esset, per idem tempus præscripsit. *Aliqua hic omissa, quæ suo loco videri poterunt ex sacris Litteris relata.*

describit:

idem geminam Moysis commorationem in monte

349 *Jam vero Josephum audiamus de Moysis ascensu in montem, deque gestis populi quadraginta diebus, quibus abfuit:* Eodem fere tempore Moyses rursum in Sina montem ascendit, præmonito ante populo: nam et spectare eos ascensionem suam voluit. Cumque diutius moraretur, per XL enim dies abfuit; cœperunt soliciti esse, ne quid gravius illi accidisset, neque in tot ærumnis aliud quidquam eos sic contristavit, ut interitus Moysis opinio. Variabant enim rumores, dum alii devoratum a bestiis jactant, maxime qui minus eum amabant; alii raptum a F Deo videri malunt: qui vero prudentiores erant, inter utramque sententiam ancipites, quod alterum ab humanis casibus non alienum, alterum Viri illius virtuti convenientius videbant, ipsius sortem satis æquo animo ferebant: suam autem vicem dolebant, quod tali Præside ac patrono essent orbati, qualem alium inveniri credebant impossibile: et neque sollicitudo sperare eos sinebat, neque spe adempta non dolere poterant; ac ne castra movere quidem audebant, reditum expectare jussi.

ut unam narrat, omittens varia genti suæ probrosa:

350 Tandem XL diebus totidemque noctibus elapsis revertitur, nullo interim humano alimento degustato: adventuque suo tota castra ingenti gaudio replevit, divinam providentiam illis adesse significans, et rationem bene ac beate vivendi se per eos dies didicisse: postulareque Deum ut tabernaculum ei faciant, quo descenderet, quoties placeret, quod etiam migrantes secum circumferre possent, ut non sit opus amplius in Sina ascendere, sed intervisitans crebro, et tantum non cohabitans, præsto sit votis eorum ac deprecationibus: mensuram quoque et formam tabernaculi sibi præmonstratam, nihilque

A que superesse, nisi ut ad ejus fabricam quamprimum se accingerent. His dictis profert duas tabulas continentes decem præcepta inscripta, in singulis quina; erat autem Dei manus ea scriptura. *Huc usque Josephus, duas mansiones in monte, utrasque quadraginta dierum, confundens, et populi idololatriam, ac primarum tabularum confractionem, tamquam probra gentis suæ studiose prætermittens. Conjecturæ vero populi timentis ob diuturnam* Moysis *absentiam haberi possunt ut conjecturæ non improbabiles; sed eæ solum congruunt primæ commorationi* Moysis *in monte; reliqua vero spectant ad ipsius descensum post secundam commorationem. At multa rursum sunt prætermissa, quæ locis suis enarravi.*

dona tamen ad constructionem tabernaculi collata,

351 *Largitionem populi ad tabernaculi aliarumque rerum constructionem ipsamque structuram, ceteris rectius sic explicat:* Illi vero præsentia sermoneque Moysis læti, pro se quisque certatim ad structuram tabernaculi conferebant, aurum, argentum, cuprum, materiam ligneam elegantem et contra cariem firmam, pilos caprarum, et ovium pelles, partim hyacinthina, partim B punicea tinctura, quasdam etiam candidas colore, et alias purpuræ flore infectas. Adhæc lanas eisdem coloribus tinctas, et linum byssinum, lapillos quoque pretiosos, qui ad ornatum auro includi solent, atque insuper vim magnam odoramentorum: nam hujusmodi erat materia tabernaculi, quod nihil ab ambulatorio templo et portatili differebat. Ergo posteaquam istæ species ambitiose sunt collatæ, viritim contribuentibus, nonnullis etiam plura quam pro domesticis facultatibus, architectos operi Propheta præficit ex mandato Dei, sed tales, ut non alii deligendi fuerint, etiamsi populi suffragiis res commissa fuisset.

rectius enarrat,

352 Eorum nomina etiam nunc in sacris codicibus extant: Beselel ex tribu Judæ, Uronis filius et Mariammes, quæ erat ducis soror: et Eliabus Isamachi tribus Davidis. Plebs autem tanta alacritate operam et impensam offerebat, ut edicto coercendi fuerint, et præconis voce admonendi, non esse opus pluribus: ita enim fabricatoribus est visum. Atque ita structuram tabernaculi aggrediuntur, Moyse et mensuram et magnitudinem designante, sicut in monte ex Dei C colloquio didicerat, tum quantum instrumentum * capere deberet ad usum sacrificiorum et sacrorum ministerium, rite ac ordinate præscribente. Nec minor fuit largitio mulierum circa vestes sacerdotales, et cætera, quæ vel ad tabernaculi ornamentum, vel ad divinum cultum attinere videbantur. *Narrat deinde idem auctor erectionem tabernaculi, illudque describit cum omnibus eo spectantibus, uti et vestes pontificales ac sacerdotales, ac demum leges populo latas. At horum omnium examen, ut nimis prolixum, prætermittendum censui.*

* *Græce* quanta vasa

uti et dedicationem tabernaculi, et consecrationem sacerdotum;

353 *De dedicatione vero tabernaculi, consecratione sacerdotum, et de morte duorum ex illis, quid referat, audiamus:* Initio vero sequentis anni, *inquit cap.* 9, mense Xanthico Macedonum, Hebræorum Nisan, novilunio tabernaculum dedicatum est, et quidquid vasorum in eo fuerat. Statimque Deus indicavit gratum sibi esse et non supervacaneum laborem Hebræorum, præsentem se fano suo hunc in modum declarans: cum cœlum esset alias serenum, super solum tabernaculum caligo descendit, non quidem tanta, quantæ solent esse hibernæ nebulæ, nec tamen tam tenuis, ut aspectum humanum transmitteret: jucundusque ros distillabat ab ea, præsentiæ Dei fidem populo astruens. Moyses autem, distributis prius in fabricatores tanti operis pro cujusque merito præmiis, victimas mactabat in atrio tabernaculi juxta præscriptum . . . Deinde sanguine victimarum ornatum Aaronis et filiorum ejus aspersit, purificans eos fontanis aquis ac unguento, ut Dei fierent sacerdotes: atque hoc modo per septem dies ipsos et vestes eorum curabat: tabernaculum item et ejus vasa unguento, sicut jam dixi, confecto, et sanguine taurorum et arietum, alternis diebus juxta genus suum mactatorum. Octava autem die festum indixit, et sacrificare unumquemque pro facultatibus imperavit. At illi dicto parentes certatim et ambitiose victimas offerebant, quibus super aram impositis, subito sponte sua ex illis ignis fulguris in morem emicuit, et inspectante populo omnia flamma absumpsit.

AUCTORE J. S.

at in referenda morte duorum ex ipsis varie labitur:

354 Per idem tempus accidit Aaroni quædam calamitas, paterno animo gravis: quam tamen generose pertulit: erat enim vir fortis, et intelligebat hoc non sine Dei voluntate factum. Ex E quatuor filiis, quos dixi, seniores duo, Nabadus et Abius, cum in aram intulissent victimas, non juxta præscriptum Moysi, sed quales antea solebant, combusti sunt flamma in eos conversa, et vultus ac pectora eorum depascente: nec succurri potuit, quin ita occumberent. Moyses autem jussit patrem eorum ac fratres sublata cadavera extra castra deferre, atque ibi honorifice sepelire: totusque populus inopinatam hanc eorum mortem luxit: solos fratres ac patrem Moyses voluit a mœrore abstinere, et potiorem Dei honorem quam suam tristitiam habere, jam enim sacrum amictum Aaron gestabat. *Ita de hisce Josephus, qui rursum nonnulla eget correctione. Nam primo dum dicit Nadab et Abiu* victimas *intulisse,* quales antea solebant, *male supponit, jam ipsos ante consecrationem suam sacrificare solitos, quod nequaquam est verisimile. Male quoque asserit culpam eorum fuisse in qualitate victimarum; cum solum peccaverint, quod ignem non sacrum adhiberent. Secundo verisimile non est, combustos fuisse Nadab et Abiu, vultusque eorum et pectora igne depasta, cum Levit.* 10 ℣ 5 *dicantur elata eorum cadavera,* sicut jacebant, *vestita* lineis tunicis. F *Dicitur quidem ibidem* ℣ 2 Ignis . . devoravit eos, *sed vox* devorare *sæpe idem in Scripturis significat, ac* occidere: *nam et gladius* devorare *dicitur, id est, occidere. Itaque probabilius est, solum igne divinitus immisso occisos fuisse, non combustis corporibus, quæ mox cum lineis vestimentis elata sunt. Tertio clarius sacris Litteris repugnat Josephus, dum asserit corpora occisorum elata fuisse per Aaronem aliosque sacerdotes: nam hisce non modo luctum externum, sed corporum quoque elationem severe prohibuit* Moyses.

demum de Moyse et populo aliqua satis exacta.

355 *Porro meliora sunt, quæ de gestis* Moysis *idem scriptor sic subjungit:* Ceterum Moyses, recusatis omnibus honoribus a populo sibi oblatis, totus cultui divino erat deditus: et in Sina quidem non amplius ascendebat, sed in tabernaculum ventitans oracula, quoties opus erat, a Deo referebat, cultu et habitu privati hominis uti perseverans; neque quidquam præter reipublicæ curam præ aliis sibi vindicans. Leges præterea scribebat et vivendi rationem, quam servantes et Deo placere possent, et ipsi inter

AUCTORE J. S.

inter se socialiter pacateque vivere: atque hæc omnia Dei monitu faciebat. *Et post alia quædam de populo item recte:* Tabernaculo dedicato, et omnibus, quæcumque ad sacerdotalem ordinem pertinebant, rite peractis, populus, Deo in castrorum contubernium recepto, lætus ad hymnos et ad sacrificia se convertit, non aliter quam omnibus malis jam averruncatis, et omnia prospera in posterum sperantes: donaque Deo tam privatim quam publice per singulas tribus offerebant. Principes enim tribuum bini de suo conferentes plaustrum cum duobus bubus contribuebant, ut sex plaustra tabernaculo per viam devehendo inservirent: et præter hoc unusquisque eorum obtulit phialam *etc*... Præterea vitulum *etc*... atque ita per duodecim continuos dies sacrificaverunt, qualibet die unus; *nimirum per Aaronem et sacerdotes, qui sacrificabant: principes vero victimas sacrificandas donabant. Hæc ex Josepho attulisse de gestis ad montem Sinai sufficiat.*

Relatio Philonis de idololatria populi,

356 *Philo nihil de iis tradidit lib.* I *Vitæ* Moysis, *ubi alias singula historice narrare solet. At lib.* 3, *ubi monet se dicturum* de sacerdotio Moysis, *multa memoravit de tabernaculo, de* B *vasis sacris, de sacerdotibus eorumque vestibus, de Levitis, aliisque similibus, quæ excutienda non censui. Pauca quoque hinc inde pro exemplis refert de illis gestis* Moysis, *quæ ante memoravi. Hæc igitur audiamus. Pag.* 524 *de idololatria Hebræorum, quando vitulum aureum fecerunt et adoraverunt, sic loquitur:* Cum Moses ascendisset montem proximum, ibique aliquot diebus colloqueretur cum Deo sine arbitris, quidam inconstantes, tanquam orbati Principe, absentiam ejus verterunt in impietatis occasionem: oblitique Dei veri, cœperunt æmulari figmenta Ægyptia, facto juvenco aureo ad imitationem animalis ejus regionis sacratissimi: cui profana sacra faciebant, et choreas agebant inconditas, hymnos concinendo lamentis similes, et expleti mero congeminarunt temulentiam, vino pariter furentes ac insania, pernoctando in comessationibus, oblectandoque se factis pessimis, ignari ultionis imminentis, quam provocabant sua malicia, et excæcati suis affectibus. Ubi vero clamores castrenses, ut in turba celebritateque, longe lateque audie- C bantur, adeo ut ad montis cacumen pervenirent, perculsus aures Moses hærebat, ut amator Dei simul et hominum, nec discedere sustinens a divino colloquio, quo privatim honoratus fuerat, nec despicere plebem misere tumultuantem per principis absentiam. Sentiebat enim tumultum, vocibus confusis et inarticulatis indicantibus perturbationes animi, præsertim sagaci prudentique Homini, facile intelligenti hanc esse debacchationem publicam, per vinolentiam non abstinentium ab injuriis.

quam Moyses in monte intelligens, et probos ad se vocans,

357 Itaque diu huc illucque incertus distrahebatur: sed oraculum dubitationem exemit his verbis: 1, descende celeriter: populus ad impietatem prolapsus est, juvencum manu factum adorans pro numine, et victimas ei sacrificans, oblitus omnium, quæ hactenus vel vidit vel audivit, et totius pietatis atque religionis acceptæ a majoribus. Ille stupefactus, cum non posset non credere oraculo, tanquam sequester et arbiter, non statim resiliit, sed prius deprecabatur pro populo, suppliciter orans peccati veniam: deinde placato Rege omnipotente, revertebatur mixta gaudio mœstitia. Gaudebat enim Deum non repulissse suam supplicationem, con- D tristatus autem fuerat, quod iniquissime ferret patrias leges derelictas a populo. Ubi vero castra introgressus, vidit repente mutatos ritus, et figmenta recepta pro veritate, non omnes tamen infectos ejus mali contagio, sed superesse quosdam sanos, quibus talia displiceant, volens discernere incorruptos ab insanabilibus, et videre, num qui revertantur ad pœnitentiam, per præconem populum monuit edicto, cujus indicio tum pios tum impios manifeste cognosceret. Verba edicti fuerunt hæc: Si quis est Domini, veniat ad me: brevia sane, sed magnam vim continentia. Perinde acsi diceret: Si quis nihil manu factum, nihil creatum habet pro Deo, sed unum rerum Dominum, ad me veniat.

severe punit:

358 Itaque alii, qui Ægyptiacum typhum prætulerant, edictum contempserunt: alii fortasse metu pœnæ non ausi sunt propius accedere, sive Mosem timentes, sive seditionem populi. Solet enim vulgus sævire in dissentientes a sua dementia. Sola ex omnibus Levitica tribus, audito præcone, tanquam ex composito accurrit propere, pedum celeritate indicans alacrita- E tem animi, et quanto affectu pietatem coleret. Quos ubi vidit Moses certatim ad se concurrere: Statim apparebit, inquit, num eadem animis insit alacritas, quæ corporibus. Sumite gladios, cædite mille supplicia meritos, qui, vero Deo relicto, falsos sibi fecerunt, indito corruptibilibus creatisque essentiis incorruptibilis illius increatique nomine: non cognatis, non amicis parcite, amicitiam ac cognationem æstimando sanctitate proborum hominum. Vix ea dixerat, cum illi exasperati, et infensi sceleri jam inde a principio, ruentes in cædem, interemerunt ad tria millia virorum conjunctissimorum antea. Quorum cadavera medio foro jacentia plebs videns indoluit, simulque metuens ultricem iram adhuc fervidam, statim resipuit.

quidam in hisce errores observati:

359 *Hæc ubi narraverat Philo, de præmio Levitarum subjungit*: Tum Moses, publice laudata horum fortitudine, honorem eis decrevit perpetuum, convenientem facinori præclarissimo. *Per* honorem *illum intelligit sacrum ministerium. Et sane Levitas in præmium illius facti sacro ministerio admotos esse non negaverim: attamen id* F *statim factum non est, ut insinuat Philo, sed post menses octo aut novem. Plura etiam in præcedenti relatione sunt corrigenda. Primo male dicitur* Moyses *audivisse clamores Israelitarum, antequam moneretur ab angelo de illorum idololatria: nam clamores illos postea audivit, quando cum Josue de monte descendit. Secundo oravit quidem pro populo* Moyses, *priusquam descenderet, et interitum Hebræorum avertit; sed non ita penitus placavit Deum, quam Philo innuit. Tertio gravior, aut certe apertior, est lapsus, dum* tria millia *solum numerat occisorum a Levitis, cum occisi fuerint ad* viginti tria millia. *Hic error ab eodem repetitur pag.* 536, *ubi factum iterato commemorat. Quarto multa hujus historiæ adjuncta prætermittit auctor: at id minus hic est improbandum, cum afferatur dumtaxat pro exemplo, quam quod totam historiam loco suo suppresserit.*

ejusdem relatio de commoratione Moysis in monte, ciborum abstinentia et splendore vultus.

360 *De mansione Moysis in monte per quadraginta dies sine cibo et potu sic habet pag.* 514: Primum sicut anima, sic et corpus purificandum erat ab omni contagio rerum mortalium, cibo, potu, et consuetudine cum mulieribus. Verum hoc affectu jam dudum non tangebatur, pene jam

A jam inde postquam cœpit afflari divino spiritu, ut semper esset paratus accipiendis oraculis. Nam per quadraginta dies continuos a cibo et potu abstinuit, nimirum alimentis recreatus melioribus, cælitus aspirantibus, et primo menti, mox corpori etiam utilitatem per animam afferentibus, ut et viribus et habitudine proficeret, adeo ut intuentes eum vix oculis suis crederent. Cum enim ascendisset sacrum montem in eo tractu celsissimum, Deo jubente, quod alioqui nemini licuit impune facere, fertur ibi durasse tot diebus, quot dixi, quamvis nihil secum tulerat, quo naturali desiderio satis faceret: attamen exacto ibi tanto tempore reversus ad suos præstolantes ad montis radicem, visus est pulchrior, quam cum ascenderet, adeo ut stupentes miraculo ne obtueri quidem possent ejus faciem splendore solari fulgidam. Dum autem in monte moraretur, discebat cuncta mysteria sacerdotii, et ante omnia de templi vasorumque sacrorum apparatu. *Hactenus Philo, ex quo plura non adduco de gestis ad montem, quia ipse pleraque genti suæ dedecorosa omittere voluit.*

B

§ XXXIII. Discessus Hebræorum a monte Sinai: Hobab a Moyse invitatus comitatur: murmuratio populi: mansio 13 apud Sepulcra concupiscentiæ: septuaginta seniores instituti: carnes populo datæ, et pœna secuta.

Discessus a monte Sinai ad solitudinem Pharan,

Postquam Moyses *apud montem Sinai rempublicam Hebræorum ordinaverat, legibusque a Deo datis instituerat, discessit cum toto exercitu ex deserto Sinai ad solitudinem Pharan, processitque usque ad locum, qui ab eventu deinde dictus est,* Sepulcra concupiscentiæ: *nam Num.* 33 ỳ 16 *de hoc itinere sic legitur:* Sed et de solitudine Sinai egressi, venerunt ad Sepulcra concupiscentiæ. *Tempus suscepti hujus itineris*
C *exprimitur Num.* 10 ỳ 11 *his verbis:* Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis: profectique sunt filii Israël per turmas suas de deserto Sinai, et recubuit nubes in solitudine Pharan. *Hæc epocha ostendit, Israëlitas in prædictis castris ad montem Sinai non integro anno mansisse, cum ad ea venerint die tertio mensis tertii præcedentis anni. Quapropter non satis capio, quid voluerit S. Hieronymus, quando in Mansione* 13 *scripsit*, Postquam juxta montem Sinai commoratus est anno uno et diebus quatuor, mira dispositione castrorum egressus est in solitudinem Pharan, *nisi fortasse voluerit includere totum tempus, quo fuerunt in Raphidim, seu in mansione undecima, quod illa non longe abesset a monte Sinai.*

invitante Moyse ad comitandum Hobab cognatum suum,

362 *Porro elevatio nubis signum erat profectionis. Itaque elevata jam nube, postquam* Moyses *mandata dederat ad iter clangore tubarum indicandum, et quando sacerdotes tabernaculum deponebant, sacraque vasa debite involvebant, ut sua Levitis assignarent onera,* Moyses *Hobab affinem suum invitavit ad comitandum: nisi forsan præmonitus esset ab angelo de itinere instante, atque ita id paulo ante fecerit. Certe huc spectat locus Num.* 10 ỳ 29, *ubi res ita narratur:* Dixitque Moyses Hobab, filio Raguel Madianitæ, cognato: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israëli. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi. *Varia hic quæri possunt. Primo quid opus erat ductore, cum angelus per nubem exercitum duceret, et nubes semper quiesceret in locis, ubi castra erant figenda? Verum, non obstante angeli ductu, poterat opera talis ductoris utilis esse* Moysi *et Hebræis, quia nubes uno tantum loco quiescebat, videlicet ubi figendum erat tabernaculum; castra vero ob immensam populi multitudinem, ad ingens intervallum circumquaque erant extendenda: atque ad hunc finem utilis esse poterat* E *ductor locorum peritus, qui insuper ostendere poterat fontes, aliasque locorum commoditates, docereque quales essent populi, quorum ditiones aut confinia erant pertransituri, et alia plura id genus.*

qui verisimiliter comitatus est, et alius est a Raguele Moysis socero.

363 *Secundo quæri potest, an Hobab revera* Moysi *acquieverit: id enim nec clare affirmatur, nec negatur. At probabilius est, comitatum esse, tum quia non dicitur aliquid reposuisse ad iteratam* Moysis *invitationem, sed mox subditur*, Profecti sunt ergo *etc. Tum quia posteri Hobab videntur habitasse in terra promissa cum Israëlitis, uti colligitur ex Jud.* 4 ỳ 11, *ubi filii seu posteri* Hobab cognati Moysi *memorantur, et vocantur* Cinæi. *Item Jud.* 1 ỳ 16 *dicitur:* Filii autem Cinæi cognati Moysi, ascenderunt de civitate Palmarum, cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, et habitaverunt cum eo. *Dubitari quidem hic potest, an Hobab ipse, an pater ejus Raguel, vocetur* Cinæus: *at certum videtur, filios fuisse Hobab, seu ipsius posteros, qui in tribu Juda sedes fixerunt. Plura de his non adduco.* F *Porro tertia quæstio, eaque magis controversa est, utrum Hobab sit socer* Moysis, *idemque cum Raguele et Jethrone, an vero diversus. Alii tria illa nomina ejusdem hominis esse volunt, qui et* Cinæus *dictus fuisset, quia omnes vocantur Hebraice* chothen, *qua voce socerum significari contendunt. Verum hæc opinio mihi non apparet probabilis: nam Hobab filius Raguel clare dicitur; nec ullum habemus fundamentum, cur filium dicamus senioris cujusdam Raguelis. Secundo Hobab mansit cum* Moyse, *ut vidimus. At Jethro jam ex Raphidim domum est reversus, ut dictum est num.* 271: *verisimile quoque non est, Raguelem, qui senex admodum esse debebat, deinde rediisse, relictaque familia sua,* Moysi *adhæsisse. Itaque, sive Raguel et Jethro idem sit, ut probabilius mihi videtur, sive Jethro sit filius Raguelis, ut aliqui volunt; nequeo dubitare, quin Hobab sit filius Raguelis soceri* Moysis, *et vel filius Jethronis, vel frater natu minor. Quod enim de voce* chothen *objicitur, exigui est momenti, et jam ante dixi vocem sumi de quolibet affine, sive is socer sit, sive soceri filius, aut etiam nepos.*

AUCTORE J. S.

pos. Ab hoc diverticulo ad discedentes Israelitas redeamus.

Ordo itineris per tres dies continuati:

364 *Ordo proficiscentium hic erat. Totum exercitum præcedebat arca fœderis a Caathitis gestata. Sequebatur tota tribus Juda cum tribus Issachar et tribu Zabulon. Post has tabernaculum, quod vehebatur partim, partim portabatur a Gersonitis et Meraritis. Deinde tribus Ruben cum adjunctis tribubus Simeon et Gad. Has tribus sequebantur Caathitæ, portantes omnia vasa tabernaculi, excepta arca. Deinde tribus Ephraim cum tribubus Manasse et Beniamin. Demum agmen claudebant tribus Dan, Aser, et Nephthali, uti pluribus narratur Num.* 10, *ubi* ℣ 33 *hæc adduntur:* Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat eos, per dies tres providens castrorum locum. Nubes quoque Domini super eos erat per diem, cum incederent. Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, et dissipentur inimici tui, et fugiant, qui oderunt te, a facie tua. Cum autem deponeretur, aiebat: Revertere, Domine, ad multitudinem B exercitus Israël. *Ordine prædicto tribus diebus processerunt Israëlitæ, interposito tamen necessario tempore ad corpora curanda, et quietem capiendam, sed loca illa, ubi sic quiescebant, inter mansiones non fuerunt numerata, quod non figerentur tentoria.*

murmuratio in itinere orta, multique cœlesti igne absumpti:

365 *Verum continuata illa itinera trium dierum novæ murmurationi occasionem præbuerunt ignavis quibusdam, qui in ipso itinere acerbe cœperunt conqueri, et malum pluribus communicarunt. Quippe Num.* XI Moyses *hæc scribit:* Interea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. *Verisimile est, murmurationis auctores, qui aut lassi erant, aut magis se lassos simulabant, resedisse in via, acsi non potuissent sequi, atque ideo extremam fuisse castrorum partem, quæ cœlesti hoc igne percussa est. Psal.* 77 ℣ 21 *de pœna hæc dicitur:* Et ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel: quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus. *Inchoata autem hac punitione, mox territi ad* C Moysen *recurrerunt, qui iram Omnipotentis sedavit, ut legitur Num.* XI ℣ 2: Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis. Vocavitque nomen loci illius INCENSIO; eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. *Crediderim hunc locum non longe abfuisse a mansione decima tertia, et continuatam ibidem fuisse murmurationem de defectu carnium, aliorumque ciborum, quos in Ægypto habuerant.*

murmuratio ob defectum carnium, cujus occasione Moyses petit adjutores in regimine,

366 *Certe illa murmuratio de defectu ciborum sic refertur, ut videatur jam cœpta cum alia, et deinde continuata in castris, fletibus tamen magis quam insolentibus clamoribus. Audi* ℣ 4: Vulgus quippe promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israël, et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique et cepe et allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man * . . . Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed et Moysi intoleranda res visa est. *Facta hæc sunt, postquam* D *tentoria sua jam fixerant Israëlitæ, ut patet ex allatis verbis; mirandumque sane, quod pœnæ murmurantibus illata in itinere non cohibuerit mali progressum.* Moyses *ipse tantam inconstantis populi levitatem, indocilitatem, temeritatemque adeo sensit sibi gravem esse, ut mortem tanto oneri præferendam duceret. Audiamus sequentia ejus verba:* Et ait *(Moyses)* ad Dominum: Cur afflixisti Servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? et cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, et defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum? Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? Flent contra me, dicentes: Da nobis carnes, ut comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, et inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. *Hactenus* Moyses, *haud dubie voluntati divinæ se reverenter subjiciens; non enim oportet nos verba ipsius reprehendere, cum ea non reprehenderit Dominus, sed precibus ejus annuerit.* E

* manna

et Dominus septuaginta seniores donat spiritu prophetico: hi verisimiliter

367 *Accipe textum sacrum:* Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: et duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam et loquar tibi: et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, et non tu solus graveris. *Hæc præcipua fuerat postulatio* Moysis: *nam carnes, de quibus infra videbimus, directe populo non petierat. Paruit* Moyses *mandanti Domino, ut refertur* ℣ 24 *his verbis:* Venit igitur Moyses, et narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, et dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt. *Aliqua hic obscuriora sunt, et nonnulla egent dilucidatione. Primo* senes *illi non vocantur ætate, sed gravitate morum, et sapientia, ut facile colligitur ex illis verbis,* Quos tu nosti quod senes populi sint F ac magistri. *Hæc eadem verba insinuant, jam aliquod munus antea senibus illis fuisse, cum dicantur* magistri; *ideoque mihi probabile videtur fuisse hosce septuaginta ex numero illorum, quos consilio Jethronis constituerat* Moyses *Exod.* 18.

fuerunt ex statutis ante Jethronis consilio, sed majori gratia et auctoritate nunc donati,

368 *Verum, inquiet aliquis, quomodo ergo* Moyses *conqueritur supra, se solum sustinere onus populi? Respondeo, id eum conquestum esse, quia judices illi inferiores solum dirimebant lites quasdam minoris momenti; nec tanta gaudebant auctoritate apud populum, ut hic in rebus majoris ponderis eos audire dignaretur, aut eorum consiliis acquiescere, quod carerent Spiritu prophetico: nam populus ille indocilis contineri non poterat in officio, nisi prodigiis, gravibusque suppliciis divinitus illatis; ut exemplis multis abunde liquet. Itaque cum nullus inter Israëlitas, nisi solus* Moyses, *videatur usque ad illud tempus dono prophetiæ præditus fuisse, nullusque satis intellexisse, quanta bona Deus promitteret obsequentibus Israelitis, quanta vero mala minaretur inobedientibus; nullus satis audebat aut poterat*

A *terat discedentes ab officio minis terrere, terrendoque cohibere; sed totum illud onus soli incumbebat* Moysi, *ad quem semper recurrebatur, sive iracundia Dei humilibus precibus placanda esset, sive populus aliqua de causa conquereretur. Præterea solus* Moyses *populum leges divinas docebat, Deique mandata eidem solus exponebat. Certe nullus alius huc usque legitur aut populum docuisse, aut Dei mandata exposuisse, aut murmurantes descedentesque ab officio terruisse aut cohibuisse. Nam ne Aaron quidem, quando Legistator in monte aberat, etiamsi cum Hur statutus esset a* Moyse, *ut populum interim regeret, gravissimum idololatriæ crimen impedire valuit. Hoc igitur sensu* Moysen *dixisse existimo se portare pondus universi populi.*

nihil tamen ideo amittente Moyse,

369 *Obscurum quoque est, quomodo Deus abstulerit* de Spiritu Moysis, *aut* qui erat in Moyse, *ut daret senioribus. Nam jam observavit S. Augustinus quæst.* 18 *in Numeros, Latinos interpretes fecisse hunc* sensum laboriosum ad intelligendum. *Quippe verba ita sonant, acsi aliquid ablatum esset* Moysi *aliisque datum. At is* B *sensus merito repudiatur, cum* Moyses *nihil ex gratia aut dono prophetandi amiserit. Observat autem laudatus Augustinus Græce apud Septuaginta non legi,* Auferam de Spiritu tuo, *sed,* de Spiritu, qui est super te; *quæstionem sic solvit:* Nunc autem cum ita scriptum sit, . . facilior est absolutio quæstionis: quia intelligimus, nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu gratiæ illos quoque habituros adjutorium, ex quo habebat Moyses; ut et isti haberent, quantum Deus vellet, non ut ideo Moyses minus haberet. *Non video, cur verba Latina hoc eodem sensu exponi nequeant: nam* de Spiritu tuo *intelligi sic potest, de Spiritu eodem, qui tuus, seu tibi datus est. Nec videtur dubitandum, quin Deus promittat, se septuaginta senioribus communicaturum uberius dona sua sine ullo* Moysis *detrimento; atque ita revera factum sit: nam alias* Moyses *plus perdidisset subtractione propriorum donorum, quam accessione alieni auxilii fuisset lucratus.*

qui cupiebat dona sua multis communicari.

370 *Quam porro alienus esset ab invidia* Moyses, *quamque nollet solus esse in oculis tanti populi, non solum ostendit prædicta auxilii pe-* C *titio, sed idem magis declaratur per illud, quod ea occasione factum est, de duobus e Senioribus ad tabernaculum evocatis, qui præ humilitate, ut plerique existimant, eo non accesserant, nec tamen dono prophetiæ fuere privati. Res ita narratur* ℣ 26: Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, et alter Medad, super quos requievit Spiritus: nam et ipsi descripti fuerant, et non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, et nuntiavit Moysi, dicens: Eldad et Medad prophetant in castris. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, et electus e pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos. At ille, Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, ut omnis populus prophetet, et det eis Dominus Spiritum suum. Reversusque est Moyses, et majores natu Israël in castra; *id est, quilibet ad sua tentoria: nam alias tabernaculum, ad quod convenerant, in medio erat castrorum. Nunc ad carnes populo dandas accedamus: nam illæ simul* Moysi *fuere promissæ, quando jussit Dominus septuaginta seniores congregari; sed facta singula volui consequenter narrare.*

371 *De carnibus dandis Dominus, seu ejus vices gerens angelus,* Moysi *sic loquitur* ℣ 18: Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes. Ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Ægypto; ut det vobis Dominus carnes, et comedatis, non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, et fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto? *Hæc promissio Domini erat punientis potius quam miserentis, ut patet ex ipsis verbis, et ab eventu. Repulerant Israëlitæ Dominum, quia contenti non erant manna. At uti non omnium erat hic contemptus cibi a Domino dati, sic non omnium fuit pœna; sed morigeri carnes, hac occasione in pœnam murmurantium datas, utiliter manducaverunt. Porro* Moyses *non statim videtur mentem aut consilium Dei percepisse, fortasse quia adhuc nonnihil turbatus erat absurda populi murmu-* E *ratione. Hinc nec increduli nec dubitantis de potentia Domini, sed mirantis potius sunt, quæ sequuntur:* Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus populi sunt *(præter feminas, pueros, Levitas, Ægyptios et servos)* et tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Numquid ovium et boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient? Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis, utrum meus sermo opere compleatur.

AUCTORE J. S. Carnes in mensem integrum promissæ,

372 *Vidit sane die sequenti non solum* Moyses, *sed omnis populus promissionem angeli impletam: nam* ℣ 31 *res ita refertur:* Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, et demisit in castra itinere, quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros *(alii itaque plures:)* et siccaverunt eas per gyrum castrorum. *Comederunt igitur, saltem aliqui, toto mense coturnices, ut ex prædictis intelligitur; at non sine punitione rebellium, ut sequitur:* Adhuc carnes erant in denti- F bus eorum, nec defecerant hujuscemodi cibus: et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, SEPULCRA CONCUPISCENTIÆ: ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat. *De hisce quoque Psal.* 77 ℣ 26 *dicuntur sequentia:* Transtulit Austrum de cælo: et induxit in virtute sua Africum. Et pluit super eos sicut pulverem carnes: et sicut arenam maris volatilia pennata. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum. Et manducaverunt et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, et electos Israël impedivit.

dataque immensa multitudo coturnicum;

373 *Non exprimit sacra Scriptura, quo mortis genere perierint. Verum mihi credibile est, malum ab ipsis cibis ortum esse, morboque ex nimia gula contracta plurimos periisse, ut punirentur usu carnium, quas temeraria cupiditate postulaverant. Suspicionem hanc mihi ingerunt verba Domini, carnes promittentis,* donec *cibus ille* exeat per nares, . . . et vertatur in nauseam.

sed in pœnam murmurationis multi sunt occisi.

AUCTORE J. S.

seam. *Accedit denominatio loci* Sepulcra concupiscentiæ, *quæ videtur innuere, concupiscentiam gulamque ipsis mortem attulisse, præsertim quia nullum aliud mortis genus exprimitur. Fateor tamen rem esse incertam. At displicet illorum sententia, qui incendio ante relato occisos putant, cum incendium istud ortum sit in via et in extrema castrorum seu agminis parte, quia aliqui murmurabant de nimio labore, locoque nomen dederit* incensio ; *hic vero locus dictus sit* Sepulcra concupiscentiæ.

§ XXXIV. Josephi relatio de prædictis expenditur : Philo arguitur.

Josephus murmurationem populi apud Sepulcra concupiscentiæ

Josephus de prædictis breviter agit, multa prætermittens, alia vero variis erroribus deturpans. Verba ipsius cap. 12 *hæc sunt :* Non multo post a Sina monte castra moventur : et B post aliquot mansiones, de quibus dicemus, ventum est ad locum, qui dicitur Iseremoth : ubi denuo populus seditionibus agitari cœpit, et laboriosæ peregrinationis culpam in Moysem conferre. Illius suasu se reliquisse regionem fertilissimam, et nunc non solum ejus ubertate carere, verumetiam pro sperata felicitate in extremis miseriis huc et illuc oberrare, aquarum inopia laborantes : et si manna quoque aliquo casu deficiat, proculdubio fame interituros. His addebant multa convitia, quæ in Virum optime meritum passim jactabantur. Exortus est interim unus e populo, qui admonitos præteritorum Moysi beneficiorum, bonam spem habere hortabatur, ne tum quidem opem divinam frustra requisituros. Vulgus autem his verbis vehementius concitatum, magis ac magis contra Prophetam tumultuabatur. Qui videns ita desperatos, jubet æquo animo esse, pollicendo se, quamvis gravibus contumeliis immerito petitum, copias tamen carnium eis exhibiturum, non in unum tantum diem, sed in plures etiam. Illis vero credere nolentibus, quodam etiam rogante, unde tot hominum millibus C providere possit ? Deus, inquit, et ego, quantumvis male apud vos audientes, numquam tamen desinemus vestri curam gerere : idque brevi estis visuri. Vix hæc dixerat, cum toto castra coturnicibus complentur, quas acervatim venabantur. Deus tamen non multo post in Hebræorum insolentiam ac maledicta animadvertit, non paucis e populo desideratis. Nam et hodie locus ille nomen ex eo casu inditum retinet, vocaturque Cabrothaba, quasi dicas concupiscentiæ monumenta.

multis inquinat erroribus:

375 *In hisce primo corrige, quod dicitur de aquarum inopia : nam eo defectu ibidem non laboraverunt Israëlitæ, nec de eo conquesti sunt. Non recte quoque exposuit murmurationis causam, silens desiderium carnium tædiumque mannæ eidem occasionem præbuisse. Secundo pro fletu populi* convitia *in* Moysen *male substituit : nam de convitiis hic silet Scriptura. Tertio unum aliquem e populo pro* Moyse *loquentem perperam inducit, silente rursum Scriptura. Quarto* Moysen *quoque loquentem facit, non sicut habet Scriptura; sed uti ipse finxit Josephus, qui male addit, populum verbis ipsius non credidisse. Quinto coturnices statim advolasse post promissionem* Moysis *perperam asserit scriptor veri* D *incuriosus, cum intercesserit electio septuaginta seniorum, quam cum multis aliis prætermittit. Sexto denique ne loca quidem recte expressit : res enim non contigit* post aliquot mansiones *a monte Sinai, nec in* Iseremoth, *per quam* Haseroth, *seu mansionem decimam quartam intelligit, sed in mansione tertia decima, seu prima post mansionem deserti Sinai. Hi similesque Josephi errores ostendunt, scriptorem habuisse curam non magnam vera scribendi; sed contentum fuisse, modo posset historiam conscribere utcumque gentilibus verisimilem, et Judæis honorificam : idque magis etiam patet ex truncationibus innumeris, corruptionibusque gestorum de industria factis.*

nec Philo sincere scripsit.

376 *Philo quoque non satis sincere Vitam* Moysis *conscripsit, sed nimium studuit honori gentis suæ. Etenim aliam causam non invenio, cur multa prætermiserit, quæ vel maxime ad Vitam* Moysis *spectabant, sed genti Hebraicæ probrosa erant ; curque alia non pauca loco suo avulserit, malueritque referre lib.* 3 *Vitæ* Moysis *sine ordine temporis, tantaque brevitate, ut* E *levitas et inconstantia Hebræorum in iis vix appareat. Præcipue autem culpandus est, quod ea de causa veritatem etiam neglexerit. Accipe evidentem rei probationem. Lib.* I *Vitæ pag.* 493, *postquam narraverat victoriam de Amalecitis relatam, quæ incidit in mensem secundum anni primi ab egressu ex Ægypto, statim sic prosequitur.* Post prælium decernit exploratores ad inspiciendas sedes genti suæ destinatas mittere, anno secundo, postquam iter ingressi fuerant *etc. Non ignoravit nec ignorare potuit Philo, missionem exploratorum anno integro et mense uno alterove posteriorem esse. Cur igitur eam ponit mox post victoriam de Amalecitis relatam ? Non aliam reperio rationem, quam ne lectores adverterent, magnam relinqui lacunam in Vita* Moysis. *Nam omittuntur gesta omnia apud montem Sinai, aut potius loco suo avelluntur, ut lib.* 3 *de iis aliqua narrarentur, quæ magis elucere poterant ; quæque probrosa erant Hebræis, breviter perstringerentur : omittuntur omnia, quæ apud Sepulcra concupiscentiæ, et in Haseroth contigerunt ; nam hæc nimio erant dedecori Hebræis, præsertim quia tantillo tempore post Legem acceptam apud montem Sinai, tam in-* F *dociles levesque fuerunt inventi. Hæc notare volui, ut fidem utriusque scriptoris Hebræi melius perspectam habeat studiosus lector.*

§ XXXV. Murmuratio Mariæ et Aaronis contra Moysen : pœna Mariæ ; mansiones aliquot : missio exploratorum, murmuratio Israëlitarum et rebellium pœna.

Mansio in Haseroth, ubi Maria et Aaron obloquuntur Moysi,

Post mortuos in Sepulcris concupiscentiæ sepultos, Israëlitæ venerunt ad mansionem decimam quartam in Haseroth, ut dicitur Num. 33 ℣ 17 *his verbis :* Profectique de Sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. *Et num.* XI ℣ 34 : Egressi autem de Sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, et manserunt

AUCTORE J. S.

A serunt ibi. *Locum hic virtutem sancti Legislatoris rursum exercuit, dolorque ipsius tanto debuit esse acerbior, quanto propinquiores erant personæ, quæ contra Virum mitissimum se erexerunt. Factum* Moyses *ipse narrat Num.* 12 *hoc modo :* Locutaque est Maria et Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam, et dixerunt : Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne et nobis similiter est locutus? *Pauca hic observanda. Uxor* Moysis *Æthiopissa erat Sephora Madianitis, quæ* Æthiopissa *vocatur, quia regio Madianitarum olim a Chusitis seu Æthiopibus fuit inhabitata, ut ante diximus num.* 69. *Hoc satis videtur certum, licet aliqui olim dissenserint. Verum non æque clara aut certa est occasio seu causa hujus jurgii, cum de ea magis inter se dissentiant interpretes. Mihi præplacet conjectura illorum, qui existimant, Sephoram nimis sibi placuisse ob familiaritatem* Moysis *cum Deo, secutamque ex ea auctoritatem apud homines, eosque* Moysis *favores ita extulisse apud Mariam et Aaronem, ut sibi quoque pluscuB lum arrogaret, et forsan se Mariæ præferret, quod tanti Prophetæ et Legislatoris esset uxor. Verba Aaronis et Mariæ favent huic conjecturæ : et verisimile est, jurgium istud ortum esse, absente* Moyse.

objurgato autem utroque per angelum, Maria lepra est infecta,

378 *De hac fratris et sororis suæ imprudentia non videtur conquestus esse mitissimus Propheta, qui fortasse ne quidem verba murmurantium audiverat, aut certe facile condonasset. At Dominus auctoritatem Amici sui tanto promptius vindicavit. Audi sequentia :* Quod cum audisset Dominus (erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra, *ideoque injuriam sibi factam facile neglexisset)* statim locutus est ad eum, et ad Aaron et Mariam : Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, descendit Dominus in columna nubis, et stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron et Mariam. Qui cum issent, dixit ad eos : Audite sermones meos : si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses : qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei : et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis C detrahere servo meo Moysi? Iratusque contra eos abiit : nubes quoque recessit : quæ erat super tabernaculum : et ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. *Voces* stetit *et* abiit *fere insinuant, angelum hic apparuisse forma humana, idque aliqui crediderunt. At mihi longe probabilius apparet, Aaronem et Mariam nihil vidisse, nisi nubem, ex qua vocem audiebant. Hæc vox cum nube primo* descendit, *deinde* stetit; *ac demum* abiit. *Verisimile enim mihi non apparet, angelum humana forma ex propinquo loco visum esse ab Aarone et Maria, cum* Moyses *antea faciem ejus videre desideraverit, ac solum posteriora viderit. Porro ex pœna Mariæ colligitur, ipsam magis fuisse culpabilem Aarone, qui non omni tamen culpa vacavit, cum fuerit reprehensus, et in sorore utcumque castigatus.*

eaque non nisi post septem dies Moysis precibus liberata.

379 *Ad relationem historiæ regrediamur :* Cumque respexisset eam Aaron, et vidisset perfusam lepro, ait ad Moysen : Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stulte commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, et ut abortivum, quod projicitur de vulva matris suæ : ecce jam medium carnis ejus devoratum est a lepra. Clamavitque Moyses ad Dominum, dicens : Deus, obsecro, sana eam. Cui respondit Dominus : Si pater ejus spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, et postea revocabitur. Exclusa est itaque Maria extra castra *(secundum Legem de segregatione leprosorum latam Num.* 5 ℣ 2*)* et populus non est motus de loco illo, donec revocata est Maria. *Ita Dominus partim preces* Moysis *exaudivit sanitatem brevi reddendo, partim auctoritati ipsius consuluit inflictam pœnam ad septem dies sic protrahendo, ut populo deberet innotescere. Nam parum probabilis est aliquorum sententia, qui voluerunt Mariam statim fuisse sanatam ; sed amandatam solum fuisse extra ad imperium Domini : quia segregatio sequebatur lepram, qua eam percusserat Dominus, qui noluit eam a communi lege eximi, ut non solum lepra, sed et segregatione confunderetur, atque ita efficacius corrigeretur.*

Mansiones variæ in deserto Pharan,

380 *Sanata autem post septem dies revocataque Maria, populus iter suum prosecutus est. Mansio erat decima quinta, ad quam proficiscebantur, atque ea vocatur* Rethina *Num.* 33 ℣ 18, *ubi sic habetur :* Et de Haseroth venerunt in Rethma. *Num.* 13 ℣ 1 *de eodem itinere dicitur :* Profectusque est populus de Haseroth, fixis tentoriis in deserto Pharan. *S. Hieronymus in Mansione* XV *ad propositum nostrum notat sequentia :* Et notandum quod reliquæ mansiones decem et octo, quarum nunc breviter catalogus describitur, a Rhethma usque ad Asiongaber, id est, usque ad trigesimam secundam mansionem, sub Pharan solitudinis nomine contineantur, in quibus universa, quæ scripta sunt, diversis temporibus gesta sentimus : quæ quia non sunt per mansiones singulas distributa, a nobis quoque in commune dicentur . . . Ab hac itaque mansione usque ad trigesimam secundam istiusmodi continentur historiæ. Duodecim exploratores mittuntur ad Terram sanctam : botrus refertur in ligno, et Christi breviter passio demonstratur. Murmurat populus Judæorum, gigantum impetum reformidans. Pugnat contra Amalec et Chananæum nolente Deo, et victus, intelligit, quæ debebat in Terra sancta exercere sacrificia. Dathan et Abiron et filii Core *(imo Core ipse sine filiis)* consurgunt contra Moysen et Aaron, et terræ voragine glutiuntur. Inter mortuos et viventes pontifex medius thuribulo armatus ingreditur, et currens ira Dei sacerdotis voce prohibetur. Virga Aaron et florem profert et folia ; et in æternam memoriam virens siccitas consecratur *etc. Hæc omnia incertis locis gesta esse, quod* Moyses *nomina locorum non expresserit, cum facta narravit, recte observavit sanctus Doctor.*

at incertum, quid in singulis gestum; nec constat, ex quota

381 *Quapropter nequeo ut certam amplecti sententiam multorum e neotericis qui missionem exploratorum quintæ decimæ mansioni affigunt, cum nullum inveniam in Scripturis fundamentum, quo fulciatur hæc assertio. Hac de causa accipe mansiones omnes, quibus facta a S. Hieronymo breviter perstricta sic congruunt, ut nulli determinatæ aliquid certo possit attribui. Decima sexta est* Remmomphares, *post quam ordine sequuntur aliæ usque ad trigesimam secundam, sic memoratæ Num.* 33 *a* ℣ 19 : Profectique de Rethma castrametati sunt in Remmomphares. Unde egressi, venerunt in Lebna. De Lebna, castrametati sunt in Ressa. Egressique de Ressa, venerunt

AUCTORE J. S.

venerunt in Ceelatha. Unde profecti, castrametati sunt in monte Sepher. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada. Inde proficiscentes castrametati sunt in Maceloth. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath. De Thahath, castrametati sunt in Thare. Unde egressi, fixere tentoria in Methca. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth. Et de Moseroth, castrametati sunt in Benciaacan. Profectique de Beneiaacan, venerunt in montem Gadgad. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha. Et de Jetebatha venerunt in Hebrona. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber. *Hæc est mansio trigesima secunda, si nullæ sint prætermissæ.*

missi sint exploratores, cum nequeat dici quota sit Cadesbarne, ex qua sunt missi.

382 *Existimare porro nequeo, mansiones aliquot prætermissas, cum unice hic intentus sit* Moyses *mansionibus enumerandis, multasque recenseat, in quibus nihil memorabile contigit. Jam vero exploratores ad Terram promissam missos esse ex Cadesbarne, constat ex testimonio* Moysis *infra dando; atque ideo aliqui volunt, mansionem fuisse in Cadesbarne a prædictis omnibus distinctam. At longe probabilius mihi videtur, Cadesbarne fuisse vicinum locum alicui ex dictis mansionibus, mansionemque nominari a* Moyse *potius* Cadesbarne *in Deuteronomio quam alio nomine, quo recensetur Num.* 33, *quia Cadesbarne locus erat celebrior et notior Israëlitis. Cum autem incertum sit, cui mansioni Cadesbarne vicina fuerit, quæve mansio eo nomine fuerit designata; æque est incertum, utrum ex mansione decima quinta, an ex aliqua e proxime sequentibus missi fuerint exploratores. At constat missos esse anno secundo ob egressu, indeque colligi potest, ex mansione decima quinta aut ex alia non nimis longe sequente missos esse.*

Rogante populo et annuente Deo,

383 *De missione ipsa exploratorum* Moyses *Num.* 13 ℣ 2 *sic habet :* Ibique *(in deserto Pharan)* locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israël, singulos de singulis tribubus, ex principibus ; *id est ex primariis, non ipsos tamen tribuum principes, uti ex nominibus innotescit. Porro populum etiam petiisse a* Moyse, *ut exploratores mitterentur, habemus Deut.* I ℣ 19, *ubi* Moyses *hac de re populum ita alloquitur :* Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem et maximam, quam vidistis, per viam montis Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne, dixi vobis : Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi : ascende et posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis : noli timere, nec quidquam paveas. Et accessistis ad me omnes, atque dixistis : Mittamus viros, qui considerent terram; et renuntient, per quod iter debeamus ascendere, et ad quas pergere civitates. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. *Res tota sic videtur ordinanda. Hortatus est* Moyses *populum, ut ad possessionem Terræ promissæ se accingeret. Ille vero rogavit, ut primum mitterentur exploratores. Consultus vero hac de re Dominus præcepit, ut exploratores duodecim mitterentur.*

384 *Audiamus rursus* Moysen *Num.* 13 ℣ 4 : Fecit Moyses, quod Dominus imperaverat, de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ita sunt nomina. De tribu Ruben *(misit)* Sammua filium Zechur. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. De tribu Juda, Caleb filium Jephone. De tribu Issachar, Igal filium Joseph. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. De tribu Beniamin, Phalti filium Raphu. De tribu Zabulon, Geddiël filium Sodi. De tribu Joseph, sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. De tribu Aser, Sthur filium Michaël. De tribu Nephtali, Nahabi filium Vapsi. De tribu Gad, Guel filium Machi. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moyses ad considerandam Terram : vocavitque Osee filium Nun, Josue. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, et dixit ad eos : Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes considerate Terram, qualis sit : et populum, qui habitator est ejus, utrum fortis sit an infirmus : si pauci numero an plures : ipsa terra, bona an mala : urbes quales, muratæ an absque muris : humus, pinguis an sterilis, nemorosa an absque arboribus. Confortamini, et afferte nobis de fructibus Terræ. Erat autem tempus, quando jam præcoquæ uvæ vesci possunt.

Moyses mittit in Terram promissam exploratores,

qui eam lustrant : reversique ubertatem laudant, et incolarum fortitudinem exaggerant,

385 Cumque ascendissent, exploraverunt Terram a deserto Sin usque Rohob intrantibus Emath *(id est, usque ad confinia Emath, urbem Syriæ, seu partem Terræ promissæ Septemtrionalem.)* Ascenderuntque ad Meridiem, et venerunt in Hebron, ubi erant Achiman et Sisai et Tholmai, filii Enac : nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. Pergentesque usque ad Torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis et de ficis loci illius tulerunt : qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eo quod botrum inde portassent filii Israël. Reversique exploratores Terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moysen et Aaron et ad omnem cœtum filium Israël in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis et omni multitudini, ostenderunt fructus Terræ : et narraverunt, dicentes : Venimus in Terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest : sed cultores fortissimos habet et urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. Amalec habitat in Meridie *(sed extra Terram promissam)* Hethæus et Jebusæus et Amorrhæus in montanis : Chananæus vero moratur juxta mare et circa fluenta Jordanis. *Non omnes recensentur gentes, quæ habitabant in Terra promissa et deinde occupata ; at exploratores referunt solum, quantum intellexerant in itinere, atque ideo etiam memorant Amalecitas, quod Hebræorum hostes essent, licet alias non habitarent in terra per Israëlitas occupanda. Jam hæc relatio in animis audientium nimium timorem, murmurque excitaverat.*

Calebo conante murmur populi sedare ; decem exploratores pergunt istud alere,

386 *Occurrere itaque voluit Caleb, ut sequitur :* Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait : Ascendamus et possideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alii vero *(decem, nam Josue alia erat mente)* qui fuerant cum eo, dicebant : Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Detraxeruntque Terræ, quam inspexerant, apud filios Israël, dicentes : Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos : populus, quem aspeximus, proceræ

A proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo : quibus comparati quasi locustæ videbamur. *De hisce Deut.* 1 ℣ 24 Moyses *ad populum ita disserit :* Qui *(exploratores)* cum perrexissent et ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri * : et considerata Terra, sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, tulerunt ad nos, atque dixerunt : Bona est Terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri, murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis : Odit nos Dominus, et idcirco eduxit nos de terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. Quod ascendemus? Nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes : Maxima multitudo est, et nobis statura procerior : urbes magnæ, et ad cælum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. *Hæc cœpta fuerant in ipsa relatione exploratorum, auctaque sunt deinde in tentoriis, ubi decem exploratores perfidi calumnias suas populo ita inculcabant, ut Caleb, Josue et* Moyses *ipse tumultum sedare nequiverint.*

* al. Torrentem botri

B 387 *Quid* Moyses *ipse egerit, pergit ibidem narrare hoc modo :* Et dixi vobis : Nolite metuere, nec timeatis eos : Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto, cunctis videntibus. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, qui præcessit vos in via, et metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, et die per columnam nubis. *Idem cum aliis peccatis graviter Israëlitis exprobrat* Moyses *Deut.* 9 ℣ 22, *dicens ipsis :* In Incendio quoque, et in tentatione, et in Sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum : et quando misit vos de Cadesbarne, dicens : Ascendite, et possidete Terram, quam dedi vobis : et contempsistis imperium Domini Dei vestri, et non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis : sed semper fuistis rebelles a die, qua nosse vos cœpi. C *Mirandum sane est, populum inter continua divinæ protectionis indicia, miraculaque et prodigia, tam pusillanimem fuisse tamque incredulum, ut inconsiderato et temerario timori suo plus tribueret, quam efficacissimis* Moysis *rationibus ac promissionibus, quæ ipsos numquam fefellerant. Factum id tamen, et ne a blasphemiis quidem temperatum.*

ita ut Moyses ipse non potuerit desperantium spem revocare,

388 Moyses *Num.* 14 *temeritatem populi rebellis sic exponit :* Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa, et murmurati sunt contra Moysen et Aaron cuncti filii Israël, dicentes : Utinam mortui essemus in Ægypto : et in hac vasta solitudine utinam pereamus, et non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, et uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum? Dixeruntque alter ad alterum : Constituamus nobis ducem, ut revertamur in Ægyptum. Quo audito Moyses et Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël. At vero Josue filius Nun, et Caleb filius Jephone, qui et ipsi lustraverant Terram, sciderunt vestimenta sua, et ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt : Terra, quam circuivimus, valde bona est. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, et tradet humum lacte et melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum : neque timeatis populum Terræ hujus, quia sicut panem ita possumus eos devorare : recessit ab eis omne præsidium : Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cumque clamaret omnis multitudo, et lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël. *Hic finis rebellionis ; at non pœnæ.*

et rebellium animos erigere juvantibus licet Aarone Josue et Calebo ;

389 Et dixit Dominus ad Moysen : Usque quo detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam : te autem faciam principem super gentem magnam, et fortiorem quam hæc est. Et ait Moyses ad Dominum : Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum, et habitatores Terræ hujus, qui audierunt, quod tu, Domine, in populo isto sis, et facie videaris ad faciem, et nubes tua protegat illos, et in columna nubis præcedas eos per diem, et in columna ignis per noctem : quod occideris tantam multitudinem quasi unum hominem, et dicant : E
Non poterat introducere populum in Terram, pro qua juraverat : idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut jurasti, dicens : Dominus patiens et multæ misericordiæ, auferens iniquitatem et scelera, nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum. *Hactenus* Moyses *orans pro populo rebelli : at verisimile est, totam orationem non esse hic expositam, atque idcirco initium videri abruptius. Exauditus est sanctus Legislator : sed non ita prorsus omnia obtinuit, ut gravissimum crimen debita caruerit pœna : nam pro morte accelerata diuturnum rebellibus datum est exsilium, nec nisi morte finiendum.*

donec Deus omnibus minaretur mortem : Moyse deinde orante,

390 *Audi sequentia :* Dixitque Dominus : Dimisi juxta verbum tuum. Vivo ego : et implebitur gloria Domini universa terra. Attamen omnes homines, qui viderunt majestatem meam, et signa, quæ feci in Ægypto et in solitudine, F
et tentaverunt me jam per decem vices *(id est, frequenter)* nec obedierunt voci meæ, non videbunt Terram, pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in Terram hanc, quem circuivit : et semen ejus possidebit eam. Quoniam Amalecites et Chananæus habitant in vallibus *(ut dixistis :)* Cras movete castra, et revertimini in solitudinem per viam maris Rubri, *seu versus mare Rubrum. Illud* Cras revertimini *non videtur absolutum Domini imperium, cum sequenti die non sint reversi Israëlitæ. Videtur potius esse concessio indignantis Dei, ut revertantur postridie, si velint : reditus tamen omnino imperatus fuit, sed serius, quantum apparet.*

pœna ista commutatur in exsilium perpetuum,

391 *De hac pœna Israëlitarum* Moyses *ad populum loquitur Deut.* 1 ℣ 34 *in hunc modum :* Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum iratus juravit, et ait : Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ Terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris, præter Caleb filium Jephone.

ita ut nullus ex enumeratis apud montem Sinai

AUCTORE J. S.

ne. Ipse enim videbit eam, et ipsi dabo Terram, quam calcavit, et filiis ejus, quia secutus est Dominum. Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos *(postea)* dixerit : Nec tu ingredieris illuc : sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te... Parvuli vestri, de quibus dixistis, quod captivi ducerentur, et filii, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur : et ipsis dabo Terram, et possidebunt eam. Vos autem revertimini, et abite per viam maris Rubri. *Utroque loco citato solus Caleb a condemnatione diserte excipitur : at Josue quoque exemptum fuisse, tam hic innuitur, quam clare affirmatur verbis mox dandis.*

ingressurus esset Terram promissum, exceptis Josue et Calebo ;

392 *Rursum Num.* 14 *a* ỷ 26 *hanc pœnam* Moyses *paulo fusius sic exponit :* Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israël audivi. Dic ergo eis : Vivo ego, ait Dominus : sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes, qui numerati

B estis a viginti annis et supra, et murmurastis contra me, non intrabitis Terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone et Josue filium Nun. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam, ut videant Terram, quæ vobis displicuit. Vestra cadavera jacebunt in solitudine. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, et portabunt fornicationem * vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis Terram : annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, et scitis ultionem meam : quoniam, sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me : in solitudine hac deficiet, et morietur.

* *id est*, pœnam sceleris

decem exploratores repentina morte sublati.

393 Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad considerandam Terram, et qui reversi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem, detrahentes Terræ, quod esset mala, mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. Josue autem filius Nun, et Caleb filius Jephone,

C vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandam Terram. Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israël, et luxit populus nimis. *Ex dictis facile colligitur, decem exploratores statim subitanea morte periisse, quod ipse murmurationi occasionem præbuissent; reliquos vero paulatim interiisse tempore triginta octo annorum, et aliquot mensium, quibus in solitudine circuierunt : nam quod dicitur,* Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, *sic intelligi debet, ut simul computetur tempus, quo jam fuerant in deserto, ubi jam agebant annum secundum.*

D

§ XXXVI. Missio exploratorum, murmuratio, ejusque pœna ex Josepho et Philone, quorum relatio examinatur.

Relatio Josephi de missis exploratoribus,

Josephus et Philo murmurationem Mariæ et Aaronis contra Moysen, *utpote genti suæ minus honorificam, prorsus prætermiserunt. Attamen missionem exploratorum, ignavamque Israëlitarum rebellionem litteris consignarunt. De illa Josephus cap.* 13 *scribit sequentia :* Moyses autem posteaquam abductos inde adduxisset in locum humanæ habitationi parum aptum, non longe a finibus Chananæorum situm, qui dicitur Fauces, in concionem populum advocat. Cumque in mediis constitisset, Duo bona, inquit, Deus nobis dare decrevit, libertatem et felicis E terræ possessionem : quorum alterum ex ipsius munificentia jam habetis, alterum quoque mox habituri. Sumus enim in Chananæorum finibus, a quibus adeo nulla civitas, nullusve rex nos arcebit, ut ne universa quidem gens collatis in unum viribus efficere hoc valeat. Ergo parati simus ad rem fortiter gerendam. Neque enim sine prælio regione sua nobis sunt cessuri, sed post magna certamina victoriæ præmium erit. Ante omnia mittendi sunt speculatores, qui et terræ ubertatem, et habitatorum potentiam explorent. Nos vero in primis concordiæ studere oportet, et Deum adjutorem ac auxiliatorem nostrum debito cultu prosequi. Hæc ubi locutus est, populus, collaudato Moysis consilio, explorato res eligit duodecim nobilissimos, ex unaquaque tribu unum.

murmuratione tunc orta,

395 Qui exorsi a partibus ad Ægyptum vergentibus, totam Chananæorum regionem perlustraverant, donec ad Amathen * urbem et Libanum montem pervenirent : explorataque terræ simul et incolarum natura, reversi sunt ad suos, quadraginta diebus in hoc negotium insumptis. Et fructuum quidem pulchritudo quorum speci- F men erat allatum, ubertasque regionis, quam audiebant, animos multitudinis ad bellum suscipiendum erigebat. Contra deterrebantur narrantibus difficilem fore ejus acquisitionem, quod flumina superanda essent magna ac profunda, et montes ardui transcendendi, et urbes mœnibus firmissimis cingantur. Apud Hebronem vero etiam gigantum progeniem se reperisse aiebant, atque ita exploratores, cum omnia majora apud Chananæos invenissent, quam quæ hactenus post exitum ex Ægypto viderant, suo timore reliquam etiam multitudinem data opera impleverunt. Qui ex eorum narratione impossibile rati talem terram acquirere, soluta concione domum reversi cum uxoribus et liberis lamentabantur, dicentes Deum verbis tantum multa polliceri, re autem omnino nihil auxilii præstare. Rursumque Moysen incusantes, in eum simul et fratrem ejus Aaron pontificem vociferabantur : atque ita totam noctem inquieti exegerunt, in utrumque convicia jactando. Mane vero ad concionem concurrunt hoc animo, ut lapidatis Moyse ac fratre, in Ægyptum retro unde venerant reverterentur.

* Emath

396 Quem

A *studio Josuæ et Calebi multitudinem sedandi,*

396 Quem eventum metuentes duo e speculatoribus, Jesus Navechi filius ex tribu Ephræmitide, et Chaleb ex tribu Judæ, procedunt in medium et populum compescunt, orantes ut bona spe sint, neve Deum insimulent mendacii, temere fidem habentes quibusdam, qui vanis sermonibus de rebus Chananæorum vulgatis multitudinem credulam territarent : quin potius eos sequerentur, qui illis regionem tam felicem acquirendi autores ac duces se præberent. Neque enim montium magnitudinem, neque amnium profunditatem obstaturam viris fortiter rem gerere paratis, præsertim auspice Deo, et pro illis in acie præliaturo. Ite, inquiunt, posito omni timore alacres, Deoque freti, qua vos ducemus, sequimini. Talibus verbis conabantur sedare tumultuantem populum. Moyses interim et Aaron procidentes in faciem supplicabant Deo, non pro sua salute, sed ut insanientem multitudinem ad sanam mentem reduceret, tot præsentibus et instantibus necessitatibus turbatam : cum subito nubes super tabernaculum exorta, adesse præsentem Deum significat.

B *Moysis precibus, et sententia Dei in rebelles lata,*

397 Quo viso, Moyses animatus infert se in turbam, et ultro pœnam eis a Deo, tanta insolentia provocato, minatur, non tamen quantam peccati enormitas merebatur, sed qualis esse solet paterna castigatio. Sibi enim tabernaculum ingresso, et internecionem populi cum lachrymis deprecanti, commemorasse Deum, quot et quantis beneficiis affecti, ingrati esse pergerent, et quod nunc speculatorum ignavia seducti, eorum verbis plus veritatis inesse putarent, quam suis promissionibus. Quamobrem non deleturum quidem totum illud, quod cæteris mortalibus omnibus prætulisset : attamen terram Chananæam ejusque ubertatem illis non concessurum, sed sine lare et sine urbe in deserto quadraginta annis erraturos, quo peccati pœnas exsolvant. Liberis tamen eorum terram illam daturum, eosque commodorum, quibus patres se per intemperantiam indignos redderent, dominos esse constituturum. His denunciationibus vulgus attonitum, totum se mœstitiæ dedidit, Moysemque obsecrabant, ut deprecaretur Deum, quo reconciliatus, peccatisque condonatis, urbes hostiles eis traderet. Ille vero negabat Deum laturum talibus se tentari precibus. Non C enim temere aut humano more ad hanc indignationem esse commotum, sed justam hanc sententiam protulisse.

in quibusdam corrigitur.

398 *In hac relatione Hebræus scriptor minus aperte recedit a sacris Litteris, quam faciat frequenter in aliis : nec tamen desunt, quæ corrigantur. Primo non perspicio, cur locum, ex quo missi exploratores, Græce* φάραγγα, *Latine* Fauces *nominaverit, nisi forsan naturam locorum ea voce voluerit explicare, aut ex Pharan inflexerit. Secundo oratio* Moysis *ad populum satis quidem est congrua loco et tempori; at non exacte confirmis est sacræ Scripturæ, præsertim cum consilium de mittendis exploratoribus* Moysi *attribuat, licet* Moyses *potius videatur exploratores misisse, rogante populo et Deo permittente, quam id consilium primo suggessisse, ut dictum est num. 383. Tertio erant quidem montes et fluvii superandi Hebræis, ut acquirerent Terram promissam : at non legimus in sacris Litteris, hanc difficultatem exaggerasse exploratores, aut ea territum fuisse populum, prout narrat Josephus. Quarto blasphemas voces Israëlitarum,* Deum verbis tantum multa polliceri *etc. in Scripturis non invenit Hebræus scriptor, sed blasphemiam Deut. 1 ỷ 27 duriorem reddidit. Quinto demum multa prætermisit, aut saltem levissime solum attigit, uti facile videbit studiosus lector, modo cum hac relatione conferat expositionem datam ex sacris Litteris.*

Philonis non satis fidelis relatio

399 *Philo non minus dissimulanter agit in hoc facto narrando, quam Josephus, imo etiam magis : nam murmurationem contra* Moysen, *consilium redeundi in Ægyptum, vocesque seditiosas et blasphemas Hebræorum prorsus omittit, solum memorans Josuæ et Calebi periculum, imo ne pœnam quidem a Deo ob rebellionem inflictam clare exposuit. Deinde in eumdem cum Josepho errorem lapsus est, dum* Moysen *facit primum auctorem mittendi exploratores. Quin et graviore lapsu Legislatorem dubitantem inducit de fertilitate Terræ promissæ, et exploratoribus dicentem :* Alioqui pro professione sterilium agrorum ultro subire pericula, summa stultitia fuerit. *Noverat sane* Moyses, *Terram illam admodum esse fertilem, jussusque erat a Deo populum ad illius possessionem ducere : quando igitur jussit exploratores considerare, terrane esset* bona an mala, *non id fecit, quod de bonitate terræ dubitaret,* E *sed ut populus universus, audita terræ fertilitate, magis excitaretur ad possessionem illius adeundam. Hisce prævie monitis, verba Philonis subjungam : nam errorem de missis exploratoribus statim post victoriam de Amalecitis relatam jam ante correxi.*

de missis per Moysen exploratoribus,

400 Post prælium *(cum Amalecitis, de quo egerat)* decrevit *(Moyses)* exploratores ad inspiciendas sedes genti suæ destinatas mittere, anno secundo postquam iter ingressi fuerant : ne forte more solito per ignorantiam dissentirent a Ducis consilio : utque re auditu cognita, quid agendum esset, in commune dispicerent. Missi sunt e duodecim tribubus totidem principes electi ex optimatibus, ut omnium esset par autoritas : utque ex æquo tribus omnes de statu regionis cognoscerent ex honoratioribus, si modo illi renunciare vera voluerint. Electos autem sic alloquitur : Certaminum ac periculorum, quæ sustinuimus et sustinemus hodieque, præmium erit agrorum divisio, quam spem ratam faxit Deus optimus maximus, ut gentem frequentissimam deducamus in coloniam. Profuerit autem plurimum locorum, hominum, rerum conditionem pernoscere, sicut ignorare hæc est noxium. F Ideo vos elegimus, ut vestris oculis atque mentibus illa inspiceremus. Eritis igitur tot millibus pro auribus et oculis, ut cognoscatis, quæ nos scire oportet, nimirum tria hæc, incolarum frequentiam ac potentiam; urbium situm, munitæ sint ac sine munitionibus postremo quænam sit agri natura, num ferax et apta vinetis, arbustis atque segetibus, an contra sterilis : ut adversus vires copiasque incolarum instruamus nos legionibus, quas illis tuto possimus opponere, contra locorum autem difficultates machinis oppugnatoriis. Naturam quoque regionis scire necessum est, bona sit, an non. Alioqui pro possessione sterilium agrorum ultro subire pericula, summa stultitia fuerit. Arma autem nostra et machinæ atque copiæ sitæ sunt in sola erga Deum fiducia. Hoc apparatu freti nullis cedemus terroribus : hoc vincemus, etiamsi fuerimus inferiores robore, habitudine, audacia, peritia, copiis : hoc instructi etiam in vasta solitudine nihil requisivimus eorum, quæ habentur in urbibus. Tempus quoque nunc est explorationi aptissimum, vernum videlicet, quando ad maturitatem tendunt segetes, et

AUCTORE J. S.

et arborum fructus proferre se incipiunt. Præstat tamen differre in æstatem reditum et afferre aliquid fructuum, quod sit regionis ejus ubertatis specimen.

de Terra inspecta,

401 His auditis, ad explorandum proficiscuntur, deducente universa multitudine, solicita, ne comprehensi luant supplicium, et accipiatur geminum incommodum, virorum tributim selectorum interitus, cum ignoratione rerum hostilium, quarum petebatur noticia. Habebant autem secum duces peritos locorum, quos sequebantur in itinere. Cumque appropinquassent finibus, ascenso monte altissimo, contemplabantur regionem magna ex parte campestrem, feracem hordei, tritici, atque pabuli. Montana quoque vitibus et arbustis erant consita, ubique virentia, distinctaque rivis ac fontibus ad aquandi copiam, ut a radicibus usque cacumina tota latera montium opaca essent continuis arboribus, præsertim juga et valles mediæ. Videbant etiam urbes natura simul et arte munitas egregie. Amplius deinde inquirendo videbant incolarum immensum numerum, gigantibus similium proceritate ac ro-
B bore. Hæc ut diligentius perspicerent, hæserunt ibi diutius, ne fallerentur primo intuitu, sed certiores menti notas imprimerent. Simulque curaverunt, ut decerptos arborum fructus jam semimaturos suis tribulibus ostenderent, eos præcipue, qui non corrumpuntur facile. Sed nihil magis quam vitis fructum mirabantur. Pendebant enim prægrandes uvæ de palmitibus, spectaculum vix credibile. Harum unam exactam suspenderunt e vecte medio, cujus extrema imposuerunt humeris duorum juvenum, atque ita deportabant, aliis post alios propter pondus succedentibus.

de discordia exploratorum, et populo ad seditionem concitato,

402 De cætero non consentiebant. In itinere convenire eis non poterat, quid renunciandum esset de communi sententia, ne quid seditionis oriretur in populo. Sed hoc fuit levius. Post reditum extitit major discordia. Alii de urbium munimentis et civium frequentia narrantes, attollentesque in majus omnia, verbis territabant concionem : alii contra elevabant, quidquid viderant, hortando ut forti essent animo, et coloniam quærerent, consecuturi ad primum clamorem
C victoriam. Nullam urbem laturam tantæ multitudinis simul ingruentis impetum, nec parem futuram incumbenti oneri. Atque ita utrique invenerunt in plebe, quos imbuerent suis affectibus, ignavia timidi, fortes vero spe atque audacia. Verum hi portio quinta fuerunt, timidis quintuplo superantibus cæteros, quo factum est, ut paucorum fortitudo obscuraretur in tanto ignavorum numero. Duobus autoribus optimi consilii prævaluerunt decem dissuasores eorum sententiæ, qui pertraxerunt in suas partes totam plebeiam multitudinem. Omnes uno ore laudabant montana æque atque campestria : sed confestim reclamabatur a concione : Quid opus est nobis alienis fortunis asservatis tanto præsidio, ut non possint adimi pristinis dominis? Vix temperatum est a manibus, quin duos diversum sentientes lapidibus obruerent, malentes audire jucunda quam utilia, et veris falsa præferentes. Quod ægerrime ferebat Dux multitudinis, diris agitari eam suspicans, quæ tam contumaciter aspernaretur oracula : nec longe ultionem abesse, sicut eventus docuit. Nam illi decem exploratores timidi absumpti sunt pestilentia cum turba sequuta ipsorum ignaviam. Soli, qui suaserant eundum intrepide, servati sunt præmium referentes pietatis, et reverenter accepti oraculi. D

ac de diuturna Hebræorum vagatione : varia in hisce correcta.

403 Hæc causa fuit serius diductæ coloniæ. Cum enim potuissent secundo anno, postquam ex Ægypto demigrarant, agros Syriæ dividere; deflectentes a via compendiaria, vagabantur per secessus longinquos et devios, alios quærendo post alios, frustra defatigantes animum cum corpore, ut meritas impietatis pœnas persolverent : quippe qui præter tempus jam clapsum, per XXXVIII annos, ætatem hominis, susque deque oberrantes per invia, vix quadragesimo anno pervenerunt ad eosdem, quos antea, terminos. *Hactenus Philo, recte enumerans annos, quibus in deserto vagati sunt Israëlitæ ; sed silens, omnes viginti aut pluribus annis natos interim defunctos esse, paucis exceptis. Eodem silentio tegit cladem rebellium, qui pugnam detrectaverant, dum jubebat Dominus; et mox contra ejusdem prohibitionem temere ad pugnam processerunt, ut statim videbimus. Porro et alia quædam in data relatione incerta sunt aut minus exacta. Primo an decem exploratores* pestilentia *interierint, ut asserit Philo, an alio mortis genere, ex Scriptura non* E *liquet. Secundo quod dicitur de agris* Syriæ *dividendis, intelligendum est de parte Syriæ latius sumptæ, seu de Palæstina, quæ Syriæ late sumptæ includebatur. Tertio minus exacte tempus, quo abfuerunt exploratores, a vere in æstatem protrahit, acsi diutius abfuissent quam quadraginta diebus, licet fatear id ex ipsius verbis non sequi : contra tacet diligentiam exploratorum in circumeunda tota Palæstina. Demum quædam ex conjecturis probabiliter magis quam certo refert, qualis est pro majori parte oratio* Moysis *ad populum, timor de exploratoribus, horum discordia in itinere etc.*

§ XXXVII. Pugna, prohibente Moyse, suscepta et clades : colligens die Sabbato ligna lapidibus obrutus : conspiratio Core, Dathan et Abiron, insigniter castigata divinitus : pœna murmurantium : virgæ Aaronis prodigium. F

Israëlitæ, prohibente Domino, ad pugnam progressi,

Sententia contra rebelles Israëlitas per Deum lata et per Moysen *divulgata, qua plerique erant condemnati ad mortem in deserto Arabiæ obeundam, non modo ingentem luctum populo attulit, sed tantam quoque audaciam, aut potius temeritatem rebellium animis infudit, ut pugnam ultro deposcerent, et invito etiam* Moyse *ad certamen properarent. Itaque qui ausi non fuerant ingressum Terræ promissæ tentare, quando favor Domini aspirabat, inaudita temeritate ad hostes appropinquarunt, renuente Deo, partim exsecuturi hac sua inobedientia sententiam mortis contra se latam.* Moyses *Num.* 14 ℣ 40 *de hisce habet sequentia :* Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt : Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est : quia peccavimus. Quibus Moyses, Cur, inquit, transgredimini verbum

A verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum : ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites et Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini et Moyses non recesserunt de castris. Descenditque Amalecites et Chananæus, qui habitabat in monte : et percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma. *Non exprimitur, quantus fuerit occisorum numerus; at non exiguum fuisse verba ipsa satis innuunt.*

gravi clade repelluntur :

405 *Deut.* 1 ℣ 41 *de eadem pugna et clade* Moyses *populum sic alloquitur :* Et respondistis mihi : Peccavimus Domino : ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, ait mihi Dominus : Dic ad eos : Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum : ne cadatis coram inimicis vestris. Locutus sum, et non audistis : sed adversantes imperio Domi-
B ni, et tumentes superbia, ascendistis in montem. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, et obviam veniens, persecutus est vos, sicut solent apes persequi : et cecidit de Seir usque Horma. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore. *Quæri hic potest, quo modo diu manserint in Cadesbarne, cum jussi essent versus mare Rubrum proficisci die primo post rebellionem? Respondeo, Israëlitas illi præcepto non paruisse, sed eodem die processisse ad pugnam illam infaustam. Cum autem illa inobedientia ingenti strage esset punita, Deum verisimiliter permisisse, ut diutius in eodem hærerent loco, donec vulnerati aut morerentur aut sanarentur. Verum noluit permittere Dominus, ut iterato ad pugnam procederent, uti videntur petiisse post cladem acceptam. Observari quoque potest,* Amorrhæum *hic vocari, a quo cæsi sunt Israëlitæ; at Num.* 14 *dici* Amalecitem *et* Chananæum : *videntur itaque tres illi populi arma contra Israëlitas conjunxisse, nisi Amorrhæi Num.* 14 *vocentur* Chananæi *propter commune nomen populorum Terræ promissæ.*

iter eorum versus mare Rubrum : leges quædam : violans Sabbatum lapidibus obrutus.

C 406 *Ubi diu circa Cadesbarne castrametati fuerant Israëlitæ, itinere retrogrado profecti sunt versus mare Rubrum, donec pervenirent ad mansionem trigesimam secundam, seu in Asiongaber, locum sinui Elanitico maris Rubri adjacentem. De longissimo hoc itinere* Moyses *Deut.* 2 *sic breviter loquitur :* Profectique inde *(ex Cadesbarne)* venimus in solitudinem, quæ ducit ad mare Rubrum, sicut mihi dixerat Dominus : et circuivimus montem Seir longo tempore. *Variæ interim et diuturnæ fuerunt mansiones tempore illius itineris, uti videri potest num.* 381 : *at ignoramus, quid in singulis earum sit gestum. Hac de causa eo ordine referam gesta temporis intermedii, quo relata sunt a* Moyse *in libro Numerorum sine alia loci aut temporis nota. Num.* 15 *recensentur leges variæ cæremoniales, quæ præscribuntur observandæ, postquam ingressi forent Terram promissam. Ibidem* ℣ 32 *pœna hominis, qui Sabbatum violaverat, hoc modo narratur :* Factum est autem, cum esset filii Israël in solitudine, et invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati, obtulerunt eum Moysi et Aaron et universæ multitudini. Qui recluderunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysen : Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, et mortuus est, sicut præceperat Dominus. *Hoc factum insinuat, Israëlitas eo tempore Sabbatum religiosissime observasse.*

AUCTORE J. S.

Conspiratio Core eique adhærentium

407 *Porro eodem illo tempore, quo vagi per deserta ferebantur Israëlitæ, gravissima erupit conspiratio contra* Moysen *et Aaronem, eaque non inchoata motu populari inconstantis vulgi, sed studiose conflata per viros principes, qui imperium* Moysi, *Aaroni vero pontificatum invidebant. Levitæ fuerunt et Rubenitæ, qui imperium* Moysi *abrogare, et Aaronis sacerdotium commune pluribus facere moliebantur. Dux totius factionis Core Levita, patruelis erat* Moysis : *nam avus utrique communis erat Caath :* Moyses *autem erat filius Amrami, qui Caathi erat filius natu major; Core vero patrem habebat Isaar, filium Caathi secundum, ut videri potest Exod.* 6 ℣ 18 *et* 21. *Hac observata sanguinis propinquitate,* Moysen *audiamus, qui Num.* 16 *factum ita narrare aggreditur :* Ecce autem Core, E
filius Isaar, filii Caath, filii Levi; et Dathan atque Abiron, filii Eliab; Hon quoque, filius Pheleth, de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, et qui tempore concilii per nomina vocabantur. *Eccli.* 54 ℣ 22 *de illis dicitur :* Quia contra illum *(Aaronem)* steterunt alieni, et propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan et Abiron, et congregatio Core in iracundia. Vidit Dominus, et non placuit illi, et consumpti sunt in impetu iracundiæ. Fecit illis monstra, et consumpsit illos in flamma ignis. *Pœnam illam latius videbimus, ubi conspirationis conatus fuerit expositus.*

contra Moysen et Aaronem,

408 *De eo* Moyses ℣ 3 *sic prosequitur :* Cumque stetissent adversus Moysen et Aaron, dixerunt : Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Domini? Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem : locutusque ad Core et ad omnem multitudinem : Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, et sanctos applicabit sibi : et quos ele- F
gerit, appropinquabunt ei. Hoc igitur facite : tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, et omne concilium tuum : et hausto cras igne, pronite desuper thymiama coram Domino : et quemcumque elegerit, ipse erit sanctus : multum erigimini, filii Levi. Dixitque rursum ad Core : Audite, filii Levi : num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israël ab omni populo, et junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, et starctis coram frequentia populi, et ministraretis ei? Idcirco ad se fecit accedere te et omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vendicetis, et omnis globus tuus stet contra Dominum? Quid est enim Aaron, ut murmuretis contra eum? *His verbis Core eique adhærentes Levitas nequidquam ad meliora consilia reducere studebat* Moyses.

quos gravibus impetunt conviciis : Moyse vero orante,

409 *Æque pertinaces erant Dathan et Abiron cum Rubenitis sibi adhærentibus, ut sequitur :* Misit ergo Moyses, ut vocaret Dathan et Abiron filios Eliab. Qui responderunt : Non venimus. *Graviaque addentes convitia, sic prosecuti sunt :* Nunquid parum est tibi, quod eduxisti

AUCTORE J. S.

xisti nos de terra; quæ lacte et melle manabat, ut occideres in deserto, nisi et dominatus fueris nostri? Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis et mellis, et dedisti nobis possessiones agrorum et vinearum. An et oculos nostros vis eruere? Non venimus. *Hæc convilia graviter pungere debebant sanctum Legislatorem, quia diuturnæ commorationis in deserto, quam suis sceleribus imputare debuerant Israëlitæ, omnem causam* Moysi *falso imputabant; acsi magna ille promisisset, atque interim nihil præstare potuisset.* Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum. Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Dixitque ad Core: Tu, et omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, et Aaron die crastino separatim. Tollite singuli thuribula vestra, et ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum. Quod cum fecissent, stantibus Moyse et Aaron, et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini.

B

Dathan et Abiron terra dehiscente absorbentur, alii vero 250 igne consumpti:

410 Locutusque Dominus ad Moysen et Aaron, ait: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num, uno peccante, contra omnes ira tua desæviet? Et ait Dominus ad Moysen: Præcipe universo populo, ut separetur a tabernaculis Core, et Dathan, et Abiron. Surrexitque Moyses, et abiit ad Dathan, et Abiron: et sequentibus eum senioribus Israël, dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan et Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus et liberis omnique frequentia. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa, quæ cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint et visitaverit eos plaga, qua et ceteris visitari solent, non misit me Dominus: sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, et omnia,

C

quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum. Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum: et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum; descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis. At vero omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte et nos terra deglutiat. Sed et ignis egressus a Domino, interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

Core quoque hiatu terræ absorptus, non tamen ejus filii:

411 *Non potest ex hoc loco intelligi, an Core dehicente terra absorptus sit, an cum Levitis suis igne interfectus. Quin etiam Deut.* XI ỳ 6 *soli nominantur* Dathan atque Abiron, . . . quos aperto ore suo terra absorbuit, cum domibus et tabernaculis et universa substantia eorum, quam habebant in medio Israël. *Nihilo magis nominatur Core Psal.* 105 ỳ 15, *ubi pœna rebellium sic exprimitur:* Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini. Aperta est terra, et deglutivit Dathan, et operuit super congregationem Abiron. Et exarsit ignis in synagoga D eorum: flamma combussit peccatores. *Verum aliunde constat, Core a terra dehiscente haustum fuisse; at filios ipsius, utpote innoxios, mirabiliter fuisse periculo ereptos. Quippe Num.* 26 Moyses *texens genealogiam Dathan et Abiron, de hisce* ỳ 9 *scribit illa:* Isti sunt Dathan et Abiron principes populi, qui surrexerunt contra Moysen et Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt: et aperiens terra os suum, devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii illius non perirent. *Ita Dominus innocentes a noxiis separavit: neque enim dubitandum videtur, qui filii Core plane fuerint insontes, atque ea de causa eis pepercerit Dominus. Porro Core etiam fuisse in tabernaculo suo, quando periit, colligitur ex mandato Dei, quo jussit universum populum separari* a tabernaculis Core et Dathan et Abiron. *Itaque verisimiliter, abeunte* Moyse, *ad tentoria Dathan et Abiron, Core eumdem secutus est, relictisque Levitis sibi adhærentibus, qui incensum offerebant, ad tentorium suum recessit, ibique modo prædicto interiit.* E

Laminæ ex thuribulis occisorum altari affixæ:

412 *Post mortem seditiosorum expositam,* Moyses *prosequitur narrationem suam Num.* 16 ỳ 36 *hoc modo:* Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron saceadoti, ut tollat thuribula, quæ jacent in incendio, et ignem huc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, et affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, et sanctificata sint, ut cernant ea pro signo et monimento filii Israël. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium devoravit, et produxit ea in laminas, affigens altari: ut haberent postea filii Israël, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, et qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core, et omnis congregatio ejus *(id est, ei adhærentium)* loquente Domino ad Moysen.

orta ob mortem illorum populi murmuratio punitur morte alio rum 14700;

413 *Mirum est, tam insigni rebellium pœna cohibitos non fuisse Israëlitas a murmuratione contra Legislatorem. Attamen constat, hanc ipsam pœnam alteri rursum obmurmurationi occasionem præbuisse. De hac ita pergit* Moyses ỳ 41: Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israël sequenti die contra Moysen et Aaron, dicens vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio et tumultus incresceret, Moyses et Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, et apparuit gloria Domini. Dixitque Dominus ad Moysen: Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, et hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis: jam enim egressa est ira a Domino, et plaga desævit. Quod cum fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thymiama: et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit. Fuerunt autem, qui percussi sunt, quatuordecim milia hominum, et septingenti, absque his, qui perierant in seditione Core. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis, postquam quievit

F

A quievit interitus. *Ostendere voluit hoc facto Dominus, quam iniqua esset criminatio perversorum, qui* Moysi *et Aaroni imputabant mortem seditiosorum.*

cui plaga Aaronis precibus finis allatus :

414 *Factum Aaronis laudat Sapiens cap.* 18 ŷ 20 *his verbis :* Tetigit autem tunc et justos * tentatio mortis, et commotio in eremo facta est multitudinis : sed non diu permansit ira tua. Properans enim homo * sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum orationem, et per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, et finem imposuit necessitati ; ostendens quoniam tuus est famulus. Vicit autem turbas, *(id est, plagam, quæ populum perturbabat)* non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, *(angelum exterminatorem)* subjecit, juramenta parentum *(seu juramenta parentibus, id est, Abrahamo etc. facta)* et testamentum commemorans. Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, et amputavit impetum, et divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam. In veste enim poderis, quam habebat, to-B tus erat orbis terrarum : et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat. His autem cessit qui exterminabat, et hæc extimuit : erat enim sola tentatio iræ sufficiens. *Hactenus de hisce Sapiens, cujus obscuriora verba per interpositas parentheses breviter explicare conatus sum : at plura videri possunt apud interpretes.*

* i. e. Israëlitas
* Aaron

sacerdotium Aaroni magis confirmatum

415 *Quamvis auctoritas* Moysis *et Aaronis, hujusque electio ad pontificatum satis esset asserta et vindicata tot millium seditiosorum supplicio, placuit tamen divinæ Providentiæ electionem summi sacerdotis ulterius confirmare novo prodigio, quod* Moyses *narrat Num.* 17 *in hunc modum :* Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Loquere ad filios Israël, et accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum virgas duodecim, et uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi, et una virga cunctas seorsum familias continebit : ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, ubi loquar ad te. Quem ex his elegero, germi-C nabit virga ejus : et cohibebo a me querimonias filiorum Israël, quibus contra vos murmurant. Locutusque est Moyses ad filios Israël : et dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus : fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron *(quæ erat decima tertia, uti tribus Levi erat decima tertia tribus.)*

prodigio virgæ ipsius florescentis.

416 Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii : sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi : et turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israël : videruntque et receperunt singuli virgas suas. Dixitque Dominus ad Moysen : Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii, ut servetur ibi in signum rebellium filiorum Israël, et quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur. Fecitque Moyses, sicut præceperat Dominus. *Apostolus Hebr.* 9 ŷ 4 *inter ea, quæ erant in arca testimonii, recenset virgam* Aaron, quæ fronduerat, *ita ut non solum relata sit ad sanctum sanctorum, ubi ante arcam flores acceperat, sed ipsi quoque arcæ fuerit imposita. Ceterum Israëlitæ, viso tanto prodigio, diu quieverunt, aut certe nihil de eorum murmurationibus legitur ante obitum Mariæ, quæ incidit in annum postremum diuturni eorumdem exsilii. Modeste tamen crebra suorum funera deplorarunt apud* Moysen *Num.* 17 ŷ 12 : Dixerunt autem filii Israël ad Moysen : Ecce consumpti sumus, omnes perivimus : quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num usque ad internecionem cuncti delendi sumus ? *Hæc dicta fuisse a lugentibus, novasque clades timentibus, sed debita cum reverentia, censent passim interpretes ; et sane verba illa, etiamsi varie intelligi possint, non reprehenduntur a* Moyse, *qui usque ad annum egressionis quadragesimum nihil amplius narrat de gestis Israëlitarum, sed solum recenset Num.* 18 *et* 19 *leges aliquot cæremoniales interim latas.*

§ XXXVIII. Quid de pugna cum Chananæis, et seditione pœnaque Core et aliorum Josephus scripserit, et Philo.

E

Josephi relatio de pugna ab Israëlitis, invito Moyse,

Philo *lib.* I *Vitæ* Moysis *nec pugnam cum Chananæis, nec seditionem principum deinde secutam commemorare voluit ; at de posteriore facto quædam scripsit inferius examinanda. Josephus vero utramque historiam more suo narravit. Primum de pugna cum Chananæis lib.* 4 *Antiquit. cap.* I *sic habet :* Hebræos autem duram vitam in deserto agentes, et multis miseriis afflictos, nihil pejus habuit, quam quod Deus non sinebat eos armis cum Chananæis experiri : nec jam amplius Moysen audire volebant quiescere jubentem, rati etiam sine illius auspiciis victoriam de hoste se posse obtinere : accusabantque eum, quasi hoc tantum agentem, ut in magna inopia constituti, semper ab illius consiliis penderent : et omnino pugnare decreverunt, auxilium Dei sibi pollicentes, non tam Moysis respectu, quam quod in ejus tutela jam inde a majoribus essent : et quos prius ob pietatem dignos libertate duxisset, eis nunc quoque si rem strenue gerant, victoriam non negaturum. F Satis sibi virium adversus eas gentes *(esse)*, etiamsi Moyses Deum ab ipsis alienare conetur : omninoque expedire sibi ut arbitratu sua potius rem gerant, quam pro excussa Ægyptiorum servitute Moysis tyrannidem suscipiant, ejusque libidini seducti pareant, jactantis divina colloquia, quibus, ut Deo præ cæteris carus, de rebus gerendis præmoneatur : quasi vero non omnes ex æquo Abrahæ essent posteri, ut unus singulari gratia præscientiam futurorum divinitus habere debeat. Prudentium esse, ut contempta unius Hominis arrogantia, Deo potius promissori credentes, ad acquirendam eam regionem se expediant, neque diutius sub Dei prætextu verba sibi dari sinant. Cogitandum de præsenti inopia, quam loca deserta graviorem in dies reddant, et ductore Deo manus cum Chananæis quamprimum conserendas, nec amplius assensum Legislatoris expectandum.

infeliciter suscepta excutitur :

418 Comprobata deinde omnium calculis hac sententia, populariter in hostes vadunt : qui neque feroci eorum impetu, neque immensa multitudine

AUCTORE J. S.

titudine perterriti, irruentes in se excipiunt fortiter : et bona parte Hebræorum cæsa, reliquos turpiter vertere terga coactos insequendo trepidos in castra compellunt. Ea clades, præter omnium opinionem oblata, vehementer animos multitudinis dejecit, pejora metuentis, cogitantisque ab irato Numine immissam esse, eo quod, non exspectato oraculo, ad pugnam prorupissent. Moyses autem videns tum suos accepta clade consternatos, tum hostem victoria recenti elatum, veritus ne præsenti successu non contentus, majora moliretur, decrevit copias retro in desertum reducere. Cumque populus posthac in Ducis potestate se fore polliceretur, malo admonitus nihil absque ipsius consilio prospere cessurum, motis castris, itum est in desertum hoc animo, ut non prius contra Chananæos pugnam capesserent, quam signo divinitus accepto. *Hæc Josephus, verbis sacræ Scripturæ conjecturas suas adjungens. Nam primo, quæ jactitata dicit per Israëlitas contra* Moysen, *non leguntur in sacris Litteris; at non abhorrent ab ingenio Hebræorum istius temporis, nec improbabile est,* B *similia per aliquos saltem jactata fuisse, cum ad pugnam procederent,* Moyse *invito. Malim tamen existimare, plurimos eorum sibi persuasisse, se deleturos peccatum inobedientiæ per ignaviam contractum, si fortiter in hostem irent, illique persuasioni pertinaciter inhæsisse,* Moyse *nequidquam dehortante. Hæc enim sententia congruit verbis eorum ad* Moysen *Deut.* I ℣ 41 : Peccavimus Domino : ascendemus et pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. *Altera Josephi conjectura est, quod* Moyses *duxerit ad interiora deserti metu hostilis exercitus. At fallit hæc conjectura, cum diu deinde in eodem loco castra permanserint.*

Idem Josephus conspirationem Core narrans,

419 *Ad seditionem Core aliorumque ei adhærentium Josephus deinde progreditur hoc modo :* Sed quemadmodum in exercitu ingenti usu venit, maxime rebus adversis, ut difficiles se moderatoribus præbeant, ita Judæis etiam idem accidit. Quum enim essent numero sexcenta millia, et vel in secunda fortuna parum tractabiles præfectis viderentur, tanto magis in egestate ac infortunio tam in se invicem quam in Imperatorem suum exasperabatur. Quapropter tanta seditione C est laboratum, quantam nec apud Græcos nec apud Barbaros umquam fuisse accepimus. Quæ res dubio procul in extremum jam periculum delatos perdidisset, ni Moyses oblitus acceptæ injuriæ, quod minimum abfuit quin lapidaretur, rebus labantibus opem attulisset. Ac ne Deus quidem curam eorum prorsus abjecit, sed tametsi contumeliosos non solum erga Legislatorem, verum etiam in mandata divina per Moysem accepta, liberavit tamen e perniciosissima seditione, cujus absque sua providentia non nisi tristissimus exitus expectari poterat. Hanc seditionem, et quemadmodum, ea sedata, Moyses rem administraverit nunc dicemus, causa ejus primum exposita. *Hactenus Josephus satis probabiliter.*

variis eam auget conjecturis,

420 *Mox seditionem ipsam, cujus præcipuum auctorem merito facit Core, exponere sic incipit :* Cores vir genere et opibus inter Hebræos clarus, et populari quadam facundia præditus, videns Moysem in celso dignitatis constitutum, moleste ac invidenter ad ferebat. Cum enim esset ex eadem tribu et cognatione, iniquum censebat se illi posthaberi, et divitiis pollentiorem et genere nihilo inferiorem : multaque in illum apud contribules Levitas, et inter cognatos D concionabundus vociferabatur, rem indignam dictitans, nec diutius ferendam, Moysem ambitiosis artibus sub prætextu cujusdam divinitatis cum aliorum injuria suæ tantum gloriæ studere : et nuper præter jus et fas sacerdotium absque populi suffragio fratri Aaroni dedisse, et alias dignitates, quasi tyrannide arrepta, pro libidine distribuere. Gravem hanc esse injuriam, quod ita latenter se in dominationem insinuet, ut priusquam sentiri possit, populi libertas opprimatur. Qui enim principatu se dignum sibi sit conscius, eum volente ac persuaso populo sine vi ad tale fastigium aspirare. Qui vero bonis artibus eo pervenire desperent, a vi quidem abstinere, ne bonitatis ac honestatis opinionem amittant, sed technis maliciosis ad id consequendum niti. Talium conatus in medium protractos puniri e republica esse, priusquam e clancularíis insidiatoribus aperti hostes evadant. Quam enim rationem Moysem afferre posse, cur Aaroni potissimum et filiis sacerdotium dederit. Si enim ex Levitica tribu alicui honor is ex divina voluntate deberetur, se merito fuisse præferendum, ge- E nere Moysi parem, ætate atque opibus potiorem. Quod si antiquissimæ tribus ratio haberetur, optimo jure viris Rubelitidis tribus dignitatem eam deferendam, Dathamo, Abironi, et Phalao, divitiis juxta ac ætate inter contribules præminentibus. Hæc Cores, videri volens reipublicæ curam habere, revera hoc tantum agens, ut concitato populo pontificatum invaderet.

partim probabilibus, partim improbabilibus et falsis:

421 *Pleræque hæ criminationes Core probabiles sunt, cum satis congruant verbis ejus ad* Moysen *Num.* 16 ℣ 3, *cumque non potuerit tot viros primarios in partes suas pertrahere, nisi occultis criminationibus* Moysis *et Aaronis famæ detraxisset. Nonnulla tamen minus sunt verisimilia. Primo enim improbandum videtur, quod Core se ætate et divitiis* Moysi *et Aaroni præferat : nam utrumque incertum est, nec admodum verisimile. Secundo quod fingat, ipsum aperte voluisse sacerdotium ad alium transferre : nam verba ipsius Num.* 16 ℣ 3 *tantum insinuant, voluisse ipsum, ut sacerdotium omnibus Levitis fieret commune; atque id solum tentasse : negare tamen nolim, id eum facere potuisse, ut deinde fa-* F *vore populi pontificatum ad suam pertraheret familiam. Tertio licet loquatur Josephus maxime de sacerdotio, satis tamen indicat conspirationem etiam fuisse contra supremam* Moysis *dignitatem. Et sane intentio seditiosorum ea fuisse videtur, ut non solum Aaroni eriperetur pontificatus; sed* Moysi *quoque suprema potestas. Innuunt utrumque verba Core Num.* 16 ℣ 3 : Sufficiat vobis quia omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus. Cur elevamini super populum Dei? *Eodem tendunt verba Dathan et Abiron,* Moysi *parere recusantium* ℣ 13 Nunquid parum tibi est quod eduxisti nos, ...nisi et dominatus fueris nostri? *Itaque dubitandum non est, quin tam* Moysen *quam Aaronem in ordinem redigere voluerint seditiosi. At Dominus defendit viros a se electos ad regendam Israëlitarum rempublicam; nec passus est aut sacerdotium aut supremum principatum ad alios transferri. Quarto corrigendus est Josephus, quod* Dathamo *et* Abironi *adjungat* Phalaum, *de quo in sacris Litteris nulla fit mentio, dum illorum refertur conspiratio.* Hon *adjungi poterat, non* Phalaus, *per quem videtur designari* Phallu,

A Phallu, *filius Rubeni Num.* 26 ℣ 5, *et ibidem* ℣ 8 *avus Dathani et Abironis, ita ut diu debuerit esse defunctus ante hanc conspirationem.*

conspirationem quoque confundit cum murmuratione populi post secuta:

422 *Hisce observatis ad Josephi textum regredior.* Nec diu, *inquit*, se intra unam tribum hæ criminationes continuerunt: verum sparsus paulatim rumor, dum quisque auditis de suo aliquid addit, totis jam castris pervagabatur: brevique eo res devenit, ut ducenti quinquaginta e primatibus factionem Coræ sequerentur, qui omnes operam dabant, ut sacerdotium fratri Moysis ademptum in illum transferretur. Populus præterea tam concitatus erat, ut ad lapides conclamaretur: concurrebatque incondita multitudo in concionem, ubi stans ante Dei tabernaculum vociferabatur, tollendum Tyrannum, et populum e serviture eximendum, cui sub religionis prætextu dura imperata imponerentur. Deum enim, si ipse esset sacerdotis elector, aliquem dignum fuisse ad hunc honorem provecturum, non eum, qui multis esset merito posthabendus: vel si Aaroni eum dare decrevisset, populi suffragio potius quam Fratris beneficio fuisse datu-

B rum. *In hisce Josephi verbis regnat confusio: nam, ut dixi, necdum agebatur de Sacerdotio ad Core transferendo: necdum etiam erat tanta populi exacerbatio, ut ad lapides concurreretur; sed ea orta est postridie, dum mortem seditiosorum* Moysi *et Aaroni imputare cœpit populus ad graviorem seditionem concitatus.*

et in oratione ad populum Moysi attributa

423 *Pergamus cum Josepho:* Moyses autem, qui Coræ calumnias non ignorabat, videns populum irritatum, nequaquam expavit: sed fretus conscientia rei bene administratæ, et sciens fratrem electione Dei pervenisse ad sacerdotium, non sua gratia, prodiit in concionem: et quoniam non erat imperitus artium, quibus vulgus tractandum est, ad Corem versus elata voce: Mihi, inquit, Cores, vel tu, vel unus quivis ex istis, intenta in ducentos et quinquaginta viros manu, honore digni videmini: imo ne reliquam quidem concionem contemno, etiamsi vobis divitiis et cæteris dotibus non sint conferendi. Nam nec Aaron ideo sacerdotio potitur, quia ditior. Tu enim ampliores, quam uterque nostrum, facultates possides: neque quia nobilior; commune enim universis genus nobis Deus vo-

C luit, cujus eundem cunctis autorem dedit: neque fraterno affectu motus, quod aliis debebatur, fratri contuli; nisi enim jus et fas præ oculis habuissem, nequaquam oblitus mei, dedissem alteri, cum nemo sit mihi me ipso propinquior, et mihi non minus quam illi bene velim; et alioqui qualis erat prudentiæ, me violati juris reum facere, et hujus facinoris præmium alteri cedere? Verum et a mea probitate absit tale scelus, neque Deus sustinuisset aut se contemni, aut vos ignorare, quid illi gratissimum facturi essetis. Ipse sacerdotem sibi elegit, ipse ab hoc crimine immunem me reddidit. Attamen licet non meo beneficio, sed divina electione hunc honorem adeptus, non dubitat in medium depositum vestris suffragiis committere, nullam prærogativam postulans ex eo, quod hactenus eo sit legitime functus, ut qui omni ambitione posita, malit vos sine seditione videre, tametsi vestris etiam calculis ante jam comprobatus. Neque enim Dei voluntatem in hoc læsimus, quod vestrum etiam assensum accedere voluimus. Sed quod ille ultro detulit, salva pietate recusare non licuit: quemadmodum et illud æquum est, ut qui semel dedit, suum donum ratum ac perpetuum efficiat.

424 Quamobrem judicabit denuo, quem velit pro vobis sacra facere, et pietatis vestræ antistitem esse. Iniquissimum enim fuerit, Corem per ambitionem obstare, quo minus liberam electionem sui sacerdotis habeat. Nihil est igitur quod seditionibus turbemini, quantum ad hanc causam attinet. Cras mane cum sua quisque acerra et igne ac odoramentis adesto. Tu vero, Cores, cede Deo, et calculum ejus expecta, neque majorem, quam Deus habeat, autoritatem tibi arroga: sed tu quoque inter cæteros hujus honoris competitores judicandus adesto: nec video cur vel Aaron a petitione debeat excludi, eodem genere natus, et qui jam in hac functione irreprehensibile sui specimen dedit. Ubi vero conveneritis, coram toto populo suffitum facitote, et cujus sacrificium acceptius Deo fuerit, eum mea quoque autoritate confirmabo, meque ab hac calumnia collatæ per privatam gratiam in fratrem summæ dignitatis exolvam. His auditis, turba et tumultuari simul, et male suspicari de Moyse destitit: et insuper consilium ejus collaudavit tamquam e republica futurum: atque ita concio dimittitur. *Hactenus Josephus, qui in principio orationis, quam* Moysi *attribuit a mente sacrarum Litterarum longe recedit, dum* Moysen *inducit callide abblandientem Core ceterisque Levitis, quos gravi oratione perstrinxit Num.* 16 ℣ 8 *et sequentibus. Media autem orationis pars ex conjecturis formata est, Scriptura nec repugnante nec favente; at postrema demum pars orationis Scripturæ textui est conformior.* E

AUCTORE J. S. sacræ Scripturæ non satis est conformis:

425 *Pœnam rebellium narrat Josephus cap.* 3 *non sine multa confusione et erroribus aliquot. Verba audiamus:* Postera vero die reditur in concionem, ut sacro facto interessent divino judicio, per quod competitorum certamen erat dirimendum: eratque nonnihil tumultus, multitudine suspensa ad eventus expectationem, quibusdam Moysen in ordinem redigi cupientibus, qui vero prudentiores erant, seditionum finem exoptantibus: timebant enim ne actum esset de republica, si ulterius seditio procederet. Multitudo quoque natura novarum rerum cupida, et ad obloquendum magistratibus prona, omnibus rumoribus circumferebatur. Moyses autem missis ad Dathamum et Abironem viatoribus, jussit ut ad condictum venirent sacris interfuturi. Post- F quam autem negaverunt se obtemperaturos, neque diutius passuros Moysi potentiam artibus malis quæsitam in populo augeri: his renunciatis assumptisque aliquot præstantioribus, non est dedignatus ad contumacem Dathami factionem venire, sequentibus se libenter, quos jusserat. *Huc usque Josephus rei gestæ ordinem et tempora confundens: nam primo seditionis die* Moyses *ad se vocari jusserat Dathanum et Abironem, illique parere recusaverant.* Moyses *vero, audito eorum responso contumeliis pleno, eodem die Dominum oraverat, ne audiret seditiosos, jussitque Core sequenti die ad tabernaculum accedere cum suis Levitis. Secundo igitur die* Moyses *adivit tentoria Dathani et Abironis, secutumque est tam illorum quam Levitarum supplicium.*

pœnam seditiosorum narraturus gesta confundit,

426 *Audiamus Josephum, qui ita pergit:* Tum Dathamus cum suis audito Moysen cum primatibus ad se adventare, progressi cum liberis et uxoribus ante tabernacula, expectabant quidnam acturus esset. Aderant etiam satellites, qui arcerent eum, si quid vi agere vellet. Ille vero jam propior, sublatis in cælum manibus, et

et attribuit Moysi preces nec Scripturæ conformes

AUCTORE J. S.

et elata voce, ut a tota multitudine exaudiri posset, Domine, inquit, cæli et terræ ac maris, ut qui mihi testis es fide dignissimus, quod quicquid hactenus feci, ex tua sententia feci, qui miseratus res Hebræorum perpetuus adjutor mihi fuisti, exaudi hanc orationem. Tu enim scis omnia, ipsas etiam cogitationes hominum. Quapropter non dedignaberis rei veritatem atque istorum ingratitudinem in medium proferre. Nosti sane exacte et illa, quæ nativitatem meam præcesserunt, visa nimirum non audita: nunc in illis rebus testimonio tuo me subleva, quas isti cum non ignorent, male suspicari tamen non verentur. Ego cum vitam agerem quietam, id quod mea virtute et tua voluntate Raguelisque soceri beneficio consecutus eram, tamen relictis ejus voluptatibus et commodis, me ipsum totum dedidi ærumnis pro isto populo perferendis: et primum pro libertate eorum, nunc vero pro salute promptissime magnos labores suscepi. Nunc ergo quoniam in suspicionem veni hominibus, qui mea cura ac providentia tot mala incolumes evaserunt, tu qui in igne illo ad montem Sina mihi apparuisti, et tua voce spectaculoque illorum prodigiorum me dignatus es, qui in Ægypto legatione tuo nomine fungi voluisti, qui Ægyptiorum opibus afflictis, servitutem eorum effugere concessisti, et Pharaotis potentiam succumbere mihi fecisti, qui ignaris viæ per mare medium iter aperuisti, cujus postea fluctibus Ægyptios involvisti, qui inermes armis munivisti, qui ex vitiosis fontibus potabiles reddidisti, et potum nobis inopia laborantibus e petra produxisti, cibumque in terra non invenientibus a mari attulisti, e cælo denique nunquam ante auditum es largitus, qui legibus ac institutis rem nostram ornasti, adesto mihi, Domine, judex omnium ac testis incorruptissimus, quod neque munera a quopiam Hebræorum, favorem meum contra justitiam captante, admisi, neque pauperem bonam causam habentem propter adversarium divitem perdere litem sum passus.

nec ipsius mansuetudini,

427 Et nunc republica sincerissime administrata, in suspicionem culpæ, a qua sum alienissimus, venio, quasi fratri ob privatum affectum, et non tua voluntate, sacerdotium tuum contulerim: ostende quod omnia tua providentia dispensantur, et nihil fortuitis casibus, sed tua voluntate ad effectum pervenit: et quod res Hebræorum cordi tibi sint, justa in Dathamum et Abironem animadversione declara, qui te stupidum faciunt, meis imposturis circumveniri jactantes. Facies autem manifestam adversus insanos gloriæ tuæ detractores vindictam, si non communi more intereant, ne quis nihil humanum passos existimet, sed terra, quam indigni calcant, dehiscens cum familiis et facultatibus eos absorbeat: hoc modo et tua potentia omnibus apparebit, et exemplum posteris statuetur, ne quis secus quam pium est de tua majestate sentire audeat: et meum ministerium ex tua sententia esse comprobabitur. Quod si vera sunt crimina, quæ in me congerunt, tum in meum caput diræ vertant, illis, quos execratus sum, incolumibus. Atque ita exacta pœna a populi tui turbatoribus, reliquam multitudinem in pace, concordia, et mandatorum tuorum custodia serva intactam, et expertem supplicii sceleratis hominibus debiti: quandoquidem alienum est a tua justitia, illorum pœnas immeritam Israëlitarum turbam dependere. *Ita Josephus pro suo ingenio. At varia sunt corrigenda. Primo longa hæc oratio* Moysis *ad Deum incongrue concinnata est. Prior tamen pars, qua Dei beneficia recensentur, vera est; sed Josephum potius quam* Moysen *habet auctorem, certe pro majori parte. Secundo graviter peccat scriptor Hebræus, dum* Moysen *inducit orantem, ut adversarii dehiscente terra absorbeantur: nam hunc quidem illorum interitum prædixit* Moyses, *sed non rogavit Dominum, ut sic punirentur, neque eæ preces eximiæ sancti Legislatoris mansuetudini sunt conformes. Tertio falsum quoque est et incongruum, quod* Moyses *sibi dira precatus sit, si vera jactarentur a seditiosis.*

Dathani et Abironis supplicium refert, omisso Core,

428 *Supplicium Dathani et Abironis, omisso perperam Core, mox ita narrat:* Hæc cum lachrymis effato, terra horrendum repente contremuit, et undante superficie, non secus quam pelagus vento fluctuans, universum populum terruit: immani mox sonitu eliso, qua seditiosi tenebant solum subsidit, et eodem momento omnes ad unum absorbet: sublatisque in hunc modum profanis, hiatus ille ita rursum clauditur, ut ne vestigium quidem ejus superesset. Hic finis seditiosæ factionis, illustre argumentum divinæ providentiæ simul et potentiæ, fuitque hic casus eo miserabilior, quod adeo nemo ne propinquorum quidem aut cognatorum eos est miseratus, ut totus quantus erat populus, anteactorum oblitus, lætis acclamationibus Dei sententiam comprobaret, ac ne luctu quidem dignos, ut pestem ac perniciem popularium, existimaret. *Falsum est, quod asseritur, nullum fuisse luctum de morte seditiosorum, cum sequenti die altera orta sit seditio illorum, qui vociferabantur* Moysen *et Aaronem interitus istorum fuisse causam, ut ipse quoque narrat Josephus.*

quem perperam adjungit viris 250 igne absumptis:

429 *Non minus in sequentibus a vero aberrat scriptor parum accuratus, qui ita pergit:* Post Dathamum cum suis extinctum Moyses pontificatus æmultos convocat, Deo denuo commissurus electionem, ut ei sit ratum sacerdotium, cujus sacrificium Deo gratissimum apparuerit. Itaque conveniunt ducenti quinquaginta viri summo in precio semper apud populares habiti, tum quod a majoribus omni virtute præclaris oriundi essent, tum quod ipsi nequaquam degenerarent: cumque his procedunt et Aaron et Cores: deinde stante * ante Dei tabernaculum adolebant acerris odoramenta, quæ secum attulerant: cum subito tantus ignis effulsit, quantum nec homines ipsi unquam excitaverunt, nec in terris sponte ardentibus, nec in sylvis per æstum austri flatu collisis et attritis excitatum viderunt, sed qualis divinitus accendi poterat, fulgentissimus simul ac flagrantissimus: cujus vi ac impetu ducenti illi et quinquaginta una cum Core ita sunt absumpti, ut ne cadaverum quidem reliquiæ comparerent. Solus Aaron superfuit illæsus, ut manifestum esset divinitus coortum hoc incendium. His ita absumptis, Moyses volens perpetuam ejus supplicii memoriam ad posteros tradi, ut et illis non ignoraretur, jussit Eleazarum Aaronis filium acerras eorum affixas altari æreo consecrare, ut hoc monumento omnes terrerentur, qui cæleste Numen humanis dolis putant circumveniri posse. *In hisce corrige primo tempus: neque enim hi Levitæ congregati sunt post mortem Rubenitarum; sed jam ante convenerant, et verisimiliter eodem tempore combusti sunt, quo alii terræ hiatu absorpti. Secundo Core non fuit cum hisce combustus, ut aliqui cum Josepho*

* Græce omnes

A *pho voluerunt, sed hiatu quoque terræ demersus, ut antea dixi. Tertio perperam ait Josephus, hos non degenerasse a præclaris parentibus, quandoquidem seditiosi fuerint contra Principem suum et sacerdotem a Deo electos. Quarto non solum* Moyses; *at Deus ipse jussit, acerras eorum in laminas duci et altari æneo affigi in signum rebellionis, perpetuamque rei memoriam.*

finem quoque seditionis confuse narrat, illum attribuens

430 *Demum Josephus cap.* 4 *confusa rursum rei expositione omnibus hisce tumultibus finem imposuit, omittens incendium divinitus excitatum, quo perierunt* quatuordecim millia hominum, *quodque Aaron a* Moyse *missus sua deprecatione tandem cohibuit. Postremum vero tumultum omnium furiosissimum, quo* Moyses *ipse et Aaron ad tabernaculum fugere coacti sunt, non morte tot millium, sed sola* Moysis *prudentia sublatum fingit per efflorescentem Aaronis virgam. Verba ejus accipe:* Post tam evidens argumentum cum jam satis constaret, non ambitu, ut Fratris gratia, sed divino judicio sacerdotium ad Aaronem pervenisse, sine ulla controversia posthac illud tenuit: nec tamen ob hoc
B diu cessatum est a seditione, imo pene gravior priore est insecuta. Nam ex talibus causis ortum habuit, ut facile appareret longo tempore duraturam. Cum enim semel animos hominum occupasset hæc persuasio, nihil sine Dei voluntate geri, arbitrabantur Deum in gratiam Moysis ista facere. Huic igitur imputabant omnia, tanquam non peccatorem odio Deus sæviret, sed a Moyse solicitatus: ægreque ferebant quod non solum impune tot optimatum morte populum mulctasset, sed præmium etiam auferret confirmatum jam fratris pontificatum: quandoquidem nemo posthac eum affectaturus erat, cum aliis id male cessisse videret. Adhæc cognati extinctorum agebant apud populum, rogantes ut superbæ et animæ Moysis potestati modum aliquem statueret, facile enim hoc illi esse.

virgæ florescentis prodigio, quo confirmatum est Aaroni sacerdotium.

431 Tum ille mature sentiens excitari turbas, veritus ne qui rursum res novas molirentur, unde magnum aliquod malum accidere posset, concionem advocari jubet. Et auditis postulatis nihil respondens, ne magis irritarentur, hoc tantum principibus tribuum mandavit, ut virgas afferrent tribuum nominibus inscriptas. Ejus enim
C fore sacerdotium, in cujus virga Deus signum ostenderit. Quod ubi placuit, inscriptas attulerunt, cum alii, tum Aaron, inscriptam habens in sua Leviticam. Eas Moyses acceptas in Dei tabernaculum deposuit. Sequenti vero die omnes protulit, quæ facile agnoscebantur, quod essent et a principibus, qui attulerant, et a cætero populo notatæ: videbantque alias eadem specie manere, qua erant pridie, cum eas Moyses acciperet, ex Aaronis vero ramos et germina esse exorta, et quod magis mirum, amygdala matura, quod virga ex hoc genus ligno constaret. Hac novitate spectaculi vulgus attonitum, omissis odiis, quibus tam Moysem quam Aaronem prosequebatur, totum in admirationem divini judicii versum, amplius Deo repugnare desiit, ratumque Aaroni sacerdotium esse voluit: atque ita tertio Dei calculo confirmatus, nemine posthac contradicente, fuit pontifex; et Hebræorum populus, longis seditionibus agitatus, hoc modo ad quietem tandem pervenit. *Hactenus Josephus, cujus errores jam assignavi: tumultus enim populi cohibitus fuit punitione quatuordecim millium, priusquam prodigium in Aaronis virga essel patratum: atque eo demum prodigio sacerdotium Aaroni est confirmatum.*

AUCTORE J. S.

Philonis brevis relatio de conspiratione

432 *Philo lib.* 3 *pag.* 536 *et seq. de pœna Core aliorumque ei adhærentium, nullum tamen nominans, adfert sequentia:* Est et aliud ejus oraculum conjunctum cum majore prodigio, cujus supra mentionem feci de pontificatu Prophetæ disserens: id quoque prolatum ex afflatu Numinis, sine dilatione eventus consecutus est. Templi ministrorum duo sunt ordines, sacerdotum potior, æedituorum inferior. Erant illo tempore tres sacerdotes, æedituorum multa millia. Hi freti suorum multitudine paucitatem sacerdotum contemnebant peccato non simplici, dum et majoribus adimunt honorem debitum, et minores ultra modum extollunt, sicut fit insurgentibus contra suos præfectos subditis, turbatoque ordine publico. Deinde cœtus faciendo clamabant in Prophetam, quod propter domesticam necessitudinem fratri ejusque filiis donasset sacerdotium conficto oraculo, ut videretur id ex autoritate Dei facere. Quamobrem exasperatus alioquin Vir ingenii mitissimi, non tulit tam insignem injuriam simul et maliciam, petiitque a E
Deo ut aversaretur illorum sacrificia: non quod periculum esset ne justissimus Judex sacra impiorum acciperet, sed quia hic est peculiaris effectus Deo chari animi, adversari propalam nefariis conatibus.

et supplicio seditiosorum

433 Necdum justa indignatio furorque defer-buerat, cum Numine afflatus insuper hoc edidit vaticinium: Grave malum est incredulitas, sed solis perniciosum incredulis. Hi factis, non dictis, castigandi sunt. Pœna docebit eos, me non mentri, quando scire nolunt, quod sciunt. Mors decernet de hac controversia. Si naturali morte decedent, fictum est meum oraculum. Quod si novo inusitatoque lethi genere absumentur, testata erit mea veracitas. Video terram vasto specu dehiscere, absorberi numerosas cognationes una cum suis tabernaculis, vivos homines ad inferos descendere. Vix hæc effatus erat, cum terra concussa rumpitur eo potissimum loco, ubi tendebant impii: momentoque temporis universos operit. Rursum enim hiatus coivit, velut suo defunctus officio. Nec ita multo post seditiosi ducenti quinquaginta, qui præcipui tumultus autores fuerant, repente de cælo tacti una conflagraverunt, ne minimo quidem membro relicto, quod sepulchris posse in- F
ferri. Atque ita horrendis pœnis cumulatis aliis super alias magnopere illustrata est Prophetæ pietas, Deo testimonium præbente veritati oraculorum.

nonnihil emendatur;

434 Ubi operæ pretium est considerare quomodo cælum terraque pœnas exegerunt ab impiis hominibus, ceu divisis muniis inter primarias mundi partes, unde cæteræ sumpserunt originem. Nimirum quia scelesti maliciam suam radicatam in terram, in tantam altitudinem extulerunt extenderuntque, ut cælum attingeret, ideo terra simul et æther in eos sæviit; altera diducens se, ut absorberet inutilia ponderis; alter exurens eos fulminibus, imbris in morem densis et crebro micantibus. Finis autem et absorptorum et exustorum idem fuit. Nam utrique disparuerunt, alteri operti solo restituto in pristinam planiciem, alteri absumpti fulmineis ignibus. *Hæc Philo, relata in Scripturis suo modo explicans, et quibusdam augens conjecturis: nam conjecturo solum est, quod Levitas ducentos quinquaginta ita consumptos igne asserat, ut nihil*

AUCTORE J. S.

nihil ex eorum corporibus superfuerit. Conjectura item est, et quidem parum probabilis, quod ignem divinitus immissum, quo occisi sunt, per crebra fulmina exponat, cum uno momenti periisse videantur igne illo. Peccat insuper, quod rebellionem et pœnam ita exponat, acsi eodem die omnia essent peracta, cum constet noctem unam intercessisse.

uti et expositio ejusdem de virga Aaronis florescente.

435 *Idem scriptor lib.* 3 *pag.* 525 *de conspiratione Levitarum, quos* æditus *vocat, eadem fere narraverat, pœnamque rebellium ibidem prætermittens, de prodigio in virga Aaronis facto sic loquitur :* Sensit Moyses hanc conspirationem contra se tendere, quia fratrem pontificem oraculi jussu designaverat. Id factum non caruit calumnia, quasi prætextu oraculi plus valuisset domestica gratia, quam utilitas publica. Quod, ut erat, visum est indignissimum, non solum in dubium revocari fidem approbatam tot cælestibus prodigiis, verum et de religione ambigi, quæ fucatis etiam hominibus solet veritatis confessionem exprimere. Veritas enim a Deo non sejungitur. Proinde supervacaneum ratus eos prolixa oratione beneficiorum acceptorum commonefacere, quos jam adversariorum criminationibus præoccupatos animadverterat : Deum exoravit ut evidenti signo declararet, sinceram incorruptamque fuisse electionem pontificis. Ille jussit eum XII virgas, pares tribuum numero, inscribere nominibus phylarchorum undecim, duodecimamque pontificis fratris sui nomine, deinde inferre adytis. Fecit jussa vates, intentus in exitum. Postera die monitus oraculo, in præsentia totius populi, deprompsit virgas, cæteras nil mutatas, eam autem quam nomine pontificis inscripserat, ostento novo conspicuam. Nam hæc mirifice tota, quanta erat, frondes fructusque protulit. Erant autem nuces, diversa natura ab aliis fructibus. *Hactenus Philo, prolixe deinde disputans de natura nucum. Verum nonnulla hic sunt emendanda. Primo perperam ait, virgas tantum fuisse undecim præter virgam Aaronis, quæ non erat duodecima, sed decima tertia, ut clare dicitur Num.* 17 ℣ 6. *Secundo peccat, dum innuit* Moysen *ab initio conspirationis statim, jubente Deo, usum esse eo signo, ut seditiosos compesceret, nulla facta ibi mentione de seditiosorum supplicio. Tertio per* nuces, *quas asserit productas a virga Aaronis, amygdala intellige, quæ species quædam sunt nucum. Hisce observatis, ad alia progrediamur.*

§ XXXIX. Mansio trigesima tertia, mors Mariæ, murmuratio populi, peccatum Moysis et Aaronis, quibus ingressus in Terram promissam negatur a Deo.

Iter ex Asiongaber ad desertum Sin, ubi mansio 33 erat in Cades :

Trigesima secunda Israëlitarum mansio fuit in Asiongaber ad mare Rubrum, quo jussi erant regredi, ut ante vidimus. Inde tandem discesserunt circa initium quadragesimi peregrinationis suæ anni, veneruntque rursum versus Terram promissam, quam cito ingredi potuissent, si transitus per Idumæam fuisset concessus. De adventu ex Asiongaber ad mansionem trigesimam tertiam Num. 33 ℣ 36 : Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. *Et Num.* 20 ℣ 1 : Veneruntque filii Israël, et omnis multitudo in desertum Sin, mense primo : et mansit populus in Cades. *Nonnulla hic observanda sunt de loco et tempore. Primo satis clarum est, hoc desertum Sin, in quo fuit mansio trigesima tertia, distingui a deserto Sin, in quo fuit mansio octava : nam octava mansio fuit in deserto Sin, quod situm est non longe a mari Rubro e regione Ægypti, atque inter Ægyptum inferiorem et montem Sinai. At desertum Sin, ad quod nunc pervenerunt Israëlitæ, situm est remotius a mari Rubro, magisque ad Orientem et circa confinia Idumææ. Utriusque distinctionem notat etiam S. Hieronymus, probatque ex diversitate nominis Hebraïca : nam* Sin, *in qua octava mansio, habet primam litteram Hebraïcam* Samech, *alterius vero* Sin *prima littera est* Sade, *ita ut nulla esse possit de diversitate dubitatio.*

disputatur an hæc Cades eadem sit cum Cadesbarne,

437 *Verum non æque clarum est, utrum* Cades *deserti Sin distinguatur a* Cadesbarne, *unde missi fuerunt exploratores anno peregrinationis secundo :* Cadesbarne *enim subinde etiam* Cades *vocatur, et potuerunt Israëlitæ ad eumdem locum redire. Dissentiunt quoque hac de re scriptores, quorum alii contendunt eamdem esse urbem, alii loca diversa : atque eam ob causam diligentiori examine hic utendum judicavi. Omnibus autem Scripturæ locis, ex quibus aliquid lucis potest affulgere, attente consideratis, longe probabilius mihi apparet, urbes fuisse diversas, et quidem longe dissitas. Situs civitatis Cadesbarne haud difficulter assignari potest, cum Num.* 34 *et Josue* 15 *sic memoretur in limite Meridionali Terræ promissæ, ut necessario collocanda sit in ipso limite Meridionali inter mare Mortuum et mare Mediterraneum. De hoc illius urbis situ facile consentient adversarii, illique etiam haud dubie agnoscent, eo usque processisse Israëlitas secundo itineris sui anno, ut illac Chananitidem invaderent; sed illud* Moysis *consilium impeditum fuisse per rebellionem populi ibidem exortam. Præterea observo, locum ipsum vicinium fuisse regioni Amalecitarum, cum hi simul cum Amorrhæis et Chananæis ibidem ceciderunt Israëlitas, vetante* Moyse *ad pugnam progressos. Cadesbarne vera vicinam fuisse Idumææ, nullibi dicitur in Scripturis. Quamvis autem ipse locorum situs satis insinuet, urbem hanc non longe admodum ab Idumæa distare potuisse, in ipso tamen limite aut confinio Idumææ sitam fuisse non existimo. Non quidem ignoro in plerisque tabulis geographicis Terræ sanctæ prope Idumæam collocari, quia limites Occidentales Idumææ passim nimis extensi fuerunt versus mare Mediterraneum, cum limites Australes potius fuerint extendendi usque ad sinum Elanticum maris Rubri, cui adjacebat Asiongaber urbs Idumææ, ut dicitur* 3 *Reg.* 9 ℣ 26 *his verbis :* Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailat in littore maris Rubri, in terra Idumææ. *Extendebatur igitur Idumæa inter mare Mortuum et mare Rubrum ; at probari nequit, tam longe extensam fuisse versus mare Mediterraneum, ut Cadesbarne in ejus confinio esset sita. Hactenus de situ Cadesbarne et Idumææ.*

variisque observatis de itineribus Israëlitarum,

438 *Nunc pauca quoque dicenda sunt de itinere Israëlitarum usque in Asiongaber, indeque in Moabitidem, ut clarius appareat, ipsos ex Asiongaber non rediisse in Cadesbarne, sed profectos*

AUCTORE J. S.

A *fectos esse per viam maxime diversam. Ex Ægypto usque ad montem Sinai numquam longius recesserunt a mari Rubro, sed fere ab Occidente profecti sunt in Orientem. A monte Sinai recta perrexerunt ad limites Terræ promissæ, relicta ad Orientem Idumæa, ad quam propius accessisse in illo itinere nuspiam leguntur, atque ita venerunt usque ad Cadesbarne. Inde regredi coacti per multos circuitus sæpe accesserunt ad confinia Idumææ et verisimiliter etiam per loca quædam deserta illa provinciæ transierunt : atque idcirco dicit* Moyses *Deut.* 2 ℣ 2 : Et circuivimus montem Seir (*id est, Idumææ montes*) longo tempore. *Hæ vagationes finitæ videntur in Asiongaber, aut in statione præcedenti, quando jussit Dominus per Idumæam versus Aquilonem proficisci, ut dici* Moyses *Deut.* 2 ℣ 3 *his verbis* : Dixitque Dominus ad me : Sufficit vobis circuire montem istum : ite contra Aquilonem : et populo præcipe, dicens : Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, et timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moveamini contra eos : neque enim B dabo vobis de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos emetis ab eis pecunia, et comedetis : aquam emptam haurietis, et bibetis. *Transiisse revera Israëlitas per partem quamdam Idumææ circa Asiongaber, mox subjungit* ℣ 8 *hoc modo* : Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elat et de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab. *Clare hic asseritur, Israëlitas per Idumæam transiisse versus confinia Moabitarum : in illo autem itinere stationes fuerunt in Asiongaber, in Cades, ad montem Hor, in Salmona, in Phunon, in Oboth, unde* venerunt in Jieabarim, quæ est in finibus Moabitarum, *ut dicitur Num.* 33 ℣ 44.

probatur, Cades deserti

439 *Hisce observatis, facile ostendi potest, Israëlitas ex Asiongaber non rediisse in Cadesbarne, sed venisse ad aliam urbem,* Cades *quoque dictam, atque adeo hanc necessario ab illa distingui. Calmetus, licet contrariam opinionem propugnet, in Deut.* 2 ℣ 3 *nobiscum existimat in Asiongaber aut in vicina Elat, illud præceptum* C Moysi *datum fuisse ab angelo* : Sufficit vobis circuire montem istum : ite contra Aquilonem *etc. Et sane nullum potest esse dubium, quin illud præceptum acceperit* Moyses, *priusquam veniret ad stationem sequentem in Cades, ubi vi illius pugnare noluit cum Idumæis; cum ipse dicat* ℣ 8, *se, accepto illo præcepto, venisse* per viam campestrem de Elat et de Asiongaber *versus Moabitidem. Jam vero in illo itinere ex Asiongaber in Moabitidem, ad cujus confinia pervenerunt statione sexta, prima mansio occurrit* Cades, quæ *Num.* 20 ℣ 16 *ponitur* in extremis finibus *Idumæorum. Hæc igitur est nequit* Cadesbarne *in limite Meridionali Terræ promissæ posita, et ad Occidentem Idumææ prope Amalecitarum regionem. Nam primo Cadesbarne non erat in via, quæ ex Asiongaber ducebat versus Moabitas, sed tam longe, aut etiam verisimiliter longius, distabat ab Asiongaber, quam ipsa distabant Moabitarum confinia. Secundo inter Cadesbarne et Moabitidem media erat tota Idumæa, ubi latissima est ad confinia Terræ promissæ. Itaque si* Moyses *cum Israëlitis ex Asiongaber profectus esset in Cadesbarne, indeque in Moabitidem, maxime cœpisset circuire montes Idumæos, quando Dominus jubebat circuitus diuturnos finire. Præterea credibile non est, Israëlitas unico tractu processisse ex Asiongaber usque ad Cadesbarne ob nimiam utriusque loci distantiam, cum tamen unica tantum mutatio castrorum notetur ab Asiongaber usque Cades Num.* 33 ℣ 36. *Hæ rationes prorsus persuadent,* Cades deserti Sin *distinguendam esse a* Cadesbarne, *et Cades fuisse urbem in finibus Australibus aut Orientalibus Idumææ, cum Cadesbarne ad Occidentem esset Idumææ, nec videatur tam propinqua Idumæis fuisse quam Amalecitis, Amorrhæis et Chananæis.*

distinctam fuisse a Cadesbarne : argumenta Calmeti,

440 *Porro non desunt aliæ quoque rationes, quibus distinctio ostendatur. Primo Cadesbarne erat in deserto Pharan, Cades vero in deserto Sin. Prior quoque passim vocatur* Cadesbarne *ad distinctionem indicandam; et ubi Num.* 13 ℣ 27 *vocatur* Cades, *additur* desertum Pharan, *quo satis secernebatur. Cades quoque deserti Sin, licet alias solum* Cades *nominetur, Num.* 27 ℣ 14 *diserte dicitur* Cades deserti Sin, *et quidem postquam ibidem mentio fuerat de deserto Sin, ita ut voces* deserti Sin *omnino additæ videantur* E *ad distinctionem. Ad hæc argumenta respondere conatur Calmetus in cap.* 13 *Num.* ℣ 27, *ubi versat hanc controversiam. Ad primum dicit, desertum Sin fuisse vicinum deserto Pharan; atque idcirco urbem* Cades *aut* Cadesbarne *modo uni, modo alteri deserto attribui. Ut autem ostendat, desertum Sin non longe abfuisse a Cadesbarne, adducit iter exploratorum, qui missi sunt ex Cadesbarne, et de quibus dicitur Num.* 13 ℣ 22 : Cumque ascendissent, exploraverunt terram a deserto Sin, usque Rohob intrantibus Emath. *Atque ex his verbis concludit, desertum Sin fuisse in vicinia Cadesbarne, aut Cadesbarne fuisse in ipso deserto Sin. Respondeo ex allatis verbis nihil posse concludi, nisi exploratores cœpisse speculari Terram promissam a deserto Sin; indeque perrexisse usque ad partem Septemtrionalem ejusdem Terræ: neque enim exprimitur, quantum itineris impenderint, priusquam pervenissent ad desertum Sin, quosve fecissent circuitus, ut non agnoscerentur. Sane nequaquam est verisimile, ipsos recta ex castris suis in Terram promissam, quam contemplaturi erant, profectos esse, etiamsi id supponat Calmetus: sic* F *enim facile fuissent agniti et comprehensi. Dico igitur, speculatores istos per Idumæam profectos esse ad desertum Sin, mari Mortuo vicinum, indeque terram explorare cœpisse.*

contrariam opinionem asserentis,

441 *Desertum Sin fuisse prope mare Mortuum, habemus ex altero Scripturæ loco, quem item pro sua opinione allegat Calmetus. Limes Meridionalis Terræ sanctæ ab Oriente usque ad Occidentem describitur Num.* 34 *hoc modo* : Pars Meridiana incipiet a solitudine Sin, quæ est juxta Edom : et habebit terminos contra Orientem mare falsissimum : qui circuibunt Australem plagam per Ascensum Scorpionis, ita ut transeant in Senna, et perveniant a Meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, et tendent usque ad Asemona : ibitque per gyrum terminus ab Asemona usque ad torrentem Ægypti, et maris magni littore finietur. *Eodem fere modo limes Meridionalis tribus Juda describitur Josue* 15, *primumque ad Orientem ponitur ibidem quoque* desertum Sin, *ultimumque ad Occidentem* mare magnum, *id est, Mediterraneum. Uterque locus omnino innuit* desertum Sin *fuisse in angulo Orientali et Meridionali*

AUCTORE J. S.

Meridionali Terræ promissæ, interque mare Mortuum et Idumæam partim fuisse situm. Calmetus quidem locum aliter explicare nititur, sed violenter, ut studioso lectori patebit, verba ipsius consideranti. Porro non exprimitur illis locis, quo, quamque late illud desertum se extenderet a parte Meridionali maris Mortui. Verum, si idem sit cum deserto Sin, in quo urbs Cades erat sita, longe se extendit per confinia Idumææ versus mare Rubrum, cum Cades non admodum propinqua esset mari Mortuo. Ex dictis liquet, nec viam exploratorum, nec desertum Sin, favere sententiæ Calmeti.

expenduntur,

442 *Ad secundum argumentum de distinctione nominum* Cades *et* Cadesbarne, *ait*, Cadesbarne *aliis etiam locis vocari* Cades. *Verum id raro fit, et sine periculo confusionis, ut vidimus. Lubens quoque fateor argumentum istud ex nominum distinctione non magni esse momenti. At alia allata sunt, eaque firmiora. Deinde vero ait idem scriptor, non memorari secundam aliquam urbem in descriptione Meridionalis limitis Terræ sanctæ. At id plane frivolum est, cum Cades deserti* B *Sin non esset vicina Terræ sanctæ, nedum inter ejus limites sita. Dicit quoque, sed non probat, tam Cades quam Cadesbarne, esse finitimam Idumææ et Chanaanitidis. Verum jam dixi incertum esse, an Cadesbarne finitima fuerit Idumææ; quod contra certum est de Cades. Si tamen urbs utraque fuit in limite Idumææ; Cades fuit Meridiem versus in limite Orientali, Cadesbarne vero versus Septemtrionem in limite Occidentali. Vicinia autem Chanaanitidis vera est de Cadesbarne, falsa de Cades, cum solum unius diei itinere abesset a mari Rubro.*

et ad singula respondetur,

443 *Deinde pergens Calmetus, utramque facit vicinam* monti Hor, *urbi* Arad *et loco* Horma. *At respondeo urbem Cadesbarne longe abfuisse a monte Hor, Idumæamque fuisse interjectam, ut patet ex dictis num.* 437 *et* 438. *Præterea, S. Hieronymus lib. de Locis Hebraïcis montem* Hor *collocat juxta urbem Petram, quæ ab omnibus passim notatur ad limites Orientales Idumææ. Nihilo verius est, quod asseritur de vicinitate urbis* Arad: *nam hæc urbs, sive cum plerisque geogra-* C *phis collocetur prope mare Mortuum intra limites tribus Juda, sive extra istos limites paulo magis ad Orientem et Meridiem, non tam erat vicina urbi Cadesbarne, ut faveat sententiæ Calmeti. Demum locus* Horma, *sive unus fuerit, qui occurrit Num.* 14 ℣ 45 *et Num.* 21 ℣ 3, *sive fuerit geminus, nihil plane evincit: nam ne quidem situs illius loci potest assignari, cum nesciamus, quo loco conflixerint Israëlitæ, quando infeliciter pugnarunt Num.* 14; *nec præcise sciamus locum, in quo victores fuerunt Num.* 21. *Scimus quidem multitudinem tempore prioris pugnæ castrametatam fuisse prope Cadesbarne, tempore autem alterius prope montem Hor. At ideo necdum novimus determinatum pugnæ locum, cum agmen ad conflictum amandaretur longe a castris.*

variisque rationibus nostra sententia confirmatur.

444 *Itaque perperam asserit Calmetus, nihil dici posse de urbe* Cades, *quod etiam verum non sit de* Cadesbarne; *omniaque fere argumenta, quæ ad hoc probandum allegat, probatione quam maxime indigent, cum pleraque videantur falsa, aut certe nihil evincant, siqua vere asserta sunt. Præterea in opinione Calmeti intelligi nequit, cur* Moyses, *dum erat in Cades, transitum petierit per Idumæam, quæ inter Chanaanitidem et Cadesbarne non erat media: Cadesbarne enim erat in limite Meridionali Terræ sanctæ.* D *Secundo dum* Moyses *cum exercitu suo ex Cades venit ad montem Hor, aut recta ivit versus Septemtrionem, uti jusserat Dominus; aut iterum regressus est versus Meridiem. Si primum quis dixerit; necessario etiam dicere debebit, iter illud fuisse per Terram promissam; quod Scripturæ repugnat, quæ testatur* Moysen *numquam ingressum esse in Terram promissam. Si vero cum Calmeto dixerit, Israëlitas iterum ex Cadesbarne in Hor regressos esse: cur rex Arad illos potius aggressus est, quando erant apud montem Hor, quam quando viciniores erant in Cadesbarne? Quomodo audivit Num.* 33 ℣ 40 Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israël, *quando erant apud montem Hor, illudque non audivit potius quando erant in Cades, si hæc erat vicinior. Tertio cur dicit* Moyses *Deut.* 2 ℣ 14: Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit; *si anno peregrinationis quadragesimo Maria soror ejus mortua est in Cadesbarne, ut vult Calmetus confundens* Cades E *et* Cadesbarne, *cum eodem anno quadragesimo torrentem Zared transierint? Quarto in Cadesbarne longo tempore fuerunt Israëlitæ sine defectu ullius rei, in Cades vero passi sunt aquæ penuriam. Hisce omnibus consideratis, sententia Calmeti, quam diligentius examinavi, quia jam aliis placuit mihi improbanda videtur, quod recte conciliari nequeat cum itinere Hebræorum, et cum sacra Scriptura.*

Mors Mariæ: murmuratio populi ob defectum aquæ:

445 *Nunc videamus, quid in mansione illa trigesima tertia, seu in Cades acciderit Israëlitis. Primum refertur mors Mariæ, sororis* Moysis *et Aaronis, Num.* 20 ℣ 1 *his verbis*: Mortuaque est ibi Maria, et sepulta in eodem loco. *Luxerunt haud dubie hanc mortem* Moyses *et Aaron, et verisimiliter populus universus; at de eo luctu Scriptura non meminit. Verum gravior sanctum Legislatorem excepit dolor, dum vidit populum suum ad pristinas murmurationes relapsum in eodem loco. Audiamus ipsius verba* ℣ 2: Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen et Aaron: et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres F nostros coram Domino. Cur eduxistis ecclesiam Domini in solitudinem, ut et nos et nostra jumenta moriamur? Quare fecistis nos ascendere de Ægypto, et adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper et aquam non habet ad bibendum? Ingressusque Moyses et Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem hujus populi, et aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle virgam, et congrega populum, tu et Aaron frater tuus, et loquimini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo et jumenta ejus.

Moyses percutiens, jubente Deo, petram, secunda vice aquas elicit.

446 Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis. Audite, rebelles et increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Cumque elevasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ

A egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet et jumenta. Dixitque Dominus ad Moysen et Aaron : Quia non credistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in Terram, quam dabo eis. Hæc est Aqua Contradictionis, *(id est, locus ille vocatus est* Aqua Contradictionis*)* ubi jurgati sunt filii Israël contra Dominum : et sanctificatus est in eis. *Peccasse hic* Moysen *et Aaronem nonnulla diffidentia, ideoque exclusos fuisse ex Terra promissa, certum est et indubitatum, cum id ipse asserat Dominus. Attamen illud peccatum colligi nequit ex verbis præcedentibus, quæ alias benigno sensu possent explicari, ut notat S. Augustinus quæst.* 19 *in Num.; atque eadem de causa difficulter determinari potest, in quo præcise peccatum fuerit a sanctis Fratribus.*

peccans nonnulla diffidentia.

447 *Interpretes attulerunt opiniones varias, quarum nulla mihi satis videtur certa, licet plures sint probabiles. Psal.* 105 ℣ 32 *et* 33 *de hisce ita loquitur Psalmista :* Et irritaverunt eum ad Aquas Contradictionis : et vexatus est Moyses propter eos : quia exacerbaverunt spiritum ejus :
B et distinxit in labiis suis. *S. Augustinus in Psal.* 105 *hunc locum ita explicat :* Quid est, DISTINXIT? Quasi illud non posset facere Deus, qui tanta jam fecerat, ut aqua de petra proflueret. Dubitanter enim petram virga percussit, et ideo hoc miraculum distinxit a ceteris miraculis, in quibus non dubitaverat. Hinc offendit, hinc audire meruit, ut moreretur, ne intraret in Terram promissionis. Perturbatus enim murmure populi infidelis, non tenuit fiduciam, qualem debuit. Cui tamen Deus tamquam Electo suo, etiam post mortem ejus bonum perhibet testimonium, ut intelligamus illam fidei ejus titubationem hac sola pœna fuisse correptam, quod in eam Terram, quo populum ipse ducebat, non est permissus intrare. Absit autem, ut eum credamus alienatum a regno gratiæ Dei, quod significabat illa Terra promissionis, unde lac et mel defluere dicebatur. *Qui plures de peccato* Moysis *conjecturas desiderat, adire poterit interpretes. Rogasse* Moysen *deinde, ut sibi liceret ingredi Terram promissam; sed id eum numquam impetrare potuisse, suis locis videbimus.*

C

§ XL. Transitus per Idumæam frustra petitus : mansio trigesima quarta ad montem Hor : mors Aaronis : victoria de Chanannæo rege Arad.

Transitus per Idumæam frustra petitus,

Quando castra erant in Cades, Moyses, *ut rectius posset ad Terram promissam pergere, transitum petivit per mediam Idumæam, in cujus erat finibus. Rem narrat Num.* 20 ℣ 14 *hoc modo :* Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent : Hæc mandat frater tuus Israël : Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos, quomodo descenderint patres nostri in Ægyptum, et habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, et patres nostros : et quomodo clamaverimus ad Dominum, et exaudierit nos, miseritque angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi, obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas : non bibemus aquas de puteis tuis; sed gradiemur via publica, nec ad dexteram nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. Cui respondit Edom : Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntque filii Israël: Per tritam gradiemur viam: et, si biberimus aquas tuas nos et pecora nostra, dabimus, quod justum est : nulla erit in pretio difficultas : tantum velociter transeamus. At ille respondit : Non transibis.

AUCTORE J. S.

ideoque itum per limites solum Idumæorum :

449 Statimque egressus est obvius cum infinita multitudine et manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, ut concederet transitum per fines suos : quam ob rem divertit ab eo Israël. *Prohibuerat enim Deus, ne confligerent cum Idumæis, atque idcirco declinaverunt ab eorum exercitu, sic tamen, ut non statim finibus Idumæorum excederent : nam sequens statio in finibus Idumææ fuit, ut mox videbimus. Videtur primo intuitu hæc responsio regis Idumæi contraria promissioni Dei Deut.* 2 ℣ 4 : Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau,... E
et timebunt vos. *Quin et* Moyses *ibidem* ℣ 29 *regem Sehon regasse se ait, ut daret transitum*, sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir. *Respondeo hæc ita conciliari posse. Non opposuerunt se Idumæi transeuntibus per extremos limites Israëlitis, nec illos aggressi sunt, quod non minus timerent pugnam, quam illorum transitum; et sic transitum aliquo modo concesserunt, non tamen per mediam regionem, quam armata manu tuebantur. Credunt etiam aliqui diversos eorum fuisse principes, quorum alii transitum concesserint, alii negarint.*

mortuus Aaron in monte Hor :

450 *Adventus in mansionem trigesimam quartam, gestaque ibidem, Num.* 33 ℣ 37 *breviter sic referuntur :* Egressique de Cades castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus terræ Edom. Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino : et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israël ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israël. F
Num. 20 ℣ 22 *mors Aaronis narratur hoc modo :* Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom: ubi locutus est Dominus ad Moysen : Pergat, inquit, Aaron ad populos suos : non enim intrabit Terram, quam dedi filiis Israël, eo quod incredulus fuerit ori meo ad Aquas Contradictionis. Tolle Aaron et filium ejus cum eo, et duces eos in montem Hor. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium ejus : Aaron colligetur, et morietur ibi. Fecit Moyses, ut præceperat Dominus: et ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas. *Amplum Aaronis elogium composuit Ecclesiasticus cap.* 45, *ut ibidem videri potest. Luctuosus haud dubie* Moysi *fuit charissimi fratris obitus, præsertim cum ex illo tamquam in speculo cerneret, quid sibi immineret. Attamen invicta fortitudine perrexit negotia populi sui diligenter*

AUCTORE J. S.

diligenter promovere, et rem publicam more solito administrare.

ob difficultatem ex loco ejus emortuali varia observantur ex Scripturis certa,

451 *Deut.* 10 *a* ỳ 6 *alius locus mortis Aaron, et aliud tempus apparenter insinuatur, dum inter gesta apud montem Sinai hæc quasi ex abrupto inseruntur:* Filii autem Israël moverunt castra ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius ejus. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in terra aquarum atque torrentium. *Difficilimus hic locus est, nec ipsius difficultates ita enodant interpretes, ut lectori studioso faciant satis. Conabor igitur, uti conati sunt alii, aliquid afferre, quo locus elucidetur, et varia concilientur, quæ invicem videntur contraria; at non ausim sperare, cogitationes meas probandas ab omnibus: neque sane id prætendo. Poterit eruditus lector, cui mea non satisfecerint, conatum interim non improbare, et aliam quærere vitam singula exponendi. Quæ certa apparent, ad claritatem explicationis præmitto, verisimilia quoque, et difficultatem pa-* B *rientia, mox eadem de causa recitaturus. Primo certum est, Aaronem defunctum esse in monte* Hor *anno quadragesimo egressionis ex Ægypto, die prima mensis quinti; castraque tunc fuisse apud eumdem montem. Secundo certum est, castra tunc fuisse in* Mosera. *Tertio ex hisce certa conclusione deducitur, montem* Hor *et* Mosera *loca fuisse vicina. Quarto ex dictis certo concluditur,* Moysen *aliquando eidem mansioni diversa dedisse nomina. Hoc autem minime mirandum est, quia ob ingentem populi multitudinem castra ad varia loca se extendebant, ideoque varia ab iis sortiri poterant nomina. Quinto certum est, Israëlitas eo ordine adivisse mansiones, quas recenset* Moyses *Num.* 33, *quo ibi enumerantur. Sexto certum est, Israëlitas multos fecisse circuitus circa* montem Seir. *Hi autem flexus et réflexus contigerunt a reditu ex Cadesbarne usque ad annum circiter quadragesimum, et verisimillime usque ad* Asiongaber, *cum ibi videatur Dominus* Moysi *dixisse:* Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra Aquilonem.

alia quoque verisimiliter

452 *Post hæc, quæ nullo modo negari possunt; alia quædam subjungo tam verisimilia, ut negari* C *non debeant sine necessitate. Primo verisimile est adeo,* Moysen *Num.* 33 *omnes recensuisse Israëlitarum mansiones, ut negari non debeat, modo omnia alia Scripturæ loca sic recte exponi possint. Hinc mansio in Cadesbarne, quæ ibi non occurrit eodem nomine, alio ibidem nomine designata creditur, sicut mansio in* monte Hor, *Deut.* 10 ỳ 6 *dicitur* Mosera. *Secundo verisimile est, mansiones istas quatuor; ex Deut.* 10 *supra positas, in quarum secunda Aaron mortuus est, spectare ad annum quadragesimum, quo defunctus est Aaron:* Moyses *enim solum videtur eas recensuisse ibidem, ut loqueretur de morte Aaron, et substitutione Eleazari, et illis recensitis mox regreditur ad gesta prope montem Sinai. Certe locus nullo sensu tam naturali et genuino exponi potest, aliæque explicationes tantum quæsitæ sunt, ut difficultates occurrentes possent facilius exponi. Tertio verisimile est, loca* Gadgad *et* Jetebatha, *seu mansionis vigesimæ nonæ et trigesimæ Num.* 33 ỳ 32, *esse eadem cum locis* Gadgad *et* Jetebatha *Deut.* 10 ỳ 7: *nam utroque loco venisse dicuntur ex* Gadgad *in* Jetebatha, *quod mirum esset, si factum esset in diversis provinciis; præsertim cum* Moseroth *Num.* 33 *et* Beneiaacan *ab iis non longe distent; et Deut.* D 10 Mosera *et* Beroth filiorum Jacan, *de quibus agam. Quarto verisimile est,* Mosera *et* Moseroth *esse eumdem locum, cum* Mosera *a* Moseroth *Hebraïce non distinguatur, nisi sicut singularis a plurali; et cum utrique satis vicinum sit* Gadgad, *et deinde sequatur* Jetebatha. *Quinto verisimile quoque est, non distingui* Benejaacan *a* Beroth filiorum Jacan, *Hebraice* Beroth-benejaacan, *cum primum nomen Latine sit* Filii Jaacan, *alterum vero* Putei filiorum Jacan; *nisi forte primum nomen designaverit totum agrum seu provinciam illius populi, qui pars erat Idumæorum; et secundum nomen significaverit locum aliquem illius provinciæ. Certe dubitari nequit, quin aut idem fuerit locus, aut eo solum modo distinctus, aut saltem fuerint loca invicem vicina; quod etiam ex propinquitate cum locis ante dictis clare eruitur.*

453 *Sexto verisimile est, verba illa Deut.* 2 ỳ 1 Circuivimus montem Seir, *sic intelligenda esse, ut non solum profecti sint juxta unum latus montis, aut montium illorum, sed juxta varia latera, vagatique diu sint per deserta Idumææ loca, sicuti per alias Arabiæ Petrææ solitudines transierunt: hoc enim est* circuire. *Ex hac observatione sequitur, consonum esse sacræ Scripturæ, aut certe ei non repugnare, si dixerimus, Israëlitas in itinere ex Cadesbarne in Asiongaber, in quo ita circuierunt montem Seir, in Idumæam penetrasse, perque varios circuitus ad ejus limites Orientales pervenisse, indeque in Asiongaber per Madianitidem profectos esse. Hæ omnes observationes tantum habent fundamentum in sacris Litteris, ut nullam ex iis negandam fore existimem ab ullo interprete, si singulas seorsum consideraret, et sibi non imaginaretur aliis Scripturæ locis esse contrarias: omnes enim sumptæ sunt ex textibus sensu maxime naturali intellectis. Solum dubitari potest, an ultima illa consecutio de transitu per Idumæam et Madianitidem statuendo, quam dixi Scripturis conformem, tam firmum habeat fundamentum. Verum postea patebit, transitum illum non modo non repugnare Scripturis, uti hactenus assevero; sed solido etiam niti fundamento.*

ex certis deducta,

E

454 *Ex prædictis omnibus variæ oriuntur difficultates, quarum causa plerique interpretes quædam ex iis negarunt. Nam primo si idem locus bis relatus sit Gadgad; quomodo Num.* 33 ỳ 32 *dicuntur Israëlitæ ex* Benejaacan *venisse in* Gadgad, *et Deut.* 10 ỳ 7 *ad eumdem locum* Gadgad *venisse ex* Mosera? *Secundo, quomodo Num.* 33 ỳ 31 *ex* Moseroth *dicuntur profecti in* Benejaacan; *contra vero Deut.* 10 ỳ 6 *ex* Beroth filiorum Jacan *in* Mosera, *cum* Moseroth *a* Mosera, *et* Benejaacan *a* Beroth filiorum Jacan *non distinguamus? Respondeo difficultates hasce ex præmissis observationibus facile explicari. Quando enim Israëlitæ circuibant montem Seir, seu per deserta Idumææ loca vagabantur, mansionem vigesimam septimam habuerunt in* Moseroth, *vigesimam octavam in* Benejaacan, *non recto itinere incedentes, sed huc illuc vagantes, prout damnatos ad diuturnum exsilium columna prævia ducebat. Hinc vigesimam nonam mansionem habuerunt in* Gadgad, *trigesimam in* Jetebatha, *quæ loca fuerunt aut in limite Orientali Idumææ, aut extra Idumæam in regione Madianitarum; indeque per Hebronam venerunt in Asiongaber.*

ac demum ortæ ex iis difficultates,

F

455 *Cum autem ex Asiongaber, jubente Domino, per confinia Idumææ profecti sunt versus Moabitidem,*

quarum tentatur elucidatio:

AUCTORE J. S.

A *Moabitidem, loca illa quatuor rursum transierunt, sed duo priora inverso ordine. Itaque stationem trigesimam tertiam habuerunt partim in* Beroth filiorum Jacan, *partim in* Cades, *aut in deserto* Sin, *quæ diversis istis nominibus appellatur, a diversis locis, quæ agmen numerosissimum occupabat. Statio vero trigesima quarta fuit in Monte* Hor, *seu in* Mosera *aut* Moseroth. *Inde, cum Idumæorum rex transitum per mediam Idumæam negaret, deflexerunt ad dexteram, seu versus Orientem et partim etiam ad Meridiem, quantum apparet,* per viam, quæ ducit ad mare Rubrum, *ut habetur Num.* 21 ỷ 4, *non tamen eo animo, ut rursus ad mare Rubrum proficiscerentur, sicut antea per eamdem fere viam eo pervenerant, sed* ut circumirent terram Edom. *Hoc flexu ex* Mosera *venerunt in* Gadgad, *quo ante ex* Benejaacan *fuerant perlati; habitaque partim in* Gadgad, *partim in* Salmona, *(uti mansio illa vocatur Num.* 33 ỷ 41*) statione trigesima quinta: perrexunt in* Jetebatha *et* Phunon, *habueruntque illic mansionem trigesimam sextam. Ex hac autem mansione, a qua ante per Hebronam profecti erant in Asiongaber ad mare* B *Rubrum, secunda hac vice recta profecti sunt in Septemtrionem versus Moabitidem, in cujus finibus habuerunt stationem trigesimam octavam, ut videbimus.*

data expositio nonnullis rationibus firmatur.

456 *Tota hæc expositio talis est, ut locus difficillimus Deut.* 10 *intelligatur sensu proprio, et recte concilietur cum Num.* 33, *cumque aliis omnibus Scripturæ locis, ita ut existimem nihil reperiendum in Scriptura, quod nequeat cum hac conciliari. Verum mirari quis posset, quod eædem mansiones diversis subinde nominibus appellatæ sint a* Moyse; *et quærere, qua de causa id factum sit. Respondeo de illa nominis mutatione constare ex mansione montis* Hor, *quam alio loco* Mosera *vocavit, ut certum est, et alio rursum loco* Moseroth, *ut ratione verisimillima ostendi. Cum autem certo sciamus id factum esse semel, mirari minus debemus idem sæpius contigisse. Cur autem mansionum nomina mutare potuerit* Moyses, *facile dictu est, nimirum quia multitudo populi immensa ita se extendebat, ut subinde varia occuparet loca, a quibus castra nomen sortiri poterant. Cur vero voluerit ea di-* C *versitate nominum uti, certo dici non potest. Forsan Num.* 33 *recensuit loca tabernaculo suo aut tabernaculo fœderis viciniora; in Deuteronomio vero, cum alloquebatur populum, loca celebriora magisque nota, ad quæ se castra extenderant eodem tempore. Forte etiam Num.* 33 *mansiones, quæ iisdem locis fuerant, diversis nominibus designavit, ut mansionum numerus et diversitas clarius innotesceret. Quacumque demum de causa id fecerit* Moyses, *satis est quod constet de facto. Porro si quis contra expositionem datam objicere vellet tabulas geographicas, quas nonnulli de mansionibus formarunt, breviter responderem, tabulas illas, quas quidem ego viderim, multis scatere erroribus, uti facile probari potest ex sacris Litteris.*

Chananæus rex Arad aggreditur, Israëlitas: at occiditur, et urbes ejus delentur:

457 *Ab hac digressione, quæ necessaria visa est, redeo ad montem Hor, ubi* Moysen *cum Israëlitis reliqui in luctu de morte Aaronis. Pugnandum fuit Israëlitis, quando castra habebant apud montem Hor, uti narrat* Moyses *Num.* 21 *his verbis:* Quod cum audisset Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, venisse scilicet Israël per exploratorum viam, pugnavit contra illum, et victor existens, duxit ex eo prædam. At Israël voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israël, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: et vocavit nomen loci illius Horma, id est, Anathema. *Locus hic rursum non caret difficultatibus magnis, quas alii silentio prætererierunt, alii variis modis conati sunt exponere. Prima difficultas oritur ex constitutione locorum, quia rex Arad dicitur habitasse* ad Meridiem, *nec additur, utrum habitaverit in ipsa Terra promissa, an extra illam, sicut Num.* 13 ỷ 30 *dicitur,* Amalec habitat in Meridie, *scilicet extra Terram promissam. Num.* 33 ỷ 40 *de eodem rege legitur:* Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad Meridiem, in terram Chanaan venisse filios Israël. *Textus hic videtur dicere Israëlitas venisse in terram Chanaan: id autem verum non est eo sensu, quod, dum erant apud montem Hor, intrassent illam regionem, quam postea possederunt, etsi illa soleat venire nomine terræ Chanaan. Vidit Bonfrerius difficultatem, ideoque in hunc locum notavit sequentia:* Porro quod dicatur hic rex audivisse filios Israël venisse in terram Chanaan; intelligendum est de adventu inchoato, non perfecto; nempe quia erant in via, imo in proximo, ut eo pervenirent, quærentes omnem aditum, quo in eam penetrarent. E

probabilius habitabat rex ille in Palæstina

458 Verum illud in terram Chanaan, quod in textu nostro ad Israëlitas et verbum venisse referri debet, in Hebræo, Chaldæo, et Septuaginta ad regem Arad et ejus habitationem referri debet; ita enim habent Hebræa: „Et audivit „Chananæus rex Arad, et ipse habitans in Me„ridie in terra Chanaan„. Et vero forte in textu nostro loco movenda est interpunctio, quæ antecedit, in terram Chanaan, et iisdem verbis postponenda, ac forte per ablativum legendum, in terram Chanaan, ut Hebræa et ceteri textus habent. Quod autem aliqui negant hunc regem Arad in Chananæa et Terra promissa habitasse, existimo a Scripturæ mente alienum: si enim is Chananæus erat, si civitas Arad in sortem tribus Judæ cecidit, ut habetur Judic. I ỷ 16; quæ eadem mutato nomine Horma vel Herma dicta est, et sub eo nomine attributa est Judæ tribui, Josue 15 ỷ 3; si Josue F 15 inter ceteros reges, qui cum Israëlitis in Chananæa pugnarunt, et a Josue cæsi sunt, rex Arad, sive Hered (nam eadem est vox in Hebræo) nominatur, qua ratione is dici potest in terra Chanaan non habitasse? *Ita ratiocinatur ille interpres, cujus opinionem opposita saltem probabiliorem existimo, maxime ob locum Judic.* I ỷ 16, *ubi* desertum sortis *Judæ dicitur esse ad* Meridiem Arad. *Quod vero de* Horma *et* Hered *asseritur, minus certum est, et saltem utrumque verum non est, quia Josue* 12 ỷ 13 *harum urbium reges distinguuntur his verbis:* Rex Herma unus, rex Hered unus.

circa mare Mortuum:

459 *Verum alia rursum oritur difficultas: nam si rex Arad habitabat in parte Meridionali Terræ promissæ circa mare Mortuum, ut recte ait idem Bonfrerius in Num.* 21 *cum multis aliis; inter regnum ipsius et montem Hor, ubi erant Israëlitæ, pars Idumææ erat interposita. Quomodo igitur Chananæus agressus est Israëlitas, et quomodo Israëlitæ, eo victo, urbes ejus subverterunt, cum ex monte Hor non recta profecti sint in Chananæam? Prima pars non patitur magnam difficultatem: Chananæus enim cum exercitu*

AUCTORE J. S.

exercitu suo obviam Israëlitis venire potuit, eosque aggredi, uti revera factum est. Pars altera Bonfrerio visa est tam difficilis, ut recesserit ab obvia et naturali expositione loci, et probare voluerit, urbes istius regis non esse subversas tempore Moysis, *sed postea, quando occupata est Terra promissa. Alii vero eadem de causa maluerunt regnum Arad extra limites Terræ promissæ collocare, quod minus improbarem, si locus aliter exponi non posset. Verum difficultas mihi non videtur insuperabilis, si omnia attente considerentur. Quapropter sequor obviam et naturalem loci intelligentiam, secundum quam affirmat* Moyses, *primo regem Arad venisse ad oppugnandos Israëlitas, quando castrametabantur apud montem Hor; secundo regem illum Chananæum eodem tempore victum, occisumque, et urbes ejus subversas esse. Tertio saltem ut probabilius admitto, regem illum habitasse in parte Meridionali Terræ promissæ circa mare Mortuum, et ad confinia Idumææ: atque hisce præsuppositis, explicare aggredior, quo modo hæc omnia consistere possint cum assertis aliis sacræ Scripturæ, et intelligi ratione prorsus verisimili.*

et per Idumæam aggressus est Israëlitas; hi vero eadem via regnum ejus potuerunt ingredi:

460 *Supra vidimus, petitum esse a* Moyse *transitum per Idumæam, dum erat in Cades: regem vero Idumææ, negato transitu, occurrisse cum ingenti exercitu.* Moyses, *cui prohibita erat pugna cum Idumæis, ex Cades sic processit ad montem Hor, ut prælium vitaret, et tamen non recederet a confiniis Idumææ, sed per ejus limites magis versus Chananæam procederet, et veniret ad montem Hor, ubi in finibus Idumææ diu castrametati fuerunt Israëlitæ. Hæc non sinunt nos dubitare, quin rex Idumæus perrexerit cum exercitu suo observare Israëlitas. Cum autem immensa horum multitudo terrorem latius spargeret, videtur rex Arad accurrisse, ut simul cum Idumæis transitu prohiberet Israëlitas, sicque divisas fuisse partes inter Chananæos et Idumæos, ut Chananæi consisterent in parte Idumææ, per quam patebat ingressus in regnum Arad. Rex autem ille Chananæus, non contentus transitu prohibere Israëlitas, eosdem cœpit lacessere, et quidem initio satis feliciter, ita ut, victoria relata, spolia quoque consequeretur.* Moyses *cum suis ita lacessitus, ex ingenti multitudine bellatorum, quos habebat, electum agmen ad pugnam expedivit. Tum voto nuncupato de delendis Chananæi istius urbibus, cæsisque Chananæis cum rege suo, fugientes per Idumæam secuti sunt victores Israëlitæ, ac simul cum illis penetrarunt in regnum Arad, quod ferro flammaque vastarunt. Completo voto, expeditioni quoque finem imposuerunt, et per eamdem viam regressi sunt ad castra adhuc constituta apud montem Hor. Hoc aut simili modo res tota peragi potuit, cum nihil sit in sacris Litteris, quod huic expositioni repugnet. Talis fuit hæc expeditio, qualis suscepta fuit contra Madianitas Num. 31, quæ suo loco explicabitur.*

ad difficultates objectas respondetur.

461 *Quæ hic objicit Bonfrerius, non difficulter exponi possunt. Ait primo, si Israëlitæ tunc penetrassent in Chananæam, satius eis fuisset prosequi victoriam in Chananæa, quam regredi et iter longum per Moabitas capessere. Verum id liberum non erat Israëlitis, qui castra non movebant nisi prævia et ducente columna: necdum enim advenerat tempus, quo Deus decreverat eos in possessionem Terræ promissæ inducere. Ait secundo, regem et urbem Arad deinde superfuisse. At non contendimus, ita prorsus excisam fuisse urbem Arad, ut non potuerit restitui. Potuit sane urbs illa ex ruinis iterum erigi, atque alius rex priori succedere, aut loco ipsius eligi. Porro omnes regni urbes excisas fuisse, Scriptura non clare affirmat. Subverterunt certe illas, quas adierunt et ceperunt. At necesse non est, ut dicamus omnes fuisse captas et deletas. Hinc etiam incertum est, utrum urbi Arad, an toti regno, an vero loco, ubi voverunt, aut ubi pugnarunt, dederint nomen* Horma: *quod aliis quoque locis deinde datum fuit. Ceterum nolim contendere, omnia facti adjuncta, talia prorsus fuisse, qualia dedi ex conjecturis ea solum intentione, ut ostenderem obvium Scripturæ sensum retineri posse. Itaque si quis alio modo omnia æque combinare possit, me facile habebit consentientem.*

§ XLI. Quæ de morte Mariæ et Aaronis aliisque deinde secutis narrarunt Josephus et Philo, dantur et examinantur.

Josephus de transitu per Idumæam petito, de morte Mariæ,

De gestis anno peregrinationis quadragesimo, huc usque ex Scriptura recitatis, pauca solum narraverunt scriptores Hebræi, Josephus et Philo, multaque prætermiserunt, præsertim murmurationes populi, utpote genti suæ parum honorificas. Josephus lib. 4 cap. 4 post relatam seditionem Core, aliaque tunc facta, itineribus transituque per Idumæam petito, ac de morte Mariæ sic loquitur: His ita post seditionem dispositis, castra movit, et cum omnibus copiis ad Idumeæ fines pervenit. Legatis primum ad regem præmissis, petebat ab eo tantum liberum transitum, paratus ipsius arbitrio fidem dare, sine cujusquam injuria iter se facturum: præterea forum rerum venalium suis exhiberi poscebat, persoluturus etiam aquæ precium, si rex ita juberet. Ille vero legatis re infecta dimissis, negatoque transitu, armatus cum exercitu est obviam profectus, prohibiturus Moysem, si vi viam aperire conaretur. At Propheta, consulto prius oraculo, et Deo non permittente, ut ipse pugnæ principium faceret, retrorsum abduxit exercitum, per desertum iter facturus. Eodem tempore sorori ejus Mariammæ ultimus vitæ dies advenit, quadragesimo anno, ex quo Ægyptum reliquerat, mensis Xantici luna prima, sepultaque est publico sumptu magnifice, super quodam monte qui appellatur Sein. *Hæc Josephus, mox addens* luctum *fuisse* menstruum *de morte Mariæ, populumque post luctum fuisse lustratum a* Moyse. *Hæc lustratio sumpta est ex legibus Num.* 19 *latis; sed locum non videtur habuisse pro omni populo. Secundo mons* Sein *haud dubie sumptus est a deserto* Sin, *sed montem istius nominis non invenio. Tertio commode intelligenda est abductio exercitus* retrorsum, *nimirum quod* Moyses *deflecteret magis ad limites Idumææ, non autem quod retrocederet.*

de progressu Israëlitarum, et morte Aaronis, breviter agit:

463 *De progressu exercitus et morte Aaronis idem scriptor deinde hæc narrat:* Cæterum funesto exercitu ita, ut dixi, lustrato, per desertum cum eo pergens, Arabiam petiit. Cumque venisset in agrum urbis Arabum primariæ, quæ olim

A olim Arce, nunc Petra nominatur, hoc loco montem excelsum, quo ager clauditur, Aaron conscendit, præmonitus a Moyse, quod esset moriturus : et in conspectu totius exercitus, stans in loco acclivi, exutam pontificiam stolam Eleazaro filio tradidit, ad quem jure ætatis successio pertinebat. Atque ita spectante populo moritur, eodem ipso anno, quo sororem amisit, anno ætatis centesimo vigesimo tertio. Dies mortis ejus incidit in primam lunam mensis, qui Atheniensibus Hecatombæon dicitur, Macedonibus Lous, Hebræis Sabba. Luxit eum populus diebus triginta, et luctu finito, Moysis ductu pervenit ad fluvium, qui nominatur Arnon. *Ita Josephus, multa transiliens : nam ad fluvium aut torrentem* Arnon *post aliquot stationes intermedias venerunt Israëlitæ. Alia etiam hic observanda. Urbem Petram, quam* Arcen *olim vocatam dicit, recte quidem locat in Arabia, cum fuerit Arabiæ Petrææ metropolis ; recte etiam circa illam assignat montem Hor, in quo mortuus est Aaron : at non recte Idumæam ab Arabia distinguit, cum illius pars fuerit, cumque urbs Petra Idumææ fuerit, ut*
B *vult Hieronymus lib. de Locis Hebraïcis, aut certe ad ejus limites in vicina Madianitide, ut aliqui existimant.*

Philonis, multa prætermittentis, relatio

464 *Philo, reliquis omnibus, de quibus hic agimus, prætermissis, solum narravit gesta cum Idumæis, et cum Chananæo rege Arad. De prioribus hæc scribit :* In aditu regionis *(promissæ)* habitabat gens cognata *(utpote oriunda ex Esau)* quos *(Israëlitæ)* sperabant fore belli adversus vicinos gerendi socios, adjutoresque in parandis novis sedibus : aut si hoc gravarentur, certe neutris se adjuncturos partibus. Nam utriusque gentis primi conditores, tum Hebraïcæ, tum accolentis fines hostiles, una matre unoque partu editi fuerant, quorum familiæ felici auctæ sobole in duas populosas gentes tum excreverant. Harum altera in suis mansit sedibus : altera (ut ante diximus) in Ægyptum propter famem translata, post aliquot ætates retro, unde venerat, rediit. Hæc cognationis non oblita, quamvis dudum disjuncta sedibus : et tunc quoque nihil de ritu majorum agnoscens in degeneribus posteris, arbitrabatur decorum esse mansuetis ingeniis, si antiquæ necessitudini aliquid
C tribuerent. In altera nullum supererat amicitiæ vestigium, quæ longe diversis assueta moribus, rationibus, consiliis, studiis, avita renovabat odia. Nam primus hujus gentis autor jus primogenituræ fratri vendiderat, quod paulo post facti pœnitens repetiit, atque etiam necem intentando extorquere voluit. Hæ majorum privatæ simultates apud integras posterorum gentes instauratæ sunt eo tempore.

de petito per Idumæam transitu,

465 Cæterum Dux Hebræorum Moses, quamvis primo incursu poterat eos opprimere, iniquum id ratus propter jus antedictæ cognationis, maluit transitum per eorum agros petere, pollicendo se iter facturos sine incolarum injuria, intactis agris et pecoribus : ne potum quidem aquæ necessarium sumpturos absque precio, in potestate incolarum fore annonam, se usuros foro ex ipsorum arbitrio. At illi, contemptis caduceatoribus conditiones fœderis offerentibus, armati obviam profecti sunt, bellum ostentates eis, si auderent fines transcendere, imo vel attingere. Id responsum ægre ferente populo, et jam ad arma concitato, Propheta e superiore loco, ut exaudiri posset, sic eos allocutus est : Non est iniqua, viri fortissimi, vestra indignatio, qui bonas conditiones offerendo repulsam passi estis a pravis et perversis hominibus. Illi quidem digni sunt, ut inhumanitatis pœnas dent, nos tamen decet mitius agere, et revereri gentiles necessitudines. Alioqui quod erit inter bonos malosque discrimen, si magis cogitabimus, quid illi mereantur, quam quid nos deceat? His dictis, avertit alio populum, cum videret omnes aditus insessos præsidiis ab his, quibus nihil imminebat periculi : tantum præ invidia viam compendiariam intercluserant : quod erat certissimum indicium malevolentiæ moleste ferentium gentem libertati redditam, quam in Ægypto gravi servitute premi antea libenter audierant. Necesse enim ut qui alterius felicitate dolet, ejus calamitate gaudeat, quantumvis dissimulet. In tantum enim res suas cum impiis consociaverant, ut in summam maliciam prolapsi, infensi essent bonis omnibus, ægre ferrent successus eorum, gauderent calamitatibus.

AUCTORE J. S.

minis acerba est in Idumæos, et nonnulla eget correctione :

466 Id tum latere non potuit : cohibitus est tamen populus a suo Principe, eadem opera gemino exemplo edito tum bonitatis tum pruden-
E tiæ. Prudenter enim fecit, quod discessum est sine mutuis injuriis : quod vero cognationis respectu ultionem cohibuit, humanitatis fuit officium. *Ita philosophatur Philo, justo iniquior in Idumæos, qui metu non prorsus temerario videntur transitum negasse. Verum hoc generatim de causa negati transitus dixisse sufficiat, cum veram causam certo scire non possumus. At alia quædam particulariter sunt emendanda. Primo* Moyses, *a quo* primo incursu *opprimi potuisse Idumæos nimis jactanter affirmat Philo, a bello eis inferendo abstinuit ob mandatum a Deo acceptum. Secundo nimis accusantur Idumæi, dum dicuntur bellum minati, si* Moyses *auderet eorum fines* vel attingere : *nam constat, Israëlitas per eorum fines transivisse, nec tamen cum Idumæis conflixisse. Tertio ex mera conjectura, ferenda tamen et probabili, dicuntur Israëlitæ ad arma concitati fuisse, dum audiebant transitum negari ab Idumæis. Verum iniquiores sunt conjecturæ, quibus odium et invidiam Idumæorum miret exaggerat Philo : nam etsi illis revera nihil immineret periculi ab Israëlitis ob mandatum* F
divinum ; id verisimiliter ignorabant, ideoque nec fidem præbebant optimis eorum promissis, nec liberi erant a timore imminentis, ut credere pote- periculi.

idem de rege Chananæo Israëlitas invadente,

467 *Bellum regis Chananæi Philo deinde sic enarrat :* Horum *(Idumæorum)* oppidis prætcritis, cum ad ulteriora pergerent, rex quidam finitimus, Chananes nomine, ubi cognovit e speculatoribus exercitum per loca non longe dissita iter facere, putans eos sine ordine incedentes facile posse opprimi, cum armata suorum juventute invasit, et primo assultu quosdam, ut imparatos, coëgit terga vertere : interceptisque aliquot captivis, insperato successu inflatus, procedebat ulterius, quasi omnes in suam potestatem redacturus. At illi nihil territi accepto incommodo, imo accensa audacia, ut abolerent ignominiam, hortabantur se invicem : Viri simus, geramus rem alacriter in primo regionis promissæ aditu. Intrepide pugnemus pro munimento habentes audaciam. Per initia sæpe de eventu decernitur. Dum in limine sumus terrorem incutiamus incolis, ut inopia, qua in locis desertis laboravimus, permutemus agrorum fertilium

AUCTORE J. S.

tilium et bene cultorum copiam. Sic animati voverunt Deo primitias agrorum, ejus regis oppida cum suis finibus.

et victo, in quibusdam corrigitur.

468 Nec fuerunt vota irrita, propitio Numine Hebræis robur addente, ad extorquendam hosti victoriam. Itaque pugnatum est egregie, supplicatumque post victoriam : præda tota consecrata Autori tantæ felicitatis. Oppida cum viris et auro argentoque Deo dicari placuit, unde totum id regnum anathema nominatum est. Quemadmodum enim unusquisque vir pius consecrat primitias fructuum comportatorum ex agris suis : ad eundem modum gens universa portionem magnæ regionis, in cujus possessionem migrabat, et eam quidem non exiguam, regnum integrum, quod primum bello quæsitum est, novæ coloniæ primitias Deo dicavit. Nefas enim putabant vel agros dividere, vel in urbes immigrare, ante consecratas horum primitias. *In hac relatione corrige primo locum, quia res gesta est in ipsis Idumæorum finibus. Secundo non invasit rex Chananæus iter agentes, sed castra habentes ad montem Hor. Tertio oratio hortantium invicem*
B *Israëlitarum solum est conjecturalis; nec regnum illius regis Chananæi tantum videtur fuisse, quantum fuisse insinuat Philo.*

§ XLII. Aliquot mansiones : murmuratio populi, cui Deus immittit ignitos serpentes, serpens æneus erectus : subacta regna Sehon et Og, regum Amorrhæorum.

Duæ mansiones, in quarum alterutra murmuratio populi ignitis serpentibus punita :

De monte Hor Israëlitæ profecti per limites fere Idumæorum, per Madianitidem et Moabitidem, brevi tempore pervenerunt ad limites terræ primum occupandæ. Num. 33 mansiones sequentes sic recensentur a ỷ 41 : Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona, *(quæ mansio fuit trigesima quinta, alias a*
C *monte* Gadgad *nomen sortita, uti et sequens alio loco* Jetebatha *dicta legitur.)* Unde egressi venerunt in Phunon. *In alterutra harum mansionum, aut fortasse in ipso itinere, orta rursum est gravis murmuratio, de qua* Moyses *agit Num. 21 ỷ 4 ita scribens :* Profecti sunt autem et de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare Rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris : locutusque contra Deum et Moysen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum, venerunt ad Moysen, atque dixerunt : Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et contra te : ora, ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum : Fac serpentem æneum, et pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, et posuit eum pro signo : quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

470 *Cum exaltatione hujus ænei serpentis exaltationem suam in crucem comparavit Christus ipse Joan, 3 ỷ 14; fidemque in Christum cum aspectu hujus serpentis, dicens :* Sicut Moyses D
exaltavit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis : ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. *Murmurationem vero illam Apostolus* 1 *Cor.* 9 *vocat tentationem Dei, suos ita Hebræorum exemplo monens :* Neque tentemus Christum : sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. *Sapiens cap.* 16 ỷ 5 *de hisce ita scribit :* Etenim cum illis *(Hebræis)* supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira tua permansit : sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ. Qui enim conversus *(seu sanatus)* est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem : in hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo. *Et mox* ỷ 10 *:* Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes : misericordia enim tua adveniens sanabat illos. In memoria enim sermonum tuorum exterminabantur, et velociter salvabantur,
ne in altam incidentes oblivionem, non possent E
tuo uti adjutorio. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. *Priori mansioni ex duabus forsan magis probabiliter hæc murmuratio tribuetur. At posteriori magis congruit, quod ait* Moyses *Deut.* 2 ỷ 8: Venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab.

ad medelam vero percussorum serpens æneus erectus :

mandatum Domini de non oppugnandis Moabitis : mansiones variæ :

471 *Hoc igitur loco figendum præceptum Domini, sic ibi a* Moyse *relatum :* Dixitque Dominus ad me : Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium : non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot *(a quo Moabitæ, uti et Ammonitæ)* tradidi Ar *(regionis metropolim)* in possessionem *Num.* 33 *a* ỷ 43 *ita enumerantur mansiones secutæ, ac primum trigesima septima est Oboth :* Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth. Et de Oboth, venerunt in Jieabarim, quæ est in finibus Moabitarum. Profectique de Jieabarim, fixere tentoria in Dibongad. *Hæc mansio trigesima nona* in Dibongad, *alias dicitur* ad torrentem Zared, *ut observat S. Hieronymus, et patebit ex verbis dandis. Num.* 21 ỷ 10 *de hoc itinere sic legitur :* Profectique filii Israël castrametati sunt F
in Oboth. Unde egressi fixere tentoria in Jieabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra Orientalem plagam. Et inde moventes venerunt ad Torrentum Zared. *Deut.* 2 ỷ 13 *ad propositum nostrum hæc narrat Legislator :* Surgentes ergo, ut transiremus torrentum Zared, venimus ad eum. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta et octo annorum fuit : donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus : cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio. *Loquitur de omnibus, qui ad mortem in deserto obeundam damnati erant prope Cadesbarne ob rebellionem occasione exploratorum enatam. Perierunt igitur hi omnes non modo ante transitum Jordanis, sed etiam ante bellum contra duos Amorrhæorum reges gestum trans Jordanem.*

præceptum de Ammonitis non impetendis : progressus exercitus ad torrentem Arnon.

472 *Priusquam progrederentur, cum propinquarent ad limites Ammonitarum, bellum contra illos gerere vetuit Dominus, uti fecerat de Idumæis et Moabitis. Audiamus* Moysen *Deut.* 2 ỷ 16 *sic prosequentem :* Postquam autem universi

A versi ceciderunt pugnatores, locutus est Dominus ad me, dicens: Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar: et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in possessionem. *Mansio sequens, seu quadragesima, Num.* 33 ℣ 46 *sic exprimitur:* Unde *(ex Dibongad)* egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim. *Locus hic erat prope torrentem Arnon, quem oportebat transire ad ingrediendam terram Amorrhæorum. Hinc Num.* 21 ℣ 13 *dicitur:* Quem (*torrentem Zared*) relinquentes, castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, et prominet in finibus Amorrhæi. Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas et Amorrhæos. Unde dicitur in libro Bellorum Domini: Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, et recumberent in finibus Moabitarum. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, et da-
B bo ei aquam. Tunc cecinit Israël carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant: Puteus, quem foderunt principes, et paraverunt duces multitudinis in Datore legis, et in baculis suis. De solitudine, Matthana. De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel in Bamoth. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.

ubi quædam facta prodigia obscure insinuantur:

473 *Multa hic admodum obscura sunt.* Liber Bellorum Domini *postea examinabitur. Ex adductis hoc loco versiculis, videtur fuisse metrice conscriptus, et prophetice, ut aliqui volunt: quod tamen minus certum. Sensus hic est obvius. Sicut multa prodigia facta sunt in mari Rubro, quibus victi sunt Ægyptii, ita prodigiis in torrentibus Arnon patrandis vincentur Amorrhæi. Secundo quæ dicuntur de puteo, declarant populum facili negotio et prodigiose aquas accepisse, quod alibi scriptum non est, uti nec alia prodigia ibidem facta. Tertio loco varia, quæ deinde nominantur, non significant diversas mansiones, saltem universæ multitudinis. Verum significare possunt diversa loca, per quæ transiverunt Israëlitæ, dum processerunt ab una mansione ad alte-*
C *ram: aut castrametationes varias agminis contra Sehonem missi: aut demum loca illa, ad quæ se extendebant castra Israëlitarum, dum Canticum istud cecinerunt, aut dum aquas prodigiose acceperunt. Hæc de loco illo obscuro sufficiunt, cum proprie ad intentum meum non spectet integra illius expositio.*

jubet Dominus occupari terram Amorrhæorum, quibus legati mittuntur

474 *In illa mansione apud Arnon, quod loci æque ac torrentis seu fluvii est nomen, videtur* Moyses *accepisse mandatum de occupanda Amorrhæorum terra, nisi illud jam accepisset in mansione præcedenti apud torrentem Zared. Illud Deut.* 2 ℣ 24 *sic exprimit:* Surgite (*ait Dominus*) et transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, et terram ejus incipe possidere, et committe adversus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: ut audito nomine tuo paveant, et in morem parturientium contremiscant, et dolore teneantur. *Ex eodem loco, opinor, misit* Moyses *nuntios ad regem Sehon, ut peterent transitum, licet non ignoraret eum negandum. Verum sic causam ipsum aggrediendi, quam justissimam habebat ex mandato divino, etiam verisimili ratione vicinis regibus probare poterat. De ea legatione Deut.* 2 ℣ 26 *sic habet:* Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens: Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, et sic bibemus. Tantum est ut nobis concedas transitum, sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar. Donec veniamus ad Jordanem, et transeamus ad Terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, et obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus nostras, sicut nunc vides. *Num.* 21 ℣ 21: Misit autem Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: Obsecro, ut transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros et vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. Qui concedere noluit, ut transiret Israël per fines suos. E

ad transitum petendum: negato autem ab Amorrhæis transitu,

475 *Duplex in allegatis verbis occurrit difficultas: nam primo videtur* Moyses *his verbis,* Sicut fecerunt filii Esau, qui habitant in Seir, et Moabitæ, qui morantur in Ar, *affirmare transitum sibi fuisse concessum ab Idumæis et Moabitis. At Judic.* XI *a* ℣ 16 *Jephte disputans cum Ammonitis, contrarium asserit, iterque Israëlitarum sic narrat:* Quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit (*gens Israëlitica*) per solitudinem usque ad mare Rubrum, et venit in Cades. Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me, ut transeam per terram. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui et ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, et circuivit ex latere terram Edom, et terram Moab: venitque contra Orientalem plagam terræ Moab, et castrametatus est trans Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confinium est terræ Moab. Misit itaque Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, et dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium. Qui et ipse Israël verba despiciens, non dimisit eum transire F per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jafa, et fortiter resistebat. *Ad apparentem contradictionem respondeo, nec Idumæos, nec Moabitas, consensisse, ut per terram suam transirent Israëlitæ, sed verbis transitum negasse, saltem per interiora regni sui, ut affirmat Jephte, et* Moyses *ipse jam antea narravit de rege Idumæorum. Iidem tamen, tam Idumæi quam Moabitæ, transitum re ipsa concesserunt, saltem per limites suos et deserta regnorum suorum; nimirum quia transeuntes Israëlitas non sunt agressi, nec finibus suis arcuerunt. Itaque* Moyses *vere affirmat sibi transitum fuisse concessum ab Idumæis et Moabitis; quia per illorum terras transiverat, nec ullibi ab eis fuerat oppugnatus; ita ut illi, quod verbis negabant, re ipsa concederent, sive ad timore facerent, sive quod resistere non valerent: nam illa omnia regi Amorrhæorum explicare non debebat* Moyses, *qui æquissimas ei conditiones proponebat.*

obviam egressum Sehonem regem cum exercitu cædunt Israëlitæ,

476 *Verum hinc oritur altera difficultas, videlicet quomodo* Moyses *iis conditionibus transitum petere potuerit, cum præcepisset Deus, ut regnum*

AUCTORE J. S.

regnum Amorrhæorum everteret? Respondeo quia noverat Amorrhæum non admissurum conditiones oblatas; ideoque hasce non obfuturas, quo minus mandatum Dei exsequeretur. Verisimile est, Deum ipsum voluisse, ut hoc modo procederet sanctus Legislator. Certe post negatum transitum Moyses *iteratum accepit mandatum, quod Deut.* 2 ℣ 31 *una cum relata victoria sic exponit :* Dixitque Dominus ad me : Ecce cœpi tibi tradere Sehon, et terram ejus, incipe possidere eam. Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis : percussimusque eum cum filiis suis et omni populo suo. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus et parvulis. Non reliquimus in eis quidquam : absque jumentis, quæ in partem venere prædantium : et spoliis urbium, quas cepimus ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, oppido, quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus et civitas, quæ nostras effugeret manus : B omnes tradidit Dominus Deus noster nobis: Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus: et cunctis, quæ adjacent torrenti Jeboc, et urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster. *De hac victoria et terra per eam occupata Num.* 21 ℣ 23 *leguntur sequentia :* Quin potius, exercitu congregato *(Sehon)* egressus est obviam in deserto, et venit in Jasa, pugnavitque contra eum. A quo percussus est in ore gladii, et possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, et filios Ammon : quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum *(nec permiserat Deus, ut terra Ammonitarum occuparetur.*

et totum ipsius regnum occupant :

477 Tulit ergo Israël omnes civitates ejus, et habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, et viculis ejus. Urbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab ; et tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon. *Ad hanc victoriam spectat, quod narratur* ℣ 32 : Misitque Moyses qui explorarent Jazer : cujus ceperunt viculos, et possederunt habitatores. *Judic.* XI ℣ 21 *victoria cum terminis terræ occupatæ sic describitur :* Tradiditque eum Dominus in manus Israël cum C omni exercitu suo, qui percussit eum, et possedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, et universos fines ejus, de Arnon usque Jaboc, et de solitudine usque ad Jordanem. Dominus ergo Deus Israël subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israël. *Omnes termini nitide hic exprimuntur : nam ab Occidente erat Jordanis, a Meridie torrens Arnon, quo separabatur a Moabitide, cujus olim pars fuerat ; ab Oriente autem solitudo erat et regnum Ammonitarum, et a Septemtrione torrens Jaboc, quo ab altero Amorrhæorum regno erat divisum. De hisce, uti et de altera victoria mox secuta, loquitur Amos propheta in persona Domini cap.* 2 ℣ 9 *ita scribens :* Ego autem exterminavi Amorrhæum a facie eorum *(Israëlitarum :)* cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus, et fortis ipse quasi quercus : et contrivi fructum ejus desuper, et radices ejus subter : *hac allegoria significans Amorrhæos usque ad internecionem cæsos, et funditus deletos.*

Cæso deinde Og rege Basan, hujus quoque regnum expugnant :

478 *Insignem hanc victoriam alia excepit non minoris momenti, de qua* Moyses *Num.* 21 ℣ 33 *sic breviter scribit :* Verteruntque se et ascenderunt *(versus Septemtrionem)* per viam Basan, D et occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. Dixitque Dominus ad Moysen : Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, et omnem populum ac terram ejus : faciesque illi, sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon. Percusserunt igitur et hunc cum filiis suis, universumque populum ejus usque ad internecionem, et possederunt terram illius. *Deut.* 3 *latius de hisce loquitur* Moyses *hoc modo :* Itaque conversi ascendimus per iter Basan : egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai. Dixitque Dominus ad me : Ne timeas eum, quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua : faciesque ei, sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon. Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, et universum populum ejus : percussimusque eum usque ad internecionem, vastantes cunctas civitates illius uno tempore. Non fuit oppidum, quod nos effugeret : sexaginta urbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque et vectibus, absque oppidis E innumeris, quæ non habebant muros. Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres et parvulos : jumenta autem et spolia urbium diripuimus.

quanti momenti essent hæ victoriæ :

479 Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem : a torrente Arnon usque ad montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant, et Amorrhæi Sanir : omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, et universam terram Galaad et Basan usque ad Selcha et Edrai civitates regni Og in Basan. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus. Terramque possedimus tempore illo ab Aroër, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad. *De hisce victoriis etiam loquitur Josue cap.* 13 *et* 24 ℣ 8. *Psalmista quoque Psal.* 134 ℣ 10 *illas ut maxime memorabiles celebrat his verbis :* Qui percussit gentes multas : et occidit reges fortes, Sehon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan. *Et* F *rursum Psal.* 135 ℣ 17 : Qui percussit reges magnos : . . . et occidit reges fortes, ... Sehon regem Amorrhæorum, . . , et Og regem Basan : et dedit terram eorum hereditatem, . . . hereditatem Israël servo suo.

duæ ultimæ mansiones.

480 *Ceterum incertum est, an castra Israëlitarum mota sint tempore hujusce expeditionis, an vero semper manserint apud torrentem Arnon, seu in Helmondeblathaim, ubi manere poterant cum parte militum ad eorum et imbellis multitudinis custodiam destinato, dum pars altera militum ad bellum mittebatur. At verisimile est, castra translata fuisse ad mansionem quadragesimam primam, priusquam totum istud bellum finitum est. Potuit id fieri post superatum Sehonem regem, quando agmen ad pugnam expeditum adversus regem Og progrediebatur, ut sic castra multitudinis imbellis bellantibus essent viciniora. Motus hic castrorum Num.* 33 ℣ 47 *refertur hoc modo :* Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo. *Loca hæc erant in regno Sehonis occupato, ubi et fuerunt postrema castra, sed propinquiora hæc*

AUCTORE J. S.

A *hæc erant Jordani fluvio. Ad hæc autem transierunt Israëlitæ post subactum utrumque Amorrhæorum regnum, ibique manserunt non modo usque ad mortem* Moysis, *sed etiam usque ad transitum Jordanis sub Josue. Num.* 22 ℣ 1 *post victoriam de Amorrhæis de ultimo castrorum motu ita habetur:* Profectique castrametati sunt in Campestribus Moab, ubi trans Jordanem Jerichu sita est. *Num.* 33 ℣ 48 *extensio castrorum magis explicatur hoc modo:* Profectique de montibus Abarim, transierunt ad Campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho. Ibique castrametati sunt de Betsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum. *Quid gestum sit tempore postremæ hujus mansionis, infra videbimus. At hic observandum est, Campestria Moab eo tempore non fuisse ditionis regis Moabitarum, cum essent trans torrentem Arnon; sed ita vocari, quod olim fuissent sub Moabitis, qui illa regni sui parte privati fuerant per Amorrhæos.*

B

§ XLIII. Josephi et Philonis narrationes de præcedentibus, præsertim de bellis contra Amorrhæos.

Josephus bellum contra Sehonem gestum

Josephus lib. 4 *cap.* 5 *narraturus bellum, contra reges Amorrhæorum feliciter gestum, sub finem cap.* 4 *ita orditur:* Moyses dictu *(populus Israëliticus)* pervenit ad fluvium, qui nominatur Arnon. Is ex Arabiæ montibus exortus, desertum medium pererrans, in Asphaltitem lacum influit, Moabitas ab Amoræis disterminans. Estque hæc regio frugifera, et fructus, quantum satis est, incolis suppeditat. Ad ejus regem Sehonem misit legatos Moyses, qui transitum per regnum peterent, fidem daturus, quod sine detrimento vel agrorum vel colonorum militem traduceret: sed persoluturum precium rerum venalium ex æquo et bono, etiamsi potum aquæ sine precio dare gravarentur. Sehon vero negato transitu, et armato suorum exercitu, vada Arnonis occupat, prohibiturus, si Hebræi fluvium transire conarentur. Moyses autem postquam intellexit Amoræos hostilem in se animum
C gerere, haud ferendum contemptum ratus, et videns Hebræos, genus hominum intractabile, ocio simul et egestate facile adduci posse, ut pristinos tumultus ac seditiones renovarent, occasionem eis adimere volens, consuluit Deum, an bello viam aperire permitteret. Deo vero annuente, et victoriam insuper pollicente, magnopere hac spe animatus, militem quoque fiducia complet, clamitans adesse tempus, quo pugnandi cupiditatem exsatiarent, auspice Deo, et, quo sponte jam propenderent, autoritate sua compellente.

quibusdam auget conjecturis,

482 At illi permissa potestate læti, arma corripiunt, et evestigio instructa acie ad hostem properant. Amoræus contra, ut vidit adventantes, oblitus pristinæ ferociæ, tum ipse est territus, tum milites animos, quos ante visum hostem præ se ferebant, præ timore demiserunt. Itaque, vix primo conflictu excepto, terga vertunt, in sola fuga spem salutis reponentes. Confidebant enim munitis urbibus, quæ tamen nihil prorsus eis profuerunt. Nam Hebræi, ut primum animadverterunt hostes cedere, acriter institerunt, turbatisque eorum ordinibus, in extremam formidinem illos conjecerunt. Jamque totis campis sparsi, effuso cursu alii alias urbes petebant: nec altari persequendo fatigantur, imperfectam victoriam relinquere nolentes: sed cum essent funditores optimi, et ejus pugnæ generis, quod omni telorum genere eminus geritur, in primis periti, et expeditiores quam ut armis gravarentur: aut pedibus fugatos assequebantur, aut glandibus et jaculis, si quos celeriores timor fecerat. Itaque magna strages editur: et si qui effugerant, cum vulneribus et siti conflictabantur. Erat enim æstas. Cumque desiderio potus ad fluvium agmine magno ferrentur, ab insequentibus circumventi, eminus sagittis ac jaculis sunt confixi: et inter cæteros Sehon rex cecidit.

et nonnihil immiscet erroris;

483 Hebræi vero cæsos spoliabant, prædas agebant, magna rerum copia fruebantur, quod fructus nondum ex agris collecti essent. Et milites totam regionem percurrebant impune diripiendo, captivosque abducendo. Nemo enim resistebat, robore ejus regionis in pugna absumpto. Talis clades Amoræis accidit, qui nec consilio prudenter, nec armis fortiter sunt usi. Hebræi E vero terram eam occupaverunt, inter tres amnes insulæ modo sitam. Nam Arnonis ripæ Meridionale ejus latus terminant, Jobacchus vero Septentrionale, qui in Jordanem influens nomen amittit: Occidentalis tractus Jordane amne alluitur. *Hactenus Josephus, ex conjecturis describens prælii modum: nam de eo in sacris Litteris nihil invenit. Verum nonnulla quoque attulit Scripturæ contraria, alia vero dissimulavit. Primo Scripturæ contrarium est, quod dicitur de captivis abductis, cum ne pueris quidem aut mulieribus fuerit parcitum. At voluit scriptor Hebræus omnimodam illam Amorrhæorum excisionem dissimulare, licet divino mandato facta esset. Secundo plus timoris Amorrhæis attribuit, et sic victoriam faciliorem facit, quam patitur sacra Scriptura Judic.* XI ℣ 21, *ubi Sehon* fortiter *restitisse dicitur. Tertio causam inchoandi id bellum repetit ex negato transitu, Deinde mandatum omittit, ac perperam mandato divino substituit permissionem et pollicitationem victoriæ: omnia hæc concurrerunt, sed alio ordine, quam quo relata sunt a Josepho.* F

nec omni caret errore ejusdem relatio belli contra Og gesti.

484 *Idem auctor bellum contra alterum Amorrhæorum regem deinde subjungit, ita pergens:* In hoc rerum statu exoritur Israëlitis novus hostis Oges, Galadinæ et Gaulanitidis regionum rex, in auxilium Sehonis amici et socii veniens: cujus res quum jam perditas videret, nihilominus victoriam sperans, virtutis suorum ac hostium periculum facere decrevit. Qua spe frustratus et ipse in prælio periit, et exercitus ad unum est deletus. Moyses vero, Jobaccho fluvio superato, regnum Ogis ingressus, urbem unam post aliam subvertebat, habitatores internecione vastans, qui omnes ejus terræ homines divitiis et agrorum fertilitate superabant. Oges etiam vir heroïca specie corporis, ne viribus quidem ac virtute fuit inferior: cujus roboris et staturæ argumentum exstabat in expugnata regia urbe Ammanitidis regionis, dicta Rabatha: lectus erat ferreus quatuor cubitorum latitudine, novem longitudine. Hujus viri casum non solum præsens Hebræorum felicitas est insecuta, sed in futurum etiam majorum successuum illis causa est facta. Sexaginta enim oppida egregie munita de ejus ditione ceperunt, et ex præda tam

privatim

AUCTORE J. S.

privatim quam publice sunt locupletati. Post hæc Moyses castra Jordanem versus movet, et campum magnum e regione Hierichuntis. Ea est urbs copiosa palmis abundans, et balsamum ferens. *In hac relatione corrigendum, quod Rabatham, seu Rabbath vocet* expugnatam : *nam eam tunc non expugnarunt Israëlitæ, cum esset metropolis Ammonitarum, quos bello non impetebant.*

Philo quædam de invento puteo et itineribus minus accurate;

485 *Philo ante belli relationem quædam præmittit de invento puteo et de itinere Israëlitarum.* Paulo post *(inquit)* fontem copiosum invenerunt, qui omnibus potum præbuit. Is erat in puteo, in ejus provinciæ finibus. Ibi, acsi merum, non aquam hausissent, exhilarati, pias choreas circa puteum ducendo novum carmen canebant in laudem Dei datoris agrorum et autoris coloniæ, quod emensi longas solitudines, terram promissam attigissent, et in ipso limine invenissent aquæ copiam, meliore nota signandum rati hunc puteum. Fuerat enim excisus non plebeiorum, sed regum opera et diligentia: qui ut fertur magnum sumptum quærendo aquam et ap-
B parendo puteum fecerant, sicut apparebat ex operis regii magnificentia. His inopinatis successibus lætus Moses progrediebatur ulterius, juventute disposita in primo extremoque agmine : seniorum, mulierum, puerorumque turba incedebat media, utrimque munita præsidio, sive frontem sive terga hostis lacesseret. *Hæc Philo, in chronotaxi minime accuratus : nam putei inventionem ponit* paulo post *cæsum regem Arad, licet multæ mansiones intercesserint, variaque in iis gesta, quæ prætermisit; et mox ab invento puteo, quod factum circa confinium Amorrhæorum, ad horum regionem pervenisse ait Hebræos* post aliquot dies *itineris.*

magis etiam labitur in narrando bello contra Sehonem gesto.

486 *De bello contra Amorrhæos gesto nec plene nec accurate scribit sequentia :* Post aliquot dies regionem Amorræorum attigit, missisque legatis ad regem eorum Seon, invitabat ad easdem conditiones, quas prius cognatis obtulerat. Ille adeo contumeliose respondit, ut vix sibi temperaret a manibus, occisurus ni legatos tutaretur jus gentium : contractisque mox copiis expeditionem suscepit, victoriam sibi pollicens. Congressus autem sensit sibi rem esse cum invi-
C ctis militibus, qui jam ante exercitatis duratisque tum corporibus tum animis, non semel virtutis specimen ediderant. Quapropter egregie tunc quoque vicerunt, a præda tamen abstinuerunt, ut sacrarent Deo certaminum suorum primitias, cujus ope subsistebant magis quam propriis consiliis aut viribus, illo addente animos ad rem gerendam, et causam suam defendendam fortiter, sicut tunc quoque apparuit. Non erat enim opus iterato prælio, una acie debellatum est, fusis, fugatis, internecione deletis hostilibus copiis. Urbes etiam eodem tempore exhaustæ et repletæ sunt, vacuæ veteribus incolis, plenæ victoribus. Similiter villæ prædiaque rustica modo deserta recipiebant colonos meliores. Hoc bellum gentes omnes Asianas terruit, præsertim finitimas, quibus proprius imminere videbatur periculum. *Corrigenda hic varia. Primo falso ait* a præda *abstinuisse Israëlitas, ut eam Deo consecrarent : hoc enim locum non habuit in eo bello, nisi de hominum præda id solum intelligat Philo. Secundo tam superbum Sehonis responsum, ut etiam legatos voluerit occidere, nullibi exprimitur in Scriptura. Tertio omissum est totum bellum, quod mox secutum est contra Og regem Basan.*

D

§ XLIV. Balaam a rege Moabitarum accersitus, ut malediceret Israëlitis : ejus molitiones frustraneæ ; sed pessimo ejusdem consilio Israëlitæ ad peccatum inducti.

Balac Moabitarum rex cum principibus Madianitis accersit

Strages internecina Amorrhæorum nata erat ingentem incutere terrorem vicinis gentibus. Moabitæ præ ceteris timere poterant, tum quia transitum Israëlitis negaverant, nec victualia iis vendere voluerant, ut dicitur Deut. 22 ℣ 4, *tum quod viderent eos, superatis Amorrhæis, ad limites suos redire, iisque vicinos esse, quando castrametabantur prope Jordanem in Campestribus Moab. Itaque mirandum non est regem Moabitarum, qui ignorabat se divino mandato immunem fore a bello Israëlitico, consilia con-* E
tulisse cum vicinis Madianitarum principibus, ut periculum a se averterent, licet modus, quo illud facere conati sunt, revera sit mirabilis. Audiamus Moysen *Num.* 22 ℣ 2: Videns autem Balac filius Sephor omnia, quæ fecerat Israël Amorrhæo, et quod pertimuissent eum Moabitæ, et impetum ejus ferre non possent, dixit ad majores natu Madian *(id est, principes seu duces Madianitarum, regno suo vicinos :)* Ita delebit hic populus omnes, qui in nostri finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, et dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. Veni igitur, ei maledic populo huic, quia fortior me est : si quo modo possim percutere et ejicere eum de terra mea. Novi enim quod benedictus sit, cui benedixeris, et maledictus, in quem maledicta congesseris. *Hæc verba abunde docent, Balaam hominem fuisse famosum et magni nominis.* F

Balaamum, in Mesopotamia natum et apud fluvium Ammonitarum tunc habitantem,

488 *Verum disputant eruditi de variis ad Balaam magis quam ad* Moysen *spectantibus, videlicet de patria et genere ipsius, et præsertim an fuerit propheta veri Dei, an vero idololatra et magus. Quapropter ut hæc ex aliis Scripturæ locis nonnihil luminis accipiant, adducam ea, quæ sparsim de Balaamo perstringuntur. Deut.* 23 ℣ 4 *dicitur Israëlitis de Moabitis :* Quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, ut malediceret tibi : et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te. *Ex hoc loco interpretes passim existimant, ex Mesopotamia oriundum fuisse Balaamum, varieque explicant, quod supra dicitur habitasse* super flumen terræ filiorum Ammon. *Non video, cur dici nequeat, locum natalem exprimi in Deuteronomio, et Num.* 22 *designari locum, in quo habitabat eo tempore : atque ita uterque locus invicem conciliabitur. Sane ne satis quidem verisimile apparet, ex Mesopotamia accersitum fuisse Balaamum a rege Moabitarum propter ingentem locorum distantiam, præsertim cum priores legati redierint sine Balaamo,*

A *laamo, aliique missi fuerint, quos tandem est comitatus vectus asina sua, ita ut quater emetiendum fuerit iter plusquam centum horarum, idque totum fere per Arabiam desertam, nisi vehementer me fallant tabulæ geographicæ. Jam vero si consideremus gesta omnia post mortem Aaronis, anno quadragesimo peregrinationis, mensisque quinti die prima defuncti, usque ad explicationem Legis per* Moysen, *quæ facta est die prima mensis undecimi, seu sex mensibus serius, facile videbimus tantum tempus molitionibus regis Moabitarum attribui non posse, quantum attribui deberet, si Balaam tam longe abfuisset. Præterea vix intelligi posset, quo modo dein occisus sit apud Madianitas, cum domum redierit ex Moabitide, ut dicetur num,* 500. *Demum omnia, quæ de legatis et Balaami itinere dicuntur, insinuant viam longe breviorem, quam sit distantia Mesopotamiæ a Moabitis. Hæc de patria ejus ab habitatione illius temporis distinguenda, quæ faciet ut interpretes minus se torquere debeant in explicando flumine, ad quod habitabat Balaam.*

qui potius propheta, sed improbus, fuisse videtur, quam magus,

B 489 *Balaam perstringitur* 2 *Petr.* 2 ỳ 15 *his verbis :* Derelinquentes rectam viam erraverunt, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amavit : correptionem vero habuit suæ vesaniæ : subjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. *Arguitur iniquitatis et avaritiæ, uti et vesaniæ ; at simul* propheta *vocatur. Judas in sua Epistola* ỳ XI *eumdem sic perstringit :* Errore Balaam mercede effusi sunt, *insinuans Balaamum amori pecuniæ justitiam posthabuisse. Apoc.* 2 ỳ 14 *dicitur episcopo Pergami :* Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere, et fornicari. *De hoc consilio plura dicemus suo loco. Ex allegatis autem colligitur, Balaamum fuisse improbum, aut certe impium præbuisse consilium. Verum ex eo colligi nequit, magum fuisse et idololatram, præsertim cum* propheta *vocetur a S. Petro : nam propheta esse potuit, donoque prophetiæ illustratus a Deo, imo et pius et sanctus, etiamsi in gravia peccata deinde sit lapsus. At* hariolus *vocatur, indeque plures concludunt, magum fuisse et dæmonem consuluisse, non ve-*C *rum Deum. Ne hæc quidem consecutio mihi necessaria videtur, uti nec visa est S. Hieronymo, qui lib. de Quæst. Hebraic. in Gen. cap.* 22 *genus Balaami deducens ex Buz filio Nachor, sanctum prophetam fuisse existimat, sed amore pecuniæ corruptum , ita scribens :* Et ex hujus *(Buz)* genere est Balaam ille divinus, ut Hebræi tradunt : qui in libro Job dicitur ELIU, primum vir sanctus et prophetes Dei: postea per inobedientiam et desiderium munerum, dum Israël maledicere cupit , DIVINI vocabulo nuncupatur. *Non admodum probabile est, quod solum ex Hebræorum auctoritate narrat Hieronymus , Balaamum esse eumdem cum Eliu ; at magis verisimile est prophetam fuisse, cum multa eo etiam tempore prophetaverit , quo adductus erat ad maledicendum Israëlitis ; cumque initio se satis religiose gesserit , Deumque verum ubique consulat , eoque inspirante loquatur. Hæc ipsa videtur S. Augustini sententia lib.* 2 *ad Simplicianum quæst.* I *num.* 9, *ubi exemplo Balaami ostendit, donum prophetiæ in aliquo esse posse sine charitate. Idem quoque apparebit ex aliis ejusdem sancti doctoris verbis infra dandis. Hæc igitur sententia mihi apparet probabilior , licet contrariam improbare nolim, cum ea multos etiam habeat patronos.*

ut maledicat Israëlitis : ille autem primo, consulto Deo, renuit eo ire :

490 *Hisce observatis , redeo ad textum sacrum , qui Num.* 22 ỳ 7 *ita habet :* Perrexeruntque seniores Moab, et majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam , et narrassent ei omnia verba Balac ; ille respondit : Manete hic nocte , et respondebo , quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam , venit Deus , et ait ad eum : Quid sibi volunt homines isti apud te ? Respondit : Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me , dicens : Ecce populus, qui egressus est de Ægypto , operuit superficiem terræ : veni , et maledic ei , si quo modo possim pugnans abigere eum. Dixitque Deus ad Balaam : Noli ire cum eis, neque maledicas populo : quia benedictus est. Qui mane consurgens dixit ad principes : Ite in terram vestram , quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. Reversi principes dixerunt ad Balac : Noluit Balaam venire nobiscum. Rursum ille multo plures et nobiliores quam ante miserat, misit. Qui cum venissent ad Balaam , dixerunt. E Sic dicit Balac filius Sephor : Ne cuncteris venire ad me : paratus sum honorare te, et quidquid volueris, dabo tibi : veni et maledic populo isti. Respondit Balaam : Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.

deinde vero munerum cupiditate victus, Deum rursus consulit,

391 *S. Augustinus quæst.* 48 *in Num. notat in hoc responso, quod verbis immutatis adducit ex Septuaginta, hactenus nullum esse peccatum : Sed , inquit ,* quod sequitur , non est sine gravi peccato. Jam enim constans esse debuit , semel audito , quod ei dixerat Dominus : " Non ibis " cum eis , neque maledices populum : est enim " benedictus " : nec eis ullam spem dare, quod posset Dominus , tamquam ipse Balaam muneribus et honoribus flexus, adversus populum suum, quem benedictum esse dixerat, suam mutare sententiam. Sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem .. Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus , permissit eum ire , ut F per jumentum , quo vehebatur, ejus avaritiam coërceret ; hoc ipso confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini , per angelum factam , transgredi asina non audebat, quam ille cupiditate transgredi conaretur , quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret. *Hactenus Augustinus , recte describens prophetam avaritia et cupiditate lapsum, sicuti lapsus est Judas apostolus.*

et discedit, Deo permittente : sed ab asina sua reprehenditur

492 *Verba autem, quæ S. Augustinus merito improbat , sequuntur* ỳ 19 *hoc modo :* Obsecro ut hic maneatis etiam hac nocte, et scire queam, quid mihi rursum respondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte , et ait ei : Si vocare te venerunt homines isti , surge, et vade cum eis : ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero , facias. Surrexit Balaam mane , et strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus. Stetitque angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ , et duos pueros habebat secum. Cernens asina angelum stantem in via evaginato gladio , avertit se de itinere , et ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam , et vellet ad semitam reducere, stetit angelus in angustiis duarum

AUCTORE J. S.

duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns asina, junxit se parieti, et attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam: et nihilominus angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit. Cumque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis: qui iratus vehementius cædebat fuste latera ejus. Aperuitque Dominus os asinæ, et locuta est: Quid fecit tibi? cur percutis me: ecce jam tertio? Respondit Balaam: Quia commeruisti, et illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem. Dixit asina: Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? Dic, quid simile umquam fecerim tibi. At ille ait: Numquam.

et ne sic quidem resipiscit:

493 Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, et vidit angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram. Cui angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni, ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria: et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, et illa viveret. Dixit Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: et nunc, si displicet tibi ut vadam, revertar. Ait angelus: Vade cum istis, et cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus. *Laudatus Augustinus notat*, *Balaamum* post permissionem *eundi non consuluisse iterum Deum, sicut fecerat iterato* post prohibitionem. *Et* cur, *inquit*, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur? *Cupiditas munerum promissorum impellebat, ut iret: timor Domini utcumque eum continebat, ne iret aut quid loqueretur, nisi Deo permittente; at cupiditati, cui jam indulgere cœperat, timorem Domini tandem omnino posposuit, ut videbimus. Interim hæc rursum notat Augustinus*: Nihil hic sane mirabilius videtur, quam quod loquente asina territus non est, sed insuper ei, velut talibus monstris assuetus, ira perseverante respondit. *Rationem dat sanctus doctor quæst.* 50 *hisce verbis*: Nimirum, *inquit*, *quæst.* 50, iste tanta cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur *Priori vero loco sic pergit*: Postea illi et angelus loquitur, arguens et improbans ejus viam: quo viso tamen exterritus adoravit. Deinde ire permissus est, ut jam per ipsum prophetia clarissima proferretur. Nam omnino permissus non est dicere, quod volebat, sed quod virtute Spiritus cogebatur.

receptus a Balaco Balaam offert sacrificium,

494 *Quid Balac fecerit, audito Balaami adventu pergit narrare* Moyses ℣ 36 *his verbis*: Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. Dixitque ad Balaam: Misi nuntios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo? Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? Perrexerunt ergo simul, et venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat. Cumque occidisset Balac boves et oves, misit ad Balaam, et principes, qui cum eo erant, munera. Mane autem facto duxit eum ad excelsa Baal, et intuitus est extremam partem populi. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum et arietem super aram. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, et quodcumque imperaverit, loquar tibi. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, et imposui vitulum et arietem desuper. Dominus autem posuit verbum in ore ejus, et ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris.

verisimiliter vero Deo,

495 *Aliqui volunt aras prædictas, et sacrificia iis imposita, a Balaamo fuisse oblata dæmoni; at id mihi minus apparet probabile, cum Balaam vero Deo dicat, se septem aras erexisse, iisque imposuisse sacrificia; cumque mens ipsius illustrata fuerit a Deo ad prophetandum. Alii malunt dicere sacrificia quidem oblata fuisse vero Deo; sed adhibitas fuisse cæremonias superstitiosas, eumque illicitis artibus voluisse a Deo divinationem quærere. Verum cum ignoremus sacrificandi ritus, quibus utebantur veri Dei cultores, qui non erant Israëlitæ, superstitiosas istas cæremonias non possumus certo colligere ex relatis hoc loco: cumque Balaam ubique legatur verum Deum consulere, et nullibi in sacris Litteris clare arguatur de superstitione, nedum de magia, malim credere Balaamum hisce sacrificiis usum esse ad verum Deum sibi demerendum: imprudenter tamen fecisse et peccasse, quod cupiditati munerum ita indulgeret, ut post agnitam Dei voluntatem, eum quasi trahere vellet ad sua desideria.*

a quo illustratus, fausta de Israëlitis prædicit:

496 *Ad textum regrediamur.* ℣ 6 Reversus *(Balaam)* invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, et omnes principes Moabitarum: assumptaque parabola sua, *(id est, incipiens parabolice loqui)* dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, et maledic Jacob: propera, et detestare Israël. Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, et de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, et inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit pulverem Jacob, et nosse numerum stirpis Israël? Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc, quod agis? Ut malediceres inimicis meis, vocavi te: et tu econtrario benedicis eis. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?

mutato loco, rursus bona vaticinatur de iisdem:

497 Dixit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum, unde partem Israël videas, et totum videre non possis, inde maledicito ei. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga, ædificavit Balaam septem aras, et impositis supra vitulo atque ariete, dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, et hæc loqueris ei. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, et principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus? At ille, assumpta parabola sua, ait: Sta Balac, et ausculta, audi fili Sephor. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, et non faciet? locutus est, et non implebit? Ad benedicendum adductus sum, benedictionem prohibere non valeo. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israël. Dominus Deus ejus cum eo est, et clangor victoriæ regis in illo. Deus eduxit

A xit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël. Temporibus suis dicetur Jacob et Israëli, quid operatus sit Deus. Ecce populus ut leæna consurget, et quasi leo erigetur: non accubabit, donec devoret prædam, et occisorum sanguinem bibat. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas. Et ille ait: Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?

tertio loco similiter

498 Et ait Balac ad eum: Veni, et ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo, ut inde maledicas eis. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem aras, et para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes. Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuitque vitulos et arietes per singulas aras. Cumque vidisset Balaam quod placeret Domino, ut benediceret Israëli, nequaquam abiit, ut ante perrexerat, ut augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum, et elevans oculos, vidit Israël in tentoriis commorantem per tribus B suas: et irruente in se Spiritu Dei, assumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. *Hæc omnia de se Balaam. Obscuriora quædam sunt, et idcirco variis modis explicantur, dum alii corporis oculum obturatum fuisse volunt, alii oculum mentis. Maxime obturatus erat munerum cupiditate mentis oculus, cum voluntatem Dei perspectissimam habere deberet, et tamen anhelare pergeret ad occasionem aliquam satisfaciendi Moabitarum regi, ut promissa auferret munera, non perspiciens se ita ad ruinam tendere, et in summam tandem impietatem lapsurum, uti lapsum mox videbimus. Pergebat interim Deus hominem improba cupiditate abductum dono prophetiæ illustrare ad utilitatem aliorum.*

fausta et gloriosa de Israëlitis, irascente frustra Balaco,

499 *Prophetantem igitur audiamus:* Quam pulchra tabernacula tua Jacob, et tentoria tua Israël! ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de situla ejus, et semen illius erit in aquas multas. Tolle- C tur propter Agag (*servatum*) rex ejus (*Saul,*) et auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentas hostes illius, ossaque eorum confringent, et perforabunt sagittis. Accubans dormivit ut leo, et quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit et ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus, ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus econtrario tertio benedixisti: revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti et auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. *Loquitur de pessimo et impiissimo consilio inducendi Hebræos ad fornicationem et idololatriam, ut divino favere privarentur. Hoc autem consilio palam fecit Balaam, se occasionem semper quæsivisse nocendi Israëlitis, quia* mercedem iniquitatis amavit, *teste S. Petro.*

multaque de aliis gentibus pergit vaticinari:

500 *Verumtamen voluit Deus ut impius propheta prius pergeret futura prædicere, ut sequitur:* Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, hujus obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, et visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos: Videbo eum, sed non modo: intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israël: et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio ejus: hereditas Seir cedet inimicis suis: Israël vero fortiter aget. De Jacob erit, qui dominetur, et perdat reliquias civitatis. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium gentium Amalec, cujus extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum: et assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum, et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? E Assur enim capiet te. Assumptaque parabola iterum locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? Venient in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, et ad extremum etiam ipsi peribunt. Surrexitque Balaam, et reversus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit. *Hactenus locutus erat Balaam, omniaque illa prædixerat tamquam propheta; diciturque deinde rediisse.*

Balaam domum abit, sed ante perversum consilium Balaeo suggerit:

501 *Verum haud dubie spe munerum accipiendorum, antequam a rege Moabitarum discederet, ex proprio spiritu loqui cœpit, docuitque* Balac mittere scandalum coram filiis Israël, edere et fornicari, *ut dicitur Apoc,* 2 ỷ 14. *Suasit igitur homo nequissimus, ut mulieres Moabitarum et Madianitarum familiares se facerent Israëlitis, eosque ad fornicationem et idololatriam inducerent. Audi* Moysen *Num.* 31 ỷ 15 *de feminis Madianitarum, quos Israëlitæ non occiderant:* Cur feminas reservastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerunt F in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus? *In Balaamo nihil magis improbant sacræ Litteræ quam hoc consilium, ejusque avaritiam, qua ad tantum scelus perductus est. Non ignorabat igitur homo nequam verum Deum, cum sciret Israëlitas fore invictos, quamdiu gauderent protectione divina; nec hac protectione orbandos, nisi per peccata, ac præsertim per idololatriam.*

ex quo consilio probabilius est, prophetam improbum fuisse quam magum.

502 *Hæc autem scientia magis congruit prophetæ quam mago et idololatræ, ita ut hoc ipsum consilium magis verisimile faciat prophetam fuisse quam magum. Nec obstat magnitudo criminis: nam incredibile non est, prophetam ad tantum scelus prolapsum esse, cum sciamus apostolum gravius etiam cecidisse. Imo parum mihi apparet credibile, Deum mago et idololatræ tam excellens prophetiæ donum dedisse, quam habuit Balaam. Certe nullo alio exemplo id confirmari potest. Itaque mihi probabilius apparet verum fuisse prophetam, et sic tota historia facilius explicari potest. Quod autem* hariolus *vocatur, quodque Num* 24 ỷ 1 *dicitur,* ut augurium quæreret, *quod* divinationis pretium *memoratur Num.* 22 ỷ 7, *factum videtur a* Moyse

AUCTORE J. S.

Moyse *ob improbitatem hominis, qui donis Dei nitebatur abuti, ideoque indignus erat honoratiori nomine, digniorque iis vocabulis, quæ plerumque in malam partem interpretamur, etiamsi contrario sensu explicari possunt. Nomen* prophetæ *a S. Petro datum Balaamo eamdem difficultatem præbet patronis contrariæ sententiæ.*

§ XLV. Historia Balaami ex Josepho et Philone, quorum relatio examinatur.

Josephus historiam Balaami

De *Ballaci et Balaami molitionibus contra Israëlitas Josephus lib. 4 cap. 6 ita orditur:* Balacus Moabitarum rex, habens veterem amicitiam et societatem cum Madianitis, cum res Israëlitarum in tantum crescere videret, cœpit etiam de suo regno esse solicitus. Nesciebat enim Deum vetare, ne Hebræi quidquam ulterius præter Chananæam usurpare appetant: atque ita non satis consulte de rebus novis cogitavit. Et bello quidem aggredi elatos tot victoriarum successu non est ausus, obstare tamen volens ne ulterius procederent, legatos de communibus commodis ad Madianitas mittit. Illi ad Balamum quendam ultra Euphratem, nobilem in eis locis vâtem, et sibi amicum, cum Balaci legatis mittunt etiam de suis honoratissimum quemque, rogantes ut veniret ad se, et diris imprecationibus Israëlitas devoveret. Vates legatis comiter exceptis, et hospitali mensæ adhibitis, consuluit Deum, quæ sit ejus de Madianitarum postulatis sententia. Qui cum vetaret illis obsequi, reversus ad eos, ait, sibi non deesse voluntatem illis gratificandi, sed obstare Deum, cujus beneficio debeat gloriam ex veris hactenus prædictionibus comparatam. Nam exercitum illum, quem ipsi execratum velint, esse Deo longe carissimum. Deditque consilium ut ob hanc causam ad Israëlitas profecti, pacem cum illis quibuscumque conditionibus facerent. His dictis legationem dimisit. *Hactenus Josephus satis recte: non tamen certum est,* Balaamum ultra Euphratem, *seu in Mesopotamia, habitasse eo tempore, uti observavi num.* 488. *Nihil quoque habet Scriptura de consilio pacis petendæ per Balaamum dato: quod ex mera conjectura addidit scriptor Hebræus.*

ex sacris Litteris

504 *Hic autem sic prosequitur:* Ait Madianitæ (*imo et ipse Balac cum iis*) Balaco maximis precibus urgente, eadem de re denuo legatos mittunt ad Balamum: qui cupiens hominibus obsequi, Deum consulit. Deus vero offensus jubet ut legatis assentiatur. Is ratus Deum hæc serio jubere, cum legatis proficiscitur. Inter eundum autem, cum ventum esset in viam quandam angustam, inter duas macerias sitam, occurrit ei angelus: quo animadverso, asina, qua vehebatur, declinans appressit eum ad alterum septum, nihilque movebatur verberibus sessoris, pressuram moleste ferentis: cumque nec angelus de via cederet, nec vates verberandi finem faceret, tandem procumbens, Deo sic volente, humana voce Balamum incusat, quod numquam antehac læsus sæviret in se, non intelligens Deum prohibere quo minus, quibus cuperet, obsequatur. Hoc prodigioso asinæ sermone dum ille turbaretur, apparuit ei angelus, objurgans verberatorem, quod jumentum non esset in culpa, sed ipse obstaret iter contra Dei voluntatem facienti. Tum vates territus volebat retro abire: sed Deus jussit eum pergere, quo instituerat, modo nequid aliter agat quam divinitus admoneretur. *Ita Josephus, solito pressius sacris Litteris inhærens, sed nonnulla magis compendiose enarrans. Quod autem ait, Balaamum, viso angelo, voluisse redire, minus accuratum est, cum cuperet semper Balacum adire, spe munerum incitante; et solum peteret, an vellet Angelus, ut rediret. Hac quoque de causa tam hic angelus, quam ante abitum Deus, proprie non* jussit, *sed permissit potius, ut proficisceretur ad Balacum.*

narrans solito rectius,

505 *Pergis hoc modo Josephus:* His mandatis perceptis ad Balacum pervenit: exceptusque a rege honorificentissime, voluit ad quemdam montem deduci, unde Hebræorum castra contemplari posset. Balacus vero ipse cum regio comitatu deducit vatem in montem proxime imminentem, qui a castris stadia sexaginta aberat. Quibus consideratis, jubet regem septem aras extruere, et totidem tauros ac arietes exhibere. Id ubi celeriter jussu regis est factum, mactat victimas, ut victoriam præsagire posset. Deinde sic fatur: Felices vos, quibus Deus largam bonorum præbet copiam, et providentiam suam perpetuam ducem et auxiliatricem annuit. Quoniam nullum est hominum genus, cui non innocentia morum, virtutisque ac probitatis studio sitis anteferendi, liberos præstantiores etiam successores habituri, quandoquidem Deus vos solos hominum complectitur, et ut omnium sub sole felicissimi sitis prospicit. Quamobrem obtinebitis terram, ad quam vos misit, et posteris vestris in perpetuum possidendam relinquetis: et gloria vestri nominis implebitur universa terra simul et mare, adeoque multiplicabitur gens vestra, ut nulla non orbis regio vestri sanguinis homines admixtos sit habitura. Beatus vos exercitus et admiratione dignissimus, ex uno parente in tantum auctus. Nunc vobis parum amplum pro dignitate ac numero domicilium Chananæa continget, sed totum olim terrarum orbem habitationi vestræ destinatum scitote, ut tam in insulis quam in continente sit vobis degendum præ multitudine, ipsis cæli stellis numero æquiparanda. Cumque tam innumeri futuri sitis, nihiloinmus nihil vobis ad summam rerum copiam deesse patietur, in pace et in bello virtutem viris addet. Inimicis nostris in mentem veniat, ut hostes vestri esse, et in vos arma sumere velint. Non enim revertetur e tali prælio victor, qui lætitiam conjugibus ac liberis afferat. Tanta vobis fortitudo divino favore contigit, qui solus potest et quod superest detrahere, et quod deest addere.

quasdam tamen conjecturas incertas adjungit,

506 Talia vates fatidica voce canebat, extra se raptus, et Numine totus correptus, rege indigne ferente, et pacta non servare clamitante, licet magnis muneribus ab amicis conductum: venisse eum ad execrandum hostes, quos nunc mactos virtute ac pietate caneret. Ad quem vates: Putas, inquit, quoties fata sunt aperienda, in nobis situm esse, quid dicamus aut taceamus afflati divino spiritu? Ipse voces, quales vult, profert et oracula, nobis nec scientibus nec cogitantibus. Equidem satis memini, ad quid precibus Madianitarum sim adductus, eaque causa veni ut voluntati tuæ morem gererem. Sed potentior est Deus quam mea voluntas, qui contra Dei voluntatem ad gratiam hominum loqui proposueram. Quamprimum enim nostrum pectus

A ctus subintrat, nihil amplius nostrum ibi remanet. Ego certe nihil in horum laudem dicere in animo habui, nec quæ Deus eorum generi dare decrevit, commemoranda putavi: sed Numen illis propitium, quod gentis felicitati studet ac gloriæ, pro destinatis hæc verba mihi subdidit. Nunc age quando animus est tibi atque Madianitis rem gratam facere, quorum preces me non decet non admittere, alias aras erigamus et sacra instauremus, si forte Deum flectere possim, ut execrationibus hoc genus hominum devovere liceat. Cumque Balacus id fieri permisisset, ac ne iterato quidem sacro potestatem devovendi impetravisset, collapsus in faciem pronus prædicebat, quidquid eventurum esset regibus et civitatibus clarissimis, quarum quædam nondum conditæ videntur: quæ vero extant earum res terra marique gestæ ita prædictionibus responderunt usque ad nostram memoriam, ut facilis sit conjectura, reliquum etiam ejus oraculi non vanum fuisse, eventum aliquando comprobaturum. *Ita auctor Hebræus, qui de prædictionibus Balaami faciliora solum narravit, variaque conjunxit, quæ locis diversis leguntur prædicta: nam bis locum mutavit Balaam, rogante Balaco, ita ut tribus diversis locis fausta Hebræis prædixerit. Illam locorum mutationem siluit Josephus, contentus dicere sacra semel instaurata fuisse. Quod spectat ad responsionem Balaami, se Balaco excusantis, non tota quidem illa habetur in sacris Litteris, at satis verisimilis est, et pessimam harioli intentionem optime explicat. Demum, quod ait, Balaamum prophetasse* collapsum in faciem, *collegit ex verbis Num.* 24 ℣ 4, Qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus. *Verum verba illa non videntur hunc sensum habere, et diversimode explicantur apud interpretes.*

et errores satis apertos.

507 *Redeo ad Josephum, qui hæc subjungit:* Balacus autem ægre ferens expectationem frustratam, sine honore vatem ablegat. Ille domum repetens, cum Euphratem attigisset, accito Balaco et principibus Madianitarum, Balace, inquit, vosque Madianitæ, quandoquidem necesse est ut vel præter Dei voluntatem vobis obsequar, Hebræorum quidem genus numquam est interiturum, nec bello, aut pestilentia fameque, aut alio casu delebitur. Deus enim curam habet ejus gentis a malis servandæ, ne quando talis clades incidat, qua universi de medio tollantur. Interdum tamen quædam vitari non poterunt, quibus ad tempus afflicti, mox magis quam ante florebunt, castigatione tali ad sanitatem revocati. Quapropter si brevem victoriam de illis consequi quæritis, hoc consilio voti compotes efficiam. Filiarum formosissimas, quæ pulchritudine sua mentes eorum expugnare possint, quantum fieri potest, cultas ac ornatas mittite, ut circum castra obversentur, et juvenibus complexus expetentibus faciles se præbeant: ubi vero cupidine captos viderint, subito se proripiant: cumque rogatæ fuerint ut maneant, non annuant nisi persuasis, ut relictis patriis legibus et cultu Dei, a quo illas acceperunt, Madianitarum et Moabitarum deos venerentur. Sic enim Deum iratum sibi reddent. Post hæc monita abiit. *Hactenus Josephus. At parum probabiliter Balaamum ad Euphratem usque deducit, priusquam suggessit perniciosum istud consilium. Minus quoque, aut potius nullo modo verisimile est, Balacum cum principibus Madianitarum venisse ad Euphratem, aut accitum fuisse a Balaamo. Non consideravit scriptor incuriosus veri, quantum inter Moabitidem et Euphratem sit intervallum. Sane inter Jordanem, ubi castra erant Israëlitarum, quæ Balac et Balaam simul lustraverant, et Euphratem plusquam centum horarum spatium collocant tabulæ geographicæ. Itaque videtur Balaam impium consilium, quod modo satis verisimili exponitur, dedisse, antequam abiret; aut, si forte abire cœperat, rediisse ad regem, ut hac sua iniquitate regis munera obtineret.*

Relatio Philonis de Balaamo vocato,

508 *Philo pag.* 498 *eadem historiam sic narrare incipit:* Unus autem e vicinis regibus, Balaces nomine, habens in Oriente magnum populosumque imperium, non ausus armis decernere, domi se continuit: et timens clades, quas bellum afferre solet, ad auguria se vertit atque divinationes, putans se diris execrationibus expugnaturum invictam Hebræorum potentiam. Erat illo tempore vates magnæ celebritatis in Mesopotamia, peritus omnium divinationis generum. Sed maxime augurali scientia sibi autoritatem paraverat, cujus multa sæpe experimenta ediderat magna, et vix credibilia. Nam aliquando imbres futuros prædicebat æstate præfervida, rursum aliis siccitatem æstusque brumali tempore: aliquando ubertatem annonæ, rursum alias famem et penuriam: fluviorum item defectus inundationesque, et procurationes pestilentiæ, aliaque innumera: quæ singula cum præsagire videretur, erat in ore omnium, inclita fama divinitatis ejus indies se spargente latius. Ad hunc rex misit amicos aliquot, rogans ut veniret, multa repræsentans dona, plura pollicens; nec dissimulans cur accerseret hominem. Ille non ingenue constanterque, sed fucata civilitate, quasi Propheta eximius, et nihil absque divino nutu facere solitus, tergiversabatur: negans sibi hoc permitti a Numine. Sic legati reversi sunt infecto negocio.

recusante primum, deinde iter suscipiente,

509 Rex alios mox honoratiores misit cum majore vi pecuniæ, jussos etiam polliceri ampliora quam antea munera. Vates inescatus et præsenti utilitate, et spe futuri commodi, simulque oratorum dignitatem reveritus, persuaderi sibi passus est, rursum fucate causatus de Numine. Itaque postridie parabat se itineri, narrans admonitum se in somnis visione manifesta ut cunctanter legatos sequeretur. *Ad hanc Philonis narrationem nonnulla sunt observanda. Primo dubitandum non videtur, quin variis prædictionibus inclaruerit Balaam, iisque consecutus sit tantam famam, ut ea ad Balacum usque pervenerit. At incertum est, quibus de rebus fuerint illæ prædictiones, ita ut meræ sint conjecturæ, quas nobis obtrudit Philo, aut fortasse figmenta Hebræorum, dum ait, imbres, siccitates, æstus, aliaque ab ipso prædicta. Secundo dum Balaamum describit, ut auguriis et divinationibus addictum, sententiam suam de eo prodit, quam plures alii probabiliter sunt amplexi: at nobis contraria videtur probabilior, ut videri supra potest. Certe minus probare possum, quod ait Balaamum initio venire noluisse fucata quadam tergiversatione, cum clare edicat Scriptura, eum venire recusasse, quia prohibuerat Dominus.*

vexato per asinam,

510 *Gesta in itinere Balaami mox idem auctor subjungit hoc modo:* Cæterum in via prodigium ingens ei se obtulit, omnino adversum ominosumque illius proposito. Jumentum enim, quo vehebatur; primum repente constitit. Deinde quasi ex adverso violenter repulsum, in tergum

AUCTORE J. S.

tergum retro cedebat, nunc ad dextram, nunc ad lævam flectendo errandoque trepide more temulentorum, etiam verberibus contumax, ut pene sessorem excuteret, vexatum vicissim non mediocriter. Erant enim ex utroque viæ latere sepes et maceriæ. In has impingente jumento, dominus atterebat lacerabatque crura et genua. Videlicet obvio spectro jam dudum territabatur animal, cui soli erat illud conspicuum : homini vero non item, quo magis argueretur ejus stupiditas. Tunc enim brutum perspicacius erat, quam is, qui se jactabat videre non mundum solum, verum etiam ipsum mundi Rectorem Conditoremque. Tandem vix agnito resistente angelo, non quod dignus esset eo spectaculo, sed ut indignitatem suam intelligeret, ad supplicationes deprecationesque versus, orabat veniam ignorantiæ, negans sibi fuisse peccandi animum.

iter tamen prosequente,

511 Cumque debuisset reverti evestigio, maluit rogare angelum, num redire domum jubeat. Ille intelligens et indigne ferens simulationem (quid enim opus erat scitari in re tam aperta, quam ipse videbat, nec indigebat verbis fidem
B adstruentibus, nisi forte oculis minus creditur quam auribus) Vade, inquit, quo properas. Sed nihil efficies, me subjiciente verba præter tuam sententiam, et instrumenta vocis vertente, quo fas ac pium est. Nam ego ero tui sermonis rector, per tuam linguam invitam fundens oracula. *Loquelam asinæ omisit Philo, hic Josepho timidior. Verba quoque angeli nonnihil immutavit, ea adaptans sententiæ suæ : nam angelus prohibuit, ne quid loqueretur Balaam, nisi jussus. At non dixit angelus* nihil efficies, *acsi nihil locuturus revera esset, nisi angelo* subjiciente verba : *non enim angelus* per *ejus* linguam invitam *locutus est, dum pessimum Balaco suggessit consilium. Cetera satis recte exposita.*

recepto a Balaco, fausta Israëlitis,

512 *Progrediamur cum Philone :* Interea Balaces, ut audivit vatem esse in proximo, prodiit obviam cum satellitio : deinde post solennem consalutationem mutuam, aliquantum questus est de tarditate, expostulans quod non incunctanter se dedisset in viam : atque ita versi sunt ad epulas regio luxu paratas excipiendis hospitibus, cæteraque hospitalitatis officia pari splendore ornatissima. Postera die diluculo Balaces
C vatem duxit in tumulum sacratum cuidam genio, cujus statuam indigenæ venerabantur divinis honoribus. Inde prospectus erat in partem castrorum Hebraïcorum, quæ ostendebantur mago tanquam e specula. His visis, dixit : Tu rex positis septem aris, in singulis vitulum cæde et arietem : ego interim secedam, ut divinitus discam, quid dicendum sit. Progressus autem foras confestim afflatur Numine, quod omnem ejus artificialem divinationem exterminavit ex anima. Nec enim fas erat sanctum Spiritum cohabitare cum magicis artibus. Post hæc reversus, et videns victimas ardere aris impositas, tanquam alienus interpres sic cecinit : E Mesopotamia me accivit Balaces, ut longum iter emensus execrarer Hebræos. Sed quomodo execrabor, quos Deus non execratur? Possum eos ex alto monte despicere, et vota concipere, sed lædere non possum singularem ac eximium populum, qui non connumeratur cum cæteris gentibus, non tam locis separatus et sedibus, quam ritibus propriis, multum diversis, nec contaminatis ulla externa ceremonia. Quis exacte novit primam horum originem? Corpora quidem ex humanis sunt nata seminibus, ex divinis autem animæ, Deo cognatæ hactenus. Tollatur anima mea ex hac vita D
corporali, ut connumeretur cum justorum animabus, quales sunt horum hominum. *Hæc Philo, insistens sententiæ suæ de magicis Balaami artibus. Recte cetera, quantum apparet. At partem prophetiæ Balaami, ubi Num.* 23 ỳ 10 *de ingenti multitudine Israëlitarum loquitur propheta, ille perperam deflexit ad eorumdem originem ; et de origine animarum male scribit.*

mutatis frustra locis,

513 *Continuo idem scriptor sic progreditur :* His auditis, Balaces ingemuit. Conduxi te, inquit, ut hostes execrareris, nunc non pudet te illis fausta ominari? Quam me fefellit opinio, qui amicum putans, opposui te hostibus. Jam satis apparet, quo sis animo. Hoc est nimirum, cur tam cunctanter venisti, benevolentiam, qua istos prosequeris, et odium mei dissimulans. Licet enim ex manifestis de incertis conjecturam facere. Tum magus jam a spiritu relictus : Injustam, inquit, sustineo calumniam. Nihil ex me ipso dicere soleo, interpres tantum Dei sum, sicut et antea me protestatum ex legatis novisti. Rex sperans posse vel vatem decipi, vel divinam mutari sententiam, si locum ipse mutaret ; E
illinc petiit alium montem editiorem, unde conspiciebatur magna pars hostilis exercitus : exstructisque denuo septem aris aliis, et mactatis totidem, quot ante, victimis, misit vatem ad captanda meliora auspicia. Ille in secessu correptus Numine, et extra se raptus ut suamet ipse verba non intelligeret, ore suo sententiam alienam pronunciavit hoc vaticinio. Surge rex, et audi attentis auribus. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur, nec quasi filius hominis, ut mutetur. Dixit et faciet, locutus est et rata erunt verba ejus, quandoquidem ipsa verba sunt ejus opera. Ad bene precandum adductus sum ego, non ad execrationem.

et irascente Balaco,

514 Non erit labor in Hebræis nec lassitudo. Deus eos manifeste ceu clipeo protegit. Is etiam Ægyptiacas calamitates ab eis depulit, et tam multa millia tamquam unum hominem eripuit. Ideo populus Israëliticus nihil moratur auguria cæteraque divinationis genera omnia, fretus uno totius mundi Principe. Video populum insurgentem ut leonis catulum, superbum leonina ferocia. Satiabitur præda, et bibet occisorum a se sanguinem. Ac ne tum quidem in cubile se conferet, sed pervigil victoriale carmen concinet. F
Tum Balaces præ dolore ob spem divinatione frustratam exclamat : Desine homo et execrari et fausta ominari. Præstat silere quam injucunda dicere. *Ita ille, totam prophetiam satis apposite explicans. In uno tamen versiculo, ubi in Vulgata habetur Num.* 23 ỳ 21 : Non est idolum in Jacob, nec videtur simulachrum in Israël, *ille secutus Septuaginta, posuit Græce :* Οὐκ ἔσται πόνος ἢ μόχθος ἐν Ἑβραίοις, *idque Latinus interpres vertit :* Non erit labor in Hebræis nec lassitudo. *Alias verba Græca reddi possunt :* Non erit dolor in Hebræis nec labor. *Voces Hebraïcæ utrumque sensum recipiunt ; sed sensus Vulgatæ præfertur a pluribus, verbaque Græca sic exponi possunt metonymice, quia laborem et dolorem cultoribus suis creant idola.*

tribus vicibus vaticinante,

515 *Subjicit Philo :* Moxque mutata sententia, duxit vatem in locum alium, unde ostendens ei partem copiarum Hebraïcarum, hortabatur ut diras execrationes contra eas depromeret. Magus rege nihilo melior, quamvis contra incusationem objectumque prævaricationis crimen vere præfatus, se nihil de suo proloqui, tantum

A tum interpretem esse Numinis, quo incalescebat: cum debuisset domum reverti, cupide comitatus est, tum propter insignem arrogantiam, tum propter odio suppuratum animum, quippe qui male volebat populo, cui tamen non sinebatur male precari. Cumque venisset in montem celsiorem prioribus, longo ascensu arduum, jubet instaurari eadem sacrificia, rursum aris septem positis, et superimpositis quatuordecim victimis, binis ut antea, vitulo ac ariete. Ipse vero non abiit more solito ad captanda auguria. Damnata hac divinatione et quasi obliterata, ut nihil certi posset ex ea percipi: et alioquin etiam vix tandem senserat repugnare Dei voluntati regis propositum: sed versus ad solitudinem, considerabat singulas tribus Hebræorum et castrorum ordinem populosæ civitati similiorem quam militari multitudini. Moxque afflatus in hæc verba erupit: Hæc dicit homo vere videns, cui Deus in somnis manifeste visus est insopito animæ oculo: Quam pulchra tabernacula vestra, Hebræi; tentoria vestra ut valles opacæ nemoribus, ut horti secundum flumen irrigui, ut cedrus prope aquas. B Egredietur olim homo ex vobis, et imperitabit multis gentibus, cujus regnum indies crescens magis ac magis exaltabitur: Populus hic, ex quo Ægyptum reliquit, per totum iter a Deo deductus est uno agmine. Propterea devorabit multas gentes hostiles, et pinguitudinem earum exsuget medullitus, configetque sagittis adversarios. Dormiet cubans ut leo vel leonis catulus securus, neminem ipse timens, et alios territans insuper. Infelix quisquis eum excitaverit. Qui tibi bene precatus fuerit, ipse quoque faustus erit: execrabilis vero quisquis te diris devoverit. *Hactenus Philo, semper inhærens sententiæ de magia Balaami. In prophetia vero paucula sunt omissa, uti et tota pars postrema, quæ reliquis magis est obscura. Pro vocibus autem Vulgatæ,* Cujus obturatus est oculus, *posuit,* Vere videns, *ut fere habent Septuaginta.*

ac demum pessimo consilio Balacum

516 *Deinde idem scriptor rursum ita pergit:* Rex majore quam ante indignatione percitus, ait: Ut hostes meos devoveres vocatus, jam tertio bene illis precatus es? Fuge quantocyus, ne indignatione furens aliquid sævius in te consulam. C Quantum auri, quantum gloriæ tibi invidisti, homo insane ac perdite. Redibis domum vacuis manibus, ipse plenus opprobriis, irrisus illususque cum ista tua, quam tantopere jactas, scientia. Respondit ille: Quæ hactenus audisti, omnia sunt divina oracula: quæ vero jam dicam, meæ conjectationes sunt. Tum dextera prehensum seduxit a cæteris, et solus soli dedit consilium, quibus rationibus sibi cavere posset ab infesto exercitu. Quo facto inussit sibi ipse notam impietatis turpissimam. Dixerit enim aliquis, cur privatim das consilium oraculis contrarium, nisi putas id potentius et efficacius. Age vero examinemus ista præclara consilia, qualibus artibus utatur ad interrumpendas perpetuas victorias fortissimi populi. Sciebat Hebræos per solum legum contemptum expugnabiles, tentatos malo impotenti libidinis: ideo voluptate inescatos conatus est ad gravissimum scelus impietatis pertrahere. Sunt, inquit, in tuo regno mulieres formosissimæ, nec alia re vir facilius capitur quam mulieris eximia specie. Harum pulcherrimas si permiseris ob quæstum vulgare sua corpora, hoc hamo capietur juventus hostium.

517 Sed præmonendæ sunt, ne statim faciant sui copiam rogantibus: nam hæc fucata tergiversatio magis incitabit et accendet cupidinem. Atque ita obtorto collo pertracti a suismet concupiscentiis, nihil non vel patientur vel facient. Sic affectum amatorem ubi viderit captatrix fœmina, superbe loquatur: Non est fas habere te mecum voluptatis consuetudinem, nisi abjurato ritu patrio, colas eadem mecum numina. Nec ante credam te mutatum, quam videam non abhorrere a nostris sacris et libationibus, quæ in delubris peragimus. Tum ille miser captus his cassibus, conditionem accipiet, et repulsa ratione monitrice, imperata faciet addictus in servitutem cupidini. Hoc fuit consilium. Id quoniam videbatur non inani conjectura subnixum, antiquata lege de stupris et adulteriis, data est fœminis licentia concubitus cum viris quibuslibet. *Hisce Philonis dictis admixtæ sunt conjecturæ, sed probabiles. Unum minus apparet probabile, quod dicat hac de causa abrogatam legem* de stupris et adulteriis, *cum abrogatio legis non esset necessaria ad propositum, sed ad pessimum istud consilium sequendum satis esset, impunitatem et præmia ad tempus promittere.*

auctore J. S. instruente, quod hic cupide sequitur: in singulis nonnihil erroris correctum.

E

§ XLVI. Lapsus Israëlitarum in Idololatriam, pœnaque secuta: census populi: mors propinqua Moysi indicata, et Josue successor designatus: leges quædam conditæ: Madianitæ victi et excisi.

Fornicatio et idololatria Israëlitarum,

Quantam perniciem Israëlitis attulerit perversum Balaami consilium, quod avide secuti sunt Moabitæ et Madianitæ, docent sacræ Litteræ locis variis. Moyses *Num.* 25 ℣ 1 *impietatem populi sui sic narrat:* Morabatur autem eo tempore Israël in Settim, *(id est, in eadem mansione, quæ alias vocatur* Campestria Moab, *ubi erat* Settim, *vel* Abelsatim) et fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos F ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum. Initiatusque est Israël Beelphegor. *Idolum erat Moabitarum, de quo varie disputant interpretes. Josue* 22 ℣ 17 *de eo crimine sic habetur:* An parum vobis est, quod peccastis in Beelphegor, et usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? multique de populo corruerunt. *Psal.* 105 ℣ 28: Et initiati sunt Beelphegor: et comederunt sacrificia mortuorum *(seu mortuis idolis oblata). At sequitur mox pœna:* Et irritaverunt eum in adinventionibus suis: et multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees, et placavit: et cessavit quassatio. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem et generationem usque in sempiternum. *Factum Phineis mox latius explicabitur. Interim quanta inde orta sit populi ruina, aliis etiam locis dicitur. Deut.* 4 ℣ 3 *populo* Moyses *ita loquitur:* Oculi vestri viderunt omnia, quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri. I *Cor.* 10 ℣ 8 *Apostolus immensam hanc populi ruinam memorat, Christianos a fornicatione deterrens hisverbis:* Neque fornicemur, sicut quidam

AUCTORE J. S.

dam ex ipsis *(Israëlitis)* fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia.

severe punita exemplum dante Phinee,

519 *Rem totam latius explicare pergit* Moyses *Num.* 25 ỳ 3 : Et iratus Dominus, ait ad Moysen : Tolle cunctos principes populi, et suspende eos contra solem in patibulis : ut avertatur furor meus ab Israël. Dixitque Moyses ad judices Israël : Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. *Verum hæc jussa non videntur statim fuisse exsecutioni mandata, forte quod nemo auderet incipere ob nimiam noxiorum multitudinem, donec Phinees alios suo animaverit exemplo. Audi* Moysen ỳ 6 *prosequentem :* Et ecce unus de filiis Israël intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, et omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari, filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, et arrepto pugione, ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, et perfodit ambos simul, virum scilicet et mulierem, in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israël : et occisi sunt viginti quatuor millia hominum.
B
Nonnulla hic sunt ambigua. Primo dubitatur, an hæ voces, Suspende eos, *referendæ sint ad* principes, *ita ut hi fuerint suspendendi, sicut verba primo intuitu innuunt. Verum aliqui sic verterunt textum Hebraïcum, ut* Moyses *jubeatur principes sibi in subsidium advocare, et per eos suspendere noxios. Eo etiam sensu utcumque Latina verba intelligi possunt ;* Tolle (*seu convoca*) cunctos principes populi, et suspende eos, (*id est, noxios.*) *Huic expositioni favent sequentia, cum* Moyses *convocatis judicibus mox dederit mandata de noxiis occidendis. Secundo dubitatur, an noxii fuerint suspendio necati, an vero solum suspensa sint occisorum corpora : nec occurrit ulla ratio, quæ alterutram sententiam reddat certam. Tertio Apostolus supra dicit,* Ceciderunt una die viginti tria millia. *Hic vero* occisi sunt viginti quatuor millia. *Verum Apostolus ponit occisos* una die : *at* Moyses *enumerat omnes.*

cujus fortitudo a Domino remunerata.

520 *Deinde* ỳ 10 *sanctus Legislator subdit sequentia :* Dixitque Dominus ad Moysen : Phinees, filius Eleazari, filii Aaronis sacerdotis avertit iram meam a filiis Israël : quia zelo meo commotus est contra eos ut non ipse delerem filios Israël in zelo meo. Idcirco loquere ad eum : Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit tam ipsi quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, et expiavit scelus filiorum Israël. Erat autem nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione et tribu Simeonis. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : Hostes vos sentiant Madianitæ, et percutite eos : quia et ipsi hostiliter egerunt contra vos, et decepere insidiis per idolum Phogor, et Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor. *Hoc mandatum postea renovatum videbimus et impletum, at aliæ quadam fuere interposita, quæ et nos prius narrabimus.*
C

Novus populi census,

521 Moyses *Num.* 26 *de novo populi censu agit cumque a Deo præceptum fuisse affirmat his verbis :* Postquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen et Eleazarum filium Aaron sacerdotem : Numerate omnem summam filiorum Israël a viginti annis et supra, per domos et cognationes suas, cunctos, qui possunt ad bella procedere. D
Locuti sunt itaque Moyses et Eleazar sacerdos in Campestribus Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos, qui erant a viginti annis et supra, sicut Dominus imperaverat. *Deinde recensetur numerus singularum tribuum, qui non multum differt a numero, quo fuerant apud montem Sinai, excepta tribu Simeon, quæ a quinquaginta novem millibus trecentis decreverat usque ad viginti duo millia ducentos, ita ut verisimile sit, hanc tribum maxime obnoxiam fuisse peccatis fornicationis et idololatriæ, recenter tot millium morte punitis, præsertim cum et dux Zambri, quem occidit Phinees, ex eadem esset tribu. Numerus autem omnium pugnatorum duodecim tribuum par fere erat numero ante invento apud montem Sinai, atque ita exprimitur* ỳ 51 : Ista est summa filiorum Israël, qui recensiti sunt, sexcenta millia et mille septingenti triginta. *Et mox additur hoc præceptum :* Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum in possessiones suas. Pluribus majorem partem dabis, et paucioribus minorem : singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio *etc.* E
Levitæ quoque seorsum recensiti sunt : Fueruntque omnes, qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense et supra.

dum mortui erant omnes ante recensiti, exceptis Josue et Calebo.

522 *Demum relato censu, hæc additur observatio :* Hic est numerus filiorum Israël, qui descripti sunt a Moyse et Eleazaro sacerdote, in Campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho, inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moyse et Aaron in deserto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb filius Jephone, et Josue filius Nun. *Hæc verba clara sunt pro morte omnium, qui enumerati erant, duobus exceptis. At non tangunt Levitas, qui non erant recensiti cum ceteris, nec a viginti annis. Attamen ne ex hisce quidem videntur superfuisse multi, qui tunc fuerant viginti annorum aut majores, quia numerus Levitarum non erat multum auctus. Levitas quoque non involvunt verba Ecclesiastici cap.* 46 ỳ 9, *ubi dicit de Josue :* Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, et Caleb filius Jephone, stare contra hostem, et perfringere murmur malitiæ. F
Et ipsi duo constituti, a periculo liberati sunt a numero sexcentorum millium peditum. *Inter sexcenta millia non numerantur Levitæ, et interpretes passim observant, illos generaliter non fuisse involutos communi condemnationi. Sane dubitandum non videtur, quin Eleazarus sacerdos saltem viginti annos attigisset, quando facta est enumeratio populi apud montem Sinai. Quin imo Calmetus in cap.* 14 *videtur et alios quosdam ex enumeratis excipere velle. At non video, quomodo hæc verba,* Nullusque remansit ex eis *etc. cum tali opinione possint consistere.*

Filiabus Salphaad adjudicata hereditas paterna :

523 *Dum in eodem loco erant castra Israëlitarum, filia Salphaad in deserto mortui sine ullo filio, cum viderent se nullam in Terra promissa accepturas possessionem, quia carebant fratre, qui alias ut caput familliæ partem accipere debuisset, supplices accesserunt ad* Moysen, *Eleasarum, et principes populi, et expositaque causa et rationibus suis, dixerunt Num.* 27 ỳ 3 : Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini. Qui dixit ad eum : Justam rem postulant filiæ Salphaad : da eis possessionem inter cognatos

A tos patris sui, et ei in hereditatem succedant. *Additur lex de successione filiarum in hereditatem, si filii non fuerint superstites, pluresque aliæ de hereditatibus. Verum lex de successione filiarum postea ingessit timorem, ne ea occasione possessiones alicujus tribus minuerentur; et ad aliam tribum transirent, si filiæ paternarum possessionum heredes nuberent viro alterius tribus. Hac de causa Num.* 36 ℣ 6, hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: Nubant, quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus. *Lex eadem quoque ad alias mulieres, et ad viros extensa ibidem. Ostendunt hæc, quam exacte in dubiis omnibus* Moyses *consuluerit Dominum.*

Moyses de instante morte sua et de successore monitus,

524 *Eodem fere tempore monitus est* Moyses *de morte sua instante, et de successore sibi deligendo, ut refertur Num.* 27 ℣ 12 *his verbis:* Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ascende in montem istum Abarim, et contemplare inde Terram, quam daturus sum filiis Israël: cumque videris eam, ibis et tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron: quia offendistis me in de-

B serto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas: hæ sunt Aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. Cui respondit Moyses: Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, et possit exire et intrare ante eos, et educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Josue filium Nun, virum in quo est spiritus, et pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote et omni multitudine: et dabis ei præcepta cunctis videntibus, et partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israël. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur et ingredietur ipse, et omnes filii Israël cum eo, et cetera multitudo. Fecit Moyses, ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, et omni frequentia populi. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit, quæ mandaverat Dominus. *Hæc ibi.*

postquam frustra rogaverat ut sibi liceret Terram promissam ingredi,

C 525 *De iisdem quoque agitur in Deuteronomio, ex eoque habemus, petiisse* Moysen, *ut sibi liceret ingredi Terram promissam, sed frustra. Petitio hæc verisimiliter præcessit mandatum de ascendendo monte Abarim, ita ut videatur Dominus mandato illo respondisse ad preces Prophetæ, nec voluerit, ut mox in montem ascenderet, sed die postea designando. Deut* 4 ℣ 23 Moyses *petitionem suam et Domini responsum populo Israëlitico sic exponit:* Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens: Domine Deus, tu cœpisti ostendere Servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: neque enim est alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua, et comparari fortitudini tuæ. Transibo igitur, et videbo Terram hanc optimam trans Jordanem, et montem istum egregium, et Libanum. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasgæ, et oculos tuos circumfer ad occidentem, et ad Aquilonem, Austrumque et Orientem, et aspice: nec enim transibis Jordanem istum. *Deut.* 4 ℣ 21 *de repulsa hac iterum ita loquitur:* Iratusque est Dominus contra me propter sermones vestros (*nimirum quod hi occasionem dederint diffidentiæ peccato apud Aquas Contradictionis*) et juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer Terram optimam, quam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, et possidebitis Terram egregiam.

populum de morte sua instante monet, et Josue successorem creat.

526 *Deut.* I ℣ 37 *rursum hæc populo dicit Legislator:* Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc: sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te. Hunc exhortare et robora, et ipse sorte Terram dividet Israëli. *Deut.* 3 ℣ 28, *relata repulsa sua; et prædictione Domini de instante morte, de Josue hæc subdit Domini verba:* Præcipe Josue, et corrobora cum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, et dividet eis Terram, quam visurus es. *Ex hisce clare colligitur, omnia peracta esse hoc ordine.* Moyses *cum videret subjectum esse utrumque Amorrhæorum regnum, illudque sciret ab Israëlitis possidendum, sperare cœpit Dominum sibi permissurum, ut ulterius ad occupationem Terræ promissæ procedere. Rogat igitur, ut sibi liceat in hunc finem* E *cum populo Jordanem transmittere. At Dominus, qui partem* Moysi *concesserat, reliquum vero Josue reservabat, respondit* Moysi, *cogitandum non esse de transitu Jordanis, sed mortem ipsius esse propinquam, quam obiret in monte* Abarim, *alias* Nebo, *et quidem in vertice montis* Phasga *dicto, ubi ante mortem Terram promissam intueri posset.* Moyses *voluntati divinæ humiliter se submittens, rogat de successore suo. Dominus vero ei successorem designat Josue, eumque inaugurari jubet per* Moysen *manuum impositione, et modo num.* 524 *relato. Voluit quoque Dominus, ut* Moyses *præcepta ei ad munus suum recte obeundum daret coram omni populo. Horum partem seu breve compendium perstringit Legislator Deut.* 3 ℣ 11 *his verbis:* Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt, quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis. *De manuum impositione Deut.* 34 ℣ 9 *hæc dicuntur:* Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. F

Moyses pergens populum regere usque ad mortem, jubente Domino,

527 *Quamvis Josue hisce cæremoniis designatus esset successor* Moysis, *pergebat tamen sanctus Legislator regere populum usque ad mortem. Crediderim hoc tempus totum fere impensum fuisse adhortando populo et legibus conscribendis, ita ut posteriora capita libri Numerorum et Deuteronomium eo tempore scripta fuerint, et pleraque ad concionem dicta. Num.* 28, 29 *et* 30 *variæ recensentur leges cæremoniales a Deo per* Moysen *populo datæ. Verum cap.* 31 *narratur expeditio contra Madianitas suscepta, quam Dominus mandavit, ne scelus illius populi maneret impunitum. Moabitæ ad idem crimen concurrerant, nec tamen illos puniri hoc tempore jussit Dominus. At nostrum non est hujus differentiæ rationes investigare, cum res fuerit peracta mandato Domini, qui aliorum crimina juste punit, aliorum vero sontium supplicia non minori justitia sibi in aliud tempus clementer reservat. Jam ante Num.* 25 ℣ 16 *mandaverat Dominus, ut Israëlitæ punirent Madianitas, sed tempus non expresserat; nisi quis credere malit, nec sane improbabiliter, mandatum hoc solum tempore datum fuisse, et ibi*

breviter

AUCTORE J. S.

breviter relatum esse a Moyse, *quia cum relato ibi crimine Madianitarum erat connexum. Quidquid sit verius,* Moyses *Num.* 31 *aut idem, aut iteratum præceptum sic exponit :* Locutusque est *Dominus ad Moysen, dicens :* Ulciscere prius filios Israël de Mandianitis, et sic colligeris ad populum tuum.

bellum decernit contra Madianitas, qui usque ad internecionem cæduntur,

528 Statimque Moyses, Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israël, qui mittantur ad bellum. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam : quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, et tubas ad clangendum tradidit ei. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, et reges eorum, Evi, et Recem, et Sur, et Hur, et Rebe, quinque principes gentis : Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Ceperuntque mulieres eorum, et parvulos, omniaque pecora, et cunctam supellectilem : quid-
B quid habere potuerant, depopulati sunt : tam urbes quam viculos et castella flamma consumpsit. Et tulerunt prædam, et universa, quæ ceperant tam ex hominibus quam ex jumentis, et adduxerunt ad Moysen et Eleazarum sacerdotem, et ad omnem multitudinem filiorum Israël. Reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in Campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho. *Hic nonnihil sistendum.*

nec tamen tota gens Madianitarum deleta :

529 *Primo volunt aliqui Josue fuisse hujus expeditionis ducem : at illius nulla fit mentio. Solus nominatur Phinees; nec alium fuisse hujus agminis ducem, existimans alii. Secundo aliqui ita loquuntur de hac victoria, acsi tota gens Madianitarum fuisset excisa : verum id mihi verisimile non est, cum Madianitæ deinde evaserint potentissimi, et Israëlitas in servitutem redegerint Judic. 6. Nullus quoque Scripturæ locus indicat, jussisse Deum totius gentis excidium, aut totam gentem per Israëlitas deletam. Num.* 25 ℣ 17 *solum dicitur,* Hostes vos sentiant Madianitæ et percutite eos; *et Num.* 31 ℣ 1, Ulciscere prius filios Israël de Madianitis. *Itaque* omnes *quidem* mares, *quos potuerunt at-*
C *tingere*, occiderunt, et reges eorum, *scilicet* quinque principes gentis, *quorum ditio erat vicinior castris Israëlitarum. In ditione quoque horum principum urbes, viculos, castella combusserunt, omniaque pecora et alia spolia abstulerunt. At verisimile non est, Israëlitas usque ad extremos Madianitarum limites processisse, cum hi usque ad mare Rubrum se extenderent; sed longe probabilius est, ne quidem culpabiles fuisse, aut cum Moabitis conspirasse, remotiores Madianitas. Quapropter necesse non est inquirere, quid factum sit de Jethro* Moysis *socero, si vivebat eo tempore, aut de posteris ipsius, cum tempestas hæc nequaquam videatur eo usque deseviisse. Hac tamen de causa non existimo duas fuisse gentes Madianitarum distinctas, alteram ad Orientem maris Mortui, alteram prope mare Rubrum, uti voluerunt aliqui sine ullo sacræ Scripturæ testimonio ; at magis credo, Madianitas se per totum illum tractum extendisse sub diversis regulis aut principibus. Tertio quæri potest, quo modo Balaam occisus sit in Madianitide, cum antea legatur domum rediisse, quæ longe aberat a ditione Madianitarum ? Verisimile est, a principe quodam Madianita revocatum deinde fuisse, nisi abiens se rediturum ultro promiserit.* D

captivi omnes occisi, etiam mulieres præter virgines,

530 *Hisce observatis, videamus quo modo* Moyses *victores exceperit reduces.* Egressi sunt autem, *inquit* ℣ 13, Moyses et Eleazar sacerdos, et omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, et centurionibus, qui venerant de bello, ait : Cur feminas reservastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, et prævaricari vos fecerant in Domino super peccato Phogor, unde et percussus est populus? Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini, etiam in parvulis : et mulieres, quæ noverunt viros in coitu, jugulate : puellas autem et omnes feminas virgines reservate vobis : et manete extra castra septem diebus *(ob immunditiam legalem)* Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio et septimo. Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, et aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, et pilis, et ligno, expiabitur. Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnaverant, E
sic locutus est : Hoc est præceptum legis, quod mandavit Dominus Moysi : Aurum, et argentum, et æs, et ferrum, et plumbum, et stannum, et omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur : quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur : et lavabitis vestimenta vestra die septimo, et purificati postea castra intrabitis. *Hæc omnia ostendunt exactam legis observantiam.*

prædæ ingenti divisio :

531 Dixit quoque Dominus ad Moysen : Tollite summam eorum, quæ capta sunt, ab homine usque ad pecus, tu et Eleazar sacerdos et principes vulgi : dividesque ex æquo prædam inter eos, qui pugnaverunt egressique sunt ad bellum, et inter omnem reliquam multitudinem : et separabis partem Domino ab his, qui pugnaverunt et fuerunt in bello, unam animam de quingentis tam ex hominibus quam ex bobus et asinis et ovibus, et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt. Ex media quoque parte filiorum Israël accipies quinquagesimum caput hominum, et boum, et asinorum, et ovium, cunctorum animantium, et dabis ea F
Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini. Feceruntque Moyses et Eleazar, sicut præceperat Dominus. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia, boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia et mille : animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia. Dataque est media pars his, qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ : e quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta et duo : de asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus : de animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta tuæ animæ. Traditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum, ex media parte filiorum Israël, quam separaverat his, qui in prælio fuerant. De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis, et de bobus triginta sex millibus, et de asinis triginta millibus quingentis, et de hominibus sedecim

A decim millibus, tulit Moyses quinquagesimum caput, et dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini sicut præceperat Dominus.

nullus Israëlitarum casus.

532 Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, et tribuni centurionesque, dixerunt : Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra : et ne unus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli, quod in præda auri potuimus invenire, periscelides et armillas, annulos et dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum. Susceperuntque Moyses et Eleazar sacerdos, omne aurum in diversis speciebus, pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos, a tribunis et centurionibus. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israël coram Domino. *Posteriora hæc difficultatem non habent, sed egregie declarant tam religionem Israëlitarum eo tempore vigentem, quam singularem Dei protectionem.*

B

§ XLVII. Josephi et Philonis relationes de lapsu Israëlitarum et bello contra Madianitas dantur et discutiuntur.

Josephus illecebras Madianitidum,

Josephus, relato pessimo Balaami consilio, fraudem Madianitidum, qua ad peccatum pertracti sunt Israëlitæ, ita subnectit : Madianitis autem ita ut moniti fuerant filias mittentibus, Hebræorum juvenes pulchritudine puellarum capiuntur : et in colloquium venientes, rogant ne sibi voluptatem ex earum pulchritudine capere invideant, neve consuetudinem eorum aversentur. Illæ libenter et verba juvenum et complexus admittunt : jamque blanditiis illectos, et cupidine ferventes relinquere parant. Tum illi tristes mulierum discessu, precibus instant, ne se relinquant; sed futuræ conjuges et omnium facultatum dominæ apud illos maneant. Hæc promissa jurejurando confirmabant, Deum te-
C stem invocando, et lachrymas fundendo, quo magis eas ad miserationem flecterent. Tum illæ, postquam omnino captos et consuetudine sua devinctos animadverterunt, sic respondent : Optimi juvenes, non desunt nobis domi nec amplæ facultates, nec parentum ac domesticorum affectus : neque inopia talium rerum huc ad vos venimus, aut formam corporis nundinaturæ preces vestras admisimus : sed persuasæ viros esse bonos hac hospitali gratia non dedignatæ, qua vos opus habere videbamus, faciles nos vobis præbuimus. Nunc quandoquidem amare vos et abitionem nostram moleste ferre asseveratis; ne has quidem preces aversabimur. Quare si benevolentiæ conjugalis fidem dederitis, quæ sola nobis satisfacere potest, libenter vobiscum ut legitimæ nuptæ victuræ sumus. Veremur enim ne libidine exsatiata, cum injuria et contumelia nos retro ad parentes nostros ablegetis : cui nostræ solicitudini veniam vos dare æquum postulamus.

et fornicationem et idololatriam Israëlitarum

534 Illis vero quolibet modo fidem daturos se pollicentibus, et nihil præ amore nimio recusantibus : Quandoquidem, inquiunt, ita vobis videtur, et mores habetis ab omnibus aliis diversissimos, ut cibis etiam propriis vestro more utamini, nec potum cum aliis communem sustineatis, necesse est, si vultis nobiscum vitam degere, deos nostros colatis; neque enim alio argumento persuadebitis amorem istum vos non fingere, nisi eosdem nobiscum deos adoretis. Nec absurdum fuerit aut vitio vertendum, si terræ, in quam venistis, peculiares deos colere malitis : præsertim cum nostri per omnes regiones honorentur, vestrum nemo præter vos cultu dignetur aut ceremoniis. Aut igitur cæterorum more vobis est vivendum, aut alius orbis quærendus, ubi soli juxta vestra instituta vitam agatis. At illi cupidine cæci, dicta earum comprobant, et quo trahebantur sequentes, a religione patrum desciscunt : et plures deos credere inducti, sacra illis ejus gentis ritu faciunt : cibis quoque indifferenter utebantur, et in mulierum gratiam nihil non contra legem faciebant : ut jam tota castra juvenum impietas invaderet, et seditio priore pejor glisceret, et avita religio in extremum periculum deduceretur. Juventus enim, gustatis semel peregrinis moribus, inexplebiliter in eos ferebatur : et si qui nobilitate a E
majoribus accepta præcellebant, una cum reliqua turba corrumpebantur. *Ita Josephus, relata de hisce breviter in sacra Scriptura multum suis amplificans conjecturis : nam modus, quo Madianitides ad suam libidinem peraxisse Israëlitas referuntur, mera est conjectura; quodque additur de nuptiis parum est probabile, cum Scriptura fornicationis meminerit et idololatriæ, at nullibi nuptiarum.*

variis conjecturis,

535 *Hac de causa nuptias Zambri cam Chosbi Madianitide etiam improbabiles existimo, præsertim cum* Moyses *illam mulierem vocet* scortum : *nec probabiliorem esse Zambri altercationem cum* Moyse, *patebit perlegenti factum Num.* 25. *Verba tamen Josephi de illis subjungo :* Zambrias etiam Simeonidis tribus princeps, ducta Chosbi Madianitide, Uri filia gentis ejus dynastæ, jussus ab uxore, et contemptis in ejus gratiam Moysis placitis, alieno ritu sacrificabat, et alienigena conjuge non dissimulanter se oblectabat. In hoc rerum statu Moyses veritus ne gravius aliquid sequeretur, advocata concione, neminem quidem nominatim accusavit, nolens F
in desperationem adducere eos, qui tantisper, dum latere se putant, ad sanitatem reduci poterant : sed dicebat rem indignam, nec ipsis nec majoribus eorum decoram, quod voluptatem pluris, quam Deum et religionem facerent. Expedire illis, ut dum tempus est resipiscant, et non legum contemptu, sed compescendis pravis cupiditatibus fortes viros declarent. Absurdum præterea dicebat, quod cum in deserto modeste vixissent, nunc in bona regione ita baccharentur : et quæ per inopiam quæsiverant, nunc per affluentiam perditum irent. Talibus dictis conabatur juventutem corrigere, et ad saniorem mentem reducere.

partim improbabilibus,

536 Tum Zambrias insurgens : Tu, inquit, Moyses, tuis legibus utere, quibus jam longo usu robur addidisti : quod ni fecisses, sæpe jam pœnas dedisses, et tuo malo non esse Hebræis imponendum didicisses. Me certe numquam ad tua tyrannica jussa obstrictum habebis, neque enim aliud hactenus, quam sub Legis ac religionis prætextu nobis servitutem, tibi principatum, malitiosis artibus adstruis, voluptatem nobis ac vitæ licentiam adimens, quæ liberorum sunt, et sub nullius imperio degentium. Hoc enim vel Ægyptiaca

AUCTORE J. S.

Ægyptiaca servitute fuerit gravius, in quemvis tuis legibus pro tuo libitu animadvertere, cum ipse multo dignior sis, qui puniaris, quandoquidem abrogatis, quæ omnium consensus approbat, plus tua quam cæterorum mortalium placita valere postulas. Ego quæ nunc facio, quia bene facta judico, ne fateri quidem in hoc cœtu gravabor, mulierculam alienigenam me duxisse. Audis a me ipso mea facta, ut ab ingenuo. Neque enim latere cupio. Sacra etiam diis facio præter consuetum, quia id æquum censeo, ex multis mihi veritatem quærere, et non sicut sub tyrannide vivere, de unius tantum fiducia pendentem. Nemo mihi rem gratam fecerit, qui in rebus meis meipso plus arbitrii habere voluerit.

amplificat,

537 Hæc Zambria pre se et quibusdam sui similibus afferente, populus quietus expectabat, quonam audacia hæc esset evasura, maxime quod videret Legislatorem amplius nolle contendere, ne hominem insolentem irritatiorem redderet. Verebatur enim ne plures talis in loquendo impudentiæ imitatores facti, turbas in populo excitarent. Atque ita tum concio dissolvitur. Ac
B fortasse ulterius malum hoc serpsisset, ni Zambrias mature sublatus esset talem ob causam. Phinees tum aliis rebus, tum patris dignitate, juventutis facile princeps, Eleazari pontificis filius, et Moysen magnum patruum habens, ægerrime tulit Zambriæ contumaciam: cujus impunitate ne legum contemptus cresceret, vindicare in flagitiosos decrevit, non ignarus quod exempla primatum in utramvis partem plurimum valeant. Cumque tanto esset animi et corporis robore, ut non temere aliquid arduum aggrederetur, quod non etiam perficeret, ad Zambriæ tentorium vadit, et eodem ictu ipsum una cum Chosbi transfigit. Quo exemplo juventus ad pulcherrimam virtutis æmulationem accensa, certatim in ejusdem criminis reos facit impetum, et bonam illorum partem ferro conficiunt, reliquos insecuta pestis sustulit, per iram Numinis inflicta; et ne illis quidem pepercit, qui cum jure cognationis talem suorum petulantiam cohibere deberent, aut dissimulare aut accendere etiam maluerunt: nec prius destitit, quam quatuordecim millia virorum desiderarentur.

C *ut ostenditur:*

538 *Rejectis jam nuptiis, totaque illa oratione Zambri, ut improbabilibus, nonnihil quoque observandum est de ceteris. Primo non videtur crimen Zambri et cædes contigisse in ipsius tabernaculo, cum locus Num.* 25 ℣ 8 *vocetur* lupanar. *Secundo satis probabile est, etiamsi aliqui repugnent, exemplo illo Phineis alios excitatos fuisse ad occidendos noxios, et quidem ferro: nam* Moyses *ipse, relata illa cæde,* ℣ 9 *subdit:* Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum, *nec ait, quo modo fuerint occisi. Et jam antea* ℣ 5 *dixerat* Moyses *judicibus:* Occidat unusquisque proximos suos, qui initiati sunt. *Hoc autem præceptum implere cœpit Phinees, ejusque exemplum imitati sunt alii, quantum appa-ret. Nec refert, quod* ℣ 4 *jubeantur suspendi noxii: nam poterant suspendi post mortem. Deinde vox illa* occisi *denotat potius cædem humana opera factam, quam illatam a solo Deo; ideoque illorum sententia, qui volunt divinitus illatam fuisse mortem, non omnino certa apparet. Dicitur quidem* ℣ 8 Cessavitque plaga, *atque inde illi probabiliter, at non certo colligunt ab ipso Deo punitos fuisse noxios. At* Moyses *per plagam intelligere potuit peccatum ipsum fornicationis et idololatriæ, omnium sane plagarum* D *maximam, quod cæde Zambri aliorumque cessavit. Certe nullibi clare dicitur, Israëlitas ea occasione percussos fuisse plaga aliqua divinitus inflicta, ita ut prorsus incertum sit, quod de peste asserit Josephus, qui et numerum occisorum vehementer minuit, dum* quatuordecim millia *enumerat.*

ab eodem pugna contra Madianitas

539 *Deinde idem auctor recte asserit bellum hanc ob causam Madianitis illatum fuisse, sed omittit Dei mandatum, ut sæpe alias, ita prosecutus.* Hanc ob rem Moyses in Madianitas concitus, ad gentem internecione delendam exercitum misit: de qua expeditione mox narrabimus, postquam, quod omissum ante non oportuit, dixerimus, Balamum illum, qui a Madianitis accitus ad execrandos Hebræos, quo minus hoc facere a Deo est prohibitus, nihilo secius tamen tale hostibus consilium dedit, quo effectum est, ut quibusdam infectis prava opinione, pene totius populi religio sit corrupta: hunc inquam Balamum tanto honore dignatus est Propheta, ut oracula ejus suis literis inseruerit: cumque nihil vetaret, quin ea pro suis ederet, nec ullo teste id factum ejus coargui posset, maluit eum E debita apud posteros memoria non fraudare. Sed hæc quisque ut libuerit, ita consideret. Moyses autem, ut dicere cœperam, in Madianitas misit exercitum duodecim millium, singulis tribubus mille militibus imperatis: eisque copiis Phineem præfecit, cujus opera leges vindicatas, et de Zambria violatore earum pœnas exactas paulo ante memoravimus. Madianitæ vero intellecto hostium adventu, et quod jam non longe abessent, et ipsi copias in unum contrahunt, et qua in regionem suam irrupturos putabant, munito pro tempore aditu, præsto erant, impetus eorum pro viribus propulsaturi.

et victoria non sine erroribus relata.

540 Sed mox primo congressu tanta multitudo Madianitarum est cæsa, ut numerus cadaverum iniri non posset, ne regibus quidem servatis. Hi fuere Ochus, Sures, Robeas, Ubes, et quintus Recemus, a quo deductum nomen primaria urbs Arabum et hodie retinet, Receme dicta, quam Græci Petram vocare malunt. Fusis hostibus, Hebræi regionem sunt populati, prædas abigendo, et incolas una cum mulieribus interimendo, solis parcentes virginibus: hoc F enim Phinees a Moyse mandatum acceperat. Qui reducto incolumi ac illæso exercitu, prædam quoque memorabilem retulit, boum quinquaginta duo millia et insuper sexaginta septem, asinorum sexaginta millia, vasorum aureorum et argenteorum magnum numerum, quibus in domestica suppellectile utebantur. Etenim pro opibus lautiore victu delectabantur. Abductæ sunt etiam virgines circiter triginta duo millia. Moyses autem partitus prædam, quinquagesimam ejus partem Eleazaro dedit et sacerdotibus, et Levitis alterius quinquagesimam, reliquum vero populo distribuit. Quo factum est ut deinde suaviter viverent, opibus virtute quæsitis, otium quoque ad fruendum nacti. Moyses autem jam admodum senex Jesum designavit, qui sibi in prophetæ et ducis (si opus foret) muniis succederet, Deo ita jubente ut hunc principatus successorem faceret. Erat enim totius divini atque humani juris peritissimus, Moyse præceptore doctus. *Hactenus Josephus, recte quidem memorans designationem successoris Josue, sed eamdem perperam postponens relato bello, cum ante illud designatio videatur facta. In ceteris quoque hæc corrigenda. Præda non recte enumerata,* nec

A *nec illius divisio exacte narrata, ut videri potest num.* 531. *Secundo solis parcitum esse virginibus vere quidem affirmat; sed cædem aliarum mulierum et parvulorum non ita referre debuerat, acsi statim in pugna fuissent occisæ mulieres et parvuli. Tertio non plane certum est, urbem Petram fuisse* Recem *dictam ab uno e regibus occisis; nec tamen id falsum affirmare ausim.*

Philonis relatio de fornicatione Israëlitarum

541 *Philo, postquam asseruerat feminis Madianitidis datam esse licentiam peccandi cum Israëlitis, ita procacitatem earum exponit et lapsum Israëlitarum :* Qua impunitate factum est, ut juventutem ad se pertraherent corrupta prius anima, et hujusmodi præstigiis ad impietatem illecta : donec Phinees filius pontificis, indigne ferens perire animas simul cum corporibus, et hæc voluptate, illas impietate corrumpi, ausus est facinus viro bono honestoque convenientissimum. Conspicatus enim quendam suæ gentis hominem post profana sacra ad meretricem ingredi, non furtim, ut mos est verecundis scortatoribus, sed propalam erecta cervice quasi ostentantem impudenter multitudini suam turpitu-B dinem, nec minus sibi placentem quam in aliquo præclaro facinore, admodum exasperatus et ira justa repletus, invasit jacentem in complexu adamatæ meretricis, et utrumque peremit adacto mucrone per genitalia, eo quod operarentur geniture nefariæ.

punita satis probabilis :

542 Quo exemplo animati quotquot æmulabantur pietatem ac continentiam, Mose quoque jubente, imitati sunt autorem ultionis, et omnes simulachris initiatos sine cognationis amicitiæque respectu ad unum deleverunt, atque ita gentem expiaverunt exacto inclementer a noxiis supplicio. Reliqui satis approbaverunt suam pietatem, neminem sontem miserati, ne conjunctissimum quidem sanguine, plus valente apud eos indignatione quam affectu necessitudinum : nec quisquam ex his homicidis pro impuro aut cæde polluto est habitus. Imo visa est hæc res gesta nulli e superioribus cedere, quantum ad veram meritamque laudem fortitudinis attinet. Fertur, uno die cæsa vigintiquatuor millia, moxque sublatum publicum piaculum, quo tota castra contaminata fuerant. Quibus expiatis, Moses dispiciebat de præmio decernendo filio pontificis, qui C primus fortiter ultionem aggressus fuerat. Id cogitanti mature oraculum redditur : pacem a Deo dari Phinei, quod bonum mortalis nemo dare potest : dari et perpetuum sacerdotium, quod hæreditario jure ad posteros quoque ipsius pertineat. *Hæc Philo, non improbabiliter meo judicio exponens cædem viginti quatuor millium idololatrarum. Alii horum mortem aliter contigisse existimant, ut supra observavi num.* 519, *neutram sententiam improbans.*

ut pugnam contra Madianitas scripturus, in errorem labitur ;

543 *Expeditionem Israëlitarum deinde narrat, at in ipso limite labitur, dum asserit susceptam fuisse* contra Balacem *Moabitarum regem, quem Israëlitæ non impugnarunt, solos Madianitas punire jussi.* Ad hunc modum, *inquit,* intestinis malis defuncti, quando etiam de transfugio proditioneque suspecti omnes ceciderant, Israëlitæ arbitrabantur venisse opportunum tempus expeditionis contra Balacem, nihil non conatum ut læderet, nec frustratum suo consilio : quippe qui per vatem devovere delereque copias Hebræorum speraverat : per mulieres vero impudicas ingentem plagam tum libidine corporibus, tum animabus impietate inflixerat. Non fuit tamen universorum expeditio, ne finitimæ gentes excirentur ad arma communi periculo : simulque consultum videbatur manere cæteros in subsidiis, si forte res posceret nova submitti auxilia. Milleni de singulis tribubus selecti sunt. Sic armatis duodecim millibus imperator datur Phinees, spectatæ jam fortitudinis vir : qui sacris rite peractis, ubi litatum vidit, milites hunc in modum pro concione adhortatus est : Non de imperio nunc certamen instat, nec de invadendis occupandisque alienis possessionibus, quæ causa belli vel sola movet alios vel præcipua ; sed pro tuenda pietate ac sanctimonia, quam nostris cognatis amicisque dum hostes eripiunt, paraverunt eis gravissimam perniciem. Absurdum igitur et periniquum fuerit, si parcamus sceleratis hostibus, qui domesticis minus noxiis non pepercimus : si magistros impietatis impune abire sinamus, qui se discipulis pœnas sumpsimus : præsertim cum totius calamitatis culpa penes autores impietatis sit. *Hæc Philo, aut potius ejus interpres Latinus, Philonis mentem non recte assecutus.*

aliosque errores addidit Latinus interpres :

544 *Nam primo totam hanc orationem* Moysi *attribuit Philo, non Phinei, uti satis clarum est ex textu Græco. Franciscus Zinus apud Surium ad* IV *Septembris eumdem textum Græcum Latine expressit hoc modo :* Duodecim igitur fortissi- E morum juvenum millia (tot enim sunt tribus) ex singulis mille delegit, Phineesque, qui jam militaris audaciæ specimen dederat, ducem constituit (*Moyses.*) Hos armis instructos dimittens, sic allocutus est *etc. Hic quoque evitatur alter error interpretis Gelenii, qui verbis illis,* Sacris rite peractis, ubi litatum vidit, *gentilium superstitionem inspiciendi exta* Moysi *non obscure attribuit contra mentem Philonis. Verumtamen Zinus non plene expressit verba Græca Philonis, qui de* Moyse *armatos dimittente sic habet :* ἐπὶ καλοῖς ἱερείοις ἐξέπεμπε τοὺς ὁπλίτας, καὶ ταρσύνων τοιάδε διεξήει. *Mentio sane hic fit de victimis, at non de iis, quas obtulerat* Moyses, *sed quas oblaturi erant milites in prælio, dum occisuri erant Madianitas, tamquam destinatas Deo victimas : nam vox* ἐπὶ, *cum verbo motus adjungitur, frequenter significat* ad, contra, adversus. *Itaque verba Græca recte et plene sic exprimas Latine :* Ad pulchras victimas dimisit F armatos, animansque eos, talia est locutus. *Deinde subditur* Moysis *oratio, aut Philonis potius, cum hic eam composuerit eo modo, quo* Moysi *eo tempore loquendum fuisse credidit.*

pugna ex eodem et victoria nonnihil corrigenda ;

545 *De pugna et victoria Israëlitarum hæc subjungit Philo :* His dictis animati juvenes accensique amplius, tamquam ad certam victoriam afferebant invicta pectora : collatisque signis tantum prævaluerunt robore ac audacia, ut mactatis more pecudum hostibus, ipsi omnes reverterentur incolumes, ne uno quidem e suis vel desiderato vel saucio. Aliquis ignarus facti ex redeuntium specie conjectans dixisset eos reverti a decursione militari, non ex acie referre victoriam. Adeo intacti erant haud secus quam post meditationem armorum ludicram. Devictæ urbes flammis ferroque solo æquatæ sunt, ut nullum superesset habitationis vestigium, acsi numquam ea terra habuisset incolas. Captivorum abductus est infinitus numerus. Ex his in viros et mulieres internecione sævitum est : in alteros, quod ab his petiti fuerant injustis armis et scelestis consiliis : in alteras, quia hæ suis præstigiis juventutem Hebræam seduxerant, cui lasciviæ, impietatis, ac postremo necis causa fuerant : tenera

AUCTORE J. S.

nera ætas, pueri virginesque impetrarunt veniam. *Ad hæc solum observo, servatos non fuisse pueros, sed cum mulieribus occisos jussu* Moysis *post reditum, solasque servatas virgines; viros vero ne quidem abductos captivos, sed in pugna aut statim post pugnam occisos.*

præda ejusque

546 *De præda, ejusque divisione, ac aliis huc spectantibus hæc demum narrat laudatus Philo :* Præda ingens parta fuit, exhaustis non solum opibus regiis, sed etiam privatis possessionibus : non minus enim ex agris avectum est quam ex oppidis. In castra convexerunt totas, quantæ fuerant, hostiles divitias. Moses laudato pro concione Phinee, commilitonumque eo bello spectata fortitudine, parique continentia, qui maluerant prædam commune proponere quam sibi usurpare; ut etiam in castris relicti forent ejus participes, jussit victores extra castra per aliquot dies tendere : pontifici autem mandavit, ut lustraret reversos a recenti cæde hostium. Quamvis enim per leges liceat hostem occcidere, tamen qui necavit hominem, etiamsi coactus et B propulsans injuriam, obnoxius videtur, propter antiquam generis cognationem, oriundi ab uno capite. Hæc tum fuit lustrandi causa, ut ne species quidem sceleris in eos competeret. Aliquanto post prædam divisit, his qui militaverant, multo paucioribus præ cæteris, assignata parte dimidia, reliqua vero his, qui in castris remanserant : æquum enim censebat hos quoque victoriæ fructum capere, qui si non corporibus, animis tamen decertaverant. Nam qui manent in statione parati auxilio, tempore, non alacritate cedunt potioribus.

divisio recte exposita.

547 Itaque cum pauci accepissent plura propter navatam operam, plures pauciora, ut qui intra munitiones se continuerant, visum est necessarium totius prædæ sacrare primitias. Quinquagesimas subsidiarii, quingentesimas propugnatores contulerunt. Hæ pontifici datæ sunt jussu Prophetæ : altera portio cessit æditui, quos Levitas nominant. Tribuni, centuriones, cæterique præfecti ordinum, virtutis ergo acceperunt sua præmia, ornamenta vasaque aurea, quantum cuique in direptione obvenit. Ea pro sua mi- C litumque salute sponte obtulerunt, ut essent donaria : quæ Moses, delectatus virorum pietate, dicavit tabernaculo Dei, monumentum gratitudinis. Laudanda sane primitiarum distributio. Qui non militarant de suo dimidio promptæ voluntatis, non operæ præmio, Levitis obtulerunt ex Prophetæ præscripto : pontifici autem illi, qui fortitudine absolutissima etiam caput objecerunt periculis, nimirum capiti sacratorum ceremoniis hominum. Cæterum præfecti ordinum sacrarunt Deo suas primitias, summo totius universitatis principi. *Hactenus Philo, posteriora hæc recte exprimens : non tamen omnia tam accurate et enucleate exponens, quam* Moyses *ipse eadem exposuerat.*

D

§ XLVIII. Terra Amorrhæorum trans Jordanem per Moysen divisa duabus tribubus et dimidiæ : limites quoque terræ occupandæ assignati : alia ordinata, et lex populo exposita.

Rubenitæ et Gaditæ pro sua possessione petunt

Eodem fere tempore, quo gestum est bellum contra Madianitas, aut certe non diu post, per Moysen *divisa sunt Amorrhæorum regna jam ante occupata, quorum possessionem populo suo concesserat Dominus. Occasio hujus divisionis Num.* 32 *ita refertur :* Filii autem Ruben et Gad habebant pecora multa, et erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer et Galaad aptas animalibus alendis terras, E venerunt ad Moysen, et ad Eleazarum sacerdotem, et principes multitudinis, atque dixerunt : Ataroth, et Dibon, et Jazer, et Nemra, Hesebon, et Eleale, et Saban, et Nebo, et Beon, terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israël, regio uberrima est ad pastum animalium : et nos servi tui habemus jumenta plurima : precamurque, si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem. Quibus respondit Moyses : Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, et vos hic sedebitis ? Cur subvertitis mentes filiorum Israël, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam Terram ? Cumque venissent usque ad Vallem Botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israël, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. Qui iratus juravit, dicens : Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis et supra, Terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, et Jacob : et noluerunt sequi me, præter Caleb filium Jephone Cenezæum, F et Josue filium Nun : isti impleverunt voluntatem meam. Iratusque Dominus adversum Israël, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus. Et ecce, inquit, vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa et alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israël. Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, et vos causa eritis necis omnium. *Tam gravi oratione* Moyses *verisimiliter objurgavit Rubenitas et Gaditas, quod existimaret nolle illos transire Jordanem ad subjugandam Terram promissam, quia dixerant,* Ne facias nos transire Jordanem.

terram trans Jordanem occupatam, qua ipsis ea conditione

549 *Verum illi, excepta modeste hac correptione, intentionem suam clarius explicarunt, aut, si forte alia fuerat prima eorum intentio, eam mutarunt : sic enim pergit textus sacer :* At illi prope accedentes, dixerunt : Caulas ovium fabricabimus, et stabula jumentorum, parvulis quoque nostris urbes munitas : nos autem ipsi armati et accincti pergemus ad prælium ante filios Israël, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli

AUCTORE J. S.

A Parvuli nostri, et quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant Israël filii hereditatem suam: nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in Orientali ejus plaga. *Hisce conditionibus bene firmatis et stabilitis, annuit tandem Legislator postulantibus; Quibus, ut sequitur,* Moyses ait: Si facitis, quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, *(quando tempus transeundi advenerit)* donec subvertat Dominus inimicos suos, et subjiciatur ei omnis Terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum et apud Israël, et obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. Sin autem, quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est, quid peccetis in Deum: et scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, et caulas ac stabula ovibus ac jumentis: et quod polliciti estis, implete. Dixeruntque filii Gad et Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod
B jubet Dominus noster. Parvulos nostros, et mulieres, et pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad: nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu, Domine, loqueris.

conceditur, ut cum aliis armati subigant Chananæam,

550 Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, et Josue filio Nun, et principibus familiarum per tribus Israël, et dixit ad eos: Si transierint filii Gad et filii Ruben vobiscum Jordanem, omnes armati ad bellum coram Domino, et vobis fuerit Terra subjecta: date eis Galaad in possessionem. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca. Responderuntque filii Gad, et filii Ruben: Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus: ipsi armati pergemus coram Domino in terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem. *Hujus promissionis memores Rubenitas et Gaditas fecit Josue, ut legitur Jos.* I, *illique eam exsecuti leguntur Jos.* 14 ℣ 12. Moyses *quoque ipse Deut.* 3 ℣ 18 *hoc suum præceptum narrat his verbis:* Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hereditatem, expediti præcedite fratres
C vestros filios Israël omnes viri robusti: absque uxoribus, et parvulis, atque jumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, et in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: et possideant ipsi etiam Terram, quam daturus est eis trans Jordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

adjuncta quoque duabus tribubus est media tribus Manasse.

551 *Hæc omnia hactenus peracta esse dicuntur cum solis tribubus Ruben et Gad: verumtamen etiam media tribus Manasse possessionem suam accepit in parte Orientali Jordanis, ubi adhuc supererant aliquot Amorrhæi subigendi. Audiamus rursus* Moysen *Num.* 32, ℣ 33: Dedit itaque Moyses filiis Gad et Ruben et dimidiæ tribui Manasse filii Joseph regnum Sehon regis Amorrhæi, et regnum Og regis Basan, et terram eorum cum urbibus suis per circuitum. Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, et Ataroth, et Aroër, et Etroth, et Sophan, et Jazer, et Jegbaa, et Bethnemra, et Betharan, urbes munitas, et caulas pecoribus suis. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, et Eleale, et Cariathaim, et Nabo, et Baalmeon, versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas extruxerant. Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, et vastaverunt eam, interfecto Amorrhæo habitatore ejus. Dedit ergo Moyses terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea. Jair autem filius Manasse abiit et occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth Jair, id est, villas Jair. Nobe quoque perrexit, et apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe. *Observari hic potest, Jair genere paterno fuisse ex tribu Juda, et solum reputatum fuisse ex tribu Manasse, quia oriundus fuit ex filia Machir, filii Manasse, ut videri potest* I *Paral.* 2 ℣ 21 *et* 22, *ubi ejus recensetur genealogia. Matrimonium illud fuerat initum, priusquam talia matrimonia erant prohibita. At hæc parum spectant ad* Moysen. *Eadem referuntur Deut.* 3 ℣ 12 *et sequentibus. Josue quoque eamdem* Moysis *donationem memorat cap.* 22. E

Cura Moysis ut possessionem alii omnes acciperent et servarent:

552 *Porro, sicut studiose curavit sanctus Legislator, ut illi, accepta possessione sua, reliquos fratres suos non desererent, ita non minus fuit sollicitus, ut alii omnes debito modo possessionem acciperent, acceptamque observatione divinorum mandatorum servarent. Hac de causa frequenter in Deuteronomio inculcavit mandatum Domini, ita expressum Num.* 33 ℣ 51: Locutus est Dominus ad Moysen: Præcipe filiis Israël, et dic ad eos: Quando transieritis Jordanem, intrantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius: confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, et habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in possessionem, quam dividetis vobis sorte. Pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur hereditas. Per tribus et familias possessio dividitur. Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ: qui remanserint erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceæ in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestræ: et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam. *Hisce cap.* 34 *subjicitur descriptio limitum totius Terræ promissæ; designanturque principes ex singulis tribubus, qui cum Josue terram erant divisuri novem tribubus et dimidiæ. Cap.* 35 *cura habetur Levitarum, quibus urbes quadraginta octo dari voluit Dominus: atque ex hisce sex designari, in quibus asylum haberent, qui casu aliquo et sine culpa hominem occiderant: leges quoque homicidii ibidem recitantur. Demum cap.* 36 *præscribuntur leges de tribubus non miscendis per connubia.* F

Lex populo rursum exposita: expositionis locus et tempus:

553 *Cum* Moyses *magis magisque ad diem vitæ postremum appropinquaret, cum Israëlitæ novus esset populus, (paucissimis exceptis) qui nec mirabilia Domini in Ægypto viderat, nec Legis expositionem audierat apud montem Sinai; sanctus Legislator Legem iterum ante mortem suam suscepit explicandam, et præcipua, quæ tam in Ægypto quam in deserto contigerant, populo commemorare voluit, ut eum efficacius hortaretur ad accuratam Legis observantiam. Quæ vero ad concionem disseruit, descripsit quoque in libro Deuteronomii, ei hanc quasi præfatiunculam præmittens Deut.* I: Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israël trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare Rubrum, inter Pharan et Tophel et Laban et Haseroth, ubi auri est plurimum: undecim

AUCTORE J. S

cim diebus de Horeb per viam montis Seir usque ad Cadesbarne. Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis, locutus est Moyses ad filios Israël omnia, quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis: postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon: et Og regem Basan, qui mansit in Astaroth, et in Edrai, trans Jordanem in terra Moab. Cœpitque Moyses explanare Legem, et dicere. *Hæc præfatio, quæ designat locum et tempus habitæ primæ congregationis ad explanandam Legem, nonnullas involvit difficultates, quas interpretes variis modis conati sunt tollere. Duo interim hic satis sunt certa, videlicet tempus habitæ congregationis clare expositum; et locus obscurius quidem hic indicatus, sed aliunde satis certus, videlicet Campestria Moab, seu postrema mansio, quæ erat prope Jordanem e regione urbis Jericho.*

nonnullæ loci obscuri

554 *Verum quæsierunt primo interpretes, quo modo locus assignatus dicatur esse* contra mare Rubrum: *nam constat, Campestria illa Moab a mari Rubro multum esse dissita. Calmetus hic asserit non debere necessario intelligi* mare

B

Rubrum, *quia in textu Hebraïco solum habetur* apud Suph. *At non modo S. Hieronymus, sed passim omnes, qui textum Hebraïcum verterunt, hic per vocem* Suph *intellexerunt* mare Rubrum, *ita ut hæc interpretatio omnino videatur retinenda, nec tam facile sine ulla alia ratione deserenda. Bonfrerius existimat, non assignari locum, ubi contenta in Deuteronomio ad concionem locutus est* Moyses, *sed locum, ubi prima vice Legem exposuerat, sive desertum Sinai, eoque trahit istud initium,* Hæc sunt verba, quæ locutus est Moyses *etc. Alii volunt illud Deuteronomii initium spectare ad præcedentes* Moysis *libros, et ad gesta in iis relata. Verum nihil ex hisce omnibus congruit propriæ et naturali verborum significationi. Quapropter præplacet mihi sententia Cornelii a Lapide aliorumque, qui dicunt vocem* contra *hic significare* e regione, *idque dici de loco etiam procul dissito. Commodior tamen explicatio dari poterit, si voces* contra mare Rubrum *possint intelligi* de solitudine campestri, *seu de toto illo deserto potius, quam de solo loco, quem populus congregatus occupabat. Sensus verborum*

C

tunc erit, in illa solitudine campestri, *quæ se extendit usque ad mare Rubrum. Quidquid sit, non dubito quin loci obscuritas oriatur maxime ex ignoratione locorum, qui nominantur; nec possum dubitare, quin describatur locus, in quo Deuteronomium fuit populo expositum, sicut tempus clare assignatur.*

difficultates

555 *Porro assignatum fuisse locum expositi Deuteronomii, clare evincitur ex vocibus istis,* Trans Jordanem in terra Moab: *verba enim illa referri nequeunt ad locum, in quo regnavit Og rex Basan, qui nihil possedit de ditione Moabitarum; nec phrasis patitur, ut referantur ad regnum Sehon, etiamsi hic ditionem illam possederit. Itaque intelligenda necessario sunt de loco explicati Deuteronomii, uti obvius et naturalis verborum sensus requirit. At laborant rursum interpretes in assignanda ratione illarum vocum* trans Jordanem. *Calmetus iterum difficultatem majorem sibi finxit, quam revera sit; atque existimat duos primos versiculos Deuteronomii non esse* Moysis, *quod ille Jordanem non transivisset, ideoque de parte Orientali Jordanis, in qua erat, non videatur potuisse scribere* trans Jordanem. *At, si hæc ratio valeat, oportebit plures in-*

D

terpolationes agnoscere, cum Moyses *iisdem vocibus de parte Orientali Jordanis frequenter utatur tam in Numeris quam in Deuteronomio; uti Num.* 32 ℣ 32, *et cap.* 34 ℣ 15, *cap.* 35 ℣ 14, *et multo sæpius in Deuteronomio. Quapropter ostendetur num.* 662. Moysen *sic revera loqui potuisse, et certo ita locutum esse locis variis. Portio illa ad Orientem Jordanis dicitur* trans Jordanem *respectu habito ad totam Terram promissam, cujus pars maxima erat ad Occidentem Jordanis, pars vero minima ad Orientem Jordanis, atque idcirco hæc dicitur* trans Jordanem *sita, quod illo fluvio separetur a parte præcipua.*

expenduntur: prima Moysis concio in Deuteronomio scripta,

556 *Loca illa* Pharan, Thophel, Laban *et* Haseroth *cognita non sunt; ut interpretes plerique agnoscunt: neque enim* Pharan *et* Haseroth *hoc loco videntur posse confundi cum locis ejusdem nominis ante in itinere Hebræorum memoratis, a quibus Campestria Moab longe sunt dissita. Voces vero hæ,* undecim diebus de Horeb per viam montis Seir usque Cadesbarne, *ita videntur explicandæ, ut designent distantiam Campestrium Moab a monte Horeb vel Sinai, quæ sit*

E

itineris undecim dierum, si iter instituatur via recta, seu per viam montis Seir *eatur usque ad Cadesbarne, quemadmodum anno secundo peregrinationis suæ fecerant Israëlitæ. Addidit istud* Moyses, *opinor, quia Israëlitæ annos fere triginta novem eidem itineri impenderant. Porro ubi* Moyses *hanc præfationem absolvit, mox incipit describere primum discursum ad populum, qui implet prima quatuor capita Deuteronomii. Tribus autem prioribus exponit multa, quæ in deserto a monte Sinai usque ad istud tempus acciderant; atque ea jam suis locis inserui. At cap.* 4 *magis hortatur populum ad perfectam Legis observantiam, ita exorsus:* Et nunc Israël audi præcepta et judicia, quæ ego doceo te: ut faciens ea vivas, et ingrediens possideas Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Dominus Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.... Hæc est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna *etc. Ita pergit hortari, miscens minas et promissa, nonnullaque ex factis præteritis breviter perstringens, usque ad* ℣ 41.

F

tres civitates refugii assignatæ: altera de Lege

557 *Post primam hanc concionem* ℣ 41 *narrantur sequentia, quæ dicta non sunt ad populum, quantum existimo:* Tunc separavit Moyses tres civitates trans Jordanem ad Orientalem plagam, ut confugiat ad eas, qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum et alterum diem, et ad harum aliquam urbium possit evadere: Bosor in solitudine, quæ sita est in terra campestri de tribu Ruben: et Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: et Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse. *Narrato hoc facto, quod Dominus* Moysi *mandaverat, ut supra est dictum, secundo discursui suo iterum præfatiunculam præponit hoc modo:* Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israël, et hæc testimonia et cæremoniæ atque judicia, quæ locutus est ad filios Israël, quando egressi sunt de Ægypto, trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses *etc. Calmetus in præfatione ad Deuteronomium suspicatur, verba hæc non esse* Moysis,

A sis, *sed fuisse ab alio hagiographo deinde Deuteronomio inserta. Verum similes suspiciones mihi nequeunt probari, nisi solida nitantur ratione; nec talem affert laudatus auctor. Quapropter longe probabilius apparet,* Moysen *non quidem hæc dixisse ad populum, sed scripsisse in Deuteronomio, ut discursus suos ita distingueret. Locus habitæ hujusce congregationis secundæ assignatur his verbis:* Trans Jordanem in valle contra fanum Phogor *etc. Tempus confuse exprimunt hæ voces:* Quando egressi sunt de Ægypto: *id est, post egressum ex Ægypto, antequam in Terram promissam pervenerant. Dubium autem non est, quin illa congregatio habita sit eodem mense undecimo anni quadragesimi et in eisdem castris, in quibus prima, seu in Campestribus Moab.*

concio habita, quæ forte in duas dividenda:

558 *Dircursum suum* Moyses *cap.* 5 *sic narrare incipit:* Vocavitque Moyses omnem Israëlem, et dixit ad eum: Adi Israël cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, et opere complete. *Deinde mox exponit, quo modo præcepta decalogi data* B *sint a Deo in monte Sinai, eorumque observantiam sollicitus inculcat, ad idololatria præsertim pluribus verbis populum deterrens. Postea ad alia quælibet Legis præcepta cum moralia tum judicialia et cæremonialia progreditur, multisque rationibus, minisque et promissionibus hortatur, ut ea exacte impleant. Prophetiam quoque de venturo Messia cap.* 18 ℣ 15 *adducit in hunc finem, ac demum cap.* 26 ℣ 16 *prolixam hanc orationem concludit his verbis:* Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia: et custodias et impleas ex toto corde tuo, et ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius, et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio: et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius: et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit, in laudem, et nomen, et gloriam suam, ut sis populus sanctus Domini Dei tui, sicut locutus est. *Incertum est, an unica vice omnia peroraverit* Moyses *a capite quinto usque ad vigesimum septimum; nam sermo ille prolixior est,quam, ut uno tempore videa-* C *tur pronuntiatus. Credunt aliqui probabiliter secundum* Moysis *sermonem finiri ante caput duodecimum, ibique inchoari tertium, eumque usque ad initium capitis* 27 *protrahi: at parum refert, unicane an pluribus vicibus omnia peroraverit* Moyses, *cum constet dicta ab ipso fuisse ad populum.*

alia rursum concio, in qua minatur gravissime Legem non observantibus:

559 *Alia populi congregatio, seu tertia hæc fuerit seu quarta, inchoatur cap.* 27, *ubi sic legitur:* Præcepit autem Moyses et seniores Israël populo dicentes: Custodite omne mandatum, quod præcipio vobis hodie. *Hoc autem ut efficacius et altius omnium animis insculperetur, jubentur Israëlitæ post transitum Jordanis erectis lapidibus Legem inscribere, ædificatoque altari sacrificia offerre, ibique in vicinia omnem populum, partim in monte Garizim, partim in monte Hebal collocare, ut recitarentur benedictiones, quibus fruerentur Legem servantes; et similiter maledictiones, quæ Legem violantibus impenderent. Plurima sane gravissimaque mala minatur sanctus Legislator transgressoribus, ac multa bona promittit obedientibus, uti hæc latius videri possunt cap.* 27 *et* 28. *Tandem cap.* 28 ℣ 61 *concludit his verbis:* Insuper et universos languores, et plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine Legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat: et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens, ut auferamini de Terra, ad quam ingredieris possidendam. Disperget te Dominus in omnes populos, a summitate terræ usque ad terminos ejus: et servies ibi diis alienis, quos et tu ignoras et patres tui, lignis et lapidibus. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam mœrore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ. Mane dices: Quis mihi det vesperum? et vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, et propter ea, quæ tuis videbis oculis. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum per viam, de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos et ancillas, et non erit qui emat. *Hæc aliaque anteriora non solum ut comminationes, sed etiam ut prædictiones haberi possunt.* E

rursum alia de renovatione fœderis cum Deo,

560 *Alia rursum congregatio habetur cap.* 29 *et* 30, *de qua cap.* 29 ℣ 1 Moyses *ita orditur:* Hæc sunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israël in terra Moab: præter illud fædus, quod cum eis pepigit in Horeb. Vocavitque Moyses omnem Israël, et dixit ad eos: Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa portentaque ingentia, et non dedit vobis Dominus cor intelligens, et oculos videntes, et aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem. Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vestutate consumpta sunt. Panem non comedistis, vinum et siceram non bibistis: ut sciretis, quia ego sum Dominus Deus vester.... Custodite ergo verba pacti hujus, et implete ea, ut intelligatis universa, quæ facitis. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, princi- F pes vestri, et tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israël, liberi et uxores vestræ, et advena, qui tecum moratur in castris, exceptis lignorum cæsoribus, et his, qui comportant aquas: ut transeas in fœdere Domini Dei tui, et in jurejurando, quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum: ut suscitet te sibi in populum, et ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, et sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, et hæc juramenta confirmo, sed cunctis præsentibus et absentibus.

cujus observantiam efficacissimis rationibus inculcat,

561 *Hujus fœderis observationem multis deinde rationibus inculcat, prædicens calamitates populo obventuras, si a cultu Dei recedat, et vel maxime quo modo ejicerentur ab hostibus e terra sua. Addit quoque cap.* 30 *reducendos a Domino in terram suam, si sincere ad cultum Dei fuerint reversi, totumque discursum concludit efficaci hac monitione cap.* 30 ℣ 11: Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, nec procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrum valet ad cælum ascendere,

AUCTORE J. S.

ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus atque opere compleamus? Neque trans mare positum: ut causeris, et dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre: ut possimus audire et facere, quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum. Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et econtrario mortem et malum: ut diligas Dominum Deum tuum, et ambules in viis ejus, et custodias mandata illius ac cæremonias atque judicia: et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi in Terra, ad quam ingredieris possidendam. Si autem aversum fuerit cor tuum, et audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, et servieris eis prædico tibi hodie quod pereas, et parvo tempore moreris in Terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredieris possidendam. Testes invoco hodie cælum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, et illi adhæreas B (ipse est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum) ut habites in Terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, et Jacob, ut daret eam illis. *Hactenus sanctus Legislator et Propheta.*

Sanctus mortem suam instantem prædicit populo, hortaturque Josue,

562 *Porro certo dici nequit, an ad eamdem congregationem, an ad aliam spectent, quæ cap. 31 sequuntur hoc modo:* Abiit itaque Moyses, et locutus est omnia verba hæc ad universum Israël, et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi et ingredi, præsertim cum et Dominus dixerit mihi: Non transibis Jordanem istum. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, et possidebis eas: et Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus. Facietque Dominus eis, sicut fecit Sehon et Og regibus Amorrhæorum, et terræ eorum, delebitque eos. Cum ergo et hos tradiderit vobis, similiter facietis eis, sicut præcepi vobis. Viriliter agite et confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, C et non dimittet, nec derelinquet te. Vocavitque Moyses Josue, et dixit ei coram omni Israël: Confortare, et esto robustus: tu enim introduces populum istum in Terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, et tu eam forte divides. Et Dominus, qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paveas. *Huc usque* Moyses, *loquens cum ad populum, tum ad Josue coram populo.*

et Legem a se scriptum singulis septenniis omni populo prælegi jubet.

563 *Quæ autem viva voce ad populum peroravit in variis congregationibus modo relatis, eidem deinde conscripta voluit relinquere, ut lectione subinde repetita omnium memoriæ imprimerentur, quantum fieri poterat. Atque hæc fuit ratio scribendi Deuteronomii, de quo sequuntur ista:* Scripsit itaque Moyses Legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israël. Præcepitque eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis *, in sollemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israël, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco, quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Israël, audientibus cis, et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis, et advenis, qui sunt intra portas tuas: ut audientes discant, et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant, impleantque omnes sermones Legis hujus: filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus versantur in Terra ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam. *Aliqui volunt agi supra de omnibus libris per* Moysen *scripsis, seu de toto Pentateucho. At alii rectius locum explicant de solo Deuteronomio, cui alia paulo post adjecit Sanctus, ut videbimus.* D

* *i. e.* Sabatico

§ XLIX. Quid Josephus et Philo referant de divisa Amorrhæorum terra, aliisque mox relatis, expenditur.

Josephus de divisa terra duabus tribubus et mediæ,

E *Josephus cap. 7 post narratam cladem Madianitarum mox ita pergit:* Per idem tempus duæ tribus, Gadæ et Rubeli, et dimidia Manassitis, numero pecudum et aliis rebus abundantes, de communi consilio rogant Moysem, ut sibi extra sortem traderet Amoritidem terram, quæ non multo ante bello capta fuerat: esse enim pascuis uberem. Ille vero suspicatus eos prælia contra Chananæos metu detrectare, et curam pecudum ignaviæ prætexere; convitio viros excipit, meticulosos simulatores dictitans: velle eos in otio luxuque terram communi marte quæsitam possidere, et nolle arma cum cætero exercitu ferentes, terram ultra Jordanem a Deo promissam capere, devictis gentibus, quas ille pro hostibus haberi jusserat. Qui videntes eum iratum, ne merito irasci videretur, respondent se neque per ignaviam pericula, neque per desidiam labores fugere, sed hoc tantum agere, ut præda in locis commodis relicta, expeditiores ad certamina fierent: paratosque se aiebant, si oppida ad tutelam liberorum et conjugum ac facultatum ipso dante acciperent, reliquum exercitum armatos, quocumque ducerentur, sequi, et communibus militare auspiciis. Tum Moyses F comprobata eorum voluntate, advocatoque Eleazaro pontifice, et Jesu, cæterisque magistratibus, concedit illis Amoritidem hac conditione, ut simul cum cognato populo adversus communem hostem bellum gerant, donec omnia ex sententia confecta fuerint, atque hoc pacto accepto, quod petierunt, et exstructis munitis oppidis, liberos et uxores atque impedimenta in illis deponunt.

et statutis urbibus refugii, in nonnullis corrigendus;

565 Moyses quoque in eadem regione decem urbes condidit, in illum quadraginta octo numerum computandas, in quarum tribus asyla sancivit, illis tantum profutura, qui cæde non sponte commissa eo confugissent. Statuitque talibus exilii tempus, tantisper dum pontifex viveret, sub quo cædes accidit. Post cujus obitum redire in patriam permisit. Exilii vero tempore licere cuivis e cognatis interempti homicidam impune occidere, duntaxat extra urbem refugii deprehensum: idque jus solis cognatis esse voluit, aliis non item. Cæterum oppida refugii fuerunt hæc: ad fines Arabiæ Bosora, in Galadena regione

A gione Arimanum, in Bataneade Gaulademan. Et post captam Chananæam totidem ex Leviticis oppidis jussu Moysis destinata sunt, ut hoc genus exulibus refugium et habitationem præberent. *Hactenus Josephus, non longe a sacra Scriptura recedens, nec tamen eidem perfecte inhærens. Primo enim dimidia tribus Manasse non statim accessit ad* Moysen *cum tribubus Gad et Ruben; accepit tamen cum iis portionem suam ad orientem Jordanis, quia verisimiliter terra illa major erat, quam ut duabus tribubus tota deberet possideri, ne aliæ tribus ad Occidentem Jordanis minorem acciperent portionem. Secundo res hæc proposita non fuit soli* Moysi, *sed simul Eleazaro pontifici et principibus populi, quos postea a* Moyse *advocatos perperam asserit Josephus, cum ab initio adfuerint. Tertio nullibi in sacris Litteris dicitur* Moyses *in regione Amorrhæorum* decem urbes *condidisse, nisi velimus dicere a* Moyse *esse conditas, quas sub ipsius imperio condiderunt, aut instaurarunt, duæ prædictæ tribus et dimidia. At hoc sensu non modo* decem, *sed multo plures urbes, dici potest condidisse.*

neque exacte scribit de postulatione filiarum Salphaad:

B 566 *De postulatione filiarum Salphaad Josephus breviter magis quam exacte hæc memorat:* Eodem tempore, cum defunctus esset quidam e primatibus Manassitidis tribus, nomine Salpades, liberis deterioris tantum sexus relictis, tribules ejus viri insignis Moysem consulunt, an filiarum ejus in divisione et sortitione agrorum ratio haberi debeat. Is respondit, si in domum tribulis nuptum darentur, fortem dotalem fore: sin mallent in aliam tribum elocari, sortem in sua tribu relinquerent: atque hac occasione instituit, ut cuique tribui suæ sortes perpetuo manerent. *Corrige in hisce sequentia. Primo ipsæ filiæ Salphaad, non vero tribules earum, postulaverunt, ut sibi pro patre suo defuncto sors aliqua daretur: ac* Moyses, *Deo consulto et annuente, sortem eis dari jussit, præsentibus rursum rei gestæ Eleazaro aliisque principibus. Secundo non respondit* Moyses *sub conditione hic perperam asserta; sed sortem filiabus Salphaad omnino concessit, sic tamen, ut ea occasione postea prohiberentur nubere extra tribum suam, eademque lex ad omnes extenderetur, ne tribuum possessiones minuerentur aut confunderentur. Lex illa tamen* C *non poterat obtinere in tribu Levitica, cum hæc possessionibus careret, ut interpretes jam observarunt.*

oratio vero ad populum,

567 *Idem scriptor, omissis quibusdam, deinde procedit ad monita legesque populo datas ultimo mense vitæ* Moysis. *At varias congregationes in hunc finem institutas non satis distinxit;* Moysique *orationem attribuit, piam quidem et tempori satis congruentem, sed non in omnibus sacræ Scripturæ consonam: nam plurima ad populum dicta omisit; aliqua vero inseruit, de quibus nulla in Deuteronomio fit mentio.* Quumque jam, *inquit*, de quadragesimo migrationis annis triginta tantum dies superessent, advocata concione ad Jordanem, eo loco, ubi nunc oppidum Abila visitur, agrum habens palmetis consitum, ubi populum omnem præsto vidit, in hunc modum verba fecit: Viri commilitones et longi laboris socii, quoniam Deus ita vult, et ætas cxx annorum exacta postulat, ut ex hac vita discedam, et rebus ultra Jordanem gerendis interesse me Deo non est visum, æquum duxi, ut quantum ad vestram felicitatem attinet, ne nunc quidem officio desim: sed pro gratia mihi data provideam, ut pro commonstrata ad eam via, sempiterna apud vos memoria dignus habear. *Hic observo breviter, non congruere humilitati* Moysis *posteriora verba: neque enim ille de* sempiterna *sui apud homines* memoria *solicitus erat, sed de cultu Dei, et de salute populi sui. Mox alia quædam sequuntur minus modesta, quæ* Moysi *attribuenda non sunt, sed Josepho.*

AUCTORE J. S.

quam idem Moysi attribuit,

568 *Hic ita progreditur:* Age igitur, ubi prius, in quo tam vestra quam posterorum beatitudo consistat, indicaverimus, et hoc pietatis erga vos nostræ perpetuum monumentum reliquerimus, libentes ex hac vita decedamus. Fidem enim, sat scio, mereor, vel quod antehac vestris commodis indesinenter serviens nunquam vos fefelli, vel quod anima prope exitum constitua in omni virtute ac veritate seipsa melior redditur. Filii Israëlis, una omnibus hominibus felicitatis est causa, Deus propitius: quam solus dignis dare, et peccantibus in se auferre potis est. Cui si vos tales præsteritis, quales ipse postulat, qualesve ego ex ipsius sententia instituo, nunquam non macti virtute, æmulandique omnibus eritis: sed et quæ jam contigerunt bona, erunt perpetua, et quod deest brevi consequemini. E Tantum voluntati divinæ obsequimini, et mandatis ejus parete: et neque legibus per me latis alias præponite, neque in religione per contemptum quicquam novate. Quod si feceritis, bello præstantissimi inter omnes gentes, et omnibus hostibus insuperabiles eritis, nam auxiliante Deo minæ omnes facile contemnuntur. Cæterum virtutis præmia magna per omnem vitam sunt proposita, et ipsa sibi primum est ac potissimum præmium: deinde per hanc cætera bona facile parantur: qua inter vos invicem utentes et vitam beatam ducetis, et gloriam tum apud exteros tum apud posteros immortalem consequemini.

non est omnino conformis

569 Hæc vobis sunt speranda, si leges monitu Dei, me perferente, scriptas nec ipsi violetis, nec alios violare patiamini, et harum intellectum ac usum nunquam non meditemini. Ego vero commodis vestris lætus discedo, vosque pietatis ac prudentiæ legibus, et virtuti ducum ac magistratuum commendo, qui incolumitatis ac felicitatis vestræ posthac curam sunt F habituri. Deus autem sub cujus ductu hactenus egistis, et cujus favori debetis, quidquid utilitatis ex me percepistis, non desinet vobis prospicere, sed quam diu ipsum et pietatem colueritis, tam diu sub ejus præsidio permanebitis. Nec deerunt, qui vobis optima monita suggerant, quibus parentes beati eritis, nimirum pontifex Eleazarus et Jesus, et senatus ac primates tribuum, quibus cavete vos difficiles præbeatis, scientes quod qui bene parere novit, etiam bene imperaturus est, ubi ad potestatem pervenerit: neve in hoc libertatem sitam existimetis, si mandatis principum obmurmuraveritis. Nam hactenus in contumacia contra benefactores libertatem reponebatis: a quo vitio si vos in posterum servaveritis, res vestras in meliore statu videbitis. Absit autem ut ita in hos exasperimini, quemadmodum aliquoties in me incanduistis. Meministis enim quod sæpius a vobis de salute periclitatus sum quam ab hostibus. Quod non exprobrandi causa dico: nolim enim vos hac commemoratione in exitu vitæ contristatos relinquere, qui etiam tunc æquo animo vos tuli: sed ut admoniti in posterum sapiatis, id quod in vestram

AUCTORE J. S.

stram etiam rem futurum est. Et ne in præpositos contumeliosi sitis, elati opum affluentia, quibus trajecto Jordane et occupata Chananæa potiemini. *Hæc Josephus, vehementer inculcans obedientiam ducibus et magistratibus præstandam, quæ revera Israëlitis maxime erat necessaria, omnibusque hominibus est utilissima; attamen* Moyses *magis commendavit observantiam mandatorum Dei, nec tam multa legitur dixisse de exhibenda magistratibus obedientia.*

sacræ Scripturæ :

570 *Pergit Josephus hoc modo :* Alioqui si per has insolentiores facti in contumaciam et virtutis contemptum prolabamini, Deum fautorem nequaquam estis habituri, quem si vestro merito inimicum vobis reddideritis, et terram virtute partam oppressi ab hostibus per summam ignominiam amittetis, et per totum quam late patet orbem dispersi, servitute vestra terra ac maria replebitis. Quo si ventum fuerit, jam frustra pœnitebit patrias leges non servasse. Quare quo minus periculi sit, ne illas violetis, post victoriam neminem hostium superesse patimini : idque rebus vestris conducibilius existimate, ne cum il-
B lis viventes, ad similia studia prolapsi, patriam institutionem corrumpatis. Præterea lucos et aras et templa, quotquot habent, ad unum tolli jubeo, ferroque et flammis ita deleri, ut etiam memoria eorum omnis aboleatur. Sic enim bona vestra tutius conservabitis. Verum ne per ignorantiam meliorum natura vestra in deterius depravetur, Deo jubente et leges conscripsi, et formam administrationis rerum tam publicarum quam privatarum, a quibus si nusquam discedatis, mortalium omnium felicissimi eritis.

ejus relatio de codice Legis scripto,

571 Hæc locutus tradit eis codicem, leges scriptas et instituta bene vivendi continentem. Illi vero solvebantur in lacrymas, et jam tum desiderio Ducis mœrebant : memoresque quanta pericula pertulisset, quamque alacriter salutem ipsorum procuravisset : et de futuro soliciti, quod non essent talem principem habituri, ac ne Deum quidem æque propitium, Moyse non amplius deprecatore : tum pœnitentes eorum, quæ in deserto per furorem contra illum commiserant, gravissime dolebant : ita ut totus populus lacrymans nullam consolationem admitteret.
C Moyses vero solabatur eos, et jubens a lacrymis desistere, ad leges accipiendas hortabatur. Atque ita tum concio est dissoluta. *Hactenus Josephus, in cujus verbis corrigendum primo, quod ait :* Frutra pœnitebit patrias leges non servasse : *nam istud contrarium est promissioni Deut.* 30 *relatæ. Secundo codicem legum* Moyses *non tradidit populo, sed Leges populo viva voce declaravit, et codicem jussit poni* latere arca fœderis *Deut.* 31 ỳ 26.

et de fœdere instaurato cum Deo.

572 *Hisce subjungit Josephus leges Hebræis datas, quarum expositionem me non attingere jam ante monui. Post leges vero de fœdere cum populo instaurato ita progeditur :* Postridie populo cum uxoribus et liberis in concionem collecto, ne mancipiis quidem exclusis, jurejurando eos ad legum custodiam adstrinxit : utque Dei voluntatem diligenter expendentes, neque cognationis gratiam, neque periculorum metum, neque ullam aliam causam tanti facerent, ut eam potiorem legibus ducentes, ab earum præscriptis discederent : sed sive consanguineorum unus aliquis, sive urbs quæpiam, circa eas turbare aliquid, aut statum earum labefactare conetur privatim et publice illis periclitantibus auxilium ferrent. Quam si vicissent, a fundamentis ut desertricem revellerent, et ne solum quidem ipsius, D
si fieri possit, superesse paterentur. Sin vero id efficere non valerent, nec pœnas meritas exigere, saltem testarentur se impietati alienæ non consentire. Hæc populus in foro jurejurando firmavit. *Ita Josephus, nonnihil ex legibus ante latis immiscens instaurationi fœderis : videri possunt Deut.* 13, *quæ de punienda idololatria hic alieno loco commemoravit.*

Philonis narratio de petita per Rubenitas et Gaditas terra trans Jordanem,

573 *Philo de divisa Amorrhæorum terra in Vita* Moysis *lib.* 1 *pag.* 504 *sic habet :* Tantum hostium ferocium debellarunt Israëlitæ, priusquam Jordanem ejus regionis fluvium trajicerent : qui hostes transamnensem tunc tractum incolebant felicem et frugiferum, campestrem magna ex parte aptumque vel frumento vel pabulo. Hæc loca ubi viderunt duæ tribus pecuariæ, sexta pars totius exercitus, a Mose petebant hos agros sibi dividi, ut tandem alicubi certas sedes acciperent : esse regionem pascuis aptissimam, propter aquarum copiam et pabuli, sponte fundentem alimenta pecoribus. Ille ratus eos prærogativam in agris dividendis quærere, aut immunitatem a bellis imminentibus, cum adhuc super- E
essent cis Jordanem reges multi, occasionem expectantes tanquam ex insidiis, valde ira commotus respondit : Itane censetis æquum vos hic otiosos ante tempus considere, immunitate fruituros? Quid interim fiet amicis sociisque, et quæ sanctior necessitudo est, conjunctis nativo consanguinitatis fœdere? Num placet eos desertos objici opprimendos hostibus? Itane vos soli quasi re bene gesta præmiis potiemini, pugnas, labores, ærumnas, pericula, relinquetis cæteris? Non est justum vos frui pace commodisque aliis, quæ pacem sequuntur, vestros fratres atteri tot bellis ac certaminibus, et ut parti bene sit, vexari totum exercitum : illud magis decet, ut cum universis copiis partes etiam in fortem agrorum veniant. Omnes æquo jure degitis, unum genus omnibus ab iisdem protectum conditoribus, una familia, mores, ritus, leges, sacra eadem, et alia plurima, quæ vel singula fœdus amicitiamque conciliant. Quid est, cur hactenus pares in summe necessariis muniis, in agrorum divisione rationem vestri haberi postuletis extra ordinem, quasi cæteros habeatis pro servis aut subditis. F

quorum petitioni Moyses primum refragatur :

574 Atqui debuerant vos aliorum exempla docere modestiam : nam prudentes nolunt suo malo discere : nunc ne domesticæ quidem clades vos admonent officii, quas spectatis in vestris patribus. Exploraverunt illi regionem expetitam; sed quia de possessione desperaverunt, omnes perierunt, duobus tantum exceptis. Illorum igitur libet imitari formidinem, o vecordes, quasi hæc consilia non tendant ad vestram perniciem, dum ipsimet vobis animos adimitis et audaciam : quandoquidem properantes ad peccatum, properatis ad supplicium. Nam vindictam quantumvis tardam, si semel moveatur contra noxios, nemo potest effugere. Ubi debellatum fuerit, sublatis omnibus hostibus, socii vero virtutem suam approbaverint, sine crimine desertorum et detrectactorum militiæ, aliove, quod officiat victoriæ, prompte usque belli finem usi animo et corpore; agri quoque vacui fuerint colonis pristinis : tum demum tribubus ex æquo sua contingent præmia. *Hæc* Moysis *adhortatio, licet nihil contineat, quod non potuit probabiliter dici, non satis indicat, quid Sanctus præcipue timeret, curque supplices tam duris corripuerit verbis.*

AUCTORE J. S.

A *bis. Metuebat ille videlicet ne formido, ex qua profectam existimabat hanc postulationem, aliis se tribubus communicaret, atque ea formidine a transitu Jordanis deterrerentur, ac sic rursum divinam provocarent indignationem.*

sed, eorum intentione intellecta, annuit:

575 *Verum responsio Gaditarum et Rubenitarum* Moysi *timorem illum exemit, eumque ad consensum impulit, ut exponit Philo, ita pergens:* Hanc admonitionem illi tulerunt ita ut filios decuit, nempe profectam a paterno animo. Sciebant enim eum haud superbe principatum gerere, solicitum de toto populo, juris et æqui observantissimum, sævientem non ad subditorum contumeliam, sed ad emendationem eorum, qui videbantur corrigibiles. Responderunt igitur: Justa est indignatio tua, si suspicaris nos a societate desciscere, et ante tempus agros petere: sed scire debes, nos nullis terreri laboribus, qui cum virtute conjuncti sint. Judicamus autem virtutem esse obedientiam, præsertim sub principe, qualis tu es: nec deerimus futuris expeditionibus, quantumlibet difficilibus, donec res nostræ ad optatum finem perveniant. Sequemur cæte- B ros, ut ante, armati trans Jordanem, sine vacatione cujusquam, qui sit armis ferendis idoneus. Pueros et puellas cum matribus uxoribusque et pecorum gregibus pace tua relinquemus, exædificatis in hunc usum oppidis et caulis pecori, ne pateant incursionibus hostium, si non includantur munitionibus. Tum Propheta vultu et voce jam placidiore: Si ex animo, inquit, pollicemini, habebitis agros, quos extra, sortem petitis. Relinquite ita, ut vultis, uxores cum liberis et gregibus: ipsi armati cum sociorum exercitu trajicite, mox a trajectu, si opus fuerit, explicaturi aciem, et armis de rei summa dimicaturi cum hostibus. Quibus profligatis deletisque internecione, quando jam pacato hostico agri dividentur victoribus, vos quoque revertimini ad domesticos fruituri vestri commodis, percepturique fructus ex agris, quos ipsi elegistis. Hac promissione audita, pleni alacritate ac gaudio domesticos cum pecoribus reliquerunt in locis tutioribus, quorum plerosque manu muniverant. Ipsi armis sumptis expeditionem susceperunt cum sociis non recusaturi vel totum bellum, vel maximam ejus partem propriis viribus confi- C cere. Nam qui devincti sunt muneribus, promptissime navant operam, non conferendo sed referendo gratiam debitam. *Hactenus Philo, non pauca prætermittens, quemadmodum videri potest supra, ubi totam historiam ex sacra Scriptura narravi.*

relatio de possessione filiabus Salphaad concessa.

576 *Postulationem filiarum Salphaad Philo exposuit lib. 3 pag. 532 in hunc modum:* Erat quidam nomine Salpaath, vir probus, e tribu non obscura natus. Is quinque deterioris sexus liberos genuit, nullam vero prolem masculam. Puellæ post obitum patris veritæ, ne paterno agello exciderent, quia maribus agri divisi fuerant, reverenter adierunt Principem, non tam de possessione solicitæ, quam nomen dignitatemque sui patris conservare cupientes. Hæ sic locutæ sunt: Pater noster obiit, non seditione absumptus, ut multi alii, sed fato raptus, cum privatam vitam ageret procul negotiis. Nulla ipsius culpa factum est, quod caruit mascula sobole. Adsumus igitur pupillæ, ut videtur, re vera tamen te loco parentis habituræ. Nam legitimus princeps non minus quam pater curat subditos. Ille miratus prudentiam virginum, et pietatem erga parentem, suspendit sententiam re- spectu legis, quæ solis viris agros dividit, præmium laborum militarium. Nam mulieribus cum natura immunitatem ab his tribuat, non admittit eas ad præmia. Ergo hanc quoque causam ut ambiguam ad Deum retulit, quem sciebat solum veracibus incorruptisque judiciis etiam in parvis controversiis ostendere suam veritatem et justiciam. Tum ille rerum Conditor, mundi Pater, terræ, cœlo, mari, aeri, rebusque in his contentis imperans, Princeps deorum et hominum, non est dedignatus respondere puellis patre orbatis. Respondens autem plus quam judicis officio functus est ille clementissimus, cuncta replens sua beneficentia... Æquum postulant, inquit, filiæ Salpaath... At Moyses, laudata postulatione virginum, ne has quidem inhonoratas reliquit, nec tamen æquavit viris bellatoribus: sed his agros debita ob virtutem præmia reddidit, puellis vero gratiam, non præmium: quod etiam verbis declaravit manifestissime, donum hanc rem appellans, non retributionem. *Ita Philo, reliqua fere usque ad obitum* Moysis *prætermittens. Quod autem ait,* Moysen *appellasse* donum *possessionem filiarum Salphaad, non invenio in sacris Litteris.* E

§ L. Postrema Sancti gesta: beatus obitus, et sepultura, cujus locus incognitus.

Moyses de futuris Israëlitarum peccatis edoctus,

Quæ hactenus enarrata sunt, manifeste ostendunt, efficacissima a Moyse *adhibita fuisse monita et consilia, ut Israëlitæ futuris quoque temporibus in timore et amore Dei confirmarentur, ejusque leges exacte studerent observare: maxime autem ab idololatria eosdem semper deterruit. Verumtamen ante mortem suam sanctus Legislator divina revelatione didicit, populum suum in cultu veri Dei inconstantem fore, illudque ipsum jussus est iis prædicere ac litteris consignare, ut hæc prædictio rebellibus esset pro testimonio divinæ justitiæ æque ac misericordiæ. Deut. 31 ỷ 14 hæc ita enarrantur:* Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies F mortis tuæ: voca Josue, et state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses et Josue et steterunt in tabernaculo testimonii: apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, et populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in Terra, ad quam ingreditur, ut habitet, in ea: ibi derelinquet me, et irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: et derelinquam eum, et abscondam faciem meam ab eo, et erit in devorationem: invenient eum omnia mala et afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum. Ego autem abscondam et celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala, quæ fecit, quia secutus est deos alienos.

de illis fœdisque secuturis Canticum jussu Dei scribit:

578 Nunc itaque scribite vobis Canticum istud, et docete filios Israël: ut memoriter teneant, et ore decantent, et sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israël. Introducam enim eum in Terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte et melle manantem. Cumque comederint, et saturati

AUCTORE J. S.

turati crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, et servient eis: detrahentque mihi, et irritum facient pactum meum. Postquam invenerint eum mala multa et afflictiones, respondebit ei Canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in Terram, quam ei pollicitus sum. Scripsit ergo Moyses Canticum, et docuit filios Israël. Præcepitque Dominus Josue filio Nun, et ait: Confortare, et esto robustus: tu enim introduces filios Israël in Terram, quam pollicitus sum, et ego ero tecum. *Hactenus de illa collocutione Dei cum* Moyse *et Josue. Canticum autem tunc scriptum legi potest cap.* 32. *Memorantur in illo allegorice primo ingentia Dei in Israëlitas beneficia, secundo idololatria futura populi ingrati, tertio pœnæ gravissimæ infidelitatem istam secuturæ, et demum quarto misericordia Dei populum suum pœnitentem liberaturi, et inimicos ipsius punituri. Hoc Canticum Deuteronomii libro adjunxit* Moyses.

illudque populo gravissimis verbis monito prælegit.

B 579 *Quid autem deinde fecerit, refert Deut.* 31 ℣ 24 *his verbis:* Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in volumine, atque complevit: præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut si ibi contra te in testimonium. Ego enim scio contentionem tuam, et cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero? Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, et loquar audientibus eis sermones istos, et invocabo contra eos cælum et Terram: *(id fit initio Cantici.)* Novi enim quod post mortem meam inique agetis, et declinabitis cito de via, quam præcepi vobis; et occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israël, verba carminis hujus, et ad finem usque complevit. *Canticum, cujus sensum breviter perstrinxi, ita inchoatur:*
C Audite, cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. *Deinde cap.* 32 ℣ 44 *subjungitur:* Venit ergo Moyses, et locutus est omnia verba Cantici hujus in auribus populi, ipse et Josue filius Nun. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israël. Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire et facere, et implere universa, quæ scripta sunt Legis hujus: quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in Terra, ad quam, Jordane transmisso, ingrediminii possidendam.

Jussus in montem ascendere moriturus, ubi singulis tribubus bene precatus fuerat,

580 Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens: Ascende in montem istum Abarim, id est, Transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho: et vide terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, et morere in monte. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis: quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israël, ad Aquas Contradictionis in Cades deserti Sin: et non sanctificastis me inter filios Israël. Econtra videbis Terram, et non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis D
Israël. *Huic mandato obedivit Sanctus: prius tamen universo populo bene precari voluit, istudque exsecutus est tamquam magnus Propheta, præmittens laudes Dei, et prædicens breviter singulis tribubus aliqua, quibus distinguerentur a reliquis, prout videri potest Deut.* 33. *Hasce quoque benedictiones haud dubie scriptis mandavit, uti et mandatum Domini modo relatum, priusquam montem moriturus ascendit.*

ascendit, inspectaque Terra promissa moritur et sepelitur: illustre ipsius elogium.

581 *Hisce vero peractis, locum mortis suæ accessit, ut refertur Deut.* 34 *hisce verbis:* Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan: et universum Nephthali, terramque Ephraim et Manasse, et omnem terram Juda usque ad mare novissimum, et Australem partem, et latitudinem campi Jericho civitatis Palmarum usque Segor. Dixitque Dominus ad eum: Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac et Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, et non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino: et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: E
et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. Moyses centum et viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt. Fleveruntque eum filii Israël in Campestribus Moab triginta diebus: et completi sunt dies planctus lugentium Moysen. Josue vero filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filii Israël, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi. Et non surrexit ultra propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum ut faceret in terra Ægypti Pharaoni, et omnibus servis ejus, universæque terræ illius, et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israël. *Hactenus textus sacer.*

Cum de morte Moysis aliqui dubitaverint, mors ejus

582 *Porro de morte* Moysis *multæ fuerunt quæstiones, dum alii negarunt mortuum esse, alii resuscitatum dixerunt. Verum mors Sancti tam claris asseritur verbis in sacra Scriptura, ut hæc opinioni contrariæ nullam relinquere videantur probabilitatem. Primo enim Deut.* 32 F
℣ 49 *ei dicit Dominus:* Ascende in montem . . et morere in monte. Quem conscendens jungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, et appositus populis suis. *Nullus, opinor, dubitat, quin Aaron vere sit mortuus, id testante Scriptura locis variis:* Moyses *autem moriturus dicitur* sicut mortuus est Aaron, *dicitur jungendus* populis *seu majoribus suis, sicut Aaron* appositus *est* populis suis. *Itaque, sicut vera morte defunctus est Aaron, ita vere obiit* Moyses, *cujus mors cum morte Aaronis comparatur. Deinde majores* Moysis *et Aaronis, quibus hi fuerunt juncti vel appositi, mortui erant. Illis igitur adjuncti sunt per mortem, non per translationem aliquam sine morte factam. Secundo obiit* Moyses *ante ingressum in Terram promissam æque ac Aaron in pœnam peccati ad Aquas Contradictionis commissi. Mortem autem hanc tam exilem fuisse pœnam senibus* Moysi *et Aaroni existimavit S. Augustinus in Psalm.* 98, *ut dicat,* Quid est, quod in illos vindicatum est, quæro; et secundum homines non

AUCTORE J. S.

A non invenio. *Quanto magis nullam pœnam invenisset sanctus Doctor, si credidisset ad meliorem locum sine morte translatum esse* Moysen? *Et sane exclusio a Terra promissa, quæ jam exigua erat pœna ob provectam ætatem, sic non videretur pœna, sed eximia potius gratia diceretur, vitæ continuatio tam diuturna. Quantum ab illa opinione absit Augustinus, ostendunt hæc ejus verba ibidem:* Quærimus vindictam in Moyse, prope nullam habet, nisi quod ad extremum ait illi Deus: Ascende in montem, et morere. Ait Seni, morere: jam peregerat ætates suas, numquid numquam erat moriturus? *Tertio Deut.* 34 ℣ 6 *non solum mortuus, sed et sepultus dicitur* Moyses. *Sepultura autem veram et corporalem mortem certissime indicat, non raptum aut translationem aliquam.*

variis rationibus probatur,

583 *Quarto S. Judas apostolus in Epistola sua catholica* ℣ 9 *hæc scribit:* Cum Michaël archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore *etc. Quomodo disputari potuit de corpore* Moysis, *nisi corpus fuerit exanime? Si enim in vivis mansisset, non fuisset disputatum de ipsius corpore: sed aut disputatio nulla* B *fuisset, aut de ipso fuisset vivente. Porro de causa hujusce disputationis non omnino convenit inter scriptores: at illorum sententia mihi præplacet, qui existimant voluisse diabolum, ut innotesceret Israëlitis, ubi depositum esset corpus sancti Prophetæ, ut ita daretur idololatriæ occasio. Id vero noluisse et Dei imperio prohibuisse archangelum, atque ita factum esse, ut sepulcrum maneret incognitum. Sane Israëlitas in idololatriam fuisse proclives, plurimis sacræ Scripturæ testimoniis et exemplis, notissimum est.* Moysen *quoque maximi factum ab ipsis ob patrata prodigia, nulli potest esse dubium.*

et occultati sepulcri ratio assignatur probabilis

584 *Quare Origenes in Selectis in Numeros de causa non introducti per* Moysen *populi in Terram promissam occultatique ejusdem sepulcri ita loquitur:* Cum Moyses non glorificasset Deum coram populo, non permissum est ut ultra progrederetur cum eo. Ne enim, quem vivum colebant, honoribus divinis mortuum afficerent, ab oculis omnium removit sepulcrum ejus. *Consentit Chrysostomus Hom.* 5 *in Matthæum hæc scribens:* Ipse etiam tanti populi Dux id, quod pro se ipso rogabat, impetrare non C valuit; sed post tot tantosque labores et ærumnas, postquam per annos quadraginta populo præfuerat, in terram totis promissam intrare prohibitus est. Qua de causa? Non utilis hæc gratia fuisset, imo damni multum intulisset, Judæorumque multos supplantavisset. Si enim ex Ægypto tantum a Moyse liberati, Deo dimisso, Moysen requirebant ipsique totum referebant, si se vidissent ab illo introductos in Terram promissionis, quo non prorupissent impietatis. Ideoque sepulcrum ejus occultum mansit.

S. Hilarius non negavit mortem Moysis;

585 *Data ratio non inducti in Palæstinam populi non excludit culpam* Moysis; *sed probabiliter explicat, cur ob leve peccatum illo solatio Servum suum privaverit Deus. At præcipue ad propositum nostrum spectat ratio occultati sepulchri, de qua B. Petrus Damianus in Sermone de Translatione S. Hilarii sic quoque scribit:* Quid est, inquam, quod Moyses ab hominum notitia removetur, nisi ut tollatur occasio, ne qui tam Deo charus et familiaris extitisse cognoscitur, divinus honor illi ab Israëliticæ plebis perfidia præbeatur? *Hæc ratio ignoti* Moysis *sepulcri, quæ, etiamsi certa non sit, maxime tamen est probabilis, destruit argumentum, quod ex eo pro vita corporali* Moysis *aliqui sumere voluerunt. Hujusce opinionis patronos aliquot e sanctis Patribus nonnulli facere voluerunt: at, si verba Patrum illorum recte expendantur, poterunt facile aliter explicari. Adducitur imprimis S. Hilarius cap.* 20 *in Matthæum, ubi dicit:* Si quis conditionem et mortis et sepulturæ et sepulchri Moysi diligenter adverterit, et secretarum Scripturarum, secundum Apostoli auctoritatem, cognitionem adeptus sit; intelliget omnia ita esse tractata, ut Moyses potuerit jam *(in transfiguratione Christi)* videri. *Hæc quidem verba indicant, singularia quædam fuisse in morte, in sepultura, et in sepulcro* Moysis; *at non evincunt, voluisse insinuare S. Hilarium illorum opinionem, qui crediderunt* Moysen *non esse mortuum. Singulare in morte ipsius fuit, quod obierit sine morbo aut violentia, quantum ex Scripturis potest colligi: singulare in sepultura, quod non fuerit sepultus ab hominibus, sed a Deo, aut potius, Deo jubente, ab angelis, uti ex altercatione S. Michaëlis cum diabolo colligi videtur: nam verisimillimum est hanc altercationem contigisse in sepultura.* E *Singulare quoque fuit in sepulcro, quod hoc manserit absconditum, cum aliorum Sanctorum sepulcra soleant esse cognita. Hæc singularia sic relata sunt in sacris Litteris, ut suspicionem præbere possint corpus* Moysis *non solum occultatum mansisse, sed etiam incorruptum, adeoque ad tempus resumi potuisse ab anima, volente Deo, ut transfigurationi interesset, ac videretur, et rursum deinde relinqui.*

sed illam clare videtur agnovisse:

586 *Nolim tamen certo asserere hanc esse mentem S. Hilarii, cum hæc sit admodum obscura; nec ut certum affirmo ita* Moysen *transfigurationi interfuisse, cum varii sint modi, quibus eidem adesse et videri potuerit. At solum ostendere volui, ex verbis S. Hilarii non sequi, mortem* Moysis *ab ipso negatam esse, ut aliqui affirmarunt. Porro sanctus Doctor cap.* 17 *clare ostendit, se mortem* Moysis *agnovisse: nam ibi num.* 2, *assignans rationes, cur Christus voluerit Eliam et* Moysen *tranfigurationi adesse, pro secunda ratione hanc allegat,* Ut et humanis corporibus decreta esse resurrectionis gloria doceretur, cum quando Moyses conspicabilis adstitisset. F *Non hæc dixisset Hilarius, nisi credidisset* Moysen *corporea morte fuisse defunctum: resurrectio enim doceri nequit visu illius, qui numquam fuit mortuus: atque ideo hanc rationem non affert de præsentia Eliæ, qui numquam vivere desiit. Ita Chrysostomus Hom.* 56, *alias* 57, *in Matthæum ait, Eliam et* Moysen *a Christo ad transfigurationem adductos,* Ut discerent *(Apostoli)* eum et vitæ et mortis potestatem habere, ac cælestibus pariter atque terrenis imperare. Quapropter et eum, qui mortuus erat, et eum, qui nondum obierat, in medium adducit. *Hæc sufficiunt ad vindicandum S. Hilarium ab opinione perperam eidem imputata.*

S. Ambrosius obscure quidem locutus est de morte Moysis;

587 *Eadem opinio a quibusdam attribuitur S. Ambrosio, quia lib.* I *de Cain et Abel cap.* 2 *ita ambigue loquitur:* Et ideo non legimus de eo *(Moyse)* sicut de ceteris, quia deficiens mortuus est: sed " per verbum Dei mortuus est " Deus enim neque defectionem aut diminutionem patitur, neque adjectionem capit. Unde et addidit Scriptura: " Quia nemo scit sepulturam " ejus usque in hodiernum diem " ut translationem magis, quam interitum ejus intelligas. Mors enim

AUCTORE J. S.

enim secessio quædam est animæ et corporis. Mortuus igitur est per verbum Dei, ut ait Scriptura, non secundum verbum; ut advertas non nuntium mortis, sed gratiæ munus expressum, qui translatus magis, quam derelictus est, cujus nemo novit sepulturam. Quis enim in terrenis reliquias ejus potuit deprehendere quem secum esse Dei Filius in Euangelio demonstravit? Denique et Elias simul est visus, qui translatus curru est, non sepultus nec mortuus legitur. Vivit enim qui cum Dei Filio est. Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per verbum Dei mortuus, per quod facta sunt omnia. Verbo autem Dei cæli firmati sunt. Per verbum igitur Dei non lapsus operis, sed firmamentum est. Non ergo tamquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tamquam Verbi cælestis operatione donatus et munere; ut quietem magis caro ejus, quam bustum acceperit. Bene autem inter Dominum et Servum servatur distantia. Ut prærogativam Domini intelligas, servi gratiam, de Moyse legitur, quia sepulturam ejus nemo scit: de Christo autem, Sepultura ejus de terra sublata est; quia ille secundum my-
B sterium Legis exspectabat redemtionem, ut resurgeret: hic secundum Euangelii donum redemtionem non exspectabat, sed donabat. Et ideo sepultura ejus ignorata non est, sed elevata, quam diutius creatura tenere non potuit; quia per ipsum omnis creatura properavit a corruptionis servitiis elevari. Nemo ergo scit sepulturam Moysi, quia vitam ejus omnes noverunt: Christi autem sepulturam vidimus, sed nunc jam non novimus, qui resurrectionem ejus agnovimus. Debuit enim cognosci tumulus ejus, ut resurrectio manifestaretur; et ideo in Euangelio tumulus summa expressione describitur: in Lege non quæritur; quia licet resurrectionem ejus Lex annuntiaverit, nobis tamen Euangelii series plenissime comprobavit. *Hactenus Ambrosius, quem mystice loqui verba ipsa indicant.*

mortuum tamen agnoscit:

588 *Verumtamen hæc ipsa verba, quibus S. Ambrosius prærogativas mortis* Moysis *extollere voluit, satis indicant veram ipsius mortem ab ipso fuisse agnitam; solumque asserere voluisse,* Moysen *non obiisse, ut ceteri passim homines moriuntur deficientis corporis causa; corpusque ipsius nec dissolutum fuisse nec corruptum, sed*
C *ab anima dumtaxat separatum. Mortem, seu separationem animæ a corpore in* Moyse *agnoscere Ambrosium, ex verbis ejus sic ostendo. Ait primo de ipso:* Exspectabat redemtionem, ut resurgeret: *ergo mortuum fuisse agnoscit, quia resurrectio non datur, nisi mors præcesserit. Præterea hanc distinctionem inter Eliam et* Moysen *ponit, quod prior* non sepultus nec mortuus *legatur,* Moyses *vero legatur* mortuus, *non quidem ut ceteri moriuntur, ex morbo, senio, aut externa violentia, sed* per verbum Dei, *ut ipse legit Deut.* 34 ℣ 5, *ubi nos legimus,* jubente Domino. *Tertio,* Mors enim, *inquit,* secessio quædam est animæ et corporis: *hanc secessionem, seu separationem animæ et corporis se in* Moyse *agnoscere insinuat, dum dicit inferius,* Ut quietem magis caro ejus, quam bustum acceperit. *Caro enim et quietem accepit et bustum, dum relicta ab anima et motu privata est et sepulcro illata. Magis autem quietem accepisse dicit Ambrosius quam bustum, quia carnis corruptionem et destructionem videtur negare. Certe hoc sensu intelligi possunt varia ipsius asserta. Dicit sepulturam ignotam,* ut translationem magis quam interitum, *seu de-* D *structionem corporis,* intelligas: *at non dicit* magis quam mortem. *Deinde vehementer urget, quod dicatur* mortuus per verbum Dei, *indeque infert:* Non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, *id est, non deprehenditur corpus fuisse resolutum in ossa et cineres: idque recte probatur ex ignoto sepulcro, et reliquiis a nemine visis: nullus enim asserere potest, corpus, quod non vidit, redactum esse in cineres.*

at credidisse videtur ad vitam deinde fuisse revocatum;

589 *Argumentum quoque, quod ex transfiguratione sumit Ambrosius, solum ostendit in ea ipsum fuisse sententia, quod tempore transfigurationis vivus apparuerit* Moyses, *sicut vivus apparuit Elias. At hinc determinari nequit, utrum crediderit* Moysen *fuisse ad vitam revocatum permanentem, an vero corpus integrum ab anima ad breve tempus fuisse resumptum, ut vivus adesset transfigurationi. Verba inferius posita,* Nemo ergo scit sepulturam Moysi, quia vitam ejus omnes noverunt, *magis favent resurrectioni ad vitam permanentem, videnturque prorsus insinuare, Ambrosium credidisse,* Moysen *fuisse ad vitam revocatum, sicuti Christus ipse resurrexit. Eamdem sententiam insinuat* E *hæc comparatio inter Christum et* Moysen *instituta:* Ut prærogativam Domini intelligas, Servi gratiam, de Moyse legitur, quia sepulturam ejus nemo scit: de Christo autem, Sepultura ejus de terra sublata est; quia ille secundum mysterium Legis exspectabat redemtionem, ut resurgeret: hic secundum Euangelii donum redemptionem non exspectabat, sed donabat. *Prærogativa Christi erat, resurgere a mortuis. Cum igitur idem attribuat Sanctus doctor* Moysi *per gratiam, quod Christus habuit per prærogativam, omnino videtur sentire,* Moysen *fuisse ad vitam revocatum. Hactenus de loco admodum obscuro S. Ambrosii.*

uti S. Hieronymus etiam uno loco videtur dicere,

590 *Quod autem spectat ad resurrectionem* Moysis, *eidem sententiæ favet S. Hieronymus in cap.* 8 *Amos, ubi sic loquitur:* Ascendit Dominus in cælum cum Enoch; ascendit cum Elia; ascendit cum Moyse, cujus sepulturæ locus, quia in cælum ascenderat, in terra non potuit inveniri. *Verum dubitari potest, an hic agatur de ascensione corporea, cum subdat:* Ascendit cum Paulo *etc.; et magis etiam, quia præmiserat de Christo:* Quotidie credentes et membra F corporis sui ædificat; et de terris ad cælum levat, ut in illis ipse conscendat. *Certe Paulus ipse de raptu suo ait* 2 *Cor.* 12, ℣ 2, Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, *ideoque credibile non est, voluisse S. Hieronymum asserere, Pauli raptum fuisse corporeum. Et, licet raptus ille fuisset corporis, non ascendit tunc in cælum, ut ibidem maneret. Multo minus* credentes *levantur sic* quotidie *in cælum, ut ibi corpore et anima permaneant. Ex hisce recte concluditur, S. Hieronymum non loqui de vera et corporea ascensione vel elevatione in cælum, cum illa intelligi nequeat de omnibus, quos recenset.*

qui clare mortuum dicit cum Isidoro et Augustino.

591 *Mentem suam clarius aperuit S. Hieronymus lib.* 2 *adversus Jovinianum, magnum inter* Moysen *et Eliam assignans differentiam his verbis:* Breviter audiant; Moysen mortuum et sepultum, Eliam igneo curru raptum *etc. Et in Cap.* 17 *Matthei, ita loquitur de transfiguratione Domini:* Hic vero, ut Apostolorum augeat fidem, *(Christus)* dat signum de cælo, Elia inde descendente, quo conscenderat, et

Moyse

A Moyse ab inferis resurgente. *Hæc verba manifeste indicant, ne resurrectionem quidem* Moysis *ab Hieronymo fuisse agnitam, saltem ante transfigurationem Christi. S. Isidorus lib. de Sanctis in elogio* Moysis *de ipsius morte scribit sequentia :* At extremum conscendit montem Nebo, terramque promissionis, demonstrante Domino, aspicit : mortuusque est, jubente Domino, in monte Abarim, sepultusque a Domino in valle Moab, quæ est in Arabia. Rexit autem populum Dei in heremo annis quadraginta, obiitque annorum centum viginti. Quidam autem vivere eum testantur, pro eo quod sepulcrum ejus non reperitur, et quia apparuit Domino in monte cum Elia. Mortuum autem illum esse, non raptum, certissime sacra Scriptura testatur. *Consentit S. Augustinus tract.* 124 *in Joannem, ubi sic habet :* Si quidam Moysen, mortuum negant, quem Scriptura ipsa, ubi sepulcrum ejus nusquam inveniri legimus, mortuum tamen esse sine ulla ambiguitate testatur *etc.*

Sepultus dicitur ministerio angelorum :

592 *Nonnulli voluerunt*, Moysen *fuisse sepultum a se ipso, seu obiisse in sepulcro, quod vivus intraverat. Alii credunt a Josue et Eleazaro clanculum fuisse sepultum. Hasce opiniones* B *refert et non refutat, Calmetus in Dissertatione de morte et sepultura* Moysis. *Verum neutra mihi apparet probabilis. Prioris falsitas facile ostenditur ex loco mortis et sepulturæ distincto : nam mortuus est in monte, sepultus vero in valle. Non potest igitur verum esse, in sepulcro suo obiisse* Moysen. *Sepultum quoque non fuisse a Josue et Eleazaro, quamvis id* verisimile *dicat Calmetus, mihi certum videtur : illi enim sepulcrum ipsius cognovissent, si corpus eidem intulissent : at, teste Scriptura,* non cognovit homo sepulcrum ejus. *S. Hieronymus Epist.* 37, *alias* 53, *ad Riparium ait,* Moysi corpusculum . . juxta Hebraïcam veritatem ab ipso sepultum Domino : *per ipsum Dominum videlicet ministerio angelorum, ut habent alii. Audi S. Epiphanium hæresi* 64 : Quandoquidem, *inquit,* sacræ istud Litteræ significat : non esse ab hominibus Moysis corpus sepultum ; sed ab angelis videlicet : quod verba ipsa tacite intelligentiæ nostræ subjiciunt. *Anteobservarat, jussum esse in montem ascendere et illic mori,* ut illius sepulturam ho- C minum nemo cognosceret. *Hæc sententia de sepultura* Moysis *per angelos Dei ministros, uti plurimos habet adstipulatores, sic et longe aliis est præferenda : nam cum disputaverit Michaël archangelus cum diabolo de corpore sancti Legislatoris ; verisimillimum est, id contigisse in sepultura, ut jam ante monui.*

mortis tempus

593 *Annus Sancti emortualis difficultatem nullam habet, cum certum sit eum obiisse anno quadragesimo ab egressu ex Ægypto. At dies obitus et mensis non tam certo assignari potest. Facile tamen ostenditur obiisse* Moysen *circa finem mensis undecimi aut initium duodecimi. Quippe, ut legitur Jos.* 4 ℣ 19, *Israëlitæ Jordanem transierunt anno sequente* decimo die mensis primi. *Inter obitum autem* Moysis *et transitum Jordanis intercesserunt primo triginta dies luctus, qui absumpserunt mensem integrum duodecimum, si obierit ultimo die mensis undecimi aut primo sequentis. Secundo, finito luctus tempore, missi sunt exploratores in Jericho, atqui hi præter itum et reditum* tres dies *latuerunt in montibus, ut habetur Jos.* 2 ℣ 22. *Reversis vero exploratoribus, Josue movit castra versus Jordanem*, et morati sunt ibi tres dies *Jos.* 3 ℣ 2. *Quarto demum die Jordanem transiit. Hæc omnia simul computata facient dies novem aut decem, ita ut necessario obitus* Moysis *statui non debeat post diem primum mensis duodecimi, sed non æque certo dici possit, an non contigerit uno alterove die citius.*

AUCTORE J. S.

§ LI. Ultima Sancti gesta, obitusque et sepultura ex Josepho et Philone.

Josephus

Josephus lib. 4 cap. 8 *sub finem gesta et monita postrema sancti Legislatoris exequitur, referens Jesum seu Josue etiam prophetasse, quia simul cum* Moyse *recitavit Canticum ante memoratum, in quo futura prædicuntur. At Josue attribuendum non est Canticum istud, sed* Moysi, *saltem præcipue, etiamsi Hebræus scriptor de Josue solo loquatur, ita scribens :* Sed et Jesus, superstite etiam tum et præsente Moyse, vaticinatus est, quidquid pro salute populi E gesturus erat, vel foris bello administrando, vel domi ferendis legibus, et ad vivendi rationem recens institutam eos præparans, divino monitu se præsagire aiebat, quod si patriam religionem violarent, clades non effugerent. Nam et regionem ipsorum armis exterorum opplendam, et urbes diruendas, et templum incendendum, et ipsos sub hasta victoris venundandos, serviturosque gentibus, quæ afflictorum nulla miseratione tangerentur : ac tum demum seram atque inutilem erratorum pœnitentiam acturos. Deum tamen ipsorum conditorem, et urbes suis civibus et templum populo redditurum. Hæc autem fore, ut non semel tantum amittant, sed sæpius.

de ultimis

595 Deinde Moyses exhortatus Jesum, ut in Chananæos exercitum duceret, affuturumque cœptis ejus Deum pollicitus, et populo omnia fausta ominatus : Quoniam, inquit, ad patres nostros abeo, et Deus hanc mihi diem abitus præfinivit, gratias illi vivens adhuc et vobis præsentibus ago pro cura ac providentia, quam de rebus vestris hactenus habuit, non solum de- F pellendis adversis, sed commodis etiam largiter exhibendis : et quia laborem meum ac solicitudinem, dum vestrum statum in meliorem fortunam reducere conor, propicius semper adjuvit : imo vero ipse et exorsus est rem et absolvit, me ministro usus vicario in obeundis, quæ ad vestram felicitatem pertinere visa sunt. Quapropter æquum est, ut priusquam decedam, ejus potentiæ, qui et in posterum vobis non deerit, dignas laudes rependam, meque hoc debito exolvam, vestræque memoriæ commendem, quod hunc solum colere et venerari convenit : et leges ejus habere in precio, ut quæ omnibus reliquis donis jam acceptis, aut in posterum a propicio conferendis, longe sint anteponendæ. Gravis enim adversarius est vel homo legislator, si constitutionibus suis autoritatem adimi sentiat : Dei veri indignationem absit ut experiamini, quæ legibus ipsius contemptis excitari posset.

Moysis gestis,

596 Hæc postrema verba Moyse loquente, et singulis tribubus sua fata aperiente, universa multitudo in lacrymas erupit, ut et mulieres plangentes dolorem ob futuram ipsius mortem conceptum declararent, quin et pueri præ mœroris

AUCTORE J. S.

roris impotentia plorantes præ se ferebant, quod tanta esset Viri virtus ac magnificentia, ut ne illam quidem ætatem latere posset. Itaque certamen quoddam erat inter minores et grandiores, utros major haberet mœstitia. Alteri enim intelligentes quali orbarentur Antistite, futuram suam conditionem lamentabantur. Alteri hoc ipsum lugebant, quod priusquam ejus virtutem satis degustassent, jam carendum eo seque destituendos videbant. Quantus autem fuerit populi ploratus et querimoniæ, conjecturam capere licet ex eo, quod tum Prophetæ accidit. Quamvis enim persuasissimum semper habuit, non esse instante morte dolendum, ut, quæ præter Dei voluntatem ac naturæ leges non veniat, viso tamen affectu populi, a lacrymis temperare non valuit. *Hæc Josephus. qui fletum illum universorum non didicit ex sacris Litteris, cum de tanto populi ploratu ne verbum quidem ibidem legatur. Fateor tamen luctum illum fletumque populi admodum esse verisimilem. At non tam est verisimile, ut pro certo affirmari debuerit,* Moysen *ipsum erupisse in lacrymas, quæ omitti poterant, uti in scriptura omissæ sunt, cum*
B *prorsus sint incertæ. Præterea pœnitentiam Hebræorum vocare non debuerat* inutilem, *cum quod pœnitentia de peccatis semper sit utilis ad salutem æternam, tum quod pœnitentia Israëlitarum iis frequenter utilis fuerit etiam ad recuperandum felicitatem temporalem, idque ipsum* Moyses *prædixerit. Adhortatio quoque* Moysis *ex solis fere conjecturis concinnata est a Josepho, nec satis est conformis sacræ Scripturæ, in qua futura populi peccata prædicuntur, eorumque supplicia enuntiantur.*

morteque et sepultura

597 *Discessum et obitum Prophetæ deinde Josephus narrat hoc modo :* Dum vero eo proficiscitur, ubi dispariturus erat, omnes cum fletu sequebantur. Tum Moyses his, qui longius aberant, manu mota significavit ut consisterent : propiores autem rogabat, ne excessum suum lacrymabilem facere pergerent, cum fletu prosequendo. Illi vero et hanc extremam gratiam ei referendam existimantes, ut quemadmodum cupiebat, seorsum secederet, continuerunt se inter se lacrymantes. Solus autem senatus eum deduxit, et pontifex Eleazarus, et imperator Je-
C sus. Ut vero in monte Abari vocato constitit, qui celsus e regione Hierichuntis attollitur, et conscendentibus late Chananææ terræ prospectum exhibet, senatum dimisit. Cumque post mutuos complexus Eleazaro ac Jesu ultimum vale diceret, inter loquendum repentina nube circundatus in vallem quandam est ablatus. In sacris autem voluminibus scripsit se mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent. Vitæ ejus tempus universum centum viginti annorum fuit, cujus tertiam partem in imperio exegit, uno mense minus.

scribens,

598 Mortuusque est ultimo anni mense, die prima mensis, qui a Macedonibus Dystrus dicitur, a nostris vero Adar. Vir omnium quotquot unquam fuere prudentissimus, et qui consilia bona optime nosset exequi : adhæc eloquentia et in tractando populo gratia et dexteritate incomparabilis : affectus quoque ita semper in potestate habuit, ut omnino illis carere videretur, et nomina tantum eorum ex his, quæ in aliis hominibus conspiceret, cognita habere : imperator idem cum primis bonus, vates vero, qualis nemo alius, ut omnia ejus verba vim oraculorum obtinerent. Quapropter triginta diebus cum luxit populus, cui nunquam quidquam tristius acD
cidit quam tunc Prophetæ mors. Nec in præsens tantummodo sui desiderium reliquit, sed maximam apud omnes existimationem, quotquot scripta ejus evolvere contigit, dum ejus virtutem ex illis æstimant. Atque hæc sunt quæ de Moysis exitu dicenda habuimus. *Hactenus Josephus, ad cujus relationem aliqua sunt observanda.*

599 *Primo incertum est, an abeuntem* Moysen *omnes sint secuti : æque incertum, an a senatu, seu a principibus, deductus sit in montem ; quia de hisce nihil legitur in Scripturis. Imo parum probabile est, principes comitatos esse in montem, cum videatur voluisse Deus, ut* Moyses *montem solus ascenderet, aut fortasse comitantibus Eleazaro Pontifice et Josue successore. Certe Scriptura Num. 20 memorat, quinam cum Aarone morituro ascenderint montem Hor : at de morte* Moysis *agens nullum assignat comitem. Secundo magis improbabile est, quod ait.* Moysen *præsentibus Eleazaro et Josue, repentina nube circundatum et in vallem quamdam fuisse ablatum : nam quamquam nul-* E
lus videatur scivisse, quo mortis genere Moyses *obierit, ideoque Scriptura solum dicat, eum obiisse,* jubente Domino, *tamen certum est defunctum esse in monte, priusquam corpus transferretur ad vallem, quod hic videtur negare Josephus. Deinde, si Eleazaro et Josue adstantibus, repentina fuisset nube circumdatus et ablatus, id ipsum narrare non prætermisissent : mortem enim* Moysis *ab alterutro verisimiliter scriptam esse, non ab ipso* Moyse, *infra dicemus.*

varie labitu.

Philo quoque

600 *Philo lib. 3 in fine mortem* Moysis *narrat his verbis :* Postremo migraturus ad Superos, et exuta mortalitate ad immortalitatem transferendus, vocante Patre, ut eum e duplici corporis animæque natura transformaret in simplicem, jam tum prope totus versus in animum et quidem illustrissimum, repletus divino spiritu, non solum in universum gentem suam præmonuit, verum etiam singulis tribubus suos casus futuros aperuit : quorum pars jam evenit, reliquum, adhuc spectatur, ea fide repræsentandum olim, quam experti sumus in præteritis oraculorum eventibus. Postulabat enim rei dignitas, ut quorum tam diversa fuit origo, præsertim materno genere, F
hi secuti diversa studia consiliaque, haberent etiam sua fata præsignata oraculis. Miranda sunt hæc, sed magis etiam mirari convenit finem sacrorum, quæ reliquit, voluminum, quæ sunt seu caput juris totius.

in morte et sepultura referenda

601 Jam enim assumendus, et in ipsis stans carceribus, unde ad cælestem metam erat evolaturus, tunc quoque afflatus divinitus, vivens adhuc prophetavit de seipso tanquam mortuo, ante obitum narrans se mortuum sepultumque inspectante nemine, videlicet manibus non mortalium, sed virtutum immortalium, ne majorum quidem monumentis illatum : quippe cui monumentum contigit eximium haud cuiquam notum homini. Luxit eum universa gens lachrymis diffluens per mensem integrum, accedentibus ad publicum luctum privatis affectibus, quandoquidem erat inenarrabilis ejus providentia benevolentiaque erga universos ac singulos. Hujusmodi fuit vita obitusque Mosis, regis, legistatoris, vatis et pontificis, sicut sacris literis proditur. *Hæc Philo in Vita* Moysis, *quam hic claudit. Scripsit quidem idem auctor in aliis Opusculis non pauca de sancto Legistatore, eaque suis locis*

cis inseri et examinari potuissent : at ea attingere nolui, ne molem hujusce Commentarii augerem ; præsertim cum veritas nec ex Philone nec ex Josepho haurienda sit, sed ex sacra Scriptura.

nonnihil corrigitur.

602 *Ad locum vero adductum duo observanda. Primo obscuriora sunt illa verba,* Ut cum e duplici corporis animæque natura transformaret in simplicem. *Zinus apud Surium verba Græca vertit hoc modo :* Qui ipsum a se ex duobus, corpore nimirum animoque compactum, in naturam unam redacturus erat. *At neutra interpretatio mihi genuina apparet. Quare verba Græca accipe :* Ὃς αὐτὸν δυάδα ὄνταν, σῶμα καὶ ψυχὴν, εἰς μονάδος ἀνεστοιχειοῦτο φύσιν. *Interpretatio litteralis hæc est :* Qui ipsum duo existentem, corpus et animam, in unius naturam resolveret. *Porro innuunt hæc verba errorem Plantonis, qui docuit animas exstitisse ante corpora, sed deinde ob peccatum in corpora fuisse conjectas: nam alioquin homo duabus quidem constat partibus, corpore scilicet et anima, sed una solum hominis est natura, non gemina. Secundo quod asserit cum Josepho,* Moysen *scripsisse,* se mortuum sepultumque, *parum est probabile, ut dicemus infra latius.*

§ LII. Elogia quædam ex sacris Litteris : quomodo apparuerit cum Christo in transfiguratione.

Elogia quædam

M*emoriam* Moysis *Ecclesiasticus tali commendavit elogio cap.* 45 : Dilectus Deo et hominibus Moyses : cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, et magnificavit eum in timore inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, et jussit illi coram populo suo, et ostendit illi gloriam suam. In fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, et elegit eum ex omni carne. Audivit enim eum, et vocem ipsius, et induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, et judicia sua Israël. *Breve ipsius Domini elogium Num.* 12 ℣ 6 *his verbis exprimitur :* Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est : ore enim ad os loquor ei, et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum vidit. *Verum hoc jam suo loco recitatum est, uti et alia multa, quæ idcirco non repetam. Psalmista vero præter alia ex ipso data Psal.* 98 *habet :* Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus : et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus : invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia ejus, et præceptum, quod dedit illis, *etc. Et Psal.* 102 ℣ 7 : Notas fecit vias suas Moysi.

servi Dei Moysis,

604 *Observatione quoque dignum est, quod nullus in sacris Litteris ita passim nominetur* servus *aut* famulus *Dei quam* Moyses, *cui id nomen est quasi proprium. Tædiosum est omnes locos recensere, ubi a Deo vel a Sanctis honorifico hoc nomine insignitur. Lubet tamen aliquot adferre pro specimine Jos.* I ℣ I : Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, et diceret ei : Moyses servus meus mortuus est *etc. Rursum* ℣ 6 *ait Dominus Josue :* Confortare . . . ut custodias et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus. ℣ 13 *dicit Josue :* Mementote sermonis, quem præcepit vobis Moyses famulus Domini. *Et* ℣ 15 : Revertimini in terram, . . . quam vobis dedit Moyses famulus Domini. *Jos.* 8 ℣ 31 : Sicut præceperat Moyses famulus Domini. *Gabaonitæ Jos.* 9 ℣ 24 : Nuntiatum est nobis, . . . quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo *etc. Cap.* XI ℣ 12, Moyses famulus Domini. *Ita deinde frequentissime nominatur : at infinitus sim, si locos omnes huc accumulare velim. Quapropter unum dumtaxat addam locum Apostoli Heb.* 3, *ubi* Moyses *comparatur cum Christo, tamquam famulus Dei cum Filio Dei, diciturque* ℣ 5 : Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant.

quem Dominus singulari modo protexit,

605 *Ad laudem* Moysis *etiam magnopere conducit, quod singulari modo a Deo adjutus fuerit et protectus. Hujusce autem divini auxilii et protectionis singularis plurima quoque in sacris Litteris reperiuntur testimonia præter ea, quæ suis locis inseruimus. Jos.* I ℣ 5 *dicit Dominus ad Josue :* Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum. *Et Israëlitæ* ℣ 17 : Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus et tibi : tantum sit Dominus Deus tuus tecum, sicut fuit cum Moyse. *Rursum cap.* 3 ℣ 7 *dicit Dominus ad Josue :* Hodie incipiam exaltare te coram omni Israël, ut sciant quod, sicut cum Moyse fui, ita et tecum sim. *Et cap.* 4 ℣ 14 *dicitur :* In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israël, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret. *Singularis Dei in* Moysen *favor declaratur Isaiæ* 63 ℣ XI *his verbis :* Et recordatus est *(Dominus)* dierum seculi Moysi, et populi sui : ubi est, qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui ? ubi est, qui posuit in medio ejus spiritum Sancti sui ? Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. Quasi animal in campo descendens, Spiritus Domini ductor ejus fuit : sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ. *Quanti valerent apud Deum preces* Moysis, *colligitur ex Jeremiæ cap.* 15 ℣ I *his verbis :* Et dixit Dominus ad me : Si steterit Moyses et Samuel coram me *(ad orandum nimirum)* non est anima mea ad populum istum. *Adducitur* Moyses *cum Samuele, tamquam potentissimus apud Deum patronus ; uti et suis jam locis frequenter patuit, quam efficaces essent* Moysis *preces.*

et cujus Christus ipse sæpe honorifice meminit, qui et cum transfigurationi adesse voluit :

606 *Christus ipse* Moysen *frequenter commendavit tum observationem Moysaicæ Legis mandando, uti factum est Matth.* 8 ℣ 4, *Marc.* I ℣ 44, *Luc.* 5 ℣ 14 ; *tum Legem servando, uti legitur circumcisus et oblatus in templo secundum Legem, tum ipsius auctoritatem inculcando, quemadmodum fecit Matth.* 23 ℣ 2 *his verbis :* Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi. Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facite. *Et Luc.* 16 ℣ 29 *Abraham sic loquentem inducit :* Habent Moysen, et prophetas : audiant illos. *Et* ℣ 31 : Moysen, et prophetas non audiunt : neque, si quis ex mortuis

AUCTORE J. S.

mortuis resurrexerit, credent. *Joan.* 5 ℣ 45 *ita Judæos alloquitur Dominus :* Est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis. *Multa alia missa facio, quibus honorificam de* Moyse *mentionem fecit Dominus. Verum præcipue sanctum Legislatorem honoravit Dominus, quando eum cum Elia præsentem esse voluit in gloriosa transfiguratione sua in monte Thabor. Historiam illam refert Matthæus cap.* 17 *ubi de* Moyse *et Elia sic legitur* ℣ 3 : Et ecce apparuerunt illis *(Petro, Jacobo et Joanni, illic præsentibus)* Moyses et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. *etc. Marc.* 9 ℣ 3 : Et apparuit illis Elias cum Moyse : et erant loquentes cum Jesu. *Luc.* 9 ℣ 30 : Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses et Elias, visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusa- B lem. *Petitio Petri utrobique etiam additur, uti apud Matthæum.*

an Moyses transfigurationi interfuerit in corpore assumpto,

607 *Porro in explicanda hac* Moysis *apparitione cum Elia non convenit inter scriptores, qui in varias abierunt sententias. Primo non sequenda nec multum curanda videtur sententia illorum, qui crediderunt non vere, sed solum phantastice apparuisse* Moysen *et Eliam : nam Scriptura clare asserit, ambos apparuisse, et locutos esse cum Christo. Secundo ex vera* Moysis *præsentia in transfiguratione non posse probari eum non fuisse vere mortuum, jam dictum est* § 50. *Tertio ibidem num.* 591 *adduxi verba S. Hieronymi, asserentis* Moysen *ab inferis resurrexisse, ut adesset. Verum S. Thomas* 3 *part. quæst.* 45 *art.* 3 *ad secundum verba S. Hieronymi sic exponit :* Quod non est sic intelligendum, quasi anima Moysi suum corpus resumpserit; sed quod anima ejus apparuit per aliquod corpus assumptum, sicut angeli apparent. Helias autem apparuit in proprio corpore, non quidem de cælo empyreo allato, sed de aliquo eminenti loco, in quem fuerat in curru igneo raptus. *Idem de* C Moysis *apparitione docet in cap.* 17 *Matthæi. Vult igitur S. Thomas hanc esse differentiam inter apparitionem* Moysis *et Eliæ, quod hic apparuerit in proprio corpore, anima vero* Moysis *assumpserit alienum corpus, in eoque apparuerit. Hanc sententiam jam ante docuerat Tertullianus lib.* 5 *de Resurrectione carnis cap.* 55 *his verbis :* Ubi etiam Moses et Helias, alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ, eamdem tamen habitudinem corporis, etiam in gloria perseverare docuerunt.

an potius in proprio corpore hunc in finem ad tempus animato?

608 *Verumtamen plures alii docent,* Moysen *in proprio corpore apparuisse, atque inter illos certo recensendi sunt S. Hilarius et S. Ambrosius, quorum verba data sunt num.* 585 *et* 587. *Auctor de Mirabilibus sacræ Scripturæ, editus post tomum tertium Operum S. Augustini postremæ editionis, lib.* 3 *cap.* XI *sententiam suam clare explicat his verbis :* Sed dum Elias manens adhuc in corpore vel ad talem conductionem venerat, quid de Moyse dicendum est? Utrum in corpore iterum ad hanc ostensionem aderat : an ex aere simulatum, sicut Samuel visus est, habitum fingebat? Et si suo corpore indutus venit, si hac vice resurrectionem suam, quæ ceteris non nisi in novissimo est futura, D complevit? De qua quæstione auctores, una eademque sententia prolata, non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus discipulis suis, et Elias, non cum imaginatis, sed veris corporibus convenisse non dubitantur, et ipse Moyses in suo vero corpore resumto videtur. Sed si Dominus Jesus primogenitus mortuorum recte creditur : Moysi iterum post hanc visionem corpus sepulturæ commendatur, ut ipsum in novissimo die, quando resurgent mortui, assumere posset. *Hæc sententia, qua dicitur* Moyses *corpus suum resumpsisse, et deinde rursum deposuisse, magis conciliari potest, cum ante adductis S. Hieronymi verbis et pluribus probatur scriptoribus. Eamdem quoque approbavit S. Augustinus tract.* 124 *in Joannem, ubi refutat opinionem quorumdam, qui credebant S. Joannem non esse mortuum, atque ita scribit :* Non enim possunt deesse, qui credant *(Joannem vivere,)* si non desunt, qui etiam Moysen asserant vivere ; quia scriptum est ejus sepulcrum non inveniri, et apparuit cum Domino in monte, ubi et Elias fuit, quem mortuum E legimus non esse, sed raptum. Quasi Moysi corpus non potuerit alicubi sic abscondi, ut prorsus homines lateret, ubi esset, atque inde ad horam divinitus excitari, quando cum Christo Elias et ipse sunt visi : sicut ad horam multa Sanctorum corpora surrexerunt, quando passus est Christus ; et post ejus resurrectionem apparuerunt multis in sancta, sicut scriptum est, civitate.

S. Hilarius credidit Moysen in fine mundi cum Elia rediturum ;

609 *Fuerunt quoque nonnulli, qui existimarent* Moysen *in fine mundi rediturum cum Elia. S. Hilarius cap.* 20 *in Matthæum hanc opinionem insinuat his verbis :* Et hos quidem eosdem prophetas duos prævenientes adventum ejus esse intelligimus, quos Apocalypsis Johannis ab Antichristo perimendos esse dicit : licet variæ vel de Enoch, vel de Jeremia, plurimorum exstiterint opiniones, quod alterum eorum sicut Eliam mori oporteat. Sed non possumus veritatis fidem, quam Dominus tribus superioribus testibus revelavit, sensus nostri opinione corrumpere : neque alios venturos existimare, quam qui ad sponsionem fidei *(id est, transfigurationem)* F venisse conspecti sunt. *De* Moyse *loquitur et Elia, quos ante nominaverat. Eamdem opinionem asserit S. Hilarius tract. in Psalm.* 52 *num.* 12. *Locus Apocal.* XI ℣ 3 *hic est :* Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, et devorabit inimicos eorum : et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ eorum : et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos. Et corpora eorum jacebunt plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est *etc.*

sed idoneæ rationes non sunt pro hac sententia,

610 *Alterum ex hisce testibus fore Eliam communi consensu docent Patres ex Malach.* 4 ℣ 5, *et aliis Scripturæ locis. Alterum fore Enoch plerique Patres crediderunt, dissentiente tamen,*

AUCTORE J. S.

A *men, ut vidimus, S. Hilario, quem secuti sunt aliqui recentiores. Ratio illorum est, quod sicut alluditur ad* potestatem *Eliæ,* 3 *Reg.* 17 *exercitam,* claudendi cælum, ne pluat, *ita etiam alludatur ad potestatem* Moysis *convertendi aquas in sanguinem, uti factum ab ipso constat Exod.* 7. *At frivola est hæc ratio, nec idonea hæc conjectura, ut aliquid statuatur contra unanimem fere Patrum et doctorum consensum, præsertim cum de morte* Moysis *constet, nec verisimile sit, ad vitam esse revocatum, ut in fine mundi iterum moreretur. Alia est ratio de Elia et Enoch, qui hactenus in vita servati sunt. Et Enoch quidem* translatus *dicitur Eccli.* 44 ℣ 16, ut det gentibus pœnitentiam. *Hæc sane verba insinuant futuram ipsius prædicationem apud gentiles; sicut futura Eliæ prædicatio apud Judæos prædicitur Malach.* 4 ℣ 5 *et* 6, *Eccli.* 48 ℣ 10, *et Matth.* 17 ℣ XI. *De* Moyse *vero nihil simile in ullo sacræ Scripturæ loco dictum invenitur. Quod autem apparuerit cum Elia in transfiguratione nihil evincit pro futuro adventu, cum nulla inter illam apparitionem et futuram* B *prædicationem tempore Antichristi sit connexio. Quapropter tuto insistemus sententiæ Patrum, ex Scripturis haustæ, quæ non* Moysen, *sed Enoch facit Eliæ socium in futura illa prædicatione.*

et plerique existimant Enoch fore Eliæ socium,

611 *Tertullianus lib. de Anima cap.* 50 *:* Translatus est, *inquit*, Enoch et Helias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterum morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant: *id est, ut sanguine suo obtineant a Deo mortem Antichristi. S. Augustinus tum aliis locis, tum lib.* 9 *de Genesi ad litteram cap.* 6 *ad propositum nostrum ita scribit:* Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse jam, sicut erunt Sancti, quando peracto operis die denarium pariter accepturi sunt; vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit. Jam itaque aliquid melius habet, quam in hac vita posset; quamvis nondum habeat, quod ex hac vita recte gesta in fine habiturus est. *Et mox de* Enoch *dicit :* Qui, filiis genitis, Deo placens non mortuus, C sed translatus est. *Et demum de utroque :* Nam si Enoch et Elias, in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam (*id est, ad vitam communem et societatem aliorum hominum*) et, quod tamdiu dilatum est, morituri, nunc tamen in alia vita sunt, ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt. *Mitto alios Patres, quia res ad* Moysen *proprie non spectat : et adjungo breve ratiocinium. Cum constitutum sit omnibus hominibus semel mori; cumque constet Enoch et Eliam necdum obiisse; dubitare non possumus, quin mortem sint obituri. Itaque nihilo magis dubitandum videtur, quin illi ipsi sint illi duo testes, quos occidet Antichristus, præsertim quia prior servatus est a morte,* ut det gentibus pœnitentiam; *alter vero* venturus est, et restituet omnia, *ut loquitur Christus Matth.* 17 ℣ XI.

§ LIII. Utrum Moyses in vita viderit divinam essentiam ?

Doceut aliquando S. Augustinus divinam essentiam

Possem huc congerere plurima atque illustria elogia, quibus sancti Patres Legislatorem Hebræorum exornarunt, et non pauca in hunc finem jam annotaveram : verum cum omnia ex sacris Litteris, tamquam ex fonte, sint hausta, huic collectioni supersedeo. Attamen examinare lubet, quibus nitatur fundamentis singularis prærogativa, quam Moysi *attribuerunt nonnulli, qui existimant divinam essentiam, ut loquuntur theologi, ab ipso in vita visam. S. Augustinus videtur duobus locis asseruisse, naturam aut substantiam Dei a* Moyse *fuisse conspectam in vita. Primo lib.* 12 *de Genesi ad litteram cap.* 27 *ita habet :* Concupiverat enim *(Moyses)*, sicut in Exodo (*cap.* 33 ℣ 13) legimus, videre Deum; E non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur: neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantum eam capere natura rationalis et intellectualis potest, sevocata ab omni corporis sensu, et ab omni significativo ænigmate spiritus. *Deinde refert, ubi id* Moyses *desideraverit, et quo modo idem Deus visus sit negasse per* responsum figuratum, *ut existimat : et demum hæc subjungit :* Nisi tamen concupitam et desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron et Mariam fratres ejus *etc. Adducit locum Num.* 12 ℣ 6 *et seq., quem postea examinabo : recitatisque verbis, observat visionem istam non fuisse corpoream, sed solius intellectus. Satis clare hic suam sententiam indicavit Augustinus, ut patet ex prioribus verbis, quibus exponit* Moysis *de videndo Deo desiderium, quod impletum affirmat.*

a Moyse in vita visam ;

613 *Non minus aperte eamdem sententiam asserit sanctus doctor in libro de Videndo Deo ad* F *Paulinam, (seu epist.* 147, *alias* 112) *cap.* 13, *ubi post multam disputationem, postque assertam S. Paulo eamdem prærogativam, de* Moyse *sic loquitur :* Quamquam et illi fidelissimo antiquo famulo Dei Moysi mirum nisi in hac terra laboraturo, populumque illum adhuc recturo, concessum est, quod petivit, ut claritatem Domini videret, cui dixerat : « Si inveni gratiam « ante te, ostende mihi temetipsum manifeste ». Accepit enim in præsentia congruum responsum, quod faciem Dei videre non posset, quam nemo videret et viveret, hoc modo significante Deo alterius potioris vitæ illam esse visionem. . Quod autem dicere institueram, desiderio ejus etiam illud, quod petierat, fuisse concessum, in libro Numerorum postea demonstratum est, ubi Dominus arguit contumaciam sororis ipsius, et dicit aliis prophetis in visione se apparere et in somno, Moysi autem per speciem, non per ænigmata : ubi etiam addidit, dicens : « Et glo- « riam Domini vidit ». Quid ergo est, quod eum sic fecit exceptum, nisi forte quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem Rectorem et Ministrum in tota domo sua fidelem,

AUCTORE J. S.

fidelem, ut quemadmodum concupiverat, videret Deum, sicuti est, quæ contemplatio cunctis filiis in fine promittitur. *Hæc S. Augustinus uno tantum sacræ Scripturæ loco fretus: nam multis locis fatetur necdum* Moysi *concessum fuisse istud privilegium, quando petivit Exod.* 33 ỷ 13: Ostende mihi faciem tuam.

at ratio illius sententiæ non satis apparet solida,

614 *Locus autem, ex quo talem* Moysis *prærogativam colligi existimavit eo tempore S. Augustinus, sunt verba Domini, seu angeli vicem ipsius gerentis, ad Aaronem et Mariam Num.* 12 ỷ 6: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei: et palam, et non per ænigmata et figuras Dominum videt. *At verba illa aut nimium videntur probare, aut non probare istud ipsum, quod quæritur. Quippe agitur de modo, quo solebat Deus cum* Moyse *agere, non de privilegio aliquo, eidem semel aut bis concesso. Itaque, si quid evinceret ille textus, evincere deberet Deum solitum esse videri a* Moyse
B *in propria substantia; non vero, semel dumtaxat aut iterum fuisse visum per privilegium aliquod singulare. Nullus autem, opinor, admiserit, consuetum fuisse* Moysen *videre divinam naturam seu essentiam. Ex eo igitur loco probari nequit,* Moysen *eo privilegio gavisum fuisse: sed verba exponenda sunt de majori familiaritate Dei, seu angeli, cum* Moyse, *quocum loquebatur tamquam præsens cum præsente, et cui mandata sua claris verbis exponebat, non per ænigmata aut figuras obscuras. Hæc aut similis expositio confirmari potest ex loco Exod.* 33, *ubi* ỷ 13 Moyses *ait Domino*, Ostende mihi faciem tuam: *et* ỷ 18, Ostende mihi gloriam tuam. *Cui* ỷ *respondet Dominus:* Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet. *Sane non satis intelligo, quo modo existimare possimus* Moysen *vidisse illud ipsum, de quo Dominus ei dicit,* Non poteris videre. *Itaque sive ibidem* Moyses *petierit videre divinam essentiam, sive clare intueri corpus illud gloriosum, quo angelus erat circumdatus, non videtur obtinuisse totum, quod petebat.*

uti ipse Augustinus agnovisse videtur, contrariam sententiam

C 615 *Ipse S. Augustinus deinde videtur agnovisse, claram Dei visionem* Moysi *concessam, nec ex allegato loco Num.* 12, *nec aliunde satis ostendi; ideoque scripsisse contraria priori sententiæ, quam ita tacite videtur retractasse, licet eam aperte non revocaverit in libris Retractationum. Opus de Genesi ad litteram scripsit sanctus doctor sub initium seculi* V; *ad Paulinam vero circa annum* 413, *ut ostendi in Commentario prævio ad ipsius Acta tom.* VI *Augusti pag.* 355 *et* 356. *Jam vero, si ostendi potest sanctum Doctorem in Operibus posterius scriptis, frequenter asseruisse sententiam contrariam, lector eruditus facile mecum perspiciet, S. Augustinum potius numerandum esse inter illos, qui claram Dei visionem viventi* Moysi *abjudicant, quam inter patronos opinionis oppositæ. Primo in Sermone* 122 *de Diversis, qui in postrema editione est* 23, *claram Dei visionem* Moysi *non attribuit viventi, ubi ibidem lector inveniet. Illud privilegium nihilo magis* Moysi *adscribit in Psalm.* 138 ỷ 6. *Dictam visionem* Moysi *quoque abjudicat quæst.* 154 *in Exodum. Hæc autem Opera duo ab Augustino conscripta sunt diu post librum ad Paulinam, laudatumque Opus de Ge-*
D *nesi. De tempore vero Sermonis memorati nihil certi potest statui; at verisimile est, etiam posterius dictum esse, cum visio clara Dei in illo similiter* Moysi *abjudicetur.*

frequenter docens et probans

616 *Præter locos solum indicatos, tres alios adducam, in quibus S. Augustinus solidis rationibus ostendit, visionem divinæ essentiæ, seu Dei,* sicuti est, *non esse* Moysi *adjudicandam in vita mortali. Evangelium S. Joannis exposuit Augustinus circa annum* 417, *ut dixi tom.* VI *Augusti pag.* 356. *Porro tract.* 3 *Joannem vehementer urget verba illa Joan.* I ỷ 18 Deum nemo vidit umquam, *et pergit sic ratiocinari:* Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est: typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat. Namque aperte habes in Lege: Et loquebatur Moyses cum Domino, contra in contra, sicut amicus cum amico suo. Sequeris ipsam Scripturam, et invenis Moysen dicentem: Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te. Et parum est quia dixit: responsum accepit, „ Non potes videre faciem meam „. E
Loquebatur ergo, fratres mei, cum Moyse angelus, portans typum Domini: et illa omnia, quæ ibi per angelum facta sunt, futuram istam gratiam et veritatem promittebant. *Tract.* 53 *in illa verba Joan.* 12 ỷ 41 Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus *etc. non minus clare loquitur.* Quid viderit Isaias, *inquit*, et hoc quomodo ad Dominum Christum pertineat, in libro ejus legundum et intelligendum est. Vidit enim non SICUTI EST, sed modo quodam significativo, sicut prophetæ visio fuerat informanda. Nam vidit et Moyses, et tamen ei, quem videbat, dicebat: Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te: quia non videbat SICUTI EST. Quando autem nobis hoc futurum sit, idem iste sanctus Johannes euangelista in Epistola sua dicit: „ Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuit, similes ei erimus, quoniam „ videbimus eum sicuti est „. Poterat dicere, QUONIAM VIDEBIMUS EUM, et non addere, SICUTI EST. Sed quia sciebat a quibusdam Patribus et prophetis visum, sed non SICUTI EST: ideo cum dixisset, VIDEBIMUS EUM, addidit, SICUTI EST. F
etc.

in Operibus posterius scriptis:

617 *Tertius locus se offert lib.* 2 *contra Maximinum Arianum, scripto ab Augustino sub finem vitæ, seu anno* 429, *in quo cap.* 26 *num.* 10 *sanctus doctor Maximinum ita alloquitur:* Frustra itaque asseris Filium Dei visum fuisse ab hominibus, Patrem autem non fuisse visum; cum per subjectam sibi creaturam et Pater videri potuerit, et Filius, et Spiritus sanctus; per suam substantiam nullus illorum visus est. Ergo Deus, sicut infirmis hominum sensibus, magis significatus quam demonstratus est. Non itaque visus est SICUT EST: hoc quippe in futura vita promittitur Sanctis. Unde dicit apostolus Johannes: „ Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, „ et nondum apparuit quid erimus: scimus au„ tem quia cum apparuerit, similes ei erimus, „ quoniam videbimus eum sicuti est „. Viderunt ergo et in hoc seculo Apostoli Dominum; viderunt, sed NON SICUT EST. Denique Moyses cum sibi cupiebat ostendi, quamvis cum eo facie ad faciem, Scriptura indice, loqueretur. *Similia repetit num.* 12. *Ex dictis intelligi potest S. Augustinum aliquando quidem existimasse et docuisse,*

A *docuisse, substantiam Dei a* Moyse *in vita fuisse visam singulari plane privilegio ; at illi opinioni non adhæsisse sanctum doctorem, ideoque eum non recte a quibusdam theologis laudari tamquam præcipuum illius sententiæ patronum. Si diligenter distinxissent tempora, quibus singula scripsit S. Augustinus, facile perspexissent, posteriorem ipsius sententiam citandam fuisse, non priorem; atque ex posteriori fuisse statuendum, pro qua parte stet auctoritas S. Augustini.*

priorem S. Augustini sententiam secutus est S. Thomas,

618 *S. Thomas* 2. 2. *q.* 174 *art.* 4 *probat* Moysen *fuisse excellentissimum omnium prophetarum veteris Testamenti, idque facile ostenditur ex posterioribus verbis Deuteronomii, quæ allegat. Verum ut* Moysis *excellentiam probet, asserit quoque divinam essentiam visam esse a* Moyse. *Ut autem probet hanc sententiam, allegat auctoritatem S. Augustini, locosque a nobis datos citat partim ibi, partim quæst.* 175 *art.* 3, *ubi idem privilegium* Moysi *et Paulo conatur asserere. Quin et eumdem locum Num.* 12, *quem attulerat S. Augustinus, similiter adducit ad probandum. Porro auctoritas S. Augustini, hunc laudante et se-* B *quente S. Thoma, non immerito maximi momenti visa est theologis, et nonnullos impulit ad sequendam prædictam sententiam. Verum si consideremus attente omnia, videlicet S. Augustinum ab illa sententia recessisse, et post sæpe docuisse contrariam ; S. Thomam vero unice fere niti tam auctoritate Augustini, quam ratione ab eo primum allegata, et deinde deserta : non magnopere amplius nos commovere poterit allegata auctoritas doctorum, licet maximorum. Quapropter ulterius investigandum est, an aliorum magni nominis Patrum sententia prædictæ opinioni magis faveat : nam pro ea citatos invenio S. Basilium et S. Ambrosium.*

eamdemque videtur docuisse S. Basilius:

619 *S. Basilius hom.* I *in Hexaëmeron ita de* Moyse *habet :* Qui octogesimum jam natus annum, Deum, quantum homini videre licet, vidit; imo quantum nulli alii datum est, juxta ipsum Dei testimonium : " Si fuerit propheta vester * Domino, in visione ei agnoscar, et in " somno loquar ei. Non ita velut servus meus " Moyses, in tota domo mea fidelis est. Os ad " os loquar ei, in specie, et non per ænigma- " ta ". Hic itaque divinæ ipsius faciei conspe- C ctu, perinde ac angeli, dignatus, ea, quæ a Deo audivit, nobis refert. *Idem Pater lib. de Spiritu sancto cap.* 26 *citans hæc verba Exod.* 33 ỷ 21, Ecce locus apud me, et sta super petram *(in Vulgata,* Et stabis supra petram*) sic loquitur :* Quid aliud appellans locum, nisi visionem in Spiritu, in qua cum esset Moyses, potuit videre Deum evidenter ipsi apparentem. *Utroque loco videtur sanctus doctor affirmare* Moysen *vidisse Deum ipsum mentis oculis, seu ipsam Dei substantiam; tum quia visionem* Moysis *comparat cum visione angelorum, qui certo Deum intuentur, tum quia secundo loco clare agit de visione in spiritu, dicitque potuisse* videre Deum EVIDENTER ipsi APPARENTEM : *nam* visio in spiritu *ostendit, non agi de visione Dei in assumpto aliquo corpore : et evidens apparitio evincit, non loqui Basilium de qualicumque visione inferioris ordinis, sed de visione, quam theologi vocant* intuitivam. *Qua de causa existimo S. Basilium in ea fuisse opinione, ut crediderit essentiam divinam a* Moyse *fuisse visam : nihil enim huic opinioni contrarium aliis locis ab eo scriptum reperio.*

* *Græce,* ὑμῶν *id est,* vestrum

AUCTORE J. S. verum S. Ambrosius, etsi uno loco loquatur obscure, docet contrarium ;

620 *S. Ambrosius, uti alias Basilium frequenter secutus est in libris Hexaëmeron, ita et hanc videtur sententiam expressisse lib.* 1 *cap.* 2, *ubi hæc scripsit :* Cui *(Moysi)* testificatur Scriptura, quia nemo surrexit amplius propheta in Israël, sicut Moses, quem scivit Dominus facie ad faciem. Non in visione, neque in somniis, sed os ad os cum Deo summo locutus ; neque in specie, neque per ænigmata, sed clara atque perspicua præsentiæ divinæ dignatione donatus. *Videtur, inquam, Basilio hic consentire S. Ambrosius : attamen verba ipsa tam clara non sunt, ut nequeant alio sensu exponi. Et sane videtur S. Ambrosius in alia fuisse sententia, quam apertius declarat locis aliis. In Psalm.* 118 *num.* 16 *ita scribit :* Legimus in veteri Testamento, quod deprecatus sit Moyses ut vultum Dei videret, et responsum sit ei : Nemo videbit faciem meam, et vivet. *Deinde locum variis modis, mystice et litteraliter, conatur exponere, et clare edicit, non obtinuisse* Moysen, *quod desiderabat. Quin et innuit petiisse* Moysen, *ut oculis corporeis Deum intueretur, sic scribens num.* 17 : Norat utique sanctus Vates Domini quod invisibilem Deum facie ad faciem videre non pos- E set : sed devotio sancta mensuram supergreditur, et putavit Deo etiam hoc esse possibile ; ut corporeis oculis faceret id, quod est incorporeum comprehendi. Non est reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas atque inexplebilis, quod Dominum suum velut manu tenere, et obtutu oculorum videre cupiebat, *etc. Quidquid sit de intentione petentis* Moysis, *non exauditum asserit num.* 18 *his verbis :* Irritus quidem erat postulationis effectus, sed affectus probabilis Servi; quia ultra naturam suam devotione progressus, de Domini angelis *(visis, ut ante dixit, in figura nimirum assumpta)* æstimabat, quantum in Domini vultum plus desideraret, quo cupiditatem suam gestiret explere. Noverat in ipso homine aliam futuram gloriam, aliam claritatem.. Qui ergo hæc scire poterat, merito præsumebat, ut vultum Dei videre cuperet, quem esset obita corporis morte visurus *etc. Ex his patet, non credidisse S. Ambrosium, vidisse* Moysen *divinam essentiam, cum affirmet eum non obtinuisse, quod petebat, cumque visionem illam ei solum post obitum attribuat. Eamdem sententiam S. Ambrosius clare docet in Psalm.* 43 *num.* 89. *Itaque et priora* F *Ambrosii verba non videntur exponenda de visione divinæ essentiæ ; sed de clara et perspicua cognitione præsentiæ divinæ, seu de revelationibus, quibus sine ambagibus aut ænigmatibus intelligebat voluntatem divinam per angelum sibi familiariter loquentem.*

uti et S. Gregorius Magnus,

621 *S. Gregorius Magnus lib.* 4 *in lib.* 1 *Regum, seu in cap.* 5 *num.* 9 *mystice explicans illa verba* ỷ 3 ascendentes ad Dominum in Bethel, *de Moyse sic loquitur :* Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando cum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem pervenerat, quam inhabitat Deus, lucem, quæ ipse Deus erat, quærebat, dicens : " Ostende " mihi faciem tuam ". De quo etiam scriptum est, quia " loquebatur Moysi Dominus facie ad " faciem ". Quid est, quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, et tamen Dominum obsecrat, ut faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei cognitio ejus est. Cognoscitur autem Deus per speculum cognoscitur per seipsum. Per speculum, hic, per semetipsum in cælo . . . Moyses autem, qui facie ad faciem Deum videre dicitur, et ejus faciem ad videndum

AUCTORE J. S.

videndum postulare, quid rectius designat quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt. *Post aliqua deinde indicat, quo usque viri perfecti, quos cum* Moyse *comparaverat, in hac vita pertingant, his verbis :* Cum multum in ista vita proficimus, videre ipsam lucem Conditoris per speculum possumus, in se ipsam autem minime valemus. *Hanc sententiam jam expresserat lib.* 1 *ejusdem Operis num.* 4 *his verbis :* Illa Conditoris nostri perfecta cognitio *(visio intuitiva)* a solis illis beatis civibus haberi potest, qui in superna illa sublimitate consistunt. *Non vult Gregorius, opinor, Deum absolute non potuisse talem gratiam alicui impertiri; sed noluisse id facere in hac vita degentibus,*

SS. Bernardus, Chrysostomus, Hieronymus, aliique,

622 *S. Bernardus similiter visionem essentiæ divinæ* Moysi *abjudicat Serm.* 2 *in Dominica Palmarum, ubi sic habet :* Attamen quantum ad alios, ipsi magis facie ad faciem eum vident, juxta quo item de Moyse scriptum est, quia ceteris quidem prophetis per visiones et somnia, Moysi vero facie ad faciem loquebatur. Quan-
B tum ad plenam sane visionem, nec ipse Moyses, dum viveret in hoc mundo impetrare potuit faciei ipsius visionem, quia, sicut ipse ait, « Non » videbit me homo, et vivet ». Non videbor, inquit, in hac vita : non videbit quis faciem meam in hac vita. *S. Chrysostomus Hom.* 15 *in Joannem explicans illa verba Joan.* I ỳ 17 Deum nemo vidit umquam *etc. rogat, cur id dixerit Joannes, cum* Moyses *aliique prophetæ Deum vidisse narrentur ; et respondet :* Ut ostenderet illa omnia attemperationem quamdam esse, non nudæ substantiæ visionem. Nam si ipsam naturam vidissent, non diverso vidissent modo *etc. S. Hieronymus lib.* 3 *Dialog. adversus Pelagianos sententiam suam declarat hoc modo :* Sin autem ab his, qui sunt mundo corde, in hoc seculo putas videri Deum, quare Moyses, qui prius dixerat : « Vidi Dominum facie ad faciem, » et salva facta est anima mea » : postea deprecatur, ut eum videat cognoscenter? Quem quia dixerat se vidisse, audit a Domino : « Non po» tes videre faciem meam. Non enim videbit » homo faciem meam, et vivet ». Unde et Apostolus invisibilem solum Deum, qui et lucem ha-
C bitat inaccessibilem, et quem nullus hominum viderit, neque possit videre, appellat. Et Johannes euangelista sacra voce testatur, dicens : « Deum » nemo vidit umquam. Unigenitus Filius, qui est » in sinu Patris, ipse narravit ».

quorum sententia videtur præferenda.

623 *Sumpsit quidem Hieronymus lapsu memoriæ verba Jacobi Gen.* 32 ỳ 30 *pro verbis* Moysis : *manet tamen vis primi argumenti, quia sæpe de* Moyse *similia referuntur. Alterum Hieronymi argumentum sunt verba Apostoli* I *Timoth.* 6 ỳ 16 *de Deo :* Lucem habitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. *Quibus addidit ex cap.* I ỳ 17, *quod* invisibilis *nominetur. Tertium argumentum ex Euangelio Joan.* I ỳ 18. *Addit deinde quartum ex* I *Joan.* 3 ỳ 2, *ubi nobis visio Dei pro altera vita promittitur his verbis :* « Scimus, » quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : » quoniam videmus eum sicuti est » : *quibus subdit :* Quamquam ergo filii Dei simus, tamen similitudo Dei, et vera contemplatio, tunc nobis repromittitur, quando apparuerit in claritate sua. *Hisce plura e Patribus addi possunt : at longe plura jam recensui, quam initio statueram.*

Quapropter ex allatis solum concludo, privilegium visæ Dei essentiæ non videri attribuendum sancto Legislatori, cum et sacræ Litteræ illud non affirment, sed negare videantur locis variis ; et Scripturas plerique Patres sic exposuerint. D

§ LIV. Pentateuchus a Moyse scriptus ostenditur.

Pentateuchus a Moyse scriptus,

Pentateuchum, *seu quinque primos sacræ Scripturæ libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deuteronomium, a* Moyse *fuisse exaratos, constans est traditio cum Judæorum tum Christianorum, eaque ex sacris Litteris facile confirmari potest. Non lubet huc congerere innumera testimonia, tum ex sacra Scriptura, tum ex sanctis Patribus, tum ex scriptoribus Hebræis et profanis auctoribus. Dabo tamen sufficientia ex singulis, ut agnosci possit hanc veritatem testatissimam esse, nec posse rem tam constanter traditam in dubium vocari, nedum* E *negari, ob difficultates quasdam, quæ moveri et objici solent ab hominibus, qui gloriæ sibi ducunt, si certissima quæque frivolis aliquot ratiunculis oppugnare, et inficiari valeant. Utar autem in hac disputatione opera aliorum, qui eamdem controversiam diligenter tractarunt, quique laborem singula argumenta colligendi non parum minuerunt : at non statui tam presse eorum insistere vestigiis, ut, si aliunde aliquæ rationes se mihi obtulerint, eas sim neglecturus ; aut etiam omnia aliorum argumenta sine delectu et examine sint adoptaturus.*

ut ostenditur

625 *Primo ex ipsis libris* Moysis *ostenditur, non pauca ipsum scripsisse. Exod.* 17 ỳ 14 *post relatam de Amalecitis victoriam* Moysi *dixit Dominus :* Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Josue. *Exod.* 24 ỳ 4 *alia a* Moyse *exarata dicuntur his verbis :* Scripsit autem Moyses universos sermones Domini. *Et* ỳ 7 : Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo. *Quod volumen, obsecro, legit* Moyses, *nisi leges a se conscriptas, prout in Exodo referuntur? Exod.* 34 ỳ 27 : Dixitque Dominus ad Moysen : Scribe tibi verba hæc, quibus et F tecum et cum Israël pepigi fœdus. *Et* ỳ 28 *:* Et scripsit in tabulis verba fœderis decem. *Ex hisce constat, varias partes Exodi scriptas esse a* Moyse. *Idem de libro Numerorum clarum est : nam Num.* 33 ỳ 2 *mansiones* descripsit Moyses juxta castrorum loca ; *id est, totum fere istud caput. Præterea constat ex Deut.* 31, *et Canticum* Moysen *scripsisse, quod habetur cap.* 32, *et Legis volumen, de quo Deut.* 31 ỳ 24. *Eodem cap.* ỳ 9 *hæc leguntur :* Scripsit itaque Moyses Legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, et cunctis senioribus Israël. Præcepitque eis dicens : Post septem annos, anno remissionis, in sollemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israël, ut appareant in conspectu Domini Dei tui in looo, quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Israël, audientibus eis, et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis et advenis, qui sunt intra portas tuas : ut audientes discant et timeant Dominum Deum vestrum, et custodiant impleantque omnes sermones Legis hujus : filii quoque eorum, qui nunc ignorant, ut audire

A dire possint, et timeant Dominum Deum suum cunctis diebus, quibus versantur in Terra, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam.

partim ex ipso Pentateucho,

626 *Ex allatis clarum est,* Moysen *scripsisse aliqua in Exodo, Numeris, et Deuteronomio; nec solum leges, sed ipsum quoque volumen ab eodem fuisse scriptum. Idem intelligitur ex Deut.* 17, *ubi futuro Israëlitarum regi præcipitur* ℣ 18, *ut describat* sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias ejus, quæ in Lege præcepta sunt. *Jubetur rex a sacerdotibus accipere Deuteronomium :* Moyses *autem Deut.* 9 *Legem, quam scripsit, tradidit sacerdotibus. Itaque Deuteronomium, quod rex legere jubetur,* Moyses *conscripsit ; nam per* Legem *eo loco indicari aut Deuteronomium, aut, ut alii volunt, totum Pentateuchum, certum est. Porro, si* Moyses *conscripsit non solum leges in Deuteronomio relatas,* B *sed facta quoque historica, ut ex dictis colligitur, et ex multis aliis deinde probabitur; si similiter conscripsit leges in Exodo, in Levitico et in Numeris, uti indubium est, cum omnes leges sint a Deo datæ et scriptæ a* Moyse ; *si insuper alia quædam in Exodo et Numeris ab ipso constat exarata, qua verisimilitudine dici poterit, gesta alia libris hisce inserta, non esse ejusdem scriptoris, cum fatendum necessario sit in Deuteronomio tam facta historica quam leges ab eodem fuisse litteris mandata? Itaque vel sola hæc ratio, perpetuæ traditioni adjuncta, sufficere deberet ad veritatem hanc sine ulla ambiguitate admittendam. Verum non deerunt argumenta, quibus id ipsum evidentius ostendatur, idemque evincatur de Genesi, quæ est quasi præfatio ad leges in quatuor aliis libris relatas.*

partim ex aliis

627 *Secundo Legis* Moysis *frequentissima mentio est, tam in veteri quam in novo Testamento. At paucos solum locos seligam e multis, eosque potissimum, qui ostendunt non solum Deuteronomium per Legem* Moysis *designari, sed alios quoque Pentateuchi libros. Jos.* I ℣ 7 *Deus ita alloquitur Josue :* Confortare igitur et esto ro- C bustus valde: ut custodias et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus... Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo : sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quæ scripta sunt in eo. *Jam vero ita ratiocinari licet. Josue non solum observare debebat leges in Deuteronomio repetitas, sed illas etiam, quæ in Exodo, in Levitico et in Numeris sunt scriptæ. Itaque* volumen legis hujus *non designat solum Deuteronomium, sed Exodum quoque, Leviticumque et Numeros : quin et totum Pentateuchum ea voce hic designari verisimillimum est, cum totus pro uno libro haberi possit, et habeatur frequenter. Cum autem hæc dixerit Dominus statim post mortem* Moysis, *libros illos jam ante mortem ipsius scriptos oportuit. Hac de causa verisimile est, totum quoque Pentateuchum designari Deut.* 31 ℣ 24 *his verbis :* Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in volumine atque complevit : præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens : Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini : ut sit ibi contra te in testimonium. *Ratio, cur totum Pentateuchum designari existimem, prima est, quod in verbis mox allatis* volumen legis hujus *non aliud videatur esse, quam volumen istud, in quo* Moyses *hic scripsisse dicitur* verba legis hujus. *Altera ratio est, quod non solum Deuteronomium, sed totus plane Pentateuchus deberet esse* in testimonium *Israëlitis a mandatis Dei recedentibus ; quemadmodum totus Pentateuchus conducere poterat Josue duci, ad populum recte gubernandum : exempla enim proavorum, innumera Dei beneficia, comminationes, promissiones, punitiones, aliaque in toto Pentateucho relata, utilia erant ad ducem populi instruendum, nec minus efficacia ad confundendos rebelles, eisque ostendendum, quam juste pro peccatis suis castigarentur a Deo. Confirmari potest hæc sententia ex eo, quod Deuteronomium Legis a Lege subinde clare distinguatur: nam Deut.* 17 ℣ 18 *rex futurus jubetur sibi describere* Deuteronomium legis, *et Jos.* 8 ℣ 32 super lapides *scribitur* Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat, *videlicet pro compendio totius legis.*

veteris Testamenti

628 *Porro quidquid sit de prædicta sententia, quam fateor non esse omnino certam, certissime constat ex variis Scripturæ locis, per* Legem, E *aut per* librum Moysis *non solum intelligi Deuteronomium. Nam* 2 *Paralip.* 35 *narratur solemnis celebratio Paschatis per Josiam regem facta, et* ℣ XI *hæc dicuntur :* Et immolatum est Phase : asperseruntque sacerdotes manu sua sanguinem, et Levitæ detraxerunt pelles holocaustorum : et separaverunt ea, ut darent per domos et familias singulorum, et offerrentur Domino, sicut scriptum est in libro Moysi. *Observa hic* librum Moysis *dici, in quo ritus illi sunt scripti. Atqui ritus hic relati nuspiam leguntur scripti in Deuteronomio : nam Deut.* 16 *præcipitur quidem, ut Israëlitæ faciant* Phase Domino, *et ritus etiam nonnulli explicantur ; at ibi nihil dicitur de aspersione sanguinis, nihil de manducando agno* per domos et familias, *sed utrumque præscribitur Exod.* 12. *Exodus igitur non minus est* liber Moysis *quam Deuteronomium. Ex hac quoque observatione colligi potest, librum legis, quem cap.* 34 *Helcias sacerdos reperisse narratur, totum fuisse Pentateuchum. Audiamus tamen primo, quid de inventione libri referat textus sacer. Tempus libri inventi exprimitur cap.* 34 ℣ 8, *diciturque* anno F octavodecimo regni *regis Josiæ facta instauratio templi. Hujus autem instaurationis occasione liber eodem anno inventus est, uti narratur* ℣ 14 *his verbis :* Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi. Et ait ad Saphan scribam : Librum legis inveni in domo Domini. Et tradidit ei. At ille intulit volumen ad regem, et nuntiavit ei, dicens : Omnia, quæ dedisti in manu servorum tuorum, ecce complentur... Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cum rege præsente recitasset, audissetque ille verba Legis, scidit vestimenta sua : et præcepit... Ite et orate Dominum pro me, et pro reliquiis Israël et Juda, super universis sermonibus libri istius, qui repertus est : magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia, quæ scripta sunt in isto volumine.

locis,

629 *Rex sola libri lectione ita territus, ubi consulta fuerat Olda prophetis, quæ mala Judæis imminere ob neglectum Legis confirmabat, convocavit Judæos,* Quibus audientibus, *ut habetur*

AUCTORE J. S.

betur ỳ 30, in domo Domini legit rex omnia verba voluminis: et stans in tribunali suo, percussit fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, et custodire præcepta, et testimonia, et justificationes ejus, in toto corde suo, et in tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat. Adjuravit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Jerusalem et Benjamin: et fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum... Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum. *Jam vero unum ex illis, quæ fecerunt, ut novum fœdus suum servarent, fuit Phase prædictum: nam cap.* 35 ỳ 19 Octavodecimo anno regni Josiæ, (*quo liber fuerat inventus*) hoc Phase celebratum est. *Hoc autem celebratum,* sicut scriptum est in libro Moysi, *utique in libro* Moysis, *qui eodem anno erat inventus, et cujus inventio solemnitati occasionem præbuerat. Itaque, cum ostenderim observatos fuisse ritus quosdam, qui non in Deuteronomio, sed in Exodo præscribuntur, dubitari nequit, quin liber inventus etiam Exodum complecteretur, ideoque et ceteras Pentateuchi partes.*

B

et clarissime

630 *In libro Nehemiæ, sed secundo Esdræ, multa quoque leguntur, ex quibus clare colligitur, totum Pentateuchum a* Moyse *esse exaratum. Cap.* 8 ỳ 1 dixerunt Esdræ scribæ, ut afferret librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israël. *Deinde narratur, quomodo Esdras legerit in illo libro coram populo: et* ỳ 18: Legit autem in libro Legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum: et fecerunt solemnitatem septem diebus. *Rursum cap.* 9 ỳ 3: Et consurrexerunt ad standum et legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum. *Qui vero libri populo prælegerentur, clare patet ex verbis, quibus post lectionem in Dei laudes erumpebant: nam primo multa proferunt in Genesi relata, ex quibus subdo nonnulla. Ita* ỳ 6 *ordiuntur:* Tu ipse, Domine, solus, tu fecisti cælum, et cælum cælorum, et omnem exercitum eorum: terram, et universa, quæ in ea sunt... Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti Abram, et eduxisti eum de igne Chaldæorum, et posuisti nomen ejus Abraham. *Hæc aliaque ex Genesi, quam populo prælectam tunc fuisse, manifeste evincunt dicta illa de Abraham: nam clare exprimuntur verba Gen.* XI ỳ 31, *et mutatio nominis Gen.* 17 ỳ 5 *relata. Hæc autem tam singularia ad Deum laudandum non fuissent electa, nisi ex Lege, id est, Pentateucho seu Genesi fuissent ante prælecta. Id ipsum confirmatur ex iis, quæ hausta ex libro Exodi mox ita sequuntur* ỳ 9: Et vidisti afflictionem Patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super mare Rubrum. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, et in universis servis ejus, et in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: et fecisti tibi nomen, sicut et in hac die. Et mare divisisti ante eos, et transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, et in columna ignis per noctem. *Sequuntur gesta ad montem Sinai, legesque datæ, quæ partim in Exodo, partim in Levitico, partim in Numeris leguntur, nec prætermittuntur cibus potusque prodigiose populo dati.*

C

D

ex Nehemia:

631 *Beneficia igitur præcipua, quæ refert Exodus, hic populus compendio recitat: legesque ejusdem libri, uti et Levitici et Numerorum attingit. Plura vero e Numeris* ỳ 15: Et aquam de petra eduxisti eis sitientibus, et dixisti eis ut ingrederentur et possiderent terram, super quam levasti manum tuam, ut traderes eis. Ipsi vero et patres nostri superbe egerunt, et induraverunt cervices suas, et non audierunt mandata tua: et noluerunt audire, et non sunt recordati mirabilium tuorum, quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, et dederunt caput, ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. *Hæc fusius Num.* 20. *Demum pauca subdo, quæ ex lectione Deuteronomii dicerunt.* ỳ 21: Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, et pedes eorum non sunt attriti. Et dedisti eis regna, et populos, et partitus es eis sortes: et possederunt terram Sehon, et terram regis Hesebon, et terram Og regis Basan. *Priora ex his leguntur Deut.* 8, *posteriora vero tam in Numeris quam in Deuteronomio. Cur, obsecro, ex quinque Pentateuchi libris ratione tam visibili recensentur beneficia Dei, nisi quod illi libri tunc populo fuerint prælecti et explicati? Tanto manifestior est hæc ratio, quanto pauciora et magis generica sunt, quæ sequuntur deinde in eadem oratione, ita ut dici nequeat, illa ex ullo nominatim Scripturæ libro fuisse hausta. At liber, qui tunc prælectus est, liber erat* legis Moysi, *ut ante dictum. Itaque liber legis* Moysis *est ipse Pentateuchus per* Moysen *scriptus.*

E

idem solidissime probatur ex Testamento novo,

632 *Nunc, omissis plurimis aliis antiqui Testamenti locis, accedo ad novum Testamentum, ex quo eadem veritas non minus solide probari potest. Christus Luc* . 16 ỳ 29 *dicit in persona Abrahæ:* Habent Moysen et Prophetas: audiant illos. *Et* ỳ 31: Si Moysen et Prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *Clarum est agi hic de scriptis* Moysis *et prophetarum; cumque ad Judæos loqueretur Christus, non alia utique* Moysis *scripta designavit, quam quæ Judæi per* Moysen *exarata credebant, videlicet Pentateuchum. Ipsa quoque verba,* Habent Moysen et prophetas, *ostendunt, nec pauca nec exigui momenti esse scripta* Moysis. *Hæc igitur probatio valet pro toto Pentateucho* Moysi *attribuendo, uti et hæc verba Philippi ad Nathanaëlem Joan.* I ỳ 44 *et* 45, Quem scripsit Moyses in Lege et prophetæ, invenimus Jesum *etc. Pentateuchum* Moysi *attribuendum, similiter ostenditur ex duplici loco Luc.* 24. *Refertur ibi, quo modo Christus apparuerit duobus discipulis in Emmaus euntibus, et quo modo necdum cognitus eisdem exposuerit prædicta de se in Testamento veteri, quod* ỳ 27 *sic explicatur:* Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. *Incepit Dominus a* Moyse, *quia illius libri erant primi; nec dubitari potest, quin a Genesi duxerit exordium, cum in illo libro clarissimus locus sit de adventu Christi, aliique plures figuris adumbrati. Si autem Genesim* Moysi *necessario attribuere debemus, ridiculum esset de aliis Pentateuchi partibus dubitare: nec dubium est, quin totus Pentateuchus per* Moysen *hic designetur. Totus quoque Pentateuchus designatur haud dubie ibidem* ỳ 44 *illis Christi redivivi verbis ad Apostolos congregatos:* Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri

F

A pleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me. *Incongrue locutus fuisset Dominus, quod absit, nisi per* Legem Moysi *designare voluisset totum Pentateuchum, cum non tam in legibus ipsis, quam in aliis Pentateuchi locis de ipsa agatur. Rursum Joan.* 5 ℣ 45 *Dominus alloquens Judæos per* Moysen *intelligit Pentateuchum his verbis :* Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem : est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? *Scripsit* Moyses *de Christo variis locis in Pentateucho, atque hoc Opus indubitanter* Moysi *attribuebant Judæi, quos alloquitur Dominus : illud ipsum igitur verbis allatis significat. Plura adferri possunt, sed hæc sufficiunt pro toto Pentateucho simul vindicando. Nunc pauca de singulis libris colligam, ut ostendam singulos etiam seorsum vindicari posse.*

ex quo seorsum Moysi vindicantur Genesis,

633 *De Genesi haud dubie loquitur Philippus ad Nathanaëlem verbis supra adductis,* Quem scripsit Moyses *etc. : in Genesi enim cap.* 49 ℣ 10 *clarissime prædicitur Christi adventus his verbis :* B Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium *etc. Chaldæus habet,* Donec veniat Messias. *Itaque, ubi apud Joannem ibidem* ℣ 41 *dicitur*, Invenimus Messiam, *clare ad prædictum locum respicitur : neque enim antiqui Judæi dubitabant, quin adventus Messiæ ibidem prædiceretur, licet posteriores conati sint locum frivolis explicationibus corrumpere, ne cogerentur fateri Christum dudum venisse. Ostendit igitur locus Joannis tum nominatim Genesim a* Moyse *scriptam esse, tum totum Pentateuchum, quia ridiculum esset, Genesim* Moysi *attribuere, reliquos vero Pentateuchi libros eidem abjudicare. Pro Genesi nominatim etiam adduci potest allegatus jam locus Luc.* 24 ℣ 27, *cum Christus haud dubie a Genesi exorsus sit expositionem suam. Præterea Apostolus* I *Cor.* 14 ℣ 35 *citat Genesim sub nomine Legis, cum ait mulieres viris* subditas esse, sicut et Lex dicit, *nimirum Gen.* 3 ℣ 16. *Hæc breviter de Genesi.*

Exodus, Leviticus,

C 634 *Exodus clare citatur in novo Testamento sub nomine* Moysis. *Primo Marc.* 10 *:* Moyses enim dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam. *Ipsa hæc verba leguntur Exod.* 20 ℣ 12. *Luc* 20 ℣ 37 *hæc dicit Christus :* Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. *Locus ille habetur Exod.* 3, *ubi verba illa*, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob, *ter repetuntur ab angelo, numquam vero dicuntur a* Moyse. *Itaque non alia de causa* Moysi *attribuuntur a Christo, quam quia Exodum scripsit* Moyses. *Marc.* 12 ℣ 16 *res ita refertur :* De mortuis autem quod resurgant non legis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus *etc. Christus ipse Exodum hic vocat librum* Moysis, *aut, si malis, totum Pentateuchum. At locus est Exodi, qui citatur. Hactenus de Exodo. De Levitico res non minus est manifesta. Matth.* 8 ℣ 4 *dicit Christus leproso jam mundato :* Ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses. *Ubinam, quæso, præcepit* Moyses, *ut leprosus accedat sacerdotem, et munus offerat? Levit.* 14 ℣ 2 *hæc lex refertur, tamquam a Deo lata. At scripta est a* Moyse, *et ab eodem nomine Dei populo præscripta. Itaque Christus adduxit Leviticum sub nomine* Moysis, *uti etiam videri potest Marc.* I ℣ 40 *et Luc.* 5 ℣ 14, *ubi idem refertur. Joan.* 8 ℣ 5 *dicunt Judæi occasione mulieris in adulterio deprehensæ :* In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. *Lex autem hæc legitur Levit.* 20 ℣ 10. *Ita Apostolus Rom.* 10 ℣ 5 : Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex Lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. *Quæ posteriora verba leguntur Levit.* 18 ℣ 5. *Hæc sufficiant de Levitico.*

Numeri et Deuteronomium.

635 *Porro liber Numerum minus quidem laudatur in novo Testamento sub expresso* Moysis *nomine. Verum cum citetur nomine Legis ; Lex autem sit* Moysis, *idem id est, acsi* Moysis *nomine adduceretur. Pauca igitur accipe. Christus Matth.* 12 ℣ 5 *dicit Judæis :* Aut non legistis in Lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, et sine crimine sunt. *Loquitur ad mentem Judæorum, vocesque*, Sabbatum violant, *significant,* laborant. *Citat autem Num.* 28 ℣ 9, *ubi jubentur sacerdotes Sabbatis offerre sacrificia, quod non fit sine labore; nec fieret sine violatione Sabbati, si Sabbatum omni* E *labore violaretur. Cum Act.* 21 ℣ 21 *accusatus esset Paulus, quod doceret* discessionem a Moyse, *suadetur ei* ℣ 24 *ut se jungat viris quatuor, qui habebant votum Nazaræorum, atque* ut *hi* radant capita *sua :* Et, *inquiunt*, scient omnes quia, quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens Legem. *Lex autem Nazaræatus habetur Num.* 6, *et ibidem* ℣ 18 *rasio capitis. Itaque hic etiam liber tamquam* Moysis, *aut lex* Moysis, *laudatur in novo Testamento. Verum nullus e quinque libris Pentateuchi frequentius adducitur in novo Testamento quam Deuteronomium. Laudatur hic liber primo sub nomine* Moysis *occasione libelli repudii Matth.* 19 ℣ 7 ; *ac de eadem re Marc.* 10 ℣ 4 *Judæi dicunt Christo :* Moyses *(Deut.* 24 ℣ 1) permisit libellum repudii scribere, et dimittere (*uxorem.*) Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud *etc. Matth.* 22 ℣ 24 *dicunt Sadducæi Christo :* Magister, Moyses dixit *(Deut.* 25 ℣ 5 *et* 6 *:)* Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius *etc.* F *Eadem leguntur Marc.* 12 ℣ 19, *et Luc.* 20 ℣ 28, *ubi dicitur*, Moyses scripsit nobis. *Plura non adduco, quia adducta abunde sufficiunt, ut nullum possit esse dubium de auctore Pentateuchi iis omnibus, qui sacris Litteris fidem debitam attribuunt.*

Consentiunt Origenes, Athanasius, Cyrillus Hierosol. Augustinus, Basilius, Ambrosius,

636 *Itaque non adducam verba sanctorum Patrum, ut hæc veritas magis stabiliatur, sed solum ut ostendam eam ab iis fuisse agnitam. Origenes lib.* 3 *contra Celsum num.* 6 *in fine sic habet :* Hebraïcæ literæ, quas Moyses in scribendis QUINQUE LIBRIS, qui pro sacris apud Judæos habentur, adhibuit, diversæ sunt ab Ægyptiacis. *S. Athanasius* Moysis *scripta memorat in Epistola ad episcopos Ægypti et Libyæ duobus locis num.* 4 *et alibi. In Synopsi vero Scripturæ sacræ singulos enumerat. Et primo quidem ita scribit de Genesi :* Liber hic Geneseos, Moysis est, qui ea, quæ in illo continentur, ex jussu Domini locutus est, et scripsit. *Deinde de Exodo :* Et hunc Exodi librum Moyses, de quo jam meminimus, conscripsit. *De Levitico autem :* Et hic liber Leviticus a Moyse conscriptus est. De

AUCTORE J. S.

De Numeris : Ejusdem Moysis est hic Numerorum liber. *Demum de Deuteronomio ita loquitur :* Et hunc librum Moyses conscripsit, et quæ in illo sunt, locutus est. *Non desunt, qui Synopsim laudatam S. Athanasio abjudicanl, sed id non agitur hoc loco : nam si revera Synopsis illa non sit Athanasii, erit alterius scriptoris ; et sic alius scriptor accedet ad numerum, isque antiquus. S. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi* 4 *num.* 35 *de iis scripsit sequentia :* Legis enim sunt, primi quinque libri Mosis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *S. Augustinus serm.* 1 *in Psal.* 70 *num.* 19 *:* Moyses quinque libros scripsit *etc. De his quinque libris meminit quoque in Psal.* 102 *num.* 15 *; et in Psal.* 143 *num.* 2, *uti et locis aliis. S. Basilius et S. Ambrosius statim initio Operum suorum in Hexaëmeron* Moysen *laudant multisque prædicant tamquam auctorem Geneseos ; nec opus est eorumdem sententiam de aliis* Moysis *libris afferre, cum quilibet facile admissurus sit totum Pentateuchum a sancto Legislatore scriptum, modo fateatur de Genesi.*

et Chrysostomus,

B 637 *S. Chrysostomus scripta* Moysis *multis locis sub nomine ipsius laudat : ad pauca solum adducam Hom.* 4 *in Genesim :* Age, *inquit*, . . . consuetam nunc vobis mensam . . . rursum admirabilem illum convivii exhibitorem beatum Mosem, magnum prophetam, bonæ hujus doctrinæ ducem facientes . . . Non enim sua virtute loquitur, sed quæcumque illi Spiritus sancti gratia insonat, ea per suam linguam, docendo humanum genus profert. *Et Hom.* 49 : Iterum vos ad consuetam mensam ducere volo, et ex verbis Moysis convivium proponere, imo ex verbis sancti Spiritus. Neque enim a seipso Moyses hæc nobis exposuit, sed Spiritu sancto afflatus. *Hisce plurimi textus addi possunt æque clari non solum pro Genesi, sed etiam pro aliis libris Pentateuchi. Verum, omissis omnibus, unum dumtaxat addam locum, qui simul exponet intentionem sancti scriptoris. Montfauconius in nova editione Operum Chrysostomi tom.* 6 *a pag.* 314 *inseruit Synopsim veteris et novi Testamenti, posteriore tamen parte mutilam, eamque dissertatione prævia eidem asserere conatus est. Sive autem Chrysostomus sit auctor, sive alius quispiam, quod*
C *hic non examino, scriptor initio Operis ad propositum nostrum ita habet :* Necessarium etiam putavit Moyses historias veteres describere : non secundum externorum morem ; qui historias scribunt ea mente tantum, ut rerum narrationes texant, et bella pugnasque in medium agant, atque ex scriptis gloriam sibi parent. At Legislator non sic : sed semper historias scribit illustrium virorum, qui res præclaras gesserunt, ut vitæ illorum narratio posteris sit optimæ doctrinæ argumentum. Ideoque non modo eos, qui se probe gesserunt, in medium adducit, sed etiam peccatores ; ut illos æmulemur, hos autem fugiamus, et utrimque virtutem diligentiamque majorem adipiscamur. Ne quis ergo existimet extra Legislatoris officium esse historias veteres narrare, et leges prescribere. Etenim quam vim habet lex, eamdem obtinet Sanctorum vitæ narratio.

multique alii Patres, quibus accedit

638 *Mitto reliquos Patres, neque enim finis esset, si omnes vellem recensere, puta Tertullianum, Justinum, Clementem Alexandrinum, Lactantium, Cyprianum, Hilarium, Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, Gregorios, Nazianzenum, Nyssenum et Magnum, pluresque alios, quos omnes sola Operum inspectione huic veritali adstipulantes inveni, uti et S. Hieronymum cujus verba dabuntur alia occasione inferius. Imo nullum e Patribus hactenus consului, in quo testatissima hæc veritas non reperiatur expressa. Mitto similiter Josephum, Philonem, ceterosque scriptores Hebræos, qui hic cum Christianis Patribus optime consentiunt. Mitto gentiles omnes, quos si quis desiderat, majori numero quam necesse erat, laudatos reperiet apud Huetium in Demonstratione Euangelica prop.* 4 *cap.* 2 *: at nolim affirmare omnibus ibidem enumeratis* Moysen *satis fuisse cognitum. Mitto demum reliqua omnia argumenta, quibus Pentateuchus* Moysi *vindicatur ab aliis, atque unam dumtaxat considerationem adjungo. Pentateuchus semper lectus fuit* Moysis *nomine, eique inscriptus, tam apud Hebræos quam Christianos; nec ostendi potest, ullo umquam tempore exstitisse sine nomine, aut nomine scriptoris alterius : itaque, etiamsi evidentissima, quæ habemus, sacræ Scripturæ testimonia non exstarent, imprudentis esset et male feriati hominis, tam constantem traditionem negare velle, aut solum in dubium revocare.* E

argumentum ex perpetua traditione.

639 *Audiamus S. Augustinum, cujus verba, etiamsi in alia disputatione fuerint prolata, recte intorqueri possunt contra oppugnatores hujus veritatis. Sanctus doctor lib.* 33 *contra Faustum cap.* 6 *Manichæos ita alloquitur :* Sed quid vobis faciam, quos contra testimonia Scripturarum ita obsurdefecit iniquitas . . . ? Usque adeo a Christiana doctrina aperte aliena est, quam prædicatis, doctrina dæmoniorum, ut eam sub Christianæ doctrinæ nomine defendere nulla ex parte possitis, nisi dicatis falsas esse Scripturas *(veteris Testamenti, Euangelistarum et)* Apostolorum. Infelices inimici animæ vestræ, quæ umquam litteræ ullum habebunt pondus auctoritatis, si Euangelicæ, si Apostolicæ non habebunt ? De quo libro certum erit, cujus sit, si litteræ, quas Apostolorum (*imo, et quas* Moysis) dicit et tenet Ecclesia, . . . utrum Apostolorum *(et Moysis)* sint, incertum est. *Deinde comparationem instituit cum libris auctorum profanorum, exordium ducens ab Hippocrate, atque ita loquitur :* Hos autem libros, . . unde constat esse F Hippocratis, unde, si quis hoc neget, nec saltem refellitur, sed ridetur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus et deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit ? Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua ? Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio sive dicendi. Unde constat, quid cujus sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata notitia latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quisque liber sit, non hæsitemus, quid respondere debeamus ? Sed quid pergam in longe præterita ? Ecce istas litteras, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitæ hujus nostræ, vel illas quisquam Fausti esse, vel has neget esse meas ; unde convincitur, nisi quia illi, qui tunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis

A tinuatis posterorum successionibus trajiciunt? *Hoc argumentum evincit vel solam traditionem tam constantem, quam est traditio de Pentateucho per* Moysen *scripto, sufficere debere, etsi omnis alia deesset auctoritas.*

§ LV. Refutantur objectiones contra prædictam veritatem allatæ.

Scriptores, qui Pentateuchum Moysi abjudicarunt. Scribæ, quos Simonius substituit

P*rimus, qui Pentateuchum* Moysi *abjudicare in scriptis suis sustinuit, et partes tantum aliquas, quas scripsisse dicitur in ipso Pentateucho,* Moysi *attribuit, est Thomas Hobbesius, scriptor heterodoxus Anglus seculi* XVII, *qui accusatus fuit Atheismi. Volebat ille Pentateuchum de* Moyse *potius quam a* Moyse *fuisse scriptum. Placuit temeraria hæc opinio, ex parte saltem, Isaaco Pereyrio Gallo, sectæ Præada-*
B *miticæ auctori, qui affirmavit, Pentateuchum non esse* Moysis, *sed ex scriptis ejusdem excerptum : ideoque multa in eo reperiri obscura, trunca, confusa et inordinata temere asseruit. Benedictus de Spinosa, primum Judæus in Hollandia natus, ac deinde in Atheismum lapsus, in Tractatu Politico-Theologico prædictorum temeritate secutus est, docuitque Pentateuchum non a* Moyse, *sed longo tempore post ipsum fuisse compositum. Ab horum opinione temeraria non satis longe recessit Richardus Simon, presbyter Gallus Congregationis Oratorii, qui in Opere Gallico, cui titulus,* Historia critica veteris Testamenti, *agnoscit quidem, Pentateuchum scriptum esse tempore* Moysis, *eoque jubente; non tamen per* Moysen, *sed per scribas ab ipso constitutos. Secuti sunt deinde et alii quidam heterodoxi in Hollandia : at minime opus est ad propositum nostrum omnes recensere adversarios. Prædictus autem Simonius cap.* 2 *Operis indicati primo observat, in rebus publicis bene ordinatis, et maxime in Oriente, status fuisse scribas, qui res præcipuas ad rempublicam spectantes in commentarios referrent, quod jam tempo-*
C *re* Moysis *servatum fuisse suspicatur magis, quam probat, aut quam probare potuit : nam nihil occurrit in toto Pentateucho, unde ostendi possit, tales scribas* Moysi *fuisse per totos illos quadraginta annos, quibus cum populo suo fuit in deserto.*

plane videntur fictitii :

641 *Quin potius, si consideremus,* Moysen *consilio soceri sui instituisse magistratus, qui judiciis præessent Exod.* 18, *et septuaginta seniores, jubentes Deo, Num.* XI : *si consideremus, inquam, hasce institutiones, uti etiam sacerdotum, Levitarum, aliasque plurimas, diligenter litteris mandatas esse in Pentateucho; de scribis vero talibus nihil ibidem legi; facile animadvertemus, scribas tales non modo destitutos esse omni fundamento in sacris Litteris, sed merum esse figmentum sacræ Scripturæ non satis consonum; præsertim cum sciamus mansiones omnes Israëlitarum in deserto, quas alioquin scribæ pro munere suo debuissent conscribere, ab ipso* Moyse *fuisse conscriptas Num.* 33, *prout ℣* 2 *claris verbis asseritur. Præterea si tam verum et certum esset, quam fictitium est, et fundamento destitutum, tales* Moysi *fuisse scribas in deserto, temerarium esset, illis potius quam* Moysi *compositionem Pentateuchi attribuere, non modo quia sacra Scriptura illam* Moysi *attribuit, quod solum debet sufficere; sed etiam, quia* Moyses *excellebat tam sacra quam profana eruditione, et, quod caput est, spiritu prophetico et familiaritate cum Deo omnes alios longissimo superabat intervallo.*

AUCTORE J. S.

rationes vero, quas allegat

642 *Simonius, ut scribas suos aliquo saltem fundamento conaretur fulcire, laudat Josephum lib.* 2 *(imo* 1) *contra Apionem, ubi ille pag.* 1036 *de cura, quæ fuit apud Israëlitas in scribendo historias, sic habet :* De nostris vero progenitoribus, qui eandem, quam prædicti *(Ægyptii et Babylonii)* habuerunt in descriptionibus solicitudinem (desino dicere, etiam potiorem) pontificibus et prophetis hoc imperantes *etc. Similia affert ex Eusebio lib. de Præparat. Euang., at cum locum non assignet, verba ipsa non invenio. Verum allata verba nequaquam probant, prophetas aut pontifices tempore* Moysis *fuisse statutos ad obeundum munus scribendi historias; sed potius evincerent, saltem probabiliter, nisi idem certo jam constaret ex Scripturis,* Moysen *ipsum suo tempore id munus exercuisse, cum spiritu prophetico* E
esset maximus, talisque plane, qualis ad prædictum munus fuisset eligendus, si hominum ea fuisset electio. Itaque conclusio Simonii plane inepta est, dum ex præmissis ita infert pag. 18 : Admodum igitur verisimile est, fuisse jam a tempore Moysis id genus prophetas, qui erant necessarii ad colligenda Acta eorum, quæ fiebant in republica. *Inepte, inquam, id infert, cum* Moyses *ipse obiret id munus.*

Simonius pro sua sententia,

643 *Verumtamen longe pejora sunt, quæ in ruinoso hoc fundamento inædificat, sic prosequens :* Hoc supposito, in quinque libris Legis distinguemus scripta per Moysen a scriptis per hosce prophetas aut scribas publicos. Attribuentur Moysi leges et præcepta, quæ populo præscripsit; contra vero hi ipsi scribæ publici poterunt statui auctores maximæ partis historiæ. Moyses tamquam legislator scripsit omnia, quæ spectabant ad præcepta; curam vero colligendi Acta de præcipuis rebus gestis, ut hæ posteritatis memoriæ transmitterentur, permiserit scribis seu prophetis. *Paradoxon hoc (ita temerariam hanc opinionem voco, non quia per se tam mirabilis est, sed quia tam aperte Scripturæ contraria)* F
paradoxon hoc, inquam, mox ita probare nititur : Methodus, qua historia Pentateuchi composita est, hanc veritatem videtur insinuare, quia facta pleraque ibidem eo relata sunt modo, qui persuadet alium quempiam a Moyse in ordinem redegisse Annales istos. Non insistam hic probationibus a quibusdam allatis, ut ostenderent Moysen non fuisse auctorem Pentateuchi; Quia, inquiunt, non fuisset de se locutus in tertia persona, nec proprias laudes retulisset. Non hisce, inquam, argumentis innitar, quia eadem fecerunt scriptores alii. Cæsar de se ipse loquitur in tertia persona in Commentariis suis; Josephus idem quoque facit in Historia sua de Bello Judaico, ubi se etiam elogio exornat. *Addi possunt Isaias, Jeremias, pluresque prophetæ, Evangelistæque et alii scriptores sacri, ita ut frivolæ istæ quorumdam ratiunculæ ulteriori responso non indigeant.*

partim falsæ sunt,

644 *At audiamus, an melius ratiocinetur Simonius ipse. Hic ita pergit :* Verum si quantulacumque attentione consideremus totum Pentateuchum, poterit ibidem deprehendi distinctio illa scriptorum, de quibus loquebar. Id etiam magis

AUCTORE J. S.

magis patebit per decursum hujus disputationis, ubi manifeste ostendo falsitatem rationum, quibus Judæi utuntur, ut ostendant Moysen esse auctorem totius Legis. *Hactenus nihil habemus, nisi verba et promissa magnifica : vehementerque exspecto, quid tanto dignum hiatu promissor ille demum sit allaturus : nam post verba allata ad alia digreditur, quæ parum aut nihil ad hanc controversiam spectant. Cap.* 5 *iterum ad Pentateuchum ita regreditur :* Difficile non est alia afferre argumenta, ut ostendamus, Moysen non esse solum auctorem totius Pentateuchi. *Deinde citat S. Hieronymum, Masium, Pererium, Bonfrerium, qui non audent asserere, totum Pentateuchum sic esse* Moysis, *ut nihil ab aliis sic additum, demumque ex hisce concludit ultimum caput Deuteronomii, ubi mors* Moysis *narratur, ipsius non esse. Id ultro admittimus, nec opus erat ea de causa tot scriptores afferre : at nullus ex citatis scriptoribus maximam, aut solum notabilem, Pentateuchi partem* Moysi *abjudicat, ideoque non juvant Simonium, qui abest longissime ab illorum sententia. Audiamus S. Hieronymum,* B *ad cujus locum ante, id est, cap.* 4 *assignatum remittit. Affert ibidem hæc verba Hieronymi contra Helvidium :* Sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Ezram ejusdem instauratorem Operis *(subintellige, scriptorem verborum a me citatorum)* non recuso. *Itaque S. Hieronymus, qui citaverat ultimum Deuteronomii caput, ubi de morte et sepultura* Moysis *agitur; illud solum caput in dubium revocat, uti plerique auctores istud* Moysi *abjudicant. Contra* Moysen *vocat* auctorem Pentateuchi : *Esdram vero* instaurationem, *quia sacros codices correxit. Falsum igitur est, quod ait Simonius cap.* 4 : S. Hieronymus scribens contra Helvidium, non audet absolute sub nomine Moysis citare libros Legis : *nam id solum de citatis a se verbis dicit Hieronymus. Quin imo non multo post locum citatum in eodem libro leguntur hæc Hieronymi verba :* Moyses scribit in Exodo : « Factum est autem » *etc. Exod.* 12 ℣ 29 : *atque ita facit sexcentis locis aliis. Lubet in gratiam scriptoris, qui Hieronymum vocare voluit in subsidium causæ tam desperatæ, Hieronymi sententiam apertius declarare. Hic sanctus doctor in epistola ad* C *Cyprianum presbyterum sub initium de* Moyse *hæc scripsit :* Sive igitur viri, sive hominis appellatio, sancto Viro competit, et ei, qui vidit Deum facie ad faciem, et salva facta est anima ejus : cujus ore creaturam mundi, eorum dumtaxat quæ visibilia sunt, conditionem hominis, et omnis retro historiæ didicimus veritatem, qui non solum nobis quinque reliquit libros, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium : sed undecim quoque Psalmos *etc. Hæccine sunt verba non audentis citare libros Legis sub nomine* Moysis ?

partim frivolæ

645 *Deinde post verba quædam ex Pentateucho hinc inde petita, quæ objecit Simonius cum aliis, acsi non potuissent scripta esse a* Moyse, *quæque infra examinabimus ; aliud sumit argumentum ex eo, quod varia repetantur in Pentateucho, quodque illæ repetitiones ejusdem rei non solum occurrant in libris diversis, nec solum in distinctis capitibus, sed subinde etiam in uno eodemque capite, prout fieri asserit Gen.* 7 *in descriptione diluvii, et in referenda hominum corruptione ibidem ; rursum Exod.* 31 *variis vicibus repeti ait præceptum de observando Sabbato; assignatisque aliquot locis aliis, ita argumentum istud concludit :* Observandam tamen est, me D non loqui de quibusdam repetitionibus, quæ æque suam habent gratiam in libris Moysis, quam in versibus Homeri, quemadmodum in historia arcæ, ubi Noë repetit magnam partem eorum, quæ ipsi fuerant præscripta. Postrema hæc repetitio auctoris est, scriptaque fuit ad ostendendam fidelem mandati exsecutionem. Moyses et Homerus ea in re sunt similes, quia eorum expressiones omnino sunt naturales, ideoque quibusdam repetitionibus obnoxiæ. Quin imo videmus Martialem non potuisse se continere, quominus in Epigrammate quodam hanc ob causam irrideret Homerum. Verum in libris Moysis occurrit aliud genus repetitionem, quæ textum faciunt obscurum, quia res eadem repetitur in diversis locis nonnihil invicem distantibus : tunc enim, ut ordo reperiatur in verbis, sæpe mutatur sensus, cum tamen supponendum sit ut certum, quod ordo in Scriptura satis frequenter sit neglectus. *Ita criticus noster, cujus argumentum quam sit frivolum, ex ipsa ejus lectione clarum est.*

et se ipsæ destruentes,

640 *Responsum autem inchoabo ipsis Simonii verbis :* Verumtamen, *inquit*, fieri potest, E ut magna pars harum repetitionum oriatur ex proprietate linguæ Hebraïcæ, quæ lingua est maxime simplex, quæque frequenter eadem repetit vocibus diversis. Id apparet in omnibus fere libris sacræ Scripturæ : quin idem quoque videmus in mandatis regum nostrorum, et in stylo cancellariæ Romanæ, uti et in stylo palatii forensis pro causis civilibus : in quibus plurima agglomerantur verba, quæ idem significant. Quando repetitiones istæ non sunt invicem nullo intermedio conjunctæ, S. Augustinus eas nominat RECAPITULATIONES, ac plerique interpretes eum hac in re sunt secuti. Verum, sive illæ repetitiones proveniant ab eis, ut monumenta *(sacræ Scripturæ)* collegerunt, et qui eas ibidem reliquerunt, quia serviebant pro explicatione ; sive proveniant a proprietate sermonis Hebraïci, ad propositum erat easdem annotare, ut stylus sacræ Scripturæ melius cognoscatur. *Vides, opinor, studiose lector, quam non obscure criticus noster recedat ab argumento, quod tanto conatu orsus fuerat, acsi mirabilia nescio quæ fuisset* F *prolaturus. Posset hic merito post tantum hiatum dici cum Horatio :* Parturiunt montes : nascetur ridiculus mus. *Malim tamen dicere, nequaquam esse mirandum, homini Gallo, tot annorum millibus post* Moysen *nato, stylum Hebraïcum,* Moyses *tempore usitatum, non talem fuisse visum, quali ipse uti vellet ; cum stylus Homeri displicuerit Martiali homini latino, licet inter sermonem Græcum et Latinum minor fit differentia, quam inter Hebraïcum et Gallicum, minusque ab Homeri ætate abfuerit Martialis quam ab ætate* Moysis *Simonius. Præterea longe minus peccat contra recte scribendi methodum, qui bis terve idem inculcat in eodem capite vocibus non multum mutatis, quam peccet ille, qui in eodem capite scribit contraria, ut facit Simonius, cujus tamen Opusculum interpolatum esse, hac de causa nemo prudens asseruerit. Contraria hæc jam attuli, ut breviter ostendo. Primo dicit num.* 645 *sibi eas displicere repetitiones, quæ* textum faciunt obscurum, *et mox num.* 646 *dubitat, an illæ repetitiones, quas carpit, non fuerint relictæ a collectoribus monumentorum,* quia serviebant pro explicatione. *Non satis capio, quo modo eædem repetitiones sensum faciant obscurum,*

A *obscurum, et a viris prudentibus judicentur ad explicationem conducere. At, si disputator criticus ardore disputandi potuit in tales antilogias incidere, probe perspicio, quomodo sanctus Legislator laudabili studio utilia et necessaria inculcandi subinde eadem possit repetere, præsertim cum Apostolus dicat Philip.* 3 ỳ 1 : Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.

partim simul frivolæ

647 *Deinde Simonius incipit varia referre de ordine perturbato in Pentateucho, atque ex eo persuadere conatur, libros Legis a* Moyse *scriptos non fuisse eo ordine, quo exstant hodieque : verum, ut singula scribebantur in foliis separatis, ordinem foliorum fuisse mutatum : qui etiam sine ulla probatione asserit, libros Bibliorum, quos habemus, tantum esse compendium. Mox tamen fatetur præclarissimos scriptores in hunc defectum subinde incidere, nec certam ex eo argumento deduci consequentiam.* Quin imo, *inquit,* non videntur Judæi multum laborasse, ut ordinem servarent in scribendo; quemadmodum facile ostendi posset ex stylo Epistolarum S. Pauli.
B *Idem quoque confirmat ex verbis Haronis Judæi. At mox ad criminandum regressus, sic prosequitur :* Attamen multitudo locorum, in quibus ordo perturbatus est in libris Legis, mihi persuadet, libros illos non fuisse eo modo compositos ab initio. *Lubet examinare, an vere tanta ordinis inversio reperiatur in libris* Moysis, *quantam sibi imaginatus est criticus noster : tantam enim perturbationem nuspiam deprehendere potui. Pro exemplo primum allegat historiam creationis hominis Gen.* 1 *et* 2, *in qua contendit totum rectæ narrationis ordinem fuisse inversum. Primo observat creationem viri et mulieris referri Gen.* I ỳ 27, *ubi hæc leguntur :* Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos *etc. Observat secundo, supponi cap.* 2 *necdum creatam fuisse feminam, referrique modum, quo formata est ex costa Adami. Verba Scripturæ accipe Gen.* 2 ỳ 20 *et seq. :* Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et ædificavit Domi-
C nus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem : et adduxit eam ad Adam. *Tertio observat Adamo jam ante datum fuisse præceptum, quod ibidem* ỳ 17 *sic exprimitur :* De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

et falsæ,

648 *Hæc ordine tali scripta fuisse, non existimat Simonius, qui multam ordinis perturbationem sibi imaginatur. Verum nulla in prædictis omnibus assignari potest ordinis inversio : nam cap.* I Moyses *breviter narrat creationem omnium rerum, sex diebus perfectam. Cap.* 2 *primo refert quietem diei septimi, et latius quædam explicare incipit, viam paulatim sternens ad narrandum Adami peccatum, et pœnas illius peccati. Hinc ibi datur descriptio paradisi, in quo Adam fuit positus. At ante hanc descriptionem* ỳ 7 *dicitur, ex qua materia formatum fuerit corpus Adami; post descriptionem vero subditur, qua de causa in paradiso fuerit positus, quoque præcepto adstrictus. Deinde vero explicatur, quid egerit in paradiso ante creationem Evæ, videlicet quod singulis animalibus dederit nomina : atque hisce formatio Evæ subjungitur. Quid in hisce omnibus contra ordinem fuerit peccatum, sane non perspicio, nisi scriptor toties contra ordinem peccet, quoties, historia aliqua primum compendio relata, nonnulla facta præcipua latius exponere aggreditur : nam id solum fecit* Moyses. *Creationem rerum omnium primum compendio retulit, ac postea formationem primo viri deinde mulieris paulo distinctius exposuit. Eadem facilitate exponi possunt reliqua, quorum ordinem carpit Simonius : at necesse non existimo id ostendere, cum argumentum ipsius nullius esset roboris, etiamsi revera ordo narrationis frequenter esset minus concinnus : nam scriptores sacri minus curaverunt, ut ordinis concinnitatem servarent, quam ut vera, utiliaque narrarent. Accipe tamen, studiose lector, secundum exemplum, quod criticus noster affert, ut ostendat ordinem in Pentateucho perturbatum. Gen.* 21 *versiculi tertius, quartus et quintus contra ordinem naturalem sunt collocati, et quintus primo loco poni debuerat, si crisi ipsius lubet annuere. Audi igitur quinque primos versiculos, et ride hominis amentiam :* Visitavit autem Dominus Saram, sicut promiserat : et implevit, quæ locutus est. Conce- E
pitque et peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac : et circumcidit eum octavo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum : hac quippe ætate patris natus est Isaac.

ac demum omnes plane ineptæ.

649 *Tertium argumentum prædictus scriptor desumit ex diversitate styli, quem ait reperiri in libris Pentateuchi : atque ex eo suspicatur Opus non esse ejusdem Scriptoris. Verum nec diversitatem illam styli probat, nisi verbis solis : atque ipse fatetur, scriptores Hebræos eo defectu laborare, atque id satis colligi ex Epistolis S. Pauli. Inanis igitur hæc rursum est cavillatio, quæ nihil clarius probat, quam quod scriptor ille majori temeritate quam reverentia disputaverit de libris Sacris, et Judæorum quorumdam ineptis observationibus aures nimium accomodaverit. Alius quidem est stylus* Moysis, *ubi historias narrat; alius, ubi genealogias breviter recenset, rursum alius, ubi populum alloquitur et hortatur, ac demum alius ubi leges recenset, aut populi census. Verum hæc styli diversitas pro diversitate rerum adeo reprehendenda non est,* F
ut potius sit laudanda. Itaque relictis frivolis istis ineptisque cavallationibus, examinare aggrediar locos quosdam ex Pentateucho objectos, qui nonnullam habent difficultatem, ita ut aliqui existiment, locos istos deinde Pentateucho fuisse adjectos per alios scriptores sacros, qui id fecerint explicationis gratia. Horum quidem sententia minus improbanda est, cum Moysen *asserant Pentateuchi scriptorem; an vero etiam sequenda videantur, patebit ex decursu.*

§ LVI. Examinantur textus aliquot, quos existimant aliqui non potuisse scribi per Moysen.

Moyses esset Pentateuchi auctor, licet aliqua ab eo non essent scripta :

Ante hanc disputationem breviter observanda sunt aliqua, ut dicendis nonnihil lucis accedat. Primo ex locis allegandis sua sumpserunt argumenta scriptores illi, qui contra perpetuam

AUCTORE J. S.

tuam traditionem, et aperta sacræ Scripturæ testimonia negare sustinuerunt, Moysen *scriptorem esse Pentateuchi. Sic autem illi ratiocinabantur. Non potuit* Moyses *scribere verba illa, quæ ex Pentateucho proferimus : Pentateuchi igitur non est auctor. Verum, etiamsi tantisper supponere velimus antecedentem propositionem esse verissimam, fallet tamen consecutio : nam legitime solum inferri poterit, in Pentateucho reperiri nonnullos textus, qui non sunt* Moysis, *sive non omnia prorsus* Moysis *esse, quæ leguntur in Pentateucho. At nequaquam inferri poterit,* Moysen *non esse scriptorem istius Operis, cum id non sequatur ex antecedente; cumque aliunde certissime constet, Pentateuchum per* Moysen *esse scriptum. Secundo cum certum sit, libros sacros fuisse correctos per Esdram, existimant aliqui ejus opera textus illos fuisse Pentateucho insertos, licet alioquin admittant Pentateuchum fuisse a* Moyse *compositum. Quod spectat ad caput ultimum Deuteronomii, plerique agnoscunt* Moysis *operibus id additum esse, sive per Josue, sive per Esdram, sive per alium quempiam hagiographum. Hisce posterioribus lubens accedo, non*
B *modo quia mors et sepultura* Moysis *ibi refertur; sed vel maxime propter hac verba* ℣ 6 : Et non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem. *Clarum enim videtur, id scriptum esse post mortem* Moysis.

at nullus admittitur locus, excepto ultimo capite Deuteronomii.

651 *Verum non æque probari potest, alia quædam post* Moysen *Pentateucho fuisse inserta; atque illa sententia majorem quoque aliunde habet difficultatem. Certe nullo modo ferenda videtur assertio Simonii, qui cap. 7 enuntiare sustinuit, tot esse additiones in libris* Moysis, *ut discerni nequeat, quid illius sit, quidve ab aliis adjectum. Scriptor ille audacissimus quidem est in asserendo; at in probando prorsus infirmus, ut jam vidimus. Quare dictum istud jam abunde refutatum est, et magis quoque refutabitur in hac disputatione, qua conabor ostendere, ne quidem modicas istas interpolationes, quas aliqui admittunt tamquam auctoritati sacrarum Litterarum minime contrarias, necessario admittendas esse, cum omnia sine illis exponi possint, ac* Moysi *attribui. Locos omnes impugnatos, quos invenire potero in variis scriptoribus, fideliter recensebo, ac sincerum de singulis pronuntiabo*
C *judicium, quod lubens etiam mutabo, si quis melioribus rationibus, quam hactenus allatas vidi, evincere potuerit, quædam scribi a* Moyse *non potuisse.*

Primus locus objectus Moysi asseritur :

652 *Ex Genesi varia proferuntur. Primo Cap. 12* ℣ 6, *ubi refertur migratio Abrahami ex patria in terram Chanaan, hæc leguntur :* Chananæus autem tunc erat in terra *(Chanaan.) Hæc aiunt scripta esse post* Moysen, *quia* Moysis *tempore Chananæi eamdem terram possidebant; acsi ex verbis* tunc erat *necessario sequeretur non fuisse amplius Chananæum in Palæstina, quando hæc scripta sunt. Respondeo miserrimam esse argutiolam; nec magis sequi ex vocibus* tunc erat in terra, *eosdem ibidem non fuisse tempore scriptoris; quam ex verbis angeli Gen.* 22 ℣ 12, Nunc cognovi quod times Deum, *sequatur id eum ante non cognovisse. Unice igitur sacer textus docet, Chananæos habitasse in terra Chanaan, quando in illam ingressus est Abraham, quod Hebræi* Moysi *tempore æque poterant ignorare quam nos ignoraremus hodie, nisi* Moyses *id docuisset.*

653 *Objiciuntur secundo hæc verba Gen.* 36 ℣ 1 : Reges autem, qui regnaverunt in terra D
Edom, antequam haberent regem filii Israël, fuerunt hi. *Volunt autem hæc scripta esse, postquam filii Israël regem acceperunt, quia dicitur,* antequam haberent regem filii Israël, *acsi scriptor supponeret, filii Israël suo tempore regem fuisse. Verum respondeo* Moysen *ita videri locutum, quia posteris scribebat, et non ignorabat regem deinde eligendum ab Israëlitis, ut constat ex Deut.* 17 *et* 28. *Præterea, etsi id nescivisset* Moyses, *certum est, scriptorem horum verborum sic loquendo non magis supponere debuisse sub rege Judæos fuisse suo tempore; quam Matthæus, dum cap.* 1 ℣ 18 *scripsit,* Antequam convenirent *(Maria et Joseph,) supponere debuerit postea usum matrimonii fuisse inter sanctissimos Conjuges. Objiciebat quidem locum illum Matthæi contra perpetuam virginitatem sanctissimæ Virginis impius Helvidius; at S. Hieronymo lib. contra Helvid. objectio tam videbatur inepta, ut dicat :* Doleamne an rideam, nescio. Imperitiæ arguam, an temeritatis accusem? *et argumentum deinde multis diluit. Porro vocem* antequam *hic nihilo magis valere ad propositum, quam valebat ibidem, facili nego-* E
tio ostenditur : nam si ex vocibus, antequam convenirent, *nullo modo sequatur, postea convenisse, ut certissimum est; ex vocibus* antequam haberent regem, *etiam non sequitur, umquam reges fuisse Israëlitis : quomodo igitur ex iisdem possit deduci, regem Israëlitis fuisse, dum verba illa sunt scripta? Itaque tales objectiones sunt hominum non satis attendentium ad proprietates linguæ Hebraicæ, et arma quælibet obvia statim arripientium.*

alter locus

eidem vindicatur :

654 *Numerus quoque regum, qui recensentur, satis innuit ea fuisse scripta tempore* Moysis : *nam solum octo reges recensentur, quorum postremus tum vivebat, au certe non diu erat defunctus :* Moyses *enim eodem anno, quo defunctus est, a rege Edom transitum petierat Num. 20. Cum autem octo prædicti reges non debuerint totidem generationes constituere, quia filii non leguntur successisse parentibus; incertum est, an singuli diu regnaverint; nec improbabilis erit conjectura, si dicamus id regnum inchoari potuisse non diu ante natum* Moysen, *qui centum et viginti erat annorum; imo inchoari potuisse* F
etiam serius. At quidquid sit de tempore regni inchoati, certum est ante obitum Moysis *sufficiens reperiri tempus, quo octo reges potuerint regnare : nec minus est clarum, inter* Moysis *obitum et primum regem Israëlitarum plus temporis fluxisse, quam ut credibile sit, ab octo regibus fuisse impletum. Quod vero spectat ad duces, qui ibidem quoque recensentur* ℣ 40, *ex ipsis verbis patet, illos vixisse omnes simul, et verisimiliter sub octavo rege : nam ita enuntiantur :* Hæc ergo nomina ducum Esau, in cognationibus, et locis, et vocabulis suis : dux Thamna, dux Alva *etc. Et* ℣ 43 : Hi duces Edom habitantes in terra imperii sui. *Sic antea* ℣ 15 *septem filii Eliphaz vocantur* duces, *et quatuor filii Raguel. Undecim horum ducum avus erat Esau, atque ex ejus filiis varii quoque nominantur* duces. *Itaque si omnia exacte consideremus, probe perspiciemus toto illo capite genealogiam Esau solum referri usque ad* Moysis *tempora. Alii quoque aliter ad objectionem respondent : at dicta mihi videntur sufficere.*

nec ratio est tertium locum Moysi abjudicandi :

655 *Objiciunt tertio hunc locum Deut.* 2 ℣ 12 : In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi : quibus

A quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israël in terra possessionis suæ, quam dedit illi Dominus. *Sic vero ratiocinantur. Israëlitæ tempore* Moysis *necdum possidebant Terram promissam :* Moyses *igitur non potuit scribere*, Sicut fecit Israël in terra possessionis suæ. *Verum etsi eo tempore, quo hæc* Moyses *dixit et scripsit, tota terra promissa non esse occupata ab Israëlitis, saltem occupaverant et possidebant duo Amorrhæorum regna trans Jordanem, et de illis* Moyses *scribere poterat adducta verba. Hæc sola explicatio sufficit ad ostendendum potuisse hæc* Moysen *dicere et scribere. Si autem recte ita loqui potuerit* Moyses, *non nisi imprudenter admitti poterit, hæc ab alio fuisse inserta. Verumtamen alii alias expositiones afferunt, quæ sua non carent probabilitate. Alii dicunt* Moysen *more prophetarum usum esse præterito pro futuro ; alii voces* sicut fecit *hic explicant,* sicut facere decrevit; *alii,* sicut facere cœpit. *Hisce omnibus modis verba Hebraïca exponi possunt, indeque facile intelligitur, objectionem esse nullius momenti, sive textus* Moysis *intelligi debeat de regnis Amorrhæorum, sive alio quopiam* B *modo jam dato explicari.*

quartus locus nihil quoque habet, cur Moysis non esset :

656 *Objectio quarta petitur etiam ex Deuteronomio, ubi cap.* 3 ỳ XI *hæc leguntur :* Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, et quatuor latitudinis *etc. Nimirum non capiunt critici illi, qui ubique sibi imaginantur additiones aut interpolationes, cur* Moyses *voluisset describere lectum hujus gigantis, præsertim cum Israëlitæ, ut volunt, eumdem satis cognovissent. Imo etiam asserere sustinent, lectum illum verisimiliter non fuisse ab Israëlitis detectum ante tempora Davidis, qui urbem Rabbath expugnavit 2 Reg.* 12 ỳ 29. *Respondeo minime mirandum esse, quod* Moyses *immanem hujusce regis staturam voluerit notam facere, cum id conduceret ad mirabilia Dei illustrius enarranda et explicanda. Lecti autem descriptio manifeste ostendebat, gigantem illum tantæ fuisse molis, ut consuetam hominum staturam longissime excederet. Frivolum vero et ne verum quidem est, quod hic ait Calmetus, sta-* C *turam immanem regis Og omnium oculis fuisse objectam : neque enim omnes Israëlitæ ad expeditionem contra Og fuerant profecti, imo ne decima quidem eorum pars, si mulieres considerentur et parvuli. Verum supponamus, gigantem illum ab omnibus fuisse visum; non solis præsentibus scribebat* Moyses, *sed vel maxime posteris : præsentes enim verbis instruere poterat, non item posteros. Quod ait idem Calmetus expressionem hanc* Monstratur lectus ejus *etc., non videri scriptoris contemporanei, et nota narrantis, rursum placere mihi nequit ; quia scriptores quotidie notissima solent confirmare quibusdam testimoniis, ut relata apud posteros majorem habeant auctoritatem : nec solum id faciunt scriptores profani, sed etiam sacri. Quin potius si ipsum dumtaxat locum consideremus, facile videbimus esse auctoris synchroni ; quia non additur,* usque in præsentem diem, *aut quid simile, quemadmodum solet fieri quando de rebus præteritis, quæ aliquo tempore servata sunt in eodem statu, instituitur sermo. Demum quod dicitur, lectum illum verisimiliter inventum esse in Rabbath tempore Davidis, omni caret auctoritate sacræ Scripturæ ; nec verisimile est, maluisse aliquem hagiographum ea de lecto Og Deuteronomio inserere, quam inventionem lecti suo loco referre.*

AUCTORE J. S.

quintus textus geminam habet difficultatem ;

657 *Quintam objectionem formant adversarii ex hisce Deut.* 3 ỳ 14 *verbis :* Jair filius Manasse possedit omnem regionem Argob usque ad terminos Gessuri et Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, HAVOTH JAIR, id est, villas Jair, usque in præsentem diem. *Hæc objectio plus habet difficultatis quam ulla ex præcedentibus. Observatio quoque mox data de phrasi* usque in præsentem diem *videtur adversariis favere. Verumtamen hæc phrasis non cogit nos credere, textum hunc Deuteronomio postmodum fuisse insertum : nam etsi frequenter loquantur Litteræ sacræ, quando res aliqua diu in eodem statu mansit aut idem nomen retinuit, subinde tamen eadem quoque utuntur phrasi de re non diu præterita, prout hic factum est. Sane multum sudabit et frustra, qui ostendere voluerit phrases istas usitatissimas in veteri Testamento* usque in præsentem diem, usque in præsens, usque hodie, usque in hodiernum diem, *numquam adhibitas fuisse nisi de rebus antiquis. Certe Matthæus cap.* E 27 ỳ 8, *et cap.* 28 ỳ 15 *ita loquitur de rebus satis novis, uti et Paulus Act.* 23 ỳ I, *et Act.* 26 ỳ 22.

sed tam prim

658 *Si autem velimus perscrutari Testamentum vetus, clare videbimus similes phrases adhibitas fuisse in facto minus antiquo, quam erat nomen* Havoth Jair, *quando hæc peroravit et scripsit* Moyses. *Exod.* 7 ỳ 16 *Dominus jubet* Moysen *in tertio congressu sic loqui ad Pharaonem :* Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto : et USQUE AD PRÆSENS audire noluisti. *Atqui dubitari nequit, quin fuerit minus spatium inter primum et tertium congressum* Moysis *cum Pharaone quam fuerit inter occupationem urbium, quæ vocatæ sunt* Havoth Jair, *et orationem* Moysis *ad populum. Clare igitur patet, ex phrasi* usque in præsentem diem *nihil inferri posse pro interpolatione, phrasimque illam usurpari ab Hebræis, quoties aliquod tempus, sive longum sive breve, inter rem cœptam et narrationem intercedit. Si autem hisce necdum acquiescant adversarii, audiant aliud exemplum. Anna mater Samuëlis cum multo* F *dolore et lacrymis orans Dominum, ac ebrietatis idcirco accusata ab Heli, ita ei respondet* I *Reg.* I ỳ 16 *:* Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial : quia ex multitudine doloris et mœroris mei, locuta sum USQUE IN PRÆSENS. *Loquitur Anna solum de tempore quo oraverat, et tamen utitur phrasi illa* usque in præsens *; quis igitur prudens ex vocibus* usque in præsentem diem, *diuturnum tempus necessario colligendum putet, locumque interpolationis accusandum ?*

quam secunda tollitur :

659 *At alio etiam ex capite locus allegatus ab adversariis impugnatur. Judic.* 10 ỳ 4 *de Jair Israëlitarum judice, qui Tholæ successit, hæc leguntur :* Huic successit Jair Galaadites, qui judicavit Israëlem per viginti et duos annos, habens triginta filios, sedentes super triginta pullos asinarum, et principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ HAVOTH JAIR, id est, oppida Jair, usque in præsentem diem, in terra Galaad. *Hunc locum objecit Calmetus in cap.* 3 ỳ 14 *Deut., ut ostenderet locum Deuteronomii suspectum esse interpolationis. Verum si quid probare objectio, plus probaret quam velit*

AUCTORE J. S.

velit ipse interpres, qui locum objicit. Ait ille quidem idoneas esse rationes, quæ persuadeant, alterum Jair ab altero distingui. At istud non erat subtimide et dubitanter asserendum, cum certum sit et indubitatum ex sacris Litteris : nam primus Jair contemporaneus fuit Moysi, *et subegit partem Galaaditidis, cui nomen suum imposuit, uti non modo Deut.* 3 *legitur, sed etiam Num.* 32 ỹ 41, *ubi eadem refertur historia. Alter vero plusquam duobus seculis fuit posterior, et tunc fuit judex Israëlitarum, qua dignitate caruerat prior : nec hic legitur triginta filios habuisse, uti habuit secundus. Contra secundus Jair non legitur subegisse civitates illas, aut vicos potius, quibus dedit nomen* Havoth Jair. *Nihil igitur habent commune nisi nomen* Jair, *quodque a nomine illo pars Galaaditidis vocata sit* Havoth Jair. *Verum ne quidem necesse est affirmare, nomen illud ab utroque fuisse datum : nam de secundo solum dicitur,* Quæ ex nomine ejus sunt appellatæ HAVOTH JAIR. *Hæc autem verba sic exponi possunt, ut civitates aut vici illi intelligantur nomen sortitæ a nomine,*
B *quod habebat* Jair *judex, licet nomen istud vicis non fuerit impositum hujus tempore, nec per ipsum, sed tempore primi Jair, a quo constat fuisse impositum. Favet huic expositioni textus Hebraïcus, in quo ne quidem legitur* ex nomine suo. *At sive dicamus civitates illas a primo solum Jair dictas esse* Havoth Jair ; *sive credamus secundum quoque auctorem esse istius nominis, locus Deuteronomii nequit merito suspectus esse interpolationis : nam secundus Jair nomen antiquum continuaverit, aut abolitum restituerit, sicut nomen Hierosolymæ, quod per Adrianum imperatorem erat abolitum, deinde fuit restitutum, et sicut aliarum civitatum nomina aliquando abolita atque iterum restituta novimus. Ceterum oppugnatus Deuteronomii locus ea quoque ratione minus suspectus esse debet interpolationis, quod pars sit orationis, quam* Moyses *habuit ad populum.*

Sexta objectio est exigui momenti :

660 *Sexta objectio petitur ex verbis Exod.* 16 ỹ 35 : Filii autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem : hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaan. *Nam, uti obser-*
C *vant, manna desierunt manducare Israëlitæ post mortem* Moysis, *uti narratur Jos.* 5 ỹ XI *et* 12 *his verbis :* Et comederunt de frugibus terræ . . . Defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ *etc. Itaque* Moyses *scribere non potuit, si credimus criticis quibusdam, quamdiu manna comederint filii Israël. Verum frivola hæc est ratiocinatio : nam* Moyses *sciebat, antequam obiit, Israëlitas annis circiter quadraginta manna pastos esse in deserto, idque haud dubie scribere potuit, et scripsit, sicuti Deut.* 8 ỹ 2 *ad populum locutus est sequentia :* Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum. *Necdum erant impleti anni quadraginta, quando hæc dicebat* Moyses, *sed annus quadragesimus itineris ad finem decurrebat, et sic paulo post dicit* ỹ 4 : En quadragesimus annus est. *At poterat Sanctus tempus istud numero rotundo vocare annos quadraginta, etsi deessent aliquot dies, aut etiam menses aliquot defuissent, ut in similibus fieri solet. Poterat, inquam, ita loqui sanctus Legislator, licet ignorasset manna post breve tempus cessaturum, cum non negaret Israëlitas manna deinde etiam cibandos. Quippe solum scri-* D
psit, Israëlitas comedisse manna quadraginta annis, *et* usquequo tangerent fines terræ Chanaan. *Hoc autem totum erat impletum ante mortem ipsius, cum solo Jordane a terra Chanaan separarentur Israëlitæ. Noverat quidem* Moyses *Israëlitas brevi ingressuros in terram promissam, ideoque hac etiam scientia uti poterat : at istud necessarium non erat ad scribendum verba objecta. Imo scientia illa usus hic non videtur, cum nec diem, nec locum, quo manna defecit, assignaverit ; et ne quidem affirmaverit, utrum ante, an post transitum Jordanis deficeret. Quapropter ipsa enuntiatio vaga adversarios docere debuerat,* Moysen *illa scripsisse, quando manna needum defecerat.*

Septima objectio variis modis

661 *Septima objectio, quam jam breviter tetigi num.* 555, *sumitur ex Deut.* I ỹ I, *ubi* Moyses *dicitur locutus ad populum* trans Jordanem. *Constat enim* Moysen *numquam transivisse Jordanem ; atque ea de causa existimant adversarii non potuisse eumdem scribere has voces* trans Jordanem. *Late pater hæc objectio, cum eædem voces reperiantur multis aliis locis, videlicet Num.* 32 ỹ 32 *et cap.* 34 ỹ 15 *et cap.* 35 ỹ 14 ; *uti et Deut.* I ỹ 5 *et cap.* 3 ỹ 8, *cap.* 4 ỹ 41, 46, 47 *et* 49 ; *atque omnibus istis locis voces* trans Jordanem *significent regionem illam, quæ sita est ad Orientalem partem Jordanis. Si Calmetus omnes istos textus diligenter considerasset, non tam facile, opinor, concessisset in opinionem quorumdam criticorum, neque ex allatis vocibus inferre voluisset, duos primos Deuteronomii versiculos* Moysi *esse abjudicandos. Accipe, studiose lector, primum ex locis allegatis, et judica mecum, an prudenter* Moysi *possit abjudicari, alterique hagiographo attribui. Num.* 32 ỹ 31 *et* 32 *hæc leguntur :* Responderuntque filii Gad et filii Ruben : Sicut locutus est Dominus servis suis, ita faciemus : ipsi armati pergemus coram Domino in Terram Chanaan, et possessionem jam suscepisse nos confitemur TRANS JORDANEM. *Si Gaditæ et Rubenitæ, qui eo tempore Jordanem nihilo magis transiverant quam* Moyses, *ita loqui potuerunt, cur* Moyses *non potuit ita scribere ? Quare nullum mihi est dubium, quin pluribus locis ita scripserit, aut certe scripserit, sicut habet textus Hebraïcus. Nam varii scriptores observarunt vocem* F *Hebraïcam* heber *ambiguam esse, et Latine exprimi posse* cis *aut* trans. *Alii volunt textum Hebraïcum significare* in transitu Jordanis. *Nolim hasce observationes improbare : quin et veras existimo et sufficientes ad objectionem solvendam. Verum ne quidem mihi necessariæ videntur istæ vocis Hebraïcæ explicationes, cum ipsa verba Latina* trans Jordanem *facile possint defendi, et recte intelligi, cur* Moyses *partem illam ditionis Israëlitarum, quæ sita erat ad Orientem Jordanis, ab altera parte distinxerit per voces* trans Jordanem.

solvi potest, ut ostenditur :

662 *Noverat* Moyses *terram, quæ sita est inter mare Mediterraneum et Jordanem, promissam fuisse Israëlitis, ideoque hanc totam per exploratores curaverat lustrandam Num.* 13. *Nec modo noverat terram illam fuisse promissam, sed etiam certo sciebat occupandam ab Israëlitis, quia Num.* 34 *fines totius terræ Chanaan jussu Dei descripsit. Poterat igitur* Moyses *ditionem totam, quam Israëlitæ erant possessuri, considerare, qualem noverat futuram atque inspici jusserat, et minorem partem, quam Jordanes a majori dividit, vocare regionem* trans Jordanem, *quemadmodum*

A *quemadmodum fieri solet in urbibus aut provinciis, quas flumen aliquod intersecat. Tanto magis ea consideratione uti poterat* Moyses, *quod non solum scriberet præsentibus, sed etiam posteris, qui eo loquendi modo usuri erant, atque uti debebant; quod Abraham, Isaac et Jacob, quorum posteris terra erat promissa, habitassent inter Jordanem et mare. Hoc autem loquendi modo* Moysen *revera usum esse, facile ostendi potest. Num.* 34 *post descriptam terram Chanaan, mari et Jordani interjectam,* ℣ 12 Moyses *Israëlitas sic alloquitur:* Hanc habebitis terram per fines suos in circuitu. Præcepitque Moyses filiis Israël, dicens: Hæc erit terra, quam possidebitis sorte, et quam jussit Dominus dari novem tribubus, et dimidiæ tribui. Tribus enim filiorum Ruben, .. et tribus filiorum Gad, .. media quoque tribus Manasse. . acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad Orientalem plagam. *Hic non solum in scribendo, at in loquendo etiam prædicto modo utitur* Moyses. *Aliis quoque locis ita non modo scribit, sed et loquitur Sanctus. Verum satis erit unum* B *afferre locum. Gen.* 50 *narratur, quo modo Joseph corpus defuncti patris sui Jacobi portaverit in terram Chanaan, et* ℣ 10 *dicitur:* Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est TRANS JORDANEM. *Hunc autem locum esse situm ad Orientem Jordanis patet ex sequentibus: nam* ℣ 13 *subditur:* Et portantes eum in Terram Chanaan etc. *Locum quoque eumdem ad Orientalem illius fluvii partem assignat S. Hieronymus in Locis Hebraïcis. Ex hisce sequitur, Josephum et socios ipsius nondum transivisse Jordanem, ubi dicuntur venisse ad locum situm* trans Jordanem; *clarumque est,* Moysen, *quando illa scribebat, non respexisse ad locum, in quo erat, sed ad divisionem Terræ promissæ, seu ad terram, in qua habitaverant Abraham, Isaac et Jacob, quibus promissio erat facta.*

octava objectio ex variis nominibus, Moyse, ut volunt posterioribus:

663 *Octavo demum objiciunt varia nomina urbium, locorum, aliarumque rerum similium, contenduntque nomina illa non fuisse usitata* Moysis *tempore, sed posteriora esse sancto Legislatore: quod si verum est, ab eo scripta non fuerunt;* C *at deinde per alium hagiographum fuerint Pentateucho inserta explicationis gratia. Sane nonnulli id crediderunt: ad non video eos pro nominibus istis* Moysi *abjudicandis meliores afferre rationes, quam afferunt pro locis jam refutatis. Verumtamen non operose discutiam omnia nomina, quæ alicubi objecta reperio tamquam* Moyse *posteriora, qualia sunt* Phison, *nomen fluvii e paradiso egredientis,* Hevilat, *terra, quam dictus fluvius circuit Gen.* 2 ℣ XI, Babel *turris Gen.* XI ℣ 9, Ninive *urbs Gen.* 10 ℣ XI, *et* Chaldæi *gens variis locis in Genesi. Hæc quidem inter nomina objecta reperio apud Remigium Ceillier in Historia generali auctorum sacrorum tom.* I *pag.* 30 *in* Moyse, *ubi et singulorum antiquitatem vindicat: at cum non videam objectiones illas quidquam habere fundamenti in Scripturis, aut vel minimum difficultatis involvere, satis erit ad laudatum scriptorem remittere lectores, eaque examinare nomina, quæ primo saltem intuitu aliquid videntur difficultatis habere.*

primum vocem objectam non esse Moyse posteriorem,

664 *Tale est nomen* Dan, *de quo Gen.* 14 ℣ 14, Persecutus est eos usque DAN: *Abraham nimirum cum expeditis vernaculis suis persecutus est quatuor reges illos, qui regem Sodomorum regesque ei fœderatos vicerant, et Sodoma aliasque urbes spoliaverant. Per* Dan *autem hic adversarii intelligunt urbem illam, quam Danitæ expugnasse leguntur Judic.* 18, *ubi* ℣ 29 *hæc habentur:* Erat autem civitas sita in regione Rohob: quam rursum extruentes habitaverunt in ea, vocato nomine civitatis DAN, juxta vocabulum patris sui, quem genuerat Israël, quæ prius LAIS dicebatur. *Jos.* 19 ℣ 47 *de eadem civitate hæc dicuntur:* Ascenderuntque filii Dan, et pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam: et percusserunt eam in ore gladii, et possiderunt et habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus LESEM DAN, ex nomine Dan patris sui. *Ex hisce Calmetus aliique concludunt, nomen loci istius* Dan *posterius esse* Moyse, *ac libris ipsius deinde insertum. Respondeo vocem* Dan *in textu objecto non necessario intelligi debere de illa urbe, sed ibidem fuisse rivum aut fluviolum, qui* Dan *dictus fuit, quique cum altero simile* Jor *dicto, Jordani fluvio ortum et nomen dedisse dicitur a S. Hieronymo infra citando. Scio quidem Calmetum in Dictionario Biblico ad vocem* Jordanis *falsitatis suspectos habere duos istos fontes, ex quibus* Jordanis *profluere dicitur; sed hanc ipsius assertionem jam refutavi tom.* V *Augusti, ubi pag.* 743 *Joinvillius in Vita S. Ludovici regis* E *Franciæ de urbe illa, quæ secundum aliquos deinde* Paneas *et* Cæsarea Philippi *vocata fuit, sic habet:* Sita est hæc urbs supra fontem pulcrum, JOR dictum. In campis planis, qui ante hanc urbem extenduntur, fons est alius admodum pulcher, DAN nominatus: horumque duorum fontium rivi satis procul ab urbe confluunt, indeque fluvius, ex fontibus his ortus, vocatus est JORDANIS. *Ita scriptor ille, qui in loco fuerat, et fontes videre potuerat. Hujus testimonium ibidem in Annotatis confirmavi testimonio unius e Missionariis nostris in Syria, qui ambos fontes exacte etiam describit. Quapropter non continuo credendum esse Calmeto censui, asserenti falsum esse,* Jordanem ex duobus amnibus conflari, amnemque aliquem esse, qui DAN appelletur, licet tabulæ geographicæ pleræque sic ferant. *Nam, quod mirum videbitur, Calmetus ipse ad vocem* Dan *ait:* Dan *(urbs)* ad radices Libani sita erat, juxta rivum DAN, sive Jordanem. *Ex hisce concludo textum Gen.* 14 ℣ 14 *explicari probabiliter posse de rivo* Dan. F

variis modis ostenditur:

665 *Secundo, etiamsi certum esset in textu allegato non rivum, sed oppidum designatum esse, ne vel sic quidem adversariorum argumentum certo evinceret, vocem illam textui serius esse insertam. Nam incertum est primo, an urbs* Lais *vel* Lesem *antea non fuerit dicta* Dan, *ita ut antiquum civitatis nomen fuerit dumtaxat renovatum a Danitis. Certe raro legimus, Israëlitas eo tempore urbibus captis majorum suorum nomina imposuisse. Hinc suspicio esse potest, id ideo de hac urbe contigisse, quia antiquitus* Dan *fuerat nominata. Deinde in textu objecto alia potest civitas designari, quæ* Dan *quoque dicta fuerit: neque enim incredibile est, aliam quoque fuisse civitatem, aut vicum aliquem tempore Abrahæ, qui* Dan *fuerit vocatus. S. Hieronymus locum de rivo* Dan *videtur intellexisse: nam lib. Quæst. Hebraïc. in Genesim cap.* 14 *ad verba objecta:* Et persecutus est eos usque Dan, *sic habet:* Ad Phœnicis oppidum, quod nunc PANEAS dicitur. DAN autem unus e fontibus est Jordanis. Nam et alter vocatur JOR, quod interpretatur ῥεῖθρον, id est, rivus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul a se distant, in unum rivulum fœderatis, JORDANIS deinceps appellatur.

AUCTORE J. S.

tur. *Jam vero eum de rivo* Dan, *non de urbe Paneade, locum intelligere, facile probatur : nam lib. de Locis Hebraïcis ad vocem* Dan *ita scribit :* Dan viculus est in quarto a Paneade milliario euntibus Tyrum : qui usque hodie sic vocatur. *Distinguit igitur inter* Dan, *olim* Lais *vel* Lesem *dictam, uti habet ad has voces, et urbem* Paneadem : *nec alia de causa adducit oppidum istud, quod situm erat ad rivum* Dan, *quam ut per oppidum notius assignaret rivum minus notum, de quo textum Scripturæ interpretatur. Ceterum locus ipse ne minimum quidem habet indicium insertæ vocis : neque enim aliqua potuit esse inserta, nisi alia fuerit sublata, quod nequaquam mihi est verisimile.*

idem probatur de secunda voce objecta,

666 *Altera vox, quæ Pentateucho inserta explicationis gratia a quibusdam creditur, est* Hebron : *atque hæc revera variis locis ita repetitur, ut solum addita videatur ad expositionem. Primo Hebron memoratur Gen.* 13 ỷ 18 *hoc modo :* Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit et habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron : *id est, juxta Hebron.* B *Gen.* 23 ỷ 2 *de Sara dicitur :* Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron. *Rursum Gen.* 35 ỷ 27 : Venit etiam *(Jacob)* ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, hæc est Hebron. *Clarum est ex locis allatis, urbem illam* Arbee *dictam fuisse, et sic aliis locis vocatur,* Cariath Arbe. *Hoc autem fuisse antiquum urbis nomen, discimus ex Jos.* 14 ỷ 15, *ubi legitur :* Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe. *Id quoque asseritur Judic.* I ỷ 10. *Cum autem inter filios Caleb, qui urbem Hebron obtinuit, reperiatur unus* I *Paral.* 2 ỷ 42 Hebron *dictus, facile inferunt critici nostri, laudatam urbem ab eo Calebi filio nomen accepisse. Quod si hæc observatio vera sit, nomen* Hebron *Pentateucho variis locis insertum est. Verum respondeo conjecturam speciosam magis, quam solidam esse : nullo enim Scripturæ testimonio probari potest, urbem Hebron a Calebi filio denominatam fuisse. Quod vero subinde duo istius urbis nomina simul recenseantur, dicaturque,* Quæ est Hebron, *aut,* Hæc est Hebron, *suspicionem injicere posset, ista explicationis gratia* C *fuisse addita, si ubique in Pentateucho ista recurrerent. Verum cum aliis locis urbs uno solum nomine* Hebron *appelletur, ista quoque suspicio evanescit. Certe Gen.* 13 ỷ 18 Hebron *vocatur sine mentione nominis antiquioris* Arbee, *aut* Cariath Arbe. *Et Gen.* 37 ỷ 14 *similiter dicitur* Hebron *sine mentione alterius nominis. Num.* 13 ỷ 23 *de exploratoribus legitur :* Ascenderuntque ad Meridiem, et venerunt in Hebron . . . Nam Hebron septem annis ante Tanim urbem Ægypti condita est. *Nulla quoque ibi mentio alterius nominis.* Moyses *urbem* Hebron *variis nominibus designavit in Genesi, ubi videtur uti voluisse antiquo nomine, quia id necdum exoleverat tempore illo, de quo scribebat. At scribens de gestis sui temporis solo nomine* Hebron *usus est, verisimiliter quia id magis tunc erat usitatum. Confirmatur id ex Josue cap.* 14 ỷ 13, *ubi de tradita Calebo Hebrone sic legitur :* Benedixitque ei Josue : et tradidit ei Hebron in possessionem : atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo. *Et mox* ỷ 15 : Nomen Hebron ante vocabatur Cariath Arbe. *Quo respicit, obsecro, illud* ante, *nisi ad tempora rebus, quæ narrantur, antiquiora ? Alioquin enim dixisset Scriptor,* tunc, *non* ante.

ac demum de tertia.

D 667 *Tertium denique nomen, quod aliquibus visum est non convenire* Moysis *ætati, est* Moria *mons, in quo templum deinde ædificatum est. Volunt nimirum montem illum non gavisum esse isto nomine, nisi dum destinatus est ad constructionem templi. Vanum et prorsus ineptum esse istud argumentum, patet ex ipso, qui oppugnatur, loco. Gen.* 22, *postquam Abraham pro Isaaco filio suo arietem obtulerat holocaustum,* ỷ 14 *additur :* Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt *(Hebraïce* Moria, *id proprie est,* Dominus videbit, *sed utroque modo verti potest.)* Unde usque hodie dicitur : In monte, Dominus videbit *(Moria.) Asserit ipsa Scriptura nomen monti ab Abrahamo fuisse impositum. Quis igitur, qui sacris Litteris fidem adbibet, affirmare ausit nomen id esse posterius? Neque sane id argumentum ab ullo Catholico adoptatum novi. Hactenus collegi et discussi argumenta illa, ex quibus primum probare voluerunt nonnulli Pentateuchum non esse* Moysis : *quod cum alii scriptores ut prorsus improbabile, et Scripturis contrarium rejicerent, et nimium tamen allatis ratiunculis tribuerent ; dixerunt quædam Pentateucho inserta fuisse per Esdram aut alium* E *hagiographum. Verum cum nec horum sententia mihi satis appareat probabilis, singulas objectiones diligenter discutiendas censui, et tam prolixe respondendum, ut lector studiosus intelligere possit, quam infirma sint omnia adversariorum fundamenta.*

§ LVII. De tempore scripti Pentateuchi.

Ceillierius vult Pentateuchum scriptum ultimo Moysis anno :

Quandoquidem Pentateuchum, in quinque libros divisum, videlicet Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros et Deuteronomium, Moysi *vindicavimus ; restat ut aliqua dicamus de tempore, quo libros illos conscripsit* Moyses : *scriptores enim in varias admodum sententias abierunt. Existimant aliqui Genesim a* Moyse *scriptam esse in Madianitide aut certe tempore servitutis Ægyptiacæ ; alii Genesim solum præponunt Legi apud montem Sinai acceptæ : alii rursum volunt* F *exaratam esse in deserto post Legem acceptam. Verum laudatus ante Ceillierius conatur tribus argumentis evincere, Pentateuchum compositum esse postremo* Moysis *anno, seu quadragesimo peregrinationis per desertum. Sententia hæc necessario ex parte vera est, cum Deuteronomium et pars Numerorum scribi non potuerint ante illum annum, quo relata in iis contigerunt. At minus certa mihi apparet pro aliis Pentateuchi libris. Quapropter laudati scriptoris argumenta expendere et nonnihil elucidare conabor, omissis ceteris scriptoribus, qui minus certo inhærent determinato alicui tempori, ne disputatio fiat prolixior.*

at primum ipsius argumentum non modo parum probat,

669 *Primum Ceillierii argumentum hoc est.* Moyses *in Genesi cap.* 22 ỷ 14, *et cap.* 27 ỷ 20 *utitur nomine Dei tetragrammato. Atqui Exod.* 6 ỷ 3 *dicit Dominus* Moysi *de Abrahamo, Isaaco et Jacobo :* Et nomen meum Adonai *(in Hebræo habetur nomen Dei tetragrammaton)* non indicavi eis. *Itaque, inquit, verisimile est, istud Dei nomen fuisse incognitum usque ad tempus, quo Pharaonem secunda vice accedere debebat* Moyses. *Hoc argumentum, si consequentia*

AUCTORE J. S.

A *sequentia legitime deducta esset, solum evinceret, Genesim non esse scriptam ante tempus, quo* Moyses *apud Pharaonem urgebat discessum Israëlitarum ex Ægypto. Aut potius, ut inferendum erat, usque ad visionem* Moysis *apud rubum : in ea enim nomen Dei* Moysi *indicavit angelus, sicut narratur Exod.* 3 ℣ 14. *Verum ne hæc quidem consecutio mihi apparet legitima, quia hæc verba*, Et nomen meum Adonai non indicavi eis, *non debent sic intelligi, ut nomen Dei tetragrammaton, quod* Jehovah *pronuntiatur e multorum sententia, credamus Abrahamo prorsus fuisse ignotum; at sufficit, si dicamus vim et explicationem venerandi istius nominis Abrahamo aliisque patriarchis non fuisse cognitam, quemadmodum illa cognita fuit* Moysi, *explicante angelo Exod.* 3 ℣ 14.

sed plane etiam corruit:

670 *Locum sic recte explicat Bonfrerius in Exod.* 6 ℣ 3 *post alios : nam, ubi observarat Deum Gen.* 15 ℣ 7 *et alibi usum esse illo nomine, ita pergit :* Sequor Cajetani, Lyrani, Tostati, Eugubini explicationem, qui explicant, Deum apparuisse patriarchis in Deo omnipotente, seu in forti et omnipotente, hoc est declarasse illis sufficienter vim istorum suorum nominum, et dedisse illis satis distinctam notitiam illorum suorum attributorum; fortitudinis et sufficientiæ seu omnipotentiæ : fortitudinis, eos re ipsa fortiter ex variis periculis, difficultatibus et hominum insidiis liberando; sufficientiæ ac omnipotentiæ, multa eis bona ac beneficia largiendo. Nomen autem suum tetragrammaton iis non indicasse, sicuti Moysi indicaverat, et per Moysen ceteris Hebræis, cum supra dixit Moysi, Ego sum qui sum, et hoc ipsum renuntiari jusserat Judæis, Qui est misit me ad vos. Quod non sic intelligendum est, quasi patriarchæ illi non scirent Deum sic vocari, ejusdemque nominis quoad vim et potestatem confusam aliquam notitiam non haberent, sed quod non ita distincte sit illis explicata vis istius nominis (quod Dei esse sive ens illimitatum significat, estque ceterorum attributorum per modum qualitatum significatorum quasi prima radix et fundamentum) sicuti Moysi et ceteris istorum patriarcharum posteris; et re ipsa paulo post tot prodigiis ac miraculis ostensurus esset se esse fontem omnis esse, utendo creaturis quomodolibet, et earum naturas pro arbitrio commutando vel destruendo. *Hæc expositio, quæ genuina videtur, argumentum primum Ceillierii prorsus destruit.*

alterum argumentum, quod, etiamsi legitime concluderet, non satis probaret,

671 *Hic autem secundum argumentum sumit præcepto Dei dato Noë ante diluvium Gen.* 7 ℣ 2, *ubi distinctio fit animantium mundorum et immundorum, quia dicitur :* Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et fœminam : de animantibus vero immundis duo et duo *etc. Ex hoc loco infert Genesim scriptam non esse ante publicationem legis de animalibus mundis et immundis, quæ habetur Levit.* xi. *Credit enim laudatus scriptor distinctionem animantium mundorum et immundorum ignotam fuisse Israëlitis ante illam legem, atque idcirco non potuisse* Moysen *antea sic scribere, quia Israëlitæ non intellexissent, quid vellet per animantia munda et immunda. Verum cum fateatur distinctionem mundorum et immundorum animantium cognitam fuisse Noë, qui alioquin prædictum Domini mandatum non potuisset exsequi; non invenio fundamentum satis firmum ad dicendum distinctionem illam fuisse incognitam Israëlitis. Quippe si Noë sciverit, quænam animantia offerenda essent in sacrificia, quæ contra non offerenda; si non ignoraverit, quibus deinde vesci liceret, et a quibus abstinendum; non video, cur illam scientiam non communicasset posteris suis, et qua de causa non potuerit scientia illa pervenire usque ad tempora* Moysis; *sive credamus distinctionem illam expresso Dei mandato præceptam fuisse a temporibus Noë; sive malimus existimare, instinctu quodam naturali fuisse introductam, usuque et consuetudine confirmatam.*

similiter est illegitimum :

672 *At, inquit Ceillierius, Deus in Lege Israëlitas instruxit de distinctione mundorum et immundorum; necesse igitur est ut dicamus, Israëlitas ante Legem datam non habuisse ullam regulam distinguendi inter animantia munda et immunda. Verum fallit hæc consecutio, quia multa alia præcepta sunt in Lege* Moysis *et explicata, licet antea essent usitata apud Israëlitas et præscripta : cum enim Lex omnia contineat præcepta, quæ observanda erant Israëlitis; si omnia illa eo tempore primum mandata sunt, sequeretur nihil observandum fuisse Israëlitis ante Legem latam, cum tamen constet, multa præcepta moralia et nonnulla etiam legalia ipsis ante fuisse observanda. Sane non est credendum Israëlitas ante Legem latam quævis animalia sine delectu ad cibum aut ad sacrificium adhibuisse. Poterat igitur* Moyses *ante Legem latam loqui, sicut locutus est Gen.* 7 ℣ 2, *et sic loquens intelligi ab Israëlitis, ita ut istud argumentum nullius sit momenti ad investigandum tempus scripti libri Geneseos totiusque Pentateuchi.*

tertium vero plus probaret,

673 *Tertium argumentum desumit Ceillierius ex verbis Gen.* 14 ℣ 7, *ubi dicitur de quatuor regibus, qui regem Sodomorum aliosque quatuor ei adhærentes deinde vicerunt :* Reversique sunt et venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades *etc.; quia S. Hieronymus lib. Quæst. Hebraïc. in Genesim in locum allegatum de fonte* Misphat, *seu de fonte* Judicii, *ut sonat vox Hebraïca, sic loquitur :* Per anticipationem dicitur, quod postea sic vocatum est. Significavit autem locum apud Petram, qui Fons Judicii nominatur : quia ibi Deus populum judicavit. *Ex hisce autem ita ratiocinatur laudatus scriptor :* Fons Misphat *seu* judicii *nomen istud accepit anno quadragesimo peregrinationis Israëlitarum, quando populus apud Aquas contradictionis murmuravit, ut refertur Num.* 20, *et* Moyses *ipse et Aaron fuere exclusi ingressu Terræ promissæ ob nonnullam diffidentiam, ut ibi dicitur* ℣ 12. Moyses *igitur hæc ita scribere non potuit ante illum annum quadragesimum et ultimum vitæ suæ. Consecutio hæc legitime deducta est, modo sententia S. Hieronymi, sicut exponitur, satis sit certa. Verum pro illa sententia, quam S. Hieronymo attribuunt ac sequuntur aliqui interpretes, non invenio satis firmum fundamentum in sacris Litteris : nam* Moyses *nullibi insinuat* Aquas contradictionis *et* Fontem Misphat *nomen accepisse ab ullo eventu sui temporis. Quis autem facile credat,* Moysen *illo nomine usum esse per anticipationem, cum eodem nomine numquam sit usus postquam loco nomen fuisset inditum, præsertim cum locum istum frequenter alio nomine designet, et vocet ad* Aquas contradictionis?

nisi incerto fundamento niteretur,

674 *Præterea, si consideremus loca vicina gentesque eo tempore victas a quatuor illis regibus, postquam* venerunt ad fontem Misphat, *verisimilius apparebit, per* Cades, *ubi erat* Fons Misphat, *non intelligi urbem* Cades *deserti Sin, ubi*

ubi fuerunt Aquæ contradictionis, *sed urbem* Cadesbarne *in limite Terræ promissæ seu tribus Juda, quia Gen.* 14 ℣ 6 *dicitur de istis quatuor regibus, quod pervenerint varias gentes percutiendo* usque ad Campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reversique sunt et venerunt ad Fontem Misphat, ipsa est Cades: et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, et Amorthæum, qui habitabat in Asasonthamar *Certe Amalecitarum regio vicina erat urbi* Cadesbarne, *uti et eidem vicini erant Amorrhæi* Moysis *tempore, eratque urbs sita in deserto Pharan, ita ut omnia illa optime congruant urbi Cadesbarne. At urbi* Cades, *ubi fuerunt* Aquæ contradictionis, *et urbi Petræ, nec Amalecitarum regio, nec Amorrhæorum gens, nec desertum Pharan, videtur fuisse vicinum. Certe eam vicinitatem nullo sacræ Scripturæ loco probandam existimo. Itaque cum num.* 437 *et sequentibus ostenderim* Cades *deserti Sin et* Cadesbarne *urbes fuisse diversas; cumque ex dictis pateat, hic potius intelligendam esse* Cadesbarne *quam* Cades; *fons Misphat nomen* B *accipere non potuit ab iis, quæ facta sunt apud Aquas contradictionis, sed aut nomen est* Moyse *antiquius, vel, si ipsius tempore loco fuit impositum, oriri potuit ex rebellione Israëlitarum occasione exploratorum orta, quando tota fere gens Israëlitarum condemnata est ad mortem in deserto obeundam. Porro, si nomen fontis* Misphat *sit* Moyse *antiquius, ut verisimilius est, totum argumentum corruit. Si vero ortum sit tempore commorationis Israëlitarum apud Cadesbarne,* Moyses *ista non scripsit ante secundum peregrinationis annum.*

Nec ultimo Moysis anno, nec ante Legem acceptam Genesis videtur scripta:

675 *Ex dictis sequitur, argumenta jam examinata non sufficere ad statuendum aliquid certi de tempore scripti per* Moysen *Pentateuchi; nec facile crediderim Genesim dilatam esse usque ad annum postremum vitæ Moysis. Nihilo magis verisimile mihi apparet, Genesim esse scriptam in Madianitide, priusquam celebrem illam visionem in rubo* Moysi *obtulisset Deus, quia non videtur ante prædictam visionem tanta spiritus prophetici gratia fuisse præditus, quanta necessaria erat ad Genesim componendam. Si vero consideremus tempus illud, quo in Ægypto deinde man-* C *sit, ut exitum Israëlitarum urgeret apud Pharaonem, nihil forte inveniemus, cur illo tempore Genesim componere non potuerit, nisi nimiam temporis brevitatem et varias occupationes, quæ nascebantur ex imposita per Deum cura liberandi Israëlitas. Verum hæc temporis brevitas sufficere videtur, ne facile credamus tale Opus, quale est Genesis, tunc a Viro pluribus curis districto fuisse compositum: atque eadem ratio facit, ut credere nequeamus fuisse conscriptam Genesim, priusquam perventum erat ad montem Sinai, et priusquam Lex ibidem populo erat data; cum in nulla ex mansionibus anterioribus Israëlitæ diu substiterint, et apud montem Sinai continuis occupationibus detentus fuerit* Moyses *usque ad Legem acceptam.*

Genesis tamen et Exodus scribi potuerunt apud montem Sinai,

676 *Primum igitur tempus, quo* Moyses *Genesim componere potuit, atque Exodum fere totum, occurrit apud montem Sinai post Legem acceptam, quando construebatur tabernaculum cum omnibus ad tabernaculum et vestes sacerdotales spectantibus. Nam toto illo sex aut fere septem mensium spatio, quo omnia illa fuere constructa, minoribus curis detentus fuisse videtur* Moyses, *cum nihil de gestis istius temporis referatur in sacris Litteris. Verisimile quoque est, curam illam scribendi Genesim et Exodum ibi-* D *dem susceptam esse a* Moyse, *ut rempublicam Hebræorum majorum suorum exemplis erudiret, Deique beneficiis tam antiquis quam novis ad Legis observantiam excitaret. Sane constat illo in loco leges, ritus, cæremonias, sacerdotium, tabernaculum, ceteraque omnia ad rempublicam aliquam recte ordinandam necessaria, Deo jubente, constituta esse; vehemens igitur potest esse suspicio, eodem in loco exaratam esse Genesim, quæ mirum in modum conducere poterat ad populum rectius instituendum.*

uti et Leviticus et pars Numerorum: quibus reliqua ordine temporis potuerunt adjici:

677 *Porro si* Moyses *Genesim scripsit et Exodum assignato jam tempore, Leviticum quoque et Numeros usque ad caput decimum conscripsit post erectum tabernaculum, antequam montem Sinai cum suis relinqueret. Initium Levitici tale est:* Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii *etc. Hæc verba evincunt, Leviticum scriptum esse post erectum tabernaculum, cujus erectio narratur ultimo capite Exodi. Cum autem erectio illa sit facta primo mense anni secundi et die prima mensis, cumque liber Numerorum inchoëtur a prima die men-* E *sis secundi, seu a censu populi tunc instituto, admodum verisimile est totum Leviticum scriptum esse a* Moyse *mense primo anni secundi; librum vero Numerorum usque ad caput decimum mense secundo ante discessum a monte Sinai, qui incidit in diem vigesimum. Posteriores autem partes Numerorum suspicor deinde exaratas esse diversis temporibus, postquam singula facta, quæ notatu digna videbantur, acciderant. Mansiones vero cap.* 33 *relatas haud dubie* Moyses *libro Numerorum adjunxit in mansione ultima, postquam intellexerat non mutandum castrorum locum, se vivente: idque dicendum est, sive existimemus singulas in loco suo per vices fuisse descriptas, sive credere malimus omnes simul eo tempore primum recensitas. Demum ordine temporis adjecit tria ultima capita Numerorum; et totum Deuteronomium mense ultimo vitæ composuit, excepto postremo capite, quod verisimiliter Josue aut Eleazarus adjecit.*

rationes, cur libri Moysis videantur per partes conscripti et ante annum ultimum,

678 *Jam vero conjectura data de scripta Genesi apud montem Sinai, etiamsi mihi videatur ceteris probabilior, mera tamen conjectura est. Et lubens fateor, potuisse* Moysen *Genesim majoremque partem totius Pentateuchi conscribere, postquam Israëlitæ ob rebellionem in Cadesbarne excitatam ad diuturnum exsilium erant condemnati.* F *Verum sententia de toto Pentateucho scripto anno peregrinationis quadragesimo minus mihi placet, quia non video rationes, ob quas* Moyses *Opus istud tam diu distulisset, et illud tandem in fine vitæ fuisset agressus, præsertim cum illo anno maxime fuerit occupatus, et vix sufficiens otium habuisse videatur ad tantum Opus exarandum. Præterea negari non potest, multas leges variis locis repeti, rursumque inculcari in Levitico, Numeris et Deuteronomio partem illarum, quæ primo peregrinationis anno jam latæ erant, et in Exodo conscriptæ. Harum autem repetitionum tam frequentium nulla melior ratio dari posse videtur, quam quod leges illæ, quia non satis observabantur, nec satis omnibus essent notæ, rursum iteratis vicibus inculcarentur a* Moyse, *qui minus curabat nitorem Operis sui quam fidelitatem in annotandis omnibus, quæ præscribebantur. Non poterant vitari repetitiones illæ a* Moyse, *si variis temporibus Opus*

A *Opus suum per partes exaraverit, prout supra dixi: at facile vitari potuissent, si sub finem vitæ ex adversariis antea compositis totum Pentateuchum consequenter scribere voluisset. Videmus quoque in Exodo, Levitico, Numeris et Deuteronomio, factis historicis leges subinde quasdam inseri, aut legibus facta quædam historica. Non aliam rursum hujusce ordinis rationem reperio, quam quod singula suis temporibus sic illigaverit* Moyses *per partes, ut noluerit attendere ad ordinem rerum magis concinnum. Si autem Opus suum, seu totum Pentateuchum, in fine vitæ componendum suscepisset, facile potuisset leges omnes conjungere, atque item conjungere facta historica; ut ordo exsurgeret nitidior, et omnes leges minori labore possent pervolvi. Id vero non æquali facilitate fieri poterat, si compositis primum Genesi et Exodo, alia deinde per partes, sicut singula contingebant, fuere conscripta.*

quo explicationes et observationes quædam adjici potuerunt.

679 *Ceterum lubens fateor totam hanc disputationem meris niti conjecturis, nec tales afferri posse conjecturas pro uno aut altero tempore scriptæ Geneseos et Exodi, saltem post Legem datam, ut conjecturis pro opposita aliqua sententia afferendis multum præponderent. Verisimile quo-* B *que esse fateor,* Moysen, *si præcipuam partem Pentateuchi composuerit apud montem Sinai, aut si id fecerit, postquam populus in Cadesbarne ad diuturnam commorationem in deserto erat condemnatus, in fine vitæ totum Opus suum revidisse, et forsan hinc inde aliquid adjecisse, sive ut locum aliquem elucidaret, sive ut adderet aliquid, cujus notitiam postea acceperat. Hac de causa, si aut in Genesi aut in Exodo nonnulla subinde occurrunt, quæ* Moyses *magis videtur nosse potuisse anno peregrinationis quadragesimo quam primo aut secundo; ex iis inferri certo nequit, libros illos anno quadragesimo scriptos esse; cum sufficiat, si dicamus illo anno quibusdam observationibus aut explicationibus fuisse auctos aut elucidatos. Hac sola observatione corruunt argumenta Ceillierii, quibus alia jungi possent pro ultimo* Moysis *anno determinando, si solum ageretur de explicationibus quibusdam illo anno verisimiliter Pentateucho additis.*

§ LVIII. Liber Job Moysi attributus a quibusdam, sed parum probabiliter, si agatur de conscripto toto libro, quem interpretari potuit Hebraïce et augere: non videtur auctor aliquot Psalmorum.

C

Aliqui existimant librum Job a Moyse scriptum,

Aliqui scriptores, cum antiqui tum neoterici, non solum Pentateuchum a Moyse *scriptum existimant; sed eidem quoque attribuunt librum Job, et Psalmos aliquot. S. Chrysostomus tom. 6 Operum nuperrimæ editionis in Synopsi Scripturæ sacræ pag. 367 dubitat de auctore libri Job, atque ita habet:* Narratur Salomonem hunc adornavisse librum, nisi forte ipsius Moysis sit Opus. *Huetius in Demonstratione Evangelica prop. 4 pag. 221 recensens varias opiniones de auctore libri Job, ita enumerat scriptores, qui cum* Moysi *attribuerunt:* Librum scripsisse Mosem ad solatium Israëliticæ gentis, cum Ægyptiorum tyrannide premeretur, mihi sane videtur perquam probabile. Ea est Thalmudistarum sententia in Baba bathra; ea R. Davidis Kimchi, et Rabbinorum complurium. Eamdem amplexus est auctor posterioris Commentarii in Jobum, qui Origenis sibi nomen præscripsit; eamdem Methodius apud Photium *(in Bibliotheca cap.* 235;) et Polychronius, et Julianus Halicarnasseus apud Nicetam in Catena in Jobum; eamdem denique recentiores bene multi. Id ipsum sensisse Hieronymum dicas ex ejus Epistola ad Paulinum, in qua libros sacros recensens, Pentateucho Jobi librum subjicit, posthabito etiam libro Josuæ; quo ejusdem esse utrumque et auctoris et ætatis significet.

AUCTORE J. S.

quod Huetius rationibus probare conatur: at nec rationes

681 *Allata horum auctoritate, opinionem suam rationibus quoque firmare conatur Huetius. Primo allegat styli similitudinem. At alii contendunt stylum Pentateuchi multum differre a stylo libri Job: magnamque satis esse differentiam utriusque styli, ex ipsis Huetii verbis colligi potest; cum fateatur grandius aliquid sonare in libro Job, crebrioresque in eo esse sententias: quod florenti* Moysis *ætati adscribendum* E *putat: existimat enim librum Job a* Moyse *exaratum esse, dum degebat in Madianitide apud socerum. Alteri objectioni majoris momenti occurrit his verbis:* Occurrunt quidem in Jobi libro Arabismi et Syriasmi, uti notatum est ab Hieronymo; nonnumquam etiam Chaldaïsmi. Verum poëtam agenti affines usurpare dialectos licuit, et speciosa vocabula rerum proferre in lucem, et obscurata populo verba eruere. Id sibi juris arrogant poëtæ. Id ab Homero summa licentia factitatum est. *Addit,* Moysen *potuisse patriam loquelam nonnihil inquinare diuturno commercio cum Madianitis, linguæque Hebraïcæ puritatem resumere, postquam ad suos fuit reversus. At neutra responsio omnem videtur exhaurire difficultatem: non prima, quia in Canticis Pentateucho insertis etiam poëtam agit* Moyses: *nec secunda, quia vir eruditus, qualis erat* Moyses, *non tam facile sermoni patrio aliena miscet idiomata, præsertim quando libri sunt scribendi; si vero eo usque inquinasset sermonem vernaculum, non facili negotio illius puritatem Senex resumpsisset. Adde, meram esse conjecturam, qua* Moyses *librum illum scripsisse dicitur, quando degebat in Madianitide.* F

nec auctoritates adductæ sufficiunt ad librum Moysi attribuendum;

682 *Quod vero spectat ad auctoritates adductas, hæ non sunt magni momenti, præcipue si auferamus S. Hieronymum, qui reliquis non recte videtur aggregatus. Quippe quod Hieronymus in Epistola ad Paulinum de libro Job agat statim post Pentateuchum, nihil probat, cum in ea Epistola ordinem temporis, quo scripti sunt singuli libri, nequaquam observet: nam ut alia omittam, de Davide agit post omnes Prophetas, licet David omnibus Prophetis sit antiquior. Quin imo verba ipsius talia sunt, ut librum ipsi Jobo videatur attribuere.* Job, exemplar patientiæ, *inquit,* quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur: omnesque leges dialecticæ, propositione, assumtione, confirmatione, conclusione determinat *etc. Loqui Hieronymum de Jobo ipso, non de libro, insinuant voces illæ* exemplar patientiæ. *Idem indicant verba hæc mox sequentia:* Et, ut de cæteris sileam, resurrectionem corporum sic prophetat; ut nullus de ea vel manifestius, vel cautius scripserit: " Scio, " inquit,

AUCTORE J. S.

" inquit, quod Redemptor meus vivit " *etc. In Epistola ad Pammachium adversus errores Johannis Hierosolym. eadem verba adducturus, ita loquitur Hieronymus :* Tonet Job tormentorum victor *etc. Et ibidem post varias animadversiones sic subjicit:* Nonne tibi videtur jam tunc Job contra Origenem scribere? *etc. Itaque S. Hieronymi sententia non favet* Moysi; *nec tanta est auctoritas aliorum, qui citantur, ut* Moysi *librum illum attribuere certo possimus, cum plures gravioresque Patres repugnent, et Hebræi ipsi maxime sint divisi.*

aliqui credunt librum Job ex Syriaco Hebraïcum factum,

683 *Auctor anonymus in Job, cujus lucubratio attributa olim fuit Origeni, et quæ in novissima editione Operum Origenis legitur in Appendice tomi 2 pag.* 851 *existimat librum Job conscriptum esse* Syrorum lingua, sive ab ipso Job, sive ab amicis ejus. *Ac deinde subdit :* Interpretata autem sunt *(Jobi certamina)* a magno illo viro Mose in Hebraïcam linguam, atque filiis Israël tradita. Quod ostendit ipsa Scriptura Job, dicens : " Hoc interpretatus est ex " Syrorum lingua ». A quo interpretatus? Ma-
B nifestum est, quod a Mose in Hebræum. Item vero a Septuaginta interpretibus ex Hebræo in Græcum translatus est. In Ægypto scilicet olim Moses illum ex Syro in Hebræum transtulit. Item in Ægypto etiam Septuaginta sub Ptolemæo ex Hebræo in Græcum illum transtulerunt. *Ita quidem scriptor ille ratiocinatur ex verba Appendiculæ, quæ addita est libro Job apud Septuaginta. At illa Appendicula minime dicit,* Moysen *fuisse, qui librum ex lingua Syriaca in Hebraïcam transtulit; quin potius videretur dicere, librum ex lingua Syriaca in Græcam fuisse translatum, nisi aliunde constaret eumdem exstare Hebraïce. Cum tamen sententia hujus scriptoris non sit improbabilis, quid prælerea a* Moyse *præstitum existimaverit, audiamus :* Erat nimirum, *inquit,* pridem Syriace ex parte scripta *(Historia Job)* non ita diligenter neque ita vigilanter, quemadmodum postea a Mose. Solæ enim responsiones atque replicationes a primordio scriptæ sunt. Nam quis illorum poterat nosse, quomodo venerint angeli, ut starent ante Deum, vel quomodo diabolus venerit, vel quid dixerit, vel quid responderit? Nullus illorum
C poterat hoc nosse, vel hoc quod Deus ad diabolum locutus fuerit, nisi solus Moses Spiritus sancti revelatione. Sicut enim de factura cæli et terræ nemo alius ita diligenter poterat nosse vel loqui vel scribere, sicut Moses, ita nec ea, quæ circa Job gesta sunt. *Ita scriptor iste disserit; sed nimis affirmanter loquitur, cum alius quilibet propheta potuerit revelatione divina discere, quæ* Moyses *sic didicit. Addit aliud argumentum ex tempore, quo floruit* Moyses. *Hoc autem, uti et præcedens, rem facit verisimilem, non certam.*

initioque et fine auctum a Moyse.

684 *Causam vero librum interpretandi et augendi* Moysi *fuisse asserit, ut afflictos solaretur Israëlitas. Accipe verba ipsa :* Super hæc autem omnia, o amici, invenimus in antiquorum dictis, quod cum magnus ille Moses in Ægypto a Deo fuisset missus, et vehementem afflictionem filiorum Israël videret, et consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis, qua illos Ægyptii affligebant, minime valeret, vehementes illos atque terribiles Job dolores pro consolatione illis enarraverit, . . . ut . . . hæc legentes, . . . invicem se consolarentur, et cum patientia atque gratiarum actionibus mala, quæ
D eos circumdederant, sufferrent, et ut bonam remunerationem Domini, quam Job per tolerantiam largitus est, audientes, etiam ipsi liberationem sperarent, et beneficia beatæ mercedis laborum suorum exspectarent, *etc. Hæc omnia satis sunt verisimilia ; at non certa. S. Gregorius Magnus præfationem in Job ita orditur :* Inter multos sæpe quæritur, quis libri beati Job scriptor habeatur. Et alii quidem Moysen, alii unum quemlibet ex prophetis scriptorem hujus, Operis fuisse suspicantur. *Verum Gregorius refutare conatur sententiam illorum, qui librum* Moysi *attribuunt, maxime quia credidit Jobum vixisse tempore Judicum. At Jobum eo tempore floruisse non recte probat, ideoque non evertit suspicionem satis verisimilem de* Moyse *mox expositam. Itaque existimo totum librum Job non esse scriptum a* Moyse, *præsertim ob dialectos Syriacæ et Arabicæ linguæ in eodem notatas, et quia ex lingua Syriaca translatus narratur. Verum hæ dialecti non obstant, quo minus credi probabiliter possit translatus a* Moyse *in linguam Hebraïcam, initioque et fine auctus.* E

Aliqui Patres Psalmos undecim Moysi adscribunt,

685 *Quidam e Patribus crediderunt, aliquot etiam Psalmos a* Moyse *fuisse compositos. Hebræorum quorumdam videtur hæc fuisse opinio, quam secutus est Origenes, in cujus Selectis in Psalmos tom.* 2 *Operum nuper recusorum pag.* 514 *hæc invenio :* Ego vero arbitrabar in libro Psalmorum unum sic inscriptum esse : " Oratio " Moysis hominis Dei ". Sed deinde quæstionem movens Jullo patriarchæ, et cuidam apud Judæos sapientis famam habenti, audivi, in universo Psalmorum libro a primo et secundo psalmo eos, qui apud Hebræos inscriptione carent, vel inscriptionem quidem habent, sed non scriptoris nomen, ad eum scriptorem pertinere, cujus nomen fertur in præcedenti primo psalmo, qui nomen scriptoris habet. His autem de rebus verba faciens, primo dicebat tredecim esse Moysis psalmos. Cum autem ex iis, quæ audieram, reponerem ipsi, undecim tantum esse : percontatus deinde eum, qui apud illos sapiens audiebat, edidici esse revera undecim. *Deinde undecim illos psalmos enumerat, primumque ponit octogesimum nonum, cujus titulus,* Oratio Moysi hominis Dei; *et initium;* Domine, refugium factus es nobis. *Hisce vero addit decem sequentes usque ad centesimum exclusum. Verumtamen* F *varii ex illis in Vulgata nostra nomen* Davidis *habent in titulo præfixum. At istud nomen ibidem non haberi in Hebræo jam ab illo tempore, colligitur ex iis, quæ post enumeratos undecim istos Psalmos subdit Origenes :* Post hos autem undecim, inscriptum haberi, tum in Hebraïco, tum apud omnes, Davidi Psalmus; ita ut centesimus non ultra Moysis esset, *aiebat nimirum Judæus ille. Versio quoque S. Hieronymi in nullo ex psalmis istis undecim nomen Davidis aut cujuscumque alterius habet in titulo, quia titulos Vulgatæ nostræ, seu Septuaginta interpretum, in Hebræo non invenit.*

secuti regulam Hebræorum ad scriptorem, psalmorum,

686 *Placuit Hebræorum illorum et Origenis sententia S. Hieronymo, qui in laudata num.* 614 *Epistola ad Cyprianum presbyterum eosdem undecim psalmos* Moysi *asserit, eodemque utitur argumento, hæc addens :* Quod autem in plerisque codicibus nonagesimo octavus habet titulum, Psalmus David, in Hebraïco non habetur; hanc habente Scriptura sancta consuetudinem, ut omnes psalmi, qui, cujus sint, titulos non habent, his deputentur, quorum in prioribus

A bus psalmis nomina continentur. *Hanc sententiam repetit in præfatione Commentariorum in Malachiam prophetam. S. Hilarius in prologo ad librum Psalmorum eamdem quoque sententiam conatus est defendere. Verba ipsius audiamus :* De his autem *(psalmis, inquit,)* qui sine diversorum auctorum nominibus sub diversis superscriptionibus habentur, antiquorum virorum ista traditio est, quod ex eo psalmo, cujus auctor in superscriptione præponitur, qui deinceps sine auctoris superscriptione succedunt, ejus esse existimandi sunt, qui anterioris psalmi auctor inscribitur, usque in eum psalmum, in quo nomen alterius auctoris præferatur. *Et deinde :* Quæ traditio ab Esdra quantum creditur, Psalmos post captivitatem in unum librum colligente profecta, si falsa aut improbabilis existimabitur; ab his, qui contradicunt, auctores horum psalmorum demonstrari necesse est. *Hæc S. Hilarius, qui ex eodem principio consequenter undecim psalmos* Moysi *haud dubie attribuerit cum Origene et Hieronymo.*

B 687 *Argumentum quoque, quod contra hanc opinionem statim in oculos incurrit, solvere conatur eodem plane modo, quo laudatus Judæus apud Origenem ad istud respondet.* Quod si forte aliquis, *inquit Hilarius,* per id intelligentiæ huic fidem detrahet, quod in his psalmis, qui eum psalmum, cui Moyses auctor prælatus est, subsequuntur, scriptum sit, id est, in nonagesimo octavo, " Moyses et Aaron in sacerdotes * ejus, " et Samuel inter eos invocantes * nomen " ejus ", non posse a Moyse eum prophetatum videri, cum SAMUEL nomen, qui tanto postea, quam Moyses, natus est, exstet in psalmo; meminerit nulli mirum aut difficile videri oportere, ut tantus Propheta tanti prophetæ, postea licet futuri, nomen ediderit; cum in Regnorum libris Josiæ regis nomen sit, antequam nascatur, prophetatum, propheta dicente, " Altarium, " altarium, hæc dicit Dominus : Ecce filius na- " scetur David, JOSIAS nomen ejus " : per quod non incredibile esse oportere, ut Samuel a Moyse prædictus sit : maxime cum secundum Jeremiam dicentem, " Nec si stet Moyses et Samuel " Moysi connominatus et coæquatus sit merito sanctitatis. *Ad argumentum de Josiæ nomine prædicto* C 3 *Reg.* 13 ℣ 2, *addi potest aliud de Cyro Persarum rege, cujus nomen expressit Isaias cap.* 44 ℣ 28 *et cap.* 45 ℣ 1, *licet multo sit Cyro antiquior. Hisce rationibus utcumque satisfieret difficultati de nomine Samuëlis propositæ, si regula illa Hebræorum, quam adoptarunt prædicti patres, firmioribus niteretur fundamentis.*

nomine auctoris carentium, dignoscendum:

* *Vulgata* sacerdotibus
* *ibid.* qui invocant

ut regula illa refutatur,

688 *Verum occurrunt alia argumenta, quæ regulam illam videntur evertere. Nam primus et secundus psalmus carent inscriptione, non modo apud Hebræos, sed etiam in Vulgata nostra. Cui igitur scriptori assignari poterunt hi psalmi, si regula illa Hebræorum subsistat? Signum id evidens apparet, istam regulam non fuisse servatam in collectione Psalmorum. Deinde certum est ex Apostolo, psalmum nonagesimum quartum, qui unus est ex undecim secundum memoratam regulam* Moysi *attributis, a Davide fuisse compositum : nam citatur Hebr.* 4 ℣ 7 *laudatus psalmus hoc modo :* Iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, post tantum temporis, sicut supra dictum est : Hodie " si vocem ejus audieritis, nolite obdurare cor- " da vestra ". *Verba citata ab Apostolo leguntur psalm.* 94 ℣ 8; *nec modo nomen,* David *ostendit, psalmum ei attribui ; sed etiam voces illæ,* post tantum temporis, *evincunt psalmum scriptum esse diu post Israëlitarum in Terram sanctam ingressum, de quo agit Apostolus. Itaque existimo, undecim prædictos psalmos nequaquam adscribi posse* Moysi, *cum unum ex illis Apostolus attribuat Davidi. Verumtamen hac ratione necdum tollitur suspicio de psalmo octogesimo nono, in cujus titulo nomen* Moysi *legitur, quique hac de causa a pluribus* Moysi *tribuitur.*

AUCTORE J. S.

689 *At si illum ipsum psalmum* 89 *diligenter inspiciamus, difficulter credere poterimus a* Moyse *fuisse scriptum. Certe in eo* ℣ 10 *et* XI *leguntur hæc verba :* Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni : et amplius eorum, labor et dolor. *Quis credat hæc* Moysen *scripsisse, cum habuerit annos centum et viginti, fraterque ipsius Aaron eam ætatem triennio fere excesserit, et soror utriusque Maria ad plures quoque annos pervenerit, præsertim cum in tanto senio non ita essent fracti, ut nihil ipsis superesset, nisi* labor et dolor? *Josue etiam et Caleb octoginta annos longissime superarunt, vegeti tamen erant* E *et robusti. Clarum igitur apparet, hæc scripta non esse* Moysis *tempore, quo ætas hominum erat prolixior; sed convenire Davidis tempori, quo hominum ætas multum erat imminuta. Aliam quoque rationem* Moysi *hunc psalmum non attribuendi dat S. Augustinus in psal.* 89 *ita scribens :* Non enim credendum est ab ipso omnino Moyse istum psalmum fuisse conscriptum, qui ullis ejus litteris inditus non est, in quibus ejus cantica scripta sunt : sed alicujus significationis gratia tam magni meriti Servi Dei nomen adhibitum est, ex quo digeretur legentis vel audientis intentio. *Idem sanctus doctor lib.* 17 *de Civitate Dei cap.* 14 *dicit illorum sententiam esse credibiliorum, qui omnes Psalmos Davidi attribuunt. Verum hanc controversiam hic examinare non est necesse, cum satis videatur probatum,* Moysen *ne auctorem quidem esse illius psalmi, qui occasionem præbuit decem sequentes eidem attribuendi.*

uti et prædicta sententia.

§ LIX. An quædam alia Moysis scripta in Pentateucho allegentur ? Scripta apocrypha, quæ Moysi a nonnullis fuere attributa. F

Varia in Pentateucho memorata scripta quidem sunt a Moyse,

Q*uandoquidem in Pentateucho subinde mentio fieri videtur aliorum scriptorum ; aliqui existimant, illa a* Moyse *composita fuisse, sed intercidisse. Primo quia Exod.* 17 ℣ 14 *Dominus dixit* Moysi *de bello contra Amalecitas gesto,* Scribe hoc ob monimentum in libro *etc.*, *volunt quidam librum de hoc bello a* Moyse *scriptum fuisse, eamque nominant,* Commentarium de bello cum Amalecitis. *Verum cum bellum istud Amaleciticum eodem loco conscriptum legatur in Exodo, verba allata minime exigunt, ut dicamus librum separatum de eo bello fuisse compositum. Secundo Exod.* 24 ℣ 4 *hæc habentur :* Scripsit autem Moyses universos sermones Domini; *videlicet leges omnes, quas usque ad id tempus a Deo acceperat. Hinc* ℣ 7 *subditur :* Assumensque

AUCTORE J. S

Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo. *Ex his inferunt, scriptum esse a* Moyse *librum, qui ab Hebræis dicitur,* Liber fœderis prior. *Ad illi nec probant, nec probare poterunt, totum hunc librum, qui sane* liber *dici poterat et debebat, priusquam Pentateuchus erat conscriptus, non fuisse totum insertum Pentateucho, et illius modo partem esse. Tertio cum Exod.* 34 ℣ 27 *Dominus* Moysi *quadraginta dies in monte Sinai moranti legatur dixisse :* Scribe tibi verba hæc, quibus et tecum et cum Israël pepigi fœdus, *alius rursum* Moysis *liber confingitur, ac nominatur,* Liber fœderis posterior. *Verum hic liber, licet initio fuerit separatus, æque ac præcedens, insertus est Pentateucho. Quarto scriptores iidem, qui libros* Moysis *multiplicare desiderant, alium librum inveniunt. Num* 33 ℣ 2, *ubi* Moyses *dicitur descripsisse mansiones filiorum Israël, eumque hoc exornant titulo :* Descriptio mansionem duarum et quadraginta. *At, sicut inficiari nolim* Moysen *fortasse mansiones singulas primo seorsum in adversaria retulisse ; ita minime dubito, quin libellus iste legatur Num.* 33, *si antea separatim*
B *fuerit exaratus.*

sed partes sunt ipsius Pentateuchi :

691 *Quinto Deut.* 31 *habetur :* Scripsit ergo Moyses Canticum, et docuit filios Israël. *Hinc quoque* Canticum *istud inter scripta* Moysis *numerare voluerunt aliqui. Verum Canticum istud legitur Deut.* 32, *ideoque de illo seorsum loqui non oportebat eos, qui Deuteronomium totumque Pentateuchum* Moysi *indubitanter attribuunt. Sexto* Lex *etiam* Moysi *attribuitur seorsum a Pentateucho, sed fundamento non meliore, quam si quis vellet præcedentia omnia a Pentateucho esse distincta, nec illius esse partes, ut videtur credidisse scriptor, qui hæc collegit ex Hebræis. Ratio assertionis sunt verba Deut.* 31 ℣ 9 : Scripsit ergo Moyses Legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi *etc. Et* ℣ 24 : Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine, atque complevit : præcepit Levitis, . . . dicens : Tollite librum istum, et ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri : ut sit ibi contra te in testimonium. *At verba allata nequaquam probant opinionem expositam : nam loquitur ibi* Moyses *aut de toto Pen-*
C *tateucho, aut de Deuteronomio, aut certe de parte Deuteronomii, puta de ultimo fœdere Israëlitarum cum Deo, quod cap.* 29 *sic inchoatur.* Hæc sunt verba fœderis. *Quæcumque ex hisce sententiis sit vera, Lex aut volumen, de quo loquitur* Moyses, *erit aut Pentateuchus aut pars illius, ita ut nequeat recenseri, tamquam Opus a Pentateucho distinctum. Hæc omnia mihi satis apparent certa, nec multum habent difficultatis.*

Liber bellorum Domini, de quo variæ sunt sententiæ,

692 *Verum Num.* 21 ℣ 14 *allegatur* Liber bellorum Domini, *de quo magis dubitari potest, utrum* Moysis *sit, an alterius ; et rursum, si credamus* Moysis *esse Opusculum, utrum diversum plane sit a Pentateucho, an cum reliquis fragmentis in unum coaluerit Opus, et partem Pentateuchi constituat. S. Augustinus quæst.* 42 *in Numeros existimat* Librum bellorum Domini *esse scriptoris* Moyse *antiquioris profanum opus, quod citavit* Moyses, *quemadmodum Apostolus quoque subinde profanos adduxit scriptores. At hæc sententia pluribus displicet, nec immerito ; quia Liber ille bellorum Domini, sive titulum spectemus, sive verba ex eo Libro adducta, videtur egisse de bellis Israëlitarum, non de bellis alterius gentis. Alii observant, vocem* D
Hebraïcam Sepher *non necessario de libro exponendam, cum significet solum* relationem *seu* narrationem ; *et pro* dicitur *Hebraïce legi* dicetur. *Hisce autem observatis, volunt sensum horum verborum,* Unde dicitur in Libro bellorum Domini, *hunc esse :* Unde dicetur in relatione bellorum Domini, *seu* quando bella Domini narrabuntur. *Hæc expositio, æque ac præcedens, Librum aliquem bellorum Domini* Moysi *abjudicat ; quin et librum ipsum omnino tollit. Alii rursum existimant, Librum bellorum Domini eumdem esse cum Libro Justorum, qui laudatur Jos.* 10 ℣ 13, *et* 2 *Reg.* 1 ℣ 18. *At nullam adducunt rationem idoneam hujusce assertionis. Bonfrerius in cap.* 21 *Num.* ℣ 14 *observat, scriptum istud, cujuscumque fuerit, metrice videri fuisse compositum.*

probabilius non est Moysis,

693 *De hisce observationibus nihil certi potest statui. Verum nihil obstat, quominus aliquis ex Israëlitis, quiscumque ille fuerit, aut soluta aut ligata oratione composuerit* Librum Bellorum Domini, *in qua narrare poterat gesta in Ægypto et ad mare Rubrum, ubi Pharao cum toto* E
exercitu periit; victoriam Israëlitarum de Amalecitis ; pugnam infelicem, contra Dei et Moysis *imperium anno secundo egressionis susceptam; relatam de Chananæo rege Arad victoriam, et demum prodigia multa in itinere usque ad torrentem Arnon patrata. Hæc omnia, et plura alia, in illo libro accurate scripta esse poterant, quando eum* Moyses *citavit, sive* Moyses *ipse eum scripserit, sive id ab alio quopiam fuerit præstitum. Si quis autem existimare malit, Librum istum non fuisse nisi Canticum aliquod aut carnem breve, in quo relatæ Dei beneficio de hostibus victoriæ celebrabantur, nequaquam refragabor. Verum sive liber iste fuerit justæ molis Opus, quod minus crediderim, sive breve aliquod poema, probabilius apparet, non fuisse compositum a* Moyse ; *aut, si ab eo compositus fuerit, verisimile est totum fere insertum esse libris Exodi et Numerorum. Ex dictis plane corruit suspicio quorumdam, qui rursum ex citatione illius libri interpolationem seu additionem aliquam se invenisse credebant : nam, uti ostendi convenire* Moysis *tempori* Librum bellorum Domini, *ita improbabile apparet eum diu post compositum fuisse, et in Numeris commemora-* F
tum. Quis enim credat Esdram, aut aliunde hagiographum, Numeris infarturum aliquid ex Libro bellorum Domini, cum de illo libro in propriis scriptis nullus hagiographus uspiam meminerit ?

Opuscula quædam apocrypha Moysis nomine insignita, uti Parva Genesis,

694 *In Constitutionibus Apostolorum, quas edidit Cotelerius tom.* I *SS. Patrum, lib.* 6 *cap.* 16 *dicitur :* Et vero apud veteres nonnulli conscripserunt Mosis, Enochi, Adami, Esaiæ, Davidis, Eliæ, et trium patriarcharum libros apocryphos, exitiales, ac repugnantes veritati. *Cotelerius in Annotatis ad hunc locum enumerat aliquot Opuscula* Moysi *supposita, et plura quoque alibi invenio memorata. Inter hæc primo loco nominari potest* Parva Genesis ; *cum aliqui Patres illud Opusculum non prorsus videantur contempsisse : nam S. Epiphanius Opusculum citat Hæresi* 36 *num.* 6, *eique videtur aliquid saltem auctoritatis attribuere, dicens in eo exstare* uxorum Caini Sethique nomina. *S. Hieronymus in Epistola ad Fabiolam de Mansionibus* 42 *mans.* 18 *idem Opusculum sic memorat :* Hoc verbum, quantum memoria suggerit, nusquam alibi

AUCTORE J. S.

A alibi in Scripturis sanctis apud Hebræos meminisse me novi, absque libro apocrypho, qui a Græcis λεπτή, id est, parva Genesis appellatur. *De eodem rursum meminit mans.* 24. *Alii quoque scriptores, Græci maxime, de parva illa Genesi mentionem fecerunt. Passim dicitur* Λεπτογένεσις, *at* Ἰωβηλαῖα *quoque nominatur a laudato Epiphanio, nescio qua de causa, licet Cotelerius rationem hujus nominis reddere conatus sit. Cedrenus, uti non abhorruit a fabulis, statim initio Compendii Historiarum profitetur* non pauca *se* ex parva Genesi *sumpsisse, illamque deinde non raro laudans, pag.* 4 *sic habet :* Ut in parva Genesi legitur, quam etiam nonnulli aiunt esse Moysis patefactionem. *(Græce* Ἀποκάλυψιν, *id est, apocalypsim seu revelationem.) Gesta ab initio mundi usque ad* Moysis *tempora fuisse in parva Genesi descripta, colligitur ex eodem Cedreno, qui illam adducit pag.* 48 *pro gestis in Ægypto tempore* Moysis *nati.*

alius Moysis Revelatio *seu* Apocalypsis *dicta ;*

695 *Porro Gelasius Papa hunc librum inter Opera apocrypha recensuit his verbis :* Liber de filiabus Adæ Geneseos apocryphus. *Ita in De-* B *creto apud Labbeum tom.* 4 *Concil. col.* 1264. *At posteriores voces varie leguntur a variis. Fontaninus in Antiquitatibus Hortæ in Appendice pag.* 328 *vult legendum :* Liber de filiabus Adæ, hoc est, Leptogenesis, apocryphus; *sed in codice suo mendose invenit* lectum geneseos *pro* Leptogenesis. *Consului etiam codices nostros Mss., in quibus decretum istud habetur ; sed æque mendosum est, quod præfigitur voci* Geneseos *in uno, in altero* Genesis. *Dubitandum tamen non videtur, quin idem liber designetur, quem jam ante* apocryphum *nominaverat S. Hieronymus. Neque auctoritatem isti Opusculo conciliare potest, quod Georgius Syncellus in Chronographia sua pag.* 27 *asserat, locum quemdam ex eo adductum fuisse ab Apostolo Gal.* 6 ỳ 15, *dicens :* Ex Moysis Revelatione hæc habet. *Nam, etiamsi certum esset verba Apostoli sumpta esse ex eo libro, Apostolus ideo non agnovisset libri auctoritatem, sicuti non agnovit auctoritatem poetarum gentilium, quorum similiter adduxit verba, et quidem monens poetas ita habere. Verum Gal.* 6 ỳ 15 *Apostolus neminem verborum suorum laudavit auctorem ; ideoque aut verba illa* C *ex alio non desumpsit, aut certe ejus auctoritatem non agnovit. Ceterum agere Syncellum de parva Genesi, quam* Revelationem, *Græce* Ἀποκάλυψιν, *hic nominat, satis colligitur ex dictis ipsius anterioribus pag.* 4, *ubi habet ;* Prout in parva Genesi, quam quidem Moysis Revelationem vocant *etc.*

Sermones mystici,

696 *Tria alia Opuscula* Moysi *supposita recenset supra laudatus Cotelerius, videlicet* Sermones mysticos, Testamentum, *et* Assumptionem, *quam eamdem credit cum* Ascensione. *In Historia concilii Nicæni scripta per Gelasium Cyzicenum, editaque apud Labbeum tom.* 2 *Concil. pag.* 190 *citatur* Liber sermonum mysticorum Moysis *et quidem, ut videtur, sub nomine ipsius* Moysis, *cum Eusebius Cæsariensis contra gentilem philosophum disputans, ibidem dicatur hisce usus verbis :* Et in Libro sermonum mysticorum Moysis, ipse Moyses de Davide et Salomone prædixit *etc. Non tamen clare liber iste* Moysi *attribuitur : nam potuit alius quispiam sermones* Moysis *enarrare, aut certe librum eo titulo conscribere, in quo varia referret tamquam a* Moyse *dicta. Quod autem legatur,* Ipse Moyses prædixit, *necdum evincit librum ipsum* Moysis *fuisse creditum : nam ita loqui poterat Eusebius, quia recitabat dicta* Moysi *id eo libro attributa. Sive autem librum* Moysi *attribuerit disputator Eusebius, aut disputationem narrans Gelasius ; sive crediderint Librum esse alterius, qui Sermones* Moysis, *aut sub nomine* Moysis *descripserit : liber ille numquam fuit canonicus. Eumdem librum memorasse videtur Evodius in Epistola ad Augustinum, inter Augustinianas postremæ editionis* 158, *olim* 258, *ubi sic habet :* Quamquam et in apocryphis, et in Secretis ipsius Moysis, quæ scriptura caret auctoritate *etc.* Secreta *et* Sermones mystici *verisimiliter idem sunt Opus, non* Moysis *sed alicujus, qui ipsius nomine abusus est. Aut certe, si forsan auctor proprio nomine de* Moyse *scripsit, liberque solo errore deinde* Moysi *attributus fuit, ut fieri etiam potuit ; Opusculum istud tam accurate scriptum non est, ut fidem diu obtinuerit.*

Assumptio vel Ascensio,

697 *Idem dici potest de* Assumptione *vel* Ascensione Moysis : *nam idem suspicor esse Opusculum, cum vox Græca* Ἀνάληψις *utroque modo possit Latine exprimi. Laudatur hæc* Analepsis *in prædicta Historia concilii Nicæni, ubi liber ille* E *variis vicibus citatur in prolixa disputatione contra gentiles philosophos, non ita tamen, ut clare* Moysi *attribuatur. Origenes de Principiis lib.* 3 *cap.* 2 *de eodem Opusculo meminit his verbis :* De quo in Ascensione Moysi, cujus libelli meminit in Epistola sua apostolus Judas, Michaël archangelus cum diabolo disputans de corpore Moysi etc. *Assertio illa Origenis minime accurata est : nam Judas apostolus, quando scripsit adducta verba, non laudat libellum de Ascensione* Moysis, *uti obvio sensu intelligi potest Origenes. Hic quidem voluit dumtaxat dicere, verba allegata Judæ ex isto libello fuisse deprompta, aut certe facti istius notitiam. Ad id plane incertum est, quia non constat, an libellus de Ascensione* Moysis *Juda apostolo sit antiquior ; imo si de tanta istius libelli antiquitate constaret, vel sic maneret incertum, utrum ex illo libello, an aliunde certamen Michaëlis archangeli cum diabolo didicerit Judas apostolus. Quidquid autem sit ea de re verius, in Synopsi sacræ Scripturæ S. Athanasio attributa* Assumptio Moysis *numeratur inter libros apocryphos. Consentit S. Nicephorus Constantinopolitanus in Chronologia com-* F *pendiaria circa finem, ubi inter Scripturas apocryphas veteris Testamenti hunc libellum ita recenset :* Assumptio Moysis versuum MCD. *Plures scriptores, qui apocryphum istum libellum memorarunt, assignat Carolus de la Rue editor novissimus Operum Origenis in annotatis ad locum mox adductum. Dubito tamen, an inter illos recte numeret Evodium, cujus verba supra adduxi pro Sermonibus mysticis.*

Testamentum; de chymia quoque et magia

698 *Quartum Opusculum apocryphum a Cotelerio assignatum est* Testamentum Moysis. *Hoc in laudata mox sacræ Scripturæ Synopsi inter libros apocryphos veteris Testamenti sic ponitur :* Testamentum Moysis. *Et apud Nicephorum loco assignato :* Testamentum Moysis versuum MC. *Idem Testamentum sic recensetur in Catalogo quodam librorum sacræ Scripturæ et apocryphorum apud Cotelerium ante Constitutiones Clementis pag.* 196. *Plura de apocrypho hoc Testamento non invenio. Porro hic observare lubet, Opuscula illa apocrypha* Moysis *quidem nomine fuisse insignita; at non consequi ex allatis hactenus,* Moysi *proprie ita fuisse supposita, ut eorum auctores persuadere voluerint, ab ipso Propheta fuisse*

AUCTORE J. S.

fuisse conscripta, si primum forte excipiamus. Ceillierius in Historia generali scriptorum sacrorum tom. I *pag.* 55 *prædictis libris apocryphis jungit primo*, Vitam Moysis, seu Historiam Tarbis filiæ regis Æthiopiæ, uxoris Moysis, *dubitans an Opus istud fabulosum Josepho præluxerit; an vero ex fabulis a Josepho relatis auctor ipse Opusculum suum auxerit. Secundo tractatum de Chymia* Moysis *nomine procusum fuisse observat, uti et alii jam tradidere. Quin et magorum secreta eidem impiissime fuisse attributa.*

Moysen scripsisse, impie calumniati sunt aliqui :

699 *Chymistæ haud dubie ea impostura nonnihil auctoritatis ridiculis suis inquisitionibus conciliare conati sunt. Magi vero tanto audacius videntur impietatem suam* Moysi *adscribere voluisse, quod Plinium habeant ducem lib.* 30 *cap.* I *ita scribentem :* Est et alia magices factio, a Mosc et Jamne et Jotape Judæis pendens. *Plinio erranti potius quam calumnianti facilius ignosci potest. Quippe* Jannes *et* Mambres, *quorum nomina nonnihil corrumpit, revera erant magi, non* Judæi *quidem, sed Ægyptii, cum quibus* B Moysen *hallucinans conjunxit, quod magicas illorum artes divina virtute superaverit, ut dictum est suo loco. Porro si impiissimi illi calumniatores pro argumento assumere velint quod* Moyses *fuerit eruditus omni sapientia Ægyptiorum, audiant S. Ambrosium lib.* 6 *Hexaëm. cap.* 2 *explicantem, quantum a vanitatibus ejusmodi et impietatibus abfuerit* Moyses, *qui ne curiosa quidem narrare voluit :* Certe, *inquit*, Moses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum : sed quia Spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam et usurpatoriam philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit : et ea descripsit mihi, quæ nostræ spei accommoda judicavit . . . Vidit enim in sancto Spiritu non illas marcescentis jam sapientiæ vanitates sequendas, quæ rebus inexplicabilibus mentem nostram occupant, luduntque operam; sed ea potius describenda, quæ ad virtutis spectarent profectum. *Verum de hisce jam aliqua dicta sunt num.* 46.

varia quoque Judæi sub ejus nomine confixerunt.

700 *S. Epiphanius aliud quoque Opus* Moysi *falso attributum memorat Hæresi* 33 *Ptolemaïtarum ita scribens :* Seniorum traditiones Δευτερώσεις a Judæis vocantur. Quatuor autem illarum C sunt genera. Primum est, quod sub Mosis nomine circumferunt. Secundum est, quod rabbi Akibæ tribuunt. Tertium Addæ, sive Judæ. Quartum ad Asamonæi filios refertur. *Hisce similia alii memorant, qualia sunt* Tria capita arcana, *et* Septuaginta duo libri *a senioribus scripti, dictante* Moyse, *librique Thalmudici, quos Judæi quidam fingunt a* Moyse *divinitus acceptos, uti scripsit Scipio Sgambatus in Archivis veteris Testamenti tit.* 8 *pag.* 221. *Verum certius est, illa omnia* Moysis *non esse, quam ut hisce inhærere lubeat. Qua de causa huic Commentario finem impono.*

D

VITA

auctore S. Gregorio Nysseno

CAPUT I

Natales, pueritia, educatio in aula, cædes Ægyptii, fuga matrimonium, visio apud Rubum, gesta in Ægypto.

Moyses natus in persecutione, primo occultatur, deinde expositus invenitur a filia regis : a

Quas ob res *a* Moyses ille in exemplum nobis proponatur : cujus Vitam si prius (sicut a divinis libris didicimus) breviter percurramus, sic demum consentaneum historiæ sensum investigabimus, quo perfectam hominum vitam facilius cognoscemus. Scribitur igitur, Moysen, quando Ægyptii lege tyranni, masculi Hebræorum infantuli vivere vetabantur, tunc in lucem editum fuisse : quem gratia quadam statim ab incunabilis scitum ac elegantem cum vidissent parentes, majori studio fuisse, ut vitam ei conservarent, conatos. E Deinde cum tyranni minæ prævaluissent, non temere in fluenta Nili projectum, sed in arcula quadam collocatum, cujus rimæ bitumine ac pice illitæ fuerant, ita flumini expositum, divinaque voluntate eam arculam regente, ad eam ripam amnis vorticibus aquarum ejectam *b*, qua regis tunc filia forte spatiabatur. Ita cum infantili vagitu se prodens *c*, repertus esset, ob gratiam, quæ in eo apparebat, et speciem a regis filia dilectus, in filium fuit adoptatus. Verum natura quadam insita mammillam alienigenæ fastidiens *d*, consilio cujusdam ex propinquis, a propria enutritur parente.

educatus in aula et eruditus, aulam deserit, fugiensque ex Ægypto, uxorem ducit : e

2 Cum vero in regia educatione, doctrinaque seculari ex ephebis jam esset egressus, inglorius degere apud suos maluisse, quam fictam *e* illam, cujus adoptatus in filium erat, matrem profiteri. Ægyptio autem viro, in Hebræorum quemdam impetum faciente, occiso, duos Hebræorum contentione commotus in rixam admonuit non ita concitari, sed natura, quæ propinquitate ipsos conjunxit, conciliatrice, et quasi F judice arbitroque fratres uti oportere. Sed ab eo, qui proximo injuriam afferebat, repulsus, ad contemplationem *f* hac contumelia impellitur. Civitatum enim turbationibus omnino relectis, secum vivere maluit, filia cujusdam alienigenæ in uxorem ducta : qui tanta erat ad pernoscenda ingenia hominum moresque comprehendendos prudentia præditus, ut unica re gesta *g*, quam Moyses adversus pastorum vim magno animo fecerat, Adolescentis virtutem conspexerit, quod non proprio lucro aut laude commotus, pro justitia pugnaverit; sed justum ipsum per se ac natura sua honestum judicans, pastores, qui nihil in seipsum peccarunt, castigavit, eorumque injuriam repulit. Quapropter virtutem Juvenis admiratus, præstantiorem ipsam aliorum divitiis existimans, filiam ei tradidit in uxorem, facultatemque fecit, ut ipse quamcumque vivendi rationem vellet, eligeret. At ille montanam ac solitariam elegit, ubi ab omni circumforanea turba

A. S. Gregorio Nysseno.

A ba remotus, in ovium cura sibi in deserto attendebat.

mirabili visione jubetur Israëlitas servitute liberare: 3 Quo in genere vitæ non parvo transacto temporis spatio, mirabilem dicit Historia ipsum vidisse visionem. In medio enim claroque die alia præstantior, quam solaris lux, circa oculos ejus effulsit. Cujus rei insolentia cum respexisset ad montem, arbustum *h* ardens scribitur aspexisse: cujus rami cum arderent, quasi continua irrigatione virescebant, admiratumque secum dixisse: Vadam et videbo visionem hanc magnam, ne videlicet oculos solum, verumetiam (quod mirabilius est) auditum radiis ejus lucis illuminaret. Natura enim illius lucis, veluti in duorum objecta sensuum divisa, ut in oculos splendore radiorum fulgebat, sic immortalibus auditum dogmatibus illustrabat. Vetuit igitur lucis illius vox ad montem mortuorum calceorum pondere pressum accedere, solvereque jussit calceamenta, ac demum nudo pede terram illam attingere, quæ divina luce resplendebat. Deinde ne longior in historia sim, et ut a proposito non discedam, hac visione corroboratus, ab Ægyptiorum servitute suos liberare jubetur. Sed ut disceret, B quanta divinitus virtus sibi præstaretur ita, Deo jubente, istis quæ erant in manu periculum fecit: erat hoc autem ejusmodi. Virga manu in terram projecta vitam accipit, inque animal vertitur. Colubra id erat animal: rursusque manu recepta, ut virga prius erat, subito facta est. Manus quoque in sinu recondita, in nivis candorem immutatur, et iterum in eumdem sinum immissa, in pristinam rediit naturam.

congressus Moysis cum Pharaone primus, et secundus prodigio adjutus; at uterque irritus: 4 Descendente autem ipso in Ægyptum, adducenteque secum uxorem alienigenam, et liberos sibi ab ea natos, angelus obviam factus timorem mortis intulisse fertur: quem mulier circumcisionis filii sanguine facile placavit *i*. Tunc Aaron quoque frater ejus divinitus monitus obviam prodiit, et paulo post in concionem ab utrisque populus Ægyptius convocatur, libertas tam laboriosa servitute oppressis proponitur. Cum ipso quoque tyranno hac de re loquuntur. Irritatur ille magis quam ante, cum in eos, qui præerant operibus *k*, tum in ipsos Israëlitas: auget in portandis imbricibus pensum; imperat duriora, ut non solum luto, sed paleis stipulisque C colligendis afflicti Judæi contabescant. At vero Pharao (id enim nomen erat tyranno) divinitus factis miraculis ac signis resistere conabatur, ad hoc magorum usus præstigiis. Postquam autem in præsentia Ægyptiorum virgam suam in serpentem animasset Moyses, idem quoque suis in virgis se facturos existimabant Magi. Sed fallaciam efficacitas redarguit, dum serpens ex Mosis virga conversus, magica ligna, serpentes scilicet, comedendo, nullam in aliis esse vim ad propulsandam injuriam, aut vitam dandam ostendit, præter speciem quam oculis eorum, qui facile decipi poterant, præstigiæ Magorum exhibuerant *l*.

duæ priores Ægyptiorum plagæ, 5 Tunc consentientes tyranno Ægyptios omnes cum vidisset Moyses, in universam eorum gentem, nemine omnino excepto, intolerabilia infert vulnera. Commovebantur autem jussu ejus ad hunc in Ægyptios impetum, tanquam exercitus obediens, elementa ipsa, quæ in hoc universo cernuntur, terra scilicet, ignis, aer, aqua ad hominum propositum actiones suas commutabant. Eodem enim quoque tempore atque eodem in loco Judæi, ab officio non recedentes, nil mali sentiebant: Ægyptii vero perperam et cogitantes et agentes acriter plectebantur. Nam aqua per universam Ægyptum in sanguinem, jubente Moyse, conversa est, ut vel pisces ipsi ab aquarum crassitudine carnea necarentur: Judæis solis sanguis aqua erat limpidior. Unde habuit occasionem ars magica sanguinis speciem in aqua, quæ apud Hebræos inveniebatur, fallaciter adumbrandi *m*. Similiter quoque ranarum *n* irrepens multitudo, quarum generatio non naturali cursu elementorum, sed coactis, ut ita dicam, elementis, jubente Moyse facta est, et repletas domos infestans solis turpissima Ægyptis inferebat fastidia: Judæorum vero vita nihil ex hujusmodi bestiolis incommodi patiebatur.

et quædam ex aliis breviter perstrictæ: discessus ex Ægypto. 6 Sic etiam aer nullam diei ac noctis faciebat differentiam *o*, Ægyptiis in eadem continue crassitudine palpitantibus: at Judæis nihil novi afferebat. Similiter cætera quoque omnia se habebant, grando *p* scilicet, ignis, cinyphes *q*, muscæ caninæ, locustarum *r* nubes: hæc adversus Ægyptios omnia ut natura sua fert, perniciosissima erant: Judæi vero rumoribus solum, verbisque cohabitantium hos morbos, nullo suo E incommodo, cognoscebant. Postremo primogenitorum *s* omnium nece, cum illi quidem suorum pernicie confusi lugerent, hi vero sanguinis signaculo liminaribus atque postibus inunctis tuti quiescerent, quanta inter Judæum et Ægyptium esset differentia, cunctis apparuit. Itaque percussis clade primogenitorum Ægyptiis, suaque publice ac privatam lugentibus, educit Moyses Israëlitas a se præmonitos, ut specie commodationis Ægyptiorum divitias *t* secum auferrent.

ANNOTATA.

a *Præfationem totam, quia prolixior est, et in operibus Nysseni legi potest, brevitatis causa prætermisi.*

b *In præcedentibus omnibus sensum sacræ Scripturæ expressit Nyssenus, uti videri potest in Commentario* § 2. *Verum in hoc facto plusculum Josepho tribuit, quam patiatur sacrarum Litterarum veritas. Quippe asseruit Josephus* Moysen *fuisse in flumen projectum et fluxu avectum; id ipsum credidit Nyssenus, cum dicat amnis vorticibus arculam fuisse ejectam ad ripam. At* F *ostendi in Comment. num.* 17 *fiscellam, cui* Puer *erat impositus, solum fuisse positam in* carecto ripæ fluminis, *nec aquis fuisse delatam.*

c *Non legitur infantili vagitu se prodidisse* Infans; *sed visa fuit fiscella* in papyrione, *eaque allata et aperta, viderunt* Parvulum vagientem *Exod.* 2 ℣ 5 *et* 6.

d *Hoc Josephi est, non sacræ Scripturæ. Consule Comment. num.* 21, *ubi id improbavi.*

e *Hæc vox insinuat adhæsisse Nyssenum Philoni, qui asseruit arte effecisse Pharaonis filiam, ut crederetur* Moyses *filius proprius, non adoptivus. Verum istud etiam refutavi num.* 39.

f *Contemplationem per annos quadraginta, quibus in Madianitide vixit,* Moysi *etiam attribuit S. Basilius. Attamen amor contemplationis non videtur fuisse causa fugæ ex Ægypto; sed fuga occasionemcontemplandi præbuit.*

g *Insinuat defensionem filiarum Raguelis sacerdotis, relatam in Comment.* § 7 *et* 8, *ubi et de nuptiis actum est. At hasce non tam cito contractas esse, ut ante illas unica illa defensione* Moysis *ingenium et mores noverit Raguel, ostendi num.* 76.

A. S. GREGORIO NYSSENO.

h *Græce* θάμνον, *quod* fruticetum *potius interpres reddere Latine debuisset, quam* arbustum ; *tam quia Græca vox id magis proprie significat, quam quia id rubo, quem* Moyses *vidit, rectius convenit. De tota vero hac visione consuli potest Comment.* § 9 *et* 10.

i *De toto hoc facto varia disputata sunt* § XI.

k *Videtur hic dici, Pharaonem iratum quoque fuisse Ægyptiis operum præfectis, quia mox additur,* Tum in ipsos Israëlitas. *Verum Scriptura non asserit in de præfectis Ægyptiis, sed de præfectis Hebræis, qui curare debebant, ut tantum operis perficeretur, quantum imperaverant exactores Ægyptii. Consule dicta in Comment. num.* 113 *et* 114.

l *De prodigio mutatæ virgæ latius ibidem num.* 117.

m *Varias sententias de accepta a magis aqua, quam in sanguinem verterent, recensui in Comment. num.* 119.

n *Hæc plaga secunda, et sequentes latius expositæ sunt* § 15, *et sequentibus.*

o *Nona hæc est tenebrarum plaga, de qua* § 17.
B *Ex hisce videmus ordinem plagarum non fuisse servatum a Nysseno, qui etiam nonnullas omisit.*

p *Grando et ignis concurrerunt in plaga septima, de qua num.* 104 *et seq.*

q *De* ciniphicibus *seu tertia plaga, et de quarta* muscarum varii generis *potius, quam* caninarum, *consule Comment. num.* 132 *et sequentibus, et num.* 146 *et sequentibus.*

r *De octava plaga locustarum* § 17 *actum est.*

s *Mors primogenitorum, quæ plaga fuit decima, relata est* § 19. *Ante hanc plagam jussi sunt Hebræi comedere agnum Paschalem, illiusque sanguine liminaria et postes ædium suarum tingere, ut relatum est ibidem.*

t *De vasis aureis et argenteis, aliaque Ægyptiorum supellectile juste ablata, disputatum est num.* 175 *et seq.*

CAPUT II.

C *Discessus Israëlitarum ex Ægypto : transitus maris Rubri, submersioque omnium Ægyptiorum : mansiones variæ, in quibus aqua amara in dulcem mutata, item aqua educta e petra, manna datum, victi Amalecitæ.*

Pharao Israëlitas, qui ad mare Rubrum progressi erant, sequitur : a

Verum cum jam tribus extra Ægyptum perrexisset diebus, videt irritatum hostem, quod se Judæi in libertatem vindicassent, cum magno exercitu et instructissimo equitatu adversus se festinare. Quæ res non mediocriter imbellem populum, neque talibus prodigiis *a* assuefactum, in Moysen concitavit. At ille intrepidus, voce quidem populum, ut in Domino spem haberent, hortabatur, animo autem ad Deum penitus conversus, auxilium tacitus implorabat. Quo recondito clamore Creator exoratus, præsto miseris ac mirabiliter affuit. Nubes enim, quæ Dei jussu, non natura præcedebat, non D presso aere vaporibus aut ventorum impetu densato constituta, sed aliud quiddam divinitus atque altius, quam humana mens percipere valeat, siquidem, ut Scriptura testatur, tale miraculum apparebat, ut dum ardentes solis radii fulgerent, populum quasi septo interjecto protegeret, atque umbra tenuique rore diffuso aeris illi ardorem mitigaret: noctis vero tempore in ignem versa jam inde a vespera usque ad solis ortum suo lumine Israëlitis facem præferret. Hæc, inquam, nubes, quam veluti ducem Moysis parentes monitis, sequebantur, priore omisso itinere, in Rubeum mare *b* ducebat.

b scisso autem in duas partes mari, per siccum transeunt Israëlitæ,

8 Devenerunt igitur sequuti Ducem Hebræi usque ad littus: quos Æyptii persecuti, undique ita concludunt, ut nulla jam fuga humano consilio posset excogitari. Ante ipsos mare Rubeum erat : post ipsos validissimus atque instructissimus Ægyptiorum exercitus. Tunc res accidit, quæ præ cæteris omnibus fidem excedit : summus ille Vir divinitus monitus ad littus descendit, mareque Rubrum virga percussit *c*, et subito, ut in vitro, facta scissura facile ex altera parte, in alteram pervenit: sic ictu Mosaïcæ virgæ in oppositam usque ripam, hinc atque hinc cedentibus aquis, scissura pervenit. Itaque facto per medium pelagus itinere, una cum universo populo siccis pedibus profundam maris abyssum permensus est, nec extimuit repente structa illa ex fluctibus mœnia, cum utraque ex parte undæ aquarum quasi muri consisterent. *c* E

insequens vero Pharao cum toto exercitu submergitur.

9 Pharao autem impetu animi concitatus, per novam illam in aquis viam insequitur. Tum vero unda undæ iterum jungitur, et redeunte in semet mari, pristinumque recuperante statum, una fit rursus aquæ facies. Hebræi oppositum littus incolumes cum pervenissent, a longo per medium pelagus itinere quiescentes, cantum Deo, qui incruentum adversus hostem sibi trophæum præbuerat, grato animo cecinerunt, Ægyptiorum exercitu universo, equis, armis, ac curribus mari absorptis.

Variæ mansiones : aqua amara in dulcem mutata :

10 Mox pergit Moyses, triumque dierum itinere confecto, cum aqua deficeret, in angustias redigitur, non inveniens, quo sitim exercitus solaretur. Erat namque, ad quem castra locarant, F lacus quidam marinarum aquarum, atque adeo marina amarior. Cui cum adsedissent, sitique torquerentur, Moyses divino monitus oraculo, lignum, quod in eis locis invenerat, in illas aquas marinis acerbiores immisit: et ilico, natura *d* ligni aquarum ablata amaritudine, dulces atque potabiles effectæ fuerunt. Nubis deinde ductu, quam præcedentem sequebantur, et qua stante ipsi quoque castra metabantur, ad locum deveniunt aquis atque arboribus amœnissimum. Duodecim enim fontibus continue irrigabatur, et septuaginta palmis consitus erat, quæ parvo hoc numero, eo quod pulchritudine et proceritate excellerent, miraculo videntibus erant. *d*

item aqua e petra educta, manna impetratum,

11 Hinc mota rursus dux illa nubes, alium in locum deduxit exercitum. Erat hic autem desertus, arena obtectus, ac sterilis, nec ullo aquarum fluento irrigabatur: ubi rursus populus siti affligebatur. At Moyses ex lapide *e* quodam virga percusso, jucundissima atque copiosissima aquarum fluenta exilire fecit. Hic *f* commeatus etiam omnis, quem exeuntes ab Ægypto adduxerant, quum defecisset, et populus fame premeretur; miraculum fit, quod præ cæteris est *e* *f*

incredibile

A incredibile *g*: non a terra ipsis, ut solet, quæ
g victum præstabant, oriebantur, sed a cœlo quotidie roris instar defluebant. Etenim sub crepusculum sparsim ros diffundebatur, qui in cibum se dedat legentibus: isque non aqueum erat, ut in rore fieri adsolet, stillicidium, sed loco guttarum crystallini grumuli in coriandri seminis formam conglobati, quod rusticatim dicitur κολίανδρον, descendebant, qui ad cibum collecti gustum mellis pene afferebant.

de quo varia explicantur. 12 Huic miraculo accedebat et aliud: multis enim nec pari ætate, nec viribus, ut consentaneum est, æqualibus ad collectionem confluentibus, non minus alter altero, aut propter ætatem, aut propter infirmitatem sibi assumpsit: nec qui validior, sibi plus quam esset opus, nec quid infirmior, minus in eo die potuit arripere. Aliud insuper miraculum historia habet, quod scilicet uno die collectum fuerat, ejus nihil omnino in crastinum fuisse reservatum. Quod si quis timore furtim quandam sibi particulam ad crastinum conservasset, totum, quod repositum erat, per noctem corruptum in vermes transformabatur.
B Est in hac historia quiddam mirabile: nam cum ex hebdomadæ diebus una mystica ratione quadam cessatione ab Hebræis honoraretur, ne quid in ea die præter consuetudinem facere cogerentur, quamvis tanto in collegio unusquisque studium, quantum in cæteris diebus, die sexta adhiberet, duplum tamen collectum sibi esse inveniebat: ne esse in causa victus necessitas, quamobrem opere aliquo Lex violaretur. In quo etiam divina elucescebat potentia: nam cum reliquis diebus, quod supererat, corrumperetur,
h in sola, quæ Sabbatum præcedebat, parasceve *h* collectum (hoc enim otiosæ illi diei nomen fuit) incorruptum perdurabat, ita ut recentiori nihilo rancidius videretur.

Victoria de Amalecitis. 13 Bellum deinde adversum gentem alienigenam, Amalecitas nomine, exarsit et tunc primum Hebræi constructi in aciem sunt, non omnes, sed electi, quibus Josue, qui post Moy-
i sen gubernacula populi susceperat *i*, præfuit. Nam Moyses extra prælium in colle quodam altiore una cum duobus necessariis constiterat, ad cælos aspiciens, quando (ut in historia traditum est) id quoque inter cætera mirabile dictu
C factum est. Nam cum Moyses manus in cœlum elevaret, tunc ingenti animo irruebant in hostes Hebræi: cum vero manus remisisset, tunc contra ferociores facti hostes, facillime Judæos pellebant. Quod aliquoties factum facile intellexerunt, qui cum eo erant. Itaque Moysi ulnas subeun-
k tes occulta *k* quadam de causa graviores factas manus ejus sustentabant. Verum quia imbecilliores erant, quam ut possent rectum diutius Moysen sustinere, lapide illi in sedem supposito, facilius adminiculo effecerunt, ut manus in cœlum levatas diutius retineret. Quo facto fusi omnino fugatique hostes sunt.

ANNOTATA.

a *Græce* mirabilibus: *nam solum loquitur de mira agminis Ægyptii multitudine, non de prodigiis naturam superantibus. De timore autem et murmuratione populi dictum in Commentario num.* 208, *ubi videbit lector illum timorem esse ortum, quando Israëlitæ castra habebant apud mare Rubrum, ita ut mare haberent ante se, a tergo autem Ægyptiorum exercitum.*

b *Jussu quidem Dei et ductu nubis seu columnæ a priore itinere versus mare Rubrum profecti sunt Israëlitæ: id tamen non contigit, postquam jam in conspectu habebant exercitum Pharaonis, sed antea, ut dictum est in Comment num.* 206. *Itaque prædictus timor populi et processus ad mare Rubrum inverso ordine hic sunt relati. De nube, aut columna ignis et nubis, consule Comment. num.* 201.

A. S. Gregorio Nysseno.

c *Josephus et Philo similiter scribunt mare a* Moyse *virga percussum; at Scriptura id non habet, ita ut saltem sit incertum, sicut observavi in Comment. num.* 230. *De transitu Israëlitarum et submerso Pharaone cum toto exercitu suo actum est ibidem num.* 211 *et seq.*

d *In Comment. num.* 234 *egi de aquis illis amaris in dulces mutatis, ibique probavi sententiam illam de mutatione per ligni naturam facta videri probabiliorem et conformiorem Scripturæ, licet aliqui dissentiant.*

e *Factum hoc revera contigit, sed post manna datum, cui illud ordine præpostero præponitur. Itaque de murmuratione in Raphidim ob defectum aquæ, et de aqua ibidem educta e petra, consule Comment.* § 25. E

f *Non eodem loco, quo aquam e petra eduxit* Moyses, *manna depluere cœpit, sed id beneficium impetrarant Israëlitæ in mansione octava, ut dictum est in Comment.* § 23, *ubi de manna fusius actum est; uti et de coturnicibus hic omissis.*

g *Voce hac* incredibile *utitur subinde Nyssenus, non quod velit insinuare, credi non debere factum, de quo istud dicit, sed maxime esse mirandum.*

h *Vox Græca est, quæ proprie* præparationem *significat; sed in Scripturis, uti et hic, sumitur pro die præcedente aliquod festum seu Sabbatum. Quæ autem mox parenthesi includuntur, referuntur ad Sabbatum, non ad parasceven.*

i *Vox Græca reddenda erat* suscepit, *aut* gessit: *nam habetur* καθηγήσατο, *et phrasis omnino hanc interpretationem requirit.*

k *Causa, cur tassatæ sint manus* Moysis *et gravatæ, non videtur* occulta, *sed naturalis; videlicet ob nimis diuturnam extensionem.*

CAPUT III.

F

Adventus Israëlitarum ad montem Sinai; lex ibidem promulgata, mandataque accepta de tabernaculi ac vestium sacerdotalium constructione.

Deus necessaria præstans in deserto, Israëlitas apud montem Sinai vult subsistere; Cum autem eodem in loco nubes maneret, quæ populi viæ dux erat, nec ipsum populum alio commigrare necesse plane fuit, cum ducem migrationis non haberet. Sic ergo cum ad victum illis absque labore cuncta suppeterent, cum aer sursum illis panem deplueret, deorsum vero rupes potum præberet, rursusque nubes omnem cœli molestiam mitigaret: sic ut interdiu æstum arceret, et noctu flammeo quodam fulgore tenebras dissiparet, sine molestia in illa deserti regione montibus subjacenti versabantur, in qua exercitus castra posuerat. His ita factis

A. S. GREGORIO NYSSENO.

ctis majora occultioraque mysteria Deus, et ipsum Ductorem et populum instruere cum voluisset, præcepit populo per Moysem, ut tam corpore quam animo mundus fieret, adeo ut etiam ab ipsis uxoribus certo quodam dierum numero abstineret, aspersionibusque quibusdam maculas abstergeret, ut omni labe animi corporisque deposita; mundus ad montem Sinai posset accedere.

ubi, terribili apparatu præcedente,

15 Qui quidem mons ratione utentibus solum illo tempore aditum præstabat: neque his omnibus, sed viris solummodo: nec viris etiam omnibus, sed illis tantum, qui diligenter a se omnem maculam expulissent. Studium autem omnibus erat non parvum, ne quid brutorum monti appropinquare paterentur. Quod si forte aliter acciderit, lapidibus obrui a populo statutum erat, quidquid brutum juxta montem apparuisset *a*. His ita dispositis, in sereno die subito tenebris mons circumdatus fuit, et ignis e medio tenebrarum exiliens, ac totum, ut videbatur, montis tractum depascens, terrebat prospicientes, fumo atque caligine omnia repleta: adducebat tamen
B ad montem populum Moyses, quamvis ipse quoque hujuscemodi visu timore perculsus *b* ita erat, ut Israëlitas celare id minime posset: sed vel ipsius corporis motibus commotum se patefecit: nec enim tantum per oculos, verum etiam per auditum terror animas invadebat: cum cœlitus terrifica vox quædam in cuncta subjecta locorum spatia erumperet, cujus primus quidem impetus cujusvis auribus intolerabilis buccinæ sonitum referebat; sed omnem ejusmodi exemplorum terrorem excedebat, quantoque magis progrediebatur, tanto terribiliorem sonum edebat.

angelus coram populo promulgat decem præcepta: Moyses vero

16 Vox autem illa fuit articulata: nam aer absque vocalibus instrumentis non inanem orationem, sed significantem divina formabat virtute, quæ populo leges atque instituta ponebat. Quæ omnia cum ferre populus non posset, impetravit a Moyse, ut a Deo, ipso mediante, Lex sibi traderetur, nec se quidquam retractaturum, sed omnia, sicuti ab ipso Deo per Moysen sibi tradita, crediturum asseruit. Ita populus quidem ad subjecta montis loca relabitur *c*. Moyses vero solus in monte relictus, contra quam cæteri
C homines pati solent, affectus est. Nam cum cæteri omnes desolati magis, in societate minus timeant, ipse derelictus solus audacior factus est. Unde patuit, non ut timidum quemdam perterritum in principio fuisse, sed charitate timentis populi fuisse commotum. Quare cum quasi onus quoddam timorem populi deposuerit, at in seipso factus esset, tunc etiam in ipsam caliginem audacter ingreditur. Itaque inter invisibilia versatur, nec jam intuentibus apparet. Nam divinæ initiationis adytum ingressus, cum invisibili non conspectus ipse versabatur, ut nos (ut arbitror) his gestis instrueret, quod oporteat si quis velit esse cum Deo, omnia hæc, quæ videntur, contemnere, ac mentem suam ad invisibile atque incomprehensibile, quasi ad summitatem montis dirigere: ibique credere Deum esse, quo pervenire cogitatio non potest.

reliqua in mont accipit: pauca de hisce perstricta:

17 Hac igitur in summitate montis constitutus Moyses, divina suscipit mandata, quæ via doctrinaque sunt ad virtutem. Cujus caput est pietatis, ut scilicet condecentes de Deo opiniones habeamus, quod omnem cognoscibilem speciem, omneque superexcedat exemplum, nulli rei, quæ cognoscitur, similis. Jubet enim ad nullam rem, quæ comprehendi possit, respicere: nec iis D
similem putare naturam, quæ super omnia est, quæ comprehensione cognoscuntur: sed esse quidem ipsam credere oportere: quanta vero, aut qualis, aut unde, aut quomodo sit, non esse quærendum, cum eo pervenire humana ingenia nequeant. Ad pietatem autem etiam adduntur illa, quæ morum sunt castigationes, in genere vel in parte distributa. In genere quidem, totam simpliciter injustitiam propellit lex illa, quod oporteat proximum amare, quo stabiliter constituto, necessario sequitur, nihil adversus proximum cuiquam esse faciendum. In parte vero parentes colere, et a criminibus, quæ diligenter enumerantur, cavere præcipit.

mandata Dei de tabernaculo et supellectile sacra componenda,

18 Quibus legibus quasi instructus ad sublimiora transit mysteria, tabernaculo divina sibi virtute proposito. Taberuaculm *d* autem erat templum inaudita quadam varietate pulcherrimum, propylæa, columnæ, cortinæ, mensa *e* et candelabrum *f*, et thuribulum *g*, altare *h* ac propitiatorium *i*, et quod intra sanctum est adytum impenetrabile et inaccessum. Quorum omnium dispositionem ac pulchritudinem, partim E
ne memoriam fugiat, partim etiam posteris miraculum subaperiat, non picturæ tradere, sed materiali ædificatione immateriale illud exemplar divino consilio splendidis acceptis materiis imitari compellitur. Fuit igitur plurimum aurum in columnis circumfusum, et cum auro argentum cacumina et bases eorum exornabat, ut varietate coloris, sicuti arbitror, magis fulgerent. Sed æris quoque materia non inutilis visa est: capita enim et bases columnarum ex ære factæ sunt. Cortinæ porro atque tentoria, totiusque templi septum, et super columnas extensum tectum, omnia per textoriam artem, conveniente singulis attributa materiam, conficiebantur. Aliis ex hyacintha et purpura erat tinctura, et igneus cocci rubor, splendor quoque byssi natura ipsa perductus ac sine arte confectus color. In aliis linum, in aliis pili; prout texturæ usus petebat, assumebantur. Sed rubricatæ quoque pelles nonnumquam acceptæ sunt.

uti et de vestibus summi sacerdotis, superhumerali, k

19 Verum hæc posteaquam de monte descendit, per ministros secundum expositum sibi exemplar opificii Moyses construxit. Tunc autem cum in illo adhuc absque manu constituto templo *k* esset, quibus sacerdos vestibus, quando in templi penetralia intrandum erat, uteretur, de interiore simul atque exteriore amictu leges accipit, initium non ab interiore, sed ab exteriore F
faciente sermone: superhumeralia *l* variis coloribus ex iis rebus, ex quibus velum contextum erat, atque insuper auro distincta fuerunt. Uncinos quoque, quibus superhumeralia connectuntur, fecit, et catenulas smaragdos in circulum auro connectentes. Hi lapides tum natura virides atque fulgentes, tum sculptura mirabiles videbantur: nec ad simulachrorum figuram aliquam sculptura tendebat. Sed patriarcharum nomina sex in singulis lapidibus erant impressa: ex his ad anteriorem partem uncini quidam dependebant, et complicatæ catenæ in se permutatim in quemdam numerum connexæ atque rhythmum, in modum retis a fibulis ex utraque parte desuper ab uncinis extensæ, ut magis connexio præfulgeret.

rationali, tunica et cæteris.

20 In his erat ex auro fabricatus ille ornatum *m* pectoris, in quo diversi patriarcharum numero lapides tres in singulis ordinibus, ordines quatuor fuerunt, tribuum nomina litteris exprimentes.

A mentes. In his erat tunica *n* intra superhumerale ad talos a cervicibus delapsa, fimbriarum appendiculis concinne ornata : in his erat inferior limbus, non texturæ varietate solum, verumetiam aureis appendiculis pulcherrimus. Hæc autem erant aurea tintinnabula, pomaque punica vicissim dictum limbum ambiunt. Tum capitis vitta, quæ tota fuit hyacinthina, et lamina *o* Pontificis imminens fronti ex auro purissimo, ineffabilibus literis quibusdam exarata; et cingulum, quo circumfusus amictus stringebatur, et ornatus occultior : ac cætera omnia quæ per ænigmata in amictus specie sacerdotalem ostendunt virtutem.

ANNOTATA.

a *De adventu ad montem Sinai actum in Commentario* § 27, *ubi num.* 294 *et sequentibus totus apparatus promulgationi decem mandatorum prævius ex sacris Litteris expositus est.*

b *De timore aut terrore* Moysis *in Scriptura nihil reperio. At de terrifico hoc apparatu, et* B *ingenti plebis timore, varia adduxi num.* 296 *et seq.*

c *Hæc latius exposita vide ibidem num.* 297 *et sequentibus. Decem præcepta articulata voce coram populo promulgavit angelus; reliqua* Moysi *data sunt in monte, ut is a communicaret cum populo.*

d *Mandatum de construendo tabernaculo, deque omnibus ad tabernaculum spectantibus, uti et de vestibus sacerdotalibus, accepit* Moyses, *dum prima vice per quadraginta dies fuit in monte Sinai, ut dictum est in Comment. num.* 304; *sed omnia multo serius fuere constructa. De tabernaculi constructione et erectione consuli potest* § 30.

e *Propylæa, columnæ et cortinæ erant partes tabernaculi ; mensa vero stabat in tabernaculo ante velum, quo separabatur Sanctum sanctorum a Sancto, ad partem Septemtrionalem intra Sanctum. Mensa autem hæc, cujus forma describitur Exod.* 25 ℣ 23 *et seq., ibi erat locata, ut illi imponerentur panes propositionis.*

f *Candelabrum hoc aureum, quod describitur Exod.* 25 ℣ 31 *et seq., stabat item ante velum e re*C *gione mensæ seu ad partem Australem.*

g *Per* thuribulum *hic, opinor, intelligitur altare thymiamatis, quod stabat intra mensam et candelabrum. Forma et usus ipsius exponitur Exod.* 30.

h *Altare holocausti stabat in atrio ante tabernaculum. Describitur Exod.* 27.

i *Propitiatorium erat supra arcam testimonii intra Sanctum sanctorum. Arcam autem videtur designare per vocem* adytum. *Plura commemorri potuissent, sed auctor brevitati studuit.*

k *Montem designat, quem ob singularem Dei præsentiam* templum *nominat.*

l Superhumerale *vestimentum erat Pontifici proprium, quod describitur Exod.* 28 ℣ 6 *et seq., cum suis unicis et catenulis aureis, et lapidibus onychinis, qui hic* smaragdi *vocantur.*

m Ornatus pectoris *designat* rationale, *quod Pontifex superhumerali annexum gestabat in pectore. Ornamentum istud pontificale late describitur Exod.* 28 *a* ℣ 15.

n *Tunica summi Pontificis hyacinthina, cum tintinabulis malisque punicis limbum ejus ambientibus, item describitur ibidem a* ℣ 31.

o *De lamina aurea Pontificis vittaque hyacinthina, ac demum de cingulo byssino et feminalibus, quæ hic dicuntur* ornatus occultior, *consuli potest sæpe dictum caput Exodi* ℣ 36 *et seq., ubi etiam agitur de vestibus aliorum sacerdotum.*

CAPUT IV.

Tabulæ Legis acceptæ, at confractæ ob populi idololatriam : acceptæ aliæ ; leges, tabernaculum et sacerdotium instituta : gesta reliqua, et mors.

Moyses manens quadraginta diebus in monte tabulas accipit,

** al. mendose* affectus

Hæc cum invisibili ista amictus caligine a Deo ipso perdoctus, majorque seipso hac effectus * esset arcana doctrina, descendit a monte ad suos, ut eos eandem disciplinam doceret, et leges eis proponeret, et templum, sacerdotium, et quod in monte fuerat illi ante monstratum exemplar *a*. Ferebat enim manibus tabulas sacras, quæ divinum inventum ac donum erant, nec humano auxilio, ut producerentur, E indiguerant : sed ipsius Dei opus utrumque fuit tam materia, quam litteræ in ipsa impressæ. Verum populus, qui antequam Legislator descenderet, ad idololatriam defecerat, hoc munus impedivit. Nam cum quadraginta diebus ac noctibus nullius indigens rei *b*, quibus hoc corpus sustentatur, immortali vita sub illa caligine Moyses viveret, quasi pueri, cum pædagogi non adsunt, sic populus adversus Aaron concitatus, impulit eum, ut ad simulachrum aureum adorandum dux eis fieret : simulachrum autem vitulus erat.

at illas ob idololatriam populi frangit: placatoque Deo secundas impetrat : Leges aliaque statuta :

22 Quare offensus Moyses perrupit tabulas, ne in homines indignos tanta res deveniret : deinde Levitis administrantibus, tribulum sanguine scelus expiavit, simulachrum contrivit, cumque sua iracundia, qua in eos, qui peccarant, exarserat, Deum propitium reddidisset, ita rursus quadraginta dierum spatio tabulas a Deo impetravit : quas ipse quidem composuit, Deus autem perscripsit *c*. Has rursus accipit, cum naturam in tanto dierum numero excessisset, alia F quadam ratione nobisque insolitam vitam traducens, dum nihil eorum, quæ naturam deficientem cibo sustentant, in suo corpore admisit. Sic igitur illis tabernaculum ædificavit, et Legis præcepta tradidit, constituto pro inspirata sibi divinitus doctrina sacerdotio. Et postquam omnia, prout a Deo monitus erat, materiali opificio perfecit, tabernaculum, vestibula, cuncta interiora, thuribula, altare, candelabrum, vele, propitiatorium in adytis, sacerdotii ornatum varium, sacrificiorum modum, alium in purgationem *d*, alium in agendis gratiis, alium ad avertenda mala imminentia, alium ad expianda peccata.

murmuratio Mariæ et Aaronis punita ; item populi murmuratio, licet obtinuerit carnes :

23 Hæc omnia postquam optime perfecit atque constituit, suorum perpessus invidiam est, quod vitium humanæ naturæ innatum est : sic ut et Aaron, qui sacerdotali fuerat honore decoratus, et soror ejus Maria zelotypia *e* quadam muliebri commota ob delatum illi honorem a Deo, quippiam proloquuti fuerint, quo divina ira commota velocem intulit punitionem : qua in re mirabilis clementia, inauditaque mansuetudo

A. S. Gregorio Nysseno.

tudo Moysi visa est. Non enim solum iratus invidenti non fuit, sed Deum etiam orationibus sorori propitium reddidit. Cum vero multitudo voluptate victa carnes edere desideraret, meliusque se in Ægypto vixisse, ubi carnibus abundabat, quam cœlesti cibo in deserto, prædicaret; tunc Deo Moyses rem commisit. Deus vero mira multitudine aves *f*, per stativa Judæorum circumvolantes, gregatim sic immisit, ut aucupium esset facillimum. Quarum carnium nimium repleti, in morbos deciderunt, mortuique non pauci fuerunt : quæ res residuis exemplo ad modestiam fuit.

exploratores missi, et populi rebellia alia murmuratio populi, qua Moyses in peccatum labitur :

24 Exploratores deinde ad promissionis Terram mittuntur, qui reversi non idem omnes, sed multi pene impossibilem esse transitum nuntiaverunt. Unde rursus multitudo adversus Moysen commota fuit, multique desperarunt se posse illuc pervenire : qui omnes divino judicio condemnati, ea pœna mulctati sunt, ut promissam sibi regionem *g* non viderent. Proficiscentes autem per desertum, cum rursus aquæ penuria premerentur, nec ullam miraculorum Dei tenerent memoriam, tam adversus B Deum, quam adversus Moysen impie conclamabant: sic ut Moyses quoque visus fuerit una cum populi incredulitate impegisse *h*. Verumtamen ex acrotomo * illo lapide rursus fontes aquarum mire produxit.

* *i. e.* duro prærupto

murmuratio serpentibus punita, contra quos erectus serpens æneus:

25 Cum autem rursus illis ciborum voluptas gulæ cupiditatem excitasset, et nullis rebus ad vitam sustentandam necessariis destituti, Ægyptiacas epulas expetiissent, more juvenum petulanter se gerentium flagellis castigantur. Quamobrem serpentes *i* venenosis morsibus divinitus eis immissi : cumque plures hoc modo indies perirent, divino nixus consilio Moyses, æs in serpentis confudit figuram, quam in tumulo quodam imposuit : jussitque, ut quicumque serpentis morsu laborarent, in æreum serpentem aspicerent, atque ita pestiferum ex morsu serpentum morbum fugavit. Immittebantur enim ex visu quasi antidota *k* quædam in corpus, quod serpentium venena imbecilliora reddebat, quam ut possent homines occidere.

seditio pœnis gravissimis compressa ;

26 Rursus populo in eum seditione insurgente, ac nonnullis in seipsos transferre sacerdotalem dignitatem conantibus *l*, Moyses quidem pro peccantibus orabat : Deus vero non ut ille orabat, sed ut justum erat, hiatu terræ omnes seditiosos, qui in Moysen insurrexerunt, absor- C psit. Qui autem sacerdotii cupiditate exarserunt, igne cremati circiter ducenti et quinquaginta, exemplo suo cæteros tribules suos ad sanam mentem reduxerunt. Verum ut crederent, non ab hominibus, sed a Deo sacerdotii gratiam concedi, virga litteris, a quo esset oblata *, significante, per unamquamque tribum assumpta est, quas in templo Moyses apposuit : ac postero die sententiam de sacerdotio Dei omnibus ostendit : sola enim Aaron virga floruit, fructumque edidit. Nux autem erat fructu. Quod quidem miraculum etiam infidelibus maximum omnium visum est, stupentibus scilicet quomodo siccum ac levigatum lignum tam parvo temporis spatio arboris naturam suscepit atque perfecit. Nam pro uligine terræ, pro cortice, pro humore, pro radicibus et ramis divina virtus ei suffecit.

* *mendose* ablata

victi hostes, molitiones Balaam irritæ, peccatum populi :

27 Procedebat deinde ulterius cum populo Moyses, edixitque regiam (ut dicitur) viam esse custodiendam, ne videlicet ad dexteram vel sinistram declinarent, neve quicquam habitantium ea loca arriperent. Coloni autem locorum parum his contenti a transitu prohibebant, sed D pugna victi *m* concesserunt inviti, quod sponte dare noluerant. Posthæc Balach Madianitarum *n* gentis magnæ princeps, eorum, qui ante deleti fuerant, exemplo perterritus, et jamjam se paribus damnis ab Israëlitis affectum iri expectans, non ab aliis armorum, vel copiarum, sed a Balaam augure quodam, qui magicis artibus ac dæmonum invocatione claruerat : famaque de ipso erat, sæpius civitatibus etiam ingentibus suis artibus nocuisse *o*, auxilium petiit. Is cum ad regem Balach iter faceret, asinæ voce non prosperam eam sibi viam fore instruitur, et visione quadam quid faciundum esset, didicit, ac demum infirmiores sensit esse maleficas illas præstigias, quam ut possent illis, quibus auxilium ferebat Deus, aliquod damnum inferre; sed pro dæmonum furore divino afflatu impulsus tales emisit voces, ut econtra imminentis prosperi successus illius populi essent prophetiæ. Ex quo enim suis artibus ne noceret, impeditus est, divinæ virtutis sensum accepit, et vaticinandi arte neglecta, divinæ voluntatis se interpretem et internuntium exhibet. Ita natio vincitur alienigenarum *p*. Sed populus in bello victor, non E parva ex parte luxuria vincitur. Tunc Phinees zelo virtutis uno ictu tam Judæum, quam alienigenam mulierem in ipso impudico actu confodit : quo facto divina in eos, qui peccaverunt, ira cessavit.

mors Sancti et sepultura.

28 His ita gestis ascendit in altum Moyses montem, et procul repromissam majoribus suis terram speculatus, humanam vitam *q* exuit, ita ut nihil in terris hujus migrationis suæ signum aut monumentum in sepulchris relinqueret. Mirum autem est, quod nec formæ, nec pulchritudinis suæ quicquam, nec ex facie sua resplendentem gratiam, nec oculorum aciem, vel temporum, quibus cum hominibus erat, spatia vel labores comminuerant; sed uno eodemque modo virtutes corporis atque sensuum in eo semper viguerunt. Hæc quidem sunt, quæ de illo Viro ab historia divina percipimus; quæ cursim narrata jam tempus est proposito nostro accommodare, ut videamus veteris Scripturæ historiam ad perfectam vitam multum conducere *r*.

ANNOTATA.

F

a *Verba Græca non exacte reddita sunt Latine. Phrasis postrema hic habet :* Ad suos descendit contribules, communicaturus ipsis mirabilia sibi in visione Dei ostensa, et leges propositurus; ac templum et sacerdotium, secundum exemplar sibi in monte monstratum, populo constituturus.

b Moysen *quadraginta diebus mansisse in monte Sinai sine cibo et potu, dictum est in Commentario num.* 303, *ubi etiam mox num.* 304 *et seq. de tabulis acceptis, de idololatria populi, de confractione tabularum, comminutione vituli aurei, pœnaque popula inflicta actum est.*

c *Quantopere laboraverit* Moyses, *ut Deum placaret populoque integre reconciliaret, ac tandem secundas hasce tabulas acciperet, dictum est* § 28 *et* 29, *ubi secunda quadraginta dierum commoratio in monte, et secundarum tabularum acceptio exponitur num.* 321 *et* 322.

d *Quatuor genera Sacrificiorum hic enumerantur, videlicet primum ad purgationem, id est, dum aliquis contraxit immunditiam legalem; secundum in gratiarum actionem de beneficiis*

A *ficiis obtentis; tertium ad avertenda mala imminentia, et demum quartum ad expianda peccata. Verum hac enumeratione minime comprehenduntur omnia sacrificia. Tria genera sacrificiorum erant holocaustum, quod totum comburebatur in honorem Dei; hostia pacifica, et hostia pro peccato, ex quibus aliqua comedebant sacerdotes aliique. Singula autem variis de causis offerebantur, et sic in varias species possunt subdividi. Consuli de hisce possunt priora capita Levitici, et interpretes.*

e *De hac oblocutione Mariæ, cui et Aaron implicitus fuit, actum est* § 35, *ubi etiam de pœna Mariæ, et precibus* Moysis *pro ea fusis. Nyssenus hoc factum narravit ordine præpostero: contigit enim post carnes ab Israëlitis male desideratas, de quibus mox loquetur.*

f *Coturnices intelligit, de quibus in Commentarium num.* 372, *ubi etiam de morte plurimorum in pœnam murmurationis et gulæ illata, qualiscumque hæc fuerit. Murmuratio vero relata est num.* 366.

g *De missis exploratoribus, murmuratione* B *rebellis populi, pœnaque a Deo inflicta, actum est in Comment. num.* 383 *et sequentibus.*

h *De hac murmuratione populi, et peccato* Moysis, *actum est num.* 445 *et seq.*

i *De hac historia consule Comment. num.* 469 *et* 477.

k *Hæc sententia non satis videtur consona sacræ Scripturæ: nam Num.*21 ℣ 9 *serpens æneus solum dicitur positus* pro signo. *Et clarius Sap.* 16 ℣ 7 *dicitur de iis, qui viso serpente æneo sanabantur:* Non per hoc, quod vivebat *(serpentem æneum aspiciens,)* sanabatur, sed per te omnium Salvatorem.

l *De hac seditione et conspiratione Core, Dathan et Abiron actum est* § 37 *a num.* 407, *ubi videri poterit eam esse præponendam variis factis hic jam relatis.*

m *De Sehone et Og Amorrhæorum regibus hæc præcipue intelligenda sunt. Hi autem transitum proprie non concesserunt; sed vitam cum regno victi amiserunt. Consule de hisce Comment. num.* 474 *et sequentibus. Potuit tamen Nyssenus hic etiam respicere ad Chananæum regem Arad, qui victus similiter et occisus, progressum exercitus Israëlitici non amplius impedire potuit. De eo actum num.* 457 *et seq.*

A. S. Gregorio Nysseno.

n *Balac rex erat Moabitarum, non Madianitarum, licet hi ipsius essent amici et vicini, ideoque collatis consiliis Balaamum accersendum curaverint. Adi pro hisce Comment.* § 44, *ubi tota hæc historia est exposita.*

o *Unde didicerit Nyssenus hanc famam, quæ ferebat, Balaamum* civitatibus etiam ingentibus suis artibus nocuisse, *non satis perspicio. Certe nec sacræ Litteræ nec Josephus tale quid habent. Philo quidem, in Comment. num.* 508 *citatus, varias enumerat calamitates, quas asserit prædictas fuisse a Balaamo; at illatas fuisse ipsius artibus non affirmat. Itaque sicut ibidem monui relationem illam Philonis suspectam esse falsitatis; ita monendum videtur, hæc nihilo esse certiora; præsertim cum sententia Nysseni de magicis artibus Balaami usque adeo certa non sit, ut opposita appareat probabilior, quemadmodum ostendi in Comment. num.* 489 *et* 502.

p *Hic rursum aliquid est confusionis et præposteri ordinis. Videtur insinuare Nyssenus, victos ab Israëlitis esse subditos Balaci, quod Balaam non potuisset maledicere Israëlitis, et quidem ante peccatum ab hisce commissum cum mulieribus Moabitarum et Madianitarum. At Israëlitæ solos aggressi sunt Madianitas, idque factum est post istud peccatum: deceptio enim mulierum bello causam præbuit, uti expositum est in Comment.* § 46, *ubi primo actum est de peccato Israëlitarum per mulieres Moabitidas et Madianitidas deceptorum, deinde vero de bello hanc ob causam contra Madianitas suscepto, iisque victis et excisis.* E

q *De morte, sepulturaque actum est fusius in Comment. num.* 580 *et seq.*

r *Subjungit historiæ moralem expositionem Nyssenus: at illa ad propositum nostrum non conducit, ibique videri potest.*

C

DE SANCTA CANDIDA

F

A S. PETRO APOSTOLO CONVERSA

NEAPOLI

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

De cultu et gestis.

Sec. I post medium. Candidæ viduæ memoria in Fastis, et elogium:

Duas sanctas Mulieres Neapolitanas, ejusdem ambas nominis, Martyrologio Romano ad hunc diem inseruit Baronius, Priorem ita memorans: Neapoli in Campania natalis sanctæ Candidæ, quæ sancto Petro ad eam urbem venienti prima occurrit, atque ab eo baptizata, postea sancto fine quievit. *Secutus est Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi elogium contexuit, quo omnia fere comprehenduntur hujus Sanctæ gesta, uti traduntur a Scriptoribus variis.* Candida, *inquit*, cognomento Senior, ad alterius Candidæ discrimen, vidua Neapolitana, prima B. Petro apostolo Neapolim venienti, cum Romam proficisceretur, occurrit, ac hospitio accepit; a quo ad Christum conversa, in fideque erudita, aquis salutaribus expiata est, a dolore capitis, quo assidue laborabat, liberata; cum ad Apostoli sermonem eo carere cœpisset. Hæc charitate flagrans, eo dolore liberata, Aspten viri vitæ probitate insignis, jam annos

AUCTORE J. S.

annos viginti ægrotantis et in lecto decumbentis recordata, Apostolum pro eo rogare cœpit. Qui Candidæ baculum, quo innitebatur, porrigens, ait : Hunc Aspreni trades, et dices : Petrus, seu Crucifixi discipulus, manda, ut, morbo illico recedente, pristinam recipias sanitatem. Accepto itaque baculo (qui adhuc in ecclesia metropolitana asservatur) ubi, illo Aspreni porrecto, verba, quæ Apostolus mandaverat, pronunciasset, statim is e cubili sanus prodiit. Post Apostoli discessum, Candida Deo orationibus, jejuniis, et piis operibus deserviens, ætate confecta obdormivit in Domino Prid. Non. Septembris, in æde ab Apostolo (ut creditur) dedicata, in qua ipse celebrasse fertur, sepulta. In cujus præfesto post Vesperas aqua quotannis a sacerdote benedicitur reliquiis Sanctæ signata, quam ferunt toto anno incorruptam servari, ac febricitantibus ex ea bibentibus, si fide accedant, prodesse. *Hactenus Ferrarius, citans Vitam in Vita S. Aspreni contentam.*

B

cum velit Castellanus hanc a Candida juniore non distingui; ex variis observationibus,

2 *Castellanus in Martyrologio universali annuntiat quidem utramque* Candidam *cum Romano Martyrologio : attamen existimat, non nisi unam esse eamdemque, dicens ad marginem, Seniorem recenter Martyrologio insertam esse ob auctoritatem Vitæ S. Aspreni, quam* omnino neotericam *nominat. Anno* 1619 *editus est Neapoli libellus, compositus jussu eminentissimi Cardinalis Decii Carafa archiepiscopi Neapolitani, atque hunc præferens titulum :* Catalogus Sanctorum aliquot, ab omnibus ecclesiasticis Neapoli, et per totam diœcesim, Officio de communi imposterum celebrandorum. *In hoc libello ad diem* IV *Septembris* S. Candida *senior celebranda proponitur ritu semiduplici cum commemoratione* S. Candidæ *junioris. Adduntur autem sequentes observationes :* Duas Candidas Neapolitanas habet hac die Martyrologium Romanum, et tamen unam tantum, hoc est, Seniorem hactenus semiduplici Officio coluimus. In posterum ambas uno die venerabimur. Brachium, et dentes aliquot senioris Candidæ habent, ut accepimus, Canonici Regulares in æde S. Petri ad Aram. De ea in Vita S. Aspreni, et in tabulis ecclesiæ Neapolitanæ. Porro S. Candida junior fuit conjugata : vixitque præstanti pietate et fide

C

ante annos mille, hoc est, imperante Mauritio... Extat nobile epitaphium marmori incisum in æde S. Andriæ, ubi et corpus ejus colitur. Inde vero pars ossium ejus ad ædem archiepiscopalem in cappellam Thesauri, pars vero in propinquum templum S. Angeli ad Nidum honorifice translata sunt. *Hæ observationes satis ostendunt, notulam marginalem Castellani exactum non esse; nec seniorem Candidam memorari cœptam occasione Junioris; sed Seniorem cultam esse Neapoli, priusquam Junioris memoria celebraretur. Hoc, inquam, ex datis observationibus sequitur, nisi quis temere affirmare voluerit,* Candidam *juniorem prius a seculo* VII *translatum fuisse ad tempora S. Petri apostoli, atque ita occasionem dedisse alteram* Candidam *comminiscendi. Verum errores tam crassi non præsumendi, aut temere affirmandi; sed solide probandi sunt.*

et monumentis utcumque antiquis,

3 *Quod vero ait Castellanus* S. Candidam *seniorem Romano Martyrologio insertam esse auctoritate Vitæ* S. Aspreni, *eatenus verum est, quod omnia fere, quæ de illa Sancta narrantur, ex dicta Vita sint accepta. Jam illa compendio dedimus ex Ferrario, qui Acta S. Aspreni satis recte est secutus. Verum Vita illa S. Aspreni tam recens non est, quam insinuat Castellanus; ejusque Vitæ auctoritas aliud etiam utcumque fulcitur. Bartholomæus Chiocarellus in Catalogo antistitum Neapolitanorum de prima Vita pag.* 10 *ita loquitur :* Habetur etiam sancti Aspren Vita... sincerrime, etsi rudi stylo nulloque fuco atque orationis elegantia elaborata, sed sincera tantum historica veritate referta, quæ conscripta videtur (si conjecturæ locus est) paulo post Silvestri Papæ et Constantini augusti tempora, quæ antiquis Longobardicis litteris exarata servatur in majoris ecclesiæ Thesauri sacello. Eam Neapolitana ecclesia ab antiquissimis temporibus in Sancti ejusdem ecclesiastico Officio recitare consueverat, in novem lectiones digestam, quod quidem Officium typis editum habetur. *Vitam istam recitat laudatus scriptor, eademque a nobis data est ad* III *Augusta in Aspreno. An autem revera tam sit antiqua, quam eam esse conjicit Chiocarellus, non definio. Attamen stylo satis est simplice et puro; nec dubitari potest, quin sit antiqua; et satis mihi apparet verisimile, scriptam esse aut ante tempora junioris* Candidæ, *aut certe non diu post. At observo, mulierem illam, quæ a S. Petro conversa narratur, quæque nunc* Candida *senior nominatur, numquam nomine proprio vocari, sed solum dici* Vetulam, *aut* Mulierem, *aut* Mulierculam senem. *Hæc autem omissio nominis proprii nonnullam præbet suspicionem, nomen sanctæ illius Mulieris fuisse incognitum, atque ideo* Candidam *vocatam a posteris. Suspicio tamen illa solido caret fundamento : nam scriptor ille nomen* S. Candidæ *omittere potuit, quia de ea non agebat, sed de Aspreno. Deinde omnes scriptores posteriores Sanctam hanc nominarunt* Candidam, *nec ullus affirmat nomen illud esse post mortem Sanctæ datum.*

D

E

in quibus

4 *Habemus vetus Ms., in quo narratur erectio sacelli S. Mariæ de Principio, et in quo repetitis vicibus mentio fit de* S. Candida, *uti et de S. Aspreno. Hoc scriptum a Chiocarello pag.* 25 *ita laudatur :* Vetus historia sanctæ Mariæ de Principio, quæ in solemniis dedicationis ejus ecclesiæ in Officio ecclesiastico, quod priscis temporibus legi consueverat, et in canonicorum archivio asservatur, Longobardis litteris descripta, quam ad verbum fere descripsisse videtur Joannes Villanus Neapolitanus in Chron. Neap. lib. 1 cap. XLI. *Relata quidem hoc Ms. fabulis inquinata videntur, atque idcirco hunc transferenda non censeo, quæ in eo leguntur de constructione et dotatione illius ecclesiæ per Constantinum Magnum. Attamen huc transferam, quæ de* S. Candida *in eo narrantur, quia ob qualemcumque istius scripti antiquitatem saltem valent ad* Candidam *seniorem a juniore distinguendam.* Erat etenim prope dictam cappellam S. Joannis, et prope porticum dicti palatii episcopalis, domuncula, sive cellula cum oratorio seu altari, ubi, dum vixit S. Aspren, illa sancta vetula Candida cælibem vitam duxit. *Mox additur, locum fuisse cultui divino mancipatum* propter devotionem S. Candidæ. *Inferius vero asseritur magnus ibi fuisse concursus populi,* quia illic illa sancta vetula Candida in servitio Dei juxta ecclesiam et palatium dicti antistitis Aspren, vitam finivit. *Nolim quidem illam* Candidæ *habitationem ut certam aut admodum probabilem asserere, quod scripti auctor sit multis seculis posterior, ut patet ex ducatu Spoletino, aliisque locis, quæ in scripto illo designantur nominibus recentioribus*

F

A *centioribus; attamen incredibile apparet, hæc conficta esse de juniore* Candida, *quæ vixit imperante Mauritio, seu sub finem seculi* VI.

nonnulla dicuntur

5 *Mox in eodem Ms. subditur, corpus* S. Candidæ *sepultum fuisse* in ecclesia S. Petri ad Aram, *prout etiam asserunt neoterici. Deinde de miraculis dicuntur sequentia :* Et quia, S. Candida multis effulsit, et quotidie fulget miraculis, ad utilitatem ignorantium non est prætermittendum silentio, quod, si quis molestetur vel infirmetur vitio frigoris, seu quartanæ, simul cum devote biberit aquam lotionis capitis seu ossium dictæ Sanctæ, quod quolibet anno conficitur in die suæ festivitatis, sicut miraculosum vinum S. Antonii, virtute omnipotentis Dei, et meritis præfatæ S. Candidæ, illico convalescit, et protinus liberatur. Quæ quidem aqua, quod est mirabile dictu, virtute Dei per annum et ultra imputressibilis et saporosa servatur. *Ita fere exemplar Ms., anno* 1638. *Neapoli transmissum a Beatillo nostro, qui frequenter in hoc Opere laudatus est. Desumptum autem notatur* ex vetustis codicibus majoris ecclesiæ Neapolitanæ. *At voces* B *nonnullæ ita contractæ et misere exaratæ sunt in meo exemplari, ut legi non potuerint, atque idcirco fuerint omittendæ. Data tamen satis clare leguntur; nec sensus vocum est immutatus. Quod vero hic dicitur de aqua singulis annis benedici solita per reliquias Sanctæ, congruit cum dictis num.* I *a Ferrario.*

de S. Candida seniore.

6 *Chiocarellus pag.* XI *recitat alteram Vitam S. Aspreni, cujus ante me habeo exemplar Ms. sub hoc titulo :* Qualiter B. Petrus apostolus primo venit in civitatem Neapolitanam. *Antonius Caracciolus lib. de Sacris monumentis ecclesiæ Neapolitanæ cap.* 5 *de hoc scripto sic loquitur per conjecturam :* Cujus ego auctorem, si e stylo conjicere liceat, facio Petrum subdiaconum, qui S. Agnelli miracula scripsit... Vixit Petrus subdiaconus, circa annum Christi millesimum ducentesimum. *Chiocarellus de ætate scripti nihil dicit. Ego vero scriptum illud antiquius credo, quia videtur præluxisse Alberico, tertiæ Vitæ auctori, qui scripsit circa annum* 1220 *aut* 1230, *ut videbimus. Porro in dicta Vita de* S. Candida *referuntur omnia, quæ in priori. Quippe relato S. Petri adventu Neapolim, de visa et interro-* C *gata ab eo* Candida *sic habet :* Et disponente Deo *(Petrus Neapolim ingressus)* quandam mulierem satis antiquam illic conspicit transeuntem, quam ad se vocatam percunctatur, si ipsa civis esset civitatis ipsius, et quo nomine vocitetur. Cui respondit se civem esse, et Candidam nominari. Quamque nominatam interrogat de civitatis statu, de civium habitu, de forma morum, de qualitatibus animorum : et quæ eis jura, quæ devotio, quæ leges in cultura Deitatis, quæ in pietate religio *etc. Cum autem ab hisce interrogationibus, quibus* Candida *respondebat, Petrus ad fidei prædicationem progrederetur, et de patratis miraculis mentionem faceret; dixit* Candida *se credituram ea esse vera, si capitis dolore, quo solebat affligi, liberaretur. Petrus continuo fugat divina virtute dictum capitis dolorem. Mulier vero credit, et deinde baptizatur. Missa quoque ad Asprenum ægrotantem a Petro, illum, jubente Petro, sanitati restituit. Hæc ibidem pluribus verbis sunt enarrata.*

de ejus conversione per S. Petrum,

7 *Tertia S. Aspreni Vita quam etiam indicat Chiocarellus, edita est in Italia Sacra Ughelli recusa tom.* 6 *col.* 19 *et sequentibus. Auctor hujus est Albericus quidam, qui eam scripsit ad Petrum antistitem Neapolitanum, ejusque jussu. Petrum II intelligit Ughellus ; cumque illius episcopatum ordiatur anno* 1216, *Vita scripta refertur in editione secunda ad annum circiter* 1230. *Quid porro tertiæ hujusce Vitæ scriptor Albericus præstiterit, ipse indicat in præfatione ad Petrum archiepiscopum hisce verbis ;* Tuis itaque, pater octies beatissime, jussionibus obsecundans, eorum, qui declamatorie in ecclesia plebem alloqui consueverunt, nitor exequi morem. Et in sancti confessoris præconia ea, quæ ipse exarata dedisti, stylo alio intermiscens, ad novem quantitatis mediocris lectionum distinctiones, qualemcumque conabor eructare sermonem. *Vetustiorem igitur Vitam habebat, eamque jubebatur oratorio sermone expolire et amplificare, ut jam clarius supra dixerat, ita scribens :* Imperas, ... ea, quæ de hoc sancto viro breviter, et inculto corruptoque sermone in tomo chartæ mihi exarata dedisti, stylo diffusiori atque excultiori prosequi curem. *Fecit Albericus, quod petebat, atque eadem prorsus, exposuit de Aspreno et* Candida, *quæ in Vitis ante memoratis legimus, sive illas ipsas ante se ha-* E *buerit, sive aliud Ms. antiquum. Ex hisce, opinor, satis liquet* S. Candidam *seniorem non esse desumptam ex Vita plane neoterica S. Aspreni; sed ex monumentis non quidem tam vetustis, ut omnia indubitatam fidem mereantur ; at ea saltem vetustate, ut suspicari non possimus seniorem* Candidam *cum juniore, sub finem seculi* VI *defunctam, eamdem esse. Addit Chiocarellus pag.* 15 *litteras regum Neapolitanorum seculi* XIII *et* XIV, *et Gasparis archiepiscopi Neapolitani anni* 1448, *in quibus omnibus S. Aspren et* S. Candida *a S. Petro conversi dicuntur ; multosque alios pro eadem opinione adducit auctores. Pro eadem quoque sententia, quatenus spectat ad conversionem et episcopatum S. Aspreni, plura apud nos allegata sunt in Aspreno ad diem* III *Augusti.*

AUCTORE J. S.

aliisque ad eam spectantibus ; clare ostenditur,

8 *Antonius Caracciolus supra laudatus cap.* 5 *hæc insuper ad propositum nostrum scribit :* In veteri Ms. Rituali ecclesiæ Neapolitanæ, in Litaniis, quæ pro agonizantibus dicebantur, invocabatur et Candida cum aliis sanctis virginibus. . . . Sed cum in Officio ecclesiastico colatur ut Mulier sancta, talem ipsam fuisse existimamus, quamquam virginitatis corona haud ornatam. *Fa-* F *cile assentior Caracciolo, virginitatem* S. Candidæ *non esse verisimilem, si tam provecta fuerit ætate, dum conversa est a S. Petro, quam ubique in Vita S. Aspreni indicatur : nam virginitas rara erat apud gentiles. De nobili genere et consanguinitate cum S. Aspreno non tam facile Carracciolo consentire possum. Ait ille quidem :* Fuisse vero etiam nobilem, et, ut nonnulli putant, Aspreni consanguineam, apud me certum est : apud aliquos dubium. *At illius certitudinis rationes solidas non allegat. Quod enim aliqui scriptores neoterici affirmarint consanguineam Aspreni fuisse, quodque vulgus ita autumet, ad certitudinem non sufficit, si vetera deficiant monumenta. Plusculum probaret, si satis distinctum et certum esset, quod subnectit his verbis :* Interea tamen non video, cur credere non debeamus Summontio, scriptori sane diligenti ; qui affirmat, se in vetustis Neapolitanæ ecclesiæ monumentis legisse, Candidam fuisse Aspreni consanguineam. *Verum non indicavit, cujus temporis sint monumenta illa, quæ Summontius vetusta vocavit, ideoque nescimus, an sufficiant ad fidem certam faciendam : nam ut certa nobis res* esset,

AUCTORE J. S.

esset, tam monumenti antiquitas quam fides erat probanda, et verba ipsa recitanda.

verisimile non esse, Candidam seniorem eamdem esse cum juniore.

9 *Ex dictis hactenus colligo, nequaquam esse dubitandum, quin* Candida *senior a juniore distinguatur, quod contra Castellanum probare volui. Nam primo perpetua traditio ecclesiæ Neapolitanæ, quæ saltem videtur viguisse a seculo* IX, *habet* Candidam *fuisse conversam a S. Petro, et fuisse occasionem conversionis Aspreni. At nullo modo verisimile est, id creditum fuisse de muliere sub finem seculi* VI *defuncta, cujus nonnulla gesta sunt cognita, et de qua antiquum exstat epitaphium, in quo asseritur obiisse imperante Mauritio. Secundo* Candida *senior passim vocatur* Vetula *: junior vero defuncta asseritur circa annum ætatis quinquagesimum. Tertio Senior invocata fuit olim cum virginibus, teste Caracciolo; et in vetusto monumento, aut saltem ætatis mediæ, adducto num.* 4 *dicitur* cælibem vitam *duxisse, verisimiliter quia erat vidua. At junior nec virgo credi poterat nec vidua, cum constet mortuam esse ante maritum. Quarto Senioris reliquiæ servantur in Ara Petri, ibique sepulta* B *creditur. Junioris vero corpus est in ecclesia S. Andreæ ad Nidum. Quinto demum nulla umquam fuit in Actis utriusque confusio, nec gesta unius alteri leguntur attributa : nec ullus umquam ante Castellanum, quod quidem noverim, ex duabus unam facere voluit, aut de distinctione dubitavit, nec ullum sane invenio dubitandi fundamentum; ita ut existimem ex sola gestorum utriusque ignorantia id asseruisse Castellanum, quod non inveniret duas olim Neapoli fuisse cultas.*

Gesta Sancta

10 *Demum, ut huic Commentario finem imponam, subjungo ex Vita S. Aspreni, data apud nos ad* III *Augusti, omnia illa, quæ ad* S. Candidam *spectant, ut ex iis pateat, quid additum sit a Ferrario.* Princeps Apostolorum Simon Petrus, Antiochensi fundata ecclesia, Romam accedens, ad mœnia urbis Neapolitanæ transeundo pervenit : ubi longo fatigatus itinere, quiescens paululum, quamdam Mulierculam senem transire conspexit. Sciscitatur ab ea de civitatis statu, de civium habitu, de forma morum, de qualitatibus animorum : quæ eis vita, quæ leges, quæ legum cerimoniæ, quæ in Dei- C tatis cultura devotio, quæ in pietate religio eis inesset : et, si alicujus novæ sectæ ratio inconvincibilis innotesceret eis, si proni fierent ac mobiles susceptores. De sua quoque conditione, quo instigante maturet ab urbem, Mulierculæ narravit eidem : quæ nova ferat, quæ invisa, quæ inaudita et felicia modernis tunc temporibus emerserint, euangelizans Christum, seriatim adaperit, . . . signa et prodigia Christi, visa per eum, narrans eidem. Ad quod dictum Petri Vetula silentium rumpens, ait : Tenebo certa, et credam indubia, si ejus, quem tantis effers præconiis, nomine invocato, solutis doloribus meis, D plene mihi fuerit sospitas restituta.

ex Vita S. Aspreni,

11 Tunc Petrus, Christi nomine invocato, inquit : Tibi, qui hanc crucias Vetulam impie, morbe pestifer, effuge, evanesce ; et evacuare in nihilum, illius nomini dans honorem, cui est cum Patre et vivifico Flamine par virtus, æqualis honor, gloria concors, majestas eadem per omnia secula seculorum. Cumque Christicolæ, Petri secuti vestigia ab Antiochenis finibus, respondissent, AMEN, Vetula protinus est sanata, et miratur, tam repente sese tam subito innovatam, et alteram factam ex altera. Credidit Mulier, et regenerantis liquoris baptismi rore perfunditur salutari, et dicit Mulier Petro : Habeo amicissimum quemdam, nomine Aspren, atrocissimo morbo quassatum, hominem benignum, pium, modestum, sobrium, et religiosum : . . . qui si sanari per te poterit, fidem, quam prædicas, statim recipiet; ejusque assertor idoneus, defensor robustus et propugnator existet. Tunc Petrus Vetulæ dixit : Vade propere, et manu apprehensa Aspren, dicas ei : Petrus Jesu Christi E in Judæa crucifixi discipulus, mandat tibi, ut, ægritudine vanescente, ad sanitatem pristinam continuo reformeris. Et veniens Muliere ad Aspren, vix præcepta Petri complens, *(id est, compleverat, cum)* e vestigio est sanatus. *Hactenus de* Candida, *nec plura in Vita S. Aspreni. Hæc vero eodem prorsus modo, sed pluribus verbis enarrantur in duabus aliis Vitis.*

quibus nonnulla addiderunt neoterici.

12 *Quapropter ignoro, unde neoterici, et cum ipsis Ferrarius, hauserint, S. Petrum* Candidæ *tradidisse baculum suum, dum mittebatur ad sanandum Asprenum. Similiter ignoro, unde diem emortualem acceperit cum aliis Ferrarius; et quo fundamento Caracciolus annum emortualem tamquam certum asserat his verbis :* Obiit Candida bonorum meritis cumulata anno Christi LXXVIII, Lini Papæ IX. *Vehementer suspicor diem et annum obitus prorsus fuisse ignotum; sed asseri deinde cœpisse mortuam esse die* VI *Septembris, quia eo die colitur; diem autem* IV *Septembris pro festivitate ipsius electum esse, quod illo die obierit et colatur* Candida *junior, de qua inferius agemus. Verum annus a Caracciolo assertus non modo mihi incertus apparet, sed parum etiam* F *probabilis. Quippe, si Vetula fuit tempore conversionis, non est verisimile, eam deinde superfuisse ad annos fere triginta quatuor, uti sequeretur ex calculo Caraccioli. Hisce de causis annum emortualem fixi modo quodam vago post medium seculi* I. *Demum si quis voluerit exquirere, an omnino certa videantur, quæ de* S. Candida *sunt recitata ex Vita S. Aspreni; candide fatebor Vitam S. Aspreni nec tam antiquam esse nec tam accurate scriptam, ut omnia pro omnino certis haberi debeant; at ceteris saltem esse probabiliora.*

DE

A D

DE SANCTA HERMIONE

FILIA SANCTI PHILIPPI

EPHESI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

Sanctæ memoria in Fastis : utrum fuerit filia S. Philippi apostoli an Diaconi ? Acta fabulosa ex Menæis edenda.

Circa CXVII, ut fertur. Memoria Sanctæ in Fastis Græcis :

Græci hac die annuntiant in variis Fastis S. Hermionem *filiam S. Philippi apostoli : Philippum tamen diaconum claris verbis in plerisque designant, apostolum illum vocantes.* B *Menologium Sirletianum ita habet* : Item sanctæ Hermiones, quæ fuit una ex quatuor filiabus Philippi, qui Candaces reginæ eunuchum baptizavit. Hæc sancta Hermione sub Trajano imperatore pro Christiana confessione forti et constanti animo perferens tormenta, multis editis miraculis, migravit ad Dominum. *Allegatum elogium non omnino congruit cum Menæis, nec cum Menologio Basilii imperatoris jussu edito, in quo hæc leguntur ad* IV *Septembris* : Eodem die certamen sanctæ martyris Hermiones, filiæ sancti Philippi apostoli : *atque hoc subditur Elogium* : Sancta martyr Hermione, filia Philippi apostoli, floruit Trajano imperatore. Habuit autem sororem nomine Eutychen, cum qua Ephesum perrexit, ut Joannem theologum adorarent : non tamen invenerunt eum : translatus enim jam fuerat. Venit autem et Trajanus imperator Ephesum ad Persicam expeditionem, audivitque nomen Hermiones percelebre ac venerandum, eo quod C prophetico esset afflata spiritu. Comprehensam igitur cum a Christi cultu abducere non posset, jubet illi alapas incuti : cui Dominus apparens addidit animum, confirmavitque, ut tormenta fortiter perferret. Sed paulo post a Trajano dimittitur, quod ei prædixisset fore, ut de Persis triumpharet. Adrianus vero gener et successor Trajani comprehensam iterum cogit Christum abnegare, idolisque sacrificare. Quod cum illa facere renuisset, jussit amputari ejus caput. Arescentibus vero carnificum manibus, ipsi etiam in Christum crediderunt, atque una cum illa capite plexi sunt.

quorum elogia non consonant in omnibus.

2 *In hisce elogiis manifesta est discrepantia, cum in posteriori asseratur mors violenta, in priori tormenta quidem memorentur tolerata, sed mors iis illata non dicatur. In elogio ex Menæis dando Sancta rursum torta dicitur sub Adriano, damnataque capitis. Verum cum manus carnificum exaruissent, hi conversi asseruntur, et Sancta in eodem loco* in pace defuncta. *Quid ex hisce appareat probabilius, infra investigabimus. Interim corrigi debet asserta hic, uti etiam in Menæis, translatio S. Joannis apostoli, quæ nonnullis olim placuit; sed satis certum est obiisse S. Joannem, uti obierunt alii Apostoli. Annuntiatio, quæ præponitur in Menæis, martyrium non indicat, uti nec versiculi sequentes. Verba Græca accipe* : Τῃ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τῆς ἁγίας Ἑρμιόνης, μιᾶς τῶν Θηγατέρων Φιλίππου τοῦ ἀποστόλου. Eadem die memoria sanctæ Hermiones, unius e filia- E bus Philippi apostoli.

Χωρεῖ πρὸς αὐτοὺς οὐρανοὺς Ἑρμιόνη,
Ἑρμαίον εὑρηκῦα τὴν σωτηρίαν.
Abit ad ipsos cælos Hermione,
Stabilem consecuta salutem.

Ferrarius in Catalogo generali Herminam *vocat, et de ea sic habet* : Apud Hierapolim Phrygiæ sanctæ Herminæ martyris, filiæ S. Philippi discipuli sub Trajano. *Verum nec nomen Sanctæ, nec locum martyrii, hic recte expressit Ferrarius, quod non videatur consuluisse, nisi Menologium Sirletianum, illudque exacte non fuerit secutus, sed suas adjunxerit conjecturas. Accuratius mentem Græcorum expressit Castellanus in Martyrologio universali, Sanctam sic annuntians* : Ephesi sanctæ Hermiones, quam Græci faciunt filiam S. Philippi apostoli, et martyrem sub Adriano. *Hæc latius dicuntur in Basiliano Menologio jam laudato, et in elogio ex Menæis recitando.*

Dubitatur, utrum Hermione sit Philippi apostoli an diaconi filia ;

3 *Verumtamen duplex ex laudatis monumentis oritur dubitatio, nimirum utrum* Hermione *censenda sit filia Philippi apostoli, unius ex duodecim, an vero Philippi diaconi, qui etiam a promulgato Euangelio* Apostolus *subinde vocatur, maxime apud Græcos. Horum Fasti, cum* F *dicant filiam fuisse Philippi, qui baptizavit eunuchum Candaces reginæ, non obscure designant Philippum diaconum, de quo id narratur Act.* 8, *quique revera quatuor habuit filias* virgines prophetantes, *sicut Act.* 21 ℣ 8 *legitur. Verum aliqui scriptores neoterici magis credunt epistolæ Polycratis sub finem seculi* 2 *Ephesini episcopi ad Victorem I Romanum Pontificem. Hanc Epistolam laudarunt Eusebius, S. Hieronymus et Rufinus, citati apud nos ad* I *Maii in S. Philippo apostolo* § 2. *Satis erit huc fragmentum transferre ex S. Hieronymo, qui non exiguam illius Epistolæ partem recitat in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum in Polycrate, hujus verba sic exprimens* : Etenim in Asia elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die Domini, quando venturus est de cælis in majestate sua, et suscitaturus omnes Sanctos, Philippum loquor de duodecim Apostolis, qui dormivit Hierapoli, et duas filias ejus, quæ virgines senuerunt ; et aliam

AUCTORE J. S.

aliam ejus filiam, quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit. *Dubitari vix potest, quin filia illa Philippi apostoli, Ephesi defuncta, si ipsa* Hermione, *de qua agimus. Atqui manifeste asserit Polycrates eam fuisse filiam Philippi, unius ex duodecim Apostolis. Si igitur Polycrati episcopo Ephesino, circa finem seculi 2 scribenti de Sancta Ephesi defuncta, volumus fidem adhibere, necessario dicendum est,* Hermionem *fuisse filiam Philippi apostoli : nam Philippo apostolo varias fuisse filias, etiam scripserunt Clemens Alexandrinus, aliique a Florentinio, Henschenio et Tillemontio laudati. Verum hæc infra paulo latius tractabuntur.*

item an virgo sit et martyr.

4 *Quæri deinde potest, an* Hermione *virgo fuerit; et an martyr, uti asserunt rursus Græcorum Fasti : utrumque enim videtur ambiguum. Adducta verba Polycratis filias Philippi, quæ Hierapoli obierunt,* virgines *fuisse docent; at de virginitate illius,* quæ Spiritu sancto plena in Epheso occubuit, *prorsus tacet Polycrates, illudque silentium tanto majorem suspicionem ingerit, quanto expressius aliarum virginitatem eodem lo-* B *lo declarat. Ambiguitatem auget Clemens Alexandrinus, qui lib. 3 Stromatum ait :* Philippus autem filias quoque suas viris tradidit. *Hæc, inquam, virginitatem* S. Hermiones *ambiguam faciunt. Responderi tamen potest, Polycratem non negare virginitatem* Hermiones; *sed de ea solum tacere, quod aliunde satis esset commendata* Hermione. *At hæc responsio non poterit omnem de ipsius matrimonio suspicionem tollere. Poterit quoque elevari auctoritas Clementis Alexandrini, quia hic in alios subinde errores incidit; at ostendi certo non poterit, eum errasse in verbis allegatis. Id tamen certum est, Clementem non debere intelligi de omnibus filiabus Philippi apostoli, quando dicit maritatas fuisse, cum certe duæ permanserint virgines; ideoque necesse non esse, ut illa ipsius verba de* Hermione *explicentur : plures enim filias habere potuit Philippus, prout septem ei filias attribuit Menologium Basilii imperatoris; atque ex illis maritatæ manere potuerunt in Palæstina, virgines vero in Asiam proficisci. Itaque de virginitate* Hermiones *nihil certi potest statui ab illis, qui existimant fuisse filiam unius ex duodecim Apostolis. At fuisse probabilius filiam diaconi, et consequenter virginem* C *mox probabo. Martyrium æque incertum redditur ex allegatis verbis Polgcratis, atque ex silentio antiquorum omnium; præsertim quia Polycrates in eadem Epistola titulum martyrii non omisit de omnibus Sanctis, quos in Asia mortuos scribit : sed S. Joannem Euangelistam, Polycarpum, Thraseam, et Sagarem* martyres *nominat. Martyrum igitur* Hermiones, *quod modo parum probabili in Menæis et Menologiis refertur, videtur incertum, cum nequeat probari satis certo.*

Duo Philippi olim ab aliquibus fuere confusi :

5 *Porro varii scriptores existimarunt, filias Philippi diaconi per errorem attributas esse Philippo apostolo; alii contra contendunt, utrique Philippo nonnullas fuisse filias. Quapropter operæ pretium erit, si examinavero paulo uberius ambiguam hanc controversiam. Valesius in Annotationibus suis ad Historiam ecclesiasticam Eusebii lib. 3 cap. 31 primo observat, verba Eusebii non recte fuisse Latine expressa a Christophorsono,* qui pro Philippo uno ex duodecim Apostolis, Philippum unum ex septem diaconis substituit. *Sequens tamen illius sententiam, hæc subdit :* Vetus quidem hic error fuit, ut Philippum diaconum et euangelistam cum Philippo apostolo D confunderent. Et quia in Actibus Apostolorum cap. XXI Philippi euangelistæ quatuor filias virgines prophetasse legerant, Philippum apostolum conjugem habuisse et filias suscepisse dixerunt. Ita præter Polycratem Clemens Alexandrinus supra in capite XXX, et Papias infra. Verum ex Actis Apostolorum manifeste colligitur Philippum diaconum eum, a quo eunuchus baptizatus est, et qui quatuor habuit filias prophetantes, alium fuisse a Philippo apostolo. Vide Isidorum Pelusiotam in libro primo epistola CDXLVII et sequentibus, ubi id apertissime demonstrat. *Hactenus Valesius, non dubitans Polycratem, Clementem Alexandrinum et Papiam erroris arguere, acsi Philippum apostolum et Philippum diaconum confudissent. Difficulter sane credere possem, duorum Philipporum dictinctionem scriptoribus tam antiquis fuisse incognitam, nisi Isidorus Pelusiota illius confusionis fidem faceret, et nisi Eusebius ipse occasionem præberet suspicandi, se non prorsus fuisse immunem ab illa confusione, quam ei attribuit Florentinius. Verumtamen forsan necesse non erit confusionem Phi-* E *lipporum agnoscere; sed satis erit, si dicamus filias unius alteri attributas.*

et probabilius est, diaconi filias Apostolo fuisse attributas :

6 *Varia sane præter opinionem in hac quæstione se mihi obtulerunt; nam dum sententiam de filiabus Philippi apostoli, primo traditam a Florentinio, confirmatamque ab Henschenio et a Tillemontio, quam omnino veram et satis certam existimabam, diligenter versabar, ut eam, si fieri posset, novis rationibus firmarem; contrariæ potius rationes occurrerunt, dubitationemque satis vehementem de veritate illius sententiæ mihi ingesserunt, præsertim quia Eusebius contrariæ magis favet sententiæ, atque ita occasionem præbet suspicandi filias illas Philippi apostoli ex sola confusione ortas. Henschenius ipse nonnihil de veritate suæ opinionis se dubitasse ostendit in Philippo, dum ad hunc locum remittit num. 16, ut, si erratum fuerit, hic emendetur. Nolim tamen prorsus asserere, erratum fuisse, aut sententiam de filiabus Philippi apostoli falsitatis arguere; at solum ostendam incertam saltem esse, et opposita sententia minus probabilem : atque istud evincent, opinor, rationes mox dandæ. Ut autem clarior sit disputatio, quæ certa* F *apparent, breviter præmittam. Primo satis certum est, Philippum apostolum sepultum esse Hierapoli, ibique etiam sepultas aliquot virgines filias alterutrius Philippi, harum vero sororem Hermionem Ephesi sepultam esse. Secundo facile admittam, Polycratem favere adversariis, nisi locus ipsius sit corruptus. Hisce positis, momenta utriusque sententiæ ponderare incipio.*

nam Papias, Polycratis, et Proculi verba Eusebius intellexit,

7 *Primus, qui de filiabus Philippi apud Eusebium meminit, est Papias Hieropolitanus episcopus, qui vixit cum discipulis Apostolorum, et multa se ex illis didicisse testatur apud Eusebium lib. 3 cap. 39, ubi Eusebius deinde ad propositum nostrum hæc habet :* Philippum quidem apostolum una cum filiabus Hierapoli degere solitum superius docuimus. Nunc vero quemadmodum Papias, qui iisdem temporibus vixit, mirabilem quamdam narrationem a Philippi filiabus accepisse se refert, exponamus. Scribit enim mortuum sua ætate ad vitam revocatum. *Hæc primo saltem intuitu favent sententiæ de filiabus Philippi apostoli : atque ex hoc fonte haurire potuit Polycrates. Plura habet Eusebius lib. 3 cap. 31, atque ad hunc locum respexit in verbis allegatis.*

AUCTORE J. S.

A *legatis. Adducit ibidem ex epistola Polycratis verba num. 3 data. Postea sic pergit :* Deinde in Dialogo Caii, cujus supra fecimus mentionem, Proculus adversus quem instituta est disputatio, de Philippi ejusque filiarum exitu plane consentiens cum iis, quæ modo retulimus, sic ait : Quatuor posthæc Philippi filiæ prophetides fuerunt Hierapoli Asiæ civitate, ubi etiam earum et patris Philippi sepulcrum visitur. Hæc ille. Lucas vero in Actibus Apostolorum, Philippi filiarum meminit, quæ dono prophetiæ ornatæ, apud Cæsaream Judææ tunc temporis cum patre degebant. „ Venimus, „ inquit, Cæsaream : et ingressi in domum Phi„ lippi euangelistæ, qui erat unus e septem, man„ simus apud eum. Huic autem erant quatuor fi„ liæ virgines prophetantes „ . *Hactenus Eusebius, aut duos Philippos ipse confundens, aut modesta quadam insinuatione aliorum dicta corrigens : nam filiæ quatuor apud Lucam memoratæ sine illo dubio erant Philippi diaconi, ut ipsa verba declarant.*

aut certe explicuit de filiabus Philippi diaconi,

B 8 *Porro Eusebium loqui de iisdem Philippi filiabus, clarum videtur, tum quia Lucam citans, nullam distinctionem insinuat, tum etiam quia ait,* Quæ dono prophetiæ ornatæ apud Cæsaream Judææ TUNC TEMPORIS cum patre degebant, *innuens vocibus* tunc temporis *postmodum alio profectas esse ; sibique easdem videri cum sepultis Hierapoli. Si autem alio fuerint profectæ, uti aliunde quoque verisimile esse videbimus, facilem confusioni occasionem præbere potuerunt ; nec erit, cur tantopere inhærere debeamus auctoritati Polycratis, qui et errare potuit, et ex una tantum epistola innotuit, ita ut scire nequeamus, quam fuerit in scribendo accuratus. Ego sane mecum ita disputo. Vidi Eusebius, quid Papias, quid Polycrates, quid Proculus apud Caium, quid denique Clemens Alexandrinus, de filiabus Philippi dixisset, allatisque omnium dictis, sententiam suam exprimit Lucæ verba allegando de filiabus Philippi diaconi, ut aliorum dicta confirmet. Itaque, si credidit Philippi apostoli filias fuisse, quæ sepultæ erant Hierapoli et Ephesi, utrumque Philippum confudit : quod difficulter credi potest de viro tam docto, præsertim cum alleget verba Lucæ, ubi Philippus*
C *pater illarum filiarum dicitur* unus e septem, *diaconis nimirum. Si vero duos Philippos non confuderit Eusebius, uti est verisimilius, omnia aliorum dicta intellexit de filiabus Philippi diaconi, et Polycratem si correxit. Rufinus vidit mentem Eusebii esse ambiguam, atque ea, opinor, de causa in versione Eusebii lib. 3 cap. 30 Philippum vocat* Apostolum, *reliquis vera* Euangelistam, *etiam in ipsa Epistola Polycratis lib. 5 cap. 24, prout alii jam observarunt, merito conquerentes de infidelitate Rufini in interpretando. Credibile tamen est, Rufinum sic verba Eusebii Latina fecisse, quod existimaret agi revera de filiabus Philippi diaconi, atque idcirco huic sententiæ nonnihil ponderis addidit.*

nisi utrumque Philippum confuderit : quod non est verisimile.

9 *Florentinius in Indiculo Apostolorum pag. 151, et Tillemontius tom. I Monum. Ecclesiast. nota 4 in Philippum, existimant utrumque Philippum ab Eusebio confusum, nisi nimirum auctoritate Polycratis. Audiamus Florentinium, cui Tillemontius adhæret :* Sed hic vereor, *inquit,* ne tam Gaius quam Eusebius Philippum diaconum cum Apostolo ex duodecim confundant, et quatuor in Actis Apostolicis Philippi diaconi filias Cæsaream incolentes cum duabus Apostoli filiis * Hierapoli commorantes * immisceant, et præcipue Eusebius, qui Cæsareæ Judæa * relicta, Hierapolim incoluisse putat filias quatuor Philippi ex septem diaconis, cujus Lucas in Apostolicis Actis meminerit ; cum tamen ex antiquis et oculatis testibus Polycrate et Papia diversissimæ hæc filiæ sint e diversissimis patribus. *Ita ille. At durum mihi videtur de Eusebio dicere, quod non noverit Philippum diaconum ab Apostolo distinguere ; idque, si opus esset, mallem suspicari de Papia et de Polycrate, quorum minor fuit eruditio. Audi, quid ipse Eusebius lib. 3 cap. 39 de Papia scripserit :* Idem præterea scriptor alia nonnulla nudæ vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet Servatoris parabolas, aliaque fabulis propiora. Inter quæ et mille annorum spatium post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter stet in orbe terrarum. Quæ quidem ita opinatus esse videtur Papias ex male intellectis Apostolorum narrationibus . . . Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet : plerisque tamen post ipsum ecclesiasticis scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate sententiam suam tuentibus. *Hæc de Papia Eusebius.* E *Itaque in illum potius cadit suspicio confusionis quam in Eusebium, cum Philipporum distinctio haurienda esset ex Scripturis, quas non multum scrutatus videtur Papias, qui ipse ibidem sic loquens inducitur ab Eusebio :* Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce. *Cur, inquam, Papias confusionis istius auctor esse non potuerit, et Polycratem in errorem inducere, non satis perspicio: neque enim ipse alterutrum e Philippis vidit, cumque uterque vocaretur* apostolus, *filias diaconi apostolo attribuere potuit, etsi eas vidisset; aut certe de illis tam ambigue scribere, ut Polycratem in errorem deduxerit.*

* filiabus
* commorantibus
* forte Cæsarea Judææ

nec magni est facienda Polycratis auctoritas,

10 *Verum ad tuendam sententiam nostram necesse non est Papiam erroris arguere, cum verba illius de filiabus Philippi nullibi sint expressa, et ideo nesciamus, de cujus Philippi filiabus fuerit locutus. Eusebius videtur ipsum intellexisse de filiabus diaconi, uti admittere debuit Florentinus, cum Eusebium confusionis suspectum faciat : et hac forsan de causa Tillemontius Papiæ auctoritate pro sententia sua non utitur.* F *Quapropter tota fere quæstio reducitur ad auctoritatem Polycratis, quam Tillemontius vehementer urget loco indicato, et rursum tom. 2 nota 6 in Philippum diaconum, ubi tamen fatetur ei adversari verba Proculi in Dialogo Caii ex Eusebio ante citata. At lubet quærere, cur tanti facienda sit auctoritas Polycratis, qui integro seculo scripsit post mortem utriusque Philippi, et octoginta aut pluribus annis post mortem filiarum, de quibus disputatur, nisi ad insolitam ætatem pervenerint ? An tanti momenti est unicum illud fragmentum epistolæ, ut credere oporteat scriptorem fuisse errori non obnoxium ? At illud ipsum fragmentum exiguam eruditionem aut peritiam rerum in Asia duobus primis seculis gestarum insinuat ; cum dubium non sit, quin longe plures magni viri intra illud tempus in Asia vitam finierint, quam quos recenset Polycrates. Majorem sane audaciam in asserendo et jactantiam epistola illa exhibet, quam veritatis curam. Ait se cum fratribus tot orbe dispersis sermones sæpe contulisse, et se cum Asiæ episcopis* verum ac genuinum *Paschæ agere* diem, *videlicet* cum Judæorum

AUCTORE J. S.

dæorum populus fermentum abjiceret. *At certum est, id eum non didicisse ex collatione cum fratribus toto orbe dispersis: nam teste Eusebio, lib. 5 cap. 23 Synodus congregata in Palæstina, et altera Romæ, episcopi Ponti, et Galliæ, ecclesiæ Osdroënæ provinciæ, episcopus Corinthiorum pluresque alii, omnes unanimi voce declararunt Pascha celebrandum esse die Dominica Resurrectionis, uti in reliquis* totius orbis *ecclesiis fiebat.*

quam Eusebius, Hieronymus et Rufinus sequi noluerunt :

11 *Quod vero spectat ad auctoritatem Polycratis in re, de qua agitur; ei credidisse non videntur Eusebius, Hieronymus et Rufinus, etiamsi omnes epistolam ipsius viderint. Eusebius, ut jam vidimus, Philippi diaconi filias memorat, ut explicet Papiæ, Polycratis, Proculi et Clementis Alexandrini verba. Hieronymus autem lib.* I *adversus Jovinianum ait:* Quamquam, excepto apostolo Petro, non sit manifeste relatum de aliis Apostolis: et quum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet. *Fateor quidem Hieronymum* C *hic agere de sola Scriptura, in qua nihil scriptum est de uxore Philippi apostoli. At nec probi nec honesti viri erat, nedum sancti, ex silentio Scripturæ inferre velle reliquos Apostolos uxoribus caruisse, si Polycrati, filias Philippi apostoli memoranti, fidem certam habuisset Hieronymus. Rufinus vero sententiam suam fecit manifestam in versione Eusebii, dum omnibus locis, ubi de Philippi filiabus agitur, pro* Apostolo *Euangelistam substituit, uno loco excepto, ubi* Apostolum *nominat, sed non addit* de duodecim, *ut ille ipse locus sit ambiguus, et de diacono intelligi possit, imo et debeat propter alios locos. Verum, inquiet aliquis, cur igitur nec Eusebius, nec Hieronymus, quando verba Polycratis adduxerunt, errorem illius indicarunt? Respondeo id eos non semper facere solitos; Eusebium tamen id etiam adductis Lucæ verbis modeste fecisse. Quapropter si Eusebius, Hieronymus et Rufinus, quibus addi potest Proculus cum Caio disputans paucis annis post scriptam Polycratis epistolam, hujus assertioni manus non dederunt, nec nobis id faciendum esse existimo, præsertim cum varia sint, quæ confusionem faciant verisimilem.* C

nec obstat sententiæ nostræ, quod Philippus cum filiabus antea habitaverit Cæsareæ,

12 *Attamen objicit Florentinius, cui Henschenius et Tillemontius consenserunt, Cæsareæ, non Hierapoli fuisse domum Philippi diaconi ejusque filiarum, idque certum est ex Actibus Apostolorum cap.* 21 ỳ 21 *pro anno circiter* 58, *quo Paulus eo venit. At incertum est ex Scriptura, an Philippus ibidem cum filiabus suis manserit. Ostendere et illud conantur ex S. Hieronymo, qui in Epitaphio S. Paulæ refert eam venisse Cæsaream,* in qua Cornelii *(centurionis)* domum, Christi vidit ecclesiam; et Philippi *(diaconi)* ædiculas et cubicula quatuor virginum prophetarum. *Verum non video ex visa domo Philippi, et cubiculis filiarum ipsius, recte inferri, Philippum cum filiabus Cæsareæ usque ad mortem permansisse. Rectius id inferretur, si diceretur sepulcrum ipsorum ibi fuisse visum; sed de sepulcro ipsorum tacet Hieronymus. Illud autem silentium Hieronymi de sepulcro aut reliquiis S. Philippi ejusque filiarum majoris mihi momenti apparet, ad negandum eos ibidem mortem oppetiisse, quam sit visio domus et cubiculorum ad mortem eorumdem Cæsareæ attribuendam. Quippe sepulcra Sanctorum studiose frequentabant, sacrosque eorum cineres religiose venerabantur* D *sanctæ illæ mulieres. Audi Paulam ipsam et filiam ejus Eustochium scribentes ad Marcellam Epist. inter Hieronymianas in editione Martianæi* 44, *olim* 17, *ubi sic habent:* Et martyrum ubique sepulcra veneramur, et sanctam favillam oculis apponentes, si liceat, etiam ore contingimus. *Deinde inter Romanæ urbis decora recensent* trophæa Apostolorum et martyrum; *sed præferentes Palæstinam ob pretiosa Domini monumenta, quæ ibidem venerari poterant, ita loquuntur:* Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare?... Samariam pergere, et Johannis Baptistæ, Elisæi quoque et Abdiæ pariter cineres adorare?

sed potius favet, quod non legatur ibidem mortuus aut sepultus cum iisdem :

13 *Aliorum quoque sepulcra ibi recensentur, uti et fons,* in quo Philippo eunuchus est tinctus. *At, omissis pluribus, quærere liceat, an verisimile appareat, domum Philippi et filiarum in veneratione fuisse fidelium, sepulcrum vero in oblivione, omnino Cæsareæ Philippus cum filiabus mortuus esset et sepultus? Huic igitur opinioni allegata S. Hieronymi verba magis adversantur quam favent. Præterea non exigui* E *momenti est silentium Eusebii, aut potius locus ejusdem ante allegatus, in quo sepulcrum filiarum Philippi diaconi statuere videtur Hierapoli, locum sic explicante ipso Florentinio. Quis credat Eusebium, qui in eadem urbe cathedram episcopalem diu tenuit, ignorare potuisse Philippum et filias ipsius defunctas esse Cæsareæ, si ibidem revera obiissent? An domus Philippi et filiarum tanti fiebat, ut piis peregrinis ostenderentur; Philippus vero ipse cum filiabus ita negligebatur, ut Eusebius ipse ignoraverit eos in sua ecclesia fuisse defunctos? Tanti sane non est epistola Polycratis, ut id mihi faciat verisimile aut credibile. Accedit, quod Græci in Menologio suo affirment, Philippum fuisse episcopum Trallensem in Asia minore: cumque Act.* 21 ỳ 8 *vocetur* euangelista, *dubitari non potest, quin fidem prædicare perrexerit, sicut jam cœperat Act.* 8, *quando eunuchum baptizavit. Si autem fidem prædicare perrexerit, uti dixi, vix etiam dubitari potest, quin episcopus fuerit ordinatus, et filiabus quoque suis usus fuerit ad privatam mulierum instructionem: nam illæ verisimiliter* prophetantes *vocantur magis a cura* F *instruendi mulieres, quam a futurorum prædictione, licet hanc quoque gratiam ipsis negatam asserere nolim. Ex omnibus hisce admodum est verisimile, filias Philippi cum patre suo in Asiam profectas esse, ad eum in prædicatione Euangelii juvandum. Nec obstat, quod anno* 58 *adhuc Cæsareæ cum patre degerent: nam potuit eas ibidem detinere pater, donec ætate essent tam provecta, ut sine alicujus offensione aut periculo castitatis comitari possent; et tunc demum eas secum ducere.*

Baronii de hisce dubitatio :

14 *Baronius, consideratis omnibus, quæ de Philippi apostoli et diaconi filiabus relata sunt apud antiquos, ad annum Christi* 58 *ambiguitatem suam ita declarat:* Quid in his ambiguis dicendum sit, non habemus; nisi quod, quæ dicuntur de Philippi diaconi filiabus, iisdemque virginibus, ex divina Scriptura sibi vendicant auctoritatem: quæ autem de filiabus apostoli ab aliis sunt relata, ex incerto feruntur auctore, et nominis errore jactata putantur; dum, quæ sunt Philippi diaconi, Philippo apostolo sunt adscriptæ, cum præsertim ingenue profiteatur Hieronymus, nullam haberi certitudinem, præter Petrum,

AUCTORE J. S.

A Petrum, aliquem alium Apostolorum conjugio obligatum fuisse. Porro Clementis de nuptiis filiarum Philippi assertio omnium attestatione rejicitur; cum quotquot de his agunt scriptores, omnes ex æquo easdem virgines nominent. *Hactenus Baronius, cujus sententia sustineri nequit, si Philippum diaconum cum filiabus Cæsareæ mortuum credamus et sepultum. At id jam abunde est refutatum.*

Clementis Alexandrini assertio incerta est, nec certo nobis contraria:

15 *Quod vero ait de rejecta ab omnibus Clementis Alexandrini assertione, locum non habet hoc tempore: nam Tillemontius ex eo loco probare nititur Clementem agere de filiabus Philippi apostoli. Argumentum ejus ita formatum est. Clemens asserit aliquas Philippi filias esse nuptas: at filiæ Philippi diaconi erant virgines: de filiabus igitur Apostoli loquitur Clemens. Verum suggerit ipse Tillemontius aptum responsum, dum observat dici posse aliam quamdam Philippi diaconi filiam nuptam fuisse, a quatuor virginibus distinctam: Scriptura enim nullibi asserit, non fuisse plures Philippo diacono filias. Hæc sane responsio inepta non est, si tamen credatur necessaria:* B *nam Clemens nuptiarum causam agens, facile aliquid pro nuptiis asserere potuit, quod nec certum erat, nec idoneo fundamento nixum, uti alia plura asseruit, quæ passim ut falsa rejiciuntur. Itaque ratio Tillemontii ex Clementis auctoritate petita duobus nititur principiis æque incertis: incertum enim est, an vera sit Clementis assertio; et incertum, an sit de Apostolo intelligenda. Totum vero ipsius argumentum corruit, si alterutrum sit falsum.*

quo modo confusio oriri potuit, qua filiæ Philippi diaconi Apostolo fuerint attributæ:

16 *Quapropter malim suspicari, omnia illa, quæ de filiabus Philippi apostoli dicuntur, ex sola confusione esse nata, et filias esse Philippi diaconi, quarum duæ Hierapoli, tertia Ephesi, et quarta loco nobis ignoto sit sepulta. Ita enim intelligemus, memoriam illarum Virginum, quæ celebres fuerunt in vita, non fuisse oblivioni datam post earum obitum. Quo autem modo omnia facile contingere, et dicta confusio oriri potuerit, paucis explico. Philippus diaconus post annum* 58 *profectus fuerit in Asiam ad prædicandum Euangelium, comitantibus eum filiabus: factus tum fuerit Trallensium episcopus, ut asserunt Græci. Eo autem defuncto ante Philippum* C *et Joannem apostolos, quos diu superfuisse constat, potuerunt filiæ ipsius se partim ad Philippum apostolum, partim ad Joannem conferre, ut istis assisterent, et sic partim Hierapoli, partim Ephesi vitam finire. Imo incredibile non est, eas, vivente patre, se aliis Apostolis junxisse, ut iis servirent, quod pro patris sui servitio una sufficeret. Verum, quandocumque id factum fuerit, verisimile est eas Ephesum et Hierapolim venisse, ut dictis Apostolis opem ferrent; atque ea occasione ab aliquibus habitas fuisse pro filiabus Philippi apostoli, quod hic Hierapoli obiisset; quodque Philippus diaconus etiam* Apostolus *vocaretur. Demum aliis similibus modis confusio induci potuit; et confusionem revera in hisce Philippi filiabus esse, satis ostendunt verba Eusebii, qui assertiones aliorum admodum diversas collegit, acsi invicem consentientes essent, et de Philippi diaconi filiabus exposuit. Huic igitur sententiæ, non quidem ut certæ, sed tamquam probabiliori malim adhærere.*

Acta ex Menæis edenda, in quibus multa sunt fabulosa.

17 *Quod spectat ad Acta* S. Hermiones *in Menæis relata, illa multis haud dubie fabulis inquinata sunt, licet fieri possit, ut verra nonnulla falsis sint immixta. Dicitur in illis Sancta primum passa sub Traiano; sed ab eo post aliquot cruciatus libera dimissa. Deinde vero rursum capta jussu Adriani, multisque tormentis tentata demum obiisse. Verum tam mirabilibus res tota vestitur adjunctis, ut nullam mereantur fidem, quæ de martyrio referuntur. Deinde cum Adrianus imperium adeptus sit anno* 117, *ad ætatem admodum longævam pervenire debuit Hermione, ut viveret usque ad imperium Adriani. Id tamen incredibile non est, cum Papias, qui Apostolos ipsos non vidit, sed solum Apostolorum discipulos, ex filiabus Philippi se aliquid didicisse asserat, ita ut illæ diu post Apostolos videantur fuisse superstiles. Hac de causa mortem Sanctæ fixi circa annum* 117 *cum multa latitudine, et additis vocibus,* ut fertur, *quia epocha illa incertior est, quam ut indubitanter sit asserenda. Acta, licet fabulis inquinata, ut dixi, ex Menæis Latine reddita per Raderum Societatis nostræ subjungo.*

ACTA

E

Ex Menæis Græcis

Interprete Matthæo Radero S. J. in Opere Ms.

Vita Sanctæ Ephesi: coram Trajano colaphis cæditur,

Sanctissimus apostolus Philippus, qui Candacen *a* baptizavit, quatuor habuit filias, quas Euangelista Lucas prophetidas et virgines fuisse testatur. E quibus Hermione et Eutychis *b* in Asiam profectæ quæsiverunt S. Joannem theologum. Quo non reperto, quod a Deo, sicut Enoch et Elias, translatus *c* esset, invenerunt Petronium *d* S. Pauli apostoli discipulum, a quo institutæ *e* vitam quoque illius imitabantur. Hermione autem medicinæ operam dedit *f*, ad quam magna hominum copia confluxit, quos illa invocato Christi nomine *g* omnes curavit. Trajano *h* autem imperatore, cum in Persas iret, Asiam transeunte, delata est apud illum S. Hermione, quod Christiana esset. Ergo adductum ad se blandis verbis conabatur circumvenire, et a Christo abducere. F Sed cum frustra esset, jussit illam per aliquot horas colaphis objurgari.

ac deinde libera dimittitur. Coram Adriano rursum torta,

2 Sed Hermione, cum videret Christum pro tribunali, in habitu et forma Petronii residere, atque illam alloquentem et ad constantiam hortantem, verbera pro nihilo duxit. Itaque imperator, spectata illius animi firmitudine, roboreque et constantia, verecundatus dimisit illam. Tunc Sancta publicum aperuit in Asia hospitium, in quo omnes qua spiritu qua corpore, consolabatur et juvabat. Eratque illic videre Deum ab mortalibus laudari ac celebrari, quoad vixit Trajanus: quo ex humanis sublato, cum et Hadrianus *i* gener ipsius in imperium successisset, audissetque de illa, per satellites illam ad se deduci imperavit: quam allocutus, Dic mihi, inquit, anicula, quot es annorum? et unde genus trahis? et cujus auctoritate vivis? Et Sancta: Quot, inquit annorum sim, et unde genus ducam, Christus meus novit. Ergo imperator; Devestite illam et cædite *k* ac monete, ut quærenti imperatori modeste et reverenter respondeat. Cumque atrociter cæderetur, illa Dominum

Ex Menæis.

minum publice laudabat : cumque defecissent lictores, imperavit aliis, ut plantis pedum ipsius fibulas subjicerent.

variisque cruciatibus nequidquam tentata,

3 Quo facto, Sancta Deum adhuc amplius collaudabat. Quo magis incensus tyrannus, jussit ahenum plenum pice, plumbo, bitumine et sulphure incendi, Sanctamque in illud injici. Cumque jam vehementer arderet, Sancta sublatis in cœlum oculis, factoque signo crucis, lebetem ingressa est, et ignis subito extinctus, et liquatum plumbum effusum est. Quo viso tyrannus, Incendite, inquit, lebetem, donec ossa illius in cinerem redigantur. Ergo qui ignem igni addebant, viderunt Sanctam tamquam in rore stantem : et Sancta ad tyrannum, Vivit, inquit, Dominus Deus meus, quemadmodum tu sedes, et non sentis ardentis aheni ignem, ita nec ego. Quo dicto, imperator attonitus præ admiratione surrexit e throno, et admota ad lebetem manu, subito cutis una cum unguibus decidit a manu. Tunc Sancta exclamavit : Magnus Deus Christianorum. Et tyrannum amplius ira inflammavit. Curavit ideo sartagi-
B nem incendi, ut scintillæ passim exilirent, in quam Sanctam prorsus omni veste spoliatam projecerunt. Sed angelus Domini, qui cum ipsa erat, flammam utrimque divisam dissipavit, ita ut multi, qui juxta sartaginem deprehensi erant, incenderetur. Illa vero in sartagine quasi in tepenti horti viridario versabatur, Deumque laudabat.

idola precibus dejicit et comminuit : demum capitis damnata,

4 Quod cum Hadrianus imperator coram spectaret, tam inusitato prodigio exterritus contremuit, jussitque Sanctam extrahi, veritus ne et ipse pabulum ignis fieret. Extracta Sancta imperatorum allocuta est : Imperator, inquit, Dominus meus, cum in sartagine torrerer, immisit mihi somnium, et videbar adorare magnum Herculem. Lætus hoc somnio imperator statim jussit illam duci ad fanum Herculis, quod illa ingressa, invocata clam Dei clementia, statim tonitru ingens e cœlo infremuit, et idola omnia humi fusa et comminuta sunt, et quasi in cinerem redacta. Egressaque fano Sancta, Ingredere, inquit ad imperatorem, et porrige diis tuis auxiliatricem manum, quia conciderunt, et non possunt amplius surgere. Ingressus imperator fanum, visisque diis suis et idolis dejectis et contritis, præ-
C cepit ut Sanctæ extra urbem sanctum caput præcideretur.

duos lictores, quibus manus exaruerant, convertit, et cum eis orans moritur.

l

5 Theodulus ergo et Timotheus *l*, publici supplicii administri, cum illa urbem egressi, priusquam illa preces ad Deum suas posset ablegare, illam impetu subito volebant antevertere, et cum plagam intentare conarentur, repente manus utriusque exaruerunt. Itaque ad pedes Sanctæ procidentes, sincere toto pectore in Dominum nostrum Jesum Christum crediderunt, et subito sibi, receptis manibus, restituti sunt. Interimque rogarunt Sanctam, uti pro ipsis deprecaretur, ut et animas Domino Deo redderent in conspectu ejus, et ita factum est, statimque in Domino obdormierunt. Nec ipsa diutius in vita morata, eodem in loco requievit. Veneruntque pii quidam et religiosi viri, collectaque horum corpora
m Ephesum detulere, ibique claro in loco *m* reposuerunt ad laudem Patris et Filii et Spiritus sancti.

D

ANNOTATA.

a *Ita habet textus Græcus fideliter expressus, acsi nomen esset eunuchi, cum constet nomen fuisse reginæ ipsius. Historia baptizati per Philippum diaconum eunuchi reginæ Candaces narratur Act.* 8 ỳ 27 *et seq.*

b Eutyche *vocatur in Menologio Basiliano. Potuit hæc esse quarta filia Philippi diaconi, si ex illis duæ Hierapoli obierint. Verum de* Eutyche *illa nullibi plura reperio, et dubitari potest, verumne sit nomen, an fictitium. Fuit inter discipulos S. Joannis apostoli aliquis Eutyches, de quo apud nos actum est ad* 24 *Augusti. At dici nequit, an nomen illius sit sorori* S. Hermiones *per errorem impositum.*

c *Translatio illa S. Joannis probabilis non est, licet olim ab aliquibus fuerit asserta. Ad* 26 *Septembris in elogio S. Joannis, mors ipsius quoque asseritur; at auctores Menæorum non curarunt eamdem ubique sequi sententiam.*

d *Hic* Petronius *Pauli discipulus æque est incognitus atque* Eutyche *ante memorata, nisi forte sit* Petronius *episcopus et martyr in Asia, de quo ex Apographis Hieronymianis breviter apud nos actum est ad* 12 *Martii.* E

e *Filiæ S. Philippi institutæ sunt in juventute, non postquam Ephesum pervenerant. At verba sic intelligi possunt, ut credantur Petronio deinde usæ magistro, ejusque mores imitatæ.*

f *Græce*, exercuit artem medicam.

g *Græce*, invocatione Christi sanavit; *acsi ope divina, non medicinis naturalibus accedentes sanasset.*

h *Profectus est Trajanus ad ultimam expeditionem Persicam, aut potius Parthicam, anno* 113 *aut* 114, *ut vult Tillemontius nota* 22 *in Trajanum. Potuit igitur esse Ephesi dicto anno* 114.

i *Obiit Trajanus Selinunte in Cilicia anno* 117, *et eodem anno Adrianus imperium assumpsit Antiochiæ, iudeque profectus est Romam, quo pervenit anno sequenti. Itaque, si vera sunt, quæ hic narrantur, affigenda sunt anno* 117.

k *Græce*, ἄραντες τὸ παλλίον ἀπ' αὐτῆς, τύπτετε αὐτὴν ἀφειδῶς, , *id est*, Tollentes ab ea pallium, verberate eam non parce.

l *Hosce duos* Theodulum *et* Timotheum *eosdem* F
credimus cum memoratis hodie inter Prætermissos ex Menologio Sirletiano et Menæis Theotimo *et* Theodulo, *ubi tamen dicuntur igne combusti.* Timotheum *et* Theotimum *idem significare ibidem observavi, ubi etiam videri possunt rationes, ob quas a nobis non annumerantur Sanctis. Ceterum facile videbit studiosus lector, totam hanc martyrii relationem esse talem, ut parum aut nihil fidei mereatur.*

m *De sepulcro S. Hermiones in elogio S. Myropes ad* 2 *Decembris hæc tradunt Menæa* : Ad S. Hermiones, unius e Philippi apostoli filiabus monumentum parvula excubabat (*Myrope*,) ubi unguentum, quod ex sepulcro Sanctæ stillabat, excipiebat, et omnibus certatim subministrabat : unde et nomen Myrope sortita est. *Eadem leguntur apud Sirletum. De hac S. Myrope breviter apud nos actum ad* 13 *Julii, ubi collectio illa unguentorum similiter legitur ex Basiliano Synaxario, non tamen ibi memoratur sepulcrum S. Hermiones.* DE

A D

DE S. MARCELLO MARTYRE

PROPE CABILONEM IN DUCATU BURGUNDIÆ

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. L.

§ I. Ecclesia in honorem Sancti cum monachorum cœnobio Sec. VI fundata a S. Gunthramno rege, qui illam ornamento decoravit magnificentissimo.

Circa an. CLXXVIII. Breves notitiæ de urbe Cabilonensi, ubi S. Marcelli cultus sec. 6 viguit.

Cabilo, Cabilonum *vel* Cabillonum *urbs in ducatu Burgundiæ ad fluvium Ararim sita, quæ apud veteres, uti apud Christophorum Cellarium lib.* 2 *Geographiæ antiquæ cap.* 2 *aliosque videre est, multa alia nomina illis affinia obtinuit, primum ab Æduis Galliæ Celticæ populis habitata fuit.* B *Romani eam imperio suo subactam provinciæ primæ Lugdunensi adscripserunt. Quibus pulsis, in Burgundionum potestatem transiit. Dein Francis paruit; quorum rege Clotario I an.* 561 *vita functo, et inter quatuor ejus filios ditionum facta divisione, Aurelianense et Burgundiæ regna S. Gunthramno obtigerunt. Hic, posthabitis Aurelianis, regiam sedem Cabilone fixit ac veluti caput constituit regni Burgundici; cujus præcipuum patronum idem rex piissimus* S. Marcellum *agnovisse videtur, celeberrimum scilicet illum martyrem prope Cabilonem sub Marco Aurelio imperatore passum, atque ad hanc diem Fastis sacris adscriptum. S. Gunthramnus, cujus Acta ad* XXVIII *Martii Henschenius dedit, regnavit ab anno* 561 *usque ad* 593. *Non dubito, quin ante illa tempora Cabilonenses* Marcellum *suum, a quo Christi fidem se primum accepisse glorientur, singulari fuerint veneratione prosecuti. Certe solemnis apud illos jam erat* C *sancti Martyris festivitas anno regis Gunthramni* 26, *Christi* 587; *quemadmodum constet ex testimonio S. Gregorii episcopi Turonensis, quod num.* 9 *producetur.* Basilica S. Marcelli, *cujus idem scriptor locis infra citandis meminit, insigne monumentum est, quo Gunthramnus suam erga Sanctum illum pietatem imprimis testatam reliquit.*

S. Gunthramnus rex ecclesiam cum monasterio,

2 *Claudius Perry inter documenta, quibus suam de urbe Cabilonensi Historiam confirmat, pag.* 22 *vetustum producit Gunthramni regis instrumentum sub titulo,* Fundatio abbatiæ sancti Marcelli. *Additur:* Ex cartulario ejusdem abbatiæ. *Priorem instrumenti partem huc transferre visum est.* Divina disponente gratia, servus servorum Domini Gontrannus rex, regnante Deo, universis sanctæ matris Ecclesiæ filiis salutem. Quoniam, culpis exigentibus, tum ob immoderatam principum ingluviem, tum ob negligentiam prælatorum et incuriam, cælestibus fundatas obsequiis ecclesias heu! pessundari dolens video, indeque doleo; nec me cunctis provelle efficacem sentio: unam saltem, ne ad Dominicam arcam manu vacua redeam, pretiosissimi videlicet martyris Marcelli Cabilonensis, quam ei, Deo donante, construximus basilicam, et solidioribus ditare prædiis et ordinationibus munire et officiis *(id est, ædificiis ad monachorum usus et officia, teste Cangio)* disponimus. Censemus ergo, regalique authoritate roboramus, ut ibi manentes servi hospitale construant *etc. Dein octodecim vici* E *nominatim recensentur, quos omnes Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 175 *novo monasterio a rege attributos fuisse ait, et singulis singulæ ædificii partes construendæ assignantur. Instrumentum integrum legi potest tom.* III *Martii pag.* 720. *Confectum fuit ante annum* 579, *uti ex numero sequente patebit.*

quæ contra Fredegarium anno 579 extitisse ostenditur,

2 *Vetus Chronicum, Fredegario Scholastico tributum, et a Theoderico Ruinart post S. Gregorii Turonensis Historiam Francorum editum, capitulo* I *de ecclesia a Gunthramo supra sancti Martyris sepulcrum condita et monachorum cœnobio ibidem fundato hæc habet:* Anno XXIV regni sui, divino amore, ecclesiam beati Marcelli, ubi ipse pretiosus requiescit in corpore, suburbano Cabillonensi, sed, quidem tamen Sequanum est territorium, mirifice et sollerter ædificari jussit; ubique monachis congregatis monasterium condidit, ipsamque ecclesiam rebus plurimis ditavit. *Errat Fredegarius, dum ædificationem ecclesiæ et monasterii ad annum regis Gunthramni* 24 *differt; nam illo antiquior Gregorius Turonensis lib.* 5 *Historiæ Francorum a Ruinartio vulgatæ cap.* 28, Anno, *inquit,* quarto Childeberti, qui fuit decimus octavus Guntchramni et Chilperici regum, apud Cavillonum civitatem synodus acta est jussu principis Guntchramni, *in qua episcopi Salonius Ebredunensis et Sagittarius Vapincensis, gravium criminum rei, episcopatu dejiciuntur, et* in basilicam beati Marcelli sub custodia detruduntur. F *Ex hoc loco manifestum est,* S. Marcelli *basilicam, quo nomine ecclesiam cum adjuncto ei monasterio Gregorius hic intelligit, jam extitisse anno* 18 *Gunthramni regis, qui cum anno Christi* 579 *componitur. Sagittario episcopo Vapincensi deposito subrogatus est S. Arigius vel Aredius, qui in Vita sua tom.* I *Maii pag.* 109 *num.* 2 *legitur* ob [fervorem] desiderantis animi S. Marcelli martyris *Cabilonensis* ecclesiam *adiisse, et valvas ejus, jubente regina Brunechilde, sibi occlusas, oratione aperuisse.*

sancto Martyri construxit in agro suburbano Cabilonensi,

4 *Situm loci, ubi ecclesia et cœnobium sancti Martyris condita fuere ita designat Aimoinus monachus Floriacensis lib.* 3 *de Gestis Francorum cap.* 80: Hanc denique basilicam ipse *Gunthramnus*, divino succensus amore, in subur-

 bio

AUCTORE J. L.

bio quidem prædictæ civitatis Cabilonensis, sed in territorio Segonum saltuque Brexio studiosissime ædificavit: ubi monachos aggregans, monasterium construxit, quod pluribus prædiis facultatibusque ditavit. *Verba Aimoini hac observatione excipit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 96: Vocat Aimoinus TERRITORIUM SEGONUM corrupte AGRUM SEQUANORUM trans Ararim, ubi in suburbano Cabillonensi et saltu pagoque Brexio monasterium S. Marcelli conditum est, cum Cabillonum sit citra Ararim in Æduis. Unde apud Fredegarium et in Chronico S. Arnulfi ecclesia S. Marcelli in SUBURBANO CABILLONNENSE, SED TAMEN SEQUANUM EST TERRITURIUM *. Nimirum pars pagi Cabillonensis una cum monasterio isto suburbioque civitatis Cabilloni trans Ararim est, quo fluvio Ædui a Sequanis dividuntur: quam agri Cabillonensis portionem hodieque BREXIAM CABILLONENSEM nostri cognominant, LA BRESSE CHALONNOISE. *Conformis est hæc Valesii expositio verbis auctorum, quos laudat: illis tamen non assentitur, nam Brexiam Cabilonensem cum monasterio* B S. Marcelli *in Æduis locare mavult, nulla alia ratione ductus, quam quod illa* diœceseos Cabillonensis finibus contineatur, Cabillonum autem sit opidum Æduorum. *Sed quidni fluvius Arar, ubi Cabilonem prælerlabitur, Sequanos ab Æduis ita exacte separarit, ut ultra ejus ripas neutrius gentis fines ibi patuerint? Perrius laudatus pag.* 29 *et* 33 *adfert diplomata Ludovici Pii et Caroli Crassi, quibus bona abbatiæ* S. Marcelli, *a canonicis secularibus ætate utriusque imperatoris habitatæ, confirmantur. Vicus, in quo illam S. Gunthramnus fundavit,* Hubiliacus *a Ludovico,* Ubiliacus *a Carolo nominatur. Hujus diploma datum est anno* 885, *illius* 835 *vel sequente.*

* *Fredegarius apud Ruinart.* Cabillonensi *et* territorium.

eamque totius Galliæ pretiosissimo

5 *Paulus Warnefridus diaconus Forojuliensis lib.* 3 *de Gestis Longobardorum capite penultimo narrat, S. Gunthramno in mira quadam visione revelatum fuisse locum, ubi ingens auri copia latebat.* Effossus est, *inquit,* locus ille, et inæstimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum miræ magnitudinis et magni ponderis fecit, multisque illud pretio- C sissimis gemmis decoratum ad sepulchrum Domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus beati Marcelli martyris, quod in civitate Cavilonno sepultum est, ubi sedes regni illius erat, ponit fecit: et est ibi usque in præsentem diem. Nec est usquam ullum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari. *Magnificentissimum S. Gunthramni donum Aimoinus in Gestis Francorum lib.* 3 *cap.* 3 ciborium *quoque vocat, illudque, cum propter itineris difficultatem et incursiones Saracenorum Palæstinam infestantium tuto Hierosolymam mitti non posset, sancti regis jussu positum fuisse ait* in basilica, quæ Cabilonensi adjacet civitati, cujus condendæ ipse auctor extiterat, super sepulchrum S. Marcelli. *Tum ista subjungit*: Quod *(ciborium)* quamdiu tumulum sancti Martyris venustavit, nullum in tota Gallia opus, quod ei æquipararetur, potuit inveniri. *Hinc deducitur pretiosissimum istud ornamentum, quo sancti Martyris tumulus decorabatur, non amplius extitisse ætate Aimoini, qui seculo* X *et initio sequentis vixit. Ibidem adhuc visebatur seculo* VIII *temporibus Caroli Magni; nam Paulus diaconus, qui tunc Gesta Longobardorum conscripsit; id diserte hisce verbis testatur*: Et est ibi usque in præsentem diem. D

6 *Quid ego intelligam per* ciborium, *quod Paulus diaconus et Aimoinus supra corpus sancti Martyris pia Gunthramni munificentia exstructum fuisse scribunt, verbis exponam, quibus utitur Cangius in Glossario aucto tom.* 2 *col.* 602. Ciborium appellant scriptores ecclesiastici, quod Ordo Romanus tegimen et umbraculum altaris.. Illud autem quatuor columnis iisque præaltis attollebatur, et in fastigiatam formam eductum, totum altare contegebat. *Col.* 604 *in rem nostram hæc observat*: Ciboria plerumque Sanctorum corporibus imposita legimus, quod ea sub altaribus recondi solerent, proindeque una cum altaribus unico umbreculo tegerentur. *Hæc ad notionem vocis* ciborium *sufficiunt. Qui plura desiderat, adeat eumdem Cangium lib.* 3 *Constantinopolis Christianæ in descriptione templi S. Sophiæ num.* 57 *et seqq. In Vita S. Sori eremitæ tom.* I *Februarii pag.* 202 *de Gunthramno rege ista memorantur*: Reperto Dei nutu copioso thesauro... in urbe Cabillonica *(imo in agro ejus suburbano)* sancti martyris Marcelli E mausoleum opere polymito, auro, gemmisque miro construxit emblemate. *Per* opus polymitum, *id est,* versicoloribus liciis contextum, *non ciborium, de quo egimus (hoc enim ex auro solidum fuisse Paulus diaconus affirmat;) sed sepulcri, vel altaris, vel ciborii super utrumque erecti ornatum textilem intellige. Ciborium aureum ornare potuerunt vela polymiti operis. Vide Cangium in Opere jamjam citato num.* 65: *unde verba Anastasii Bibliothecarii in Leone III huc transfero*: Fecit et in circuitu altaris.. alia vela alba holoserica rosata *, quæ pendent in arcu de ciborio numero quatuor *etc.*

ditavit ornamento, quod quale fuerit, exponitur.

* *id est,* rosei coloris, *vel* rosis distincta

§ II. Jugis psalmodia apud tumulum S. Marcelli, cujus verisimiliter ope SS. Gunthramnus et Austregisilus mortis periculo erepti; perjurus punitus; lipsanotheca pretiosa; patrocinium in necessitate pluviæ; Officium proprium. F

Ut apud sepulcrum Sancti nocte dieque Dei laudes canerentur, effecit S. Gunthramnus in synodo

S*unt et alia ab antiquis scriptoribus memoriæ tradita, quæ uti S. Gunthramni pietatem erga Martyrem nostrum manifestant, ita et hujus gloriam posthumam illustrant. In Chronico S. Benigni Divionensis apud Acherium tom.* I *Spicilegii prioris editionis pag.* 370 *invenio, sanctum regem effecisse, ut monachi abbatiæ a se fundatæ apud sepulchrum* S. Marcelli *Dei laudes nocte dieque canerent. Verba accipe.* Insuper etiam instituit, ut ad similitudinem monasterii Sanctorum Agaunensium *seu Martyrum Thebæorum, Agauni in Vallesia Helvetiæ tractu passorum,* diu noctuque divinum in hac ecclesia *abbatiæ S. Benigni* persolveretur officium . . . Similiter instituit de loco sancti Marcelli, ubi ipse rex corpore quiescit; quem thesauris et pecuniis, possessionibus etiam multis ditavit, operibus miris et ædificiis decoravit. *Mabillonius in Præfatione ad partem* 2 *seculi* IV *Benedictini num.* 204 *et seqq.*

AUCTORE J. L.

A *seqq. pluribus adversus Cointium probat, psalmodiam, quam apud Agaunenses S. Sigismundus rex Burgundionum introduxerat, perennem fuisse. Hanc postmodum, adnitente rege Gunthramno, in monasterio* S. Marcelli *institutam fuisse confirmatur ex Fredegarii Chronico apud Ruinartium capit.* I : Anno XXIV regni sui . . . synodum quadraginta episcoporum fieri præcepit, et ad instar institutionis monasterii Sanctorum Agaunensium, quod temporibus Sigismundi regis ab Avito *Viennensi* et ceteris episcopis, ipso principe jubente, fuerat confirmatum, hujus synodi conjunctione monasterii S. Marcelli Guntchramnus institutionem formandum *(forte* formandum, *vel ut alibi est*, firmandum) curavit. *Legi possunt, quæ ad* I *Maii in Commentario, Vitæ S. Sigismundi regis prævio, a num.* 3 *Henschenius scripsit. De S. Avito episcopo Viennensi egit Bollandus ad* V *Februarii.*

40 episcoporum, quæ an Valentina II, an Matisconensis II fuerit, controvertitur.

8 *Synodum 40 episcoporum, in qua decretum fuit, ut monachi* S. Marcelli *exemplo Agaunensium die nocteque psallerent, Fredegarius affigit regis Gunthramni anno* XXIV, *qui licet in S. Gregorii Turonensis calculo respondeat anno Christi* 585, *tamen secundum numerandi modum* B *Fredegarii cum anno 584 componi debet. Manifestissime id in Opere nostro demonstratum est tum ad* I *Februarii in Comment. de S. Sigeberto Austrasiæ rege* § 9, *tum in Exegesi præliminari ad tomum* III *Martii de Genealogia regum Dagobertinorum cap.* I *Quoniam ipso anno 584 jussu Gunthramni habitum fuit concilium Valentinum II, et in eo confirmata fuere, quæcumque* basilicæ S. Marcelli *et aliis locis sacris rex, ipsius conjux et filiæ contulerant, vel in posterum collaturi essent ; hinc Ruinartius in Notis ad Fredegarii textum opinari maluit, institutum Agaunensis monasterii monachis* S. Marcelli *in eodem concilio traditum fuisse, quam assentiri Valesio tom. 2 Rerum Francicarum pag. 277 et aliis, qui id factum esse arbitrantur in synodo Matisconensi II, quæ etiam jussu Gunthramni convocata fuit. Neutra opinio cum Fredegarii verbis,* anno regni sui XXIV . . . synodum quadraginta episcoporum *etc. conciliari potest : non Ruinartii, quia concilio Valentino II non 40, sed 17 dumtaxat episcopi interfuere :* C *neque etiam Valesii ; nam Matisconense II, cui 43 episcopi præter tres alios, qui sedes non habebant, et 20 absentium antistitum legati subscripserunt, celebratum fuit anno* 585, *qui secundum Fredegarii calculum, non* 24, *sed 25 annus regis Gunthramni fuit. Facile tamen crediderim alterutram sententiam veram esse, et in Fredegarii Chronico vel episcoporum numerum vel annum, quo convenerunt, alienum determinari.*

S. Marcello adscribi potest, quod idem rex

9 *Cum festivitas* S. Marcelli *anno 587 apud Cabilonenses ageretur, Gunthramnus in sancti Martyris ecclesia a sicario pene interfectus fuit. Theophilus Raynaudus in Sanctorum Lugdunensium Indiculo de* S. Marcello *nostro agens, hujus illum ope mortem evasisse scribit. Verum ut res contigerit, optime ex Gregorio Turonensi cognosces.* Interea, *inquit lib. 9 Historiæ Francorum cap.* 3, advenit festivitas S. Marcelli, quæ apud urbem Cabillonensem mense septimo celebratur ; et Guntchramnus rex adfuit. Verum ubi peractis solemnibus ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus. Qui dum properat contra regem, culter ei de manu dilabitur ; adprehensoque repente, alium cultrum evaginatum in manu ejus reperiunt. Nec mora, eductus a basilica sancta, vinctus et tormentis addictus, confitetur se emissum ad interficiendum regem *etc. Apud Gregorium lib. 9, cap. 27 pium regem anno 589 rursum invenio in basilica* S. Marcelli. *Quoad vixit, singularem illum retinuit pietatis affectum, quo erga Patronum suum ferebatur : in cujus etiam ecclesia post mortem suam, quæ anno 593 contigit, sepeliri voluit, teste Fredegario capit.* 14 *et aliis.*

et S. Austregisilus mortis periculum evaserint.

10 *Qui cum Raynaudo credunt, Gunthramnum ope* S. Marcelli *vitam conservasse, ejus etiam patrocinio facile adscribent, quod S. Austregisilus, antequam ecclesiæ Bituricensi præesset, mortis periculo ereptus fuerit. In sancti hujus præsulis Actis ad* XX *Maii editis num. 5 et seqq. historia fuse describitur, quam ita contraxit Aimoinus lib. 4 cap. 2 :* Austregisilus quoque Bituricensis archipræsul, qui sub rege Guntranno diu in palatio conversatus, mappam ei ad extergendas præbere consueverat manus. Hic quadam vice a quodam pessimæ mentis homine falso accusatus, quædam absque jussione principis scripta confecisse : dum id sedulo denegaret, E jubetur a rege armis objecta repellere. Qui diluculo surgens, dum per puerum omnem suorum apparatum armorum deferri fecisset in campum, et ad exorandum Dominum ecclesiam beati Marcelli *(in actis additur* solito more) expeteret ; obvianti pauperi et eleemosynam roganti trientem tribuit : sicque orationi incubuit. Nec defuit orationi effectus ; nam dum cum rege ad locum certaminis properaret, occurrit eis nuntius, dicens, adversarium ejus, dum ad designatum occurrere festinaret locum, ego corruisse, vitæque terminum incurrisse. Tunc rex ad beatum conversus virum, Lætare, inquit, amantissime juvenis, quia Dominus defensor tuus est, ne tibi noceret possit inimicus.

Per Sanctum pejeraturo lingua et totum corpus obriguit.

11 *Opportunus hic locus est ea transcribendi, quæ Gregorius lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 53 refert :* De beati vero Marcelli Cavillonensis martyris virtutibus *seu miraculis, quæ certo ipsi attribui possunt,* pauca ad nos mittenda memoriæ monimenta venerunt : quæ quamlibet parva censeantur in dictis, ad eum tamen referenda sunt, qui hæc operatur in singulis. Causa quædam exstiterat, ut Fedamius, Eunomii quondam Arverni presbyteri filius ; Cavillonensem F urbem adiret ; idemque apud basilicam sancti martyris Marcelli hospitalem * habebat, ad abbate loci victus stipendia capiens. Ipse enim, quæ loquor, exposuit. Inter duos, inquit, viros orta fuit intentio * : hisque litigantibus, in hoc lis ipsa subiit, ut eam sacramento derimerent. Ingressique basilicam sancti Martyris, elevatis homo manibus ad perjurandam, cum nomen Sancti voluisset ore patulo nominare, hæsit vox in faucibus, nec lingua poterat ad officium reflecti. Sed ne hoc quidem parum videretur ad beati Athletæ gloriam, ipse cum elevatis manibus quasi æneus totus inriguit. Tunc oratio facta pro eo, absolvi diaboli arte vinctum obtinuit : ipse quoque post absolutionem sermone proprio opus suum confessus, quæ negligenter egerat, emendavit.

* hospitium

* al. contentio

Vicissitudines abbatiæ S. Marcelli, quæ nunc est prioratus Ord. Cluniacensis ;

12 *Abbatiam sancti Martyris, quam Gunthramnus monachis Ordinis S. Benedicti condidit, canonici seculares possederunt sub Carolo Magno Francorum rege, qui anno 779 eorum privilegia et immunitates confirmavit, violatores*

AUCTORE J. L.

res sexcentis solidis mulctans, quorum duæ partes monasterii ærario persolvendæ erant: de tertia vero, quæ fisco cedere debebat, ita statuit: Quidquid exinde fiscus noster potuerit sperare, in luminibus ipsius ecclesiæ sancti Marcelli martyris pro stabilitate regni nostri, seu nostra subsequente progenie proficiat in augmentum. *Joannes VIII Papa, synodus Cabilonensis habita anno* 873, *Ludovicus Pius et Carolus Crassus imperatores canonicis* S. Marcelli *seculo* IX *plurimum etiam faverunt. Instrumenta e quibus ista commemoro, exstant apud Pierrum Historiæ Cabilonensis Probationibus inserta inter Paginas* 28 *et* 34. *Apud Labbeum tom.* 3 *Conciliorum tres invenio episcoporum synodos in Sancti basilica celebratas, annis videlicet* 875, 886 *et* 915. *Nunc subjicio fragmentum monumenti, quod ab editore Perrio pag.* 42 *in margine anno* 1075 *exaratum fuisse notatur.* Verum idem cœnobium (S. Marcelli) juxta religiositatem constructoris in omni honestate dispositum, postmodum per inhabitantium socordiam paulatim ad perversos
B mores et superbiam prolapsum, fallere nequivit interim Judicis oculum, quin etiam in præsenti lueret pœnas adinventionum suarum, conflagrantibus Hungaris et villam et oratorium, rapientibus quoque quicquid inibi est repertum. *Credo id accidisse anno* 937, *quo Hungari totum Burgundiæ ducatum depopulati fuere.* Discedentibus autem illis, adhuc ex vindicta divinæ animadversionis violenti quoque sibi distraxerunt fundos ad eumdem pertinentes locum; utpote cæso capite, membra passim exposita pro libitu vicina sibi quisque diripuit: inter quæ et memorata ecclesia Floriacensis *(de qua vide infra num.* 18 *et seqq.)* ad sortem dirimentium devenit. Sed quia iniquorum contumacia hoc modo prostrata * beati Martyris sepulchrum debito obsequio usquequaque frustrari non debuit, longo post tempore ruinæ ejusdem loci sancto abbati Mayolo, *qui anno* 994 *vita defunctus est,* commissæ ac Cluniacensium Fratrum traditæ dispositioni, quantum ad priorem gloriam et posteriorum dejectionem mediocriter restitutæ sunt ab ipsis. *De S. Majolo abbate Cluniacensi actum est ad* XI *Maii. Locus* S. Marcelli *ab eo tempore, quo sancto abbati concessus fuit, titulum priora-*
C *tus gessit et ab Ordinis Cluniacencis monachis habitatus fuit.*

* *forte* prostratum

ubi in theca magnifica Sancti ossa servatur.

13 *Papebrochius anno* 1662 *Roma per Galliam in Belgium rediens, inter alia a se et socio Henschenio visa, hæc annotavit:* Cabilone ad monasterium S. Marcellini * egressi, divitem olim abbatiam, vidimus thecam aureis in fronte, argenteis alibi, tectam laminis, in qua sancti Martyris corpus reconditur; puteum item in quem vivus defossus ad cingulum fertur mortem obiisse. *Duo religiosi Benedictini e congregatione S. Mauri in Itinerario litterario, Parisiis anno* 1717 *excuso, parte* I *pag.* 225, Conspicitur, *inquiunt,* in ecclesia *(prioratus* S. Marcelli) supra altare majus capsa superba, in qua conservantur reliquiæ sancti Marcelli martyris. *Sancti theca, cujus Papebrochius et duo monachi Benedictini in suis Itinerariis meminerunt, eamdem esse arbitror cum illa, quam Perrius in laudata sua Historia ad annum* 1436 *a Joanne Rolino Cabilonensi præsule et simul rectore* S. Marcelli *argento, in quo martyrium ejus repræsentabatur, coopertam fuisse scribit, quamque ad annum* 1562 *feliciter evasisse narrat sacrilegas*

* *imo* Marcelli

heterodoxorum iconomachorum manus, qui ea se ditandos sperabant. D

Cabilonenses ipsum invocant in necessitate pluviæ,

14 *Sanctum a Cabilonensibus ad pluviam terræ frugibus impetrandam invocari solium fuisse testatur Perrius in sæpius memorata Historia ad annum* 1603. *Substantiam accipe eorum, quæ ibi in rem nostram Gallico idiomate narrantur:* Consuetudo obtinet, ut, quando ager Cabilonensis præ diuturna aeris serenitate arescens pluvia indiget, theca S. Marcelli apostoli in urbem portetur. Unde necessaria pluvia anno MDCIII deficiente, monachi abbatiæ *(vel potius prioratus)* S. Marcelli cum theca reliquiarum ejus et capite S. Gunthramni abbatiæ fundatoris Cabilonem processerunt, et sacra ossa per totam urbem circumtulerunt: dein magna civium multitudine comitante ad monasterium suum reversi sunt. In Vigilia, quæ festum Corporis Christi præcedit, clerus et religiosi urbis Cabilonensis solennem ad templum sancti Martyris supplicationem instituerunt, precibus aliisque piis operibus ibi vacaturi. Omnis populus illis interfuit nudis pedibus progrediens, et virgam albam ma- E
nibus gestans. Adolescentuli et puellæ incedebant candidis vestibus induti. Cabillonensium devotio per merita Sancti petitam pluviam a Deo impetravit. Vidimus nos idem beneficium in simili necessitate alias impetratum fuisse. Mirabantur heterodoxi, nec tamen convertebantur. *Nuper civis Cabilonensis me edocuit, piam etiam nunc in patria sua vigere consuetudinem, ut, urgente pluviæ penuria, ad* S. Marcelli *opem confugiatur.*

et Officio proprio sub ritu duplici honorant.

15 *In Officiis propriis ecclesiæ Cabilonensis, auctoritati Cyri de Tyard episcopi anno* 1620 *excusis, Sancti festum ritu duplici per totam diœcesim celebrari jubetur. Oratio hæc recitanda præscribitur:* Deus, qui beatum Marcellum martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti, ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundis despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum. *Lectiones secundi Nocturni concinnatæ sunt ex breviore Passionis historia, quæ post hunc Commentarium primo loco dabitur. In Cathedrali Cabilonensi aram Sancto dedicatam extitisse testatur Petrus Cussetus in urbis Historia tom.* 2 *pag.* 40. F

§ III. Loca extra diœcesim Cabilonensem, quorum sanctus Martyr patronus; ecclesiæ, quæ eum Officio ecclesiastico honorant; Martyrologia.

Vetustum S. Marcelli cœnobium prope Viennam Allobrogum:

N*on modo in diœcesi Cabilonensi, sed et in multis aliis extra illam locis sanctus Martyr cultum obtinuit. In Vita S. Clari abbatis, tom.* I *Januarii a pag.* 55 *edita, a num.* 3 *varia cœnobia intra et extra Viennam Allobrogum metropolim condita recensentur, e quibus duo ita commemorantur:* Sancti quoque Marcelli martyris cœnobium triginta *monachos,* sanctæ Blandinæ viduarum sanctimonialium locus viginti quinque *religiosas alebat. Num.* 4 *lego S. Clarum viduis directorem, dein monachis* S. Marcelli *abbatem præfectum fuisse: num.* XI, *eum*

supremo

AUCTORE J. L.

A *supremo morbo laborantem ex S. Blandina sibi apparente audivisse :* Tertia die, hora quinta sanctus Marcellus et ego ad te venientes te nobiscum ad felicia regna ducemus. *Num.* 12 *dicitur S. Clarus sepultus fuisse in* ecclesia *monialium* beatæ martyris Blandinæ sanctorumque Martyrum quadraginta octo, *Lugdunensium scilicet, anno* 177 *sub Marco Aurelio imperatore passorum, de quibus ad* 2 *Junii egimus. In eadem persecutione, in qua S. Blandina et socii Martyres, etiam* S. Marcellus *Lugdini in carcerem conjectus fuit; at mortem, quam fuga elapsus illic evaserat, paulo post prope Cabilonem oppetiit. Hæc adjuncta omnia me inducunt, ut cum Tillemontio tom.* 3 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 36 *credam, patronum cœnobii, cui S. Clarus abbas seculo* VII *præfuit, fuisse* Marcellum *nostrum.*

cultus in vicina, ubi illud conditum fuerat, crypta :

17 *Itaque de sancto nostro Martyre ego intelligenda esse censeo, quæ Nicolaus Chorier in Disquisitionibus antiquitatum Viennensium anno* 1658 *vulgatis parte* 2 *lib.* 5 *cap.* 2 *Gallice scribit, et lectori Latine communico :* Porta urbis
B Viennensis S. MARCELLI dicta . . . nominis hujus originem trahit ab antiquo, *nunc a multis seculis diruto vel collapso*, monasterio, quod non procul inde aberat . . . Huic vicina est crypta, in qua S. Marcellum, sive ut paganorum crudelitatem latitando declinaret, sive ut a societate hominum segregatus familiarius cum Deo ageret, aliquam vitæ partem traduxisse, rudis populus sibi persuasit. Unde et altare Sancto ibi erectum fuit, et ad morborum quorumdam, quibus pueri lactentes obnoxii sunt, sanationem ejus intercessione a Deo consequendam sæpe ibidem preces et dona votiva offeruntur. Absit a me, ut ego hanc devotionem improbem : at hoc verum est, S. Marcellum, quem Simeon Metaphrastes archimandritam appellat, numquam trajecisse mare, ut in Gallias veniret. *His et proxime sequentibus verbis auctor indicat, sanctum vetusti cœnobii patronum, cujus cultum in vicina crypta ad suam usque ætatem perseverasse ait, fuisse S. Marcellum archimandritam, qui ad* XXIX *Decembris Martyrologio Romano inscribitur. Ad errorem hunc confutandum satis est dixisse, cœnobium istud in Vita S. Clari, seculo* VIII *conscri-*
C *pta, nominari* sancti Marcelli martyris, *qui titulus archimandritæ non convenit, cum Constantinopoli in pace quieverit. Traditionem populi credentis* S. Marcellum *in memorata crypta aliquamdiu habitasse, fabulis accenseo.*

parœciæ, quæ nomen traxere a S Marcello; an nostro? Huic sacram credo ecclesiam Floriacensem,

18 *Catalogum generalem beneficiorum regni Franciæ Parisiis anno* 1698 *impressum pervolvens, præter* sacellum S. Marcelli in ecclesia Campi Ferreoli *diœcesis Cabilonensis, in archiepiscopatu Lugdunensi et suffraganeis diœcesibus Lingonensi et Matisconensi quinque inveni parœcias* Sainct Marcel *dictas. Vehementer fallor, si nulla earum Sanctum nostrum patronum colat, cum jaceant in diœcesibus Cabilonensi conterminis, cujus metropolis quoque Lugdunum est. In episcopatus Lingonensis decanatu S. Sequani etiam notatur* prioratus S. Marcelli Floriacensis, membrum dependens a prioratu sancti Marcelli Cabilonensis. *Uti hunc prioratum, ita et Floriacensem ei subjectum sub Sancti nostri patrocinio constitutum credo.* Ecclesia Floriacensis super Oscaram * fluvium sita, olim juris fuit S. Marcelli, tradente eam illi cum aliis multis opulentis prædiis piæ memoriæ Gumtramno rege fundatore monasterii, quod tegit sepulchrum jam dicti Martyris. *Hæc ex instrumento, quod apud Perrium num.* 12 *postremo loco citatum exstat. Proxime sequuntur, quæ ibidem ex illo transcripsi. Dein ecclesiæ Floriacensis restitutio prioratui* S. Marcelli *facta, ita narratur :* Tandem tempore domni Hugonis (1) abbatis *Cluniacensis, cujus sancti viri Acta ad* XXIX *Aprilis dedimus ;* cum eumdem locum (S. Marcelli *prope Cabilonem*) regeret Prior in perquirendis sancti Martyris rebus sagaciter promptus, factum est colloquium in castro, quod Palluel dicitur, Burgundionum principum, in quibus erat dux *Burgundiæ* Hugo (I,) et comes Willermus *Burgundiæ* trans Ararim *, atque Cabilonensis comes Hugo (II,) et multi alii inferiorum dignitatum.

* Fouche

* le franche comté


prioratui S. Marcelli Cabil. restitutam beneficio, ut traditur, sancti Martyris : templum in Vesontionensi

19 Tum ergo jam dictus Prior oportunum ratus, ut in conventu tantorum virorum de injuria sancti Patroni conquereretur, et maxime, quia in præfata ecclesia *Floriacensi* Robertus dux *Burgundiæ* nuper dedecorose obierat, atque hæc res plurimos populares terruerat, pro illa potissimum rogaturus accessit. Tantam ergo gratiam Dominus, cooperante beato Martyre, servo suo
E tribuit, ut unanimiter omnis cœtus primatum instaret, quatenus sæpe dicta ecclesia monachis redderetur. In primis ergo dux Hugo quicquid prædecessores ejus usurpavere, inibi dimisit et abjecit. Deinde Cabilonensis comes Hugo, qui de eo illa jure beneficii tenere videbatur, a se repulit, de commissis quoque similiter veniam postulavit etc. *Hæc contigerunt non diu post mortem Roberti ducis, quam plerique affigunt anno* 1075, *addentes eum subito et ignominioso mortis genere obiisse, sed quale illud fuerit, non explicant. Tomo* I *Junii pag.* 696 *sub finem columnæ* 1 *hæc lego :* Eodem Hugone (*II archiepiscopo Vesontionensi*) conscio et favente, Hugo dominus de Trevas ecclesiam in suo castro fundavit sub patrocinio S. Petri Apostoli et S. Marcelli Cabilonensis martyris, anno Christi MLXXIII.

atque alterum in Ucetiensi episcopatu illi dedicatum : reliquiæ :

20 In templo sancti Marcelli de Careyret diœcesis Ucetiensis, quod duabus leucis Balneoli * distat, legitur sequens inscriptio incisa monumento lapideo, ornato pampinis, foliis etc.

* Bagnols



A parte inscriptioni observa crux lapidi insculpta est, non absimilis cruci equitum Melitensium. *Hæc*

AUCTORE, J. L.

Hæc accepi ex Historia nova Trenorchiensi Petri Juenin, tomo 2, qui illius probationes complectitur, pag. 37. De S. Valeriano M., qui in allata epigraphe memoratur, agetur ad XV *Septembris, quo die prope diœcesis Cabilonensis oppidum Trenorchium, vulgo* Tournus, *in eadem, qua* S. Marcellus, *persecutione martyrio coronatus fuit. Dominus Lebeuf tom. 2 Historiæ Autissiodorensis in collectione monumentorum pag.* 145 *dat catalogum reliquiarum ecclesiæ cathedralis anno circiter* 1420 *confectum, in quo notatur :* De ossibus S. Marcelli Cabillonensis. *Perrius sæpe laudatus* baculum S. Marcelli apostoli Cabilonensis, argento opertum, *ab heterodoxis anno* 1562 *ex templo cathedrali Cabilonensi direptum fuisse scribit.*

cultus late propagatus :

21 *Nunc variarum ecclesiarum, quæ* S. Marcellum *Officio ecclesiastico honorant, Breviaria et Calendaria accipe, ut inde magis innotescat, quam longe lateque publica ejus veneratio propagata fuerit. Breviarium Corisopotense antiquæ impressionis, Burgense S. Andeoli anno* 1502 *editum, Viennense in Gallia anni* 1522, *Bellovacense anni* 1554, *Wormatiense anni* 1576, *Vesontionense anni* 1590, *Lingonense anni* 1604, *Bituricense anni* 1625, *Turonense anni* 1635, *Noviomense anni* 1680, *Parisiense anni* 1700 ; *item antiquum Breviarium Ms. ecclesiæ collegiatæ S. Petri Lovaniensis, abbatiæ Majoris monasterii in diœcesi Turonensi an.* 1534 *excusum, atque Ordinis Prædicatorum Parisiis an.* 1549 *editum ; hæc, inquam, omnia Breviaria, quæ in museo nostro servantur, ad* IV *Septembris habent Officium de S. Martyre, ritu simplice legendum : quale etiam præscribitur in Calendariis Mss. Cenomanensi vetusto et Aurelianensi seculi præcedentis, necnon in Autissiodorensi impresso an.* 1720. *In Calendario apographo anni* 1637 *diœcesis Nivernensis ad* V *hujus mensis ponitur :* Marcelli M. semid. (heri ;) *in Mozarabico hodierno ecclesiæ Toletanæ, quod Tractatus ad tomum* VI *Julii præliminaris a pag.* 82 *exhibet, notatur ad hunc diem :* Marcelli martyris, novem lectionum.

Hieronymiana, quæ Sanctum celebrant :

22 *Quoniam ante finem seculi* VI, *ut* § 1 *et initio sequentis ostensum est, in suburbiis Cabilonensibus jam celeberrimus erat Sancti cultus, atque hic dein latissime propagatus fuit, quemadmodum ex jam dictis liquet ; hinc minime miror, eum omnibus pene ecclesiæ Latinæ Martyrologiis inscriptum legi. Hieronymiana, quæ* S. Marcellum *commemorant, sunt Corbeiense Majus, et Gellonense cum San-Remigiano, San-Gallensi et Baluziano Sanctum quoque referentibus collatum, tom.* 2 *Spicilegii Acheriani anno* 1723 *recusi pag.* 17 *et* 34 ; *vetustius Martyrologium a Florentino vulgatum pag.* 807 ; *vetustissimum Epternacense, cujus textum citatus Florentinius in notis producit ; Blumianum, cujus lectiones a vetustiore Martyrologio variantes idem auctor exhibet a pag.* 1058 ; *Rhinoviense, Richenoviense Augustanum S. Udalrici, Labbeanum, Reginæ Sueciæ seu Senonense S. Columbæ, in Opere nostro tom.* VII *Junii post indicem Sanctorum ; Martyrologium alterum Reginæ Sueciæ apud illustrissimum Franciscum Mariam de Aste in notis ad Romanum ; Autissiodorense S. Germani, Morbacense et Turonense a Martenio tom.* 3 *Thesauri anecdotorum col.* 1547 *et seqq. edita. Annuntiatur etiam* S. Marcellus *noster in antiquo Calendario Corbeiensi, quod dat laudatus Martenius a col.* 1593. *Ipsum quoque celebrant Hieronymiana nostra apographa Barberianum secundum, Trevirense S. Martini, Romano-Gallicum et Aquisgranense, de quibus videri potest Sollerii nostri Præfatio ad Martyrologium Usuardinum cap.* I *art.* I § 2. *Inter enumerata Martyrologia Epternacense, Reginæ Sueciæ seu Senonense S. Columbæ, Barberianum secundum et Aquisgranense Sanctum* episcopi *titulo insigniunt. In altero Martyrologio Reginæ Sueciæ etiam* confessor *appellatur, sed perperam. An dignitate episcopali fulserit* § *ultimo dispicietur. Cetera Hieronymiana nihil præter Sancti nomen, martyrium et ejus palæstram memorant.*

elogia

23 *Martyrologia nostra Mss. Bedæ attributa, Tornacense S. Martini, Atrebatense S. Mariæ et Lætiense hæc habent :* In Gallia, civitate Cabilonis *, natale S. Marcelli martyris, qui virtutibus coruscans et in confessione Domini constanter perseverans temporibus Antonini (*fuit is Marcus Aurelius Antoninus Verus, agnomento Philosophus*) sub Prisco præside medius in terra fossus consummavit martyrium. *Elogium hoc a Floro Bedæ Martyrologio additum fuisse censet hujus editor Papebrochius ante tomum* 2 *Martii pag.* XXXI. *Wandelbertus post Moysen de Sancto ita canit :*

* Lætiense Cavallonis

Tunc etiam Cabillon Marcelli sanguine vernat.

Rabani et Adonis elogia multum diversa sunt, hoc solo fere concordantia, quod in utrisque Sanctus usque ad cingulum terræ infossus martyrium consummasse affirmetur. Diversas scilicet passionis ejus Historias præ oculis habuerunt. Ado ex breviore omnia sua mutuatus fuit. Cabilonæ *, *inquit*, natale S. Marcelli, qui temporibus Antonini Veri ex numero quinquaginta Martyrum, qui Lugduni in ergastulum trusi fuerant, cum Valeriano, patefactis custodiæ, cui mancipati erant, divinitus claustris, aufugit. Et cum Latinum quemdam, a quo hospitio susceptus fuerat, cum omni domo sua ad fidem Christi convertisset, Cabilonensium expetens (*omnia exemplaria Passionis brevioris, quæ num.* 26 *recensebuntur, habent* prætermittens) civitatem, Priscum quemdam præsidem diis suis immolantem incurrit. Cumque ab eo ad prophanum convivium fuisset invitatus, et ipse hujusmodi execrans epulas, omnes, qui aderant, cur idolis deservirent, libera increpatione corriperet ; inaudito crudelitatis genere defodiri * eum cingulo tenus jussit. Sicque sanctus Dei Martyr, tertio die in Dei amore et laudibus perseverans, in secundo ab oppido Cabilonensi miliario incontaminatum reddidit spiritum.

* l. Cabilone

* defodi

ex aliis

24 *Rabanos Adone paulo antiquior ex Passione prolixiore ista decerpsit :* In urbe Cabilonensi natale sancti Marcelli martyris, qui sub Antonino imperatore per Priscum præsidem passus est. Nam cum nollet idola adorare, multipliciter torquebatur. Sanctus ergo Martyr in animo cælesti virtute roboratus, secundum loca idolorum, ita et supplicia commutabat. Equuleis extensa membra catenarum stridore laniat, ignium globibus urit, et dissolutis ictibus artus exusta corporis elementa jungebant. *Mendosa est hæc periodus : neque Passionis, unde desumpta est, exemplaria, quæ præ manibus sunt, ad illam restituendam me quidquam juvant, cum in omnibus obscurissimo solœcismo corrupta legatur. De Variis suppliciorum generibus, quibus in eadem periodo Sanctus cruciatus fuisse dicitur, brevior Passio nihil meminit. Cum prolixioris auctore ita prosequitur Rabanus :* Sed Athleta fortissimus, auctoris

A auctoris sui Jesu Christi intra viscera retinens passionem, gloriosiore certamine triumphabat; hoc semper iniqui persecutoris interrogationi respondens, fieri nequaquam posse, ut qui Deum vivum sensibus recepisset, saxa sensu carentia aut simulachra dæmonum adoraret. Quem nequissimus præses, cum in suppliciis divini favoris gratia adverteret fortiorem, inaudito crudelitatis exemplo, plus quam furore persecutoris insaniens, defodi cum cingulo tenus jussit: sed triduo in laudibus Christi omnipotentis Domini ac Dei sui ore et amore perdurans, interim terris membra terrena commendans, spiritum sanctum emisit ad cælos.

Martyrologiis. 25 *Elogium, quo Notkerus* S. Marcellum *ornat, compendium est Adoniani. Secundam hujus partem, resecta priore, qua Sancti evasio e carcere Lugdunensi et conversio Latini narratur, Usuardus adoptavit; cujus annuntiatio deinde paulum mutata in Martyrologium Romanum transiit, in quo Sancti martyrium ita refertur:* Cabilone in Gallia S. Marcelli martyris sub Antonino imperatore, qui cum a præside Prisco ad B profanum convivium fuisset invitatus, et hujusmodi epulas execrans, omnes, qui aderant, cur idolis deservirent, libera increpatione corriperet; ab eodem præside, inaudito crudelitatis genere, cingulo tenus defossus est in terra: sicque triduo in laudibus Dei perseverans, incontaminatum spiritum Deo reddidit. *In multis Hieronymianis et plerisque aliis Martyrologiis Sanctus* Cabilone *annuntiatur, quod in ejus vicinia passus fuerit. Rabanus martyrii ejus palæstram* in urbe Cabilonensi *minus recte consignat. Florus et alii, qui pro* urbe *posuerunt* civitate *minime arguendi sunt: hæc enim vox apud Julium Cæsarem et alios veteres sæpe urbem simul et ejus territorium significatione complectitur. Ad ambiguitatem tollendam malui in hujus Commentarii fronte locum certaminis* prope Cabilonem *constituere.*

§ IV. Gemina Acta; breviora alteris verisimiliter antiquiora, quæ a Tillemontii et aliorum censuris vindicantur.

C

Exemplaria Passionis cum revioris Passionem S. Marcelli *breviorem, ex qua, ut supra indicavi, elogium Adonianum extractum fuit, primum edidit Surius ad* IV *Septembris; dein anno* 1664 *Petrus Franciscus Chiffletius noster in Historiæ Trenorchiensis Probationibus a pag.* 52. *Stylum pro more suo expolivit Surius; primigenium, at mendis aliquot aspersum* ex Mss. Acciensi, Corneolensi et sancti Theuderii *protulit Chiffletius et Petrus Juenin, illius editionem secutus, in nova sua Historia Trenorchiensi anno* 1733 *excusa tom.* 2 *pag.* 5. *Impressum Chiffletii exemplar nostris quoque typis publicabitur, collatum cum apographo* ex Ms. D. du Chesne cosmographi regis Christianissimi. *Cetera exemplaria, quæ ad hunc diem seposita inveni, ex iisdem descripta sunt codicibus, e quibus Chiffletius Passionem a me edendam vulgavit: sed variantes eorum lectiones annotandas non censui, quia vel exigui momenti sunt, vel non different ab iis, quæ in Chesniano exemplari leguntur.* *AUCTORE J. L.*

tum prolixioris, 27 *Passionem prolixiorem, unde Rabanum accepisse dixi, quæ de Sancto in Martyrologio suo memorat,* ex veteri Legendario ecclesiæ Cabilonensis *descripsit, et majoribus nostris transmisit Claudius Perry, auctor Historiæ Cabilonensis anno* 1659 *impressæ; cujus Probationibus pag.* XI *illam insertam reperio, et dein anno* 1662 *recusam ad calcem alterius Historiæ Cabilonensis a Cusseto elucubratæ. Eamdem quoque Passionem* ex codicibus Mss. Benigniano, Cabilonensi et tertio quodam *in lucem dederunt Chiffletius laudatus a pag.* 55, *et ex eo Jueninus a pag.* 7. *Chiffletianam iterum editionem sequar, quia Perriana paulo emendatior est. Non pauci tamen in illa loci corrupti sunt, e quibus aliquos restituam ex duobus vetustis musei nostri codicibus, quorum alter signatur Q Ms.* 6, *alter Q Ms.* 7. *Exemplar a Perrio vulgatum, uti et duo apographa, quorum primum acceptum esse notatur* ex vetustissimo codice D. consiliarii Bouhier Divion., *secundum* ex Ms. D. Andreæ du Chesne cosmographi regis Christianissimi, *nulli nobis usui erunt; quia quæ ex illis correctio exemplari edendo adferri potest, e duobus nostris codicibus allaturus sum.* E

verisimiliter ex illa amplificatæ. 28 *Certum est, vel Passionem seu Acta Sancti breviora e prolixioribus contracta, vel hæc ex illis amplificata fuisse. Utraque inter se conferenti id evidentissime patebit. Non modo omnem substantiam, sed etiam omnia pene rerum in brevioribus Actis narratarum adjuncta in prolixioribus reperies: imo in utrisque integra sæpe periodorum membra occurrunt ex iisdem vocibus constructa: adeo ut prolixiora ab alteris non differant, nisi quod illa prologum et epilogum habeant, eamdem rem verbosius et phrasi passim magis contorta et obscura referant, atque insuper nonnulla facta commemorent, quæ a brevioribus absunt. Hæc alteris vetustiora esse affirmat laudatus Chiffletius pag.* 60: *idem censent auctores Historiæ litteratæ Franciæ tom.* 3 *pag.* 409; *nam prolixiora breviorum paraphrasim esse ajunt. Opinionem hanc confirmat styli puritas et simplex quædam gravitas, quæ ubique magis elucet in Actis brevioribus, nihil continentibus, quod moderati ingenii criticum magnopere offendere possit; sed illi adversantur verba, quibus prolixiorum auctor epilogum suum orditur:* Hæc itaque, sicut de triumpho sancti Marcelli . . . fidelium relatione comperta sunt, . . . mens devota conscripsit. *Videri potest, per* fidelium relationem *tantum ea intelligenda esse, quæ illorum sermonibus circumferebatur: unde consequitur, Acta prolixiora non ex brevioribus amplificata, sed hæc ex illis contracta esse, nec graviore suffulciri auctoritate, quam fidelium sermonibus. Hinc ulterius infertur, suspectæ esse fidei e brevioribus Actis desumpta Sancti elogia, quæ in Adonis, Usuardi, Notkeri et Romano Martyrologio leguntur, quæque in Breviariis omnium pene ecclesiarum, num,* 21 *enumeratarum, clero ad Matutinum recitanda proponuntur. Argumento, unde sequelæ istæ deducuntur, opponi potest, vocibus* fidelium relatione, *ex qua prolixiorum auctor se scripsisse ait, non excludi ea, quæ narrantur in Actis brevioribus; quorum ille substantiam transumpserit, longis et scabrosis periodis diduxerit, ac novis hinc inde adjunctis vestierit, intermixtis etiam rebus aliquibus, quas ex narratione fidelium ore tradita acceperit.* F

AUCTORE J. L.

ceperit. Hæc responsio mihi non improbanda videtur ob non obscura majoris antiquitatis indicia, quæ Acta breviora præ se ferunt, quæque mihi eo manifestiora apparent, quo attentius illa pervolvo et exactius eum prolixioribus confero. Utraque infra edentur, ut lector ipse rem dispicere possit.

Contra Tillemontium et alios

29 *Tillemontius tom* 3 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 35 *de* SS. Marcelli *et Valeriani MM. Actis generatim affirmat, non tantæ ea vetustatis esse, ut magna auctoritate valeant. Idem de illis fert judicium pag.* 601 *in Notis; ubi de tempore, quo prolixiora sancti Martyris nostri Acta conscripta fuerint, hanc conjecturam profert:* Videntur a monacho quodam abbatiæ S. Marcelli Cabilonensis, ut festa ejus die in Officio divino legerentur, ac proinde non citius, quam sub finem seculi VI, composita fuisse. *De brevioribus, quæ apud Surium exstant, ibidem ita pronuntiat:* Citant subinde rumorem communem, quod indicium est ea non satis antiqua esse. *An prolixioribus recentiora judicet, nullibi exprimit. Legitur id editione Surii,* Objurgatio,
B *qua Sanctus Lationum, ut ibi vocatur, idola adorantem corripit,* tantam vim habuisse fertur, ut brevi tempore tota ejus domus ad fidem conversa sit. *Unicus hic locus (plures enim, in quibus vox* fertur *aut similis occurrit, neque in Suriano neque in aliis exemplaribus num.* 26 *recensitis inveniuntur) unicus, inquam, hic locus sufficit Tillemontio, ut assereret in Actis brevioribus* subinde *citari rumorem* communem *seu popularem, atque hinc inserret requisitam iis vetustatem deesse. Hoc illa defectu laborare etiam Bailletus scribit in Tabula critica ad* IV *Septembris. Continuatores Galliæ Christianæ a Dionysio Sammarthano inchoatæ tom.* 4 *col.* 860, Certe, *inquiunt*, vulgi rumoribus nituntur. *Supra laudati auctores Historiæ litterariæ Franciæ ea* exigui momenti et levis auctoritatis *esse ajunt. Cum Scriptores illi solidam rationem non adferant, cur ita judicent, neque ullam adferri posse videam, ego censuras eorum nihil curo. Tillemontium, uti ex locis citatis manifeste apparet, cæce secuti sunt, Actorum antiquitati et fidei detrahentem hoc argumento perperam intorto:* citant subinde rumorem communem.

Passionis brevioris

C 30 *Quæ rigidus ille criticus tom.* 3 *pag.* 35 *sibi displicere indicat, nihil etiam evincunt.* Acta, *inquit (breviora scilicet, nam in margine eorum editorem Surium hic citat)* et Ado in Martyrologio suo dicunt, eos (SS. Marcellum *et Valerianum*) in carcerem conjectos fuisse sub M. Aurelio Antonino cum illustribus Martyribus Lugdunensibus anno 177; sed carcere per miraculum aperto, de quo tamen Martyrum Lugdunensium historia nihil meminit, ambo inde abierunt. Creditu facilius est, uti multos alios, ita et illos fuga evasisse, cum in Christianos inquireretur. *Neque in Actis a Surio phrasi nonnihil correcta editis, neque in Adonis Martyrologio aperte dicuntur* SS. Marcellus *et Valerianus e carcere,* per miraculum *aperto, exivisse. Apud Adonem tantum leguntur Sancti,* patefactis custodiæ, cui mancipati erant, divinitus claustris; *apud Surium vero,* patefacto divinitus carcere, *aufugisse. Ipsa ejus verba, qui breviora Acta scripsit, hic adjungo:* Ex quorum numero martyrum *Lugdunensium* Marcellus et Valerianus, custodiæ illius, cui fuerant mancipati, effractis * divinitus claustris . . . fugam latenter arripiunt. Quod Dei providentia ordinatum ne quis
D ambigat, ut ad illa scilicet loca, ubi eis passionis consummatio debebatur, intenderent properare, et gentilium mentes, quæ per eos in Christum erant crediture, exemplis martyrii roborarent. *Asseret hic quidem auctor,* divinitus *factum seu* Dei providentia ordinatum *fuisse, ut custodiæ claustra effracta fuerint et uterque Sanctus evaserit: sed quis inde miraculum per legitimam consequentiam inferat? Multa sane* divinitus, *seu quod idem est,* ex singulari Dei providentia *fiunt, quæ nec debent nec possunt pro miraculis haberi. Sic si modo et mediis naturalibus, sed singulari Dei, ne hæc deessent, disponentis providentia carcer a Sanctis effractus vel apertus fuerit, recte id dicitur contigisse* divinitus, *licet sine miraculo.*

* al. patefactis

auctoritas defenditur,

31 *Verum esto: Sancti miraculose liberati fuerint. An ideo verisimilius est,* SS. Marcellum *et Valerianum, persecutione Lugduni ingruente, fuga elapsos, nec comprehensos et in carcerem conjectos fuisse? An ideo, inquam, severo magis quam exacto critico credendum est, conjecturas obtrudenti contrarias Actis, quæ ipse quidem supponit non satis antiqua et sincera esse, sed nullo alicujus roboris argumento probat? Tale non est*
E *silentium, quod objicit, Historiæ de Sanctorum Lugdunensium martyrio, seu epistolæ ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad fideles in Asia et Phrygia constitutos apud Eusebium Cæsariensem lib.* 5 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* I *et seqq.; nam facillime fieri potuit, ut Christiani Viennenses ac Lugdunenses ignorarint modum (sive is miraculosus fuerit, sive non,) quo carcer apertus fuit, cui* SS. Marcellus *et Valerianus includebantur. Haud dubie quidem inaudiverant, ambos inde evasisse; sed quoniam sibi proposuerant Martyrum suorum certamina ad Asiæ Phrygiæque ecclesias perscribere; mirum profecto non est, si taciti præterierint illos e carcere elapsos fuisse, qui nulla forte constantiæ Christianæ aut fortitudinis specimina memoratu digna ediderant, et videri poterant metu mortis et suppliciorum aufugisse. At neque pro certo haberi potest, quod utriusque Sancti carcerem et fugam epistola illa non commemoret, cum hæc integra non supersit. Postquam Eusebius in Historiam ecclesiasticam lib.* 5 *cap.* I *et seqq. ex illa*
F *transcripsisset, quæ ipsi ad institutum suum pertinere videbantur, ipsa cap.* 4 *subjungit:* Cæterum quid opus est expressum in supra dicta epistola catalogum martyrum hic recensere, quorum alii securi percussi, alii feris objecti, alii in carcere exanimati sunt? Quid item opus est referre numerum confessorum, qui postea superfuerunt? *Hos inter* SS. Marcellum *et Valerianum non recenseri, vel si recenseantur, reticeri eorum carcerem et liberationem, illi affirmare ausint, qui totam epistolam perlegerunt, et rem ita se habere compererunt.*

eique inhærendum esse pronuntiatur.

32 *Præter argumenta, quæ jam infirmavi, neque Tillemontius neque alii, quod sciam, critici contra breviora Acta quidquam objiciunt; nec video, quid efficaciter objicere possint. Nunc meam sententiam paucis accipe. Cum demonstrari nequeat breviorum auctorem post tempora S. Gunthramni, qui ab anno* 561 *usque ad* 593 *regnavit, imo post seculum* V *aut* IV *scripsisse, cumque in narratione sua sincerus appareat, nec quidquam adferat, quod rationi aut veritati manifeste repugnet; ego ipsius auctoritate standum esse censeo, neque ab ea recedendum, donec probetur, quod ad fidem faciendam inidonea sit: onus*

autem

AUCTORE J. L.

A *autem probandi iis incumbit, qui talem esse contendunt. Actorum prolixiorum scriptor, qui Tillemontio, seculo* VI *exeunte non antiquior, et mihi breviorum auctore junior videtur, in notis subinde reprehendetur: nam aliqua refert, quæ censor etiam benignissimus improbabit.*

§ V. Varia, quæ de Sancto traduntur et in Actis silentur; episcopatus illi abjudicatus; tempus martyrii.

SS. Marcellum et Valerianum consanguineos fuisse innuit S. Greg. Turonensis: alia

Nonnulla a variis scriptoribus de S. Marcello *litteris tradita invenio, quæ in utrisque Actis reticentur, et proinde eorum editioni hic præmitto. S. Gregorius Turonensis lib.* 1 *de Gloria Martyrum cap.* 54 *scribit :* Huic Martyri (S. Marcello, *de quo capite præcedente egerat,)* adjungitur et sanguine et agone propinquus beatus athleta Valerianus, qui apud castrum Tri-
B norciense... consummato certamine, tumulatus est. *Si vocula* et *hic suo officio fungatur, quod est distincta conjungere, sequitur ut sancti Martyres fuerint fratres vel cognati. In Theophili Raynaudi Indiculo Sanctorum Lugdunensium et Martyrologio Gallicano Saussayi Sanctus noster dicitur fuisse* civis Lugdunensis, et primarius inter eos, qui cum S. Photino in persecutione Antonini sunt comprehensi. *Qui eum Lugduno oriundum affirmet, Reynaudo antiquiorem non novi. In Actis brevioribus apud Surium quidem lego :* E quibus *(50 Christianis Lugduni in carcerem detrusis)* primarii fuere beatissimus Marcellus et Valerianus : *sed a nostris omnibus exemplaribus vox* primarii *abest.*

de ipsis traduntur sine idonea

34 *Jacobus Severtius parte* 3 *Operis de archiepiscopatu Lugdunensi cap.* 4 *sect.* 5 § 4, S. Marcellum *discipulum fuisse asserit S. Photini primi Lugdunensis episcopi; quod auctores Historiæ litterariæ Franciæ tom.* 1 *parte* 1 *pag.* 225 *verisimile esse ajunt, mera conjectura ducti, cui ego ab auctoritate nihil probabilitatis adferre possum. Garnerius monachus Trenorchiensis in Passione S. Valeriani apud Jueninum supra laudatum pag.* 29 *S. Photinum Lugdunensium con-*
C *versioni laborasse scribit,* ascitis secum venerabilibus collegis suis et beatis confessoribus Valeriano atque Marcello : *sed Garnerii testimonium idoneum non est, cum seculo* XII *scripserit, longissimo temporis intervallo remotus a SS. Photino* Marcello *et Valeriano, qui seculo* 2 *claruerunt. In Viennensium et Lugdunensium epistola dicuntur comprehensi fuisse* ex utraque ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore atque industria res hic constitutæ fuerant : *sed ex generali hac propositione, quæ tam de viris quam de feminis, tam de laicis quam sacro Ordine initiatis intelligenda est, consequenter non deducuntur singularia illa, quæ de* SS. Marcello *et Valeriano, qui ex eorum numero fuerunt, a Raynaudo, Surio, Severtio et Garnerio prædicantur.*

auctoritate : verisimiliter non fuere laici.

35 *Sanctum* Marcellum *sacerdotem fuisse contendit Raynaudus citatus.* Acta, *inquit,* breviora S. Marcellum aperte statuunt sacerdotem ; jussum enim idolis sacrificare, respondisse referunt, se quotidie hostiam sinceram Deo offerre, ideoque non posse impuris hostiis contaminari. *Ad hæc reponunt laudati continuatores Galliæ Christianæ ex Tillemontio tom.* 3 *pag.* 602 *:* Nullius ponderis est ejusmodi argumentum ; alia quippe sunt sacrificia, quæ laici etiam ipsi Deo offerre possunt : idemque responderunt, quos sacerdotes esse non posse in confesso est. Sic S. Serapia, *cujus Acta consuli possunt tom.* VI *Augusti pag.* 500, simili mandato respondit : " Quotidie Christo offero sacrificia, adorans illum ei deprecans die ac nocte ". *Responsio hæc Raynaudi argumentum penitus enervat : sed ex iisdem Actis aliud peti potest, unde saltem eruitur,* SS. Marcellum *et Valerianum verisimiliter laicos non fuisse. Testatur illorum auctor, eos e carcere Lugdunensi evasisse, idque* divina providentia ordinatum *fuisse,* ut... gentilium mentes, quæ per eos in Christum erant crediture, exemplis martyrii roborarent; *dein illos diversum iter ingressos fuisse,* S. Marcellum *ad Sequanos, S. Valerianum ad Æduos;* ut *gentes istas* ad veri Dei cultum divini verbi prædicatione converterent. *Hi loci obstant, quo minus Sanctos, qui Sequanos et Æduos Christiana fide instituendos susceperant, laicos dicere ausim. Neque id facile sibi de* S. Marcello *persuadebunt, qui credunt eum* E *Cabilonensium apostolum fuisse. Traditio hæc a multis scriptoribus refertur : quibus nil contradico, nisi velint Sanctum in ipsa urbe Evangelium prædicasse; hanc enim, quemadmodum ex utrisque Actis liquet, non prius ingressus fuit, quam cum a Prisco præside jam comprehensus esset. Laborum apostolicorum alia ipsi palæstra esse non potuit, quam quæ martyrii fuit, id est, ea territorii Cabilonensis pars, quæ ad sinistram Araris ripam jacet, quamque Fredegarius et Aimoinus num.* 4 *citati Sequanorum provinciæ adscribunt.*

S. Marcellus, quem quinque Hieronymiana ad hunc diem episcopi titulo donant,

36 *Raynaudus sancto Martyri, quem sacerdotem fuisse dicit, episcopalem dignitatem abjudicat, asseverare non dubitans, de illa* nullibi sive in Actis, sive alibi uspiam *mentionem fieri, præterquam apud Severtium citatum. Sed de quo igitur Marcello ad hunc diem agit apographum Hieronymianum Epternacense, medio seculo* VIII *antiquius,* Marcelli episcopi; *de quo Aquisgranense,* in Cabalono S. Marcelli episcopi? *An hic a nostro Martyre diversus est? Conjectura hæc non displicuisse videtur Florentinio in Notis ad* F *vetustius Martyrologium de Sancto nostro ita scribens :* Hunc episcopum vocat Martyrol. vetustissimum Epternacense, quin etiam episcopum et confessorem Ms. Reginæ Sueciæ contra.. Actorum fidem, ut duos Cabilonenses Marcellos fuisse suspicionem inducant. *Martyrologii Ms. Reginæ Sueciæ textum a Florentinio visum profert illustrissimus Franciscus Maria de Aste archiepiscopus Hydruntinus in notis ad Romanum :* Cabillone in Gallia S. Marcelli episcopi et confessoris. *Mox subjicit :* Eliciuntur *ex hujus et aliorum Martyrologiorum annuntiationibus* duo Marcelli ibidem hac die, unus martyr, alter episcopus et confessor. Sammarthani vero inter Cabillonenses episcopos hunc Marcellum non tradidere. *Sed si ecclesiæ isti præfuerit* S. Marcellus *confessor, quis ille synonymus episcopus martyr, quem celebrant Hieronymianum Reginæ Sueciæ seu Senonense S. Columbæ, a Sollerio tom.* VII *Junii editum :* Galliis, civitate Cavillono, passis S. Marcelli episcopi et martyris, *et Barberianum secundum :* Cavellonis, passio S. Marcelli episcopi. *Si singulis hisce Martyrologiis plena fides habeatur, jam duo* Marcelli *Cabilonenses episcopi*

AUCTORE J. L.

episcopi admittendi sunt, alter martyr, confessor alter; uterque distinctus a sancto nostro Martyre, si episcopus non fuerit.

a nostro Martyre distinguendus non est,

37 *Licet* S. Marcellus *in quinque Hieronymianis, quorum textus retuli,* episcopus, *et in uno eorum* confessor *nuncupetur ; cum tamen non distinguendum judico a* S. Marcello, *quem quindecim alia, quæ pervolvi Hieronymiana, necnon Rabani, Adonis, Usuardi et aliorum Martyrologia martyrem solummodo appellant. Sanctus, qui ad eumdem diem in Martyrologiis omnibus annuntiatur, et cujus locus natalis in plerisque idem, in nullo diversus signatur, in duos statim non dividendus est, quia nonnulla aliis titulis ornatum repræsentant. Veterum codicum, præsertim usualium, ut sunt Martyrologia et Legendæ, communis et dolenda est hæc conditio, ut exscribentium oscitantia, temeritate vel imperitia multis in locis corrupta sint. Ex Martyrologiis nulla sæpius transcripta, imo pro arbitrio amplificata et contracta sunt quam Hieronymiana : unde mirum videri non debet, quod frequentissimis mendis et erroribus scateant. Hisce accenseo* epi-
B scopi *in quinque exemplaribus apographis, et in uno* confessoris *appellationem* S. Marcello *Cabilonensi attributam. Unum igitur hujus nominis Sanctum Cabilonensem agnosco, eumque nec episcopum nec confessorem, sed martyrem dumtaxat. Nullum ego auctorem novi, cui vel suspicio inciderit, plures admitti posse, præter Florentinium et illustrissimum Franciscum Mariam de Aste. Qui unicum fatentur, inficientur necesse est, eum confessorem esse, hoc videlicet sensu, quod sancto fine in pace quieverit; nam de martyrio ejus consummato constat.*

cui dignitatem illam abjudicamus.

38 *Qui cum Severtio ipsum episcopum faciunt, memorata quidem quinque Hieronymiana in opinionis suæ confirmationem allegare possunt; sed ex jam dictis satis apparet, illorum auctoritatem, nulla alia graviore suffultam, non sufficere, ut Sancti episcopatum evincant. In ceteris Martyrologiis, in Operibus S. Gregorii Turonensis, totque aliis vetustis documentis, quæ Sanctum celebrant et a me superius* § 1 *et* 2 *producta sunt, solum ejus martyrium exprimitur : nec quidquam in utrisque ipsius Actis narratur, ex quo episcopalis dignitas extundi possit. In nullis*
C *etiam, quos inspicere licuit, Cabilonensium antistitum catalogis* S. Marcellus *nominatur, excepto illo, quem Severtius a Sancto exorditur. Sed quomodo hic primus cathedram Cabilonensem occupare potuit, quæ, cum Lugduni in carcerem mitteretur, nondum erecta erat, ut certum est apud omnes, quamque ipse postea erigere non potuit : nam ex Actis manifestum est, eum Cabilone numquam substitisse, nisi forte postquam jam in manus Prisci tyranni incidisset, neque etiam missum fuisse, ut ibidem episcopatus institueretur; cum e carcere Lugdunensi* fugam latenter *arripuerit, et Sequanos vera fide imbuendos susceperit, non vero Æduos, in quorum terra urbs Cabilonensis jacebat. Primus, quem hi populi episcopum habuere, non Cabilone, sed Augustoduni procul dubio sedit; cum hæc, non illa urbs Æduorum caput esset. Primus autem Augustodunensis episcopus S. Amator martyrio Sancti nostri certe posterior est. Inter sanctos Synonymos celebres sunt episcopi, Apamiensis martyr, Parisiensis et Diensis confessores. Hic ad* IX *Aprilis, iste ad* I *Novembris, ille ad* XIV *Augusti Martyrologio Romano inscriptus est. Aliquis ex tribus illis episcopis cum cognomine Cabilonensi Martyre confusus causa vel occasio esse* D
potuit, ut huic episcopatus in uno Hieronymiano apographo adscriberetur, qui error dein in alia transierit. Errori etiam occasionem præbere potuit traditio, quæ fert Sanctum Cabilonensium apostolum fuisse; unde et eorum episcopus putari potuit.

Passus est anno circiter 178.

39 *Sanctum Marcellum* IV, *ejus vero socium S. Valerianum* XV *Septembris martyrium subiisse, extra controversiam est :* Passus est autem beatissimus Valerianus anno ab Incarnatione Domini centesimo septuagesimo nono, Marco Antonino, cognomento Vero, Romanum imperium administrante, Lucio Aurelio et Commodo ex æquo consulibus. *Ita Acta S. Valeriani a Garnerio monacho sec.* XII *scripta, qui unicum consulem, Lucium Aurelium Commodum imperatorem, in duos male dissecat; ejus tamen consulatum, in quo T. Annium Aurelium Verum collegam habuit, anno* 179 *recte affigit. An etiam passionem S. Valeriani, et qui undecim ante illum diebus coronatus est* S. Marcelli? *Tillemontius tom.* 3 *pag.* 602 *annum a Garnerio determinatum se adoptasse ait, quod tempus aptius non inveniret.* E
Eumdem designarunt Martyrologium Parisiense anno 1727 *editum, Bailletus, Castellanus et alii. Juenino in Tabula chronologica, tomo* 1 *Historiæ Trenorchiensis subjecta, præplacuit annus* 177, *quo L. Aurelius Commodus etiam consul fuit cum Quintillo. Ego supra Sancti nostri martyrium posui* circa annum CLXXVIII, *quod tempus latius extendi nolim, quam ad annos* 177 *vel* 179. *Certe ante annum* 177 *passus non fuit : nam Acta breviora* S. Marcellum *referunt ad fortiter oppetendam mortem se animasse exemplo* præmissorum sociorum, *Lugdunensium scilicet, cum quibus comprehensus fuerat, quique circa finem mensis Julii et initium Augusti anni* 177 *capite truncati vel feris objecti fuere, Photino et aliis exceptis, qui non diu ante in carcere obierant. Non videtur etiam Sancti martyrium differendum esse post annum* 179 *: nam ex Actis satis colligitur, quod pluribus quam duobus annis post Martyrum Lugdunensium certamina vitam non protraxerit. Imo quo diligentius expendo, quæ Sanctus a fuga e carcere Lugdunensi usque ad mortem suam egisse narratur, eo verisimilius mihi apparet, illum biennio non supervixisse, et* F
consequenter ejus passionem ultra annum 178 *non differendam esse.*

PASSIO

auctore anonymo,

Ex editione Petri Francisci Chiffletii, collata cum Ms. Andreæ du Chesne geographi regii.

In persecutione sub M. Aurelio Antonino Lugduni 50 Christiani in carcerem mittuntur,

Cum sub principe Antonino, qui Romani imperii apicem gubernabat, per omnes provincias vel civitates *a* adversus Christianos impiæ persecutionis edicta *b* penderent, quæ universitatis * dignitatum provinciarumque rectores non tam obtemperandi studio, quam veræ religionis

a
b
* *in Ms. Chesniano* universitas

A gionis odio ita instantius exequi nitebantur, ut per omnia loca ultra humanam crudelitatem in Christianorum sanguine *c* bestiarum feritate sævirent; eo tempore in urbe Lugdunensium vehementer persecutionis rabies æstuabat. Ubi cum populi sævientis arbitrio uterque sexus, omnis ætas atque conditio aptaretur * ad pœnam; quinquaginta *d* sacræ religionis cultibus dediti, diversis suppliciorum cruciatibus præparandi, jussu præsidis *e* in ergastulis retruduntur.

* ib. raperetur

e quo S. Marcellus elapsus ad Sequanos iter arripit, fidem illis annuntiaturus:

2 Ex quorum numero martyrum Marcellus et Valerianus, custodiæ illius, cui fuerant mancipati, effractis * divinitus *f* claustris, juxta Euangelicam auctoritatem et *g* ad civitatem aliam fugam latenter arripiunt. Quod Dei providentia ordinatum ne quis ambigat; ut ad illa scilicet loca, ubi eis passionis consummatio debebatur, intenderent properare, et gentilium mentes, quæ per eos in Christum erant credituræ, exemplis martyrii roborarent. Quique ut tutius *h* ab illo persecutionis turbine declinarent, non mente sed flumine *i*, non fide sed itinere dividuntur: e quibus Valerianus Augustidunensis viæ compos *, iter MarcellusSequanici territorii aggreditur; ut utriusque B ripæ incolas ad veri Dei cultum divini verbi prædicatione converterent, et non solum de proprii effusione sanguinis, verum etiam propter multorum crudelitatem in Christo de diabolo triumpharent *k*.

* ib. patefactis

* ib. compita

hospitem cum tota familia ad Christum convertit: persecutionem declinans

3 Cumque sanctus Marcellus latendi studio viam itineris occulte conficeret; Dominus noster Jesus Christus Confessorem suum diutius latere non passus *l*, accidit ut a Latino *m* quodam ei improvisa hospitalitas præberetur; qui statuam Martis equestrem, Mercurii etiam et Minervæ simulacra eodem expressa metallo, in vestibulo posita, cultu peculiari adoraret et coleret. Cujus cum profanæ superstitionis errorem Sanctus Dei non sine dolore vidisset, admonet * hospitem, ut ab hac miserabili superstitione discederet, adstruens, saxa sensu carentia effectus non posse præstare votorum; sed illos aut stultis pecudibus comparandos, aut non multum ab impolitis distare lapidibus, qui deos colerent *, quos humana manus in similitudinem dæmonum fabricasset. Cujus objurgatio in tantum valuisse perhibetur *n*, ut brevi C tempore totam domum hospitis ad crudelitatem Christi spreto errore converteret. Et cum ibidem pro lætitia non irriti laboris aliquantulum moraretur, agnoscit fervere locis omnibus persecutionis instantiam *o*.

* ib. ammonuit

* ib. crederent

in præsidem Priscum incidit, qui eum post varios cruciatus

4 Tunc Cabilonense oppidum prætermittens *p* et Argentomagensis *q* aggeris carpens viam, præsidem Priscum solemni apparatu profanis sacrificiis numinibus suis immolantem incurrit; quem ille ad convivium more hospitalitatis invitat *. Sed sanctus Dei Martyr abhorrens epulas, convivas objurgandos potius credidit quam imitandos. Et cum se Christianum castigatione prodidisset, novis affligendum cruciatibus ii, qui aderant, decreverunt; ut per arboris ramos, quos natura per diversa diffuderat, omni corpore separandus laqueis tenderetur: quibus adductis et naturali vigore redeuntibus, compago membrorum constrictis artubus discerperetur.

* ib. invitavit

intentatos idolis immolare constanter renuentem

5 Verum cum fidei constantia Martyr in confessionis suæ proposito immobilis permaneret, cruento persecutoris nequissimæ crudelitatis consilio atrocius visum est, ut in conspectu populi diversis pœnarum suppliciis interiret *r*. Jubet itaque eum ad Saturni statuam duci, quæ ripæ Araris * imminebat, et ad solis simulacrum, quod in alia parte *s* fluminis positum adorabant: quibus si immolare non adquiesceret, gladio puniretur *. Sed fides Martyris sancto Spiritu roborata frangi non potuit, hæc semper ad interrogata respondens: Quicumque Deum vivum totis animæ viribus et perfecta cordis credulitate receperit, insensibilibus idolis sacrificare non poterit. Et nefas est, ut anima cælitus data, vitæ suæ Auctore neglecto, simulacra dæmonum colat, quæ diabolus ad perditionem humani generis adorari persuadet: se numquam tam profanis sacrificiis polluendum, qui Christo quotidie hostiam sinceritatis offerret; sed potius præmissorum sociorum *t* exempla sequuturum, cum quibus se confideret æternæ gloriæ præmiis munerandum.

* ib. littoris

A. Anonymo.

* ib. perimeretur

terræ cingulo tenus infodi jussit, cui supplicio post triduum immoritur.

6 Quem præses cum videret nec minas nec supplicia metuentem, furentis iracundiæ stimulis incitatus, inaudito crudelitatis genere infodi erectum cingulo tenus jubet; ut sepultura vivo esset ad pœnam, quæ defunctis præbetur ad requiem. Sic sanctus Dei Martyr in secundo ab oppido Cabilonensi milliario, vivens Christo, medius sepelitur: qui tertio die in Dei amore et laudibus perseverans, incontaminatum reddidit E spiritum, sancti corporis nobis exuvias ad patrocinium derelinquens: regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor, gloria et virtus cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Ms.* et per omnes provincias et civitates. *Persecutionem, in qua* SS. Marcellus *et Valerianus cum aliis* 48 *martyribus, qui a palæstra Lugdunenses vocantur, comprehensi sunt, generalem fuisse testatur Eusebius lib.* 5 *Historiæ ecclesiasticæ ab Henrico Valesio Græco-Latine editæ in Prooemio:* Annus tunc agebatur septimus decimus imperii Antonini Veri, *Christi* 177. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse ex iis, quæ in unica provincia Lugdunensi contigerunt, conjicere est. *Sequuntur apud Eusebium cap.* I *et seqq. fragmenta epistolæ ecclesiarum Viennensis* F *et Lugdunensis ad Christianos in Asia et Phrygia degentes, de SS. Martyrum Lugdunensium certaminibus ex eorum ore conscriptæ, qui illis præsentes adfuerunt.*

b *Tillemontius tom.* 2 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 308, *et tom.* 3 *pag.* 610 *M. Aurelium Antoninum Verum numquam generale aliquod decretum contra Christianos edidisse affirmat. Necesse non est, ut illius assertionem hoc loco refellam; nam Acta exponi possunt de edictis, quæ provinciarum præsides urbiumve magistratus publice affixerunt, quæque vulgo credita fuerunt ab ipso M. Aurelio emanasse, quod ejus vel conniventis vel approbantis nomine atque auctoritate illi uterentur. Satis igitur est, si edictis publice appensis, sive imperatorem auctorem habuerint, sive non, persecutio decreta fuerit. Actis non adversatur Eusebius, qui illam* ex incursione popularium *commotam fuisse scribit; nam populi tumultibus clamoribusque præsides aut magistratus ad edicta contra Christianos promulganda instigari potuerunt. Sub initium epistolæ ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis hæc lego:* Nihil quippe intentatum reliquit

A. Anonymo. quit adversarius, dum ministros suos assuefacit, et quibusdam quasi proludiis exercet adversus servos Dei : adeo ut non solum ab ædibus, a balneis, a foro arceremur ; verum etiam interdictum fuerit, ne quis nostrum quocumque demum in loco appareret. *Quidni per edicta, quorum Acta meminerunt, istam quoque interdictionem intelligere liceat? An quia in Actis subditur, illorum exsecutione plurimum Christiani sanguinis effusum fuisse? Sed et de interdicto isto idem dici potest. Hoc certum est ex eadem epistola, aliquos Christianos, illo publicato, multa passos fuisse,* acclamationes scilicet, plagas, raptationes, spoliationes bonorum, lapidum jactus, carceres, cuncta denique, quæ vulgus furore et rabie concitatum adversus hostes et inimicos comminisci solet. Perducti deinde in forum a tribuno militum et a magistratibus civitatis, coram universo populo interrogati confessique, usque ad præsidis adventum conjecti sunt in carcerem, *ac postea martyrii lauream consecuti. Qui cum Tillemontio tom.* 2 *pag.* 663 *censent, Metitonem Sardianum episcopum apologiam suam pro Christianis M. Aurelio circa idem verisimiliter tempus obtulisse, quo persecutio in Gallia effervescere cœpit, inficiari nequeunt, tunc edicta per Asiam contra fideles etiam promulgata fuisse : nam apud Eusebium lib.* 4 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 26 *Melito imperatorem ita alloquitur :* Persecutionem nunc patitur piorum hominum genus, novis per Asiam decretis exagitatum. Impudentissimi namque delatores et alienarum opum cupidi, ex imperialibus edictis occasionem nocti, palam diu noctuque grassantur, spoliantque innoxios . . . Si hæc tuo jussu fiant, recte atque ordine facta sunto . . . Nos libenti animo ejusmodi mortis præmium ferimus *etc.* B

c *In Ms.* ultra humanam credulitatem in Christianorum sanguinem.

d *De* 48 *Martyribus Lugduni coronatis egimus ad diem* 2 *Junii, ubi singula eorum nomina proferuntur; quibus additi* SS. Marcellus *noster et Valerianus, de quo ad* 15 *Septembris agetur, numerum quinquagenarium complent.*

e *Ex laudata epistola constat, aliquos Martyres a magistratu Lugdunensi, postquam in foro coram omni populo interrogati essent, usque ad præsidis adventum in carcerem fuisse conjectos. Hinc tamen certo inferri nequit, id* jussu præsidis *factum non fuisse: nam absens edoceri potuit, quid Lugduni ageretur, et magistratui mandare ut illos apprehenderet, interrogaret, et, si rei deprehenderentur, carceri inclusos usque ad reditum suum detineret. Utut sit : hoc indubitabile est, ceteros martyres nondum apprehensos ex mandato præsidis Lugdunum reversi in carcerem missos fuisse : nam Christiani Viennenses et Lugdunenses in epistola sua testantur, post illius adventum hæc inter alia contigisse :* Comprehendebantur quotidie, qui digni erant, ut numerum illorum *(decem lapsorum)* supplerent : adeo ut ex utraque ecclesia præstantissimi quique, et quorum maxime labore atque industria res hic constitutæ fuerant, simul omnes tenerentur. Capti sunt etiam quidam nostrorum servi, qui gentiles erant : quandoquidem præses nos omnes requiri palam jusserat. C

f *Lege dicta in Comment. num.* 30 *et seq.*

g *Vocula* et, *quæ redundat, a Ms. abest.*

h *In Ms.* Qui ut ocyus.

i *Arari scilicet, vulgo* la Saone, *in Rhodanum fluente Lugduni, Segusianorum metropoti; quibus populis a Septemtrione contermini erant Ædui ad dexteram, et Sequani ad sinistram Araris ripam habitantes. Hos, ut mox narratur, adire constituit* S. Marcellus : *at S. Valerianus Augustodunum versus, primariam Æduorum urbem, iter arripuit. Vide annotationem in Acta altera sub littera* k. D

k *Sensum subobscurum ita exposuit Surius :* Ut non solum proprii sanguinis effusione, sed etiam multorum ad Christianam religionem traductione de diabolo triumpharent.

l *In Ms.* passus est. Accidit ut *etc.*

m *Apud Surium* Lationus *vocatur. Cabilonenses se a* S. Marcello *Christi fidem primum accepisse credunt, licet ex Actis manifestum sit, eum in ipsa urbe Cabilonensi commoratum non fuisse, antequam in Priscum tyrannum incideret, neque in illis legatur ullus ad veram fidem conversus fuisse præter Latinum cum tota familia. Hinc tamen ne quis inferat Cabilonensium traditionem a veritate et Actorum narratione alienam esse. Intelligi potest ejus veritas, si* S. Marcellus *in agro Cabilonensi prima fidei Christianæ semina jecerit. Cum Actis eadem traditio cohærebit, si Latinus cum familia a Sancto conversus fuerit in Brevia vel, ut alii scribunt, Bressia Cabilonensi, id est, in eo territorii Cabilonensis tractu, qui sinistræ Araris ripæ adjacet : hic enim, testibus Fredegario et Aimoino in Comment. num.* 4, *olim pars erat provinciæ Sequanorum, quam Sanctus adire decreverat.* E

n *Vide Comment. num.* 29.

o *Julius Capitolinus in M. Antonino philosopho, seu Marco Aurelio imperatore,* Res, *inquit,* in Sequanis turbatas censura et auctoritate repressit. *Eruditissimus Franciscus Bosquetus lib.* 2 *Historiarum ecclesiæ Gallicanæ id circa annum* 178 *contigisse existimat; turbas vero illas causa religionis excitatas fuisse : quod admodum verisimile mihi apparet, cum aliunde constet in Galliis vehementiorem fuisse incursionem popularium, ex qua persecutionem contra Christianos anno* 177 *commotam fuisse Eusebius scribit. Hanc autem, ut vulgi tumultuantis furor sedaretur, primo præsidum provincialium seu magistratuum urbicorum, dein ipsius etiam Marci Aurelii imperatoris auctoritate roboratam fuisse, evinci potest primo ex epistola ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis, quæ narrat præsidem* litteris ad cæsarem datis, de his omnibus, qui inclusi tenebantur, sententiam ejus exspectasse; *cæsarem vero rescripsisse*, ut confitentes quidem gladio cæderentur : hi vero, qui negarent, dimitterentur incolumes. *Secundo ex Passione SS. Epipodii et Alexandri, Lugduni anno* 178 *coronatorum; in qua apud Ruinartium in Actis Martyrum sinceris et selectis num.* 4 *hæc lego :* Potestas eos increpat, furorem suum hujusmodi clamore testatur : . . . Etiam nunc convelluntur principum sanctiones, et uno eodemque majestatis crimine imperator impugnatur et numina? *Tertio ex Passione S. Symphoriani, qui anno circiter* 180 *Augustoduni martyrium subiit, apud eumdem Ruinartium num.* 2; *ubi hoc ipsius M. Aurelii decretum producitur :* Aurelius imperator omnibus administratoribus suis atque rectoribus. Comperimus ab his, qui se temporibus nostris Christianos dicunt, legum præcepta violari. Hos comprehensos, nisi diis nostris sacrificaverint, diversis F

A sis punitæ cruciatibus, quatenus habeat districtio prolata justitiam, et in resecandis criminibus ultio terminata jam finem.

p *Acta prolixiora hic addunt, Sanctum Ararim trajecisse; quod ex hisce quoque conficitur, nam numero sequente habent :* Jubet itaque *Priscus* eum ad Saturni statuam duci, quæ ripæ Araris imminebat, et ad solis simulacrum, quod in alia parte fluminis positum adorabant; *cui cum immolare notlet, cingulo tenus terræ infoditur. Sed hoc contigit ad sinistram Araris ripam, ubi S. Gunthrannus postmodum insignem basilicam cum monasterio sancto Martyri extruxit : igitur in eadem ripa solis simulacrum positum erat. Ripa vero, cui Saturni statua imminebat, dextera fuerit oportet, cum solis simulacrum a gentilibus adoraretur* in alia parte fluminis. *Ex his patet, Sanctum Ararim trajecisse, et a Sequanis, in quorum provincia Latinum converterat, ad Æduos dexteram fluminis ripam accolentes pervenisse. Hic via Argentomagensi iter faciens in præsidem Priscum incurrit; qui eum ad Saturni statuam eidem dexteræ ripæ imminentem, dein ad*
B *solis simulacrum, in alia parte fluminis erectum, duci jussit; ubi martyr occubuit. Sic igitur qui a Sequanis paulo ante ad Æduos transierat, rursum ab Æduis ad Sequanos reductus, martyrium in Sequanis consummavit.*

q *Ex jam dictis consequitur, ut* agger *seu via* Argentomagensis *fuerit in Æduis. Petrus Franciscus Chiffletius probationibus Historiæ Trenorchiensis a pag.* 59 *prolixam de aggere isto notationem inseruit, in cujus fine hanc suam de* Argentomagi *situ conjecturam adfert :* Ecquid ergo tum erat Argentomagus, a quo agger Argentomagensis a Cabilono deductus? In Æduis quærendus est, et loco haud remoto. Distat Argilliacum ab urbe Cabilone leucis horariis admodum quinque. Locus est non obscuri nominis, et Burgundiæ ducum villa quondam regia; sed Romanæ antiquitatis nulla (quod sciam) habet vestigia. Haud procul Argilliaco tumulus est antiquæ urbis. Locum ipsum accolæ hodie Bolartum vocant; ab omnibus quidem solo superexstantibus ædificiis vacuum, sed fœtum ruderibus, ac nummis, aliisque Romani imperii monumentis, in quæ subinde agricolarum ligones
C atque aratra offendunt. Ex hujus antiqui oppidi rediviva materie conjectura est exstructum ævo recentiore Argilliacum, quod ab Argentomago appellationem traxerit. Argentomagum vetus ibi agnosco, quod aggeri Argentomagensi nomen fecerit: donec aliud quid vero propius antiquam topographiam perscrutanti Deus objiciat. *In atiquot tabulis geographicis antiquam Galliam atque ejus sub Romano imperio vias militares exhibentibus, unam Cabilone Lingones usque sic ductam invenio, ut necessario transierit per Æduorum agrum, vicinum loco, ubi nunc Argilliacum jacet, vulgo* Argilly; *quod in charta geographica ducatus Burgundiæ apud Blavium haud ita procul ab Arari Cabilonem inter et Divionem notatur. Viam illam dicerem esse* aggerem Argentomagensem, *de quo Acta* S. Marcelli *meminerunt; si urbs antiqua, cujus vestigia prope Argilliacum sua ætate exstitisse Chiffletius testatur,* Argentomagus *fuerit : verum uti hoc, ita et illud incertum est. Mihi veterem* Argentomagum, *unde agger seu via Cabilone deducta nomen acceperit, eruderare conanti nihil occurrit, quod vero magis accedere mihi videtur, quam conjectura Chiffletii jam proposita.*

r *Videri possunt observationes, quibus Passionem sequentem excepturus sum, litteris* q *et* aa.

s *Relege annotationem datam ad litteram* p.

t *Martyrum Lugdunensium, cum quibus in carcerem conjectus fuerat.*

A. Anonymo.

PASSIO ALTERA

auctore anonymo,

Ex editione ejusdem Chiffletii collata cum duobus vetustis musei nostri codicibus Mss., signatis QMs. 6 *et QMs.* 7 a. a

E *Prologus*

Passionem sancti Marcelli martyris, cujus patrocinio Cabilonensis urbis sublimantur mœnia pariter et tutantur *b*, sicuti per succedentia tempora ad nostram usque memoriam relatione sanctissimorum Patrum Christo adjuvante pervenit, pro confirmandis Catholicæ plebis gratificandisque votis fidelium, divina auctoritate *c* firmatam, veritatis studio et obedientiæ cultu duximus scribendam : ut dum Martyrum cælestis victoria recensetur, sit laus Jesu Christi Dei ac Redemptoris nostri, qui in singulis certaminibus Martyrum triumphavit; ut dum per revoluta annorum spatia cognoscitur, æternis sæculis propagetur. Plurima enim memoriæ tradita, velut scripta retinentur *d*, relationibusque assiduis facta clariora, rerum potius admiratione servantur.

Cum SS. Martyribus Lugdunensibus comprehenditur; sed ope angelica e carcere liberatus

2 Igitur sub Antonino imperatore generaliter adversum omnes Christianos præcepta impiæ persecutionis exstiterant, quæ a præfectis, vicariisque eorum præsidibus, ac præpositis provinciarum et obtemperandi studio, et Christianæ religionis odio, et sacrilegæ persecutionis instantia * custodia vehementissime complebantur : ac * per universas atrociter civitates ordinati rectores in Christianorum sanguinem hostili ferocitate sævissime grassabantur. Eodem itaque tempore in urbe Lugdunensi quinquaginta præstantissimi viri *e* Christianæ religionis cultu in ergastulorum custodia subdendi immanibus suppliciis retrudebantur *. Ex quo numero sanctus Marcellus et sanctus Valerianus venerandi martyres fuerunt : quibus obseratis *, nocturno tempore, angelicæ visitationis *f* affectu, ad egressum liberum denuo reclusa divinitus claustra patuerunt. Reliquorum vero felix consummatio Lugdunensi- F bus proceribus, summoque senatui, vel circumjectis ejusdem urbis Cabilonensis *g* oppidis, populisque per manifestum passionis *h* ordinem, ut de ipsis legitur, gloriosi certaminis victoria non habetur incognita. Nos autem ad præsentis martyrii ordinem, ut inchoatæ relationis gratia postulat, redeamus.

* *in utroque cod.* instinctu
* *in Fuld.* tunc
* *in utroque* retruduntur
* *in Fuld.* obserata

Sequanos vera fide instituendos suscipit; i

3 Soluti itaque, ut supra dictum est, ab ergastulorum custodia sancti Martyres *i*, scilicet quibus divina ordinatione in aliis locis passionis gloriosa consummatio debebatur; voluntas Dei fuit, ut sanctus Valerianus Cabilonensis territorii *k* aggerem munitum, et beatus Marcellus, interposito

A. ANONYMO.

interposito Arari, Sequanorum silvestre iter arriperet, quatenus Athletæ Christi illuc *, quo fuerant destinati, ante consummationem Christo auctore debitam atque paratam, utriusque ripæ incolas ad veri Dei cultum, qua poterant, vel directi fuerant, Apostolica institutione pertraherent. Divina quippe gratia aliorum profectibus meretur *l*. Ad Cabilonensem ergo civitatem et abscessus eorum Lugdunensi ab urbe, et ordo itineris, fama celeriter deferente, vulgatur, hos tantum *m* duos instanti persecutioni fuisse subtractos.

* *in utroque* illic

ad quam hospitem suum cum tota familia convertit: persecutioni se subducens

4 Interea sanctus Marcellus iter carpens provinciæ Sequanorum, a Latino quodam nomine gratia hospitalitatis excipitur, qui errore gentilium, profanis ritibus, statuam Martis equestri effigie, politi lapidis argumentatione formatam, Mercurii etiam et Minervæ ex eodem metallo, celebri * vestibulo positas excolebat. Quod cum Dei Servus videre sine animi cruciatu non posset, admonet hospitem cum summa patientia et doctrina, ut ab hac irrita miserabilique superstitione discederet, asserens non valere aliquid impertiri petentibus, neque effectus indulgere votorum effigies mutas, vel saxa sensu carentia: nec multum eos ab ipsis distare lapidibus, qui hæc * facta sibi esse credant meliora. Cujus magna objurgatio in tantum valuisse perhibetur, ut brevi tempore ad cultum veræ religionis totam felicissimi hospitis domum exhiberet. Sed cum ibidem pro redemptione animarum non irriti laboris gratulatus, exigui temporis spatio moraretur, agnoscit fervere locis omnibus vicinæ urbis statuta *n*.

* *ibid. additur* in

B

* *ibid.* a se

in præsidem Priscum incurrit, qui ipsum, ubi Christianum agnovit,

5 Visum itaque est ei ut prætermissa Cabilonensium civitate, Sagonam, *o* locis secretioribus transmearet. Argentomagensis aggeris, transmisso amne, iter aggrediens hospitium *p* Prisci præsidis sanctus Dei Marcellus ingreditur: solemni epularum apparatu propriis ipsum præsidem gentilibusque numinibus immolantem reperit. Quem ille ut conspexit celeriter properantem, ad convivium, sacrilegis cultibus apparatum, more humanitatis invitat. Sed testis Christi sanctus Marcellus refugiens epulas profano errore pollutas, convivas objurgandos potius credit *, quam vitandos. Et cum se Christianum inrerrogatus fiducialiter prodidisset, novis afficiendum cruciatibus protinus sævi præsidis decrevit imperium.

* *ibid.* credidit

C

arboris ramis alligatum cruciari, dein cum ejus in vera

6 Sic ergo cum vinculis elatus in arborem per discedentes ramos in omni corpore laqueis impositis tenderetur, et membrorum compage districta extensi artus adstricti nexibus jungerentur *q*, vetustum ad hæc *r* patris crimen consumpsit in arbore, cælestis Christi, regenerationis novæ gloriam Domini imitatus declaravit in ligno: ut dum pomiferum comedit edulium, invictum crucis procederet ad triumphum. Dum in proposito sanctus Marcellus vicino mortis frigore, calore fidei immobilis perduraret, nequissimo persecutoris tractatu competentius visum est, ut in conspectu populi allatis suppliciis puniretur. Tunc ait crudelissimus præses: Nomen tuum, Marcelle, erroremque comperimus. Sacratissimi imperatoris nostri divalia præcepta constant *s*, ut qui venerandorum numinum principatum, Saturnum patrem, ac Jovem omnipotentem, eorumque filios ac propinquos adorare detrectant, capite puniantur. Quod nisi feceris, trucibus suppliciis punieris.

fidei professione et idolorum detestatione constantiam

7 Sanctus Marcellus respondit: Simulacra ista, quæ nominas, adeo fuere mortalia, ut suis polluta criminibus, dudum mortua et in inferno sepulta perierint. Quibus si quis crediderit, * Dei omnipotentis, qui ante sæcula fuit, et semper est, semperque futurus est, æternum ac tremendum pœnarum judicium sustinebit. Christianus sum: Christum Dei Filium, sancto Patri *t* coæqualem, cæli et terræ marisque factorem, et rerum omnium conditorem me credere, libera et irrevocabili voce * profiteor *u*. Priscus vero præses animi indignatione succensus, sanctum Marcellum martyrem impiis trucidandum carnificibus assignavit; isdemque * jussit, ut ante simulacra statuarum, quæ in civitate erant, spectante vulgo gentilium, pro insanientium libitis multimodos exciperet cruciatus. Primum ergo ad Saturni statuam, quæ ripæ Araris imminebat, eculeo distentus, innumera ictuum flagella suscepit. Deinde ad solis imaginem, quæ intra muros Sequanicæ *x* portæ errore gentilium præcipuo colebatur, necnon ad atrium divi Hamonis *y*, ubi effigies olovitrea *z* celso columnæ adorabatur collocata fastigio, in secundo milliario civitatis, præside jubente, perducitur.

D

* *ibid. additur* cum ipsis

* *ibid.* denuntiatione

* *ibid.* idemque

variis aliis cruciatibus frustra tentasset,

8 Qui sanctus Martyr, animi cælestis virtute perdurans, secundum loca ita et supplicia commutabat: eculeis extensa membra, catenarum stridore laniata, igneum globum, qui dissolutos ictibus artus, exusti corporis alimenta * jungebat *aa*, Athleta fortissimus auctoris sui Jesu Christi fidem intra viscera retinens, passione gloriosa efferre certamine *bb* triumphabat: et antiquam fidem tormentorum novitas mutare non poterat, hoc semper iniquæ * interrogationi respondens; fieri nequaquam posse, ut qui Deum vivum sensibus recepisset, saxa sensu carentia, aut simulacra dæmonum adoraret: se potius Apostolorum exempla, et præmissorum martyrum * gloriosa certamina secuturum: ac, si ita res se haberet, loco martyrii, non fide umquam a suis commilitonibus separandum.

E

* *ibid.* elementa

* *ibid.* iniqui persecutoris

* *Lugdunensium.*

cingulo tenus vivum sepeliri jubet.

9 Quem nequissimus præses cum in suppliciis divina fervoris * gratia adverteret fortiorem, inaudito crudelitatis exemplo, plus quam furore persecutoris insaniens, defodere erectum cingulo tenus jussit: atque ita medius jam sepultus, sed totus vivus, ad cæli regna festinans, terræ supplicia non refugit: sed triduo in laudibus Christi, omnipotentis Domini ac Dei sui ore et amore perdurans, terris interim membra terrena commendans, spiritum misit ad cælos.

* *ibid.* favoris

F

Epilogus.

10 Hæc itaque, sicut de triumpho sancti Marcelli ac beatissimi martyris fidelium relatione comperta sunt, ad confirmandos plebis animos Catholicæ, Christo auctore mens devota conscripsit: ut dum festivitas sancti Martyris, felicibus ipso patrocinante temporibus, revoluta * in ævum anni circulis, celebratur; pro statu Catholicæ religionis, pro defensione urbis propriæ, pro salute summi Pontificis, pro sacerdotum veneratione, pro invicti principis felicitate et totius plebis conversatione, inclyti Patroni ac martyris patrocinium deprecantes, et ad ejus remunerationem, qui obedienter Legenda composuit, tantam * dici sollemnitatem votis sedulis excolamus, præstante *cc* domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæculorum sæcula. Amen.

* *ibid.* revolutis

* *ibid.* tantæ

ANNOTATA.

a *Codicem notatum Q Ms. 6 deinceps Fuldensem vocabo, quod cum Bollandus a Fuldensi Societatis nostræ collegio permutatione acceperit.*

Codicem

A *Codicem Q Ms. 7 iisdem hisce characteribus ab altero distinguam. Lectiones in utroque variantes ab exemplari Chiffletiano, quo utor, tantum notabiliores assignabo. Ea, in quibus hæc Passio cum priore convenit nullis notis illustrabuntur, cum jam datæ sint. Ex ceteris nonnulla tamquam inepta, falsa aut minus verisimilia mox improbabuntur. Duplex mihi ratio fuit, cur deteriorem hanc Passionem edere constituerim: prima, quia antiqua est; nam ex illa Rabanus elogium desumpsit, quod ad* IV *Septembris de Sancto legitur in ejus Martyrologio, circa annum* 845 *conscripto. Secunda, ut lector ipse illam cum notis a me appositis pervolvere, et cum priore Passione conferre possit, atque ita clarius videre, hanc verisimilius vetustiorem esse; de quo alioquin dubitare posset ob argumentum in Comment. num.* 28 *adductum. In codice Q Ms.* 7 *Passioni, quæ nunc datur, singularis titulus præfigitur:* Incipit Passio beati Marcelli Cabalonensis urbis episcopi; *quam dignitatem Sancto abjudicavi in Comment. num.* 38.

b *Cetera Prologi desunt in codice Fuldensi.*

c *In Epilogo auctor dicit, se de Sancto Martyre* fidelium relatione comperta, *et quidem* Christo
B auctore *scripsisse. Hic vero a divina auctoritate narrationi suæ fidem conciliat. Hæc sane illum scriptorem ineptum esse arguunt, non satis antiquum, nec fide dignum, nisi in iis, in quibus ab altera Passione non recedit; quam ab illo interpolatam et corruptam esse credo, licet se* fidelium relatione comperta *litteris mandasse asserat. Vide Comment. num.* 28.

d *In codice Q Ms. ita pergitur*; et jam relationibus quæ assiduis *etc.*

e *Vox* hæc, *quæ in prioribus Actis non legitur, perperam hic adjicitur; nam Martyres Lugdunenses utriusque sexus fuerunt.*

f *In alteris Actis leguntur Sancti* custodiæ . . . effractis divinitus claustris *fugam arripuisse, nulla,* angelicæ visitationis *facta mentione.*

g *In utroque codice nostro vox* Cabilonensis *omittitur.*

h *Epistolam ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad fideles in Asia et Phrygia scriptam auctor intelligit. Eusebius lib.* 5 *Historiæ ecclesiasticæ in Procemio testatur, se eam* in Opere de Martyribus *integram dedisse: sed cum Opere*
C *isto excidit pretiosissimum illud antiquitatis ecclesiasticæ monumentum, præter fragmenta aliqua, quæ Eusebius citatus a cap.* I *profert.*

i *Uterque noster codex habet:* Solutis itaque, ut supra dictum est, ab ergastulari custodia, scilicet quibus *etc.*

k *Sanctus Valerianus, quam Acta priora Lugduno profugum Augustodunum versus iter suscepisse dicunt, longius non progessus fuit, quam Trenorchium* (Tournus) *Æduorum oppidum ad Ararim, pari fere intervallo Cabilone et Matiscone dissitum; ubi undecim post* S. Marcellum *diebus martyrio affectus fuit. Etsi Trenorchium nunc in civilibus sit territorii Matisconensis; olim tamen ad Cabilonense pertinuit: uti diploma Caroli Calvi imperatoris, anno* 875 *Trenorchium monachis S. Philiberti donantis, atque alia antiqua monumenta diserte testantur, quæ auctores Historiæ Trenorchiensis Chiffletius et Jueninus adducunt. Itaque agger seu via, quam in aliquot Galliæ Romano imperio subjectæ tabulis geographicis Lugduno Matisconem et Trenorchium, atque hinc Cabilonem et Augustodunum deductam invenio, fuit Cabilonensis territorii, ubi Trenorchium pertransibat.*

l *In codicibus nostris legitur:* pertraherent; divinam quippe gratiam aliorum profectibus merituri.

m *Falsum fama vulgavit, nisi sensus sit,* SS. Marcellum *et Valerianum e numero* 50 *Christianorum, cum quibus Lugduni in carcerem conjecti fuerant, solos evasisse.*

n *Mutilam et mendosam hanc periodum codices nostri iisdem vocibus perficiunt, sed diversis corrigunt. In Fuldensi est,* vicinisque urbibus statutam imperiali edicto persecutionis instantiam; *in altero,* vicinæque urbi statutam *etc.*

o *In cod. Q Ms.* 7, Saugonnam; *in Fuld.* Auconnam *pro* Sauconnam. Ararim, *inquit Valesius in Notitia Galliarum de hoc fluvio agens,* postea Galli (incertum quam ob causam) Sauconnam vocavere non multo ante ætatem Ammiani Marcellini, quamadmodum arbitror. Certe hic historicus primus omnium, quos equidem legerim, circa annum CCCXC in descriptione Rhodani Ararim eo nomine appellari in libro XV Historiæ *(cap.* XI) docet his verbis: " Viennensem " *urbem* latere sinistro perstringit, dextro Lug-
" dunensem; et emensus spatia flexuosa Ararim, E
" quem Sauconnam appellant.... suum in no-
" men adsciscit ". *A* Sauconna, *vel ut Ammiano juniores, quos Valesius adducit, scripserunt,* Saugonna, Saogonna, Sagona *etc. derivatum est nomen* la Saone, *quo Galli nunc Ararim appellant.*

p *Verisimile non est,* S. Marcellum, *qui ut persecutioni se subtraheret, e Sequanis, trajecto Arari, in Æduos fugerat, atque urbem Cabilonensem eadem ex causa studiose declinasse videtur; ultro hospitium Prisci præsidis ingressum fuisse, et ad eum, cum idolis immolantem videret, celeriter, ut mox dicitur, properasse. Nostri codices pro* hospitium *habent* officium: *qua voce si intelligatur regio, in qua officio præsidis fungebatur, tota narratio credibilior erit.*

q *In alteris Actis dicuntur* ii, qui aderant, *convivæ scilicet, ob epulas ex deorum sacrificiis instauratas a Sancto reprehensi, decrevisse ut ejus corpus arboris ramis violenter adductis alligatum, hisce repente laxatis, discerperetur. Statim subjungitur:* Verum cum... Martyr in confessionis suæ proposito immobilis permaneret, cruento persecutoris *Prisci...* consilio atrocius F
visum est, ut in conspectu populi diversis pœnarum suppliciis interiret. *Hæc mihi insinuare videntur, supplicium, quod convivarum vel Prisci simul et illorum sententia decretum fuerat, Sancto irrogatum non fuisse; sed præsidem illud commutasse in varias alias pœnas, quibus generosus Christi Pugil ob suam in fidei professione et idololatriæ detestatione constantiam in universi populi conspectu excarnificandus esset. Verum quidquid sit de mente auctoris, qui Acta priora conscripsit; ex ejus verbis elici nequeunt, quæ hic obscura phrasi narrantur.*

r *Nostri codices hic* Adæ terreni patris, *et paulo infra pro* comedit *habent* contemnit. *Cetera in illis non minus quam in hoc exemplari inepta, contorta et obscura sunt, sive voces et membra, e quibus periodus componitur, sive illorum significationem spectes.*

s *In cod. Fuldensi:* Sacratissimi imperatores nostri divina præcepta constituunt.

t *In utroque:* Christum Dei Filium, Spiritum sanctum, Patri ac Filio coæqualem.

u *Prisci præsidis ad* S. Marcellum, *atque hujus*

A. ANONYMO.

jus ad illum verba, quibus interpolator hoc et præcedente numero historiam martyrii amplificavit, in Actis prioribus non leguntur.

x *Credo quidem Cabilone portam* Sequanicam *fuisse, ita dictam, quod illa ad Sequanos iretur: sed dubito, utrum solis imago, ad quam præses* S. Marcellum *duci jussit,* intra muros *istius portæ steterit. Altera Acta num.* 5 *testantur, eam* in alia parte fluminis *positam fuisse quam statuam Saturni; quæ cum dexteræ Araris ripæ immineret, uti probatum est in annotatione ad litteram* p *iisdem Actis subjecta; oportet simulacrum solis erectum fuerit ad sinistrum fluminis latus. Sed an temporibus* S. Marcelli *urbem Cabilonensem Arar interfluens divisit in duas partes, quarum minima, sinistro lateri adjacens, fuerit muris cincta et portam Sequanicam habuerit?*

y *In codice Q Ms.* 7 Decubaconis, *in Fuldensi* Divionis. *Valesius in Notitia Galliarum pag.* 522 *in alio exemplari Ms. legit* Divibavonis : *quod* nomen Gallicum Dei... fuisse *ait* : ut Abellionem in Convenis, Aghonem apud Bigherrones, alios alibi invenire est.

z *Id est,* toto vitrea, *ex Græco* ὅλος *et Latino* vitrum. *In codice Fuldensi et alibi est* effigies electrina. Electrum, *præter succinum, etiam significat metalli genus, cujus quinta portio argentum est, ceteræ aurum. Vide Plinium lib.* 33 *cap.* 4, 9 *et* 41.

aa *Ex aliis exemplaribus non satis lucis mihi affulget, qua adjutus obscuram hanc periodum clare explicem : proinde varias eorum lectiones huc non transfero. Diversa suppliciorum genera, quibus* S. Marcellus *cruciatus fuisse hoc loco asseritur, alterius Passionis auctor non memorat. Scribit quidem num.* 5, *Prisco visum fuisse,* ut *Sanctus* in conspectu populi diversis pœnarum suppliciis interiret; *sed an illa subierit, et qualia fuerint, non exprimit.*

bb *In utroque nostro codice ita legitur :* Jesu Christi intra viscera retinens passionem, gloriosiore ferre certamine triumphabat.

cc *In codice Q Ms.* 7 *Acta ita concluduntur :* regnante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in æterna sæcula. Amen.

DE S. MARCELLO EPISC. ET MART.

TUNGRIS VEL TREVIRIS IN GERMANIA

J. L.

SYLLOGE

Episcopatus Tungrensis; gesta Sancto affıcta: Trevirensium, qui eum ut ecclesiæ suæ antistitem et martyrem honorant, incerta traditio.

SEC. III. *Tungrenses inter SS. Maternum et Servatium episcopi, solo nomine Harigero noti.*

Auctorem, *qui hunc* S. Marcellum *commemoret, nemo hactenus Harigero abbate Lobiensi antiquiorem produxit. Conscripsit is seculo* x *ad finem declinante* 27 *primorum Tungrensium et Trajectensium episcoporum Gesta, a Joanne Chapeavillo an.* 1612 *edita cum additionibus Ægidii a Leodio Aureæ vallis monachi, qui circa annum* 1240 *floruit. Etsi Harigerus in Proœmio testetur singulorum se pontificum collegisse* tempora et gesta, quæ undecumque potuere corradi : *de sanctis tamen Navito,* Marcello, *et aliis sex episcopis, qui post S. Maternum ecclesiæ Tungrensi præfuerunt, nihil quod proferret, invenit præter nuda eorum nomina et ordinem, quo sibi successerunt.* Post ejus, *inquit cap.* 17, *S. Materni scilicet,* decessum in pontificio sibi per ordinem successerunt Navitus, Marcellus , Metropolus , Severinus , Florentius , [Martinus,] Maximinus, Valentinus. Et hi quorum imperatorum vel consulum claruerint tempore, vel quos vita singulorum habuerit exitus, quotque annis administraverint singuli officium pontificatus , vel quis illorum sepulturæ sit locus, nullius a nobis requirat exactio, cum ecclesiarum totius Galliæ memoriam [horum] aboleverit facta per Hunnos subversio. *Ita caute ac sapienter Harigerus, qui ingenue profiteri maluit, determinatum vitæ tempus, mortis genus, durationem episcopatus, et locum sepulturæ octo istorum præsulum sibi incomperta esse, quam de illis ex conjectura aliquid statuere. Non adeo sinceri et prudentes fuere scriptores Harigero juniores, qui de iisdem varia tradiderunt, quæ vel tamquam figmenta ab eruditis hodie rejiciuntur, vel tamquam opiniones incertæ in dubium vocantur. Imo non desunt viri docti, quibus S. Maternus tertius Trevirensium et primus Tungrensium antistes non distinguendus videtur a S. Materno Coloniensi episcopo, qui anno* 314 *concilio Arelatensi subscripsit. Unde consequitur, ut inter illum et S. Servatium, qui an.* 347 *concilio Sardicensi interfuit, pauciores procul dubio quam octo præsules ecclesiam Tungrensem rexerint, cum unus alterve sufficiat ad annos complendos, qui inter Materni et Servatii episcopatum medii fluxerunt : adeo ut de Sancto nostro nihil extra omnem controversiam positum sit quam ejus cultus, cujus solius gratia locum hic ei damus, viam interim ineuntes, quam stravit Henschenius in Exegesi præliminari de episcopatu Tungrensi et Trajectensi, tomo* VII *Maii præfixa; ubi nominati octo præsules Tungrensibus conceduntur. Gravissima, quam mox attigimus, quæstio discutietur ad* XIV *Septembris, quando S. Maternus colitur.*

S. Marcellus Materni et Naviti successor olim 25 Sept. colebatur : varia de illo figmenta.

2 *Harigero citato Ægidius de* S. Marcello *hæc adjunxit :* Post cujus *(S. Naviti)* decessum tertius successit sanctus Marcellus, vir omni sanctitate

A sanctitate conspicuus. *Codex Aureæ vallis, Chapeavillo teste, in margine hanc additionem habet :* A quibusdam agitur festum septimo Calend. Octobris. *Licet hodie Tungrenses neque isto neque alio die Sanctum colant, illos tamen per vocem* quibusdam *designari suspicor ; nam ad eumdem diem* VII *Calendas Octobris in Florario nostro Ms. Sanctorum habetur :* Apud Tungrenses natale sancti Marcelli episcopi ejusdem urbis tertii, discipuli sancti Naviti episcopi. Hic vir strenue prædicavit ultra mare in tantum, quod Lucius rex Britanniæ mandavit Eleutherio Papæ (ut supra notatum est,) quod cum gente sua vellet baptizari. Ex eo tempore proventus ecclesiarum Tungrensium putantur provenisse ex Anglia. Obiit VII Kal. Octobris anno salutis XXCC. *Fabulosum hoc elogium sine die et anno emortuali etiam legitur in Gestis pontificum Leodiensium ab auctore anonymo usque ad annum* 1343 *perductis, quæ exstant in Ms. musei nostri codice, signato* † Ms. 112. *Idem commentum de Lucio Britanniæ rege, ad veram fidem amplectendam per* S. Marcellum *permoto, Joannes*
B *Wilsonus Martyrologio Anglicano ad* IV *Septembris inseruit, addens Sanctum natione Britannum fuisse, et dispersos in patria sua Christianos congregasse, quos S. Josephus de Arimathia et socii ejus ad Christum converterant. In margine citat Antonium Monchiacenum Democharem lib.* 2 *de Divino Missæ sacrificio cap.* 37 *; ubi hæc lego :* Marcellus *(ibid. cap.* 33 *eum* Marcellinum *vocat)* Tungarus, fit episcopus anno CXCI. Tungrim quatuor sacris ædibus auxit, quarum priorem divo Materno inscripsit, alteram Joanni Euangelistæ, Tertiam Jacobo Apostolo, quartam divo Andreæ. Lucium Britanniæ principem tota cum gente prædicatione sua permovit. Præfuit annis viginti novem usque ad annum salutis CCXX. *Demochares laudatus de episcopis Tungrensibus, Trajectensibus et Leodiensibus acturus, lectorem præmonet, se eorum catalogum potissimum collegisse ex Joanne Placentio Trudonensi Dominicano, scriptore nugacissimo, qui ut alias ejus ineptias sileam, singulorum fere præsulum Tungrensium patriam et genus edisserit.* Divus Maternus, *inquit,* Longobardus, *fuit,* patre comite Papiæ prognatus; *Navitus* ducis
C Galliarum filius et Tungrorum regis ex fratre nepos; *Sanctus noster,* Tungarus, vir spectatæ nobilitatis; *ejus successor Metropolus,* filius Metropoli ducis Lotharingiæ ex Ungariæ regis filia *etc. Sed a ridiculis hisce figmentis ad* S. Marcelli *cultum redeamus.*

Trevirenses eumdem ut suum quoque episcopum

3 *Sanctum nostrum, qui Materno post Navitum in regimine Tungrensis ecclesiæ successit, Trevirenses in antistitum suorum serie vigesimum ponunt; eumque* IV *Septembris non modo ut episcopum suum, sed etiam ut martyrem venerantur : nam Lectionarium de sanctis quibusdam Trevirensis Officii, anno* 1645 *excusum, ejus memoriam dicto die sub ritu simplice seu feriali ita recolendam proponit :* Sancti Marcelli episcopi et martyris Trevirensis. *Lectio tertia, in Matutino recitanda, hæc subjicitur :* Marcellus in antistitum Trevirorum et Tungrorum ordinem adscriptus, utriusque ecclesiæ populos communi cura atque vigilantia tutatus est eo tempore, quo Diocletianus imperator et Maximianus imperii consors, pari Christiani nominis flagrarent odio, gravissimis suppliciis animadvertendi in veram religionem : et Thebæa legio ac proceres Trevirenses in Christi causa sub Rictio Varo, Treverim ingresso, inter has procellas caduntur *. Per eosdem ergo dies fortiter pro Christo luctatus Marcellus, sanguine in martyrii arena profuso, viam in cælum sibi munivit, pridie Nonas Septembris celebris. *Christophorus [Browerus lib.* 3 *Annalium Trevirensium pag.* 212 *scribit,* S. Marcellum *anno* 282 *sacrum regimen suscepisse, pag.* 220 *cum martyrium subiisse, anno* 286 *; quo etiam Martyres Trevirenses, de quibus ad diem* VI *Octobris agetur, coronatos fuisse narrat.*

AUCTORE J. L.

* cæduntur

et martyrem hoc die venerantur ;

4 *Cultus, quem Sanctus apud Trevirenses obtinuit, antiquus non est; cum in nullo Martyrologio Treviris hoc die referatur, quod vetustate superet Florarium nostrum Ms. Sanctorum, cui auctor in conclusione se ultimam manum apposuisse ait* anno salutis MCDLXXXVI ipso die Luciæ virginis gloriosæ, *seu* XIII *Decembris. Annuntiatio Florarii est :* Apud Treverim Pauli conf., *seu Paulini, de quo Actum ad* XXXI *Augusti :* item beati Marcelli episcopi Trevirensis et Tungrensis. *Titulus* martyris *ei adscribitur in Usuardo aucto editionis Lubeco-Coloniensis anni* 1490 : Item Treviris beati Marcelli episcopi et martyris. *Addit Grevenus :* qui Trevirensem E
simul et Tungrensem rexit ecclesias. *Ex Martyrologiis Greveno recentioribus duo tantum elogia huc transcribo; alterum breve ex Romano hodierno :* Treviris sancti Marcelli episcopi et martyris; *alterum prolixum ex Gallicano Saussayi :* Ipso die Treviris natalis S. Marcelli episcopi hujus metropolicæ sedis et martyris, qui S. Avito * succedens eo tempore, quo persecutionem procella asperis motibus dirisque fluctibus navim Ecclesiæ quatiebat, proreta pervigil et strenuus adversus tot atros turbines in puppi undique concussa sedit, creditasque animas superatis quibusque vorticibus in salutis portum felici remigatione direxit ac evexit. Nam verbo et opere potens ut impios fidei hostes fortiter expugnavit, sic pios Christique amantes vera in religione solidatos animavit sedulo ad justitiæ et virtutis, qua ad cælum itur, tramitem beatum consectandum. Quibus et cruore fuso purpuratus, aditum ad supernæ felicitatis gaudium præmonstravit. F

* l. Navito

quem Henschenius Tungris non Treviris sedisse censet:

5 *Noverat Henschenius, Trevirensem ecclesiam tamquam suos episcopos Officio ecclesiastico honorare Navitum* VII *Julii,* Marcellum *hoc die, Metropolum* VIII, *Severinum* XXIV, *Florentium* XVII *Octobris, Maximinum* XX *Junii et Valentinum* XVI *Julii; non ignorabat etiam sanctos hosce Præsules ut Trevirenses annuntiari in Martyrologio Romano, præter Navitum et Metropolum ei nondum inscriptos. Nihilominus in Exegesi de episcopatu Tungrensi et Trajectensi ante tomum* VII *Maii cap.* 1 *illos omnes una cum Florentii successore Martino Hasbaniæ apostolo, quem dein ad* XXI *Junii illustravit, ex Trevirensium antistitum catalogo expungendos esse censuit, utpote qui non aliam quam Tungrensem cathedram occuparint. Postquam argumenta ad opinionem suam stabiliendam idonea, quæ loco citato legi possunt, Henschenius produxisset, Trevirenses ita modeste compellat :* Hæc proponimus consideranda viris in antiquitate apud Treviros eruditis, qui si possint contrarium evidentibus argumentis evincere, libenter certiorem viam, ab iis monstrandum ingrediemur. *Ad* VII *Junii de S. Valentino episcopo Tungrensi agens, quem Trevirenses, ut statim dicebam,* XVI *Julii colunt, rursum profitetur vir veritatis amantissimus,*

AUCTORE J. L.

mus, se libenter sententiam suam cum gratiarum actione retractaturum, si certiora monumenta proferantur, quam sit Chronicon Trevirense initio fabulosum et seculo XI *non antiquius; quo unice nititur Trevirensium traditio, et cujus exiguam auctoritatem satis elevant rationes in laudata Exegesi adductæ. Post Valentinum Henschenius Martinum et Maximinum, Sollerius vero Navitum diebus supra cuique assignatis dederunt, systemati in eadem Exegesi tradito inhærentes: cui et ego insisto, donec evertatur a Trevirensibus, quorum nemo, quod sciam, illud hactenus impugnavit.*

ejus martyrium incertum.

6 *De martyrio* S. Marcelli *Bartholomæus Fisen in floribus ecclesiæ Leodiensis ad* IV *Septembris ita ex meo sensu pronuntiat:* E primis ecclesiæ Tungrensis patribus hic unus est, quem tamen posteritas *erudita* novit solo nomine, episcopique dignitate ac sanctitudinis testimonio. Martyrii palmam adeptum esse nonnullis placet: ... at revera certis rationibus probari non potest. Verum ignorare nihil ille potest, cui certamus in hac vita, quique vincentes in cælo coronat. *His addo sanctum Præsulem, si martyr fuerit, verisimilius Treviris non fuisse passum, cum in Tungrensi cathedra dumtaxat sederit. Rursum ex sententia Henschenii loquor, a qua mihi non recedendum judicavi. Interim fateor eam pro certa atque indubitabili habendam non esse. Atque hæc ratio est, cur ego* S. Marcellum *Trevirensibus, licet eum ecclesiæ suæ episcopum et martyrem sine solido fundamento credant, omnino non eripuerim, atque hanc syllogen inscripserim* de S. Marcello episcopo et mart. Tungris vel Treviris in Germania. *In margine notavi eum ad vitam beatiorem transivisse* seculo III, *ad quod plerique recentiores mortem ejus referunt.*

DE SS. RUFINO, SILVANO, MARCELLO, GAIANO, HELPIDIO

ANTONINO, EUSTICO, MAXIMO

EUSEBIO, ALTERO GAIANO, VITALICA, GAISONE, MAGNO, CASTO, SATURNINO

DONATO, ELEUSO

CUM SOCIIS MARTYRIBUS

ANCYRÆ IN GALATIA

J. S.

SYLLOGE CRITICA

Tres Martyres seorsum annuntiati in Fastis; et rursum tres alii;

Martyrologium Romanum *hodie annuntiat sequentes Martyres:* Ancyræ in Galatia natalis sanctorum trium puerorum Rufini, Silvani, et Vitalici martyrum. *Et post, interjectis aliis:* Eodem die sanctorum martyrum Magni, Casti, et Maximi, *acsi distinctæ hæ essent Martyrum classes. Ad priores hæc notavit Baronius:* De his item Beda *(imo potius Ado)* Usuardus et alii recentiores, consentiuntque vetera manuscripta. *Suspicor designari Martyrologia Mss., non vero Acta, cum nullum horum Martyrum elogium uspiam inveniam. Ad sequentem Martyrum classem idem Baronius observat, solos* Magnum *et* Castum *annuntiari ab Usuardo sine* Maximo. *Verum* Maximus *occurrit in variis auctariis Usuardi, ex quibus adoptatus fuit a Galesinio, indeque a Baronio. Galesinius autem non solum* Maximum *adjunxit, sed etiam locum assignare voluit, ita habens:* Romæ, beatissimorum martyrum, Magni, Casti et Maximi. *At cautior Baronius locum omittere maluit, quod videret eum non satis solido niti fundamento: nam revera videbimus, Ancyræ potius quam Romæ attribuendos esse tam posteriores Martyres quam priores, et utramque classem verisimiliter conjungendam, aliisque pluribus augendam; quemadmodum multo plures conjunguntur in Hieronymianis Apographis, ex quibus Martyrum horum notitia primum videtur profluxisse.*

verum hi sex in Hieronymianis conjunguntur cum pluribus aliis,

2 *Hieronymiana apud Florentinium ita habent:* In Angira Gall. *(lege in* Ancyra Galatiæ, *ut habent alii codices)* natalis sanctorum Rufini. Silvani. Macelli *. Gaiani. Hepidi. Antonini. Eustichi. Maximi. Eusebii. Item Gaiani. Vitalici. Gaisuti. Magni. Cassi *. Saturnini. Donati. Eleusi, cum Sociis eorum. *Septemdecim hic Martyres conjunguntur, et attribuuntur Ancyræ in Galatia: nec secundam classem indicat particula* item *interposita, quia hæc solum adjuncta videtur ante* Gaianum *secundum, quod jam alius* Gaianus *esset nominatus, ut insinuaretur, duos esse ejusdem nominis distinctos Martyres. Nomina quædam horum Martyrum mendose scripta sunt, ut passim contingit in Hieronymianis: et nonnulla corrigi possunt ex aliis codicibus, etiamsi alia rursum in istis sint luxata. Enumerati septemdecim Martyres occurrunt etiam in Ms. Corbeiensi apud Florentinium in Annotatis, et in eo Ms., quod* vetustissimun *nominat, uti etiam apud Acherium Spicilegii recusi tom.* 2 *in supra dicto Corbeiensi S. Hieronymi presbyteri nomine insignito. Textum Corbeiensis ita recitat Florentinius:* Prid. Non. Sept. In Ancyra Galatiæ natalis SS. Rufini, Sylvani, Mamelli, Gaiani, Helpidi, Antonini, Eustici, Maximi, Eusebi, item Gaiani, Vitalicæ, Gaison, Magni, Casti, Saturnini, Donati, Eleusi cum Sociis eorum. *Ab hoc textu nonnihil differt textus laudati Hieronymiani apud Acherium, qui sic edidit:* Pridie. Non. Sept. In Ancyra Galatiæ natalis sanctorum Rufini, Silvani, Marcelli, Gaiani, Helpidi, Antonini, Eustici, Maximi, Eusebii. Item, Gaiani, Vitalicæ, Gaison, Magni, Casti, Saturnini, Donati, Elcusi cum

* al. Marcelli
* al. Casti

A cum Sociis eorum. *Hic nomina minus mendosa videntur, quam sint in præcedentibus.*

et simul numero septemdecim attribuuntur Ancyræ in Galatia:

3 *Hæc sufficiunt, ut existimare possimus septemdecim Martyres recensitos cum Sociis aliquot anonymis passos esse Ancyræ in Galatia. Idem tamen confirmari potest ex duobus aliis codicibus, quamvis ordo in iis fuerit mutatus, et prior admodum mendosa habeat nomina. Accipe igitur textum Vetustissimi Ms., apud Florentinium sic editum :* II Nonas Septembris. In Ancira Gallitiæ natalis Marcelli, Gaiani, Belpidæ *, Antoni, Rufini, Silvani, Eustoci, Maximi, Eusebi. Item Gaiani, Italicæ *, Gausunti, Magni, Casti, Saturnini, Donati, Decisi *. *De Sociis hic nulla fit mentio. Martyrologium reginæ Sueciæ, apud nos editum post tomum* VII *Junii, brevius septemdecim Martyres indicat his verbis :* In Ancyra Galatiæ, natalis sanctorum Silvani, Marcelli, Maximi, cum aliis XIV. *Hic præponitur* Silvanus; *in præcedenti* Marcellus; *in tribus vero prioribus* Rufinus. *At ubique septemdecim Martyres Ancyræ adscribuntur. Reliqua Martyrologia Hieronymiana contracta aliquos tantum ex prædictis recensent, uti videri potest in reliquis apud nos editis, in Gellonensi* B *apud Acherium, ac in nonnullis illorum, quæ edidit Martenius tom.* 3 *Thesauri anecdotorum, et tom.* 6 *Collectionis amplissimæ veterum monumentorum.*

* Helpidi

* Vitalici aut Vitalicæ

* al. Eleusi

quorumdam nomina varie scripta.

4 *Porro ex hac classe septemdecim Martyrum nominatorum cum Sociis aliquot anonymis tres solum annuntiavit auctor Martyrologii Romani veteris seu parvi, quod edidit Rosweydus; atque eos memoravit his verbis :* Ancyræ, martyrum trium puerorum, Rufini, Silvani, Vitalicæ. *Hunc de more secutus est Ado his verbis :* Et apud Ancyram Galatiæ, natalis sanctorum martyrum trium puerorum, Rufini, Silvani et Vitalicæ. *Cur* pueri *vocentur hi Martyres, cum de eorum pueritia in Hieronymianis nihil occurrat, non facile divinavero, nisi forsan auctor ille aliquid de Actis illorum Sanctorum viderit, aut id aliunde didicerit. Wandelbertus et Rabanus de iis tacent : at Notkerus sic habet :* Et apud Ancyram Galatiæ sanctorum martyrum Rufini, Silvani et Vitalici. *Usuardus etiam* Vitalicum C *substituit pro* Vitalica; *atque eum imitatus videtur Notkerus, licet* pueros *dicere noluerit. Differentia illa haud dubie orta est ex Hieronymianis, quia in quibusdam exemplaribus legebatur* Vitalicæ, *in aliis* Vitalici, *uti etiamnum in iis legitur, in pluribus tamen* Vitalicæ; *quod idcirco videtur præferendum : in uno exemplari mendose scribitur* Italicæ. *Potest quoque dubium esse de aliorum quorumdam nominibus : nam qui in titulo nostro* Marcellus *dicitur, in quodam exemplari* Macellus, *in alio* Mamellus; *quin et* Marcella *in Rhinoviensi et Richenoviensi scribitur. Verum in pluribus* Marcellus *recte nominatur, quantum conjicio. Præterea* Gaison *in titulo datus ex duobus exemplaribus, in alio* Gaisutus, *et in quarto* Gaisuntus *legitur.* Eusticus *vero rursum ex duobus apographis titulo insertus, in alio* Eustichus, *in alio* Eustocus *dicitur. Sic* Castus *uno loco scribitur* Cassus; *et* Eleusus *semel* Decisus.

Præter Septemdecim enumeratos

5 *Jam vero, licet abunde liqueat hosce omnes Martyres ad unam spectare classem, quæri tamen potest, an eodem die non sint statuendi alii* Magnus, *et* Castus, *quos seorsum memoravit Usuardus; iisque superaddendus* Maximus, *uti fecerunt aliqui, quos secutus est Baronius. Hieronymiana utcumque huic opinioni favent, cum* Magnum, Castum *et* Saturninum *inferius rursum annuntient post Bonifacium Papam. Verba accipe primum ex editione Acherii, quæ sic habet :* Romæ, in cœmeterio Maximi, via Salaria, depositio Bonifacii episcopi. Ad sanctam Felicitatem, natalis sanctorum Magni, Casti, Saturnini, Firmini. *Hoc loco insuper occurrit* Firminus, *uti etiam in eodem Ms. Corbeiensi apud Florentinium, qui fragmenta dedit ex eo, quod totum edidit Acherius. At* Firminum *istum nullo alio loco reperio. Textus Hieronymiani a Florentinio editi, omisso* Firmino, *talis est :* Romæ in cimiterio Maximi; via Salaria, depositio Bonifacii episcopi. Ad Scam Felicitatem natalis sanctorum Magni. Casti. Saturnini. *Adjunxi annuntiationem S. Bonifacii I, alias huc non spectantis, ut sensus verborum facilius appareat. Ad textus vero allegatos duo observo : primo, si* Magnus *et* Castus *attribuendi sunt cœmeterio S. Felicitatis; iis quoque jungendus est* Saturninus, *et, si singula nomina statim sint adoptanda,* Firminus *etiam. Secundo istud,* ad S. Felicitatem *verisimiliter spectat ad Bonifacium Papam, qui se-* E *pultus refertur in cœmeterio S. Felicitatis via Salaria, ubi illud cœmeterium fuisse ostendit Aringhus in Roma subterranea lib.* 4 *cap.* 29. *Franciscus Pagius in Breviario Romanorum Pontificum in Bonifacio I ex Ciaconio negat, cœmeterium Sanctæ Felicitatis fuisse* via Salaria : *sed non negasset, opinor, si legisset Aringhum de cœmeterio S. Felicitatis disputantem, nisi voluisset assertum Ciaconii antiquis omnibus præferre. At locus sepulturæ S. Bonifacii magis examinabitur ad* XXV *Octobris, quo memoratur in Martyrologio Romano.*

non videntur seorsum statuendi aliqui synonymi :

6 *Ex dictis vero collige, nullam rationem habendam esse nominum repetitorum* Magni, Casti, Saturnini *et* Firmini, *quod ultimum ex uno septemdecim præcedentium verisimiliter corruptum est. Ratio est, quod hisce nominibus nullus addatur locus in iis apographis, quæ alias locum habent additum : nam pro septemdecim Sociis assignatur* Ancyra, *pro Bonifacio, cujus certo non sunt Socii, habetur* Roma; *Marcello item Cabillonensi martyri, et Paulino Trevirensi episcopo locus additur. Porro ex Gregorio Magno,* F *cujus verba dedi tom.* 1 *Sept. pag.* 614, *habemus locum passionis additum fuisse in Martyrologiis antiquis, ideoque ibidem observavi interpolationes esse censendas, ubi nomina nuda occurrunt sine loco in Hieronymianis Martyrologiis, præsertim si adsint aliæ rationes, quæ interpolationem insinuant. Hic autem varia sunt, quæ suspicionem interpolationis ingerunt : nam primo nec Romæ, nec ullo alio loco noti sunt tres martyres Socii, qui vocantur* Magnus, Castus *et* Saturninus. *Secundo hi secunda vice enumerantur eodem plane ordine, quo antea inter prædictos Septemdecim fuere recensiti. Tertio in variis Hieronymianis contractis* Magnus *et* Castus *ponuntur itidem post Bonifacium, cum quibusdam aliis ex prioribus Septemdecim, imo etiam cum uno ex tribus illis, quo Ado, Usuardus, aliique laudati martyrologi primo loco seorsum annuntiaverant.* Silvanus *certe tam in Gellonensi apud Acherium, quam in Augustano et Labbeano apud nos, cum posterioribus recensetur. Ex hac autem observatione evidens est, classem illam septemdecim Martyrum varie et confuse fuisse divisam; atque ex confusa illa divisione facile contingere potuisse, ut collectores illi, qui suis Martyrologiis*

AUCTORE J. S.

Martyrologiis nulla Sanctorum nomina volebant deesse, eadem nomina iterum descripserint, quia alios putabant Sanctos, quos non videbant eisdem Sociis conjunclos, nec eidem loco adscriptos: nam ex hac aut simili occasione factum oportuit, ut aliqui Sancti non modo diebus diversis, sed iisdem quoque fuerint bis repetiti, uti revera factum satis constat.

rationes, quæ pro contraria opinione afferri possunt,

7 *Verumtamen rationes etiam nonnullæ allegari possunt pro geminandis, aut certe distinguendis ab Ancyranis Martyribus* Magno, Casto *et* Saturnino. *Prima est auctoritas Usuardi pro duobus prioribus: nam illos seorsum sic memoravit:* Ipso die, sanctorum Magni et Casti. *Respondeo, Usuardum de Sanctis illis non satis fuisse instructum, ut patet ex loco martyrii prætermisso. Cum autem dubitaret, quo spectarent, quod illos modo in Hieronymianis inveniret cum aliis Ancyranis junctos, modo seorsum annuntiatos; videtur tutiorem viam elegisse, et eos annuntiasse sine loco, ut annuntiatio vera esset, sive Ancyrani essent, sive alii. Eadem dubitatio videtur fuisse Baronio, qui locum simili cautela* B *omisit, licet* Maximum *adjunxerit* Magno *et* Casto. *Neuter erravit; sed uterque minus exactam de istis Martyribus dedit notitiam. Secundo Florentinius in Annotatis ait, se dubitasse, an voces,* ad sanctam Felicitatem, *jungi deberent cum Bonifacio Papa, an cum* Magno *et Sociis, quod constaret Bonifacium sepultum esse ad sanctam Felicitatem, et contra quod sic locus præter morem Sancto postponeretur. Atque hac ultima ratione se ait inductum, ut voces* ad Sanctam Felicitatem *jungeret cum* Magno, Casto, *et* Saturnino. *Verum cum constet de sepultura Bonifacii in illo loco, et nullibi sit mentio de* Casto, Magno *et* Saturnino *Romæ passis, aut sepultis ad Sanctam Felicitatem; cumque sepulturæ locus alibi etiam Sanctorum nominibus legatur postpositus, ut videri potest apud ipsum Florentinium ad* XV *Julii; mihi probabile non est voces illas* ad S. Felicitatem *alio spectare quam ad S. Bonifacium; ideoque Romæ attribuendi non sunt hi Martyres; sed credendum repetitos fuisse sine loco adjuncto,*

exigui sunt momenti.

8 *Objicit præterea Florentinius,* Saturninum *martyrem via Salaria sepultum esse, atque istud satis est certum. Verum alius ille est* Saturninus C *martyr, cujus memoria in Martyrologio Romano recolitur* XXIX *Novembris, uti ibidem videri potest in Annotatis Baronii ad istum diem. Hæc igitur observatio Florentinii non prodest ad* Saturninum *hodiernum Romæ vindicandum. Æque inutilis est ad* Magnum *Romæ attribuendum altera annotatio Baronii, hisce verbis concepta:* De translatione corporis S. Magni martyris, deque ejus reliquiis reconditis in ecclesia sancti Michaëlis archangeli prope Vaticanum tempore Leonis quarti Romani Pontificis, docet vetus inscriptio marmori incisa; in eadem collocata. *Quippe cum plures Romæ sint martyres istud nominis, prius inquirendum esset, cujus* Magni *sit istud corpus, ut pro hodierno aliquid posset inferri: idque satis vidit ipse Baronius, qui ausus non est* Magnum, Castum *et* Maximum *Romæ attribuere, etiamsi id jam fecisset Galesinius; quique* Saturninum *prorsus omisit. Ex dictis igitur concludo, dictos* Martyres *eosdem videri cum* D *Ancyranis, quibuscum annuntiantur in antiquis quatuor Martyrologiis.*

Hispani quidam ex pseudo-Dextero sibi vindicant Magnum, Castum et Maximum;

9 *Porro obscura horum Martyrum notitia, et locus martyrii in Romano Martyrologio prætermissus occasionem dederunt Hispanis fabulatoribus, ut sibi vindicare conarentur tres illos, qui in Romano Martyrologio conjunguntur, eosque continuo Actis quibusdam fictitiis exornarent. Audi Joannem Tamayum Salazarium in Martyrologio Hispano ad* IV *Septembris:* Uticæ in Hispania Bætica SS. Maximi, discipuli S. Jacobi, Hispaniarum apostoli, Magni et Casti martyrum, qui in Neroniana persecutione comprehensi, propter Christi fidem martyrio coronati sunt. *In annotatis pro anno martyrii designat annum Christi* 66. *Quin et notat* Acta prorsus *periisse, sed* eleganti stylo rediviva *fuisse conscripta, videlicet ex supposititiis pseudo-Dexteri scriptis: nam ex illis omnia fuere hausta, exceptis carminibus quibusdam, quæ recitat sine auctoris nomine: nec dubitari potest, quin carmina illa sint supposititia, et recenti manu composita; sicut eruditi et prudentiores Hispani hodie agnoscunt de fictitiis* E *Dexteri et aliorum chronicis, et sicut Nicolaus Antonius de carminibus istis indubitanter pronuntiat in scripto mox citando. Non lubet mihi immorari refutandis fabulis istis, cum istud hoc tempore minus sit necessarium. Attamen brevem illarum seu refutationem seu agnitionem subjungam ex Scriptis posthumis Nicolai Antonii, jam frequenter in hoc Opere adductis.*

sed illos merito ridet Nicolaus Antonius.

10 *Ille in Opusculo Ms. nobis communicato pag.* 65 *de iis ita scribit:* Celebrantur IV Septembris die his verbis in Romano Magnus, Castus et Maximus. " Eodem die SS. martyrum " Magni, Casti et Maximi "; quorum ultimi Usuardus non meminit, laudatis primis duobus. Ignorabatur, qui atque undenam essent Martyres. Præsto fuit clarificandis iis, æthereus ut quidam sol, Dexter, qui ait ad annum LXVI: " Nec multo post Uticæ in Bætica Maximus D. " Jacobi discipulus in Hispania cum sociis Ma- " gno et Casto patitur ". Certe ad eum Maximum S. Jacobi apostoli discipulum is respexit, qui inter alios ejus sacri collegii sodales appellatur in Historia, sive Pelagii Ovetensis episcopi, F cui et hanc notitiam attribuit Joannes Mariana lib IV cap. 2; sive Sampyri Asturicensis, apud quem hodie legitur in editione quatuor principum Hispaniæ historicorum, Pacensis, Salmantini, hujus Asturicensis, Pelagiique Ovetensis præsulum a Sandovallio procurata. Quem statim opportunum credidit luculentiori de eo formandæ historiæ: reperiensque hunc nostrum ejusdem nominis Martyrem non alicui adscriptum loco: Esto tu, ait, ille Maximus Jacobi discipulus: nec mora, tam eum, quam socios Castum et Magnum ad nos pertulit, atque Uticam Bæticæ oppidum hoc triplici diademate cinxit. *Addit plura laudatus scriptor, et ubi ostenderat, non nisi supposititia adduci testimonia, ita merito subjungit:* Non his testimoniis agenda nunc res, sed antiquis et omni suspicione carentibus. *Verum adducta mihi sufficiunt, quia Tamayi fabulæ eruditis abunde innotuerunt.*

DE

A D

DE SS. THEODORO, OCEANO, AMMIANO

ET JULIANO MART.

Sylloge ex Martyrologiis et Menologiis.

J. S.

Sub Maximiano Galerio. Quatuor Martyres, quibus male additur quintus apud Sirletum :

Annuntiat hodie Romanum Martyrologium quatuor martyres Græcos his verbis : Item sanctorum martyrum Theodori, Oceani, Ammiani et Juliani, qui sub Maximiano imperatore dissectis pedibus in ignem conjecti, martyrium consummarunt. *Quintus hisce additur in Menologio Græco, quod Latinum fecit Eminentissimus Sirletus ; at perperam, ut probabo inferius, sive error ille fuerit ipso Menologio Græco, sive ortus sit ex interpretatione Latina, quod deprehendere nequeo, cum textus Græcus non sit ad* B *manum. Elogium vero in laudato Menologio tale reperitur :* Eodem die sanctorum martyrum Centerionis, Oceani, Theodori, Ammiani et Juliani, qui fuerunt ex oppido Candale. Hi omnes cum Christum confiterentur, post multos cruciatus jussu Maximiani in lavacrum injecti sunt; atque illinc a divino angelo erepti, abscissis securi pedibus, in ignem conjecti consummati sunt. *Viderunt Galesinius et Baronius* Centerionem *non recte adjungi, aut certe dubium esse, ideoque illum prudenter omiserunt. Sane* Centerio *prorsus omittitur in Menologio Basiliano, quod Sirletiano est antiquius. In Menæis autem mentio quidem fit* κεντηρίωνος, *et titulus seu annuntiatio tam est ambigua, ut facile quis existimare possit esse nomen proprium Martyris : at adjuncti versiculi ambiguitatem tollunt, et ostendunt quatuor dumtaxat Martyres annuntiari, atque ea de causa vocem* κεντηρίων *explicandam esse de officio, reddendamque Latine* centurio : *nam Græci posteriores vocem illam Latinam linguæ suæ inseruerunt, usique sunt non solum* C *voce* κεντυρίων, *sed etiam, una littera mutata,* κεντηρίων, *uti videri potest apud Cangium in Glossario Græco-barbaro.*

ignis supplicio vitam finierunt :

2 *Versiculi laudati in Menæis impressis ita leguntur :*

Ὁ κεντηρίων πῦρ πόθου θείου πνέων,
Ψυχὴν προθύμως εἰς τὸ πῦρ ἀποπνέει.
Τριττοῖς Ἀθληταῖς ἡ πυρὰ κλίμαξ ξένη,
Δι᾽ ἧς ἀνῆλθον οὐρανοῦ πρὸς τὸ πλάτος.

Reliqua in hisce versiculis satis clara sunt : at nonnihil obscuritatis habet vox ξένη *voci* κλιμαξ *juncta, quæ hic vertenda est* inusitata, *aut* nova, *sicuti vox illa aliquando sumitur. Itaque versiculos Latine sic exprimo :*

Centurio ignem divini desiderii spirans,
Animam alacriter in igne exspirat.
Ternis Athletis rogus est scala inusitata,
Per quam ascendunt ad cæli latitudinem.

Clarum est hic quatuor solum Martyres memorari, videlicet primo Centurionem *seorsum, deinde vero tres simul, qui forsan fuere milites. Id tamen non dicitur ; at solum illa suspicio esse potest, qui primus dicitur* Centurio. *Quamvis autem hic primo solus celebretur, non tamen existimandum est, coronatum esse ante alios, aut alio mortis genere : sed potius credendum, id illi honoris delatum, quod videatur omnium fuisse antesignanus ; sive is fuerit* Oceanus, *qui in Menæis et apud Sirletum primus nominatur ; sive* Theodorus, *qui in Menologio Basiliano præponitur.*

eorum elogium,

3 *Porro quæ in Menæis præterea dicuntur de hisce Martyribus, congruunt plane cum elogio ex Menelogio Sirletiano recitato : asseruntur enim venisse* ἐκ κώμης Κανδαύλης ex pago Candaule. *Torti primum, deindeque ferventi balneo injecti dicuntur jussu Maximiani, quem Maximianum Galerium explico, cum videantur passi in imperio Orientali. Reliqua etiam ita consonant, acsi verba Menæorum Latina fecisset Sirletus. Verum in Menologio edito Basilii imperatoris jussu, quod nuper Græco-Latinum prodiit Urbini, paulo prolixius texitur elogium, hac annuntiatione præmissa :* Eodem die certamen sanctorum martyrum Theodori, Oceani, Amiani, et Juliani. *Ita enim subjungitur :* Hi sancti Martyres floruere Maximiano imperatore. Comprehensi autem, et interrogati, cum Christum Dominum confiterentur, suspensi, depexique ad ossa fuere : deinde in ferventissimum balneum, sigillo imperatoris obsignatum, ne indē exire possent, sed interire ibi cogerentur, detrusi. Sed angelus Domini eos illæsos, foribus e pessulo firmatis, et obsignatis eduxit. Rursus autem capti, abducuntur extra urbem in desertum locum, ut truculenter interficerentur : ubi petita, et impetrata a carnificibus ad orandum hora, stantes multum precati sunt Deum, primum quidem pro totius orbis constitutione, sanctarumque Ecclesiarum tranquillitate : deinde gratias eidem egerunt, quod digni habiti essent, qui martyrium pro ipso subirent. Atque ita præcisis singulis membris cruribusque confractis, in ignem injecti finem vivendi fecerunt.

coronati videntur in Oriente, non in Hispania,

4 *Omittitur hic locus, ex quo venisse dicuntur Sancti. Et sane oppidum aut vicus* Candaule, *in quo passi fuisse referuntur in prioribus Fastis, difficulter inveniri poterit, licet in Chronico Eusebii et apud alios scriptores inter reges Lydiæ inveniatur aliquis* Candaules *nomine, a quo locus ille nomen accipere potuit, indeque nonnulla oriri suspicio in Lydia, minoris Asiæ provincia, coronatos esse. Si luberet audire supposititium Dexteri Chronicon ad annum* 308, *ubi tres ex illis Martyribus, omisso solo* Ammiano, *recenset cum aliis quibusdam ; in Hispania quærenda esset horum Martyrum palæstra. Tamayus in suo Martyrologio Hispanico addit* Ammianum *tribus aliis, et reliquos in Dexteri Chronico hisce junctos alio remittit. Narrat etiam de iis disputatum fuisse inter scriptores Hispanos, quod alii hosce Martyres diœcesi Hispalensi attribuere niterentur, alii Giennensi. Verum Nicolaus Antonius in Opere posthumo nobis communicato pag.* 50 *solito candore pronuntiat, scriptores illos* Andabatarum

E F

AUCTORE J. S.

dabatarum more cæcos præliari atque inter se contendere de horum Martyrum patria. *Nam variis argumentis, quæ brevitatis causa prætermitto, ostendit Martyres illos ad Hispaniam non pertinere; sed potius ad Orientem,* Ut, *inquit in fine,* ex facta in omnibus Græcis libris, in nullo autem *(antiquo)* Latinorum memoria, argumentisque aliis plenissime convincitur.

nec hujus Juliani corpus est, quod servatur Cicerani :

5 *Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensi die* IV *Septembris ita habet* : Romæ sancti Juliani Martyris, cujus corpus Ciserani in diœcesi Mediolanensi magnam habet venerationem. *Addit in Annotatis :* Ex tabulario parochialis ecclesiæ Cæsariani in agro Bergomate, quem pagum vulgus adulterino nomine appellat Ciseranum. Corpus autem S. Juliani recognitum fuit in curia archiep. die XX Augusti anno MDCLXXVIII. *Dies venerationis suspicionem ingerere potest, corpus illud* S. Juliani *esse* Juliani *ejusdem, de quo agimus, præsertim cum nullus alius* Julianus *hodie in Martyrologiis reperiatur. Verum huic suspicioni refragatur, quod* Julianum *suum Romæ annuntiet Bosca : verisimile* B *enim non est Romæ passos esse Martyres nostros. Præterea nihil de suo* Juliano *cognovisse videtur Bosca, nisi corpus ipsius fuisse Roma acceptum, et Ciserani in magna veneratione habitum, ita ut dies* IV *Septembris ideo fortasse solum electa sit pro veneratione istius Juliani, quod* Julianus *aliquis eadem die celebraretur in Martyrologio Romano, licet cum hoc ille idem esse non crederetur.*

6 *Baronius in Annalibus ad annum* 308 *refert martyrium quatuor Martyrum nostrorum num.* 27. *Annus ille quidem incertus est, nec tamen longe a vero aberit. Etenim non dubito, quin sub Maximiano Galerio passi sint Martyres illi, sive postquam Diocletianus et Maximianus Herculius imperio se abdicaverant, quod contigit anno* 305; *primo quia dicuntur passi sub Maximiano; secundo quia res contigit in Oriente, ubi sævissima fuit persecutio sub Galerio, et ubi Herculius raro fuit; ac tertio demum, quia tormenta Martyribus hisce illata cum moribus Maximiani Galerii optime congruunt. Nam testatur Lactantius libro de Mortibus persecutorum cap.* 21 *pœnam ignis maxime usitatam fuisse Galerio, et quidem eo usque processisse illius crudelitatem,* ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. *Constat autem hosce Martyres ignis cruciatu martyrii lauream adeptos. Porro nonnulla est differentia in relatione pœnæ, quæ ignem præcessit : Menæa enim et Sirletianum Menologium habent, Martyrum* pedes *securi fuisse abscissos, et sic in ignem injectos. Basilianum vero habet :* Præcisis *(aut, ut vox Græca* κατακοπέντες *etiam verti potest,* concisis) singulis membris cruribusque confractis *igni injectos esse. Non potest certo dici, utrum membra Martyrum fuerint abscissa, an solum contusa et confracta ; at certum est gravissima passos esse, atque ita gloriosam coronam consecutos.* E

D *martyrium statuendum sub Maximiano Galerio.*

DE S. MARINO DIACONO CONF.

PATRONO REIPUBLICÆ COGNOMINIS IN ITALIA

J. V.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Notitia loci, in quo Sanctus solitarie vixit; memoria in Fastis sacris : an corpus Ticini : cultus in pluribus aliis urbibus : Acta et Commentarius Italicus quantæ fidei.

C F

Circa finem seculi IV. Respublica Sancti nomine appellata :

Mons, *in cujus caverna vitam solitariam duxit hic Sanctus, vocabatur antiquitus* Titas *vel* Titanus *sive* Acer ; *deinde* San Marino *ab incolis dictus ex Sancti nomine. Situs est in Italia Romandiolam inter et ducatum Urbinatem, distatque Arimino milliaribus Italicis decem, Leopoldi vero sex. In hujus montis cacumine ædificatum fuit oppidum, quod hodieque* Fanum S. Marini *seu* Marinum *appellatur, caput parvæ reipublicæ liberæ et sui juris ; quo titulo gaudet ab anno* 600 *secundum Baudrandum tomo* 2 *pag.* 320, *ubi vicos eidem subjectos, numerum incolarum modumque gubernationis recenset. Nicolaus Coletus in Italia sacra Ughelli Venetiis recusa tomo* 2 *col.* 844 *ait, oppidum esse satis amplum duplicique muro circumdatum, fœtum civibus et ædificiis cum publicis tum privatis nitens. Magis ad propositum nostrum faciunt quæ subdit :* Princeps ecclesia D. Marino sacra est et in cacumine montis ad Orientem vergit, constructa lapidibus sectis et quadratis, tribus navibus ordine Etrusco distincta . . . In ara majori requiescit corpus S. Marini, *prout infra ostendetur ex ejusdem inventione.*

annuntiatio in Martyrologiis 3 et 4 Septembris :

2 *In additionibus ad Martyrologium Bedæ tomo* 2 *Martii pag.* XXXI *memoratur Sanctus noster cum socio Leone* III *Septembris ex Mss. Vaticano et Cyriaci; sed sine loco. Ambo etiam habentur ad* IV *Septembris in Ms. Calendario Missalis Mediolanensis anni* 1560, *hoc modo :* SS. Leonis et Marini confessorum. *De illo Leone, qui et Leus dicitur, egimus tomo* I *Augusti a pag.* 46. Marinum *Ticini annuntiant Belinus, Molanus, Galesinius et Martyrologium Germanicum, quod vulgo Canisii vocatur, ad* III *Septembris ; e quibus solus Galesinius titulum diaconi exprimit ita scribens :* Papiæ, sancti Marini diaconi et confessoris. *Martyrologium Romanum*

AUCTORE J. V.

A *manum hac die :* Arimini sancti Marini diaconi; *ad quæ Baronius notavit, alicubi* Maurum *scribi pro* Marino. *Franciscus Maria de Aste archiepiscopus Hydruntinus in Disceptationibus suis in Martyrologium Romanum Beneventi editis anno* 1716, *locum emortualem sic corrigit ex Ferrario in calce Novæ topographiæ :* Non Arimini, sed apud montem Titanum obiit, ut in ejus Vita. *Refertur item Sanctus* IV *Septembris apud Maurolycum, Grevenum, Withfordum in Martyrologio Anglicano, et Canisium in Germanico laudato; quod ultimum distinguere videtur hunc* Marinum *ab eo, quem pridie annuntiarat* Papiæ : *sed illum, quem ibi colitur, eumdem esse cum Sancto hodierno, constat ex Jacobo Gualla lib.* 5 *Sanctuarii Papiæ cap.* 1 *et* 4 *quod compendium est Actorum. Idem mox patebit aliunde, ubi retulero elogium ex Greveno his verbis conceptum :* In Titano monte, sancti Marini Levitæ et confessoris, qui cum esset dolandorum lapidum peritus et a Diocletiano conductus, de laboribus suis, pauperibus large subveniebat; Christianos quoque, ob Christi fidem in opere prægravatos, adjuvabat. Postea vero B Romani Pontificis jussu diaconus ordinatus, quievit in pace. *An omnia hæc vera sint, infra videbitur.*

festum Ticini, non tamen corpus ;

3 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* III *Septembris exhibet e Petro de Natalibus compendium Actorum; sed recte subdit in Annotatione, multa correctione illa egere. Deinde circa cultum observat sequentia :* In Martyrol. Rom. natalis S. Marini prid. Non. Sept. adnotatur, cum in M. Titano, M. Feretrano, Arimini, Papiæ, et aliis in locis III Non. celebretur. *In Catalogo generali ad eumdem diem dubitanter loquitur de loco, in quo Sanctus requiescit, hæc notans :* Corpus in M. Titano op. Ariminen. diœc. *(secundum Ughellum Leopolitanæ diœcesis)* asservari fertur, cum illud Papiæ in sacra æde ejusdem S. Marini quiescere affirmetur, *nempe a laudato Gualla cap.* I. *Huic consonant informationes a R. P. Joanne Antonio Gallo rectore Collegii nostri Ticinensis huc missæ anno* 1686, *signantes tamen, Sanctum in illa urbe coli non* III Non., *ut supra aiebat Ferrarius, sed pridie Nonas cum Romano Martyrologio.* C *Verba accipe :* Die IV Septemb. agitur de S. Marino diacono sub ritu duplici in sua propria ecclesia, quia ibi adest ejus corpus, et est ejusdem titulus. *Bernardus Saccus Historiæ Ticinensis libro* 10 *cap.* 8 *scribit, templum* S. Marini *una cum monasterio* ad majorem aliquarum reliquiarum honorificentiam *in urbis medio eleganter constructum fuisse ab Aistulpho Longobardorum rege, adeoque circa medium seculi* VIII. *Eumdem conditorem istius ecclesiæ* sub nomine omnium Sanctorum, modo autem divi Marini *agnoscit Gualla citatus; sed enormi anachronismo Aistulphi mortem collocat* anno salutis quinquagesimo octavo supra ducentos.

cultus Arimini aliisque in locis.

4 *Ceterum per* corpus *hic aliquæ dumtaxat reliquiæ intelligi possunt, et recte illud Ticino non attribuit memoratus Saccus : constat enim ex instrumentis postea edendis, corpus* S. Marini *anno* 1586 *in ejus nominis oppido inventum, ibidem adhuc fuisse anno* 1661, *si costam excipias; nec uspiam occurrit mentio aliqua translationis corporis Ticinum factæ vel Ticino Marinum. Templum item Sancto dicatum est Arimini, prout testatur Raphaël Adimari libro* I *de Situ Ariminensi Italice edito pag.* 83, *addens puteum ibi esse, qui dicitur factus a Sancto, et nunc est in angulo claustri, unde intratur in conventum, id est, cœnobium Canonicorum Lateranensium, quod templo adhæret. Hujus situm prope mœnia versus Orientem exhibet tabula topographica civitatis Ariminensis post tomum* I *Collectionis historicæ de fundatione Arimini etc., per Cæsarem Clementini sermone Italico conscriptæ. Colitur præterea Sanctus Arbæ in Liburnia, Bononiæ, Cæsenæ, Viguentiæ (Voghenza) in diœcesi Ferrariensi locisque aliis diœcesis Ariminensis et Feretranæ, uti asserit authenticum instrumentum anni* 1661 : *Niverni quoque in Gallia et quidem ritu duplici, teste Kalendario Nivernensi M. ad* IV *Septembris,* Marini conf. dup. *De publica et solemni veneratione, qua Patronum ac Protectorem suum prosequuntur San-Marinenses, opportunius agetur infra.*

Acta a Tillemontio rejecta

5 *Actorum duplex habemus exemplar Ms.; alterum Roma missum a P. du Lorey, cujus hic est titulus :* Incipit Vita sancti Marini confessoris desumpta ab antiquissimo libro manu scripto, qui est penes illustres DD. Societatis S. Hieronymi de Arimino a fol. 167 usque fol. 174 : E *alterum, quod exordio multisque aliis a priori discrepat et correctius est, accepimus anno* 1641 *a P. Joanne Gamans Societatis Jesu, descriptum ex Passionali pergameno Bodecensis cœnobii Canonicorum Regularium S. Augustini in diœcesi Paderbornensi. Duobus hisce addi possunt* IX *Lectiones Officii proprii Ms., necnon* Divi Marini Triumphus *carmine heroïco celebratus, sed hic mutilus est nec vitiis caret. Exstat insuper Vita typis excusa libro* 8 *cap.* 36 *apud Petrum de Natalibus, quoad omnia fere consonans Lectionibus citatis ; item alia multo prolixior tomo* 2 *Mombritii fol.* 52, *complectens quidquid habetur in Vitis jam memoratis, sed præferens falso hunc titulum :* Passio SS. Leonis et Marini martyrum, *cum ambo in pace obierint. Acta a quo primum conscripta sint, non invenio : ad tempus quod attinet, Tillemontius nota* 70 *in Arianos tomo* 6 *pag.* 785 *videri sibi ait, stylum esse seculi* IX *et* X. *Verum seculo* XI *antiquiora non esse indicat memoratus Clementinus, dum parte* 1 *anno* 1617 *edita, libro* 1 *pag.* 123 *Vitam Sancti exaratam asserit ab annis circiter* 600. *Exigua igitur Actorum est auctoritas ab ætate scriptoris, utpote qui totis* 6 *seculis a Sancto distabat. Imo auctoritatem omnem alio etiam ex capite illis abjudicat citatus Tillemontius, et Acta non sine stomacho repudiat.* F

nec immerito :

6 *Sane in iis narrantur quædam minime cohærentia, et quæ fidem historicam non merentur : nam* 1° *imperitus scriptor inducit Diocletianum et Maximianum imperatores, dire sævientes in Christianos, urbemque Ariminensem reædificari jubentes circa annum* 257 ; *nempe diu antequam illi imperarent, et priusquam Ariminum a Demosthene Liburnorum rege, nescio quo, vastatum esset, quod tantum anno a partu Virginis* 266 *contigisse volunt laudatus Clementinus pag.* 122, *et Vincentius Maria Cimarelli alter auctor Italus lib.* 2 *Historiæ Urbinatium pag.* 83. *Imo Lectiones Officii proprii et Petrus de Natalibus aiunt urbem reparari cœptam* circa annos Domini CCXX, *Sanctique obitum affigunt anno* 257. *Asserit* 2° *Virum sanctum jam tum Christianum, jussu prædictorum imperatorum venisse Ariminum, operam collaturum ad civitatem reædificandam : hoc tamen in antiquitatibus patriæ suæ testatum non invenit Clementinus*

AUCTORE J. V.

tinus nobilis Ariminensis, cum libro 2 *pag.* 126 *scribat*, non bene solido fundamento *numerari SS. Leonem et* Marinum *inter architectos, lapicidas, cæmentarios aliosque operarios, qui tunc eo confluxerunt. Multo minus id reperit in manuscriptis, quæ variis locis citat, Gaudentius Brunacci auctor Vitæ Italicæ S. Gaudentii Ariminensis episcopi et martyris; siquidem libro* 2 *pag.* 58 *narrat, Leonem et* Marinum *juvenes et adhuc gentiles accessisse Ariminum sub hoc sancto episcopo, quem Julius I ordinaverat, uti habet pag.* 41; *ibidemque ab illo ad fidem Christi conversos et baptizatos fuisse. Denique ut alia omittam, quis fabulam non æstimet, inquit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ pag.* 569, *illud de urso, loco aselli, quem devoraverat,* Marinum *vehente?*

Commentarius Italicus

7 *Accepimus anno* 1665 *Commentarium Italicum bene longum de Vita et gestis Sancti, concinnatum per DD. Alexandrum Belluzzi et Joannem Franciscum Manenti nobiles San-Marinenses, qui eumdem juridice coram notario et testibus recognoverunt et approbarunt* IX *Decem-* B *bris anni* 1661. *Post instrumentum illud appositumque de notarii fide testimonium, auctoritate publica et sigillo reipublicæ firmatum, subditur episcopi diœcesani approbatio in hunc modum:* Bernardinus Scala Dei et S. sedis Apostolicæ gratia episcopus Feretranus. Plenam fidem facimus et verbo veritatis attestamur, retroscriptam narrationem gestorum divi Marini, per perillustres et excellentissimos DD. Alexandrum Bellutium et Joannem Franciscum Manentium de S. Marino recollectam et descriptam, et coram D. Francisco Honofrio publico et authentico notario reipublicæ S. Marini, in eaque ad præsens cancellario nostro, recognitam cum legalitate dictæ reipublicæ a nobis bene visam, lectam atque jam debito pondere et maturitate examinatam, esse veritati consonam; nihilque continere quod non muniatur auctoritate scribentium publicorum monumentorum, et immemorabilium traditionum per diœcesim nostram communiter acceptarum et pie creditarum. Quapropter ad laudem omnipotentis Dei et honorem prædicti divi Marini, nostræ approbationis robur, quantum in nobis est, præsentibus addere non C dubitamus. In quorum fidem etc. Datum Pinnæ ex palatio nostro episcopali, die XXIII Decembris MDCLXI. Bernardinus Scala episcopus Feretranus *et juxta ipsius sigillum inferne appositum*, Joannes Baptista Franchinus canc. episcopalis Feret.

ex iisdem concinnatus absque delectu sufficiente.

8 *Commentarius iste non satis criticus omnia adoptat ut vera, quæ in Actis tum impressis tum Mss. referuntur, prælerquam aliquot anachronismos, quos ita corrigendos censuerunt illius auctores; retrahunt cum Adimaro lib.* 1 *pag.* 2 *edictum Diocletiani pro instauranda urbe Ariminensi ad annum circiter* 300, *et sub idem tempus dicunt eo accessisse* Marinum *cum Leone jam Christianum, at juvenili ætate floridum; ita ut anno* 359 *interesse potuerit concilio Ariminensi cum S. Gaudentio episcopo, cujus ordinationem non Damaso, uti perperam Petrus de Natalibus, sed Julio I tribuunt. Recte quidem hic distinguuntur tempora Diocletiani et S. Gaudentii episcopi; sed verisimile non est, ut Ferrarius observat pag.* 481, Marinum *cum socio locasse operam suam Arimini sub Diocletiano, ac deinde sub Constantio imperatore ordinatum esse diaconum a S. Gaudentio. Vide Clementinum supra num.* 6. *Malim igitur credere Brunaccio ibidem citato, Sanctos venisse dumtaxat Ariminum tempore S. Gaudentii episcopi: sic melius cohærebunt cetera, et* Marini *obitus statui poterit sub finem seculi* IV. *Ceterum non est necesse integrum illum Commentarium ex Italico Latinum facere; nam Acta ipsa, e quibus potissimum coaluit, postea dabuntur: et in iis, quæ gesta memorat a Sancto vivente ex Petro de Natalibus, qui identidem citatur in margine, haudquaquam tantæ auctoritatis est ac putavit illustrissimus Bernardinus in relata approbatione. Alia, quæ Actis superaddidit, paragrapho sequente proferentur, vel in Annotatis post Vitam.* D

§ II. Solemnis veneratio apud San-Marinenses præcipue post inventionem corporis, quæ datur ex instrumento authentico; alia ad cultum pertinentia.

E

Peculiaris cultus

Felix ejus transitus, *inquit Italice memoratus Commentarius*, III Septembris festive recolitur a republica S. Marini cum magnificentia musicorum concentuum et ornamentorum, cum extraordinario peregrinorum concursu ad celebritatem Sancti. *Nonnullis interjectis de cultu in variis aliis locis, quorum aliqua retuli num.* 4, *sic prosequitur:* Remansit itaque eidem reipublicæ integra hereditas pretiosarum ejus exuviarum, quas veluti pignus protectionis illa conservat obsequiosa diligentia in ecclesia majori, dedicata eidem Sancto, sub clavibus commissis custodiæ illustrissimorum capitaneorum, qui sunt supremus illius magistratus. Thesaurus venerabilis ejus capitis exponitur quotannis admirationi non minus quam venerationi: siquidem conspicitur id post tredecim secula præservatum a corruptione cum aliquot dentibus, qui vivaci rubore gingivæ conjunctæ minime cedunt dentibus viventium. Residuum venerabilium ejus ossium jacet inclusum urnæ marmoreæ, cui cernitur impressum scalpro inerudito sed pio sequens distichum: F

Clusa * ab antiquis, nobis aperta. Marini
Sancta manent membra, nobis cunctis recolenda.

* *al.* clausa

apud San-Marinenses

10 *Commentarii auctores non videntur meminisse, dum illa scriberent, quod costa Sancti translata fuerit ad civitatem Arbensem in Liburnia: miror etiam nullum eos verbum fecisse de inventione corporis. Documentum hujusce inventionis edidit Coletus tomo* 2 *Italiæ Sacræ recusæ col.* 854, *sed in quibusdam mendosum: dabo illud correctius ex instrumento authentico anni* 1628, *quod et plura alia ad cultum Sancti spectantia, necnon litteras translationis testes continet, ac proinde hic inseri meretur.* In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab ejus nativitate sacratissima MDCXXVIII Indictione Romana XI, sedente sanctissimo DD. Urbano VIII divina providentia Pont. Max., die vero ultima mensis Octobris anni antedicti. Universis et singulis sit notum et evidenter pateat, comparuisse in Terra S. Marini Feretranæ diœcesis coram perillustri et reverendissimo D. Jo. Baptista Cionino

A Cionino J. U. D. abbate, protonotario Apostolico, et illustrissimi ac reverendissimi D. episcopi Feretrani vicario generali, perillustrem et admodum reverendum D. Michaëlem Thomam de civitate S. Leonis J. U. D. archipresbyterum matricis ecclesiæ seu plebis S. Marini Terræ prædictæ perpetuæ libertatis ejusdem S. Marini, et pro dicta ecclesia, atque ad gloriam et honorem ipsius sancti Titularis ac Tutelaris perpetuamque memoriam, in termino competente produxisse et exhibuisse in suo proprio originali fidem scriptam et subscriptam manu propria quondam illustris et adm. reverendi et excellentis D. Marini Bonetti, dictæ ecclesiæ archipresbyteri, confectam sub die IV Octobris MDXCV (*hic inseritur initium et finis*) concernens * inventionem et translationem sacri corporis præfati S. Marini, patroni in eadem ecclesia sua; petens illam recipi et admitti et recognosci mandari per testes habentes notam manum, in forma ad perpetuam memoriam, ut supra, omnemque alium bonum finem et effectum etc. omni etc.

* concernentem

B 11 Et insuper, pro negotiis in Romana curia susceptis ad magis promovendum honorem et cultum erga eumdem Sanctum, petiisse et institisse dictum D. comparentem, unum vel plures notarios deputari ad suscipiendas testificationes ac testimonia in forma probanti, super intrascripta videlicet solemnitate festi ipsius Sancti, agi solita die III Septembris ab immemorabili tempore citra ejusdem gloriosi natalis. Item super processione generali, solemnissime in eadem festivitate quotannis celebrari solita, cum delatione per Terram ipsam sacri capitis ejusdem Sancti. Item quod in libris antiquissimis cantus firmi ecclesiæ prædictæ extent Antiphonæ et Responsoria Officii ex propriis ejusdem S. Marini, illudque fuisse solitum decantari in dicta ecclesia; deque aliis hujusmodi necessariis et opportunis. Et similiter ad dictum effectum institisse, accedi ad eandem ecclesiam per D. I. R. ad faciendum visum et repertum de sacro deposito ejusdem Sancti, nec non votis appensis, sacrisque ejus lectulis, libris ac memoriis etc. ita etc. omni etc. Qui perillustris et reverendissimus D. vicarius generalis Feretranus sedens etc. prædicto admisit si et inquantum, et successive fidem supradictam recognosci mandavit in forma, et ad supradicta omnia in notarium ac notarios insolidum deputavit DD. Lactantium Vallum et Livium Pelliccerium de S. Marino, offerens se paratum ad dictum accessum juxta petita ita etc. omni etc. Ita pronunciavi ego Jo. Baptista Cioninus vicarius generalis Feretranus. Tenor vero fidei supradictæ est qui sequitur, videlicet.

a tempore immemorabili;

C

12 „ Quia in Terra perpetuæ libertatis S. Marini „ Feretranæ diœcesis de corpore Sancti ejusdem „ nominis dubitabatur, et propter talem suspicio- „ nem in dies magis ad dictum Sanctum devotio „ diminuebatur, licet in pede altaris majoris ple- „ bis ejusdem, Sancti prædicti corpus quiescere „ suspicaretur. Hinc ego Marinus Bonettus di- „ ctæ plebis archipresbyter corpus prædictum „ exquirere constitui: et prius maturo habito „ colloquio cum illustrissimo et reverendissimo „ D. Jo. Francisco Sormano Mediolanensi, di- „ ctæ Feretranæ diœcesis antistite, precibusque „ per aliquot dies cum multis fratribus Capuc- „ cinis ad Deum pro hac re delatis, tandem in „ festo Inventionis S. Crucis de anno MDLXXXVI „ ad horas tres noctis cum interventu duorum

inventum ibi corpus anno 1586

„ ex dictis Capuccinis summo cum tremore ac „ timore pedem prædicti altaris rupi, ibique „ marmoream urnam inveni, in qua hi duo ver- „ sus insculpti sunt, videlicet.

AUCTORE J. V.

„ Clausa ab antiquis, nobis aperta, Marini
„ Sancta manent membra nobis cunctis reco-
„ lenda.

13 „ Qua postea urna coram dicto antistite „ et populo prædictæ Terræ aperta, clare vidi- „ mus omnes, ibi omnia ossa corporis Sancti „ præfati extare cum quadam parva cruce ænea „ et quibusdam paucis nummis, quorum imago „ minime agnoscebatur. In die postea III proxi- „ mioris mensis Septembris, in qua Sancti so- „ lemnia agi solent cum magno vicinorum con- „ cursu, licet imbres immensi de mane restite- „ rint; prædicta ossa præfatus antistes et alii di- „ gniores cleri per totam Terram cum hymnis, „ canticis et instrumentis musicis devote asporta- „ vere, et reposita, prout etiam nunc extant „ super prædictum altare majus, ibique majori „ quam prius veneratione coluntur ad laudem et „ gloriam Dei omnipotentis et Sancti prædicti. „ Et quia ego prædictus Marinus Bonettus ut „ supra his omnibus interfui, his manu mea pro- „ pria scriptis et subscriptis, de omnibus fidem „ facio sub hac die IV mensis Octobris MDXCV. „ Idem Marinus manu propria „. *Tomo citato Italiæ Sacræ col.* 855 *notatur id uno anno serius, nempe* 1596; *sed fides nostri Ms. est potior.*

et solemniter elevatum:

E

14 *Sequitur ejusdem recognitio in hunc modum:* Die dicta ultima Octobris MDCXXVIII. Coram dicto reverendissimo D. vicario generali in accessu facto ad ecclesiam matricem prædictum S. Marini, personaliter constituti perillustris et adm. excellens ac R. D. Camillus Bonellus J. U. D. et protonotarius Apostolicus de S. Marino ætatis suæ annorum LXX, nec non illustris et adm. reverendus D. Aurelius Bellutius rector parochialis S. Michaëlis de Domagnano comitatus dictæ Terræ S. Marini Feretranæ diœcesis annorum LX, singuli singillatim diligenter interrogati, et servatis servandis medio juramento tactis Scripturis etc. unus post alium tenens in manibus propriis fidem supradictam in suo originali existens * in calce libelli, in quo est Vita S. Marini descripta, recognoverunt et ipsorum quilibet recognovit illam formiter scriptam et subscriptam manu propria ipsiusmet D. archipresbyteri Bonetti bonæ memoriæ concludentibus rationibus; quia scilicet notam habebant et habent manum illius, quippe qui erat consobrinus dicti D. Camilli, et docuit scribere præfatum D. Aurelium, videruntque pluries illum scribere etc. omni etc. Præsentibus ad prædicta in sacristia dictæ plebis R. D. Francisco Georgio de S. Agata, et D. Gregorio Plombono de S. Leone, testibus rogatis etc.

præcedentis testimonii recognitio.

* existente

F

15 *Varia deinceps peculiaris venerationis argumenta sic referuntur:* Die dicta eodemque accessu reverendissimus D. vicarius supradictus, præmissa debita oratione ante divinissimum Eucharistiæ Sacramentum in sacello S. Petri dictæ plebis, ubi dicitur constructam fuisse ab eodem S. Marino sacram illam ædiculam eidem Apostolorum Principi dicatam, et ubi juxta dictum altare retro extant duo lectuli in saxo excavati; ingressus postea ipsam plebem eidem divo Marino dicatam structuræ antiquissimæ ac venustæ multis capellis *, ac altaribus exornatam et perpulcris inauratis pellibus vestitam, et cui inserviunt regulariter decem sacerdotes ultra alios clericos

Sacræ reliquiæ honorificentius reconditæ initio seculi 17;

* *i. e.* sacellis

AUCTORE J. V.

una cum dicto archipresbyterio et magistro capellæ, accessit ad sacrum altare majus decenter exornatum et eidem divo Marino dicatum, ut ipse vidit, legitque sculptum in summitate icconæ * lapideæ albæ affabre fabricatæ, intra quam pulcra extat similis lapidis statua ejusdem S. Marini in habitu diaconali manibus Terram ipsam sustinentis. Et subtus basim ac planitiem statuæ prædictæ vidit et veneratus fuit sacrum caput ejusdem S. Marini, ibidem theca argentea reverenter asservatum, custoditum sub pluribus clavibus ac seris, in qua theca legitur infrascripta inscriptio, videlicet " Auctori perpetuæ libertatis suæ Divo Marino protectori Respublica S. Marini fieri curavit anno MDCII et die 2 mensis Septembris ". Atque ibidem intrinsecus e regione ejusdem sacri capitis vidit immuratum sacrum depositum corporis ejusdem, ut per inscriptionem, quæ ibi extat sequentis tenoris, videlicet. " Aurato hoc argento Divi Marini caput includitur, reliquo intus corpore asservato. Opus autem stipato hinc inde ære consectum opera Fabritii Bellutii ac Flamini Cionini tutorum Kal. Sept. MDCII ".

*l. iconis

B 16 Vidit orationem manuscriptam in tabella ad ipsum Sanctum directam, hujus qui sequitur tenoris, videlicet. " Salve Pater sancte, flamma caritatis, speculum pœnitentiæ, propugnaculum castitatis, gloria Titani montis, prædicator Euangelii, fundator libertatis, familiam tuam respice, apprehende arma et scutum, et exurge in adjutorium; ut, prostratis inimicis animæ et corporis, tecum in cælis triumphare valeamus. Oremus. Deus, qui nos beati Marini meritis temporali libertate donasti, concede propitius, ut ejusdem intercessione ab omnibus peccatis liberi libertatem æternam consequamur. Per etc. ". Vidit lampadem pendentem accensam ad prædictum sacrum corpus, quæ, ut fuit affirmatum et est notorium, perpetuo ardet ære publico et speciali cura Reipublicæ, quæ quidem singulis annis ab antiquissimis temporibus citra creat in consilio generali duos cives, quos appellant Massarios * de Sancto, curam gerentes dictæ lampadis et eleemosynarum oblatarum, ac etiam quinque clavium C supradictæ sanctuarii, associantes etiam ipsum sacrum caput funalibus accensis, cum defertur in generali processione in natali ejusdem Sancti die III Septembris. Vidit multa ac multa vota argentea et alia, appensa hinc inde ad dictum sacrum depositum ex voto et gratia obtenta. Vidit deputatos esse perpetuo legato ad altare prædictum de Sancto nuncupatam duos particulares capellanos similiter de Sancto nuncupatos, inservientes illi ultra dominum archipresbyterum ejusque capellanum cum aliis ut supra destinatis.

alia antiquæ et singularis

* i e. custodes a voce Italica massaio

17 Accessit postmodum ad lectum ejusdem Sancti, excisum in saxo ac rupe ad cornu Euangelii supradicti altaris majoris, ibique invenit lampadem appensam et accensam, ex legato positam. Vidit etiam ibi magnam votorum quantitatem, et accepit a multis, multum eumdem sacrum lectulum a populis frequentari ac venerari. Vidit statuam sancti prædicti Anachoretæ præparatam exponi in eodem lectulo, repræsentantem eumdem Sanctum pœnitentem. Vidit tabellam appensam, continentem orationem sequentem. " Clementissime Domine Jesu Christe, qui beato Marino patri nostro tantum spiritum conferre dignatus es, ut jejuniis, laboribus ac vigiliis fatigatus etiam hoc duro lapide cubaret; D largire quæsumus, ut nos eodem spiritu repleti rebellem carnem nostram domantes, castitate floreamus et jugiter in sancto amore tuo crescamus. Qui vivis et regnas etc. ". Vidit etiam in alia tabella carmen in hæc verba, videlicet. " Ad pium lecti S. Marini visitatorem.

venerationis argumenta:

Saxea qui recolis devote cubilia Sancti,
Saxea corda pone.
Dumque colis, perpende animo, dulcedine quanta
Ferrea corda doment.
Deinde animo reputes, quinam quove altius ipsa
Aurea corda trahant.
Quas etiam hæc pennas dederit mirare Marino
Saxea mollities.
Sic non vana tibi fuerit visitatio, multus
Sed tibi fructus erit;
Teque suos inter poterit laudare, tremendus
cum stabis ante Deum.
Franciscus Paradisus Parisiensis posuit ".

18 Accessit deinde idem reverendissimus ad sacristiam a dextro cornu prædicti altaris majoris, et a choro jussit asportari ad eum libros cantus firmi ejusdem ecclesiæ; et duobus maximis E libris allatis antiquissimis in pergamo folio, in altero illorum... invenit, vidit et legit fol. LXX et seq.... Officium proprium de S. Marino tenoris ut infra, videlicet... Ad Matutinum Invitatorium.

Officium proprium, quod prudenter intermissum,

Æternum trinumque Deum laudamus et unum,
Qui sibi Marinum transvexit ad æthera sanctum.

Reliquas antiphonas e Vita depromptas aliaque non transcribo. Hisce autem ibi relatis absque ulla mentione Orationis aut Lectionum propriarum, subditur: Quibus omnibus ad dictum Officium spectantibus visis et perlectis, ut supra, ab eodem reverendissimo D. vicario generali, præsentibus ibidem inter alios adm. ill. R. excellente D. Jo. Ant. Bellutio J. U. D. olim dictæ ecclesiæ archipresbytero antecessore moderni, et ill. ac R. D. Aurelio Bellutio rectore S. Michaëlis et antiquissimo dictæ plebis chorista, nec non adm. R. D. Mattheo Mazzochetto capellano similiter antiquo ejusdem ecclesiæ, unanimi consensu ipsi affirmaverunt et ipsorum quilibet affirmavit, Officium prædictum fuisse ob innu- F merabili tempore in usu in parte cantari solita in dicta ecclesia et choro, præterquam a viginti annis citra; cum D. archipresbyter Marinus prædefunctus cœpit illud intermittere ex se ipso absque aliqua prohibitione (quod sciatur:) assumendo in festo S. Marini et per octavam omnia de communi Confessorum. *Prudenter sane meo judicio, nam Officium proprium fabulis non caret.*

19 Atque idem adm. R. D. Aurelius chorista et musicus ostendit et effective exhibuit in continenti hymnum... in cantu figurato cantari solitum, ut ipse testatus est, in solemniis sacri corporis ejus, præsente reverendissimo D. antistite Sormano et assistente uti episcopo Feretrano; prædictaque notoria fuisse et esse etc. Acta gestaque in locis supradictis, ibidem præsentibus supra nominatis R. D. Francisco Georgio de S. Agata, et D. Gregorio Plombono de S. Leone, testibus rogatis etc. Ego Livius Pellicerius notarius rogatus etc. omni etc. *Orationem propriam accipe ex alio Officio Ms., cujus memini num. 5:* Propitiare nobis famulis tuis, quæsumus Domine, per ipsius sancti Marini confessoris tui, qui in præsenti ecclesia requiescit, merita gloriosa;

et oratio.

A riosa; ut ejus intercessione ab omnibus protegamur adversis. Per Dominum nostrum etc. *Superiora satis demonstrant, quanto affectu et veneratione Patronum suum prosequantur San-Marinenses : nolo tamen supprimere publicam declarationem magistratus loci, ac reliqua laudato scripto contenta, forsitan aliis futura stimulo ad similia audendum pro Sanctis, quos colunt.*

§ III. Declaratio magistratus San-Marinensis præcedentia confirmans; aliorum testimonium de translatione costæ ad civitatem Arbensem in Liburnia : patrocinium Sancti, spelunca et hortus.

B

Publica magistratus loci

Die vii mensis Novembris mdcxxviii. Constituti personaliter coram me notario episcopali in hac parte, testibus infrascriptis, perillustres viri infrascripti videlicet D. Julianus Bellutius annorum xviii, D. Michaël Ang. Bussignanus ann. lxii, capitanei reipublicæ; admodum excellens D. Camillus Bonellus lxx, adm. exc. D. Heratius Bellutius lxvi, adm. exc. D. Petrus Tonsinus l, adm. exc. D. Marcus Ant. Bonettus xxx, D. Franciscus Gianinus ann. lxxxix, D. Bellutius de Bellutiis ann. lxviii, D. Fredericus Gotius ann. li, D. Vincentius Zampinus ann. xlvi de S. Marino cives et consiliarii ejusdem reipublicæ, omnes et singuli unus post alium pro veritate requisiti, una pariter unanimi consensu testificati sunt et indubiam fidem fecerunt universis et singulis ut infra sequitur, videlicet etc. *Declarationem Italicam Latine sic verto.*

testificatio de annua festivitate,

21 Nos pro veritate perquisiti testificamur et certam fidem facimus, primo verum fuisse et esse, quod festum S. nostri fundatoris et gloriosi protectoris Marini semper quotannis celebratum fuerit a tanto tempore, ut non sit memoria in C contrarium; celebraturque assidue cum omni solemnitate possibili et magno concursu advenarum et nobilium et præsulum iii Septembris in plebe* (*i. e.* ecclesia parochiali) hujus patriæ dedicata eidem Sancto. Secundo, quod semper instituta fuerit et quotannis dicto festo instituatur generalis et solemnis supplicatio numerosi cleri cum selecta musica ex finitimis civitatibus modo Cæsena, modo Arimino, et interdum Pisauro, Fano, Foro Sempronii et Urbino. In qua supplicatione semper hucusque a translatione sacri corporis ejusdem Sancti solemniter circumlatum fuit et assidue circumfertur sacrum ipsius caput argento inclusum, quod portant in tabernaculo quatuor diaconi cum magna veneratione et devotione populorum.

* *Italice* Pieve

veneratione capitis

22 Tertio, quod idem sacrum caput conservatum sit et conservetur in dicta ecclesia parochiali super altari majore, quod communiter vocatur altare Sancti, illudque semper tale indubitanter existimatum et habitum fuerit : ac veluti tale cultum semper fuit coliturque a populo et ab episcopis Feretranis, qui fuere pro tempore et speciatim ab hodierno, et a multis eminentissimis DD. Cardinalibus ut Sforza, Ursino et Rivarola, dum erant Legati Romandiolæ, aliisque præsulibus veluti D. Lapio episcopo Fanensi, D. Pavone episcopo Ariminensi, D. Mantica vicelegato Romandiolæ, D. Scotto gubernatore Arimini, D. Pavone olim cubiculi præfecto Pauli V et Gregorii XV, aliisque. Quarto, quod memoratum sacrum caput foris reservatum sit, ut exponatur ad honorem ipsius Sancti et consolationem populi ejus, quando facta est solemnis translatio omnium sacratissimorum illius ossium tempore D. Sormani quodam episcopi Feretrani, et D. Bonetti archipresbyteri dictæ plebis.

ac ossium præcipue post inventionem ;

23 Quæ ossa omnia ejusdem sacri corporis S. Marini opera PP. Capuccinorum et quorumdam nostrorum civium fuerunt, servatis servandis, detecta et reperta examussim eo ipso in loco, ubi antiqua traditio ferebat illa requiescere, id est, sub altari majore dictæ parochialis ecclesiæ, in pede illius intra urnam e saxo montis nostri candido marmore coopertam, cum duobus versibus, qui declarabant, illud reapse verum corpus esse ejusdem Sancti cum infinito jubilo et applausu hujus patriæ. Et instituta post cum eodem sacro corpore solemnissima supplicatione ipso ejus natali iii E Septembris, assistente et facultatem concedente prædicto D. episcopo Sormano loci ordinario, illud ipsum fuit translatum et repositum intra eamdem urnam in eodem altari, verumtamen sursum e regione mensæ altaris illius intra murum, et sub statua, quæ hac tempestate illic cernitur supra erecta; ibique ad latus custoditur sacrum caput illius supradicti.

de peregrinis eo recurrentibus, legatis piis

24 Denique quiescit ibi reipsa dictum corpus sacrum, et per misericordiam Dei ipsiusque Sancti fruimur tam pretioso thesauro, atque ibi semper in veneratione fuit hodieque est omni populo. Ibi ante illud sumptibus publicis curatur ut perpetuo ardeat lampas, et singulis annis creantur a Republica nostra duo custodes, Massarii nominati, qui curam sacri istius depositi gerant. Illic quotidie ob favores recurritur ab omnibus, etiam a peregrinis. Apud illud appenduntur votiva anathemata argentea aliaque, uti cernitur. Illic quotidie curantur celebrandæ Missæ votivæ etiam a devotis remotarum regionum, ibiqueex piis legatis habentur sacellani perpetui, lampas argentea centum et amplius scutorum, ornamenta, et pecuniæ, quibus tota ecclesia ornata est pellibus colore aureo ductis, atque etiam corona argentea F concinna et pulcra ad sacrum illud caput coronandum.

et votivis anathematis.

25 Postremo testificamur etiam, tres lectos supradicti Sancti excavatos in rupe, ubi pœnitentiæ vacabat, hoc est, duos in ejus sacello S. Petri, et alterum in ecclesia parochiali ad cornu Euangelii altaris majoris, venerationi semper fuisse hodieque esse populis; potissime tamen illum, qui est in ecclesia parochiali prope sacratissima ejus ossa : apud quem lectulum continue ardet lampas, multæque sunt tabellæ votivæ et devotiones. Ita dicimus et attestamur pro veritate quisque nostrum, quia sic vidimus, intelleximus, estque publicum et notorium ac certa vox et fama in loco et alibi *(sequentia Latine scripta erant :)* singula singulis referendo etc. rogatis etc. jurantes tactis Scripturis ad delationem mei etc. Actum in palatio ejusdem Reipublicæ sancti Marini, ibidem præsentibus DD. Jacobo Seraffino et Euangelista Bellutio testibus etc.

Litteræ de translata costa

26 *Præcedentibus subditur alterum instrumentum, continens præter litteras translationem costæ testantes,*

testantes, exemplar libelli supplicis oblati summo Pontifici, in quo tamen non sit specialis mentio reliquiarum Sancti nostri. In Dei nomine amen etc. hic XIV Novembris MDCXXVIII. Hoc est transumptum litterarum et scripturarum existentium penes adm. illustrem, reverendum et excellentem D. Michaëlem Thomam archipresbyterum S. Marini Feretranæ diœcesis, tenoris videlicet *etc. Utraque epistola piis votis et grati animi testificationibus plena, inscribitur Adm. R. D. Marino Bonetti archipresbytero San-Marinensi supra memorato. Prima est judicum et syndicorum magnificæ communitatis Arbensis, quam summatim Latine ita verto :* Quandoquidem Rev. dominationi vestræ placuit civitatem hanc ornare sacris reliquiis costæ gloriosi corporis S. Marini popularis nostri, gratias agimus quam possumus maximas de tam caro et pretioso dono..... Heri sanctissimæ istæ reliquiæ approbatæ fuerunt et repositæ apud alias in sanctuario hujus ecclesiæ cathedralis... Arbæ XXIX Januarii MDXCVI *etc.*

ad civitatem Arbensem

27 Tenor vero alterius epistolæ reverendissimi D. episcopi Arbensis civitatis talis est... B foris... Locus † sigilli optime impressi, in quo legitur : Pascalis Padavinus episcopus Arbens. Intus vero *Italice hæc habentur :* R. D. Bizzi archipresbyter hujus meæ cathedralis notum mihi fecit ingens desiderium dominationis vestræ habendi authenticum exemplar libelli supplicis olim ab eo Romam missi pro transferendis reliquiis S. Marini, humanitate et pietate dominationis vestræ concessis huic patriæ, quæ illas tantopere desiderabat. Mitto itaque istius exemplar, quod firmam et certam habet auctoritatem... Arbæ XXIV Augusti MDC. *Plura ex his epistolis Latine vertere necesse non est. Sequitur exemplar memoratum; quod, licet nullas reliquias nominatim exprimat, omittendum tamen non duxi; præsertim cum illustrissimus Arbensis testetur in suis litteris, libellum illum supplicem oblatum fuisse pro transferendis reliquiis Sancti nostri.*

cum facultate

28 Concessio autem summi Pontificis est infrascripti tenoris, videlicet : Licentia extrahendi reliquias Feretrana. Beatissime Pater, cum devotus S. V. orator Marinus Bitius canonicus ecclesiæ Arbensis pia devotione ductus, utque C suæ ecclesiæ Christi fidelium devotio plurimum amplietur ad augendam eorundem Christi fidelium salutem et devotionem, et eadem ecclesia sæpius visitetur, nonnullas SS. et Sanctarum reliquias ex S. Marini ecclesiā ex oppido S. Marini Feretranæ diœcesis extrahens et ad partes transmittens, easdem in locis sacris non sine magna illic degentis populi consolatione honorifice, ut decet, collocari facere desideret; supplicat proinde humiliter S. V. dictus orator, quatenus pio ejus desiderio annuens eumque specialibus favoribus et gratiis prosequens, eidem oratori, ut nonnullas Sanctorum et Sanctarum reliquias ex dicta ecclesia et oppido extrahi facere, illasque ad dictas partes deferre et deferri, et in locis sacris sibi benevisis, honestis tamen et ad hoc congruentibus collocari facere libere et licite absque aliquo censurarum et pœnarum incursu valeat, licentiam concedere pariterque indulgere dignemini de gratia speciali, non obstantibus quibuscumque prohibitionibus desuper quomodolibet factis, ceterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis, fiat ut petitur. Hippolitus. Et cum absolutione a censuris ad D effectum *etc.*

summi Pontificis.

29 Et de licentia, concessione ac induto, ut supra, et quod sola præsentis supplicationis signatura sufficiat et ubique fidem faciat in Romana curia et extra eam absque alia desuper litterarum expeditione seu per breve S. V. et de consensu .... et dummodo non sint ex principalibus aut insignioribus reliquiis ibidem existentibus, fiat ... Datum Romæ apud sanctum Petrum sexto decimo Kal. Aprilis. Presbyter Bernardinus Marelli at cancellariæ episcopalis Arbensis vicecancellarius ex actis ejusdem per sibi fidem extrahi fecit seque in fidem subscripsit. Pascalis Padavinus episcopus Arbensis omnibus fidem facimus, suprascriptum R. presbyterum Bernardinum Marelli esse notarium et vice cancellarium nostrum, ideoque ejus actis et scripturis ubique fides adhiberi potest. In quorum fidem etc. Datum Arbæ die XXVIII mensis Augusti 16... Pascalis episcopus Arbensis. Cet. de mandato locus † sigilli. Ego Livius Pellicerius connotarius ut supra, confirmo ut supra etc. *Subjungo aliqua de protectione Sancti, qua potissimum glorientur San-Marinenses necnon de inspectione ejus speluncæ et horti.* E

Reipublicæ libertas

30 *Bernardus Saccus lib. 10 Historiæ Ticinensis cap. 9 postquam monuit, apud Blondum corruptam passim lectionem esse, præcipue ubi scribitur* castellum sancti Martini, *legendumque esse* Marini *et non Martini; subdit sequentia :* Quod quidem castellum hodie etiam suam libertatem servat in arduo situm; finitimi ejus pinnas sancti Marini apicem montis, ubi ædificatum est, ab altitudine appellant. Nec defuerunt Itali milites, qui sub Paulo III insidias incolis tendere, ac inhiare oppidanorum rebus conati sunt, frustra semper eorum rapiditate cedente. Nam a Septemtrione planiciem Arimino finitimam spectat, ab aliis lateribus valles profundas in circuitu habet, jungiturque Apennino, montis pinna utrumque copulante. A quacumque igitur petatur sive adeatur parte, prævideatur viator a longe necesse est. Ubi vero appropinquaverit, locum non habet, in quo lateat, jacereque quietis gratia queat; angusta tantum eum recipiente via. *Sic ille ; at Commentarii Italici auctores num. 7 memorari conservationem antiquæ libertatis patriæ suæ non loci naturæ aut munitionibus, verum patrocinio* F S. Marini *acceptam referunt : uti patet ex ipsorum narratione, cujus partem Latine huc transfero.*

patrocinio Sancti conservata :

31 *Cum III Junii anno 1543 ingruentibus tenebris, Arimino egressus esset Fabianus del Monte quingentos ducens milites, quibus sese debebant jungere in reipublicæ confiniis turmæ aliæ Bononia venientes, ad postea simul per noctis silentia oppidum ex improviso invadendum tum funibus scansoriis tum scalis ligneis; subita nebula serenum cœlum obtexit, ita ut deerrantes a via totam noctem vagerentur nec accederent ad locum destinatum, quo tantum convenerunt clara luce, animo confusi quod tanto temporis spatio non confecissent breve iter decem milliarium, nempe Italicorum. Itaque cum adhuc procul abessent, audirentque ære campano dari ab arce signum custodiæ; ausi non sunt molitionem suam prosequi, quæ ignorata a civibus secure dormientibus sortita fuisset exitum funestum, nisi vigilans pro ipsis* Marini *protectio nebulosum istum labyrinthum præparasset hostium pedibus. Hinc jure*

A *jure meritissimo in omnibus antiquis et recentioribus picturis repræsentatur Sanctus montosam suam rempublicam brachio complectens, ad exprimendum patrocinii ipsius auxilium. Hactenus prædicti Commentarii auctores.*

Inspectio speluncæ et horti,

32 *De spelunca et horto Sancti scribunt iidem Italice sequentia :* Cernitur etiam hodie in rupe montis caverna et hortus, ubi inter spinas abstinentiæ floruerunt lilia puritatis Marini, et devotum horrorem incutit mentibus horror loci tam acclivis et sylvestris. *Ante speluncam, in qua Sanctum aiunt ad sex dies jejunium protraxisse,* extendit se angusta hortuli planities horrida præcipitiorum sepe circumdata : semperque fuit fama, ibidem absque cultura humana prodigiose ultro germinare et multiplicari alium propagatum ab eo, quod ibi sua manu plantavit Sanctus. Verum similis rumor a paucis creditus, ab omnibus negligebatur propter periculum scandendi per prærupta ad deprehendendam veritatem testimonio oculorum. Attamen nostra tempestate pietas quorumdam e primariis reipublicæ civibus non relinquit ultra dubitandi locum incredulis : dum ipsi xx Octobris MDCLXI, scalarum ope ascensu faciliore reddito, cum multis aliis personis *(inter quas fuit ille,* qui præsentem Vitam collegit, *uti notatur in margine)* facti sunt spectatores istius mirandæ veritatis, participatæ postea quasi cum omnibus distributione aliis recentis et aridi, quod carpserant ex parvo illo beati veris receptaculo...

B

ubi mira quædam reperta.

** vocis Italicæ significationem invenire non potui.*

33 Ad dexteram speluncæ oritur e genga * pulcra planta violarum flavarum, et prope conspiciuntur multæ plantæ caryophyllorum, forsitan defectu culturæ sylvestrium; et circum viret odorus lauri ambitus, quæ triumphalium suarum frondium pompa honorat gloriosa tropæa castitatis Marini, quibus ille locus illustratus fuit. *Istud de lauro ibidem conspecta mirandum est eo magis, quod asserant, in nulla alia montis parte lauros gigni. Unde, inquiunt, oportet agnoscere et venerari providentiam Dei, qui talibus signis voluit manifestare Famuli sui dignitatem. Nunc demum profero qualiacumque Acta, quæ ob rationes num. 9 datas eruditi Itali non ægre ferent, ut opinor, fabulosa appellari. Omittam* C *autem verbosam apographi Ariminensis et Mombritianæ editionis de persecutione Diocletianæa præfationem, ac potissimum sequar Ms. Bodecense, paucas dumtaxat e plurimis verborum discrepantias notaturus. Quæ vero addenda videbuntur ex Ms. Ariminensi et Mombritio, uncis distinguam.*

D

VITA

FABULOSA

auctore anonymo

Ex apographo Bodecensi collato cum Ms. Ariminensi et editione Mombritii tom. 2 a fol. 52.

Edicto Diocletiani compulsus, ut fertur,

Exiit edictum a Diocletiano et Maximiano imperatoribus, ut mœnia Ariminensis civitatis reædificarentur [et] ad pristinum statum arces jam dudum dirutæ revocarentur; quæ, E sicut vetusta retulit fama, a Demostene *a* Liburnorum rege olim excisæ fuerant Pontica classe. Igitur ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi decursis annorum curriculis [plus minusve] ducentorum quinquaginta septem *b*, eo tempore, quo scelestissimus nefandæ recordationis byothanatus *c* Diocletianus rabido flammarum incendio divinos libros comburi præcepit, et sacerdotes Domini in ipso sacrificiorum tempore circa altaria trucidabantur, alii vera sub antrorum specubus occultabantur; data est jussio per universas provincias Europæ, ut omnes populi ex diversis regionibus diversarum artium magistri, architecti, figuli et dolandorum lapidum incisores imperialibus præceptis universaliter obtemperantes convenirent in unum ad ædificandam scilicet Ariminum *d* civitatem in honore nominis ac memoria virtutis triumphorum Diocletiani et Maximiani imperatorum. Confluentes itaque hinc inde ex universis Europæ partibus Galliarum et Germaniæ populi, Italiæ et Dalmatiarum * incolæ, Romani et Barbari, et qui inhabitabant Macedoniam, favore regio compulsi, unanimi concursu, strepitu, relictis urbibus et F dulcibus natis terra simul et mari delati undique convenerunt et castra metati sunt apud Ariminum.

** Mombrit. Dalmatiæ*

cum socio venit Ariminum

2 Inter quos Viri Dei ex divina providentia de finibus Dalmatiæ per Illyrici fluctus æquora in littus Hesperiæ * cum navigio perducti apparuerunt; quorum unus Leo, alter vocabatur Marinus *e*. Hi videlicet ambo, relictis parentibus et dulcibus arvis patriæ, peregre profecti sunt, ut calcatis mundi facultatibus cœlesti Regi magis quam terrenis deservirent tyrannis. Erant ergo perseverantes utrique pariter in Dei timore et amore unius voluntatis affecti proposito, diebus ac noctibus orationibus [et] jejuniis indesinenter dediti, nihil in præsenti sæculo ambientes, nisi quomodo in lege Domini et præceptis ejus sine offendiculo cujuslibet rei graderentur. Mens eorum in spiritalibus desideriis erat defixa, ita ut gaudia præsentis vitæ fugientes, sæculi divitias velut tabefacta et vagabunda ludibria esse arbitrarentur. Tanta humilitatis et suavitatis gratia florebat in ipsis, ut in famulatum omnium tamquam servulos et cunctorum minimos ultranea voluntate seipsos subjugarent.

** i. e. Italiæ*

3 Sanctus

A. Anonymo. *egregiis instructus virtutibus,*

3 Sanctus autem Marinus omnium artium industria pollens, sicut apes prudentissima de cunctis floribus nectareas dapes colligit et in gazophilacium ceræ redolentia mella distillat, ita sanctarum virtutum redolentiam in archivo sui sacratissimi pectoris, inspirante gratia divina, alacri desiderio recondebat. Erat in ipso facundiæ tanta solertia, [ut] eloquentiæ floribus decorata verba ejus, velut clavi in internis cordibus audientium defigerentur. Vernabat in eo omnium virtutum genitrix sapientia, quatenus cunctorum animos ad admirandum micantis ex ore ejus divinæ gratiæ fulgorem provocaret. Erat primatibus subditus, sodalibus blandus, universis * fraterna charitate communis, [omnibus benevolus.] Seniores quasi patres, juniores quasi filios amabat, pauperibus et pupillis in omnibus famulans indefessus obtemperabat. [Nulli se præferens, omnium se minimum existimabat. Suscipiebat gratanter senes et prudentes juvenes, similiter increpando coercebat nefandos audacter. Quotidianis diebus stans in orationibus sine intermissione perseverans. Corpore in terris posito, anima in cælestibus divitiis * pascebatur.] Erat castitatis et humilitatis exemplar, patientiæ et humilitatis magister, doctrinæ et charitatis imitabilis doctor. In pratis divinarum Scripturarum luminaria sui corporis pascebat, obtutum vero mentis in æthereis sedibus defixum tenebat, nitida cœlestis vitæ eloquia cunctis convenienter * impertiebatur.

* al. consequentibus

* Momb. deliciis

C

* Momb. inhianter

ibique laborat

4 Tanta religionis studiosa sollicitudo ejus habebat, ut nec unius momenti spatium absque bene gerendi officio præteriret. Aut enim lectionibus, aut actualibus manuum operibus vacabat ut et ipse mereretur dicere : nullum [diem] perdidi, in quo nihil fecerim boni. Et dum ore ac spiritu divina carmina psalleret, manibus indesinenter operabatur utilia, unde crebro præsidium indigentibus exhiberet. Itaque postquam pervenit sanctus Marinus ad Ariminensem civitatem, sub præfectis et præpositis diversorum operum singuli laboris sui sortiti sunt partem. Videns autem Vir Dei plenus pietatis et gratiæ provinciales et itineris sui comites injustis laborum ponderibus aggravari, compatiebatur eis, et pro injuriis illorum graviter anxiatus *f* fraternæ charitatis amore fervebat, ad instar sanctorum virorum Joseph et Moysi, qui pro salute fratrum usque ad mortis periculum animas suas impenderunt. Et quod amplius erat, in interioribus mentis suæ præcordiis reminiscebatur, qualiter omnium creaturarum immensurabilis genitor Christus Deus Dei Filius, qui quasi in pugillo digitali molem terræ et gyrum cæli appendit, ab arcibus æthereis paterno radiantis olympi regno adveniens, fragilem creaturam creator induens, pro salute humani generis ad terrena mortalium habitacula dignatus est descendere, vel quanta et qualia pro redemptione terrigenarum adversum antiqui hostis insidias dimicando perpessus est. Harum fluctuationibus curarum beatus Marinus incessabiliter æstuans, emit sibi ipsi quoddam subjugale, quatenus cum illius adminiculo suis fratribus in diversorum laborum pressura posset aliquo modo subvenire.

f

B

et in Titano monte.

5 Post aliquod vero temporis intervallum, cum hæc et alia gererentur, jussum est a præfatis imperatoribus Diocletiano et Maximiano ut omnes magistri incidendorum lapidum ad saxosas montium crepidines proficiscerentur, ad excidendas inibi diversorum marmorum species, quod et factum est. Ibant ergo sancti viri Marinus et Leo cum multitudine incisorum ad cacumina divexi montis, qui lingua rustica * vocatur Titanus. Qui, inquam, mons, ut accolæ ferunt, jugis asperrimis scabrisque rupibus et scopulis ad æthera tendentibus, ab occasu tenditur in burim * *g*. Pervenerunt itaque ad locum desideratum, et operati sunt ibi per annos tres : quibus completis, profectus est sanctus Leo, paucis se comitantibus, ad jugum montis Siliciani *h*, qui vulgari sermone mons Feretri nuncupatur, et ibidem sibi cellam constituit, et tabernaculum Deo dedicavit. Sanctus vero Marinus videns afflictionem fratrum suorum non deseruit eos, sed expleto triennio in duris excidendorum lapidum laboribus, reversus est cum eis ad civitatem, ibique fraterna dilectione retentus formam aquæ ductilem duorum mensium spatio et ter quinis diebus fabricando munivit. Tantæ enim valetudinis erat, ut cum alii defessi requiescerent, et nocturnis temporibus deficientia membra quieti concederent, ille per silentia sublustrium noctium non cessaret laborare : nec requiem corpori suo dabat, nisi cum in Dominicorum dierum solemniis Missarum officiis vacaret. Sed et spatium mensurati laboris, quod vix cæteri cum binis boum paribus operabantur, ille unius aselli adminiculo adjutus cooperante divina virtute sine querela complevit.

D

* Momb. Ethrusca

* al. Boream *g*

h

E

Arimini prædicans multos convertit:

6 Assignatis igitur omnibus laboribus et digestis ordinabiliter, præfecti operum et præpositi magistrorum tanta admiratione in sancto Marino permoti sunt, ut ad vestigia ejus provoluti gratulantes, et Deum per ipsum magnificantes, omnia opera sua per illius auxilium feliciter consummata fuisse profiterentur. Deinde præfectis * universis operibus, pro quibus collecti fuerant artifices, cum ad suas singuli regrederentur regiones, beatus Marinus, natalis soli dulcedine contempta, mansit in supradicta civitate Ariminensi, in qua prædicans annis duodecim * et mensibus tribus euangelicas virtutes *i* et tramitem perpetuæ salutis ignorantibus demonstrans, civitatem ætheream vivis ex lapidibus constructam cælesti Regi cœpit ædificare. Ita siquidem ex ore ejus verbum Dei inflammabat corda audientium, ut non solum plebem universam, quæ habitabat apud Ariminum, ad fidem Catholicam informaret; verum etiam ipsos simulachrorum sacerdotes ad contemnendam vanæ superstitionis religionem excitaret. Non enim aliter viam vitæ et semitas justitiæ in cordibus ignaræ plebis præparabat; quoniam ut tuba veritatis sanctus Joannes velut leo rugiens in eremo clangorem pœnitentiæ altisonis clamoribus intonuit, ita ut sterilis quondam terra et spinarum aggeribus inculta, reperiretur in brevi graniferis spicarum frugibus in uberem segetem concrevisse.

* Mombr. perfectis

* idem quatuordecim *i*

E

impudica muliere, uxorem se illius mentita

7 Dum hæc igitur virtus divina per sanctum Marinum administraret, hostis antiquus humanæ propaginis insidiator, graviter ferens quæ ab homine Dei circa salutem animarum gerebantur, novas artes virulento pectore versans, cruentis dentibus fremens, venenata trisulcis linguis velut anguis acris veneni spiramina in Athletam cœlestis militiæ spargere conabatur. Inventis denique nocendi artibus, cum millenas insidias ex milleformibus telorum speciebus jaculari in Virum Dei niteretur, eo quod malignitate sua consumptus per invidiæ zelum cum vehementissime torqueretur, aptum tandem ad insidiandum argumentum, quoddam vas teterrimum veneni contagione

A tagione violatum reperit, per quod introitum quondam ad protoplastum adeptus est, et lethiferum telum, quo massam humanæ stirpis mortis voragine demerserat, jaciendum iterum arripiebat. Ingressus ergo fatuum et vacuum pectusculum cujusdam mulierculæ, implevit illud antiquæ suggestionis influore *, et per falsas rerum imaginationes extra suæ mentis tramitem alienatam ad tantam dementiæ hebetudinem perduxit miseram, ut sancti Marini legitimam se esse conjugem denuntiaret; quæ profecto mulier ad talia ludicra præparata de finibus Dalmatiæ per Illyrici fluctus æquora ad ignotum Hesperiæ littus, urbisque Ariminensis portum delata pervenit.

* Ms. Arimin. furore

et ad scelus solicitante,

8 Ubi cum de sancto Marino curiose sciscitaretur, arbitrati cives propter medendi caussam aut devotionis gratiam hominem Dei a muliere requiri; locum ubi manebat, ostendunt, mores et habitum produnt. Cumque venisset mulier ad habitaculum beati Marini, viso eo, sopore * mentis perculsa, imo de pectore longa suspiria trahens, impudico ore simulatisque verbis sic demum profata est: Heu heu Marine super vitam desiderantissime, sola spes et lux vitæ meæ, quanta maris et terræ pericula propter tuam dilectionem passa sum, universa vitæ contraria parvipendens pro amoris tui ardore. Nunc ergo quia te video diu expectate, carissime conjux, deprecor da veniam, da pia ora tueri, suscipe me miseram, vastis huc fluctibus actam. Hæc ait et palmas alacres utrasque tetendit perfundens faciem lacrymis oraque simul falsis. Respiciens extemplo post se vir Domini Marinus, agnovit luridam faciem et hostilia colloquia lubrici serpentis, ac placidio [ore] propheticum versum arripiens exorsus est dicens: Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus.

al. stupore

B

generose repulsa,

9 His dictis repulit eam viriliter a se. At illa non ferens venerabilem tanti Viri gravitatem, recessit ab eo ululans et crebris singultibus miserabilem gemitum producens, totamque replens questibus urbem, pervenit ad præsidem, Cujus astans cum ejulatu magno tribunalibus improbo ore locuta est: Adjuro te, piissime præses, per immortalia fata deorum, et per invictam virtutem imperatorum, ut mihi fandi facultatem unius horæ spatio concedas, et ut horibus pietatis tuæ varias dolorum meorum ærumnas tranquille suscipias. Ego enim fatorum meorum dispensatione totius ponti tellurisque inextricabilibus periculis miserabiliter fatigata ad hæc vestra surgentia mœnia de longinquis Dalmatiæ finibus tandem defessa perveni, propter virum videlicet meum Marinum, qui mihi ritu gentis nostræ et legibus patriis legitimo conjugio debet copulari. Et notum sit præcellentiæ tuæ, quod non solum ipse est contemptor deorum, et Christianæ sectæ probabilis doctor et cultor; sed et plurimos nobiles reipublicæ viros ad colendum Deum, qui dicitur Christus, seducit. Dum hæc nefandissima mulier profano ore loqueretur, contigit ex eventu Tycium quendam nomine Christianæ religionis virum supervenisse: qui cum audisset tantum nefas ante præsidem prolatum, subducens re de medio eorum concito cursu festinans devenit ad locum, ubi erat vir Domini Marinus in orationibus persistens, et provolutus ad vestigia ejus retulit ei omnia, quæ ante tribunal præsidis ab infandæ mulieris ore audierat. Cum igitur audisset beatus Marinus relatu Tycii hæc ita fieri, intellexit invidi hostis callidas versutias adversum se cogitari.

C

A. Anonymo.

fugit clam ad montem Titanum, ubi asperam vitam instituit

10 Et dum infra se conferret Athleta cœlestis militiæ, quomodo diabolicas insidias evaderet, ex divino oraculo consilium reperit, reminiscens euangelici mandati dicentis: Cum persecuti vos fuerint in civitate ista, fugite in aliam; surgensque per opacæ noctis silentium exivit de civitate relinquens unanimes contubernalis amicitiæ sodales, et carpens iter ignotum, comitante Deo, pervenit ad radices asperrimi montis, qui dicitur Tytanus; ubi ipse pridem cum incisoribus lapidum operabatur. Videns ergo inculti agri speciem et vastissima remotioris eremi opaca nemora, ferarumque silvestria lustra, conspicit inter cætera sub gelida rupe imminentis montis ingens et vetustissimum saxum, undique arboribus clausum ac horrentibus umbris obsitum. Quo viso, dum singula curiose requireret, cernit antrum ibidem pendentibus scopulis abditissimum, et aquæ dulcis venam intus emanantem, captusque nimium amore loci, cum ex divina providentia præparatum sibi fuisse cognovisset locum illum, abdidit se in eo a facie sceleratæ mulieris, ad instar Heliæ prophetæ fugientis a facie Jezabel: et E
duodecim mensibus cum omni genere ferarum ac monstris eremi solus habitans, faciem hominis non vidit, post horam nonam agrestia olera ad refocillandum spiritum vitæ comedens, et parum aquæ de petra rupis ad extinguendum sitis ardorem sumus. Sane quando corpusculum quieti concedebat, glareis frigidæ telluris incumbens lapidem ad caput suum revolvebat, parvo * tegminis amictu rigidos artus induens, unguenti et lavacri expers erat, prolixis hyemis noctibus in orationibus persistens ae marmoreas columnas * algida membra vix tandem replicabat.

* Ms. Arim. vilis

* Mombr. lapetibus marmoreis

parvipendens terriculamenta dæmonis.

11 Omnigenarum ferarum spectamen, diversorum facinorum monstruosa portenta, et quos solet vastæ solitudinis largitas producere apros, ursos, elephantos, et lupos ululare per umbras ad terrendum Christi Militem mille *k* artifex diabolus instigabat. Sed vir domini Marinus immobilis intra semetipsum persistens parvipendebat callidi hostis ludicra certamina, illudque psalmographi ore placido promens: Qui confidit in Domino, sicut mons Syon non commovebitur in æternum. In hymnis etiam et canticis spiritualibus pernoctans, matutinis volucrum F
cantibus prophetica carmina inserebat, et hoc veniente die, hoc recedente indefessus semper faciebat. Decursis vero duodenis *l* mensium circulis, ex quibus solitariam vitam sanctus Marinus inchoaverat, antiquus hostis invidens beatutidini ejus, torquebatur malignitatis suæ zelo, et quærebat anxie qualiter per aliquas suæ versutiæ insidias hominis Dei angelicam conversationem deturbaret. [Sed quanto altius se contra electos Dei erigit, tanto magis * ad infernale præcipitium damnatus ruit.]

k

l

* Ms. Arim. proelivius

A subulcis et prædicta muliere inventus

12 Interea veniebant de Ariminense civitate hiemis tempore subulci ad saginandos porcorum greges: qui dum per vastitatem solitudinis singula loca et avia ferarum lustra saginandi gratia peragrarent, ad ultimum etiam ad abditissimum eremi locum, ubi sanctus Marinus erat, pervenerant. Quos cum vidisset Vir Dei, stupore mentis ilico perculsus, ab oculis eorum effugiens abdidit se in spelunca interiore, quæ sub rupe latebat. Subulci vero novitatem rei admirantes, quod hominem inter ferarum lustra viderent, pavore

A. Anonymo. pavore mentis conterriti, proni vestigia sancti Viri petentes ante illum provoluti sunt. Sanctus vero Marinus graviter hoc ferens, data venia, annuit manu ut egrederentur: qui post aliquot dies revertentes ad civitatem, vidisse [se] sanctum Marinum in secretis eremi locis solitariam vitam ducentem divulgabant, dicentes: Invenimus Marinum magistrum et doctorem nostrum angelicam vitam inter feras in terris agentem. Audiens hæc a pastoribus mulier illa nefandæ recordationis, stimulis diabolicæ malignitatis iterum exagitata, anhelando cucurrit ad ipsos subulcos, et diligenter ab eis sciscitabatur, ubi vel qualiter Marinum vidissent. Responderunt ei pastores, in abditis et secretis ulterioris eremi locis vidimus eum solitaria degere vita. Mulier [iterum] dixit, ducite me ad locum, ubi illum vidistis, et dabo vobis propter itineris fastidium * nummos argenteos duodecim. Pastores itaque placitum facientes cum muliere, altera die aurora lucescente, perrexerunt cum ea viam, quæ ad solitudinem ducit, et eremi vastitate superata, devenerunt ad locum, ubi sanctus Marinus latitabat.

* al. fatigium i. e. laborem

B

iterum sed frustra tentatur ab eadem:

13 Fortuito autem ea hora, qua illis accesserunt, memorandæ religionis Vir in hortulo suo agrestia olera serebat; quem cum vidisset mulier illa profana, repentina procacitate clamitans dixit: Bene valeas magis, quid agis, quid operaris? Numquid ad pulmentarium nobis præparandum olera feris? Beatus Marinus fœminea voce attonitus noluit respicere eam; sed vexillum crucis fronti suæ imprimens, ilico recepit se in speluncam suam, quam ipse sub gelida rupe in latere montis exciderat. Et introgressus clausit januam, et sex diebus totidemque noctibus in jejuniis et orationibus persistens, preces et lacrymis ac gemitibus ad Deum cæli contra diabolicas infestationes indesinenter fundebat. Tunc mulier a pastoribus derelicta cum se delusam a diabolo cognovisset, fletibus et crebris singultibus id deplorans, nimio pavore perterrita, tandem a facie Viri Dei confusa recessit, et reversa ad civitatem Ariminensem professa est palam omnibus, contra famulum Christi Marinum impie se diabolicis exagitatam stimulis egisse, statimque a diabolo arrepta, defuncta est.

C

dein secedit in jugum montis et sacellum ædificat:

14 Ex illa die timor magnus incubuit super plurimos eorum, qui erant in ipsa civitate, et magnificabant nomen Dei vivi qui ostendit mirabilia in Sanctis suis et injuriarum omnium in se sperantium non obliviscitur. Dicit enim Scriptura: Mihi vindictam *, ergo retribuam. O quantas insidias, quantas artes contra Dei famulos et in Christo pie viventes, teterrime hostis diabole, concitasti? Quid sævis, quid furis, quid rabidis dentibus acriter infrendis? Ubi sunt jacula tua, ubi nunc fallaciæ tuæ aculeus, ubi sunt arma tua? Collapsa sunt, et confracta in verticem tuum ceciderunt. Gladius tuus et sagittæ insidiarum tuarum in præcordiis tuis infixæ sunt, et qui te dudum Deo similem esse putabas, modo ab uno Dei Famulo devictus jaces atque prostratus. Post intervallum aliquantorum dierum videns beatus Marinus, quia nimium in loco illo frequentaretur ab omnibus, migravit inde, et deveniens ad jugum montis Tytani, habitavit ibi primitus sub tegmine parvo. Deinde posuit terminum inter se et habitatores loci illius, ut non esset ad eum amplius concursus populi aut accessus mulieris, vel cujuslibet fœminei sexus. Cœpit etiam laboribus manuum operam dare: nam struxit sibi cellulam primum ad inhabitandum, postmodum ædificavit ecclesiam *m* in honore beati Petri principis Apostolorum.

* l. vindicta

D

m

filium viduæ subita membrorum contractione punitum

15 Virissimus *n* autem quidam nomine unus ex accolis solitudinis, filius insignis cujusdam viduæ, quæ vocabatur Felicissima *o*, cum vidisset quod sanctus Marinus terminos designasset et ædes construxisset in monte, cœpit tumore superbiæ et furiis elationis contra eum permoveri. Repletus igitur ira die quodam accessit ad locum, ubi Vir Dei laborabat in agro, volens aliquam controversiam facere illi: quo de longe conspecto, beatus Marinus elevans ad cœlum oculos, dixit: Domine Jesu Christe, ne permittas istum propius venire, aut aliquid iniquum agere adversum me. Vix verbum compleverat, et eadem ora brachia hominis illius arefacta sunt, crura et omnes membrorum compages contractæ subito tabuerunt, vox faucibus hæsit et lingua obmutuit. Sentiens ergo talia in se dilapsus in terram corruit, et sublevatus ab aliis ad matrem suam deductus est. Quem cum vidisset illa revulsis compaginibus et collapsis membris attractum vexari, ait: Heu me, fili mi, quid tibi contigit, vel quo casu hoc tibi evenit? Forsitan Eremitam illum in aliqua re offendisti. At ille innuens capite, nam loqui non poterat, hoc ita fuisse indicavit. Cognoscens itaque mater per acta rei caussam, surrexit et pervenit ad locum, ubi sanctus Marinus orando laborabat, statimque procidens ad vestigia ejus, obortis lacrymis deprecabatur eum dicens: Pater mi, miserere supplicantis viduæ, et misericordiam tuam ostendo super filium meum. Absolve eum in virtute Dei tui, et quodcumque præceperis, vel petieris a nobis, dabimus tibi.

n

o

E

restituit sanitati et cum tota familia ad Christum convertit.

16 Ad hæc beatus Marinus, respondens dixit: Nihil aliud a vobis quæro, nisi ut credatis in Deum vivum et verum ad salutem animarum vestrarum, et ut expellatis simulachra muta et mortua dæmoniorum, quæ sub vana religione colitis, et convertamini ad veram religionem Domini mei Jesu Christi, baptizati in nomine ipsius. Partem vero montis istius ad sepulturam meam si mihi concesseritis, recipio. Cui mulier respondens ait: Non solum montem tibi dabimus, sed et omnia confinia et promontoria *, quæ sub montibus sunt, tibi et successoribus tuis perpetua successione concedimus. Protinus exurgens beatus Marinus venit ad locum, ubi adolescens jacebat, et accedens propius tetigit eum dicens: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti surge et ambula, loquere et convalesce. His verbis auditis, pristinæ valetudini redditus est illico adolescens, et surgens exclamavit clara voce, dicens: Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, qui dignatus es me visitare in Salutari tuo per famulum tuum Marinum. Nunc cognosco, qui non est alius præter te in cœlo sursum et in terra deorsum; tu conteris et sanas, mortificas et vivificas. Hæc postquam dixit, corruens in terram prostratus est cum genitrice sua ad vestigia sancti Viri, et abrenuntiantes simulachris et idolis, quibus hactenus deservierant, conversi sunt cum omni domo sua et familia, credideruntque in Dominum illo die non plus minusve quinquaginta viri *p*.

* i. e. colles

F

p

Diaconus ordinatur a S. Gaudentio:

17 Eodem tempore, quo hæc gerebantur virtute Dei per sanctum Marinum, directus est Gaudentius episcopus ab urbe domina urbium Roma ad prædicandum gentibus, et his, qui erant in civitate Ariminense, cunctisque suburbanis et finibus

A finibus ejus. Cum igitur ingressus fuisset urbem, audivit a Christianis, qui ibidem erant, de fama et virtutibus sanctorum virorum Leonis et Marini. Repleta namque erat fere tota urbs illa miraculis et magnalibus, quæ per eos divina potentia operabatur. Quibus auditis, sanctus Gaudentius direxit ad illos litteras, ut venirent ad eum hi sancti Viri, ut receptis Ordinibus ab eo, irent prædicare gentibus, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Lectis itaque litteris pontificalibus, sancti viri Leo et Marinus unanimes in spiritali militia * Ariminum pervenerunt ad Gaudentium episcopum, [quo viso magno gaudio repleti sunt ;] permanseruntque cum eo aliquantis diebus, accipientes ab eo sacrorum Ordinum consecrationes : nam beatus Leo gradum presbyterii sortitus est, sanctus vero Marinus Levitici ordinis percepit benedictionem *q*. Quibus cum grandi honore peractis, valedicentes Viri Dei beato præsuli Gaudentio, reversi sunt ad loca sua.

* *Ms. Arim.* dogmate

q

ursum jubet devorati asini ministerium obire.

18 Contigit autem, revertente beato Marino ad cellam suam, ut conspiceret in hortulo suo immanem ursum, visu atrocem et horrendum, comedentem asinum ipsius, quem solum in solatium cujuslibet laboris habebat. Tunc Vir Domini B contristatus dixit ad bestiam : Præcipio tibi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut non recedas a loco isto, donec compleas ministerium illius, quem illicite devorasti : et arripiens capistrum, quo asinum solebat ducere, ligavit cum eo ursum nodis strictissimis, duxitque illum in pistrinum suum et ibi nexibus vinctum dimisit. Mira res et digna memoriæ commendanda, ut ursus indomitus, omni ferocitate deposita, ad tantam mansuetudinem perveniret, quatenus manibus parvulorum tergtem reflectens cervicem humiliter inclinaret, et qui antea per vastitatem eremi sanguinem sitiens ferarum carnibus vescebatur, nunc modico pabulo [prati] contentus, omnia pondera asini, quem devorarat, humiliter et obedienter portabat, et in pistrino ligatus ad molam laborabat. Nec mirum si ille, qui regem quondam Babyloniæ *r* subita inflatione superbiæ elevatum deposuit, et inter bestias fœnum sicut bovem [per septena annorum volumina] comedere fecit, nunc potuit per merita famuli sui Marini sævitiam indomitæ C et truculentæ feræ mansuefacere. Et, si sanctus Marinus per humilitatis et sufferentiæ virtutem sævitiam diaboli, a quo omnis malitia exorta est, superavit; quid mirum est, quod operante Deo, feralem * sævitiam mansuescere fecit? Joannes etenim dicit : Certum est quod quicumque mandatis divinis se subdiderit, universa ei a Domino mansuete subdita erunt. Iisdem temporibus, quibus adversus callidi hostis insidias talia bella gerebat vir Domini Marinus, beatus Leo de præsentis sæculi ærumnis liberatus ad desiderata cœlestis regni gaudia, sublevantibus cœli cœlorum choris, devicto mundi principe triumphator migravit.

r

* *i. e.* ferinam

Marciani schisma, beatus Sancti obitus et sepultura.

19 Post cujus exitum, exortum est, ut ipse prænuntiavit, schisma hæreseos, instigante diabolo, a Marciano quodam Ariminense presbytero, qui velut anguis de squalido antro fœtida venena vomens, Christianæ religionis inviolabilem gloriam violare conabatur. Adversus quem sanctus Gaudentius episcopus universalem Christianorum ecclesiam congregavit *s*, et coram omni populo divino judicio superatum anathematizavit, præsentibus multis Catholicis viris; sicque de gremio sanctæ et inviolatæ Ecclesiæ, sicut vas confractum, cum magna confusione projectus est. Præses, autem, qui illis diebus præerat civitati Ariminensi, consanguineus ejusdem Marciani hæretici fuit. Is cum audisset quod Marcianus damnatus esset et turpiter ab Ecclesia dejectus, omnes Christianos interficere jussit. In qua tempestate alii Christianorum in montibus, alii in speluncis abdere se studuerunt, nam et sanctus Gaudentius episcopus ad majora certamina se reservans, absconditus est tribus diebus totidemque noctibus in antro venerabilis viri Mercualis Libensis episcopi *t*. Beatus autem et recordandæ virtutis Levita Domini Marinus stabiliter in cellula sua perseverans, nec imminentis persecutionis diram procellam uspiam declinans, postquam innumeris carnalis vitæ castigationibus dignum sese sidereis mansionibus exhibuit, sub die tertio Nonas Septembris *u* migrans de hac luce susceptus est ab angelis ad æterna gaudia cœlestis vitæ, ac sepultus est in monte Tytano * in ecclesia, quam ipse sibi ædificaverat, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen. E

s

A. Anonymo.

t

u

* *al.* Titano

ANNOTATA.

a *Demosthenes ille rex Liburnorum aliunde notus non est.*

b *Diocletianus tantum cœpit imperare anno* 283, *Maximianus vero etiam serius.*

c *In margine notatur* i. e. bis mortuus, *sed perperam : vox enim* biothanatus *composita ex Græco* βία vis *et* θάνατος mors, *non significat bis mortuum, sed morte violenta pereuntem vel perire dignum. Plura de biothanatis legi possunt apud Cangium in utroque Glossario. Diocletianum autem inedia sibi mortem conscivisse et fortassis etiam hausto veneno, scribit Tillemontius in Historia imperatorum tom.* 4 *pag.* 54.

d *Ariminum, vulgo* Rimini, *antiqua Æmiliæ urbs est in Italia ad mare Adriaticum. Eam quidem non nego a Liburnis fuisse dirutam et a Diocletiano instauratam; verum publici edicti hunc in finem* per universas provincias Europæ, *ut supra dicitur, promulgati mentionem non invenio apud veteres.*

e *Lectione* I *Officii proprii dicuntur fuisse* magistri dolandorum lapidum, . . . ex Arbiensi civitate oriundi, Christiani ab infantia. *Est autem* Arba *seu* Arbum *parva urbs insulæ cognominis in Liburnia, uti habet Baudrandus. Quo tempore Ariminum venerint Sancti, vide Commentarium num.* 6 *et* 8. F

f *Hic et infra verbosior est Mombritius, intermiscens etiam locos S. Scripturæ : apographum vero Ariminense omnia hoc numero comprehensa omittit.*

g *Additur in margine* i. e. curvaturam. *Locum ita describunt auctores Commentarii Italici, num.* 7 *memorati :* Attollitur mons Titanus inter confinia Romandiolæ et montem Feretranum x milliaribus supra Ariminum, cum horrido altissimarum rupium prospectu versus mare Adriaticum. A latere Australi et Occidentali varie extenditur in campos, silvas et valles, quæ tunc temporis nemora erant et tesqua indistincte, non aliis incolis habitata quam lupis, ursis variisque feris. *Narrant deinde quo pacto diverterit Sanctus ad locum abditum in occiduo montis latere, aiuntque habitaculum illud Sancti secundum antiquam*

A. Anonymo.

tiquam traditionem apud incolas pagi, Aqua-Viva *nominati, fuisse in rupe, quæ est supra scaturiginem fontis, unde prædictus pagus nomen trahit. Tum fuse et oratorie describunt asperum vitæ genus in illa solitudine victasque a Sancto tentationes dæmonis.*

h *Mombritius* Filitimani, *æque mendose; Ms. Ariminense paulo rectius* Fæliciani. *Mons Felicianus seu Feretranus designatur, vulgo* Mont Feltro, *ubi degit hic sanctus. Vide tom.* I *Augusti pag.* 46.

i *In apographo Ariminensi* euangelicam veritatem, *ubi plura passim aliter leguntur : Mombritius quoque præcedentia magis amplificat; sed operæ pretium non est ea omnia notare.*

k *Adde* fraudum *vel simile quid.*

l *Ms. Ariminense substituit* duorum, *omissis iis, quæ præcedunt hoc numero. Ceterum videntur mihi præstigiæ illæ diabolicæ uti plura alia in hisce Actis poetice conficta esse, nimirum ut vita Sancti mirabilior appareret.*

m *Ita fert traditio. Vide Commentarium prævium num.* 15. *Auctores lit.* g *citati aiunt,* B *ædiculam illam vix aliud impræsentiarum servare de sua antiquitate quam nomen et situm primæ ædificationis. Addunt, Sanctum in jugo montis degentem excavasse sibi in saxis durioribus tres lectos, qui conspiciuntur expositi publicæ venerationi in memoriam tam gloriosi Herois. Adi Commentar, num.* 25.

n *Apud Mombritium et alibi* Verissimus. *Nihil de sequenti miraculo habet apographum nostrum Ariminense : Theatrum autem civitatum Italiæ part.* I *pag.* 247 *narrat illud contigisse pluribus filiis Felicissimæ ; sed nullius nomen exprimit.*

o Felicitas *vocatur ab auctoribus Commentarii Italici, qui insuper meminerunt prædii in parvo monte, appellato* Montecchio, *ad pedem Titani versus Austrum, ubi vidua illa cum filio rusticabatur; citantque ad marginem scripturas et memorias antiquissimas in archivo reipublicæ conservatas, secundum quas Verissimus et Felicitas erant nobliles Ariminenses. Quod additur in memorato Commentario, ferocientem illum juvenem sagittas torquere voluisse in Sanctum, non caret verisimilitudine.*

C p *Mombritius,* crediderunt in Christo nomina plus minusve quinquaginta tres. *Totidem etiam a Sancto conversos et baptizatos numerat Officium proprium et Comment. Italicus, qui* D *addit juga illa post gratuitam montis donationem habitari cœpta esse a Sancto ejusque sociis, non amplius ut latibulum, sed veluti patrimonium; atque ex illa hora mutato Titani nomine, postea semper montem* S. Marini *appellatum.*

q *Ordinibus sacris initiatos fuisse a S. Gaudentio, tradit etiam Brunaccius, num.* 6 *Comment. prævii citatus; sed alio tempore id factum narrat magisque verisimiliter. Ceterum S. Gaudentius Ariminensis episc. et martyr colitur* 14 *Octobris.*

r *Nabuchodonosorem Dan.* 4. *Fabulam de urso confictam hoc exemplo nititur verisimilem reddere biographus, quam fortasse huc transtulit, mutatis quibusdam adjunctis, ex Vita S. Maximini ep. Trevirensis, ubi de asello et urso narratur quid simile. Vide tom.* VII *Maii pag.* 21. *Fabellam auxit Comment. Italicus asserens, Sanctum nostrum urso tamquam cicure jumento vectum fuisse.*

s *Id plane fictitium est. De Marciano autem presbytero Ariana labe infecto, quem S. Gaudentius excommunicavit post damnatum Ariminense conciliabulum, meminit Baronius ad annum* 359 *num.* 46. *Aiunt memorati sæpe Commentarii Italici auctores et Brunaccius pag.* 63, *interfuisse Sanctum nostrum œcumenicæ et legitimæ synodo Ariminensi, et cum Gaudentio aliisque ob Arianorum vesaniam inde recessisse ad pagum,* Catholica *dictum, milliaribus* 15 *distantem Arimino.* E

t *Mombritius* sancti Mercualis Livensis episcopi *Lectio* IX *Officii proprii,* in atrio S. Mercurialis Liviensis episcopi. *De S. Mercuriale episcopo Foroliviensi Papebrochius disputavit ad* 30 *Aprilis. Quæ hoc numero præcedunt, in ecgrapho nostro Ariminensi omissa sunt.*

u Anno Domini ducentesimo quinquaginta septimo, *inquit Officium proprium lectione* IX ; *Castellanus in Martyrologio universali* circa CCLV *at seculo* IV *vixisse debuit, si diaconus ordinatus sit a S. Gaudentio. Commentarius Italicus, citans memorias antiquissimas in archivo reipublicæ, obitum Sancti collocat* non multo post tragœdias conciliabuli Ariminensis, *quod habitum fuit anno* 359. *Cum hinc vel aliunde erui certus annus nequeat, mortis tempus signavi sub finem seculi* IV *cum aliqua latitudine.* F

DE

A

DE SS. MAURO, SALVINO ET ARATORE

EPISC. CONFESSORIBUS

VIRDUNI IN GALLIA

SYLLOGE HISTORICA

J. L.

§ I. Cultus et miracula ex Berthario ; corpora sec. VI a S. Agerico elevata in ecclesia S. Petri Apostoli, dein sec. IX translata in templum S. Medardi ; reliquiæ cœnobio Theologiensi donatæ.

B Ante medium seculi V. *Sanctorum gloria*

De antiquo et insignibus miraculis illustrato SS. Mauri, Salvini *et* Aratoris *cultu hæc litteris et posterorum memoriæ commendavit Bertharius presbyter in Historia brevi episcoporum Virdunensium apud Lucam Acherium tom.* 12 *Spicilegii pag.* 252 : Post hunc (*S. Sanctinum, primum episcopum ecclesiæ Virdunensis, quæ eum* XI *Octobris colit,*) legimus fuisse sanctum Maurum, et sanctum Salvinum, et sanctum Aratorem, quorum merita ad sepulcra illorum ostendunt frequentia miracula : siquidem sancto Agerico divinitus ostensa sunt eorum monumenta, et ab eodem honorabiliter et sanctissime ordinata. De istis enim, quæ nostris oculis vidimus, quamplurima referre possumus. Tempore etenim Lotharii junioris regis, et domini Attonis nostræ civitatis episcopi, de istis sanctissimis Viris reliquiæ sunt sumptæ, et ad Theologium monasterium, quod isti ecclesiæ est subjectum, nostris temporibus sunt dilatæ *. Deus testis est conscientiæ meæ, quia non possum ad memoriam reducere, quæ a pueritia usque ad C perfectam ætatem meritis Sanctorum istorum ad sepulcra illorum divina clementia operari vidi. Quot cæci illuminati, quot surdi sanati, quot claudi erecti, quot dæmoniaci liberati, quot ægroti a variis languoribus liberati, nullatenus stylo comprehendere queo. Aliqua tamen sub compendio colligam.

* *l.* delatæ

posthuma ex Berthario :

2 Duo contracti causa orationum ecclesiam ipsorum ingressi, protinus meritis Sanctorum istorum sunt erecti. Quædam femina, nomine Emma, multis diebus lumine præsentis sæculi privata, in mea præsentia ibidem est illuminata. Similiter et altera femina, quæ erat muta, post peractas Matutinas me audiente cœpit loqui. Quidam etiam homo per XI annos contractus, et per multos annos in porticu sancti Stephani Metensis ecclesiæ jacens, curriculo evectus ad istorum Sanctorum sepulcra delatus fuerat. Prima vero parte noctis cœpit voces emittere, et usque ad Matutinas easdem emittens voces sospitatem meruit obtinere. Ad quod mirandum cum domino Attone episcopo eadem die venimus, simulque cum illo vidimus coxam ejus cum crure usque ad nates excoriatam, quasi nihil aliud habuisset quam ossa : et qui vix in vehiculo venerat jam senex et plenus dierum, pedes et sanus reversus est ad propria.

tempora assignantur, quibus scripsit, atque ea

3 *Historiam, e qua ista desumpsi, Bertharius ecclesiæ Virdunensis presbyter in Præfatione ad præsulem suum Dadonem se scripsisse ait, postquam hic episcopatum administrasset* per triginta et sex annos, *et templum cathedrale, asservatique in eo* libri et memoriæ sanctorum patrum .. magna ex parte *flammis absumpta essent : annus autem* 36 *Dadonis episcopi connectendus et cum anno Christi* 916 ; *nam cathedram ascendit anno* 880. *Extra dubium hoc ponit Dado ipse apud Augustinum Calmet tom.* I *Historiæ Lotharingicæ, in Probationibus col.* 540 : *ubi documentum de gestis decessorum Hattonis et Berhardi ab illo conscriptum profertur, cujus hoc est initium :* Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi octingentesimo nonagesimo tertio, regnante vero domino Arnulpho gloriosissimo rege Lotharingiæ anno quinto, nostræ autem ordinationis decimo tertio, Indictione nona, na, ego Dado Vidunensis ecclesiæ episcopus *etc. Dado successerat Berhardo, hic Hattoni ; qui, ut ille in laudato suo documento testatur,* fuit temporibus Lotharii imperatoris, et item F Lotharii filii ejus; et pervenit usque ad annum primum Caroli regis. *Lotharius I imperator, abdicato imperio, monachus factus est anno vitæ suæ ultimo* 855, *quo filius Lotharius hæreditatem adivit istarum ditionum, quæ ab ipso nomen* Lotharingiæ *acceperunt, hodierna multo amplioris. Lothario juniore an.* 869 *vita defuncto, regnum ejus patrui Carolus Calvus rex Franciæ et Ludovicus rex Germaniæ anno sequente inter se diviserunt.*

contigerunt, quæ de Sanctis narrat.

4 *Ex dictis patet primo, Hattonem antistitem Virdunensem obiisse anno* 870; *ejusdem enim urbis episcopus. Dado illum pervenisse scribit* usque ad annum primum Caroli regis, *Lotharingiæ scilicet; cujus hic alteram partem, in qua Virdunum erat, alteram Ludovicus frater, uterque cum titulo regis memorato anno* 870 *obtinuerat : secundo, eumdem Hattonem, qui, ut Bertharius apud Acherium pag.* 261 *affirmat*, per annos viginti et tres *ecclesia Virdunensi præfuit, sedere cœpisse anno* 847 : *tertio, reliquias* SS. Mauri, Salvini *et* Aratoris *ad Theologiense monasterium*

AUCTORE J. L.

nasterium translatas fuisse intra annos 855 *et* 869; *nam Bertharius supra num.* I *id factum fuisse ait* tempore Lotharii junioris regis. *De translatione ista sermo redibit infra num.* 9. *Miracula, quæ Deus apud Sanctorum sepulcra operatus fuit, quæque idem scriptor se vidisse testatur, non contigerunt ante regnum Lotharii junioris, seu annum* 855; *uti eruitur ex iis, quæ apud laudatum Acherium pag.* 261 *de Hattonis, anno* 870 *mortui, successore Berhardo refert*: Canonicos suos canonice vivere fecit, .. et pueros (inter quos ego Bertharius unus fui) in humanis et in divinis libris per se et per alios cum summa caritate instruxit. *Eruditi, qui de S. Agerico Virdunensium præsule scripserunt, initium episcopatus ejus ponunt circa medium seculum* VI. *S. Gregorius Turonensis lib.* 9 *Historiæ Francorum cap.* 23 *ipsius mortem refert ad regis Childeberti II annum* 13, *quem Operum S. Gregorii editor Ruinartius cum anno Christi* 588 *componit. Ex sancti istius præsulis ætate innotescit antiquitas cultus, quem* SS. Maurus, Salvinus *et* Arator *Virduni obtinuerunt*: Siquidem, *inquit Bertharius*, sancto Agerico divinitus ostensa sunt eorum monumenta, et ab eodem *ad fidelium venerationem* honorabiliter et sanctissime ordinata.

S. Agericus sibi ab angelis monstrata eorum corpora

5 *Sancti Agerici, qui* I *Decembris colitur, gemina Acta præ manibus sunt; in quorum brevioribus, quæ mihi alteris antiquiora apparent, narratur, angelos ipsi oranti revelasse locum, ubi Sanctorum nostrorum corpora quiescebant.* Cum quadam nocte in cubiculo suo oraret sanctus Agericus; candela, quæ juxta morem ante lectum ejus ardebat, extincta est; et ecce cum magno splendore affuit multitudo angelorum choros ducentium et laudantium Dominum, qui beato Agerico sanctorum confessorum Mauri, Salvini et Aratoris corpora revelaverunt; qui plurimis ante eum annis Virdunensem ecclesiam gubernantes in suo sepulchro conjuncti latebant: quos sanctus Agericus elevavit et honorifice collocavit. Illi autem, qui sub eodem tecto jacebant, de visione et jubilatione perterriti, pene exanimes sunt facti: quos sanctus consolans, ne hoc, quod audierant, cuiquam dicerent, imperavit.

elevat in ecclesia S. Petri Apostoli; ut Hugo Flaviniacensis scribit,
** l. levata*

6 *Mirabilis ista visio, in qua Sanctorum nostrorum corpora S. Agerico ostensa fuere, fusius describitur in ejus Actis prolixioribus et in Chronico Virdunensi Hugonis abbatis Flavinacensis, qui apud Philippum Labbeum tom.* I *Bibliothecæ librorum Mss. pag.* 93 *ista subjungit*: Lætata * sunt ergo Sanctorum corpora auro obryzo preciosiora, et in ecclesia, ubi sedem habuerunt requietionis, sancti Petri Apostoli nomine a beato Sanctino consecrata, honorabiliter et sanctissime ab ipso viro Dei *S. Agerico* pridie Nonas Septembris sunt ordinata; et dies translationis et revelationis eorum per succedentia tempora celebritatis annuæ est honore insignita. Quorum merita ad sepulchra illorum ostendunt frequentia miracula. *His subjicio, quæ auctor Chronici Virdunensis pag.* 83 *præmiserat*: Narraverunt autem de beato Mauro posteri illi, qui interfuere translationi, quæ a beato Agerico tunc temporis facta est, posteriores scriptis ad nostram usque notitiam transmiserunt, beatum Maurum diversis suppliciorum generibus affectum veritati testimonium perhibuisse, et pro fide Christi martyrium occubuisse, sicut ipsi in defuncto videre, et necdum soluto corpore sancti piis osculis dulcia vulnera contrectavere. Beatus tamen Agericus et temporis illius fideles memoriam illius sub nomine et honore MARTYRIS celebrari non instituerunt; quæ hodieque (*uti et* SS. Salvini *et* Aratoris *memoria*) sub nomine CONFESSORIS veneratur.

vel S. Joannis Baptistæ, ut recentiores volunt, quibus non assentior.

7 *Abbatia S. Vitoni, vulgo* Saint-Vanne, *quæ nunc visitur intra arcem urbis Virdunensis, olim suburbana fuit, eodemque in loco condita, ubi quondam stetit vetustissima S. Petri Apostoli ecclesia, in qua Chronicon Virdunense* SS. Mauri, Salvini *et* Aratoris *corpora ab Agerico inventa et honorifice elevata fuisse asserit. Dissentit ab illo Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum* 562 *num.* 47. Inter templa *inquit*, quæ vel construxit vel reparavit Agericus episcopus Virodunensis, ultimum locum obtinere non debent oratorium S. Martini, quod in ipsa urbe ædificavit, et alterum, quod olim prope muros civitatis a sancto Mauro, secundo Virodunensium antistite, in sancti Joannis Baptistæ memoriam erectum ac pene dirutum non restauravit modo vel auxit in honorem sancti Medardi; sed etiam sanctissimorum prædecessorum Mauri, Salvini et Aratoris, qui secundo, tertio et quarto loco in episcopatu Virodunensi sederant, corporibus ibi repertis exornavit, ut observat Wasburgius, *seu Richardus de Wassebourg lib.* 2 *Antiquitatum Galliæ Belgicæ, Parisiis anno* 1549 *editarum, fol.* 76. Deinceps hæc ædes promiscue sancti Joannis dicta est et sancti Medardi, donec sancti Mauri nomen sub Heymone pontifice obtinere cœpit. *Similia lego apud Calmetum lib.* 7 *Historiæ Lotharingicæ num.* 38 *et alios scriptores neotericos, Wasseburgium secutos. Illis ego non assentior, donec* S. Maurum *in honorem S. Joannis Baptistæ ecclesiam erexisse, atque in ea ipsum*, Salvinum *atque* Aratorem *post mortem suam depositos fuisse, antiquiore documento probetur, quam sit Chronicon Virdunense, cujus auctor Hugo Flaviniacensis vivere desiit initio seculi* XII. *Huic interim adhæreo, asserenti Sanctorum corpora a S. Agerico elevata fuisse* in ecclesia, ubi sedem habuerunt requietionis, sancti Petri Apostoli, *in qua etiam antiquorum præsulum Virdunensium Pulchronii, Possessoris et Firmini, qui Sanctis nostris proxime successerunt, sepulcra sub monumento S. Vitoni tempore Hattonis episcopi reperta fuisse, Bertharius tom.* 12 *Spicilegii Acheriani pag.* 253 *et* 254 *diserte testatur. De S. Pulchronio actum est ad* XVII *Februarii. SS. Possessor et Firminus dabuntur ad* III *Decembris, eorum vero successor S. Vitonus ad* IX *Novembris.*

Sacra corpora in templum S. Medardi translata:

8 *Cum sub Hattonis episcopatu SS. Pulchronii, Possessoris et Firmini sepulcra in Petri Apostolorum principis seu, ut tunc vocabatur, S. Vitoni ecclesia invenirentur, trium Sanctorum nostrorum corpora in templo S. Medardi quiescebant: huc enim translata fuerant ab Hattonis decessore Hildino vel Hilduino, qui sub imperatoribus Ludovico Pio et Lothario I sedit. Translationis istius meminit Chronicon Virdunense apud Labbeum pag.* 120: Hic (*Hatto*) accepit partem reliquiarum sanctorum confessorum pariterque pontificum Mauri, Salvini, Aratoris, quorum corpora sancto Agerico revelata et ab eodem fuerant honorabiliter et sanctissime ordinata in eadem ecclesia, ubi primo fuerant tumulata, sancti Petri Apostoli nomine consecrata, sed a domno Hildino in nova sancti Medardi ecclesia erant translata; et reposuit in monasterio, quod

AUCTORE J. L.

A quod Theologium dicitur, ecclesiæ suæ subjectum, *Quoniam ecclesia S. Medardi, in quam Hildinus* SS. Mauri, Salvini *et* Aratoris *corpora transtulit* nova *hic appellatur; vix dubito quin ab isto præsule condita fuerit, quem apud Bertharium pag.* 260 *lego fuisse* virum bonum et sanctum, qui construxit multas ecclesias in episcopatu. *Cointius, cujus verba supra dedi, Calmetus et alii ex Wasseburgio scribunt, ante Hildinum ecclesiam S. Medardi apud Virdunenses extitisse, quam seculo* VI *S. Agericus ædificarit: sed ut hoc verum esse credam, idonea auctoritate prius probari debet.*

reliquiæ monasterio Theologiensi donatæ.

9 *De subjecta olim ecclesiæ Virdunensi, at nunc archiepiscopatus Trevirensis abbatia Theologiensi, ad quam in laudato Chronico Sanctorum nostrorum reliquiæ ab Haltone episcopo dicuntur translatæ fuisse, legi possunt Commentarii prævii de S. Paulo antistite Virdunensi ad* VIII *Februarii a num.* 9, *et de S. Conrado Trevirensi archiepiscopo designato ad* I *Junii num.* 1. *Bertharius initio hujus Sylloges* tempore... Lo-
B tharii junioris regis, *id est, intra annos* 855 *et* 869, *memoratam Ordinis S. Benedicti abbatiam, vulgo* Tholey *nuncupatam, sacris istis reliquiis ab Hattone ditatam fuisse ait. Ad hunc diem sepositum inveni scriptum, quod, uti Sollerius annotavit,* misit D. abbas Theobertus de Theologia an. MDCCXXXIV, I Febr. *In fine ad rem nostram hæc habet:* In quodam libro Epistolarum et Euangeliorum monasterii Theologiensis est catalogus reliquiarum, qui ita incipit: Hæ sunt reliquiæ, quæ continentur in longissimo scrinio etc.; ubi post alias SS. muneratas reliquias legitur: BRACHIUM SANCTI MAURI, BRACHIUM SANCTI SALVINI, BRACHIUM SANCTI ARATORIS.

§ II. Ecclesia S. Mauri in Hattonis castro, et abbatia monialium Virduni, ubi ejus, Salvini et Aratoris corpora honorantur; Officia propria et Martyrologia; gestorum memoria obliterata.

C

Brachium S. Mauri depositum in Hattonis castro, cujus ecclesia Sancto consecrata circa annum 1328

Verbis e Virdunensi Chronico num. 8 transcriptis hæc proxime subjunguntur: Brachium vero *alterum* S. Mauri *Hatto* in ecclesia, quam ipse in castello novo, quod nunc Hattonis castrum ab auctoris nomine vocatur, construxerat, sub altari recondidit ad salutem et præsidium posterorum. *Hatto in loco, qui ab ipso nomen accepit,* S. Mauro *non solum aram erexerat, sub qua ejus brachium deposuit; sed ipsam etiam ecclesiam in ejusdem Sancti honorem ædificarat: nam inter alia, quæ ex instrumento ante medium seculum* XIV *confecto mox producentur, hæc occurrunt:* Cujus (S. Mauri) merito et honore parochialis ecclesia de Hattonis castro antiquitus est fundata. *Jacet* Hattonis castrum, *vulgo* Hatton-chatel, *inter fluvios Mosam et Mosellam tribus ab oppido S. Michaëlis, sex vero circiter leucis ab urbe Virdunensi. Post conditoris Hattonis tempora in oppidulum accrevit; in cujus ecclesia parœciali* S. Mauro *consecrata Henricus d'Aspremont episcopus Virdunensis collegium canonicorum circa annum* 1328 *instituit. Calmetus in Probationibus Historiæ Lotharingicæ tom.* 2 *a col.* 581 *ipsas Henrici præsulis, ecclesiam collegiatam in Hattonis castro erigentis, litteras producit, e quibus sequentia excerpo.*

ex parœciali in collegiatam erigitur.

11 Attendentes quod inter reverendissimos patres et præsules beatissimos, qui nostræ Virdunensi ecclesiæ pro tempore hactenus præfuerunt, beatissimus Dei confessor sanctus Maurus per sua perlucida atque salutaria documenta prædictam nostram Virdunensem illustravit ecclesiam, decoravit virtutibus et moribus informavit; cujus altis virtutibus et decoris operibus ampla nostræ ejusdem ecclesiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilat, et elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat: ad honorem divini nominis et gloriam salutemque fidelium et prædicti egregii confessoris S. Mauri reverentiam, cujus merito et honore parochialis ecclesia de Hattonis castro antiquitus est fundata; piis ducti consiliis dignisque studiis excitati præsenti scripto in perpetuum valituro concorditer ordinamus, ut in prædicta parochiali ecclesia major sit numerus personarum exhibentium ibidem deinceps humilem Domino famulatum. E Quapropter unanimiter statuimus et inviolabiliter volumus atque decernimus, ut in prædicta ecclesia, quæ duntaxat parochialis fuerat, sit et fiat collegium approbatum, in quo tunc erunt viginti canonici, et totidem præbendæ. *Cetera legi possunt apud Calmetum, qui lib.* 25 *suæ Historiæ num.* 103 *capitulum canonicorum ex Hattonis castro ad oppidum S. Michaëlis anno* 1707 *translatum fuisse scribit.*

Abbatia monialium adjungitur Sanctorum corporibus venerabili ecclesiæ S. Joannis Bapt.,

12 *Auctor sæpe laudati Chronici Virdunensis apud Labbeum pag.* 173, Sed nec ipse, *inquit,* domnus Heimo *episcopus Virdunensis ab anno circiter* 987 *usque ad* 1024 *vel seq.* a bonis operibus vacantem animum præbuit, quin potius ecclesiam sancti Johannis in prospectu civitatis sitam, in qua sancti confessores Maurus, Salvinus, Arator requiescunt, melioratam restauravit, et in ea congregationem monialium sub dispositione patris Richardi, *abbatis S. Vitoni, quem ad* XIV *Junii dedimus,* regulariter viventium instituit, et matrem eis consilio ejusdem providit Adelbergam fidelem Christi famulam, F quæ cognominabatur Ava, cujus memoria est æterna. *Agitur hic de primordiis abbatiæ monialium Benedictinarum* S. Mauri, *olim etiam* S. Joannis *dictæ et extra muros Virdunenses fundatæ; sed quæ nunc solius* S. Mauri *nomine vocatur, atque intra urbis mœnia conspicitur. Theodericus episcopus Virdunensis ab anno* 1047 *in charta donationis notis chronicis destituta, quam dat Calmetus in Probationibus Historiæ Lotharingicæ tom.* I *a col.* 420, *se omni post ordinationem suam amore coluisse ait* sancti Johannis monasterium in vicinia... civitatis situm, ab Heymone episcopo divæ memoriæ prædecessore... honorifice incœptum, et honorificentius devotione fidelium exaltatum; ubi etiam corpus sancti confessoris Christi Mauri permultis, Deo gratias, adornatum quiescit miraculis. *Omnes ejusdem cœnobii possessiones* XXIV *Octobris anni* 1049 *S. Leo IX Papa confirmavit, in cujus Bulla, quam Calmetus laudatus a col.* 424 *adfert, dicitur Heimo* locum in suburbio Virdunensi juxta rivulum Scanciæ * situm, et in honorem sancti Joannis Baptistæ et sancti Joannis Euangelistæ confectum, ubi sanctorum Mauri, Salvini

* Escange

AUCTORE J. L.

Salvini atque Aratoris corpora ab ejusdem urbis venerantur incolis, *renovasse* et *instruxisse* propter aquæ commoditatem, ut moniales, quas ibi sub monastica regula ordinavit, usualia omnia sua intra fines loci illius habere possint.

olim quoque, ut creditur, S. Medardi dictæ; quæ a novo patrono S. Mauri nomen obtinuit.

13 *Wasseburgius et Calmetus num.* 7 *citati, necnon Cointius, cujus verba ibidem retuli, affirmant, veterem S. Joannis Baptistæ (in Bulla Leonis IX additur* et sancti Joannis Euangelistæ) *ecclesiam, cum ruinosa vel penitus collapsa esset, reædificatam et S. Medardo consecratam fuisse, seculone* VI *a S. Agerico, ut illi volunt; an vero seculo* IX *ab Hildino? Secundum credere malo, quam primum. Vide dicta num.* 8. *In rem nostram observat Cointius laudatus, dictam ecclesiam in honorem S. Medardi reædificatam, tam hujus sancti quam antiqui patroni S. Joannis Baptistæ nomen gessisse usque ad tempora Heimonis episcopi, sub quo* S. Mauri *agnominari cœperit. Addit Wasseburgius lib.* 2 *Antiquitatum Galliæ Belgicæ fol.* 76, *aliud tunc S. Medardo templum exstructum fuisse in loco vicino novæ abbatiæ* S. Mauri; *cui hodieque pa-*
B *rœcialis S. Medardi ecclesia proxime adjacet. Eum in finem hæc adduco, ne ex dictis num.* 8 *et præcedente lector statim inferat inter Hildini et Heimonis episcopatum* SS. Mauris, Salvini *et* Aratoris *corpora ex templo S. Medardi in aliud translata fuisse; cum memorati auctores ab illo non distinguant ecclesiam S. Joannis Baptistæ, ubi asservabantur sub Heimone episcopo; qui in illa moniales Ordinis S. Benedicti constituit. Monachus anonymus S. Vitoni, qui Bertharii Historiam de episcopis Virdunensibus usque ad medium seculi* XI *continuavit, apud Acherium tom.* 12 *Spicilegii pag.* 266, O quanta, *inquit,* viri hujus *Heimonis* erga ecclesias sollicitudo! cum ecclesiam beati Johannis Baptistæ mutaverit, mutatam ampliaverit, et congregationi necessaria ex rebus majoris ecclesiæ providerit... Ejus exemplo ejusque desiderio Amicus Præpositus ecclesiam sanctæ Crucis ædificavit, canonicos duodecim locavit . . . *et* petitione episcopi ... SANCTO MAURO subdere non recusavit, *id est, eos obligare, ut, quemadmodum in laudata S. Leonis IX Bulla exponitur,* hebdomadarii in jam dicto monasterio *ab Heimone*
C *fundato* divinis inserviant officiis, nec canonicam nisi ab abbatissa recipiant. *Hinc colligitur, Heimonem, quam ipse ampliarat S. Joannis Baptistæ ecclesiam, consecrasse* S. Mauro *tamquam patrono saltem secundario, a quo adjuncta illi abbatia, quam Theodericus episcopus numero præcedente* sancti Joannis monasterium *vocat, etiam* S. Mauri *nomen acceperit, quod hodie solum in usu est.*

Matronæ cujusdam erga ipsum pietas;

14 Dum Virdunensi sancti Mauri parthenoni præesset Girberga abbatissa, nobilis quædam femina ejus propinqua, Richildis nomine, . . . orbata viro, . . . in monasterio non paucis diebus habitavit. Interim secundis nuptiis animum adjecit: sed cum multam illi basilicæ reverentiam tum propter suffragia Sanctorum (Mauri, Salvini *et* Aratoris,) quorum corpora ibidem requiescunt, tum propter inhabitantium religionem haberet; placuit ipsi, ut de se ipsa potius, quam de rebus ceteris et alienis, victimam Deo et sancto Mauro solveret. Ad altare igitur S. Mauri pridie quam secundo nubere disposuerat, accessit, seque ipsam et liberos ex se nascituros Deo et sancto Mauro vovit ea lege, ut unaquæque proles annuum censum ad altare sancti Mauri offerret, mas quidem denarios duos, femina tres obolos. Ita pia illa matrona statuit edito D hac de re instrumento ANNO MCIII, PRÆSIDENTE VIRDUNENSI CATHEDRÆ VENERABILI THEODORICO EPISCOPO *etc.* Verum non cohærent hæ chronologicæ notæ; nam prædicto anno ecclesiæ Virdunensi præsidebat Richerus, successor Theoderici, qui anno MXC decesserat. *Ita Mabillonius tom.* 5 *Annalium Benedictinorum lib.* 70 *num.* 71.

qui in sui nominis abbatia etiam nunc quiescit cum Salvino et Aratore: Reliquiæ alibi.

15 *Porro trium sanctorum nostrorum Præsulum corpora, quæ abbatia* S. Mauri *ab initio fundationis suæ possedit, etiam nunc in ejus ecclesia religiose asservantur. Illorum tertium* S. Aratorem *ita memorat Castellanus in Supplemento ahemerorum pag.* 909; S. Arator episcopus Virdunensis, cujus corpus honorant religiosæ S. Mauri Virdunensis cum corporibus S. Salvini, et S. Mauri episcopi Virdunensis, patroni earum ecclesiæ post S. Joannem, qui ipsius est antiquus patronus titularis. *Sacra corpora, quibus moniales* S. Mauri *ditantur, integra non sunt: nam ab episcopo Hattone, ut supra num.* 9 *et seq. dictum est, cujusque Sancti brachium ad abbatiam Theologiensem, atque alterum* S. Mauri E *brachium ad Hattonis castrum translatum fuit. Hujus etiam Sancti nescio quæ reliquiæ servantur Parisiis in monialium Ordinis S. Benedicti abbatia Vallis-gratiæ; uti me docet Martyrologium Parisiense an.* 1727 *editum,* S. Maurum *ad* VIII *Novembris ita annuntians:* Virduni, sancti Mauri episcopi, de quo reliquiæ ad sanctam Mariam in Valle-gratiæ ab Anna Austriaca regina Franciæ, *Ludovici XIV regis mare,* pie depositæ sunt.

Memoria translationis eorum Officio proprio recolitur 4 Septembris:

16 *In Calendario, quod ecclesiæ Virdunensis Breviario Parisiis an.* 1625 *recuso præmittitur, ad* IV *Septembris notatur:* Translatio beatorum Mauri, Salvini et Aratoris epi. Virdu. 9 lect. *In primi et secundi Nocturni lectionibus, quas Breviarium recitandas proponit, de vita* S. Mauri *varia referuntur, quæ prudentem fidem non merentur, ut num. ultimo probabitur. Tertii Nocturni lectiones eadem continent, quæ superius ex Berthario transcripsi; sed aliqua minus verisimilia, imo etiam falsa admiscentur, quæ ex ante dictis atque etiam ex ipso Berthario corrigi possunt. Lectionum auctor omnia desumpsisse videtur ex Wasseburgio lib.* I *Antiquitatum* F *fol.* 30 *verso et seq. necnon fol.* 35; *quem ego scriptorem pluris facerem, si apocrypha a legitimis distinxisset, et fideliter Gallice reddidisset, quæ in Historia Bertharii et aliis fide dignis monumentis invenerat. Lectio nona ita concluditur:* Meritis etiam beatissimi Mauri urbs Virdunensis ab imminenti incendio servata est; et ignis ventorumque sævientium ita est sedata potestas, ut nec domus, e qua egressus fuerat ignis, damnum aliquod pateretur. *His adjungo quæ anonymus seculi* XVI *auctor in Serie chronologica episcoporum Virdunensium apud Joannem Fredericum Schannat Collectione* 2 *Vindemiæ litterariæ pag.* 91 *de* S. Salvino *scribit:* Emersit in tantam sanctitatis famam, ut partus abortivi ante Sancti illius ossa expositi, mulieresque prægnantes vitam et sanitatem recipiant.

ad quem diem Martyrologiis aliquot inscribuntur.

17 *Translatio* SS. Mauri, Salvini *et* Aratoris, *cujus memoriam Virdunenses* IV *Septembris recolunt, illa ipsa est, quæ seculo* VI *a S. Agerico facta fuit. Clarissime id affirmat Chronicon Virdunense verbis supra num.* 6 *adductis. Ex Martyrologiis, quæ Sanctos ad eumdem diem commemorant, pauca accurata, nulla antiqua sunt.*

AUCTORE J. L.

A *sunt. Usuardinum in codicibus Florentinis et editionibus Belini et Molani annuntiatione* sancti Mauri confessoris *augetur ; sed non satis, adjungendi enim erant* Salvinus *et* Arator. *Non satis etiam augetur in codice Ms. Bruxellensi, qui, uti et Florarium nostrum Ms. Sanctorum,* Aratorem *reticet, et pro* Salvini *habet* Silvini. *In apographo Luxoviensi, quod singulos nominat, ponitur* Sylvani ; *apud Ferrarium in Catalogo generali Sanctorum, et Saussayum in Supplemento Martyrologii Gallicani* Sylvini. *Recte Grevenus :* Translatio sanctorum confessorum atque pontificum Mauri, Salvini atque Aratoris, *et Martyrologium Germanicum Canisii, ut vocari solet :* Item Virduni elevatio sanctorum *etc.*

S. Mauri cultus die natali x Novembris :

18 *Natalem* S. Mauri *Virdunensis ecclesia* x *Novembris colit, quo die memoratum illius Breviarium Officium novem lectionum præscribit. In sex prioribus agitur de æterna, qua* S. Maurus *fruitur et pii ejus imitatores ac cultores fruituri sunt, beatitudine. Tres posteriores sunt ex Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium secundum Lucam :* In illo tempore designavit Dominus *etc. Refertur* S. Maurus *ad dictum diem* x B *Novembris in quatuor Martyrologiis Usuardi auctis. In Luxoviensi legitur :* Virduni, sancti Mauri episcopi et confessoris. *Burdigalense vix differt. Bruxellense habet :* Apud Verdunum depositio sancti Mauri episcopi ejusdem civitatis et confessoris ; *editum a Greveno :* Mauri episcopi. *In Martyrologio Romano Sanctus annuntiatur ad* VIII *Novembris :* Apud Virdunum sancti Mauri episcopi et confessoris. *Eodem die, quo tamen nec Virduni nec alibi, quod quidem noverim, colitur, memoratur a Molano, Ghinio, Galesinio, Saussayo, Castellano, et in Martyrologio Parisiensi anni* 1727, *cujus verba num.* 15 *dedi. Porro etsi in diœcesi Virdunensi festum depositionis* S. Mauri *celebretur die* x *Novembris, quia tamen de ejus vita nihil relatu dignum ad posteros transmissum est, quæ vero de gloria ejus posthuma ad nostram notitiam pervenerunt, majori ex parte* SS. Salvino *et* Aratori *communia sunt : ego ab his illum non dividendum putavi, sed omnes simul dandos hoc die, quo eorum translationis memoria agitur, quemque solum Virdunenses* SS. Salvini *et* Aratoris *cultui consecrarunt.*

de cujus et aliorum vita nihil fide dignum oblivioni superest.

19 *Quæ de vita singulorum episcoporum* Mauri, Salvini *et* Aratoris *Wasseburgius lib.* I *Antiquitatum et alii recentiores tradiderunt, mihi certo commentitia esse videntur : quibus transcribendis tempus perdere non lubet, cum sufficienter istud evincere possim, licet ea lectorum oculis non subjiciam. Historiam episcoporum Virdunensium a Berthario inceptam, et ab anonymo monacho S. Vitoni ad medium seculum* XI *continuatam, Laurentius a Leodio usque ad annum* 1144 *perduxit : qui scriptor apud Acherium tom.* 12 *Spicilegii pag.* 274 *in epistola, qua Alberoni episcopo Virdunensi lucubrationem suam dedicat, de Sanctorum nostrorum et aliorum præsulum gestis in oblivionem adductis ita conqueritur :* Ecce sancti prædecessores vestri Sanctinus, Maurus, Salvinus, Arator, Pulcronius, Possessor, Firminus, Vitonus et multi alii, quo tempore vixerint, quæ mira, quæ gesta vivi effecerint hodie nescimus, et indignam, pro nefas ! Patronorum nostrorum patimur ignorantiam, quorum meritis illustramur. *Ibidem pag.* 275, Laudanda, *inquit,* est tamen Berthariii pia industria, qui de ipsis cineribus et ruinis incensæ urbis et ecclesiæ omnia, prout potuit, prædecessorum saltem præsulum vel nuda nomina eruit, vel quædam gestorum nobis scintillavit : nam ipsam tantillam de nostris præsulibus notitiam ab ipso accepimus ; *qui tamen nihil omnino, quod ad* S. Mauri, *vel* S. Salvini, *vel* S. Aratoris *vitam pertineat, ab oblivione vindicavit. Ex his relinquitur, ut, quæ Wasseburgius et alii tres nostros Præsules, cum viverent, egisse narrant, verisimillime excogitata fuerint post annum* 1144, *quo Laurentius de Leodio scribendi finem fecit, et consequenter fidem non mereantur. Sancti nostri vita et episcopatu defuncti fuerunt ante annum circiter* 450 ; *tunc enim S. Pulchronium proximum eorum successorem ecclesiæ Virdunensi præfuisse, multorum sententia est, imo omnium, si tempus assignatum per adjunctam vocem* circiter *dilates ab anno* 440 *usque ad* 460. E

DE S. MUNESSA seu MONESSA VIRG.

IN HIBERNIA

C.S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Varia Sanctæ nomina, cultus, ætas, qua vixit.

Probabilius post CDLIV. Varie Sancta a scriptoribus appellata.

Varie *prorsus Sancta hæc apud Hiberniæ scriptores hagiophilos nominata reperitur. Jocelinus in Vita S. Patricii cap.* 159 *apud Colganum in Triade thaumaturga pag.* 100 *eam* Memessam *appellat ; Probus apud eumdem pag.* 59 Muneriam *vocat ; auctor Vitæ S. Patricii, tertio loco a Colgano editæ, quem S. Benignum fuisse opinatur, eamden cap.* 78 Munessam *nominat. Ultimam hanc appellationem reliquis præfert laudatus Colganus pag.* 34, *Nota* 74 *sic scribens :* Mendose a Jocelino vocatur Memessa, et a Probo Muneria : rectius (ut videtur hic) Munessa. Nam ab his authoribus fertur coli ut sancta, et ecclesia ejus nomini dicata : sed non reperio natalem alicujus Muneriæ, Mumessæ, vel Memessæ a nostris hagiographis observari ; sed bene S. Monessæ, sive, quod idem est, ob rationem sæpius datam, Nessæ, IV Septembris. *Cum hisce eam* Monessam *seu* Munessam *vocamus.*

2 *Probus lib.* 2 *cap.* 26 *in Vita præfati Hiberniæ*

AUCTORE C. S.

Cultus Sanctæ ex Probo,

niæ Apostoli, quam laudatus Minorita quinto loco edidit, hujus S. Virginis cultum ad seculum v *referre videtur ; ita enim ait :* In ipso quoque loco *(ubi mortua et sepulta est* S. Monessa, *quam* Muneriam *appellat)* cellulam postmodum futuram esse, sanctus Patricius prædixit, in qua virgines Deo famulaturæ congregari deberent : quod et factum est non longe ab illo tempore. Nam ejusdem sanctæ Virginis memoria colitur in eodem loco usque in præsentem diem. *Illius, inquam, cultum ad seculum* v *referre videtur his verbis :* Quod et factum est non longe ab illo tempore, *sive illud tempus ad S. Virginis obitum, sive ad factam a S. Patricio prædictionem referendum sit. Sanctus enim Hiberniæ Apostolus anno* 460 *vivendi finem fecit, ut ostendit Papebrochius tom.* 2. *Martii pag.* 525 : *quamdiu vero ante obitum suum hanc prædictionem protulerit, incertum est. Verumtamen* 40 *illis annis, qui a sancti morte usque ad seculi* VI *initium fluxerunt, cellula hæc, in honorem utique* S. Monessæ, *ædificari debuit, si* non longe ab illo tempore *vere fuerit exstructa. Quodnam tempus* B *idem auctor designet, dum* Monessæ *memoriam* Usque in præsentem diem *ibidem asserit perseverasse, incertum plane est, cum de ipsius Probi ætate nihil certi habeatur; consuli potest laudatus Colganus pag.* 61, *et Papebrochius noster loco citato pag.* 521. *Utinam Probus, cujuscumque is ætatis fuerit, exstructæ cellulæ locum indicasset : sic enim forte certius aliquid de hoc cultus indico reperire licuisset. De eodem loco et cellula altum etiam silet Jocelinus*, *silent aliæ S. Patricii Vitæ et ipse, qui eas notis illustravit Colganus.*

Colgano

3 *Unius igitur Probi auctoritate hæc cellula nititur, pro cujus fide spondere ego non ausim, præsertim cum Colgano teste nonnulla contineat omnibus aliis rerum Patricianarum scriptoribus contraria, quædam ex parte forte inserta a librariis de nominibus locorum et regionum*, *veritati plane contraria*, *de quibus vide laudatum Minoritam. Ardmachæ tamen Sanctæ nostræ corpus servatum fuisse, insinuat præfatæ Triadis thaumaturgæ auctor pag.* 311, *ubi sub sequenti titulo,* De quibusdam aliis sanctis Ardmachæ quiescentibus, *recensetur* Sancta Munessa, sive Monessa filia regis Britonum . . . quæ colitur IV Septembris. *Verum ibid, nonnisi relatos supra au*C*ctores ac Vitas citat ; ex iis autem solus Probus, cujus verba dedimus*, *eam sanctam vocat ; Vita tertia suscepto illam baptismo in manus angelorum tradidisse animam asserit ; sexta vero addit,* ejus sacri corporis glebam *post datas Deo laudes a S. Patricio reliquisque astantibus honorifice fuisse terræ mandatam. Sed de his mox sermo recurret : pergo ad alios.*

et Catalogis

4 *Inter multa, quæ P. Stephanus Vitus e Societate nostra Dilinganus professor sub initium seculi* XVII *ad P. Rosweydum transmisit, invenio varios catalogos de sanctis Hiberniæ, ex quibus duo Sanctam, de qua agimus, continent. Alter servatus apud nos sub involucro † Ms.* 167 *D*, *sub titulo*, Nomina sanctarum fœminarum quarumdam ex prosapia regum Scotorum Iberniæ *sic illius meminit :* S. Muncria (secundum Probum, aut Munessa secundum meum Ms.) filia regis Britonum, baptizata tamen a Patricio et mortua in Ibernia. *Alter sub involucro † Ms.* 167 *F. sic exorditur :* Octavus Catalogus sanctorum, qui in ipsa vetere Scotia seu Hibernia aut mortui sunt, aut post mortem eo translati. *Ex quorum plurimis pauciorum, qui sequuntur, nomina hic (Dilingæ ut videtur)* ubi dego, reperta D dabo. *Dein multis recensitis, scribitur* Muneria, quæ et Memessa virgo, filia regis, baptizata a S. Patricio, qui ejus animam in cælum ascendentem viderat circa annum salutis CCCCL. *De anno emortuali agemus a num.* 6.

SS. Hiberniæ.

5 *His accedit P. Henricus Fitz Simon nostræ itidem Societatis, qui in Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ edito anno* 1611, *et anno* 1619 *recognito et recuso, sanctam etiam* Memessam *collocat*, *in eo tamen corrigendus*, *quod ibidem* Mumeriam *quoque tamquam a* Memessa *diversam recitet. Non dubito, quin apud alios forte non paucos hujus sanctæ Virginis memoriam invenire sit : id enim manifeste innuit Colganus, qui, ut supra dictum est*, *ab hagiographis suis natalem* S. Monessæ *sive* Nessæ IV *Septembris observari testatur. An hagiographi illi editi sint an inediti, penitus me latet : certe volvi et pervolvi*, *quotquot de Britannicis ac Hibernis historias sacras scripsisse compereram, sed conatu prorsus irrito, adeo ut non satis mirari potuerim tam constans de hac sancta silentium scriptorum, qui alioquin nihil prætermisisse cognoscuntur,* E *ut laudabili prorsus studio Sanctos suos populares*, *aut qui quoquo modo Hiberniam virtutibus illustrarunt*, *e tenebris erutos in lucem producerent. Scripsimus etiam ad RR. PP. Minoritas Hibernos Lovanienses, precati, ut si quid de hac Sancta inter Colgani (is enim ibidem Sanctorum suorum popularium Acta conscripsit) monumenta servarent, id nobiscum communicare dignarentur. Responsum accepimus humanissimum ; at inventum nihil.*

Inquiritur tempus vitæ

6 *Vitam Sanctæ a nemine ex professo scriptam reperio : per compendium tantum occasione baptismi, a S. Patricio ipsi collati*, *de ea agunt auctor Vitæ tertiæ, Jocelinus, et Probus apud Colganum in Triade*, *alter tamen altero paulo auctius. Eorum verba huc sic transferam, ut quid quisque auctor diversum ab alio addiderit*, *moniturus sim. Sed prius de tempore*, *quo hæc gesta sunt, pauca censui prælibanda. S. Patricium in Hiberniam missum esse anno* 432, *ostendit Papebrochius tom.* 2 *Martii pag.* 524. *Ejusdem sanctissimum obitum anno* 460 *affigit pag.* 525. *Hinc conficitur, ea, quæ de sancta nostra Virgine prodiderunt laudati scriptores, inter annos* 432, *et* 460 *contigisse ; nam extra hos terminos vagari* F *neutiquam permittit collatus a S. Patricio baptismus. Videndum igitur ulterius, prioribusne, an posterioribus apostolatus ejus annis hæc historia innectenda sit. Mihi sane verisimillimum videtur eam ad unum e* 5 *posterioribus esse referendam. Rationem accipe. Edita est a laudato mox Papebrochio e vetustissimo Nobiliacensis S. Vedasti monasterii codice Ms.* Confessio S. Patricii de Vita et conversatione sua. *Scriptam a Sancto ipso opinatur post Ardmachanæ sedis erectionem, adeoque post annum* 454, *ut ex conjecturis colligit pag.* 519 *num.* 14.

ac obitus Sanctæ,

7 *Jam vero in hac sua confessione apostolatus sui uberes fructus cap.* 4. *num.* 18 *recensens, cum ingentis gaudii significatione traductas a sese ad Christum virgines commemorat, nec ullam tamen de sancta* Monessa *facit mentionem. Libet ipsum audire loquentem.* Filii Scottorum et filiæ regulorum monachi et virgines Christi esse videntur. Et etiam una Scotta benedicta, nobilis, pulcherrima, adulta erat, quam ego baptizavi : et post paucos dies una causa venit ad nos : insinuavit namque nobis, responsum accepisse a nuntio

A nuntio Dei, qui monuit eam, ut permaneret virgo Christi, et sic Deo proximaret. Deo gratias, sexta ab hac die optime et avidissime arripuit illud, quod etiam omnes virgines Dei similiter faciunt.

et probabilius statuitur inter annos 454 et 460.

3 *Vides, erudite lector, quam dulciter Hiberniæ apostolus de messe sua in Domino glorietur. Quis credat, illaudatam ab eo* S. Monessam *prætereundam fuisse, si jam tum, quæ de ipsa narrantur, contigissent. Etenim si Scottæ illius, quia* nobilis, pulcherrima, adulta, *ab eoque baptizata, virginitatem servare decreverat, tam diserte meminit, quanto magis inter apostolatus sui fructus* Monessam *commemorasset, quæ non nobilis modo, sed Britonum regis filia adhuc gentilis nuptias spreverat, Deum videre arserat, post longum cum parentibus certamen ab iis ipsis ad Sanctum adducta fuerat, et ab ipso baptizata ac Christi corpore refecta mortem Sanctorum tam mirabiliter obierat, et ut Sancta fuerat honorifice tumulata. Enimvero tam illustre regiæ Prolis exemplum nequaquam prætermissurus fuisse* B *videtur, si jam tum contigisset: præsertim si, ut suspicatur Papebrochius, hanc suam confessionem velut testamentum discipulis suis relinquere voluerit occasione quarumdam persecutionum adversus se suscitatarum. Atque hæc ratio me movit, ut obitum illius inter annum* 454 *et* 460 *probabilius collocarem. Nunc quæ de Sancta nostra memoriæ prodita reperi, ex laudatis scripioribus accipe.*

VITA

Qualiscumque auctore Probo apud Colganum in quinta Vita S. Patricii lib. 2.

C

S. Muneria regis filia nondum baptizata a virginitatis proposito se dimoveri nullis minis patitur:

Cujusdam enim regis *a* filia egregia facie et perfecta virtute, cui nomen tum erat Muneria *b*, Spiritus sancti subito repleta est gratia: cujus multi nobiles ac divites expetierunt amplexus conjugales, et non adquievit eis, licet non adhuc esset baptizata, nec fide *c* imbuta: nam ad id, quod nolebat, a parentibus compelli non poterat: quæ videlicet inter verbera et crebras increpationes *d* interrogaret matrem et nutricem, si compertum haberent rotæ factorem, cujus luce mundus illuminatur. Et cum responsum ab eis acciperet, solis factorem esse eum, cui cælum sedes est; rogavit, ut ei copularetur conjugali vinculo *e*, qui tam decorum lumen haberet in cælo. Intellexit siquidem Virgo præfata per naturam totius creaturæ factorem *f*, in hoc patriarchæ Abrahæ secuta exemplum. Parentes autem ejus quid agerent, quo se verterent, nesciebant.

Quapropter a parentibus ad S. Patricium deducta baptizatur, pie moritur, et honorifice sepelitur.

10 Tandem inito consilio a Deo sibi tradito, sanctum Patricium accersiri fecerunt *g*, ut super hac causa consulerent illum *h*. At ille per Spiritum sanctum edoctus omnia, statim ad præfatam Virginem accessit, et elevata voce dixit ad eam: Si credis in Deum ex toto corde tuo? Puella respondit, Credo. Tum vir Domini Patricius sacro lavacro spiritus et aquæ regeneravit eam *i*. Nec mora solo prostrata spiritum tradidit in manus angelorum: et ubi moritur, ibi et sepelitur *k*. In ipso quoque loco cellulam postmodum futuram esse sanctus Patricius prædixit, in qua virgines Deo famulaturæ congregari deberent: quod et factum est non longe ab illo tempore. Nam ejusdem sanctæ Virginis memoria colitur in eodem loco usque in præsentem diem *l*.

ANNOTATA.

a Tertia vita S. Patricii ex vetustis membranis Biburgensibus in Bavaria *apud Colganum pag.* 27 *cap.* 78 *patrem Sanctæ gentilem regem Britonum vocat. Jocelinus cap.* 159 *illam filiam* cujusdam principis regnantis in quibusdam finibus Britanniæ *dicit.*

b *Jocelinus* Memessam, *tertia Vita* Munessam *vocat. Forte in baptismo* Muneriæ *nomen in* Munessæ, *vel* Monessæ *mutatum est; mutatum enim fuisse nomen non obscure innuitur his verbis:* Cui nomen tum erat Muneria.

c *Id est Christianæ fidei mysteriis, puta Incarnationis etc. Deum enim remuneratorem credebat utique, si Spiritus sancti repleta fuit gratia:* E *sine fide enim impossibile est placere Deo.*

d *Magicas etiam artes ad labefactandum Virginis animum a parentibus abhibitas, tradunt auctor tertiæ Vitæ, et Jocelinus.*

e *Metaphorice hæc dicta accipe, nisi forte Virgo sic procorum ac parentum molimina eludere voluerit.*

f *Non excludi hinc gratiam ipse auctor supra indicat, dum eam. S. Spiritus gratia repletam dicit.*

g *Rectius auctor tertiæ Vitæ et Jocelinus Sanctam a parentibus ad S. Patricium adductam scribunt, baptizata enim est non in Britannia, sed in Hibernia. Potest tamen et sic intelligi, ut velit eos in Hiberniam profectos S. Patricium ad sese accersivisse.*

h *Jocelinus sic habet:* Casso igitur labore in eam diu desudantes, communi tandem consilio perduxerunt Puellam parentes ejus ad S. Patricium, cujus sanctitatis fama signis ac prodigiis probata, ac propalata erat ubique terrarum. Insinuaverunt utique S. Patricio puellare propositum, obnixius implorantes, ut illam ad Dei sui, in quem concupivit, et defecit anima ejus, studeret perducere conspectum. F *Idem Dei videndi desiderium suscepti itineris causam assignat auctor tertiæ Vitæ S. Patricii, parentes Virginis sic loquentes inducens:* Nos coacti sumus venire ad te causa Filiæ nostræ, quæ nimio desiderio cupit videre Deum.

i *Recte Jocelinus baptismo instructionem de mysteriis fidei præmissam notat. Addit etiam:* Baptizatam Dominici Corporis et Sanguinis sacramentis communivit, *S. Patricius.*

k *Tertia Vita:* et statim accipiens baptismum, solo prostrata tradidit animam in manus angelorum, et ibi mortua est ibique sepulta. *Hæc phrasium consonantia suspicionem mihi movet, alterum auctorem alterum in scribendo præ oculis habuisse. Jocelinus stylum paulo exornavit:* Illa vero, *inquit,* Viatico accepto, solo prostrata inter verba orationis, spiritum afflavit *: sicque de lavacro ascendens dealbata, manibusque angelicis deducta ad Dilecti sui candidi et rubicundi conspectum et complexum demigravit. *De sepultura hæc addit:* Sanctus ergo Patricius et omnes, qui aderant, Deum glorificaverunt, ejusque

* *l.* efflavit

A ejusque sacri corporis glebam honorifice sepulturæ tradiderunt.

1 *De hac cellula, Virginum contubernio, ac memoria* S. Monessæ *eo loco celebrata nihil habent tertia et Vita Jocelinus.* D

DE S. CANDIDA JUNIORE

MULIERE CONJUGATA

NEAPOLI

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus, elogium, annus emortualis, inventio corporis.

Anno DLXXXVI. *Varia ad memoriam in Fastis*

Duas *hodie Neapoli* Candidas *coli, easque revera distinctas esse, late ostendi supra in Candida seniore. Junior in Martyrologio*
B *Romano post Seniorem ita annuntiatur:* Ibidem sanctæ Candidæ junioris, miraculis claræ. *Inter Officia Neapolitana, anno* 1525 *impressa, habetur etiam* Candidæ *hujus Officium proprium novem lectionum, ex quibus lectiones sex, spectantes ad gesta Sanctæ, infra dabo tamquam brevia Acta. Hoc autem Officium ostendit, verba Catalogi Sanctorum aliquot Neapolitanorum anni* 1619, *quibus dicitur sola* Candida *senior usque ad illud tempus Neapoli culta fuisse Officio semiduplici, nonnulla egere explicatione; nisi fortasse Officium* Candidæ *junioris impressum quidem fuerit anno* 1525 *sed non recitatum. Malim tamen existimare sic explicanda esse verba laudati Catalogi, ut credamus* Candidam *juniorem non fuisse cultam per totam diœcesim Neapolitanam. Quidquid sit, instituit illustrissimus Decius Carafa, archiepiscopus Neapolitanus, ut imposterum Candida senior coleretur Officio semiduplici, et de* Candida *juniore fieret commemoratio. De hac vero in laudato Catalogo notantur sequentia:* Porro S. Candida junior fuit
C conjugata: vixitque præstanti pietate et fide ante annos mille, hoc est, imperante Mauritio. De ea Martyrologium Romanum die ɪv Septembris, et Baronius in notationibus. Extat nobile epitaphium marmori incisum in æde S. Andreæ, ubi et corpus ejus colitur. Inde vero pars ossium ejus ad ædem archiepiscopalem in capellam Thesauri, pars vero in propinquum templum S. Angeli ad Nidum honorifice stranslata sunt.

et cultum Sanctæ spectantia: 2 *David Romæus in Opusculo de septem sanctis custodibus urbis Neapolis, ubi etiam enarrat Vitam* S. Candidæ *junioris, pag.* 130 *de ea sic habet:* Ejus corpus in tumulo e marmore in æde S. Andreæ in Nido vico sepultum, et in tenebris absconditum, nuper repertum atque effossum est a Paulo Tasso Neapolitano, sacerdote pio et integerrimo, templi æditui. *Paulus Regius tom.* 2 *de Vitis Sanctorum regni Neapolitani pag.* 940 *de sepultura et miraculis Sanctæ Italice refert, quæ infra legentur in Officio dando. Deinde vero pag.* 941 *hæc subjungit:* Porro devotio erga hanc sanctum Mulierem, quæ occasione mutationum status, bellorum et pestilentiarum, in pectoribus Neapolitanorum refrixerat, divina providentia temporibus nostris fuit instaurata. Rector illius ecclesiæ S. Andreæ erat dominus Franciscus Carafa, quando, suadente domino Paulo Tasso, tunc canonico Neapolitano, et nunc reverendissimo et dignissimo ar- E
chiepiscopo Anxanensi *, innovatum est altare hujus Sanctæ, novoque marmore exornatum; atque imago nova ejusdem sanctæ Candidæ erecta, qualis hoc tempore cernitur. Sacra autem ipsius ossa quæ jam ex veteri sepulcro erant elevata, inclusa sunt urnæ marmoreæ, et collocata sub altari ipsius nomini dedicato, apud quod etiamnum cernitur vetus sepulcrum, ubi primum sepulta est Sancta. Ibidem etiam leguntur versus aliquot Latini, quibus continetur epitome eorum, quæ supra narravimus. *Hactenus illustrissimus Regius.* * di Lanciano

3 *Versus autem, de quibus meminit, sunt antiquam Sanctæ epitaphium, apud varios impressum, quod Baronius alia accasione ad annum* 715 *sic expressit:* *epitaphium,*

† Mors, quæ perpetuo cunctos absorbet hiatu,
Parcere dum nescit, sæpius ipsa favet.
Fœlix, qui affectus potuit demittere tutos:
Mortalem moriens non timet ille viam.
Candida præsenti tegitur matrona sepulchro,
Moribus, ingenio, et gravitate nitens.
Cui dulcis remanens * conjunx natusque superstes; * *forte* remanent
Ex fructu Mater noscitur sobole. F
Hoc precibus semper, lacrymosa hoc voce petebat:
Cujus nunc meritum vota secuta probant.
Quamvis cuncta domus numquam te flere quiescat:
Felicem fateor sic meruisse mori.

† Hic requiescit in pace candida C. F., quæ vixit pl. m. ann. l. die iiii. id. sept. imp. D. N. Mauritio P. P. aug. ann. iiii. P. C. ejusd. an. ii. Ind. quarta. *Voces contractas sic lego:* Hic requiescit in pace Candida C. *(alii habent* G*)* filia, quæ vixit plus minus annos quinquaginta, *(obiit)* die quarta Idus Septembris *(id est* 10 *Septembris, sed apud Romæum legitur* die ɪv Septembris, *omissa voce* Idus) imperante domino nostro Mauritio, patre patriæ, augusto, anno quarto, post consulatum ejusdem anno secundo, Indictione quarta. *Videtur editio Baronii, cui Ughellus consentit tom.* 6 *Italiæ sacræ col.* 52, *correctior esse quam sit editio Romæi; adeoque legendum esse* die ɪv Idus, *seu* die x Septembris; *non vero* die ɪv Septembris, *licet neoterici varii tradant Sanctam die* ɪv *Septembris*

A *Septembris obiisse, quod ex Romæo fortasse acceptum. Poterunt ipsi eruditi Neapolitani ex Epitaphio, si hactenus integrum persistat, diem emortualem certius statuere.*

ex quo videtur obiisse die x Septembris anni 586 :

4 *Annus vero in epitaphio expressus designat annum æræ vulgaris 586, quo quidem quintus Mauritii imperatoris annus inchoatus est die* XIV *mensis Augusti, sed annus totus solum vocabatur* quartus *Mauritii, et secundus post ipsius consulatum, quem gessit anno 584. Hæc fusius explicantur et probantur apud Pagium in Critica ad annos Mauritii imperatoris. Satis erit huc transferre prima ipsius verba ad annum 586, quem sic orditur :* Is annus hac formula notatus : « IV Post consulatum Mauricii Tiberii Aug. solius iterum. » *Id est, quartus Mauritii annus, et secundus post ipsius consulatum. Eodem etiam anno erat Indictio quarta, cum ceteris recte expressa in epitaphio. Quapropter a recta chronologia aberravit Romæus, qui ait, Sanctam in cœlum migrasse* Pridie Nonas Septembris, anno fere Christi DLXXXII, anno IV regni Mauricii Græci, Pontifice Romano Pelagio II. B *Pontifex solus recte expressus, cetera mendose. Caracciolus item nec diem nec annum exacte dedit cap. 28, ubi de* Candida *juniore agit, ita scribens :* Decessit quinquagenaria, filio et conjuge superstitibus, Prid. Non. Septemb., uti ecclesiasticæ habent tabulæ, anno DXC. *In quibus tabulis ecclesiasticis diem et annum illum legerit Carracciolus, me latet : certe Officium mox dandum recte assignat* Quartum Idus Septembris, *id est, diem* X *hujus mensis; annum vero æræ vulgaris non nominat, sed quartum Mauritii imperatoris designat : nec dubito, quin illa desumpta sint ex epitaphio, in quo omnia exacte posita sunt pro tempore, quo fuit scriptum. Qui vero uti voluerit hodierno loquendi more dicet Sanctam esse defunctam die* X *Septembris, anno æræ vulgaris 586. Pelagii II Papæ 9, Mauritii imperatoris 5, Indictione quarta.*

fuit stirpe nobili.

5 *Nobili stirpe natam fuisse* S. Candidam *tradunt lectiones mox recitandæ, idque et epitaphium et marmoreum sepulcrum insinuant. Laudatus Caracciolus insuper verisimile facere nititur, ortam fuisse stirpe Brancatia, ita disserens :* Fuisse autem ex antiquissima et nobilissima C familia Brancatia, traditio est : quæ si vera est, his conjecturis fulciri potest. Quod in ecclesia contigua regioni, in qua censendi sunt habuisse domicilia, qui ex ea erant familia, unde postea in proximum Sedile Nidi adscripti fuere, sepulta sit. Quod primum a Candida, in cælum translata, beneficium mortalibus exhibitum, in Philippum Brancatium paralysi laborantem fuerit collatum, ut habet lectio 3 Lectionarii. Quod frequenter ex ea familia rectores fuerint ecclesiæ S. Andreæ, in qua ipsa tumulata. Et quod Aloysius Brancatius anno MCCCLXX domos aliquas coëmerit ad ecclesiæ illius bonum, certe pietatis ergo in gentilem suam ibi jacentem. Id nupera testatur inscriptio in sacello ejus in ecclesia S. Angeli ad Sedile Nidi, a Raynaldo Cardinale Brancacio, circiter anno Domini MCCCLXXXIV erecta, adaucta postea nosocomio anno MCDXXVI, quæ est hujusmodi : « Sacellum sanctæ Candidæ Neapolitanæ ex familia Brancatia ». Quod sacellum erectum fuit occasione ossiculorum ex ejus corpore acceptorum. *Hactenus Caracciolus, qui ex hisce rationibus non intendit aliquid certi statuere : neque ad id sufficiunt conjecturæ allegatæ.*

D

ACTA

Ex Officio proprio, impresso Neapoli anno 1525.

Sanctæ licet conjugatæ, virtutes et pietas :

LECTIO I. In civitate Neapolitana, quæ quondam ab antiquis Parthenope vocabatur, quædam venerabilis mulier, ex nobili prosapia orta divinitus, Candida nomine, probis actibus nomen suum decoravit. Hæc quippe beata femina, Candida nomine et corpore (divina gratia) candidior fide et sanctis operibus, omnipotenti Deo placitum exhibebat obsequium. Præfata quippe Dei Famula, quamquam conjugi connexa viro; tamen pietatis opera ob hoc non offuscabantur. Insistebat itaque assidua in divinis precibus : frequentans ecclesiarum limina, non pigebat visitare : divina verba audiens, et ea sæpius ruminans, sicut bona terra, suscepta semina multiplicare nitebatur. E Et quia secundum Apostoli dictum, non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur; non immemor Dei præceptorum, ea, quæ didicerat, ad misericordiæ opera convertebat. Quamvis maritum et filium haberet unicum, qui re vera sunt merita *a* cupiditatis et avaritiæ; attamen eleemosynis et ceteris pietatibus insistens, soli Deo placere desiderabat. Audierat enim Dominum in Euangelio dicentem : Qui diligit filium aut filiam plus quam me, non est dignus; et cetera, quæ sequuntur. His et hujusmodi sanctitatis plena præceptis, mundo mortua, Deo vivens, ejus effecta hostia, ei sacrificium contritionis, devotionis et sanctitatis offerre satagebat. Unde David in Psalmo inquit : Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deum non spernit.

mors beata quam obit, ut rogaverat, ante maritum et filium.

2 LECT. II. Nam in conspectu Dei cæli nulla est differentia conditionis, sexus aut ætatis, servitutis aut libertatis, maris sive feminæ, juventutis seu senectutis in exercitatione sui servitii : non igitur erit differentia conditionis in remuneratione. F Unde Dominus in Euangelio : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, et mater est. Et Propheta in Psalmo : Beati, inquit, omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. Et in alio loco idem Propheta ait : Omnis caro ad te veniet, Deus. His itaque præmissis, sermo ad acta præfatæ beatæ Candidæ, Domino cooperante, vertatur. Hæc denique Matrona sanctitatis ornata moribus, ut ostensum est, cum haberet virum et filium unicum, quotidie in suis orationibus, quas lacrymosas preces Deo fundebat, deprecans ut ineffabili pietati animam suam suscipere dignaretur; et utrumque, scilicet virum et filium, superstitem derelinqueret. Cujus vota Deus omnipotens ex alto prospectans, haud petitioni ejus defuit : et ut patefaceret, quanti qualisque sit meriti, primum in hoc ostendere dignatus est : quia, quod ipsa rogavit, consecuta est. Nam marito et filio, sicut exoraverat, viventibus, Deo, cui sedule servierat, reddidit animam. Corpus vero ejus honorifice cum hymnis et laudibus repositum fuit in monumento marmoreo in basilica sancti Andreæ apostoli,

A stoli, quæ sita est infra camdem civitatem Neapolitanam in loco, ubi dicitur, Ad Nidum, quarto Idus Septembris, Indictione quarta, imperante domino Mauritio papa *b* et augusto anno quarto, ecclesiæ ejus *c* anno secundo, apud nos regnante Domino nostro Jesu Christo etc.

Oleum ex sepulcro stillans: paralyticus,

3 Lect. iii. Igitur post multa curricula temporum, quidam liquor de eodem marmoreo sepulchro, in quo corpus ejusdem beatæ Candidæ repositum fuerat, exibat. Quod religiosi Christiani colligentes, loca dolentia vel infirma humanorum corporum in nomine Domini ungebant; sanique fiebant, a quocumque languore detinebantur. Unde quidam nobilis vir, civis ejusdem Neapolis, nomine Philippus, cui cognomen erat Brancatius, maximam patiebatur infirmitatem, quam medici paralysim vocant : membra enim medietatis corporis ejus adeo torpentia seu arida erant, ut nihil operis facere posset. Præfatus quippe vir carnalem medicinam propter nimiæ infirmitatis incommodum penitus despiciens, petere cæleste potius devote quæsivit auxilium. Perrexit itaque fidus ad sepulchrum præfatum venerabilis Feminæ; prostratusque ante illud in oratione, prout melius scivit, prolixis precibus, mœstisque suspiriis et gemitibus eamdem Dominam suppliciter deprecatus est, quatenus per sanctam ejus intercessionem a sua, qua tenebatur, infirmitate liberaretur. Is nimirum divina misericordia ita sanus effectus est, acsi numquam tali valetudine detentus fuisset.

mutus,

4 Lect. ix. Alius quidam homo ita prorsus amiserat eloquentiæ possibilitatem, ut penitus mutus effectus, non pauco temporis spatio inito silentio, ore frenato nihil loqueretur. At ubi venit ad tumulum, in quo corpus beatæ Candidæ reconditum fuerat, ibique juxta illud in oratione prostratus : ore silenti (quia aliter facere nequibat) solo puri contritionis cordis conamine devotus ad Deum prolixas et lacrymosas preces, ut melius corde percipere potuit, suppliciter effudit, quatenus sua misericordia et meritis ejusdem beatæ Dominæ ad pristinum linguæ officium verteretur. Qui nimirum ibidem non multo tempore moratus, atque interveniente beata Candida, a Deo exauditus, ad pristinum oris officium, soluto linguæ vinculo, restitutus est.

et febri quartana laborans sanati:

5 Lect. v. Quodam alio tempore quidam presbyter ejusdem civitatis Neapolitanæ, nomine Eraclius, gravissime quartanæ frigoris febrisque comitantis valetudine detinebatur : qui dum a medicis modum sanitatis vel remedium nullum habere posset, fretus tam de divino quam humano subsidio, et quia sciverat multos recuperavisse sanitatem, fusis Deo precibus et beatæ Candidæ, exemplo eorum se eidem Dominæ commendavit dicens : Venerabilis et Deo dilecta Candida, sicut credo te Domino nostro Jesu Christo, ipso miserante, sanctis actionibus tuis placuisse, atque multos, te auxiliante, a languoribus sanitati restitutos, ita tuam solitam deprecor pietatem, ut tua misericorditer intercessione Dominum ac Redemptorem nostrum Jesum Christum pro me delinquente exorare digneris, ut ab ista, quam graviter sustineo, infirmitate me liberare dignetur. Ab illa quippe hora, divina gratia cooperante, numquam illam infirmitatem passus, pristinæ sanitati restitutus est.

6 Lect. vi. Et quia secretum regis, ut sapiens Salomon *d* ait, celare bonum est, opera vero Dei revelare honorificum est : et licet cuncta, quæ Deus operare dignatus est propter merita famulæ suæ Candidæ, in scriptum redigi nequeant; tamen hoc contegi silentio nolo, quod nuper contigisse reminiscor; dum quidam vir nobis et dives de Italiæ partibus gratia balneorum quæsivit in ipsis Parthenopen civitatem : atque secum gentes armigeras adducens, fortuitu incuria armigerorum equum unum, ligamine rupto, clam fugientem amisit. Igitur per equi amissionem armigeri ceterique ministri non mediocriter contristati, Domini sui timentes minas et verbera, ac propria damna, venientes circumquaque longius quæsierunt, diu quærentes nunquam comperire potuerunt. Et sicut annexum est ipsis, ex longinquis partibus advenientibus, diverso infortunio damnum verentes, tum improborum subjectionem latronum, tum avidorum ora leonum ac luporum, tum ob straneam * regionem damnum posse pati formidabant : quorum unus audiverat opinionem miraculorum, quæ Deus omnipotens meritis et intercessionibus ancillæ suæ Candidæ operatus fuerat. Eam deprecatus est, et ei votum vovit, dicens : Beatissima domina, Deo dilecta Candida, ut audivi et credo nonnullis te misericordiæ munera contulisse; ita et ego, licet indignus, tuam solitam suppliciter exoro clementiam, ut ipse tuus servulus gratiæ tuæ beneficium impetrare valeam, ut priusquam nox incipiens lumina condat, equum Domini illæsum reperiamus. Cujus vota Deus exaudivit : socius ejus quidam clamitans se equum invenisse illæsum voce innotuit. Deinde qui votum voverat, quam citius poterat, ejusdem venerabilis Dei Ancillæ reddere studuit, reminiscens illius Psalmistæ : Vota mea reddam in atriis domus Domini. Hæc et multa alia omnipotens Deus per merita famulæ suæ Candidæ dignatus est operari : atque puro mentis affectu eam digne petentibus largiri usque ad præsentem diem ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen *e*.

equus amissus, voto Sanctæ nuncupato, invenitur.

* extraneam

ANNOTATA.

a *Obscura sunt hæc verba. At suspicor scriptorem Officii, qui minus peritus fuit sermonis Latini, nihil aliud velle, quam maritum et filium frequenter occasionem præbere cupiditati et avaritiæ.*

b *Clarum est, auctorem Officii notas chronologicas satis recte ex epitaphio, dato in Commentario num. 3 desumpsisse. Verum bis hallucinatus est in explicandis litteris ejusdem epitaphii. Primus error est in voce* Papa, *quæ nullo modo congruit Mauritio, quæque haud dubie sumpta est ex litteris* P.P., *quæ explicandæ erant* Patre patriæ.

c *Alter hic error ex epitaphio male intellecto : nam ibidem habetur P. C.* ejusd. an. ii., *id est,* post consulatum ejusdem anno secundo, *quod perperam ad ecclesiam fuit translatum.*

d *Tob.* 12 ℣ 7 *Raphaël archangelus dicit Tobiæ :* Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est : *quod lapsu memoriæ Salomoni attributum.*

e *Reliquæ tres lectiones ad gesta Sanctæ non spectant; nec in oratione aut antiphonis aliquid occurrit notatu dignum. Ceterum existimo hasce lectiones compositas esse ex veteri aliquo Ms., quia Paulus Regius, enumerans in fine Vitæ* S. Candidæ *monumenta, quæ secutus est, inter ea cum hoc Officio recenset antiquum codicem Ms.*

DE

A D

DE SANCTA GRATA

VIRGINE, UT FERTUR

BERGOMI IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Sanctæ cultus: quænam de ea a recentioribus scripta; Acta.

Forte sec. IX. Acta S. Gratæ prorsus intricata:

Ut acta S. Gratæ, *gravissimis implexa difficultatibus, lucis aliquid accipiant: primo investigandum videtur, quid de ea habeant antiquiores martyrologi, nam Acta valde antiqua non habemus. Deinde exponendum quid scripserint recentiores, ut his inter se collatis, subsidioque historiæ ejus, quo vixit, temporis conjuncto, statuere utcumque possimus, quantum fidei tribuendum sit Vitæ ejus, seculo demum* XIII *scriptæ, iisque, qui eam secuti sunt, posterioribus scriptoribus. Quapropter antiquum sanctæ cultum demonstrare aggredior, martyrologorum deinde dictis per decursum usurus, duasque forsan* Gratas *reperturus, quarum gesta confusa tantas in* Gratæ *Actis pepererint tenebras.* B

in Fastis aliis Virgo, aliis Vidua nominata:

2 *Memoriam* S. Gratæ *nullam invenio in Martyrologiis classicis, sive in Hieronymianis, Romano antiquo, Martyrologiis Adonis, Usuardi, Bedæ, Flori, Rabani, Notkeri. Invenio illam primo in additionibus ad Usuardum variis. Belinus ad* I *Maii ita Sanctam annuntiat:* Bergomi Galliæ Cisalpinæ S. Gratæ virginis. *Grevenus alio Sanctam die, alio elogio celebrat, nempe* XXVI *Augusti his verbis:* Gratæ matronæ sanctæ, quæ beatum Alexandrum sepelivit. *Molanus in additionibus ad Usuardum* I *Maii:* Bergomi Galliæ Cisalpinæ Gratæ virginis. *Galesinius ejusdem Sanctæ, titulo virginis, translationem* I *Maii sic memorat.* Bergomi in Gallia Cisalpina translatio S. Gratæ virginis. *Virginem etiam vocavit in Romano Baronius:* Bergomi sanctæ Gratæ virginis. *Viduam vero nominat hodiernum Martyrologium Romanum ad diem* I *Maii:* Bergomi sanctæ Gratæ viduæ. *Ut viduam item eam celebrat Ferrarius ad* I *Maii, et* XXV *Augusti. Recentiores alios martyrologos prætermitto, qui partim Virginem, Viduam partim nominant.* C

culta item alias ut Virgo, alias ut Vidua.

3 S. Gratam *coluere Bergomates usque ad annum* 1706 *Officio viduis congruo, non virginibus. In eo tres erant lectiones ex Vita desumptæ, idque* XXV *Augusti. Verum anno* 1706 *a sacra Rituum Congregatione dies quarta Septembris ejus festivitati fuit assignata, Officiumque virginibus proprium, in quo nullæ tamen lectiones dicuntur ex Vita depromptæ, sed omnes ex communi virginum Officio præscribuntur. In Kalendario antiquiori sanctos Bergomi præcipue cultos continente, nobisque cum aliis monumentis transmisso,* S. Grata *memoratur* I *Maii post SS. Apostolos Philippum et Jacobum, ac Sigismundum regem, ac deinde* XXVII *Augusti cum S. Narno episcopo, nec additur Virgone fuerit, an Vidua. Cultum habuisse* S. Gratam *a seculo saltem* XI, *patet ex translato anno* 1027 *venerando ejus corpore ab Ambrosio Martinengo Bergomatium episcopo, ut latius suo loco enarrabitur. Hinc cultum Sanctæ abunde stabilitum habemus, non vero sublatas difficultates, circa Vitam occurrentes. Hodierni aut nuperi Bergomenses scriptores subtili magis quam verisimili responso conciliare inter se conantur martyrologos, aliosque scriptores, quorum quidam Virginem appellant, alii Viduam; et Virginem simul ac Viduam fuisse contendunt. Verum ut melius elucescat, quantum singula probabilitatis habeant; horum de* S. Grata *ejusque familia sententia lectori breviter exponenda.* E

Chronologia quinque, quos volunt duces Bergomates, quomodo a recentioribus ordinata:

4 *Probus imperator anno* 280, *ut vult Guerrinus in Synopsi rerum Bergomensium, anno* 1734 *recusa pag.* 2, *Crotacium ob res præclare gestas Bergomi, totiusque ditionis Venetæ ducem constituit. Crotacio defuncto successit anno* 285 *Lupus filius tunc paganus, post Catholicus et sanctus, habenasque urbis moderatus est annis* 15, *ait Joannes Antonius Guarnerius in Vita S. Lupi. Idem in Vita S. Adleydæ, Lupo ad meliorem vitam profecto Adleydam anno* 300 *suffectam a Bergomatibus scribit; Adleydam post annum unum, et dies* 18, *nimirum anno* 301, XXVIII *Junii temporale dominium cum regno æterno commutasse. Huic vel reluctantem substituunt Bergomates* Gratam *filiam, quæ* tandem, *inquit in ejus Vita Guarnerius,* multis exhaustis laboribus, gravi morbo oppressa, anno a Christo nato CCCV, ætatis suæ LX, IV vero, quam ei reipublicæ Bergomatis procuratio mandata fuerat, VI Cal. Sept. in Beatorum cœtum advolavit. *Post* Gratam *reipublicæ gubernaculo admoverunt ejus amicam et sociam S. Hesteriam, seu Asteriam martyrem, quæ post duos fere regiminis annos,* abscisso capite uberrimum tulit martyrii et virginitatis præmium IV Idus Aug. anno CCCVII, *uti idem habet in ejus Vita Guarnerius. Ita ille Sanctorum ducum chronologiam ordinat, omniaque iis scribit adjunctis vestita, ut auctor coævus et oculatus id facere non possit exactius. Nunc similiter explicandum, quid a quolibet horum ducum, ad fidem Catholicam promovendam, gestum velint.* F

gesta SS. Lupi, et Adleydæ ex eorumdem mente:

5 *Lupum post mortem S. Alexandri martyris, quam in ejus Vita statuit contigisse anno* 290, *conversum ope filiæ* S. Gratæ *narrat Guarnerius. Post conversionem hæc inter alia ab eo gesta memorat:* Templa plurima in urbe a Bergomatibus falsis diis consecrata erant, eaque deorum

AUCTORE J. S.

rum simulacris exornata. Non solum simulacra eversa sunt, sed etiam templa diruta: quodque perceptæ veritatis ingens fuit argumentum, simulacra abscissa, et detruncata inter prostratos jacentia postes templorum, sine ullo eorum deorum metu visebantur. Novum vero templum, ubi Christiano ritu sacrificaretur, in summo colle excitatum est, Salvatorique Christo dicatum, et prædiis nonnullis donatum. Ibi Lupus ejusque domestici ac necessarii baptismo initiati sunt. *Hæc sui temporis Josias, et quidem impune sub Maximiani imperio, si fidem habemus Guarnerio. Audiamus quid Adleyda, eodem auctore, in commodum religionis Catholicæ præstiterit.* Templum, *inquit in Vita Adleydæ*, in summo colle extruxit, idque S. Mariæ dicavit... Aliud in foro veteri condidit, et S. Michaëli consecravit, id a propinquo arcu S. Michaëlis arcus nomine appellavere. Prædia item ei attribuit, quorum fructibus sacerdotes, qui templo præessent, alerentur. *Et hæc sub Maximiano. Res* S. Gratæ *attributæ paulo altius repetendæ, latiusque explicandæ.*

B

S. Gratæ annus natalis, nuptiæ, obitus mariti,

6 *Natam circa annum* 245 *necesse est* S. Gratam *parentibus Lupo et Adleyda, si sexagenaria obierit* 305, *ut retulit supra num.* 4 *Guarnerius.* Grata, *ait in Vita Lupi idem auctor,* cum jam adulta esset, et nubilis; cum forma excellens, tum spectatus pudor, qui mirabiles sui amores in mentibus sanorum hominum excitare solet, effecit, ut eam plurimi adolescentes, genere et copiis insignes sibi uxorem expeterent. Neque tantæ dignitatis ac venustatis fama se Italiæ terminis continuit, sed in Germaniam quoque perlata est. Quamobrem juvenis quidam Germanus regiæ nobilitatis *(alii regis filium dicunt, indeque* Gratam *deinde reginam nominatam)*. . missis Bergomum legatis, ut ea sibi desponderetur, postulavit. *Mox deliberatur et annuit, patre id cupiente, Virgo: nuptiæ celebrantur, magno comitatu in Germaniam ad sponsum mittitur.* Grata *nuptiis etiam in Germania celebratis,* pudico ingenio, *ait auctor,* pia humilitate, et cultus habitusque moderatione, non solum a marito amorem sibi et gratiam conciliavit, barbariemque ex moribus et disciplina delevit, sed

C

intra paucos menses eum ad normam Euangelicæ pietatis erudivit. Sed cum is immaturo interitu esset extinctus; etsi Gratæ erat carissimus et jucundissimus, tamen ea nefas esse duxit, ejus mortem lacrymis et lamentis muliebriter prosequi, cujus animam in sedes piorum concessisse sibi persuadebat.

reditus in patriam, aliæque res gestæ, quomodo ab iisdem expositæ.

7 *Refert deinde Sanctam, deposito regio ornatu, in patriam reductam, vitam fere duxisse solitariam cum S. Hesteria: quo tempore S. Alexandrum martyrem eadem socia sepelivit, parentesque ad Christum convertit, si auctori credimus. Regimini urbis admota,* Tria, *ait Guarnerius*, templa magnifica ædificavit, sanctoque Alexandro dicavit... Omnium illud maximum ejus operum fuit, quod valetudinarium ad pauperes ægrotantes alendos curandosque, ubi nunc vicus Canalis est situs, construxit. Ibi non solum ingravescentem jam ætatem sancte et religiose transegit, sed morbo laborantibus medicamenta propriis manibus adhibuit. *Hæc ille non solus de* S. Grata; *sed recentiores Bergomensium rerum scriptores passim, secuti in multis Fratrem Pinamontem Peregrinum de Brembate Dominicanum, qui seculo* XIII *Vitam* S. Gratæ *litteris mandavit. Cujus auctoritate cum illi fere nitantur, sedulo expendendum est, quantam ille fidem ex ætate, et modo scribendi mereatur: sed advertat lector non omnia ex Pinamonte deprompta: multa enim præter mentem ejus ab auctoribus nuperis addita in decursu patebit.*

D

Ætas Pinamontis primi auctoris Vitæ S. Gratæ:

8 *Jacobus Echardus in Bibliotheca scriptorum Ordinis Prædicatorum tom.* I *pag.* 246 *de hoc auctore, inter alia, hæc tradit.* F. Pinamons Peregrinus Brembati, Italus Bergomas, nobili genere natus, jam ætate maturus, doctrina insigniter excultus, juris præsertim utriusque peritia, magnæque apud cives suos auctoritatis et famæ, *Ordinem Prædicatorum ingressus est. Ibidemque Prior conventus Bergomensis anno* 1266, *ut pluribus verbis ait,* obiit cum fama sanctitatis. *Vixit itaque Pinamons plusquam* 900 *annis post* S. Gratam, *cujus Vitam conscripsit, si omnia, quæ refert vera sunt, unique* Gratæ *attribuenda. Quapropter ætas exiguam ipsi auctoritatem dare potest, nisi habuerit ea monumenta, quibus huic incommodo mederetur. Considerandum itaque quibus in scribenda Vitæ historia monumentis usus, quibus subsidiis fuerit adjutus: id ipse nos abunde docebit Pinamons.*

E

monumenta, quibus ad hanc scribendam

9 *In prologo ad Vitam ita scribit auctor.* Antiquorum solertia pervigili studio multa memorabilia posteris in scriptis reliquit, quæ modernorum inertia, vanitatibus seculi dedita, ex incuria amisit. Hinc est quod multorum venerabilium Sanctorum gesta aut semiplena, aut ex sola fama, seu etiam conjecturis, vix possint haberi; et quorum nomina scripta sunt in cælis, eorum Acta aut perdita, aut combusta, seu igne cremata, aut non scripta sint in terris, et memoria rarior habetur. Beatissimæ igitur Gratæ gloriam ad memoriam revocemus, et qualiter cælestia meruerit, secundum quod per antiqua scripta, et verissima dicta, per idoneos testes ad nos sanctita *(forte* sancita*)* transmisit auctoritas. *Cum ait,* Beatissimæ igitur Gratæ gloriam ad memoriam revocemus, *innuit eam ex eorum fuisse Sanctorum numero,* quorum nomina scripta sunt in cælis, *sed* Acta aut perdita, aut combusta. . aut non scripta in terris, *quorum* rarior memoria habetur. *Auctor igitur antiqua* S. Gratæ *Acta non habuit. Verum id clarius colligemus ex sequentibus.*

F

usu est Pinamons,

10 *Cap.* 28 *Vitæ, unde sua hauserit, sic docet:* Accipite hoc Opus, dilectissimi, et vos maxime, ancillæ Christi, cum magna diligentia vigilatum. In quo multa, quæ in diversis erant locis, aut in libris et quaternis scripta, quos etiam de circumstantibus civitatibus, et terris aportari feci: aut in cartis et privilegiis annotata, aut in muris et parietibus, seu etiam in quibusdam versibus exarata, aut in quibusdam scriptis de litera Beneventana, quæ a paucis legi poterant, precibus et documentis venerabilis abbatissæ nomine Gratiæ, in unum ad honorem et gloriam Domini nostri Jesu Christi æterni Dei, et gloriosæ Matris ejus Virginis Mariæ, ac sanctæ suæ Gratæ, fideliter et devote compilata sunt. *Quædam etiam scripsisse eatenus incognita, quædam ex fama populari, seu ex auditu adjunxisse, insinuat cap.* 29 *his verbis:* Obsecro autem in nomine Jesu Christi legentes et intelligentes hoc Opusculum, ut si forte aliqua invenerint, quæ alibi non reperiant, non æstiment me adinvenisse, sed in diversis locis, sicut supra memini, lecta, et a fide dignis audita, me noverint scripsisse.

11 *Habes, lector, quibus in Vita* S. Gratæ *conscriptione*

AUCTORE J. S.

A *conscribenda usus sit monumentis vir pius magis, quam criticus. Uti autem hujusmodi monumenta ad historiam augendam, aut facta quædam probanda valent plurimum, siquis iis utatur acri ad singula discernenda judicio præditus, perfectaque historiæ, chronologiæ præsertim ac geographiæ, scientia imbutus: ita innumeros ex similibus monumentis errores scaturire necesse est, siquis sine delectu, sine judicio, nec prævia chronologiæ aut historiæ luce, singula quæque compilet, atque in chartam conjiciat, modo conducere videantur ad memoriam illius, de quo agit, illustrandam. Etenim si viros omnibus ad crisim recte ferendam subsidiis instructissimos, dum ex hujusmodi monumentis conjecturas proponunt suas, sæpe cespitantes offendimus; sæpissime impingat necesse est, qui minoribus munitus subsidiis ex incertis his monumentis conjecturas format, neque eas ut conjecturas proponit, sed ut compertas narrat historias: quod magis etiam fiet, si amor patriæ accedat, viritatis historicæ inimicus. Jam vero Pinamontem in historia, in chronologia, in geographia non admodum versatum fuisse, lapsus* B *ejus, ad Vitam notandi, satis demonstrant. Mirari itaque non debemus, si multa confuderit, si disjuncta conjunxerit, si denique ante ipsum inaudita cunctisque incognita narraverit, fide quidem, ut existimare licet, bona usus, sed majori credulitate, quam crisi instructus, ut patebit § seq., cum quæ ipse de parentibus Sanctæ scripsit, quæque addidere recentiores, incredibilia esse ostendemus, si eo, quo volunt, hi tempore vixerint.*

nata sunt in errorem inducere non admodum historiæ peritos.

Acta unde accepta:

12 *Acta* S. Gratæ, *a Pinamonte memorato scripta, accepimus Bergomo per laudatum sæpe in Opere nostro Martinum Antonium Guerrinum S. theologiæ ac juris utriusque doctorem, atque ecclesiæ Bergomensis canonicum, qui ea testimoniis maxime authenticis, atque ipsius etiam episcopi subscriptione et sigillo muniendas curavit, ut certi esse possimus, apographum concordare cum codice Ms. Habentur autem Bergomi* in magno codice in membranis in folio, bracteis cupri undique vallato caracteris Gotici, continente Acta passionis S. Alexandri, Gratæ, Hesteriæ, et aliorum, juris archivii antiqui monasterii S. Gratæ in Columellis civitatis Bergomi, monialium Ordinis S. Benedicti, qui apparet col- C lectus ex ultima pagina circa annum 1240... Habentur a prima pagina usque ad 16. *Ita, qui ea descripsit, notarius. Dividuntur in capita 29: nos ea in pauciora dividemus, quæque in iis continentur minus credibilia, in notis observabimus, nisi ea in Commentario jam fuerint discussa.*

Lectiones Mss. non edendæ.

13 *Præter dicta jam Acta habent Bergomates Lectionarium Ms., in quo Officia duo de* S. Grata, *in novem lectiones divisa, alterum Vitæ compendium, alterum corporis translationem enarrans. Scriptum fuit hoc Lectionarium seculo* XV; *verum ex antiquiori, ut asserunt. Boschius in Actis S. Hesteriæ tom. 2 Augusti pag. 541 inquirit, quo tempore hæ lectiones primum videantur conscriptæ; ac probat lectiones de S. Hesteria, eidem insertas, scribi non potuisse ante annum 1290, quo corpus S. Hesteriæ translatum; cum illa antea cultum non habuerit. Jam vero dubium esse vix potest, quin lectiones de* S. Grata *eodem tempore sint compositæ, cum omnes lectiones eodem plane stylo et modo sint compilatæ, eademque contineant, quæ in Bergomatium historia confusionem pariunt. Aliunde etiam patet, post Vitam a Pinamonte scriptam has lectiones formatas esse; multa enim continent, quæ ipsi fuere ignota, nec ignota esse potuissent, si ipso Vitam conscribente jam extitissent. In his lectionibus omnia fere habentur, quæ recentiores Benalius, Guarnerius, Cœlestinus, et alii fusius narraverunt. Cum autem Vita atque translatio a Pinamonte sit conscripta, has lectiones edendas non putavi. Ubi eas citabo, id faciam sub nomine* Lectionum Mss.

§ II. An quinque duces Bergomenses, a recentioribus asserti, sint admittendi sub finem seculi III et initium IV.

Henschenius tom. 2 Junii pag. 239 et seq., tractatis breviter, quæ ad SS. Lupum et Adleydam spectantia tunc reperire potuit, rationes quasdam recensuit, cur Sancti hi ad persecutionem Diocletiani et Maximiani pertinere non possint, suspenso tamen de re tota judicio. Excitavit Bergomates viri gravissimi judicium, dubie quidem propositum, iis tamen rationibus fultum, ut ambiguum non esset, quam in partem inclinaret. Excussa igitur sunt Bergomi scrinia omnia, monumenta omni diligenter conquisita, nobisque pari humanitate ac diligentia transmissa. Allaboravit præ ceteris vir humanissimus, supraque laudatus Guerrinus, transmissa nobis dissertatione prolixa, qua ostendere nititur, duces Bergomi fuisse sub finem seculi III *et initium* IV, *Crotacium, Lupum, Adleydam,* Gratam, *Hesteriam, ut traditio habet Bergomensis. Addidit Dissertationi humanissimas litteras, quibus petebat, ut quamprimum res ulterius examinaretur, ac prima occasione captata, Henschenii dubium deponeretur. Facere id modeste renuerunt Majores mei loco non suo, præsertim quod, expensis rationibus omnibus, sententia, in quam inclinabat Henschenius, non retractanda videretur, sed confirmanda: ad hunc itaque locum traditio illa de ducibus Bergomensibus fuit remissa. Qua de causa sedulo expendam rationes omnes, quibus illa traditio nititur, iisque perpensis, rationes allegabo, cur non videatur admittenda.* E F

Henschenius non ausus est admittere duces Bergomi seculo III *et* IV.

15 *Ad probandam traditionem urbis suæ profert Guerrinus auctoritatem scriptorum quorumdam recentiorum, quos omnes breviter commemorabo, cum eadem ad illos sit responsio. Bartholomæus Peregrinus in Vinea Bergomensi, Franciscus Bellafinus in Historia originis et temporum urbis Bergomi, Joannes Chrysostomus Zanchus in Opere de Origine Orobiorum et Cenomanorum hos duces memorant; at scriptores hi sunt seculi* XVI. *Jacobus Philippus Forestus Bergomas, qui floruit sub finem seculi* XV *in Opere de Claris mulieribus cap.* CXI *hæc de* S. Grata *asserit:* Grata matrona, et pudicissima virgo, genere et dignitate insignis, sed admirandis virtutibus et sanctitate insignior, eo anno, quo divus Constantinus Magnus totius imperii monarchiam est assecutus, post devictum hujus seculi cursum, meritis gloriosa et optima senectute apud Bergomum Cisalpinæ Galliæ civitatem suam, vitæ

Pro asserendis his ducibus profertur auctoritas scriptorum seculi XV *et* XVI,

AUCTORE J. S.

vitæ finem sortita est. Hæc itaque ex Bergomo urbe originem ducens, Lupum ditissimum ipsius urbis ducem habuit parentem, cui cum filia hæres esset, eidem opulentissimum extitit patrimonium. Quæ cum ab ipsa sua adolescentia inter cæteras suæ regionis fæminas evasisset speciosissima, asserunt cuidam magno Germanorum principi fuisse desponsatam; sed nuptiæ numquam celebratæ. *Hæc partim favent hodiernæ traditioni Bergomensi, partim adversantur. Nam non nisi unum Bergomi ducem memorat Lupum, de ducatu* Gratæ *tacet. At nihil attinet hæc studiosius investigare; neque enim ea est ætas Bergomatis, ut ipsius auctoritas magnum pondus traditioni adjicere possit: recurrendum igitur est ad fontes, unde sua hausere recentiores illi.*

et Pinamontis biographi: lectiones Mss., et inscriptio antiqua, ut volunt:

16 *Fons autem totius hujus traditionis videtur historia Vitæ* S. Gratæ *per Fratrem Pinamontem scripta, de una* § I *fusius egimus. At quam parum ad fidem faciendam congrue scripta sit hæc historia, jam ostendimus, et ulterius in notandis ad illam ostendemus. Addunt tamen ad auctoritatem horum scriptorum quædam alia. Primo lectiones Mss., de quibus num.* 13, *quæ monumenta vocant antiqua. At has esse Piramonte posteriores, ibidem jam probavimus. Deinde inscriptionem, ut aiunt, antiquam a Cœlestino in Historia Bergomensi part.* I *lib.* 2 *cap.* 16 *his verbis relatam:* Quia ob præclara tum prudentiæ tum fortitudinis gesta Crotacius a Probo imperatore primus Bergomi dux declarari meruit, qui Lupum genuit, sub cujus imperio Catholicæ fidei prius a divo Barnaba jacta semina in universo populo floruerunt, civitas hæc perpetuæ illi venerandæ memoriæ monumenta dicavit. *Hanc epigraphen narrat fuisse sub imagine sedentis cæsaris, imponentisque coronam capiti equitis cujusdem genua flectentis, qualem modo coronam gestant duces Veneti. Non dicit Cœlestinus, quam antiqua sit hæc inscriptio. At vero non esse admodum antiquam ex variis manifestum est.*

sed hæc nupera admodum probatur.

17 *Primo in eadem aula fuit alia inscriptio, quam duobus abhinc seculis positam testatur Guerrinus in dicta Dissertatione Ms. ad nos missa, quamque post primam recitat Cœlestinus, his verbis conceptam:* Anno virginei partus CCLXXX propriis ducibus regi cœpit, Crotacio primum, quo imperante totius provinciæ Venetæ caput fuit: divis deinde Lupo, Adleida, Grata, Hesteria. *Verisimile itaque est, priorem eodem cum hac tempore positam. Secundo antiqui Christiani sanctos suos non nominabant* Divos, *prout hic vocatur sanctus Barnabas: mos ille gentilium erat, qui* divos *vocabant, quos in deorum numerum referebant. Tertio inepta prorsus est inscriptio tota sine ulla epocha temporis, quo res prætenditur facta, quove ipsa posita inscriptio: deinde monumentum inepte Crotacio pagano dicitur erectum, quia sub Lupo floruit religio. Quarto nulla hujus inscriptionis mentio apud Pinamontem, qui alias recitat minus ad rem facientes: unde colligas ipso saltem esse posteriorem. Denique mendacem esse atque fictitiam inscriptionem istam, omnibus argumentis probabimus, quibus ostendemus hos duces Bergomi non fuisse.*

aliæ inscriptiones, quarum nulla antiqua: Moyses, quem citant, pertinet ad seculum XII.

18 *Afferunt et alias hujusmodi inscriptiones Bergomates, sed uno verbo dixisse sufficiat, nullam ex iis esse antiquam. Moysen etiam poetam in auxilium advocant, citatum jam a Pinamonte in Vita cap.* 7 *apud nos* 2, *eumque scripsisse volunt anno salutis* 707. *At Muratorius, qui in scriptoribus rerum Italicarum carmen Moysis prelo reddidit tom.* 5 *a pag.* 529, *in prævia ad illud monitione erudite ostendit, Moysen scripsisse carmen suum seculo* XII, *non* VIII: *atque sub finem præfationis ita monet.* Quod superest, originem Bergomensis urbis Moyses multis fabellis infarsit, scilicet pro suorum temporum genio. *Quapropter exigui momenti esse potest Moysis hujus calculus, sive illius ætatem spectes, sive scribendi methodum. Guerrinus quidem in recusa rerum Bergomensium Synopsi pag.* 23 *et sequentibus, Muratorii argumentis quibusdam respondere conatus est, sed non omnia attigit, neque tam solide, quæ tetigit, solvit, ut sententia Muratorii non videatur præponenda. De Moyse tamen paulo post agemus pluribus, de inscriptionibus etiam quandoque recurret sermo. Hæc sunt, quæ in favorem traditionis Bergomatium de antiquis ducibus suis reperio: nunc expendenda, quæ hanc opinionem plane evertunt, argumenta nec pauca nec levia.*

Ducatus Crotacii fictitius probatur omnium antiquorum silentio.

19 *Primus Bergomensium ducum memoratur Crotacius, a Probo imperatore, ut volunt, constitutus. Res gestas Probi scripserunt auctores varii, præ ceteris accurate Favius Vopiscus, atque ex eo aliisque Tillemontius tom.* 3 *de Imperatoribus a pag.* 420. *Unde ergo factum dicemus, ut rem tantam memoriæ posterorum non commendarint? An ignoravit Vopiscus Crotacium ducem Bergomi statutum? At hoc prorsus est incredibile, cum ad quatuor successores ille Crotacii principatus fuerit propagatus, si fides habenda Bergomatibus. An dignum non putavit hoc factum, quod historiæ suæ insereret? At res longe minores inseruit. Sub finem vero historiæ monet sequentia:* Hæc sunt, quæ de Probo cognovimus, vel quæ digna memoratu existimavimus. *Itaque, cum ducatus Crotacii celebrior fuisset, quam ut memoratu esset indignus; latiorque, utpote totam provinciam Venetam complexus, et in posteris saltem diuturnior, quam ut latere Vopiscum potuisset; non alia de causa ab illo auctore non memorari videtur dux Crotacius, quam quia a Probo numquam fuit institutus. Argumentum hoc negativum vim maximam habere debet, quia idem ille Crotacius usque ad seculum duodecimum omnibus omnino auctoribus fuit incognitus.*

et quia ducum in Italia institutio longe posterior;

20 *Aliud contra traditionem Bergomensem argumentum petitur ab initio ducum in Italia; quod jam objecit Henschenius laudatus in Actis SS. Lupi et Adleydæ, ubi num.* 6 *ita habet:* Repugnat tali credulitati ipsa traditio popularis, quæ duces Bergomatium facit, quales ante Longobardorum in Italia regnum nulli fuerunt. *Non omnes, si verba tantum spectes, huic Henschenii dicto assentiuntur. At si de re agatur, non dissentient, aut certe dissentire non debent. Antonius Caracciolus in Monumentis ecclesiæ Neapolitanæ cap.* 30 *sect.* I *probat ducum in Italia institutionem Constantino Magno esse posteriorem, et ad Justiniani tempora revocandam, quod satis est ad intentum nostrum. Scipio Maffeius in Historia Veronæ lib.* 10 *late agit de prima ducum institutione in Italia, contenditque illam non Longobardis, sed Græcis tribuendam, ante Longobardorum in Italiam adventum. Satis id quoque ad propositum nostrum: lubet tamen paucis examinare, an Longobardi, ut vult Maffeius, non aliam induxerint mutationem, quam quod urbibus occupatis, pro Græcis ducibus, suos imposuerint.*

21 *Paulus Diaconus lib.* 2 *de Gestis Longobardorum*

quorum, si proprie loquamur, ad Longobardos referendum initium :

A *bardorum cap.* 32, *post relatam cap.* 31 Cleph *Longobardorum regis cædem, ita scribit.* Post cujus mortem Langobardi per annos decem regem non habentes sub ducibus fuerunt. Unusquisque enim ducum suam civitatem obtinebat: Zaban Ticinum, Uvaillari Bergomum, Alachis Brixiam, Evin Tridentum, Gisulphus Forum-Julii. Sed et alii extra hos in suis urbibus triginta duces fuerunt. *Ita ille tom.* I *Scriptorum Italiæ pag.* 436. *Duces quidem illi electo rursum Longobardorum regi deinde fuere subjecti, ut vasalli supremo domino, in regimine tamen urbium suarum permanserunt, illudque ad posteros etiam propagarunt. Tales non fuere Græcorum duces; nam duces Longobardorum urbes suas regebant, ut earum domini; Græcorum vero duces, ut imperatoris aut exarchi administri. Hoc itaque loco, id est, post mortem Clephonis, secundi Longobardorum in Italia regis, ducum initium statuendum videtur, si duces quærimus urbium suarum dominos, et non solo nomine a gubernatoribus distinctos. Hæc breviter pro illorum sententia,* B *qui duces Italos a Longobardis dixerunt habuisse initium, a quibus verbis magis quam reipsa dissidet laudatus Maffeius. Nunc ad rem nostram propius revertamur.*

ex quo evincitur fabulosas esse Bergomatium inscriptiones.

22 *Duces, quos nobis a seculo* III *et* IV *obtrudunt Bergomates, eo describuntur modo, ut fuerint ditionis suæ domini, supremo tamen imperatoris dominio subjecti, quales sunt vasalli seu feudatarii, uti hodie loquimur. Etenim dum corona ducali ab imperatore Probo redimitum pingunt Crotacium, dum in alia epigraphe dicunt,* Propriis ducibus regi cœpit Crotacio primum... deinde Lupo, Adleida, Grata, Hesteria; *dum Adleidam*, Gratam, *Hesteriam, a populo regimini urbis admotas, dum Lupum patri successisse scribunt: vel hæc omnia commentitia esse necesse est, vel duces memoratos Bergomo præfuisse, non ut imperatoris præfectos, sed nomine suo, quemadmodum duces Longobardi præesse urbibus suis perrexerunt, etiam post reges restitutos. At jam probavimus, tales duces ante Longobardorum regnum in Italia non fuisse sub Romanorum imperio. Itaque fabulosas esse has inscriptiones, has populi electiones, has* C *hæreditarias successiones, dicamus necesse est; et hanc ducum Bergomensium seriem esse prorsus incredibilem.*

Evertitur opinio Bergomatium aliis rationibus,

23 *In Actis S. Alexandri, quæ dedi* XXVI *Augusti, num.* 9 *dicitur*, quædam matrona.., meritis castissima, et nomine Grata, *(in Officio antiquo de S. Alexandro* Vidua *vocatur) corpus sancti Alexandri sepeliisse in prædiolo suo. Hanc ipsam volunt Bergomi postea ducem, Lupi et Adleydæ ducum filiam. At quis credat tantam* Gratæ *dignitatem ab auctore fuisse silentio involutam? Quis existimet nullam Lupi et Adleydæ mentionem factura fuisse auctorem, si Bergomensem tunc administrassent rempublicam? Hesteriam in sepeliendo sacro corpore sociam* Gratæ *fuisse contendunt. Altum rursus de Hesteria in Actis Alexandri silentium. Templum unum a Lupo, duo ab Adleyda, tria a* Grata, *ædificata scribunt. Quis in animum inducat credere, id factum esse, ut advertit Henschenius,* initio seculi IV, persecutione contra Christianos tunc vel maxime sæviente, ut notissimum est, Diocletiano et Maximiano tyrannis extremos adhibentibus conatus ad exterminium nominis Christiani, tum in omnibus aliis provinciis, tum maxime per Italiam. *An ignorare Maximianus ejusque præfecti potuere tot Bergomi templa structa? An id permittere tyrannus sui dissimilis potuit? Res sane miraculo similis videri debuisset, regnasse Bergomi quatuor Christianos principes, templa struxisse plurima, cives fere omnes ad fidem convertisse, dum sæviret per Italiam Maximiani gladius, ac Bergomi etiam quosdam cælo transmitteret. Attamen rem tantam, tamque stupendam vel ignorarunt illius temporis scriptores, aliique eodem seculo secuti, vel indignam putarunt, quam memoriæ proderent; quod non minus stupendum. Imo, qui Acta S. Alexandri postmodum scripsere, nullam templi Alexandro ædificati mentionem faciunt, ubi id locus exigebat :* In quo loco, *inquit Actorum auctor num.* 9 *locum sepulcri designans*, semper Dominus meritis beati Martyris exoratus ostendit prodigia, et vota supplicum complet. *Cur templum non memorat, si templum ibidem a* Grata *jam erat conditum?*

multis brevitatis studio omissis.

24 *Objicit præterea Henschenius nomen Adleydæ Longobardicum, sive Teutonicum, et matrimonium* Gratæ *assertum cum principe Germanico in Germania. Neque enim pro seculo* III *aut* IV *hæc sunt verisimilia.* E *Minus etiam verisimile est, quod hodie adjungunt aliqui, cum marito in virginitate vixisse, ut acute scilicet ostendant, quomodo et vidua fuerit et virgo. Petita nempe fuit in matrimonium* Grata *a sponso, formæ ejus pulchritudine capto; ubi vero eam accipit uxorem, ab ea prorsus abstinet homo ethnicus. Prodigium id est, si vera narrant Bergomates : at hujusmodi prodigia sine idoneis testibus fidem non inveniunt. Plura adferri possunt argumenta, quibus supersedeo, cum hæc sufficere existimem. Lapsus item chronologicos non exagito, ne sim longior. Carmina tamen Moysis Bergomatis, in quantum ad rem faciunt, excutienda, ut pateat, quam undique labascat præcipuum Bergomatium argumentum.*

Moysen poëtam perperam explicari a Bergomatibus

25 *Ponam verba Moysis, prout citantur a Pinamonte in Vita cap.* 2.

Hinc ubi procedes paulum titanis ad ortum,
Respice Crotacii felicem divitis ortum *(hortum :)*
Quem regina potens ambivit marmore Grata,
Pergameæ sedis regeret cum sceptra beata.

Regina vocatur Grata, *inquiunt, quia regi Germano fuit nupta.* F *At, si poetæ credimus,* regina *vocatur, quia regina Bergomensem rempublicam administrabat, id enim significant hæc verba :* Pergameæ sedis regeret cum sceptra, *nec* regina *modo, sed* potens regina. *Et sane divitiis potentem fuisse oportet, si quadriennio regni sui tria templa cum xenodochio ædificavit, amplisque reditibus ditavit; si hortum Crotacii marmore cinxit. Sed magnopere mirandum, cur hunc hortum, in quo idololatria vigebat, ubi Crotacius, si Cælestino memorato lib.* 2 *cap.* 18, *et Guerrino in Synopsi pag.* 3 *credendum, gentilium superstitione in divos relatus, adorabatur, tantopere adamasset regina Christiana. ut regia magnificentia marmore cingeret. Sed redeamus ad Moysis carmina.*

Illic omne viret genus omni tempore florum,
Ex quibus ægrotes sanans vis exit odorum.

Hi flores, si prodigiosam sanandi vim habuerint, attribuendi videntur S. Alexandro ibidem occiso : sed merito miramur, nullam in Actis hujus sancti martyris de his mentionem fieri. Ex hoc tamen loco profluxisse videntur, quæ de Lupo per flores ad fidem converso tradit in Vita Lupi

AUCTORE J. S.

Lupi Guarnerius, quamvis multum sint diversa. Divino, *inquit*, consilio factum est, ut qui corpus S. Alexandri efferebant, defessi in itinere, deposito feretro, tantisper morarentur, dum se ex labore reficerent. Quo in loco feretrum positum est, ibi terra cruore perfusa purpureos flores, ex quibus suavissimus odor efflabatur, edidit. Hac oblata occasione miraculi, Grata decerptorum florum fasciculum ad patrem attulit, et cum rem omnem ordine narrasset, ad patris nares flores admovit: *verbisque ad rem congruis usa, patrem ad fidem convertit. Suspicor, inquam, ex floribus Moysis hanc deductam consequentiam; neque enim aliud hujus conversionis invenio vestigium. Eadem per flores conversio Lupi narratur in lectionibus Mss. S. Lupi, sed flores accepti dicuntur ex loco, ubi S. Alexander occisus, quod propius saltem ad Moysen accedit. At lectiones illæ non tam antiquæ sunt ut fidem iis tuto habere possimus.*

ostenditur: cujus obscura verba ad rem faciunt

26 *Pergamus cum Moyse.*

Crotacus hujus avus reginæ dicitur illam
Constituisse bonis propriis magnopere villam.
Unde fuisse locum veteres dixere vocatum,
Cujus et ipse locus conservat corpus humatum.
B Signa dei manifesta tibi dabit alta columpna,
Post obitum Domino quem gens fabricavit alumpna.

Post quæ ita subjicit Pinamons: In hoc siquidem loco posita fuit statua quædam, quæ Plotacio vocabatur, ubi dæmonia colebantur: ab hac etiam statua quidam locum prædictum Plotacium vocaverunt. *Plotacio certe et statua et locus vocatur in Actis S. Alexandri, quæ et Moyse et Pinamonte longe sunt antiquiora, neque ulla ibidem* Crotacii *fit mentio. Unde in Commentario ad Acta* XXVI *Augusti num.* XI *dixi, Moysen verosimilius respicere ad antiquiora tempora, quibus etiam reges Bergomi fuisse paulo ante dixerat his verbis:*

Hic veterum fulgent miranda palatia regum.

Ex quibus concludo, Oedipo opus esse, ut intelligamus, quid poeta ille voluerit, neque ex eo pro traditione Bergomatium argumentum desumi posse, cum incertum sit, de quo tempore, ac de quibus personis agat. Insuper colligimus ex C *dictis, quam incerta secutus sit monumenta Frater Pinamons: ut vel hinc fiat verisimile, multa, quæ de diversis feminis ejusdem nominis invenit, in unam* S. Gratam *confudisse, nobisque tradidisse Vitæ historiam, cujus confusionem facile perspicere, sed difficulter admodum possis extricare. Ceterum Moysen, etiamsi de* Grata *locutus esset, nobis non repugnare, patebit § sequenti.*

§ III. Ætas SS. Lupi et Adleydæ Bergomi ducum probabiliter assignata: conjectura de duabus Gratis confusis: aliqua Vitæ dubia discussa.

Quæ disputavimus § præcedenti, non eo tendunt, ut in dubium revocemus, an SS. Lupum et Adleydam civitatis suæ principes habeant Bergomates; illud solum probare intendimus, non eo vixisse tempore, quo eos vixisse sine antiquorum testimonio hodie contendunt Bergomates: Sanctos illos fuisse Bergomi, principes etiam urbis fuisse, eorum traditioni credimus; neque interesse vel ad Sanctorum, vel ad Bergomatium gloriam existimamus, tertione an octavo seculo floruerint Sancti, modo constet Sanctos fuisse, ac Bergomi principes. Hoc itaque loco inquirimus, qua probabilius ætate floruerint SS. duces Lupus et Adleyda; ex quo deinde colligemus, utrum illi sanctam Gratam *habuerint filiam: ac, si habuisse videantur, an eadem hæc sit, quæ S. Alexandri corpus sepulturæ curavit tradendum. Cælestinus in Historia Bergomensi part.* 1, *lib.* 2. *cap.* 17 *nummum exhibet, qui continet ab una parte Bergomum, ab alia ducem Bergomensem cum hac epigraphe:* Lupus dux pergami. *Nummum hic vide, qualem dedit Cælestinus, cuique aureum reperiri similem affirmat.* D

Nummus Lupi Bergomi ducis, Longobardorum tempore cusus,



E

Observat recte laudatus Cælestinus, hunc ducem non esse, quem Crotacii filium et Gratæ *patrem volunt seculo* III, *sed ducem Longobardum: neque item hunc nummum a posteris cusum ad honorem S. Lupi: hi enim titulum* Sancti *non omisissent. Prædictus auctor insuper cap.* 31 *inquirit, a quo duce prædicti nummi cusi fuerint, multisque rationibus probat, cusos esse a Lupo duce Longobardo, quem sibi Carolus Magnus cum regno Longobardorum subjecit, atque ad fidem Catholicam convertit. Præcipuas rationes perstringam breviter, non ut sententiam ipsius sequar de Lupo gemino Bergomatium duce, sed ut ostendam, Lupum aliquem sub finem seculi* VIII *Bergomo ducem præfuisse.* F

aliaque monumenta probant,

28 *Prima ratio, allata cap.* 17, *petitur a corona, qua redimitus exprimitur Lupus: neque enim corona hæc ducalis videtur usitata fuisse seculo* III *aut* IV. *Altera ratio est, quod facultas cudendi nummos sub imperatoribus Romanis non videatur data fuisse urbibus Italiæ, data vero fuerit a Desiderio Longobardorum rege ducibus Longobardis, ut testatur, inquit, Joannes Annius Viterbiensi duci concessam. Tertia, qua omne sibi dubium sublatum dicit, sunt Mss., et inter illa Chronicum Gregorii Morelli, quæ omnia asserunt Ducem Bergomi, nomine Lupum, inventum fuisse a Carolo Magno, cum bellum gerebat cum Desiderio Longobardorum rege, regnumque Longobardicum sibi subigebat. Adjicit et aliud argumentum ex barba oblonga Lupi, quam nummus exhibet. Hisce ego rationibus hoc adjicio argumentum. Scribitur in nummo* dux Pergamensis. *At egregie probat cap.* 30 *Cælestinus, urbis nomen ante Longobardorum tempora fuisse* Bergomum, *non* Pergamum, *quod tempore Longobardorum fuit introductum. Ergo nummus ille post ingressum Longobardorum in Italiam fuit procusus: nec est, cur alteri eum tribuamus, quam Lupo a Carolo Magno converso.*

De

AUCTORE J. S.

A *De hoc Lupo narrat cap.* 32 *ex Gregorio Morello et aliis duobus Mss., post modicam defensionem Carolo se subjecisse, fidemque Catholicam fuisse amplexum: nam paganus erat, id est Arianus, ut vult ex sequentibus Cælestinus, an recte, defectu monumentorum asserere non possum.*

Lupum Bergomi ducem fuisse seculo VIII:

29 *Idem auctor lib.* 3 *cap.* I *Lupum cum Carolo profectum narrat, ad subjiciendas Longobardorum reliquias quasdam; cap.* 2 *reversum cum Lupo Carolum Bergomensi ecclesiæ varia concessisse privilegia, quæ et alii auctores referunt. Templa itidem quædam instaurasse; quædam nova ædificasse, corpusque S. Alexandri veneratum esse, dixerat jam cap.* 32 *lib.* 2. *Verum hæc curiosius pertractare necesse non est ad propositum nostrum. Satis ad intentionem meam est, Lupum Bergomi ducem inventum esse, eumque ad fidem Catholicam conversum. Juvabit tamen etiam meminisse, templa eodem tempore instaurata. Hisce enim præsuppositis, probabiliter saltem ætatem SS. Lupi et Adleydæ conjugis ejus detegemus, ac* Gratam *pro una forsan geminam deprehendemus. Ut autem clarius procedamus, duo observanda; primum ex traditione diuturna* B *ecclesiæ Bergomensis, S. Lupum præfuisse aliquando reipublicæ Bergomensi, conjugemque habuisse Adleydam; id enim jam a seculo* XIII *huc usque constanter creditum est, ut intelligimus ex Pinamonte, ipsumque secutis auctoribus: neque videmus, unde hæc opinio facile oriri potuerit, si res ita se non haberet. Secundum probatum sufficienter putamus, nempe Lupum non floruisse Diocletiani et Maximiani temporibus. His itaque notatis, rem totam brevi ratiocinio conficio.*

quem sanctum Lupum esse

30 *Habuit Bergomum S. Lupum civitatis suæ principem et ducem. Non autem alium habuit civitatis suæ ducem, Lupum nomine, præter Lupum, qui sub finem seculi* VIII *a Carolo Magno victus, et ad fidem conversus fuit. Hic ipse igitur credendus est Lupus, quem Bergomates Officio colunt ecclesiastico, dudumque cum conjuge Adleyda coluerunt. Singula nunc paululum elucidemus. Alium non fuisse Lupum ducem Bergomatibus, colligimus ex silentio Pauli Diaconi scriptorumque omnium; neque enim licet sine ullo teste Lupos fingere, aut Bergomatium duces. Hunc vero sub finem seculi* VIII *fuisse, ex* C *variis auctoribus probatum est: nec obstat silentium Pauli Diaconi, qui usque ad ea tempora Historiam suam non perduxit; nec aliorum scriptorum; nam nullus, qui quidem suppar Lupo vixerunt scriptor, hactenus, puto, innotuit, qui Bergomatium et Longobardorum res accurate pertractavit. Itaque mirari non possumus Lupum a præcipuis seculi* IX, X *et* XI, *ac secutis postea scriptoribus non commemorari, indeque ortam esse confusionem, quam in ejus historia hodie regnare perspicimus.*

varia suadent argumenta.

31 *Si nobis ad annum essent monumenta Mss., quæ citavit Cælestinus, quæque ducem Lupum indicaverunt; forsan ibidem et Adleydam reperiremus uxorem, et* Gratam *filiam. Adleyda certe nomen Longobardicum tempori imprimis convenit, conveniunt et* Gratæ *nuptiæ cum principe Germano, quas jam Pinamons asseruit, aliique post ipsum, non eodem tamen modo, scripserunt. Conveniunt huic etiam tempori ædificata templa per Lupum, Adleydam,* Gratam, *opibus forsan Caroli Magni ad id adjutos, cum id etiam Carolo acceptum referant aliqui, qui tamdiu certo Bergomi non substitit, ut id per se perficere potuerit. Convenit et huic Lupo, quod ad Catholicam fidem dicatur conversus S. Lupus. Neque mirari possumus, hominem, modo conversum, mox sanctum evasisse: cum eodem fere tempore illustre habeamus exemplum in Wittekindo Saxonum Westphalorum duce, Caroli Magni itidem opera ad fidem converso, de quo ita majores nostri tom.* I *Januarii pag.* 380: Quoniam, ut Apostolus prædicat, ubi superabundavit delictum, sæpe superabundat et gratia; evenit quandoque, ut qui acerrimo bello Ecclesiam Dei fuerant persecuti, ii deinde pro ejus honore gloriose depugnent, atque insigni floreant sanctimoniæ laude. Quo in genere eximie sese Wittekindi Saxonum ducis virtus extulit; qui cum annos plures bella cum Francis, non tam pro gentis suæ libertate, quam odio Christianæ religionis gessisset, tandem divina gratia emollitum, ad exosa prius sacra complectenda adjecit annimum eo ardore, ut deinceps et pietatis haud vulgarem gloriam vivus, et Divorum post mortem honores sortitus sit. *Hæc Lupo nostro magna ex parte convenire possunt. Itaque vehementer suspicamur, hunc esse sanctum Lupum, quem colunt Bergomates.* E

Variæ rationes suadent duas esse Gratas,

32 S. Gratam *Lupi et Adleydæ filiam asserit Pinamons in Vita. eumque seculi auctores plurimi.* Gratam *vero, quæ S. Alexandri funus curavit, horum filiam non esse, ex dictis abunde demonstratum est. Porro non existimamus Pinamontem, virum pium, imponere voluisse lectoribus suis; neque videmus, unde in hanc opinionem deduci potuerit, nisi Lupus et Adleyda filiam revera habuerint, hoc nomine appellatam. Unde in eam deducor sententiam, ut existimem* S. Gratam, *quam colunt Bergomates, Lupi et Adleydæ reipsa filiam fuisse; cum et alia sint, quæ id suadeant. Primo enim quatuor num.* 2 *dedimus martyrologia, quæ* Gratam *Virginem nominent; at virginem nominare non potuere sanctam illam mulierem.* Gratam *etiam nomine, quæ S. Alexandrum sepelivit; cum in Actis S. Alexandri* matrona *appelletur. Itaque ad aliam omnino* Gratam *videntur hi martyrologi respexisse. Adde, quod Martyrologium illud unum, in quo* S. Gratam *viduam vocari num.* 2 *vidimus, sepulturam S. Alexandri ei attribuat, alioque* S. Gratam *die commemoret, puta ad* XXVI *Augusti cum Alexandro. Martyrologia vero, quæ* F virginem *dicunt, nec sepulturæ S. Alexandri meminerunt, nec eodem cum Alexandro die* Gratam *annuntiant. Unde diversas commemorari* Gratas *verisimile est, ac* Gratam *Lupi filiam* virginem *vocari, illam vero* Gratam, *quæ S. Alexandrum sepelivit, dici* viduam.

quas confudit biographus:

33 *Accedit ad argumenta prædicta, quod nullum* S. Gratæ *cultus vestigium reperiam ante seculum* XI, *quo corpus ejus ab Ambrosio episcopo, ut dicemus* § 4, *a loco sepulturæ translatum fuit ad templum ejus nomini dedicatum. Atqui credibile non est, mulierem, quæ septingentis jam annis latuerat, neque ulli Martyrologio inserta erat, tum demum cultum adeptam esse. Adde traditionem Bergomatium, quæ hospitale ab ea constructum, quæ varia templa memorat ædificata: hæc enim in curatricem funeris S. Alexandri non cadunt, ut ostendimus; congruunt vero quam optime* Gratæ *Lupi ducis filiæ. Ex dictis concludo,* S. Gratam, *quam colunt Bergomates, probabilius esse Lupi et Adleydæ filiam, atque seculo* VIII, *vel initio seculi* IX *videri adscribendam: nec alia de causa ad anteriora tempora relatam esse, quam quod eam cum*

AUCTORE J. S.

cum altera confuderit Pinamons biographus. At ne hæc confusio lectori videatur incredibilis, quam facile potuerit Pinamons in eam labi, breviter ostendam.

ut facile fieri potuisse ostenditur.

34 Habuit memoratus auctor Acta S. Alexandri martyris: nam ex iis quædam descripsit, ut in annotatis monebo. In his reperit Gratam piam mulierem, quæ sanctum martyrem sepelivit. Habuit scripta Moysis Bergomatis, quæ citat, ubi Gratam quamdam invenit Crotacii neptem, eamdemque reginam nominatam. Habuit haud dubie monumenta quædam, aut certe traditionem Bergomatium, quæ Gratam docerent Lupi et Adleydæ ducum filiam: nam id ipsum finxisse non autumo. Habuit traditionem, aut forsan etiam scripta quædam de templis a Lupo, Adleyda ac Grata constructis. Hinc, cum non satis historiæ et chronologiæ peritus esset, existimare potuit eamdem ubique esse Gratam, præsertim cum testetur se undique ex chartis et inscriptionibus Vitam collegisse; itaque potuit secum ratiocinari. Grata filia est Lupi, neptis Crotacii; Crotacius itaque pater Lupi. Rursus:
B Grata sepelivit Alexandrum Maximiani tempore martyrio coronatum; vixit igitur et Grata, et Lupus eodem illo tempore Maximiani, nec multo ante Crotacius. Viden, quæ maxime disjuncta sunt, quam facili errore conjungi potuerint, si eamdem ubique Gratam intelligamus? At si Gratam Lupi filiam distinguamus a matrona illa, quæ S. Alexandri corpus sepulturæ mandavit, evanescit illico omnis illa ducum series, contra historicam veritatem conficta. Regina autem illa Grata, a Moyse poeta memorata cum avo Crotacio, ad proavos reges, Christo nato diu anteriores, si vera de iis quidam narraverunt, videtur ableg
anda; nisi quis existimare maluerit, Lupi filiam poetica licentia Reginam vocari, quod nostræ sententiæ non repugnat: potuit enim et illa seculo VIII avum habere Crotacium, quem divitem Moyses, non principem, ui corrupte nunc legitur, nec Bergomi ducem vocavit, uti nec Pinamons biographus. Id male ex eorum dictis collegerunt posteri, quo minus miremur etiam Pinamontem quædam non recte collegisse.

C

Matrimonium S. Gratæ cum principe Germano asserit Pinamons,

35 Quæret hic aliquis, si S. Gratam admittamus Lupi filiam, a præcedenti ejusdem nominis vidua distinctam, an illius nuptias cum principe Germano revera factas, illamque Bergomi ducem post parentes fuisse, credendum putemus. Hæc duo hoc loco elucidanda veniunt. De nuptiis varie admodum loquuntur auctores. Pinamons in Vita cap. 4 nuptias omnino factas, matrimoniumque consummatum innuit, dum ita scribit. Grata in juvenilibus annis regi, filio regis, desponsatur; jam tunc sortita spiritum bonum. Tandem thoro maritali conjuncta, eleemosinis et operibus misericordiæ insistendo nobilem maritum, in quantum potuit, Deo devotum effecit. Verum non omnino rem mihi persuadet biographus, quod videatur illud collegisse ex Moyse poeta, qui Gratam vocat reginam, ut sequentia insinuant: Et non solum quia pater sanctæ Gratæ ... de regali prosapia descendit, sed etiam quia ipsa regi fuit maritata, idcirco ipsa beata Grata regina appellata est, et egregius ille versificator Moyses, qui Pergaminum composuit, de ea tractans ipsam reginam appellare non formidavit. Si meliorem suæ opinionis probationem habuisset Pinamons, illam, opinor, adduxisset.

D

desponsationem solum Bergomas: cujus præferenda sententia:

36 Certe Jacobus Philippus Bergomas in Opere de Claris mulieribus cap. CXI, etiamsi in multis Pinamontem sequatur, de matrimonio S. Gratæ ejus opinioni repugnat, atque ita rem enarrat: Quæ cum ab ipsa sua adolescentia inter cæteras suæ regionis fœminas evasisset speciosissima, asserunt cuidam magno Germanorum principi fuisse desponsatam; sed nuptiæ nunquam celebratæ. Desponsationem, ut vides, ex aliorum opinione refert, matrimonium omnino negat. Unde ne ipsa quidem desponsatio omnino mihi videtur certa; matrimonium vero magis etiam incertum, et minus probabile: neque enim dubito, quin rationes quasdam habuerit Bergomas, cur a Pinamonte dissentiret, virginemque vocaret; neque itidem sine ratione virginem nominarunt martyrologi ante citati, nulla nuptiarum mentione facta. Quod autem nuperi quidam scriptores asserunt, maritatam fuisse, sed cum marito virginitatem servasse: inventum illud est subtile quidem, et solvendæ difficultati opportunum, at non satis solidum: nam ante probandum erat, cum marito conjugio alligatam vixisse, quam rem tantam, tamque inusitatam, sine ullo antiquiorum testimonio fingerent: quod enim pauci in ma-
E trimonio virgines vixerint, sufficiens fundamentum non est asserendi, id etiam hic contigisse. Colligimus ex dictis, S. Gratam Lupi filiam probabilius virginem esse, sive desponsata fuerit, sive per procuratorem forsan etiam nupta, sive ne desponsata quidem, quæ incerta existimo. Nunc ad dubium alterum procedamus.

ducem Bergomatium non fuisse S. Gratam probatur

37 Bergomatium rempublicam gubernasse S. Gratam non agnovit Pinamons, ejus Vitæ scriptor. Nam primo hunc Vitæ præfigit titulum: De sancta Grata nobili matrona Pergamensium. Ita matronam in titulo cap. I, in titulo cap. 2 viduam vocat. Deinde nullibi docet, ipsam civium suffragiis ducem electam, nullibi in dignitatem parentum successisse, aut urbi præfuisse. At cap. 13 ita scribit: Quod beata Dei ancilla Grata optata quietis silentia convenienter habere non poterat, cogitavit Dei Famula modicum secedere, et ibi prope locum alium ad habitandum eligere, in quo usque ad finem vitæ posset in Dei servitio permanere. Mox cap. 14 subjungit xenodochium ab ea conditum, ejusque in illud secessum, et cap. 18, Cum igitur, inquit, in prædicto ho- F
spitali per multorum annorum spatia in Dei servitio perseverarat, ... cœpit in prædicto xenodochio gravi corporis ægrotatione languescere; mortemque in xenodochio, et sepulturam continuo subdit. Ex hisce manifestum esse existimo, Pinamonti contrarios esse scriptores illos, qui eam civium calculis civitatis regimini admotam, ilique immortuam dixere. Neque discrepat a Pinamonte Bergomas in abjudicanda dignitate ducali, dum ita scribit cap. CXI: Ea de causa ut se mundo mortuam ostenderet, prima ea in urbe claustralem vitam exercere cœpit, et plurimas virgines sibi in Dei servitio congregans, gloriosis virtutibus et miraculis valde clara effulsit. Potest itaque dux vocari Sancta ob parentum dignitatem, non autem, ut videtur, ob suam urbis administrationem.

S. Hesteriam S. Gratæ sociam

38 Hesteriam in pluribus Gratæ sociam adjungit Pinamons: at sanctam aut martyrem non dicit, multo minus Bergomatium ducem: quamvis pietatem illius commendet plurimum. Dubium videri potest, eademne hæc sit Hesteria cum sancta Hesteria, quam XI Augusti colunt Bergomates, si quidquid de S. Hesteria hoc tempore

A *pore referunt, ut verum admittimus: neque enim, quæ scribit Pinamons, cum relatis de S. Hesteria satis concordant. Verum in tanta confusione rerum, ad Sanctos Bergomates spectantium, facilius credam, etiam in S. Hesteriæ gesta ex eadem confusione errores quosdam irrepsisse, quam dicam Hesteriam* S. Gratæ *sociam, a S. Hesteria esse distinctam, quod ipsi Bergomates non sunt admissuri. Sane S. Hesteria usque ad annum* 1290, *quo sacrum ejus corpus cum tribus martyrum corporibus inventum, ut refertur tom.* III *Julii pag.* 204, *incognita fere fuit Bergomatibus, ita ut dubitare non possimus, quin valde incerta sint, quæ de ea postmodum reperiuntur conscripta. Quæ autem de ejus cum* S. Grata *familiaritate habet Pinamons, accipere potuit ex documentis quibusdam de* S. Grata *agentibus, indeque existimare in sepultura S. Alexandri* Gratæ *non defuisse, quæ in omnibus aliis non deerat. Hinc videmus, quo ex capite ad persecutionem Diocletiani referri potuerit, etiamsi eam seculo* VIII *cum* S. Grata *conjunctissime vixisse crederemus. Multa porro sunt, quæ seculo potius* VIII, *quam Diocletiano imperante, in humanis fuisse suadeant.*

B *variæ rationes suadent ad seculum* VIII *pertinere;*

39 *Primo sepulta legitur S. Hesteria in templo cathedrali S. Alexandri martyris: at templum* S. *Alexandri anno* 307, *quo martyrio coronatam volunt, nondum erat ædificatum, ut probavimus. Neque dici cum fundamento potest, postea in templum S. Alexandri illatum sacri corporis thesaurum: nullius enim translationis ante annum* 1291 *fit mentio; neque, si semel fuisset translata, Sanctæ memoria adeo fuisset abolita. Secundo Cælestinus Hist. Bergom. part. pag.* 1292 *ex Sanctuario Bergomensi profert hæc verba:* Fertur etiam quod in translatione ipsius inventa sunt ossa lucidissima, et velut auro et argento mixta, mirabiliter redolentia, licet quingentis annis abscondita stetissent. *Contigit hæc inventio anno* 1290, *uti tom.* III *Julii pag.* 204 *legi potest una cum inventionis et translationis historia. Ex hac Lect.* 6 *depromo sequentia:* Ossa quoque integra, velut argentum lucida viderunt, e quibus emanabat optimi odoris fragrantia. *Unde si* quingentis annis abscondita, *idem sit quod* quingentis annis sepulta, *ab anno* 1290 C *deducemur ad annum* 790, *et deveniemus ad ætatem* S. Gratæ *Lupi ducis filiæ. Quod argumentum, modo verba recte a Cælestino citata sint, superiora etiam, quæ de gemina* Grata *disputavi, utcumque confirmat. Tertio in Actis S. Alexandri nulla* Hesteriæ *habetur memoria. Itaque socia potius fuisse videtur* Gratæ *alterius, quam illius, quæ Alexandro ultimum præstitit obsequium: neque enim* Hesteriam *omisisset auctor, feminam sanctam et illustrem, si partem in sepultura habuisset.*

atque ex confusione duarum Gratarum perperam ad persecutionem Diocletiani relatam.

40 *Obstare tamen videtur his rationibus, quod S. Hesteria sive Asteria colatur ut martyr, nihil enim de Hesteriæ martyrio memorat Pinamons. Sed responderi potest, de martyrio Sanctæ nihil constare ex veteribus monumentis, adeoque hanc opinionem de ejus martyrio admodum esse incertam. Sane ejus martyrium prætermisisset Pinamons, si quid de eo innotuisset. Deinde si omnino constaret martyrem fuisse, non est cur etiam seculo* VIII *vel odio fidei, vel pro virginitate tuenda occidi non potuerit, itaque martyrii laurea redimiri. Quapropter, nisi duas sine sufficienti ratione Hesterias fuisse fingamus, dicendum videtur, hanc ipsam esse Hesteriam, quam* XI *Augusti colit ecclesia Bergomensis, quæque eodem errore, quo Lupus, quo Adleyda, quo* Grata *horum filia, ad persecutionem Diocletiani fuerit relata, ita ut, detecto errore, seculo* VIII *videatur restituenda. Hæc de duplici* Grata, *ex cujus confusione omnis error videtur natus, de Lupo, Adleyda, Hesteria, probabiliter disputata, ita velim lector accipiat, ut tantum his tribuat, quantum allatis rationibus tribuendum existimaverit. Neque enim certa nos attulisse existimamus, quod in tanta monumentorum penuria fieri non potuit: sed cum de Sanctorum illorum cultu constaret, ac gesta undique confusa et involuta videremus, illa, quantum potuimus, evolvere conati sumus. Hoc si quis melioribus instructus documentis prætare certius possit; illius nos libenter et gratanter amptectemur sententiam.*

AUCTORE J. S

§ IV. Utriusque Gratæ gesta probabiliter ordinata: Corporis translationes.

E

Gesta primæ Gratæ distincta:

Si secundum dicta § præcedenti duas admittamus Gratas *invicem distinctas, quarum gesta confudit, unique attribuit biographus, pleraque, quæ narravit, ut vera admitti poterunt, sublata personarum ac temporum confusione. Juvat itaque hic indicare, quid cuique videatur, quoque ordine tribuendum. Prima, quæ Diocletiani et Maximiani tempore in humanis fuit, S. Alexandri martyris corpus in prædio suo sepeliit, quod in Actis S. Alexandri ad* XXVI *Augusti datis num.* 9 *narratur hoc modo:* Dehinc post dies aliquot quædam matrona veniens, meritis castissima, ac nomine Grata, beatum corpus inveniens, cum gaudio lætabunda excepit, illudque cum suis hominibus ad prædiolum detulit suum, quod situm cernitur penes jam fatæ urbis Bergami muros, ibique cum aromatibus optimo sepelivit in loco. *Quibus paulo post subjungitur:* In quo loco semper Dominus meritis beati martyris exoratus ostendit prodigia et vota supplicum complet. *Ex his verbis colligimus, templum S. Alexandro, ibi deinde structum,* F *non videri huic* Gratæ *attribuendum, cum auctor illius nullam faciat mentionem, ut fecisset indubie, si jam fuisset ædificatum. Hæc sola de hac* Grata *matrona nobis innotuerunt: reliqua omnia, nisi quis fictitia esse velit, alteri* Gratæ *veniunt adscribenda. Primæ* Gratæ *memoriam annuntiat Grevenus in additionibus Usuardi ad* XXVI *Augusti verbis num.* 2 *datis, occasione ut videtur, alterius* Gratæ, *cujus seculo* XI *memoria translato corpore celebrari cœpit, ut infra narrabimus.*

uti et secundæ;

42 Grata *altera, eaque ut videtur SS. Lupi et Adleydæ filia, secundum dicta § præcedenti nata esse debuit circa medium seculi* VIII; *siquidem* Lupum *sub finem illius seculi a Carolo Magno superatum, atque religionem Catholicam amplexum diximus. Nubilis principi cuidam Germano forsan desponsata, et, si Pinamonti credimus, etiam nupta fuit. Verum, si desponsatio et nuptiæ revera sint factæ, sublato immatura morte vel marito vel sponso, totam se piis operibus, divinoque cultui devovit, ac vitam fere duxit solitariam, ita tamen, ut opes suas vel instaurandis vel construendis ecclesiis impenderet.* Post

AUCTORE J. S.

Post obitum parentum ampli patrimonii hæres, illud totum ad pia opera expendisse videtur. Tribus templis S. Alexandro vel instauratis, vel structis, xenodochium excitavit, in quod tandem ipsa secessit quietioris vitæ causa; materque miserorum et pauperum jam dudum facta, se ipsa ad illorum sublevandas miserias totam addixit, illorumque se famulam fecit, ut cap. 14 *narrat Pinamons: donec plena operibus bonis in eodem xenodochio ad Dominum migraverit, quod factum* VI *Kalendas Octobris scribit Pinamons cap.* 18, *Bergomas vero Kalendis Maii; sed hic diem obitus cum die translationis confudisse videtur.*

quo circiter tempore hæc facta.

43 *Facta hæc fere omnia videntur sub episcopo Bergomatium Agino, de quo tom.* 4 *col.* 414 *et seq. in episcopis Bergomensibus sequentia scribit Ughellus:* Aginus electus fuit anno DCCLVIII, perque spatium LII annorum sibi creditam consultissime rexit ecclesiam, fatoque functus est anno DCCCX, inque cathedrali sepulcrum accepit. Narrant supra citati auctores, hujus Agini temporibus Bergomum Carolum Magnum venisse,
B pluraque templa statuisse, non pauca demolita iterum excitasse. *Jam notavimus, Carolum non tamdiu substitisse Bergomi, ut hæc per se efficere potuerit; indeque templa, quæ a Lupo, Adleyda, ac* Grata, *leguntur ædificata, videri a Carolo designata, illorumque cura seu constructa seu instaurata. Hæc sunt, quæ in Vita* S. Gratæ *usque ad obitum mihi videntur probabilia. Quæ autem de fide catholica, ipsius opera propagata, in Vita leguntur; non quidem prorsus respuenda existimo; sed illa per episcopum et presbyteros, ipsa hortante opibusque juvante, videntur perfecta.*

Sepultura, et translatio corporis prima: epitaphium,

44 *Relata* S. Gratæ *morte, sic continuo subdit cap.* 18 *Pinamons:* Sepulta autem fuit Pergami in prædicto xenodochio, quod ipsa ædificaverat, ubi sacrosanctum corpus ejus usque ad tempora venerabilis Ambrosii Pergamensis episcopi requievit: *id est usque ad annum Christi* 1027, *quo translatum fuit, ut refert cap.* 26. *De hac translatione Ughellus tom.* 4. *col.* 445 *scribit sequentia:* Anno MXXVII prima die Maii *(Ambrosius episcopus Bergamus)* transtulit corpus S. Gratæ ex antiquo xenodochii templo ab ipsa
C fundato in ecclesiam monasterii S. Mariæ veteris Ordinis S. Benedicti, quam deinceps de nomine S. Gratæ de Columnellis dixerunt, utpote quam haud ita pridem eidem Sanctæ dedicaverant. Nobile sepulcrum, ubi honorifice condita jacet, iis epitaphiis exornarunt.

Præsul Ambrosius meritis, et nomine dignus
Corpus Matronæ justo sepelivit honore.
Digna fuit cælis Domino Matrona fidelis:
Semper Apostolico fungitur et solio.

Idem epitaphium recitat Pinamons: unde colligas, jam antiquum utcumque esse, neque forsan diu post translationem positum, certe ante Pinamontem. Nihil autem in hoc epitaphio est, quod recentiorum opinioni faveat, nihil, quod disputatis a nobis non conveniat.

aliud recentius epitaphium:

45 *Subdit huic aliud Ughellus, quod multo est recentius, et Pinamonte posterius, ex cujus historia videtur compositum: aut illi certe in omnibus consonat. Recentius esse Pinamonte, colligo ex eo, quod ipse illud non proferat, sed dicat,* Circa loca illa tale epitaphium continetur, *quod nunc dedimus. Accipe tamen et alterum Ughellianum, ut perspicias, ne in eo quidem quidpiam haberi, quod Pinamons non tradiderit.*

Hic jacet, Ambrosius pater quam transtulit olim, D
Quæ patris patriæ condidit ossa pii.
Pergama quæ vanis docuit non fidere divis,
Attestans Christum regna tenere poli.
Dux Lupus hanc genuit: vinxit Germanicus et Rex.
Quo functo repetit, patre vocante, solum.
Succurrit miseris tædas exosa jugales:
Ære potens condit plurima templa Deo.
Fida satis comitem junxit se Hesteria virgo,
Inservire Deo cautius unde queat.
Cælesti nunc juncta choro pia vota precantum
Exaudita refert Grata beata Deo.

Hæc omnia satis congruunt cum dictis, excepta geminæ, ut putamus, Gratæ *confusione, in qua poeta, ut in aliis, sequitur Pinamontem. Plura de hac translatione dabit suo loco Vita ipsa.*

ecclesia Sanctæ quotannis solemniter ab episcopo visitata.

46 *Festum hujus translationis quotannis celebrant Bergomates post Kalendas Maii die prima non impedita Officio semiduplici de communi Virginum, ut videri potest in Officiis ipsorum propriis, anno* 1707 *prelo datis.* In hujus, *inquit* E *laudatus Ughellus*, translationis memoriam in die Palmarum solebat Bergomensis episcopus post solennem precationem super ramos olivarum a S. Alexandri ad S. Vincentii cathedralem, atque inde ad S. Gratæ templum solemniter progredi, ibique genuflexis monialibus singulis ramum olivæ præbere, illisque bene precatus solemnem supplicationem illam explere. *Refert hoc paulo prolixius biographus cap.* 27. *Hoc tempore die* I *Maii episcopus cum capitulo in translationis memoriam* S. Gratæ *ecclesiam visitat, ut scribit Guerrinus in Synopsi sua pag.* 59.

Translatio altera,

47 *Alias sacri hujus corporis translationes memorat instrumentum authenticum impressum, a notario publico Bergomensi Antonio Facherio subscriptum, nobisque transmissum, cui titulus:* Sepulcri antiquissimi marmorei, in quo primum S. Alexandri martyris Thebanæ legionis vexilliferi, et successive S. Gratæ Bergomi patronorum sacra condita fuere corpora, translatio. *In hoc instrumento, narrata prima* S. Gratæ *translatione, ita subditur:* Cumque postmodum propter inceptum hujusmodi urbis, ut dictum fuit, munimen, prædicta quoque antiqua ecclesia S. Gratæ nedum ruinam minaretur, sed jam cœpisset F ruere; fuit propterea anno Domini MDLXIX pro executione mandati prædicti illustrissimi Cornelii Senioris *(Bergomensis episcopi, quem Ughellus col.* 504 *ad cathedram Patavinam anno* 1577 *translatum scribit)* extracta dicta arca cum sua capsa, sic, ut præmittitur, clausa, et qua decuit reverentia hujusmodi capsa delata in ecclesiolam interiorem prædicti monasterii S. Mariæ veteris nuncupatam, ubi repositum reperiebatur prædictum antiquissimum monumentum S. Alexandri, et in eo pariter recondita fuit dicta capsa, sacras reliquias et corpus S. Gratæ continens, et servata usque ad annum MDCXV.

tertia,

48 Quando ex memorato sepulcri S. Alexandri vase, intra quod visum fuerat penetrare per illius rimulas seu fixuras humidum quoddam, ita ut dubitaretur sacras reliquias hujus B. Virginis tractu temporis facile putrescere, aut consumi posse, regente Bergomatem ecclesiam illustrissimo D. Joanne Emo, fuit extracta dicta capsa, et prius devote illis reliquiis expurgatis, in priori antiqua marmorea arca, seu mausolæo ipsius B. Gratæ inaurato, et his litteris insculpto, SEPULCRUM S. GRATÆ VIRGINIS, post altare dictæ ecclesiolæ

A ecclesiolæ S. Mariæ elevato, eadem capsa honorifice recondita sunt, et ibi asservata usque ad annum MDCXXVII.

quarta ad ecclesiam novam Sanctæ sacram.

49 Et tunc, sedente illustrissimo D. Augustino Priolo episcopo, etiam extracta fuit dicta capsa lignea, duabus seris, ut prius, clausa, et deinde reverenter cum intortitiis, et aliis luminibus delata, et iterum in memorato mausolæo eminenti post altare primum exterius novæ ecclesiæ S. Gratæ, nuper in ampliori, et augustiori forma jam reædificatæ, eidem S. Gratæ inscriptum prope chorum, a parte dextera ingressus ecclesiæ præparato, et marmoreo tegumento etiam cooperto, et gypso linito fuit reposita, eodem vetustissimo sepulcro divi nostri patroni intra idem monasterium ad hanc usque diem asservato. *Subdit deinde relationem tumbæ marmoreæ, in qua post S. Alexandrum sancta* Grata *fuerat posita, honorifice intra altare S. Alexandri depositæ; quam dedimus in Commentario ad Acta ejusdem Sancti* XXVI. *Augusti num.* 26. *Nunc Acta subjungimus, in quibus miracula quædam lector inveniet, de quibus nihil putavimus præmonendum : nam siquid dubii occurrat in anno-* B *tatis explicabimus.*

VITA

Auctore Pinamonte Peregrino de Brembate.

Ex Ms. Bergomensi.

PRIOR CAPITUM DIVISIO.

Caput I. Incipit Prologus in Vita sanctæ Gratæ venerabilis matronæ Pergamensium.

II. Explicit Prologus. Incipit Vita illustris viduæ sanctæ Gratæ. Et primo de ejus nobili ortu.

III. De bona indole ipsius.

IV. Qualiter nuptui tradita fuit.

C V. De morte mariti, et qualiter Pergamum remeans in sancta viduitate permansit.

VI. De socia ejus Hesteria, et qualiter cum ea se haberet.

VII. De morte beati Alexandri martyris, et de loco Crotacii avi beatissimæ Gratæ.

VIII. Qualiter beata Grata sepelivit martyrem Alexandrum in prædio suo.

IX. De miraculo exhibito circa porcum beatæ Gratæ.

X. Qualiter Pergamenses per adjutorium sanctæ Gratæ conversi sunt ad Dominum.

XI. Quomodo sanctus Luppus pater sanctæ Gratæ fecit ecclesiam sancti Salvatoris in monte, et alia de ipso Sancto.

XII. Qualiter beata Adleida mater sanctæ Gratæ ædificari fecit ecclesiam Dominæ sanctæ Mariæ veteris; et ecclesiam S. Michaëlis de Archu, et alia de ipsa famula Dei.

XIII. Qualiter beata Grata ædificavit ecclesiam primam beati Alexandri, et multa ei contulit.

XIV. Qualiter beata Grata ædificavit hospitale, juxta locum, ubi Christi martyrem sepelierat, et qualiter ibi se haberet, et quod plura ei donavit.

XV. De moribus et conversatione sanctæ Gratæ. A. PINAMONTE,

XVI. De laude et imitatione famulæ Dei venerabilis Gratæ.

XVII. De gratiarum actione et suffragiis sanctæ Dei Gratæ.

XVIII. De felici obitu sanctæ Gratæ, et quomodo ad gloriam transivit æternam.

XIX. De miraculis post mortem sanctæ Gratæ, et quomodo fuit mirificata, et de curatione cujusdam contractæ.

XX. De illuminatione cujusdam cæci per beatam Gratam.

XXI. Quomodo meritis beati Alexandri, et S. Gratæ liberati sunt quidam a feris pessimis.

XXII. De quadam muliere liberata a periculo partus per beatam Gratam. Et de alio simili miraculo.

XXIII. Qualiter beata Grata adjuvit quandam dominam, quæ de equo cadebat, ita ut læsionem nullam sentiret.

XXIV. De quodam alio beneficio a beata Grata collato cuidam sibi devoto.

XXV. Conclusio : et quare omnia supradicta scripta sunt. E

XXVI. De translatione venerabilis, et illustris matronæ dominæ sanctæ Gratæ.

XXVII. Quomodo incepta fuit statio, quæ in Ramis Palmarum fit in ripa rubea ab episcopo, clero, et populo, ob devotionem dominæ S. Gratæ.

XXVIII. Unde, et qualiter legenda sanctæ Gratæ compilata sit, et cætera.

XXIX. Oratio et excusatio auctoris. Expliciunt capitula in legenda sanctæ Gratæ.

PROLOGUS.

CAP. I. Rationem dat, cur hanc Vitam scripserit.

Omnipotentis Dei filiis, et in Dei Filio Jesu Christo carissimis, tamquam filiis gratiæ, et coheredibus gloriæ, universis, qui Christiana professione censentur, salutem, et in sanctam subsequi professione lætitiam, et illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Antiquorum solertia pervigili studio multa memorabilia posteris in scriptis reliquit, quæ modernorum F inertia, vanitatibus seculi dedita, ex incuria amisit. Hinc est quod multorum venerabilium Sanctorum gesta aut semiplena, aut ex sola fama, seu etiam conjecturis, vix possint haberi : et quorum nomina scripta sunt in cælis, eorum Acta aut perdita, aut combusta, seu igne cremata, aut non scripta sint in terris, et memoria rarior habetur. Beatissimæ igitur Gratæ gloriam ad memoriam revocemus, et qualiter cælestia meruerit, secundum quod per antiqua scripta, et verissima dicta, per idoneos testes ad noc sanctita * transmisit auctoritas, Jesu Christo, qui est via et veritas, nos ducente et docente, rudi quidem, sed veraci stilo sub compendio elucidemus.

* *forte* sancita

CAPUT

A. Pinamonte.

CAPUT I.

Ortus, parentes, indoles bona, nuptiæ, mors mariti, reditus in patriam, viduæ cum socia Hesteria conversatio.

II. *Pater Sanctæ,*

Anno igitur Domini ducentesimo octuagesimo nono, præsidente Dei ecclesiæ in urbe Roma beato Marcello *a* Papa et martyre, et regnante impiissimo cæsare Maximiano, fuit in Italia civitate Pergami *b* de stirpe regia *c* dignus memoria nobilis vir, dux laudabilis Luppus *d* nomine, non quasi luppus *, sed quasi agnus sibi subditis mansuetus, vir rectissimus, strenue militans, et a justitia non declinans. Siquidem tunc temporis, secundum quod antiqua Lumbardorum *e* narrat historia, erat hæc provincia, qui nunc Lumbardia dicitur, in tres partes distincta *f*. Quarum una dicebatur Liguria *g* et extendebatur ab Abdua *h* flumine usque ad Appeninos *i* montes versus Occidentem, Padum *k* fluvium a Meridie relinquens. Secunda autem dicebatur Æmilia *l* a Pado flumine usque ad mare versus Meridiem, et versus mare protendebatur usque ad fluvium, qui dicitur Renus. Tertia vero ab Abdua flumine versus mare extendebatur usque in Panoniam : hæc habebat pro confinio montes a Septemtrione, et dicebatur Venetiæ *m*.

* lupus

patria, natales, nomen,

3 In hac igitur provincia una nobilium civitatum Pergamum habebatur : unde a quampluribus caput dicebatur Venetiarum *n*. Et ideo sedes ducatus *o*, et sceptrum in ea residebant. In hac ergo civitate venerabilis dux de sua nobili conjuge, Adleyda nomine, suscepit filiam, quam quodam præsagio futurorum Gratam nominavit, quod et rei postmodum probavit eventus. Fuit enim non solum nomine, sed et opere et merito grata. Grata siquidem Deo fuit, grata fuit angelis, et grata fuit hominibus. Deo namque grata fuit per veram et profundam humilitatem, C angelis per munditiæ puritatem, hominibus per continuam caritatem. Circa enim hæc tria ejus labor et studium fuit, non solum viduitatis tempore, sed etiam in juvenili ætate in diebus jucunditatis suæ : nam violam humilitatis, lilium munditiæ et puritatis, et rosam rubicundam caritatis observabat.

III. *mores, et virtutes Puellæ :*

4 Hæc juvencula Grata nobili more educata, sapientia, honestate, pulcritudine omnes præcellebat. Nobilis carne, sed nobilior mente : pulcra facie, sed pulcrior fide; juvencula corpore, sed animo cana. Nam in illa sua juvenili ætate cor ei jam inerat senile, et sensus veneranda canities sub tenella facie latitabat. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque numero annorum computata : cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. Fama ejus ubique evolat, et omnium oculis extat gratiosa. Virgo vero nobilissima Grata, Creatoris sui in se beneficia recognoscens, non se superbit de talibus, sed illi soli placere studebat, a quo se omnia recepisse cognoscebat. Gaudebant parentes de suæ filiæ profectu, et ei in omnibus applaudebant, disponentes, et solicite cogitantes, qualiter possent eam alte et nobiliter D maritare.

IV. *nuptiæ regiæ :*

5 Erat in diebus illis in quadam parte Theutoniæ, quæ dicitur Germania *p*, rex præpotens et dives, qui Theutonico more latius regnabat. Hic magnæ et bonæ indolis habebat filium, quem arctius diligebat, et post se regnare disposuerat, et jam regnare incipiebat. Audita igitur celebri fama tantæ Virginis, summum sibi profectum reputat et honorem, si regi juveni filio suo unigenito copuletur. Juvenis rex ad idem æstuabat, et multipliciter patrem sollicitabat, ut legatos mittere non tardaret. Eliguntur legati, fideles nuncii majores, et sapientiores præ ceteris, et cum diviciis magnis, ac cum omni mundi gloria ad ducem patrem Virginis pro virgine Grata Pergamum diriguutur. Datur audientia ambaxatoribus * regis, qui magnis promissionibus summas blanditias adjiciunt, si hoc conjugium dux et sui facere compromittant. Annuit dux precibus legatorum, et Grata in juvenilibus annis regi, filio regis, desponsatur : jam tunc sortita spiritum bonum. Tandem thoro maritali conjuncta *q* eleemosinis, et operibus misericordiæ insistendo nobilem maritum, in quantum potuit, Deo devotum E effecit. Et non solum quia pater sanctæ Gratæ, sicut supradictum est, de regali prosapia descendit, sed etiam quia ipsa regi fuit maritata, idcirco ipsa beata Grata regina appellata est, et egregius ille versificator Moyses, qui Pergaminum composuit, de ea tractans, ipsam reginam *r* appellare non formidavit.

* legatis

V. *mortuo marito, vidua in patriam reversa, modeste*

6 Soluta tandem a lege viri tam dilecti mariti sui per mortem ipsius, licet se videret longe positam a cognatis et notis, et quasi derelictam inter extraneos, non desperavit, neque tristitia nimia se absorberi permisit, neque de cetero alicui alteri mortali nubere proposuit, sed se totam Domino Jesu Christo servituram statuit, qui sibi contulerat totum. Unde statim abjectis pompis seculi et vestimentis vanitatis, in vili et humili habitu procedebat, Deum habens præ oculis, et mundi caducam gloriam, quæ tam cito deserit sperantes in se. Interea pius pater de filia sua dilecta Grata admodum solicitus, solempnes legatos mittit ad illam; qui dum eam sic humilem respiciunt, suspirantes dicunt : Nonne hæc est regina ducis nostri tam incliti filia? Non est hic habitus reginæ ducis filiæ. Illius autem vultus F non est in diversa mutatus, quam nullus amor potuit ab amore Jesu Christi sequestrare. Dicti autem nuncii illam assumentes, et cum reverentia debita deducentes, Pergamum ad patrem perduxerunt, ubi ipsa cælesti sponso suo Domino Jesu Christo ardenter inhæsit serviens ei omni tempore. Speravit enim in Domino sicut vere vidua, et seculo desolata, instans orationibus et obsecrationibus die ac nocte secundum Apostoli documentum. Nam vidua, quæ in deliciis est, vivens mortua est. Unde ad hæc summopere studuit, ut gratia Salvatoris adjuvante irreprehensibilis permaneret. Non cum ludentibus se miscuit, neque cum his, qui in levitate ambulant, participem se præbuit. Timebat autem Deum valde, nec erat, qui loqueretur cum ea verbum malum. Erat enim virtuti castitatis adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est vir ejus.

VI. *et pie vivit cum socia Hesteria.*

7 Ut autem ancilla Dei Grata melius et honestius posset vacare divinis, et in Dei servitio permanere, nobilem mulierem, honestam, et religiosam sociam, Hesteriam *s* nomine, secum assumpsit

A assumpsit in sanctæ societatis solatium, et religionis augmentum, quæ ei comes individua extitit in operibus bonis omnibus diebus vitæ suæ. Quis enim enarrare sufficiat, quæ et quanta bona hæ sanctæ mulieres egerunt? Ipsa autem quasi lucernæ super candelabrum positæ, delectabile cunctis clarumque sanctitatis spectaculum exhibebant, factæ omnibus vitæ speculum, religionis et honestatis exemplum. Gaudebant enim si possent parce vivere propter Christum, scientes quod parca vita occidit vitia, extinguit libidinem, virtutes nutrit, animum roborat, mentem ad cælestia sublevat. Erant enim in oratione assiduæ, in jejuniis sæpe, caritate præcipuæ, compassione anxiæ, et humilitate subjectæ. Specialem gratiam contulerat illis Deus flendi pro peccatoribus, pro miseris, et afflictis, et animarum pereuntium zelo succensæ, aliquando in orationibus pernoctabant. Frequenter autem et aures divinæ clementiæ hac speciali petitione pulsabant, quatenus Deus iniquitatem a cordibus Pergamensium auferre dignaretur, ut relictis idolis suis, converterentur ad Deum vivum et verum, et unicum Filium ejus Dominum Jesum B Christum.

ANNOTATA.

a *Marcelli pontificatui initium dat Pagius anno* 308, *ibidem num.* 7. *Aberrat itaque a vera chronologia annis non paucis.*

b Pergami, *ita tempore Longobardorum scribi cœptum* Bergomum, *dixi in Commentario num.* 28.

c *Lupum ex regia Longobardorum stirpe fuisse seculo* VIII, *non est inverisimile, regia vero fuisse stirpe natum, minus esset verisimile seculo* III, *cum reges dudum in Italia essent ignoti. De ætate itaque Lupi consule Comment. prævium* § 3.

d Luppus, *alii rectius* Lupus *scribunt, ut patet ex sequentibus, ubi lupum agno opponit.*

e Lumbardorum. *Longobardi, contracte voluit ab Italis* Lombardi.

f *Hanc Longobardiæ divisionem in Liguriam, Æmiliam, et Venetam ditionem, non esse accuratam facile perspiciet lector geographiæ utcumque peritus.*

g *Liguria Mediterranea altera est, altera Lit-* C *torea, Genuensem fere ditionem complexa. De Mediterranea intelligendus auctor, quæ pars est hodiernæ Longobardiæ. Mediterraneæ autem Liguriæ terminos Baudrandus ita describit:* Inter montem Apenninum ad Meridiem, Alpes maritimas ad Ortum, Padum fluvium ad Septemtrionem, Tidonem fluvium et Padum ad Occasum comprehensa. *Fuere termini Liguriæ varii pro variis temporibus; numquam tamen, ut opinor, quales hic describit Pinamons.*

h Abdua, *seu* Addua *flumen, Bergomensem ditionem dividit a Mediolanensi.*

i Apenninus *notissimus est Italiæ mons, illam perpetuo fere jugo in duas partes secans ab Alpibus maritimis usque ad extremos Salentinos et Brutios. Verum Alpes hic potius, quam Appenninum, designat auctor, cum velit Padum a Meridie relinqui.*

k Padus, *inquit Baudrandus*, fluvius Italiæ maximus, et celeberrimus, qui Eridanus a poetis dictus, ortus in Gallia Subalpina, et Galliam Cisalpinam in Cispadanam et Transpadanam secans.

l Æmilia, *ait Baudrandus*, regio fuit Italiæ, partem Longobardiæ Cispadanæ, et Romandiolam late sumptam complectens, ab Arimino Placentiam usque protensa, et usque ad Apenninum montem: *non usque ad mare Mediterraneum. Rhenus Bononiensis, vulgo* Reno, *secat Æmiliam, at nullibi terminat.* A. Pinamonte.

m *Nihilo prædictis aptius Venetam Provinciam describit auctor, cum eam in Pannoniam usque extendat. Audi, quibus terminis Venetam Provinciam stricte dictam, de qua hic agitur, circumscribat Baudrandus:* Terminatur a Septemtrione valle Tellina, et comitatu Tyrolis, atque Carinthia provinciis Germaniæ, a quibus separatur Alpibus Carnicis et Juliis; ab Occasu terminatur ducatu Mediolanensi, a Meridie ducatu Mantuano, ditione summi Pontificis et mari Adriatico, nunc sinu Veneto dicto; quo etiam ab Ortu terminatur et Carniolia provincia.

n *Bergomum caput aliquando fuisse Venetæ provinciæ alibi non inveni; neque Pinamonti, eumque secutis auctoribus tuto credi posse existimo.*

o *Sedes ducatus Veneti eodem fundamento Bergomi statuitur, quo præcedentia fuere dicta.*

p *Germaniam distinguit a Teutonia, partemque* E *Teutoniæ dicit. Verum, etsi Teutones non semper fuerint iidem cum Germanis, tamen Germania numquam Teutoniæ pars fuit; sed Teutones olim fuerunt in parte hodiernæ Germaniæ. Auctor vaga illa principis illius assignatione ostendit, se satis novisse, quis esset rex ille Germaniæ, et sic rem totam magis facit dubiam.*

q § 3 *Comment. quæsivimus, an hæ nuptiæ videantur perfectæ.*

r *De alia forsan Grata Moysen fuisse locutum diximus num.* 34 *Commentarii. Porro, dum talem auctoritatem pro nuptiis adducit, præbet occasionem suspicandi, nuptias illas, ut multa alia, ex solis conjecturis, iisque male fundatis enatas.*

s *De Hesteria consule Comment.* § 3, *a num.* 38. *Hactenus dicta* Gratæ *Lupi filiæ sunt attribuenda.*

CAPUT II.

F

S. Alexandri martyrium, ac sepultura: ecclesiæ per sanctam ædificata: miraculum: Bergomatium conversio.

Erant autem in tempore illo in civitate Pergami perpauci Christiani, qui timore Maximiani *a* Christum publice confiteri non audebant. In diebus illis accidit, quod Christi venerabilis miles Alexander *b*, qui ex illa sancta et devota Dei legione Thebæorum signifer fuit, divina dispensante misericordia, ut Christi augeretur gloria, Pergamum perveniret: ubi juxta urbem in prædio, quod dicitur Prætoria, aliquibus diebus in oratione permansit. Supervenerunt autem subito milites, et ministri Maximiani cæsaris, qui more bestiarum mox cruentis manibus sanctum Dei martyrem, non fugientem, neque divertentem ab hostibus, comprehenderunt, et ad vicum, qui dicebatur Crotacium, conduxerunt:

VII. *S. Alexandri martyrium, a* *b*

A. Pinamonte.

conduxerunt: ubi nunc est ecclesia ad honorem ejusdem incliti martyris Alexandri, quæ dicitur in Columpna. Nobilis enim et dives Crotacius *c* avus sanctæ Gratæ, hunc vicum propriis diviciis construxit, et ab eo locus ipse denominatus, et ibidem honorabiliter est sepultus.

locus, ubi occisus,

9 Refertur etiam, quod in loco illo flores oriebantur, quorum odore curabantur infirmi. In illo insuper loco post obitum illustris Crotacii, populi in signum triumphi, et in titulum memoriæ altam columpnam fabricari fecerunt, sicut in Pergamino egregius ille versificator Moyses supradictus nobili stilo descripsit, hæc omnia dicens:

Hinc ubi procedes paulum titannis * ad ortum
Respice Crotacii felicem divitis *d* ortum *:
Quem regina potens ambivit marmore Grata,
Pergameæ sedis regeret cum sceptra *e* beata.
Illic omne viret genus omni tempore florum,
Ex quibus ægrotos sanans vis exit odorum.
Crotacus *f* hujus avus reginæ dicitur illam
Constituisse bonis propriis magnopere villam.
Unde fuisse locum veteres dixere vocatum:
B Cujus et ipse locus conservat corpus humatum.
Signa Dei *g* manifesta tibi dabit alta columpna,
Post obitum Domino quam gens fabricavit alumpna.

* titanis
* hortum

et idolum loci: martyrii modus, et dies.

10 In hoc siquidem loco posita fuit statua quædam, quæ Plotacio *h* vocabatur, ubi dæmonia colebantur. Ab hac etiam statua quidam locum prædictum Plotacium *i* vocaverunt. Ad hanc igitur statuam venerabilem Christi militem Alexandrum violenter traxerunt, ut, si ibidem sacrificare idolis nollet, juxta præceptum cæsaris Maximiani capite plecteretur. Ad quem locum ut Christi miles pervenit, Spiritu sancto repletus Christum constantissime fatebatur. Aquam ergo postulat, et manus lavat, Dominumque multipliciter benedicit, et aspiciens in cælum, dixit: In manus tuas, Domine, comendo spiritum meum. Et sic decollatur septimo Kalendas Septembris *k*. Angeli vero animam ejus suscipientes, ad cælorum gaudia perduxerunt.

VIII. *Grata cum suis corpus Sancti, ædificato, ubi occisus fuerat, templo,*

11 Cum autem detestabiles ministri impiissimi Maximiani recessissent, relicto sacrosancto corpore in loco passionis occiso, beatissima Grata zelo Dei succensa, sitiens etiam ipsa et desiderans palmam martyrii, et compatiens martyri Christi, assumpta fidelissima socia Hesteria *l*, de qua supra fecimus mentionem, et aliquibus de C ancillis suis, assumptis etiam quibusdam de collegio servorum suorum, qui jam facti Christiani fidelissimi erant, cum ipsis pariter ad locum passionis accessit. Et invento corpore sacro, ipsa beatissima Grata propriis manibus reverenter, et cum magna devotione caput martyris elevavit, et in brachiali suo, quod de veste pendebat, posuit, portans manibus propriis *m*. Reliqui autem servi ejus sacrum corpus venerabiliter assumpserunt. In loco vero ante altam columpnam, ubi occisus fuerat, postmodum tempore procedenti beata Grata viriliter accensa, statuam idoli, quæ dicebatur Plotacio, dejecit, confregit, et comminuit, et eliminata omni spurcicia idolorum *n*, ecclesiam ad honorem sancti martyris ædificari fecit, quæ dicitur in columpna *o*, de qua supra habita mentio est.

alioque in via, in prædio suo sepelit:

12 Et quia tunc temporis non patebat facilis ascensus ad civitatem juxta montem, in quo nunc est ecclesia ad honorem prothomartyris Stephani ædificata, per prata portantes sacras reliquias, versus Orientem ad alium vicum perrexerunt. Et cum pervenissent ad crucem viæ publicæ, sacrum corpus deposuerunt, volentes quiescere, et humeros, super quos portaverant, commutare. Et quia portitores ibi talem mutationem fecerunt, ideo deinceps ille vicus appellatus est Burgus de Mutatione, licet quidam male scribant de Murgazone *p*. Quia vero aliquæ stillæ preciosi sanguinis martyris incliti ibidem ceciderunt; postea tempore alio illustris Grata ibi in meditullio viæ ecclesiam, quæ appellatur sancti Alexandri de Cruce, ad honorem preciosi martyris construi fecit, quam et ego ipse oculis aspexi. Deinde portantes sacrosanctum corpus, pervenerunt ad prædium beatæ Gratæ, quod erat extra muros civitatis Pergami, ubi nunc est nobilis ecclesia cathedralis ad honorem martyris ædificata: et ibi eum, sancta Grata ad caput, beata vero Hesteria ad pedes, obsequium præstantibus *q*, honorabiliter et devote sepelierunt, ubi tale epitaphium continetur.

Conditur in Gratæ martyr tellure beatæ.
Cernitur ut multum, nec distat ab urbe sepultum.

Multisque miraculis claruit, et usque in hodiernum diem Dominus per ejus merita mirabilia operatur. E

IX. *pro porco operariis occiso alius inventus:*

13 Sepulto venerabili martyre Alexandro, præcepit beata Grata dispensatori domus suæ, ut porcum quendam, quem habebat, occideret, et servis Dei, qui in sepeliendo martyre laboraverant, et reliquæ familiæ refectionem pararet. Quo jussa complente, refecerunt corpora post laborem, comedentes cum timore Domini, et ei gratias referentes. Cumque facto prandio dispensator accessisset, ut quippiam operis faceret (mirum dictu) mox alium consimilem porcum vivum et sanum reperit in loco, ubi alius, qui comestus erat, stare consueverat. Egressus autem dispensator narravit hoc dominæ suæ venerabili Gratæ, et Hesteriæ sociæ suæ, ac aliis de familia. Quæ audientes super misericordia Dei gavisæ sunt, et ei gratias retulerunt. Illum autem porcum in misericordiæ operibus, et refectionem pauperum, viduarum, et orphanorum ancillæ Christi consumpserunt, reddentes eum Domino, qui eis illum divinitus ministraverat *r*. Multa abinde Dominus in vita beatissimæ Gratæ meritis illius fecit miracula: sed ipsa Dei Famula ea studuit attentius occultare.

F

X. *conversio Bergomatium ad fidem.*

14 Coruscabat tunc temporis martyr Alexander miraculis, et sic lucerna super candelabrum posita gloriosis meritis et miraculis, non solum Pergamenses, sed omnes per circuitum illuminabat, ita ut plures ejus fulgoribus illustrati lumen fidei clare viderent. Beatissima vero Grata satagebat, quantum poterat, ut gentem suam ab idolorum revocaret cultura: sciebat enim quod secundum Apostolicam doctrinam suorum, et maxime domesticorum curam habere debemus. Suorum igitur salutem ancilla Dei Grata primum desiderans, instabat precibus die ac nocte, et monita salutis dabat illis. Unde factum est ut apud suos taliter laboraret, quod adjuvante gratia Salvatoris, qui neminem vult perire, sed vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, ut omnes converterentur ad unum Deum vivum et verum, et unicum filium ejus Dominum Jesum Christum, idola vana, surda et muta spernentes. Viderunt enim, quod infelices sunt, et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum. Aut si quis artifex faber de silva

rectum

A rectum lignum secuerit, et hujus arte doctus eradat omnem corticem, et per scientiam artis suæ figuret illud, et assimilet imagini hominis, aut alicui ex animalibus comparet illud, et faciat ei dignam habitationem, in pariete ponens illud, et confirmans ferro, ne forte cadat, sciens quoniam non potest se adjuvare, imago enim est, et opus est illi adjutorio, et substantia sua, et de filiis suis, et de nuptiis votum faciens inquirat, nonne stultissimus est homo hujusmodi? Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est. Nonne pro sanitate infirmum deprecatur? et pro vita mortuum rogat? Nonne in adjutorium inutilem invocat, et de itinere petit ab eo, qui ambulare non potest? Initium enim separationis a Deo, est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitæ. Non enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Unde Pergamenses beatissimi Alexandri meritis, et meritis et documentis beatissimæ Gratæ, abominantes et execrantes idola, conversi sunt ad Dominum, et a paucis presbyteris Christianis, qui tunc erant quasi occulti, omnes baptizati sunt in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Et sic secundum B desiderium beatæ Gratæ completum est: quæ super omnia in hac vita desiderabat, ut gens sua converteretur ad Dominum *s*.

ANNOTATA.

a *Hæc, quæ sequuntur, alteri* Gratæ *tribuenda, quæ Alexandrum sepelivit. Vide dicta* § 3, *a num.* 32, *et* § 4 *ab initio.*

b *S. Alexandri Acta dedimus ad* 26 *Augusti, ubi confirmantur, quæ hic narrat, præterquam quod locus mortis* Ptolacium, *non* Crotacium *appelletur.*

c *Crotacium nec ducem nec principem vocari a Pinamonte jam observavimus num.* 34 *Commentarii; unde a recentioribus ad cumulum fabularum hoc adjectum.*

d Divitis *etiam legit Muratorius tom.* 5 *Scriptorum Italiæ pag.* 530. *Alii substituerant* principis.

e *Hunc locum exposuimus num.* 25, *et num.* 34 *et* S. Gratam *hic probabilius non designari diximus, quamvis id putaverit Pinamons.*

C f Crotacus *legit recte, opinor, Pinamons. Alii deinde contra metri leges ediderunt et* Crotacius.

g Dei *legit Pinamons. Muratorius et alii* rei.

h Plotacio. *Coram hac statua, sacrificare renuens, occisus est S. Alexander. De ea actum in Commentario ad Acta ejusdem Sancti num.* 9, *ubi probavimus idolum fuisse; a quibusdam autem Plutonem, ab aliis ipsum Crotacium in deos relatum putari.*

i *Hoc verum videri nomen diximus in Actis S. Alexandri loco citato.*

k *Hæc omnia in Actis S. Alexandri circa finem inveniet lector.*

l *Sociam* Gratæ *in sepultura Alexandri* Hesteriam *nesciunt Acta S. Alexandri: ex quo collegimus probabilius hoc ab auctore adjectum. Vide dicta* § 3 *num.* 38.

m *Videtur hoc dici ex conjectura, quia ita conveniens existimabat auctor.*

n *Quam parum hæc sint verisimilia, Maximiani persecutione vigente, jam diximus.*

o *Templum hoc serius conditum, fortasse opera* Gratæ *Lupi filiæ.*

D p *An hoc nomen, et nominis ratio recte data, inquirere possunt, qui propius adsunt Bergomates.* A. Pinamonte.

q *Videtur hoc loco auctor oblitus caput sancto Martyri fuisse amputatum: ita incongrue ejus sepeliendi modum narrat.*

r *Nescio, an hæc cum ducali regiaque magnificentia conciliare possint Bergomates; id certe me non posse profiteor.*

s *Si tantum pro Christi fide præstitisset* S. Grata *Maximiani tempore, mirandum sane esset, curam non habuisse, ut Bergomi, quod totius tunc Venetæ ditionis caput fuisse volunt, crearetur episcopus. Itaque ad posteriora tempora hæc referenda, atque oratorie magis quam historice prolata esse existimandum. Consule dicta in Comment. num.* 43.

CAPUT III.

Structæ per SS. Lupum et Adleydam ecclesiæ: item ecclesia et xenodochium per S. Gratam. E

In tempore illo venerabilis et inclitus dux, supradictus videlicet sanctus Luppus, pater beatæ Gratæ, factus Christianissimus, suam et aliorum desiderans salutem, cœpit anhelare, quomodo gentem suam sibi subditam ad Christianam fidem melius et facilius posset allicere. Unde precibus et exemplis bonorum operum eos juvabat, et sanctis ammonitionibus instruebat, videns quoniam apparuit gratia Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. Ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi Jesus Christus, qui constitutus est a Patre judex vivorum et mortuorum: unde et Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Et ideo venerabilem ecclesiam ad honorem Salvatoris æterni Dei Jesu Christi in quodam eminentiori loco Pergameæ civitatis ædificare voluit supermemoratus sanctus Luppus, et ab universis sibi subjectis Salvatorem Deum Dominum Jesum Christum coli et venerari. XI. *S. Lupus, templo S. Salvatoris* F

16 Cumque multo labore per temporalia transiens in populorum regimine desudaret, et cursum suum in Dei servitio consummasset, ad extremum vitæ suæ perductus, mortalitatis terminum immortalitatis vitæ continuavit initio, ingressus in abundancia sepulchrum in requie opulenta. Fertur etiam post obitum claruisse miraculis: nec mirum si regnans in patria beatus Luppus virtutum signis claruit, qui adhuc in via militans virtutibus plenus fuit. Dicitur autem sepultus fuisse in dicta ecclesia sancti Salvatoris, quam ipse ædificaverat: et adhuc usque ad hodiernum diem ejus imago sive figura juxta altare depicta cum circulo coronæ in capite, sicut Sancti alii depinguntur, et cum superscriptione sui nominis evidenter apparet. Et hæc prima ecclesia *ædificato, obiit, et miraculis claruisse dicitur.*

A. PINAMONTE. sia esse dicitur, quæ in civitate Pergami extitit ædificata *a*: satis enim congruum fuit a Salvatore, qui est alpha et o *, principium et finis, ædificationis ecclesiarum, et domus orationis habere principium: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

a

* ω *vel* omega

XII. *S. Adleyda, constructa ecclesia S. Mariæ veteris,*

17 Interea venerabilis et fidelissimo Christiana nobilis Adleyda, mater beatæ Gratæ, de qua supra fecimus mentionem, volens imitari beatum Luppum maritum suum in operibus bonis; cogitavit etiam ipsa qualiter Reginæ cæli gloriosæ Virgini Mariæ, Matri Salvatoris Jesu Christi æterni Dei, devote servire posset. Unde incidit illi consilium bonum, et aliam ecclesiam, non longe a supradicta ecclesia sancti Salvatoris, ad honorem beatæ et gloriosæ Virginis Matris Dei Mariæ ædificari fecit, quæ postmodum sancta Maria vetus *b* appellata est. Apud quam etiam ad honorem beatissimæ Gratæ constructum et dicatum est nobile monasterium, et multis donis privilegiatum, ubi laudabilis sanctimonialium numerus habitat, et in quo usque ad hodiernum diem ancillæ Christi, sponsæ Dei, gratum Deo

b

B exhibent famulatum

et S. Michaëlis de Arcu, pie moritur.

18 Volens quoque beata Adleyda, supradicta mater sanctæ Gratæ, non solum in bonis operibus sequi virum suum, sed etiam superabundare, et excedere in operibus pietatis et Christianæ religionis; et ut sibi, et suis omnibus orationes et merita ac suffragia omnium beatorum spirituum lucraretur; aliam fecit ædificari ecclesiam ad honorem et gloriam beati Michaëlis archangeli et omnium angelorum, quæ nunc appellatur ecclesia sancti Michaëlis de Arcu *c*. In hac etiam ecclesia ancillæ Christi Deo longo tempore servierunt, degentes sub obedientia venerabilis abbatissæ monasterii de sancta Grata, quod situm est juxta ecclesiam Dominæ sanctæ Mariæ veteris supradictæ. Unde etiam post multo tempore sacerdos, qui in dicta sancti Michaëlis ecclesia ministrabat, a venerabili abbatissa monasterii sanctæ Mariæ supradictæ et sanctæ Gratæ administrationem recipiebat. Beata vero Dei famula Adleyda nomine, operibus pietatis et misericordiæ insistens, et in sancta conversatione perseverans, ac in bonis operibus Deo

c

C serviens, migrans ad Dominum intravit in gaudium Domini sui, ubi cum beato Luppo, viro suo, Regem gloriæ Filium Dei cernit in decore suo, Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit, et regnat per omnia secula seculorum. Amen.

XIII. *Templum super corpus S. Alexandri structum,*

19 Beata quoque Grata martyris sui non immemor Alexandri, sed semper de eo solicita, et fidelissima existens ei et devotissima, attendens quod martyr Dei indecenter staret in prædio suo, sine domo et sine tecto, manus suas misit ad fortia, disponens, et cogitans qualiter templum decens posset super sanctum corpus erigere, in quo fideles Christiani martyris Christi possent suffragia impetrare: cogitavit, inquam, et quod cogitavit, effecit. Nam de suis divitiis, quas in Dei servitio libentissime expendebat, ecclesiam beati Alexandri primam ædificari fecit decentem et utilem, secundum quod tunc temporis qualitas exigebat. Deditque illi ecclesiæ dona magna et larga, omnia videlicet, quæ possidebat Dei Famula circa locum Sancto dicatum, quæ adhuc usque in hodiernum diem illi ecclesiæ pertinere noscuntur. Permansit autem hæc ecclesia ad honorem martyris tempore longo, quo usque illa, quæ nunc est, fuit ædificata *d*. D

d *quo destructo, aliud ædificatum.*

20 Crebrescentibus enim miraculis meritis beatissimi Alexandri, populi in devotionem non modicam accensi, sanctum martyrem, quem in cælo indubitanter constabat a Domino honoratum, in terris honorare et exaltare cupiebant. Unde templum illud nobile, quod nunc est, a fidelibus Christi ædificatum est et ditatum. Nam multi divites et magni multa et magna donaria ad honorem Christi et martyris ejus libentissime tribuebant, sperantes a Domino mercedem æternam, pro cujus amore qui dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam. Quia vero fideles Christiani frequentissime et assidue locum prioris tabernaculi frequentabant in tantum, quod beata Dei ancilla Grata optata quietis silentia convenienter habere non poterat, cogitavit Dei Famula modicum secedere, et ibi prope locum alium ad habitandum eligere, in quo usque ad finem vitæ posset in Dei servitio permanere. E

XIV. *S. Grata xenodochium struit, in quod secedens,* *e*

21 Igitur beata Dei Grata vidua non longe a loco, ubi corpus beati Alexandri martyris Christi venerabiliter sepelierat, xenodochium *e* sive hospitale ad receptionem pauperum construxit, et ibi totam in operibus misericordiæ se dedit, et se ibi omnium pauperum ancillam fecit. Neminem abhorrebat, in tantum etiam ut infirmos aleret, pedes lavaret, ministraret necessaria, et in tribulatione gauderet: nam gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus longo tempore consuevit. Omnes personas advenientes largo excipiebat caritatis sinu, et cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Et non solum materiale hospitale construxerat, sed de cordis hospicio xenodochium fecerat, et misericordiæ viscera alicui claudere nesciebat, affluens pietate et misericordia, et se totam in proximorum curam, atque miserorum compassionem effundens. Cum enim haberet multas divitias et possessiones velut ducissa *f* et regina et domina civitatis, aut in ecclesiis et hospitalibus fundandis, construendis, ditandis, aut pauperibus, orphanis, et viduis sustentandis, dispersit deditque pauperibus: et ideo justitia ejus manet in seculum seculi. F

f

totam se miseriis pauperum sublevandis consecrat.

22 Nullus enim egenus esse poterat, ubi mater misericordiæ beatissima Grata erat. Ipsa multorum filios educavit, multos hospitio recepit: ipsa tribulationem patientibus subministravit: ipsa omne opus bonum subsecuta est. Vere enim, et non immerito, potest de ista Deo Grata illud dici, quod beatus apostolus Paulus Timotheo scribit, dicens: Vidua eligatur in operibus bonis testimonium habens. Ista enim est illa vidua euangelica, quæ posuit in gazophilacio Domini duo minuta. Posuit homines, posuit mulieres, posuit suos, posuit extraneos. Nam per hoc ipsum, quod se obtulit in obsequium martyri Christi, exponens se martyrio, cupiens et ipsa martyr effici pro Christo, tam suos quam extraneos, tam longe positos quam propinquos, circa partes Pergameas, in gazophilacium fidei obtulit Christo. Multa etiam bona, multasque divitias huic caritatis loco contulit venerabilis Grata, mater pauperum, quorum plura usque in hodiernum diem perseverant, in obsequio pauperum et infirmorum.

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *De ætate* S. Lupi *egimus* § 3. *Ex dictis ibidem colliget facile lector, si templum S. Salvatoris primum fuerit Bergomi instauratum potius videri a* S. Lupo, *quam primitus constructum. Quæ autem dicit auctor de* S. Lupi *imagine, cum circulo coronæ in capite depicta, conducere possunt ad cultum ejus antiquum ostendendum ; qui per Officium ecclesiasticum, festumque celebrari solitum, satis jam stabilitus est.*

b *Ad hanc ecclesiam corpus* S. Gratæ *deinde fuit translatum, ut diximus* § 4.

c *Hæc ecclesiarum sive structio, sive instauratio ad seculum item* 8 *referenda, secundum dicta in Comment.* § 3.

d *Id est, usque ad initium seculi* x, *quando, priori ab hostibus vastata, cura S. Adelberti nova fuit constructa, ut in citato sæpe Commentario ad Acta S. Alexandri diximus num.* 22. *Prioris ædificatio, si per* S. Gratam *facta est, ut habet traditio Bergomensis, ad finem seculi* VIII *referenda.*

B e *Hujus xenodochii constructionem certius, ut opinor,* S. Gratæ *omnino tribuemus : nam templa forsan instaurata partim sunt, partim structa.*

f *Ex hoc loco non recte concludes ducissam, reginam, aut dominam civitatis fuisse, sed tantas possedisse divitias, quantas ducissa possideret : licet id auctor dixisse videatur, quia patre duce et domino civitatis nata, regique, ex mente saltem illius, nupta fuit.*

CAPUT IV.

Virtutes S. Gratæ: mors, et sepultura.

XV. *Variæ virtutes* Non solum autem in prædictis, verum etiam in se ipsa beatissima Grata morum honestate pollebat, tanto divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsam esse vas honoris et gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioso, nemo, qui vitam C ejus diligenter adverteret, dubitaret. Tanta etiam in Ancilla Dei lux divinæ gratiæ radiabat, ut amorem sibi omnium raperet, et ipsos quoque adversarios fidei, vi quadam honestatis alliceret, ut ab illis etiam amaretur. Unde et de ipsa pronuntiabant sapientes, quod necesse erat hujusmodi Ancillam Dei prædestinatam fore ad vitam. Et ideo plures exemplo sanitatis illius, veræ fidei et christianitatis meruerunt apprehendere disciplinam ; nam motus illicitos Sancta Dei sub disciplina coercebat, et membra et sensus suos studebat restringere, ne possent lasciviæ et levitati deservire : aspectus suus erat simplex, et humilis, ne fixe aspiceret oculus, quod illicite concupisceret animus : auditus suus fuit purus et discretus, ea, quæ superflua sunt et vana, respuens, et ea, quæ Dei sunt, Grata Dei gratanter suscipiens. Sermo suus fuit sale conditus, ociosa et nociva detestans, bona et utilia commendans : in suo corde fuit mundicia : incessus suus fuit cum gravitate; in vultu pudicitia, status cum reverentia, motus cum maturitate, habitus cum honestate. Ubicumque erat, resplendebat ejus sanctitas, servabatur honestas: in omnibus motibus suis taliter laborare studebat, A. PINAMONTE. ut nihil faceret, quod cujusquam offenderet aspectum, sed quod suam sanctitatem deceret : sic enim lucebat lux sua coram hominibus, ut viderent ejus bona opera : et glorificabant Patrem æternum, qui in cælis est.

24 Has virtutes sanctam Dei Gratam possedisse non ambigebant, quicumque ejus adhuc in carne positæ conversatione noverant, quam virtutibus plenam fuisse, etsi taceat lingua carnis, clamant miracula, felicem ejus transitum tam præcedentia, quam etiam subsecuta. Hæc autem in summa quædam de beatissimæ Gratæ moribus, et sanctitate vitæ, breviter perstricta sunt, ut non minus quidem de hiis sanctis et nobilibus moribus, quam ex miraculorum prodigiis, quam digne apud Deum, et apud homines meritis sanctissima et gloriosa habenda sit, luce clarius elucescat. Utrumque autem, videlicet et morum nobilium sanctitas, et miraculorum divinorum coruscatio, ad nostrum denique profectum dirigitur; dum et in miraculis quod admiramur, aspicimus, et in sanctis et honestis moribus, quod nobis ad imitandum proponitur, invenimus, ad honorem siquidem illius, et gloriam, qui E Sanctos suos et meritorum venustat virtutibus, et quando vult, et prout vult, etiam miraculis coruscare concedit, Jesus Christus Dominus noster Filius Dei vivi, qui cum Patre et Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit et regnat in secula seculorum. Amen. *ex quibus, uti et ex miraculis ejus sanctitas cognoscitur.*

25 Quis beatissimæ et sanctissimæ Gratæ virtutes et opera sancta usquequaque imitari sufficiat? Mirari possumus, et ipsius exemplo pensare corporis nostri inertiam, et præsentis temporis miseriam. Posse vero, quod illa potuit, non humanæ virtutis, sed singularis est gratiæ. Laudemus ergo eam magnifice, et dicamus : Tu gloria Pergamensium, tu lætitia nobilium, tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter, et confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris, et ideo manus Domini confortavit te, et eris benedicta in æternum. Imitemur ergo, prout possumus, materna vestigia, simul et agamus gratia Redemptori, qui talem in via, qua ambulamus, Ductricem exhibuit ancillis suis, et F deprecemur misericordiarum Patrem, ut illo nos regente Spiritu, quo filii Dei aguntur, per terminos, quos posuerunt patres nostri, ad eandem metam perpetuæ felicitatis, et sempiternæ beatitudinis, ad quam illa beatissima Deo Grata sine fine felix introivit, nos quoque indefesso tramite pertingere mereamur. XVI. *Virtutes proponit imitandas,*

26 Quis ergo tibi, beatissima Grata, tali ac tantæ matronæ digne valeat jura gratiarum et laudum præconia impendere, quæ tuo singulari opere civitati Pergameæ succuristi perditæ ? Quas tibi laudes fragilitas Pergamensium persolveret, quæ tuo speciali adjutorio ad fidem Christi pervenit? Et quas tibi laudes, o Sanctissima, nostra fragilitas persolvet, quæ nos tali ac tanto Domino obtulisti? O sancta Dei Grata, a Christo gratificata, moribus ornata, fide beata, spe firmata, caritate radicata, et in omni loco fundata! O mater nostra, o Domina nostra, o Magistra nostra, nos Deo gratifica, nos moribus orna, in fide instrue, in spe confirma, in caritate corrobora, et in omni bono consolida. Accipe, Sancta Dei, accipe, Grata, accipe, Sacrata, accipe, Domina nostra; accipe itaque exiles, quascumque meritis tuis impares, gratiarum XVII. *Sanctumque cum gratiarum actione auctor invocat.*

A. Pinamonte. tiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa: sit per te excusabile, quod gerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus: accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; et excusa, quod timemus. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis Pergamensium, et repende omnibus per circuitum optatum effectum: sit tibi studium assidue exorare pro venerabili Gratia *a* abbatissa tua, vicaria tua, de tuis laudibus multum sollicita, pro ancillis tuis, pro omnibus tui monasterii, pro me fratre Pinimonte *b* misero peccatore, sed devoto tuo, pro me scriptore servo tuo, pro me laudatore tuo, licet insufficienti et indigno, pro toto clero, et pro omni populo Pergamensi, quæ fecisti benedicta cum tuo adjutorio ad Christi fidem converti. Non sit, o Sanctissima Dei, non sit inanis aut vanus labor tuus in nobis, sed sicut nos induxisti ad fidem Christi, ita meritis et precibus tuis perduci mereamur ad gaudia paradisi, te ducente, et Domino nostro Jesu Christo adjuvante, cui est honor, et gloria in secula seculorum. B Amen.

XVIII. *Supremus Sanctæ morbus, obitus, sepultura.*

27 Cum igitur in prædicto hospitali per multorum annorum spatia *c* in Dei servitio perseverasset, et omnes per circuitum nationes jam Domino famularentur *d*, cupiens dissolvi, et esse cum Christo, plena operibus bonis, et dierum multorum, approquinquante fine certaminis, cursus meta, et bonorum laborum fructu glorioso, repositam sibi coronam justitiæ acceptura in cælo, cœpit in prædicto xenodochio gravi corporis ægrotatione languescere, spiritu tamen Deo infatigabiliter adhærebat. Convocatis igitur majoribus xenodochii, cœpit eos ad charitatis, et hospitalibus observantiam, ad virtutis constantiam exhortari. Certa quippe de sua, pro suorum erat salute solicita. Denique beatissima Dei Grata post labores diuturnos, quibus in vinea Domini Sabaoth, in conversione videlicet, et in salvatione Pergamensium, et in operibus bonis fideliter desudaverat, introivit in gaudium Domini sui, diurnumque accepit denarium, complevitque dies suos in bono, et annos suos in gloria, sexto Kalendas Septembris *e*, migrans a corpore, C et præsentis incolatum miseriæ supernæ habitationis et beatitudinis commutans, ubi ab ubertate domus Dei feliciter inebriatur, Regem gloriæ Dominumque virtutum in decore suo conspiciens Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Sepulta autem fuit Pergami in prædicto xenodochio, quod ipsa ædificaverat, ubi sacrosanctum corpus ejus usque ad tempora venerabilis Ambrosii Pergamensis episcopi requievit.

ANNOTATA.

a *Hæc tum præerat monasterio* S. Gratæ, *quam etiam quædam subministrasse documenta, sibique ad Vitam scribendam auctorem fuisse dicit cap.* 6 *num.* 40.

b Pinimonte. *Pinamontem passim nominatum invenio.*

c *Hinc, et ex morte in eodem xenodochio, collegimus, contra sententiam biographi esse, quod reipublicæ administratio Sanctæ attribuatur.*

d *Anno* 305, *quo ejus mortem consignant hodie, nondum omnes per circuitum nationes Domino famulabantur.*

e *Utrum hoc revera die obierit Sancta, an id auctor existimaverit, quia aliquando illo die fuit culta, mihi incertum videtur.* D

CAPUT V.

Miracula post mortem facta.

Ex quo autem beata Dei Grata transivit de morte ad vitam, de mundo ad cælum, de labore ad requiem, de carcere ad palatium, de luctu ad gaudium, de loco xenodochii ad solium regni, de ducatu temporali *a* ad sceptrum paradisi, de pugna mundi ad præmium cæli, post obitum videlicet ipsius nobilis sanctæ Gratæ divina non defuere miracula: quorum quidem plurima per negligentiam delevit oblivio, mater ingratitudinis, gratiæ inimica: plurima vero conscripta sunt, diligenti prius inquisitione discussa, et fidelium attestatione probata. Nam cæcos illuminavit, claudos ambulare fecit, contractos erexit, paralyticos sanavit, surdis auditum restituit, mutis loquelam; et multos a diversis ægritudinibus, et variis languoribus mirabiliter curavit. Audientes autem hæc auribus nostris nonne admirabimur? Vere enim mirabilis est Deus in Sanctis suis. Ipse enim est Deus, qui facit mirabilia. Et ideo, sicut dicit propheta: Filii hominum scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctam suam. Mirificavit Dominus eam intra jocunditate conscientiæ et suavissimis affectionibus. Mirificavit eam etiam multipliciter: mirificavit enim intra, prout supra, mirificavit eam extra, mirificavit eam erga, mirificavit eam supra: mirificavit eam intra, videlicet jocunditate conscientiæ, et suavissimis affectionibus: mirificavit eam extra nobilibus moribus, et pietatis et misericordiæ operationibus. Mirificavit eam erga scilicet proximum, miraculorum virtutibus, et sanctis illustrationibus. Mirificavit eam supra, splendidissimis glorificationibus, jam glorificata in anima: tandem glorificabitur in corpore, scilicet in resurrectione, quando fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum, qui est super omnia benedictus in secula seculorum. Amen.

XIX. *Miracula generatim,* *a* E

F *claudæ gressus concessus,*

29 Redeuntes autem ad historiam, quædam miracula, quæ per idoneos testes ad nos sanctita transmisit auctoritas, huic Opusculo inserenda decrevi. Inter quæ et admiratione digna, primo illud occurrit fide perspicuum, et laude dignum, quod quædam puella de Telgate, cognomento Abbatissa, per plures annos infirmitate constricta, tibiarum et pedum erat officio destituta. Tibias quoque proprias frustra et quasi alienas portabat: nam cum crozolis *b* vix ire poterat, et sine his, vel alio fulcimento non poterat ire quocumque. Cumque dictam puellam domina Pax, amita ejus, in monasterio sanctæ Gratæ causa informationis et instructionis in litterarum scientia collocasset, tam dicta domina Pax, quam etiam ipsa puella, sæpe oratorium beatæ Gratæ ingredientes, ejus adjutorium et misericordiam implorabant. Igitur cum diu beatissimæ Gratæ per liberationem dictæ puellæ prædictæ suffragia postulassent, continuo affuit Dei virtus, et meritis sanctæ Gratæ tibiarum et pedum vires recepit et usum. Recessit igitur restituta plenariæ sanitati, dimisitque crozolas in prædicto monasterio sanctæ Gratæ in argumentum tanti miraculi, Jesu

A Jesu Christi gratias agens nomini, ac beatæ Gratæ testimonium perhibens sanctitati.

XX. *cæco visus;* 30 Sane prætereundum non est abundans et evidens argumentum sanctitatis, quod beatæ Gratæ meritis non tantummodo salus ægris, gressus claudis, loquela mutis, sed et lumen cæcis redditur oculorum. Nam quidam cæcus longo tempore extincti sustinuit damnna visus, nec ullius potuit medicaminis exhibitione juvari. Hic, divina sibi revelante clementia, vidit in visione se venire ad sacratissimum corpus beatissimæ Gratæ, et lumen oculorum jam diu perditum recuperare, et integre recipere. Unde statim quasi infusa luce securitatis, fiducia recuperandæ sanitatis et luminis oculorum in eo perfecta est. Veniens ergo cum magna fiducia, et cum devotione non modica, ad corpus venerabilis Gratæ, invocata beatissima Grata, votum fecit, et statim lumen recepit. Nec mirum, si regnans in patria aperit oculos corporis, quæ adhuc in carne vivens reserabat oculos mentis.

XXI. *lupi repressi,* c 31 Adjiciendum et hoc laudibus Dei et sanctæ Famulæ, ad conterendum molas obloquentis inique. In Cumana *c* autem diœcesi sunt duæ villæ, quarum una Moltrasium, alia vero Vercana B nuncupata est. Prope villas istas apparuerunt lupi rapaces, et feræ pessimæ, quæ invadebant homines et intrantes domos, pueros asportantes interficiebant: sicque timor magnus et tremor invasit omnes, nec audebant exire ad opus suum, nec ad operationem suam etiam ad vesperam. Recordati sunt autem de sancta ac venerabili Grata, eo quod monasterium suum condam *, possessiones ibi habere consueverat. Facto autem ab incolis terræ voto ad beatissimum Martyrem Alexandrum et ad beatissimam Dei Gratam, invenit se gens illa a feris pessimis protinus liberatam. Votum autem illorum fuit, ut quamdiu viverent semel in anno cum crucibus processionaliter corpus sacrosanctum martyris Alexandri, et corpus sanctissimum venerabilis Gratæ, devote et solicite visitarent. Quod votum longo tempore impleverunt, quamdiu duravit pax, et quamdiu gens illa vivebat, quæ se tali voto adstrinxerat. Veniebant autem cantantes et Sanctos laudantes: et gratias Deo, et beato Alexandro, et beatæ Gratæ multiplices referentes, quia eos a feris pessimis liberave-C rant.

* *i. e.* quondam

XXII. *duæ mulieres partus periculo liberatæ;* 32 Nec silenda est cujusdam juvenculæ mira liberatio ad ejus gloriam et honorem, qui ex ore infantium et lactentium perficere novit laudem, ut destruat inimicum suæ perfidiæ defensorem, Gravida siquidem dicta puella pervenit ad partum, et gravi partus dolore urgebatur. Itaque vehementissimi cruciatus aculeis agitata, nec cibum capere, nec quiescere poterat, nec somnum oculis capiebat: nam dolores ejus sicut parturientis. Unde, velut furiosa, continuis clamoribus ululabat. Facto autem voto ad beatissimam Gratam, tam sibi quam filio edito liberationem obtinuit in momento. Simile miraculum de quadam alia intellexi, quæ cum multum in partu magnis affligeretur doloribus, invocatur ab ipsa devotissime beata Grata, et subito a gravissimis doloribus fuit liberata. Nec mirum si regnans in cælo dolores aufert corporales, quæ adhuc vivens in mundo, dolores a multis abstulit infernales: multos enim suis meritis et exemplis, ac sanctis monitionibus docuit, ad Deum attraxit, et ad Christi fidem convertit. Inerat enim ei mira omnium, et maxime Pergamensium salutis æmulatio, et in fæmineo pectore virilem animum gerens, conterebat molas iniqui, et de dentibus illius auferebat prædam. A. PINAMONTE.

XXIII. *mulieri ab equo lasciviente periclitanti subventum:* 33 Illud quoque nulla oblivione delendum, quod quædam nobilis domina de Pergamo, fide digna, et a multis nota, in se ipsa experta est patratum miraculum. Cum enim aliquando cum decenti societate et honesta iret Triscurium, contigit in via quod equus, super quem sedebat, ipsa, lasciviens, et priores calces elevans in duobus posterioribus pedibus se erexit. At vero dicta domina periculum magnum sibi imminere considerans, invocavit devote beatissimam Gratam, et statim ibi in adjutorium suum Sanctam Dei habuit visibiliter præparatam. Nam sibi manifeste visum fuit, quod beata Grata eam in brachiis accepit, et adeo leniter dictam dominam de equo deposuit, ut nullam omnino læsionem sentiret. Ut autem dicta domina tanti doni non esset ingrata, veniens ad monasterium sanctissimæ Gratæ, Domino Jesu Christo salvatori nostro, et beatæ Dei Gratæ ancillæ suæ gratias non modicas referens, dominæ abbatissæ de sancta Grata, et aliis quam pluribus hæc omnia devote et fideliter enarravit. E

XXIV. *auctori ad scribendum facultas data:* 34 Scribantur et hæc in generatione altera, ut populus, qui creabitur, laudet Dominum in venerabili Grata ancilla sua, et nihilominus Gratam laudibus attollat in Domino, qui dat lasso virtutem et robur multiplicat, et aperit os mutorum, et linguas facit disertas. Ego autem, ut non ingratus inveniar, libenter profiteor, quod antequam in servitio beatissimæ Gratæ laborare inciperem, invalidus eram ad scribendum; sermo horrebat, et vix aliquid facere poteram. Ut autem invocata prius Spiritus sancti gratia, et suffragiis sanctissimæ Gratæ, devote quidem, quantum potui, statim persensi mihi divinum auxilium affuisse. Nam mihi in continenti collata fuit cælitus *d* et possibilitas et facultas scribendi, et gratia et facilitas dictandi: et quidam ardor exarsit in corde meo, ut quiescere non possem, quamdiu Opus ipsius venerabilis et inclitæ Gratæ fine debito terminassem: per omnia benedictus Deus, qui adjuvat sperantes in se. d

XXV. *conclusio præcedentium.* 35 Multa quidem et alia tam in vita gloriosissimæ Gratæ illustris reginæ et ducissæ, quam post obitum perpetrata innotuere miracula, quæ non F sunt styli officio designata. De curationibus etiam infirmitatum plura innotuerunt, quæ ad præsens scripto mandata non sunt, ejus sanctitatis insignia. Hæc autem breviter, fideliter, et devote annotata sunt ad sanctitatis ejus astructionem, ad Pergamensium commendationem et instructionem, ad omnium Christianorum ædificationem, ad laudem quoque et gloriam ejus, qui facit mirabilia magna solus, qui Trinus in personis, et unus in essentia, vivit et regnat per infinita seculorum secula. Amen.

ANNOTATA.

a *Ita verisimiliter loquitur, quia ducis est Filia.*

b Crozola, *inquit Cangius*, baculus superne rostratus vel in formam crucis efformatus. *Fulcra itaque sunt claudorum firmandis gressibus.*

c *Intelligenda hic est diœcesis Comensis vel Novocomensis in ducatu Mediolanensi ad lacum Larium, nunc* Comensem *dictum, in qua sunt villæ*

A. PINAMONTE. *villæ sequentes. Certe* Multrasium *reperitur apud Paulum Jovium in descriptione lacus Larii. Comenses quoque olim* Cumanos *reperi vocatos.*

d *Vereor, ne vir bonus sibi imprudens imposuerit: nam sive stylum species, quem tamen ævo barbaro condonare possumus, sive ordinem, sive, quod præcipuum est, veritatem relatorum, non opus esse videtur magno miraculo, ad Vitam, siculi conscripta est, componendam.*

CAPUT VI.

Translatio corporis: ex quibus documentis Vita scripta.

XXVI. *Ambrosius episcopus ad preces abbatissæ S. Mariæ veteris* a

Translationem *a* beatæ et gloriosæ illustris matronæ, dominæ sanctæ Gratæ, diligenter et fideliter cupio declarare, et qualiter de loco xenodochii ad locum monasterii sacrosanctæ reliquiæ corporis sacri delatæ fuerint, vestræ devotioni ad memoriam revocare. Placuit enim Deo, et translata est. Ante translationem autem B testimonium multiplex habuit placuisse Deo: sine fide autem, ut ait Apostolus, impossibile est placere Deo. Ipsa vero Dei Famula fidem Jesu Christi æterni Dei a primævo ætatis suæ plenissime habuit, et demum Pergamenses Christianam fidem habere fecit. Igitur sacrum corpus beatæ Gratæ requievit in xenodochio, quod ipsa construxerat, in loco, ubi primo fuerat tumulatum, usque ad tempora venerabilis præsulis Ambrosii Pergamensis episcopi, viri scientia et moribus adornati. Hujus in temporibus fuit in monasterio sanctæ Mariæ veteris, quod nunc est ejusdem sanctæ Gratæ, venerabilis abbatissa, re et nomine Officia, sapiens et discreta, quæ circa divina juxta sui nominis consonantiam officiosissima fuit et sollicita. Hæc Spiritu sancto inspirata, cœpit in corde suo tractare, qualiter corpus sacrum sanctæ Gratæ, tam videlicet preciosum thesaurum posset acquirere, et in suo monasterio venerabiliter collocare. Unde venerabilem ecclesiam, pulchram et devotam orationis domum, quæ perseverat usque ad hodiernum diem, C ad honorem sanctæ Gratæ construi fecit, et decenter ornari. Quibus peractis, accessit ipsa domina Officia ad supradictum venerabilem Ambrosium episcopum, et flagitare cœpit precibus importunis cum magna instantia et inconsolabili cordis anxietate, ut corpus sacrosanctum beatissimæ Gratæ sibi concedere dignaretur, quatenus in venerabili templo, quod ipsa sibi paraverat, reverenter et cum devotione multimoda post altare ejusdem sanctæ Gratæ venerabiliter locaretur. Instabant etiam quam plures alii, et gratia ipsius dominæ abbatissæ, et qui devotione accensi Sanctam Dei exaltare et honorare intendebant: et desiderio sancto permoti, virum Dei episcopum Ambrosium instantius flagitabant, ut acquiesceret deprecanti.

transfert Sanctæ corpus ad novam, eique dicatam ecclesiam,

37 A ille ut erat miseratione plenissimus, scientia et discretione conspicuus, attendens Dei honorem et sanctæ Gratæ sublimationem, sanctis desideriis et justis postulationibus acquievit. Consideravit enim vir Dei, quod sæpius et facilius posset a populo frequentari et visitari, et quod decentius et honorabilius requiesceret in nobili templo et decenti, ad honorem Sanctæ Dei fabricato, quam in oratorio humili et a civibus satis remoto. D Venerabilis itaque pontifex Ambrosius antedictus, Spiritu sancto inspiratus, convocato clero, et populi multitudine, in die Kalendarum Maii cum magna reverentia et devotione ad hospitale, quod ipsa Dei Grata adhuc vivens construxerat, cum ipsis accessit, ubi prius sacrum corpus fuerat tumulatum. Cumque monumentum aperuissent, fertur a sacris reliquiis odor suavissimus effragrasse, in tantum ut videretur odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Miracula etiam plura in die illa meritis sanctæ Gratæ claruerunt, quæ per negligentiam oblivioni tradita sunt et neglecta. Cum autem portando sacras reliquias, laudes divinas intonando et jubilando, ad locum, qui dicitur Ripa russa, seu Ripa rubea, sub monte videlicet sancti Johannis, pervenissent, nullo modo sacrum corpus movere potuerunt.

quod in via immobile factum, post preces movetur, et post altare majus deponitur:

38 Quamobrem venerabilis præsul prædicationem fecit, et orationes indixit, ut pius Deus, et sanctissima Grata gratiam talem præstare dignarentur, ut glebam sacri corporis ad locum destinatum possent transferre. Quibus peractis, sine aliqua difficultate statim corpus sacrum moveri potuit, et deductum est ad decentem eccle- E siam in ejus nomine fabricatam: et sic post altare majus devote et fideliter reconditur cum honore. Festumque statuitur celebre eodem die, et multa ad Dei laudem, et sanctæ Gratæ sublimationem præstantur beneficia. Circa etiam loca illa Deo et sanctæ Gratæ dicata tale epitaphium continetur:

Præsul Ambrosius meritis et nomine dignus,
Corpus Matronæ justo sepelivit honore.
Digna fuit cælis Domino Matrona fidelis,
Semper apostolico fungitur et solio.

Postquam autem corpus beatæ Gratæ translatum fuit ad locum supradictum, in quo nunc requiescit, placuit venerabili Pergamensi episcopo et canonicis hospitale transferre, et in loco, ubi nunc dicitur hospitale sanctæ Gratæ, in Vineis collocare.

XXVII. *visitatio loci illius in die Palmarum.* F

39 A tempore vero translationis sanctæ Gratæ statutum et ordinatum fuit, et a venerabili episcopo Ambrosio, et a ceteris pontificibus in Pergamensi episcopatu successoribus suis, quasi pro lege observatum est, ut in Dominica Palmarum, postquam pontifex olivas cum palmis apud sanctum Alexandrum benedixerit, ad locum præfatum, qui dicitur Ripa rubea, in quo corpus sanctum beatæ Gratæ immobile ad tempus mansit, nec moveri potuit, stationem faciat episcopus cum clero et populo. Et facta ibi prædicatione et data benedictione, versus sanctum martyrem Vincentium procedunt. Cum autem processio ante portam ecclesiæ sanctæ Gratæ pervenerit, pontifex manu sua palmam honorabilem et decentem venerabili abbatissæ de sancta Grata honorifice repræsentat, dataque sibi benedictione, ad sanctum Vincentium pontifex progreditur cum honore, et divina cum gaudio peraguntur.

XXVIII. *Ex quibus documentis hæc Vita scripta:*

40 Accipite hoc Opus, dilectissimi, et vos maxime, ancillæ Christi, cum magna diligentia vigilatum, in quo multa, quæ in diversis erant locis, aut in libris et quaternis scripta, quos etiam de circumstantibus civitatibus et terris apportari feci: aut in cartis et privilegiis annotata, aut in muris et parietibus, seu etiam in quibusdam versibus exarata, aut in quibusdam scriptis de litera Beneventana *b*, quæ a paucis legi poterant,

A rant, precibus et documentis venerabilis abbatissæ dominæ Gratiæ, in unum ad honorem et gloriam Domini nostri Jesu Christi æterni Dei, et gloriosæ Matris ejus Virginis Mariæ, ac sanctæ suæ Gratæ, fideliter et devote compilata sunt. Vere et congrue per solicitudinem dominæ Gratiæ gratiam hanc habere debuimus, ut juxta sui nominis consonantiam, totum quod circa hoc negotium gestum est, gratiæ Dei attribuendum est, ut sit gratia pro Gratia. Quapropter de cetero, qui in Pergamensi populo Christianam fidem habuerit, sanctissimæ Gratæ devotam festivitatem facere non omittat, nec ancillæ Christi, sanctæ Gratæ sorores et filiæ, ejus gloriosam memoriam diebus singulis decantare. Nam laus venerandæ ducissæ et reginæ, beatissimæ Gratæ, a multis lacrymas devotionis excussit, audientium liquefecit affectum, emollivit duriciam, et pium in eorum cordibus invexit ardorem, sicut in suave sonantibus canticis spiritualibus, nuper editis, devota anima poterit experiri. Quæ idcirco commemorata sunt, ut legentium devotio deinceps in laudem sanctæ Dei Gratæ solicite et fideliter, ac ferventius animetur.
B Igitur, ancillæ Dei, hæc, quæ suprascripta sunt ad honorem Dei et sanctissimæ Gratæ, ad consolationem et ædificationem vestram et omnium Christianorum, devote suscipite, et sanctæ matris vestræ Gratæ castitatis et caritatis æmulationem fervete.

41 Obsecro autem in nomine Jesu Christi legentes et intelligentes hoc Opusculum, ut si forte aliqua invenerint, quæ alibi non reperiunt, non æstiment me adinvenisse; sed in diversis locis, sicut supra memini, lecta et a fide dignis audita me noverint scripsisse. Si autem pauciora, quam noverint, repererint, nec mihi illud imputent, quia aut exemplaria non habui, aut plura non novi, quæ digna essent fide. Benedicti itaque sint a Domino, qui hæc scripta legerint, scripserint, habuerint, aliis commodaverint, audierint, vel retulerint. Et ut cum beatissimo Alexandro et sanctissima Grata, et cum aliis justis, quorum in hoc libello memoria habetur, habeant consortium, pro me misero peccatore fratre Pinimonte orare dignentur. Orate, inquit beatus Jacobus, pro invicem, ut salvemini. Ad æternam salutem in gloria paradisi precibus et meritis beatissimæ Gratæ nos perducere dignetur Dominus Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. Explicit legenda sanctæ Gratæ. Deo gratias. Amen.

A. Pinamonte. xxix. conclusio.

ANNOTATA. E

a *Consuli possunt de translatione notata in Commentario* § 4.
b *Litteris, opinor, Longobardicis.*

DE S. FREDALDO VEL FRODOALDO

EPISCOPO ET MARTYRE

MIMATE IN OCCITANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS C.S.

C **Notitia loci, in quo Sanctus colitur: annuntiatio in Martyrologiis; an fuerit episcopus Mimatensis? tempus martyrii, et sepulturæ locus, Acta.** F

Intra annos DCCCXIV et DCCCXL. Notitia loci, in quo Sanctus colitur.

Situm ac descriptionem loci, in quo hic sanctus Episcopus ac martyr colitur, tradit Baudrandus tomo 1 Geographiæ pag. 656 : Mimatum seu Mimate, *inquit* (*indigenis* Mande *vocatur*) urbs Galliæ, alias in Aquitania, nunc in Occitania, Gabalorum caput, versus Cemenos montes et fontes Oldæ fluvii, episcopalis est sub archiepiscopo Albigensi, et Anderitum seu Gabalum dicitur a quibusdam ; sed re vera distat quatuor leucis a ruderibus Anderiti, ubi nunc vicus inest Javoux dictus, teste Catello, et crevit ex ejus ruinis, cum antea tantum esset vicus ad montis Gredonensis radices, ubi hodie sita est, et ubi occubuit S. Privatus martyr : decem leucis distat a Floriopoli in Ortum hybernum, uti ab Anicio, et quatuordecim a Rutenis in Ortum, estque in tractu montuoso sed feraci. *Consonat fere Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana novissimæ editionis tom.* 1 *col.* 83 *et seqq., in eo tamen discrepans, quod Mimatensem civitatem æqualiter pene a tribus assignatis urbibus dissitam faciat. De* Javouls *vero sic ait :* Quidam volunt, vicum seu oppidulum Javouls, quod a Mimate quatuor leucis distat, fuisse olim caput gentis Gabalorum, similitudine nominis potius, quam aliquo certo testimonio adducti. *Addit etiam Mimatem olim urbem episcopalem sub metropoli Bituricensi fuisse, ac nunc sub Albiensi, ac intra jurisdictionem parlamenti Tolosani contineri, Porro de Gabalis (vernacule* les Gevaudans) *multis agit Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pagina* 213 *et seqq. Ex quo vero tempore Gabalitanæ gentis cathedra Mimatem translata sit, discutiemus. Sancti interim in Fastis memoriam accipe.*

Cultus et Martyrologiis.

2 *Martyrologium Parisiense editum anno* 1727 *sic eum annuntiat :* Apud Gabalitanos, sancti Fredaldi Gabalensis episcopi et martyris, cujus capsa sæculo decimo sexto a Calvinianorum furore servata fuit. *Castellanus in Martyrologio universali*

AUCTORE C. S.

versali Gallice conscripto locum addit, in quo sacra ejus ossa quiescunt. Verba ex Gallicis Latina hæc sunt : In comitatu Gabalitano in Occitania, S. Frodoaldus episcopus Gabalensis (*Gallice est* de Javoux ;) *cujus corpus* honoratur apud Canonicam (*Gallice* a la Canourgue) in ecclesia sui nominis. *Eumdem assignat laudatus supra Sammarthanus col.* 88, *ubi in serie episcoporum ecclesiæ Mimatensis hæc habet :* S. Fredaldus tempore Ludovici Pii martyrio sublatus est ab impiis hominibus, quorum dux fuit ipsius nepos, alter Judas, osculo adhibito ad ipsum prodendum, memoraturque IV Septembris in Officio sanctorum Mimatensium. Ejus corpus custoditur in templo ipsius nomine insignito prope Canonicam. *Locum cultus exprimit Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum his verbis :* In civitate Mimatensi, S. Fredaldi episcopi ejusdem urbis, et martyris. *Consonat Andreas Saussayus in supplemento Matyrologii Gallicani dicens :* Mimate Gabalorum natalis sancti Frodoaldi episcopi et martyris. *Dein prolixum ipsius elogium texit ex lectionibus Sancti propriis, quas infra recudemus. Denique Simon Peyronetus in Catalogo*
B *Sanctorum in Notis de ejusdem cultu scribit sequentia :* Cl. Roberto ac Saussaio FRODOALDUS dicitur, Chenutio FREDOALDUS ; in Proprio vero Mimatensi FREDALDUS, vulgo FRESAL, apud Catellum nostrum...; sub qua nuncupatione habet ecclesias et loca sibi dicata in prædicta diœcesi Mimatensi, et quidem in archipresbyteratu Cebennarum extat parochia, seu locus, vulgo S. FRESAL DE VENTALON dictus, et in archipresbyteratu de Bariac, S. FREZALS DE GREZE, et S. FREZALLES-LES-LA-CANOURGE, S. FREDALDUS PROPE CANONICAM, et ibi ostenditur locus, ubi a nepote occisus.

Fuit episcopus Gabalitanus :

3 *Sanctum Martyrem nostrum episcopalem cathedram tenuisse apud Gabalos in Occitania omnibus in confesso est. Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum pagina* 213 *et seq. de Gabalis prolixe satis tractans, Anderitum urbem perantiquam gentis Gabalitanæ olim caput statuit, quæ deposita propria veterique appellatione nomen gentis, exemplo aliarum Galliæ urbium, suscepit,* civitas Gabalum, *ac* Gabali *dici cœpta. Fixam hic fuisse episcoporum sedem ex eorumdem in variis Galliarum conciliis subscriptionibus manifestum est. Audi laudatum supra Sammartha-*
C *num col.* 83 *de ecclesia Mimatensi differentem :* Mimas ad Oltum fluvium, nunc sedes episcopalis Gabalorum, olim vicus tantum erat, a monte Mematensi, cui adjacet, sic dictus; qui illustratus martyrio et sepulcro sancti Privati episcopi Gabalitani, clarior evasit; tandemque sede episcopali nobilitatus est ac factus civitas : quod Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum putat non diu ante annum Christi millesimum contigisse. Prius itaque Gabalitanus episcopus cathedram habuit in civitate Gabalum seu Gabalorum, ut probant priorum Galliæ conciliorum plurimæ subscriptiones. Porro civitatem illam vocatam ANDERITUM, docent multa veterum testimonia. *Huc usque Sammarthanus, cui et reliqui eruditi consentiunt.*

sed incertum est, Gabaline sederit, an Mimate.

4 *At incertum est, a quo tempore cathedra ex urbe Gabalitana in Mimatensem translata sit; unde ulterius dubium fit, in hac an in illa* S. Fredaldus *sedem suam habuerit. Res extra controversiam foret posita, si longioribus Actis S. Privati, cujus martyrium Cuperus noster, tom.* IV *Augusti ad diem* XXI, *post medium seculi* III, *aut initio* V *statuit, certa fides adhiberi posset :* D
in hisce etenim et S. Privatus, et quotquot eum præcesserant, Mimate sedisse dicuntur. Verba accipe : Tunc regioni sive ecclesiæ illi sanctus Privatus præsidebat, sedem in Mimatensi habens viculo, prrpterea quod qui ante ipsum episcopatus ordinem tenuerant, in eo loco et commorati fuerant et sepulti. *Si hisce, inquam, Actis indubitata fides adhiberi posset, omnino dicendum esset,* S. Fredaldum *Mimate sedem habuisse, cum hic aliquot seculis S. Privato sit posterior. Verum Acta illa, ut notavit laudatus Cuperus pagina* 436 *num.* 15, *propter ea ipsa displicent eruditis, inter quos Tillemontius tomo* 4 *Monument. Eccles. pag.* 651 *aliique suspicantur, illa post seculum decimum composita esse : Cuperus vero fatetur, se antiquitatem eorumdem certis argumentis defendere non posse.*

Rejicitur sententia auctoris Actorum S. Privati : Dionysii Sammarthani mens poponitur :

5 *Displicuere etiam Sammarthano loco citato, ubi post relata a nobis verba sic prosequitur :* Proindeque juxta hæc Acta ab Christianæ religionis exordio, Mimas semper fuisset sedes episcopalis, quod pugnat contra veterum consuetudinem, et canones, quibus cautum erat, ne E
in viculis cathedræ episcopales constituerentur. *Et post pauca :* Præterea ex his Actis habetur, plures episcopos *(cum solus sanctus Severianus apud ipsum sit cognitus)* præcessisse S. Privatum in episcopatu; quod minime eruditis adprobatur; maxime iis, qui volunt, S. Privatum occisum esse in irruptione Alamannorum sub Chroco duce facta an CCLXV, aut CCLXVIII : *quam sententiam Cuperus noster in re dubia sequendam duxit, donec certiora pro contraria producantur. Deinde mentem suam idem eruditus Benedictinus aperit his verbis :* Verisimile tamen est, Mimatem vicum post S. Privati martyrium, pace ecclesiæ reddita, populorum, qui ad ejus sepulcrum confluebant, frequentia factum esse celebrem; hocque loco episcopum et clericos sedem fixisse. *Hæc vaga locutio nullum certum seculum determinat : verum ex iis, quæ subdit, satis eruitur, existimasse Sammarthanum, jam diu ante* S. Fredaldi *tempora hanc cathedræ translationem peractam fuisse : nom mox occurrit objectioni, quam noverat ex priorum Galliæ conciliorum subscriptionibus ab eruditis formari.* Nec obstat, *inquit,* quod hi præsules dicti sunt nihi- F
lominus GABALITANI ; non enim ita dicti sunt a vico JAVOULS, sed a tota gente Gabalorum, cui præerant : quemadmodum diu dicti sunt Arverni episcopi, qui apud Clarum-montem sedebant, non Claromontenses, et qui Anicii, episcopi Vellavorum appellabantur, non Ancienses aut Podienses. *Itaque juxta Sammarthani mentem* S. Fredaldus, *cujus martyrium sub Ludocico Pio seculo* IX *contigit, in urbe Mimatensi sedem suam jam olim constitutam tenuit.*

cui contraria opinantur Valesius, et scriptores Occitaniæ

6 *At vero Hadrianus Valesius loco jam citato existimat, translationem illam* non multo ante annum Domini millesimum *contigisse. Ad Valesium prope accedunt eruditi Benedictini Historiæ Occitaniæ scriptores, qui tomo* 1 *in Notis pag.* 640 *et* 641 *de hac controversia disputantes, translatæ cathedræ epocham ad medium circiter seculi* X *verisimillime referendam arbitrantur. Rationes, quibus tum hi tum ille ducuntur, accipe. Argumentum præcipuum desumunt ex prioribus Galliarum conciliis, quibus episcopi* Gabalitani *plures, nullus* Mimatensis *subscripsisse leguntur. Verbi causa, concilio Arelatensi* 1 *anni* 314 *subscripsit :* Genialis diaconus de civitate

AUCTORE C. S.

A vitate Gabalum provincia Aquitanica : *Agathensi anni* 506 Optimus diaconus, missus a Leonico episcopo Gabalum civitatis : *Avernensi anni* 535 Hilarius episcopus ecclesiæ Gabalitanæ : *Aurelianensi* IV *anni* 541 Evanthius episcopus civitatis Gabalitanæ : *Remensi anni* 625 *vel* 630 Agricola Gabalensis episcopus. *Quid multa? ipse Sammarthanus in serie episcoporum Mimatensium fatetur, Agenulfum, qui* S. Fredaldo *posterior est, anno* 876 *concilio Pontigonensi subscripsisse ut* Gabalitanensem *episcopum: quin etiam notat, quod Ragamundus seu Raimundus primus omnium anno* 1031 *in concilio Bituricensi se* Mimatensem *episcopum subscripserit.*

qui non nisi seculo X *Mimatem cathedra episcopali*

7 *Cum itaque Valesius invenerit nullum, qui ante annum millesimum se Mimatensem episcopum diceret, hinc collegit, Mimatem circa id tempus episcopatu primum illustratam fuisse. At vero laudati Occitaniæ scriptores citant chartam quamdam anno* 950 *confectam, in qua diserte legitur :* Ego Stephanus ecclesiæ Mimatensis episcopus. *Chartam illam recitat Mabillonius de Re diplomatica pagina* 569. *Unde illi inferunt translationem* B *cathedræ post medium seculi decimi differi non posse. Occasionem transferendæ sedis certam non proferunt; suspicantur tamen, tum forte eversum fuisse Gabalum ab Hungaris, qui circa annum* 925 *Aquitaniam infestarunt. Ad responsum autem Sammarthani num.* 5 *allatum reponunt, difficultatem non dilui exemplo Claromontensium aut Aniciensium; mirum enim non esse, quod priores* Arverni *appellarentur, etiam dum apud Clarum-montem sedebant, cum Claromontana civitas, mutato nomine, eadem sit cum veteri Arvernensi; adeoque nulla hic intervenerit cathedræ translatio. De Aniciensibus vero fatentur quidem, eos post fixam Anicii sedem,* Vellavorum *præsulum titulum conservasse, sed ita tamen ut et eodem tempore* Anicienses *scriberentur, quemadmodum apud eumdem Sammarthanum tom.* 2. *Instrument. col.* 221 *et seqq. videre licet; simile autem quid de Mimatensibus negant reperiri.*

illustratam esse arbitrantur.

8 *Opinionem suam ulterius stabiliunt scriptores Occitaniæ ex Adone seculi* IX *martyrologo, qui Mimatem sub vici nomine commemorat ad* C *diem* XXI *Augusti sic annuntians :* In territorio civitatis Gabalitanæ vico Mimatensi natalis S. Privati episcopi. *In eamdem sententiam citant Reginonem, qui in Chronicis initio seculi* X *conscriptis lib.* I *recensens martyres sub Valeriani et Gallieni imperio passos, hæc habet :* In territorio Canallitano *, vico Mitanensi * Privatus episcopus. *Si igitur seculo* IX, *si initio decimi vicus tantam fuerit Mimas, qua ratione contra antiquos canones episcopi tum temporis in ea resedisse dicuntur? Sane ipse laudatus Dionysius Acta S. Privati suspecta habet, quia* juxta hæc, *inquit*, ab Christianæ religionis exordio, Mimas semper fuisset sedes episcopalis, quod pugnat contra veterum consuetudinem et canones, quibus cautum erat, ne in viculis cathedræ episcopales constituerentur: *at eadem consuetudo, iidem canones assignatis seculis vigebant, adeoque si Mimas tum tantum vicus fuerit, nondum illa dignitate fulgebat. Huic argumento opponi potest, quod citati auctores de Mimate loquantur non prout seculo* IX *et initio subsecuti erat, sed prout fuerat, cum S. Privatus martyrio coronaretur. Inficiari nequeo, hunc genuinum esse Reginonis sensum; sed aliter de Adone sentio : nam ille palæstram, hic locum, quo suo tempore sanctus martyr colebatur, assignat : Mimas autem, dum Privatus passus est, urbs certe non erat, et consequenter in Mimatensi urbe occubuisse dici non debuit : at si S. Adonis tempore jam civitas episcopalis evasisset, (quod illum non potuisset latere) inepte ab eodem* in territorio civitatis Gabalitanæ vico Mimatensi natalis S. Privati *annuntiatus fuisset.*

* *l.* Gabilitano
* *l.* Mimatensi

Respondetur ad difficultates,

9 *Videamus modo, quæ contra relatam opinionem proferantur difficultates. Exhibent eas jam sæpe memorati scriptores Occitaniæ, et ad earum quamlibet respondere conantur. Ex Actis S. Amatii, tom.* I *lib.* 3 *num.* 82 *dixerant, Gabalitanam urbem a Wandalis Croco duce sub initium seculi* V *penitus vastatam fuisse. His conformia narrantur in Actis S. Privati, quæ apud Cuperum nostrum ad diem* XXI *Augusti legere est; et a Gregorio Turonensi lib.* I *Historiæ Francorum cap.* 32. *Hinc inferri posse innuunt, eversis Gabalis, Mimatem in urbem excrevisse et translata eodem cathedra auctam esse. Sed argumentum hic non multum morari nos debet : nam in primis, ut citati Benedictini notavere, Gregorius* E *Turonensis nusquam diserte asserit, Gabalitanam urbem a præfatis barbaris fuisse excisam; sed nec id affirmant Acta S. Privati; quamquam tam hæc, quam ille totam illam regionem miserandum in modum afflictam vastatamque fuisse referant. Quid S. Amatii Acta ad propositum tradant, ignoro : at respondent citati Benedictini, ea recentiora videri, quam ut illorum auctoritate tuto stari possit. Forte hæc eadem in Opere nostro discutienda venient : ego interim nec rejicere possum nec admittere : verumtamen non video, sententiam supra positam ex hac parte solide posse oppugnari : ut enim quidquam roboris hoc argumentum haberet, ostendendum erat, prædictam urbem non modo penitus fuisse deletam; sed ita deletam, ut reddita postmodum pace, non fuerit restaurata : id vero factum non esse persuadere videntur allatæ num.* 6, 7, *et* 8 *rationes.*

quæ huic opinioni

10 *Alteram difficultatem sibi objiciunt ex eodem S. Gregorio Turonensi, qui lib.* 10 *cap.* 29 *supponere videtur, inquiunt, Mimatem circa seculi* VI *finem episcopatu jam decoratam fuisse : agens enim de S. Aredii obitu, energumenam sic* F *loquentem inducit :* Ecce adest Julianus ex Brivate, Privatus ex Mimate. *Verum ego hinc nihil aliud extundere possum, nisi quod S. Gregorius ibi de Mimate loqui videatur tamquam de loco sepulturæ aut etiam cultus, ut observavit Bailletus in Vita S. Privati : sed id non obstat, quominus episcopi eo tempore adhuc in veteri Gabalo resedisse dicantur. Pergunt laudati scriptores et alio ejusdem sancti historici loco objectam difficultatem augere nituntur. Lib.* 6 *cap.* 37 *S. Lupentius dicitur* abbas basilicæ S. Privati martyris urbis Gabalitanæ. *Ex hisce verbis concludi posse, aiunt, quod cum memorati martyris monasterium verisimillime sepulcro ejus et Mimati quidem inædificatum fuerit, Mimas seculo* VI *senescente, quo S. Lupentius vixisse traditur, veteris Gabalorum metropolis vocabulo, adeoque et episcopali cathedra jam gavisa fuerit.*

opponuntur : et laudatis Benedictinis subscribitur.

11 *At ex hoc argumento, in quo omnia dubia sunt, nihil certi erui potest. Dubium est* 1°. *an præfatum monasterium in ipso sancti sepulcro Mimate fuerit exstructum. Dubium est* 2°. *an sanctus ille martyr eo loco, ubi nunc Mimas condita est, sepulturæ mandatus sit : certe id nusquam*

AUCTORE C. S.

nusquam, quod sciam, diserte traditur. In Actis apud Cuperum supra citatum nullus determinate locus assignatur. En verba : Quia tunc tanta in Christianos persecutorum fervebat rabies, ut nec Sanctorum cineribus parcerent, crypta in subterraneo facta est, in qua sanctum corpus cum honore collocatum est. *Præterea, quod caput est, qua ratione probabunt, verbis illis* urbis Gabalitanæ *Mimatem designari? Enimvero hæc non ad vocem* basilicæ, *sed ad* Martyris *referenda esse, ipsa verborum naturalis connexio manifeste innuit : ut sensus sit, S. Lupentium fuisse abbatem* basilicæ S. Privati martyris, *id est qui martyr fuit,* urbis Gabalitanæ: *Gabali enim, non Mimate, quæ tum vicus tantum erat, S. Privatus cum martyrium subiret, fatente Sammarthano, episcopus residebat : frustra itaque ex citatis verbis eruere quis voluerit, Mimatem seculo* VI *Gabalorum gentis metropolis adscito nomine metropolim fuisse et episcopalem. Fateor tamen scriptorum Occitaniæ sententiam non adeo certam esse, ut alterius probabilitatem prorsus elidat : neque vero id illi ipsi contendunt, suam dumtaxat ut valde verisimilem defendere contenti.* B *Hos ego, dum certiora pro Mimatensi S. Fredaldi cathedra proferantur, ut probabilioribus nixos rationibus sequendos censeo. Forsitam hisce antiquitatis tenebris in unam alteramve partem aliquid luminis afferent SS. Amatii et Lupentii Acta, cum in Opere nostro venerint examinanda.*

Tempus martyrii :

12 *De anno, quo Sanctus noster martyrio coronatus est, nihil certi memoriæ proditum reperio, nisi quod illud* tempore Ludovici Pii, Caroli Magni filii, *subiisse tradatur in Officio proprio Mimatensis ecclesiæ infra recudendo. Porro Ludovicus Pius anno* 781 *regno Aquitanico a patre donatus est : anno vero* 814, *mortuo Carolo, imperium obtinuit. Quamobrem si verba Officii Aquitanicum Ludovici regnum designent, martyrium Sancti in seculum* VIII *vergens ad finem potuit incidisse : si imperium denotent, non nisi seculo* IX *jam aliquot annis inchoato statuendum est : imperii tamen tempus hic notari existimo. Cum itaque Ludovicus ab anno* 814 *usque ad* 840 *imperaverit, intra horum annorum limites mors Sancti statuenda est. At divinare non ausim, quo determinate anno contigerit. Castellanus in Martyrologio universali eam* 820 *illigat ; Parisiense* C *circa eumdem vel* 830 *statuit: Dionysius Sammarthanus altum de eo silet, contentus sancti martyrium ad præfati imperatoris tempora retulisse : mihi nihil certius apparet, quam quod verus obitus annus ignoretur.*

locus sepulturæ

13 *Distinctius de sepulturæ loco agunt scriptores, quamvis de eo Acta, quæ viderim, etiam sileant. Saussayus in supplemento ad* IV *Septembris locum his verbis assignat :* Sacer Præsul decisum caput propriis manibus resumens eo usque mirabiliter gradiendo detulit, ubi a gemente fideli populo honorifice sepultus est, non longe ab oppido et castro de Canonica, ubi in asceteriolo sui nominis, Ordinis sancti Benedicti, nunc usque asservatur et colitur. *Scriptores Occitaniæ tom.* I *lib.* 9 *num.* 103 *locum sepulturæ distinguunt a monasterio, in quo juxta Saussayum sacra ejus ossa quiescunt. Verba ex Gallico hæc sunt :* Sepultus fuit in ecclesia vicina castro Canonica *(la Canourge)* ac paulo post translatus in quoddam monasterium Ordinis S. Benedicti in eodem loco exstructum. Monasterium hoc sub nomine S. Martini dedicatum postmodum abbatiæ S. Victoris Massiliensis subjectum fuit, cui etiamnum cum titulo Prioratus D conventualis paret. *De templo,* S. Fredaldo *dedicato, nihil addunt : at Sammarthanus tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 88 *illius diserte meminit in episcopis Mimatensibus de* Fredaldo *subdens:* Ejus corpus custoditur in templo ipsius nomine insignito prope Canonicam.

14 *Porro Canonicam inter destructas diœcesis Mimatensis abbatias citatus auctor recenset col.* III, *ubi et loci situm paucis assignat :* Canonica, vulgo la Canourgue, sub S. Martini patrocinio, fuit antiquitus celeberrimum cœnobium, situm in episcopatu Mimatensi, in pago Bearnecensi : *distat autem* 5 *leucas majores Gallicas Mimate juxta ejusdem tabulam, tomo* I *præfixam. Deinde refert, quod seculo* XI *grassante simoniaca hæresi, monasterium illud in laicorum hominum dominationem devenerit, donec tandem sub Aldeberto I episcopo anno* 1060 *abbatiæ S. Victoris Massiliensi fuerit subjectum. An in hocce loco Sancti reliquiæ adhuc asservarentur, cum seculo* XVI, *teste Martyrologio Parisiensi, a Calvinistarum furore servatæ sunt, nusquam reperi. Illud certum est, Occitaniam assignato seculo ab hæreticis illis miserandum in modum vastatam esse,* E *prout apud Occitaniæ scriptores tom.* 5 *videre est : ubi et Mimatensem urbem sæpius ab iisdem captam, et anno* 1579 *ferro flammaque magnam partem deletam fuisse reperies.*

assignatur.

15 *Iidem Benedictini tom.* I *lib.* 9 *pagina* 494 *quorumdam S. Præsulis Actorum meminerunt, citantes in margine Saussayum in supplemento Martyrologii Gallicani, Cointium ad annum* 831 *num.* 6, *et Sammarthanum tom.* I *pag.* 88. *Verum Acta illa nihil aliud esse, quam ipsum S. Fredaldi Officium, sive lectiones, quæ inter Officia propria Mimatensis ecclesiæ excusa sunt, ipsi auctores citati faciunt manifestum. Dionysius Sammarthanus ad hoc Officium remittit : Cointius verba Saussayi describit : Saussayus denique Lectiones prædictas ita contraxit, ut ipsas non uno in loco phrases ipsasque voces servaverit, nihilque addiderit, præterquam quod locum designet, in quo sepultus est, et sacra ejus ossa debito cum honore asservantur. Itaque cum alia de hoc sancto Martyre mihi monumenta non suppetant, hoc ipsum Officium huc transfero. Quod autem præ manibus habeo, editum est Lugduni anno* 1619, *ac præter mortis relationem, sacrilegique* F *parricidæ pœnam vix quidquam continet, nisi elogia.*

Acta recudenda quæ.

OFFICIUM

PROPRIUM.

Officium Sancti proprium.

Die IV Septembris. In festo sancti Fredaldi Mimatensis a episcopi, et martyris, duplex.

Oratio. Deus fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Fredaldi pontificis nostri martyrio consecrasti : tribue nobis, quæsumus, famulis tuis, ut cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus ejus indulgentiam consequamur. Per Dominum etc.

In primo Nocturno, lectiones de Scriptura occurrente.

In

A

IN II NOCTURNO.

Apostolicos Sancti labores non ferens diabolus, b c

17 LECTIO IV. Fredaldus Mimatensis episcopus, tempore Ludovici Pii *b* Caroli magni filii, Gabalum *c* animos tunc agrestes et incultos, utpote magna adhuc ex parte gentiles, verbi divini copia et omnium virtutum exemplo venit exculturus. Jamque tanti Agricolæ operatione rura hæc prius infœcunda, divino semine suscepto germinante, et ad maturitatem perveniente, abunde horreum Domini replebant; cum teterrimus humani generis hostis tot fructus Servo Dei invidens et diffidens, tanto Pastore superstite, se posse ab ejus manu oves abripere et perpetuo dilaniandas ad æterna supplicia deportare; varios instigat, sed frustra, qui vigilantissimo Antistiti violentas manus inferrent. ℟. Honestum fecit illum.

ejusdem nepotem in illum excitat, B

18 LECTIO V. Interim cœptis non temperat cacodæmon, molitur et tendit insidias; et tandem suis technis, præstigiis, et sollicitationibus tantum potest, ut unum etiam ex Episcopi propinquis et nepotibus inveniat idoneum, qui suis suasionibus obtemperans, hæreditatis adeundæ spe deceptus *d*, sacrilegas in eum manus injiciat. Venit igitur ad Patrui ædes infœlix nebulo, benigne condignoque apparatu ab Antistitis familia plaudentibus cunctis excipitur; salutem, quam omnes maximo impertiuntur affectu, ille fraudulento animo reddit. Locum inquirit, ubi Fredaldus de more divinis incumbebat precibus; locum indicant vernaculi : illuc accurrit vir nequam, salutem, ut aiebat, daturus. ℟. Desiderium animæ etc.

qui eum proditorie obtruncat. Sanctus abscissum caput defert : et sepelitur : pœna parricidæ. e f

19 LECTIO VI. Locum ingresso nepoti obviam venit Fredaldus salutaturus, cum ecce dæmoniaco impetu agitatus ganeo, osculo Servum Dei patruum suum tradens, violentas manus ei infert, et caput crudelis obtruncat. Mirum dictu! Propriis manibus caput suum illuc detulit *e* Pastor, ubi corpus a gemente populo honorifice sepulturæ mandatum est *f*. Homicida ad propria reversus, Deo perpetrati sceleris vindice, a dæmone suffocatus interiit. Sic Fredaldum crebris miraculis *g* clarum et salutis æternæ cupiditatibus fretum, hujus vitæ desideria vincentem, Domini propitiatio coronavit. Sic nepotem injuste sæculi bonis inhiantem, et innocentis Patrui sanguini non parcentem justitia divina damnavit. ℟. Stola jucunditatis. D

IN III NOCTURNO.

Homilia sancti Gregorii Papæ in Euangelium: Si quis venit ad me; et non odit patrem suum etc. De Communi unius martyris.

ANNOTATA.

a *Vide Commentarium a num.* 3.

b *De tempore, quo martyrium subiit, actum est num.* 12.

c *De Gabalis consule num.* I.

d *Debuit is pravorum suasu, qui sancti Pastoris virtutem aut justas reprehensiones ferre non poterant, spe hæreditatis ad facinus fuisse impulsus : si enim sola hæreditatis adeundæ spes illum ad sacrilegum parricidium incitaverit, non video, qua ratione martyrii palma Sancto adscribatur.* E

e *Non habeo, unde miraculum hoc confirmem, nec etiam unde refutem : sola tamen harum Lectionum auctoritas apud me tanti non est, ut indubitatam fidem adhibeam, scrupulumque deponam, ne ex imperiti vulgi opinione hoc prodigium natum sit. Vide, quæ de similibus notata sunt apud nos tom.* I. *Septembris pagina* 228. *Sane si vera sit hæc capitis gestatio, oportet ut per quinque leucas majores Gallicas caput suum prodigiose gestaverit, sive Mimate obtruncatis sit, sive Gabali : tantum enim ut minimum uterque locus distat a Canonica, quantum colligo ex tabula Dionysii Sammarthani Operi præfixa.*

f *Adi Comment. num.* 13.

g *Miracula hæc nusquam reperi.*

C

DE SANCTA IDA VIDUA

F

HERTZFELDII IN EPISCOPATU MONASTERIENSI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

C. S.

§ I. Cultus, Vitæ scriptor, tempus mortis.

Probabilius circa annum DCCCXIII Locus cultus ex martyrologis

Inter viduas, quæ sacrum cultum in Ecclesia Dei promeruerunt, hoc die memoranda venit S. Ida, *insignis sanctitatis matrona. Habitavit ea cum marito suo Ecberto Hovestadii (incolis Hovestad) in episcopatu Monasteriensi ad Luppiam Flumen, inter Luppiam Marchiamque civitates. Nec procul Hovestadio Hertzfeldium visitur, ubi Sancta prope ecclesiam, quam Ecbertus exstruxerat, post hujus obitum reliquum ætatis transegit, in eaque sepulta claruit miraculis. Silet quidem de illa cum antiquioribus Martyrologium Romanum; verum posteriora una cum Uffingo Vitæ ejus scriptore nullum de sanctæ hujus Viduæ legitimo et antiquo cultu dubium relinquunt. Grevenus in Auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum die* IV *Septembris ipsam cum hoc elogio annuntiat :* Item sanctæ Ydæ, viduæ nobilis, quæ tempore Karoli Magni in Westphalia juxta Lippiam, decurso statu conjugali, in porticu ecclesiæ, quam maritus ejus impensis suis construxerat, reclusorium sibi statuens, in magna sanctitate degens, et vere viduam se ostendens, quievit in pace. *Similiter Molanus :* In territorio Monasteriensi

AUCTORE C. S.

Monasteriensi supra Lippiam fluvium, depositio B. Idæ viduæ magnæ sanctitatis. *Eujsdem quoque meminit Florarium nostrum Ms. ad prædictum diem, omisso cultus loco:* Ydæ viduæ memoria, quæ floruit tempore Karoli Magni. *Mitto Ferrarium in Catalogo generali, Canisium in Martyrologio Germanico, aliosque, apud quos ejusdem Sanctæ memoria annuntiatur.*

et Uffingo Sancto biographo.

2 *Unum addo Uffingum seculi* x, *ut ostendemus, auctorem, qui in illius Vita ejusdem sanctitatem miraculis comprobatam, cultumque solemni corporis per Mimigarfordiensem episcopum elevatione, dedicataque sub ejus nomine templi parte, et indicta simul annua festivitate stabilitum atque confirmatum luculenter ostendit. Quæ cum ex danda infra Vita futura sint manifesta, pauca hic tantummodo delibo. Relata itaque sacri corporis elevatione; ita pergit Uffingus:* His peractis, venerandus antistes (*Mimigarfodiensis*) australem ecclesiæ structuram, id est turrim, in honorem S. Dei Genitricis Mariæ ac sub B. Idæ nomine consecrat, cunctisque in vicino degentibus diem translationis et dedicationis annuali semper recursu solenniter feriandum et celebrandum jubet. *Præmiserat ibidem:* Ut autem sacrorum pignorum veneratio celebrior alicubi * haberetur, memoratus pontifex aliquas ex eis secum tulit particulas, quasdam dominus abbas (*Werthinensis*) ad nostrum transvexit monasterium, quas omnes sacris vestibus induti, ad Calendas Decembris magno honore et apparatu officiosissime suscepimus. B

* *forte* alibi

Non satis certum, quo tempore cultus inchoatus sit: sed antiquus certe est.

3 *Translationis tempus sic porro assignat:* Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octuagesimo, VI Calendarum Decembrium die etc. *Ex his manifestum sit, jam a seculo* x *publicos sacros honores ab antistite Mimigarfordiensi* S. Idæ *fuisse decretos: at ex quo tempore eos populus jam tum detulisset, haut facile determinare est. Nam quæ Uffingus post narratum Sanctæ obitum et honorificam sepulturam subdit:* Ubi attestantibus medelis, qualiter apud Deum habeatur, lucidissime eatenus comprobatur; *nullum certum tempus designant. Quinimo non statim ab ipsius morte publicum ejus cultum viguisse, verbis minime obscuris laudatus sæpe biographus declarat cap. 2; in cujus exordio conquestus, quod* ipse locus *(sepulturæ utique)* cum ab aliis hæreditaria successione possideretur, ob præsidentium incuriam vilitatibus obsolescere cœpisset, *sic progreditur:* Et quia Sanctæ Dei opinio necdum in aperto emicuit, penes eam pusionem *(Rudolphi comitis filium)* sepelierunt. *Verum hinc* Idæ *sanctitas illustris evasit: quippe Dei nutu ter ejecto e Sanctæ tumulo pueri cadavere, a profano sepulcri usu imposterum abstinuerunt. Refloruit denique illius veneratio sub Hogero Werthinensi abbate, qui locum illum sub rege Arnulpho monasterio perpetuo annectendum impetravit: nam* exinde *(verba Uffingi sunt)* nostrorum solertia sancta studiosius latibula incoluit, et prioris ignaviæ squalore defecato, angustis curavit addere rebus honorem. Tum quoque intercepta pridem sanitatum exhibitio optato plurimis redivit omine, et quotquot hujus muneris rumor adsciverat, Domino secundante, reduci certatim abierunt inde meatu. C

Incertus annus emortualis ante 813 *statui probabilius non potest.*

4 *Annum, quo ex vivis excessit, nusquam etiam exprimit biographus; hinc varii varium statuunt. Schatenius e Societate nostra in Historia Westphaliæ lib.* 10 *mortem anno Christi* 810 *affigit citans in margine Uffingum, Surium ac Hareum in Vitis Sanctorum: sed quomodo ex priore annum illum determinate eruat, non video: alter quidem eum in margine annotare videtur; sed annum* 790, *non* 810 *statuit; nisi forte in editionem Coloniensem anni* 1618, *quam præ manibus habeo, id mendum irrepserit. Tertius denique notatum a Schatenio annum emortualem non nisi adjuncto adverbio* circiter *adstruit. Ego cum argumenta desint, illum certo determinare non possum: verumtamen cum Ecbertus Sanctæ nostræ conjux verosimiliter idem sit cum eo, qui apud Eccardum ex Annalibus Loiselianis anno* 811 *ex parte Francorum pactum cum Hemmingo juravit (de quo vide infra num.* 22*) obitus* S. Idæ *ante annum* 813 *statui non potest: quinimo ut etiam ad unum alterumve annum differatur, exigere videtur Uffingi narratio. Nunc de scriptore Vitæ agamus.* D

Uffingus Sanctæ biographus seculi x *scriptor*

5 *Suffridus Petrus Leovardiensis seculi* XVI *scriptor decade 7. cap. 5 de Scriptoribus Frisiæ, biographum* S. Idæ *Uffingium assignat his verbis:* Uffingius, qui et Uffo, Vorcomiensis patria, natione Frisius, professione monachus Benedictinus in monasterio S. Ludgeri Vertinæ, claruit circa annum M. Extat autem antiquum exemplar manuscriptum historiæ collatæ per hunc de Vita S. Idæ viduæ. *Suffrido consonat Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica lit.* V. Uffingius sive Uffo, Vorcomiensis Frisius Ordinis S. Benedicti in cœnobio S. Ludgeri Vertinæ, claruit circa annum Domini M. Scripsit Vitam S. Idæ viduæ IV Septembris apud Surium. *Eumdem Mabillonius Seculo Benedictino* IV *in Observantionibus præviis ad Vitam S. Ludgeri, inter Werthinenses scriptores agnoscit. Porro monasterium* Werthinense, seu Werdinense a præterlabente fluvio Rura nomen etiam sortitum, situm est in saltu Wideburg adjacens diœcesi Coloniensi, *inquit laudatus Mabillonius. Ætas biographi a Suffrido et Valerio assignata eruitur ex ipsa, quam daturi sumus, Vita: ubi tradens translationem corporis sanctæ Viduæ peractam esse anno* 980, *ita de ea agit, acsi ipse cum reliquis monachis sacras reliquias suscepisset. Verba dedimus num.* 2. E

ut eruditus habitus

6 *Ex his consequitur, Uffingum duobus circiter seculis post Sanctæ beatum ex humanis excessum hanc Vitam conscripsisse. Quapropter ipse in prologo profitetur, permulta illius miracula, vel antiquitate temporum vel scriptorum inopia obliterata, sibi incognita esse: illa vero, quæ a personis idoneis vulgata didicisset, modernis temporibus simul visu et auditu propalata, veraci et simplici relatione se traditurum. Quod tam fideliter præstitisse videtur, ut Bollandus noster, hac Vita perlecta, eam, quam S. Ludgeri scripsit, summopere desideravit tom.* III *Martii ad diem* XXVI *in Vita S. Ludgeri;* Extaret utinam, *inquiens,* quæ ab Uffingo monacho, sive ut Browerus eum vocat, Ustingo, scripta dicitur Vita. Fuisse enim virum multæ eruditionis et elegantiæ, tradit Cincinnius; et facile est conjicere ex Vita S. Idæ ab eo composita, et IV Septembris edita a Surio. *Tanta itaque est hujus biographi auctoritas, quantam scriptor ab eruditis ut eruditus habitus, nec ullius falsitatis convictus, in rebus, quæ partim sua ætate, partim diu ante acciderunt, referendis meretur.* F

inter ea, quæ scribit, quibusdam contemporaneus est.

7 *Dixi: Partim sua ætate; nam et translationi se contemporaneum docet, et sponte emergentis e terra saxeæ arcæ miraculum suo tempore contigisse, significat, Deum testem invocans,* se

AUCTORE C. S.

A *se* plurimos in hac luce vidisse, qui supremum non amplius operculi verticem in sua pueritia apparuisse, et postmodum in id, quod nunc cernitur, exuberasse, *testarentur. Hæc autem prodigiosa arcæ elevatio* per nonnullos annos sensim erumpendo *contigerat. Nec abs re existimo annotare, Uffingum Vitam Sanctæ, ut ita dicam, jam domesticæ conscripsisse, quippe cujus sepulturæ locus una cum sancto corpore Werthinensi monasterio jam pridem fuerat in perpetuum annexus. Hinc enim potuit facilius antiqua, si qua fuerint, monumenta inspicere, vel his deficientibus, rem penitius examinare. Habuisse eum reipsa quædam monumenta innuere videtur num.* 19, *ubi præfatur,* diversa diversis temporibus miracula veridicorum testium annotatione suffulta enituisse.

Vita unde edenda.

8 *Porro duplex Ms. habemus, quorum alterum P. Joannes Gamans Societatis nostræ anno* 1641 *ad majores nostros transmisit; notaturque in fronte :* Ex Bodecensis cœnobii Ordinis Regularis S. Augustini Diœces. Paderborn. Passionali pergameno Ms. insigni mensis Novembris B fol. xc. *Alterum est Lovaniense; verum illud non nisi a volante calamo, etiam cum antiquitatis dispendio brevioris styli amante, descriptum videtur. Quare cum nihil contineat præter ea, quæ in Bodecensi habentur, multa autem silentio premat, illud negligendum duxi. Prioris exemplar præ manibus habuit Surius an diem* iv *Septembris, nec nisi verbis hinc inde perpaucis ab illo discrepat. Eamdem Vitam Leibnitius in libro, cui titulum fecit :* Scriptores rerum Brunsvicensium illustrationi inservientes, *edidit, Surio et Bodecensi Ms. conformem, si præfixos titulos excipias. Ego laudatum Ms., mutato tamen more nostro capitum ordine, typis edam, menda, quæ describentis incuria irrepserunt, ex editione Suriana emendaturus. Ceterum ad calcem memorati Ms. hæc a Papebrochio nostro annotata invenio :* Ibidem *(in monasterio Werthinensi)* extat libellus Ms., qui inscribitur Sermocinalis de vita et sancta conversatione ejusdem Beatæ *(Idæ)* conscriptus a Joanne Cincinno Presbytero, qui vixit circa annum Christi mcdlxxx olim archivi Wertinensis director. *Hunc libellum non habeo : sed cum scriptor ille quinque propemodum seculis* C *Uffingo posterior sit, non existimo eum referre quidquam, nisi forte miracula, præter ea, quæ Uffingiana Vita habet.*

§ II. Illustris prosapia et parentes.

Natales Sanctæ illustres ab Uffingo asserti

Ex *illustri prosapia natam esse Sanctam nostram, Uffingus diserte tradit in sua Præfatione, ubi hæc habet :* Quæ videlicet veneranda Christi Ancilla summo inter suos loco nata tempore Magni regis Caroli claruisse refertur, ex regali scilicet idole SS. virginum Odiliæ et Gertrudis filiæ sancti Pippini. *Idem cap.* i. S. Idæ *patrem unum ex summis illius loci primatibus appellat. Fortunæ etiam bonis affluxisse, haud obscure innuit, dum Carolum Magnum ad conciliandas* S. Idæ *cum Ecberto nuptias, huic dedisse ait,* in eisdem partibus multas possessiones de publico, quatenus viciniore potentia soceris acceptior factus non minori apud illos, quam in genitali solo præcelleret dignitate. *Denique ipsius Caroli Magni ad contrahendum matrimonium requisitus assensus, et per eumdem obtentus in eum finem parentum favor illustres sane Sanctæ natales, florentemque fortunam indicant. Sed priusquam progredior, lectorem monitum velim, manuscriptum, quo utor, hic discrepare ab editione Surtana in verbis initio hujus numeri allatis : illud enim habet :* Gertrudis filiæ regis Pippini; *hæc vero :* Gertrudis filiæ sancti Pippini. *Posteriorem hanc lectionem, quam apud alios etiam reperi, ut genuinam secutus sum : videtur enim agere de S. Gertrude Nivellensi abbatissa, cujus pater B. Pipinus rex non fuit. Quod si tamen manuscripti lectione stare quis velit, consulere potest Henschenium ad diem* xvii *Martii in Vita S. Gertrudis Nivellensis, ubi disputat, an altera S. Gertrudis fuerit filia regis Pipini cognomento Brevis. Nunc ad rem redeamus.*

illustrantur ab Eccardo

10 *Difficultas hic est ostendere, qua ratione* ex regali indole sanctarum virginum Odiliæ et Gertrudis *orta ab Uffingo dicatur. Non potuisse* Idam *ex prædictis Sanctis descendere, ex earum virginitate clarum est. Restat itaque inquirendum, an asserta cum utraque consanguinitas ex* E *collaterali linea queat stabiliri. Id ipsum jam inquisivit eruditus Eccardus in Veterum monumentorum quaternione pag.* 29 *et seqq. ubi utramque hanc cognationem ex Bernardi cujusdam comitis cum Gundlinde (quos maternos* S. Idæ *avum aviamque statuit) nuptiis repetit : sic ut per Bernardum ad S. Gertrudis, per Gundlindem ad S. Odiliæ familiam Sancta nostra referenda sit. En tibi Genealogicam hanc ex laudato scriptore connexionem.*

B. Pipinus

S. Begga, S. Gertrudis

Pipinus major domus Aust. — Eticho dux Alemanniæ

Carolus Martellus major domus Aust. — S. Odilia, Adalbertus dux Allemanniæ

Bernardus comes conjux Gundlindis — Gundlindis i uxor Bernardi comitis F

Theodrada abbatissa Suessionensis, antea uxor Theoderici Ripuarii ducis

S. Ida.

Statuit igitur S. Idam *in sexto collaterali a S. Gertrude gradu, in quarto vero a S. Odilia. Nunc ut dilucide et distincte procedamus, singula ejus quibus nititur, argumenta audiamus.*

ex diplomate Lotharii imperatoris,

11 *In primis Bernardi comitis, quem S. Gerardus in Vita S. Adelardi in Actis nostris tom.* 1 *Januarii pag.* 112 *fratrem magni Pipini regis vocat, cum Adalberti filia nuptias ita probat :* Quod Ida porro ex indole sive familia S. Odiliæ regia descenderit, ut Uffingus indicat, in clariore luce collocandum est. Facem nobis in obscurissimis seculi octavi tenebris accendit Ludovici Pii filius Lotharius imperator. In diplomate enim, in palatio Argentoraco anno dcccxlviii dato, et a Guilimanno in Episcopis Argentinensibus cap. v edito, is dicit. *Recitat dein sensum diplomatis, sed unius voculæ immutatione*

AUCTORE C. S.

tione obscuriorem : quamobrem ea ex ipso laudato Guilimanno describo. Omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ et nostrorum . . . comperiat industria, qualiter dilecta cognata nostra venerabilis sanctimonialis et abbatissa S. Prothomartyris Stephani Ruadrut, in ambito infra muros Argentoraco, majestatem nostram adiit offerens obtutibus nostris auctoritates et munimina chartarum illustris parentelæ nostræ progenitoris ducis Adalberti. *Lotharius igitur, qui ex S. Begga sorore S. Gertrudis descendit, Adalbertum* illustris *suæ* parentelæ *progenitorem agnoscit.*

et Vita S. Adelardi,

12 *Pergit Eccardus :* Nec fugit historiarum peritos, parentes denotare agnatos et consanguineos, atque ita parentelam esse agnationem aut consanguinitatem. Jam vero Lotharii imperatoris agnati sive consanguinei illustres non alii intelligi possunt, quam Adelardus, Bernarius, Theodrada et Gundrada, quorum ex patre frater erat Wala abbas, Lotharii etiam adversus patrem ejus Ludovicum Pium amicus : *qui omnes teste utroque S. Adelardi biographo SS. Paschasio et Gerardo, apud nos tom. 1 Januarii die 2, dicuntur geniti Bernardo comite regis Pipini fratre.* B *Unde probabiliter horum mater filia ducis Adalberti statui potest. Deinde Adalbertum hunc fratrem S. Odiliæ et filium Ethiconis Alemanniæ ducis fuisse, probat ex ejusdem sanctæ Vita apud Mabillonium, et ex fragmento vestustissimo, quod recitat Vignierius in Alsaticis. Et recte : nam a priore in ipso Vitæ exordio vocatur S. Odiliæ pater* dux illustris nomine Adalricus, qui etiam alio nomine Edichin dicebatur. *Dein num. 19 hæc leguntur :* Habebat *(S. Odilia)* etiam fratrem nomine Adalardum, qui tres habebat filias, quarum una Eugenia, alia Atalia, tertia Gundlindis dicebatur. *Adalardus idem videtur cum Adalberto : nam et Lazius de Transmigratione gentium lib. 8, teste Mabillonio inter quatuor Adalrici sive Ethiconis filios recenset Adalbertum, non Adalardum ; et apud laudatum Vignierium pag. 63 diserte dicitur* Adalbertus dux. . . Ethiconis et Brunswindæ gloriosissima progenies.

et ad objectas difficultates

13 *Majoris difficultatis est, ostendere unam ex hisce tribus Adalberti filiabus Bernardo comiti nuptui traditam fuisse. Athalam sive Ataliam sanctissimam virginem monasterio S. Stephani* C *Argentoratensi abbatissam a patre præfectam, ex laudato Lotharii diplomate manifestum est. Eugeniam in Hoëmburgensis abbatiæ regimen sanctæ amitæ suæ Odiliæ successisse, tradit Mabillonius in Annal. Benedict. tom 2 pag. 58, consentiente Bucelino Germaniæ sacræ parte 2 pag. 192. Superest Gundlindis : sed ea una cum sororibus sese S. Odiliæ discipulatui mancipasse traditur in laudata Vita pag. 494. Eamdem Vignierius citatus pag. 71 abbatissam facit in inferiori Hohenburgo seu Nidermunster. Eccardus nihilominus pro Gundlinde certat ; nam ex duabus prioribus neutram Bernardo conjugem assignari posse facile concedet. Ad objectam vero ex S. Odiliæ biographo difficultatem respondet, potuisse Gundlindem primum apud amitam educari, ac dein Bernardo nuptui tradi, quod sane insolens non videtur.*

14 *Quod autem Vignierius eam abbatissam dicat, negat ullo coætaneo testimonio posse demonstrari. Fateor, nullum tale profert : verum tamen apud Bucelinum in Germaniæ Topo-chrono-stemmato-graphicæ parte 2 pag. 242 ex vetustioris ætatis, ut ipse ait, monumentis Gundlinda aliqua cujusdam monasterii Nidermunster* D *abbatissa nominatur. Sed an hæc illa Adalberti dicis filia fuerit, de qua modo agimus, nec Bucelinus asserit, nec extundi potest, cum ipse fateatur illius solum nomen exstare. Accedit, quod hæc Gundlindis in inferiori Hogenburgo præfectura eruditum Mabillonium latuisse videatur, cum de ea altum sileat : quamvis ad annum Christi 720 pag. 58 et alibi, Attalam Argentoratensi S. Stephani parthenoni, Eugeniam Hoëmburgensi præsedisse diserte tradat. Scribit quidem idem eruditus Benedictinus, Gundlindem sub S. Odiliæ disciplina religiosam vitam duxisse, sed cum illud forte hauserit ex citata S. Odiliæ Vita, nec aliunde probet, eodem, quo ad illam modo responderi potest. Neque vero tam absonum cuiquam videbitur, Gundlindem e cœnobio ad matrimonium evocari, si consideret, potuisse eam sub amitæ religiosa disciplina erudiri (ut non semel accidit) nullis religiosis votis adstrictam : his autem alligatam fuisse, nullibi satis probatum reperio.*

respondetur.

15 *Addit Eccardus aliquas conjecturas ex nominibus liberorum Bernardi petitas, quæ quia* E *levioris momenti sunt, huc referendas non censui. Sed nec pluribus hisce immoror : parum enim ad institutum meum facit, Gundlindisne fuerit an altera Adalberti filia nupta Bernardo : an altera, inquam, nam præter enumeratas Savina insuper ac Liutgardis recensentur a Mabillonio citato, quas Vignierius in Alsatisis pag. 2 secundis nuptiis ex Bathilde Adalberto natas putat. Sane aliquam ex filiabus illius commemorato sæpe comiti fuisse matrimonio copulatam, suadet Lotharii imperatoris asserta in diplomate parentela, et ex* S. Idæ *posteris infra confirmabitur. Hucusque gemina satis probabiliter assignata est radix, per quam* S. Ida *ad familiam SS. Gertrudis ac Odiliæ referri possit, si ostendi queat, eam ex Bernardo comite et Gundlinde ejusve sorore descendere : sic enim per Bernardum a stirpe S. Gertrudis, per Gundlindem aut ejus sororem a S. Odiliæ familia genus suum traxerit necesse est. Ad Sanctæ itaque parentes cum Eccardo descendamus.*

Inquiritur

16 *Sanctus Gerardus in Vita S. Adelardi apud nos tom. 1 Januarii pag. 114 memorati sæpe Bernardi comitis liberos quinque enumerat ; sanctum scilicet Adelardum, Walonem, Gun-* F *dradam, Bernarium ac Theodradam. Priores duo Corbejenses abbates fuere ; Gundrada virginitatem coluit ; Bernarius in Corbejensi monasterio religiosam vitam professus est ; Theodrada denique matrimonium experta, Suessionensi S. Mariæ Virginis parthenoni præfuit abbatissa. Ultimam hanc* S. Idæ *matrem fuisse, opinatur Eccardus hisce ductus rationibus.* S. Idam, *inquit,* unicam filiam patris sui fuisse apud Uffingum legitur. En vero tibi Theodradam Adelardi et Walæ sororem, filiam Bernardi Carolo Martello nati, quæ etiam antequam Suessionensis monasterii regimen susciperet, viro juncta et uno partu fœcunda fuisse dicitur. *Ut assertum suum probet, citat S. Gerardum (imo Paschasium Ratbertum) scriptorem coætaneum. Sed pace eruditi viri dixerim ; neuter ex citatis ab eo auctoribus, id ita asserit, ut non alio facile sensu intelligi possit. Posterior sic ait :* Reliqui vero duo, videlicet Bernarius noster et Theodrada soror ejus Deo devota, quæ, jam reddito fructu nuptiarum, secundum castimoniæ gradum arripuerat, ad pedes Jesu cum Maria domi sedebat : illa

A illa quidem Suessione sanctimonialium regens vitam *etc.*

in Sanctæ matrem

17 *Amabo, quomodo hinc evinces, Theodradam* uno *tantum* partu *fœcundam fuisse? An non vere* reddito fructu nuptiarum, secundum castimoniæ gradum arripuisse *diceretur, si etiam plurium liberorum parens, soluta matrimonio, per religiosam vitam Deo viduitatem suam consecrasset? Sed nec id de Sanctæ matre aperte affirmat Uffingus: ait quidem* Idam *filiam unicam fuisse eo tempore, quo Ecbertus ad illius domum divertit: at non propterea fratres aut sorores, qui tum obiisse poterant, habuisse inficiatur. Sane tam illa filia unica dicitur, quæ ex multis est una superstes, quam quæ est unigenita. Id tamen adducta ab erudito viro S. Paschasii auctoritas evincit, ut religiosa Theodradæ vita neutiquam possit officere, quominus eodem* S. Idæ *genitrix recte statui possit. Favet etiam conjectura formata ex verbis utriusque biographi, quæ sensum, quem intellexit Eccardus, probabiliter præ se ferunt.*

ac patrem.

18 *In patrem similiter Sanctæ nostræ inquirens* B *nominatus auctor, ita ratiocinatur:* Quærendus vero nobis jam est, per quem S. Ida, cui nomen in memoriam Idæ matris S. Gertrudis datum fuisse, non vane suspiceris, cum majoribus familiæ Carolinæ connectatur. Et commode admodum occurrit Theodericus comes, quem annalista Laureshamensis expressis verbis propinquum regis Caroli vocat. Videtur is in Ripuaria ad Ruram, atque ita in finibus Saxoniæ comitatum habuisse; ibi enim anno DCCCIII copias collegisse, et cum iis adversus Saxones movisse eidem Annalistæ dicitur... Post hæc nulla ejus mentio occurrit, ut adeo paulo post mortuum esse, credibile sit. Ubi autem potestatem præcipue exercuit Theodericus, ibi mox Ecbertus Idæ maritus comparet. Hic ergo Theodericus pater Idæ necessario constituendus est. *Hucusque ipse non improbabiliter. Nam primo sic intelligitur, qua ratione Theodericus Caroli Magni* propinquus *dicatur, per ductam scilicet conjugem Theodradam Bernardo Caroli Magni patruo genitam. Secundo hac via* S. Ida *per maternam aviam ad familiam S. Odiliæ, per avum ad S. Gertrudis* C *stirpem admovetur. Deinde favet tempus, quo Theodericum obiisse suspicatur, si vera sit opinio Mabillonii tom.* 2 *Annalium Benedictinorum ad annum* 804 *sic scribentis:* Theodrada hoc tempore jam versabatur in Suessonico parthenone B. Mariæ, et forte jam abbatissa erat: *si enim anno* 803 *obierit Theodericus, potuit Theodrada matrimonii vinculo jam soluta anno* 804 *in præfato monasterio versari. Favet præterea Ecberti in Theoderici locum successio, quippe cum* S. Ida *filia unica dicatur ab Uffingo, ad eam devolvi debebat parentum hæreditas.*

Ex Sanctæ posteris

19 *Hinc ad* S. Idæ *posteros descendamus, ex iisque hujusque dicta confirmemus. Lucem dabit auctor Translationis S. Pusinnæ, quam in Opere nostro legere licet tom.* III *Aprilis pag.* 171. *In hac Translatione dicitur Warinus abbas Corbejensis* nobilissimo genere propagatus *quippe* genitus Ecberto clarissimo comite et duce: matre splendidissima nomine Ida. Fratrem *ejusdem* adæque clarissimi viri magnis dignitatibus illustres et apud exteros et apud domesticos enituerunt. Horum neptis, utpote ex eorum sorore genita patre spectabili et valde inclyto, *Hadwig sive Hedwigis Herivordiensis abbatissa regi Carolo Calvo* tertio quartoque cognationis gradu *jungebatur. Libet ipsa Translationis verba producere:* Erat autem ad ipsum *(Hedwigi ad Carolum)* sive consanguinitatis gratia, cum ei tertio quartoque cognationis gradu jungeretur, sive quod majores ejus multa familiaritate ac liberalitate memorati principis usi essent; tam etiam quod frater ejus Cobbo in palatio quotidianis ejus adhærebat obsequiis. *Hic duplex consanguinitatis Hedwigem inter et Carolum Calvum assertus nexus genealogicam connexionem, quam dedimus, non parum confirmat, et simul illustrem Ecberti familiam edocet. Quod ut manifeste pateat, ratiocinium Eccardi subnecto.*

sententia Eccardi

20 Si tertio consanguinitatis gradu cum Carolo Calvo conjuncta fuit Hadwigis, necessario avus ejus aviaque Caroli, vel avia ejus avusque Caroli uno patre geniti fuere. Avus Hadwigis a patre matris Ecbertus dux erat, avia Ida, sed cujus connexio cum Caroli familia tertium gradum excedit, avus aviaque ex parte patris nobis sunt ignoti: sed Saxones cum Carolingis nihil commune habuerunt. Caroli Calvi avus paternus erat Carolus Magnus, avia Hildegardis Sueva, qui iterum huc non pertinent: avus maternus Welfus, Bavarus natione, hanc etiam E connexionem facere nequit. Unde ejus auctor necessario fuit avia Caroli materna, Welfonis uxor nomine Hegilwigis, sive, quod idem est, Hedewigis vel Hadwigis; et certum nobis est, eam Saxonici generis fuisse. Theganus cap. 26. " Sequenti, " ait, anno accepit (*Ludovicus Pius*) filiam Welfi " ducis, qui erat de nobilissima stirpe Bavarorum, " et nomen virginis Judith, quæ erat ex parte ma" tris nobilissimi generis Saxonici, eamque regi" nam constituit ". Nomen matris Judithæ author Translationis S. Bathildis reginæ cap. I prodit his verbis: " Anno vigesimo imperante cum magna " felicitate Hludovico serenissimo Augusto, venit " Kala monasterium, ubi venerabilis abbatissa " Hegilwich genetrix Judith imperatricis magno " gregi sanctimonialium præerat. " Ea, ut hinc apparet, post mariti obitum abbatissa Kalensis monasterii facta est, et calculo jam accurate satis deducto, soror Ecberti ducis constitui debet. *Ita ipse tertium illum gradum ostendens. Hoc enim modo Ecberti patrem Hadwigis habuit proavum, idemque proavus Caroli Calvi fuit per Hegilwigem et Juditham. Deinde quartum gradum subjicit.* F

21

Carolus Martellus	
Pipinus rex	Bernardus comes
Carolus Magnus	Theodrada
Ludovicus Pius	S. Ida
Carolus Calvus	Addila
	Hadwigis.

confirmatur.

In hac Genealogica tabula Hadwigis quinque gradibus a communi stipite Carolo Martello distat, adeoque juxta communem computandi methodum distat totidem a Carolo Calvo. Verum cum hic quatuor tantum gradibus ab eodem stipite amotus sit, non incongrue gradus consanguinitatis quartus mixtus quinto Carolum Calvum inter et Hadwigem intercedere dici potest: adeoque asserta ab auctore Translationis S. Pusinnæ inter præfatas personas utraque cognatio recte explicatur. Plura apud laudatum scriptorem reperiet

AUCTORE C. S.

riet curiosus lector : ego hæc inde huc transferenda censui, non quod singula adoptem, sed quod genealogica illa dispositio mihi valde probabilis videatur.

Ecberti nobilitas ac munia.

22 *De Ecberto pauca addo. Uffingus l.* I *cap.* I *eum inter Orientis (Austrasiæ opinor) proceres recenset :* Inter alios , *inquit* , Orientis proceres præfectus quidam Ecbertus nomine advenisse dicitur. *Dein aliquibus interjectis, eum a Carolo Magno Saxonibus, qui inter Khenum et Wisaram habitabant, ducem præfectum fuisse scribit. Idem ab auctore Translationis S. Pusinnæ clarissimus comes et dux appellatur : verba dedimus num.* 19. *Annales Francorum Metenses apud Chenium tom.* 3 *pag* 294 *Egbertum quemdam comitem cum aliis Saxoniæ comitibus anno* 809 *civitatem in Essesfleth super ripam Sturiæ fluminis adversus Danos jussu Caroli Magni condidisse tradunt. Annales Loiseliani, teste Eccardo, addunt, eum etiam anno* 811, *in pactione cum Hemmingo Dano ex parte Francorum juravisse. Hunc eumdem cum* S. Idæ *marito arbitra-* B *tur præfatus auctor in Quaternione pag.* 29, *satis, ut apparet, probabiliter. Nam nihil obstat, quominus ad illa usque tempora vixisse credatur : tantarum vero rerum provincia cum Ecberti nostri præclaris natalibus, virtute, fide, et qua apud Carolum pollebat gratia, optime cohæret :* Erat enim *(verba Uffingi sunt)* prædicto Augusto pro invictæ constantiæ et providentiæ præconiis non mediocriter acceptus. *Cur igitur hic duos Ecbertos distinguamus, dum nostro similium munerum magnitudo congruit, nec temporis ratio refragatur ? Plura Eccardus.*

VITA

Auctore Uffingo monacho Werthinensi.

Ex Bodecensis cœnobii Passionali pergameno Ms. insigni, collato cum editione Surii.

C

PRÆFATIO

Incipit proëmium Uffingi cœnobitæ sancti Liudgeri *a* de conversatione et miraculis sanctæ Ydæ.

Exorsus a Christi providentia auctor in S. Idæ laudes excurrit ;

* *Surius* gentilium

Deus *b* humanæ salutis provisor Jesus Christus , qui operarios adhuc in vineam suam mittere non desiit , diversis ab initio Ecclesiam suam sublimavit honoribus, dum innumera quoque gentium * voluit Sanctorum suorum florere patrocinia, nec ullam terrarum partem donorum cælestium esse expertum. De quo scriptum est : non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum et voluntatem ejus operatur, acceptus est illi *c*. Quod utique jam vesperi mundi in beatissima Dei Famula repletum esse comperimus; cujus, si Deus annuerit, sanctitatis indicia signorum stipulatione subnixa, prout possumus , enucleare gestimus. Quæ videlicet D Ancilla Christi veneranda summo inter suos loco nata *d* tempore magni regis Caroli *e* claruisse refertur ; ex regali scilicet indole sanctarum virginum Odiliæ *f* et Gertrudis *g* filiæ regis *h* Pippini : quarum si quis sanitatis indigus salutiferas lipsanas frequentat, testem se protinus recuperatæ sentiet sospitatis. Hæc itaque, ut in sequentibus dicemus, licet conjugali lege constricta, nihil tamen cælestis sponsi prætulit amori *i* ; et ideo non solum nullum pudicitiæ et castitatis damnum *k* pertulit, imo centesimum fructum supernæ mercedis cum primæ horæ conductoribus *l* viciorum victrix percipere meruit.

suamque fassus imperitiam, Vitam tamen ejus veraciter scribere pollicetur.

2 Hujus perplura miracula vel antiquitate temporum vel scriptorum inopia oblitterata nobis manent incognita : illa vero, quæ a personis ydoneis vulgata didicimus modernis temporibus visu simul et auditu propalata, quamvis ingenio obtuso et imperito sermone, veraci tamen et simplici relatione , beatæ Ydæ comite interventu, conabimur explanare. Illorum namque in veteri Testamento non refutatur oblatio, qui E post aurea et argentea, quæ a divitibus in domo Dei offerebantur donaria , pelles etiam rubricatas et pilos caprarum *m* devota mente in thesauros Dei ad usus legitimos transmiserunt. Ob hoc summopere hujus manualis codicilli lectorem obsecramus, ne, siquid in hoc Opusculo incompositius indoctiusve grammatico incedit tramite , temeritatis notam nobis non * opponat, qui fortiora nobis aggressi de ignaviæ nostræ nidulo saltim ad lucem respirare audeamus. Ceterum degener stylus lineam historiæ prosequitur veritatis, cujus ex hinc fœlix sorciemur initium.

* *abundat*

ANNOTATA.

a *Actum de eo est apud nos tom.* III *Martii die* 26.

b *Apud Surium legitur* Pius. *Ceteras similes minutias imposterum non annotabo.*

c *Locus est ex Act. apost.* 10, ℣ 34 *et* 35 ; *sed pro* voluntatem ejus operatur *in Vulgata est :* operatur justitiam.

F

d *Consule Commentarium a num.* 9.

e *Carolum Magnum indicat, ut ex sequentibus manifestum fiet.*

f *Annuntiatur hæc Sancta in Romano Martyrologio* 13 *Decembris, coliturque in diœcesi Argentoratensi in Alsatia.*

g *Egerunt de illa majores nostri ad diem* 17 *Martii.*

h *Vide dicta in Comment. num.* 9. *De B. Pipino actum est die* 21 *Februarii.*

i *Ita correxi ex editione Suriana, manuscriptum enim nostrum mendose habet,* licet conjugali lege constricta, nihil etenim sponsi prætulit amori *etc.*

k *Imo vero virgineæ castitatis damnum in conjugali primum statu, ac dein in viduitatis cœlibatu compensare conata est insigni vitæ sanctimonia : non enim virginitatem in matrimonio coluit, ut in Comment. prævio ostendimus.*

l *Alludit ad Caput* 20 *Matthæi.*

m *Exodi capite* 35.

VETUS

A

VETUS CAPITUM PARTITIO.

Caput I. Incipit Vita sanctæ Ydæ viduæ, cujus festum colitur sexto Kalendas Decembris.

II. De migratione beatæ Ydæ ad Dominum.

III. De Bertgero presbytero, quomodo de hac vita transierit.

IV. De effossione infantis.

V. Quomodo oratorium beatæ Ydæ a paganis non potuit concremari.

VI. De ea, quæ vestem furata est.

VII. De arida manu mulieris restituta.

VIII. De muliere ab hydropisi curata.

IX. De sanitate, quam sanctimonialis ibi adepta est.

X. De eo, qui auditum recepit.

XI. De cæca illuminata.

XII. De dæmoniaco curato.

XIII. Qualiter fœmina curva subito sit erecta.

XIV. De mulieris sospitate restituta.

XV. De eo, qui omnibus membris fuit contritus *.

* *forte* contractus

B

EXPLICIT LIBER PRIMUS. INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Caput I. Quod signis sanctæ Ydæ nulla scripta sufficiant.

II. Qualiter ecclesiæ custos pro negligentia sit correptus.

III. Quomodo infantulus ad tumulum producitur, et quid de eo gestum sit.

IV. De eo, qui pedem cum tibia habebat ad posteriora retortum.

V. Quomodo Sanctorum gloriam nemo præsentem edisserat.

VI. Quomodo fama beatæ Ydæ episcopum Dodonem non latuit.

VII. De adventu episcopi, et reliquiarum translatione.

VIII. Beatæ Ydæ et consecrationis ecclesiæ indicta festivitas.

C

CAPUT I.

Ægrotanti Ecberto sedulo assistit S. Ida, cum eoque celebratis nnptiis in Westphaliam discedit, in itinere ecclesiam exstruit : mors Ecberti ; Idæ sancta viduitas, obitus ac sepultura : ejusdem sacellani virtutes ac pius e vita excessus.

Cap. I. Decumbenti in paterna domo Ecberto S. Ida inservit,

Eo tempore, quo victoriosissimus imperator Carolus *a* Saxonum et Francorum sceptra, multarumque gentium fræna feliciter gubernabat, expeditio exercitalis * propter Galliarum seditionem *b* in Occidentem dirigitur ; ubi tunc inter Orientis proceres præfectus quidam Ecbertus advenisse dicitur, qui validam ibi incurrit ægritudinem. Cum autem, morbo ingravescente, penitus se ab hac profectione * subtraheret, imperator illum cuidam *c* de summis ipsius loci primatibus procurandum diligentissime commendavit. Erat enim prædicto Augusto pro invictæ constantiæ et prudentiæ præconiis non mediocriter acceptus. Perlato ergo ad hospitium magna humanitate servitur, quia et hanc ejus infirmitatem non ad vitæ perniciem, sed ad rerum sequentium consummationem, ex divina, ut liquet, prædestinatione credimus evenisse. Erat præfato *, apud quem hospitabatur, unica filia unice dilecta, venusta fronte et forma egregia, quæ in tantum ægrotanti est compassa, ut per se ipsam aliquoties illi obsequendo, quantum suam personam decuit, et ejus oppalparet ulcera, et congrua doloribus adhiberet fomenta, cujus solatio gratanter ipse delectabatur.

a · * Surius exercitus · *b*

A. Uffingo. · * idem præfectura · *c* · * idem addit, comiti

eique nupta a parentibus honorifice dimittur.

4 Interea imperator, rebus in tutum compositis, victor reversus præcellentissimi sui ducis haud immemor eamdem, qua pridem illum reliquerat, civitatem visitandi adiit gratia, eumque jam per Dei Salvatoris * gratiam et clementiam valentiorem * reperit. Dumque mutuo aliquamdiu colloquio fruerentur, inter sermocinandum illustris vir Ecbertus de præfatæ Virginis nuptiis principi suggessit, ut ejus consilio, imo Dei auxilio, hujus rei consequeretur effectum. Princeps vero de ejus recuperatione simul et postulatione multum gavisus, et suum ad hoc assensum et parentum adeptus est favorem ; deditque illi in eisdem partibus multas possessiones de publico, quatenus viciniore potentia soceris *d* acceptior factus non minori apud illos, quam in genitali solo, præcelleret dignitate. Insuper etiam cunctis Saxonibus, qui inter Rhenum et Wisaram *e* maxima flumina inhabitant, ducem præfecit. Post hæc Sponsam suam Christianissimam ipse admodum religiosus cum Dei timore suscepit, et ab omni illa parentela honorifice dimissus ad sua commigrare decrevit, semper ad mentem revocans, quantos cælitus successus in illa peregrinatione sit adeptus, multasque Deo gratiarum reddidit actiones.

* idem salvantis · * Surius addit auraque animatum aërea · E · *d* · *e*

In itinere ab angelo monita templum condit consentiente marito.

5 Quadam die cum adhuc itineri insisterent, venerunt ad quemdam locum secus Lippiam *f* flumen, qui Saxonica lingua Hirntveldt *g* nuncupatur, amœnis nemoribus consitum ; ibique inventa non magna planitie vespertino jam incumbente crepusculo, tentoria fixerunt, lassisque ex professione somnos dabat herba salubres. Omnibus itaque alto sopore depressis, venerabili matronæ Ydæ angelum suum in somnis Dominus mittere dignatus est ; qui post multa, quibus eam instruxit, monita, oratorium ibidem ex suis sumptibus construendum prædixit, ubi Domino quandoque liberius deserviret, postque hujus vitæ cursum cansummatum illic eam diem remunerationis æternæ præstolaturam una cum viro suo, præsaga voce promisit. Illa mox divina tacta compunctione, dum primum mane illuxit, domino suo, quæ angelico relatu didicerat, plenissime exposuit : a quo statim, qualiter ista animo ejus viderentur, gratulabunda sciscitatur. Qui dum verbis fidem ad omnia accommodaret, beata Yda solotenus inclinata, Domino, ut felicia cœpta ad calcem usque perfecti operis perduceret, submissa voce committebat. Non multo post in loco supradicto, ubi quondam densissima silvarum obductione astra ipsa occulebantur, lapidea basilica *h* opere polito construitur, ac in sanctæ Mariæ genitricis Dei honore, sanctique Germani *i* episcopi consecrata est.

f · *g* · F · *h* · *i*

6 Ad

A. Uffingo.

Post pium conjugium k l

6 Ad illum namque dicatum locum, qui est in pago Drehin *k* in Lippiæ ripa fluminis, nonnulla illustris viri Egberti prædia *l* respiciebant, ubi Deo dilecta matrona Yda frequentius commorari et semper recentibus in Dei cultu laboribus intentissime consuerat insudare. Studebat nihilominus ex occasione copulæ carnalis Deo, quæ Dei erant, reddere, sic forinsecum amorem temperare, ut nullius levitatis nævus rigorem animi ejus potuisset offuscare. Si enim, ut apostolicus sermo sonat, sanctificatur vir infidelis in muliere fideli *m;* quanto magis vasa paria sanctitatis alterutris emicant suffulta virtutum instructionibus? Quid super hoc convenientius profertur, quam duobus in carne una unam inesse Spiritus sancti indiscissam operationem, quæ illos deforis connubiali jure connexos ardentiori cælestium intus inflammavit amore *n*.

mortuo Ecberto, viduitatem suam omnium virtutum exercitio excolens, o

7 Non paucis post hæc annis elapsis militiæ suæ penso expleto, dominus Egbertus vir in Christo honorandus humanis rebus excipitur *o*, cujus spiritus mox cælorum palatinas sedes beatus hospes promeruit obtinere. Post cujus migrationem beata Yda quanta districtione tenerum corpus artaverit, dictu valde difficile est: quippe B quæ totum spatium, quod residuum fuit huic incolatui, incredibili et paucis imitabili duxit abstinentia, numquam mentis propositum a deifica cultura relaxans: secundum Apostoli dictum, mortificavit membra sua super terram ab omni illicito appetitu ventris et linguæ, omnemque illam pompaticam gloriam, qua delicatissime fuerat educata, ad nanciscenda laborum suorum emolimenta fœliciter immutavit. Quidquid vero de redditibus in matrimonio ejus annuatim potuit adunari, per dispensativam pauperum ministrationem in cælestes apothecas transtulit, metuens, ne parce seminans, parce et meteret: propterea seminavit in benedictione, quod in posterum centenis manipulis in area universalis messionis lætabunda triturabit. Et ut supernorum meditatione arctius occuparetur, in præfatæ ecclesiæ plaga meridiana contiguam ejus parieti construxit porticum, in qua remotius orare et a vulgari strepitu immunis conversari potuisset; ubi et dominus Egbertus laudandæ memoriæ conditus pausat.

sarcophagum marmoreum rebus in pauperes erogandis quotidie bis replet:

C 8 Marmoreum sibi sarcophagum longe ante obitum jussit præparari ob incerti temporis momentum, quem duabus quotidie vicibus, quamdiu supervixit, diversis alimentorum aliarumve rerum impensis summotenus implevit, et victu carentibus hilariter distribuit. Vere beata, quæ intellexit super egenum et pauperem, ut in die mala liberet eam Dominus. Excubiarum et orationum privata studia, quæ paginalis digne caraxabit *p* descriptio? Sufficiat tantum humanæ curiositati de his, quæ foris gessit, mirari: ea vero, quæ sub obtentu exteriorum in solius Dei prospectu clandestinis sudoribus factitavit, cujus urbana sufficiat enarrare facundia? Theoricæ *q* quippe intenta disciplinæ, numquam extra januam, quam incoluit, cellæ pedem fertur amovere, salvo eo dum inopum stipendiis deserviret: semper facto imitans, quod scriptum est, perpetuæ animæ deliciæ *r*. Talibus virtutum prærogativis sacrosanctum suum adornavit velamen *s*, nec non inter agendum cautissime studuit popularem vitare favorem, firmissimam in cælis spei anchoram figens fragosa sæculi obstacula fidei thorace quasi tuta carina tranavit, ut ad plenam perfectionis, quæ Deus est, pertingeret caritatem.

II. mortem denique præsagiens inter piorum preces pie moritur, et honorifice sepulta miraculis claret.

D 9 His ad desiderabilem finem perductis, cum remunerator omnium Deus Turturem suam ad altiora volare disponeret, ut post tristia læti * in arduis cæli excellentius nidificaret, molesta vitalium valetudine acriter pulsata horam præsensit ultimam; et accito presbytero suo nomine Bertgero sibi justis ex causis fidissimo, pluribusque servis Dei, preces eorum expostulat, utque in ipso pausationis articulo ducatum viæ ad Dominum illi impetrarent, profusis lacrymis imprecatur: factum est, oratum est, de cælis auditum est, quod jam olim prædestinatum est. Hac reverenda orationis clausula carnali fasce laxata spiritum amatori suo transmisit beata perennitate cum cælicis agminibus in æthere fruiturum. O inexhausta Salvatoris largitio! Quam magna super omnia ejus miseratio! sine cujus nutu nec folium arboris incassum defluit; cujus immissione tam sublimium natalium Propago, cunctis quæ illicere poterant *, rejectis, vitæ *t* veræ inhæsit, ut in regno Dei multorum palmitum vindemias carpere mereretur. Positum est autem sacrosanctum corpus cum deificis laudibus in archa saxea, quam super retulimus, et in ipsa E porticu, qua se divino cultui mancipavit, honorifice tumulatur: ubi attestantibus medelis, qualiter apud Deum habeatur, lucidissime eatenus comprobatur.

* Surius, lethi

* idem: illicita essent

III. Bertgerus virtutibus clarus moritur et sepelitur.

10 Erat autem præfatus Bertgerus ex illorum contubernio, quos beata Yda primum de Galliis secum adduxerat, vir religiosæ conversationis et perbeatæ castitatis; quippe eorum disciplinis informatus, qui in lege Dei sui sine querela incesserant: qui etiam ipsam ecclesiam et sacrata mausolea *u* aliquot annis strenuissime divinis humanisque obsequiis excoluit, honoravit et venustavit. De quo et illud per fidelium ora diffamatum est, quia inter cætera gravitatis ejus insignia, numquam in suis tectis muliebrem personam aut commorari aut domesticis usibus inservire consensit: ideoque contra æmulum dimicans castitatis, omnem occasionis aditum præcavere, sed et radicitus extirpare curavit. Cui etiam ob tantam cordis innocentiam a Deo collatum esse fertur, extremam vitæ horam præscire: quod eo magis liquet, quia ipso, quo obiturus erat, die Missarum ex more Sacramenta consummavit, ac mox Dominico consignatus Viatico in ipsis F vestibus sacerdotalibus ante sanctum altare animam reddidit Creatori, et prope sanctæ Ydæ tumbam digne humatus est: ut enim tam medicabilis glebæ consortium obtinuerit, magnum quoddam fortasse, quod eum commendaret, justitiæ meritum præcessit *x*.

ANNOTATA.

a *Carolus Magnus, qui Saxones crebro rebellantes* 44 *annorum bello tandem feliciter domuit, ac Christo sibique subjugavit.*

b *Incertum est, quam hic rebellionem denotet. Suspicatur laudatus crebro Eccardus fuisse vel Britonum vel Hardradi, quarum prior contigisset circa annum* 786, *altera circa* 785. *Verum hujus opinionis prima pars non videtur conformis Uffingianæ relationi, secundum quam ipse Carolus expeditionis illius dux fuit: at vero rebelles Britones non imperator ipse, sed missus ab eo Andulfus compressit. At alteram rebellionem seu potius conspirationem quod attinet, ea videtur non vi armorum, sed solertia potius exstincta; neque constat, Carolum cum exercitu suo*

A *suo ad conjuratos compescendos fuisse profectum.*

c *Consule Commentarium num.* 18.

d *Ex hoc loco notavi in Comment. num.* 9 *illustrem et opulentam Sanctæ familiam.*

e *Wisara alias Visurgis, qui et Ptolemæo Visurgis, Bisurgis Straboni, accolis* de Weser, *inquit Baudrandus, oritur in Franconia in ditione Coburgensi, multisque auctus fluviis varias Germaniæ ditiones rigat, ac tandem infra Caroloburgum in mare Germanicum se exonerat. Ingens fuit hæc Ecberto concessa provincia, ut obvias tabulas geographicas consulenti palam fiet. Intra prædicta flumina Westphalia continetur, in qua prope Lippiam fluvium Ecbertus cum sancta Conjuge sua vitam transegit.*

f *Lippia sive Luppia Westphaliæ fluvius in vico Lipsprinck prope Paderbornam exortus Luppiam urbem rigat, dein ditionem Monasteriensis episcopi a comitatu Marchiæ dividens per Clivensem ducatum prope Vesaliam inferiorem se Rheno commiscet.*

g Hirutfeld *a Surio, ab aliis* Herifeld, Herfeld *et* Hervelde *nominatur. Stangefolius in Annalibus Circuli Westphalici lib.* 2 *pag.* 104 *locum hunc prope* Hovestat *ad Lippiam collocat: idem fecit F. de Wit in tabula Westphaliæ; quæ si accurata est, vix quartam leucæ partem ab Hovestat distat Hertveld, a Luppia vero urbe duobus cum dimidio circiter milliaribus Germanicis.*

B

h *De hac ecclesia vide infra in Annotatis ad num.* 25 *lit* h.

i *Cum varii hujus nominis sancti sint episcopi, incertum mihi, cui hæc ecclesia dedicata sit. Attamen uni ex iis, qui in Gallia coluntur, consecratam fuisse, verisimile est, cum ex ea regione oriunda sit Sancta. Designatur itaque vel S. Germanus episcopus et martyr, qui Ambiani colitur, quique seculo* V *obiit; vel episcopus Pariensis, cujus mors circa annum* 576 *accidit; vel denique Autissiodorensis, qui anno* 448 *ad cælos evolavit. De priore egimus ad diem* 2 *Maii, de secundo* XXVIII *ejusdem, de postremo* XXXI *Julii.*

k *Surius legit* Dreni. *Is pagus fuit Westphaliæ prope Lippiam fluvium hodie* Drevenich, *teste Meibomio Rerum German. tom.* 3 *de Pagis veteris Germaniæ. In Annalibus Francicis* Draigni *nuncupari idem asserit. Poeta Saxo in gestis Caroli Magni apud Chesnium Historiæ Francorum tom.* 2 *pag.* 147 Dreini *appellat. Schatenius Historiæ Westphalia lib.* 7 *ejusdem pagi meminit, aitque totum illum tractum fuisse, qui per diœcesim Monasteriensem Luppiæ ripis prætenditur.*

C

l *De his ita loquitur laudatus mox Schatenius lib.* 9 *pag.* 590: Sedem dux *(Ecbertus)* habuit ad Luppiam Hovestadii; qui locus ex veteri castro adhuc conspicuus ab aulæ ejus statione hodiedum nomen retinet. *Vide etiam si lubet supra lit.* g.

m *Citatur Apostolus* I *Cor.* 7 ℣ 14. *Explicationem dabunt interpretes.*

n *Sic correxi ex Surio: Ms. enim nostrum mendose habet:* Quod super hoc convenientius profertur, quando duobus in carne una unam inesse spiritus sancti indiscissam operationem, quam illos deforis connubiali jure conjunctos ardentiori cælestium intus inflammavit amore.

o *Incertum plane est, quo anno obierit: si tamen nostra de Ecberto conjectura num.* 22 *in Commentario, vera sit, ante annum* 811 *mors ejusdem statui non potest. Vide dicta ibidem. Porro Stangefolius Annal. Circuli Westphalici lib.* 2 *pag.* 104 *eum virum admodum religiosum appellat. An cultu aliquo gauderet, inquisivit olim Bollandus noster, cui a laudato Schatenio responsum invenio in hæc verba:* An inter Sanctos colatur Egbertus etc. ℟, Me id non legisse. Sed opinor, id scribi a Cincinnio, quia Ida, Egbertus et Bertgerus confessarius ejus simul in loco sancto sepulti sunt. Sola Ida nomen sanctitatis ex populi cultu obtinet. De cæteris nihil certi habeo. A. Uffingo.

p Caraxare *vetus vox a Græcis mutuata id significat, quod exprimere, delineare etc.: unde recte illius loco substituit Surius:* delineabit.

q *Id est* contemplativæ *a Græca voce* θεωρία *meditatio, contemplatio.*

r *Surius habet:* Redemptio animæ propriæ divitæ.

s *Per* sacrum velamen *cœlibem sanctamque viduitatem vitæ solitariæ persimilem intelligo. At Bucelinus in Menologio Benedictino eam Ordinis sui inclusis annumerat ex hoc, ut videtur, loco,* IV *Septembris ita de ea prosequens:* A morte autem optimi mariti, inclusorum nostrorum sectata institutum, in oratorio, quod in honorem virginum Virginis angelorum Reginæ et S. Germani jussi angeli condiderat, sese includens ac velut carceri mancipans, numquam deinceps in vita omni pedem extra cellæ januam extulit, variisque rarissimarum virtutum ornamentis sacrum velamen mirifice excoluit. *Hæc ille, Schatenius supra citatus lib.* 9, *pag.* 591 *scribit, illam post conjugis obitum cum duabus cognatis suis Begga et Gertrude se in sacrum asceterium inclusisse: verum ille vel hanc ipsam porticum sive adhærentem templo domum intelligit, vel Uffingo absque idoneo testimonio contradicit. Quod vero addit de Begga et Gertrude, nescio unde hauserit: sane si B. Pipini filias denotet, errat manifeste: hæ quippe jam integro tum seculo ex hac vita commigrarant. Certe ea cohabitatio Uffingum latuit: cum enim is* S. Idæ *sacellani virtutes ac obitum satis prolixe commemoret, ejusdem cognatarum Beggæ et Gertrudis, qualescumque illæ fuerint, pium contubernium non fuisset prætermissurus.* E

t *Surius ad præsentem metaphoram aptius habet:* veræ viti inhæsit. F

u *Lipsanothecas designare videtur.*

x *Bertgerum titulo* Beati *condecorat Gelenius de sacra et profana Magnitudine Coloniæ lib.* 4 *ad hunc diem ita annuntians:* Supra Lupiam fluvium B. Idæ viduæ Westphalorum principis, ejusdemque sacellani B. Bertgeri presbyteri. *Eodem titulo honoratur in scheda quadam manuscripta, quam habeo, quæque inscribitur:* Indiculus SS. Westfaliæ. *Sed ejusdem cultum negat Schatenius in allata supra ad Bollandum epistola. Ad Uffingi tempora usque Beatorum cultu certe caruit: quod duo mihi persuadent. Primum est, quod laudatus biographus nusquam illum* Beatum *appellet, appellaturus procul dubio, si illius cultum agnovisset, præsertim cum in ecclesia suo monasterio subjecta Bertgeri ossa quiescerunt. Alterum sunt hæc ipsa verba:* Prope S. Ydæ tumbam digne humatus est; ut enim tam medicabilis glebæ *(id est corporis)* consortium obtinuerit, magnum quoddam fortasse, quod eum commendaret, justitiæ meritum præcessit. *Enimvero adverbio illo dubitationis* fortasse *abstinuisset, aut saltem ex subsecuto cultu Bertgerum*

rum tam honorifica sepultura dignum probasset, si illi tum temporis sacri honores delati fuissent.

CAPUT II.

Sanctæ sepulcri profanatio divinitus prohibita; ejusdem ecclesiam incendere frustra conantur Hungari; varia ibidem patrata miracula.

IV. *Pueri cadaver juxta Sanctam tumulatum, divinitus tertio ejicitur.*

Post hæc autem cum ipse locus ab aliis hæreditaria successione possideretur, et ob præsidentium incuriam vilitatibus obsolescere cœpisset, continuo benignus Dominus sanctæ famulæ suæ merita Ydæ ad castigationem improborum terribili patefecit eventu. Nam præclari comitis Ludolphi *a* amabilis soboles dum adhuc in albis *b* ab hac luce raperetur, ad eamdem ecclesiam defertur, et quia Sanctæ Dei opinio necdum in aperto emicuit, penes eam pusionem sepelierunt: qui die sequenti ex tumulo extractus ante januam vestibuli invenitur in loculo, in quo erat inclusus. Stupefacti, quibus res erat commissa, corpusculum denuo pristino loco addiderunt *: quod nihilominus invisibili iterum violentia eminus projectum reppererunt. Obstinatis ergo animis incassum laborem præstigiis imputantes, tertiam vicem audenter auxerunt: sed in vanum vires expenderunt; quia quod hesterno labore fuerat oppilatum, tum in extremo atrii australis angulo viderant evulsum, quod demum pudore multati ibidem commiserunt. Hoc prorsus formidabili portento claruit, quanta provectione beata Yda in cælis utatur, cujus sepulchrum Deus nullo carnalis corruptelæ fœtore in terris zelatus est maculari.

(a, b, B; * *forte*, abdiderunt)

12 Ea tempestate, qua Ungariorum gens detestanda ignicremis vaporibus cuncta devastavit *c*, præfatum quoque sanctæ Ydæ oratorium nefanda legio adiit; cruces et capellas, omnemque ornatum ecclesiasticum deprædati sunt. Deinde in altiora scandentes focos nonnullos in laquearibus construxerunt; sed virtute Dei carbo sopitus nulla flammarum incrementa haurire valuit, excepto quod raras quasque tabulas insidendo peredit, per quas sine mora semiusta ligna in inferiora projecit *d*. Hoc opere cassati pervicaci conatu nolarium aggressi sunt, campanas saltem deposituri. Sed ad has in vacuum cucurrerunt, quia eas nullis argumentis enodare potuerunt: hii namque, ut legitur, ignorant justo, sed semper vivere rapto: omnia sub fraude deducunt tempora vitæ. Tandem victæ pertinaciæ et virium elumbes effecti, aliquid ibi esse divalis *e* numinis suspicati sunt, et mox solius fugæ cupidi pedibus talaria nectunt. Quæ autem vi diripuerunt, post illorum ventilationem in castra recepta * sunt, et suo loco incolis honorifice restituta. Tum omnium ora in laudas summi Protectoris generaliter prorumpunt, dum tam evidenti indicio sanctæ Ydæ præsidia præsentialiter cernunt.

(c *Hungari ecclesiam incendere, et campanas auferre conati, relicta præda, territi fugiunt.* c, d, C, e; * *Surius*: id castris reperta sunt)

13 Dum igitur radios sanctitatis ejus latius favorabilis sereret rumor, multique ob expediendæ * salutis votum ad tumbam illius confluxissent, forte accidit advenientibus viatoribus sarcinulas suas foris porticum deponere, ut quid quisque ex suo habuerit deferendum, liquidius perspecto, post expeditior fieret ad procedendum. Quædam autem ex illis muliercula dum sua marsupia evacuare cœpisset, stimulis cupiditatis agitata sociæ suæ furata est camisiam *f*; et aliter eam occulere nescia, sub propria obstruxerat veste, seque simulata religionis specie orantibus miscuit. Illa vero, quæ damnum pertulit, cuncta oculis pervagando hostilem faciem citius deprehendit, ipsamque ream sceleris coram omnibus impetere cœpit. Tunc infœlix fœmina amenti simillima, quo se verteret, æstuat anceps, fugæque considere tutissimum rata est consilium. Fit virorum constipatio, ubi talis auditur acclamatio: jamque illa miserrima, spatio evadendi adempto, sæpem, qua cimiterium ecclesiæ ambiebatur, moribunda insiliit, quæ mox acutissima sude transjecta, intestinis omnibus eviscerata, ibidem patrati sacrilegii pœnas luit, cunctis secuturis similia * audendi horrendum præbens exemplum. Dispari quippe vice tale commissum expiari crederet *, si non scelus solummodo, sed dehonorationem loci cælestis severitas zelaret: sicut enim uberior exhinc sensatis animis compunctio; ita e diverso inertibus et temerariis major confusio et horripilatio *g* nascebatur.

(D *Mulier ad Sanctæ sepulcrum furata horrendam pœnam luit.* * *idem*: experiendæ; f; * adde non; * *forte* crederetur; E; g)

14 In provincia Drehin *h* mulier fuit Eggu * vocitata, cui manus dextera in volam plicata ac pene fuerat arefacta, et præ hujusmodi incommodo multis annis feriata. Cui quadam nocte somniali relatione dictum est, ut instar semivivæ manum ceream formando exprimeret, et ad sanctæ Ydæ tumulum deferret, ibique prout spem habuerit sanitatis, orationum continuaret instantiam. Quæ illico intellecta veritatis serie iter optatum maturare haut segniter cœpit, plantis agilitatem voti aviditas subministrat, æstuatque currendo longos breviare calles. Quo dum festinato veniens luctuosis singultibus opem medicaminis flagitasset et luminaria ob Sanctorum reverentiam, propter quos et ad quos venerat supplicatura, accendisset, salubriori usa consilio ibidem pernoctandi permissum * impetravit, ac mox solitum manus vigorem secundum præsagam sponsionem per Sanctæ Dei auxilium ex integro recepit. Sentiens vero postmodum acriori se inedia quotidie attenuari, eo quod pridem sub mendicitatis obtentu non stipem tantum, sed et quæstum adipisci consuesceret, diabolicis tendiculis irretita finitima rura deseruit, et ubi facile dignosci nequiverat, nefaria simulatione manum mentitur uncam. Nec talis ultorem mali Dominum latuere doli, cujus justo examine ultronea fraus haut impune prætcritur: nam mox recenti dono frustrata in pristinum deformitatis statum, ut prius suapte, sic tunc redigitur coacte. Æqua utique vice tanta libratur pervicacia, ut quæ dono Dei pauperior fieri verebatur, geminum *i* postea experiretur.

(VII. *Arida mulieris manus restituta ob nefariam simulationem rursum exarescit.* h; * *Surius*; Eggua; * *i. e.* veniam; F; i)

15 Adducta est etiam ad eundem locum alia mulier hydropica valetudine horribiliter affecta, quæ tantum distento tumuit ventre, ut vix per ullum ostium *k*, præpediente mole corporis, valuerit efferri. Magna ergo difficultate sacram ædem intrantes, qui illam eo vexerant, nocturnas ibi excubias cum ipsa et pro ipsa celebrant, lacrymis sepulchrum, precibus æthera pulsant. Necdum postera eluxit aurora, et totus læthalis humor.

(VIII. *Hydropica sanata.* k)

A humor de illa fœtidissima lacuna effluxit et omne pavimentum, acsi de grandi tumba aqua everteretur, excussa perfudit alluvies. Quæ statim laxata cute et ventre vacuata, ita levis effecta est, veluti numquam tam enormis sarcinæ fastidia pertulisset : ad sua deinde plus solito gratulabunda rediit, quæ olim hanc exosa lucem vix in extrema pendebat margine lethi; nec ultra per sanctæ Ydæ merita istiusmodi infestabatur passione.

IX. *Sanctimonialis ab angelo monita, ad Sanctæ tumulum diuturna paralysi liberatur.*

16 Viculus est non grandis in Nordergoa *l* Seudinon vocatus, ubi quædam sanctimonialis Werensnidis nomine, honestæ inter suos opinionis habebatur. Hæc articularium compaginum destitutione paralysi per quinquennium anxie torquebatur, et quocumque necessitas viarum medendi causa appulit, aut sago *m* vel alio gestatorio portari consueverat. Cui etiam angelico oraculo in oromate *n* præcipitur, salutifera venerabilis Ydæ limina petere, et nullam reformandæ sospitatis diffidentiam, fide comitate, habere. Hac revelatione multum exhilarata, fratrem illico suum omnesque quos poterat consanguineos accersivit, quale sibi consilium contulerit vaticinium, alacri- B ter explicat, et ut cupito itineri ocius subvenirent, æstuanter precatur. Favent cuncti ejus suggestionibus, ad fertilem signorum deducta est locum, et diem illum ac noctem in orationis studio pervigiles expenderunt : cum vero jam dies albescere videretur, cœpit pristina virtus sensim reviviscere per venas, fibrarum connexio dissociatos conglutinat artus, totusque membrorum iterato revertitur ordo. Missarum deinde celebratione inchoata, tantum roboris accepit, ut per se ipsam oblationes presbytero reddere, et psalterium propriis potuisset manibus retinere. Prodiit mox in publicum tam stupendum miraculum, ab utroque sexu mixtim concentus attollitur, tantoque propensius, quanto magis sanctæ Dei Ancillæ suffragia visualiter agnoverunt. Remeat mulier insueto gressu ad currum suum (erat enim de nobilibus) et parvo post momento perfecte recuperata convaluit.

X. *Surdus auditum,*

17 In pago Padarargoa *o* homo quidem cephalargiæ *p* concussione nimis vexabatur; ex cujus intollerabili infestatione per totum decennii spatium auditus privatus fuerat usu. Quem in somnis, ut ipsi videbatur, venustæ formæ et C nivei amictus fœmina compellat, quæ eum crucem ligneam moliri, in qua capitis sui imago figeretur, clementer edocuit, quam ad sæpe dictum oratorium cum amicissimis sibi fidelibus pro sua deferret restauratione. Expergefactus de somno jussa perficere non displicuit, et fido comitatu, quo fama sanitatum proditrix persuaserat, cursum flectere cœpit. Jam vero mediantis viæ terminum transgressi sinistræ quidem auris obduratio referatur, altera adhuc prisca insensibilitate conclusa est. Per hoc mirabile indicium meliora ausi sperare, residuum viæ Kyrie eleison cantando peregerunt. Ad atrium interim psallentium turba pervenit : cum ecce dextera auris subito crepuit, veluti sarmentum torridum subito frangeretur, ita ut e vicino astantes stupore hebetati hunc ibidem conjectarent supremo vitæ periculo citius occasurum. A quo crepitu mox tabifluus de aure humor cœpit emanare, totaque discessit sanies, donec venenoso liquore penitus egesto, redivivo rursus auditu donatur, veris eventibus somni assertionem in se ipso expertus. Hoc certe miraculum non rarus quilibet inspector, sed omnis pene plebecula, quæ ad ecclesiam solemniter cursitavit, ad declarationem meritorum beatæ Ydæ cognovit ostensum. A. Uffingo.

XI. *cæca visum recipit.*

18 Congruit superioribus miraculis illud quoque, quod sub scripti oratorii religioso presbytero Bilone ad nostram notitiam per multorum ora volavit. Tempore quodam cum plurimi ad easdem dicatas reliquias catervatim confluxissent, mulier capta oculis etiam interfuit, quæ eo magis præ cæteris intensius oravit, quo visualium rerum majori affligebatur dispendio. Cum vero Missarum celebratio circa horam tertiam ageretur, cœpit illis magnis precibus circumstantes exposcere, ut presbyterum ad se facerent venire : quo confestim præsentato, sic eum mulier percunctatur : Estne, reor, aut visus me refellit, quod alba et stola nunc sis indutus. Ille ita, ut dixerat, veraciter esse, affirmavit : at illa; Et ego inquam talem vestis candorem nec ullum omnino colorem per viginti annorum curricula merui videre. Sed nunc per Sanctorum istorum patrocinia præsentem populum hic cernere possum. Cum hæc illa repeteret, intenti omnes ora tenebant; et ecce sanguineæ lacrymæ per genas guttatim affluentes totam faciem cruentarunt, novamque lucem degener albugo aufugit. Ergo E tali ordine acutissimis luminibus potita, universos, qui aderant, et beatæ Ydæ sanctitatis, et propriæ sanitatis reddidit testes.

XII. *Ephebus a dæmone corripitur et liberatur.*

19 Superveniente quadam sacrosancta Pentecostes solennitate, quando plus solito conflua turba eumdem locum annuatim frequentat, dum ad Missas sanctum recitaretur Euangelium, dæmon atrocissimus unum e turba ephebum infesto ausu violenter invasit et in conspectu omnium horrendis agitationibus et grunnitibus vexavit. Quem mox non parva juvenum constipatio, donec Missæ finirentur, magna difficultate detinuit, eumque, licet magnis conatibus reluctantem, ad memoratum traxerunt medicabile sepulchrum. Tunc presbyter populum ad nota confugere subsidia, et sanctæ Ydæ fidele patrocinium admonuit implorare. Fit mox jugis instantia precum : ferit æthere clamor : nec ante ab incepto cessatum est opere, quam spurcissimus prædo mancipium Christi deseruit, seque garriendo vacuas fudit in umbras. Quæ enim, ut scriptum est, societas luci ad tenebras, quæ vero familiaritas vasi iniquitatis cum loco sanctitatis? Hinc fidelium cordata sagacitas perpendat, quantæ dignitatis eminentia F ejus spiritus ad superos sit præditus, cujus cineres diabolicam pervicaciam de suis sedibus potenter eliminabant.

XIII. *Mulier incurvata erigitur;* * *al.* inclinis

20 Alio quoque tempore ad easdem reliquias mulier nomine Werinhilt in carro transvehitur, quæ ita nervis contractis erat inclivis *, ut pectus genibus videretur inhærere : pedes quoque deformi specie habebat in posteriora transversos : unde dolendum cernentibus præbuit spectaculum. Unde dum effœtas corporis vires intensissime supplicando fatigasset, succedente aurora, cum jam Phœbea lampade nemorum cacumina rutilare cœpissent, repente in divina * sursum erigitur et integerrimæ restituta est sanitati. Miratur fœmina peregrina novis vestigia incedens plantis, ibique nacta occasione mansitandi non parvum tempus in sanctæ Ydæ famulatu laboratura resedit.

* *forte* vi divina: *Surius habet*, in genua

XIV. *altera amissum ex diuturna infirmitate crurum usum recipit :*

21 Civitas est in Saxonia, quæ Sosatium *q* appellatur, commanentium populorum frequentia nobilis : ubi etiam mulier de Sclavorum gente oriunda fertur commorari *r*, quæ toto triennio tantam debilitatem a genibus usque deorsum pertulit,

l m n o p q r

A. Uffingo. tulit, ut steriles artus ob diuturnam infirmitatem jam frigescere viderentur. Trahebat misera per terram inutile pondus ac propriis privata incessibus, duorum baculorum sustentatione pedum vice utebatur. Quæ dum beatissimæ Christi Famulæ præconia ceu solis radios longe lateque dilatari et omnigenis necessitatibus profutura perdisceret, salvationis suæ etiam ipsa cupida, assumptis secum cereis ad destinatum locum non sine maximo labore pervenit. Oblatis ergo suis munusculis, cœpit reptando manibus sacratam glebam appetere, crebrisque ejulatibus anhelum tundere pectus : cujus protinus votis divina medicina affuit secundandis, et quod ab electa sua
* idem, Vernula Vernacula * miserandæ fœminæ affectio extorqueret, propitia Deus aure suscepit : surgens namque ab oratione solidatis substitit talis, et naturalis color renascentem cutem revisit, ac prisco omnia lætantur robore membra. Hoc optimo modo desiderii sui compos effecta condignas liberatori suo
* citissima Christo retulit gratias, cujus citissimam * ope curationis suæ efficatiam beatæ Ydæ medentibus meritis consecuta est : baculos vero, quibus olim innitebatur, ob monimentum rei posteris diffamandæ
B pro foribus ecclesiæ suspendit, et ad sua gaudens recucurrit.

XV. *horrendum in modum contractus sanatur.* 22 Nec illud silentio tegendum esse miraculum suspicamur, quod ad nos usque, fama vulgante, rata fidelium assertio transmisit. Non multorum post hæc interjecto dierum spatio, homo miser et mirabilis ad supra memoratum asportatur capacem signorum tumulum, cujus facies ad genua usque animalium more prona ad ter-
* *l.* nulli ram vergebat, reliquis nullo * usui habilibus membris. Hujus dedecoris damnum per nonnullos pertulit inglorius annos, mortalibus horrendum visu portentum ostentatus. Is etiam medicanti tumbæ appositus ore, quod solum potuit, et sensu ibidem status sui orbitatem et ipse lu-
* *l.* eos ctuose conquestus est, et eis * quibus infractionis suæ angor propter Deum mentes permulserat, ut ita facerent, perhortatur. Movet intuentes ejus lugubris exoratio et tam dira corporis enervati dehonestatio : fundunt generatim preces eo quisque fructuosior, quo corde conpunctior; sicque pro uno unum omnes interpellant Deum. Istiusmodi autem oratiunculis prælibatis, non distulit fœcunda Dei
C clementia per sanctam suam Tirunculam destituto homini medelam impendere, quæ Dominicis jus-
* *l.* destitit sis, dum adviveret, sua numquam destituit * colla mancipare. Explicito namque deprecandi studio, dum singuli se subrigere cœpissent a pavimento, vitali quadam intrinsecus perfusione corpus ejus, ut ipse asserebat, concaluit, et petita salus leniter per membra cucurrit. Hæc incognita cunctis delibutione repente cathaplasmatus vires resumpsit insuetas, et humana flexibilis artuum compago decoratur : donec sensim se erigere cœlumque videre cœpit simul et erectos ad sydera tendere vultus. Magnis ergo salvatori Deo gratiarum laudibus persolutis ad propria remeavit magalia *s* incolumis.

ANNOTATA.

a *Ludolphus hic ex* S. Ida, *ejusve familia descendisse videtur ex eo, quod Uffingus hic præmittat, locum* ab aliis *(Ludolpho utique comite)* hæreditaria successione *fuisse possessum : cum autem constet, Sanctam liberos procreasse, merito Ludolphus hic* S. Idæ *filius aut nepos creditur : imo Eccardus in veterum monument. Quaternione pag.* 33 *satis probabiliter eum ejusdem filium facit.* D

b In albis positi *olim proprie dicebantur neophyti : ex veteri enim Ecclesiæ disciplina recens baptizati in signum innocentiæ veste alba induti per aliquot dies ecclesiam frequentabant : qua de re vide Edmundum Martenium de antiquis Ecclesiæ ritibus tom.* I *art.* 15. *Cangium in Glossario, aliosque. Dum igitur ait, illum* in albis *obiisse, significat, eum paucis post susceptum baptismum diebus, aut saltem in prima a baptismate innocentia mortuum esse.*

c *Hungarorum irruptiones varias in Germaniam et finitimas regiones apud auctores obvios, uti et in Actis nostris ad diem* 2 *Septembris in Commentario prævio ad Vitam S. Stephani regis legere est. Quamnam hic irruptionem designet, non satis liquet. Stangefolius Annalium Circuli Westphalici lib.* 2 *scribit, Westphaliam circa annum* 899 *miserandum in modum ab Hungaris fuisse afflictam : alias item ab iisdem illatas strages refert ad annos* 913, 915 *et* 937. *De una ex his biographus agat, necesse est.*

d *Surius habet :* per quas sine mora in inferiora *(carbo)* dilapsus est.

e *Id est* divini : *hinc Surius pro* divalis numinis *substituit :* divinitatis. E

f Camisia *est interula seu interior tunica.*

g *Id est capillarum præ tremore erectio. Denotat itaque quod hac cœlesti ultione probi ad pietatem excitati, improbi horrore percussi sint, ne similem aliquando vindictam experirentur.*

h *Consule dicta in Annotatis ad num.* 6, *lit.* k.

i *Paupertatem scilicet et manus contractionem.*

k *Prodigiosa hæc fuit hydropisis, nisi per auxesim dicta accipias.*

l *Meibomius Rerum Germanicarum tom.* 3 *in pagis Saxoniæ* Nordgoam *pagum, quem et* Nordergoam *appellari ait, et eumdem cum* Nordi *statuit, a* Norda *Frisiæ Orientalis urbe nomen suum sortitum fuisse existimat. Eccardus in Commentario de rebus Franciæ Orientalis lib.* 22 *Nordgoviæ meminit, quam Bajoariæ partem appellat. Baudrandus* Northgoew *provinciam Germaniæ adscribit inter Bohemiam Franconiam et Danubium,* in qua nunc sunt, *inquit,* Palatinatus superior seu Bavariæ, comitatus Cambensis et pars Franconiæ ad Ortum trans Rednitium fluvium, ubi pars Burgraviatus Nurenbergensis; *quamquam nunc ejus veros limites periisse fateatur. In hocce an alio pago habitaverit hæc sanctimonialis, divinare non possum :* Seudinon *enim vicum nusquam reperio.* F

m *Lecticæ genus fuisse videtur.*

n *Id est* visione; ὅραμα *Græce, Latinis* visio.

o *Surius legit* Pedargoa : *sed nec hoc, nec illud nomen inter Germaniæ pagos occurrit : nisi forte idem sit cum* Patherga *alias* Paderga, *cui a* Padera *prope Paderbornam nomen inditum est, teste Meibomio supra citato.*

p *Gravis quidam capitis humor est : alias* κεφαλαλγία, *capitis dolor.*

q *Urbs est in Westphaliæ circulo in comitatu Marchiæ ab indigenis* Soest *vocitata.*

r *Hic loquendi modus innuere videtur, mulierem hanc, dum scriberet Uffingus, adhuc fuisse superstitem.*

s *Cangius magalia interpretatur urbem, aitque a Punico* magal, *id est nova villa derivari : hic tuguria vel vicum denotare videtur.*

CAPUT

A

CAPUT III.

Ecclesia cum Sanctæ tumulo in perpetuum Werthinensi monasterio tradita, cultus ipsius reflorescit : æditui incuria divinitus corripitur; tumba, quæ sponte e terra emersit, miraculis illustratur. Corporis translatio, ejusdemque annua indicta festivitas.

Lib. II. Cap. I. *Ex ministrorum incuria et avaritia cultus Sanctæ imminutus est ;*

Hujus itaque benedictæ Dei Matronæ diversa diversis temporibus enituere miracula veridicorum testium annotatione suffulta, quæ tanto liquidius auditoribus seu etiam lectoribus credenda patent, quanto continuis vicibus visibiles sanitates hanc attentius commendant. Nec enim pristinis temporibus ab afflictorum relevationibus eam feriasse confidimus, licet plurima B nostræ notitiæ sint subtracta, quæ illorum, ut supra memoravimus, presbyterorum videlicet insolentia silendo obduxit; qui non locum, sed quid loco conferretur, avidissime intendebant. Ad hoc quippe quorumdam inolevit ineptia, ut a sacrati pulveris *a* ædiculam flocci pendentes suis b potius instituerent repositorium usuris *b*, ac omni pene honestatis cultu derogato, quisque rebus propriis consulens, animum ad alia vagari permisit. Aliquorum tamen proterviam detestandam digna audivimus talione multatam : sed quia vicinis dormitionis suæ annis ista increverit negligentia, nullus, qui virtutum ejus æmulus non videtur, c fidelis ambigere potest *c* : ex quo enim pretiosus inibi thesaurus recondebatur usque ad venerandi d nostri fratris Hogeri *d* tempora sub rege Arnulpho e *e* locus ille juri fuit addictus excellentissimi ducis f Oddonis *f*, qui hujus serenissimi Augusti Ottonis g *g* extitit proavus.

C *sed sub Hogero abbate, ipsius ecclesia Werthinensibus tradita refloruit.* 24 A quo idem venerabilis abba ipsam regiam curtem *h* aliis repensis possessionibus juxta regalem cambivit ritum : ac deinceps in nostræ abbatiæ proprietate, id est sancti Ludgeri *i*, perpetuo usque in præsens cernitur perdurare. Exinde h nostrorum sollertia sancta studiosius latibula incoluit, et prioris ignaviæ squalore defecato, an- i gustis curavit addere rebus honorem. Tunc quoque intercepta pridem sanitatum exhibitio optato pluribus rediit omine; quotquot hujus muneris rumor asciverat, Domino secundante, reduci certatim abierunt inde meatu. Omnia autem velle disserere, quæ eo loci beatæ Ydæ opitulamine patrata audivimus, non nostræ opis est, aut facile sensu comprehendere, aut anserino vomere * apte exarare : numerum enim excedunt : pauca siquidem ex multis huic opusculo inseruimus imperitiæ nostræ tantum sufficientia, qui rhetorici antidoti penitus ignari insipidæ saltem rusticitatis agresti edulio vix paci meremur. Sed quantum in nobis est, illius utique datum est, a quo inchoat esse omne, quod tendi ad non esse; cujus gratia adjuti residua adhuc miracula, prout quimus et in veritate sentimus, repetere studebimus.

* i. e. calamo

A. Uffingo. II. *Ecclesiæ custos ob profanata loca sacra divinitus corripitur.* k

25 Res, quam explicare conamur, illis diebus accidisse refertur, quando prædictus Bilo necdum ad presbyterium promotus Hirntfeldensis ecclesiæ discipulatum *k* subierat, quem in ejusdem gremio loci, quamdiu vixerat, devotis novimus insudasse obsequiis. Magno enim a primæva juventute delectabatur amore, ac pro virium suarum modulo, si quid potuit, ibi honestatis impendit. Sabbathis quoque et cæterarum festivitatum præcipuis vigiliis ecclesiam scobare *, altaria obvelare, cereos accendere ac bene olentes spargere consueverat herbas. Quem hujusmodi obedientiæ sedulo insistentem quadam nocte incognitæ personæ species in somno his verbis mediocriter affatur : Bene quidem te et utiliter hac in re egisse approbo, qua ecclesiasticis cultibus componendis magnopere deservis : sed valde in hoc tua redarguenda est stolida temeritas, quia egestos quisquiliarum et purgamentorum ab ecclesia acervos penes Sanctorum tumulos effundis et salutiferam humum cenosis sordibus profanare præsumis. Cave ergo, si saluti tuæ consulere velis; nec ulla ulterius ibi dehonoratio fiat. Hujus scilicet piaculi se notabilem et ipse publice est confessus, et tali elogio se reprehensum cum juramento affirmavit. Ille exhinc E caute interdicta vitavit, seque ad comminantis monita emendatiorem imposterum dedit. Hinc benevolus lector diligenter animadvertat, qui sacra monumenta præsumptive infamare nititur, quanta severitatis tonsura * sit plectendus, si et ipsi culpam impingit *l*, qui per ignaviam, non per malitiam, quantum nobis conjicere licet, contigua illis loca improvide attrectare apprehendit. Perspicue efficitur, quia Dominus custodit ossa Sanctorum omnia, dum eos et in terris maneat honor, et in Dei regno sine leti pavore eorum nomina laudesque manebunt.

* scopare

* Surius melius censura l

III. *Infans ob restitutam distortam faciem S Idæ famulitio addicitur :*

26 Mulier quædam de Saxonia miserandæ prolis erat genitrix, cujus facies a primo nativitatis ortu ad scapulas reflexa inconvertibili stringebatur rigiditate, monstri cujusdam potius, quam hominis prætendens effigiem. Hæc portentuosa deformitas anxiæ matri luctuosa admodum contulit suspiria; et tollerabilius arbitrabatur malum, se numquam puerperium pertulisse, quam semper succrescentibus curis augmento vixisse. Audita autem curationum gratia, quas per sanctam F Ydam languentibus Dominus clementer impertitur, Dominam suam festinato adiit, infortunii sui eventum exposuit, atque ut ejus adminiculo cupitum perageret iter, gemebunda poposcit. Paruit illa postulatis, et quo æstuantis optio compulit, secum mulierem cum transversa sobole perduxit, ac oratione præmissa, domina per se infantulum super altare collocavit, hæc verba obortis lacrymis inquiens : Si tua apud Deum interventio, o beata Yda, hujus pusioli * reformationem obtinere dignatur, tuo illum famulatui mancipandum protinus perpetuo jure condono *m*. Hanc illico sponsionem oratio, et orationem exauditio comitabatur : nam sub horulæ ipsius interstitio, cunctis intuentibus, infantis cervicula repentina rotatione reflectitur, vultusque in suum compactus statum decenter ornatur, nulla exhinc prioris damni stigmata monstrans. Minor mox in explendis votis non fuit acceleratio, quam in agendis Deo laudibus acclamatio : ac lætis successibus domum remeantes, Dei circumquaque magnalia disseminare gaudebant.

* i. e. parvuli

m

IV. 27 Accidit quoque tempore quodam, adolescentulum alium illuc adduci, cui dexterum crus cum

A. Uffingo. *ejusdem famulatui mancipat se adolescens contracto crure liberatus.*

cum pede ita ad posteriora erat supinatum, ut illud nullatenus ad terram valuisset deponere. Ad hujus miseræ cumulum sinistri lateris vexationem non modicam patiebatur, ac per hoc omni pene sanitatis spe destitutus non solummodo debilitatem, sed etiam inutile membri pondus pro subsidio gestabat. Iste etiam pia parentum sollicitudine coram venerabili transpositus urna, generali omnium consulto voto se obligavit, ut si ambulandi possibilitate beatæ Ydæ interventu utcumque donaretur, ejus famulitio semetipsum proprietatis jure vendicare non differret; erat enim ex libera progenie natus *n*. His condicionibus prælibatis, postquam diu fuit oratum, impressus alieno loco pes paulatim videbatur dilabi; ossis quoque diutina ligatura laxatur, totaque lateralis compago vitali calore delibuta in pristinum vigorem animatur. Qui deinde in processu temporis, sanitate crescente, adeo convaluit, ut, licet claudicante adhuc pede, per se gressum figere potuisset, ac non multo post sine baculi sustentaculo ab eo, quem prius portabat, ipse * cœpit portari, et portitorem suum benigno attrectavit intuitu: promisi autem sui non immemor pro resumpta sospitate in eodem loco
B Sanctis serviturus libera colla submisit, ac totum vitæ ævum in beatæ Ydæ obsequio expendere decrevit

n

* *nempe baculus*

28 Stupenda summi Largitoris magnalia, quibus ecelesiasticos * suos in terris mirificat, ad digne conscribendum valde perplexa videntur, et quantum humana capacitas sensualiter sapit, ab omni indignationis * calculo in prima admirationis fronte resiliunt. Si enim multiformis mundanæ facundiæ nitor totas carminum suorum copias effundat, temporariam illorum claritatem non sufficit verbotenus expolire, quanto minus silvam perfectionis eorum poterat penetrare *o*? Humanam refugit notitiam, quam magna multitudo dulcedinis cælestis his apparatur, qui Deum diligunt et colunt in veritate. Inter innumera quoque Sanctorum millia, quæ per orbem quadrifidum orthodoxa veneratur religio, multo numerosior eorum æstimatur frequentia, qui mortalium cognitioni subtrahuntur et solius Remuneratoris sui obtutibus irradiantur. Nec tamen minimus eorum capillus apud Deum despectui habetur: quamvis enim alii præ aliis propter ob-
C scuritatem famæ impariter impari perfruantur honore, omnes tamen pariter pari *p* æternitate sublimantur in astris.

v
Deus, qui omnes Sanctos beat in cælis voluit S. Idæ gloriam in terris amplificare,
*Surius electos
* *Idem melius,* indagationis.
o
p

29 Hinc et vernaculam suam beatam Ydam Dominus sub telluris aggere non passus est clandestinari *; sed latitantem modio lucernam gratissimum multis spectaculum facere decrevit, ut eminentiori loco posita vatiores etiam sanctitatis radios eminus dilataret. Saxea scilicet archa, in qua venerandæ exuviæ reconditæ terræque fuerant recommendatæ, invisibili quadam mobilitate sursum cœpit emergere, et quasi violentiam terreæ molis dedignata contra prementem se intrinsecus luctabatur, sicque per nonnullos annos sensim erumpendo sese liquido intuentibus ostendit, donec funditus ab humo sequestrata in superficie pavimenti integra resedit: tanto quippe deposito idoneum terra non invenit hospitium, unde et ejus non prævaluit sufferre consortium. Quod si quemquam hujus rei quasi fictæ, quod absit, * tacite augit, testem invitamus Deum, nos plurimos in hac luce vidisse, qui supremum non amplius operculi verticem in sua pueritia apparuisse, et postmodum in id, quod nunc cer-

indagationis *dum illius tumba saxea sponte emersit e terra :*
* *i. e.* latere

* *Surius interposuit* æmulatio

nitur, exuberasse testantur: si vero huic adstipulationi nec sic fidem accommodaverit, ecce in promptu habent ex Dei gratia, quæ dicuntur. Si aures illam * refellant, oculorum hæc indicio probet, et probando credulus fieri discat. Miremur ergo et indubitanter veneremur non fortuitam, sed essentialem misericordiam Domini, ex cujus præventione tam fructifera apud nos pullulavit oliva: aliorsum enim ista et hic similia non interpretatur, nisi qui animæ suæ detrimenta sectatur.

D

* *Surius* illum

30 Aliquanta ex parte commemoratis miraculis, per quæ beatæ Ydæ sanctitas vicinis populis saluberrima innotuit, non incongruum suspicamur de translatione sanctarum reliquiarum aliquid huic nostræ historiolæ strictim inserere, ut unde beati cineris promotio certior, inde auditoribus religio accrescat uberior: nec enim scientiæ nostræ gracillima scintillula laudum illius erit exsors, quam ad multorum tuitionem de occiduis mundi partibus *q* in has terras superna perduxit clementia: cujus etiam inexhaustæ largitati jure imputatur, quod Saxonicis in arvis talis est margarita reperta, ac tam humilem situ
E planitiem pretiosissimis dignabatur ditare pignoribus. Hujusmodi mirabilium rumusculis dum plurimorum animos permulsisset, ad reverendissimum quoque Mimigardæfordensis Ecclesiæ præsulem Dodonem *r* hujus rei notitia pervenit. Tantis ille congratulans bonis, quod vel ejus temporibus, aut in loco suæ sollertiæ subjecto hæc maxime evenire debuerunt, opifici omnium Deo immensas referebat gratias: unde cum famosior quotidie de his relatio crebresceret, visum est seniori nostro Ludolpho *s* eundem præclarum episcopum precibus convenire, quatenus beatæ Ydæ ossa de tumulo in ecclesiam transferre ac ejus basilicæ consecrationem peragere dignaretur. Hujus exhortationis efficatiam fratris nihilominus nostri Hugii *t* benevola juvit industria, cui id temporis illis in partibus nostrarum procuratio rerum fuerat injuncta, qui et eandem restaurationem *u* nobiliter ampliavit. Cum vero hujus nuncii veritas primitis parochiannis innotuisset, videlicet quod electa Dei Tiruncula ad suum oratorium esset deportanda, acervatim illo confluentes reverendis optabant interesse exequiis.
F

VI.
quo aliisque prodigiis permotus episcopus Monasteriensis, supplicante abbate Werthinensi,
q
r
s
t
u

31 Tunc memoratus præsul petitis benigne annuens, die statuto superveniens, sacrosanctum revisit sepulchrum, ibique oratione fusa, quod initiandum proposuerat, intentissime summo delegavit * consiliario Christo: pontificalibus deinde ornatus infulis sacratam aggreditur tumbam, comitante secum inferioris ordinis agmine dealbato. Ubi primum seniorem nostrum omnesque simul astantes admonuit totius bonitatis originem generaliter inclamare Deum, ut suæ voluntatis effectum in hujus facti inchoatione monstrare dignaretur; licet enim de sanctæ Dei meritis nullo modo hæsitaret, solita tamen prudentia usus, nil per se inconsulte aut inordinate agere voluit. Hac supplicatione præmissa, pari omnium consensu et voto operculum marmoris amoveri præcepit: quibus jussa maturantibus, suavissima mox fragrantia de monumento eructans, odorifera adstantes jucunditate respersit; ut liquido omnes sentirent, beatæ Ydæ merito illam cælitus esse destinatam. Quo facto, episcopus sacras exuvias deosculatus, cum omni honore de sarcophago sublevavit, et in scrinio illorum receptui aptato diligenter reposuit, monachis interim ac clericis psalmos

VII.
sacra ossa suaviter fragrantia e loculo sublevat et solemniter in altari collocat,
* *i. e.* commendavit

A psalmos ac lætaniam instanter psallentibus. Deinde præcedentibus crucibus, cereis atque thuribulis cum dulci modulantium cantilena benignus pontifex cum nostro seniore sanctum gestatorium *w* portandum suscepit, et in ecclesia honorifice super altare collocavit. Ibi quoque aliqua de beatæ Ydæ sanctimonia populo succincte recitavit, ac mox ipso TE DEUM LAUDAMUS elevante, plebeiæ laudis succentu omnia concrepabant.

VIII. aliquas sibi reliquias servat, alias abbati concedit: partem templi S. Idæ dedicat, festum translationis instituit.

32 Ut autem sacrorum pignorum veneratio celebrior alicubi haberetur, memoratus pontifex aliquas ex eis sibi tulit particulas, quasdam dominus abba ad nostrum transvexit monasterium *x*, quas etiam omnes sacris vestibus induti pridie *y* Kalendas Decembris magno honoris apparatu suscepimus *z*. His ita peractis venerandus antistes australem ecclesiæ structuram, id est turrim in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ ac sub beatæ Ydæ nomine consecravit, cunctisque in vicinio degentibus diem translationis et dedicationis annuali semper recursu solenniter feriandum indixit. Tanta rerum congruentia dum strenue cuncta præparasset, populum episcopali B benedictione munitum ad propria ire permittens, ipse quoque cum suis lætus inde discessit. Facta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octuagesimo, sexto Kalendarum Decembrium *aa* die, feria quarta *bb* Indictione octava, imperante victoriosissimo cæsare Ottone, anno, ex quo cum divæ memoriæ seniore augusto genitore suo regnare cœpit, vigesimo, ex quo vero augustalem monarchiam solus obtinuit, anno octavo *cc*, super omnia regnante æterno principe domino nostro Jesu Christo, cujus imperii autoritas totius orbis fræna solo moderatur arbitrio, et a cunctis creatis per omnia celebratur, laudatur et adoratur in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Sanctæ Idæ *reliquias intelligit.*

b *Per usuras designari quæstum ex rebus sacris, innuunt præcedentia; puta,* qui non locum, sed quid loco conferretur, avidissime intendebant.

C c *Obscuram hanc phrasim sic explico:* Nullus fidelis, qui virtutum ejus *(S. Idæ)* æmulus non videtur, *id est, qui ejus virtutibus non invidet,* ambigere potest, quia *(id est, quin)* vicinis dormitionis *(id est obitus)* suæ annis ista increverit negligentia. *Porro his verbis cavet biographus* 1°. *ne quis existimet, ex parte* S. Idæ *stetisse, quominus plura beneficia mortalibus conferret: cavet* 2°. *ne quis hunc sacrarum rerum neglectum sub Werthinensibus monachis irrepsisse arbitretur.*

d *In Surio legitur,* Patris Hogeri. *Syllabus abbatum Werthinensium et Helmstadiensium auctore F. Henningio Hagen, ex Ms. editus a Leibnitio Scriptorum Brunsvicensium tom.* 3 *pag.* 600, *notat Hogerum quintum Werthinensium abbatem. Consonat Bucelinus in Germania Topo-chrono-stemmato-graphica parte* 2, *pag.* 300 *ubi et ejus obitum post quatuor ferme annorum præfecturam anno* 902 *illigat. Eadem fere colligi possunt ex Mabillonio, qui in Annal. Benedict. ad annum Christi* 887 *ait, post mortem S. Hildegrimi electum fuisse Andolfum, eique eodem anno decedenti successisse Hembilem; dein subdit:* Non diuturna fuit ejus præfectura, neque successoris Adalgagi, Odonis et Hogeri.

A *A Uffingo.*

e *Arnulphus Carolomanni Bajoariæ regis filius Germaniæ regnum obtinuit anno Christi* 887, *postea etiam ad imperium evectus.*

f *Surius habet* Ottonis. *Fuit is Saxoniæ dux, de quo sæpius meminit Eccardus in Commentario de rebus Franciæ Orientalis. Inter cetera illum Werthinensi monasterio favisse, ostendit pag.* 781. *Filium habuit Henricum cognomento Aucupem Germaniæ regem, cui anno* 936 *demortuo suffectus est Otto Magnus ejus filius.*

g *Designatur Otto II, Magni Ottonis filius, Henrici Aucupis nepos, ac Ottonis Saxonum ducis pronepos. Hic, teste Pagio in Critica, Germaniæ rex a patre creatus est anno* 961, *imperator coronatus a Joanne XIII PP. anno* 967, *denique extremum diem clausit anno* 983.

h *Per* regiam curtem *hic villam regiam intelligi existimo; in qua significatione in antiquis formulis sæpe reperiri, notat Calepinus. Villa hæc fuit Hertveldum sive* Hirutveldt, *complectebaturque ecclesiam a* S. Ida *exstructam. Schatenius in epistola supra allegata scribit, ecclesiam illam fuisse sua tempore uti et prius parochialem; ac primo quidem videri ibi fuisse cœtum* E *sacerdotum, sed postea in Werthinensibus monachis parochiam fuisse administratam, subinde tamen etiam a presbyteris secularibus. Addit, anno* 1663, *quo hæc scribebat, Werthinense cœnobium per monachos suos ibi divina denuo ministrasse.*

i *De S. Ludgero Werthinensis cœnobii fundatore vide Acta nostra tom.* III *Martii die* 26.

k *Id est ministerium custodis obibat: patet id ex ipso titulo apud Uffingum, qui sic habet:* Qualiter ecclesiæ custos pro negligentia sit correptus. *Unde et Surius locum hunc ita interpretatus est:* Quando... officium custodis administravit.

l *Id est, si Deus, vel* S. Ida *Biloni culpæ adscripserit, quod ex negligentia Sanctorum tumulos fœdaverit, quanto severius castigaturus est eos, qui id ex malitia facere præsumpserint.*

m *Frequens hæc olim fuit sui, suorumve alicujus monasterii vel ecclesiæ famulatui mancipatio. Alii ad censum annuum persolvendum, alii ad certa præstanda obsequia, alii denique ad perpetuum famulatum se vel suos (ut in casu hæc domina ancillæ suæ prolem) devovebant.* F

n *Nam si servilis conditionis fuisset, votum hujusmodi absque domini consensu irritum fuisset.*

o *Totam hanc periodum Surius sic immutavit:* Si enim humana sapientia (etiamsi omnes suos nervos intendat) temporariam illam claritatem non sufficit de verbo ad verbum suis coloribus depingere, quanto minus ipsam æternam perfectionem delineare poterit?

p *Vera hæc sunt, si de sola æternitatis duratione et gloria essentiali accipiantur; falsa, si de accidentali gloria dicantur.*

q *Id est Neustria.*

r *Decimus Mimigarfordensium seu Monasteriensium episcopus Dodo recensetur, tam in Catalogo episcoporum prædictæ diœcesis per Matthæum Tympium, quam in Chronico Monasteriensi Arnoldi de Bevergerne apud Antonium Matthæum in veteris ævi analectis. Prior in rem nostram ita loquitur:* Dodo et vita et doctrina suis facem prætulit... et B. Idæ ossa multiplicibus clara miraculis una cum Ludolpho abbate Werdensi anno CMVIII ex humili tumulo levavit, dignoque in ecclesia Hertzfeldensi, quam ipse *(lege* ipsa*)* olim pie exstruxerat, loco reposuit. *Adverte*

A. Uffingo.

Adverte tamen, annum 908 *mendose pro* 980, *forte ex typothetarum negligentia (quod in cyfris Arabicis non semel accidit) expressum esse.*

s *Laudatus supra Syllabus inter Werthinenses abbates Ludolphum* 14 *numerat. Consonat Bucelinus in citato superius Opere parte* 2 *pag.* 312 : Ludolphus abbas XIV Werthinensis, Friso nobilis, vir summæ devotionis ac pietatis. Hic anno CMLXXX corpus S. Idæ viduæ cum episcopo Monasteriensi Dodone in ecclesia nostra Hertefeld prope Luppiam fluvium e terra elevavit et honarifice in altari collocavit.

t *Bucelinus laudatus Hugium Herzfeldensem parochum nominat :* Acta sunt hæc...., *inquit,* sub prædicto abbate Werthinense Ludolpho, et Hertefeldensis ecclesiæ pastore Hugio monacho cœnobii Werthinensis. *Citat autem Uffingum et Cincinnum, adeoque procuratio illa, quam Uffingus Hugio commissam fuisse tradit, pastoralem curam etiam complectebatur.*

u *Apud Surium est :* qui et eamdem ecclesiam non modica restauratione nobiliter ampliavit.

w *Cui scilicet sacræ* Idæ *reliquiæ erant impositæ.* B

x *Bucelinus citatus de hac reliquiarum translatione sic habet :* Cujus *(S. Idæ)* sanctum caput cum solemni processione Werthinam eodem tempore magna cum reverentia inde translatum est. *Contra in manuscripto indiculo Sanctorum Westphaliæ hæc lego :* ejus *(S. Idæ)* sacrum caput asservatur Leisbornæ in cœnobio. *Utrum e duobus monasteriis sacrum hunc thesaurum possideat, exploratum non habeo; commode tamen dicta in speciem sibi opposita conciliari possunt, si dicamus, sacri capitis partem alteram in cœnobio Werthinensi, alteram in Leisbornensi asservari. Sane si biographi verbis standum est, non videtur totum caput tum temporis Werthinam fuisse translatum ; cum tantummodo* particulas quasdam *de* S. Idæ *corpore eo ab abbate delatas tradat : hic vero loquendi modus de tam insigni corporis parte, qualis caput est, non nisi inepte adhiberetur.* D

y *Surius legit :* ad Kalendas Decembris.

z *Hisce innuit, sese reliquiarum susceptioni interfuisse.*

aa *Hinc collige, cur in titulo capitas* I *veteris partitionis dicatur :* cujus festum colitur sexto Kalendas Decembris.

bb *Ita etiam notatur in editione Suriana, sed utrobique, ut videtur mendose, nam anno* 980, *Indictione* VIII, VI *Kal. Decembris incidit in feriam* VI, *non* IV.

cc *Congruit hæc duplex Ottonis II epocha cum assignato Christi anno et Indictione, si prioris initium sumas non ex quo in societatem imperii a patre adscitus est, sed ex quo in Germaniæ regni consortium ab eodem assumptus est. Nam ab anno Christi* 961, *quo, teste Pagio in Critica, Germaniæ rex creatus cum patre regnare cœpit, usque ad annum* 980 *sexto Kal. Decembris, vigesimus annus currebat. Rursus idem Otto II, genitore suo Nonis Maii anni* 973 *defuncto, imperium solus obtinuit : anno itaque* 980, *sexto Kal. Decembris inchoatus jam erat annus octavus, quo imperii fræna solus moderabatur. Quod autem duplex hæc epocha ita ab Uffingo adhibeatur, patet ex ipsis, quos adhibet, terminis : per* regnare *enim Germaniæ regnum, per* augustalem monarchiam *imperium indigitat. Hæc notanda censui, ne quis ex Pagio aliisque Uffingum erroris insimulet. Pagius enim anno Christi* 980 *Ottonis II annum octavum et decimumquartum illigat : sed ille posteriorem epocham exorditur ab anno* 967, *quo vivente patre, imperator coronatus est : cæteroquin Uffingi dicta cum Pagii calculis optime cohærent.* E

DE B. IRMGARDE VIRGINE

COMITISSA ZUTPHANIÆ

C COLONIÆ AGRIPPINÆ F

C. S

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Cultus antiquus, annus emortualis, nobiles natales, Vita ex Germanico edenda.

Circa finem seculi XI, aut initium XII. Cultus Beatæ probatur

Colonia Agrippina inter innumeras prope Sanctorum exuvias, quas suo sinu religiose complectitur, gaudet etiam sacro corpore B. Irmgardis *virginis eximiæ humilitatis ac religionis, cujus annuam memoriam ibidem hac die celebrari solitam in Fastis reperio. Ex hisce aliquos accipe : in primis Florarium nostrum, anno* 1486 *conscriptum, hujus Virginis bis meminit ; ac semel quidem* IV *Septembris inquiens :* Coloniæ Agrippinæ in summo *(templo)* sanctæ Yrmgardis virginis : *dein vero* X *Novembris :* Coloniæ sanctæ Yrmgardis virginis. *Posteriorem diem fuisse ei emortualem statuit Cratepolii Necrologium in Catalogo episcoporum Coloniensium, teste Theodoro Rhayo in Animabus illustribus Juliæ. Verumtamen ad diem* IV *Septembris Beatæ hujus memoriam referendam esse constat, tum ex aliis Martyrologiis, tum ex annua ejusdem Virginis festivitate, de qua infra agetur. Interim martyrologos audiamus.*

ex Martyrologiis

2 *Grevenus in auctariis Usuardi apud Sollerium nostrum ad hanc diem sic eam annuntiat :* Irmgardis virginis in majori ecclesia Coloniensi. *Molanus ibidem indicium cultus adjungit :* Coloniæ

Coloniæ

A loniæ in majori ecclesia, Irmgardis virginis, in cujus præfesto ibidem campanæ pulsantur, sicut in præfectis Sanctorum, licet non sit canonizata. *Similiter Martyrologium Germanicum Canisio adscriptum illam pridie Nonas commemorat :* Item in metropolitana Coloniæ sancta virgo Irmgardis. *Eodem die annuntiatur in Additionibus Martyrologii Romani ad usum Belgii; verba ex Flandricis Latina hæc sunt* : Coloniæ Agrippinæ natalis B. Irmgardis, Zutphaniæ comitis filiæ; cujus sacrum corpus ibidem quiescit in sacello trium Regum. *Accedit Menardus in Martyrologio Benedictino inquiens :* Coloniæ, in majori ecclesia, sanctæ Irmgardis virginis. *Ad eamdem diem cum* Beatæ *titulo illam referunt Castellanus in Martyrologio universali, Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, Wionius in Ligno vitæ, Miræus in Fastis Belgicis etc. Atque hi omnes pro cultus loco solam Coloniam Agrippinam assignant : at Theodorus Rhayus e Societate nostra in citato mox Opere alteri prætera oppido annuam ejus memoriam* IV *Septembris adscribit his verbis :* Colonia Agrippina et collegiata B. virginis Mariæ Ressen-
B sis ecclesia quotannis colit festive Irmgardim, seu, ut alii, Irmtrudim, quarum duas fuisse, varii sentiunt auctores.

immemorialis ; Coloniæ

3 *Ex dictis manifestum est*, B. Irmgardem, *quamvis non sit solemniter canonizata, legitimo et immemorabili cultu gaudere, quippe cujus initium assignari non potest, et quo, anno* 1486, *ut Florarium nostrum fidem facit, jam gaudebat, et ad nostra usque tempora gaudere perrexit. Ad nostra usque tempora, inquam : nam licet cultus ejus Coloniæ Agrippinæ intermissus videatur, viget tamen etiamnum in sacello prope Suchtelium venerationi ipsius consecrato, ut num. 6 ostendemus. De prætermisso autem Coloniæ cultu hæc mihi ex ea urbe transmissa sunt :* Festiva dies IV Septembris solemniter in summa æde campanarum compulsatione fuit celebrata, testante Gelenio, uti et aliqui vicarii hujus ecclesiæ scire volunt, quod etiam eadem die summum Sacrum in ipsius capella (ubi ejus corpus requiescit) fuit servatum.

intermissus,

4 Nunc autem neque summum sacrum, neque
C compulsatio campanarum observatur. Olim etiam ad minimum in ejus die festivo ipsius sepulchrum hominibus devotis ostendebatur apertum, in cujus sepulchro etiam scutella lignea, qua ad cibos in vita sua utebatur, videtur. Per tres autem circiter aut quatuor annos (sine dubio ex mandato illustrissimi capituli metropolitani) ejus sepulchrum claustris alienis obsignatum fuit, ita ut hucusque numquam fuerit apertum; idque sine notoria causa : hinc etiam devotio hominum paulatim deficit. Sepulcrum autem et corpus S. Irmgardis est in capella aut sacello S. Agnetis V. et M. juxta SS. trium Regum ædiculam in ecclesia metropolitana Coloniensi.

at viget prope Suchtelium in monte dicto sanctæ Irmgardis :

5 *Perculerant me hæc inexspectata de intermissa Beatæ veneratione responsa, cum nec opinanti mihi cultus aliunde repetendi spes affulsit : dum enim loca, in quibus eam solitariam vitam duxisse compereram, diligenter perscrutarer, inveni in Tabulis Frederici de Wit impositam colli cuidam ædiculam notatamque* S. Ermgard. *Situs est hic collis in ducatu Juliacensi (secundum laudatas tabulas) tribus circiter milliaribus Germanicis ab oppido Ruræmunda, ac uno plus minus Suchtelio (incolis* Suchtelen*) non procul a Nabalia fluvio, ubi præfatum ducatum a Coloniensis archiepiscopatus ditione disterminat. Cum igitur hæc ipsa loca esse perspicerem, quæ beata* Irmgardis *incoluisse traditur, subiit mox animum spes, fore, ut aliquid certius de ipsius publica veneratione cognoscerem; nec me mea exspectatio fefellit : procurante enim P. Casparo Hartzemio sacræ Theologiæ in Coloniensi universitate doctore Societatis Jesu, breviter quidem pro rei magnitudine, at perspicue tamen instruxit me R. D. Quirinus Froitzheimius Pastor in Suchtelen. Verba ejus subnecto.*

ubi annua festivitas celebratur ac varia beneficia impetrantur :

6 De sancta Irmgarde nata commitissa Zutphaniæ, sorore B. Hermanni condicti humilis quondam prælati abbatiæ S. Pantaleonis dignissimi, plus scribere non scio, quam quod festum ipsius hic in loco vicino oppido Suchtelensi, ubi est sacellum in honorem S. Irmgardis constructum, ubi et fontem excitavit, in loco, inquam, dicto Mons S. Irmgardis, celebretur quarta Septembris cum plenariis indulgentiis; quo die sicut et per totam Octavam maximus est ibidem populi accursus. Varii variis languoribus oppressi sanitatem recuperatam ex devotione ibi habita adscribunt intercessioni S. Irmgardis. Quavis septi- E
mana diebus Martis et Veneris statuta hora ibidem sacrum legitur; quibus diebus et frequens est vicinorum concursus. *Subscriptum erat :* Quirinus Froitzheim Ord. S. Benedicti, abbatiæ S. Pantaleonis intra Coloniam professus, Pastor p. t. in Suchtelen, ejusdemque Christianitatis Decanus ruralis. *Subjungit deinde laudatus P. Hartzem :* Hæc anno MDCCXLVI; XX Februarii sciscitanti mihi respondit.

cultus hic perantiquus videtur.

7 *Vigebat jam Beatæ nostræ in præfato loco veneratio, et procul dubio diu viguerat anno* 1636, *ut patet ex litteris* XII *Septembris ejusdem anni ad Bollandum nostrum datis a R. D. Petro a Streilhagen canonico Hensbergensi; in quibus inter cetera hæc lego :* Suchtelenæ Depositio S. Irmgardis comitissæ Zutphaniensis, quæ fratri suo Hermanno abbati S. Pantaleonis creata anno MLXXXII, et mortuo anno MCXXI, totum eum tractum *(Suchtelio vicinum)* in eleëmosynam contulit, et in sacello juxta oppidum supra montem posito quotidianis coruscat miraculis. *Similia habet Vita Beatæ Germanice edita typis Coloniensibus anno* 1602, *quæ etiam concessarum a Sede Apostolica indulgentiarum, et* F
gemini Missæ sacrificii quavis hebdomada dici soliti expresse meminit. Vitam illam infra Latino sermone donabimus : sed ex quo tempore cultus hic eo loci exorsus sit, certo affirmare non ausim : dubitare tamen nequeo, quin jam ab aliquot seculis ibidem viguerit. Cum enim B. Irmgardis *in fine seculi* XI *aut initio* XII *e vivis excesserit, ut mox ostensuri sumus, cumque nullum hujus publicæ venerationis initium quisquam assignet; verisimillimum videtur, coli eam cœpisse aut ipso, quo mortua est seculo, aut saltem proxime subsequenti. Certe anno* 1486 *in sacra veneratione Coloniæ jam habebatur, ut vidimus ex Florario num.* I *citato : non est autem verisimile, Suchtelenses incolas accolasque in religioso hoc obsequio voluisse Coloniensibus cedere : præsertim cum et Suchteleni silvas diu solitaria incoluerit, et vicinas Suchteleni silvas diu solitaria incoluerit, et excitato etiam divinitus fonte nobilitarit. Quidquid sit, ex hactenus dictis constat, de legitimo* B. Irmgardis *cultu nullum dubitandi locum esse relictum.*

8 *De anno Beatæ emortuali nihil certi statui potest, nisi quod in finem seculi* XI, *aut initium*

XII

AUCTORE C. S.

Annus emortualis incertus ad finem seculi XI, aut initium XII referendus est.

XII *incidisse debuerit. Hoc autem sic colligo : Vivebat* Irmgardis *anno* 1040; *tunc enim Resense templum, suis sumptibus reædificavit, ut fidem faciunt versiculi, quos in ipso templo iconi ejusdem Beatæ subscriptos legisse se dicit anonymus quidam in fragmento Vitæ manuscriptæ, quam præ manibus habeo. Versus sunt hujusmodi.*

Anno milleno Christi pariter quadrageno
Condidit hoc templum felix Irmgardis amœnum;
Obtulit idque piæ, quod protegat ipsa, Mariæ.

Supererat etiamnum in vivis anno 1082, *quo frater ipsius Herimannus seu Hermannus abbatiæ S. Pantaleonis in urbe Coloniensi præfectus est : nam ipsius jam abbatis intuitu oppidum Suchtelenense cum subjecto agro, præfato monasterio donavit, ut tradit Gelenius de Germaniæ episcopis littera* I *in* S. Irmgarde *scribens sequentia :* S. Irmgardis comitis Zutphaniæ filia... Rees oppidum ecclesiæ Coloniensi assignavit, et Suichtelen cum omnibus suis attinentiis monasterio D. Pantaleonis, eo quod illius Conventus abbas huic esset frater, donavit. *Jam vero si anno* 1048 *Resen-*
B *se templum exstruxerit, erat certe id temporis annorum circiter* 20, *adeoque si ad initium seculi* XII *pervenerit, octogenaria aut octogenaria major debuit obiisse. Certum itaque est, Beatæ mortem ad seculi* XI *finem, aut subsecuti initium esse referendam. Nunc de ejusdem illustribus natalibus pauca dicamus.*

Zutphaniæ comitibus nata traditur; ut incertum,

9 *Jam vidimus,* B. Irmgardem *a Gelenio, et in Additionibus Romani Martyrologii ad usum Belgii* comitis Zutphaniæ filiam *appellari. Eumdem ipsi titulum attribuit Bucelinus in Germania sacra parte* 2 *pag.* 250 *in Catalogo abbatum S. Pantaleonis sic scribens :* Hermannus comes Zutphaniæ frater S. Irmgarbis comitissæ. *Consonat Dionysius Sammarthanus Galliæ Christianæ tom.* 3 *col.* 739 *novissimæ editionis; ubi laudatæ abbatiæ præsides recensens, in rem nostram habet sequentia :* IX B. Hermannus sive Herimannus I, cognomento humilis, ex comitibus Zutphaniæ genus suum duxit; sororemque habuit S. Irmgardem, quæ sancto Pantaleoni multas possessiones transcripsit. *Similiter Vita Germanica, aliique multi scriptores eodem illam titulo condecorant, nemine, quod sciam, contradicen-*
C *te. At quinam Beatæ parentes fuere? Id enimvero nec determinare pronum est, nec divinare lubet. Suspicatur quidem Joannes Pontanus in Historia Geldrica lib.* 5 *pag.* 88 *illam Godeschalci Zutphaniæ comitis aut filiam aut sororem fuisse, dum in genealogia Hermanni ait :* Fuerunt fortassis Hermannus et Irmgardis itemque Rupertus, liberi Godeschalci, cujus superius posita genealogia *(in comitibus Zutphaniæ)* aut ejus uterque frater sororque. *Sed nullum satis convincens profert argumentum.*

quibus determinate parentibus.

10 *Non improbabiliter tamen Godeschalci soror statui posse videtur. Nam eodem tempore, quo Beatam floruisse constat, dominium urbis Zutphaniensis penes Godeschalcum erat. Probat id laudatus Pontanus ex diplomate, in quo* Godeschalco ejusque uxori Adelheidæ dominis oppidi Zutphaniæ . . . Ultrajectum evocatis *certæ decimæ adjudicantur. Instrumentum hoc a Guilielmo Gelro Ultrajectensium præsule confectum signatumque* anno Christi MLIX indictione XII quinto anno Henrici regis, *servari asserit in archivis curiæ Zutphaniensis. Quod autem eam sororem ipsius potius, quam filiam (si tamen alterutra fuerit) censendam arbitrer, suadet tum memorata mox de exstructo Resensi templo* D
inscriptio, tum aliud diploma, quo Henricus III eodem anno 1040 Irmgardi *nostræ villas quasdam possidendas tradit, addita de iis libere disponendi potestate : quæ virgini parentibus orbæ magis convenire videntur, orba autem tum non fuisset, si Godescalcum patrem habuerit. Præterea Gelenius in Colonia supplice pag.* 172 *affirmat, sibi ex archivis certum esse, fratres* Irmgardi *fuisse B. Hermannum, atque Rupertum comitem : at in laudato diplomate duo tantum Godeschalci filii Gebehardus et Otho recensentur. Atque hæc de* Irmgardis *stirpe dicta sufficiant, quæ ut eam ex Zutphaniæ comitibus ortam suadent, ita dubium relinquunt, quos determinate parentes sortita sit.*

Ad B. Irmgardem probabiliter spectat

11 *Quoniam vero Beata nostra ab erectis dotatisque sacris locis in Vita, quam daturi sumus, magnopere laudatur, non abs re futurum existimo, si Henrici III diploma, de quo mox meminimus, commentario huic inseram, ut hinc tum illustris ipsius prosapia confirmetur, tum etiam ut ita liqueat non defuisse ei opes, quibus Dei optimi maximi cultum promoveret. Reperi instrumentum illud in quodam fragmento* E
Vitæ hujus Beatæ manuscriptæ anno, ut præfert, 1621, *ubi auctor de illo sic paucis præfatur :* Cum illud autenticum sit et hactenus nusquam exstet, tale vero quod simplicitatem illius sæculi sapiat, et multum faciat ad rem nostram, nec cuiquam obesse possit, integrum dabo, prout mihi a decano Resensi transmissum est. *Idem prorsus invenio in schedis, quas majores nostri ad hunc diem seposuerunt : sed an* Irmgardis *illa eadem sit cum hac nostra certo affirmare non ausim. Dubium mihi movet ipsum indultum, in quo Henricus* Irmgardem *suam neptem vocat, aitque se id illi concedere* ob interventum et petitionem amborum ducum Gabelonis filiique sui Godefridi. *Hæc, inquam, dubium mihi movent, propterea quod circa hæc tempora vixerit Ermengardis quædam Caroli I Lotharingiæ ducis filia : Gobelo vero seu Gothelo, qui filium habuit Godefridum, eodem tempore Lotharingiæ ducatum obtinuerit, ut tradunt passim genealogi : unde vehementer suspicor, diploma hoc in gratiam illius Lotharingicæ Ermengardio concessum esse.*

datum ab Henrico III

12 *Contra cum aliunde habemus, ecclesiam* F
collegiatam Resensem ab Irmgarde *nostra ex cinere suscitatam fuisse eo ipso anno* 1040, *constetque Reesium ad eamdem Virginem pertinuisse, omnino verisimile fit, laudatum diploma, quod Resensis decanus ex capituli aut oppidi archivis verosimiliter deprompsit, ad Beatam nostram potius, quam ad aliam quamlibet spectare : cum hæc et Resensis civitatis domina, et ejusdem ecclesiæ fundatrix fuerit; Lotharingicæ vero nil tale cum Resensibus intercessisse legatur. Accedit, quod sacræ ipsius iconi, quam anno* 1648 *æri incisam penes me habeo, hujusmodi subjecta sit inscriptio :* S. Irmgardis filia comitis Zutphaniæ et Henrici III imperatoris neptis, virgo nobilissima, quæ virginitatem Christo sponso vovit, seque et sua Deo obtulit. Floruit circa annum ML. *Nec porro cuiquam mirum videri potest, quod consanguinitatem vel affinitatem inter Henricum ac Beatam assignare aliunde nequeamus, si consideret, vel ipsos ejusdem Virginis parentes in antiquitatis illius tenebris delitescere. Nunc ipsum diploma accipe.*

13 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Henricus

A Henricus divina favente clementia rex. Omnium nostrorum tam præsentium, quam futurorum solers noverit industria, qualiter nos ob interventum et petitionem amborum ducum Gobelonis filiique sui Godefridi, tale prædium, quale scabinorum judicio *, imperiale jus patris nostri bonæ memoriæ Conradi imperatoris augusti devenit, nostræque regali potestati post suum discessum reliquum *; et potestative in villis Iterve, Vals, Apine, Falkenborgh habuimus in pago Lemgoue et in comitatu Dutbaldi comitis situm, Irmgardæ dilecti * nepti nostræ in proprium dedimus atque tradidimus, cum omnibus utique suis pertinentiis; hoc est utriusque sexus mancipiis, arcis *, ædificiis, ecclesiis, decimationibus, agris, pratis, terris cultis et incultis, villulis ad prædictas villas respicientibus, pascuis, campis, sylvis, venationibus, aquis, aquarum, decursibus, molis, molendinis, piscationibus, viis, inviis, exitibus, redditibus, quæsitis et inquirendis, cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire potest.

diploma, in quo prædia quædam

* *forte deest* ad

* *forte* relictum

* *l.* dilectæ

* *forte* arcibus

B 14 Ea videlicet ratione, ut prænominata Irmgardis de præscripto prædio sibi a nobis tradito liberam dehinc potestatem habeat, scilicet tenendi, dandi, vendendi, commutandi, precariandi, quam relinquendi, vel quidquid sibi placuerit, faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis regalis autoritas nunc et per succedentia temporaria curricula stabilis et inconvulsa permaneat, hanc paginam conscribi, manu propria, ut subtus videtur, corroboratam, et sigilli nostri impressione jussimus communiri. *Subjicitur monogramma regium cum hac subscriptione* Signum Regis Henrici III Invictissimi. *Ac infra:* Data v Kal. Martii, Indi. viiii. Anno Dominicæ Incarnationis M. XL. Annc autem Dñi Henrici III, ordinationis ejus XIII, Regni vero II. Actum Treviris feliciter. *Hucusque ex fide utriusque manuscripti, quod in omnibus etiam quoad minimos apices tam perfecte concordat, ut vel alterum ex altero, vel utrumque ex ipso Resensi autographo transcriptum videatur. Ceterum quod ad diploma spectat, nihil in eo reperio, unde suppositiitum, vel de suppositione suspectum habeatur, ut ex subjectis annotationibus patebit.*

Irmgardi donantur.

C 15 *In primis Martenius in veterum scriptorum amplissima Collectione tom.* 2 *col.* 59 *exhibet aliud ejusdem Henrici diploma Popponi abbati Stabulensi Non. Jun. anno* 1040 *concessum, cujus exordiendi claudendique methodus ac ipsæ denique phrases adeo similes sunt iis, quæ in nostro reperiuntur, ut facile quilibet dispicere queat, utrumque illud ab eodem rege dimanasse. In eo tantum discrepant, quod in Stabulensi Indictio* VIII, *in nostro* VIIII *signetur : utrobique tamen recte : nam dum prius Stabulai datum est, secundum vulgarem annos exordiendi modum currebat adhuc annus* 1040 *cum Indictione* VIII : *at in nostro Treveris dato, dies* XXV *Februarii anni* 1040, *more Treverico incidebat in annum* 1041 *et Indictionem* VIIII *secundum eumdem computandi modum. Discimus hoc ex Browero Annal. Trevir. lib.* 18, *pag.* 1052 *primæ editionis ; ubi ait, Trevirenses annum exordiri solitos a festo Annuntiatæ Virginis,sive a* XXV *Martii : idem legere est in Glossario Cangii ad vocem* Annus. *Hinc sit, ut duo priores menses cum majori parte Martii, qui ad annum* 1041 *pertinebant, more Treverico annumerandi sint anno* 1040 *: atque ita Indictio* IX *recte conveniet cum anno* 1040 *et epochis assignatis.*

Hujus diplomatis

16 *Anno quippe* 1028 *æræ vulgaris,* XIV *Aprilis, ut habet Pagius in Critica, Henricus III rex coronatus est : numera hinc usque ad* XXV *Februarii anni* 1041, *more jam passim recepto, invenies annum* XIII *ordinationis seu coronationis Henrici ad finem vergentem : sed cum festum Annuntiationis celebretur* XXV *Martii; anno* 1041 *secundum Trevirenses annos inchoandi modum currebat adhuc annus* 1040, *atque ita idem mensis Februarii sub varia ratione ad initium anni* 1041, *et ad finem* 1040 *referebatur : utrolibet autem modo sumpseris, currebat tum Indictio* IX. *Idem statue de assignato regni anno : nam Conradus Henrici pater e vivis excessit* IV *Junii* 1039, *ab eoque tempore Henricus cœpit solus regnare: anno igitur* 1041 *alias* 1040 *mense Februario annum regni* 2 *agebat : adeoque subjectæ diplomati epochæ sibi recte cohærent. Contra male cohærerent, si indictio* VIIII *apposita esset, tum enim annus secundum receptum jam morem* 1040 *signaretur, in cujus mense Februario annum ordinationibus tantummodo* XII, *regni vero* I *numerabat.*

AUCTORE C. S.

sinceritas examinatur,

17 *Quodsi diploma ipsum excutiamus, nihil, quod supposititium sapiat, reperiemus. Gobelo procul dubio is ipse est, quem Antonius Albizius in Principum Christianorum stemmatis pag.* 23 *versa Gothselonem appellans una cum filio Godefrido inter veteres Lotharingiæ duces recenset : et eorum primum anno* 1044, *alterum* 1070 *obiisse signat. Pagus* Lemgoue *in tabulis Frederici de Wit collocatur in Westphaliæ circulo ad flumen Visurgim, ubi et* Falkeborgh *reperies. Quod reliquæ villæ ibidem non reperiantur, obscuræ antiquitati mutationique nominum tribuendam est. Ceterum recitato diplomati recte subjungit anonymus noster :* Qualis jam illa donatio fuerit, liberante omnino, an jure consanguinitatis et quodammodo ex debito, aut potius remissio fuerit directi dominii bonorum illorum, quorum jam utile dominium tantum nostra Irmgardis habebat, licet non facile quis dijudicet sine peritiore scientia; lubet tamen, ut postremum istud credam, præsertim si animum atque intentionem Virgunculæ comitissæ attendam, quæ occupata non erat conquirendis divitiis, sed dissipandis : ac proinde cum id non posset, quamdiu plenum et perfectum non haberet dominium, videtur per duces illos Lotharingiæ cognatos suos illam veniam a cæsare *(rege Henrico)* prius impetrasse, quod illa verba designant : " Liberæ dehinc potestatis, scilicet " tenendi, dandi, vendendi etc. " quasi aliquam quidem habuisset, sed non liberam. *Hæc ille non improbabiliter. Ad scriptorem Vitæ progredior.*

ac breviter dilucidatur. E

F

18 *Nonnisi unicam præclaræ hujus Virginis Vitam reperio, ex qua reliqui omnes hausisse videntur, quidquid de* B. Irmgarde *hinc inde tradiderunt. Citat illam Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad præsentem diem sic scribens :* Memoria B. Irmgardis ex Vita Latine impressa. *Et paulo infra :* in Vita Latine impressa, quæ corpus ejus visitantibus exhibetur; asseritur filia comitis Zutphaniæ. *Ejusdem non uno loco meminit Gelenius, aliique; sed auctorem nullus, quem legi, indicat. Quod vero ad ætatem spectat, de ea Crombachius e Societate nostra in Vita S. Ursulæ tom.* 2 *cap.* 2 *hæc habet :* Vitam ejus *(B. Irmgardis)* centum abhinc annis Germanice Latineque expressam vidi, similem ei, quam ducentis jam annis ante scriptam legeram. *Quæ si vera sint, oportuit Vitam illam jam* 300 *annis*

Vitæ Beatæ Latine et Germanice auctore anonymo conscripta:

AUCTORE C. S.

annis conscriptam fuisse, priusquam Crombachius circa medium seculi XVII *suum Opus ederet. Hinc consequens fit, ut laudata Vita ad seculum* XIV *ad minimum referenda sit: ad minimum, inquam, nam utrum illa, quam Crombachius vidit autographum esset, an apographum ex vetustiori exemplari descriptum, ex ipsius verbis non liquet. Seculo tamen* XIII *antiquior esse nequit, nisi quam præ manibus habeo, interpolata sit : in ea enim dicitur Beata* famulitium S. Elisabethæ *operibus misericordiæ æmulata fuisse: jam vero sive per S. Elizabetham Lusitaniæ regina, sive Lantgravia Thuringiæ designetur, assignato seculo vetustior esse non potest: nam prior anno* 1336, *altera* 1231 *humanis rebus erepta est.*

posteriorem Latine versam edemus.

19 *Impulerant me Molani dicta, ut pro ea impetranda apud Colonienses instarem, sed præter expectationem hoc responsi tuli:* In ecclesia metropolitana neque Latine, neque Germanice conscripta invenio Vitam S. Irmgardis, nisi illam ipsam, quæ in pictura antiqua circum parietes capellæ S. Stephani, ut supra numero secundo

B indicabam *(vide infra in annotatis ad cap. 3 lit. e)* depictam, quam sepulcrum visitantibus forte exhibere solebant. *Habeo nihilominus Germanice impressum Coloniæ anno* 1602, *quæ eadem prorsus videtur cum antiquioribus, de quibus laudati scriptores meminerunt. Id autem colligo ex variis textibus, quos ipsi ex iis in suas lucubrationes transtulerunt, quique solis prope vocibus dissonant a nostra Vita Germanica. Hanc itaque, cum alia non suppetat, Latinitate donabimus, servata, quantum Latinæ phrases patientur, in vertendo styli simplicitate. Si quis porro a me petat, quid de ea Vita censeam, paucis respondeo, videri mihi simplici veritati circumstantias adeo mirabiles in ea admixtas, ut si omnino fabulosæ non sint, fabulis proximæ merito possint censeri, ut in annotatis observabimus.*

VITA

auctore anonymo

C

Germanice conscripta, interprete C. S.

CAPUT I.

Beatæ illustres natales, contemptus opum, amor solitudinis, peregrinatio Romana, et reditus Coloniam.

Zutphaniæ comite nata et opimam hæreditatem adepta a

Ecclesiastici *a* cap. 3 scriptum est : Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. Huic dicto audiens fuit S. Irmegardis nobilis virgo, quæ præpotentibus genitoribus ac illustri stirpe progenita fluxis honorum ac fortunæ bonis affluebat. Quippe cum patrem haberet Zutphaniæ in Geldria comitem, terrenarum rerum abundantia ac pompa frui facile poterat : verum illa caducæ hujus vitæ brevem usuram probe perspiciens, didicit rationem, qua veram in cælo excellentiam divitiasque compararet. Hunc in finem sese totam cum ingenti amoris æstu divino Omnipotentis cultui consecravit, meruitque Domini nostri Jesu Christi comitissa evadere. Cum jam pater ejus persoluto naturæ debito (ad quod omnes tenemur, quisque sibi felicem vitæ terminum flagitet) e vivis excessisset, opima ad illam devenit hæreditas : ac nominatim urbs Reesium *b* cum suo territorio pluribusque aliis pagis, castrum Burgi Aspel *c* nuncupatum cum subjectis eidem agris, ac denique urbs et dominium Suchtelenum *d* cum suis item arvis.

D

mundum spernens solitariam vitam agit.

2 Tam amplo potens patrimonio venerabilis Virgo attenta mente perpendit, se ceterorum hominum instar, in hac vita ut miseram peregrinam versari; dicente Apostolo : Non habemus hic manentem civitatem. Hoc inquam, matura mente perpendit S. Irmgardis, videlicet non diuturnam sibi fore in hisce castris, dominiis ac villis commorationem : quapropter divino famulatui se totam mancipavit totis viribus

E connixa ad optatum scopum pertingere. Itaque valedicens terrenis illecebris semotum ab omni humano commercio locum inhabitare decernit, ut soli Deo vacaret : cumque erga inopes subditos suos Suchtelenses tenerrime afficeretur, parochiam Suchtelini *e* aliquamdiu incoluit, ubi et locum solitarium ab omni hominum consuetudine liberum elegit, in quem se quotidie precandi causa recipiebat, ne quis sua sacra otia interpellaret. Locus hic non procul a Suchteleno in campi cujusdam parte semotiore situs erat. Placuit Domino Deo tam eximius solitudinis amor ac pietas, prædictumque locum propter merita dilectæ Virginis variis privilegiis donavit; pluribus quippe prodigiis ac miraculis olim inclaruit, claretque hodiedum : unde et Deo consecratus approbatusque a S. Sede Romana est, concessis insignibus indulgentiis *f*, quicumque ibidem ad divinum cultum promovendum ornandumque templum seu sacellum S. Irmgardis piam stipem elargiretur : quod et clementissimi domini nostri archiepiscopi Colonienses approbarunt. In his templis ac sacellis qualibet hebdomade duo sacra perpetuo celebrantur in gloriam et laudem omnipotentis Dei, ejusdemque benedictæ matris Mariæ, ac S. Irmgardis honorem.

F

Inde alio digressa, tandem sacra Romæ loca invisens Pontifici innotescit:

3 Cum vero nonnulli, quibus tanta displicebat humilitas, eam ludibriis onerarent, eo quod pro sua nobilitate sæculi pompam non sectaretur; deserto Suchteleno, statuit remotiorem terram petere, in qua ignota mortalibus a perversorum conatibus tuta Deo famularetur. Subiit dein desiderium Romam peregrinandi ad sacra limina SS. Petri et Pauli : nec mora, spretis tam longinquæ viæ periculis, iter pedes aggressa excelsos illos montes superavit, ut vel exiguum in cælis locum obtinere mereretur. Romam ingressa mox sedula pietate sacra Dei templa ac septem præsertim Romanæ urbis basilicas in dies invisit : quo factum est, ut virtutes ipsius palam factæ proborum laudibus celebrarentur : sed id ipsum Virgini grave erat, utpote quæ omnem humanam laudem fugitabat. Etenim scriptum est : bona opera hominum videbuntur, verumtamen terrenam inde laudem ne desideres etc. Virgo hæc ita se piis operibus dedit, ut vita sua spirituali patri Pontifici innotuerit. Quapropter Pontifex ingenti perfusus gaudio dignamque de nobili

A bili virgine S. Irmgarde existimationem concipiens, eam ad se accersit: accersitæ bene precatur, ad perseverantiam exstimulat, supernæ Hierosolymæ gloriam exponit, multaque suaviter disserens de divina clementia ac misericordia, meminisse jubet, graves suos labores et acerba vestigia pretioso æternitatis thesauro olim esse remuneranda.

qui eam ad perseverantiam adhortatus, reliquias SS. virginum e consortio S. Ursulæ sibi afferri postulat.

4 His instructa monitis, redeundi in Germaniam a Pontifice veniam petiit, obtinuitque: sed cum ille reliquias aliquas de undecim millibus virginum S. Ursulæ sociarum *g*, quæ Coloniæ quiescunt, ardenter desideraret, ita eam allocutus est: Electa virgo ac dilecta in Deo filia, si te forte rursus incessat pia cupido sanctos patronos nostros Romanos visendi, postulo, hanc exiguam mihi operam præstari, ut ex venerandis SS. undecim millium Virginum reliquiis, quæ Coloniæ conditæ sunt, partem aliquam asseras: magno enim earum desiderio teneor. At S. Irmgardis, audito Pontificis postulato, indignam se reputabat, quæ tam sacrum cimelium tractaret: petitioni tamen acquievit, et impetrata cum apostolica benedictione discedendi facultate, non sine B magnis incommodis Coloniam versus iter arripuit. Dominus noster Deus vere omnipotens, qui omnibus suis auxilio est, dignissimam virginem S. Irmgardem clementer tutatus est, ut Coloniam perveniret; ubi divinis obsequiis rursus strenue vacavit.

ANNOTATA.

a *Libellus titulum hunc præfert.* Præclara ac illustris historia nobilis ac sanctæ virginis Irmgardis comitis Zutphaniæ in Geldria aliarumque ditionum: cujus præfatæ sanctæ Virginis corpus honorifice conditum jacet in choro S. Bernardi in ecclesia metropolitana Coloniensi juxta SS. trium Regum corpora; invisiturque a peregrinantibus ex omni regione Catholica.

b *Reesium vulgo* Rees, *urbs parva Germaniæ sita est ad Rheni alveum inter Vesaliam et Embricam in ducatu Cliviæ; qua respicit Zutphaniæ comitatum.*

c *In tabula Cliviæ per F. De Wit prope Reesium collocatur.*

C d *Juxta præfatam tabulam jacet ad Nabaliam fluvium (incolis* Niers*) in ducatu Juliacensi, tribus aut quatuor circiter milliaribus Ruræmunda dissitum. De eo Teschenmacherus in Annalibus Cliviæ etc. parte 2 pag. 362 sic meminit:* Suchtelenum sicut et Waldenielium municipia potius sunt, quam oppida: quorum istud Irmgardis Zutphaniæ comes ecclesiæ Coloniensis collegio Pantaleonæo legavit.

e *Priusquam huc se reciperet, commorata est in Aspel, si vera narrat anonymus in lacinia Vitæ manuscriptæ, cujus supra mentionem feci: sic autem habet:* Quamdiu ante id in castro suo Aspel prope Reesem fuerit, nemo id facile affirmaverit; semita, quæ castrum inter et Reesem semihorario itinere interjacet, hodieque via S. Irmgardis vulgo nominatur, eo quod exercendæ devotionis causa eam ire et redire solita fuerit; ajuntque, illam etiam hyeme adhuc herbescente gramine semper vivere in memoriam et testificationem illius tum puritatis tum sanctitatis, quæ toties et tanto pietatis sensu illam calcavit: imo etiam certum quoddam pomorum genus ab illa adhuc exstare Imgardinum vocitatum: sive quod illa ibi creverint maxime, seu quod illis oblectata fuerit. *Sed hæc illius fidei permitto. Vide etiam Comment. num.* 5 *et* 6.

A. Anonymo.

f *Consule Commentarium numeris mox citatis, ubi etiam, quæ de gemino Missæ sacrificio dicuntur, confirmata reperies.*

g *De SS. hisce Virginibus ac Martyribus agendum erit* 21 *Octobris, quo die in Romano annuntiantur. Crombachius in Vita S. Ursulæ tom.* 2 *cap.* 2 *agens de translatione prædictarum reliquiarum per* B. Irmgardem *facta, partem ex hac Vita recitat, ac deinde inquirens, sub quo Pontifice id acciderit, sic opinatur:* Quodsi fratris tempore, cum præesset S. Pantaleoni (*cui anno* 1082 *præfectus est*) profecta Romam est, Urbano II Apostolicam, sedem gubernante factum arbitror: is magistro quondam usus Parisiis S. Brunone Carthusianæ familiæ fundatore, patria Coloniensi, eumdem apud se triennio detinuit, . . . a quo forsan hausit etiam eam Ursulanas reliquias expetendi cupiditatem: præsertim cum terra sepulcralis harum Virginum ubique peteretur. *Non placet mihi hæc Crombachii opinio: si enim, ut supra diximus, templum Resense restaurarit anno* 1040 *adeoque jam tum* 20 E *certe annos nata fuerit, oportet ut tempore Urbani II, qui anno* 1088 *Pontifex creatus est, annum ad minimum* 68 *numeraret: quæ ætas tam molesto itineri tertio repetito non satis apta videtur. Itaque verius mihi videtur, peregrinationes hasce in postrema tempora Alexandri II, aut priora Gregorii VII incidisse; quorum primus anno* 1061, *alter* 1073 *Pontificatum exorsi sunt.*

CAPUT II.

Terram sepulcralem undecim millium virginum Romam defert: ad illius adventum omnes Urbis campanæ sponte pulsantur; terra præfata vertitur in sanguinem, partem capitis S. Silvestri Coloniam transfert. F

Terra sepulcralem SS. undecim mille Virginum Romam deferenti campanæ sponte sonant:

Postmodum denuo lubuit sacra Romæ loca venerandi causa accedere, et memor provinciæ sibi a Pontifice commissæ, locum sepulturæ undecim mille Virginum humiliter accessit: seque indignam rata sacra ossa attingere, prostravit in genua et pio timore correpta aliquantulum e terra suæ chirothecæ *a* reverenter inclusit, ac Romanum rursus iter capessivit. Jamque venerabilis Virgo urbem ipsam attigerat, cum ex tam longinqua et molesta via, quod in nobili Virgine nil mirum est, vehementer defatigata ante portam resedit, ut paulum quietis caperet. Interim non vulgare prodigium contigit *b*: omnes quippe totius Romanæ urbis campanæ, nemine pulsante, sua sponte sonitum dedere. Hoc miraculo exciti Romani concurrunt, rei tam inusitatæ causam inquisituri. Ipse Pontifex legatos et ministros suos per universam urbem dimittit jubens eos in omnibus templis monasteriisque explorare, num quem invenirent, in cujus gratiam stupendum illud prodigium accideret. At illi plateas

A. ANONYMO. plateas perscrutati ad portam pervenere, ubi dignissima Virgo recubabat: sed minime rati propter eam ipsam sacraque Virginum lipsana, quæ in chirotheca attulerat, sonuisse campanas, ad beatissimum Patrem retulere, inventum a se neminem, nisi pauperculam fœminam ad urbis portam quiescentem, quæ tamen digna non videretur, propter quam hæc contingerent *c*.

Pontifici præfatam terram tradit, quæ in sanguinem versa ad S. Petri basilicam deportatur.

6 Contra Pontifex probe advertens tale prodigium non casu, sed ex divina clementia provenire, nihil dubitans, nec sibi parcens surrexit et egressus palatio rem ipsemet voluit investigare. Cum ad portam pervenisset, eum mox agnovit S. Irmgardis ei accedens ad Sanctitatis suæ pedes provoluta est. Ille vero desiderato Christi Filiæ adventu lætatus ita eam affatus est: Bene veneris Electa in Christo; quis ille magnus thesaurus est, quem nobis affers? Cui illa: Is ipse, quem tua Sanctitas a me flagitavit, dum hinc nuper discederem; nec mora gestienti Pontifici chirothecam porrexit: qua aperta, non sacra ossa, ut arbitratus fuerat, sed sanguinem *d* deprehendit, eumque tam recentem, acsi a SS. B Virginibus eadem hora effusus esset. Obstupuit et laudata divina clementia, causam agnovit, ob quam tam festivum sonitum campana æra dedissent. Dein congregato universo clero, sacra lipsana cum summa reverentia et supplicatione, cantantibus cunctis: ET IN SANGUINE AGNI LAVERUNT STOLAS SUAS, ad S. Petri *a* basilicam deportavit: ubi honorifice deposita hodiedum servantur. Crevit hinc Papæ erga Ursulanas virgines religio; rursumque benedixit S. Irmgardi, et gratias agens eam in Dei famulitio consolatus est, ac confirmavit *e*.

Dein paululum Romæ commorata, partem capitis S. Silvestri Coloniam defert.

7 Posthæc S. Irmgardis aliquamdiu Romæ commorata sacris locis visitandis cum magno pietatis sensu venerabunda incubuit, tandemque obtenta a beatissimo Patre facultate, Coloniam reverti constituit. Verum hic accepti a S. Virgine sacri beneficii non immemor gratum se exhibuit juxta id quod apud S. Augustinum legitur: NON EST DIGNUS DANDI, QUI NON REFERAT GRATIAM DE DATO. Quid multa? pretiosum ipsi thesaurum donavit, videlicet venerabile caput *f* S. Silvestri Pontificis ejus nominis I: quod ipsa cum apostolica benedictione venerabunda suscipiens Colo- C niam repetiit: ubi illud ad metropolitanam S. Petri ecclesiam detulit, in qua ad hoc usque tempus servatur, et in solemni supplicatione, comitantibus presbyteris, canonicis, consulibus, senatu populoque Coloniensi quotannis circumfertur *g*: sancta vero Irmgardis ob allatum tam pretiosum cimelium summas a populo laudes amoremque promerita est.

ANNOTATA.

a *Suspicabar in antiqua Vita Latine conscripta loco* chirotheca *forte positum olim fuisse* hierotheca *pro lipsanotheca: sed tam Molanus, quam Crombachius* chirotheca *legunt, uti Vita Germanica,* in ihren henschen.

b *Suspectum mihi est hoc prodigium, cum illius nullus, quod sciam, Ecclesiasticorum Annalium scriptor meminerit: quod tamen si re vera contigisset, latere non potuisset.*

c *Crombachius ex Vita Latina eadem hæc paulo aliter recitat. Verba accipe:* Quiescente S. Virgine, omnes campanæ totius urbis pulsabantur absque juvamine humano: quo facto Romanus pontifex misit servos suos ad investigandum, quæ causa esset hujus pulsationis campa- D narum, quæ sine speciali miraculo fieri non poterat. Venientes ministri summi Pontificis ad portam, ubi Virgo lassa pausabat, redeuntesque responderunt se neminem invenisse, propter quem talis pulsus factus fuisset, nisi quod ante portam urbis inveniebant quamdam feminam fatigatam. Quo audito, Papæ incidit memoriæ, quod esset B. virgo Irmgardis portans reliquias de societate SS. undecim millium Virginum: jussit ergo congregari totam religionem cum clero ad obviandum tantis reliquiis.

d *Utinam et de hoc miraculo aliquid certius aliunde haberem. Objectioni huic occurrit Crombachius loco citato scribens sequentia:* Licet temporis injuria Romæ tanti miraculi *(terra in sanguinem versæ, et campanarum sponte sonantium)* memoriam obruerit, mansit tamen apud Colonienses a majoribus accepta, litterisque custodita, narratio propter nobilem portionis capitis S. Silvestri eo tempore dono Pontificis maximi factam Coloniam translationem. *Dein post pauca subdit:* In hujus rei memoriam Irmgardi est erecta statua, nuper adhuc aræ imposita, jam E vero ad ejus latus collocata, qua dextera chirothecam rubentem sanguine, sinistra scipionem, quo se fulciebat in peregrinationibus, exprimit, ne memoria tanti beneficii obliteretur. *Vellem addidisset, cujus ætatis illa statua esset; nisi enim Vita antiquior fuerit, frustra ex ea Vitæ fidem nititur stabilire. Interim dum certiora monumenta producantur, utrumque prodigium ad minimum dubium mihi reddit obliterata utriusque, ut ipse fatetur, in Romana urbe memoria.*

e *Laudatus auctor ex memorata Latina Vita hæc recitat:* Rursus Papa benedixit S. Virginem, eam etiam ducendo ad singula loca sancta, regratiando etiam maxime Virgini de tanto beneficio.

f *Portionem capitis inquit Crombrachius,* nam major cranii pars Romæ servatur. *Ceterum translatio hæc discutienda veniet pridie Calendas Januarii, quando de S. Silvestro agetur.*

g *Circa supplicationem hæc notat Crombrachius:* Quod sacrum pignus ut cives honore debito prosequerentur, ex eo tempore clerus senatus et populus anniversaria supplicatione vetera civitatis obit mœnia, tertiæ septimanæ Paschalis F die Veneris, circumlato capite Silvestrino. *Gelenius in Pretiosa hierotheca pag.* 105 *tradit supplicationem hanc jam ante id tempus a S. Heriberto fuisse institutam. Ipsum audi:* In gratam divinæ bonitatis et clementiæ *(in concedenda post diuturnam ariditatem terræ pluvia)* memoriam S. Præsul *(Heribertus)* post Paschales ferias supplicationem annuam Coloniæ instituit.... subsequentibus vero annis decoravit eam circumlatum S. Sylvestri caput, quod S. Irmgardis virgo in secunda sua Romam profectione a Pontifice obtinuit, cui chirothecam terræ ex cæmeterio undecim millium Virginum plenam obtulerat.

CAPUT

A

CAPUT III.

Tertio Romam adit, ubi eam crucifixi Domini simulacrum alloquitur : eodem rursus solatio Coloniæ fruitur : ecclesias suis bonis ditat : pie moritur ac sepelitur.

Tertio Romam ingressa a Crucifixi simulacro benedictionem et jussa accipit,

Præfatas reliquias S. Virgo quotidie cum singulari reverentia et amore venerabatur; ante eas identidem precibus instabat, Deum Sanctosque solatium, opem, gratiamque enixe flagitans, ut iterum Romam adire et sacra ejus loca invisere daretur : quod si Domino placeret, nihil in se moræ futurum, quominus tam molestam peregrinationem alacriter susciperet. Cumque jam tertio Romam advenisset, solitaque pietatis exercitia visitandis Dei Sanctorumque ecclesiis obiret, S. Pauli basilicam ingressa est : hic Crucifixi Domini iconem reperit ejusdem plane longitudinis, materiæ ac figuræ cum ea, quæ in S. Petri æde Coloniæ ante sacristiam erecta est, et qualis in sacello S. Irmgardis in ejusdem civitatis metropolitano templo depicta est. Vix in genua provoluta cœperat precari, cum ex iconis ore has voces accepit : Electa dignaque filia mea Irmgardis, postulo a te, ut cum Coloniam redieris, metropolitanam S. Petri ædem accedas, et Crucifixi imaginem, quam mihi plane similem ante sacristiam altari impositam reperies, meis verbis salutes *a*. Ad has statuæ voces hæsit admirabunda S. Irmgardis, et mox deposito humiliter galero, quo peregrinationis ergo utebatur, intellexit vocem illam cælestem esse S. Spiritus ore formatam. Respondit itaque, libenter se obsecuturam, dummodo digna haberetur. Quæ cum diceret, conspicata est, benedici sibi a simulacro, quod manum dexteram a cruce dissolverat.

quæ apud aliam S. iconem Coloniæ exsecuta, ejus etiam alloquio recreatur.

9 Hoc viso Irmgardis omnipotenti Deo grates laudesque rependit, læta quod labores suos non inaniter impendisset. Deinde divino Numine sospitante Germaniam repetens, Coloniam reversa est, ubi nulla interposita mora, adito S. Petri templo, coram præsignata Crucifixi statua humili pioque animo genuflexa, in hæc verba prorupit : O sancta crux! O nobilis figura! O præclara imago secundum similitudinem et speciem Domini mei Jesu Christi formata, dum pro me misera in monte Calvariæ in die sancta Parasceves pependit, mihi Romæ in basilica S. Petri injunctum est a simulacro tibi in omnibus simillimo, ut te Coloniam redux salutem. Peracta salutatione, Crucifixi imago, inclinato capite, hæc retulit : Electa filia tibi gratias ago. Quæ vox utpote cælestis non parvo S. Irmgardem gaudio affecit. Ut hujus rei fama in clerum divulgata ad episcopum pervenerat, ille mox solemni supplicatione instituta, cælestem Hostiam Crucifixi capiti inclusit *b*, unde multis claret miraculis : ipsum vero caput sponte ita denuo conclusum est, acsi numquam apertum fuisset. Quo prodigio attoniti episcopus clerus ac populus una cum S. Virgine Irmgarde sacramimaginem cereis, aliisque piis muneribus honorarunt : atque hinc factum est, ut etiam hodiedum coram ea lampas perpetuo ardeat *c*.

ANONYMO.

Deinde ecclesiam S. Petri Coloniæ, ac cœnobium S. Pantaleonis hæredes conscribit, ægrisque serviens

10 Post hæc Irmgardis de incerto mortis tempore solicita voluit adhuc sospes de terrenis bonis condere testamentum, quo universam hæreditatem suam divino cultui traderet, bonorumque suorum hæredes Deus et Sanctos conscriberet. Itaque castrum Aspel *d* et urbem Reesium cum annexis agris S. apostolo Petro cælorum patrono consecravit, ea donando ejusdem vicario Coloniensi episcopo. Præterea monasterio S. Pantaleonis *e* itidem Coloniæ, eo quod frater *f* ejus illi tum abbas præsideret, oppidum Suchtelenum una cum ejusdem dominio omnibusque eo spectantibus ad honorem Dei sanctique martyris Pantaleonis legavit, eo fine, ut illius abbatiæ alumni in divino famulitio confirmarentur : atque hujus dominii possessio penes ipsos hucusque permansit. Nec pauperum oblita est : nam præterquam quod magnas opes xenodochio transcripsit, aliud insuper simile domicilium condidit, nunc Hachpfork nominatum, in quo ipsa se suaque die noctuque juvandis egenis impendit, et S. Elisabethæ *g* famulitium meditata et æmulata est, ut misericordiæ opera impleret, quandoquidem in exteriori Dei cultu sese exercere non posset : donec enim ad provectam ætatem perveniret, non parum vires suas in florentibus annis contriverat, et corpus suum in divino cultu castigaverat, ut supra dictum est.

E

in xenodochio a se fundato pie moritur, et honorifice sepelitur.

11 In hoc denique xenodochio vivendi finem fecit, quem cum instare intelligeret, divino Viatico recipiendo se sedulo disposuit, et quinque sensibus suis divinæ voluntatis beneplacito commissis, in cælestis Patris manus animam commendavit : quam mox angeli cum ingenti lætitia in æternæ vitæ gloriam evexerunt. Corpus vero ejus in metropolitanum templum S. Petri non sine magna religione translatum juxta tres SS. Reges tumulatum est, ubi etiamnum quiescit, et sacellum ejus visitantibus ostenditur *h*. Hanc gloriam promeruit eximia ejus in divino cultu constantia, in quo, ut diximus, tamdiu perseveravit. Æmulemur igitur religiosam ejus vitam, omnemque perversi mundi vanitatem contemnamus, ut olim eum omnipotenti Deo, dilectaque ipsi virgine S. Irmgarde perpetuo regnemus : scriptum enim est : non qui inceperit, sed qui perseveraverit, salvus erit.

F

ANNOTATA.

a *Multum vereor, ne salutatio hujusmodi ab auctore Vitæ conficta sit. Facile quidem admiserim, quod Crucifixi imago* S. Irmgardem *allocuta sit benedixeritque, tum Romæ tum Coloniæ : at ista ab una icone ad aliam transmissa salutatio mihi fabulam redolere videtur. Proprius ad veritatem accessit Philippus de la Curce, qui anno* 1648 *prodigium hoc æri incidens, crucifixum Dominum his ad eam verbis utentem expressit :* Benedicta sis filia mea Irmgardis.

b *Turpiter hic hallucinatus est biographus, dum ea, quæ sub S. Gerone Coloniensi Præsule, seculo* x *contigere, Irmgardinis actis immiscuit. Rem accipe ex Dithmaro, prout ea refertur in codice nostro Paderbornensi Q Ms.* 3 *lib.* 3 : Hic *(S. Gero)* Crucifixum, quod nunc stat in media ecclesia, ubi ipse pausat, ex ligno fabricari studiose fecit. Hujus caput dum fissum videret, hoc summi artificis et ideo salubriori remedio nil

A. ANONYMO. nil de se præsumens sic curavit. Dominici corporis porcionem, unicum in cunctis necessitatibus solatium, et partem unam salutiferæ crucis conjungens posuit in rimam, et prostratus nomen Domini flebiliter invocavit, et surgens humili benedictione integritatem promeruit. *Vides studiose lector, unde miraculum hoc mutuatus sit biographus noster, confuderitque cum gestis Irmgardinis? Confusionem hanc ipsa clamat narratio : ut examinanti patebit. Rectius existimavit Gelenius in Staurologia pag.* 14, *Crucifixi signum, de quo Dithmarus, idem esse cum eo, quod postmodum Beatam nostram affatum est. Unde mihi verisimillimum videtur, biographum, cum utrumque illud miraculum de eadem cruce vel consignatum litteris vel ex traditione accepisset, arbitratum esse, quod utrumque eodem tempore eademque occasione contigisset.*

c *In responsis Colonia ad me missis ad rem præsentem faciunt sequentia :* Statim ante sacristiam majorem summi templi vides vetustæ crucis iconem ligneam : atque hæc illa ipsa creditur, quam, cum rimam ageret, S. Gero archi- B episcopus Coloniensis, applicatis reliquiis et sacra Hostia integram reddidit : et quæ S. Irmgardem alloquens benedictionem impertiit. Quæ historia etiam in capella S. Stephani statim retro capellam B. M. V. metropolitanæ ecclesiæ, non solum in summitate istius altaris, in qua repræsentatur in sculptura imago S. Geronis cum simili crucis icone, sed etiam circum totam capellam istam in pictura antiqua explicata videtur. Lampas adest, patetque adhuc locus antiquæ lampadis : an autem semper arserit, pro D nunc indagare non potui. Nova autem lampas non semper, sed sæpius ex mediis benefactorum ardet.

d *Consule Annotata ad caput* 1, *ubi etiam de Reesio ac Suchteleno egimus.*

e *Pervetustum id monasterium est apud Coloniam Ordinis S. Benedicti : consuli de eo potest Dionysius Sammarthanus Galliæ Christianæ tom.* 3 *col.* 736 *editionis novissimæ. De S. Pantaleone actum est in opere nostro* 27 *Julii.*

f *Hermannus scilicet : de quo eruditus Benedictinus mox citatus col.* 739 *in Indice abbatum præfati monasterii ait :* XI *(abbas)* B. Hermannus seu Herimannus I cognomento humilis ex comitibus Zutphaniæ genus suum duxit, sororemque habuit S. Irmgardem, quæ S. Pantaleoni multas possessiones transcripsit. Hic vir totius honestatis et religionis, ut in Vita S. Volphelmi appellatur, factus est abbas circa annum MLXXXIII. *Dein paucis interjectis.* Obiit Herimannus anno MCXXI (alii MCXX) IV Cal. Januarii, cum præfuisset annis LXXXIX * sepultus in oratorio S. Crucis ac duodecim apostolorum, quod ipse ædificaverat. * *imo* XXXIX, *vel* XL.

g *Lantgravii Thuringiæ vidua designari videtur ; sed cum ea diu post Beatæ nostræ tempora vixerit, verba sic accipienda sunt, ut significent,* B. Irmgardem *iis misericordiæ operibus fuisse intentam, quibus S. Elisabetha Thuringica postmodum nobilitata est. Vide Comment. num.* 18. E

h *Adi Comment. num.* 9.

DE S. ROSALIA VIRGINE

EXIMIA CONTRA PESTEM PATRONA

IN MONTE PEREGRINO PROPE PANORMUM IN SICILIA

J. S. C

COMMENTARIUS PRÆVIUS

F

§ I. Scriptores præcipui, qui de S. Rosalia egerunt.

SEC. XII POST MEDIUM. *Nullus antiquus de S. Rosalia egisse scitur : nonnulli tamen ante inventionem corporis,*

Quamquam S. Rosalia *vitam duxit absconditam, et ab hominum commercio maxime segregatam, plurimos tamen nacta est virtutum suarum præcones, sed recentiores dumtaxat, et multis seculis morte sua posteriores : aut certe, si coævus quispiam de gestis Sanctæ hujus nonnulla enarravit, ejus scripta ad posterorum notitiam non pervenerunt. Gesta igitur Sanctæ haurienda fuerunt ex traditione, inscriptionibus et pictis tabulis, quæ sola supererant monumenta : ideoque diligenter examinandum, quam accurate quamque solide ex dubiis illis, errorisque periculo maxime obnoxiis instrumentis, gesta sanctæ Virginis collecta fuerint et enarrata : nam præcipuus Sanctæ laudator monumenta omnia, quibus usus est posteris communicavit. Antonius Ignatius Mancusi Societatis Jesu in Historia* S. Rosaliæ *Italico idiomate scripta, editaque duobus tomis in* 4°. *anno* 1721 *typis Panormitanis, recenset scriptores præcipuos, qui cum ante inventum* S. Rosaliæ *corpus, tum post illius inventionem, de gestis Sanctæ disseruerunt. Quinque autem enumerat auctores, qui ante corporis inventionem, id est ante annum* 1624, *breviter aliqua de Sancta scripserunt ; atque inter illos antiquissimum assignat Valerium Rossi, quem ait scripsisse anno* 1590. *Hujus vero scripturam esse visam a Vincentio Auria, de cujus scriptis agam inferius. Alter est Philippus Paruta, Senatus Panormitani scriba, qui anno* 1609 *nonnulla memoravit de* S. Rosalia. *Tertium recenset Simonem Parisium, baronem Milochæ, qui in Descriptione Siciliæ, anno* 1610 *edita, de eadem Sancta meminit. Quartus numeratur Vincentius la Farina, baro Asperimontis, qui epistolam de* S. Rosalia *scripsit anno* 1620, *ut*

A *ut vult ante laudatus Auria in Rosa cælesti pag. 21, ubi illam recitat.*

inter quos præcipuus est Octavianus Caietanus :

2 *Quintus demum et præcipuus auctor ante inventionem corporis est Octavius Caietanus Societatis Jesu in Vitis Sanctorum Siculorum, ubi brevem* S. Rosaliæ *Vitam concinnavit pro monumentorum, qua laborabat, penuria. Habeo litteras anno* 1607, *die* III *Julii Bivona ad Caietanum datas a P. Barnaba la Vecchia Societatis Jesu, quæ illam antiquorum monumentorum penuriam abunde ostendunt. Verumtamen, ubi nonnulla dixerat de festivitate et ecclesia Bivonensi suo loco referenda, mentionem facit de Vita aliqua antiqua, quam forsan inveniendam sperabat, ita Italice scribens, prout verba ipsius reddo Latine :* Aiunt Panormi esse nescio quem, qui invenit Vitam hujus Sanctæ in monte Peregrino, ubi spelunca est cum imagine supra portam S. Rosaliæ. *Addit modum, quo credebat hominem illum inveniri posse, eumque asserit nominatum fuisse* Vincentium Traina. *At frustra quæsivit Caietanus, ut colligitur ex altera epistola nobis item communicata, quæ post mortem Octavii Caietani ad fratrem ipsius Alphon-* B *sum Caietanum data est ultimo die Julii anni* 1624. *In hac Bernardinus Lanfranchi inter alia ita scribit :* In rem inquisivi, quodque potui intelligere, id est. Ille Vincentius Traina, qui habebat Vitam, erat miles; nec scitur, uti sit mortuus, nec habebat domum permanentem. *Utramque epistolam nobis exscripsit Hieronymus Justiniani Societatis Jesu in collectione Ms. de* S. Rosalia *nobis anno* 1727 *transmissa. Ex utraque antiquus illius Sanctæ cultus clare colligitur, ut suo loco videbimus; verum ex utraque item intelligitur, Caietanum frustra laborasse, ut scriptum aliquod antiquum de* S. Rosalia *nancisceretur.*

verum cum Opus ipsius correctum et editum sit post inventionem,

3 *Porro monendus est studiosus lector, Opus Caietani de Vitis Sanctorum Siculorum editum esse anno* 1657, *seu annis triginta et septem post mortem auctoris ; nec impressum esse eodem plane modo, quo fuerat ab Octavio Caietano conscriptum. Res clara est ex ipsa præfatione Petri Salerni, qui Opus Caietani edidit : nam ibidem, ubi narraverat Octavium Caietanum defunctum esse, Opere fere absoluto, ita prosequitur :* Tra- C ditum veluti per manum tunc fuit Opus istud nostræ Societatis sacerdotibus, et religiosis viris Augustino Caietano Octavii consanguineo, et deinceps Alphonso Caietano auctoris fratri ; sed cum vellent ipsi multa perficere et immutare, præsertim vero ad unicum, ut aiebant, stylum omnia conformare, presserunt istud usque ad annum MDCXL. Tum mihi demandatum, ut perspicerem, quid fieri oporteret, ne diutius intra scrinia nostra delitesceret liber tam pius, tamque avide ac diu expetitus. *Hæc aliaque ibidem sequentia satis indicant, editionem in Operis sic esse factam, ut sciri nequeat, quid Octavii Caietani sit, quid vero aliorum. Porro, etsi pro aliorum Sanctorum Actis parum referat, a quo illa fuerint conscripta, cum correctores ipsius pro iis parem cum eo habere possint auctoritatem ; pro Actis tamen* S. Rosaliæ *non eadem est ratio, cum Octavius Caietanus scripserit ante inventionem corporis; correctores vero ipsius post corpus inventum. Hac de causa operæ pretium fore existimavimus, si impetrare possemus relationem manuscriptam ipsius Octavii Caietani, prout servatur in bibliotheca collegii Panormitani Societatis Jesu ; atque illius relationis Ms. sic geminum obtinuimus exemplar.*

AUCTORE J. S.

ex Ms. ejus edetur Vita brevis S. Rosaliæ, ex solis traditionibus scripta.

4 *Ex obtento autem manuscripto intelligere licet, quid Caietanus ante inventum corpus de* S. Rosalia *potuerit invenire; atque idcirco solam relationem Ms. deinceps nomine Caietani laudabo. Primo unde ipse sua hauserit, hisce indicat verbis :* Quæ de diva Rosalea scribimus, ex fama et seniorum traditione accepimus. Opere maximo dolemus, nullum de ea monumentum, a majoribus nostris conscriptum, nos comperisse, cum omnem operam et studium hanc in rem collocaverimus. *Ita Caietanus in animadversione ad Vitam, quam cum ipsius animadversionibus primo loco edam, quia non exigua laude dignus est scriptor ille, etiamsi pauca solum colligere potuerit, quod cogeretur quasi in tenebris palpare, quando nomen* S. Rosaliæ *minus erat celebre, et Sancta ipsa parum cognita. Facem enim prætulit ad inveniendum corpus, cujus inventione non pauca sunt detecta, quæ ante latuerant. Præterea proderit scriptura Caietani ad distinguendum inter antiquas traditiones Siculorum de* S. Rosalia *et opiniones quorumdam post inventionem corporis* E *exortas, quas nonnulli pro antiquis traditionibus habendas contendunt. Hactenus de scriptoribus, qui inventionem corporis præcesserunt : nunc similiter recensendi præcipui ex illis, qui post corpus inventum plura ad scribendum habuerunt subsidia.*

Post corpus inventum præcipuus scriptor Jordanus Cascini,

5 *Inter hosce primo loco recensendus est Jordanus Cascini Societatis Jesu, vir vitæ integritate ac morum sanctitate celebrandus non minus quam doctrina et solertia, gestisque præcipuis in Societate muneribus, prout latius videri potest in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu apud Alegambe et Sotuellum, ubi hæc etiam ad propositum nostrum leguntur :* In inventione corporis S. Rosaliæ tempore pestilentiæ illius potissimum emicuit sagacitas et industria, ut propterea pater patriæ quodammodo fuerit habitus. *Cascinum non minori elogio celebrat Antonius Mongitore, doctor et canonicus Panormitanus in Bibliotheca Sicula, ubi posteriora sic exponit :* Anno MDCXXIV, invento divinitus corpore divæ Rosaliæ virginis Panormitanæ, ab eodem Joannettino Doria archiepiscopo *(Cardinali, cui Cascinum gratum dixerat)* tamquam præcipuus F theologus fuit electus, ut consultationibus constitutis interesset, ob examen reliquiarum ejusdem Virginis : ac præ ceteris desudavit, ut rei veritas eluceret; et summo ejus studio, sapientia, ac singulari prudentia curavit, ut Virginis reliquiæ publicæ adorationi exponerentur : eaque Virginis ope Panormus, ac Sicilia fere tota a peste liberata est : et Jordanus velut pater patriæ veneratus enituit. *Addit defunctum esse* XXI *Decembris anni* 1635 ; *justaque funebria eidem persoluta a Senatu Panormitano.*

edidit varia de Sancta, ex quibus recudenda Vita Latina :

6 *Edidit Cascinus anno* 1627 Vitam S. Rosaliæ virginis Panormitanæ e tabulis et parietinis, situ ac vetustate obsitis, e saxis, ex antris, e ruderibus cæca olim oblivione consepultis, et nuper in lucem evocatis, *ait laudatus Mongitorius, exscribens primam partem tituli longioris, quem Opusculo suo indidit auctor. Curaverat nimirum Cascinus antiquas Sanctæ imagines æri incidendas, et novas quasdam ex antris corporesque invento addiderat, singulas brevi inscriptione explicans, atque ita Vitam Sanctæ imaginibus adumbratam edidit. Idem scriptor deinde*

AUCTORE J. S.

deinde anno 1631 *Vitam et inventionem corporis* S. Rosaliæ, *continua oratione enarratam, in lucem dedit, ac eminentissimo Joannettino Doria Cardinali et archiepiscopo Panormitano dedicavit. Hanc Vitam, cum quia Latine scripta, tam quia ab ipso auctore edita, præ ceteris recudendam censui loco secundo. Demum opus molis majoris aggressus est Cascinus sermone Italico conscribere, illudque in tres partes dividere voluit. Liber primus continet inventionem corporis, cultum Sanctæ antiquum, miracula multa, aliaque prædictis annexa. Liber secundus constat e multis dissertationibus, quibus gesta* S. Rosaliæ *exponuntur ope editarum ante imaginum, quas in hoc libro recudit. Liber tertius totus est de honoribus, qui* S. Rosaliæ *tribuuntur in variis mundi partibus, additis tamen nonnullis miraculis. Tribus hisce libris seu partibus subjunguntur totidem digressiones, quarum prima est de loco emortuali, altera de stirpe Sanctæ, ac tertia demum de variis in laudem ipsius compositis. Hæc omnia simul implent volumen in folio, quod editum est diu post mortem Cascini, videlicet anno* B 1651, *opera Petri Salerni, quem et Operis Caietani editorem monui.*

nam majus Opus Italicum correctum est a Salerno,

7 *Jam vero an Cascinus laudatum Opus plane perfecerit, merito dubitari potest, quia tanto tempore latuit post mortem ipsius. Verum, sive auctor Opus suum ad calcem perduxerit, sive imperfectum reliquerit, certum est, nos illud non habere eo plane modo, quo a Cascino fuit scriptum, cum interpolationis manifesta habeamus indicia. Accipe nonnulla, lector studiose. Obiit, ut dixi, Cascinus anno* 1635. *At in Opere laudato lib.* I *cap.* 7 *pag.* 48 *adducitur decretum sacræ Rituum congregationis anno* 1641 *datum. Id certe sexto post obitum suum anno Cascinus Operi suo non inseruit; sed haud dubie ab editore additum. Rursum lib.* 2 *cap.* 6 *pag.* 184 *narratur, quod sententia illa, quæ stirpem* S. Rosaliæ *a Carolo Magno repetit, inserta sit Breviario Romano; cumque ageretur de illa Breviario eximenda, sic defensa sit, ut in Breviario manserit: ad posterius id contigit anno* 1642, *id est, diu post mortem Cascini, quemadmodum narrat Vincentius Auria in Rosa cælesti pag.* 36. *Plura adduci possunt, quæ* C *non videntur scripta a Cascino. At allata sufficiunt, ut intelligamus non omnia Cascini esse, quæ in Opere ipsius nomen præferente impressa leguntur. Hac de causa vehementer suspicor, Opus istud non fuisse perfectum a Cascino, aut certe non ita fuisse correctum et emaculatum ab auctore, ut editor Salernus non habuerit plenam facultatem addendi, demendi, mutandi, corrigendique omnia, quæ pro sua prudentia vellet addita, subtracta, aut mutata, quemadmodum fieri solet in Operibus posthumis, quæ ab auctoribus suis perducta non sunt ad eam perfectionem, ut sine ulla mutatione mereantur lucem aspicere.*

et fortasse non pauca ab eodem composita.

8 *Ex dictis sequitur primo, Vitam Latinam quam ipse edidit Cascinus, utiliorem esse ad sententiam illius intelligendam, quam sit majus Opus ipsius Italicum, cui opiniones suas inserere potuit Salernus. Sequitur secundo, non omnia, quæ in laudato Opere Italico leguntur, necessario admittenda esse, uti a Cascino scripta; sed dubitari posse, an ea, quæ in Vita Latina non leguntur, at solum in Opere Italico, Cascini sint, an Salerni. Imo digressiones tres historicas, in fine Operis positas, Cascini non esse, sed Salerni, docet Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu, et Bibliotheca Sicula Mongitorii in elogio Petri Salerni, licet hic nullibi id indicaverit, desiderans totam Operis laudem Cascino relinquere. Quis non videat, quantam hæc suspicionem ingerant, non exiguam Operis istius partem Salerni potius esse quam Cascini? Fateor quidem, nihil interesse, hujusne sit major pars Operis, an alterius, cum uterque egregia pietate et doctrina fuerit ornatus, et uterque scripserit post corporis inventionem. At cum ex variis litteris, ad nos e Sicilia datis, clare videam, omnem fere istius Operis laudem uni Cascino attribui a Siculis; nolui ego Salernum parte sua fraudare, sed singulis, quantum fieri potest, sua attribuere.* D

Opus Latinum Salerni, ex quo multa dabuntur in Commentario, et edentur miracula,

9 *Porro Petrus Salernus, de cujus pietate et eruditione præclara videri possunt elogia in Bibliothecis jam laudatis, ex Opere Italico, de quo egimus, Latine conscripsit Vitam* S. Rosaliæ, *eamque inseruit Operi Caietani a se edito de Vitis Sanctorum Siculorum tom.* 2 *pag.* 147, *uti et Inventionem corporis et miracula aliquot, partim ex eodem Opere translata, partim aliunde addita.* E *Cum autem omnia uberius enarrata sint a Salerno, quam in Vita Latina, compendiose scripta a Cascino; totum fere illud Opus Salerni huic Commentario per partes inseram, prout singula ad propositum nostrum conducent. Miracula vero post secundam Vitam recudam debitis annotationibus illustrata. Porro ex omnibus scriptoribus de* S. Rosalia, *tres modo recensiti, Caietanus nempe, Cascinus et Salernus, præcipuo loco habentur apud eruditos Siculos. Illos ego etiam præ reliquis sequendos existimo; at nequaquam in dicta eorum jurandum; sed singula maturo examine discutienda.*


Alii scriptores, qui secuti sunt præcedentes:

10 *Vitam* S. Rosaliæ *multi alii scripserunt neoterici, ex quibus præcipuos solum commemorabo. Vincentius Auria, Panormitanus juris utriusque doctor, ac multis aliis scriptis illustris, Italice composuit Rosam cælestem, in qua de inventione, vita et miraculis* S. Rosaliæ *diligenter disserit. Hoc Opusculum anno* 1668 *Panormi impressum est; ac mox anno sequenti aliud ejusdem scriptoris Opusculum prodiit, inscriptum* Vita S. Rosaliæ, *quod præcedentis est quasi compendium. Utrumque Opusculum habeo* F *et laudabo, ubi videbitur operæ pretium. Antonius Ignatius Mancusi Societatis Jesu primo edidit Vitam compendiosam, deinde vero uberiorem sub nomine Historiæ, quæ anno* 1721 *impressa est, et suis locis adducetur, præsertim pro recentioribus miraculis; quæ hic auctor post alios colligere potuit. Relati hactenus scriptores, pluresque alii, quos necesse non est commemorare, iisdem fere insistunt vestigiis. Verum alia quoque prodiit Vita* S. Rosaliæ *a præcedentibus multum diversa, quæ et laudatores et sectatores suos habuit, etiamsi alii eam Vitam prorsus negligendam existiment.*

Vita alia ex revelationibus, ut fertur, scripta, quæ passim improbatur.

11 *Soror Maria Roccaforte tertii Ordinis S. Benedicti dictavit P. Francisco Sparacino Societatis Jesu confessario suo Vitam quamdam* S. Rosaliæ *ex iis, quæ sibi revelata asserebat. Hanc Vitam Sparacinus ipse non edidit; at ea anno* 1650 *prelo subjecta est cura Francisci Forte sub titulo Italico, quem Latine sic exprimo :* Vita gloriosæ S. Rosaliæ virginis Panormitanæ. *Vitam mirabilem Mariæ Roccaforte scripsit Josephus Romanus Bivonensis doctor, uti in Bibliotheca Sicula habet Mongitorius; atque ex illa Vita*

Mariam



Delineatio nova.



Delineatio antiqua.

Lith. du Sénat Barousse Paris.

A *Mariam a sanctitate morum et mirabilibus post mortem patratis laudat Mancusus pag. 22 et 23; sed idcirco majorem auctoritatem isti Vitæ non attribuit. Cascinus quoque aliique scriptores Siculi jam pridem fidem laudatæ Vitæ abrogarunt; et licet nonnullos habuerit sectatores, ut dixi; reliqui passim Siculi illam constanter rejecerunt, ut traditionibus suis contrariam. Et sane quæ ita dicuntur revelata, non satis firmum videntur habere fundamentum, ut pro veritate historica, aut pro factis indubitatis habeantur, cum quia de revelatione non satis constat, tum qui dubitari potest, an omnia, quæ revelatione didicit, post revelationem satis exacte sint exposita, et quia non minus est incertum, an nonnullis, quæ per revelationem cognosci potuerunt, plura alia ex conjecturis non sint adjecta. Quapropter non magnopere deploro jacturam hujus Vitæ, quam Siculi alias officiosissimi numquam nobis transmiserunt. Verumtamen satis ex aliis scriptoribus cognoscere potero, in quibus præcipue capitibus hæc ab aliis dissentiat, præsertim cum Augustinus Inveges pleraque Annalibus suis Panormitanis inseruerit.*

B

§ II. Ex quibus præcipue monumentis gesta S. Rosaliæ petenda sint: inscriptio Quisquinensis: Græca alia præterito seculo inventa.

Gesta Sanctæ colligenda ex traditionibus, et inscriptionibus,

Quandoquidem nullum exstat monumentum conscriptum de S. Rosaliæ *gestis, nisi quadringentis aut pluribus annis post mortem Sanctæ, merito quæret aliquis, unde gesta ipsius hauriri et cognosci potuerint, præsertim cum obscura admodum de eadem fuerit traditio tempore Octavii Caietani, ut supra ostendi. Cascinus in Opere majore Italico, (quod ejus semper nomine laudabo, licet a Salerno correctum dixerim) lib. 2 cap.* I *fatetur, non multa cognosci posse de hac sancta Anachoretide, recteque adjungit,*

C *melius esse pauca de* S. Rosalia *scire, et ignorantiam plerorumque gestorum ipsius pati, quam fabulas sequi, aut vera commentitiis depravare. Fundamenta vero Historiæ suæ, quæ probata et solida existimat, recenset sequentia. Primo loco statuit* antiquas et solidas traditiones, *secundo* scripturas, *et præsertim inscriptionem in specu Quisquinensi repertam, quæ ab ipsa* Rosalia *creditur facta, et his verbis est concepta:* Ego Rosalia Sinibaldi Quisquine et Rosarum Domini filia amore Domini mei Jesu Christi ini * hoc antro habitari * decrevi. *Hujus inscriptionis, prout reperta est in antro Quisquinensi, duplicem delineationem; alteram antiquam, alteram recentiorem, æri incidendam curavi, et lectorum oculis subjicio, ut melius intelligantur argumenta, quæ suadent eam Sanctæ omnino attribuendam.*

* *pro* in
* *i. e.* habitare

quarum præcipua hic datur æri incisa,

13 *Utramque delineationem nobis anno* 1744 *transmisit R. P. Ignatius Stanislaus Castiglia, Siculæ provinciæ Societatis Jesu tunc provincialis præpositus, et diligentissimus atque officiosissimus adjutor noster in colligendis* S. Rosaliæ *actis, uti per decursum frequenter declarabitur. Hasce vero inscriptioni delineatæ addidit observationes, sive per se, sive per P. Caietanum Mariam Noto, quem sibi ad plura nobis subministranda et observationibus illustranda elegit laboris socium:* Duplex hujus inscriptionis exemplum mittimus. Alterum minus accurate delineatum, quod multis abhinc annis æri incisum fuerat: alterum, quod excellentissimus dominus Joseph Emmanuel Ventimigia, princeps Pulchri montis et Quisquinæ dominus, a PP. Societatis Jesu proximis diebus rogatus, summa cum diligentia transcribi jussit... Harum litterarum forma consonat litteris veterum comitis Rugerii et regis Rugerii numismatum, quæ a Paruta referuntur, ab Agostini, atque Havercampo, *in Opere nimirum, quod nuper Lugduni Batavorum impressum est hoc titulo:* Thesaurus antiquitatum et Historiarum Siciliæ *tom.* 8, *in quo nonnulla exhibentur utriusque Rogerii numismata cum litteris ejusdem formæ. Observo insuper in iisdem nummis vocem* Domini *ita contractam esse, sicuti hic contrata* Dni *legitur, et signum crucis eadem forma, qua hic, in variis nummis conspici. De duabus litteris, quæ diu post reliquas inventæ sunt, quæque non absimiles sunt cyfris Arabicis,* E *hæc deinde subdit laudatus Castiglia:* Post notas inscriptionis litteras hæ duæ aliæ... diligenter rupem inspicientibus, paucis abhinc annis deprehensæ sunt. An autem illæ initium fuerint alterius verbi, quod imperfectum S. Rosalia reliquerit, an notæ Arabicæ sint, numerum duodecimum vel decimum quintum exprimentes, quibus aut Virginis ætas, aut quidquam aliud indicetur, divinare non ausim. *Hactenus observationes memoratæ.*

AUCTORE J. S.

et variis rationibus ostenditur,

14 *Datam autem inscriptionem ob ipsa* Rosalia *sculptam sine ulla ambiguitate credunt Siculi. Et sane nec paucæ nec leves adduci possunt rationes, quæ hanc veritatem confirmant. Prima ratio esse potest figura ipsa litterarum jam dicta, cui et signum crucis et contractio vocis* Dni *jungi potest. Si autem litteræ minus exacte videantur formatæ, ideoque non sint omnino similes litteris Rogeriorum numismatum, id nequaquam mirari possumus; quin potius mirari debemus, tam bene duro lapidi insculptas fuisse. Alterum argumentum profert Cascinus pag.* 173 *ex solœcismis, quibus inscriptio laborat, in qua pro* in *legitur* ini, *et pro* habitare *habetur* habitari. *Quippe asserit Siculæ terminationis esse voces istas, ideoque merito observat, nulli in mentem venire potuisse impostori voces ita terminare. Hac de causa de hisce Solœcismis ita loquitur Salernus in Vita:* Si non errasset, minus muliebrem manum, Siculæque terminationis idiotismum prodidisset. Quare hæc menda crediderim Puellaris manus non satis Latinam linguam edoctæ sigilla. *Mancusus vero in Historia* § XI *nititur ostendere, in fuisse scriptum, non* ini, *eamque observationem suæ inventioni attribuit, uti et plura alia, quæ pia potius meditatione, quam accurata crisi de hac inscriptione ratiocinatur. Verum poterat Cascini observationibus potius acquiescere, et vocis errorem cum eruditioribus agnoscere, quam ubique mysteria et miracula quærere sine verisimilitudine: neque enim prudentis historici est miraculo attribuere, quæ naturali modo fieri potuerunt. Tertium argumentum pro veritate inscriptionis laudatus Cascinus exprimit his verbis:* Scriptura hæc non est neoterica, ac ne quidem vocabula hodierna. Nullus hoc tempore scivisset nomen istud Sinibaldus, nomen externum, nec horum temporum F

AUCTORE J. S.

temporum aut locorum, nec umquam in hisce partibus auditum, sed personæ prorsus incognitæ, quam hujus solum lapidis indicio quærere hoc tempore cœpimus, et magna difficultate invenimus.

illam ipsi S. Rosaliæ attribuendam esse.

15 *Præterea modus, quo inscriptionem illam inventam suo loco narrabimus, et testes legitime examinati omnem suppositionis aut imposturæ suspicionem tollere videntur. Nam primo dum inventa est inscriptio, foramen speluncæ tam erat angustum, ut nulli homini præberet ingressum, atque instrumentis idoneis fuerit ampliandum, ut quis posset ingredi in speluncam, quemadmodum narrat Cascinus lib. 2 cap. 2. Hac de causa dubitat, an ullus umquam hominum præter* Rosaliam *in illa spelunca pedem posuisset. Secundo inscriptio tota erat contecta crusta quadam ex humiditate saxorum nata, et sola crux primum oculis patuit, donec occasione crucis visæ crusta illa saxis innata diligenter abrasa est, et sic detecta inscriptio integra. Signum id erat evidens, inscriptionem non fuisse factam recenter; atque id a duodecim juratis testibus fuit confirmatum, ut videbimus suo loco. Tertio qui detexerunt inscriptionem,* B *nullo modo suspecti esse possunt imposturæ, tum quia ne legere quidem illam potuerunt, nec certe intelligere, utpote ignari linguæ Latinæ, tum quia multi alii adfuerunt, quando angustum speluncæ foramen aperuerunt, et tectam crusta humida invenerunt inscriptionem. Hæc omnia fusius explicabuntur ubi agemus de inventione speluncæ Quisquinensis, quæ contigit quadraginta diebus post corpus inventum. Rationes etiam allegabimus, quibus moveri potuit* Rosalia *ad similia scribenda, dum agemus de ingressu ipsius in antrum Quisquinense.*

Alia scriptura Græca, præterito seculo inventa cum cruce lignea,

16 *Alia scriptura* S. Rosaliæ *a quibusdam attributa, sed ab aliis eidem abjudicata, reperta est præterito seculo in monasterio Panormitano S. Salvatoris, quod virginum est Ordinis S. Basilii. Scriptura hæc Græca est, seu Barbaro-Græca, ut ferebant tempora* S. Rosaliæ; *totaque sine interpunctionibus aut accentibus hoc modo :* Εγω αδελφη Ροσολια Σινηβαδδη βανω ετουτο το ξυλον του εδουκουμου αφεντος εις το μοναστιρι το οπιον παντοτινα το ακουλουθησα: *et Latine sic exprimitur :* Ego soror Rosalia Sinibalda pono hoc lignum Domini mei in hoc monasterio, quod semper secuta sum. *Hujus* C *scripturæ cum cruce lignea inventio, alienatio et restitutio refertur in instrumento restitutionis, quod anno* 1699 *factum est coram illustrissimo domino Philippo Ignatio de Truxillo y Guerrero, judice tribunalis regiæ monarchiæ in Siciliâ, multisque testibus, per notarium Panormitanum Antonium Terranova, et cujus exemplar alterum Ms., alterum impressum ad manum est. Facti relationem ex eo accipe.* Die quinto mensis Maii, septima Indictione, MDCXCIV : Cum anno Domini MDCXLIV in venerabili monasterio sanctissimi Salvatoris hujus urbis ædificaretur altare patriarchæ S. Basilii in ecclesia, vetere dicta, ob ipsius novæ erectionem, inventa fuit in maragmatibus sive fabricis ejusdem altaris a fabro murario... pyxidicula quædam (vulgo dicitur bossoletta) quam illico ablatam abscondit, et inde a monasterio profectus, atque curiositate ductus aperuit. In ea invenit crucem ligneam, et quandam paginam inclusam, litteris et dictionibus Græcis scriptam, prout ad præsens, et de præsenti apparet. *Sequitur scriptura Græca cum interpretatione jam data.*

quæ diu alienata inventoris culpa,

17 *Deinde sic pergitur :* Quod quidem manuscriptum cum prædicta cruce faber murarius, D nulla data notitia eidem monasterio, ex causis sibi visis tradidit et consignavit RR. Patribus Ven. conventus S. Nicolai de Tolentino; qui audientes crucem cum prædicto manuscripto repertam esse in sacrosancto altari, summa diligentia ac veneratione conservarunt etc. Et quamvis, dum in humanis existeret, faber murarius nemini rem manifestaverit : instante vero tempore, quo animam suam summo et immortali Deo reddere debebat, accersito confessario præmissa omnia narravit; et de peccatis suis veniam petendo, in conscientiam ei commisit, totum superius enarratum revelari debere abbatissæ et ministris dicti monasterii; ut supradicta crux cum pagina restitueretur monasterio, cujus erat, et in quo repertæ sunt : prout, mortuo deinde dicto fabro murario, dictus ejus confessarius per litteras missivas præmissa narrando manifestavit Rev. sacerdoti D. Joseph Bonfiglio tunc confessario ordinario et cappellano dicti monasterii ad effectum, ut prædictus Bonfiglio de toto hoc E facto notitiam daret, prout data fuit, abbatissæ tunc temporis dicti monasterii. Quæ abbatissa huic manifestationi annuens, per Joseph Ciraulo tunc agentem dicti monasterii tentata fuit recuperatio dictæ pixidiculæ cum cruce et manuscripto intus, ut supra, servatis. Sed, factis multis instantiis, quibus insistentes, et nolentes Patres S. Nicolai de Tolentino illam restituere; tandem annuebant velle restituere solummodo dictam pixidiculam sine cruce et absque manuscripto intus repertis : et stante morte dicti de Ceraulo agentis prædicti, dicta abbatissa, aliæque pariter abbatissæ eam subsequentes ob difficultates repertas in prædictis recuperandis ab incepto negotio destiterunt etc.

et post multas difficultates,

18 Et cum fuerit temporibus præteritis per Rev. Patrem Vincentium a Sanctissimo Sacramento, Ordinis et Regulæ dicti conventus sancti Nicolai de Tolentino hujus urbis, Patrem tam maximæ venerationis et auctoritatis ac exemplaritatis vitæ, ore proprio confessum et dictum D. Annæ lo Porto ad præsens moniali, intus dictum monasterium viventi, nominatæ Sor. Aloysiæ lo Porto, quæ tunc temporis ingredienda * erat in dictum monasterium, et reperiebatur in seculo intus ecclesiam dicti conventus tempore, quo dicta sacrosancta reliquia ligni S. Crucis exposita erat pro adoratione populorum fidelium, per hæc verba videlicet *(Italica erant, quæ Latine reddo.)* " Hoc lignum, quod vides, " est monasterii sanctissimi Salvatoris, quod de" bes ingredi ". Et præmissa omnia superius expressata ei narravit, prout de hujusmodi dicto et confessione per Rev. Patrem Vincentium dicto lo Porto, ut supra, facta, satis plene constitit atque constat ex relatione dictæ Sororis Annæ Aloysiæ lo Porto, monialis in dicto venerabili monasterio, mihi notorio cognitæ, existentis cum authoritate infrascriptæ matris abbatissæ, Hippolytæ Lancellottæ Castelli, ejusdem monasterii abbatissæ m. n. etc. præsentis, et eam authorizantis etc.; eadem ipsa de lo Porto vigore præsentis cum auctoritate prædicta sponte cum duplici juramento dixit et declaravit, ac dicit et declarat, præmissa vera fuisse et esse, ut dixit renuntians etc. *Mox additur pro hisce omnibus testimonium quatuor aliarum monialium,* duplici juramento *præmissa confirmantium.*

F

* ingressura

19 *Tum*

præsente judice tribunalis R. M., multisque testibus,

A 19 *Tum vero :* Hinc igitur Rev. mater soror Hippolyta Lancellotta Castelli, ad præsens abbatissa dicti venerabilis monasterii, divino spiritu ducta, semper maxima cum diligentia curavit, atque curat bona dicti monasterii, cupiens illud, quod ab ejus prædecessoribus quavis ex causa minime curatum fuit, potuisset divina favente clementia consequi et habere. Qua de causa recursum habuit ad illustrissimum ac reverendissimum dominum de Truxillo, judicem R. M., præmissa humiliter exponendo. Qui dominus judex, attenta tanta bona fide dictæ reverendæ matris abbatissæ in recuperando bona dicti monasterii, et præcipue reliquiam tam insignem cum authentica nostræ protectricis virginis Rosaliæ, suisque manibus propriis positam et characteribus authenticatam, motus rogaminibus prædictis, se diligenter ad hoc tantum bonum opus applicavit. Tandem facta diligenti indagine, illam in posse * dicti conventus invenit. Et facto verbo pro ejus relatione cum R. Patre Priore ejusdem conventus, idem ipse P. Prior eo quia plenam scientiam habebat de toto facto, et plene B ei dicto nomine constabat ex relationibus Patrum et Superiorum antiquorum sui conventus : quapropter pleno animo volens præceptis superiorum obedire, quam primum de præmissis scientiam habuit, dicto venerabili monasterio reliquiam prædictam cum dicto manuscripto, invento a Rev. sacerdote D. Antonio Bruno in manuscriptis et authenticis reliquiarum dicti conventus cum præsentia dicti P. Prioris, restituere et consignare : et ob id ad infrascriptum actum consignationis prædictæ devenire, ut in futurum præmissa perpetuo elucescant etc.

* *i. e.* potestate

monasterio SS. Salvatoris,

20 Ideo hodie præsenti die prætitulato præfata Rev. mater Soror Hippolyta Lancellotta Castelli, abbatissa dicti venerabilis monasterii sanctissimi Salvatoris hujus urbis m. n. c. n. existens tamen prius in præsenti cum authoritate et interventu Rev. abbatis D. Hieronymi Filingeri, et illustrissimi domini Balthassaris Castelli, ejusdem monasterii deputati et protectoris m. n. et c. c. præsentium, dictis nominibus intervenientium, dictamque reverendam matrem abbatissam in his authenticantium etc., nec non cum authoritate, interventu et consensu, et expressa C voluntate infrascriptarum monialium dicti monasterii, ad sonum campanellæ vocatarum, et capitulariter congregatarum in loco solito et consueto, ut moris, videlicet sororis Josephæ Drago *(et aliarum quadraginta et octo, quarum nomina recensentur)* præsentium, intervenientium, nemine earum discrepante, sed unanimiter consentientium, necnon cum præsentia præfati illustrissimi et reverendissimi domini de Truxillo, judicis dicti tribunalis R. M., ut infra, præsentis; dicto nomine cum auctoritate et interventu prædictis ac præsentia infrascripta vigore præsentis dixit et fatetur habuisse et recepisse, sibique dicto nomine traditam et consignatam fuisse ab admodum Rev. Patre Benedicto a Conceptione Deiparæ, Priore dicti venerabilis conventus S. Nicolai Tolentini hujus urbis m. n. et c. c. præsente, et dicto nomine stipulante, ac restituisse et consignasse asserente dictam sacrosanctam reliquiam ligni sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi, scilicet illammet in dicto anno MDCXLIV per dictum fabrum murarium inventam in fabricis altaris dicti patriarchæ sancti Basilii in ecclesia supradicti monasterii (quæ ad præsens vetera * ob ipsius novæ ædificationem) quæ fuit tunc temporis consignata dicto conventui, ut dixerunt renuntiantes etc.

AUCTORE J. S.

* vetus

ubi fuerat inventa sub veteri altari ecclesiæ,

21 *Hic additur, particulam exiguam ligni sanctæ Crucis relictam fuisse Priori, consentiente abbatissa, ac deinde sic pergitur :* Nec non dicta reverenda mater abbatissa dicto nomine cum auctoritate et interventu prædictis, ac præsentia infrascripta, dixit et fatetur habuisse et recepisse, sibique dicto nomine consignatam fuisse a dicto reverendo P. Priore, stipulante et restituisse asserente, dictum manuscriptum, in dicta pagina scriptum, Græce tamen et non Latine, scilicet illudmet manuscriptum, ut dicto reverendo patri Priori dicto nomine constat ex relationibus Patrum et Superiorum antiquorum dicti conventus, olim insimul cum dicta reliquia, superius consignata, in dicta pixidicula inventum in dicto monasterio sanctissimi Salvatoris, et traditam dicto conventui; verba cujus scripti sunt infrascripta, videlicet : Εγω *αδελφη Ροσαλια Σινηβαλδη βανω ετουτο το ξυλον του εδοκουμου αφεντος εις το μοναστιρι το οπιον παντοτινα ακουλουθησα*. Quibus ad Latinorum sensum hæc E significantibus verba, videlicet : " Ego soror " Rosalia Sinibalda pono hoc lignum Domini " mei in monasterio, quod semper secuta sum ". Quod quidem scriptum fuit per dictam abbatissam, ad hoc ut perpetuo conservetur, positum in quodam quadretto intus bina crystalla, et sic eodem modo, ut supra, dictum manuscriptum existens, cum dictis binis crystallis consignatum et restitutum fuit dictæ abbatissæ dicto nomine stipulanti, et hoc in ejus posse, ut dixit renuntians etc. : præsente ad hæc omnia et singula dicto illustrissimo et reverendissimo domino D. Philippo Ignatio de Truxillo judice R. M. m. n. c., et præsente actui, omnibusque et singulis in præsenti contentis suam, seu verius dicti tribunalis, judiciariam auctoritatem pariter et decretum præstante et tribuente omni meliori modo etc. : et similiter præsentibus ad hæc omnia et singula reverendo patre Petro Justiniano Soc. Jesu, et admodum reverendo patre D. Nuncio Schiro Ordinis S. Basilii Magni m. n. et c. c., præsentibus et cum juramento, tacto pectore more sacerdotali, asserentibus dictum manuscriptum vidisse, revidisse, legisse, et bene considerasse, F et translatum de idiomate Græco ad Latinum supradictum sensum, prout superius scriptum fuit, et non aliter etc. Juraverunt tactis pectoribus dicti reverendi sacerdotes, etc. Item dictæ mulieres etc. Unde etc.

fuit legitime restituta.

22 *Sequuntur subscriptiones, quas exprimam eo idiomate, quo singulæ fuerunt expressæ.*

D. Felippe Ignatio de Truxillo y Guerrero etc.
D. Geronimo Filingeri deputato etc.
Soro Ippolita Lancellotta Castelli abbatissa etc.
D. Baldassare Castelli, e Lercaro protettore etc.
Pater Petrus Justinianus Soc. Jesu etc.
Pater D. Nuncius Schiro Ordinis S. Basilii Magni etc.
Pater Benedictus a Conceptione Virginis Prior conventus S. Nicolai etc.
Sacerdote Don Antonio Bruno etc.
Madre soro Giovanna Caruso etc.
Soro Gioseppa Geronima Sammaniati etc.
Soro Nuncia Percolla etc.
Soro Macrina Maria Restivo etc.
Soro Anna Aloysia lo Porto etc.

Testes

AUCTORE J. S.

Testes Rev. Sacerdos D. Ignatius de Palermo, Rev. Sacerdos D. Franciscus Bila, et Thomas Magliarditi, et quamplures alii etc.

Ex Actis notarii Antonii Terranova Panormitani etc.

Collatione salva etc.

Quid in hoc instrumento reprehendi possit, exceptis nonnullis solœcismis, qui non obstant valori, sane non video. At lubens agnosco, ex eo non posse certo deduci, istud scriptum esse S. Rosaliæ. *Quapropter examinandum, quam istud sit probabile aut improbabile.*

§ III. Quæritur, utrum probabiliter credi possit, scriptum istud Græcum, de quo mox actum est, a S. Rosalia fuisse exaratum.

B

Disceptatum est, an scriptura mox data sit S. Rosaliæ:

Controversia non levis ex scriptura Græca mox memorata apud Siculos enata est, magnisque animis agitata: nimirum quia brevia illa verba, si constiterit per Sanctam esse exarata, clare decidunt litem aliam, certoque evincunt Rosaliam *in monasterio sanctissimi Salvatoris monialem fuisse, priusquam solitariam vitam fuit amplexa. Mancusus jam frequenter laudatus in Historia* S. Rosaliæ, *et anonymus quidam in variis Dissertationibus contra monasticam Sanctæ professionem editis, contentiose pugnant, scripturam illam* Rosaliæ *non esse attribuendam, altumque clamant, aut esse supposititiam, aut alterius esse Rosaliæ, quæ præter nomen cum Sancta nostra nihil habeat commune. Contra Hieronymus Justinianus Societatis Jesu geminam ad majores nostros transmisit Dissertationem manuscriptam, qua operose conatur ostendere, laudatam scripturam* S. Rosaliæ *probabiliter attribui posse et debere, nisi exorbitante crisi nodum velimus quærere in scirpo. Uterque scriptor Italico usus est idiomate, uti et fecerunt anonymi, qui hanc controversiam attigerunt. Præterea pluribus usi sunt verbis, argumentisque sæpius repetitis, quam ut omnia huc transferri possint.* C *Quapropter seligam præcipua solum utriusque partis argumenta, eaque ad rei elucidationem sine ullo partium studio, proponam erudito lectori, ut mecum statuere possit, quid de re tota videatur censendum.*

forma illius scripti: prima contra illud objectio ex charta vulgari

24 *Scripturam sic describit claritatis gratia Justinianus in Examine suo historico (ita Dissertationem illam inscripsit) § 3 num. 10:* Charta est octava pars folii, undique in extremitatibus trita, et partim etiam in medio a tineis corrosa, composita ex vulgari materia, non ex papyro aut membrano, quantum apparet, crassa potius quam tenuis, coloris flavi aut utcumque fusci ob vetustatem. Conscripta est ab utraque parte sermone Græco, sed barbare, sive sonus consideretur, sive orthographia. Litteræ æque ac lineæ inæquales sunt ac distortæ, ita ut ex ductu calami manus muliebris agnosci valeat. *Tota hæc descriptio favet iis, qui scripturam credunt* S. Rosaliæ. *Verumtamen eorum adversarii ex eodem etiam loco argumentum sibi sumere voluerunt; et contenderunt scripturam non esse* Rosaliæ, *quia vulgaris charta, ut volunt, ipsius tempore necdum erat usitata. Quin imo* D *Mancusus in Vita pag. 4 adducit auctoritatem Papebrochii et Janningi, ut id probet. Verba illorum in Epistola anno 1701 scripta sunt ista:* Nihilo facilius definietur, quando præcise fieri cœperit charta, qua modo utimur passim ad scribendum. Certum tamen est ab annis 500 ejus usum fuisse *etc. Epistola hæc edita est in Discursu historico scriptoris Siculi, qui se* Jacobum Calafatum *nominavit, pag. 122, ubi etiam occasio illius Epistolæ exponitur. Laudatus autem Mancusus ait, usum chartæ non cœpisse, nisi sub finem seculi* XII, *idque infert ex verbis recitatis,* ab annis quingentis. *Verum dum Janningus scripsit,* certum esse, ab annis quingentis *fuisse usum chartæ, et initium illius usus difficulter assignari posse; adeo non negavit chartam tempore* S. Rosaliæ *seu seculo* XII *usitatam fuisse, ut merito conqueri possimus, auctoritatem Majorum nostrorum perperam adhiberi ad eliciendas conclusiones tam frivolas.*

inepta est, cum charta vulgari

25 *Multis quidem eam objectionem egregie refellit Justinianus; at mihi pauca sufficient* E *aliunde petita. Audiamus Mabillonium lib.* I *de Re diplomatica cap. 8 num. 16:* De charta nostra seu papyro vulgari, quæ ex veterum linteorum reliquiis contritis ac maceratis conficitur, non est quod longum sermonem instituamus: ... tametsi ejus usus ab annis amplius quingentis invaluit, ut ex Petri Venerabilis loco superius relato observavit eruditissimus vir Hadrianus Valesius, in notis ad Panegyricum Berengarii augusti. Quo vero tempore inceperit, nemo hactenus definire ausus est. *Deinde interjectis quibusdam, quæ brevitatis causa prætermitto, dicta sua sic probat:* Nam Petrus Venerabilis in tractatu contra Judæos memorat libros suo tempore lectos, qui EX RASURIS VETERUM PANNORUM COMPACTI erant. Quod sine dubio de linea charta intelligendum est. Etsi porro diplomata et instrumenta fere nulla, quæ quanticumque momenti essent, scripta sint in charta nostra vulgari, ejus tamen usus in epistolis aliquando adhibitus est, ut docet Joinvillei epistola ad sanctum Ludovicum in ejusmodi charta exarata, quam Antonius Herovallius mihi cum multis aliis communicavit. *Allatum argumentum probat, vulgarem chartam saltem usitatam fuisse circa initium seculi* XII, *id est, quando aut nondum nata, aut puella erat* S. Rosalia. F

jam usitata fuerit tempore S. Rosaliæ:

26 *Quippe Petrus Venerabilis anno 1121 electus est abbas Cluniacensis, et anno 1158 vitam cum morte commutavit, ita ut libri illi haud dubie conscripti sint circa initium seculi* XII *et verisimiliter multo citius, cum de iis non loquatur Petrus, ut de re nova, sed ut de re usitata. Verba ipsius accipe ex Bibliotheca Cluniacensi col. 1069 et 1070, ubi Judæos ita ridet:* Legit, inquit, Deus in cælis librum Talmuth. Sed cujusmodi librum? Si talem, quales quotidie in usu legendi habemus, utique ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum, sive ex biblis vel juncis Orientalium paludum, aut ex rasuris veterum pannorum, seu ex qualibet alia forte viliore materia compactos *etc. Clarum quoque est, chartam ex gossipio vel cottone confectam, quæ a linea parum differre potest, usitatam fuisse ante seculum* XII, *seu ante natam* S. Rosaliam. *Audi rursum laudatum Mabillonium:* Potior est in diplomatis usus chartæ ex gossipio seu cottone, ut fidem facit CHARTA CUTTUNEA in pergamenum a Rogerio Siciliæ rege renovata,

A novata, quam fecerat Simon frater ejus et mater ejus, apud Rochum Pirrum in Sicilia sacra. *Diploma Rogerii regis, quod hic laudatur, exstat apud Pirrum lib.* 4 *Siciliæ sacræ a pag.* 91, *datumque est anno* 1145 ; *et in eo confirmantur varia diplomata, in* carta cuttunea *scripta partim sub finem seculi* XI, *partim sub initium seculi* XII, *eaque renovantur* in pergamenum. *Erat igitur charta illa cuttunea seculo* XI *usitata apud Siculos ; nec dubitari potest, quin illa seculo* XII *ad scribendum uti potuerit* S. Rosalia. *Quapropter primum istud Mancusi argumentum ita dissolutum est, ut recurri ad illud deinceps non possit ab eis, qui veritati agnitæ manus dare non recusant.*

altera objectio, ex lingua Græca petita, præcedenti non est melior,

27 *Contra inventam scripturam secundo objicitur idioma Græcum, quia inscriptio Quisquinensis non Græce, sed Latine scripta est. Addunt barbariem idiomatis Græci, quodque scriptura sit sine ullis accentibus et interpunctionibus. Verum tota hæc objectio parum aut nihil difficultatis habet, cum utraque lingua esset usitata in Sicilia, atque utraque nota esse potuerit* B *Sanctæ. Cascinus lib.* 2 *cap.* 5 *scribit tres linguas, nimirum Græcam, Latinam et Arabicam, usitatas fuisse in Sicilia tempore* S. Rosaliæ, *atque id probat ex illius temporis diplomatis, nummis et inscriptionibus, quæ partim Græce, partim Latine, et subinde etiam Arabice leguntur exarata. Itaque nequaquam mirum videri potest, quod Virgo nobilis, qualis erat* Rosalia, *cum Latina lingua Græcam istius temporis utcumque noverit. Nihilo magis mirandum, scripturam illam Græce potius quam Latine fuisse exaratam, cum exarata sit in monasterio Græcarum monialium, ubi sermo Græcus haud dubie erat usitatus præ Latino. Quod vero spectat ad barbarismos dictæ scripturæ, ad omissos accentus, aliasque notas et interpunctiones ; omnia illa tempori, quo vivebat Sancta, apte congruunt, præsertim si consideremus scriptum esse Virginis, quæ verisimiliter parum curavit sermonis elegantiam, et interpunctiones aliasque notas vocibus appingi solitas.*

cum Sancta verisimiliter usa fuerit lingua Græca vulgari :

28 *Porro dubitare vix possumus, quin* S. Rosalia *fuerit usa Græcorum lingua vulgari, non lingua doctorum. De duplice hac lingua recentiorum Græcorum Leo Allatius in Opere de Ec-* C *clesiæ Occidentalis et Orientalis perpetua consensione lib.* 3 *cap.* 8 *num.* 7 *ita loquitur :* Lingua apud eos duplex in usu est ; altera antiqua, quam veteres Græci in conscribendis libris usurparunt ; altera recentior et communior et usitatior. Priore in sacris celebrandis utuntur ; . . . altera in familiaribus colloquiis, concionibus et epistolis. Et nunc demum hac eadem historiolas, tractatus, et varii generis carmina pangunt. Quam tamen, qui sapientiores et eruditiores haberi cupiunt, in Operibus edendis, antiquam sectantes, refugiunt. *Notas quoque illas, quæ Græcis litteris adscribi solent, non semper usitatas fuisse, idem auctor tradit in Animadversionibus in antiquitatum Etruscarum fragmenta num.* 47 *ita scribens :* Guilielmus interim Canterus Syntag. de rat. emend. Græcos auctores cap. 6 probat, tum ex vetustis codicibus, tum ex scholiastis, veteres Græcos nudas litteras absque apicibus illis pingere solitos fuisse ; quod etiam sæpius asserit Politianus, sed potissimum Miscellan. cap. 58 et 80, ubi carmina sine ullis accentiunculis scripta veteri more, affirmat. *Plura deinde de interpunctionibus, quas recentiores antiquis scriptoribus addiderunt, ibidem disputat. Verum hæc sufficiunt, ut facile possimus credere, totam illam scripturam exarari potuisse a* S. Rosalia, *sicuti inventa est.*

tertia objectio prioribus melior, facit,

29 *Objicitur tertio vox* αδελφη *seu* soror, *quæ in hac scriptura occurrit, præsentim quia in Quisquinensi inscriptione se* sororem *non nominavit* Rosalia. *Additur altera differentia illarum scripturarum, nimirum quod in specu Quisquinensi legatur* Rosalia Sinibaldi filia, *in charta vero* Ροσαλια Σινηβαλδη. *Utraque observatio eo dirigitur, ut existimemus scripturam inventam, si supposititia non est, attribuendam esse cuidam moniali, a* S. Rosalia *distinctæ, quæ geminum habuerit nomen proprium, et vocata fuerit* Rosalia Sinibalda. *Quin et tertiam differentiam eodem trahit Mancusus, qui illa objicit in Historia* § 12 *pag.* 109 *et* 110 *: nam magis reverenter de Christo dicitur in Latino scripto,* pro amore Domini mei Jesu Christi, *quam in Græco,* lignum Domini mei, *aut* Heri mei, *ut ille vult. Verum vox* ἀφνέτης *pro* Domino *usurpata dudum fuit a Græcis, ita ut hæc ultima observatio nullius sit momenti. Duæ vero priores ceteris ob-* E *jectionibus mihi apparent meliores, cum revera scriptum possit esse alterius. Attamen alterius esse Rosaliæ scripturam illam, ex objectionibus ipsis certo inferri nequit ; præsertim cum nulla assignetur Rosalia Sinibalda, quæ in monasterio sanctissimi Salvatoris vitam traduxerit, cumque conjunctio duorum nominum illo tempore non videatur fuisse tam usitata, quam facta est nostris temporibus. Præterea, etsi nomen* Sinibaldus *usitatum fuerit eo tempore, nondum inveni nomen* Sinibalda *datum tunc fuisse mulieribus. Imo ipsum nomen* Rosalia *tunc rarum erat, ita ut difficulter credi possit, duo illa nomina* Rosalia Sinibalda *eidem puellæ, ut propria, fuisse imposita.*

ut nihil certi statuatur.

30 *Quapropter non satis video litem de illa scriptura satis decidi posse sine altera, quæ huic occasionem præbuit. Nec dubito, quin illi ipsi, qui Græcum id scriptum acriter impugnarunt, quia vitam monasticam* S. Rosaliæ *nullo modo admittere voluerunt, non minori studio pugnassent pro Græca illa scriptura Sanctæ attribuenda, si hæc sententiæ de monastica* S. Rosaliæ *professione tantum repugnaret, quantum eidem favet. Sane quantum ex modo scribendi illorum colli-* F *gere possum, facile admitterent* Sinibaldam *idem esse ac* Sinibaldi filiam *in laudata scriptura Græca : facile quoque intelligerent, vocem* soror *omitti potuisse in spelunca a* Rosalia, *quod statuisset ibidem vitam ducere solitariam, et ab omni monialium societate separatam. Verum præcipua ratio scripturam illam impugnandi et fere unica est, quod vita monastica* S. Rosaliæ, *quam improbabilem esse contendunt, negari non possit, si scheda illa Sanctæ attribuatur. Itaque, si professio monastica hujusce Sanctæ aliunde probabiliter asseri et defendi possit, scriptura quoque hæc probabili ratione* Rosaliæ *attribui poterit ; quin et augebit probabilitatem prædictæ opinionis, uti argumentum probabile ceteris adjunctum. Si vero prorsus improbabile est, Sanctam aliquando in monasterio vixisse ; neque hæc charta probabiliter* S. Rosaliæ *adscribi poterit. Mitto igitur objectiones alias, quæ ex dato instrumento satis refutatæ sunt : et progredior ad alia gestorum monumenta.*

§ IV.

AUCTORE J. S.

§ IV. Multæ tabulæ pictæ de S. Rosalia : examinatur, an Sancta tempore vitæ solitariæ prorsus latuerit incognita, eaque opinio ostenditur improbabilis et antiquæ traditioni contraria : hinc statuitur de auctoritate picturarum.

Antiquæ imagines Commentario huic inserendæ,

Cascinus lib. 2 cap. I *monumenta, quibus usus est, enumerare pergit, et pictas tabulas recensens, de iis sic loquitur :* Demum *(Vitam colligemus)* ex picturis et memoriis, quæ erant antiquæ, partim jam cognitæ, partim recenter inventæ. Hæ, quantum hactenus scimus, desumptæ non sunt ex aliqua Vita S. Rosaliæ B antiquitus scripta : sunt nihilominus fundamenta Vitæ, quam nunc scribimus; quandoquidam saltem ex parte conservant, quæ de vita hujus Sanctæ præteritis temporibus in hominum memoria remanserant. Præterea ad consolationem illorum, qui legere non norunt, curatum est, ut tabulæ septemdecim Romæ æri inciderentur cum approbatione illorum, quorum erat facultatem illam concedere. *Harum tabularum, uti et inscriptionis Quisquinensis explicationem se pro Vita daturum promittit, idque diligenter præstitit. Cum autem hæc sint præcipua gestorum* S. Rosaliæ *monumenta, illas ipsas tabulas lectorum oculis exhibebo. Quod ut facere possem, multum me juvit R. P. Ignatius Stanislaus Castiglia jam supra laudatus, qui mira humanitate et liberalitate omnes laminas æreas, quibus usus est Cascinus, huc direxit : quin et pecuniam in hunc usum apud Siculos collegit, ut modicis aut fere nullis sumptibus nostris omnes istæ Cascini imagines cum aliis adjectis Operi nostro inseri possent.*

quæ auctoritatem non haberent,

32 *Quæret nunc studiosus lector, quantam illis imaginibus auctoritatem attribuere possimus aut debeamus? Lubens respondeo, hic mihi* C *aquam hærere, præsertim si sequenda sit Cascini aliorumque ipsum secutorum opinio, qua contenditur,* S. Rosaliam *in antris suis ita latuisse absconditam, ut nulli umquam homini nota fuerit, ne moriens quidem. Etenim non satis capio, quo modo aliquid innotescere potuerit de gestis Sanctæ in speluncis et montibus, si nullus umquam Anachoretidem viderit, nullus de ea vivente aliquid sciverit, nemo cognoverit, viveretne an defuncta foret. Scio quidem recurri posse ad revelationes, quibus Virgo ipsa post mortem docere potuit nonnulla, quæ egerat in vita. Verum nullum habemus talium revelationum idoneum testimonium; nullus umquam antiquus scriptor de similibus* Rosaliæ *apparitionibus vel verbo meminit. Hac de causa Salernus in Vita sic de Sancta nostra loquitur :* Sed quænam fuerit Rosaliæ vivendi ratio in utroque antro, siquis exquirat, usurpare plane licebit Hieronymi verba de suo Paulo eremitarum principe : « Quo« modo in media ætate vixerit, aut quas sata« næ pertulerit insidias, nulli compertum habe« tur ». *Verumtamen idem scriptor postmodum, ubi agit de cultu* S. Rosaliæ, *nonnihil a prioribus istis verbis recedere videtur, ista scribens :* D Non adeo tamen vitam, mortem, et sepulcrum Rosaliæ occlusit Deus, ut ejus sanctitatis radii non emicarint identidem. Qua ratione id factum in Virgine, quæ ab hominum se consortio vivens sejunxerat, nos latet; sed plane factum scimus, nec miramur, cum ab admirabilis Dei consilio id profectum esse intelligamus. *Hæc ille, quia antiquum Sanctæ cultum, qui indubitatus est, negare non potest. Verum quærere liceat, quomodo cultus ille fuerit inchoatus, si nec vita solitaria* Rosaliæ, *nec mors illius ulli innotuerit? Tacet ad hanc interrogationem Salernus, nec audet ad apparitionem recurrere, quod nullum apud veteres talis apparitionis sit fundamentum.*

si sancta Solitaria prorsus fuisset incognita :

33 *Cascinus loco assignato credidit, aut certe suspicatus est, aliquid olim de* S. Rosalia *fuisse litteris consignatum : ait enim sibi ad manus non esse pauca illa, quæ subinde de Sancta fuere scripta. De antiquis scriptis haut dubie loquitur, cum paulo inferius innuat, jacturam illam contingere potuisse incendiis et conflagrationibus tabulariorum. At, si quid olim de* S. Rosalia *scriptum fuit, redit quæstio jam proposita de picturis, nimirum unde habuerint antiqui illi, quæ enarrarent de gestis* S. Rosaliæ, *si hæc prorsus incognita usque ad obitum permanserit? Idem scriptor varia narrat de* S. Rosalia, *quæ hausta affirmat ex traditione. Quæro rursum, unde oriri potuerit traditio de gestis illis, si nemo mortalium* Rosaliam *noverit, aut umquam viderit, post assumptam vitam solitariam? Imo ne parentes quidem aut consanguinei Virginis eo casu umquam scire potuerunt, quam vitam amplexa esset : ignorare etiam ipsos necesse fuit, fugissetne* Rosalia, *an infortunio quodam periisset, aut furto aut raptu esset ablata. Unde igitur enata est traditio, ex qua utcumque didicit Caietanus tempus, quo vixit Sancta, et alia plura? Tacet etiam Cascinus ad omnes hasce interrogationes, contentus suis traditionibus, picturis, gestis forsan enarratis, et demum cultu indubitato : nam religiosior fuit, quam ut sine fundamento auderet asserere, hæc omnia ex solis revelationibus ortum habuisse; quamvis ignorare non debuerit aut potuerit, nec traditiones de Sancta prorsus ignota oriri, nec cultum illius inchoari posse.* F *Hæ difficultates tam naturales sunt, ut sponte se offerant, modo quis opinionem illam de ignota prorsus* Rosalia *solum auribus percipiat.*

verum ea opinio nata est post corporis inventionem,

34 *Qua de causa, ne in tenebris ambulare cogamur, quærere ulterius lubet, unde Siculi cognoverint,* S. Rosaliam *prorsus tam in vita solitaria, quam in morte fuisse ignotam? An fortasse id Sancta ipsa cuiquam post mortem revelavit? Ad id nullo fundamento dici potest, et nemo, quod sciam, id asserere sustinuit hactenus. An quisquam in Virginis vita, aut post ipsius mortem, scire potuit* Rosaliam, *sibi ignotam æque ac ceteris, vitam duxisse soli Deo et angelis cognitam? Ridiculum esset id affirmare, cum contradictionem involvat. Unde igitur, obsecro, nata est illa opinio apud eruditos quosdam? Dicam candide, oriri non potuisse, nisi defectu rei satis consideratæ. Quippe asseverant aliqui, hanc esse traditionem Panormitanæ ecclesiæ; nec explicant, quam antiqua sit illa traditio; nec unde ortum habuerit, aut habere potuerit. Verum prorsus existimo illam traditionem non esse antiquiorem corporis inventione; et facile probabo opinionem Cascini, quam alii adoptarunt, specioso*

A *cioso illo traditionis nomine vestiri. Traditiones suo tempore de* S. Rosalia *vigentes collegit Caietanus. At ille nullibi asseruit,* Rosaliam *in solitudine sua ita vixisse incognitam, ut nullus de ea quidquam sciverit. Verba ipsa ex manuscripto Caietani accipe :* Rosalia virgo Panormi nata traditur, unaque fuisse ancillarum Margaritæ reginæ, quæ Willelmi Siciliæ regis conjux fuit, a qua proximum urbi Panormo montem, cui Peregrino nomen, dono habens, eo secessit, vitamque ab omni consortio remotam in spelunca transegit : ibi pie sancteque obiit humataque est.

et Caietano ignota fuit :

35 *Asserit quidem Caietanus sanctam* Rosaliam *in spelunca sua* vitam *duxisse* ab omni consortio remotam ; *sed non dicit omnibus hominibus fuisse incognitam. Vitam autem ab omni consortio remotam ducere poterat ; etiamsi Panormitani omnes novissent, eam ibidem habitare, eamque novissent, et subinde etiam ad speluncam Sanctæ accessissent, ut eidem necessaria ad victum procurarent, aut pia ipsius audirent monita. Neque hæc tantum consistere possunt cum* B *vita ab omni consortio remota, sed alia etiam plura. Si* S. Rosalia *diebus Dominicis et festis spelunca sua fuerit egressa, ut in monasterio aut ecclesia proxima sacrosancto Missæ Sacrificio interesset, ut leviusculas noxas sacra confessione expiaret, ut Pane eucharistico reficeretur : aut si pius presbyter statis temporibus ad speluncam ipsius venisset, ut ei memorata præstaret officia ; posset nihilominus dici vitam transegisse in spelunca sua ab omni consortio remotam : neque enim perfectioni vitæ solitariæ obsistere possunt pia illa exercitia : neque impediunt, quo minus vita talis recte dici possit ab omni consortio remota. Quare, sicut pro certo affirmare nolim,* Rosaliam *subinde egressam fuisse spelunca sua, aut aliquem in speluncam admisisse, ut sacrosanctorum mysteriorum fieret particeps ; quia idonea ad id affirmandum monumenta non habeo; ita candide profiteor, me fidem non habiturum illis, qui pia illa exercitia certo Sanctæ Anachoretidi abjudicare contendunt, nisi meliora adducant documenta, quam hactenus allata vidi, ut opinionem illam stabiliant : nam relatio Caie-* C *tani satis ostendit, ex antiquis traditionibus nihil haberi, quo probetur,* S. Rosaliam *magis fuisse solitariam, quam fuerunt multi sancti anachoretæ, qui statis temporibus ad divina mysteria accedebant.*

quin et monumentis certis, præsertim antiquissimo cultui,

36 *Jam vero, quidquid sit de exercitiis illis, de quibus nihil statui potest, nisi ex meris conjecturis, opinio illa de* Rosalia *prorsus incognita, quam præterito seculo natam, traditionibusque antiquis destitutam jam ostendi, omni etiam caret verisimilitudine. Quippe tam multa persuadent,* Rosaliam *antiquis Siculis fuisse cognitam, ut ea de re prudenter nequeat dubitari. Antiqua traditio habet,* Rosaliam *habitasse in specu montis Peregrini, atque idcirco ibidem ante plura secula, ut suo loco videbimus, ædes sacra fuit erecta cum effigie Sanctæ. Unde, quæso, nata est illa traditio, de cujus veritate nullus dubitat ? Non aliunde, opinor, quam quod* Rosalia *saltem uni aut pluribus esset cognita, qui eam post mortem omnibus notam facere potuerunt. Antiqua item traditio erat de habitatione* S. Rosaliæ *in antro Quisquinensi, quæ similem quoque originem habere debuit. Præterea cultus Sanctæ tam antiquus est in Sicilia, ut Cascinus lib. 2 cap. 19 voluerit, jam cultam fuisse tempore Guilielmi regis, et Alexandri Papæ III, id est, uno aut altero anno post mortem Sanctæ, sicut illam figit Cascinus. Non quidem certa est illa opinio Cascini, ut suo loco videbimus: at certus saltem est cultus valde antiquus, ac eodem seculo cœptus. Intelligere igitur nequeo, qua consequentia Cascinus, aliique ipsum secuti voluerint, Sanctam tam incognitam fuisse tempore vitæ solitariæ, ut ne in supremo quidem agone ullus ei adfuerit, et cultum tamen cœptum non diu post mortem. An igitur cœperunt Siculi Sanctam colere, quam nec mortuam sciebant, nec viventem noverant ? Sane explicandum imprimis fuerat, quo id demum facto contingere potuerit, aut verisimiliter contigerit. Qua de causa longe magis credibilia dicemus, si asseramus Sanctam aliquibus saltem notam fuisse, et verisimiliter etiam plerisque Panormitanis, qui, ut minimum, scire poterant* Rosaliam *in spelunca montis Peregrini degere, et deinde ibidem obiisse, licet vultum ipsius fortasse numquam viderent.*

AUCTORE J. S.

imaginibus ac verisimilitudini est contraria :

37 *Cascinus imaginibus antiquis* S. Rosaliæ *tantum tribuit, ut non modo gesta sanctæ Virginis ex earum auctoritate enarret, sed etiam ex iis de externa specie et vestitu sanctæ nostræ* E *Anachoretidis disserat lib. 2 cap. 21. Modum illum disputandi non improbo, si supponere velimus Sanctum tempore anachoreseos suæ cognitam et subinde visam fuisse, saltem ab aliquibus, qui de vestibus, statura et vultu ipsius pictorem utcumque potuerint instruere. Verum rursus non capio, quo demum modo Cascinus scribere potuerit, tabulam Marturanensem, quia ceteris antiquior est, existimandam esse omnium* maxime similem *Sanctæ, si existimaverit Anachoretidem nostram a nullo umquam homine fuisse visam aut cognitam, postquam in puellari ætate domum paternam deseruerat. Credit tabulam illam ab anno 1257 fuisse pictam. Supponamus etiam, per me licet, statim fuisse pictam, ubi mors Sanctæ innotuerat. An idcirco pictor vestes numquam visas recte potuit exprimere ? An vultum numquam ab aliquo visum (nisi forsan in puellari ætate, quod ne quidem dici potest satis certo) apte delineare poterat, aut staturam numquam oculis subjectam exacte repræsentare ? Vides, opinor, lector quam male cohæreant collectiones et asserta multa eruditi Cascini cum* F *opinione illa de* Rosalia *prorsus ignota, quæ in Opere ipsius sic legitur, ut merito dubitare possimus, an illam ipse asseruerit, aut saltem an firmus in ea opinione perstiterit. At, quidquid sit de mente Cascini, magna copia antiquarum imaginum, plures ecclesiæ per Siciliam sparsæ, cultusque tam antiquus et late propagatus, qualem infra videbimus, luculenter insinuant, Sanctam tam in vita, quam brevi post mortem, satis notam fuisse et celebrem. Plura adduci possunt argumenta, quibus dicta confirmentur. At satis erit unam adjicere observationem.* Panormo, *inquit Salernus in Inventione corporis,* duobus vix passuum millibus dissitus mons Peregridus, *in cujus spelunca vixit et defuncta est* S. Rosalia. *Quis igitur sine idoneis antiquorum testimoniis credat, aut prudenter credere possit, in tanta propinquitate urbis celeberrimæ sic latuisse* Rosaliam, *ut a nemine fuerit deprehensa agnitaque ?*

rationes pro illa opinione allatæ

38 *Gravia ad credendam rem tam insolitam et inusitatam requiruntur argumenta, et manifesta indicia. At nihil assertur a Cascino et Salerno*

AUCTORE J. S.

lerno præter leves quasdam conjecturas. Audiamus Salernum in Vita : Fuerunt anachoretæ, *inquit*, qui aliquem agendi modum cum hominibus admitterent ; sed alii arctius vitæ genus sequuti, ita ab humana se societate secreverunt, ut soli viverent Deo, in specus vel semper, vel ut plurimum inclusi. Ad hunc vero perfectionis apicem, qui humanæ mentis obtutum fugit, Rosaliam conscendisse necesse fuit : neque enim nobilis Puella in paternis, vel patriæ urbi proximis agris versari potuisset, quin agnosceretur : nec semel agnitæ licuisset vitam ibi agrestem ducere, temporum injuriis, bestiarum ferocitati, latronum nequissimorumque hominum insidiis expositam. Quare prudenter factum arbitror, ut in sua illa epigraphe non scripserit Rosalia, In hac eremo, aut, In hoc monte; sed In hoc antro se habitaturam insculpserit. *Hactenus Salernus, qui hoc argumentum mutuatus est ex Cascino lib. 2 cap. 12. Verum non tam graviter urget hæc ratio, ut in comparationem adduci possit cum rationibus pro sententia opposita jam allatis ; et si quid omnino pro-*
B *baret, solum evinceret,* Rosaliam *verisimiliter fuisse incognitam initio vitæ solitariæ, quamdiu periculum erat, ne retraheretur a parentibus. At cum illa ratio multa incerta tamquam certa supponat; ne quidem evincit, primam Virginis fugam tam clandestinam fuisse, ut nulli innotuerit: imo ex illo argumento nequit certo inferri,* Rosaliam *clanculum et invitis consanguineis ad vitam solitariam abivisse.*

multa incerta supponunt,

39 *Quam multa sint incerta, quæ tamquam certa in objectione supponuntur, primum accipe. Supponitur in tenella ætate fuisse* Rosalia, *dum aggressa est vitam anachoreticam. At tenera illa Virginis ætas nullo instrumento antiquo, aut argumento idoneo probari poterit, ideoque plane est incerta. Secundo supponitur, Virginem recta ex paterna domo aut palatio regio se in desertum contulisse, priusquam exercitata esset in vita monastica. At id rursus incertum est, ut patebit, ubi hæc controversia examinabitur inferius. Tertio supponitur, vixisse parentes Virginis, aut saltem alios, qui idem jus haberent in Virginem, quando hæc elegit vitam solitariam. Id æque est incertum, cum* Rosalia *eo tempore po-*
C *tuerit esse orbata parentibus, eaque esse ætate, ut tutorum juri non subesset, aut potius tutores non haberet. Quarto supponitur,* Rosaliam *in speluncis suis fuisse obnoxiam multis periculis, tam a bestiarum ferocitate, quam malorum hominum insidiis. At ne illa quidem pericula satis sunt certa; præsertim si notam fuisse Virginis speluncam existimemus : nam hæc ita potuit occludi, ut bestiis nullus pateret accessus. Cum autem prior spelunca esset in agro paterno, altera non longe Panormo dissita; satis item occludi poterat contra perversos homines, a quibus minus erat timendum, quia pauper Anachoretis nihil in antro suo habebat, quod cupiditatem latronum excitare poterat. Itaque omnia fere, quæ Salernus ut certa assumit, prorsus sunt incerta. Si tamen certa existimarentur; ne sic quidem evincerent aliud, quam* Rosaliam *fuisse ignotam consanguineis satis, et aliis omnibus, a quibus prodi potuisset; non vero probarent, nulli prorsus mortalium fuisse cognitam.*

et ne vel sic quidem evincunt, quod quæritur,

40 *Supponamus tantisper certum esse (licet non modo incertum, sed minus quoque probabile apparet) fugisse* Rosaliam *invitis ac ignorantibus parentibus, consanguineis, omnibusque demum hominibus, per quos Virginis consilium* D
erumpere poterat, ne agnita domum retraheretur. Cur Virgo nobilis non poterat habere fidam ancillulam, cui consilium suum probaverat, quamque beneficiis suis ad silendum obstrinxerat, ut hæc in antro latenti necessaria ad tenuem victum afferret clanculum? Sane, si credamus Rosaliam *in agro paterno latuisse, ejusmodi servitium videtur fuisse utcumque necessarium : neque enim in spelunca invenit, quibus vitam sustentaret : nec spelunca egredi poterat sine periculo, ne brevi agnosceretur. Deinde, licet quoque credere vellemus incognitam prorsus fuisse initio vitæ solitariæ, cur latebræ illæ tandem erumpere non poterant, sanctaque Anachoretis casu quodam vicinis hominibus innotescere? Profecto si consideremus, Virginem sanctam, quæ in antro Quisquinensi vitam traducere proposuerat, ex hoo deinde in aliud migrasse; non inveniemus rationem aliam probabiliorem, quam quod Sancta magis, quam vellet, innotuisset in specu priore; ideoque aliam quæsiverit, ubi magis lateret, et securius divina contemplaretur. Itaque ex clandestina* Rosaliæ *fuga, licet certa esset, pri-* E
mo nequit probari, omnino incognitam fuisse, aut nullius admisisse servitium. Secundo, etsi initio fugæ plane fuisset ignota omnibus, necsequeretur, semper incognitam mansisse. Contra vero, antri mutatio insinuat, non mansisse incognitam in priore antro : et traditio antiqua de ipsius habitatione in isto antro plane ostendit, non fuisse ibidem omnino incognitam. De antro montis Peregrini res non minus videtur clara, cum antiquorum traditio de habitatione Rosaliæ *in illo antro ad posteros pervenerit, et Caietanus scripserit, montem Peregrinum a Margarita regina donatum fuisse* Rosaliæ, *ut eo secederet.*

ac Caietano et antiquæ traditioni repugnant.

41 *Fateor quidem æque incertum, ac multa alia incerta sunt, videri posse, an* Rosalia *montem Peregrinum acceperit a Margarita regina. At non video, cur eruditi Siculi, qui Caietani auctoritatem maximi facere solent, id rejecturi sint tamquam certo falsum. Verum, etsi id quoque ipsis liberaliter dare vellem, certe agnoscere debebunt, Caietanum id scribere non potuisse, si credidisset* Rosaliam *clandestina fuga aulam deseruisse, et semper latuisse incognitam : neque* F
enim regina locum donare poterat Rosaliæ, *si ignorabat, ubi lateret : si ne quidem sciebat, viveretne, an mortua esset. Itaque Caietanus existimavit, consilium* Rosaliæ *fuisse notum saltem reginæ. Imo ex ejusdem sententia nec Panormitanis erat ignotum : nam donatio talis loci, qualis est mons Peregrinus, latere non poterat, præsertim si fieret per reginam. Quæ de causa, cum dicat Caietanus,* Quæ de diva Rosalea scribimus, ex fama et seniorum traditione accepimus; *idque de Caietano profiteantur et sæpe inculcent Cascinus, Salernus aliique sententiæ nostræ oppositi : necesse est, ut etiam fateantur patroni clandestinæ fugæ* S. Rosaliæ, *non modo auctoritatem Caietani, sed et antiquam traditionem novellæ opinioni suæ esse contrariam ; eamque non modo destitutam esse omni testimonio antiquorum; sed omnibus monumentis antiquis, videlicet traditionibus, picturis, et cultu antiquo prorsus reddi improbabilem. Quin imo, si utriusque antri situm mature expendamus, non improbabile videbitur, sacellum aliquod prope Virginis specum fuisse, in quo divina mysteria in gratiam ipsius celebrarentur, ne egredi spelunca sua cogeretur*

A *geretur. Poterat id fieri in paterno agro Quisquinensi; poterat etiam in monte Peregrino, si hic Virgini donatus est a regina. Quod autem Sancta sculpserit,* In hoc antro, *non vero* in hac eremo *aut* in h c monte, *se habitare decrevisse; nullo modo favet clandestinæ fugæ; at utcumque insinuat, non fuisse solitam antro suo egredi, sed ibi constanter in vita solitaria permanere.*

Incertum est, an subinde hominibus se ostenderit Virgo:

42 *Hæc, erudite lector, diligenter disputanda censui, nihil de ceteris omnibus certi statuere intendens, nisi illud unicum, quod sancta Anachoretis non sic omnibus hominibus incognita in specu sua vixerit, ut nullus eam sciret vivere. Verisimile quoque apparet, nomen ipsius, famam et habitationem in specu passim fuisse nota vicinis, et maxime Panormitanis; at non æque id certum. Sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis usam fuisse Sanctam, et sacro Missæ sacrificio assistere solitam tempore vitæ solitariæ, mihi prorsus persuadeo; at omnino incertum, an spelunca sua in hunc finem soleret egredi; an vero hæc officia ante speluncam in sacello aliquo, aut in parte* B *speluncæ ad eum usum destinata peragerentur. Æque incertum, an accedentibus pia monita dederit; an vero neminem alloqui voluerit, ut sola cœlestia meditaretur. De hisce, quæ incerta dixi, nihil ex antiquis monumentis probari potest, aut improbari. Scriptores non pauci aliter de iis locuti sunt, et contenderunt varia esse certa, quæ ego inter incerta reposui. Non pauci item prioribus scripserunt contraria; eaque similiter pro certis tradiderunt. At nostri instituti est, nihil pro certo habere, nisi idoneis probari possit documentis; nihil item ut certo falsum rejicere, nisi certa appareant falsitatis indicia: atque ab hoc instituto recedere non licet.*

ex dictis statuitur de auctoritate imaginum Sanctæ.

43 *Porro ex dictis statuendum est de auctoritate imaginibus* S. Rosaliæ *tribuenda. Nullam illis auctoritatem attribuere possem, si assentirer iis, qui volunt* S. Rosaliam *prorsus fuisse incognitam, quia secundum illam opinionem pictores nihil scivissent de Sanctæ gestis, et consequenter pinxissent meditationes suas, seu ea solum penicillo expressissent, quæ ipsi fuissent commenti ut sanctæ Anachoretidi congrua. Verum cum illa sententia mihi improbabilis appareat, atque omni* C *no existimem nonnulla Sanctæ gesta innotescere potuisse, eam picturis* S. Rosaliæ *negare nolim auctoritatem, quam picturis aliorum Sanctorum attribuimus. Tanta autem auctoritas non solet dari picturis, quanta Vitæ conscriptæ a coævo auctore aut suppare, cum pictores nimiam sumant licentiam, et sæpe, ubi nihil habent certi, incerta audacter penicillo exprimant. Ceterum tantò major fides imaginibus debetur, quanto vetustiores sunt, et ætati Sanctæ propinquiores, præsertim si repræsentent facta historica. Si vero ea repræsententur, quæ non solent hominum oculis patere, qualia sunt officia angelorum et Sanctorum; non satis firmum illæ imagines præbent fundamentum, quo credamus, omnia peracta esse, sicuti oculis objiciuntur; sed plerumque pro allegoriis haberi debent. Ex antris demum et situ corporis inventi nonnulla collegit Cascinus, eaque suis locis examinabimus. Hactenus de monumentis valde ambiguis, ex quibus gesta* S. Rosaliæ *utcumque colligi possunt.*

§ V. Disceptatur inter Siculos, an Sancta professa sit vitam monasticam, priusquam exorsa est vitam anachoreticam.

Alii volunt Sanctam clandestina fuga ad eremum delatam, ibique mansisse ignotam;

V*itam eremiticam seu anachoreticam duxit* S. Rosalia, *uti habet antiqua traditio, atque omnes omnino scriptores sine controversia admittunt. Verum, cum prorsus obscurum sit et incertum, quo tempore, quoto ætatis anno, qua occasione ac quo demum modo vitam solitariam amplexa sit Virgo: cumque de gestis ipsius anterioribus nihil satis exploratum habeamus aut certum; de hisce omnibus in varias conjecturas abierunt auctores. Multi contendunt,* Rosaliam *fuga clandestina ex ædibus paternis vel ex aula regia se proripuisse, nullo mortalium conscio, atque ita ad speluncam primam, in qua vitam solitariam ordiretur, fuisse delatam.* E *Volunt iidem Sanctam toto solitariæ vitæ tempore latuisse incognitam, et ductu solius angeli a prima spelunca ad alteram fuisse translatam; ac ne mortis quidem tempore ulli innotuisse. Primus hujusce opinionis auctor videtur esse Cascinus ante laudatus, qui eam ex antiquis picturis hausit per conjecturas varias. Cascini auctoritatem secuti sunt alii scriptores multi, ita ut hæc opinio plures aliis omnibus patronos habere videatur, et passim magis invaluerit. Verum jam examinavi ex parte opinionem illam § præcedenti, ac refutavi eatenus saltem, quod ostenderim Sanctam in solitudine sua non fuisse prorsus incognitam.*

alii credunt in spelunca sua non fuisse omnino incognitam;

45 *Altera sententia est,* Rosaliam *quidem duxisse vitam solitariam in antris et speluncis; at non ita absconditam omnibus, ut nemini prorsus esset cognita, Dubitare nequeo, quin hæc sententia fuerit Octavii Caietani, qui gesta* S. Rosaliæ *ex traditionibus breviter enarravit, quantum pro documentorum penuria potuit. Verba ipsius ex Ms. exemplari dedi num. 34. Pro eadem sententia citari potest Officium proprium* S. F Rosaliæ, *a summo Pontifice Benedicto XIII pro toto Siciliæ regno approbatum. Nam licet in illo Officio clandestina fuga e domo paterna asseri videatur: nullibi tamen in eo asseritur, fugisse Virginem, nemine conscio; ac deinde semper omnibus incognitam in ipsa etiam morte mansisse. Quin potius insinuat, non fuisse omnino ignotam, cum ita habeat:* Callidas dæmonum insidias... acriter sæviendo in se ferrea catena, vigiliis et humi cubatione forti animo superasse, antiquæ icones significant. *Nam auctor Officii antiquis iconibus auctoritatem tribuere non poterat aut debebat, nisi credidisset pictoribus illarum iconum de gestis* S. Rosaliæ *nonnulla innotuisse. Plures alios patronos habuit hæc sententia jam a tempore Cascini et Caietani, tantoque videtur priori opinione probabilior, quanto est antiquior, et cultui antiquo conformior, ut antea fusius probavi.*

alii existimant prius monialem fuisse, deinde solitariam:

46 *Tertia sententia, quæ etiam videtur Cascino antiquior, est eorum, qui existimant* S. Rosaliam *per vitam monasticam cœpisse, atque ex monastica vita ad anachoreticam esse progressam, sicut fecerunt alii Sancti Sanctæque complures,*

AUCTORE J. S.

plures, qui legitima superiorum suorum auctoritate e monasterio ad eremum, aut ad cellam aliquam discedebant, ut ibidem vitam ducerent solitariam, et cœlestia contemplarentur. Sententiam hanc ipso Cascino antiquiorem esse, probant verba ipsius lib. 2 *cap.* 7, *ubi Italice scribit, quæ reddo Latine :* Unde magis miror aliquem credidisse de nobilissima virgine Rosalia, *eam nimirum bona suorum venia ad solitudinem abiisse, et ita depictam fuisse, acsi suis valedixisset*, præsentibus rege, regina et archiepiscopo Panormitano, *subditque :* Et, quod pejus est, dictum est, sed sine auctoritate aut probabilitate, eam reliquisse monasterium, et in solitudinem abivisse. *Reprobat quidem Cascinus, si hoc loco interpolatus non est, opinionem de monastica Sanctæ vita, uti eadem improbatur aliis locis ejusdem Operis ; aitque assertam esse* sine auctoritate aut probabilitate: *at vel sic ostendit, eam suo tempore jam fuisse, imo et opinione sua de* Rosalia *plane ignota antiquiorem esse, præsertim si addamus verba ipsius de opinione incolarum Montis Regalis cap.* 9 *pag.* 206, *ubi agnoscit, argumentum aliquod iis suppetere, quo credunt* S. Rosaliam *etiam habitasse prope Montem Regalem, quoniam ostendunt vicinam plagam a* S. Rosalia *nomen antiquitus habere, et inferius esse aquam copiosam, quæ nomen habet* a monacha. *Addit deinde, illos existimare* monacham *illam et* Rosaliam *esse eamdem Sanctam. Hi certe existimarunt, monacham fuisse* S. Rosaliam, *priusquam Cascinus ex meris conjecturis illam opinionem assereret, quod* Rosalia *plane fuisset incognita. Quin eodem rursum teste lib.* 2 *cap.* I *pag.* 163, *nonnulli affirmarunt* S. Rosaliam *non esse distinctam a* Rosalia *abbatissa, quæ floruit initio seculi* XIII, *seu tempore Frederici II imperatoris. Rejicit opinionem utrorumque Cascinus sine multa disputatione ; at ideo negare non potuit opinionem de vita monastica* S. Rosaliæ *antiquam esse. Hæc autem illius opinionis antiquitas magis patebit ex picturis antiquis, de quibus infra agemus.*

ex his alius Benedictino, alius Basiliano Ordini Sanctam attribuit:

47 *Porro* S. Rosaliam *scriptis Opusculis Ordini suo Benedictino asserere conatus est Petrus Antonius Tornamira, Siculus Congregationis Casinensis. Edidit is anno* 1668 *Opusculum Italico sermone scriptum, cui titulus est :* Idea conjecturalis de vita S. Rosaliæ virginis Panormitanæ, monachæ et anachoretidis Ordinis patriarchæ S. Benedicti. *Non videtur opinio in illo libello asserta multos invenisse patronos, sed potius neglecta fuisse. Idem tamen auctor anno* 1670 *alium edidit libellum, in quo prædictam sententiam novis aliquot argumentis probare conatus est ; at ne vel sic quidem multos invenit sibi consentientes. Et sane scriptor ille multo plura intrepide affirmat, quam probat aut probare potuit. Nonnulla tamen adduxit argumenta, quæ de vita monastica* S. Rosaliæ *suspicionem movent, etsi clare non evincant monacham fuisse, nedum Benedictini Ordinis. Nullus eo tempore memoratos libellos conatus est refutare, quod sciam : at constat,* Rosaliam *passim non fuisse agnitam pro Benedictina. Verum circa initium hujus seculi conscriptus est libellus sub fictitio nomine Demetrii Roscovizzi, quo* S. Rosalia *asseritur Ordini S. Basilii. Titulus Opusculi Italici est :* Breves rationes, quibus datur notitia de habitu S. Rosaliæ virginis anachoretidis Panormitanæ. *Opusculum hoc vehementem excitavit æmulationem quorumdam, qui existimarunt aliquid detractum iri gloriæ* S. Rosaliæ, *si crederetur per vitam monasticam gradum fecisse ad anachoreticam.*

hinc acris controversia nata, variique libelli scripti.

48 *Hac de causa anno* 1701 *prodiit alius libellus sub nomine Andreæ Perrucci, qui oppositam sententiam tuetur, et refutare conatur rationes pro vita monastica Basiliana* S. Rosaliæ *in dicto Opusculo allegatas. Dissimulare nequeo scriptorem hunc non eadem uti moderatione in disputando, qua usus fuerat prior ; majorique acrimonia quam rationum pondere contra adversarium suum agere. Respondit huic Opusculo auctor prioris aut ipsius vindex sub nomine Cornelii Dextri : at istud Opusculum ad manus meas non pervenit. Porro anno* 1703 *alter contra monasticam* S. Rosaliæ *professionem libellus fictitio Jacobi Calafati nomine est editus, sive ab eodem, sive ab alio auctore, quod scire nihil attinet. Certe in toto illo libello, studiose cum aliis perlecto, plus acerbitatis quam solidæ rationis inveni. Hæc utriusque Opusculi acrimonia excitasse videtur auctorem primi libelli, seu vindicem professionis monasticæ* S. Rosaliæ, *ut acrius item responderet adversario, ejusque jactantiam salibus quibusdam aspergeret. Itaque eodem anno* 1703 *edidit libellum nomine rursum fictitio Joannis Rossi, eique Italice titulum fecit,* Ceroto Specifico *etc. Ad hunc demum libellum responsum est ab anonymo, qui idem verisimiliter est cum fictitio Calafato. Titulus Italici hujus libelli est* Responsio generica *etc. Auctor autem in præfatione conqueritur de acrimonia sui adversarii, suamque commendat in scribendo modestiam. Verum si quis sine præjudicio, ac sine amore aut odio, libellos utrimque scriptos diligenter pervolverit, sicuti mihi fuerunt perlegendi, facile videbit, utrimque nimis acriter disputatum esse. Controversia tamen longius progressa non videtur, silente utraque parte, nisi quod Mancusus anno* 1721 *in Historia* S. Rosaliæ *asserere conetur monacham non fuisse.*

Edictum antistitis Panormitani

49 *Anno* 1701, *die* X *Januarii, illustrissimus dominus Ferdinandus de Bazan edictum edidit, quod deinde impressum, et variis libellis insertum est, ut fidem detraheret fabulis, quæ de* S. Rosalia *spargebantur. Mens hujusce antistitis non omnino clare exposita est, nec satis liquet, quid edicto suo prohibitum voluerit, ideoque verba ipsa juvabit subjungere :* Quia apud nonnullos præsertim Ordinum Regularium, eo devotionis fervor erga D. Rosaliam Virginem Panormitanam devenit, ut etiam asseruerint, nunc D. Rosaliam S. Basilii magni Ordinem professam, monasteriumque sanctissimi Salvatoris hujus Urbis Panormi incoluisse, ibique multa gessisse; nunc Ordinem S. Benedicti, ac etiam D. Augustini : et ex vita cœnobitica in eremum secessisse; præterquam quod alii etiam Ordines habitu suæ Religionis, præsertim in processionibus, et altaribus eam insigniverint, multaque alia apochrypha, et vana effutiunt, et disseminant, quæ omnia tum antiquæ traditioni non consonant, tum Officio ejusdem Divæ, et Missæ a sacra Congregatione approbatis, Romanoque Martyrologio adversatur, ac vitæ eremiticæ splendorem, et præstantiam, quam scriptores extollunt, contemplativique suspiciunt demiranturque obnubilant.

de spectantibus ad S. Rosaliam,

50 Ideo illustrissimus, et reverendissimus dominus meus D. Ferdinandus de Bazan archiepiscopus Panormitanus, ne quid admirabilis vitæ divæ Rosaliæ gestis, quæ juxta communem sensum

A sensum sunt recepta, detrahatur, vel temere adjiciatur, neve in futurum aliquid ponderis habeant; vigore præsentis actus ordinat, providet, et mandat, ut omnia gesta, acta, et inventa (præter ea, quæ ex Officio, et Martyrologio nobis innotescunt) eorumque relationes, historiæ, et quæcumque scripta typis data, vel edenda, aut calamo exarata, vel describenda, nec non et imagines ab anno MDCXXV impressæ, vel quovis modo depictæ, aut fabrefactæ in templis, aliisve in locis expositæ, et in posterum exponendæ, quæ supradicta respective affirmant et exprimunt, sint nullius roboris et firmitatis; nullumque effectum in veritatis, et antiquæ traditionis præjudicium parere debeant et possint: sed, (donec aliter rite, et jure declaretur,) divam Rosaliam eremiticam tantum vitam duxisse, ac paternæ domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis, ob propinquitatem, et benevolentiam regum Siciliæ, contemptas cum tetricæ rupis horrore, et asperitate commutasse, et pro Christi amore paternum principatum, aulamque profugientem in montibus, ac speluncis solitariam, cœlestem vitam duxisse, e regalibus B scilicet mundi deliciis in Quisquinæ et Peregrini montium solitudinem se transtulisse, prout ex Officio et Missa, ut supra, approbatis, et Martyrologio Romano constat, omnino existimandum, et in posterum asserendum, sub pœnis arbitrio Dom. suæ illustrissimæ et reverendissimæ infligendis; quod, ut apud omnes innotescat, dictus illustrissimus et reverendissimus dominus edictum etiam fieri mandavit. Unde etc.

quod est obscurius.

51 *Ordinat illustrissimus dominus, ut omnia, quæ de* S. Rosalia *scripta vel impressa sunt* (præter ea, quæ ex Officio et Martyrologio nobis innotescunt) .... sunt nullius roboris et firmitatis *etc. Itaque, si hæc verba in rigore exponenda sunt, quæcumque Caietanus, Cascinus, Auria, aliique scriptores edicto antiquiores, de* S. Rosalia *scripserunt, nisi adoptata fuerint in* Officio *aut* Martyrologio, *tamquam* nullius roboris *sunt rejicienda. Secundo cum omnia etiam* edenda.... vel describenda *declarentur* nullius roboris, *fides detraheretur plurimis miraculis, quæ de* S. Rosalia C *narrantur a Mancuso aliisque, quia Martyrologio Romano aut Officio non sunt inserta. Verum (etsi verba talem sensum insinuant, si rigide sumantur) nequaquam probabile est aut credibile, illam fuisse mentem antistitis, cum scripta Caietani et Cascini semper magni fecerint Siculi; cumque Mancusus, licet partem edicti proferat in præfatione sua, plurima scripserit de* S. Rosalia, *nec Officio nec Martyrologio inserta. Quapropter verisimile est, antistitem tantum voluisse monere subditos suos, ne faciles præberent aures iis omnibus, quæ eo tempore de* S. Rosalia *scribebantur, et solum ut certam crederent* vitam *illius* eremiticam, *ceteraque in lectionibus Officii aut in Martyrologio asserta. Verum quidquid sit de mente antistitis Panormitani, controversia, quade agimus, magis agitata post illud edictum, quam umquam antea.*

§ VI. Rationes, quæ contra monasticam vitam S. Rosaliæ asseruntur.

Disputatio de vita Sanctæ monastica admodum est ambigua:

Quanto diutius et studiosius examinavi libellos pro vita monastica S. Rosaliæ *asserenda exaratos, aut scriptos ad illam oppugnandam, tanto magis de illa re dubitare cœpi, tantoque clarius perspexi, de incerta illa controversia nihil certi posse statui. Rationes quidem variæ ab utraque litigantium parte afferuntur; sed nullæ tam efficaces sunt, ut omnem eximant dubitationem. Præter libellos impressos accesserunt dissertationes manuscriptæ, a viris eruditis compositæ nobisque transmissæ. Pro monastica professione disseruit P. Hieronymus Justiniani Societatis Jesu pari eruditione et modestia, sententiam suam nostro judicio submittens. Scripta Justiniani ad nos missa vidit in Sicilia eruditus canonicus Panormitanus, Antoninus Mongitorius, libris* E *editis notissimus, qui miram eruditionem et magnam in colligendis monumentis de* S. Rosalia *industriam P. Justiniani agnoscit et prædicat: at sententiam illius improbat et refutare conatur missa ad nos dissertatione Ms., cui et alteram adjunxit ad refutandam sententiam Tornamiræ, qui* Rosaliam *Benedictinis attribuit, cum Justinianus pugnet pro Basilianis. Porro cum Mongitorius et Justinianus quæstionem longe rectius multoque modestius tractaverint, quam præcedentes, quorum Opuscula sunt impressa; horum præcipue rationes allegabo, quanta possum brevitate; addam tamen, quæ apud alios occurrent notatu digna, quæque ipse pro alterutra parte invenire potuero.*

primum argumentum contra vitam monasticam ex traditione petitum:

53 *Primum argumentum Mongitorii desumitur a traditione ecclesiæ Panormitanæ, cui repugnare contendit opinionem de monastica vita* S. Rosaliæ, *uti etiam voluerunt omnes alii ejusdem cum eo sententiæ patroni. Probationem sumit ex Cascino, qui lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 299 *ita habet:* Quemadmodum constantissima fuit traditio de S. Rosalia, quod fuerit solitaria; sic nulla umquam F fuit traditio, nec ullum umquam verbum auditum est de ipsius habitu, vel quod fuerit monacha alicujus religionis. *Idem lib.* 2 *cap.* 1 *pag.* 164 *sic loquitur:* Quia illa non fuit monacha, sed solitaria, et (sicut dicemus) una ex anachoretidibus illis maxime abditis, de quarum personis pauca possunt innotescere, nisi per aliquam dispositionem divinam; quod si monacha fuisset, religiosi illius Ordinis, cui fuerat adscripta, ipsius rationem habuissent; et tamen in nullo Ordine ipsius habetur memoria. *Hæc ultima verba novum suggerunt argumentum. Addit hisce Mongitorius auctoritatem Vincentii Auria, qui in Vita* S. Rosaliæ *pag.* 54 *affirmat, constantissimam esse traditionem, nihil sciri de Sanctæ habitu aut vita monastica, sed solum de vita eremitica. Ad hoc argumentum tam Basiliani quam Benedictini instituti defensores respondent, in Ordinibus istis antiquam esse traditionem de* S. Rosaliæ, *olim sui Ordinis alumna. Proferunt etiam inscriptiones aliaque, quibus eam traditionem probare nituntur. Verum nihil hactenus vidi prolatum, quod corporis inventione sit antiquius, aut certe nihil, quo probare*

AUCTORE J. S.

bare possunt, traditionem de S. Rosalia *in suo Ordine fuisse ante corporis inventionem. Alio igitur modo ad istud argumentum respondendum est.*

quid primo ad illud responderi possit,

54 *Supponamus tantisper initio seculi* XVII *ante corpus inventum, seu quando scribebat Octavius Caietanus, nullam viguisse traditionem de monastica vita* S. Rosaliæ, *quemadmodum Caietanus de illa traditione nihil memoravit. Nonne responderi potest, nullam quoque eo tempore superfuisse traditionem de regia stirpe* S. Rosaliæ, *quam solum ex inventa inscriptione Quisquinensi collegerunt eruditi Siculi? Nam quid in Opere Caietani impresso legitur de* nobili genere, quod regiam familiam propinquitate attingeret, *in Caietani Ms. non habetur, sed de familia* S. Rosaliæ *ibidem dixit :* Plerisque Rosa Lea creditur, dicta, quod ex Lea familia fuerit. *Si igitur eruditi familiam regiam* S. Rosaliæ, *etiamsi nulla tempore Caietani de ea vigerèt traditio, certam tamen credunt ex inscriptione Quisquinensi; cur vitam monasticam, si certo aut probabiliter hauriri* B *possit ex monumentis inventis, defectu traditionis tempore Caietani vigentis omnino negandam existimant? Potuitne stirps regia sine ope traditionis antiquæ certo probari : vita vero monastica ne probabiliter quidem, nisi illa traditio accesserit? Id sane non existimabit, qui omnia sine præjudicio ei pari crisi examinare voluerit. Itaque non esset omnino neganda professio monastica* S. Rosaliæ, *etiamsi ita prorsus destituta esset antiqua traditione, quemadmodum destitutum fuit genus regium. At magna etiam hic est disparitas : nam vita monastica nec est contra antiquam traditionem, nec omnino antiqua traditione destituitur, ut facile probari potest; si consideremus, non quid in hominum memoria conservatum esset tempore Caietani, sed quid insinuetur antiquis monumentis, ex quibus antiquam traditionem maxime discimus.*

quid rectius secundo, exponitur.

55 *Nullam fuisse traditionem contra monasticum institutum* S. Rosaliæ, *satis patet, quia vigebat solum traditio de solitaria Sanctæ vita, quæ frequenter inchoatur post monasticam. Negat quidem Cascinus vitam monasticam, sed nullum pro opinione sua laudat auctorem : asserit traditionem non haberi de vita monastica; at nullibi* C *quoque affirmat, nec vere affirmare potuit, traditionem haberi de inchoata vita solitaria per fugam clandestinam, aut sine prævia vita monastica. Clandestinam illam fugam ex levibus conjecturis asseruit Cascinus sine traditione, sine ullo auctore prævio; nec tamen conquesti sunt Siculi, factum tam extraordinarium sine traditione affirmari. Cur itaque conqueri magis possunt, alios assignare viam magis ordinariam, magisque probatam, qua vita eremitica solet inchoari? Porro, ut jam monui, vita monastica* S. Rosaliæ *non videtur antiqua traditione carere : nam illius defensores merito dicere possunt, traditionem illam insinuari per plures imagines, partim a Cascino memoratas, partim a Tornamira, in quibus Sancta expressa cernitur, monastico habitu induta. Etenim, cum gesta* S. Rosaliæ *maxime fuerint colligenda ex antiquis imaginibus, uti Cascinus fatetur; imagines seculi* XIII, *et seculorum sequentium ante inventionem corporis, magis ostendunt, qualis sit antiqua traditio de* Rosalia, *quam illam nobis docere possint variæ Siculorum opiniones, quæ demum seculo* XVII *natæ sunt ex conjecturis Cascini. Conjecturæ enim Cascini ob eruditionem et auctoritatem viri præclari placere quidem potuerunt Siculis, uti* D *revera plerisque placuerunt; at idcirco necdum vim habere possunt antiquæ traditionis, nisi quatenus antiquæ traditioni conformes reperiuntur. Imagines vero antiquæ, quia veterum scriptorum defectum utcumque supplent, antiquam de* S. Rosalia *traditionem maxime docent. Liceat igitur concludere, vitam monasticam non repugnare antiquæ traditioni ecclesiæ Panormitanæ, sed solum opinioni Cascini a multis approbatæ, et communiori apud Siculos.*

Cascinus opinionem de vita monastica

56 *Jam vero si quis mentem Cascini accuratius investigare voluerit, facile deprehendet, ipsum de vita monastica* S. Rosaliæ *saltem dubitasse, et forsan editori Operis potius quam Cascino attribuendos esse locos istos, in quibus vita Sanctæ monastica durius negatur. Quippe lib. 2 cap. 21, ubi agit de externa effigie et habitu* S. Rosaliæ, *omnibus aliis picturis præfert imaginem Marturanensem ad formam Sanctæ utcumque investigandam : et mox pag.* 311 *vestes religiosas eidem imagini attribuit, uti et aliis duabus. Deinde pag.* 312 *quærere incipit, utrum vestitus, illa imagine expressus, magis faveat Benedictinis, an Basilianis, totque accumulat* E *rationes pro utroque Ordine, ut credi possit, Cascinum suspicatum esse* S. Rosaliam *ex alterutro Ordine ad eremum se contulisse, præsertim cum non ignoraverit institutum illud anachoreticum, ad quod pervenitur post vitam monasticam; sed de illis anachoretis scribat cap.* 10 *pag.* 211. *Pro Benedictinis autem allegat benevolentiam comitum Marsorum et regum Siciliæ erga Benedictinos, conditaque hisce cœnobia. Tum loquens de monasterio Panormitano,* de Eremitis *dicto, ita concludit :* Omni modo erat monasterium, ut credo, Benedictinum, et fundatum a tempore S. Gregorii, sanctorum virorum schola, ac eo tempore a rege Rogerio instauratum; ac vicinia sua apud aulam, exemploque istorum Patrum poterat virginem Rosaliam ad illam professionem invitare, maxime eremitarum nomine, cujus erat tam studiosa. *Hæc verba non videntur esse viri eruditi, qui sententiam de vita monastica* S. Rosaliæ *repudiat ut prorsus improbabilem; ideoque credi potest, absolute repudiatam non esse a* F *Cascino.*

non videtur repudiasse ut certo falsam,

57 *Hanc suspicionem auget disputatio ipsius, quæ pro Basilianis mox sequitur. Observat primo Basilianos item habuisse monasterium regio palatio vicinum, aliaque multa in Sicilia tam virorum quam mulierum : atque ex ea observatione recte infert, perperam disseruisse eos, qui negaverant tempore* S. Rosaliæ *Basiliana fuisse monasteria in Sicilia, ut dicerent habitum Benedictinum gestatum fuisse a Sancta. Observat secundo prope Basilianum monasterium, quod dicebatur* S. Maria la Grotta, *multas fuisse speluncas, in quibus habitaverant antiqui Christiani tempore persecutionis. Deinde ita pergit :* Hac de causa poterat memoratum monasterium esse gratum S. Rosaliæ, priusquam ad eremum abiret, cum ob venerabilem memoriam antiquorum Christianorum, tum ob virtutem religiosorum Basilianorum, qui illud incolebant, eique esse poterant vitæ spiritualis magistri. *Adducit quoque apparitionem* S. Rosaliæ *in istius monasterii ecclesia aitque ideo verisimiliter in illa potius ecclesia quam in alia apparuisse, quod ibidem prima jecisset spiritualis vitæ fundamenta, quodque vellet ostendere se amantem esse instituti eremitici, quod illic olim viguerat. Post quædam tertio observat,*

A *servat, tam habitum Benedictinum quam Basilianum potuisse gratum esse* S. Rosaliæ *ob asperitatem suam; rursumque rejicit opinionem illorum, qui negaverant Basilianos gestasse caputium, ut habitum Benedictinum* S. Rosaliæ *attribuerent, non Basilianum. Similiter rejicit argumentum, quod pro Basilianis contra Benedictinos assumi poterat ex forma habitus Græca, quæ cernitur in tabula Marturanensi; quia omnes illius ecclesiæ imagines pictæ formam Græci vestitus repræsentant.*

sed potius affirmare noluisse, quia non satis poterat probari.

58 *Disputat quidem hæc solum Cascinus, nisi hic quoque sit interpolatus, ut inquirat in habitum, non vero in professionem* S. Rosaliæ, *acsi voluisset dumtaxat vestitum alicujus Ordinis religiosi assumere, non tamen institutum. Verum nonnullæ rationes allegatæ ostendunt, Cascinum verisimiliter non caruisse suspicione aliqua aut dubitatione de professione Virginis religiosa, sed non invenisse rationes satis convincentes ad eam professionem omnino affirmandam. Quin imo, etiamsi initio sæpe dixerat, vestem tabulæ Marturanensis esse Religiosam, ideoque tam multa de Benedictinis et Basilianis ratiocinatus fuerat;* B *postea pag.* 316 *aut ipse, aut ipsius interpolator, sic loquitur* : Ad affirmandum, habitum fuisse religiosum *(quem gestavit Sancta)* firmius desideratur fundamentum; et multo magis ad dicendum, monachum revera fuisse alicujus Ordinis Religiosi. *Ultima hæc verba mihi videntur recte exprimere mentem Cascini, qui solum non admisit vitam monasticam* S. Rosaliæ, *quantum colligi potest ex omnibus simul sumptis, quæ de hac quæstione disseruit, quod fundamenta non inveniret satis solida ad Sanctam alicui monasterio attribuendam.*

Secundum argumentum præcedenti urgentius :

59 *Restat solvendum argumentum Cascini, qui allegatus num.* 53 *ait, memoriam* S. Rosaliæ *in nullo Ordine haberi, indeque colligit monacham non fuisse. Hoc argumentum minime contemnendum est, sed ceteris omnibus fortius militat contra professionem monasticam* S. Rosaliæ, *si recte deducatur. Quippe si monacha fuit, mirum est, corpus ipsius post mortem mansisse in monte Peregrino, et translatum non esse a monachis ad aliquam ecclesiam; mirum est, non plura de vita et gestis ipsius innotuisse per Ordinis ejusdem Religiosos; ac denique mirum est, me-* C *moriam Sanctæ non fuisse magis conservatam majorique veneratione cultam in Ordine, quem fuerat professa. Solent enim Ordines monastici memoriam Sanctorum suorum magis conservare magisque venerari, quam servetur subinde memoria eorum, qui ad neminem singulari titulo pertinent, ideoque facilius oblivioni dantur. Negari non potest, hæc mira esse et non admodum apparere verisimilia. Certum tamen ex hisce observationibus fieri nequit,* Rosaliam *non fuisse monacham, quia variis casibus ignotis corpus in monte, seu in spelunca, manere potuit sepultum, et memoria Sanctæ obsolescere etiam apud monachos ejusdem Ordinis. Potuit corpus sepeliri in eadem spelunca, in qua vixerat Sancta, quia non statim post mortem constabat de sanctitate, etiamsi vita eremitica, austera ac pia satis esset nota; et quia locus ipse aptior erat ad sepulcrum defunctæ præbendum, quam habitationem viventi. Potuit Deus ipse singulari providentia prohibere, ne corpus inde amoveretur, seu illud reddendo immobile, uti non raro factum est de aliis Sanctis, seu voluntatem suam alio quopiam modo nobis incognito declarando. Potuit demum multis aliis modis contingere, ut corpus sepeliretur et maneret in spelunca, in qua solitariam vitam duxerat Sancta : at lubens fateor veram causam ignorari.*

ad quod tamen utcumque responderi potest.

60 *Quod vero Ordo ille monasticus, quem ante vitam eremiticam professa fuisset* S. Rosalia, *hujusce Sanctæ memoriam non conservaverit, mirum esse fateor, at nec incredibile nec sine exemplo. Nolim hic multa accumulare ejusdem oblivionis specimina; at unum non minus mirabile, et tamen indubitatum, non prætermittam. Ad diem* 2 *Septembris egi de S. Nonnoso præposito monasterii montis Soractis, cujus memoria in proprio ipsius monasterio ita prorsus perierat, ut non solum ibidem omni veneratione et cultu ecclesiastico careret; sed ut monachi Soractis etiam ignorarent Sanctum Frisingæ in Bavaria, quo corpus fuerat translatum, solenniter celebrari. Quin imo, ut legi potest tom.* I *Septembris ex propria Soractensium clericorum et monachorum confessione, dum singulis annis audiebant prælegi elogium S. Nonnosi ex Martyrologio Romano,* admirabantur, et sæpe colloquebantur suspirantes et dolentes, quod de hujusmodi Sancto in dicto monte, ubi vitam degit, nullum fe- E stum ageretur, nec ejus sacrum corpus, ejusque sanctæ reliquiæ, ubi extarent, sciretur, et in hoc statu hoc statu tot annorum secula præterierunt. *Hæc oblivio est tanto magis miranda, quod S. Gregorius Magnus gesta nonnulla celebriora S. Nonnosi narrasset in suis Dialogis, ita ut hujus memoria minus facile excidere posse videretur. Jam vero si memoria S. Nonnosi, non obstantibus S. Gregorii scriptis, excidere potuit apud monachos Soractenses; cur idem fieri non potuit de* S. Rosalia *apud monachos Siculos, etsi certo constaret monacham fuisse, quemadmodum constat de S. Nonnoso? Sane facilius memoria* S. Rosaliæ *apud suos perire potuit quam S. Nonnosi; quia nullum de illa exstat scriptum antiquum, de Nonnoso vero elogium habemus ex S. Gregorio. Itaque rationes ejusmodi non evertunt fundamenta, quibus nititur vita monastica* S. Rosaliæ, *modo hæc satis sint solida; præsertim cum eædem fere difficultates sint in contraria opinione. Nam æque quæri potest, cur cultum olim late sparsum refrigescere siverint Panormitani, cur corpus in spelunca manere permiserint, si locus sepulturæ* F *olim fuit cognitus, ut verisimile est ex sacello ibidem constructo.*

Tertium argumentum nullius ponderis.

61 *Aliud argumentum contra monasticam professionem* S. Rosaliæ *aliqui objiciunt, illudque magni facere videntur. Verisimile non est, inquiunt,* S. Rosaliam, *si monacha fuisset, obtinere potuisse licentiam deserendi monasterium, et includendi se solam in spelunca tam horrida, tamque procul Panormo dissita, qualis est Quisquinensis. Calafatus, qui ita ratiocinatur pag.* 73, *adjungit, nullum adduci posse exemplum, quo doceamur, aliquam seculo* XII *talis instituti fuisse anachoretidem prope Panormum aut in reliqua Sicilia. Verum facile respondebunt contrariæ sententiæ patroni, verisimilius et credibilius esse, virginem aliquam, postquam rigori monasticæ disciplinæ se assuefecit, licentiam includendi se horridæ speluncæ obtinuisse a suis superioribus; quam virginem se proripuisse ex ædibus paternis, nemine conscio, ut in speluncam se abderet, et deinceps toto vitæ tempore nemini innotesceret. Stirps nobilis et regia, qua* S. Rosalia *creditur nata, æque repugnat verisimilitudini fugæ clandestinæ quam vitæ solitariæ superiorum*

AUCTORE J. S.

riorum licentia susceptæ. Si vero consideremus, uter ex duobus vitam anachoreticam exordiendi modus humanæ et divinæ prudentiæ legibus magis sit consentaneus; omnes fateri cogentur, talem fugam omnibus prudentiæ regulis esse contrarium, nec posse a temeritate excusari, nisi solo instinctu Spiritus sancti. At idem non pronuntiabunt de vita anachoretica, si inchoetur a monacha diu exercitata, superioribus consentientibus, licet vel sic quoque suscipiatur Spiritu Sancto impellente. Itaque non video, quam vim habeat istud argumentum, cum mirabilia multa necessario admittenda sint in vita S. Rosaliæ, *sive hoc modo sive alio ad solitudinem se contulerit; cumque longe magis miranda sint, quæ propugnantur ab adversariis vitæ ipsius monasticæ, quam quæ asseruntur a patronis oppositæ sententiæ. Quod additur de seculo* XII, *frivolum est: nam eo seculo mulierum reclusarum aut solitariarum exempla facile adduci possent, si exemplis controversia esset dirimenda.*

B 62 *Mitto alia argumenta contra monasticam Sanctæ vitam allata, quia prorsus mihi inutilia videntur ad propositum, atque unam solum adjungo observationem. Monastica vita* S. Rosaliæ *certo affirmanda non est, nisi ostendatur rationibus certis, aut probetur iis monumentis, de quibus dubitare non licet. Atqui nulla potest afferri auctoritas tanta, nulla ratio tam certa, nullum monumentum tam evidens, ut vel auctoritate, vel ratione, vel ullo monumento antiquo certum fiat,* S. Rosaliam *in ullo unquam vixisse monasterio. Itaque qui vitam Sanctæ monasticam tanquam certam asserere voluerunt, plus affirmarunt, quam probare potuerunt aut possunt. Nullum autem afferri argumentum certum et evidens, quo vita monastica certo ostendatur, clare patebit inferius, ubi contrariæ partis argumenta elucidabo. Ad hanc observationem responderi poterit, subinde multitudine argumentorum probabilium aliquid satis videri certum, etsi argumenta singula non sint talia, ut rem possint facere certam: atque id locum habere in hac controversia. Fateor id aliquando contingere in rebus historicis, multaque haberi pro certis aut quasi certis, etsi uno aliquo argumento evidenti*

Observatio auctoris, qua utrique sententiæ certitudo abjudicatur.

C *nequeant probari. Verum id solum fieri solet, quando multitudo illa argumentorum probabilium vim suam non amittit argumentis contrariis: at cum argumentis probabilibus æque fere probabilia opponuntur, uti fit in hac controversia, nimis contentiose agit, qui sententiam suam pro certa haberi desiderat: nam, rebus ita se habentibus, major solum probabilitas pro alterutra parte haberi potest; quæ autem apparent tantum magis probabilia, nec certa sunt, nec semper vera. Hisce observationibus præmissis, quæ ad utriusque sententiæ patronos æqualiter spectant, subjungam argumenta, quæ pro vita monastica allegantur, ut ex iis eruditus lector judicet, non quid certum sit, sed quid magis appareat probabile aut verisimile.*

D

§ VII. Rationes pro vita monastica S. Rosaliæ, quæ ab imaginibus ipsius peti possunt.

Prima ratio, quæ facit pro monastica professione S. Rosaliæ, *petitur ex imaginibus, in quibus repræsentatur monastico habitu induta. Cascinus hoc argumentum suggerit, aliud quidem agens, multa tamen ad propositum nostrum scribens. Verba ipsius lib. 2 cap. 21 Latine reddita subjungo:* Minus forsan difficile fuit de interna imagine S. Rosaliæ dicere, quam futurum sit loqui de externa; quandoquidem certo affirmare non possumus, quænam inter omnes antiquas imagines vultu et habitu ei sit maxime similis. Unde, quemadmodum deficientibus scripturis in aliis rebus vitæ ipsius, ad picturas conversi sumus, ita et hic faciemus; et quidem majori ratione, quia quanto viciniores fuerunt ætati, in qua floruit, tanto magis debebant tunc sciri, E non quidem gesta ipsius, quæ tempore deinde oblivioni data sunt, sed præcipue figura corporis et vestitus. *Deinde, ubi observarat, argumenta semper peti solere ex picturis, dum scripturæ deficiunt, sic prosequitur:* Porro effigies omnium aliarum antiquissima, aut saltem inter vetustissimas numeranda, maximeque honorabilis venustate sua, non levi, sed gravi, non artificiosa, sed simplicitate augusta, de qua diximus et dicemus iterum, est in tabula monasterii Marturanensis. Quapropter, quia illam merito habere possumus pro maxime simili ipsius *(Sanctæ,)* istam primam inter imagines nostras æri incidendam curavimus, ut ex ea capiatur bona aliqua conjectura. *Hæc verba satis indicant, quanto in pretio Cascinus habeat effigiem illam, et quidem præcipue, ut externa Virginis figura et vestitus ex ea probabili conjectura cognoscatur.*

Imago S. Rosaliæ, quam ceteris præfert Cascinus,

64 *Imaginem vero illam pag.* 311 *et* 312 *ita describit:* Religiosus vestitus S. Rosaliæ est in tabula vetustissima monasterii supradicti Marturanensis, quæ non minus debet esse antiqua quam trecentis et septuaginta annis, cum simul eo perlata credatur cum testamento et hereditate Theophaniæ supradictæ, quæ est anni MCCLVII, et F forsan citius. Hujus exemplar fidelissime exprimendum curavi. *Vide, studiose lector, effigiem ipsam hic junctam. Cascinus deinde de ea sic pergit:* Nigrum habet caputium et velum capitis, præterquam quod nonnihil albefiat ex bombycino crispo, quo duplicatur, candido aut lineato. In pectore habet vestem satis angustam, quam vocant patientiam *, opere Phrygio distinctam, pallium vero gestat rubrum, et globulis aureis ornatum. Sinistra manu tenet crucem auream, transtro gemino affectam, quali utuntur patriarchæ; dexteram vero aliquantulum attollens, palmam nobis obvertit tamquam in signum protectionis. *Hac data descriptione, asserit Cascinus aliam similem imaginem, sed minus vetustam, penes se esse, ubi* S. Rosalia *conjuncta est cum S. Roccho tamquam patrona contra pestem. Hasce vero utriusque differentias assignat. In secunda scapulare non est acu phrygia pictum, ut in prima, sed quasi lineatum. Crux autem, quam similiter tenet manu sinistra, non habet geminum stipitem transversarium, sed unum dumtaxat.*

ex opinione ipsius vestitum habet monasticum,

* al. scapulare

Præterea



Lith du Sonet, Paris

Præterea duæ rosæ habentur ad extremitates crucis, et tertia supra velum in medio frontis. Hisce jungit duas alias, in quibus etiam apparet habitus monasticus : Verum, *inquit,* in nulla cernitur perfectus habitus religiosus. *Hæc ultima verba adjecisse videtur Cascinus, quia purpuram, aurum, et opus phrygionicum non existimavit convenire vesti religiosæ, prout certum est de auro et opere phrygio ; at non æque certum de colore purpureo seu rubro, ut videbimus.*

qui valde similis est vestitui monialium S. Basilii alibi expresso.

65 *Laudatus jam Justinianus cum aliis existimat, descriptum modo prædictæ imaginis habitum exacte convenire cum habitu antiquo monacharum Græcarum Ordinis S. Basilii. Ipsius autem opinio tanto mihi probabilior apparet et verisimilior, quanto clarius perspicio, habitum antiquum monialium Ordinis Basiliani eodem fere modo exprimi in Catalogo Ordinum Religiosorum Philippi Bonanni Societatis Jesu part.* 2 *figura* 13 ; *uti et in Historia Ordinum monasticorum Hippolyti Helyot tom.* I *pag.* 231. *Certum quidem est globulos aureos, et ornatum acu pictum non esse vestium religiosarum. At illa ornamenta esse adjectitia, quibus verisimiliter Sanctæ gloria significatur, omnino dicendum videtur ; quia et in aliis multis picturis videmus, vestes Sanctorum, quos constat Religiosos fuisse, segmentis aureis esse distinctas ad ornatum, quo gloria eorum indicari potest. Purpureum seu rubrum pallium Religiosis item abjudicavit Cascinus pag.* 312, *credititque colorem illum item esse adscititium ob nobilitatem seu stirpem regiam, seu ad gloriam designandam. Si hæc conjectura esse vera, nihil evinceret contra vestes monasticas, quas in dicta pictura gestat* S. Rosaliæ *imago, cum colorem sua libertate mutare potuerit pictor, quemadmodum scapulare opere phrygio exornavit, ut ornamentis gloriam Sanctæ designaret, et forma vestium statum monasticum. At mox videbimus colorem rubeum non videri prorsus inusitatum fuisse monialibus.*

Describitur habitus monasticus Græcorum, maxime qui vocatur angelicus,

66 *Nunc vero accipe, studiose lector, quam exacte vestimenta omnia, in effigie et descriptione Cascini assignata, congruant monialibus professis Græcis, quæ vocantur* magni *et* angelici habitus, *eo quod ceteris majorem perfectionem profiteantur. Si inspiciamus Euchologium seu Rituale Græcum, quod edidit notisque illustravit Jacobus Goar Ordinis Prædicatorum, videmus monachos Græcos in tres ordines distingui, in* novitios *videlicet, in* proficientes, *qui vocantur* μικροῦ σχήματος *vel* μικροσχήμοι *id est,* parvi habitus, *et in* magis perfectos *seu ad majorem perfectionem aspirantes, qui* μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, *id est,* magni et angelici habitus. *Eadem est distinctio monialium ; et pro diversis istis gradibus vestimenta quoque sunt diversa, prout etiam videri potest apud Helyotum supra laudatum tom.* I *cap.* 19, *ubi tria illa vestimentorum genera pro viris per totidem figuras exprimit. Porro vestimenta eorum, qui sunt* parvi habitus, *sunt tunica, cingulum, pileus, pallium et sandalia. Qui vero* magni habitus *sunt, pro pileo habent cucullum, et insuper induuntur* analabo, *ut ibi vocatur, seu* scapulari *aut* patientia, *ut alias dicitur. Videri hæc possunt apud Goarum in Officio parvi habitus pag.* 478, *et in Officio magni habitus pag.* 510. *Observat autem laudatus Goar pag.* 498 *eadem fieri in consecratione monachorum et monacharum, exceptis paucissimis, quæ non spectant ad propositum nostrum.*

AUCTORE J. S.

cujus singulæ partes, quæ cerni possunt, apparent in dicta imagine,

67 *Hisce observatis, facile probari potest, in memorata* S. Rosaliæ *effigie conspici vestimenta omnia, quæ dabantur perfectioribus, excepto cingulo, quod pallio tegitur, ideoque cerni nequit. Conspiciuntur enim tunica, pallium, scapulare et cucullus muliebris, seu caputium, quo caput tegitur : nam per cucullum in prædicto Officio intelligi caputium seu capitis tegmen, patet ex verbis, quæ leguntur in Officio, dum cucullus imponitur :* Frater noster N. induitur cucullo simplicitatis, in galeam sive pileum spei salutaris. *Cassianus lib.* I *de Habitu monachi cap.* 4 *de cucullo ita habet :* Cucullis namque perparvis usque ad cervicis humerorumque demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus. *Figura quidem cuculli vel caputii muliebris, quod potest etiam* velum *vocari, differt a cucullo virili ; at id non repugnat proposito nostro. Quod vero spectat ad cingulum et sandalia ; primum in effigie conspici nequit, cum pallio oblegatur : sandalia vero qualia sint in eadem effigie, non satis distinguitur, nec magis certo scitur, qualia in usu fuerint antiquis monialibus tempore* S. Rosaliæ, *ita ut hæc nec obesse possint nec prodesse. Verum cucullus, seu capitis velum, et scapulare, præsertim cum tunicæ jungantur et pallio, manifeste evincunt, vestes prædictæ imaginis esse monasticas, prout indubitanter pronuntiavit Cascinus, et quidem esse habitum monialium Græcarum magni et angelici habitus, uti partim asseruit laudatus Cascinus, et ulterius evincit scapulare et cucullus.*

ita ut videatur habitus Basilianus, adscititio tamen ornatu auctus:

68 *Quin et crux, quam manibus tenet, etiam insinuat,* Rosaliam *hic repræsentari in habitu Basiliano : effigies enim antiquæ monialis Basilianæ num.* 65 *assignata apud Bonannum et Helyotum similiter crucem manu tenet, sicut et reliqua vestimenta ejusdem sunt formæ. Nec obstat, quod ibidem sit crux communis, in effigie vero* Rosaliæ *crux sit gemino transtro affecta : ipse enim Cascinus pag.* 319 *dubitat, an revera sit crux gemini transtri, cum superior stipes transversus possit titulum crucis designare ; aut, si ille stipes revera sit ipsum crucis transtrum, inferior stipes transversus designare possit locum, in quo pedes cruci affigebantur. Deinde Cascinus pag.* 312 *memorat aliam effigiem* S. Rosaliæ, *quæ iisdem vestimentis insignita crucem habet simplicem. Recte igitur affirmavit Cascinus, habitum prædictæ imaginis esse Græcum et monasticum. Verum contrariæ sententiæ patroni, qui alias auctoritatem Cascini plurimi faciunt, hic eam libenter vellent infringere : negant enim habitum illum* S. Rosaliæ *esse monasticum, et volunt omnino esse symbolicum. Ne autem Cascinum prorsus videantur deserere, licet id re ipsa faciant, observant eum pag.* 312 *dixisse, in nulla imagine cerni* habitum perfectum monasticum. *At verisimiliter ita loquitur, quia habitus monasticus aliis ornamentis adscititiis auctus est; sed ea de causa habitus ille non desinit esse monasticus, cum aliunde certo sciamus Sanctam Virginem, postquam mundum reliquit, nec auro nec opere phrygio nec purpura pretiosa ornatam fuisse. Ea igitur ornamenta solum adjecta a pictore videntur, ut gloriam aut nobilitatem Sanctæ iis indicaret et honoraret.*

rubeus aut subrufus color, cum non prorsus fuerit monachis

69 *Restat ut examinemus, an color rubeus aut purpureus, qui in pallio* S. Rosaliæ *conspicitur, haberi etiam debeant inter ornamenta illa adscititia, uti credidit Cascinus. Laudatus ante*

Tornamira

AUCTORE J. S.

Tornamira in Responsis ad octo interrogationes pag. 85 *et seq. ostendit, colorem rubrum seu roseum, aut potius subrubrum, non fuisse prorsus inusitatum in vestimentis sui Ordinis Benedictini. Allegat ad id probandum antiquas picturas, in quibus eo colore vestium expressi cernuntur Benedictini. Scribit et Benedictino Efleno rufis olim vestimentis usos fuisse Benedictinos monasterii Reomensis in Gallia; atque ex Silvestro Maurolyco in Mari Oceano Religionum pag.* 150 *eumdem colorem antiquis Cisterciensibus attribuit. Quin et testatur in suo monasterio Gregoriano Panormi olim Fratres quosdam roseo colore fuisse vestitos, atque ex iis senem quemdam decrepitum circa annum* 1642 *sibi fuisse notum, qui eodem pergebat uti colore. Concilium Toletanum* X *etiam ostendit, colorem rutilum non fuisse inusitatum monachis : nam viduas religiosam vitam professuras capit.* 4 *jubet religiosa veste indui, atque eam ita describit :* Ut autem deinceps nihil devocetur in dubium, pallio purpurei vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ religionis.

B — *et monialibus inusitatus,*

70 *Audiamus, quo modo ante disceptationes Siculorum hunc locum scriptores præclari intellexerint. Goar locum citans pag.* 498 *intelligit* subrufum *pallium, additque verba S. Athanasii lib. de Virgin., qui Græce sic habet :* Ὁ ἐπενδήτης σου μέλας μὴ βεβαμμένος ἐν βαφῇ, ἀλλ' αὐτοφυὴς ἰδιόχρωος, ἢ ὀνυχίζων. *Hæc verba Goar ita Latine exprimit :* Indumentum tuum (id est tunica, *ait*) fuscum sit, non tinctum, sed nativi coloris, aut saltem subrufum sive purpurascens. *Ita vocem ambiguam* ὀνυχίζων subrufum sive purpurascens *in textu Athanasii exponit, at infra magis litteraliter ait,* qualis est color unguium. *In postrema editione Operum S. Athanasii.* 3 *pag.* 116 *locus ita redditur Latine :* Ependytes tuus niger, neque tinctus, sed nativi coloris, aut onychinus. *Monendus quidem est lector librum illum de Virginitate inter dubia Athanasii Opera solum numerari : at id non obest proposito nostro, cum saltem sit antiqui auctoris, si non sit Athanasii. Ambrosius Morales Chron. Hisp. lib.* 12 *cap.* 32 *de concilio Toletano* X *sic loquitur :* In isto concilio mentio habetur de devotis *(viduis,)* quas in nonnullis distinguit a monialibus. Datur illis præter alia vestimenta pro habitu, ut in capite gerant velum nigrum aut rubrum. Ambo colores videntur ipsis dari in memoriam passionis Redemptoris nostri; unus in memoriam sanguinis ab ipso effusi, et alter in luctum tormentorum tam crudelium. Aliquo etiam modo insinuatur, idem velum gestatum fuisse a monialibus. *Mariana item lib.* 6 *Histor. de rebus Hispaniæ cap.* 9 *pallium illud* purpurei vel nigri coloris, *quod viduis præscribit concilium, vocat* flammeum nigrum aut rubrum.

C

non obstat opinioni jam dictæ :

71 *Quare non omnes Religiosos, etiamsi vilia quærerent vestimenta, et plerumque coloris nativi, adeo abhorruisse a colore rubro, quam aliqui existimare videntur, concilium allegatum evincit. Idem probari potest ex S. Dorotheo abbate, qui, prout editus est a Corderio, Institutione* 1 *pag.* 45 *de colobio, seu tunica monachorum manicis destituta, sic ratiocinatur :* Habet autem colobium nostrum etiam signum aliquod purpureum. Quid sibi vult signum purpureum? Quisquis Regi militat, purpuram in penula sua gestat. Cum enim rex purpuram gestet, omnes, qui illi militant, purpuram apponunt sagis suis, hoc est regium indumentum, ut per hoc ostendant se esse regios, regique militare. Ita et nos signum purpureum assumimus in colobium nostrum, innuentes nos in Christi militiam adscriptos esse *etc. Si monachi illi Orientales, licet vestem totam non haberent rubram, signum tamen aliquod rubrum in vestibus suis gestarent, quo se Christi milites ostenderent ; non video, cur mirandum sit, si alii eadem vel alia consideratione ducti, pallium totum gestaverint rubrum, aut rubro propinquum. Omnino igitur existimo rubrum colorem non obstare, quo minus vestimenta* S. Rosaliæ *in tabula Marturanensi pro monasticis probabilius haberi possint. Si vero posset certo probari, colorem rubeum Siculis monialibus nullo modo usitatum fuisse seculo* S. Rosaliæ ; *item cum Cascino dici posset, colorem illum ob causas jam dictas pallio* S. Rosaliæ *esse additum.* D

ex vestitu autem illo probabilius monastico

72 *Quapropter, cum vita hujusce Sanctæ maxime colligi debeat ex antiquis picturis et sculpturis, cumque nulla sit pictura melioris notæ, teste Cascino, quam Marturanensis, in qua probabilius monasticus habitus exhibetur, negari nequit, quin ex illa aliisque picturis similia vestimenta exhibentibus, oriatur suspicio non levis et probabilis conjectura de monastica Sanctæ disciplina. Quippe si propter picturas, quibus indicantur dæmonum insidiæ, et quibus varia pœnitentiarum instrumenta repræsentantur, Officio ecclesiastico inserta sit hæc periodus,* Callidas dæmonum insidias, quæ asperæ vitæ tædium, et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter sæviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione, forti animo superasse, antiquæ icones significant : *si, inquam, hæc probabilia recte judicata sunt ob icones minus antiquas, quam illa sit, de qua agimus ; cur similiter dici nequi, vitam monasticam, quæ via est optima ad anachoreticam, habitu antiquissimæ picturæ insinuari, et non certo quidem, sed probabiliter ex ea colligi ?* E

probabilis fit conjectura de monastica professione.

73 *Scio quidem Cascinum solidiora requisivisse fundamenta, ut monacham fuisse* S. Rosaliam *assereret ; eique lubens assentior, me item certiora desiderare documenta, ut affirmem vitam Sanctæ monasticam esse omnino certam. Verum si etiam negare voluerit Cascinus, probabilem ex ea pictura conjecturam haberi pro vita monastica, candide profiteor me ab ipsius sententia recedere : nam, sicut nulla hactenus allata est ratio, quæ certo evincit Sanctam fuisse monacham ; sic nulla quoque producta est, quæ conjecturam de vita monastica evertit. Quod autem observat Cascinus Anachoretidem potuisse vestem sumere cujusdam Riligionis, et illam non fuerit professa, absolute verum est ; ideoque ex veste Religiosa nequit professio monastica certo inferri. At æque verum est, ex veste monastica probabiliter inferri professionem monasticam ; præsertim cum non potuerit sciri, qua veste usa sit Sancta, si illa, ut voluit Cascinus, non modo monasticam disciplinam amplexa non sit, sed in spelunca sua prorsus manserit incognita. Posset demum contra hoc argumentum ex conjectura dici, curasse forsan monachos aut moniales Ordinis S. Basilii, ut Sancta depingeretur in habitu suo, licet Ordinem illum numquam fuisset professa. At nec illa objectio probabilem professione Ordinis suspicionem tollit, sed solam rei certitudinem. Hactenus ex picturis per Cascinum in lucem datis.* F

74 *Tornamira*

Sancta variis locis picta ut Benedictina,

A 74 *Tornamira in Idea conjecturali disc.* 6 *contendit, plerasque antiquas picturas* S. Rosaliæ *repræsentare habitum Benedictinum Congregationis Montis Virginis, quasdam reducens ad habitum conventualem, alias ad habitum eremiticum ejusdem Ordinis, nonnullas quoque ad habitum Casinensem vel Cluniacensem. Tabula vero Marturanensis, de qua disputavimus, exprimit habitum Anachoretidis Benedictinæ iter agentis, si laudato credimus auctori, qui id variis locis asserit, maxime disc.* 4 *num.* 20; *quique id latius conatur probare in Responsis ad octo interrogationes resp.* 7. *Verum recte quidem ostendit, colorem rubrum seu roseum non fuisse prorsus inusitatum in Ordine suo: at nullibi evincit, talem fuisse habitum iter agentium Anachoretidum Benedictinarum, qualis cernitur in tabula Marturanensi. Deinde illa ipsa tabula istam opinionem prorsus evertit, cum vel solus illius aspectus clare ostendat,* Rosaliam *ibi pictam non esse tamquam in itinere constitutam: nullum enim progredientis aut iter agentis ullibi apparet indicium. Conferat studiosus lector tabulam Marturanensem, quæ supra a nobis exhibetur, cum* B *sculptura Bivonensi, quæ Cascini est figura sexta; et facile videbit in posteriori proficiscentem exhiberi* Rosaliam, *non item in priori. Quapropter opus non est disputationem illam Tornamiræ (qui solet plura asserere quam probare) latius hic discutere, cum hac una observatione totum ipsius fundamentum prorsus corruat. Nihilo magis probata sunt, quæ asserit de tabulis aliis per Cascinum editis, et per nos recusis, neque opus est iis diutius inhærere.*

et quidem in tabula, quæ dicitur anni 1255,

75 *Attamen idem scriptor resp.* 8 *aliam adducit picturam, quæ magis favere potest Congregationi Benedictinæ Montis Virginis, modo omnia, quæ asserit de ista pictura, vera sint aut satis certa. Quippe affirmat primo, picturam istam esse anni* 1255, *et consequenter non integro seculo posteriorem morte* S. Rosaliæ. *Secundo asserit, supra caput in diademate legi has voces,* Sancta mater Rosalia, *antiquo charactere exaratas. Tertio probat picturam illam esse inventam in ecclesia antiqua laudatæ Congregationis Montis Virginis; et vestimenta omnia non modo monastica esse, quod patet ad oculum; sed* C *exacte convenire cum habitu Montis Virginis ostendere satagit. Hæc sane insinuant, dictam Congregationem jam seculo* XIII *credidisse* S. Rosaliam *ejusdem fuisse instituti, ideoque istud Tornamiræ argumentum præcipuum est ex omnibus, quæ attulit, modo satis sint certa, quæ de ista pictura dicuntur. Hoc igitur præ ceteris venit discutiendum. Exemplar illius picturæ exhibet Tornamira æri incisum pag.* 114 *cum hac subscriptione:* Ex pictura in pariete monasterii S. Joannis Capuæ Congregationis Montis Virginis Ord. S. Benedicti anni MCCLV.

ut probare conatur Tornamira ex tempore structæ ecclesiæ,

76 *Porro ut illius picturæ antiquitatem probet, pag.* 107 *litteras adducit Amati Mastrulli abbatis monasterii Sanctæ Mariæ Montis Virginis Capuæ. Litteræ hæ Italico idiomate ad ipsum Tornamiram scriptæ asserunt, prædictam ecclesiam S. Joannis, in qua pictura inventa est, a monachis Montis Virginis constructam esse anno* 1255, *idque colligi posse ex litteris Alexandri Papa IV et Cardinalis Ubaldini, quas ait se transmissurum. Recitat revera Tornamira pag.* 102 *litteras Alexandri IV cum inclusis litteris Cardinalis Octaviani Ubaldini datas anno* 1255 *Abbati et* conventui Sanctæ Mariæ Montis Virginis, Ordinis Sancti Benedicti Avillinensis diœcesis, *in quibus facultas ipsis conceditur construendi duo oratoria, alterum intra urbem Capuanam, alterum extra urbem. Admitti igitur potest, ecclesiam illam S. Joannis, quæ deinde diruta est, constructam fuisse anno* 1255, *licet ex litteris Pontificiis non liqueat, de eadem agi ecclesia. Verum ex tempore, quo structa est ecclesia, certe inferri non potest, imaginem* S. Rosaliæ *eodem tempore in illius pariete fuisse pictam, cum picturæ postmodum adjungi potuerint. Itaque antiquitas istius picturæ ex sola hac observatione non est satis certa.*

AUCTORE J. S.

in cujus nunc dirutæ parietinis imago exstat

77 *In litteris laudati abbatis Mastrulli ad Tornamiram hæc leguntur:* Nomen Sanctæ nostræ Rosaliæ ibi *(in dicta pictura)* fuisse, traditio est; quemadmodum e regione in altero pariete, ubi alius Sanctus depictus est, nomen istius recte cernitur, uti et nomen monachi aut superioris illius, qui picturam fieri curavit, litteris antiquis expressum. Ita etiam S. Rosaliæ nomen illic fuisse crediderim, sicut hodie habet traditio: attamen præsenti tempore nec istud nec aliud nomen istic legitur, quia abrasa est E muri superficies, in qua erat pictum vel sculptum nomen S. Rosaliæ infra picturam. *Hisce congruit testimonium Vincentii Abbate, pictoris Capuani, datum et per publicum notarium exceptum die* XXV *Novembris anni* 1657, *quod ibidem pag.* 110 *de eadem pictura sic habet:* Pictor... asseruit *se* intus illam *ecclesiam dirutam* in pariete a parte dextera invenisse depictam imaginem sanctæ Rosaliæ, monialis M. V. * Congregationis, cum vestibus albis, scilicet cum tunica, scapulari, cum cappa seu mantello usque ad talos pedum, cum succanno, et velis albis, in cujus manibus in dextera habet lilium, et in sinistra breviarium, et ad ejus pedes, ut audivit a multis senibus hujus civitatis, et præsertim pictoribus, erat subscriptio nominis dictæ sanctæ Rosiliæ, quæ ad præsens non videtur ob vetustatem picturæ *etc.*

* i. e. Monti Virginis

cum nomine mirabiliter dein invento,

78 *Nominis defectus dubitationem ingerere poterat. At nomen deinde detectum fuisse mirabili modo narrat Tornamira pag.* 113. *Rem explicat in hunc fere modum. Anno* 1668, *cum devotio populi Capuani erga* S. Rosaliam *incensa magis esset per editam eodem anno Ideam conjecturalem, multi diligenter perscrutati sunt murum circa imaginem prædictam, quam esse* S. Rosaliæ *credebant.* Ab altero, non sine impulsu cælesti, *inquit*, illa pars muri, quæ vetustate erat consumpta, ubi depicta erat virgo Rosalia, lota fuit, uti et ipsa sacra imago. Ecce autem improviso et derepente cum applausu universali prodigiose apparet pretiosissimum ipsius nomen, in ejus diademate collocatum, (et non infra, ut hodierni falso crediderant et aliis persuaserant) scriptum litteris vetustis, sicuti scripta sunt nomina aliorum Sanctorum et monachorum, qui in illo muro sunt depicti. *Addit rem mox fuisse confirmatam gemino testimonio per notarios scripto, petente domino Silvestro Ayossa, rectore ecclesiæ parœcialis SS. Cosmæ et Damiani de Quadropanis, et consentiente magistratu Capuano. Utrumque testimonium idiomate Italico exprimitur.* F

ut varii testantur:

79 *Primum est trium notariorum, qui testantur se vocatos ad domum R. D. Julii Minutolo, in qua erat dirutum istud sacellum, ibique invenisse murum et imaginem* S. Rosaliæ, *quam describunt, prout jam supra descripta legitur.*

AUCTORE J. S.

gitur. Et mox addunt : Supra caput ipsius est diadema, in quo per circuitum leguntur hæ voces, SANCTA MATER ROSALIA, exaratæ litteris vetustis istius formæ, qua scriptæ apparent in picturis dicti muri. *Deinde propriis manibus subnotarunt testimonium* die V Octobris anni MDCLXVIII *hoc modo, sed Italice.*

Ego not. Angelus Ollettino, natus in dicta civitate fidem facio, ut supra.

Ego notar. Joannes Angelus Rossi, Capuanus, fidem facio, ut supra.

Ego notar. Joannes Leonardus Pizzo fidem facio, ut supra.

Fides vero notariorum roboratur subjuncto hoc testimonio Latine scripto : Nos electi ad regimen, et gubernationem fidelissimæ civitatis Capuæ, fidem facimus atque testamur, supradictos, qui præsentem fidem subscripserunt, esse publicos regia auth. notarios hujus fidelissimæ civitatis Capuæ, eorumque scripturis publicis atque privatis ab omnibus adhibitam fuisse et adhiberi plenam et indubiam fidem *etc. Subscripsit* Notar. Cæsar Sacconius secretarius. *Alterum testimonium* B *est Hieronymi Paccone, rectoris ecclesiæ parœcialis S. Michaelis, juramento item firmatum et præcedenti conforme.*

ex hac imagine suspicio oritur de professione Benedictina : at nihil certi potest statui.

80 *Negari non potest, quin hæc pictura faveat causæ Benedictinæ Congregationis Montis Virginis, et suspicionem moveat de Sanctæ vita monastica et professione illius Ordinis. Attamen nec tam antiqua est pictura ista, ut rem possit facere certam. Præterea mirum apparet, picturam illam Capuæ fuisse inventam, cum nullus affirmet* Rosaliam *Capuæ antiquis temporibus fuisse cultam, et ne quidem constet, an ullibi olim culta fuerit ab Ordine Montis Virginis : nam adducit Tornamira nonnullorum dicta, asserentium traditionem vigere in illo Ordine,* Rosaliam *ejus fuisse alumnam; et cultum antiquum Sanctæ in eodem viguisse non ostendit. Demum authenticam hujus picturæ fidem minuit, quod anno* 1655 *et* 1657 *nomen* S. Rosaliæ *non appareret, uti patet ex allegatis num.* 77; *anno autem* 1668 *nomen tam facili negotio fuerit inventum, idque tandem apparuerit non sub pictura, ubi nomen fuisse asserebatur ex traditione, sed supra in diademate.* C *Hæc omnia, quæ miranda dixi, efficiunt ut nequeam pro certis habere, quæ de imagine illa* S. Rosaliæ *asseruntur. Quid vero ad argumentum Tornamiræ, ex dicta imagine petitum, respondeant ipsius adversarii, necdum ullibi reperire potui. Verum responderi potest, supposita veritate ac antiquitate imaginis, necdum aliquid certi posse concludi, cum potuerit Sancta sic pingi jussu Benedictinorum, etiamsi non constitisset de professione istius Ordinis.*

§ VIII. Rationes aliæ pro vita monastica Sanctæ.

Antiqua traditio allegata pro monastica vita Sanctæ,

Tam Benedictinæ quam Basilianæ causæ defensores contendunt, traditionem in Ordine suo diu fuisse de S. Rosalia *ejusdem aliquando alumna : at neutri poterunt ullum allegare auctorem, qui eam traditionem scriptis consignavit ante annum* 1624, *seu ante corporis inventionem. Hæc autem observatio facit, ut facile suspicari quis possit, conjecturas nonnullorum, qui post corpus inventum crediderunt* S. Rosaliam D *hujus aut illius esse Ordinis, paulatim invaluisse, et post annos aliquot ornari cœpisse honorifico traditionis nomine. Hæc, inquam, suspicio non immerito oriri potest, cum nullus Ordo Religiosus legatur sibi* S. Rosaliam *attribuisse ante corpus inventum, nec ullus ipsius memoriam singulari præ ceteris veneratione prosequeretur. Fatendum tamen est, Benedictinos Siculos non diu post corporis inventionem sibi attribuere cœpisse* S. Rosaliam, *eique illorum opinioni favere Urbanum VIII in bulla anni* 1634, *qua voluit ut monasterium* S. Rosaliæ, *Panormi erigendum sub regula S. Dominici ex testamento dominæ Margaritæ del Carretto, potius fundaretur sub regula S. Benedicti, quia* S. Rosalia *hujus habitum gestasse credebatur. Bullæ illius Tornamira ex archivo dicti monasterii partem allegat in Idea conjecturali disc.* 7 *num.* 34, *et partem aliam in Epistola dedicatoria ad senatum Panormitanum pag.* 16. *Priori loco hæc recitat verba :* Omnesque in dicto monasterio receptæ et admissæ habitum per moniales aliorum monasteriorum monialium observantium, seu reformatarum Ordinis E S. Benedicti, gestari solitum deferant, cum signo sanctæ crucis ex tela alba in eo consuto, prout eadem sancta Rosalia ab antiquis temporibus depingi solet, suscipere, ac professionem per easdem emitti consuetam expresse emittere *etc. Hic asserit Pontifex* S. Rosaliam ab antiquis temporibus *solitam* depingi habitu Benedictino; quod sane causæ Benedictinorum favet.

maxime pro instituto Benedictino, nec sine aliquo fundamento picturis.

82 *Altero loco rationem reddit, cur velit testatricis voluntatem mutatam, his verbis :* Cum vero magis consentaneum sit, ut monasterium præsentium tenore erigendum sub regula observantium seu reformatarum sancti Benedicti, cujus habitum dicta sancta Rosalia gestasse creditur, instituatur; cum verisimile omnino existat, quod si dicta Margarita sanctam Rosaliam præfatam, erga quam, dum vixit, maximum gessit devotionis affectum, sancti Benedicti potius quam sancti Dominici habitum gestasse scivisset, monasterium hujusmodi sub regula, quam dicta Sancta professa fuit, erigi mandasset. *Verba hæc summi Pontificis consideratione sunt digna : nam,* F *licet Urbanus per allegata verba non declaret, nedum definiat,* S. Rosaliam *fuisse Ordinis Benedictini, saltem affirmat id suo tempore creditum fuisse ; et allegando eam rationem ostendit, eam sententiam non displicuisse, sed verisimilem sibi apparuisse, præsertim cum dicat Sanctam ab antiquis temporibus in habitu Benedictino pingi solitam, atque ita insinuet, quibus maxime fundamentis illa nitatur sententia. Quapropter vehementer miror, nonnullos contrariæ sententiæ patronos impotenter clamitasse, sententiam de vita monastica* S. Rosaliæ *contrariam esse traditioni Panormitanorum ; et numquam, quantum sciam, aliquid reposuisse ad hæc Urbani VIII asserta, quæ clare ostendunt sententiam illam post corporis inventionem statim invaluisse, et ex antiquis imaginibus habere fundamentum traditionis antiquæ. Quod enim spectat ad traditionem in hominum memoria conservatam, si nulla ante corpus inventum erat de monastica Sanctæ vita, nulla quoque erat contraria, quia omnis fere* S. Rosaliæ *memoria exciderat. Rocchus Pirrus Siciliæ sacræ lib.* 4 *notitia* I *pag.* 165 *item asserit,* Rosaliam *suo tempore creditam fuisse Benedictinam; idque latius probat Tornamira in laudata mox epistola ad senatum Panormitanum*

A *militanum. Ex hisce omnibus concludere liceat, non aliam quidem allegari posse traditionem de monachatu* S. Rosaliæ, *quam quæ ex antiquis picturis colligitur : hunc tamen famæ popularis defectum exigui esse momenti, cum gesta fere omnia Sanctæ similiter ex hominum memoria excidissent ante corpus inventum.*

Ex modica cruce argentea simul cum corpore inventa,

83 *Aliud pro vita monastica argumentum profertur ex modica cruce argentea, quæ anno* 1625 *una cum corpore inventa est. Crucem hanc apud corpus inventam Cascinus lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 31 *testatur, eamque sic describit :* Exigua crux argentea *(inventa est apud corpus et eodem lapide tecta)* levissimi ponderis, quoniam tenuis est instar folii chartæ, et tam modicæ extensionis, ut nequeat divitias sapere in paupere Anachoretide *Crucis hujus figuram æri incisam dabo infra* § 24, *ubi videri potest. Tornamira in Idea disc.* 7 *num.* 13 *et seqq. asserit, Benedictinos sepeliri solitos cum exigua cruce supra pectus posita, aitque hanc crucem supra* S. Rosaliæ *pectus positam esse, dum sepulta est. Verum id satis ostendit de cruce cerea, non vero* B *de argentea : atque in eo labat ipsius ratio. Nam ait quidem crucem esse potuisse ex quacumque materia : at id non probat. Justinianus autem de dicta cruce fusius disputans, primo ostendit, inventam esse, et nunc servari Panormi in monasterio* S. Rosaliæ ; *quæ confirmat instrumento authentico e curia archiepiscopali accepto. Deinde ita ratiocinatur Latine :* Porro crucem argenteam Basilianarum sanctimonialium esse habitum, quo in Occidente a Benedictinis unice distinguantur, apud omnes reipsa compertum est : nam in reliquis idem vestitus, idem color utrisque. Idque constantissima et pervetusta consuetudo apponendæ gestandæque crucis argenteæ asseverat, dum in hoc sanctissimi Salvatoris monasterio religiosa et solemnia vota virgines profitentur. Itaque Rosalia, etsi anachoretis pauperrima, suæ nihilominus professionis tenacissima, Basiliani Ordinis tesseram, crucem nempe argenteam, ad finem usque mortalis vitæ suæ gestare ac portare voluit. Exstat de crucis hujusmodi usu eruditi viri lucubratio, sub nomine Hellenii Agricolæ edita. *Hactenus Justinianus.*

C *qualem gestare solent moniales Basilianæ,*

84 *Opusculum autem sub fictitio nomine Hellenii Agricolæ editum, de quo meminit, est Apologia pro monialibus sanctissimi Salvatoris, Italice scripta, qua defenditur usus ejusmodi crucis argenteæ palam in pectore gerendæ, quem vetustum esse ostendere conatur auctor. Dubitari quoque non potest ex testimoniis per laudatum scriptorem allatis, quin moniales Basilianæ in religiosa professione crucem acceperint ab abbatissa : at non æque videtur constare, utrum crux illa semper fuerit argentea, an ex alia materia. Nec omnino certum apparet, crucem illam semper a monialibus Basilianis sanctissimi Salvatoris gestatam fuisse palam in pectore. Bonannus in Catalogo Ordinum part.* 2 *art.* 15 *rationem assignans, cur moniales Basilianas exhibuerit cum cruce in manu, ita scribit :* Imago a nobis exposita crucem manibus præfert, ut ex ea ritus innotescat, quo Basilianæ sanctimoniales Deo consecrantur. Illis enim abbatissa crucem porrigit vel argenteam vel æream, qua significatur, ab eis Christi crucem libenter amplecti, ut cum Sponso cruci affixa usque ad mortem S. Basilii leges profiteantur. *Crux hic dicitur argentea vel ærea, nec dicitur, an appensa fuerit ante pectus, an manu accepta : neque id colligi potest ex verbis abbatissæ crucem porrigentis. Verba illa ex regula monialium recitat laudatus supra scriptor, nomine Agricolæ usus, pag.* 64 : Accipis crucem Domini, cumque sequeris juxta sanctam ipsius vocem? *inquit abbatissa. Novitia vero respondet :* Ita, mater, cum Dei auxilio. *Addit auctor, ex perpetuo usu constare, crucem illam semper fuisse argenteam, et e collo novitiæ ante pectus suspensam fuisse per abbatissam.*

AUCTORE J. S.

probabilis suspicio oritur de professione illius Ordinis.

85 *Favet generalis abbas Ordinis Basiliani huic sententiæ. Quippe postquam moniales sanctissimi Salvatoris impetrassent, ut a Clemente Papa XI multæ ejusmodi cruces benedicerentur ad usum jam dictum, tale dedit testimonium ibidem pag. ultima relatum :* Ego infrascriptus præsentes inspecturis fidem facio atque obtestor, qualiter in virtute præfati rescripti, transmissis ad Urbem in quadam capsula a monialibus SS. Salvatoris civitatis Panormi Ordinis S. P. N. Basilii Magni nonaginta septem parvis crucibus, quas juxta regulam ejusdem S. P. N. tamquam Basiliani habitus insignem tesseram apparenter E gestare solent in pectore ex pervetusta nostri Ordinis consuetudine immemorabili, fuerint jam a SS. Domino nostro Clemente PP. XI de more benedictæ ad effectum lucrandi indulgentias in earum transumpto concessas. In cujus rei testimonium me subscripsi Romæ in collegio S. P. N. Basilii Magni, Religionisque sigillo munivi, die XXII Junii MDCCXV. *Subscriptio erat :* Mag. D. Petrus Menniti abbas generalis Ordinis S. Basilii Magni. *Et infra :* S. Theol. Mag. abbas D. Basilius de Laurentio secretarius, et vicegerens Hispaniarum. *Ex dictis concludo, crucem illam argenteam favere opinioni de monachatu Basiliano* S. Rosaliæ, *sive quis velit Basilianas crucem jam tempore ipsius gestasse in pectore, sive solum manu accepisse in professione. Quin et observo, in pictura Marturanensi hac etiam de causa* S. Rosaliam *cum cruce exprimi potuisse, sicut factum a se dicit Bonannus in imagine monialis Basilianæ.*

Ex scriptura quoque Græca pro monasterio SS. Salvatoris Ordinis Basiliani

86 *Aliud rursus argumentum pro vita monastica* S. Rosaliæ *habetur ex inscriptione illa Græca, de qua egi* § 3. *Quippe si certo constaret, scripturam illam esse* S. Rosaliæ, *certa quoque esset vita ipsius monastica. Cum autem op*F*pugnetur et contra defendatur fides illius inscriptionis ; nec certo ostendatur supposititiam esse, aut alteri Rosaliæ attribuendam ; argumentum ex illa scriptura petitum ad alia accedit tamquam probabile, non vero tamquam certum. Porro scriptura illa assignat etiam monasterium sanctissimi Salvatoris Panormi, in quo Sancta vitam monasticam fuisset professa, sicuti contendunt Basilianæ causæ patroni, licet velint in alio prius monasterio monacham factam, et postea ad illud translatam. Monasterium autem istud semper fuisse sub regula S. Basilii scriptores Siculi passim consentiunt. Rocchus Pirrus tom.* I *Siciliæ sacræ in Notitia ecclesiæ Panormitanæ pag.* 220 *de eo monasterio sic habet :* S. Salvatoris *(monasterium)* cœptum a Roberto Guiscardo ædificari, atque anno MCXLVIII a Rogerio rege bonis auctum est : ideo REGIUM appellat rex Martinus ; tria huic adjuncta cœnobia dixi fol. 114. Vixit olim in eo Constantia Rogerii R. filia, quæ nupsit deinde Henrico imperatori. Sub disciplina est Basiliana : haud diu est, cum adhuc Græce psallebant. *Pag.* 113 *et* 114 *hac dixerat :* Anno MCXLVIII regium cœnobium, cui

AUCTORE J. S.

a Servatore nomen est, Ordinis S. Basilii, ducis olim Roberti, ac inde Rogerii regis opera extructum, (*Hugo archiepiscopus Panormitanus*) monialibus ad incolendum tradidit; quæ a S. Matthæi de Cassaro, S. Theodori, et S. Mariæ de Oreto vetustis ædibus emigrarunt.

non levis colligitur conjectura.

87 *In hoc ultimo monasterio monacham esse factam* S. Rosaliam, *indeque cum aliis anno* 1148 *ad monasterium SS. Salvatoris emigrasse vult Justinianus, et pro opinione sua allegat traditionem, et inscriptionem Italicam in pariete monasterii positam, qua indicatur, habitasse ibidem* S. Rosaliam. *Verum nec traditio illa nec inscriptio videtur antiqua : nam antiquitas istius traditionis nullibi probatur, et inscriptionem esse neotericam, testatur Mongitorius in Dissertatione Ms. nobis transmissa, asserens se locum curiose perlustrasse et inscriptionem vidisse. Quapropter non tantum pro hoc monasterio habetur fundamentum, quantum pro monasterio SS. Salvatoris, licet revera potuerit in hoc commigrare ab uno e tribus recensitis, si in monasterio sanctissimi Salvatoris vixerit, uti habet Græ-*
B *ca inscriptio. Moniales SS. Salvatoris anno* 1699 *post restitutam sibi prædictam scripturam una cum cruce lignea, ut relatum est* § 2 *a num.* 16, *non videtur dubitasse, quin* S. Rosalia *in suo olim monasterio habitasset tamquam monialis ejusdem Ordinis et monasterii, atque idcirco altare ipsi erexerunt. Verum cum et scripturæ fides oppugnetur, ac scriptura alterius esse possit Rosaliæ; probabilis quidem suspicio et conjectura oritur ex laudato scripto : at dici nequit, rem ea de causa satis esse certam.*

Monastica professioni etiam favent apparitiones variæ,

88 *Argumentum quoque desumunt patroni vitæ monasticæ ex variis apparitionibus, in quibus* S. Rosaliæ *ut monacha dicitur visa. Utuntur ea ratione tam Benedictinæ quam Basilianæ causæ defensores. Justinianus in Annotatis Vitæ Ms. ita scribit :* Cum primum sese videndam objecisset Rosalia (ut apud Cascinum pag. 25 legitur, et Vincentius Garigliaпus narrat) anno MDCXXIII, mense Octobri, Hieronymæ Gatto, seu lo Gattutu, ex processu autentico Cardinalis Doriæ jussu efformato, sub Religioso habitu, specieque sanctimonialis apparuit. *Videri potest Cascinus loco assigna-*
C *to. Apparitionem infra dabo ex Salerno, qui de specie apparentis* Rosaliæ *ita loquitur :* Adolescentulam videt *(dicta Hieronyma Gatto)* sanctimonialis specie et habitu. *Subjungit Justinianus post varios scriptorum textus sequentem apparitionem :* Eodem ipso habitu apparuit Franciscæ dell' Arco Panormitanæ, in valetudinario sanctæ Luciæ pestilentia gravissime laboranti, mense Octobri, anno MDCXXIV, ut ex processu jussu Cardinalis Doriæ facto refert Gariglianus : *Verba Gariglianі Italica mox subdit, quæ sic Latine reddo :* Apparuit illi mulier quasi monacha, quæ ipsi dixit *etc.*

in quibus ut monacha visa est.

89 *Mox Justinianus sic pergit :* Idem fere contigit XII Septembris eodem anno Vincentiæ de Bongiorno extremum vitæ spiritum agenti, et a Rosalia sanitate donatæ. *Textus Italici, quem recitat, hoc est initium :* Quadam nocte apparuit ipsi aliqua habitu monacha, vestita sicut Patres S. Luciæ *etc. Monasterium S. Luciæ Panormi est Franciscanorum reformatorum, ut habet Pirrus tom.* I *Siciliæ sacræ pag.* 218. *Prosequitur rursum Justinianus :* Testatur id ipsum Nympha Scarfillotta, cui pristina valetudo a S. Rosalia restituta est, ut quinque medicorum, Jacobi Anastasi, Jacobi Vitrani, Antonini Fausuni, Francisci Cupacchi, et Jacobi Cajolæ jura- D
mento constat. *Subdit textum Garigliani, quo dicitur apparuisse ut monacha ; et mox duas apparitiones, oblatas Philippo Salonia sacerdoti, et Francisco Facciolo Panormitano, quas suis locis inseremus. Hic solum concludere liceat, tot apparitiones, juramentis firmatas et episcopali judicio probatas, in quibus monachæ habitu visa est* Rosalia, *non parum favere defensoribus instituti ipsius monastici. Cum tamen non eodem semper habitu visa sit; nihil quoque certi ex hoc argumento colligi potest.*

Ratio ultima petitur ex consuetudine magis usitata ordiendi anachoresin :

90 *Postremum argumentum, quod pro vita monastica* S. Rosaliæ *profertur, omissis aliis minoris momenti ratiunculis, petitur ab usu et consuetudine frequentiore et probatiore vitam anachoreticam vel eremiticam ordiendi. Certum est et indubitatum, Sanctos nonnullos a vita seculari statim progressos esse ad vitam solitariam vel eremiticam, sine ulla exercitatione in cœnobio. Ita S. Paulus eremita, et alii nonnulli antiqui ad solitudinem se contulerunt, nulla prævia exercitatione monastica : idque maxime contigit primis Ecclesiæ seculis, quibus rarior erat* E
vita cœnobitica, et monasteria minus frequentia minusque nota. Postquam vero crebra per totam Ecclesiam condita sunt monasteria, plures se ex cœnobiis ad solitudinem receperunt, ut ibidem contemplationi perfectius vacarent : atque is modus inchoandi vitam anachoreticam Sanctorum Patrum consiliis et Ecclesiæ legibus est conformior, et præcedente longe usitatior. Suarez tom. 4 *de Religione lib.* I *cap.* 2 *num.* 4 *ad propositum nostrum ita scribit :* Supposita vero illius vitæ *(eremiticæ)* sanctitate, ostendere oportet, fuisse vere statum Religiosum. Circa quod sciendum est, vitam illam solitariam dupliciter assumi posse ; primo, statim a principio conversionis ab illa inchoando ; secundo, ad illam a cœnobitica vita transeundo. Hoc posteriori modo consulunt Patres vitam illam esse assumendam, postquam scilicet aliquis in cœnobio per multos annos se exercuerit, et magnos progressus in perfectione fecerit.

nam SS. Patres passim suadent,

91 *Audiamus, quid S. Hieronymus, cui* oppidum carcer, et solitudo paradisus *erat, de hisce scribat ad Rusticum Monachum epist.* 95, *olim* F
4 : Nunc, *inquit*, monachi incunabula, moresque discutimus : et ejus monachi, qui liberalibus studiis eruditus in adolescentia, jugum Christi collo suo imposuit. Primumque tractandum est, utrum solus, an cum aliis in monasterio vivere debeas. Mihi quidem placet, ut habeas Sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, et absque doctore ingrediaris viam, quam numquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit, et errori pateas : plusque aut minus ambules, quam necesse est ; ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormiscas. In solitudine cito subrepit superbia. *Quod ubi late probaverat, ita pergit :* Quid igitur ? Solitariam vitam reprehendimus ? Minime : quippe quam sæpe laudavimus. Sed de ludo monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant ; qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint ; qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent : quos nec esuries aliquando, nec saturitas superavit ; qui paupertate lætantur ; quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est *etc. Idem sanctus Doctor epist.* 97 *ad Demetriadem vitam solitariam*

AUCTORE J. S.

A *riam sic laudat, ut simul ostendat, quam sit periculosa maxime in feminis :* Solet inter plerosque, *inquit*, esse certamen, utrum solitaria, an cum multis vita melior sit : quarum prior præfertur quidem secundæ : sed si in viris periculosa est, . . . quanto magis in feminis, quarum mutabilis fluctuansque sententia, si suo arbitrio relinquatur, cito ad deteriora delabitur? *etc.*

ut vitæ anachoreticæ præmittatur monastica ;

92 *Consentit hisce S. Benedictus cap.* I *Regulæ, quoad probationem in cœnobio vitæ solitariæ præmittendam, secundum monachorum genus ita describens :* Deinde secundum genus est anachoretarum, id est, eremitarum; horum, qui non conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum, multorum solatio jam docti, pugnare : et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante pugnare sufficiunt. *Quin imo hic Sanctus videtur improbare vitam eremiticam eorum, qui illam sic non ordiuntur. Audiamus sequentia :* Tertium vero monachorum B teterrimum genus est Sarabaitarum, qui nulla Regula approbati, vel experientia magistra, sicut aurum fornacis : sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certe singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus : pro lege eis est desideriorum voluptas; cum quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. *Videtur revera S. Benedictus his verbis comprehendere omnes illos, qui in solitudinem pro arbitrio suo secedunt, nulla prævia probatione in cœnobiis, cum illi nec Regulæ subsint, nec vitæ monasticæ experientiam habeant. Verumtamen S. Isidorus de Officiis eccles. cap.* 16 *eremitas distinguit a Sarabaitis, et priores laudat, alios vero vituperat. Id certum est, eremitas quosdam sanctissimos fuisse initio Ecclesiæ, sed illum vivendi modum deinde minus probatum, nisi assumeretur legitima auctoritate, seu superiorum licentia.*

et vita anachoretica sic assumpta perfectior est,

C 93 *Porro sicut Patres suadent, ut vita solitaria non inchoetur nisi post monasticam; ita facile probari potest, vitam solitariam sic assumptam esse perfectiorem vita solum eremitica, quam monastica non præcessit. S. Thomas* 2, 2 *q.* 188 *art.* 8 *quærit, utra vita sita sit perfectior, cœnobiticane an eremitica. Respondet autem, varia distinguendo, solitariam vitam perfectiorem dici posse, quia hæc est vita perfectorum :* Sicut ergo, *inquit*, id, quod perfectum est, præeminet ei, quod ad perfectionem exercetur, ita vita solitariorum, si debite assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima, nisi per divinam gratiam suppleatur, quod in aliis per exercitium acquiritur, sicut patet de beatis Antonio et Benedicto. *Suarez ante laudatus lib.* I *cap.* 2 *num.* 14 *explicans S. Thomam, ad propositum nostrum ita loquitur :* Ultimo constat ex dictis, quid dicendum sit de comparatione inter hos duos status, solitarium et cœnobiticum. Nam D. Thomas . . . videtur simpliciter solitariam vitam præferre, quando debito ordine ac modo assumitur; quia comparatur ad aliam, sicut terminus ad viam; terminus autem ex suo genere perfectior est via. Et in præsenti cænobia ad hoc sunt, ut homines tendant ad perfectionem; vita autem solitaria supponit perfectionem acquisitam : unde solum est ad exercendam perfectionem. Sed in primis D. Thomas loquitur de vita solitaria, quando ad illam per vitam Religiosam in cœnobio seu conventu transitur. Quo modo vita hæc solitaria jam supponit verum statum Religiosum, et ita non præfertur status statui, sed in eodem statu præfertur gradus perfectorum gradui proficientium. Unde etiam supponitur diligens exercitatio in vita communi Religiosa, ita ut perfectio jam comparata sit, et ad illam exercendam solitudo eligatur, non proprio judicio, sed superioris arbitrio : nam talis solitaria vita non caret obedientiæ subordinatione, cum non destruat Religiosum statum, sed perficiat. *Ex hisce certum est, meliori ordine procedi ad vitam eremiticam per cœnobiticam, quam sine illa; quia perfectio, ad vitam eremiticam necessaria, magis potest acquiri in monasterio, quam in eremo, ut egregie ostendit S. Basilius in Regulis fusius tractatis cap.* 7.

quam sit eadem ; si inchoetur sine monastica.

94 *Sequitur secundo, vitam eremiticam, quæ assumitur post monasticam, perfectiorem esse eremitica aliter inchoata, non solum quia supponit perfectionem jam acquisitam, sed etiam quia continet excellentiam vitæ monasticæ simul et solitariæ, uti ex allatis verbis constat. Illa vero locum* E *non habent, si quis recta ex seculo ad solitudinem se conferat, cum nec perfectionem acquisiverit, nec Religiosis votis sit adstrictus. Audiamus rursus Suarezium, qui num.* 16 *de hisce sic loquitur :* At vero quando hic status vitæ solitariæ non supponit statum Religiosum, licet possit fortasse dici modus vivendi perfectior quoad actionem, vel quoad usum, non potest dici status perfectior, quia status non est : et ex ea parte imperfectus modus vitæ est, quia potest propria voluntate mutari. Quomodo dixit Glossa in dict. c. QUI VERE, eremitam transeundo ad monachum, transire ad vitam arctiorem, quia jam non potest habere propria : adde, et quia jam est sub obedientia, quod est omnium optimum, quantum ad statum spectat. *Præfert hic Suarez vitam monasticam eremiticæ illi, quæ monasticam non habuit præviam, cum tamen eremiticam assumptam post monasticas exercitationes agnoscat excellentiorem esse monastica. Quanto igitur magis illa est excellentior alia eremitica? Dein ita pergit laudatus scriptor :* Quin F potius, licet supponatur Religiosus status, si non supponitur exercitatio Religiosa in congregatione Fratrum, et magna virtus et perfectio acquisita; illud vitæ genus regulariter loquendo eligibile non est, quia non est via secura ad perfectionem, sed periculis plena : Nisi divina gratia (ait D. Thomas) suppleat, quod in aliis per exercitationem acquiritur, ut in S. Benedicto et aliis. Quamobrem absolute et humano modo loquendo, ille vivendi modus omnino solitarius, illo modo assumptus, non cadit sub humanum consilium, nec potest dici simpliciter melior, sed solum cum hoc addito, Nisi specialis Spiritus sancti instinctus interveniat, ita ut homo interius ab Spiritu sancto certitudinem accipiat, quod sub protectione et directione sua illum suscipiat. *Hactenus Suarez, ex cujus posterioribus verbis argumentum sibi sumunt contrariæ opinionis patroni.*

Volunt aliqui honorificentius esse Sanctæ, si credatur clanculum fugisse :

95 *Contendunt illi, honorificentius esse* S. Rosaliæ, *si via extraordinaria ad sanctitatis culmen pervenerit, quam si via ordinaria Sanctorum ad perfectam vitam ascenderit; ideoque volunt,*

AUCTORE J. S.

lunt, Sanctam non per vitam monasticam progressum fecisse ad solitariam, sed clandestina fuga ad eremum se contulisse, ut speciali instinctui Spiritus sancti omnia attribuantur. Sane negari non potest, quin sanctus Spiritus facile possit supplere, quod deest humanæ industriæ; et hominem a vita mundana ad eremiticam ducere, atque in illa sic protegere tantaque gratia fovere, ut omnia vitæ solitariæ pericula superet, et brevi ad perfectionem perveniat. Imo prorsus credendum esset, ita contigisse S. Rosaliæ, si atiunde satis constaret de fuga ipsius occulta, et de vita tam sotitaria, ut nulli umquam mortalium innotuisset vivens in spelunca sua Rosalia. Verum jam ostendi, fugam itlam clandestinam nutlo niti monumento antiquo; vitam vero omnino hominibus absconditam, non solum carere solido fundamento, sed esse conjecturam neotericorum non satis probabilem. Quapropter præcipuum illius argumenti fundamentum jam subtatum est. At, etiamsi tantisper supponamus, plane esse dubium, utrum S. Rosalia clanculum in eremum fugerit, an alio modo vitam eremiticam exorsa
B sit; facile erit ostendere, quam muttis laboret vitiis ratiocinatio illorum, qui volunt S. Rosaliam extraordinario modo ad Sanctitatem pervenisse, idque ei honorificentius credunt.

at neque id quæritur, neque satis probatur,

96 Primo igitur, dum in gesta aticujus Sancti inquirimus, examinamus, quid sit verius, non quid Sancto honorificentius. Secundo, non satis capio, cur S. Rosaliæ magis esset gtoriosum, si diceremus ipsam clanculum ad solitudinem fugisse, quam si dicamus eam post vitam monasticam perrexisse ad eremum, ut ibi vitam duceret austeriorem. Dicunt adversarii, primum fuisse factum aut fieri debuisse ex speciali instinctu Spiritus sancti, quod facite admisero, si de facto constet. Verum dico, transitum ex vita monastica ad vitam solitariam et tam austeram, qualem duxit S. Rosalia, etiam non esse factum sine speciali Spiritus sancti instinctu. Nutla hic est differentia, nisi quod in primo casu Spiritus sanctus Virginem ad vitam sotitariam duxerit per viam extraordinariam; in altero per viam ordinariam ad eamdem vitam pertraxerit. Cur autem gloriosius sit via extraordinaria ad perfectam vitam duci, quam ordinaria, sane necdum
C perspicio. Si quis velit, majorem esse differentiam inter vitam mundanam et solitariam, quam sit inter hanc et monasticam; ideoque transitum a vita mundana ad sotitariam esse gloriosiorem, quam sit transitus a monastica ad sotitariam; ne hanc quidem consecutionem legitimam esse video: nam monialis metius potest perspectas habere difficultates, tædia et pericula vitæ solitariæ, quam puetla mundana, et non minus ab illa abhorrere: atque ea de causa, licet ab itla vita minus distet, non minus gloriosum est ipsi tatem vitam, Deo vocante, amplecti; quam sit pueltæ seculari, quæ quanto longius distat a vita solitaria, tanto minus cognitas habet iltius vitæ difficultates.

cum non omnia perfectiora sint, quæ magis sunt miranda.

97 Cascinus lib. 2 cap. 10 mire extollit excettentiam S. Rosaliæ, quod in solitudine vixerit sine ductore et magistro spirituali, ac ductum sotius Spiritus sancti et angelorum sit secuta. At non video, quid sanctitati ipsius et excellentiæ obesse possit, si dicamus eam ab hominibus quoque instructam fuisse: neque enim S. Paulum eremitam, qui diutissime vivit sine ulta aliorum hominum societate, sanctiorem dicimus aut excettentiorem Antonio, Benedicto, aliisque similibus Sanctis, sed judicium de illorum præeminentia Deo relinquimus. Mirandam quidem magis fatemur vitam sine hominum societate et subsidio; at quæ magis miranda, non sunt semper perfectiora aut excellentiora. Ei certe perfectius non est, venisse ex mundana vita ad solitudinem, quam ex vita monastica, quod hic solum quæritur. Ac demum, quidquid sit de majore vet minore perfectione, credibilius est, S. Rosaliam via ordinaria et probata ad solitariam vitam venisse, quam modo tam extraordinario, ut a temeritate excusari non possit, nisi per specialem Spiritus sancti instinctum. Ceterum ex dictis hactenus nihil certi concludere præsumo; sed judicium de argumentis relatis et disputatis permittere statui erudito lectori. Habeni rationes suas Benedictini, suas Basiliani, suas quoque eorum adversarii, utriusque Ordinis prætensioni repugnantes. Id certum est, S. Rosaliam ad excelsum sanctitatis culmen vita solitaria et austera ascendisse; atque hoc confirmatur miraculorum gloria, exortoque inde celebri cultu per totam Ecclesiam. Itaque Sanctam celeberrimam debita pietate et veneratione omnes prosequantur, præsertim Siculi: nec contendere pergant, certa esse, quæ certo non probari, satis ostendi. E

§ IX. Tempus, quo Sancta floruit: nomen, patria, familia.

Creditur passim Rosalia vixisse seculo XII, et mortua circa annum 1160:

Cascinus lib. 2 Operis sui Italici de gestis S. Rosaliæ disputaturus, fatetur se inopia veterum scriptorum eo redigi, ut ratiocinando et conjecturando in gesta Sanctæ sit inquirendum, atque idcirco ait se partem ittam vocare, Discursum historicum de vita S. Rosaliæ. Quare viri religiosi et eruditi conjecturas sic breviter expendam, ut imagines etiam æri incisas, quibus illæ nituntur, lectorum oculis sim objecturus. Addam quoque aliorum conjecturas, ubi videbitur operæ pretium, ut discuti possit, quænam magis sint probabiles vel improbabites; atque ita ordine temporum pergam usque ad obitum Sanctæ. Primo igitur inquirendum, quo fere tempore S. Rosalia vixerit. Scriptores Sicuti passim iltigant ætatem S. Rosaliæ seculo XII, cum pterique vetint eam esse defunctam circa annum 1160, nec credant ætatis fuisse admodum provectæ. Magis tamen invicem consentiunt de anno emortuali utcumque assignando, quam de natali. Octavius Caietanus in Vitis Sanctorum Siculorum, prout relatio ejus Ms. nobis communicata est, ita habet: Rosalea virgo Panhormi nata creditur, unaque fuisse ancillarum Margaritæ reginæ, quæ Willelmi Siciliæ regis conjux fuit, a qua proximum urbi Panhormo montem, cui Peregrino nomen est, dono habens, eo secessit. Hæc verba faciunt S. Rosaliam in auta Sicula degentem post medium seculi XII: nam Pirrus in Chronologia regum Siciliæ in Willelmo I nuptias hujus cum Margarita Navarræ regis filia iltigat anno 1150, et eodem anno ad regni administrationem admotum dicit a patre Rogerio, ut simul cum eo regnaret. Patre autem defuncto anno 1154, solus regni gubernacuta tenere cœpit, eaque cum vita deposuit anno 1166, ut cum Pirro etiam ostendit Pagius ad illum annum num. 9.

99 Dc

AUCTORE J. S.

A

verum, si montem Peregrinum accepit dono Margaritæ reginæ,

99 *De testamento autem Willelmi I ita ad propositum nostrum aliis Pirrus ibidem :* Testamento Willelmum filium superstitem post se regem edixit, . . . Margaritam vero uxorem totius regni administratricem, quousque Willelmus per ætatem aptus esset imperio, constituit. *Superfuit Margarita multis deinde annis, et epitaphium a Pirro editum mortuam statuit anno* 1183, *Kalendis Augusti. At Pagius ad eumdem annum num.* 3 *adfert diploma Lucii Papæ III, in quo de Margarita ut defuncta loquitur Pontifex. Cum autem diploma sit datum anno* 1183, *Nonis Februarii, licet notetur* anno MCLXXXII *pro more illius temporis, quo annum a* XXV *Martii inchoabant ; citius obiit Margarita, quam asseratur in epitaphio, quod verisimiliter diu post mortem reginæ positum est. Porro cum Margarita regnum administrare cœperit anno* 1166; *Si* Rosalia *montem Peregrinum dono Margaritæ habuit, ut vult Caietanus, dubitandum non videtur, quin vitam produxerit diu post annum* 1160. *Etenim non facile alia assignabitur ratio, cur montem potius accepisse dicatur dono Margaritæ reginæ,* B *quam Willelmi regis, nisi quod donatio illa facta sit post mortem Willelmi I, quando Margarita regnum administrabat, id est, ipso anno* 1166 *aut paulo serius, antequam Willelmus II per se regere cœpit.*

ut varii scriptores asseruerunt,

100 *Tornamira in Responsis ad octo interrogationes resp.* 5 *pag.* 55 *et* 56 *pro illa donatione Margaritæ adducit etiam verba Philippi Paruta, et aliorum quorumdam, qui constantissimam traditionem allegant. Inter alios autem laudat Valerium Rossum, qui ante inventionem corporis anno* 1590 *de conventu Minorum Montis Peregrini Italice scripsit, quæ reddo Latine :* Ecclesia hujus conventus ædificata est a duce Medinæ . . . Prope hanc ecclesiam conspicitur antrum, in quo habitavit S. Rosalia virgo Panormitana, domina dicti montis, qui ei fuit concessus a quodam Siciliæ rege. Postea urbs Panormitana illius accepit dominium. *Hic scriptor ipso Caietano antiquior, et diu ante inventionem corporis defunctus, antiquam narrat traditionem, sicuti ex traditione scripsit Caietanus. Facile autem alter alteri potest conciliari : nam si montem donavit Margarita, non nisi regis filii sui no-* C *mine id facere potuit. Multos alios scriptores pro illa donatione adfert Justinianus in vita Ms., sed eos brevitatis causa mitto. Cascinus ipse hanc veterum opinionem non ignoravit; sed pag.* 164 *eamdem refert ut scriptam a Caietano; quamvis eam lib.* I *cap.* I *pag.* 9 *jam improbasset, nisi id postea sit additum.*

mors Sanctæ videtur serius collocanda, eodem tamen seculo XII.

101 *Porro laudatus Cascinus cap.* 19 *disputat de tempore, quo obiit* S. Rosalia, *aitque traditionem esse , eam obiisse circa annum* 1160, *ac pro ea opinione citat Ferrarium, qui in Catalogo generali ad* IV *Septembris scribit :* Obiit circa annum Domini MCLX. *Laudat pro eadem epocha Caietanum. Verum si verbis Caietani , qui haud dubie præferendus hic est Ferrario, presse inhærere velimus, potius obitus Sanctæ circa annum* 1170 *vel* 1180 *collocari debebat. Nam, etsi ex verbis ipsius certo nequeat deduci,* Rosaliam *tam sero obiisse; id tamen ex iis probabiliter sequitur: cum donatio montis Peregrini verisimiliter facta sit anno* 1166 *aut serius; cumque in illius montis antro Sancta ad aliquot annos vixisse credatur : ita ut, supposita veritate illius donationis, non videatur certe obiisse ante annum* 1170, *et facile vivere potuerit usque ad* 1180 *et diutius. Qua de causa dubito , an epocha per Cascinum ex Ferrario statuta, et ab omnibus passim scriptoribus Siculis adoptata, pro satis certa haberi possit. Quid vero Siculos scriptores permoverit, ut epochæ prædictæ firmiter inhærerent, Cascinus pag.* 280, *aliique satis indicarunt. Timuerunt nimirum ne immemorabili Virginis cultui obesset, si crederetur vixisse et defuncta esse tempore Alexandri Papæ III. At clarum est, inanem fuisse formidinem illam, cum multi alii Sancti cultum immemorabilem habeant, etsi Alexandro III sint posteriores. Verumtamen cum nec Caietani opinio de donatione montis Peregrini, quæ sola traditione nititur, omnino certa sit; cumque etiam incertius sit, an donatio facta sit post mortem Willelmi I; nihil certi de tempore vitæ et obitus* S. Rosaliæ *statuendum existimo, nisi eam vixisse seculo* XII, *et obiisse post medium istius seculi cum maxima latitudine.*

Nomen Sanctæ diversis modis olim scriptum;

102 *De nomine* S. Rosaliæ *lib.* 2 *cap.* 4 *fuse disputat Cascinus, quia nonnulli olim non* Rosaliam , *sed* Rosoleam , *alii* Rosaleam , *alii* Rosam Leam *scripserunt. Salernus autem cogitationes Cascini compendio sic exposuit :* E Fuere, non tamen ante annum , quod sciam , MDCXII , qui degenerem , et male corruptam a vulgo vocem, Rosaliæ nomen credidere : quare jam tum a plerisque cœptum , ROSOLEAM dici ; quæ vox ad Italicam politiorem nomenclaturam aptius conformata, libentius ab eruditis auribus excipiebatur. Manavit error e tecto ædis Olivellensis sanctarum virginum picturis variegato, ubi in erratica sceda a pictore scriptum S. ROSOLEA. *(Cascinus ibi scriptum dicit* Rosa Lea *duplici voce.)* Sed hominis in immutando nomine nuperam negligentiam vel audaciam arguunt veteres omnes tabulæ Rosaliæ nomen præferentes , inter quas una in Maturanensi templo ab anno MCCLVII descripta est. Iis adde sacrarum precum breviaria volumina , et Sanctorum nomina in serie ad litanias in libello ecclesiæ Panormitanæ olim digesta. Quæstioni demum finem imposuit Quisquinensis epigraphe, ubi his prolatis vocibus, EGO ROSALIA, Diva ipsa suum sanxit nomen. *Hactenus Salernus, cujus dicta egent nonnulla correctione* F *aut potius explicatione : neque enim omnibus locis assignatis legitur* Rosalia, *ut asserit, sed quibusdam* Rusalia; *ad idem nomen est* Rosalia *et* Rusalia, *sed posteriori hoc modo effertur et subinde scribitur pro consuetudine Siculorum, litteram* o *in* u *mutantium.*

ratio diversitatis assignatur,

103 *Sæpe laudatus Castiglia nobis transmisit figuram vetustæ imaginis ad minorem formam contractæ, sub hoc titulo :* Vetusta imago S. Rosaliæ , quæ Bisbonæ in sacrario templi S. Antonii nunc diruti colebatur inter duodecim Sanctas virgines. *Figuram hanc æri incisam huc transfero cum adjuncta inscriptione, ubi exprimitur* Rusalia, *prout videri potest pagina sequenti. Interim addo observationes, quas adjunxit jam ante laudatus P. Caietanus Maria Noto :* Hic notatu dignum est, *inquit,* in prima nominis syllaba litteram o in u mutatam , pro consueto Siculorum idiomate : quibus in usu est , o litteram Italis in vocibus in u Siculo vocabulo immutare : itaque RUSSU aiunt pro ROSSO , RUVETTU pro ROVETO etc. Legatur Cascini lib. 2 cap. IV pag. CLXXVI. *Testatur ibi Cascinus eam consuetudinem esse antiquam , et pro exemplo dat*

AUCTORE J. S.

dat nomen Georgius, *quod in libro quodam chori scriptum est* Geurgius.



Pergit P. Noto in hunc modum : In quodam Breviario metropolitanæ ecclesiæ Panormitanæ Gothicis litteris inscripto, quod Simon Bononia archiepiscopus Panormitanus anno MCDLII ex antiquiori (cujus adhuc in prædicta ecclesia exstat lectionarium, seculo, ut antiquarii putant, XIII iisdem litteris scriptum) transcribendum curavit, in litaniis nomen S. Rosaliæ inter S. Margaritam et Anastasiam sic scriptum legitur : S. RUSALIA. Sic denique nomen S. Rosaliæ inscriptum habet tabula omnium antiquissima, quæ in Panormitano monasterio Marturanensi servatur.

C

et probatur verum nomen esse Rosalia.

104 *Cascinus loco mox assignato satis probat,* Rosoleam *numquam fuisse scriptum Sanctæ nomen ante tabulam Olivellensem, quæ picta fuit non diu ante annum* 1498. *Postea vero ante corporis inventionem usus ille invaluit magis. Inter illos, qui scripsere* Rosalea, *fuit ipse Octavius Caietanus, nomen ubique sic efformans in Ms. suo, ubi et addit :* Plerisque ROSA LEA creditur dicta, quod ex Lea familia fuerit. *At ista sunt ab editore Operis recisa, quia credidit falsam eam opinionem, quantum existimo. Et revera ex omnibus aliis tabulis, una excepta Olivellensi, aliisque adductis monumentis abunde evincitur, verum nomen esse* Rosalia, *licet tempore inventi corporis plerique scriberent* Rosolea *vel* Rosalea, *donec inventa sit Quisquinensis inscriptio. Forte nomen scriptum fuit a Latinis* Rosalia, *a Græcis vero* Ροσολία, *indeque enata scribendi varietas. Ceterum de origine istius nominis multa cap.* 5 *disputat Cascinus, quæ missa facio. Solum observo male ibidem ab eo adduci supposititia chronica Dexteri et aliorum, ut aliquod istius nominis antiquum ostendat exemplum : nam Chronica illa fictitia sunt; at id necdum innotuerat, dum scribebat Cascinus.*

105 *Salernus a nomine pergit ad patriam et familiam Sanctæ, ita scribens :* Panormi natam Rosaliam e nobilissimo genere, quod regiam familiam propinquitate contingeret, vetus, ut dixi, fama a majoribus deducta confirmat. Quare in aula regia natam eductamque refert : cujus rei testis in primis locuples est, quam laudavi, Octavius Caietanus. *At non omnia illa testatur in Ms. Caietanus. De patria tamen Panormo tam Caietanus, quam reliqui passim scriptores Siculi in unam consenserunt sententiam. De stirpe vero* S. Rosaliæ *major est dissensio. Nam omnes quidem neoterici scriptores, quos mihi videre licuit, agnoscunt nobilissimum Sanctæ genus, voluntque eam a Carolo Magno descendere; et vel consanguineam vel affinem quoque fuisse regnum Siciliæ plerique existimant. At lineam genealogicam variis modis formant, nec ulli eorum tam clare opinionem suam probant, ut veritas patescat. Id certum est, sententiam de* Rosalia *e stirpe Caroli Magni orta, Romæ visam esse tam probabilem, ut non solum Officio ecclesiastico, sed etiam Martyrologio Romano fuerit inserta. Constat insuper, sententiam illam deinde Romæ oppugnatam fuisse, ut deleretur ex Officio et Martyrologio : at tam acriter fuisse defensam a R. P. Josepho Spucces Societatis Jesu, ut nihil fuerit immutatum. Habeo ante me Discursum Latinum Ms., quem laudatus Spucces in hunc finem composuit. Verum litteras aliaque monumenta Ms., quæ in laudata dissertatione allegantur, videre non licuit : atque idcirco de re tota minus accurate judicare possum.*

D

Panormi passim creditur nata e nobili et regio genere,

E

quod ad Carolum Magnum referunt Siculi :

106 *Qua de causa a tricis istis genealogicis abstinere statui. At solum verba Salerni, qui memoratam modo dissertationem Latinam, atque Italicum discursum huic conformem, editum in appendice Operis Cascini a pag.* 31, *summatim exhibet, huc transferam sine ulteriori discussione.* Sinibaldo, *ait,* fuisse parenti nomen, eumque Quisquinæ ac Rosarum, ampli sane terrarum tractus, dominum ab eadem Quisquinensi epigraphe primum nobis innotuit. Cumque diligentius de veteri fama generis Cardinalis Auria archiepiscopus Panormitanus quæsivisset, ab imperatore Carolo Magno genus D. Rosaliam duxisse tam multorum optimatum doctorumque virorum consensu firmavit, ut in re antiquissima, tot sæculis a nobis dissita, nulla nec major, nec melior suffragio desiderari queat. Quare Urbano VIII. Pontifici Maximo non modo, ut id in Sanctorum Martyrologio ad nostræ Virginis laudationem adjiceretur, sed cum eadem res iterum in examen venisset, nihil loco movendum esse persuasit. Impulit vero tantæ Virginis amor, ut eruditissimi quique pervestigare pergerent, qui tandem Sinibaldus pater ad Carolum Magnum referret genus; cur item, aut ipse aut ejus parentes in Siciliam venerint, sedemque Panormi fixerint. Qua in re in hanc tandem sententiam Jordanus Cascini e Societate Jesu, primus hujus historiæ scriptor venit, adduxitque facile reliquos hac plurimarum rerum, quas affert, summa. Constantia nostri Rogerii regis filia posthuma, ut Henrico V imperatori nuberet, Panormo Reatem honorifice deducta est a plerisque magnatibus : hos inter Matthæus recensetur e comitum Marsorum familia ejusdem Constantiæ consanguineus, et Sinibaldi aut filius aut nepos. Sed hæc Matthæi cognatio ab illa Beatrice pendet, quæ Oderisii, ultimi Marsorum comitis filia, Rogerio Siciliæ regi olim nupsit, genuitque Constantiam. In hunc ergo Sinibaldum, qui, Matthæi

F

A thæi cum pater aut avus esset, Rogerio regi affinis fuit, eæ incidunt notæ, quæ D. Rosaliæ parentem fuisse indicent. Genus ille quidem repetit suum a Carolo imperatore, cui Magni nomen adjunctum; de universa quippe Marsorum comitum familia id certis æque ac antiquis scriptorum monumentis comprobatur: in ea etiam tempora incidit, quibus D. Rosaliæ parentem, ob ætatem Filiæ mox statuendam, vixisse oportuit. Panormum Rogerii sedem regiam incoluisse, Matthæi, quam dicebam, profectio argumento est; Rogerio autem adhæsisse Sinibaldum, cum ex Italia, aliisque regionibus præclarissimos ille duces, suique adolescentis regni administros accurate, ut narrant, eligebat, verosimile est, bonisque Siculis ibi auctum a munifico rege facile crediderim.

Rogerii regis cognata dicitur: pater ipsius Sinibaldus Quisquinæ et Rosarum dominus.

107 Quod si traditæ a majoribus famæ de Rosaliæ cognatione cum nostratibus Nortmannis regibus, hæc, quam modo explicavi, affinitas non faciat satis, conjectare per me licebit, duxisse forte Sinibaldum Rogerii regis consanguineam (quod aliis etiam præclaris viris tunc accidisse scimus) a qua et Rosaliam, et amplissimam dotis nomine ditionem sit consequutus: unde majorem etiam hauriet veri similitudinem, B quod fama jam diu vulgavit, Rosaliam in aula regis natam eductamque. Id tandem certum fixumque esse volo, Sinibaldum Rosaliæ parentem Quisquinæ et Rosarum dominum fuisse; id enim eadem suo inscripsit antro Rosalia; quod factum puto, ut de more ejus temporis, Sinibaldo parenti cognomen faceret, aut usurparet, quo ab aliis secerneretur. Est vero Quisquina mons ille, quem nunc Coschinam dicimus, ubi oppidum est, cui nomen a sancto Stephano; Rosas hodie Rosarum montem appellitant, ubi ducatus Bibonensis. Nec adeo angusta hæc omnis ditio fuit, ut ad eam despiciendam opus non fuerit excellenti animi magnitudine fluxas res dedignante: et plane huc tendere volumus, quæ modo enarravimus, generis claritudinem, aulæ fastum, divitiarum ex ditione copiam, ampliorum honorum spem his nixam radicibus, et ob cognationem regis fultam præsidio; isthæc enim omnia Rosaliam eorum contemptricem, atque adeo iis sublimiorem extollunt magis, quam si ea tueri C adamasset, illisque inhians, ut sæpe fit, prope servivisset.

§ X. Sanctæ natales, ætas puellaris, aliaque usque ad discessum ad solitudinem.

Dicitur Sancta vixisse in aula, et chara fuisse reginæ Margaritæ,

Verba Salerni mox data insinuant, S. Rosaliam *non modo vixisse in aula regis Siciliæ, sed in eadem quoque natam educatamque. Idem asserit magis Cascinus in Vita Latina inferius edenda num.* 1, *ubi addit:* Margaritæ certe, quæ Garziæ Navarræ regis filia Willelmo Rogerii filio (*anno* 1150) nupsit, chara in primis fuit. *Quod chara fuerit reginæ Margaritæ, collectum est ex Caietano, qui dixit ancillam fuisse Margaritæ, et ab ea dono accepisse montem Peregrinum; ex quo recte colligitur, charam eidem fuisse in vita. Verumtamen Cascinus deinde in Opere Italico pag.* 135 *in alium sensum verba illa pertrahere conatus est, quod videret ea non satis congruere cum epocha mortis a se statuta. Mentem Cascini exposuit Salernus in Opere Caietani tom.* 2 *pag.* 151, *ubi sic loquitur:* Quo salutis humanæ anno integerrimus Rosaliæ animus in cælum evolarit, incertum nobis est. Id solum fama ad nos deveniens edicit, anno circiter sexagesimo supra undecim secula hæc contigisse. Quare quod de Margaritæ reginæ benevolentia erga Rosaliam retulere majores, id de pietate reginæ erga Puellam jam sanctitatis fama illustrem pertinere potuit. Nam Margarita annum octogesimum tertium duodecimi seculi saltem attigit. Quamvis si paucos admodum annos eremiticæ Rosaliæ vitæ quis tribuat, potuisset illa inter honorarias puellas Margaritæ in aula degens obsequi, et redamari: nam quinquagesimo anno ejus duodecimi seculi nupsit Margarita Guillelmo Siciliæ regi. *Hactenus Salernus, qui maluit dubitare, an Margaritæ convixerit in aula, quam ambigere, an circa annum* 1160 *obierit* Rosalia. *Attamen primum ex traditione scripsit Caietanus. Pro anno vero emortuali circa* 1160 *statuendo nullam, opinor, traditionem umquam allegare poterunt Siculi. Quare malim primum credere saltem ut probabile; et epocham mortis qualicumque isti traditioni accommodare.* E

AUCTORE J. S.

idque conforme est traditioni: at nata in aula non videtur:

109 *Porro natam eductamque in aula regia* S. Rosaliam, *legitur quidem in Opere Caietani impresso; at non in Ms., ex quo contrarium potius colligitur, cum Panormi natam dicat, et de aula taceat. Unde igitur Cascinus et Salernus eam opinionem haurire potuerint, prorsus ignoro. Certe nullam pro ea allegant monumentum antiquum, nullum inscriptionem aut picturam. Imo parum verisimile est, natam fuisse in aula regia* Rosaliam, *cum nec regis nec alicujus, qui in aula regia videtur habitasse, fuerit filia: nam, etsi certa esset propinquitas aut affinitas patris ejus Sinibaldi cum Rogerio rege; tam propinqua non poterat esse cognatio Sinibaldi cum Rogerio, ut verisimile sit, eum in aula regia cum conjuge habitasse, ibique liberos genuisse. Natam igitur in aula regia* Rosaliam *nequaquam existimo. Verum eamdem deinde in aula vixisse, sive ibi vixerit tempore Rogerii regis, sive sub Willelmo et Margarita ut habet Caietanus, nequaquam est improbabile.* F

aulam deseruit aut domum paternam in juventute, ut creditur.

110 *Opinione hæc inserta videtur Martyrologio Romano, non tamen tam clare, ut aliter explicari nequeat elogium, quod hisce conceptum est verbis:* Panormi natalis sanctæ Rosaliæ virginis Panormitæ, ex regio Caroli Magni sanguine ortæ, quæ pro Christi amore paternum principatum aulamque profugiens, in montibus ac speluncis solitario, cælestem vitam duxit. *Voces* aulam profugiens *sic exponi possunt, ut vel credatur in aula vixisse, aut solum aulam frequentasse. In Officio lect.* 4 *de aulo non sit mentio, sed primordia Virginis ibidem sic exponuntur:* Rosalia virgo orta Panormi, a nobili genere suam originem trahens a Carolo Magno, in Quisquinæ montem, quadraginta circiter mille passibus distantem sola secedens, paternæ domus opes, delicias, ac spem majoris amplitudinis, ob propinquitatem et benevolentiam regum Siciliæ, contemptas, cum tetricæ rupis horrore et asperitate commutavit. *Hæc de vita puellari, sive ea tota in domo paterna, sive partim in aula fuerit traducta. Ex domo autem paterna vel aula regia ad vitam duriorem transivit Virgo. Quo vero ætatis anno mundum deseruerit, nullo monumento idoneo haberetur compertum. Si imagini Olivellensi*

AUCTORE J. S.

Olivellensi, quæ secunda est Cascini, et mox dabitur, tuta habetur fides; puella vix nubilis erat Rosalia, *dum mundum reliquit; eaque est communis persuasio satis verisimilis. An vero tunc tredecim solum annos esset nata, ut aliqui volunt, dici nequit, cum probationem non afferant idoneam.*

Inde ad solitudinem, ut ex tabula Olivellensi

111 *Locus hic esset inquirendi, utrum* S. Rosalia, *quando domum paternam aulamve deseruit, monasticam primum vitam sit amplexa in aliquo cœnobio, an vero statim abierit in desertum ad vitam solitariam. Verum de lite illa satis disputatum est supra. Qua de causa solum hic commemorabo, quibus modis singularum sententiarum patroni sanctæ Virginis discessum ad solitudinem narrent. Cascinus clanculum fugisse* Rosaliam, *a solis angelis comitatam existimat, idque significari putat tabula Panormitana ecclesiæ* S. Rosaliæ *Olivellensis, quam ex ipso exhibeo. De hac imagine Cascinus cap. 7 pag.* 189 *sic ratiocinatur:* Cernitur hic S. Rosalia, non in publico, non coram rege aut patre, sed sola in oratorio abscondita in gestu corporis admodum pio, genibus flexis, capiteque singulari gratia inclinato, quasi abeundi licentiam et benedictionem patens a puero Jesu, qui stat in sinu sanctissimæ Matris. Ille autem conversus ad Rosaliam, et duos attollens digitos, in habitu est benedicentis; dum etiam Mater, placide ipsam aspiciens, manumque pectori admovens, eidem quasi pignus dat suæ protectionis. Stant interim hinc et inde duo angeli, quasi ipsam exspectantes instar comitum itineris. Retro vero ad dexteram ex legibus optices repræsentatur antiqua Panormi figura cum monte suo Peregrino. Per montem ad sinistram positum designatur forsan Quisquina.

colligit Cascinus, abiisse a multis creditur:

112 Unus ex istis angelis, qui stat ante ipsam, ad dexteram Virginis Mariæ et Infantis, manu tenet baculum viatorium longiorem, quasi alter Raphaël antiquus ad ducendum juvenem Tobiam: non enim hic angelus est S. Michaël, ut quis forte existimare posset, quia non lancea, sed baculus viatorius est, quem manu tenet. Armis quidem indutus est: at hæc significant bellum, ad quod ipsam ducebat, et defensionem, quam eidem promittebat. Alter angelus, qui ipsi est a dextra, et a sinistra beatæ Virginis, cum una manu teneat librum, et altera corollam precatoriam, verum exhibet specimen angeli precatoris utpote qui ostendere volebat, in quem finem ipsam, Deo volente, ad solitudinem duceret. *Hactenus Gascinus, qui mox iterum repetit tota hac pictura nihil significari, nisi* Rosaliam *a Deo per ministerium angelorum ductam fuisse ad locum incognitum. Verum, quantum opinor, pictor variis istis symbolis solum significare voluit vocationem divinam, qua Sancta interne permota est ad vitam meliorem amplectendam, sive illa vocatio fuerit ad vitam monasticam, sive ad solitariam: nam repræsentatur secularibus vestimentis induta, ita ut non videatur exhiberi ut mox discessura. Dubitari etiam potest, an potius sit baculus viatorius, ut vult Cascinus, quam lancea, quam angelus ille armatus dextra tenet. Arma enim alia insinuant magis esse lanceam: at de eo rectius judicium formari potest ab iis, qui ipsam picturam, quam vetustissimam dicit, et partim vetustate consumptam testatur pag.* 190, *coram intueri potuerunt* Rosaliam *ut mox iter acturam longe alio modo exhibet figura alia inferius danda.*

113 *Porro quidquid sit de ambigua imaginis significatione, nolim, sibi persuadeat, lector talem visionem* S. Rosaliæ *objectam esse, quales species exhibet pictura: quod ne Cascinus quidem contendit. Quippe pia est meditatio cujusdam, qui internam vocationem* S. Rosaliæ *per signa externa repræsentare voluit, aut clandestinam Virginis fugam ad solitudinem, ut credidit Cascinus, de præstantia istius vocationis fuse disserens cap. 7. Cascini ratiocinium compendio dedit Salernus, cujus verba subjungo:* Cælesti motu impetu ab aula regia, patria domo, atque a parentibus ingenua Virgo pietati excolendæ in montis antra secessit: sed quæ fuerint sanctioris vitæ initia explicandum, aut parumper potius admirandum nobis est. Quis plane non perspiciat rem esse sexcentis implicitam difficultatum nodis, ubi omnia ex animo procedunt prospera, mundi gloriam abjicere, certa fultam majoris amplitudinis spe, benevolentia regis animatam, præteritis amplam ornamentis, et futuris amplificandam decorum incrementis? Hæc qui conetur, alto enimvero oportet sit animo, ut divinæ gratiæ efficaciore vegetatus motu, ex altiore fastigio terrenarum rerum tenuitate perspecta, despicere discat universa, cum præsertim speciosa isthæc non despui modo, sed commutari oporteat cum tetricæ rupis horrore, scabrarum asperitate cautium, ferarumque consuetudine. Quare cum D. Rosaliam cogitamus, sublime quidpiam, et vulgari existimatione majus suspiciendum nobis est, quod primis ac celeberrimis eremi cultoribus conferri queat.

magnus Rosaliæ animus,

et divinæ vis gratiæ

114 Sunt qui iis, quæ sensibus sunt obnoxia, adeo capiantur, ut sine illis vix præclarum quidpiam mente concipiant. Quare cum divinum illum animi motum, unde Rosaliæ recessum in solitudinem, abdicationemque rerum ortam intelligunt, explicare conantur, non aliter ejus impetus magnitudinem vel sibi, vel vulgo persuadeant, quam si objectam oculis nostræ Virginis speciem vel patientis Jesu, vel aliam quampiam inusitatam enarrent. Sed profecto nihil hic certum adhuc, firmumque reperi: neque tantum vulgi auribus dandum, ut hæc comminiscamur. Docendus potius est rudis populus, quanto Deus illapsu cor hominis subeat, atque pervadat; quantoque agat impetu, et vertat, quo velit. Discat ille sanctissimis allicientis Dei illecebris facile trahi hominum mentem, horrore percelli ejusdem minis, et omnipotenti manu id fieri, ut quidquid durum in corde, leniter mollescat, quidquid asperum, mitescat; ut blande captus animus dolores amplectatur, suavissimeque a deliciarum sensu abalienetur. Si hæc desint, sensibus objectas piarum rerum species, nil afferre emolumenti; si vero adsint, æque sine sensibilibus prodesse imaginibus. Quapropter ex difficultate potius operis, quod generose aggressa ad finem usque felicissime perduxit, quantos animi motus, sapientiæque cælestis radios Rosaliæ cordi Deus immiserit, conjiciamus, et nostro bono augendo perpendamus.

ex difficultate hujus propositi

115 Facilius profecto erit vites hederasve nullo pedamento ac fulcro assurgere, quam fœminas sese sine aliorum consuetudine sustinere. Quare perbelle Aristoteles materiæ comparavit, quæ formis destitui suis nequit. Neque naturæ, corporisve imbecillitatem hic tantum inspicio, sed mentis etiam et consilii; non enim fert muliebris animus in arduis rebus, eoque minus in cælesti capessendo itinere gressum urgere ullum, nisi auctoris et magistri ope, consilioque fulciatur.



ASPERIORIS VITÆ INITO CONSILIO DEIPARAM, ET PUELLUM
ADIT ROSALIA, A QUIBUS DIMITTITUR IN EREMUM.
ANGELIS COMITATA
Panormi ex tabula vetustissima antiquioris ecclesiæ S. Rosaliæ Oliuellensis.

Lith. du Sénat, Barousse Paris

A tur. At non modo fœminam, sed puellam, Virginem locupletem, assuetam aulæ, dynastæ progenitam, et in amplissimo honorum fastigio positam in latebras montium se abdidisse, fuit longe difficilius. Cum ergo hæc ignorari non possent, virili Puellæ animo fuerunt superanda, nec sine singulari cælestis gratiæ beneficio; quamobrem recessus ille Rosaliæ, eo fuit admiratione ac laude dignior, quo natura erat imbecillior. Eorum præterea, qui in deserta hominibus loca se contulere, consilium fuit ut plurimum, vel tyrannorum rabiem qua terriculis, qua illecebris ad exitium armatam declinare; vel ut sua diluerent scelera suavibus pœnitentiæ lacrymis. At Rosalia neque a tyrannis pulsa, neque ethnicorum furore agitata, nullis irritata conviciis, nec pœnitentiæ acta stimulo, in summa rerum omnium copia et felicitate secure residens, ob unius Jesu Christi amorem, quod ipsa testatur, horrentem speluncarum sedem pro regia Panormitana optavit sibi. Adjunctus certe est plurimorum fugæ ab hominum consortio, sui, suæque tranquillitatis amor, quamvis non contemnendus: nostræ tamen Virginis fuga uno Christi amore suscepta B non umbram pacis, sed vehementioris arenam certaminis cum humani generis hostibus ineundi respexit.

late ostenditur :

116 Demum adeo feliciter cessit sub Ecclesiæ nascentis initia primis eremi incolis recessus, ut florente jam pace, ad aliquot sæcula divinioris auræ impulsu, innumera hominum vis, imitandi studio, solitudinis finibus se contineret: tunc vero propositum exemplar rei difficultatem imminuebat; præsertim cum eo vix unquam penetravit quispiam, ut ex aliorum omnium memoria excidisse videretur; eum longe saltem Patrum in monasteriis præsidentium cura respiciebat. Sed nostra hæc Rosa duodecimo floruit sæculo, cum pro temporum ratione exempla illa in solitudinem a mundo pœne dixerim fugientium elanguerant; nec ullius fœminæ, quæ in nostrate Sicilia tunc eremum incoleret, imitatio Rosaliam propelleret: et omnium plane oculos ibi fallere necesse habebat, quæ fugam inconsultis omnibus, ne retardaretur, inivit; quare cibariis, vestibus, lecto, domo se mox destituendam sentiens, suimet aut oblita, aut negligens, quod supra hominum C morem, et vires est, in vocantis Dei amplexus ruit.

dici nequit, Sanctam fuisse excitatam externis signis.

117 Hæc sunt, quæ fugam Rosaliæ sanctissimis Dei amantis illecebris initam satis commendant. Ceterum quam rerum occasionem arripuerit, vel immiserit Dei consilium, et anne sensibilibus divinarum rerum objectis impulerit, incerta occultaque sunt, et nos hactenus latent. Antiqua sane tabula Divam in eremum jamjam ituram ita exhibet Rosaliæ genu minori * Jesus infanselatis duobus dextræ manus digitis, quasi crucis signo mox benedicturus, abeundi facultatem facere videtur. Puellum sustinet fortunata Parens, et conjectis in nostram Virginem oculis, appositaque ad pectus manu, patrocinii sui sponsionem præsefert. Adstant hinc et inde angeli duo habitu ad iter conformato, bacillo fultus alter et armis, librum alter et precarios globulos, sacram hujus peregrinationis supellectilem defert. Nec ibi prætermissæ, opinor, fuissent, si quæ sensibiles rerum species Rosaliam ad fugam hanc capessendam impulissent. *Ita Salernus satis recte pro opinione, quam sequitur. At nunc etiam videndum, quo demum modo alii* S Rosaliam *ad solitudinem perducant : neque in eorum opinione* Rosalia *carebit laudibus jam recensitis.*

* i. e. flectenti

AUCTORE J. S.

Per quos gradus Sanctam ad solitudinem perducat Tornamira,

118 *Tornamira in Idea conjecturati disc.* 2 *vocationem* Rosaliæ *ad Ordinem Montis Virginis ex conjecturis narrat ; sed revera non probat, quæ refert. Quapropter brevissime solum indicabo præcipua rerum capita. Pag.* 13 *ait, Sanctam per parentes suos ad nuptias fuisse destinatam, nec eorum voluntati primum obstitisse ; sed in speculo suo vidisse Christi Crucifixi vultum, eaque visione sic mutatam, ut seculo renuntiare statuerit. Hæc deprompta sunt ex revelatione Mariæ Roccaforte, cui plerique eruditi Siculi fidem habendam negant. Ait secundo Tornamira pag.* 23 Rosaliam *ita affectam sibi elegisse conscientiæ moderatorem S. Guilielmum Vercellensem, institutorem Ordinis Montis Virginis, quem in Siciliam eo tempore venisse asseruerat. Ait tertio pag.* 25 Rosaliam *consilio et subsidio S. Guitielmi clanculum fugisse a parentibus, ac venisse ad monasterium S. Mariæ de Buffiniana, ibique tyrocinium posuisse vitæ monasticæ. At breviter notandum, plerosque scriptores Siculos contendere, numquam in Sicilia fuisse monasterium istius nominis ; nec satis probari a Tornamira istud ibidem fuisse. Pag.* 37 *ait, petiisse* Rosaliam, *ut sibi liceret a monasterio transire ad vitam anachoreticam, idque ei concessum asserit pag.* 45, *postquam viginti circiter annis in monasterio vixerat, et de more Ordinis Benedictini ab Hugone archiepiscopo Panormitano examinata fuerat, et consensum etiam regis Guilielmi et reginæ Margaritæ obtinuerat. Verum hæc sufficiant de Tornamiræ conjecturis, quæ vestiuntur non paucis adjunctis aperte falsis.* E

quoque demum modo Justinianus :

119 *Justinianus in Vita Ms. nobis missa Sanctæ primordia et vocationem exponit his verbis :* Rosalia virgo, duodecimo seculo nobilibus parentibus, originem a Carolo Magno trahentibus, nata, et in aula regia educata, cælesti mota instinctu in eremum secessit solitariæ vitæ studio: quam apud ingenuas præstantesque genere virgines in cœnobio S. Mariæ, in crepidine ad ripam Oreti fluminis sito, duo millia passuum distante ab urbe Panormo, religiose sub divi Basilii Magni Regula professa exercuit. Durant adhuc mansionis hujusce vestigia e tabulatis F angustæ virginum cellulæ, quas ostendunt; atque in pariete grandioribus exarata litteris inscriptio, quæ Rosaliam in eo loco fuisse commemorat. Aliquot post annos mutatis antiquis sedibus, ac relicto asceterio (cujus etiam nunc jus patronatus sanctimoniales Basilianæ obtinent) in hoc sanctissimi Salvatoris commigrarunt, intra mœnia in ædibus Roberti Guiscardi extructum, et a Rogerio rege bonis auctum anno MCXLVIII. Rosalia vero anachoreticæ vitæ amans, et virtutibus ad eam capessendam necessariis instructa juxta divi Basilii Magni regulas et sacros canones, in oppidum Bivonam * profecta est. Antequam Panormo proficisceretur, testificandæ suæ fidei benevolentiæque erga sorores gratia, reliquiam sanctæ crucis cum Græca pagina in altari sancti patriarchæ Basilii deposuit ; quam a majoribus suisque consanguineis, Hierosolymitano bello redeuntibus, Rosaliam habuisse, verisimile est P. Jordano Cascino scriptori de vita Rosaliæ præcipuo.

* al. Bisbonam

120 Servatur eadem in præsenti reliquia diligentissime cum ipsa scriptura Græca Panormi a sanctimonialibus

AUCTORE J. S. ut in utriusque sententia non pauca sunt incerta.

sanctimonialibus Basilianis in templo sanctissimi Salvatoris, cujus hæc sunt verba Latine reddita : « Ego soror Rosalia Sinibalda pono lignum « hoc Domini mei in monasterio, quod semper « secuta sum. » *Hactenus Justinianus, in cujus conjecturis multa quoque incerta sunt, et non admodum probabilia, licet nihil apertæ falsitatis convinci possit. Videri potest* § 6, 7 *et* 8, *ubi de his in utramque partem disputatum est. Attamen præcipua huc spectantia, quæ incerta dixi, breviter accipe. Incertum est primo, an Sancta umquam fuerit monialis. Incertum secundo, cujus fuerit Ordinis et monasterii, si revera monialis fuit. Incertum tertio, an jam ab anno* 1148 *seculari vitæ valedixisset, et quarto an Bivonam fuerit profecta, priusquam ingrederetur speluncam Quisquinensem. Incertum est quinto an particula illa Sanctæ crucis, et scriptura in monasterio SS. Salvatoris inventa, sit hujus* Rosaliæ, *et sexto incertum est, unde particula illa fuerit accepta : nam Cascinus laudatus lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 319 *de cruce hac non agit, et idcirco* B *adduci non debuerat. Demum vestigia mansionis* S. Rosaliæ *in monasterio ad ripam Oreti sito non videntur durasse a tempore, quo ibi habitasset Virgo, sed recentia esse, ut observavi num.* 87. *Quapropter tota congeries Tornamiræ æque ac Justiniani nec verisimilis est nec probabilis. Verum ex eo nequit recte inferri, vitam monasticam Sanctæ esse æque improbabilem : nam pro hac haberi possunt rationes probabiles, licet defectu monumentorum adjuncta omnia nequeant explicari.*

§ XI. Incertum an Sancta, antequam venit ad speluncam Quisquinensem, in alia vixerit solitaria : describitur Quisquinensis specus, quam Sancta incoluit.

C *Voluerunt Bivonenses Sanctam habitasse in vicinia sua ; at id non probatur :*

Tornamira *in Idea disc.* 4 *num.* 20 *pag.* 47 *scribit,* S. Rosaliam *tyrocinium vitæ solitariæ habuisse in spelunca prope Montem Regalem, atque ex eo deinde translatam fuisse ad Quisquinensem. Loca etiam varia enumerat, per quæ sanctam Virginem iter instituisse scribit, sed ex meris conjecturis et sine ullo fundamento idoneo tam loca illa memorat, quam alia multa, quæ idcirco ne quidem attingere statui. Quod vero spectat ad habitationem in territorio Montis Regalis, illam non omni destitutam esse fundamento agnoscit Cascinus, qui lib.* 2 *cap.* 9 *pag.* 205 *sic disserit de variis locis, in quibus* S. Rosaliam *habitasse incolæ existimabant :* Non prætermittam hic monere, nonnullos cogitare in aliis quoque antris habitasse (S. Rosaliam, *præterquam in Quisquinensi et Montis Peregrini, de quibus postea.) Primo examinat conjecturam Bivonensium, qui ex apparitione* S. Rosaliæ, *jubentis sibi ibidem ædem sacram construi, ut refert Caietanus infra in Vita prima, existimabant Sanctam ibi aliquando habitasse. Verum Cascinus opinionem illorum ut minus probabilem refutat his verbis :* Quippe huc usque Bivonenses, quantumvis multum foverint sub ecclesia, nullum speluncæ cujusdam indicium potuerunt reperire. Verum istud saxum, super quod dixi D apparentem S. Rosaliam sibi ecclesiam construi voluisse, et ex quo conjiciebant eam illic degisse, ubi terra per circuitum effossa fuit, inventum est sine ullo alio fundamento incumbere terræ mobili, donec demum, fodientes sub ecclesia, sacellullum ibi ædificarint, quemadmodum propriis oculis vidi. *Ex dictis hoc concludit :* Conjectura non est sufficiens ad ostendendum, fuisse istic speluncam, in qua habitaverit, cum illius nullum habeatur vestigium. Fieri quidem potest, ut sancta Virgo aliquoties transiverit per silvam, quæ tunc erat in illo loco : et, ut quid certi dicam, constat locum fuisse dominii ipsius, quem idcirco singulari protectione cælesti dignata est.

plus rationis pro tali suspicione habent Monteregalenses ; sed res est incerta.

122 *Deinde ad Monteregalensium conjecturam ita progreditur :* Monteregalenses aliquod habent (*habitationis* S. Rosaliæ) argumentum ; quandoquidem ostendunt vicinum littus antiquitus et huc usque nomen habere a S. Rosalia, et infra aquam copiosam, quam vocant Monachæ *(della Monaca)* quæ secundum ipsos est eadem Sancta. Hisce adjungunt quinque speluncas, vel antra, ex quibus hodieque existit medium, E ceteris destructis : et credunt eam ibi habitavisse : unde ipsam ibi invocant, et gratias impetrant. At isto argumento habitatio non probatur. *Ita Cascinus, qui mox addit probabilius inferri posse, aliquam cryptam ibidem fuisse dedicatam* S. Rosaliæ *pro ecclesia, sicuti aliis locis factum est, ut deinde dicetur. Nam congruum erat, ut ei, quæ in cryptis vitam traduxerat, ecclesiæ in cryptis dedicarentur. Verumtamen argumenta Monteregalensium nata sunt suspicionem ingerere de antro quodam istic per Sanctam inhabitato, præsertim quia constat semel ab uno ad aliud antrum transivisse Sanctam, ita ut nulla habeatur ratio, cur id sæpius facere non potuerit. Præterea locus ille non distat nimium Panormo, et aptus erat vitæ anachoreticæ. Rem tamen esse incertam lubens fateor cum Cascino, qui sufficiens non invenit fundamentum ad aliquid certi statuendum. Ceterum sive ibi aliquando habitaverit* S. Rosalia, *sive illa Monteregalensium persuasio aliunde nata sit ; locus hic favet patronis vitæ ejus monasticæ, ut suo loco dixi.*

F *Tornamiræ inanes conjecturæ ingressus Sanctæ in speluncam Quisquinensem,*

123 *Tornamira in Idea conjecturali disc.* 5, *post annuum vitæ anachoreticæ tirocinium, in antro circa Montem Regalem, ut vult, obitum,* S. Rosaliam *deducit ad speluncam Quisquinensem, conjecturisque suis nimis libere indulgens, iter etiam describit. Verum, licet observaverim habitationem antri Monteregalensis non destitui omni probabilitate ; certum est conjecturas illas de tyrocinio ibidem habito et annua commoratione, uti et de itinere instituto, inanes esse et idoneis rationibus destitutas. Justinianus vero a specu Quisquinensi vitam Sanctæ anachoreticam exordiens, ejus initium narrat his verbis :* Itaque Rosalia anachoretarum institutam rationem inchoatura, ad specum Quisquinensem in agro paterno, duo millia passuum a pago S. Stephani, quatuor ab oppido Bivona distantem, concessit eo animo, quo insculptis in saxo litteris declaravit : « Ego Rosalia, Sinibaldi Quisquinæ « et Rosarum domini filia, amore Domini mei « Jesu Christi in hoc antro habitare decrevi. » *Descriptionem accuratiorem antri Quisquinensis dat Cascinus lib.* 2 *cap.* 8 *cum adjuncta figura, quam dabo, ubi agetur de inventione istius speluncæ, anno* 1624 *repertæ. Hic vero adnecto tertiam*



QVISQVINÆ PATERNÆ DITIONIS IVGA PETENS CAVERNAM INGRE:
DITVR STYGIIS HOSTIBVS INFENSA.

Ex insculptis ipsius manu literis in specu.

III

A *tertiam Cascini figuram, qua Sanctam repræsentat dicta mox verba saxis insculpentem.*

quæ describitur : pars ejus prima, in qua esse creditur lectulus Sanctæ :

124 *Addo etiam descriptionem antri Quisquinensis, quam ex Cascino brevius concinnavit Salernus, cum hæc sufficiat, ut intelligamus, quam duram habitationem sibi in eo antro elegerit Virgo :* Sed quo, *inquit*, tandem secesserit Rosalia, duce Jesu Christi amore, enucleatius, ejus laudibus exaggerandis, enarrandum est. Distant Panormo quadraginta fere passuum millibus Quisquinæ mons, et nemus. Antrum hic oblongum et duplex, non sine peculiari Numinis consilio, in montis latus excurrit : prima ejus pars sex septemve ulnis protenditur vario laterum flexu, quæ quatuor modo, modo sex palmis, utrimque distant; in medio ejus cavernæ quasi antrum in antro excavatur ad lævam. Hic integrum lapidem oblongum in lectuli pœne figuram efformatum, et e solo sublatum aliquantulum reperias. In proclivi leviter situs ille est, ut dormienti cervical appositum videatur. Sensim ad latera hinc illinc rupes assurgit, et altiore fastigio conopæum imitatur. Accedit quiescenti opportunitas, cum hyberno tempore perpluit usquequaque B antrum, huic uni parcitur loco. Illud admiratione dignius, lapidem illum non videri indigenam, sed aliunde comportatum, non hominum tamen industria per eas aditus angustias, quæ capere illum non possent.

pars secunda, in qua plurimum resedisse videtur :

125 Sed priusquam ultimam antri metam attingas, sinistrorsum retroactus secundæ antri partis aditum reperies, ea angustia et humilitate, ut horrorem incutiat ingressuro : neque enim illuc penetrabit quispiam, nisi inter rigentia saxa, exporrecto primum brachio et humero, ad duos tresve palmos prorepat. Secunda hæc antri pars ad quinque ulnas in longum protrahitur, in cujus interiore et postrema cellula, cæteris ampliore, resedisse ut plurimum Virginem arbitramur : usui enim aptior, et sedile habet manu, ut videtur, efformatum. Per aliquot rimas malignam lucem antrum excipit. Nullus tunc ibi portæ ritu hiatus, sed e superiore loco angustus aditus Virginem obliqua via descendentem admittebat; non secus acsi ipsa in puteum dimitteretur. *Sententia hæc est Cascini, quod crederet foramen istud, per quod hodie in speluncam intratur,* C *angustius fuisse, quam ut transitum præberet : sed res incerta est et examinanda* § 26. Hæ sunt, *inquit pergens Salernus*, sepulcralis ergastuli angustiæ, quibuscum amplissimos Panormitanæ regiæ splendores Rosalia commutavit. Excelso Virgo nobilitata animo ad asperrima hæc contendit, quia novit amorem asperis nutriri, et quæ Jesum ardebat, huc vocantem secuta venit, sedemque ibi fixit imperterrita.

inscriptio ab ea saxo insculpta,

126 Qua descendendum in hanc caveam erat, parte læva rupes aliquanto latior et lævior adsurgebat, saxi genio virgata, et liris distincta compluribus. Hic a Virginis manu characteres, qui duos transversos digitos sunt alti, profunde insculpti, et in novem inæquales digesti lineas, altissimæ mentis sensum expressere : factumque est, volente Deo, ut hæc epigraphe saxo insculpta, quæ omnium, opinor, hominum oculos ante hæc incognita effugerat, intra paucos dies postquam in Peregrino monte Panormitano inventum est S. Rosaliæ corpus, in Quisquinensi antro reperiretur. Ei quidem antro exterius ara D. Rosaliæ sacra adjacebat, ad quam olim supplicatione extra ordinem plures placando Numini itare, et sacra tunc peragi consueverant; sed nulla ejus inscriptionis fama aderat; ea vero saxo manu Virginis insculpta, ita concepta erat. EGO ROSALIA SINIBALDI QUISQUINÆ, ET ROSARUM DOMINI FILIA AMORE DOMINI MEI JESU CHRISTI INI HOC ANTRO HABITARI DECREVI. *Qua occasione quoquo modo inventa sit illa inscriptio, explicabitur* § 26, *et* § 27 *accuratior dabitur totius locis descriptio, quam consule.*

cujus redditur ratio.

127 *Officium* S. Rosaliæ *lect.* 4 *prædicta memorans, recte videtur explicare intentionem, qua Sancta datam inscriptionem in saxo sculpsit, videlicet ut verba illa propositi sui perpetuo memorem redderent.* Inque antrum, *inquit*, cui tunc unicus, et quidem angustus e superiori loco aditus patebat, intrepide descendit ea mente, quam characteribus saxo insculptis adhuc patentibus expressit : Ego Rosalia *etc.* Qua inscriptione oculis obversante, susceptæ vitæ propositum altius cordi infigere, ac divinæ benevolentiæ signa ad castissimæ mentis blandimenta vicissim provocare consuevit. *Hæc sane honestissima et optima erat ratio sculpendi talem inscriptionem : atque hac ratione evanescit objectio quorumdam apud Cascinum lib.* 2 *cap.* 3 *pag.* 171, E *qui suspicabantur vanæ gloriæ accusari posse Sanctam, si crederetur scripsisse ea, quæ ad laudem ac gloriam suam conducere possent. Verum (ut omittam sibi soli illa sculpere potuisse Virginem, non ut ab aliis legerentur) vanus hic scrupulus plurimos Sanctos inanis gloriæ facile condemnaret, cum plerique multa fecerint, dixerint aut scripserint, ob quæ laudem merebantur apud homines. At vanæ gloriæ semper non est laudabilia agere coram hominibus, sed ea palam facere tali intentione, ut humanam laudem quis inaniter aucupetur; quod longe abfuit a Sancta nostra. Cur vero hæc antro illo deinde egressa videatur, non obstante sculpto hoc proposito, mox dicetur.*

§ XII. Sancta ex antro Quisquinensi egreditur, atque intrat antrum Montis Peregrini prope Panormum.

F

Sancta ex antro Quisquinensi egressa est,

Nequaquam esse dubitandum, quin S. Rosalia *habitaverit in antro Quisquinensi atque etiam in antro montis Peregrini, ostendit Cascinus lib.* 2 *cap.* 9. *De Quisquinensi id probat ex locis vicinis, quæ nomen a* S. Rosalia *acceperunt, ac ex inventa inscriptione mox data. De antro montis Peregrini ex corpore ibidem invento, atque ex perpetua ecclesiæ Panormitanæ atque aliarum quoque ecclesiarum traditione. Hæc cum satis videantur certa, magis inquirit, quid Sanctam permovere potuerit ad discedendum ex priori antro ad secundum. Primo quidem observat, eam mutationem non esse attribuendam levitati aut inconstantiæ Virginis, cum locorum mutatio usitata fuerit celeberrimis et sanctissimis anachoretis, uti variis exemplis ostendit. Exempla illa, quibus alia multa adjungi possunt, huc non transfero, quia res certior est, quam ut ulla de ea oriri possit dubitatio. Secundo recte advertit, fieri potuisse, ut habitatio Virginis in spelunca Quisquinensi innotuerit, atque ea de causa Virgine solitudinis amantissima*

AUCTORE J. S.

ma desereretur, ne visitationes admittere cogeretur. Ad hanc mutationis rationem se multum inclinatum fatetur, addit tamen et aliam, de qua mox agam.

fortasse quia ibidem nimis innotuerat,

129 *Tornamira in Idea disc.* 6 *ait*, S. Rosaliam *a regina Margarita invitatam ad habitandum in monte Peregrino, quem in hunc finem ab ea donatum contendit, idque non improbabiliter, ut ante vidimus. Idem scriptor in Responsis pag.* 56 *et* 57 *varia adducit ex Philippo Paruta, quibus utraque ratio videtur conjungi. Nam laudatus Paruta ibidem pag.* 57, *ubi dixerat electum fuisse a* S. Rosalia *horridum antrum, duobus milliaribus distans a pago S. Stephani, ubi revera situm est Quisquinense, ita progreditur :* Cum postea vulgatum esset, illustrem Virginem in solitudine ducere vitam angelicam, non pauci accurrebant ipsam visitaturi, seque ipsius precibus commendaturi in infirmitatibus et afflictionibus suis. *Hæc ille Italice, atque eadem fere mutatis nonnihil verbis repetit, addens sequentia :* Coacta fuit *(hanc ob causam)* Panormum redire. *Idem rursus ibidem pag.* 56 : Quapropter deinde reversa est Panormum, et accepto a regina Margareta, conjuge B Guilielmi I regis Siciliæ, monte Peregrino, ubi densa erat silva, inventam ibi speluncam suo proposito congruam inhabitavit. Hoc affirmat antiquissima traditio majorum nostrorum : id manifestat spelunca, et exigua ecclesia ab ea denominata : idemque scribit P. Octavius Caietanus. *Demum idem Paruta ibidem :* A sancti Stephani pago *(id est, ex antro Quisquinensi)* virgo Rosalia inimica visitationum regressa est Panormum ad habitandum in monte Peregrino. *Factum id iterum probat ex antiquissima traditione, fama, spelunca, exiguaque* Rosaliæ *ecclesia, ac demum autoritate Caietani, quem item citat pro donatione montis Peregrini. Hactenus Philippus Paruta in Vita Ms., cujus meminit Mongitorius in Bibliotheca Sicula, auctorem ab eruditione celebrans, docensque defunctum anno* 1629. *Vixit igitur Paruta ante inventionem corporis, et scripsit ante editam Vitam Cascini, ita ut traditionem æque scire potuerit ac Cascinus ipse.*

quæ ratio satis apparet probabilis ;

130 *Franciscus Baronius in Opere metrico de* S. Rosalia, *quod impressum est anno* 1630, *epigrammate* 10, 11 *et* 12 *eamdem plane mutati antri dat rationem. Audiamus decimum, sub titulo,* e specu Bisbonensi fugit, *editum.*

Fama ubi finitimas Divæ se fudit in urbes,
Sensit et enatum Trinacris ora Decus :
Antra petit, fugit illa, remotaque saxa reposcit,
Exigat humanos quo sine honore dies.
Hæc animum, Rosalia, tuum sententia fallit,
Grande tuum nutriunt hæc cava saxa decus.

Subsequitur undecimum ejusdem plane sententiæ.

Vix aliquot Rosalia specu traduxerat annos,
Et vix prædura e caute pedem extulerat.
Cum Divæ se fudit odor, gens excita præsto est :
Maturatque gradu præpete Diva fugam.
Omine fausto abeas, tibi gloria magna resurget,
Hæc fuga, Diva, tibi mater honoris erit.

Duodecimum sub titulo, Rimatur specum, *idem rursum insinuat : Sanctam enim sic secum loquentem inducit poeta :*

Quæram aliud Rosalia nemus, quæram ultima regni
Obsita lucifugis ocyor antra feris.
Hisce mihi obscuris adeundum rupibus antrum
Tutius, ut fugiam tutior ipsa decus.
Sic erebum eludam, sic vis ruet improba honoris ; D
Pes ubi nullus adest, gloria nulla nitet.

Hactenus Franciscus Baronius, cum Paruta consentiens in assignanda ratione mutati antri, quam Cascinus probabilem agnoscit. Et sane nulla alia probabitior assignari poterit conjectura, cum anachoretæ et eremitæ ea maxime de causa habitationes suas mutaverint. Attamen conjectura solum est, ideoque minime certa.

131 *Justinianus in Vita Ms. aliam omnino allegat mutatæ speluncæ rationem, quæ probabilis admodum videretur, si omnia, quæ ut certa supponuntur, certa prorsus essent.* Quæ vero, *inquit,* causa fuerit propositi mutandi consilii, veniendique ad Peregrini montis specum, Quisquinensi posthabito, conjectura nos maxime probabilis edocet. Cum enim a defuncti sui parentis potestate in alienam transierit Quisquinæ et Rosarum ager ac principatus, (quod ex donatione monachis Cisterciensibus a comite Matthæo Bonello facta, et a Willelmo I rege confirmata anno MCLXI, perspicue liquet) haud amplius Virgini opportunum erat ibidem permanere, sed alio secedere oportuit, ut commodum nancisceretur, quo inceptam anachoresim æqua ratione prosequeretur, Eo proinde consilio Panormum remeans, in Peregrinum montem non longe ab urbe Panormo distantem, a Margarita regina sibi donatum abiit *etc. Donationem memoratam Matthæi Bonelli variis confirmat ex Cascino Ms., ex Pirro, et ex instrumento Græco, seu ex litteris Græcis Rogerii regis, quæ datæ sunt anno* 1136. *Atque ex eo infert, mutationem illam dominii, seu translationem principatus Quisquinæ et Rosarum factam esse ante eumdem annum* 1136.

alia hujus mutationis ratio assignata, E

132 *Verum multa in hisce incerta, atque idcirco necesse non est in omnia donationis adjuncta accuratius inquirere. Primo incertum, utrum* Rosalia *vitam anachoreticam inchoaverit, vivente patre Sinibaldo, an eo defuncto. Citat quidem Justinianus varios scriptores, qui credunt* Rosaliam *in solitudinem abiisse, dum vivebat Sinibaldus, cum asserant, Sanctam, audita patris morte, ex specu Quisquinensi venisse ad montem Peregrinum. At id depromptum videtur ex revelatione sororis Mariæ Roccaforte, cum plerique scriptores, quos citat pro ea opinione Justinianus, illam revelationem sint secuti. Secundo incertum est, an Sancta ante annum* 1136 *anachoreticam vitam sit amplexa ; quin et parum probabile id apparet, si fuerit chara Margaritæ reginæ. Tertio ea conjectura Justiniani apertam involvit contradictionem : nam si jam ante annum* 1136 *Matthæus Bonellus Sinibaldi ditionem acceperat, ideoque* Rosalia *a Quisquina discedebat ad montem Peregrinum; quomodo Sancta montem Peregrinum accipere poterat a Margarita regina, quæ non nisi anno* 1150 *regi Willelmo fuit nupta? Quapropter si Bonellus jam anno* 1136 *Quisquinæ et Rosarum erat dominus, non poterat* Rosalia *propter mutatum dominium post annum* 1150 *ad montem Peregrinum ex specu Quisquinensi secedere; totumque fundamentum habitationis ea de causa mutatæ sponte corruit, nisi quis maluerit dicere, recessisse Virginem, ubi Bonellus erat defunctus, locusque ad alterius dominium translatus : at id est divinare sine fundamento. Æque incertum et improbabile apparet, quod aiunt nonnulli, Sanctam ob auditam patris mortem ab una specu ad aliam*

quæ minus est probabilis : F



S. ROSALIA A QVISQVINENSI SPELVNCA AD ERCTENSEM AB ANGELIS EVOCATVR

E sculptura Biuonensi.

IIII



REGREDITVR PANORMVM IN ERCTÆ MONTIS SOLITVDINEM
SECESSVRA, DEDVCENTIBVS ANGELIS, IBIQVE DOMICILIVM IN ANTRO FIGIT

Ex Biuonensi sculptura.

V

Lith du Sénat Barousse, Paris

A *aliam transivisse: nam pater forsan obierat ante inchoatam vitam solitariam.*

Cascinus mavult divino instinctui mutationem attribuere,

133 *Cascinus præter rationem supra datam, quam probabiliorem dixi, alteram adjungit, eamque sculpturis Bivonensibus probare conatur; videlicet signum aliquod divinæ voluntatis a Virgine acceptum. Sic autem fere ratiocinatur. Non nisi divino instinctu prima vice ad solitudinem abiit, dum patriam et parentes deseruit. Credibile igitur non est, eam ab una specu ad alteram transivisse sine eodem Spiritus sancti motu, præsertim cum illo transilu patriæ suæ, quam semel deseruerat, rursum appropinquaverit. Deinde ex figura sua quarta et quinta, quas hic exhibeo, ita disserit:* Hoc insuper nobis confirmant picturæ, quæ subinde scripturis prævalent: et quantumvis antiquissimæ non sint; sufficit hic quod multorum annorum habeant antiquitatem, quando secundum antiquas traditiones ea sic retulerunt Bivonæ. Quippe sub eleganti ipsius statua, ubi vita ejus pluribus imaginibus repræsentatur, ipsam etiam sculptura exhibuerunt in duabus speluncis. Unius B exitus tam est depressus, ut eam oportuerit se inclinare, dum egrederetur foras. Ibi autem duo ipsam exspectant angeli, quorum alter eam quasi manu prehendit, alter vero ad aliam invitat speluncam, et comitatum auget. Jam vero quis non statim agnoscat duas istas speluncas, Quisquinensem esse et montis Peregrini: quisque non videat, designatum et sculptum fuisse transitum ab una spelunca ad alteram sub ductu angelico. *Hactenus Cascinus, cui facile assentior, cum non aliud videatur velle, nisi per angelos significari internum Dei instinctum, quo permota Virgo ab una spelunca transivit ad alteram. At cum illo instinctu recte consistit ratio ante data, ut etiam admittit Cascinus, qui hunc instinctum eidem non opponit, sed adjungit.*

nec id pugnat cum ratione antedata: nam potuit divina inspiratione

134 *Franciscus Baronius supra laudatus epigrammate* 13, *cui titulus,* Deducitur ab angelis, *plus exprimere videtur, dum ita canit:*

Vix duræ se tuta viæ commiserat, et vix
Extulerat primo e limine Diva pedes.
Cum globus aligerum cælo delapsus euntem
Excipit, et lætis cantibus astra ferit.
En cœptis cœlum omne tuis, Rosalia, secundat,
Gestit et aligeros exhibuisse suos.

C *Verum hæc licentiæ poeticæ attribuere possumus; neque ex datis picturis statim inferendum est,* S. Rosaliam *ductam esse ab angelis visibili specie apparentibus, ut nonnulli nimis libere scripserunt, non satis considerantes, tam inusitatos cæli favores non temere asserendos. Officium lect.* 6 *de hoc transitu ita habet:* Cælesti deinde consilio ex antro Quisquinensi in horridiorem speluncam Peregrini montis, tribus fere mille passibus procul Panormo, Rosalia se transtulit, ut quo difficiliorem pugnam secum ipsa committeret e conspectu paternæ domus, eo laudabilius de contemptis mundi illecebris triumpharet. Latebat ibi ad lævam angustus cavus, quem eadem post repertas ejus reliquias illuc venanti, cui se videndam præbuit, dixit esse suam cellam peregrinam, ubi multum ætatis exegisset. *Salernus mentem suam sic exprimit:* Post aliquod tempus, incertum qua de causa, sed non sine Numinis nutu, ex hoc Quisquinensi antro migravit Rosalia, cælitibus viæ sociis ac ducibus, ut veteres produnt depictæ tabulæ: nec antra deseruit, sed commutavit. Venit in Peregrini montis, Panormo propinqui, speluncam, de qua dicam, cum de ejus corporis inventione agendum est. Id solum hic moneo, segetem hic ampliorem afflictationum a Virgine demessam. Rigidissimis hoc antrum penitioribusque montis visceribus abditur, Boreæ flatibus obvium obrigescit crudelius, et perenni majorique stillicidio lutescit. Quare non alius ibi locus humano usui accommodatus esse potuit, quam tuguriolum, ac veluti nidulus saxo excavatus, post aditum speluncæ tunc angustissimum læva delitescens, qui vix Puellam caperet per foramen reptando ingressam. AUCTORE J. S.

locum quærere magis horridum, quale est antrum montis Peregrini.

135 *Cascinus cap.* 9 *comparat antrum montis Peregrini cum Quisquinensi, et ostendit hoc illo fuisse tolerabilius, et consequenter Sanctam transivisse ad habitationem duriorem et difficiliorem, tum propter solis splendorem magis subtractum, majusque frigus inde enatum, uti etiam ob ventos, quibus magis expositum ait antrum montis Peregrini; tum quia hoc præcedente angustius, humidius, et demum omni aspectus amœnitate magis orbatum. Descriptio illius accuratior una cum figura dabitur* § 25, *ubi agetur de spelunca illa ad honorem Virginis exornata post inventionem corporis. Nunc vero inquirendum,* E *quam vivendi rationem in antris illis tenuerit Virgo. At nihil hic habemus, nisi picturas varias, quibus plus tribuit Cascinus, quam mihi videntur mereri, quia potius crediderim ex conjecturis depictas fuisse quam ex cognitione gestorum sanctæ Anachoretidis, quæ magnopere solicita fuisse videtur, ut gesta sua homines laterent, et Deo innotescerent. Dabo tamen omnes Cascini figuras, ut prudens lector oculis etiam intueri possit, quibus fundamentis conjecturæ ipsius nitantur.*

§ XIII. Conjecturæ de gestis Sanctæ in utraque spelunca.

An ullum Sanctæ fuerit cum hominibus commercium: F

Cascinus lib. 2 *cap.* 10 *conatur ostendere tantam fuisse solitudinem* Rosaliæ, *ut nulli mortalium umquam innotuerit, et vixerit sine moderatore conscientiæ et vitæ spiritualis, sine usu Sacramentorum, sine ullo demum hominum auxilio, soli Deo et angelis nota. At hanc opinionem, quantumvis multis placuerit, ante Cascinum ignotam fuisse, ideoque neotericam dici posse, nec satis probabilem videri, jam dictum est* § 4. *Tornamira adeo absconditam fuisse* Rosaliam *negat, uti et Justinianus. Prior varios ei dat vitæ spiritualis directores, quos nominare non lubet, quia non colliguntur ex ullo monumento antiquo, sed potius sine ulla ratione probabili videntur conficti. Justinianus vero directores* S. Rosaliæ *nominare non sustinuit: at Sanctæ plusculum commercii cum hominibus attribuit, quam vellem. Verba tamen ejus accipe:* Eo, *inquit,* consilio Panormum remeans in Peregrinum montem... abiit, ubi semotam ab aliorum consuetudine Vitam ageret, et secundum anachoretarum institutum ad celebrandos festos solemniores dies in urbem descenderet, ad victum necessariis provideret; reginam, a qua mirifice colebatur, grati animi obsequio inviseret; civibusque pietatis ac religionis exempla, et aliarum virtutum documenta exhiberet. *Non crediderim Sanctam spelunca sua egredi consuevisse; sed verisimile est, non defuisse eidem magistrum vitæ spiritualis,*

AUCTORE J. S.

spiritualis, a quo Sacrosancta mysteria ipsi in spelunca administrari potuerunt. Attamen nihil certi statuendum de re incerta.

quales ejus corporis afflictiones :

137 *Figura sexta Cascini, quam hic repræsento, varia exhibet instrumenta, quibus pro more anachoretico corpus suum afflixisse creditur Sancta. Cascinus de hisce disserens cap.* 12 *prudenter ait pag.* 226, *se divinare non posse, quam variis modis, et quibus nominatim in corpus suum pie sævierit* Rosalia. *De victu parco et duro, de crebris et rigidis jejuniis, de aspero vestitu, de verberibus incussis innocenti corpusculo flagellis variis, verisimillimas fieri posse conjecturas, recte observat. Verum prudenter adjungit hæc verba :* At non ausim venire ad modos particulares *(affligendi corpus ,)* qui familiares fuere S. Rosaliæ, ne piam meditationem texam pro fundata historia ; etiamsi relatio illius in antiquis picturis exposita videatur per varia pœnitentiæ instrumenta : malim enim credere, illa ibidem depicta esse tamquam consueta trophæa solitariorum, et tamquam horum exercitia, de quibus nullus dubitat. *Recte, opinor,* B *Cascinus conjicit, consuetas solitariorum pœnitentias potius exprimi laudatis imaginibus, quam particulares* Rosaliæ, *licet alioquin vix possit dubitari, quin similes ipsa adhibuerit corporis castigationes. Officium et Salernus plusculum videntur imagini tribuere : at illorum verba commodius dabo infra, cum de pluribus picturis simul agant.*

an figura septima videatur explicanda sensu obvio ;

138 *Figura septima Cascini, quam subjungo, figurate videtur exponenda. Cascinus de ea disputat cap.* 17, *ubi suspicatur pag.* 260, Rosaliam *fortasse, dum spelunca sua subinde egrediebatur, rosas aliosque flores in vicinia positos legisse, atque ex iis texuisse coronas, quas pio affectu Deo offerret, quemadmodum imago exprimit, si explicetur sensu proprio. Verba ipsa Cascini Latine reddo :* Huic cogitationi favent antiquæ picturæ, et præsertim illæ, quæ est in texto ecclesiæ Olivellensis, ubi Sancta genibus nixa, sed supra nubem a terra aliquantulum elevatam, offert exiguum calathum floribus plenum. Angelus vero, submissis item genibus, utraque manu sublevan- C tem adjuvat, ut ei, opinor, ostenderet, quam gratæ cælo fuerint rosæ illæ, floresque tanto reverentiæ affectu oblati. Quod si qui velint figurate per flores istos intelligere ardentes preces, quæ non minus erant acceptæ quam corona quæcumque e floribus; non difficulter tamen credi poterit, ipsam e veris quoque et naturalibus dona beatæ Mariæ Virgini obtulisse, quia amor ingeniosus est, ad industriam laboremque suum omni occasione adhibendum, ut placeat *etc. Non admodum verisimilis mihi apparet illa cogitatio Cascini de floribus in vicinia speluncæ collectis, et oblatis modo prædicto ; quia probabilius mihi videtur,* Rosaliam *spelunca sua sic reclusam fuisse, ut illa numquam egrederetur : nam id magis congruit instituto reclusarum, et magis colligi potest ex ipsis Sanctæ verbis :* In hoc antro habitare decrevi. *Quapropter existimo per flores intelligendas esse pias preces, aut varias virtutes, quæ floribus etiam significari possunt.*

an item octava, undecima, duodecima, et decima tertia :

139 *Octava Cascini figura, quæ sequitur, significat divinos favores, quibus Numinis benignitate cumulata fuit Virgo solitaria. Porro Cascinus cap.* 15, *cui titulus est,* Conversatio S. Rosaliæ cum angelis, *plurima disputat de officiis angelorum in homines, et præsertim in* S. Rosaliam, *quam ubique fere cum angelis depi-* D *ctam, ideoque* Virginem angelicam *asserit nominatam. De hac autem pictura sic loquitur pag.* 248 : Pictura, quæ non solum exprimit dona florum terrenorum et cælestium, sed repræsentat insuper florentia desideria contemplantis virginis Rosaliæ, et augmentum ejusdem contemplationis, quod inde nascebatur : uti et alia dona cælestis ipsius Sponsi, cum totum istud sacrum negotium manibus peragatur angelorum. *Hæc pauto magis explicat, et confirmat his S. Bonaventuræ verbis de angelis :* Sunt enim delatores luminum, et elevatores intellectum ad suscipiendas illuminationes. *Hisce aliisque pluribus, quæ fuse disputat, satis videtur declarare figuram non intelligendam de visibile ministerio angelorum, sed de invisibili ; idque longe mihi apparet probabilius, cum sit inventio pictoris, qui hisce figuris varias* Rosaliæ *gratias, virtutes, donaque cælestia exprimere voluit ; non vero historica repræsentatio, quantum apparet : sicuti etiam dicendum videtur de figura undecima, duodecima et decima quarta, quibus variæ gratiæ per figuras repræsentantur. Verumtamen Ca-* E *scinus in eodem capite alios etiam favores* S. Rosaliæ *ab angelis præstitos opinatur : nam pag.* 247 *ita loquitur, acsi credidisset flores et fructus* S. Rosaliæ *revera ab angelis oblatos, et similiter concentu angelico eamdem recreatam dicit pag.* 251, *quia angelos cum instrumentis musicis exhibet figura duodecima. Quin et victum angelorum opera eidem aliquo tempore administratum, suspicatur pag.* 251, *remittens ad dicta sua pag.* 224. *At similia egent solidiore fundamento, quam sint imagines non admodum antiquæ, aut conjecturæ ab aliorum Sanctorum exemplis deductæ.*

tentationes dæmonum superatæ,

140 *De tentationibus* S. Rosaliæ *et pugna cum dæmone fuse agit Cascinus cap.* 20, *ubi exhibet figuram nonam hic insertam. Verum ratiocinatur solum ex instituto vitæ, loco habitationis, aliisque jam relatis aut huc non spectantibus, nec adfert monumenta antiqua, solum allegans duas imagines, in quibus nonnulla reperiuntur diabolicæ tentationis indicia. Quapropter satis erit dissertationem ipsius compendio huc trans-* F *ferre ex Salerno qui simul de imaginibus quibusdam mox datis sententiam suam exprimit, ita scribens :* Oportuit sane (S. Rosaliam) cum lemuribus sui impotentibus, callidarum machinationum auctoribus strenue depugnare, dum generis majestatem, regiæ domus blandimenta, nubilium annorum opportunitatem in ejus memoriam revocarent ; dum simul asperitatem antri, loci solitudinem, vitæ pericula objicerent : et mox molestiam animi, vitæ tædium, mœrorem, iramve inducerent, et in Puellæ perniciem urgerent. Quare veteres tabulæ tartarea monstra per horrorem in fugam lapsa monstrant ad conspectum Virginis in se acriter ferrea catena desævientis. Necesse enimvero illi fuit perpetuis se jejuniis, vigiliis, ceterisque ejusmodi corporis conflictationibus macerare ; animus enim non melius alitur, quam tenuitate et asperitate victus, nec aliunde annona, et bellica instrumenta sustinendis dæmonum præliis felicius comparantur. Hic Rosalia nullo humanarum rerum usu vixit ad amoris Divini modum, quo duce illuc appulerat, et volens detinebatur.

ac divina percepta solatia

141 Quamobrem cum pictæ ab antiquo icones non aliud frequentius exprimunt, quam beata cum cælestibus, Deipara, et Servatore Jesu Rosaliæ



ASCETICÆ S. ROSALIÆ V. EXERCITATIONES, ASPERA VICTVS, CVLTVSQVE RATIO.

E sculptura Biuonensi, et vtriusque antri specie.

Lith. du Sénat, Barousse, Paris.



CORONAM LAVDVM MAGNÆ DEI MATRI SVPPLEX OFFERT, ET
SOLEMNEM POSTERIS COMMENDAT ORANDI RITVM.
Ex inuentis precarijs globulis circa pectus, et inter ipsius digitos.

Lith. du Sénat Barousse Paris



SPONSI CÆLESTIS MANV SEDENTIS IN SINV MATRIS CORONATVR.

Ex tabula ecclesiæ Biuonensis S. Agathæ.



AB EODEM BLANDIENTE MODVLANTIBVS ANGELIS COROLLAS EX AVRO, ET ROSIS CONTEXTAS RECIPIT ASSISTENTIBVS SS. ECCLESIÆ PRINCIPIBVS PETRO ET PAVLO.

Ex tabula ecclesiæ Biuonensis S. Rosaliæ pic: Thoma de Vigilia AN. MCCCCLXXXXIIII

XII

Lith du Senat Bérousse Paris



S. ROSALIA DORMIENTIS IN MOREM COMPONENS SE SE, SOLA IN ANTRO PEREGRINI MONTIS; PERNOTO ANGELIS HOMINIBVS INACCESSO. PLACIDISSIME EFFLAT ANIMAM.

Ex inuenti corporis situ.

XIII

AUCTORE J. S.

A Rosaliæ commercia, florum calathos, et capitis coronamenta ad blanditias; innuunt plane, quibus illa curis et oblectamentis in tanta loci, rerumque omnium asperitate detineretur. Floreæ enim corollæ virtutes divitiasque in animo florentes arguunt, quam suavis ab illo castissimo pectore cælestis contemplationis odor exhalaret ad superos. *Hactenus Salernus, cujus verba etiam respiciunt figuram decimam, undecimam et duodecimam, quas huc transfero. De hisce vero in Officio hæc leguntur :* Callidas dæmonum insidias, quæ asperæ vitæ tædium et solitudinis horrorem animo ingerebant, acriter sæviendo in se ferrea catena, vigiliis, et humi cubatione, forti animo superasse, antiquæ icones significant. Cumque humanis destituta præsidiis, nihil solatii aliunde hauriret quam e cælo; Dominus, qui consolatur et coronat Sanctos suos, angelicis deliciis eam sæpius recreabat. *Hactenus de illis Officium ex iconibus datis, quæ non eamdem omnes habent antiquitatem ; et sic* antiquæ *vocari possunt, ut tamen pleræque aliquot seculis ætate* S. Rosaliæ *sint posteriores. Hac de causa, opinor,* B *nihil particulare asseritur pro certo ; sed solum dicitur, relatas vitæ asperitates in iconibus exprimi ;* angelicis *vero* deliciis *recreatam, generatim affirmatur ; idque omnino verisimile esset, etsi deessent imagines, quia Divina benignitas pro derelictis terrenis solatiis cælestia largiter Sanctis suis impertiri solet.*

an corona Mariana Sanctæ in usu fuerit :

142 *Cascinus cap.* 16 *multa disputat occasione figuræ decimæ, in qua Sanctam exhibuit cum corolla Mariana, quia globuli precatorii cum corpore ipsius fuerunt inventi. Non audet affirmare, coronam Marianam aut rosarium a Sancta recitatum fuisse, quia existimat tam rosarii quam coronæ institutionem recentiorem esse, et S. Dominico attribuendam. Non ignoro institutionem rosarii revera S. Dominico a pluribus adscribi. At eam sententiam non omnino certam esse, et initium rosarii ab aliis attribui Petro Eremitæ, qui floruit circa finem seculi* XI; *aliis usum rosarii adhuc antiquiorem videri, fuse ostenditur apud nos in Commentario prævio ad Acta S. Dominici* § 19, 20 *et* 21, *seu tom.* I *Augusti pag.* 422 *et sequentibus. Forsan Cascinus, si scivisset rosarii usum a quibusdam statui* S. C Rosalia *vetustiorem, eamque sententiam sua non carere probabilitate, existimasset inventos cum* S. Rosalia *globulos fuisse serti ipsius Mariani, cum pag.* 259 *velit coronam* Rosaliæ *aliam quamdam fuisse ad orationes Dominicas et salutationes angelicas recitandas. Fateor rem totam mihi videri incertam, cum globulos illos habere potuerit ad alium usum, aut ad alias preces multiplicandas : at, si constaret Orationes Dominicas et salutationes angelicas globulis istis numeratas fuisse a Sancta, posset etiam probabiliter dici, coronam fuisse Marianam, eamque a* Rosalia *usitatam.*

quibus redimita fuerit coronis.

143 *Quæ ad figuram undecimam et duodecimam disserit Cascinus cap.* 17 *a pag.* 291 *pluribus excutere non lubet. Difficulter enim mihi persuadere possum, aliud quidpiam significari coronis illis, quæ capiti* S. Rosaliæ *imponuntur a Jesu puerulo, quam coronam gratiarum et virtutum, qua eamdem insignivit in terra, et sempiternæ gloriæ, qua eamdem coronavit in cælo. Auctor Officii lect.* 6 *hisce consentientia scribit hoc modo :* Hic tamquam columba in foraminibus petræ gemens, in cælestium rerum contemplatione defixa, ad perfectissimam divini amoris normam in solitudine vitam traduxit, et sanctissime perennibus charitatis rosis, et virginitatis liliis coronata deposuit. *Demum quanto tempore Sancta austeram illam et anachoreticam vitam in montibus et speluncis duxerit, me prorsus ignorare profiteor, cum monumentorum defectu ne probabilis quidem conjectura de eo formari possit. Qua de causa ad beatam Sanctæ mortem progredior.*

§ XIV. Mors Sanctæ et sepultura.

Mors Sanctæ quo modo a Cascino et Salerno relata :

Disputaturus cap. 18 *de morte* S. Rosaliæ *Cascinus, fatetur inter plurimas imagines antiquas nullam reperiri, ex qua de genere obitus illius fieri possit certior. Existimat tamen, se ex situ corporis inventi docere posse, qua morte ad vitam beatiorem transiverit sancta Anachoretis. Quapropter imaginem placide morientis, ex corporis inventi situ collectam, exhibere voluit figura decima tertia, quam hic repræsento.* E *Quibus vero conjecturis aut rationibus figuram illam sic efformaverit, mox patebit. Salernus Cascini mentem sic breviter exponit :* Vitam sanctissime actam mors excepit ad immortalitatem traductura. Ubi ergo Rosalia sibi demigrandum esse intellexit, ut soli Deo in solitudinis horrore vixerat, ita propositi tenax nullius tunc hominis officiosam societatem, ut videtur, admisit : quod a magnis item anachoretis factitatum legimus. Nuda ergo in humo suæ peregrinæ speluncæ sese illa componit : dexteram pulvilli more languenti supponit capiti ; sinistra sacrum Jesu Christi crucifixi simulacrum in sinu detinet cum precariis globulis per digitos innexis ac pendulis : nec alio quam amoris telo confossa Rosalia pridie Nonas Septembris roseam efflavit animam, æternum in cælo revirescentem. Hoc plane situ ac habitu post quinque fere secula repertum Virginis cadaver : atque inde primum conjectare licuit, nullo tabifici morbi labore afflictam fuisse, cum dormientis potius quam cum morte luctantis speciem referat. *Hactenus Salernus ex mente Cascini, cujus ratiocinatio diligenter excutienda est.* F

præcipua relationis capita assignantur, ut examinanda.

145 *Primo asseritur, neminem mortalium* Rosaliæ *morienti adfuisse, addito tamen nonnullo dubitationis indicio per voces,* ut videtur. *Secundo explicatur, quo corporis situ Sancta mortem obierit : atque ex eo situ colligitur tertio, non morbo aut infirmitate aliqua, sed sola divini amoris violentia obiisse* Rosaliam. *Quarto pro die emortuali assignatur dies quarta Septembris, qua colitur Sancta. Magnus sane et mirabilis* S. Rosaliæ *favor attribuitur, dum asseritur sine morbo obiisse, quemadmodum de beatissima Virgine Maria creditur. Verum quanto excellentior et inusitatior est illa gratia, tanto certiora et solidiora requiruntur argumenta, ad eam affirmandam. Quapropter non est, cur offendantur amantissimi* S. Rosaliæ *Siculi, ubi viderint me auctoritati Cascini non statim acquiescere, sed severo examine in singulas ipsius rationes inquirere; nec pro certo quidpiam admittere, nisi certis rationibus probetur, præsertim ubi agitur de rebus summi momenti, qualis est mors ex solo amore obita. Videamus igitur, quo fundamento singula nitantur allegata. Et primo quidem ordiendum*

AUCTORE J. S.

dum a corporis inventi situ, quia ex eo omnia Cascini argumenta hauriuntur.

Ostenditur, non satis cognosci potuisse situm corporis inventi.

146 *Corpus S. Rosaliæ, quando inventum est in monte Peregrino, ut suo loco narrabitur, erat in saxo concavo,* cujus longitudo ad sex et amplius palmos producta, latitudo et altitudo fere tribus continebatur, *inquit Salernus. In parte autem illius saxi calvariam primo repererunt, atque eo indicio reliquum deinde corpus. At integrum corpus numquam viderunt; sed fracto in multas partes lapide, ossa omnia tandem in variis istis saxi fragmentis repererunt. Quarto igitur, quam recte de situ corporis judicare potuerit Cascinus, aut alius quisquam, si situm illum nullus umquam observaverit? Certum apparet, totius corporis situm accurate repræsentari non potuisse, quia in plurimis fragmentis ossa nonnulla fuerunt inventa; nec ullibi asserit ossa illa deinde reducta fuisse ad pristinum situm, quem in lapide habuerant, aut id revera fieri potuisse. Unicum, quod observavit de situ corporis Cascinus, et ex quo situm reliqui corporis per*
B *conjecturam dedit, id est, quod narrat pag. 271. Dum singula contriti saxi fragmenta diligenter cum sociis perlustrat, pervenit ad fragmen satis grande, et omnium maximum, ut postea credidit. In eo autem fragmine erat pars inferior capitis cum nonnullis ossiculis capiti annexit, quæ a tribus anatomicis præsentibus dicta sunt esse digiti, et quidem manus dexteræ,* quia, *inquit,* ibi erant annexi, ubi caput a parte dextera collo conjungitur. *Hæc est ratio, cur Cascinus repræsentet* Rosaliam, *manu dextera capiti supposita. Inventi vero globuli precatorii, quorum unus erat inter digitos manus sinistræ, ipsum moverunt, ut eidem manui coronam Marianam attribueret. Quid pro vestimento et pro reliquo situ corporis habuerit præter conjecturas, ignoro. Crucifixum sinistræ verisimiliter indidit, quia crux exigua cum corpore inventa, uti et imago Crucifixi confracta, quæ etiam decebat Sanctam.*

nec ex eo situ quidquam posse inferri pro situ morientis:

147 *Jam vero ex digitis cum parte capitis simul inventis non sequitur, Sanctam morituram se eo situ corporis composuisse, cum multis aliis modis contingere potuerit, ut digiti postmodum capiti jungerentur. Quippe difficulter credi potest,*
C *Sanctæ corpus quinto post mortem seculo inventum esse eodem plane situ, quo se composuerat moriens* Rosalia; *præsertim cum quindecim pedibus sub terra inventum sit Sanctæ corpus; nec illa sub terra ad mortem se componere potuerit, ita ut locus, in quo corpus inventum, sepulturæ fuerit locus, non habitationis, nisi quis dicere velit eodem illo loco angustum fuisse antrum subterraneum, in quo habitaverat, illudque deinde per terram montis decidentem oppletum fuisse. Verum nec Cascinus nec Salernus id contendunt, cum Sanctam per angelos verisimiliter sepultam velint: et, si revera eo loco obiisset Sancta, ac postmodum tanta decidentis terræ mole fuisset contecta, situs corporis notabiliter mutari potuisset. Non video igitur, qua ratione ex situ inventi corporis recte colligi possit situs morientis, sive supponamus, sine sepultura mansisse Sanctæ corpus eodem loco, quo obierat; sive suspicemur ab angelis sepultum sacrum corpus: nam si angeli honorem sepulturæ exhibuissent Sanctæ, cur æque mutare non potuissent corporis situm, uti fieri solet in sepultura. At infra probabo, Sanctam verisimiliter hominum manibus fuisse sepultam; atque ita prorsus corruunt, quæ de situ morientis disseruit, et in figura repræsentavit Cascinus.*

148 *Attamen supponamus tantisper, eo situ* D
mortuam fuisse S. Rosaliam, *quo Cascinus morientem repræsentavit; et videamus, an inde legitime sequantur reliqua, ex eo situ collecta. Ex manu capiti supposita primo colligit, Sanctam sola amoris vehementia debilitatam obiisse, ita ratiocinatus:* Cum videamus Deum nobis detexisse sanctam illam manum, tam placide ad caput mortuæ virginis Rosaliæ positam, quis simul non videat, abesse hic omnia indicia gravioris morbi, aut molestiæ mortis, in quibus occasionibus decidunt brachia et caput, ac membra incomposite locantur. Verum hic contra videmus sola placidæ debilitatis indicia in habitu suavi, quia et brachium elevat Rosalia, et manum adhibet pro cervicali ad caput sustentandum; et similior se locanti ad dormiendum quam luctanti cum morte, ita se sustinet usque ad extremum spiritum. Itaque spiritus ille non vi febris, sed amoris, a spelunca ad cælum discessit ad suavissimum Dominum suum et Sponsum Jesum Christum, ut spiritus illius, quæ ex eodem ipsius *(Domini)* amore in spelunca se recluserat. *Ita ratiocinatur Cascinus, aut ejus interpolator, pie magis quam solide, ita ut recte hisce præmiserit* E
hæc verba: Nisi devotio faciat, ut unum pro alio videam.

nec ex situ morientis, si revera talis fuisset,

quidquam pro morte sine morbo obita:

149 *Quis enim, nisi pietate sua nescio quas meditationes et imaginationes sibi formaverit, ex ossiculis digitorum cum ossibus capitis inventis statim inferat:* Hic homo sine morbo obiit: *aut:* Hic homo similior est dormienti quam cum morte luctanti? *Quis ex ossibus aridis sibi dormientis speciem fingat, modo partem exsiccati capitis cum ossiculis digitorum conjunctam intueatur? Talis tamen est Cascini ratiocinatio, quam tam serio non refutarem, nisi viderem aliis placuisse. Cascini ratiocinium dico, quia in libro ipsius posthuma exprimitur. At merito dubito, an ipsius sit Cascini: nam, cum constet Opus ipsius interpolatum esse, cumque in Vita Latina non dicat Cascinus* Rosaliam *solius amoris telo confossam esse; vehementissime suspicor, opinionem illam ipsius Operi infarcinatam esse cum aliis pluribus. Verum, sive Cascini sit, quod non credo, sive alterius illa opinio; libere edico non ita de gestis Sanctorum ratiocinandum esse, nec tanta eorum privilegia e conjecturis tam levibus esse colligenda. Sane ejusmodi ratiocinia Sanctis ipsis placere nequaquam possunt, cum non minus humiles sint in cælo quam fuerunt in vita, nec minus a fictitiis abhorreant laudibus jam gloriosi, quam ab inani gloria abhorruerunt, dum ad cælestem et veram aspirabant in terra.* F

nec mors solitaria ex eo aut aliunde satis probatur.

150 *Alterum, quod ex situ corporis colligi volunt aliqui (quodque Cascinus ipse in vita Latina asseruit, licet ex situ corporis ibidem non intulerit) est mors solitaria, nullo mortalium præsente. Audiamus Salernum pro illa opinione ex prædicto corporis situ disserentem.* Siquis præterea, *inquit,* ex mortalibus eo loci *(morienti* Rosaliæ) adfuisset; sane composuisset ille ad pectus, ut solet, ambas Puellæ manus: feretro de more sacras exuvias extulisset ad sacra cœmeteria haud longe remota, nec sub humo eas defodisset, quæ aquis guttatim deciduis in illarum perniciem lutescebat. Quare ut solitariam illa vitam duxerat, ita volens libensque solitariam, ut reor, sustinuit mortem. *Hæc ratiocinatio minus absurda est quam præcedens, nec tamen certo evincit, quod prætenditur. Quippe Sanctam sine humano auxilio obiisse non existimo, nisi subitanea*



ANGELO DVCE ROSIS ETIAM REDIMITO AD CÆLESTES NVPTIAS ROSALIA SPONSA FESTINAT

Ex tabula perantiqua, et eleganti Comitis Racudiæ Principis Leonfortis, S Rosaliæ nomini deditissimi.

XIIII

Lith du Sénat Barousse Paris

A *nea morte sit oppressa, aut infirmitate tam brevi defuncta, ut toto morbi tempore nullus eam accesserit, quod nullus ægrotantem sciret. Verum id præsumendum non est; nec sic sustinuisset volens libensque solitariam mortem; sed necessitate potius quam propria voluntate ab extremis Sacramentis abstinuisset. Quod vero argumentum ex loco sepulcri desumitur, tanti momenti non est, ut credi possit, Sanctam mortalibus omnibus incognitam in monte Peregrino vixisse, et mortem ibidem æque cognitam obiisse, cum ex cultu antiquissimo longe certius colligatur, ignotam omnibus non fuisse* Rosaliam, *uti antea ostensum est. Cur in monte potius, quam in vicino aliquo cœmeterio, sepulta sit, ignoramus : at id variis de causis fieri potuit, ut mox dicemus.*

Tornamira asserit, extrema morientium subsidia Sanctæ administrata,

151 *Tornamira in Idea conjecturali disc.* 6 *num.* 25 *asserit, suprema morientium subsidia, seu sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ Unctionis sanctæ Anachoretidi administrata fuisse a S. Elia Aquileiensi, parte suo spi-* **B** *rituali, præsente S. Joanne de Nusco abbate Montis Virginis in Sicilia. Verum ostendi non potest, sanctum illum Eliam Aquileiensem umquam in Sicilia fuisse, cum omnibus Martyrologiis Siculis sit incognitus, et nulla de eo notitia habeatur ex ullis documentis antiquis, uti observavit Mongitorius in dissertatione Ms. nobis transmissa, in qua refutat plurima Tornamiræ asserta. Joannem de Nusco, quem multa monasteria Ordinis Montis Virginis in Sicilia fundantem facit Tornamira, æque incognitum esse in Sicilia testatur laudatus Mongitorius; pluribusque probat. Verum ad institutum meum non est necesse hæc fuse probare : quare dixisse sufficiat, nullo antiquo monumento, nulla ratione idonea probari Eliam illum aut Joannem de Nusco umquam fuisse cum* S. Rosalia, *aut ulla eidem præstitisse officia; omniaque de iis apud Tornamiram asserta ne quidem digna esse seria refutatione.*

ut et Justinianus, qui vult eam peste obiisse, sed sine idonea ratione :

152 *Justinianus de morte* S. Rosaliæ *ita loquitur in Vita Ms. :* Cum itaque in spelunca Peregrini montis vitam pie sancteque transegisset, pestilentia, qua Panormus graviter conflictabatur, infecta Rosalia, accersito sacerdote, ab eoque cælesti epulo recreata, et oleo sacro delibuta, ad Sponsum suum Jesum Anachoretis **C** virgo migravit quarto Septembris circa annum MCLX, ibique humata est. *Varia in hisce quoque incerta. Primo incertum est, an pestilentia obierit* S. Rosalia. *Pro hac sua conjectura in annotatis fol.* 31 *varios citat auctores, qui asserunt circa annum* 1160, *quando Panormum dicitur translatum corpus S. Christianæ virginis et martyris, urbem illam gravi pestilentia laborasse. De illa translatione consuli potest tomus* V *Julii pag.* 498 *et* 499. *Interim observo, neminem ex laudatis per Justinianum scriptoribus dicere,* Rosaliam *illa peste fuisse defunctam : cumque de anno emortuali Sanctæ nihil certi possit statui, ut antea probavi; ex pestilentia illius temporis, licet hæc certa esset, colligi nequit peste obiisse* Rosaliam. *Imo etiamsi constaret, Sanctam esse mortuam tempore pestis; ex eo non sequeretur certo, ipsam pestilentia obiisse, cum pestis tempore aliis quoque morbis nonnulli occumbere soleant. Præterea pestis illa anni* 1160 *caret auctoritate antiquorum, ideoque admodum incerta est. Alii scriptores eam asseruerunt ex Vita* S. Rosaliæ *per Mariam Roccaforte scriptam, cui fidem non habemus. Alii eamdem colligunt ex levissima conjectura, quia in porta sacelli cujusdam S. Christinæ olim sculpta fuere hæc verba,* Adest pestis vestræ liberatrix, *quæ nunc legi in porta sacrarii testatur Mongitorius in dissertatione Ms. contra Justinianum. Ex hisce verbis Cascinus lib.* I *cap.* 6 *colligit, Panormum peste liberatam a S. Christina in ipso corporis adventu, seu anno* 1160. *At observat laudatus Mongitorius, fallere conjecturam Cascini, ac verisimiliter agi de* peste anni MDXCVII, quando, *inquit*, porta fuit exstructa. *Quapropter illa opinio Justiniani non habet idoneum fundamentum; nec nisi levis conjectura pro ea adferri potest, nimirum quia* S. Rosalia *patrona est contra pestem : sed plures sunt contra pestem patroni, licet pestilentia non fuerint correpti.*

verisimile est, Sanctam extrema suscepisse Sacramenta ; sed incertum, ut alia multa.

153 *Secundo, quod dicitur de vocato sacerdote ad ægrotantem* Rosaliam, *verisimile est; at defectu monumentorum incertum. Asserit quidem sacerdotem,* Cyrillum *nomine, ab angelo ad* Rosaliam *ægrotantem vocatum, Maria Roccaforte, ex qua id alii ipsius sequaces sumpserunt : at Vitam illam fide indignam, jam subinde monui. Qua de causa probabile et verisimile est a consuetudine Christianorum, et anachoretarum etiam, suprema Ecclesia Sacramenta morituræ* Rosaliæ *a* **E** *quodam sacerdote administrata esse; nec tamen omnino certum; prout plane incerta et incognita est mortis causa. Imo et annus et dies emortualis æque incertus. De anno id jam antea ostensum. Dies vero Siculis plerisque satis videtur certus, cum asserant constanter et indubitanter* Rosaliam *obiisse die* IV *Septembris, quod Officio etiam legitur insertum. Verum si probatio quæritur, unicam hanc allegabunt, quod illo die semper culta sit* Rosalia. *Hæc autem probatio diei emortualis nonnullam quidem habet probabilitatem et verisimilitudinem; at nequaquam est certa, cum Sancti non pauci alio die colantur, quam quo sint defuncti. Hoc vero præcipue contigit, dum dies emortualis ignoratur. Verum quidquid sit de dubiis istis mortis circumstantiis, Sanctam illa ad meliorem vitam transivisse, certum est : atque id significat decima quarta Cascini figura, quam huic loco insero.*

Sepulta est Sancta in monte Peregrino : quod factum ab angelis,

154 *Sepultam fuisse Sanctam in monte Peregrino, omnes unanimi voce tradiderunt scriptores, tam ante inventionem corporis quam post corpus ibidem inventum. Angelos Sanctæ id officium præstitisse cum Cascino aliisque recentioribus contendit Salernus, ita scribens :* Sepulcrum **F** Rosaliæ ibidem in Peregrino monte repositum est; sed mirifico angelorum ministerio exstructum fuisse, inde persuasum plerisque est, quod novam sepulcri formam, quæ supra hominum industriam sit, intueamur. Saxum undique ossibus circumductum, sine compage aut rima, non secus ac globus ex ære fusus, sua cavitate corpus Virginis complectebatur, ne temporis aut loci violaretur injuriis. Haud abnuerim, alicubi deciduas aquæ guttas lapidescere : sed nostrum hunc lapidem ex eo perenni fluxu coaluisse non credam. In alta ille humo quindecim fere pedes defossus jacebat, ut undique a solida montis rupe remotus, fossili tantum terra circumvolvetur. Cur vero eam tantummodo humum, quæ proxima beato corpori erat, adeo felicem existimem, ut ipsa dumtaxat aquarum ope in lapidem concresceret; reliqua vero infra et supra saxum nihil soliditatis conciperet? Non ea tantum antri pars, sed totum undique frequentibus stillicidiis antrum perpluit. Nec tamen alibi visa humus lapidescere.

AUCTORE J. S.

Cascinus et Salernus probare

155 In remota antri parte pauca defunctorum ossa fuere defossa, sed non involuta lapide ex humo compacto; imo hæc aliorum ossa nigra ex aquarum stillicidio, excsa, cariosa, horrida videbantur. Contra vero mirum est, quantum nostræ Virginis reliquiæ ingenuo candore, eboris instar, niterent: quantum medulla, in ossibus jam arida, tenuissimis intertexta fibris sine carie, hic aurea flavesceret, ibi argento, aut cristallo purior candesceret. Lapis præterea iste intra ossium meatus, ipsum capitis cranium, oris intercapedinem ita permeabat, ut nativam ossibus soliditatem atque pulchritudinem servaverit, non secus ac opobalsami, aut alterius, contra temporis edacitatem, amuleti vices subiret. Demum nemo umquam eo loci tractu videat, quam in lapide isto colorum varietatem et pulcritudinem sub aspero cortice admiramur; multicolor ille est, alicubi cristallum nitore simulat in multos angulos refracto lumine; in hiacynthum abit aliquando cæruleo colore præfulgidus; partim berylli glaucinum fulgorem imitatus, partim in alias gemmas admirabili plane specie de-
B generat. Atque hæc omnia non immerito adeo excelsam hujus sepulcri structuram, non naturæ viribus, sed singulari Dei opificis providentiæ tribuendam esse persuadent, ut pro honore aliorum aliquando Sanctorum corpora prosequutus est Deus, cum thecas illis angelorum manibus præparavit, eumdem Rosaliæ impenderit, divini sui amoris monumentum: ac simul dum *mortali* ac viliori Virginis parti sepulcrum ad custodiam curavit exstruendum, quantas ille delicias immortali ejus animo sua sponte sibi caritatis nexu consecrato contulerit, manifesto prodidit. Quod si tot annos et sæcula occultum, ignotumque id corpus in alta defossum humo latere voluit; id majore patriæ servandæ beneficio, et celebrioribus Virginei cultus incrementis benigne rependendum sanxit. *Hactenus Salernus, cujus ratiocinium tanti non videtur roboris, ut omnes ad assensum pertrahere possit, ut magis patebit, ubi de lapideo loculo illo agetur num.* 263. *Sane sepultura angelorum manibus procurata non est res tam usitata, ut ex conjecturis quibusdam facile asseri debeat, præsertim cum tantum* S. Rosaliæ *privilegium antiquitas prorsus ignoraverit: nulla enim pictura*
C *antiqua talem Sanctæ sepulturam repræsentat: nullus scriptor ante Cascinum de ea vel per conjecturam meminit.*

nituntur: sed probabilius est,

156 *Firmissimum sepulturæ angelicæ argumentum esse ait Cascinus pag.* 274, *quod Sancta sic vixerit solitaria, ut prorsus esset incognita: nec diffiteor id fore præcipuum talis sepulturæ argumentum, modo suppositio illa satis esset probata: ab homine enim sepeliri non poterat Sancta, si vita ejus et mors solitaria omnibus hominibus erat ignota. Verum, uti ex antiquo cultu aliisque rationibus ante ostendi, Sanctam verisimiliter non fuisse incognitam; ita ex antiqua notitia de sepultura Sanctæ in monte Peregrino recte videtur inferri, hominum opera ibidem sepultam fuisse. Vixisse in monte Peregrino* Rosaliam, *ibique mortuam et sepultam, scivit ex antiqua traditione et asseruit Caietanus ante inventionem corporis; at tacuit de angelico in Sancta sepelienda ministerio. Jam vero, si Sancta usque ad mortem fuisset incognita et sepulta per angelos, quo modo vita, mors et sepultura ejusdem ad hominum notitiam pervenisset?*

157 *Nodum hunc qui scindere voluerit, necessario dicet omnia illa innotescere potuisse per revelationem. Fateor, posse Deum sic occulta* D
omnia hominibus manifestare. At nullum talis revelationis habemus fundamentum; cum eam nullus scriptor antiquus asserat, nulla pictura antiqua insinuet. Nodus hic rursum est difficilis: nam si revelatione constitisset de sepultura Rosaliæ *in monte Peregrino, cognitio revelationis æque ad posteros pervenisset, quam notitia loci sepulturæ; et revelatio illa non esset minus scripto consignata, quam ipse sepulcri locus. Quocumque igitur modo rem considerem, mihi longe apparet probabilius,* S. Rosaliam *hominum manibus in monte Peregrino sepultam. Fieri tamen potest, ut Deus singulari providentia Sanctæ ossa conservaverit; sicut ea deinde plurimis miraculis honoravit.*

fuisse ab hominibus sepultam.

§ XV. Antiquissimus Sanctæ cultus ex antiquis ecclesiis, sacellis, et altaribus.

E

Antiquus Sanctæ cultus a variis probatus:

Antiquus S. Rosaliæ *cultus ex hactenus dictis abunde colligi potest, et magis asseritur apud Caietanum in Vita, apud Cascinum lib.* I *cap.* 2, *et apud Salernum sæpe jam laudatum. Illum vero omnium luculentissime ostendit Josephus Spucces Societatis Jesu dissertatione Ms., qua anno* 1642 *Romæ antiquitatem cultus* S. Rosaliæ *defendit. Dissertationem hanc Ms. cum altera ejusdem auctoris de stirpe* S. Rosaliæ *nobiscum anno* 1744 *communicavit R. P. Stanislaus Ignatius Castiglia Societatis Jesu, tunc provinciæ Siculæ præpositus, qui et hasce observationes in indice monumentorum ad nos missorum adjungit:* Authentica omnia monumenta, quæ P. Josephus Spucces in hisce dissertationibus citat, ex ejusdem mandato rite conquisivit, atque in duos tomos distribuit, P. Hieronymus la Chiana Panormitanus Societatis Jesu, eaque omnia, publica auctoritate firmata, in capsula quædam fuere inclusa, atque in recondito Panormitanæ urbis thesauro, in quo publica civitatis pecunia servatur, reposita. Ea omnia quidam e nostris, cujus opera in his S. Rosaliæ monumen- F
tis colligendis usus sum, senatu annuente, vidit et pervolvit. Sed quoniam nimis longum erat, omnia transcribere; indicem tantum eorum monumentorum transcriptum mittimus, una cum epistola nuncupatoria ad senatum Panormitanum, quam idem P. Hieronymus la Chiana Operi præfigit, additis uno vel altero ex iisdem monumentis, quæ apud nos erant. *Hactenus diligentissimus atque humanissimus Castiglia, aut ipsius adjutor P. Noto.*

cultus ille primo ostenditur ex perpetua traditione,

159 *Quod spectat ad monumenta citata in Dissertatione, iis non magnopere indigemus, tum quod antiquitas cultus clarior sit, quam ut dubitationi possit esse obnoxia; tum quod pleraque auctoris asserta confirmari possint ex Cascino aut Salerno. Qua de causa totam fere laudati Spucces Dissertationem subjiciam, omissis allegationibus, quæ nimia frequentia sermonem ipsius minus expeditum reddunt, et adjuncta illorum loco auctoritate Cascini vel Salerni. Auctor orditur ab anno Sanctæ emortuali, non omnino certo, ut ante ostendi; ac ita scribit:* Sanctam Rosaliam virginem Panormitanam sub annum MCLX diem suum obiisse in spelunca montis Peregrini, præterquam

AUCTORE J. S.

A præterquam quod Siciliensis ecclesiæ constantissima traditio testatur, ut videre est in secundo volumine a scriptura prima et sequentibus usque ad septimam; scripserunt et Pirrus in Notitia Panormitanæ ecclesiæ ad annum prædictum, et Ferrarius in Catalogo ad diem pridie Nonas Septembris in notis... Eamdem porro a primis illis annis, qui ejus mortem sunt consecuti, summo honore cultam, atque eo loco habitam, quo Sancti haberi solerent in Ecclesia Dei, eadem docet traditio in scripturis supra laudatis. *Hoc primum est auctoris argumentum a perpetua traditione desumptum. Scripturæ vero, quas laudat, sunt septem epistolæ, eodem anno* 1642 *exaratæ, et P. Spucces ut procuratori traditæ. Eæ sic recensentur in catalogo ante memorato :* I. Litteræ senatus Panormitani ad SS. D. N. de antiqua traditione sanctitatis ac generis S. Rosaliæ. 2. Ejusdem de eadem litteræ ad alios. 3. Eminentissimi Cardinalis Doria archiepiscopi Panormitani de eadem litteræ. 4 Capituli et cleri Panormitani de eadem litteræ. 5. Beneficiariorum ac parochorum de eadem litteræ. 6. Principum B virorum de eadem re litteræ. 7. Populi Panormitani de eadem re litteræ.

per Cardinalem Doriam aliosque asserta :

160 *Hæ porro litteræ cum subscriptionibus omnibus ad manum mihi sunt. Verum cum omnibus in eamdem plane sententiam conspirent, satis erit huc spectantia e litteris Cardinalis archiepiscopi exscribere, prout facio :* Nos D. Joannettinus Doria S. R. E. presbyter Cardinalis tituli S. Petri in Monte Aureo, archiepiscopus Panormitanus, omnibus et singulis, quibus præsens fuerit exhibita vel ostensa, fidem facimus et attestamur, antiquissima et constante et invariata populi et ecclesiæ Panormitanæ, aliarumque Siciliensum ecclesiarum traditione acceptum et creditum, et in omnium mentibus insitum, et ore versatum ; perpetua etiam consuetudine confirmatum et approbatum, sanctam Rosaliam virginem Panormi natam, et ex regio Caroli Magni sanguine prognatam, abdicatis amore Christi paternis divitiis et honoribus, et aulæ regiæ, in qua educata fuerat, omnibusque sæculi pompis proculcatis, in montis Quisquinensis primum, deinde Peregrini C speluncas fugisse, ibique solitariam vitam egisse, ac mortem sanctissime obiisse ; statim vero post mortem communi omnium opinione ac fide Sanctam fuisse appellatam, et sanctarum virginum ritu dicatis illi templis, propositis imaginibus cultam, invocatam in litaniis, Officio ecclesiastico, ac Missæ celebratione honoratam *etc*. *Ad hæc solum pauca observo. Primo voces illæ,* statim post mortem, *non nimis rigide sunt explicandæ; cum incertum sit quoto post mortem anno cultus sit inchoatus ; certum tamen videatur, Sanctam coli cœptam seculo duodecimo, quo obiit. Secundo cultum illum haud dubie paulatim crevisse, et verisimiliter non eodem anno, quo obiit,* Sanctam *vocari cœptam, et cultam Officio ecclesiastico ; neque eam opinor esse mentem Emenentissimi Cardinalis. Tertio traditio de cultu haud dubie* antiquissima *et* invariata *est : at id non æque convenit anno emortuali, neque omnibus, quæ de Sancta vivente asseruntur, prout colligi potest ex iis, quæ de singulis suo loco sunt disputata.*

secundo ex plurimis

161 *Hisce breviter observatis, redeo ad laudatam Dissertationem, cujus auctor post superiora sic prosequitur :* Ego vero jam luculentius demonstrabo ex scripturis in hoc primo volumine contentis. Certe in Ecclesia cultus, qui Sanctis adhiberi solet, hic est, templorum et altarium dedicatio, imagines titulo sanctitatis inscriptæ, beneficia ipsorum nomine instituta, publica invocatio, solemnis ac festa natalis celebratio. Singula ostendam antiquitus S. Rosaliæ ab ecclesia Siciliensi attributa ; et, quod caput est, conscio et approbante summo Pontifice. *Deinde de ecclesiis et altaribus ita disserit :* Primo Racalmuti *, quod est oppidum in diœcesi Agrigentina, templum habetur antiquissimum S. Rosaliæ; cujus antiquitas referetur ad annum MCCVIII, ut conjicere licet ex notis repertis in arcu quodam ejusdem ecclesiæ, quæ hujusmodi erant MCCVIII : quinque enim postremæ jam media sui parte corrosæ, hanc tantum speciem ostendebant. *Hanc* S. Rosaliæ *ecclesiam memorat etiam brevissime Salernus pag.* 152, *et Cascinus pag.* 14 *et* 15. *At hic uno seculo ecclesiam posteriorem facere videtur, cum narret ædificatam inter annum* 1320 *et* 1330, *uti ibidem videre licet. Verum sive seculo* XIII *sive* XIV *condita sit illa ecclesia* S. Rosaliæ, *certum est antiquissimi cultus argumentum.* E

* Rahalmuto

jam inde a seculo XIII

162 Secundo Panormi anno MCCLVII celebre jam erat templum S. Rosaliæ, ut patet e legato Theophaniæ nobilis matronæ; quod testamento reliquit ecclesiæ S. Rosaliæ... De eadem ecclesia fit mentio in testamento nobilis viri Joannis de Calavallis anno MCCCXXXVII. Tertio de eadem ecclesia, et simul de alia capella ejusdem Sanctæ in ecclesia S. Catharinæ de Olivella fit mentio in quodam catalogo, confecto anno MCDXXXIX jussu archiepiscopi Panormitani, qui tunc temporis erat vir ille celeberrimus Nicolaus Tudiscus, qui per antonomasiam dicitur PANORMITANUS. *De utraque hac æde sacra Salernus ita loquitur pag.* 152 : Celebritatem ergo nominis, Divæ titulum cum religioso cultu, ab ecclesia Sicula jam diu usurpato, hæc plane contestantur : antrum Peregrini montis jam dudum ante plura sæcula religiose cultum, ædis sacræ titulus cum Virginis Rosaliæ effigie : cujus aræ adnexum olim ecclesiasticum beneficium de jure patronatus Panormitani senatus : alterum item templum eidem Virgini ibi ante annum salutis MCDXIV excitatum, ubi proxime deinde exstructa est D. Catharinæ ædes, cui nomen Olivellæ fecit olea ex propinqua area. Atque ædis F utriusque meminit eruditissimus juris canonici doctor Nicolaus Tudiscus archiepiscopus Panormitanus, qui sub nomine Abbatis Panormitani inclaruit et celebratur : is enim anno MCDXXXIX in catalogum ducentarum fere sacrarum ædium, quibus thynnariæ piscationes aliquot pisces quotannis pendunt, regessit duplex hoc S. Rosaliæ templum.

Sanctæ dicatis

163 Eidem eleemosynas erogatas legimus : qua in re numquam excidere e memoria debet antiquissima cujusdam Theophaniæ testamentaria dispositio, in pergamena carta scripta die XVIII Aprilis, anno MCCLVII, quam autographam sæpe legimus, et custodiri diligentur curavimus : ibi enim inter alia Sanctis legata, tarenum aureum S. Rosaliæ templo solvi imperavit; ostenditque apertissime intra centum annos a Rosaliæ obitu sacram illi ædem publico cultu exstructam. *Cascinus pag.* 6 *agit de ecclesia montis Peregrini, et pag.* 9 *idem adducit testamentum Theophaniæ, dubitans tamen, an hæc legatum fecerit in favorem ecclesiæ* S. Rosaliæ *montis Peregrini, an in favorem alterius ecclesiæ* S. Rosaliæ, *quam tunc etiam Panormi fuisse affirmat.* De

AUCTORE J. S.

De ecclesia montis Peregrini certo agitur apud Amatum in litteris Panormitanorum anni 1421, *ubi festivitas* S. Rosaliæ *in monte Peregrino celebrari dicitur in die Ascensionis. At nihil refert ad antiquitatem cultus demonstrandam, utri* S. Rosaliæ *ecclesiæ gratia illa sit præstita.*

ecclesiis, sacellis, altaribus,

164 Quarto, *ut prosequitur Spucces*, Rivelli, quod oppidum est in diœcesi Polycastrensi provinciæ Basilicatæ, anno MCDLXXVIII conditum est templum S. Rosaliæ. *Salernus scribit,* Rovelli in Lucania, *sed idem oppidum designat.* Quinto Julianæ, quod oppidum est in Sicilia diœcesis Agrigentinæ, ab immemorabili excitatum fuit in templo maximo altare S. Rosaliæ, cujus mentio habetur in quadam scriptura jam inde ab anno MDXXII ... De eodem altari fit mentio in quadam nota Agrigentinæ ecclesiæ, edita anno MDXL. Sexto Politii, quæ civitas est in Sicilia diœcesis Cephalæditanæ, antiquissimum fuit templum S. Rosaliæ, cujus adhuc ruinæ, solumque ipsum habetur in honore. *Consentit Cascinus pag.* 14, *meminitque de eodem brevissime Salernus.* Septimo. Anno MDXCIV confratres S. Catharinæ de Olivella concedunt RR. B Patribus Oratorii capellam S. Rosaliæ antiquissimam, cum onere aliam fabricandi in nova ecclesia S. Ignatii martyris: quod et factum est. *Idem Cascinus pag.* 10 *et* 11 *asserit.* Octavo. Bibonæ, quod oppidum est in Sicilia diœcesis Agrigentinæ de domino S. Rosaliæ, ejus templum exstat longe antiquissimum, quod tradunt ante trecentas, vel et quadringentos annos conditum fuisse ... Templo adjuncta confraternitas, cujus initia referunt ad annum MCCL hoc argumento, quod cum lis esset de præcedentia in processionibus, quæ ibi sequitur antiquitatem, inter confratres S. Antonii, S. Bartholomæi, et S. Rosaliæ: confratres autem S. Bartholomæi de scripturis antiquitatem probarent jam ab anno prædicto; ea lis jure terminari non potuit: sed composita est hoc pacto, ut vicissim præcederent. Unde colligitur, tunc temporis a confratribus S. Rosaliæ exhibitas fuisse scripturas saltem paris antiquitatis ... Ad ejus templi antiquitatem pertinet, quod tertio collapsum, reparatum est ter... Rursus quod æs campanum ejusdem ecclesiæ jam ab anno MCDLXXVII non conditum, C sed refectum est. *De ecclesia Bivonensi admodum antiqua agit etiam Caietanus in Vita edenda, Cascinus pag.* 15 *et seq., et breviter Salernus.*

quæ per totam fere

165 Nono. In antro Quisquinensi jam inde a primis sæculis post mortem S. Rosaliæ excitatum fuisse altare eidem Sanctæ, testantur tabulæ Stephanenses. *Institui solitas supplicantium processiones ad eum locum, testatur Cascinus pag.* 17, *et latius ex authentico Ms. probabo inferius* § 26, *ubi narrabitur istius antri inventio.* Decimo. Troïna * oppidum est diœcesis Messanensis: ibi templum antiquissimum S. Rosaliæ (*fuisse,*) testantur ruinæ, quæ adhuc ejus nomen retinent. *Consonat Cascinus pag.* 20, *addens Sanctam suo etiam tempore particulariter ibidem invocari solitam, licet ecclesia ipsius foret destructa. Mentio ejusdem ecclesiæ est apud Salernum.* Undecimo. Ragusa, oppidum Syracusanæ diœcesis, templum habet S. Rosaliæ longe vetustissimum. *De hoc, uti et de pluribus venerationis argumentis in diœcesi Syracusana, Cascinus pag.* 20 *et* 21. Duodecimo. Siclis, diœcesis Syracusanæ oppidum aliud, templum habuit ejusdem Sanctæ ab immemorabili, cujus ruinæ adhuc in honore sunt... Decimo tertio. Maurus, oppidum diœcesis D Messanensis, ecclesiam habuit S. Rosaliæ ab immemorabili ... Decimo quarto. Aliud templum ejus exstat ab immemorabili in oppido Tostoreti, (*Salernus* Tortoricii) diœcesis Messanensis. Decimo quinto. Aliud item antiquissimum in oppido Faficarra (*Salernus scribit* Ficarræ) diœcesis Messanensis, post ruinas reparatum anno MDCV, hoc est XIX annis ante inventionem corporis. *De omnibus consentiunt Salernus breviter, et fusius Cascinus cap.* 2.

* Traina

Siciliam assignantur.

166 Decimo sexto. Templum Olivellense, (*de quo jam supra actum*) S. Rosaliæ dicatum Panormi ab immemorabili ... Decimo septimo. Templum aliud ejusdem Calascibettæ *, diœcesis Catinensis, vetustate collapsum ... Decimo octavo. Ruinæ templi antiquissimi S. Rosaliæ, quæ nomen ac venerationem retinent, in ora Cephalæditana. Hæc sunt templa antiquitus in honorem S. Rosaliæ dicata, et omni cultu ac veneratione a fidelibus frequentata: recentiora enim, quæ nostra ætas condidit, missa facimus: inter quæ unum habetur Panormi constructum auctoritate sanctissimi Domini nostri Urbani VIII, Pontificis maximi, quem Deus servet in multos E annos. *Hactenus Spucces de ecclesiis, sacellis et altaribus Sanctæ. Unum alterumve adjungit Salernus, ita brevissime de hisce scribens:* Aliorum etiam quatuordecim delubrorum per universam Siciliam, repertis eorumdem vestigiis, renovata modo memoria est, Caccabi in hospitio, seu, ut vocant, grancia monasterii S. Nicolai de Nemore; Cephalœdi ad littus Orienti adversum duplici ab oppido lapide: Politii, Rahalmuti, Bisbonæ, Caliscibettæ, Troïnæ, Fioarræ, Sancto-Mauri, Tortoricii, Sicli, Augustæ *, Paulæ * in Calabria, Rovelli in Lucania, Altaria recensetur multo plura. *Hæc de ecclesiis, sacellis et altaribus sufficiant, ut ad alia antiqui cultus argumenta progrediamur.*

* Calatascibetta

* Agousta

* Paola

§ XVI. Antiquissima veneratio ex imaginibus vetustis, aliisque ulterius probata: ea deinde, postquam nonnihil elanguerat, instaurata initio seculi XVII. F

Imagines Sanctæ

Ab ecclesiis et altaribus ad vetustas S. Rosaliæ *imagines transit Spucces, atque ita ratiocinatur:* Inter imagines S. Rosaliæ omnium antiquissima videtur, quæ jam inde ab anno MCLXXIV, hoc est anno decimo quarto post obitum ejusdem (*secundum ipsius de anno emortuali sententiam*) creditur fuisse depicta in trabe summæ contignationis templi regii Monteregalensis. Eamdem enim ætatem videntur habere picturæ illæ, quam habet prima ipsa templi contignatio, quæ facta fuit anno MCLXXIV, ut patet ex Pirro in notitia Monteregalensis ecclesiæ (*tom.* I *Italiæ sacræ pag.* 397 *et seq.*) et Lello part. 2; nec umquam reparata ante annum MDCXXIX. *Si satis certa sit assignata picturæ antiquitas, culta fuit Sancta paucissimis post mortem annis: nam suo loco ostendi, eam verisimiliter serius obiisse, quam anno* 1160.

ad seculum XII relatæ:

168 *Verum quidquid sit de tanta hujus picturæ*

A *cturæ vetustate, quæ non satis clare ostenditur, aliam ejusdem fere ætatis memorat Salernus his verbis :* Imagines vero cum sanctitatis titulo publici cultus teste innumeræ, eæque antiquissimæ : inter quas post plures ab inventione reliquiarum annos ea innotuit, quæ in cathedrali Panormitano templo depicta olim fuit; traditus enim majoribus sustinendis, seu potius ornandis ad parietes lignea fulcra apte conformata subduntur : in iis vero depictæ sunt plures Sanctorum effigies, quæ tamen eorum, qui in solo ejusdem templi degunt, ob altitudinem oculorum aciem adeo fugiunt, ut inde dignosci nequeant : dum autem idem templum magnificentissime, ut moris est, celebrando S. Rosaliæ festo holosericis auro intertextis aulæis, et divite gaza exornaretur, sub nona trabe agnitus in imagine S. Rosaliæ eremiticus vestis modus, nam cinericii coloris sacco vestitur, cui circumjectum ad humeros, peregrinorum ritu breve palliolum cæruleo, sed jam languido, colore imbutum ; binis rosis hinc et inde, quæ brachia pallio teguntur, et characteribus S. R. nomen S. Rosaliæ innui-
B tur. Trabs autem illa cum ornamentis præsefert æqualem templo antiquitatem, quod dedicatum fuisse constat a Gualterio archiepiscopo, ejus auctore anno MCLXXXV. *De Gualterio II archiepiscopo Panormitano agit Pirrus tom.* I *a pag.* 121, *ubi etiam pag.* 127 *de constructa ecclesia hac cathedrali.*

aliæ item vetustæ,

169 *Spucces porro præcedentibus hæc subdit :* Proxime *(vetustate)* accedit tabula Marturanensis Panormi. *Hanc, quam omnium vetustissimam suspicabatur Cascinus, æri incisam dedi ad* § 7. Panormi etiam duæ aliæ habentur tabulæ Olivellensis *(ecclesiæ)* miræ antiquitatis. *Utramque dedi ex Cascino, cujus altera est secunda, altera septima.* Ibidem alia convisitur imago S. Rosaliæ vetustissima in hospitali, quod vocant Magnum. *Dabitur infra ex Cascino, cujus est decima quinta.* Ibidem alia ejusdem imago perantiqua habetur in parochiali templo S. Nicolai ab Albergaria. Bibonæ, quæ civitas fuit de dominio S. Rosaliæ, exstant antiquissimæ imagines S. Rosaliæ octo : prima in ecclesia ejusdem S. Rosaliæ, depicta anno MCDXCIV. Secunda ad postes cujusdam tabernaculi in eadem ecclesia,
C facta anno MCDXLIX. Tertia, quæ videtur omnium antiquissima, in medio gonfalonii ejusdem ecclesiæ. Quarta est lignea statua inaurata, quæ, cum vetustate jam pene confecta esset, instaurata est anno MDXXXII. Unde colligitur, ejus ætatem longe antiquiorem fuisse. Quinta altera statua ejusdem, hac etiam vetustior, et omnino corrosa, quæ servatur in sacello ejusdem ecclesiæ. Sexta in ecclesia parochiali S. Agathæ, cujus antiquitatem testantur Gothici characteres. Septima in ecclesia S. Antonii, facta anno MDVIII. Octava in exteriori fronte cujusdam domus. *Ex hisce varias ex Cascino dedi, suis locis videndas.*

ex quibus variæ nomen Sanctæ habent inscriptum :

170 S. Stephanus oppidum est prope Bibonam de ditione ejusdem S. Rosaliæ. Ibi imago est S. Rosaliæ perantiqua ab anno MCDLXVIII in maxima ecclesia. Alia ejusdem imago habetur in gonfalonio S. Mariæ Magdalenæ ejusdem oppidi... Ragusæ præter templum S. Rosaliæ dicatum, alia exstat pervetusta ejusdem imago in ecclesia S. Theodori, summa cum veneratione habita.... Calascibettæ præter templum proprium S. Rosaliæ, alia ejusdem imago ab immemorabili colitur in ecclesia S. Mariæ a monte Carmelo... Jam vero pleræque istarum imaginum inscriptum gerunt nomen S. Rosaliæ, ut imago Marturanensis,.... imago prima Bibonensis,.... itidem octava Bibonensis,... et aliæ complures. Jam ergo ab imaginibus ad beneficia transeamus. *Qui vero de istis imaginibus plura enucleatius disputata desiderat, adeat Opus Italicum Cascini, qui de illis maxime agit lib.* I *cap.* 2, *licet aliis quoque locis de eisdem non pauca disserat. Ego interim, cum dicta ad propositum nostrum sufficiant, progredior cum auctore Dissertationis ad* beneficia antiquitus constituta sub titulo ac nomine S. Rosaliæ.

AUCTORE J. S.

varia quoque beneficia antiquitus instituta titulo S. Rosaliæ :

171 Omnium, *inquit*, antiquissimum est Panormitanum, erectum in monte Peregrino, qui antiquitus ERCTA dicebatur. Hujus prima institutio immemorabilis est : tamen habentur antiquissima testimonia jam inde ab anno MCCCXCIII, ... rursus ab anno MCCCXCIX, script. 7 fol. 41. Qua in scriptura illud est notabile, quod hoc beneficium prædictis illis annis conferebatur a summo Pontifice Romano : unde patet, cultum S. Rosaliæ notum ac probatum fuisse Pontifici. Præterea ejusdem beneficii mentio habetur an- E
no MCDVIII,... MCDXVIII *etc. Pergit auctor ex scripturis plurimis, quæ mihi ad manum non sunt, mentionem hujus beneficii ostendere per totum seculum* XV, XVI *et initium* XVII, *seu usque ad annum* 1611 ; *de quo varia etiam adduxit Cascinus pag.* 6. *Deinde sic prosequitur Spucces ad alia :* Alterum est beneficium Julianense, de quo fit mentio anno MDXXII, . . . et anno MDXLI... Ad beneficia revocari potest feudorum institutio. Anno igitur MCDLXVIII in agro Calascibettensi feudum institutum auctoritate regia sub titulo S. Rosaliæ. *Hisce expeditis, ad publicam Sanctæ invocationem cum eodem auctore pergo.*

antiqua invocatio item probata :

172 Panormi, *inquit*, in metropolitana ecclesia publice invocari solitam S. Rosaliam, testantur memoriæ veterum librorum, quibus illa ecclesia utitur in publica officia... Idem testatur liber precum, quo antiquitus utebatur ecclesia S. Michaëlis in eadem urbe, conscriptus anno MCCCXLIII, ubi inter alias virgines proponitur etiam invocanda S. Rosalia... Bibonæ publicam et antiquissimam fuisse invocationem S. Rosaliæ, testantur tabulæ Bibonenses, . . . et specialius ad F
amoliendam pestem . . . Idem de oppido S. Stephani testantur tabulæ Stephanenses . . . Idem de monasterio Bibonensi S. Pauli testantur tabulæ Bibonenses.... Idem de oppido Racalmutensi testantur ejus tabulæ.... Idem de civitate Mazariensi testantur tabulæ Mazarienses. *Hæc breviter Spucces. Salernus vero ad propositum nostrum habet sequentia :* In antiquas etiam litanias, quæ inter supplicationes Panormi olim recitabantur, S. Rosaliæ nomen in aliarum virginem chorum relatum esse, ex codicibus, ante plura secula manu descriptis, liquet. *Similia narrat Cascinus pag.* XI, *observans etiam nomen S. Rosaliæ reperiri in hymnis antiquis, in quibus multa antiquorum Sanctorum sunt nomina, ita tamen ut nomina SS. Bernardi, Francisci et Dominici necdum in iis occurrerent. Ex quo colligit, Rosaliam ante laudatos Sanctos Panormi fuisse cultam.*

festivitas item celebrata.

173 *Ad celebratam Sanctæ festivitatem demum procedit Spucces, atque id breviter ostendit his verbis :* Festum celebratum antiquitus die IV Septembris Panormi, testantur tabulæ Panormitanæ... Racalmuti idem testantur tabulæ Racalmutenses

AUCTORE J. S.

calmutenses .... Bibonæ idem testantur tabulæ Bibonenses.... Idem testantur S. Stephani tabulæ Stephanenses ... Ragusæ idem testantur tabulæ Ragusanæ. *Ex dictis vero omnibus ita concludit :* Jam igitur hæc omnia satis luculenter ostendunt, sanctam Rosaliam jam inde ante quadringentos annos *(id est, ab anno circiter* 1242*)* habitam eo loco, quo cæteri Sancti haberi solerent. *Legitima est conclusio, si auctor solum velit insinuare,* S. Rosaliam *cultu ecclesiastico ab eotempore honoratam fuisse in Sicilia, et a fidelibus invocatam. Si vero inferre voluerit, Sanctæ festivitatem tam diu celebratam fuisse Officio ecclesiastico, uti fit de præcipuis Sanctis, et quidem per totam Ecclesiam, ut verba sonant, id sane non satis probaverat; cum nullibi ostendat, a quo tempore cœpta sit celebrari Sanctæ festivitas annua ; cumque certum sit, eam non fuisse celebratam per totam Ecclesiam. Verum id necessarium non erat, ad immemorabilem et legitimum* S. Rosaliæ *cultum demonstrandum : atque is tam luculenter ostensus est, ut nullus relinquatur dubitationi locus.*

Non videtur Sancta culta tempore Willelmi I, sed ante finem seculi XII *:*

174 *Cascinus lib.* 2 *cap.* 19 *pag.* 281 *asserit,* S. Rosaliam *jam fuisse cultam tempore Willelmi I Siciliæ regis, qui obiit anno* 1166, *cultumque ejus ab Alexandro Papa III approbatum suspicatur. Mancusus vero in Vita part.* I § 21 *pag.* 165 *confidentius affirmat antiquam de* S. Rosalia *orationem compositam aut confirmatam ab Alexandro III. Verum neuter allegat auctoritatem antiquorum, aut rationes idoneas, quibus tanta cultus antiquitas ostendatur; imo ne satis quidem probari potest,* S. Rosaliam *esse defunctam ante Willelmum I. Oratio autem, de qua Mancusus loquitur, hæc est :* Deus corona gloriæ, qui beatam Rosaliam virginem de regia ad desertum eductam, et gloriosis floribus coronatam, ad paradisi delitias assumpsisti, da, quæsumus, ejus auxiliis, ut a malis omnibus eruamur, et perseverantiæ coronis potiamur optatis. Per Dominum *etc. Recitatur eadem oratio in fine Operis Cascini pag.* 320 ; *at non additur, a quo tempore usitata aut composita fuerit. Quapropter tanta illius orationis antiquitas non fuerat affirmanda, sed probanda : et forsan multum laborasset Mancusus, si voluisset ostendere, orationem illam ante seculum* XVII *fuisse compositam. Vincentius Auria in Rosa cœlesti pag.* 28 *et* 29 *affirmat ex Philippo Paruta, ecclesiam Sanctæ in monte Peregrino fundatam ab anno* 1180 : *quod an satis certum sit, ignoro. Verumtamen ex hactenus dictis colligitur,* S. Rosaliam *aliquo saltem cultu honoratam fuisse ante finem seculi* XII, *eumque magis dilatatum seculo* XIII, *et sequentibus, donec paulatim cœperit languescere, ut gloriosius instauraretur seculo* XVII.

cultus ille postea nonnihil elanguerat.

175 *Salernus de languescente primum , ac deinde instaurato sanctæ Solitariæ cultu hæc scribit :* Sed, quod mireris, cultus tantus, ac tam late sparsus, obtorpescentibus Siculorum animis, et decedente sanctitatis fama, sensim refrixerat : quod non aliunde manasse credam, quam quod laterent sacrosanctæ ejus Virginis reliquiæ, quæ mortalium animos cælesti igne succenderent, et amorem beneficiis foverent. Ita cum olim latuere apostolorum Petri et Pauli corpora, desierant, uti scribunt Platina et Ciacconius, rerum Pontificiarum scriptores, in honore esse propter desuetudinem et ignorantiam hominum, quousque sub Urbano V innotuere. Quare excidisse Rosaliæ cultum permisit Deus in alicujus oblivionis tenebras, ut felicius et ampliori celebritate resurgeret. Numquam tamen deleta prorsus S. Rosaliæ memoria, *(ut abunde collegi potest ex supra dictis)* sed retenta sunt semina, unde ad gloriam pullularet. In cathedrali enim æde Panormitana die IV Septembris ritu semiduplici recitari jam cœperant, renovato cultus studio ad anniversarium festum, divinæ preces ab anno MDCIX : et futuræ inventionis spem de eruenda ab impendentibus periculis patria fama, divino confirmata oraculo , sustinebat. Qua vero ratione celebritas nominis, hominum obsequia et plausus in divam Rosaliam refloruerint per ejus reliquiarum inventionem, mox, cum de ea agemus, disserendum erit. *Cascinus hisce omnibus lib.* I *cap.* 2 *satis consonat ; certumque est, venerationem* S. Rosaliæ *per corporis inventionem ita revixisse, ut longe facta sit celebrior, quam ante umquam fuerat.*

§ XVII. Beneficia aliaque corporis inventioni prævia : corpus variis vicibus frustra quæsitum.

Bivonenses, jussi Sanctæ ecclesiam struere, et peste per eam liberati :

Quamquam pleraque beneficia S. Rosaliæ, *quæ ad posterorum memoriam pervenerunt, facta sunt circa tempus inventi corporis aut tempore posteriore, nonnulla tamen narrantur, quæ diu præcesserunt. Cascinus Bivonam a* S. Rosalia *jam anno* 1348 *peste liberatam scribit, rem narrans hoc modo pag.* 16 : Protectionem istam et amorem Sanctæ experta est Bivona magno beneficio et gloria ipsius occasione universalis pestilentiæ, quæ totam afflixit Siciliam, et memoratur a Fazello ad annum MCCCXLVII. Quippe celebris fuit apparitio S. Rosaliæ, in ejus vicinia extra oppidum supra magnum saxum oblata puellæ, quæ in propinquo torrente panniculos lavabat lineos : hæc monebatur , Bivonenses peste liberandos , si eo in loco ecclesiam S. Rosaliæ exstruerent. Fides tunc temporis relationi revelationis non est habita. Verum durante semper malo, reversa anno sequente Sancta, apparuit homini fide digno, cui cum credidissent, fabricata est ecclesia in illo loco, qui paucis passibus distat ab oppido : secutaque inde est mali cessatio. Hinc eam particulari oratione invocant tamquam patronam. Asserunt abhinc tempore non multo trabem fuisse in illa ecclesia, in eaque notatum fuisse annum MCCCXLVIII, qui optime cohæret cum tempore prædictæ pestilentiæ. *Hactenus Cascinus, plura subnectens de ecclesia illa Bivonensi : at non indicat, ex quo scriptore vel monumento antiquo factum istud didicerit. Idem tamen paucioribus verbis deinde retulit Vincentius Auria in Rosa cœlesti pag.* 45. *Suspicari quis posset, apparitionem illam haustam esse ex Caietano, qui narrat* S. Rosaliam *pestis tempore apparuisse, monuisseque ut sibi ecclesia Bivonæ exstrueretur; aut, quia nonnulla addit, ex iisdem cum illo hausisse monumentis; annumque, qui prætermissus est a Caietano, ex solis adjectum conjecturis ; ac præsertim ex trabe memorata.*

Cascinus ex antiqua pictura, ubi S. Rosalia inter quatuor virgines est media,

177 *Cascinus lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 318 *ex imagine vetusta, quæ* S. Rosaliam *exhibet mediam inter quatuor sanctas Virgines, conjecturam format de alio quodam beneficio, ipsius patrocinio a Panormitanis*



INTER QVATVOR VIRGINES ANTIQVIORA PANORMITANÆ VRBIS PRÆSIDIA ET DECORA MEDIA SPECTATVR ROSALIA.

Ex veteri, et nobili pictura in pariete ad Orientem sito ad atrium magni nosocomij in vrbe Panormo.

XV

Lith. du Senat Barousse, Paris

A *Panormitanis impetrato. Imaginem illam laudatus scriptor refert ad annum fere* MCD, *eamque edidit loco decimo quinto, quemadmodum eamdem hic exhibeo. Observat vero Cascinus imaginem fuisse instauratam suo tempore, aut non diu ante, quia humiditate parietis multum erat corrupta; partem tamen superiorem, quæ quinque repræsentat virgines, magis tum fuisse integram. Deinde totam figuram exponit hoc modo :* Quæ inter has *(virgines)* media est, Rosalia est rosis coronata, junctis manibus in modum patrocinantis. Ad dexteram ejus stat S. Agatha, quæ pro signo manus habet mamillis appositas. Huic altera adstat, funem manu tenens, quæ videtur S. Christina, cum hæc fune alligata fuerit saxo, et in lacu submersa. Ad partem sinistram est S. Oliva, tenens ramum oleæ, insigne suum consuetum; et S. Nympha cum vase, quod significat vas olei ferventis, cui fuit injecta, et cum corona liliorum et rosarum in capite, quia sic coronata fuit ab angelo, simulac per manus S. Maximiliani archiepiscopi Panormitani sacrum suscepit baptisma. *Hactenus Cascinus. Porro de S. Agatha apud nos actum est ad diem* V *Fe-* B *bruarii, de S. Christina ad* XXIV *Julii, de S. Oliva ad* III *Junii, et de S. Nympha agetur cum Martyrologio Romano ad* X *Novembris, aut ad* XII *cum Sicutis, ubi discuti poterunt facta hic asserta.*

suspicatur Panormum ab ea olim peste liberatum : quod est incertum,

178 *Exposita imagine, conjecturam suam subdit Cascinus his verbis :* Verum hic progredi nequeo, nisi pedem figam, animoque perpendam, qua de causa a ducentis, ut minimum, et pluribus annis medius locus cum tanto honore virgini Rosaliæ datus sit inter quatuor virgines et martyres, quæ antiquiores sunt Panormi patronæ; cum hæ sine dubio in ecclesia præcedere soleant cum martyrio tum antiquitate. Qua de causa animum induco ad dicendam conjecturam meam, nimirum quod depictæ fuerint tempore alterius cujusdam liberationis a pestilentia, obtentæ ab eadem virgine Rosalia, quæ contra tale malum antiqua est patrona. Id tam locus, nimirum valetudinarium, confirmat quam tempus, quo scitur pestilentia ibidem fuisse. *Ita ratiocinatur Cascinus, cujus rationes quidem evincunt,* S. Rosaliam *a multis seculis in magna ve-* C *neratione fuisse apud Sicutos, tamquam patronam singularem contra pestem. Verumtamen certo dici nequit, an occasione novi beneficii inter quatuor virgines media picta sit* S. Rosalia; *an vero ob memoriam præteritorum, vel alia de causa præsertim cum tempus factæ picturæ exacte notum non sit.*

Panormus anno 1474 peste liberata dicitur.

179 *Laudatus supra Auria pag. 28 narrat, anno 1474 pestilentiam gravem fuisse Panormi, cumque ecclesia* S. Rosaliæ *in monte Peregrino ruinam minaretur præ vetustate, instauratam fuisse eo tempore a senatu Panormitano, citoque sublatam esse pestilentiam; senatum vero in grati animi tesseram restituisse beneficium, quod eidem ecclesiæ olim fuerat annexum. Joannes Maria Amatus Societatis Jesu in Opere Principe templo Panormitano lib. 9 cap. 2 pag. 225 ex Camizzario Ms. lib.* I *de eodem beneficio ita scribit :* Pius senatus, cum gravis lues anno MCDLXXIV, VIII * Indictione, Siciliam et Panormum premeret, prætore Antonio de Mastro Antonio, decrevit SS. concivi Rosaliæ templum dirutum ob vetustatem in monte Peregrino de novo construere : oh res mira! statim intermissa epidemia illa. *Hæc illi.*

** erat eo anno* VII

AUCTORE J. S.

Oppidum S. Stephani ab apparente cuidam S. Rosalia,

180 *Cascinus lib.* I *cap. 2 pag. 17 insigne refert beneficium* S. Rosaliæ, *quæ oppidum S. Stephani immune servavit a peste, tum late per Siciliam grassante. Verba ipsius Italica fideliter reddam Latine. Ubi observaverat, in vicinia S. Stephani esse speluncam Quisquinensem, ibique Sanctam annua supplicatione et festivitate coli : terram quoque ex speluncæ loco ab incolis et externis religiose sumi contra morbos varios, et præsertim contra quartanam; ad eumdem quoque locum non frustra recurri in malis publicis morborum, siccitatis aut pluviæ nimiæ; sed illa beneficia memoriæ mandata non esse; subdit sequentia :* Unum *(beneficium)* idque maximum refert oppidum S. Stephani, obtentum tempore alterius pestilentiæ, quæ ante hanc *(anni* 1624) ætate nostra fuit gravissima anno MDLXXV. Ab hac intactum fuit oppidum istud beneficio S. Rosaliæ, quæ apparuit viro probo, cui nomen erat Paschalis Barbera, eique hæc dixit verba : „ Uxor „ tua utero gestat filiolam, quam natam voca- „ bis Rosaliam : et eritis liberi a peste : refer id „ conterraneis tuis „. Ita omnino evenit, quantumvis a violentia morbi contagiosi, quæ varia loca vicina occupaverat, multum essent circumdati. E

a manifesto pestis periculo servatum :

181 Neque solum circumcirca, sed intus quoque fuit pestis sine detrimento : cum enim eo Bivona se contulisset Philippus di Alfieri cum familia sua infecta; ipse illic mortuus est, et serie non interrupta ipsius uxor, filii, et soror. Et quia suspecti non erant, dum advenerant, multi cum eis intima erant familiaritate conjuncti, seu consanguinitatis seu amicitiæ causa, et variis pietatis officiis se ipsis jungebant, ita ut manibus etiam contrectarent et vestirent cadavera infecta, ex quo oriri potuerat oppidi pernicies. Verumtamen infectio non adhæsit ne uni quidem, uti viventes etiamnum testes oculati certissimo testimonio confirmant. Hi item narrant, famam tunc fuisse, quod eadem virgo Rosalia diversis apparendo eos animaverit et confirmaverit in temporibus occasionibusque tam periculosis. *Multa hujus relationis adjuncta confirmantur jurato testimonio Francisci la Barbera sacerdotis, qui anno 1642 testatus est se audivisse ea a parentibus; videlicet apparitio* S. Rosaliæ, *omniaque de immunitate a pestilentia hic* F *relata : prædictio etiam de nascitura puella; at prædictio de immunitate incolarum S. Stephani a peste in ejus testimonio non legitur.*

puellæ mutæ loquela apud speluncam Quisquinensem concessa.

182 *Hisce aliud beneficium adjungit ab iisdem testibus acceptum, ita prosequens :* Præterea referunt aliud beneficium iisdem temporibus particulari personæ concessum extraordinario et grandi miraculo, quod non est prætermittendum. Accidit hoc virgini, quæ nominabatur Dominica di Palermo, filia Antonini, quæ ad annum ætatis decimum septimum pervenerat sine loquela, et prorsus muta. Hæc a matre sua, comitantibus non paucis familiaribus, ducta fuit ad sanctam illam speluncam *(Quisquinensem,)* et post multas preces, abeuntibus omnibus aliis et per silvam illam vagantibus, sola ibi relicta. Hæc vero in genua provoluta studebat desideratam gratiam a potente virgine Rosalia impetrare, donec illam gratiose obtinuerit. Unde reversi post horam comites, lætam supra modum et loquentem invenerunt, recteque admodum explicantem, quid sibi cum Benefactrice sua contigisset; licet impetratum beneficium apud omnes, qui mutam puellam audiebant loquentem, non

alia

AUCTORE J. S.

alia indigeret explicatione; omnesque cogerentur in piissimas effundi lacrymas, et in gratiarum actionem prorumpere; quemadmodum hodieque magno cum fervore gratissimam beneficii servant memoriam et fidem faciunt. Affirmant quoque puellam, anima item meliorem effectam, reliquum vitæ multis virtutibus et bono exemplo traduxisse. *Hactenus Cascinus, ex cujus relatione patet, non in sola pestilentia, sed in quibusvis necessitatibus, imploratam fuisse opem* S. Rosaliæ *jam ante inventionem corporis. Hæc autem mutæ sanatio confirmatur jurato testimonio Joannis Gerardi sacerdotis, qui illam anno* 1642 *testatus est relatione parentum suorum, addens tamen filiam non nihil deinde balbutiisse.*

Corpus Sanctæ sæpe quæsitum: pia mulier solitaria,

183 *Porro corpus Sanctæ a variis frustra quæsitum fuisse, cum aliis narrat Cascinus lib.* I *cap.* I *pag.* 6 *et* 7, *ubi etiam testatur fuisse prædictionem quamdam de corpore* S. Rosaliæ *non inveniendo, nisi tempore gravissimæ necessitatis. Observat primo semper satis constitisse de corpore Sanctæ in monte Peregrino sepulto, non autem de certa aliqua montis spelunca, eaque de causa variis vicibus fossum esse in monte. Deinde*
B *ita pergit:* Multi eo se labore fatigarunt, sed frustra, quia Deo non placebat *(ut tunc inveniretur.)* Et vere innotuit non solum fama, sed certa scientia, gravium personarum testimonio, multis annis *(ante inventionem)* exstitisse istud oraculum, numquam reperiendum *(Sanctæ corpus,)* nisi tempore gravissimæ necessitatis. Ad horum confirmationem, omissis aliis multis, narrabo duas aut tres brevissimas historias, non admodum vetustas, sed veras et sufficientes ad claritatem dictorum. Primo mulier quædam aulica anno MDLXXXV, quæ relicta aula mundoque pio affectu erga hanc Virginem, eam imitari cupiebat, habitavit ibidem cum simplicitate et puritate animi magni, veste induta virili. Angelum se nominandum curavit, et talis esse studebat vita et contemplatione. Vixit ibi annis XXV, et sancte obiit, sed alio loco.

quæ veste virili ignota viris præerat, prodigiis a quærendo deterretur,

184 Hæc autem ardens desiderio reperiendi sacrum corpus Rosaliæ, quæ suis apparitionibus eam frequenter recreabat, cœpit magno studio terram fodere. Ecce autem in terra quasi sudor quidam olei apparuit. Hoc prodigio non desistens
C a cœptis pia anachoretis, sed majori animo et conatu prosequens, tam repentinum sensit ejusdem terræ, deindeque et speluncæ et montis motum, ut ab opere inchoato cessaverit, intelligens ex indiciis talibus necdum venisse tempus, quo detegeretur thesaurus iste, qui divino consilio ibidem erat absconditus. *De hisce Caietanus quoque egit in annotationibus ad vitam. Verba ipsius ex Ms. subjungo:* Ante annos ferme viginti, dum hæc scriberem, fæmina, virili veste ac nomine sumpto, Angelum se dixit, habituque eremitarum in antrum divæ Rosaleæ se abdidit, ubi sotitariam vitam per aliquot annos duxit. Dein proximi cœnobii præfecturam suscepit. In ea administratione cupido incessit defodiendi corporis sanctæ Rosaleæ. Postea vero quam rem ligone exequi cœpit; visa exsudare oleo defossa humus, contremuisse antrum: quibus ex territa prodigiis a facinore destitit. *Hactenus Caietanus, qui hæc scripsit ante corpus inventum, et ante annum* 1620, *quo obiit.*

et melius edocta Romam proficiscitur:

185 *De eadem muliere agitur in monumento Ms. ejusdem fere temporis, quod nobis ex domo professa Panormitana Societatis Jesu communicavit Hieronymus Justinianus. Dicitur ibidem illa inter fratres istos eremitas habitasse annis viginti quinque incognita, ac præfuisse institutioni tironum; postea vero Romam abivisse, quod intellexisset vetitum esse mulieribus degere in virorum monasteriis sub pœna excommunicationis;* D *Romæque tandem obiisse et miraculis claruisse. Hæc incredibilia non sunt, cum constet prioribus Ecclesiæ seculis similia factitata esse a piis mulieribus. Poterat mulier illa vestem virilem sumere, quod speraret se ita minus cognoscendam, quodque ignoraret habitationem talem inter viros tam severe prohibitam. Numquam fuisse pro muliere agnitam, nisi post discessum, additur in eodem instrumento, quod scriptum est Italice a superiore quodam ejusdem loci, cujus nomen in Ms. non additur, sed* Benedictum *nominat Cascinus, de eodem historiam sequentem ex eodem narrans manuscripto.*

loci superior a Sancta apparente docetur, corpus non reperiendum,

186 Secunda *(historia, inquit Cascinus)* est de quodam fratre loci istius præfecto, cui nomen erat Benedictus. Hic ipse testatus est, se multum est ferio insudasse investigationi corporis, seque tribus mensibus fatigasse circumeundo montem, E
et quærendo in variis specubus; nimirum quia, videns labores suos irritos, suspicabatur corpus S. Rosaliæ a propria spelunca ad aliam quamdam fuisse transportatum. Verum interventu ipsius se demum ad quietem reductum ipse testatur, cum ejus revelatione sibi mandatum esset, ne fodere pergeret, nec alios amplius fodere sineret in illa specu, in qua corpus ipsius jacebat, hæcque Sanctæ subjunxit verba: « Quantumque quæsiverint, non poterunt me reperire, quamdiu civitas mea Panormus non affligetur grandi calamitate » *. *Hæc ipsa quoque verba Italica sunt in Ms., ubi additur:* Et tunc me invenient, *quod prætermisit Cascinus, qui ita pergit:* Hac usus est voce *, quæ apud nos frequenter fuit usitata, et significat calamitatem gravissimam. Pro majori porro certitudine, hoc ab eo affirmatum fuit multis annis ante inventionem sacrarum reliquiarum. *Hactenus Cascinus ex dicta Ms. relatione, in qua additur, multos seculares, monasteriique superiores et fratres frustra quæsivisse; monitosque a superiore illo fuisse varios, ne inutili labore se fatigare pergerent.* F

* *Italice* disastro

* *nimirum* disastro

nisi tempore gravis calamitatis: quod et alteri insinuatur:

187 *Tertiam historiam narrat Cascinus hoc modo:* Tertia est de bono sene, pio devotoque S. Rosaliæ, qui sacri ipsius corporis reperiendi desiderio cœpit fodere. Ecce autem, sensit ictum capiti suo impactum, vocemque audivit internam, istud non esse tempus inveniendi corpus; sed quando Panormus manus capillis suis imposuisset, quod fit in summa afflictione, ob magnitudinem calamitatis. *Transit post hæc Cascinus ad enarrandam aliorum cupiditatem, qui multum quæsiverunt Sanctæ corpus, quod sibi persuaderent thesaurum quemdam simul cum eo reperiendum. Hos ait deceptos fuisse instrumento quodam Græco satis antiquo, in quo descriptus erat locus sepulcri* S. Rosaliæ, *et in quo dicebantur duæ ibidem esse arcæ, in quarum altera erat* S. Rosaliæ *corpus, altera plena erat moneta. Observat quidem Cascinus avidos istos nummorum investigatores fuisse deceptos; cetera tamen sic fere inventa, prout fuerant descripta.*

verisimiliter locus sepulcri olim fuerat minus ignotus.

188 *Ex hac loci descriptione, quam nobis etiam communicavit Justinianus, non modica mihi suspicio oritur, non prorsus incognitum antiquis temporibus fuisse* S. Rosaliæ *sepulcrum; sed tractu temporis ignorari cœpisse, sive quod locus paucis solum fuerit notus, quodque illi obierint,*

scientia

A *scientia sua aliis non communicata, sive alia quapiam occasione. Certe non pauca alia Sanctorum sepulcra sic oblivioni data sunt, quod nimium absconderentur. Ceterum quæ ex Cascino dedi de corpore* S. Rosaliæ *in monte Peregrino frequenter quæsito, ac de oraculo non reperiendi corporis, nisi tempore gravissimæ calamitatis, etiam referuntur in relatione Ms. quæ nobis communicata est, quæque desumpta dicitur ex processu authentico, quod eo tempore institutum est coram Cardinali Doria.*

§XVIII. Apparens S. Rosalia sanat ægram ; eidem rursum deinde apparens, docet ubi corpus suum sit quærendum : corporis investigatio : orta interim peste Panormi, in supplicatione miro modo invocatur Sancta.

B

Mulier ægra, vovens invisere montem Peregrinum, ab apparente Sancta sanatur :

Cascinus lib. I. *cap.* 3 *docet, qua occasione factum sit, ut anno* 1624 *corpus* S. Rosaliæ *diligentius, quam unquam antea, et perseverantius quæreretur, donec tandem feliciter fuerit inventum. Salernus vero apud Caietanum tom.* 2 *pag.* 154 *Cascini narrationem Latine sic contraxit :* Anno MDCXXIII, mense Octobri, mulier, cui Hieronyma Gatto nomen erat, in publico Panormi nosocomio jacebat ægra, nec longe a morte aberat, cui sustinendæ Sacramentis Ecclesiæ rite munita, se comparaverat. Interrim cum noctu vigilaret, vehementique flagraret siti, adolescentulam videt, sanctimonialis specie et habitu, quæ ad pensiles lychnos flammam concinnaret : ne nomine quidem cognita ea tunc erat Hieronymæ; sed quæ tandem esset, eventus edocuit, suisque illa verbis subindicavit. Ab hac igitur puella ad se evocata, progressaque, admotæ labris arentibus manus attactu sedari primum sibi sitim, ac deinde his be- C nigne verbis compellari sese sensit : Excute animo motum; propediem convalesces, modo votum montis Peregrini suscipias. Concepto itaque voto post biduum valens e lecto desilit Hieronyma.

ac deinde in monte docetur, ubi quærendum sit corpus :

190 Sed quoniam secundæ persæpe res negligentiam creant, peregrinationem moras nectendo ad insequentis anni mensem Maium, ac sacros Pentecostes dies distulit; non tamen interim deerat religionis vel oblitæ incitamentum, vel neglectæ supplicium, quartana febris, qua hoc temporis spatio afflictaretur. Sub finem ergo Maii *(seu die* XXVI, *ut notat in margine)* alias quasdam mulieres sui consilii et itineris nacta socias ad specum venit Peregrini montis divæ Rosaliæ sacram. Hic persolutis una precibus, dum comites aliæ alio non longe secederent, sola Hieronyma moram in antro trahens somno correpta Deiparam Virginem videre sibi est cæruleo amictam pallio, ad Jesum puellum ulnis complexam, seseque his alloquentem. Exsolutum venisti quod promiseras; jam igitur vales. Oblata simul eadem Sanctimonialis species, quam in nosocomio viderat eodem ornata ritu; locumque digito designans, ubi suum jacebat corpus, hortatu ut fodiendum curet; ac certius se quoque signum daturam pollicetur, ut ipsum perspectum habeat magis.

edoctus ab hac muliere Vitus Amodæus, obtentaque fodiendi facultate,

191 Ubi evanuit visus, Hieronyma rem aperit religiosis viris in proximo cœnobio degentibus, aliisque. Intererat ibi Vitus Amodæus una cum uxore sua Hieronymæ socia; is, licet olim reperiundo huic sacro corpori inanem posuisset operam, modo mulieris dicto, a cujus ingenio et moribus longe abhorrere videbat, ut id mendacii strueret, spem sibi, atque animos refectos sensit, eoque magis quod locum a Hieronyma indicatum nemo hactenus, ut cœnobitæ illi asserebant, et ex fama ipse norat, scrutatus esset. Ergo progressa mulier, ut propius defodiendum locum præscriberet, vidisse se veluti dissidente solo saxum in altum tolli sancte testata est : quare intelligens id esse, quod paulo ante promissum sibi fuerat signum, ipsa manum tunc operi alacris admovet, et leviter tentare aggreditur. *In relatione Ms., de qua mox, non dicitur Hieronyma ipsa fodisse; sed institisse, ut id fieret, et facultatem impetrasse a superiore conventus Franciscanorum, ut fodere liceret loco assignato.* E

cum aliis corpus quærere incipit, multisque diebus pergit :

193 Amodæus vero assumptus aliis operæ suæ sociis *(ex quibus duo nominantur in relatione Ms., videlicet* Jacobus Genuensis *et* Joannes Tirintinus, *ut videtur : nam ultima vox ambigue est scripta)* ad montem quarto Kalendas Junii regressus rem sedulo incœptat *(juvantibus etiam quatuor Frsnciscanis vicini monasterii.)* Ubi multum fossæ telluris egessissent, pluresque inter exercendum intermittendumque opus extraxissent dies, nec ullum adhuc sacri corporis appareret vestigium, ejus reperiundi spem pœne abjecerant; abjecissentque etiam animos, in aliquorum interventus, qui quid rei ibi ab aliis gereretur nesciebant, alia quadam spe renovasset. Hi thesaurum eo in loco abstrusum, nescio qua fama scriptoque proditum dictitabant. Quoniam igitur in humano pectore plurimum auri sacra fames valet, et plerique mortalium vel levissima suspicionis qua ad abstrusarum divitiarum investigationem impelluntur ; hi omnes communicato consilio, vel spe sacrarum reliquiarum in spem potiundi thesauri versa, vel altera potius ab altera aucta, alterutram in irritum minime casuram rati, quod reliquum erat laboris, exhaurire F pergunt. Sed lente procedebat opus : nam remotus ab urbe locus, eorum hominum meus, ad se suamque familiam alendam, aliis intenta curis, et elanguescens spes moram non raro injiciebant. Sed hac profecto mora usus est Deus, ut interim sanctæ virgini Rosaliæ maxima gloriæ pararetur seges.

quædam de prædicto facto observata

193 *Hæc omnia etiam narrantur ex processu coram Cardinali Doria instituto in relatione mox memorata, ex qua lubet observare aliqua. Primo mulier, cui apparuit* S. Rosaliæ, *erat uxor Benedicti lo Gattuto, et annorum quadraginta et septem. Hæc noctu circa horam septimam, prout horæ numerantur in Sicilia, vidit* monialem albis vestibus indutam, *quæ concinnabat et accendebat lampadem coram altari. Credidit haud dubie ægra monialem revera esse, cum aquam ab ea petiisse dicatur. Postquam vero sanata erat eo, quo relatum est, modo, Monacha disparuit, nec Benefactricem suam noverat Hieronyma : sed moniales valetudinarii, quando mane audiebant visionem, et sanam videbant Hieronymam, suspicatæ sunt fuisse beatissimam Virginem Mariam. Sanata autem fuit mulier, non*

post

AUCTORE J. S.

post biduum, ut habet Salernus; at eadem nocte, ut Cascinus etiam scripsit; sed post biduum ex nosocomio domum reversa est. Ubi vero domi erat, et voto necdum satisfaciebant, correpta est febri quartana, quæ a mense Octobri anni 1623 *usque ad finem fere Maii anni sequentis duravit. Occasio tunc implendi votum nimis dilatum hæc fuit. Jacoba, uxor Viti Amodæi, obstricta voto visitandi ecclesiam* S. Rosaliæ *in monte Peregrino, quia ope ipsius e gravi infirmitate convaluerat, sociam sibi adscivit Franciscam Amphusa cognatam suam: hæc vero Hieronymam ad comitandum induxit. Ita tres illæ mulieres ad montem Peregrinum se contulerunt, ducente Vito Amodæo Jacobæ marito, in ipsa festivitate Pentecostes, seu die* XXVI *Maii anni* 1624; *ibidemque in ecclesia* S. Rosaliæ *non modo sacro Missæ sacrifico interfuerunt; sed instituta confessione de peccatis, sacro etiam epulo refectæ sunt.*

ex processu coram Cardinali Doria instituto.

194 *Peractis hisce pietatis exercitiis, Hieronyma bibit de aqua, quæ stillando labitur in speluncam* S. Rosaliæ, *atque ita liberata est febri sua quartana, uti ipsa et maritus ipsius, quorum testimonia laudantur in Ms., sibi persua-* B *serunt. Alii videntur credidisse sanatam esse, quia voto suo jam satisfecerat; atque ita sonant verba eidem dicta in visione mox referenda. Verum parum refert, utri causæ sanitas obtenta adscribatur, cum de ea impetrata constet, et forte utraque causa concurrerit. Porro visio post aquam ebibitam talis fere fuisse dicitur in hac Ms. relatione, qualis a Salerno describitur: vidisse enim se in somno mulierem pulchre ornatam cum puerulo asserebat Hieronyma, credebatque esse beatissimam Virginem Mariam. Hæc autem eidem videtur dicere:* Filia, venisti votum tuum exsolutura, et impletura: esto sana. *Deinde, eodem durante somno, visa est videre* Monialem *albis vestibus indutam, quæ docuit, ibi quærendum esset corpus* S. Rosaliæ. *De hac moniali apparente auctor scripti existimat, fuisse item beatissimam Dei Genitricem; sed Cascinus et Salernus rectius hic intelligunt* S. Rosaliam, *quæ locum sepulcri sui indicavit. Alia insuper quædam leguntur in Ms. de prædicta visione, qua cœptum est quæri corpus Sanctæ: at* C *ea ut minoris momenti prætermitto: et regredior ad Salernum.*

Dum quæritur corpus, sæva pestis Panormum invadit;

195 *Hic pestilentiam interim Panormo invectam, quæ videtur fuisse calamitas illa gravissima, cujus tempore corpus suum reperiendum præmonuerat* Rosalia, *referre incipit post Cascinum hoc modo:* Ineunte enim Junio ejus anni exitialem luem Panormum invexit barbara supellex tabe imbuta, eo navigio per imprudentiam importata, quo Christiani de Maurorum servitute redempti domum postliminio reducebantur. Id veneni in paucos initio transfusum, mox in alios atque alios serpens miserum in modum pervadere urbem occœpit: trepidatum itaque Panormi est tum insolentia, tum atrocitate morbi, qui florentissimis etiam populis vastitatem intentat. Nihil interim a magistratibus prætermissum, quod humano consilio effici potuit, ut sub ipsum initium reprimeretur lues. Feriatum a publicis scholis, compulsæ mulieres ac puerilis ætas, ut sese domi continerent, nec templa adirent, nisi quæ proxima essent cujusque domui, et festis dumtaxat diebus ad rem divinam: transmissæ egentibus eleemosynæ, ne prodire cogerentur: edictum, ut quidquid barbaræ mercis apud cives esset, proderetur, et ære publico ad D avertendam avaritiam pretio persoluto, in ignem conjectum arderet. Quibus suppetebant opes, ii si forte vel morbus, vel morbi suspicio domum invasisset, positis custodiis, et capitis pœna intentata, ab aliorum consuetudine domo conclusi sua segregabantur: sed pro aliis, quibus angusta domi res erat, nosocomium in suburbio primo constitutum, atque aliud deinde brevi exædificatum; attributæ ibi domus tum pestilentia rabidis, tum seorsim iis, quos consuetudo cum his suspectas fecerat; curata omnium funera publico sumptu, ut quos pestis absumpserat, afferentur. Demum nihil sumptui parsum, sed abunde suppeditata omnia cum ministris, medicis, confessariis. Mœror tamen, pavor, ac trepidatio adeo pervaserant singulos, ut faciem urbis paulo ante florentissimam repentinus morbus immutaverit. Id angebat magis quod capta consilia non procederent, nec restingueretur incendium, sed sicuti flamma in sylvam incidens urgente vento latius grassaretur. Igitur ubi humana ope vis morbi, quæ in dies recrudescere videbatur, levari non poterat, ad divinam promptiori animo confugiendum erat. E

qua de causa, cum præter alia pietatis exercitia,

196 Qua in re maxime enituit eminentissimi Cardinalis Joannettini Auriæ * archiepiscopi Panormitani paterna in gregem suum caritas, et insignis in rebus omnibus celsitudo animi, et supra casus omnes invicta constantia. Is cum æstatem illam Thermis Himerensibus ageret, levandæ ægritudinis gratia, accepto novæ calamitatis nuncio, statim moras omnes rupit; nec tanti fecit vel Thermitani aeris clementiam sibi propitiam, vel valetudinis suæ parum firmæ discrimen, quin illico laboranti populo opem, qua posset, laturus, Panormum accederet. Vix eam attigerat, cum maxima fortis ac suorum amantis animi documenta dedit: obvios quosque mœrore ac metu consternatos erigere, confirmare gravitate verborum, comitate consolari, pauperum inopiæ, quorum cessantibus ex parte opificiis, advenarumque commerciis, crescebat in dies multitudo, larga stipe succurrere; aliaque omnia, quæ sui juris ac numeris erat, mature curare. Dispositis vero per urbis regiones sacerdotibus, qui ex religiosis familiis et clero animorum saluti suum devoverant caput, ut Sacra- F mentorum ope juvandis ægris præsto essent; eo intendit mentem, ut universus populus ad Deum supplex animum precesque converteret, et, quod caput est, recte factis ad misericordiam inflecteret.

* *vulgo* Doria

pia ac solemnis supplicatio haberetur,

197 Nec satis habuit perpetuam illam precem, quæ secundis etiam rebus Panormo solemnis, publico cultu ad venerandum proposito augustissimo Eucharistiæ Sacramento quadragenis horis, singula urbis templa obeundo, peragitur; sed hunc precandi ritum uno tempore in omnibus simul sacris ædibus celebrari jussit: singulis etiam Religiosorum Ordinibus, quibus id moris est, suam condixit diem, qua ad ædem maximam supplicatum procederent; quod pietatis officium nudis incedentes pedibus, flebilibus vocis modis, aliisque corporis afflictationibus, offensi Numinis metum spectanti populo incutientes, religiosissime obivere: post singulas earum familiarum supplicationes, solemnem aliam totius Religiosi cœtus et cleri indixit, in qua per urbem sacræ reliquiæ sanctarum virginum ac martyrum Christinæ ac Nymphæ, quarum in tutela civitas est, ducerentur; est ipse antistes pontificis

A pontificis ritu ornatus, ac supplex etiam senatus huic postremæ supplicationi interfuit, prosequente sacrum agmen populo, lacrymis perfuso, et clamoribus divinam opem implorantibus identidem sublatis: habita vero est supplicatio Idibus Julii matutinis horis. Sed insperato edocere nos voluit Deus, quod potissimum calamitatis perfugium Panormo daret, et cogitationem implorandæ opis a diva Rosalia injecit, ut invocata illico adesset singulari beneficentiæ exemplo. Sed operæ pretium est rem tantam accuratius scribere, eadem omnino fide, qua eam sacerdotes quatuor pietate non minus quam ætate graves, seorsim ac legitime rogati, jurejurando confirmatam explicavere. Qui illud primum sacramento dicto testati sunt, se nihil eorum, quæ in Peregrino monte agerentur, usquam accepisse, nec ante cogitasse, aut convenisse inter se, ut id facerent, quod divino solum impellente spiritu factum esse narrabimus.

cantores S. Rosaliam in litaniis invocant

198 Duo ergo sacerdotum paria, inter utrumque frequentissimi cleri versum, sacris vestibus muneri ac tempori congruis ornati incedebant; horum erat Sanctorum nomina in litanias digesta invocando cæteris præcinere; nec unum B cantorum par ab altero pendebat, sed cum unumquodque suum duceret chorum, unius ferme stadii intervallo disjungebantur invicem, quod spatii cleri ordines occupabant, sacra etiam pegmata sanctorum Rocchi, Sebastiani, et aliorum interposita inter utrosque cantores, atque his circumfusa hominum multitudo mutuum eripiebant aspectum, ut ne annuere quidem unum par alteri, nedum alloqui, nec distincte audiri invicem possent. Jam ubi ad sanctarum virginum chorum in ea litaniarum invocatione processsum est, additæque post alias extra ordinem fuissent virgines, ut moris est, Panormitanæ urbis patronæ, Christiana, Nympha, et Oliva (nam D. Agatha jam suo præcesserat loco) D. Petrus Garofalus, cujus ad quintum et sexagesimum annum provecta ætas, circumstantium id sibi nemine suggerente, interno quodam ac divino actu impetu collegam sibi D. Franciscum Moscarellum rogat submissa voce, placeretne invocari insuper S. virginem Rosaliam? Hem, hoc ipsum, inquit ille, agitabam animo. Itaque hac subita conspiratione ani- C morum, sublata de more voce, S. Rosaliam invocant.

miro consensu, licet sic invocari tunc non soleret:

199 Altero vero cantorum collegium, licet quid ab altero fieret minime conscium esset, eodem pene tempore, eodemque virginum loco, eamdem divinitus injectam protulit vocem. Hoc tantum interfuit, quod alterne cantoribus D. Joseph Pate S. Anastasiam, quam prætermiserant, invocare cogitabat, et collegæ id faciendum proposuit; is vero, cui D. Vincentii de Amato nomen erat, S. Anastasiæ S. Rosaliam præponendam censuit: nec mora uno consensu ejus opem implorarunt. Enimvero quamquam aliquot ante sæculis ex veteribus codicibus compertum deinde fuerit inter sanctarum virginum numerum in litaniis invocari solitam S. Rosaliam; antiquato tamen decretis pontificum veterum litaniarum ritu, retentis dumtaxat trium patronarum, quas modo recensui, nominibus, mos invocandæ nostræ virginis Rosaliæ in desuetudinem jam diu abierat: et sane cum eo præcinendi munere hi sacerdotes plures annos functi essent, numquam tamen aut S. Rosaliæ nomen litaniis inseruerant, aut de eo advocando cogitaverant, nec si cogitassent, ausissent umquam id præstare, cum ecclesiasticæ disciplinæ ac rituum ab Ecclesia præscriptorum retinentissimus esset archiepiscopus Auria, novarum simul rerum osor ac severissimus vindex, si quid contra illos, aut præter moribus admissam consuetudinem peccaretur.

quod divino instinctu factum crediderunt.

200 Quare credidere ii sacerdotes, recenti adhuc facto, (quod postea sancte jurarunt) eam sibi a Deo cogitationem immissam: ubi vero occidente sole alterum par de alterius impulsu et facto *(audiit)*, multo vero magis, postquam postero die de sacri corporis S. Rosaliæ inventione fama percrebuit, dubitare se non posse confirmarunt, qui divino afflati spiritu id effecissent. *Hactenus Salernus, qui Cascini relationem compendiose Latinam fecit. Sane præ ceteris in hisce mirandus est consensus ille quatuor sacerdotum in nominanda* S. Rosalia, *eaque præter consuetudinem invocanda. Res tamen illa sic firmatur a Cascino, ut prorsus indubia videatur. Alios scriptores eamdem historiam narrantes non adduco, quod Cascini tanta sit integritas, ut in hisce, quæ videre potuit, et juratis multorum testimoniis exacte cognoscere, ejus testimonium omni exceptione sit majus. Quapropter ad corporis inventionem, quæ* E *eodem die* XV *Julii, pro prædicta supplicatio instituta est in urbe Parnormitana, extra urbem in monte Peregrino contigit, accedo.*

§ XIX. Corporis inventio, qua nuntiata Cardinali archiepiscopo, hic illud occulte ad palatium suum deferri jubet: lætitia populi Rosaliam patronam cupientis: beneficia multa mox impetrata.

Quærentes Sanctæ corpus, post laborem subinde interruptum

Cascinus lib. I *cap.* 5 *refert corporis inventionem, observatque quinquaginta circiter dies effluxisse a cœpto opere usque ad inventionem, non ita tamen, ut singulis diebus foderint, sed subinde laborem illum ad dies aliquot* F *intermitterent, ac deinde resumerent. Aderat semper Hieronyma, quæ locum in visione didicerat, et maritus ipsius Benedictus lo Gattuto etiam adfuit, dum corpus inventum est, ut disco ex sæpius laudata relatione Ms., in qua alii non pauci enumerantur, qui subinde accedebant, ac iterum discedebant, quod de corpore inveniendo desperarent. Nonnulli etiam foderunt nescientes, quid ageretur, credentesque profanum quæri thesaurum. Verum hæc aliaque nonnulla ibidem relata parum conducunt ad propositum nostrum; et Cascinus, quem sequitur Salernus, selegit ex processu fere omnia, quæ ad exactam inventionis notitiam sunt necessaria. Quapropter ad Salernum regredior, pauca subinde ex Ms. illius relationi breviter inserturus, ubi operæ pretium videbitur.*

diuque continuatum, inveniunt grande saxum,

202 Sed, *inquit*, ut quonam modo compellata virgo Rosalia, supplicantis populi preces e vestigio exaudierit, et ad opem ferendam accurrerit, posterorum memoriæ tradamus: ad fossores, *(quorum antesignanus semper erat Vitus Amodæus,)* revertatur oratio. Repetierant illi eruendæ telluris laborem, *(cœptum* XXIX *Maii, sed)*

AUCTORE J. S.

sed) sæpe intermissum. Imo alacrius aggressis sex ipsos dies modo consumpserant, cum Idibus Julii præcipiti jam die inter fodiendum, egesta jam humo quindecim pedes alta, in magnum vivumque incidunt saxum, cujus longitudo ad sex et amplius palmos producta, latitudo et altitudo fere tribus continebatur. *Ex Ms. id saxum jam invenerant die præcedenti, sed in ejus circuitu pergebant fodere, quod minime suspicarentur in eo absconditas esse reliquias, donec saxum istud fregerint, ut mox sequitur. Pergit Salernus:* Integrum id erat et solidum *(saxum)* videbatur: de illo tamen extrahendo deliberarunt; cum enim reliquis in montis rupibus non hæreret, sed telluri undique esset infossum, impedimento iis erat, quo minus ulterius pergerent. Funibus vero et machinarum ingenio destituti, ferrea clava diffringere aggrediuntur; et primo fragmen molis non sane magnæ discindunt. Tum socium *(Benedictum lo Gattulo)* hortatur Amodæus, ut id sustollat eruatque.

quod cum non possent sustollere, disrumpunt:

203 Rem ille tentat, sed aliquantulum luctans caussabatur maximum exiguæ molis pondus. Irridet hominem Amodæus, viriumque imbecillitatem socio exprobans, in caveam desilit, ratus se rem facili negotio posse conficere. Sed B mox imparem se etiam sensit, imo ambobus omni conatu simul molientibus, sustolli nequit. Nihil dum divinum suspicientes, ut incœpta perficerent, in alia frusta fragmen illud clavæ ictu disrumpunt, et vacuum esse animadvertunt. Majori inde suæ imbecillitatis admiratione perculsi, contemplantur attentius nativam arrepti fragminis conditionem; cum ecce insertam saxo, qua cavum erat, calvariam vident. Exclamant illico læti se S. Rosaliæ corpus reperisse; monachos e propinquo cœnobio accersunt; cumques omnes admiratione defixi nitorem in ossibus singularem intuerentur, sensere aliqui odoris suavitatem eis mirandum magis, quod non omnibus eam percipere cœlitus daretur. Atque hic ossium decor, et suavissimi odoris afflatus cælestem Rosam prodere occœpit. *Secundum relationem Ms. jam inter fodiendum, postquam saxum prædictum fuerat repertum, suavis odor perceptus est mane die* XV *Julii, et iterum vesperi, dum primum frustum a saxo decussum est; ad tunc intenti labori, non* C *adverterunt animum ad odorem illum. Deinde vero varii eumdem odorem percepisse dicuntur, idque de se juramento firmavit Franciscus de Fiume Franciscanus.*

atque in eo deprehendunt Sanctæ corpus,

204 *Redeamus ad Salernum, qui sic prosequitur:* Reputabant illi animo non sine singulari Dei providentia præter communem naturæ morem eo lapide, æque ac in marmoreo tumulo, sarta tecta illa ossa habita; intelligebant jam non a nativo saxi pondere suas vires fuisse superatas; sed divinitus ipsis non opinantibus datum indicium, quod mentem alio distractam et jacentem excitaret. Alacriores ergo ad extrahendam reliquam lapidis molem se accingunt. Sed Virgo, quæ se difficiliorem in exiguo fragmento solum cranium continente præbuit, ut semet eo prodigio proderet, jam agnita leviorem effecit molem, quæ reliquum incluserat corpus. Quare duorum hominum manibus nullo fultis adminiculo educta tam facile est, ut levare semet illam dixisses potius, quam elevari. Propius vero objectus oculis ille saxeus integerrimi corporis tumulus admirationem excivit, quippe nec compagibus cohærens, neque rimulis fatiscens, neque lateribus prominens, nec ullo tectus operculo nullum dedisse aditum, qua corpus inferretur, D apertissime demonstrabat.

quod ad palatium archiepiscopi transfertur.

205 Postquam persuasum est omnibus, qui in antrum convenerant, S. Rosaliæ corpus inventum, advolat continuo nuncius ad senatum unus ex religiosis viris: senatus rem defert ad principem Filibertum, Sabaudiæ ducis filium, vices regis in administranda Sicilia obeuntem. Ille ejus rei cognitionem, ut jus fasque erat, integram Cardinali Auriæ archiepiscopo reliquit: sed hic suam illico desiderari diligentiam, aut æqualem tantæ rei prudentiam non est passus. Quare eodem temporis puncto certos destinat viros, quibus fidei plurimum inerat, suo et senatus satellitio munitos, ut quidquid inventum esset, a cujusvis arrogantia ac fraude præstarent integrum. Ubi illuxit, alios submisit majoris auctoritatis viros inquisitum, ut quam maxima fide gesta eventaque omnia in tabulas referrentur. Jussitque inventum corpus nocte insequenti, quam occulte poterat, in suum domicilium transvehi, atque in sacrario decenter asservari; in re tanti momenti consulto magis quam properato opus esse ratus, expectandumque esse, dum Deus cer- E tiora sanctitatis documenta daret. Sed inter alia in investigandis, tum etiam in traducendis iis reliquiis, præclarissimum dedit tota illa saxea moles, tot partibus major eo fragmento, quod sustolli unius hominis conatu non potuit, quot a reliquo corpore superatur caput; sicuti enim, cum efferetur e cavea, levis; ita cum Panormum transferretur, levissima effecta est. Arcæ inclusa ligneæ unius hominis humero per salebras ardui montis longo viarum tractu, nullo tamen negotio, vecta est. *Saxum, in quo erat pars capitis, allatum est Panormum noctu ante* XVI *Julii, et sequenti nocte reliquum corpus, ut legitur tam in Ms. relatione quam in oratione archiepiscopi Cardinalis apud Cascinus pag.* 60.

Vulgata inventionis fama, miro omnium ardore patrona eligitur Sancta,

206 Sed incredibile memoratu est, *ait Salernus,* quam citissime inventi corporis fama pervagata sit urbem; quam grata acciderit civibus, et quam ingenti pietatis ac lætitiæ sensu in omnium animos penitus illapsa sit. Una vox omnium erat, mox urbem a pestilentia novo Alumnæ suæ patrocinio liberandam. Quid aliud esse, quod malis Panormi rebus tantum boni reservasset Deus? Nimirum non irasci ad intercessionem hominibus F Deum: eumdem et bellum inferre, et pacis interpretes dare: infligere vulnera, et suppeditare remedia: ejus providentiæ esse, ut cum inde venefici generis herbæ existunt, hinc alexipharmaca exoriantur; et ubi pungunt spinæ, recreent rosæ. Difficile dictu est, quantum ardere populus in Virginem cœperit, ut facile divino impulsus Spiritu credi posset: S. Rosaliæ nomen, quod antea maxima pars ignorabat, celebrare: crebris coronis de ea miscere sermonem; sua studia promere; alius alium hortari, et in spem salutis adducere: montem Peregrinum frequentes subire, specum invisere, dissecti lapidis fragmenta in pretio habere, et quasi gemmas excerpere; ex humo pulverem, e stillicidio aquam petere: mox expressas typis imagines S. Virginis parare sibi, quisque venerari, ac postibus domus, quasi pestis amuletum affigere. Quare vix duodecim dies effluxerant, cum senatus populusque indicto concilio omnium suffragiis patronam sibi sanctam Rosaliam expetiit, delegitque; tum ejus reliquiis, quando ipsa publice colendi potestas fieret, arcam ex solido argento, solemni quotannis pompa per urbis vias circumferendam, ac delubrum

A delubrum in æde maxima ornatissimum publico ære construenda sanxerunt.

quæ continuo incipit miraculis clarescere.

207 Sed quis innumera sanctæ Virginis beneficia ac miracula in maxima varietate locorum ac temporum per urbem supra omnem naturæ vim patrata enumeret? Initium quidem factum ab eo, qui peste correptus in lazareto (ita ab ulceroso Lazaro Itali vocant hoc nosocomii genus, quod pestilentia attactis usui est) cum nihil de translatione sacri corporis persensisset, divinitus solum admonitus, Nunc, inquit, ex monte corpus S. Rosaliæ deportatur: dictisque supplicatis fidem extemplo fecit recepta ex insperato valetudo. Mox dum ægris corporibus vel aliquid ex antro collectum pie applicaretur, vel modicum aquæ sive de specu exstillantis, sive cui frustum saxi illius aut ossis fuisset infusum, ebiberetur, tot tantaque prodigia, contra pestilentes præcipue exitialesque morbos, consequuta sunt, ut eorum numerus, non secus ac admirandus modus, fidem superent. Ne quid tamen piis populi motibus, vulgique admurmurationibus daretur, optimum factu, ac necessarium B Cardinali archiepiscopo visum est, de iis cognosci, et in publicas tabulas singillatim referri, rogatis legitime juratisque testibus. Sed eadem, quæ a plerisque depellebatur pestilentia, maximo impedimento erat; cum enim ægrotis, eorumque familiaribus pedem domo non liceret efferre, longumque dierum intervallum intercurreret, quousque suspicionem rite deponeret, ne quid mali in alios manare posset, late item serpens in alios et alios morbus, aliæque plurimæ curæ celeritatem probationum retardabant. De multis vero liquido brevi constitit, quæ ne hujusce narrationis seriem intercidere cogamur, satius visum est hic non referre; sed ex eo miraculorum numero pauca sub finem attexemus. *Hactenus Salernus, cujus collectionem miraculorum dabo post Vitam infra edendam: plura quoque ex Cascino deinde Latina faciam ac subjungam.*

§ XX. Cura archiepiscopi de examinandis reliquiis: pestis non nihil mitigata: consultatio theologorum et medicorum irrita: dilata approbatione, pestis recrudescit: altera medicorum consultatio.

C

Vota Panormi contra pestem facta,

Distraxit interim aliquantulum Cardinalis animum adversa principis Filiberti proregis valetudo, tum mors III Nonas Augusti, ac demum eidem Cardinali tum ipsius principis suffragio, tum totius regii consilii consensione, demandata Siciliæ administratio. Novum ergo magistratum cum iniisset Cardinalis Auria postridie Nonas Augusti, novas animo curas agitans, licet nihil eorum, quæ ad humanam industriam vigilantiamque spectarent, prætermitti pateretur, totius tamen urbis ac regni salutem (nam et alias urbes pestis invaserat, et reliquis e propinquo periculum imminebat) in divinis remediis potissimum niti sentiebat. Quare nova etiam iræ divinæ placamina excogitari cœpta, et novis ingruentibus malis nova subinde patrocinia adsciscere decrevit. Prima in Virginis Deiparæ obsequiis cura fuit, in qua plurimum spei situm. Assumptæ igitur in cælum Virginis die, dum sacrum operaretur antistes, senatus ac reliquus magistratus, et per suum syndicum populus jurarunt, voverunt publice, se ad pedes summæ hominum superumque Reginæ procumbentes ex animi sui sententia fateri Deiparam Virginem singulari ejus, quem paritura erat; beneficio, ejus labis exortem in ipso sui conceptu extitisse, quæ jam ab ultima origine genus humanum pervasit; nec umquam eam sententiam extorqueri sibi passuros, dum per Pontificis Romani scita liceret eam tueri. Tum pervigilium diei, qui conceptæ Deiparæ sacer est, mense Decembri, jejunio, ipsumque diem peculiari solemnique præter solitum honore publico celebraturos spoponderunt.

etiam de colenda S. Rosalia ut patrona,

209 Adjecta deinde vota de colenda D. Rosalia in patronarum numero, et de arca argentea ejus reliquiis construenda, cum publice ad cultum propositæ erunt: deinde intra breve temporis intervallum alii et plures Sancti in patronos urbis a senatu adlecti, ut privato aliquorum id pie petentium sensui fieret satis; sed nihil interim remittebat pestis; ad D. Rosaliæ nimirum patrocinium nos rejiciebat Deipara, cui Deus E nominis tunc non adeo clari celebritatem comparare per ejus beneficia sanxerat. Atque, ut id semel dicam, quod sæpius experientia comprobante compertum est, recrudescens pestilentiæ vis debacchabatur vehementius, quoties a sacrarum Rosaliæ reliquiarum declaratione urgenda antistitis animus, sive ministrorum negligentia, sive rei difficultate, sive aliis curis præpeditus retardabatur; mitescebat vero, cum ad eam redibat; restincta demum est, ut dicemus, cum eæ solemni pompa circumductæ, agnitæque publicum ac celebrem cultum sunt consequutæ. *Hæc urbis Panormitanæ vota, miro consensu facta, latius explicat Cascinus libro* I *cap.* 6 *et* 7; *ubi et plures recenset Sanctos, quos sibi tunc patronos elegerunt Panormitani. Deinde cap.* 8 *recenset humanas industrias, quas contra pestem frustra multiplicarunt.*

cujus festivitas tunc solemnius solito celebrata.

210 Ventum interea est, *ut pergit Salernus,* ad Septembris initium, in cujus quartum diem incidit S. Rosaliæ in cælum abitus, festusque ejus cultus. Et mirandum fuit quantum exarsere F et magistratus, et populi studia in eo tum primum solemniori ritu celebrando; nam hactenus in sacrarum precum officio et re divina ejus mentio inter secundarum partium virgines nulla amplioris venerationis significatione continebatur. Indictum ergo est in pervigilio jejunium, et religiose feriari; supplicatio quoque, sed ut res et tempus ferebat, moderatiore pompæ apparatu, habita est, deductamque S. virginis Rosaliæ depictam imaginem eximiæ pietatis sensu venerata est effusa populi multitudo, mulierum maxime, quæ nullo edicti jam antea propositi metu retineri potuit, quin domo erumperent, nimio fortasse, plusquam humano consilio par erat, S. Virginis ope fretæ, quod nihil ex eo discursu, colendæ illius causa facto, accipiendum detrimenti foret. Nec spes fefellit. Ab hac supplicatione remittere vis morbi adeo visa est, ut, cum pauci admodum duos ipsos menses vel novo contagio inficerentur, vel ex eo interirent, laxata tandem fuerint per urbem populi commercia.

211 Interim cum sedata aliquantum peste, et civitas

AUCTORE J. S

Peste nonnihil sedata, Cardinalis theologos consulit de approbandis reliquiis:

civitas tolerando et Cardinalis archiepiscopus idemque prorex consulendo respiraret, videretque miracula non temere in vulgus jactari, sed relatum brevi fuisse trecentorum circiter testimonium; senatus etiam populusque prodigiis et beneficiis excitus efflagitare non desisteret, ut inventum corpus per ipsum, cui legitima id decernendi potestas a sacrosancto Tridentino concilio permissa erat, venerari liceret publice; ex ejusdem concilii præscripto theologiæ doctores, aliosque virtute doctrinaque insignes viros, atque ex religiosis familiis earum moderatores in consilium Cardinalis vocat. Rei gravitate proposita, ac rerum gestarum miraculorumque serie ex tabulis explicata, mandat singulis, ut mox sibi afferendas tabulas per otium domi diligenter cognoscant. *Ipsam orationem Cardinalis, qua congregatos theologos allocutus est, recitat Cascinus cap. 9. Fuisse autem advocatos die ultima Novembris ibidem asserit. Communicata tunc istis theologis fuerunt triplicia rerum gestarum acta, teste ibidem Cascino pag. 60, prima nimirum de inventione corporis et traditione, secunda* B *de miraculis Panormi factis, et tertia de miraculis, quæ contigerant in domo vel valetudinario peste infectorum. Horum actorum prolixitas effecit, ut mensis totus efflueret, priusquam responsuri convenerint.*

cum autem aliqui dubitarent, scriptas petit singulorum sententias:

212 Ubi iterum convenere, *ait pergens Salernus*, in majoris partis inclinatione pauci se adhuc hærere dixerunt, nulla præsertim inscriptione ad tumulum reperta, quæ corpus illud esse D. Rosaliæ testaretur; miraculis vero adjecere, quod fidei, invocationique sanctæ Virginis tribui possent; neque aliter ex iis liquere posse rebantur reliquiarum veritatem, nisi protestatione præmissa ad eam confirmandam edi constitisset. Urgebant alii longe majus momentum facere traditionem de S. Rosaliæ corpore hic abstruso, quam inscriptiones; has nimirum privatæ auctorum fidei niti, multas rebus antiquis novas apponi, vel loco motas trahere in diversum res et sententias; in traditiones vero nihil ferme ejuscemodi vitii cadere, quæ non uno auctore, sed multorum ac ferme omnium consensu, multorum- C que memoria sæculorum, sine fraudis suspicione commendantur. De miraculorum vi re proposita, tunc multis, sed in alia deinde sessione, ut dicemus, uberius disceptatum est. *Cascinus, qui rei gestæ adfuit inter præcipuos, cap. 9 pag. 61 testatur, convenisse theologos consultos coram vicario generali Francisco della Riva, ubi singuli sententiam suam sic dixerunt, ut pars major judicaret, affirmari posse inventas reliquias esse* S. Rosaliæ; *nonnulli tamen dubitarent. Archiepiscopus vero, audita quorumdam dubitatione, jussit scribi rationes, quæ pro alterutra parte allegarentur, ut sic accuratius examinari possent; atque interim medicorum quoque opem adhibuit.*

medici, ad corporis recognitionem vocati, cum maligna luce,

213 *De hisce Salernus ita prosequitur:* Hæc paucorum hæsitatio aliquantum moræ Cardinali archiepiscopo objecit, quominus rem mature decerneret, quam omnium volebat consensu contestatam; quare dimisso concilio accuratius jussit inquiri tum de miraculis, tum de sepulcro S. Rosaliæ, omnemque persequens viam, qua ad rem secure statuendam adduci posset, sex viris medicæ artis, eisdemque anatomiæ peritissimis negotium dedit, ut ea ossa lapidi inserta diligenter inspicerent; forte enim subjecta oculis aliquid certioris consilii datura esse persensit. Sed res primum tentata parum processit, et in alios la- D byrinthos Cardinalem conjecit; nam cum post solis occasum, obscuro jam cœlo, ad inspiciendum ea convenissent, domesticarum facularum lux non satis rem aperiebat; non solum enim circumjecta insertis ossibus saxa fallebant oculorum aciem, ut nihil de eorumdem ossium magnitudine atque natura conjectare facile possent: sed cum ad justam schelidis quantitatem concreti lapidis moles superinducta esset, nec unam ab altera statim dijudicandi per malignam illam lucem umbras etiam offundentem copia esset, monstrosi potius cujusdam corporis speciem ea moles præbuit, longe solitam virilis nedum fœminei corporis magnitudinem excedentis.

tum negligenti inspectione decepti, dubium reddunt Cardinalem:

214 Accessit etiam ea dubitatio, ne confusa cum aliis in eodem humatis antro ea ossa jam fuissent; tria enim ibi saxa ex mole, et modo tria videbantur esse capita, gigantæum, puerile alterum, mediocre tertium. Objecta ergo primo fere aspectu ea specie, nihil diligentius scrutandum rati, ad Cardinalem decepti retulere, quid vidissent. Perculit ea vox Cardinalis animum, hominis alioqui pro insita ingenio prudentia minime proni ad fidem incertis rebus adhibendam. Ergo medicis severissime E interdixit, ne quid non modo in vulgus spargerent, sed ne cuiquam communicarent. Ingentes ille secum curas agitabat, Deum, qui tot miraculis illuxisset, adfuturum sperans. Non parum interim tacitus æstuantem animum avertit. Hæc ita moderabatur omnium consiliorum auctor Deus, ut per morbi incrementa totius populi peccata severiori mulctarentur supplicio, et cumulatior inde gloria S. Rosaliæ suo veniret tempore.

intermissa hinc approbationis cura, recrudescit pestis, licet

215 Ergo per occasionem tum coeuntis populi ob laxata commercia, tum intermissæ de sacris reliquiis colendis curæ, ut diximus, inter Nonas Idusque Novembres, quæ paulo ante pestilentiæ flamma extincta propemodum videbatur, tacitus primum incrementis, mox magis magisque debacchari per urbem, et veluti si ex multis simul locis magna vis globulorum esset e bellicis tormentis explosa, ita ex omnibus urbis vicis novi contagionum nuncii obstrepebant auribus; multis passim pestem incidere, plerosque interire; vix spatium curandæ superesse, ita simul peste et morte opprimi; deseri colonis domos, deleri fami- F lias; oppleta defunctorum aggestis corporibus trahi feretra; centena quotidie eoque amplius exanima corpora, totidemque morbo metuque propemodum exanimata ad certam ferme perniciem extra urbem ad lazaretum efferri. Cumque noctu et interdiu comploratio amicorum, filiorum orbitates, parentum et conjugum dolor in squallore vultus, ac pulsis vestibus, et ejulatu objicerentur oculis atque auribus, tantum terroris injectum est, ut, qui antea impavidi steterant, conciderent animis. Interim cum adfuisset conceptæ Deiparæ dies, qui octavus est Decembris, non is modo, ut ex voto constitutum erat, solemnissimus fuit, sed per septem etiam insequentes dies, ingenti populorum concursu in S. Francisci, privilegium illud Virginis magnifico apparatu, quotidianis sacris concionibus, celebratum est. Virus tamen morbi tam late serpens in omnes sese angulos, ac veluti urbis viscera insinuabat, ut nihil jam in humanis opibus relictum præsidii esse videretur.

adhibentur plurima pietatis ac pœnitentiæ exercitia.

216 Sed quoniam Dei Filii Mater Patris misericordiam non exorasset, nihil jam, præter sacram anchoram, movendum restabat. Ea erat Christi

AUCTORE J.S.

A Christi patibulo affixi simulacrum in æde maxima religiosissime asservatum, quod non nisi accisis domi rebus loco moveri, perque urbem ostentari solet. Quare novo ineunte anno indictum est triduanum de more jejunium, sacra scelerum exomologesis ad expiandum animum cum sanctissimæ Eucharistiæ epulo, ut Parenti Deo Optimo Maximo unici Filii mors pro mortalibus obita, circumacta Christi Crucifixi effigie, cum maxima ejus leniendæ iracundiæ spe, proponeretur. Idque factum est religiosissime *(die* v *Januarii anni* 1625, *ut notat in margine cum Cascino, eadem referente fusius cap.* 10*)* præcedentibus sodalitatibus plurimis, religiosis omnibus familiis cum Sanctorum reliquiis, et frequentissimo clero, subsecutis senatu, reliqua nobilitate, et plebe innumera nullo discrimine. Qui numeravere, intra tredecim et quatuordecim millia concludi ardentium cereorum numerum tradidere. Sed quod mirandum magis, alii nudis et catenatis pedibus, alii fundibus collo injectis, pars spineis fertis redimiti cinereque conspersi, B pars variis afflictationibus aut aculeatis flagellis se macerantes, omnes lacrymis perfusi, sublatis per intervalla clamoribus misericordiam implorantibus, profundum doloris sensum squalore et suspiriis præ se ferentes processere: eodemque ordine, et majori adhuc comitatu die insequenti reductum est sacrum simulacrum e S. Mariæ de Catenis: tum per octo proximos dies in medio templo maximo stetit alto in pegmate, instauratis supplicationibus, et perpetuis ad Deum fusis precibus tanto populi concursu, tantoque animorum motu, ut gemitibus, suspiriis, et flebilibus acclamationibus ædes maximo continuo personaret.

Rogante senatu et populo, ut approbentur reliquiæ,

217 Nulla quemquam cavendi contagii cura tangebat; id enim omnibus persuasum, e cœlo mali remedium precibus veluti extorquendum esse. Vidisses Niniven suimet pœnitentem; nec tamen, sicut illius, ita et Panormitanæ civitatis delendæ sententiam mutare videbatur Deus, nulla per id tempus diminutione pestilentiæ facta. Id unum mercedis ac beneficii ex tot ante obitis supplicationibus, afflictorum corporum hostiis, tantaque lacrymarum et sanguinis profusione retulisse civitas omnium opinione visa C est, ut refervescerent hominum studia in D. Rosaliæ reliquias, unde omnis Deo volente pendebat salus. Fremebat dolenter populus, quod tantum sibi præsidii divinitus transmissi pœne ademptum esset: senatus reflagitare non desistebat: referebantur quædam quasi divinæ hominum spectatæ virtutis voces, nisi inventis reliquiis debitus decernatur honos, ad unum omnes peste interituros: accendebantur demum gravissimorum hominum studia ad id negotii sedulo promovendum.

hæ, permittente Cardinali, clara luce primum a theologis,

218 Rogatus interim antistes ab insignis pietatis viro Jordano Cascini e Societate Jesu, cujus in primis prudentia hac in re utebatur, ut liceret sibi tandem saxa illa, in quibus sacra delitescebant ossa, inspicere, antequam finem scribendi facere pro D. Rosaliæ corpore agnoscendo, dubitationesque a nonnullis allatas refelleret. Tunc demum ille, quæ curæ ab medicis injectæ tacitum ipsius pectus urerent, aperuit; permisitque Jordano, ut adscitis duobus ex eadem Societate theologis *(imo tribus, nimirum Hieronymo Tagliava, Josepho Agostini, et Mario Domenichi, ut habet Cascinus cap.* XI*)* cum D. Francisco Riba vicario generali, et D. Vincentio Domenico ad eam rem convenirent. Hi cum grandiorem saxi molem, quæ gygantæum caput medicis visa est, arripuissent, distinxere oculis luce meridiana clarius saxum adhærens ab inclusis ossibus capitis, quod non nisi justam præ se ferebat magnitudinem: quod puerile cranium medici dixerant, testaceum vas erat: quod vero mediocre, verumque crediderant caput, saxum erat rotundum, quod vertebræ in modum fuerat alteri grandiori insertum. Posse denique ossa melius dignosci animadvertunt, si saxeo sensim cortice disrupto paterent, qua saltem id fieri poterat absque periculo, ne illa in schedas abirent. Dissipavit hæc lux mœstitiæ tenebras a Cardinalis pectore, offusasque simul dubitationum discussit umbras. *Quippe tanta erat Cardinali dubitatio et formido injecta a medicis post primam illam perfunctoriamque ossium inspectionem, ut, teste Cascino pag.* 67, *examen potius abrupisset quam distulisset. Verum, resumpto animo per relationem Cascini et aliorum, qui cum ipso ossa lustraverant, ad alteram inspectionem medicos vocari jussit, eique adesse voluit theologos supra dictos.*

E

deinde rursum a medicis inspiciuntur,

219 *De hac ossium inspectione pergens Salernus ita habet:* De die ergo iterata inspectio est ab iisdem anatomicæ artis doctoribus, præclaris sane ac doctissimis viris, liquida jam solis luce omnia collustrante. Tum omnes sese admiratione defixos circumspicere; dubitare num hæc eadem essent saxa antea a se visa, an alia fuissent ad fallendum illudendumque objecta. Demum omnes ingenue fassi sunt, non fuisse sibi integrum, cum primum noctu coacti sunt, per incertam facularum lucem, certam de iis sententiam ferre. Eorum vero, quæ tum dixere, ac postea, volente antistite, scriptis syngraphis singuli prodidere, hæc fuit summa. Quæ ossa uno, denso, pretiosoque comprehensa lapide, in propria servata arca, jam ab initio S. Rosaliæ esse dicebantur, unius formæ uniusque habitudinis, atque adeo unius esse corporis, longe diversa ab iis, quæ in aliis ante locis defossa et in aliam post arcam comportata, nigra, cariosa, cadaver olentia, ita male deformata, ut loci temporumque ludibriis communi naturæ lege objecta, vel primo aspectu videbantur. Hæc vero omnia candida, decora, et quasi ex industria expolita nitescere, nullo corruptionis vestigio deturpata; quidquid in ossibus jam antea fractis spongiosum appareret, admirandam sane præ se ferre pulcritudinem, et instar auri flavescere. F

ac melius jam referunt testimonium,

220 Etsi vero ex maxima parte tam intime saxo cohæreant, ut separari omnia salva integritate nequeant, nusquam tamen in lapidis naturam esse conversa, formamque esse manifeste discretam, quod experimento etiam facto certissime constitit, nam aliquot ossa integra ac nitidissima, veluti ex folliculo grana, extrahi potuerunt: præsertim capitis partes agnitæ sunt, quarum duæ summum cranium, imum tertia componebat: omnia inter se, et cum ipso capite magnitudinis aliarumque affectionum proportione convenire: nec plura aut pauciora esse, quam unum requirat corpus; imo singula jam suis ex arte anatomica nominibus compellabant; quod longe accuratius in tertia inspectione, cum in arca ad publicam venerationem recondenda fuerunt, præstitere. Odorem non exhalare ingratam, sed suavem: nonnulli etiam, dum hæc scrutarentur, quiddam divinum fragrare persensere, sed ad brevem temporis moram,

AUCTORE J. S.

ram, nam paulo post, quod rei non naturalis argumentum est, ad pristinum redibant. Minimum illud, quod inter muliebrem virilemque ossium structuram interest, non facile, in hoc tamen corpore ob saxea velamina nullatenus deprehendi potuisse; mulieris vero esse, non viri, corpus, ex indiciis sensere; minora quippe erant ossa, candidiora, ac minutioribus quasi granis compacta, quam in virorum corporibus contingat. Demum adnati lapidis sepimentum rem miraculi plenam esse asserebant, supra quam natura præstare posse videretur, atque adeo singulare hic Dei beneficium in protegendis iis ossibus agnoscendum. Res certe erat miræ elegantiæ ac venustatis non antehac visæ, quæque intuentium non solum teneret oculos, sed animos etiam caperet, ut nemo ab inspiciendo, amandoque temperare posset.

quod compendio

221 *Cascinus lib.* I *cap.* XI *ipsa medicorum verba ex parte recitat. Integra quinque testimonia juramento firmata nobis quoque scripto sunt communicata. Medici autem hi fuere, Josephus Pizzuto generalis Siciliæ protomedicus, Joannes Franciscus Fiocchetti generalis protomedicus regiæ classis triremium, Franciscus Guerreri protomedicus civitatis Panormitanæ. Hieronymus Spucces et Erasmus Salati, artium et medicinæ doctores, quorum testimonia habeo. Laudat insuper Cascinus pag.* 5 *Laurentium di Natale, et quædam ipsius verba recitat. Porro omnium testimonia in his consentiunt, primo quod judicarent ossa mulieris potius esse quam viri, idque ex variis sic colligebant, ut tamen faterentur, certo ostendi non posse, quia ossa illa, ex quibus id certo didicissent, lapidi inhærebant: secundo quod essent ordinariæ magnitudinis, miri candoris, et sine ullo odore malo: quodque multum distarent ab aliis ossibus in monte Peregrino repertis quidem, sed alio loco et extra saxum istud, cui ossa* S. Rosaliæ *erant inclusa.*

hic recitatur.

222 *Hisce vero addit primus:* Dum considero hoc opus tam mirabile, primo mihi videtur, habere aliquid divini, id est, Deum Dominum nostrum fecisse tumulum mirabilem ad conservandum hæc ossa, quia revera non apparet opus omnino naturale. *Secundus ad prædicta addidit* suavem *ossium* odorem, *dixitque se inductum, ut crederet,* hæc ossa esse alicujus corporis sancti. *Tertius præ ceteris extulit ossium candorem, et pulcritudinem tam saxi quam ossium, dixitque hæc, sive quantitas, sive proportio spectetur, non excedere quantitatem ossium corporis humani mediæ staturæ. Quin et adjunxit omnia sibi tam mirabilia apparere, ut* firmiter *judicaret, in iis aliquid esse naturali potentia superius,* dictaque ossa conservata esse virtute divina, non causa ordinaria et naturali. *Quartus ceteris firmius asserit, esse ossa mulieris, additque* judicio suo habere aliquid odoris placidi et suavis. *Quintus demum, laudato ossium candore et pulcritudine, sine ulla corruptione,* judicare *se dixit,* conservationem pulcritudinemque dictam non posse esse naturalem, sed provenire a causa quadam supernaturali et occulta. *Hactenus de inspectione medicorum, post quam Cardinalis archiepiscopus indixit congregationem, in qua omnes theologi antea consulti simul cum medicis convenirent.*

§ XXI. Congregatio theologorum simul et medicorum ad approbandas reliquias instituta: mira apparitio, qua veritas ossium S. Rosaliæ firmatur.

Alia rursum instituta congregatio theologorum et medicorum.

Tandem Idibus Februarii (*imo die* XI *ex Cascino pag.* 71) præsul eos omnes, qui secundæ huic inspectioni adfuere, tum alios, qui primo acciti fuerant, in consilium tertio advocavit. Luculenta primum oratione pietatis prudentiæque plena, res ad eam diem gestas explicavit; tum quid de inventis reliquiis statuendum proposuit, appositis iis doctrinæ luminibus, quæ cæteris facem præferrent ad rem tanti momenti decernendam. *Cascinus partem istius orationis recitat pag.* 71 *et* 72, *ibique asserit, mox lecta esse miracula ex Actis triplicibus. De hisce Cardinalis ipse asseruerat,* multo rigore et accuratione *examinata fuisse et probata, tam recentiora, quam prima illa jam ante probata, quæ novo examini fuerunt subjecta. Miracula hæc suo loco dabuntur. Interim observo, ordinem rerum perturbatum esse a Salerno, qui contra Cascinum, rei gestæ præsentem, medicorum sententiam ante miraculorum lectionem auditam esse asserit. Ita enim pergit:* Medicos suam de cognitis ossibus sententiam in medicum proferre jussit; tum de distinctione horum ossium ab aliis in eodem antro, sed alio in loco, non longe post repertis, tum de eorum conservatione et pulcritudine, et prout cuique naturæ terminos res transiliisse videbatur, dissererent. Novissima ac prima miracula legitime juratis testibus accuratius comprobata recitari voluit, prætermissis innumerabilibus signis quotidie ac passim editis, quorum ratio haberi non potuit.

in qua, ubi res erat disputata, pro approbatione reliquiarum consentiunt omnes,

224 Perpensum hic etiam, quantum momenti habeant miracula, quæ Dei loquentis sunt verba, et divinum veritatis confirmatæ sigillum, ad vindicandas alicui Sancto suas reliquias, cum de iis dignoscendis agitur, et ad ejus invocationem nominis applicationemque ossium fiunt; tacite quippe tunc ea adjicitur conditio petitioni miraculi, si ejus Sancti sint reliquiæ; imo in re nostra, fuit etiam aliquando expressis verbis adjectum, ut miraculo, quod expetebatur, vellet Deus prodere, an eæ reliquiæ essent nostratis Rosaliæ: collatum discussumque diligenter est, quid in celebrioribus sacrorum corporum inventionibus, ac præsertim sanctorum Placidi et sociorum haud dudum in Sicilia evenisse, quibusque indiciis ad rei caput deventum esse, prodant historiæ. Rogati demum singula religiosorum Ordinum capita, aliique theologorum culmina, in hanc omnes ivere sententiam, evidenter videri credibile, atque adeo pie prudenterque existimandum, placere Deo miraculorum auctori, ea ossa, ut par est, honorifice haberi, atque ut sacras reliquias sanctæ Rosaliæ publico ritu coli et adorari; idque rei veritati, Christianæ religioni, traditæ sanctorum Patrum doctrinæ, sacrorum canonum institutis, Ecclesiæ consuetudini consentaneum esse. *Hisce rationibus pro approbatione reliquiarum insistebat Cascinus, qui dissertationem*

AUCTORE J. S.

exceptis uno alterove, qui revelationem initio desiderabant: decreta dein approbatio.

A *dissertationem suam ipse recitat cap.* XI *a pag.* 73. *Verum et alia argumenta non pauca adjungebat, ut ibidem videri potest.*

225 Fuit tamen unus ex hoc consilio, qui proditum abunde miraculis aiebat eas reliquias esse sanctas; sed ipsissimas sanctæ Rosaliæ esse cælesti aliquo viso magis ac magis exploratum vellet: rejectum quidem a reliquis est id desiderium, quod Deo præscriberet rationem detegendæ veritatis, quam satis declaraverat. Sed humanis hisce votis facilis obsecundavit Deus hoc ipso die tertiodecimo Februarii, ne quid levissimæ dubitationis reliquum esset, quod sanctæ Virginis gloriæ obesse videretur. Sed cælestis is visus, qui eadem consultationis die, ut dixi, accidit, aliquot post dies relatus est ad Cardinalem, cum jam certum haberet sacras reliquias proponere populo adorandas; eaque hora relatus est, cum de die et apparatu antistes et pauci ex familiaribus consulerent: quod factum crediderim eo consilio, ut minime necessarium fuisse ostenderet Deus ad rem satis superque contestatam. Hoc tamen miraculum quod reliquiarum testificationem, et liberandæ per eas urbis exhibuit B prædictionem, æquum est, ut integrum, uti evenit, perscribam. *Videtur Salernus duas confundere congregationes, quas Cascinus distinxit, de priore agens cap.* XI, *de altera cap.* 13. *In priore, teste Cascino pag.* 73, *duo utcumque manserunt dubii; in altera vero, ut habet pag.* 100, *omnes consenserunt, excepto uno, qui aberat, et tunc sacri corporis expositio decreta est, necdum audito miraculo et visione sequente, quam post Cascinum ita refert Salernus.*

Eodem die Vincentio Bonello apparens Rosalia,

226 Puellam Vincentii Bonelli conjugem adorta pestis absumpserat. Sed is, qui viventis uxoris morbum dissimularat, defunctam in æde sacra intra urbem humandam esse contendebat, dictitans eam non peste corruptam, sed insolita vi morbi subito e vivis excessisse. Dolo etiam suo mendacium adstruebat, quod ejus domus nemini medicorum patuisset; nam ipse, ne corpori conjugis, quam propter ætatis florem et elegantes mores unice deperibat, medicæ admoverentur manus, addiscendo a peritis, adhibendoque morbi remedia, medicum egerat. Sed non fefellit eorum, qui publicæ valetudini præerant, C diligentiam aut fidem. Ubi ergo in cadavere pestilentiæ signa comperta sunt, jussum ut illa extra urbem efferretur, et ipse intra domum se contineret. Hic ille mœrore angi: neque conjugem defunctam dolebat magis, quam inspectam pudebat. Igitur doloris impatiens proximo die, qui pridie Idus Februarias fuit, sub primam noctem publicam legem, et domus claustra perfringens, urbe egreditur, et in domuncula ad crepidines montis Peregrini sita noctem illam traduxit; postera deinde luce, ut animum ab ægritudine avocaret, venaticos præ se agens canes, quos domo secum eduxerat, solus montis illius salebras, sclopum gestans, peragrare cœpit.

docet corpus suum esse inventum,

227 Ubi eo loci progressus est, quas vulgo Scalas appellant, obviam sese tulit mulier eremitico quidem vestium cultu, sed decora facie, atque hominem primo ac improviso aspectu exhorrescentem, et vix oculos præ veneratione attollentem, sic blande alloquitur: Solve animum metu: mecum una ad ardua montis succede: specum tibi et penetrale commonstrabo meum. His dictis præivit illa, ac taciti utrique ad antrum, ubi sacrum sanctæ Rosaliæ corpus inventum diximus, perrexere. Hic illa ad Vincentium os simul vocemque convertens, Eccum, inquit, antrum, ubi meum jacens corpus tot transegit annos. Diu quæsitum olim est, sed jam hinc modo longe abest. Digitoque exsignans saxum omnium maxime excavatum, quod corpus humanum per foramen adrepens anguste caperet, Et hæc, inquit, mea est peregrina cella, ubi multum itidem ætatis exegi. Sed nunc jam Panormum versus descendamus; nam quæ tibi agenda sunt, inter descendendum edisseram. Non longe ab antro decesserant, et Vincentius, qui adhuc incertus animi attonitoque similis pœne obriguerat, nunc tandem, cum sibimet ipse animi aliquantum fecisset, sic eam affatur. Ecquam te dicam esse, mulier? O quantus inest decor! Næ tu angeli vultum, non hominis, refers. Ad hæc illa subridens: Non me agnoscis? Cum negasset homo: Ego, inquit, Rosalia sum.

Panormum peste liberandam suo patrocinio; ipsum vero post quatriduum moriturum:

228 Tunc illa, Vincentius excipit, diva Rosalia? ac detecto capite venerabundus ad ejus accidit pedes. Quid igitur, subdit, inclyta Virgo, pacem Panormo non exposcis? Quidni a patria prohibes grassantem luem, quæ quod roboris, quod floris est civium, male depascitur; atque hos inter uxor etiam mea sublata est. Tum E Virgo: Ita usque adhuc Deo libitum fuit. *(Addit Cascinus:* Et gratia illi obtenta non est propter incredulitatem aliquorum. Nimis disputarunt et ratiocinati sunt de corpore meo. Verum dum in processione supplicantium per urbem fuerit circumlatum, cantatumque TE DEUM LAUDAMUS, tunc urbs mea gratiam impetrabit, ut mihi jam promisit gloriosa Virgo Dei Mater, cælique et terræ regina. *Posteriora utcumque expressit Salernus, ad quem regredior, nonnihil tamen mutata hoc modo:)* Sed jam ab eo veniam meæ civitati obtinui, interposita maxime Virginis Deiparæ totiusque orbis Reginæ gratia. Ubi corporis mei reliquiæ circumlatæ per urbem fuerint, actæque celebri hymno Deo gratiæ, tum salutis beneficio civitas affecta erit. Interim tibi per me mandat Deus, ut Panormum regressus criminum exhomologesi sacraque Eucharistia animum lustres: tum per eum sacerdotem, qui tibi aures confitenti dederit (tibi enim adire non licebit) Cardinali Auriæ nuncies, non longiori disceptatione opus esse: certo sciat ipsummet meum corpus apud se in sacrario servari. F Rectene rem tenes? facturum te recipis, necne? Ego vero, inquit is, recipio, atque id tibi polliceor. Ubi progredientes ad eam vallem, quam vulgo SUIS appellant, tum Virgo, Tibi, inquit, præcipio, ut dicto audiens mandata perficias: atque hoc tibi esto signum, ne vana hæc existimes visa auditaque: peste corripieris, et post quatuor dies decedes. Ne time. Animum sacramentis purga, et per confessarium, quæ dixi, nuncies volo. His dictis evanuit.

Vincentius vero correptus morbo, advocato confessario

229 Jam Vincentium pergentem in urbem ire febris adoritur, atque anceps illa cogitatio standumne sibi promissis esset: hinc enim hominem impellebat fides ac religio, ut ea præstaret: at inde absterrebat metus, ne, si se violatorem legis, ac delusæ custodiæ reum proderet, capite plecteretur. Subegit tandem hominem humani periculi metus, mutatoque consilio domum prima nocte repetit. Quatuor ipsos dies in lecto jacuerat, omnia pertinaci silentio supprimens, ac ne domesticis quidem aliquid communicando, post exactam mediam noctem, quæ anteit duodevigesimum Februarii diem mater filio assidens per increscentem pestilentiæ vim animum a sensibus

 avocari

AUCTORE J. S.

avocari advertens, nec multum abesse, ut a corpore dirimatur, sacerdotem accersiri jubet. Curandis ægrorum animis in ea regione, quam sanctæ Agathæ Villam incolæ appellant, præerat spectatæ virtutis sacerdos domnus Petrus Monachus, qui sæviente Panormi lue, cum vacuus periculo in patria sua ageret Thermis, caritate in Deum hominesque succensus, ab archiepiscopo Panormitano flagitavit, atque alteris litteris impetravit id munus sibi demandari, ut Sacramenta ministraret peste correptis. Hic ergo Vincentio opitulatum veniens, cum abalienatam a sensibus mentem offendisset, precibus, et si quo alio modo per id tempus licuit, hominem juvit, abiensque præcepit, ut se revocarent, si forte integri redirent sensus. Id post aliquot horas factum.

totam visionem enarrat primum,

230 At Vincentius jam sui compos primo cum sacerdote congressu, Multa, inquit, eaque maxima, prius quam peccata, expromenda mihi sunt, pater. Negare hic contra, quidquam Confessioni prævertendum: quis enim animum a suo statu post paulo non dimovendum præstet? B Quamobrem Vincentius peccata ante omnia aperire induxit animum; sed fide ab ipso sacerdote accepta, iis auditis, ad cætera vacuas præbiturum aures. Igitur ubi absoluto criminibus animo, ac cælesti pane refecto, rei narrandæ tempus adfuit, varie affectis commotisque præcordiis, hinc dolore tam diu dilatæ narrationis, hinc gaudio, quod jam retegendæ rei tam gravis copia esset, cum prorumpere vellet in verba, magnam primum lacrymarum vim effudit. Tum collectis viribus vigescente satis animo, in medio considens lecto, Ades, inquit, animo, pater; magnum enim rei pretium est. Atque hæc præfatus, oblatam sibi speciem, habitos sermones eo, quo dixi, ordine exposuit. Sciscitanti deinde multa sacerdoti apte respondit; ac demum obtestatus eum est, uti maturaret rem ad Cardinalem perferre. Eo dimisso, nihil cunctatur sacerdos.

eamque deinde repetit eidem et duobus Capucinis singula scripto excipientibus:

231 At Cardinalis, nuncio audito, duos e vestigio ex Capuccinorum familia, juvandis etiam ægrorum animis destinatos, cum eodem sacerdote ad Vincentium ire jussit, ut rursus omnia accurate audirent, et scripto exciperent; ita C enim fieret, ut exploratum magis ratumque miraculum, si tribus eadem testibus dicerentur, sibique constaret in narrando æger. Nec vero quidquam discrepavit, sed omnia alacriter uno eodemque tenore repetita, et præscripta. Perfecto virginis Rosaliæ imperio lætus Vincentius, animam mox agere occœpit, emisitque in cælum, ut fas est credere, duodecimo Kalendas Martii. *Hæc omnia ex Cascino deprompta. Addi ex eo potest, totam infirmi narrationem secunda vice, dum aderant duo Capucini, scripto fuisse exceptam, prælectamque ægroto, qui omnia rata habuit. Visio autem hæc Cardinali archiepiscopo nuntiata est, dum sacra* S. Rosaliæ *ossa discernebantur ab anatomicis, præsente ipso Cascino.*

pestis etiam eodem die imminuta. Ossa Sanctæ per anatomicos

232 Igitur quo die de S. Rosaliæ reliquiis inita consultatio sacros honores iis decrevit, duobus Deus prodigiis rem confirmare visus; altero, missa de cælo eadem Virginis specie, cujus agebatur gloria, ad rem decretam novo cælestique calculo stabiliendam; altero in ipsa urbe pestilentiam compescendo; nam e tabulis præfectorum valetudinis publicæ, in quas peste contactorum ac pereuntium numerus referebatur, ab eo die insigni decremento diminutum cum numerum, qui centenos antea singulis fere diebus D continebat, licet animadvertere; nec multum effluxit temporis, cum ad denos, aut etiam quinos redactus est. Adeo non alium iracundiæ suæ modum, quam S. Rosaliæ gloriam statuisse videbatur Deus; ejusque habenas huic Virgini tradidisse in manus, ut quo magis minusve sua procederet gloria, eo illas vel adduceret, vel remitteret. Tum brevi ad levandum onus, et ut omnium ossium apertius constaret numerus, et suo inscripta nomine condi possent, scalpro excisorio resecta magnam partem est crassities silicis, qui eo tot sæculis ab injuriis temporum defenderat. Ac ne longius civitatis salus protraheretur, octavo Kalendas Martias anno jubilæi et salutis millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, coacto cum prætore frequenti senatu, selectisque aliis viris, singillatim ossa, suo appellata per anatomistas ac notata nomine, et lapide adhuc non admodum alto circumtecta, in capsulam, quæ pro temporis angustiis parari potuit, locuplete ornamento elegantem, ab Cardinale archiepiscopo senatui tradita, fuere immissa. E

enumerata, atque eleganti imposita thecæ,

233 *Cascinus cap.* 13 *pag.* 101 *et sequentibus de anatomica illa ossium enumeratione latius agit, testaturque ad eam delegatos fuisse tres anatomiæ peritos medicos cum quatuor theologis. Hi fuerunt Franciscus Riba vicarius generalis, Vincentius Domenichi protonotarius Apostolicus, et Cascinus ipse cum alio quodam e Societate Jesu. Medici erant Hieronymus Spucces, Erasmus Salati et Franciscus Guerreri. Hi porro, ut ex Cascini verbis colligitur, singulos lapides, prout confracti erant cum inclusis reliquiis, accurate lustrare cœperunt a die* XIII *vel* XIV *Februarii, idque continuarunt usque ad diem* XXII *ejusdem mensis, quo sacræ reliquiæ primum in theca reclusæ, et ad ecclesiam cathedralem fuere delatæ. Omnium autem ossium inventorum, quæ partim lapidi inhærere sinebant, ne frangerentur magis, partim e lapide erant ablata, accuratus confectus est catalogus, isque satis prolixus, quem recitat Cascinus pag.* 105 *et* 106 *quemque Latine dabo* § 24. *Deinde subdit laudatus scriptor, partes omnes enumeratas per Cardinalem archiepiscopum panno serico, et thecæ eleganti fuisse inclusas, particulas tamen varias senatoribus aliisque personis fuisse concessas, sibique* F *inter alios datam fuisse particulam brachii, ubi manui conjungitur.*

quæ honorifice ad ecclesiam principem transfertur.

234 *Hisce vero peractis, postquam clausa erat theca, clavesque datæ senatoribus et canonicis, nobili supplicantium agmine comitante, theca ad ecclesiam cathedralem recta via fuit delata, prout narrat Salernus, qui ita prosequitur:* Præcipiti vero ad vesperam die, omnibus urbis primoribus, et candidato clericorum ordine cereis facibus præeunte, subvectum humeris ecclesiastica dignitate fungentium sacrum illud onus, ex ædibus archiepiscopi elatum est in proximum templum cathedrale. Ibi sublimi in solio collocata sacra lipsana Cardinalis Auria archiepiscopus regius magistratus omnis, senatus urbis, et immensa adcurrentis populi multitudo piissime adorarunt; et præcinente antistite plenis musicis choris Deo ac Virgini decantatæ laudes, effusæque preces. Ubi vero satis concessum temporis satiandis oculis animisque populi, ab iisdem sacerdotibus transvecta in sacram cellam, ubi vetus reliquiarum thesaurus SS. Christinæ et Nymphæ argenteis arcis honorifice asservatur. Festivus tunc, perque triduum æris campani pulsus,

A sus, æneorum tormentorum fragor, accensæ sub noctem faculæ, non virorum modo, sed et mulierum, quibus, sublato interim edicto, facta est potestas accedendi ad templum, sexcentaque alia lætitiam ac pietatem prodebant simul ac fovebant. Sed hæc præludia fuere honorum et gaudii Panormitani. *Quippe, teste Cascino pag.* 107, *senatores, antequam discederent, statuerunt sacrum corpus includere thecæ e solido argento, eidemque exstruendum curare sacellum magnificentius, splendide quoque exornare sacellum montis Peregrini, e quo tantum acceperant thesaurum, et præ ceteris curare, ut pompa pararetur honorificentissima ad sacras reliquias per urbem circumferendas.*

§ XXII. Corpus S. Rosaliæ solemni pompa per urbem circulatum : finis pestilentiæ ejus beneficio impetratus.

B

Ingens Panormitanorum apparatus

Disceptabatur interim, inter doctos etiam, de cælestium oraculorum tum veri traditione, tum nuper a Bonello acceptorum sententia, an habitis primis sacro corpori honoribus extirpando penitus foret pestilentia, an expectandum beneficium, donec solemni pompa per urbem circumferretur. Id tutissimum plerique sentiebant, ut quam citissime, non expectato anniversario inventionis die, nec magnifico ullo apparatu, qualis jam animo concipiebatur, per urbem reliquiæ ducerentur; nemo enim ultra hoc tempus incolumitatis spem rejiciebat. Sed neque id divino consilio, nec magistratui placuit. Cum ergo jam doceret eventus, non statim cultis reliquiis stirpitus luem omnem Panormo evulsam esse, in dies tamen magis magisque languescere, decretum est, ut post unum aut alterum mensem, adaucto quam maxime posset operarum numero, ad solemniorem pompam atque apparatum celerius concinnandum, urbem obirent; is enim cultus gloriæ Virginis, quam C promovebat Deus, eique pietati, quam fovere in populo par erat, consentaneus videbatur. Quatuor sublicios triumphales arcus Catalaunia, Florentina, Genuensis, et Neapolitana gens, quæ negotiandi causa Panormi degit, poetarum pictorumque industria, signis, epigrammatis, aliisque maximo sumptu eleganter exornatos statuerunt. Quintum ære publico senatus in meditullio urbis construxit amplissimum, ubi et architecti ingenium et ars, fabrorum industria, et dives urbis pietas cum liberalitate eluxit; ad quindecim aureorum millia impensum est: nam sericis pannis acu pictis, argento auroque intertextis, quadraginta et octo columnarum ordines, fornicesque erant convestiti; simulacris triginta sex, innumerisque aliis ornamentis moles altissima admirationem excivit: ædes maxima peripetasmatis quanta quanta est, pretiosis ornata: imperatum civibus, ut longissimo viarum tractu, qua eundum erat, domorum parietes a calce ad summum usque verticem, quibus quisque posset elegantioribus ornamentis convestirent: altaria per aliquot intervalla viarum triginta tria, signis, vasisque argenteis atque aureis affabre cælatis referta erigerent, ut tota urbs unius templi D. Rosaliæ sacri speciem præ se ferret.

AUCTORE J. S.

ad circumferendas per urbem Sanctæ reliquias :

236 Strepebat tota fere civitas apparatu ingentium machinarum, fabrisque omnium generum per amplissima atria domosque dispersis. Certatim res agebatur summa opum vi, nec quisquam a cæli inclementia, vel quod præsentissimum erat periculi, a contagio rei suæ familiari metuebat, vel sibi. Quidquid ingruente peste abstrusum fuerat in penetralibus ædium, obstructo etiam muris portarum aditu, id, quamvis pretiosissimum esset, eductum nunc est: qui urgente metu sese domi continuerant, veluti carceri sponte mancipati, prodiere omnes; ea nimirum omnium animos spes ac religio invaserat, se jam periculis defunctos D. Rosaliæ patrocinio. Nec id sane fefellit quempiam. Cæterum cum temporis plusquam constituerat magistratus, adsumptum esset in tanto rerum apparatu, quod tamen vix satis esse potuisset tot tantisque operibus perficiendis, nisi moræ impatiens alacritas, veluti fugientem pestilentiam insecuta, sibi stimulos admovisset; indicta tandem est solemnis supplicatio triumphi in morem v Idus Junii. *Consonat cum hisce Cascinus cap.* 14, *nonnulla tamen addens. Nam primo observat, tantam quoque magistratuum fuisse fiduciam, ut omnibus, exceptis infectis, facultatem fecerint libere agendi et commeandi per urbem, acsi nulla superfuisset contagionis formido. Secundo jusserunt, deponi ab omnibus lugubres vestes in honorem* S. Rosaliæ. *Tertio testatur, ignes festivos cœptos a die* VI *Junii; die vero* VII *corpus arcæ magis pretiosæ impositum; indictumque eodem die Sabbati solemne jejunium. Redeamus ad Salernum.* E

nobile agmen ac copiosum eas comitantium per urbem :

237 Pompam, *inquit*, ducebant ex quatuor præcipuis urbis regionibus longa serie cives genere ac fortuna honesti, nobilesque in quatuor distincti classes, tum sodalitates tres et nonaginta cum Sanctorum simulacris: additus ducentarum virginum impuberum chorus, qui floreis sertis redimitus, palmarum ramos manibus præferens, Io triumphe, si non voce, virginitatis certe insignibus, S. Rosaliæ decantabat; et frequentissimus clericorum ordo subsequuti sunt. Arcam cristallinis compactam tabulis, et argenteis distinctam laminis, sacra Rosaliæ ossa coccineo F serico involuta concludentem ex primo equestris ordinis flore triginta duo, vestium splendore gemmisque clari, humeris vectabant suis. His reliqua agglomerata nobilitas, tum Cardinalis Auria urbis archiepiscopus idemque prorex, stipante senatu et consilio regio, prosequebatur. Quanto populi vias ac fenestras omnes occupantis plausu, quot lætitiæ signis, piisque lacrymis continenter sacrum corpus exciperetur; quo pacto novemdiale reductis in ædem maximam reliquiis, atque in altissimo solio positis, solemni ritu celebratum sit, cum explicari facile nequeat, ne longum faciam, libens prætereo; impensa fuisse in omnem apparatum, qua publicum, qua privatum, centum aureorum millia, harum rerum peritiores credidere. *Hactenus Salernus. Si quis vero prolixiorem celeberrimæ hujus pompæ relationem desideret, adire poterit Cascinum, qui eam lib.* I *cap.* 14 *fuse enarrat.*

circumlatis reliquiis, cessat fere pestis :

238 *Finem pestilentiæ, quem Panormitani non frustra sperabant, Salernus ita refert:* Sed finem pestilentiæ finis narrationis tandem excipiat. Experta non exiguo suo damno sæpius fuerat hoc anno civitas, quantum obfuissent festorum

rum

AUCTORE J. S.

rum dierum celebritas, et conventus omnes per occasionem supplicationum facti: quare una vox omnium erat, ex tanto apparatu, usuque supellectilis, quæ famulis, operis, omnique infimæ plebi ultro citroque contrectanda tradebatur, atque ex tanto tamque diuturno populi conventu, universam omnino civitatem pestilentia conflagraturam, nisi divina virtute ab eo periculo evasisset: spes tamen in virginem Rosaliam divinitus concepta incolumitatis pignus fuit ad hæc peragenda: nec fefellit. Recisa sunt hydræ huic teterrimæ capita omnia: restinctus est ignis ille noxius urbem depopulatus. Quare gaudium et admiratio omnium animos occupavit, ac pœne obstupefecerat miraculi magnitudo. Illud tamen plerosque perculit, quod, cum per proximos festos dies in tanta hominum frequentia contactuque supellectilis nemo a pestilentia tentatus fuisset, elapsis diebus circiter decem, scintillæ aliquot iterum emicarent: et licet paucos admodum corriperent, injecere tamen metum, ne maxima inde flamma excitaretur incendii. Comperta quidem fuit aliquot hominum temeritas, B qui, dum intra lazareti fines, tum morbo impliciti, tum ægrorum ministri supplicationem D. Rosaliæ peragerent, et reliquiarum particulam pompa circumducta venerarentur, per summam licentiam ex urbe illuc penetrarunt, amicos ibi commorantes non revisuri modo, sed in amplexus etiam, et carorum oscula ruentes; quare spe optime in D. Rosaliæ patrocinio posita in temeritatem ab iis adducta, restitutam rem pœne ex integro everterunt.

atque omnino exstinguitur die 15 Julii:

239 Consternavit civium animos novus is pestilentiæ rumor; sed omnino lente serpebat morbus, intra exiguum retentus numerum; et cum antea, ubi semel domum quampiam invasisset lues, vix paucis ex ea familia pepercisset, nunc uno ægro, cæteri ut plurimum immunes erant. Matres liberorum amore victæ, eos peste forte affectos modo amplecti, fovere, contrectare impune potuerunt. Ut jam evulsos ferocissimæ bestiæ dentes D. Rosaliæ manu sibi ipsi gratulantes intuerentur omnes; sed adhuc eam vivere ægre ferrent. Senatui interim mens injecta est de exornando montis Peregrini antro, quod antea S. Virgini promiserat, nec hactenus gravioribus distentus curis perficere quiverat. Illuc C ergo ascendit prætor, loci conditionem contemplaturus, jussitque ornamenta. Incidit illud iter in diem decimam quintam Julii, qua primus ab inventione sacri corporis annus claudebatur: fausteque id accidit; cum enim regrederetur, nunciatum illi est, neminem ea die tota urbe vel peste correptum, vel in ejus suspicionem venisse, neque ullam ex veteri morbo mortem accidisse. Discussa ergo nubecula, cælestis beneficii clarior lætiorque lux splendescere occœpit, atque iniri jam tum quadraginta dierum numerus, ex veteri instituto veluti jure gentium præscriptus perfectæ incolumitati explorandæ. Eaque dierum periocha felicissime præterlapsa, ac decem aliis diebus de more ad purgandam civitatem exactis, in diem tertium Septembris, qui natalem S. Rosaliæ diem præcedit, incidit perfectæ redintegratæ valetudinis documentum: quare laudibus Deo O. M., ac S. Rosaliæ civi et patronæ rite persolutis, licuit Panormo commercia jam diu intermissa jungere cum omnibus Siciliæ et orbis urbibus, eademque fuit et natalis S. Virginis et Panormi renascentis lux.

240 *Hisce consona habet Cascinus lib.* I *cap.* 17, *sed pluribus rationibus ostendit, beneficium depulsæ pestilentiæ attribuendum esse patrocinio* S. Rosaliæ. *Lubet ipsius rationes breviter recensere. Prima ratio solum probabilis est, quod* S. Rosaliæ *variis prædixisset, corpus suum reperiendum tempore gravissimæ calamitatis. Hæc ratio per se non probat beneficium obtentum, sed aliis rationibus verisimilitudinem addit. Secunda ratio est mirabilis illa* S. Rosaliæ *invocatio, quæ relata est num.* 198; *cum videatur divino instinctu facta: huic vero addi potest mira Panormitanorum de ope* S. Rosaliæ *fiduciæ. Tertium obtenti a* S. Rosaliæ *beneficii indicium est, quod observatum sit, pestilentiæ vim decrevisse, quoties strenue laborabatur pro approbando corpore, aut Sanctæ gloria promovenda; contra crevisse, cum moræ injiciebantur approbationi reliquiarum. Quartum idque clarius argumentum est apparitio Virginis Vincentio Bonello oblata, certis ea testimoniis et secuta Vincentii morte confirmata; cum ipsa Sancta ibidem prædixerit cessaturam pestem, post corpus suum honorifice per urbem circumlatum, sicut revera evenit. Scrupuli quidem hic nonnihil esse potest, quia non eodem die, quo* E *circumlatæ sunt sacræ reliquiæ, pestilentia penitus cessavit. Verum non promiserat Sancta pestem eodem die omnino cessaturam, licet Panormitani fortasse verba ipsius eo sensu intellexissent; sed gratiam præstandam dixerat. Magna autem eodem die gratia urbi præstita est, quod pestis tota fere fuerit sublata, perfectumque fuit beneficium, quando illi post aliquot hebdomadas curarunt in monte Peregrino exornari Sanctæ sacellum, uti antea promiserant. Præterea hanc pestis depulsionem varia faciunt illustriorem, primo tempus, cum pestis cessaverit media æstate, quando id naturaliter minus sperari poterat: secundo quia ob supplicationem tanta erat libertas eundi et quibuslibet vestimentis utendi, ut malum ea libertate longius serpere debuisset: tertio simul cum peste ita sublati sunt morbi similes, aliique omnes, ut Cascinus pag.* 148 *testetur, valetudinaria Panormi ea æstate et seculo automno vacua fuisse: quarto quia ne unus quidem eorum, qui domos infectas jussi sunt purgare, peste infectus fuit. Hæc aliaque plura ibidem Cascinus.*

D argumenta attribuendi hoc beneficium S. Rosaliæ patrocinio.

F

§ XXIII. Pestis post quinque menses iterum Panormitanos corripit: at ope S. Rosaliæ, ut creditur, paulatim extinguitur: inventio corporis et pestilentiæ depulsio ex Pirro.

Ostenditur integre Panormi

Cascinus cap. 15 *et* 16 *varia recenset signa beneficiaque, quibus probatur magis, inventas in monte Peregrino reliquias esse* S. Rosaliæ. *Verum cum id jam satis videatur firmatum, beneficia illa recensebo post Vitas, ubi legi poterunt. Idem cap.* 17 *ostendit, depulsionem pestilentiæ beneficio* S. Rosaliæ *attribuendam, ut mox memoravi. Ibidem etiam demonstrat, pestilentiam integre fuisse sublatam, quod huc proprie spectat: nam suspicio oriri posset, sedatam potius et sopitam fuisse, quam penitus exstinctam, quia post*

AUCTORE J. S.

A *post quinque menses rursum Panormi sæviit. Signa autem sublatæ penitus pestilentiæ hæc recensentur. Primo numerati sunt dies quadraginta, quibus nullus peste correptus asseritur. Postea vero octo diebus exspectatum est, ut loca olim infecta et suspecta purgarentur. Purgata sunt duo millia domuum, uti et merces in iis servatæ, purgata et valetudinaria infectorum; nec tamen ullus ex iis etiam, qui opere tam periculoso occupabantur, malo correptus fuit. Secundo nec glandulæ, nec papulæ, nec purpureæ maculæ, nec vari, imo nec febres, nec alii morbi quemquam eo tempore affligebant, teste Cascino, ne ulla pestilentiæ suspicio superesse posset.*

sublatam fuisse pestilentiam:

242 *Tertio, elapsis primo quadraginta, deinde et octo diebus, die* III *Septembris liberum Panormitanis datum est commercium, nec ullum inde ortum est damnum. De hisce Cascinus ita habet pag.* 148: Tertia circumstantia est, quod perfectio sanitatis miraculose obtentæ exacte probata fuerit: nam cum portæ essent apertæ terram mareque versus ducentes, liberumque commercium per totum regnum et foris, ita ut a tribus solum locis etiam tum arcerentur; B cumque merces portarentur per nundinas regni, hominesque et merces navibus imponerentur, ac regia triremis cum aliis, quæ in portu erant, discederet; nullus fuit locus, in quo tali commercio ullum deprehenderetur contagii indicium: atque ita perfecta sanitas quinque mensibus perseveravit, ita ut apud omnes solide confirmata et omnino esset certa. *Quarto recitat ibidem Cascinus pag.* 149 *diploma Cardinalis archiepiscopi, qui eodem tempore totam Siciliam pro rege Catholico administrabat, promulgatum ritu solemni die* III *Septembris. Hoc diplomate Cardinalis regni gubernator commercium Panormitanorum cum toto Siciliæ regno plenissime restituit, depulsionem pestilentiæ patrocinio* S. Rosaliæ *attribuit, omniaque fere, quæ jam dicta sunt, auctoritate publica confirmat. Quapropter dubitandum non est, quin pestilentia omnino cessaverit Panormi.*

ea tamen post quinque circiter menses ibidem mitius revixit,

243 *Verumtamen necdum finito illo anno, lues ibidem revixit; ut post Cascinum narrat Salernus his verbis:* Sed quinque circiter menses effluxerant a pestilentia, ut ita dicam, consepulta, cum revixit Panormi, quod aliquid infectarum olim vestium, sive hominum avaritia ibi ab- C sconditum, et modo depromptum, sive ex aliis oppidis importatum fuerit: sæpe enim mortalium genus divinis beneficiis aut uti nescium, aut etiam abusum, ea per socordiam corrumpit. Fuit vero longe mitior hæc posterior lues. Quare, licet ad tuendam publicam fidem, aliarum urbium gentiumque commercio abdicarit se Panormus; haud tamen necesse habuit civium concursus interdicere, aut fæminis puerisque edicere, ne, pro majori ipsorum contrahendæ pestis periculo, domo pedem efferrent. Idque etiam S. Rosaliæ precibus a Deo datum esse credidere prudentiores, qui naturæ lege in eo veneno, quod clausum in absconditis vestibus per æstatem et autumnum recruduisse oportuit, satis virium esse cogitarant ad civitatem denuo corrumpendam, ac etiam devastandam, cum præsertim humana præsidia non multum obsisterent. *Hisce consentiens Cascinus, addit pag.* 155, *nonnullos credidisse, iteratum fuisse istud pestilentiæ flagellum ob qualemcumque negligentiam Panormitanorum in colenda* S. Rosalia. *Certe refert pag.* 157 *exornationem nobilissimi sacelli cœptam esse* XX *Januarii anni* 1626, *postquam mense Decembri lues iterum sævire cœperat. Itaque si consideremus pestem cessasse eodem die, quo mandatum erat, ut sacellum id exornaretur, sicut relatum est num.* 239; *non prorsus vana videbitur illa piorum virorum suspicio; nec tamen illa pugnabit cum causa reviviscentis pestilentiæ ante data: in pœnam enim negligentiæ permittere potuit Deus, ut per causam naturalem pestis rursum Panormi accenderetur.*

cujusdam Religiosi diffidentia conventus sui peste punita;

244 *Insinuat idem scriptor, dissidentiam quorumdam secunda hac pestilentia fortasse punitam esse. Exemplum quoque refert mirabile, quod testatur tempore secundæ pestis accidisse viro Religioso Ordinis Augustinianorum reformatorum, cujus erat præpositus provincialis. Invaserat pestis conventum S. Nicolai Tolentini, eaque duo ibidem occubuerunt. Unus ex illis, cui nomen Joannes Maria, quique, utpote vir valde religiosus, diem et horam mortis suæ prædixit, monuit P. Provincialem, factum esse culpa ipsius, ut pestis in conventu sæviret, quod cum Superior esset, non satis haberet fiduciæ de patrocinio* S. Rosaliæ, *dicens omnes morituros, nisi pœnitentia culpam emendaret. Cum autem vera esse intelligeret P. Provincialis, quæ dicebantur de* E *defectu fiduciæ suæ, statuit nudis pedibus speluncam Sanctæ adire, licet ægre id præstare posset ob dolores arthriticos, quibus affligebatur. Cœpit ita incedere. Deinde cum nimium affligeretur, soleas induit, ut sic incederet. At vix ad passus ducentos processerat, quando una e soleis excidit: atque hoc signo monitus, alteram quoque abjecit. Demum nudis pedibus ad speluncam pervenit, Sanctamque pie invocavit tanto fructu, ut ipse sanus domum redierit, omnesque infirmi sanarentur, nec ullus deinceps ibidem peste corriperetur. Ita refert Cascinus, sed paulo prolixius.*

pestis hæc ejusdem Sanctæ patrocinio sublata creditur, uti et per reliquam Siciliam.

245 *Idem scriptor iteratam Panormitanorum liberationem patrocinio* S. Rosaliæ *cum aliis passim attribuit, quamvis fateatur malum non cessasse subito, quemadmodum prima vice, sed paulatim diminutum esse, et demum prorsus ablatum. Ratio præcipua est, quod* S. Rosaliæ *præ ceteris invocata fuerit, magnaque de ope ipsius fuerit fiducia Panormitanorum, quodque in prima pestilentia opem ipsius fuissent experti. Addi possunt beneficia particularibus personis præstita, ex iisque probabiliter colligi, omnes demum* F *ejusdem Sanctæ patrocinio servatos esse. Salernus de eo beneficio mentem suam sic exprimit:* Ut majorem vero iterato S. Rosaliæ beneficio lucem affunderet Deus, finem secundæ huic pestilentiæ statuit Deus mense Junio anni MDCXXVI, cum recurrebat dies triumphi ab eadem Virgine proximo anno peracti. Nec multo post idem incolumitatis beneficium in omne Siciliæ corpus, qua fuerat eo morbo correptum, supra spem et humanas vires a capite promanavit. Hic omnium sensus atque confessio fuit, exactum pestilentiæ morbum tum ab iis urbibus, quas occupaverat, tum ab illis, quibus imminebat, D. Rosaliæ patrocinio. Quare et omnium ore id celebrabatur, et in proregum edictis, ubi de facultate jungendi commercii, et transvehendæ rei familiaris agebatur, explicatum est luculenter; et, quod præclarius est, anno MDCXXIX Urbanus VIII Pontifex maximus, singulari erga hanc Virginem pietate incensus, ejus nomen bis in Ecclesiæ Fastos retulit, diem natalem pridie Nonas Septembres, et reliquiarum inventionem Idibus Julii, adjecto etiam honorificentissimo elogio, Siciliæ liberationem

AUCTORE J. S.

tionem D. Rosaliæ beneficiis acceptam referente. *Hactenus Salernus ex Cascino, cujus relationem testimoniis scriptorum posteriorum interpolare nolui, quia solus Cascinus omnia abunde explicuit, et scriptores alii ex ipso fere hauserunt.*

Relatio Pirri de pestilentia Panormitana,

246 *Ne quis tamen existimet, solius Cascini auctoritate niti omnia, alterum adjungam testem omni exceptione majorem, cujus Opus impressum est anno* 1630, *ita ut scripserit ante visam Cascini lucubrationem, et omnia ipse videre potuerit, æque ac Cascinus. Rocchus Pirrus tom.* I *Siciliæ sacræ in Notitia ecclesiæ Panormitanæ pag.* 198 *capita præcipua corporis inventi et pestilentiæ depulsæ breviter narrat his verbis :* Anno MDCXXIV Panormum lues invasit ex Africæ oris invecta cum iis, qui inde e servitute pretio redempti huc appulere. Ut ergo funesta pestis flamma se prodidit, tristi accepto nuncio præsul optimus, qui tum Panormo aberat, Thermis degens, sui immemor, sed suorum memor, ac vitæ prodigus, in medios se conjecit ignes. Quod ille non ausus, quod non tentavit, ut B serpens pedetentim malum restingueret? Numinis primo iram in scelera ulciscentem deprecari instituit; supplices vidimus hominum classes eo auctore vilibus indutas saccis, cinere conspersas, funibus et ferreis circumdatas catenis, flagellis in se acriter desævientes, spinis dilacerantes caput, et pectora ex animo tundentes, prosterni templis, aris adgeniculari, lacrymarum vi se perfundere, divinæ largitionis beneficia implorare, ac suorum scelerum noxas odisse, accusare, detestari.

de mirabili S. Rosaliæ invocatione,

247 Quantum præstantissimæ urbis facies tunc immutata! quam cito, qui in corporis cultu renidebat, fulgor in squallorem abiit? quam cito ejecto gaudio triumphavit in urbe mœror, ut pientissimum Servatoris pectus ad commiserationem inflecteret! circumductæ sunt per urbem SS. Christinæ patronæ, atque Nymphæ Panor, sacræ reliquiæ die XV Julii : cum illud accidit admirabile, atque salutis initium, vel index potius. Incedebat ordine clerus omnis in pompa, Sanctorum (ut solet) in litaniis digestorum implorans auxilia : præcinebant quatuor, duo inter primos, inter postremos alii. Postquam ergo C Panormitanarum virginum nomina de more edidissent; divinitus ecce injecta mente proclamant omnes SANCTA ROSALIA ORA PRO NOBIS, cum ea tamen res numquam fieri consueverit, nec de illa convenisse aut cogitasse cum jurisjurandi religione affirmaverint sacerdotes illi, probatæ satis perspectæque virtutis. Erexit eorum, qui aderant, animos inopinum Virginis nomen, quod hactenus Panormitanis e mente excidisse videbatur; tunc vero præter morem non sine quodam liquescentis voluptatis sensu usurpabatur.

de corpore eodem die invento,

248 Adfuit suorum civium amantissima Rosalia supplicationibus : eodem ecce die Joannettino præsuli nuncius præfertur lætissimus, in Ercta Monte, quem Peregrinum vulgo dicimus, mille ab urbe passibus sejuncto, D. Rosaliæ corpus in antro inventum, ubi hactenus constans civium traditio delitescere, ac ad reparandam patriæ felicitatem detineri renarraverat. Virginis nimirum monitu quidam terram egerere tentarunt, qui cum in prægrande saxum incidissent, quo sæpe alii effodientes eadem de caussa pervenerunt, haud consternati animo; sed, Age, inquit, quidam, infringe sodes rupem, progreditor ulterius, quam alii fecerint. Ictum vibrat alter ferrea clava, exilit frustum : atque inde sa- D xo divinitus circumjecto inclusum vident Rosaliæ virginis corpus. Procumbunt illi in genua, venerantur sacras exuvias, atque quo possunt honore tractant amabilem rupem, cælestem thesaurum, Panormitanas divitias. Adest illico, qui rem Joannettino præsuli renuntiat; ille ad se afferri divinum illud adversus ingruentem luem amuletum jussit.

ac deinde rite approbato,

249 Intellexit scilicet divinitus id suæ urbi munimentum dari; sed, ut est prudentiæ laude insignis, nec in iis, quæ ad religionem spectant, præceps amet consilium, ratus fieri nequaquam posse, quin suis Virgo beneficiis in tanto malorum cumulo se proderet, eousque ea sacra Rosaliæ ossa omnibus colenda proponere distulit, donec quæ de illa Panormitana Virgine vetera monumenta loquuntur, fama inter Panormitanos de sua cive serpens ac vigens olim, theologorum sententiæ de miraculis, aliisque indiciis in unam omnia sententiam convenissent. Rejecta ergo omni præcipitis consilii suspicione integrum suum Panormitanis stetit decus; atque ea ossa D. Rosaliæ esse reliquias mense Januario *(imo Februario)* decretum est, quas ille e suis ædi- E bus primorum humeris in templum invehi jussit, ut tamquam vexillum quoddam ad bene sperandum sustolleretur.

de reliquiis per urbem magnifice circumlatis, indeque cessante peste,

250 *Deinde interjectis aliis de Cardinale Doria, ad* S. Rosaliam *regreditur his verbis :* Mense vero Junio an. MDCXXV cum *(Cardinalis)* edixisset omnibus, ut circumvehendis Rosaliæ reliquiis frequentes adessent, atque civi cæliti, et hospitatrici Virgini honores, quos maximos possent, ultro efferrent, excitato media in urbe arcu e lignis quidem texto, sed sericis aureisque pannis elegantissime convestito (supra XII aureorum millia Sen. Pan. in eo construendo insumpsit) per urbem Virginis corpus circumlatum est : sed tanto civium plausu, ac gestientis lætitiæ significationibus ea gesta sunt, ut animo jam tum cives singulare Virginis beneficium, quod ab illa paulo post ad nos defluxit, præcepisse viderentur; neque enim Panormus modo, sed Sicilia universa a pestis, qua debacchantis incendiis, qua imminentis periculo, D. Rosaliæ patrocinio erepta est; adeo omnium oculis hæc patuerunt, ut ea neget F nemo, nisi qui pervicaci mente desipiat; affixa tunc ad cathedralis templi valvas tabula e marmore sic inscripta.

Urbano VIII Pont. Max., Philippo IV rege, Joannettino Doria S. R. E. card. archiep. regiam personam in Sicilia tertium tenente, corpus S. Rosaliæ virginis ad Patriæ perfugium, et pestis expulsionem divina providentia reservatum, pro antistitis religiosissimi pietate, ac senatus populique votis, nuper in Monte Peregrino repertum, multitudine miraculorum coruscans, templi viarumque apparatu post homines natos ornatissimo, atque arcu triumphali molis immensæ præter alios exceptum, triumpho per urbem splendidissimo vectum receptumque V Idus Junii MDCXXV.

ac demum de pretioso sacello in gratiarum actionem structo :

251 Elegantissimum præterea Joannettinus sacellum Rosaliæ virgini construendum curavit, quod quamquam numeris absolutum suis adhuc non sit, rapit tamen plurimorum animos suis divitiis atque elegantia. Ei sacello a tergo, qua viam respicit, hæc adjecta inscriptio.

Urbano VIII Pont. Max., Philippo IV rege nostro Catholico, Joannettinus Doria S. R. E. presbyter Cardinalis archiepiscopus Panor., Siciliæ

A Siciliæ pro rege tertio moderator, sanctæ Rosaliæ virginis Panormitanæ corpus, lapide non humana arte elaborato conclusum, ad Ercetæ specus invenit, doctis urbis consiliaribus, senatoribus exposcentibus, omnibus exoptantibus, rerum supra omnem naturæ ordinem gestarum gloria cognitum rite approbavit, S. P. Q. P. reddidit, publice colendum exposuit indicto triumpho, supplicatione instituta, celebri pompa, apparatu celebratum omnibus retro sæculis nobilissimæ magnificentiæ exemplo longe superatis, inter cæteras urbis titulares Divas collocavit, anno jubilei MDCXXV. Divæ ter maximæ, civi optimæ, Patronæ benemerentissimæ extincto pestilentiæ morbo ingentium meritorum exiguum indicem sacellum voto publico nuncupato dicavit, lapidem in fundamenta primum jecit. An. sal. MDCXXVI, VIII Kal. Feb.

Demum non omiserim adeo Joannettini pietate, atque industria D. Rosaliæ religionem in civium, et Siculorum omnium pectoribus adolevisse, ut ex animo illam omnes ament, venerentur, imB plorent: atque hinc ne angustis finibus contineretur, ejus Virginis fama evolavit, et Europam pene dixerim universam pervagata est. *De magnifico hoc sacello redibit sermo, ubi æri incisum dabo.*

expenditur in hisce Pirri et Cascini auctoritas.

252 *Demum Pirrus, post alia quædam de Urbani VIII in* S. Rosaliam *studio, narrationem suam ita concludit:* Hæc, quæ de D. Rosaliæ Panormitanæ virginis invento corpore, ut aliquid meo in Virginem amori darem, ruditer sum persequutus, S. Jordanus Cascini, e Societate Jesu vir præclarissimus quam primum luculentissime typis dabit; nec rem illi præripere in animo fuit: novi enim quantum acri ille judicio, quo pollet egregie, quantum de rebus Siculis eruditione, quantum veritate, cum ad consilia ejus rei, omniaque, quæ gesta sunt, illum præ ceteris Joannettinus adhibuerit, quantum denique amore, pietate, religioneque in cælitem Rosaliam, cæteros, qui hæc tractare velint, præstare queat. Deleo potius ex animo, quod adversa valetudine, ac provinciæ Siculæ Societatis suæ secundum præfectus, ac deinde collegii Panormitani terC tium rector, immensa curarum mole pressus, Historiam adhuc cunctorum votis expetitam non dederit. *Hæc scripsit Pirrus eodem haud dubie tempore, quo Vitam Latinam, anno sequenti impressam, exaravit Cascinus, ita ut verisimile sit ne Cascinum quidem aliquid mutuatum esse ex Pirro. Quapropter, duobus hisce testibus firmiter stabit historiæ veritas, cum egregie consonent in præcipuis rerum capitibus, nec dissentiant nisi in punctis levissimis, in quibus facile errare potuit Pirrus, cum hic rebus gestis non interfuerit.*

§ XXIV. Enumeratio ossium inventorum S. Rosaliæ: alia simul intra eumdem lapidem reperta.

Ossa S. Rosaliæ, quæ discerni potuerunt: partes capitis,

D*ixi num.* 233 *ossa* S. Rosaliæ *anatomice recognita esse, enumerata, elegantique thecæ imposita; at ossium enumeratione filum narrationis ibidem interrumpere nolui. Cum tamen illa enumeratio clare ostendat, unius esse corporis ossa, quæ in lapide illo quasi marmoreo inventa sunt, cumque hæc unitas aliis rationibus juncta faciat, ut prudenter dubitare nequemus, quin illa ossa sint* S. Rosaliæ, *catalogum ossium enumeratorum ex Cascino cap.* 13 *pag.* 105 *huc transfero, et Latinum reddo. Partes capitis, quantum discerni potuerunt propter lapidem adhærentem, sic enumerat.*

AUCTORE J. S.

Major pars cranii superioris.

Alia ejusdem pars.

Pars ejusdem inferior, quæ nominatur basis, cum foramine: huic insuper adhæret pars superioris cum digitis manus dextræ ei annexis.

Maxilla dextera inferior cum quinque dentibus apparentibus et aliis saxo coopertis.

Pars maxillæ superioris cum uno dente tantum apparente. *Hæc de capite.*

corporis usque ad cingulum,

254 *Corporis autem partes usque ad cingulum ita recenset:*

Pars humeri cum alio osse in eodem lapide.

Pars scapulæ cum duobus frustis humeri et quatuor aliis ossibus in eodem lapide.

Alia pars similis cum aliis ossibus.

Pars scapulæ. E

Pars scapulæ et brachii.

Frustum modicum scapulæ et alterum brachii, et frustum ossis palmæ, aliaque ossa simul in eodem lapide.

Pars brachii et alia ossa in lapide: multa ossium frusta, et nonnulla ulnæ et radii, ac duæ partes ossis extuberantis simul in uno lapide.

Pars ulnæ brachii cum frusto radii: insigne frustum spongiosum, et alia frusta in eadem lapidis mole.

Pars ulnæ brachii, digitorum, costarum, et os manus, cui annexa erat corolla precatoria, simul in uno lapide: at singula deinde involuta sunt chartis separatis, et ablati globuli precatorii.

Multa alia ossa earumdem partium in uno lapide, in quo cernuntur quinque globuli corollæ precatoriæ, aliique lapide sunt tecti.

Multæ partes costarum in uno lapide.

Pars costarum cum osse extuberante.

Multæ partes costarum omnes in uno lapide.

Costa insignis sola.

Pars costæ simul cum alio osse. F

Undecim frusta costarum, singula in suo lapide separato, omnia in uno chartæ involucro.

Alia decem frusta costarum, eodem modo involuta.

Ex spina dorsi seu vertebris cum partibus costarum in duobus lapidibus. *Hactenus de partibus corporis usque ad cingulum, ut loquitur Cascinus, seu usque ad lumbos.*

corporis infra cingulum,

255 *Deinde vero a lumbis usque ad crura sic progreditur:*

Major pars coxendicis, in duas divisa.

Pars ossis femoris, aut coxæ cum suo osse extuberante.

Alia eorumdem pars ossium cum aliis ossibus in eodem lapide.

Alia pars eorumdem.

Quatuor eorumdem partes in uno lapide.

Postrema pars eorumdem ossium cum multis frustis radiorum.

De osse sacro cum nonnullis vertebris.

Aliud os præcipuum ejusdem partis. *Hæc de illa corporis parte.*

crurum et pedum.

256 *Demum crurum et pedum ossa inventa hoc modo enumerat:*


Pars

AUCTORE J. S.

Pars ossis cruris sine lapide.
Tres partes ossis crurum.
Os extuberans ossis crurum, et os aliud.
Insigne frustum ossis crurum.
Duo frusta tali.
Ossa digitorum pedum.
Multæ particulæ ossium digitorum.
Pars ossis extuberantis.
Pars ossis extuberantis, et alia ossa in tribus lapidibus.
Varia ossa invicem annexa in uno lapide.
Multæ ossium particulæ similiter in uno lapide conjunctæ.
Multa frusta ossium minorum in aliis chartis. *Ita ossa inventa Italice recenset Cascinus, qui testatur nominata sic fuisse ab anatomiæ peritis medicis, quos laudavi num.* 233. *Facile autem videbit studiosus lector præcipuo ossa humani corporis pro parte majori hic recensita esse, non tamen omnia, tum quia multa erant confracta, tum quia nonnulla abscondita erant lapide, aut aliis ossibus eidem lapidi inhærentibus. Præterea testatur Cascinus cap.* 12 *pag.* 79, *nonnullas particulas*
B *ossium fuisse collectas ab iis qui corporis inventioni aderant, quod ossa aliqua dispergerentur, quando disruptus est lapis, in quo thesaurus ille jacebat absconditus.*

Inventi cum ossibus globuli precatorii,

257 *Porro in eodem lapideo tumulo inventos esse globulos corollæ precatoriæ, jam supra est dictum. De hisce late disputavit Cascinus lib.* 2 *cap.* 16, *ubi pag.* 253 *refert, quo globuli illi modo inventi sint in recognitione ossium. agnitique pro globulis precatoriis, quia in medio erant perforati, ut filum per eos duci possit, quemadmodum fit quando componitur corona Mariana. Quin et asserit* multos *esse inventos* quasi filo contextos, unum *quoque inventum* aliis paulo majorem inter digitos et palman manus; *omnes vero studiose collectos tamquam pretiosa* S. Rosaliæ *pignora, exceptis quinque, quos apparentes inter costas pectoris et manus digitos lapidi inhærere siverant, existimantes eodem lapide, quem magis frangere nolebant, plures quoque hærere obvolutos. Duodecim ex hisce globulis variæ magnitudinis obtigerunt ipsi Cascino, qui eos deinde donavit domui Panormitanæ tertiæ probationis Societatis Jesu, ubi custodiuntur in theca argen-*
C *tea. Earum delineationem nobis transmisit sæpe laudatus Castiglia, testatus ea singulos esse mole qua æri incisos exhibeo.*




258 *Porro Cascinus cap.* 16 *pietatem* S. Rosaliæ *in Sanctissiman Dei Genitricem ex hisce globulis probare nititur; nec tamen audet asse-* D
rere globulos esse talis coronæ Marianæ, quali hodieque utimur, quod Rosarium *aut* psalterium *dicimus; quia omnino existimat hodiernam coronam, seu rosarium a S. Dominico primum fuisse institutum, adeoque* S. Rosalia *esse posterius. Existimavit Cascinus eam sententiam esse certam, quod multum tribueret auctoritati Alani de Rupe, qui de institutione rosarii per S. Dominicum multa scripsit, sed mirabilia magis quam credibilia. Verum jam monui num.* 142 *varios esse scriptores, qui institutionem illam S. Dominico, imo et* S. Rosalia *antiquiorem esse contendunt. Nolim quidem controversiam illam rursus ad examen revocare: at solum observo, incertam esse opinionem Cascini, existimantis globulos illos non esse rosarii: nam si institutio illa revera tam sit antiqua, quam volunt aliqui, admodum verisimile erit, rosarii usum non ignotum fuisse* S. Rosaliæ, *sed valde familiarem, cum de ipsius pietate erga beatissimam Virginem nequeamus merito dubitare.*

qui an rosarium constituerint incertum est:

inventa item crux exigua,

259 *Cascinus lib.* 2 *cap.* 21 *pag.* 317 *et rursum pag.* 319 *testatur inventam quoque fuisse cum corpore* S. Rosaliæ *exiguam crucem argenteam* E
levissimi ponderis. Hæc crux item obtigit Cascino, et religiose hactenus servatur, ut mox videbimus. Delineationem illius nobis communicavit diligentissimus Castiglia, ex qua æri incisam exhibeo.



F

Laudatus autem Operis nostri adjutor cum crucis delineatione nonnullas de ea observationis humaniter transmisit sub hoc crucis titulo: Argentea crux octogona, quæ cum D. Rosaliæ corpore inventa est. *Ubi sacrum istud pignus modo servetur, primo sic edisserit:* Diligenti asservatur cura pretiosum adeo signum, etsi temporis diuturnitate aliquantulum exesum, ut ex apposita hic figura ejusdem omnino magnitudinis videre licet, in quodam sacrarum virginum gynæceo, quod a S. Rosalia nuncupatur, argentea in theca, crystallo munita. *Unde vero crux illa ad dictas virgines pervenerit, inferius docet his verbis:* Argenteam hanc D. Rosalia crucem reliquit moriens P. Cascinus P. Francisco Laliottæ Societatis Jesu ea lege, ut D. Jacobo Bonfanti protonotario apostolico traderetur; habuitque VIII Kal. Octobres anni MDCXXXVI, ut patet ex ipso traditionis actu, quem hic transcribimus. Ab eo exceperunt sacræ illæ virgines, quibus indulsit Urbanus VIII anno MDCXXXIV, ut prædictæ crucis signum in cucullo et veste scapulari gestarent. 260 *Actus*

de qua observantur nonnulla :

A 260 *Actus traditionis mox memoratus* xxv *Septembris scriptus est per Jacobum Camali notarium. Asseritur in eo inventio corporis* divinitus *facta,* urbs *Panormitana,* multis ac variis gratiis et miraculis præfactis, a contagio liberata : *de prædicta vero cruce hæc habentur :* Et inter cetera, quæ in dicto sancto corpore fuerunt, inventa quædam crux parva, landea * argentea confecta, a religiosissimo patre Jordano Cascini, tunc temporis religionis Societatis Jesu provinciale, cum aliis diversisque religiosis viris assistentibus, præsente dicto eminentissimo domino Cardinale : quæ crux argentea fuit propriis manibus ab eodem P. Cascini capta *etc. Additur, prædictam crucem a moribundo Cascino fuisse traditam P. Francisco Laliotta, ut eam daret supra dicto domino Bonfanti, idque factum esse coram testibus. Observat præterea laudatus Castiglia quædam de illo* S. Rosaliæ *monasterio, de cujus fundatione videri potest Cascinus lib.* 3 *cap.* 3 *pag.* 342. *Demum notat, talem crucis formam Normannis principibus, tempore* S. Rosaliæ *et paulo ante in Sicilia regnantibus, fuisse usitatam et satis familiarem, uti colligitur ex numismatibus Rogerii comitis, Rogerii regis Siciliæ, Boëmundi principis, et Guilielmi I regis, quæ edita sunt in Thesauro antiquitatum et historiarum Siciliæ apud Grævium et Burmannum tom.* 8 *fig.* 186, 187 *et* 188. *Qua autem occasione videatur Rogerius crucis signum in nummis usurpare cœpisse, explicat Sigibertus Havercampus in Commentario ad prædicta numismata tom.* 7 *col.* 1258 *et sequentibus.*

* *i. e. lamina*

B

et demum figura Domini Crucifixi.

261 *Asserit etiam Cascinus lib.* 2 *cap.* 18 *pag.* 273, *et lib.* 3 *cap.* I *pag.* 330 *cum corpore* S. Rosaliæ *inventam fuisse exiguam imaginem sanctissimi Crucifixi. Mancusus in Vita* S. Rosaliæ *tom.* I *pag.* 184 *de eadem agit imagine, aitque caput a reliquo corpore in inventione fuisse separatum : quæ conjectura valde est verisimilis ex figura nobis transmissa, quæ solum caput repræsentat.*



Delineationem nobis procuravit sæpe laudatus Castiglia, atque hunc figuræ fecit titulum : Chricti cruci affixi vultus ex argilla, una cum D. Rosaliæ corpore inventi. *Hasce vero subdidit annotationes :* Hujus magnitudo in figura exprimitur. Colitur argenteæ thecæ inclusus in collegio S. Xaverii PP. Societatis Jesu Panormi. *Observat insuper falli Mancusum mox laudatum, qui vultus hujus figuram ex alabastrite confectam*

AUCTORE J. S.

scribit, cum sit ex argilla. Utrum P. Cascino sacrum istud pignus primo obtigerit, et post mortem ipsius in collegio S. Francisci Xaveri manserit, uti etiam asserit Mancusus, non annotavit Castiglia. Hactenus de inventis cum sacro corpore.

quale fuerit saxum, in quo corpus inventum,

262 *Porro de lapide ipso, in quo sacrum inventum est corpus, observat Cascinus lib.* 2 *cap.* 18 *pag.* 274, *non ea fuisse forma, ut censeri possit loculus, cui demortuæ Virginis cadaver fuerit impositum ad sepulturam, præsertim cum nulla esset lapidis apertura, per quam imponi potuisset. Fuit igitur massa lapidea circum corpus nata, nec circum dumtaxat, sed intra ossa etiam, et in ipsis ossium cavis, ut asserit, addens ossa sic miro modo conservata fuisse ; nullo tamen modo in formam aut naturam lapidis conversa. Ex hisce autem a Cascino aliisque colligi, corpus* S. Rosaliæ *angelorum manibus sepultum esse, jam dictum est num.* 154, *ubi de sepultura agitur ; nec admissa est ista consecutio, saltem ut certa. Fatetur ipse Cascinus pag.* 275 *se existimare, per guttas aquarum a rupe defluentes massam istam lapideam coaluisse ; at non casu fortuito, sed altiori potestate guttas istas dirigente.* E

et unde saxi istius origo.

263 *At Joannes Maria Rosciolus in Oratione panegyrica de* S. Rosalia, *edita post Cascini Opus in appendice pag.* 51, *quantumcumque* S. Rosaliam *pro meritis extollat, neque admirabilem hunc loculum silens prætermittat, mentem tamen suam de ejus origine satis exponit his verbis :* Augustum plane sepulcrum, quicum neque pyramides Ægypti, neque Cariæ mausolæa possint de majestate contendere. Quippe quantacumque illa fuerint antiquæ magnificentiæ monumenta ; fragmenta montium, imo ruinæ fuerunt. Integer vero mons atque intactus in tumulum debebatur integerrimæ Virgini. Quodque aspicientium et miraculo fuit oculis, et animis venerationi ; non modo rupes universa, quasi naturæ pyramis, in extimam sepulcri molem assurgebat : sed humor quoque frigidi loci nativus depositum Rosaliæ corpus circumfluens, ac temporis diuturnitate conglaciatus, crystallinam velut arculam, perlucidumque sarcophagum eidem conformaverat. Perinde quasi satis patrio monti non fuerit, se totum ad Civem atque Alumnam suam tumulandam addicere ; nisi suas etiam lacrymas e supercilio jugi guttatim expressas, ac rigido pene dolore gemmantes, instillasset ad eamdem tumulo illustriore condendam. *Hæc oratorie dictæ sunt, ita tamen, ut sententia oratoris satis sit manifesta.* F

§ XXV. Antrum montis Peregrini, quod exacte describitur, ad honorem S. Rosaliæ exornatum.

Brevis montis Peregrini ejusque antri descriptio :

De *antro montis Peregrini pauca dixi* § 12, *et accuratiorem totius loci delineationem ad hunc locum distuli. Salernus corporis inventionem relaturus montem et speluncam* S. Rosaliæ *ita memorat :* Panormo, qua Septemtrionibus est opposita, duobus vix passuum millibus dissitus mons Peregrinus alte assurgit. Ejus crepidines ex duplici cœli plaga, qua Boreas, et qua Eurus Tyrrhenas impellunt undas, mari alluuntur ;

AUCTORE J. S.

tur; reliquæ per agrum Panormitanum porrectæ Occidentem Meridiemque respiciunt, septæque sunt circum amœnis collibus, et viridantibus pratis: postquam duo passuum millia a subjecta planitie ascendendo emensa sunt, haud longe a culmine ingens panditur specus centum palmorum longitudine excurrens; primi aditus latitudo viginti et octo palmos patet, tum magis magisque pergente Orientem versus sinistro latere, eadem latitudo ad quadraginta et amplius palmos relaxatur ad eum usque locum, unde sacrum Rosaliæ corpus erutum *(narravimus.)* Inde angulum constringentes redeunt rupes, et sensim coëunt antri latera in trium fere palmorum angustias ostio opposita. Altitudo varians, ut in excsis pendentibusque temere rupibus, qua octo, qua tredecim palmis continebatur, at in medio antri immani hiatu recedit. Ostium paucis ab hinc annis apertum patuit: nam antea angustum potius foramen erat, ut nemini, nisi obverso latere is pergeret, ingressum præberet: nec statim ingresso latior patebat via; sed ad decem fere palmos intra rupis crassitiem per easdem fere angustias perrumpendum erat. Hæc tamen saxea moles, quæ
B aditum pœne obstruebat antri, ad lævam in eodem antro aliam quasi caveam, duodecim palmis in longum latumque porrectam, sinu continebat suo, atque hic dumtaxat angulus fuisse videtur ad habitandum aptus; solus quippe stillicidii immunis. *Huic Salerni montis et antri descriptioni satis consonat Cascinus lib.* I *cap.* I; *at enucleatius nonnulla exponit.*

accuratior expositio

265 *Ad clariorem vero expositionem, æri incidendum curavi conspectum speluncæ, prout ornata est post inventionem corporis; et ejusdem speluncæ ichnographiam in una tabula, quam hic exhibeo, sic tamen, ut ichnographiæ, per Cascinum sine litteris datæ, ad commodiorem partium singularum explicationem litteræ apud nos sint adjunctæ, uti videbit studiosus lector. Hasce autem litteras addendas curavit sæpe laudatus Castiglia, vel adjutor ipsius P. Noto, qui et annotationes subjunxit, singulis litteris respondentes, quas ad perfectam antri intelligentiam lectori communico.*

A Primus cryptæ aditus, decem palmis Siculis excurrens, ita angustus, ut justam non exciperet
C humerorum latitudinem: extrema vero ingressus paulo laxiora sunt.

B. Antri cavum et profunditas longitudine palmarum centum, latitudine ab ingressu medio tenus viginti et octo; antri medium ipsum quadraginta: in fine tandem, coëuntibus paulatim saxis, in acutum angulum desinit.

C. Hemicyclus contra Orientem situs, ubi sanctam animam Deo tradidit D. Rosalia. Ibi inventum est sacrum ejus corpus, lapidi sex palmorum ex stillicidiis bene concreto annexum ac prope conglutinatum, dextra caput sustentans, læva coronam precariam gerens, et Christi e cruce pendentis simulacrum. Ibique de industria similis morienti Virgini marmorea effigies est collocata. *Ita quidem auctor harum annotationum. At observandum est, pleraque hæc meris nisi conjecturis, nec prorsus esse certa. Incertum est primo, an eodem prorsus loco, seu in eadem parte speluncæ, ubi sacrum corpus inventum est, obierit Sancta. Credunt id plerique Siculi, quia contendunt* S. Rosaliam *obiisse, nemine præsente, et ab hominibus sepulturam non accepisse, sed potius angelorum ministerio. At eam opinionem, ut minimum, incertam esse, suo loco dixi. Secundo situs corporis hic descriptus etiam conjecturalis est, certe ex parte: nullibi enim exposuit Cascinus, an in sinistra Virginis manu, an alio loco inventa sit imago Crucifixi. Cascinus lib.* 2 *cap.* 18 *pag.* 273 *asserit, effigiem morientis Virginis in loco inventi corporis collocatam, illique additam Crucifixi imaginem, quia talis imago inventa erat cum corpore in eodem saxo; sed non indicat, utrum in manu, an alibi. Id non magis indicat lib.* 3 *cap.* I *pag.* 330, *ubi eadem fere repetit, et dat inscriptionem eo loco positam.* D

266 *Redeamus ad laudatas annotationes, quæ locum exacte explicant.* *singularum partium,*

D. Tuguriolum ad antri sinistram palmorum duodecim, formæ quasi quadratæ, quod pariete claudebatur. Hic deinde dirutus est, avulsumque ingens illud ac rude saxum, quod ampliori obstaret ingressui. Eo in loco S. Rosaliæ imago adjecta est cum inscriptione marmorea, perenne scilicet monumentum, quod locum hunc humore expertem Rosalia ad contemplandum sibi delegerit. *Inscriptionem ex conjecturis ibi positam dat Cascinus pag.* 332. *Hanc, licet alias fere omnes brevitatis causa sim prætermissurus, pro specimine hunc transfero.* E

In angulum lutulentæ specus
Siccum D. Rosaliæ recessum.
Undique inaccessum riget, horret, perpluit antrum:
Hæc tamen infesto marcuit imbre Rosa.
Angulus hic illi vernans, hic hortulus halans,
Rore novo, lacrymis, sanguine sæpe madens.
Hic Christi nam sole calet, mulcetur et aura,
Et floret roseo terra subacta genu.

E. Ara D. Rosaliæ sacra usque a prima illa antri ampliatione, cum templi figuram induit. Hoc super altari effigies cernitur D. Rosaliæ in quadrato pariete depicta. In ejus dextra Franciscani Patres, qui locum hunc antea habebant, S. Franciscum expresserunt. *De ecclesia illa jam actum est* § 15, *ubi num.* 163 *observatum est festivitatem Sanctæ ibi olim celebratam in die Ascensionis Domini.*

267 F. Cryptæ alterius minoris foramen binis palmis latum. Crypta hæc, quæ D. Rosaliæ fuit domicilium, septem palmos circiter altitudine et septem longitudine procurrit. Capax proinde est humanæ staturæ. In parte interiori S. Rosaliæ simulacrum collocatum est, additaque hujus rei marmorea inscriptio. Foramen hoc prius e pavimento palmos octo distabat, nunc vero quatuordecim circiter recedit, ac nullum, nisi scalis admotis, accessum habet: solo enim complanando circumjecti lapides exsecti sunt et telluris acervi subducti. *et ornatus postea adjecti:* F


G. Tugurium intra montis viscera, longum palmis sexdecim, latum ita, ut unum hominem capiat. Dextra sacri antri jacet, atque in extrema sui parte excavatam ipso in saxo concham exhibet.

H. Concha, seu lapideum stillantium aquarum labrum, unde aquam Virgo exhauriebat ad potum. Rem hanc refert D. Rosaliæ effigies cavo cum poculo, ac Latina etiam carmina marmori inscripta, ibidem constituta.


I. Hic ædes erat concamerata, quæ D. Rosaliæ aram excipiebat cum ejus imagine. Diruta deinde est in exstruendo novo antri ingressu.

K. Ara intemerato Virginis *(Dei Genitricis)* conceptui dicata a Patribus iisdem Franciscanis.

Hactenus



Grotta di S. Rosalia nel Monte Pellegrino ornata doppo l' Inuentione del ſuo Corpo



Pianta della Grotta di S. Rosalia nel Monte Pellegrino

Lith. du Senat, Barousse, Paris.

A *Hactenus laudatæ annotationes, quarum subsidio totum antrum abunde expositum existimo. Magnificum singularum partium ornatum, additasque inscriptiones Latinas curiosus lector inveniet apud Cascinum lib.* 3 *cap.* 1.

conjectura de antiquo antri sacello.

268 *Porro si conjecturis, quibus partium usus probabiliter expositus est, aliam quoque superaddere liceat conjecturam; dicam suspicionem meam de antiquo illo sacello, quod constat fuisse in antro montis Peregrini non diu post tempora* S. Rosaliæ, *et cujus initium ignoratur. Vehementer suspicor sacellum istud ibidem fuisse a tempore ipsius Sanctæ, atque in eo sacrum Missæ Sacrificium ei non raro celebratum, ac sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta eidem administrata. Magis enim me terret illa Christi sententia Joan.* 6 ℣ 54 *:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *quam ut facile crediturus sim* S. Rosaliam *iis carere voluisse; præsertim cum id asseratur sine ullo antiquorum testimonio. Hæc de spelunca montis Peregrini sufficiant, ut priorem Sanctæ habitationem similiter invisamus.* B

§ XXVI. Vetus S. Rosaliæ inscriptio in antro Quisquinensi inventa : miracula varia relata ex testimoniis juratis.

Ubi sita spelunca Quisquinensis :

Inventio *corporis* S. Rosaliæ *occasionem præbuit quærendi eodem anno et perscrutandi primam ipsius speluncam in monte Quisquinensi sitam. De illa jam egi ex Salerno* § XI, *quando narravi* S. Rosaliam *eo se recepisse. De inscriptione quoque ibidem inventa disputatum est* § 2. *Accuratiorem vero loci totius descriptionem hic me daturum monui, ubi enarrabo, quo modo in speluncam ipsam penetraverint aliqui, et laudatam inscriptionem ibidem detexerint. Quisquina mons et nemus quadraginta fere passuum millibus Panormo distat, et pars est montium late patentium, qui ab antiquis Græcis* Nebrodes C *dicebantur, ut existimat Cascinus lib.* 2 *cap.* 2. *Verum fatetur montem illum ab aliis minus longe extendi, et eumdem fieri cum monte illo, qui* Madonia *vocatur a Siculis. Quidquid autem verius sit de Nebrodis extensione majore aut minore, inter duos montes æquali fere altitudine surgentes, quorum alter ad Occidentem situs* mons Rosarum, *alter ad Orientem* mons Camerata *nominatur, testatur reperiri minora duo juga, quæ ab obscuritate vulgo* Coschina, *et levi mutatione* Quisquina, *saltem pro parte fuerunt dicta. Ex hisce Vincentius Auria in Vita* S. Rosaliæ *situm speluncæ Quisquinensis sic breviter describit :* Sita est spelunca Quisquinensis, quadraginta milliaribus distans Panormo versus Meridiem, inter duo juga, quæ dependent a monte Rosarum ad Occidentem, et a monte Camerata ad Orientem. Distat ab oppido S. Stephani *(in cujus territorio est)* duobus milliaribus, quatuor Bivona. *Utrumque oppidum ad Occidentem speluncæ est, ad Orientem vero est fluvius,* Platani *vulgo dictus, et oppidum* Camarata, *quinque aut sex milliaribus dissitum. Loca autem hæc spectant ad diœcesim Agrigentinensem.*

AUCTORE J. S.

quo modo in illam penetratum sit :

270 *Hisce de externo speluncæ situ præmissis, quo modo inventa sit breviter subjungo. Duo fabri Panormitani Simon Tropiano et Franciscus Bongiorno, erant in oppido S. Stephani ad ædificandum ibidem conventum S. Dominici, quando vulgabatur fama de invento corpore* S. Rosaliæ *in monte Peregrino. Hi tacti cupiditate videndi speluncam Quisquinensem, cujus locus non erat ignotus incolis S. Stephani, cum quibusdam eo tendunt, ut speluncam perlustrarent. Verum, si credimus Cascino rem enarranti pag.* 168, *prima vice non potuerunt, nisi viam difficilem per nemus aperire, et locum designare, ubi altaris antiqui invenerunt reliquias, ut deinde cœpta prosequerentur. Locum iterum accesserunt cum sociis fere viginti in festivitate S. Bartholomæi, seu die* XXIV *Augusti, quando repererunt exiguum foramen. At illud tantum non erat, ut homini ingressum daret ad speluncam; nec erant, ad manum idonea instrumenta, quibus possent foramen istud dilatare. Qua de causa rursum redierunt domum, ut sequenti die, quæ Dominica erat, ad eumdem locum cum instrumentis suis regrederentur. Itaque regressi* XXV *Augusti,* E *comitantibus quadraginta circiter hominibus, angustum istud foramen ferreis instrumentis ita dilatarunt, ut tandem in speluncam potuerint penetrare.*

jurata testimonia de spectantibus ad speluncam,

271 *Hæc paulo fusius Cascinus, cui in hisce satis consonant jurata testimonia, quæ anno* 1642 *in oppido S. Stephani excepta sunt, mihique communicata, hoc præfixo titulo :* Testes recepti et examinati per curiam spiritualem terræ S. Stephani, et de mandato reverendi vicarii dictæ curiæ, ad petitionem et instantiam procuratoris fiscalis dictæ terræ, et cum præsentia et interventu dicti reverendi vicarii, super verificatione antiquissimi antri, seu gruttæ vocatæ DI SANTA ROSALIA, in monte nemoris exstantis in territorio hujus terræ, et in feudo Castaniæ, prope montem vocatum DELLA QUISQUINA, et miraculorum habitorum in dicto antro pro intercessione sanctæ Rosaliæ. *Mancusus in Historia part.* 1 *pag.* 102 *asserit, hosce testes, qui duodecim fuerunt, examinatos esse, quia veritas speluncæ Quisquinensis a nonnullis invidis in dubium vocata erat apud Congregationem sacræ Rotæ. Omnium autem testium relationes, Italico sermone scriptas, penes me habeo; at prolixiores sunt, quam ut integras huc traducere* F *lubeat. Quapropter, cum in plerisque eadem dicant mutatis verbis, aliqui tamen subinde quædam addant ab aliis prætermissa, ea solum excerpam, quæ ad pleniorem cognitionem speluncæ videbuntur conducere, aut ad corrigendos Cascini errores.*

ex quibus varia elucidantur de aperto antri ingressu,

272 *Primo consentiunt testes Cascino, asserenti ingressum speluncæ fuisse dilatatum per duos Panormitanos ante dictos quos plerique vocant* cæmentarios, *testanturque occupatos ibidem fuisse construendo monasterio S. Dominici. Verum non explicant, quoties cæmentarii illi, quibus alios etiam jungunt, locum accesserint : variique testes insinuant, ingressum speluncæ non semper tam angustum fuisse, sed paulatim fuisse obturatum per lapides decidentes. Secundo ait Cascinus pag.* 167, *quod notitia speluncæ Quisquinensis ita excidisset eo tempore, ut nihil fere superesset nisi solum nomen. At testes miro consensu asserunt, venerationem* S. Rosaliæ *ab immemorabili tempore viguisse apud dictam speluncam, ubi altare erat constructum, ita ut singulis annis in hebdomada Paschali agmen supplicantium*

cantium

AUCTORE J. S.

cantium ad locum procederet, et sacrum Missæ sacrificium in altari ante ingressum speluncæ constituto celebratur. Ita a se semper factitatum testis primus asserit cum juramento, tacto pectore more sacerdotali. *Erat autem ille* magnificus et reverendus dominus Nicolaus Perrello S. T. D. et archipresbyter terræ S. Stephani, *jam per annos circiter novemdecim, ut ipse rursum asserit, ita ut archipresbyter fuerit, et supplicantium agmen* cum omni clero *comitantibus PP. Prædicatoribus et Carmelitis, ad speluncam* S. Rosaliæ *duxerit ante hujus inventionem. Verumtamen a nullo teste assertum invenio, quod ullus umquam speluncam ipsam sit ingressus.*

de inventione inscriptionis

273 *Tertio testes consentiunt, inscriptionem* S. Rosaliæ *inventam esse hoc modo per cæmentarios Panormitanos prædictos, præsentibus aliis multis. Ubi ingressi erant, ad partem sinistram in saxo invenerunt crucis signum insculptum. Cum autem spelunca intus crustam ex humiditate contraxisset, excitati inventa cruce, cœperunt crustam illam in vicinia crucis detergere, atque ita, abrasa crusta, quam antiquissimam*
B *fuisse testes asserunt, litteræ saxis insculptæ patescere cœperunt, atque eo modo paulatim invenerunt inscriptionem, quæ data est* § 2, Ego Rosalia *etc. Adjungunt testes primo, non potuisse inscriptionem esse recenter sculptam, quia tam crassa et antiqua crusta erat obtecta. Secundo advertunt, vocem* HOC *sculptam esse in silice igniario, seu in pyrite, quod existimant fieri non potuisse humana industria, vel arte naturali. Asserit quoque archipresbyter, se nullam umquam dicta inscriptione habuisse notitiam. Secundus testis, Franciscus la Barbera, sacerdos ætatis sexaginta circiter annorum, addit festivitatem* S. Rosaliæ *cum magno populi concursu celebratam fuisse in altari, ante introitum speluncæ posito, die* IV *Septembris jam ante inventionem corporis ab immemorabili tempore, et præter supplicationem, quæ instituebatur tempore Paschali. De hisce quoque multi e sequentibus consentiunt. Addit etiam beneficia quædam suo loco relata aut referenda; variaque de imaginibus* S. Rosaliæ *ibidem servatis, quæ prætermitto.*

C

ejusque antiquitate,

274 *Tertius vero testis, Franciscus Pollara, sacerdos item sexagenarius, utramque Sanctæ festivitatem, populi concursum, beneficia generatim, aliaque jam dicta repetit. Item præterea adjungit, ope luminis, quocum intrarunt speluncam, crucem fuisse conspectam, ac deinde inscriptionem post crustam abrasam: inscriptionis autem litteras per cæmentarios istos, qui legere nesciebant, statim nigro carbone ulcumque fuisse expressas: quod et alii testes sequentes affirmant. Aliud factum mox dabo, ubi agetur de teste sexto. Quartus testis, Petrus Ficarrotta, sacerdos annorum quinquaginta et quinque, pleraque jam dicta confirmat; additque se aliquando interrogatum fuisse a viro nobili in urbe Sacca, an nosset speluncam* S. Rosaliæ. *Quod cum affirmaret, reposuisse nobilem illum, sibi esse notitiam, quod in illa spelunca prope introitum magnus esset thesaurus. Similiter medicus quidam Agrigentinus eidem dixerat, quod haberet notitiam, in dicta spelunca magnum esse thesaurum. Similiter testis octavus infra memorandus asseruit, sibi Saccæ dictum fuisse a quodam sacerdote thesaurum esse in spelunca Quisquinensi in quadam inscriptione et adjuncta cruce, ut narrat etiam Mancusus pag.* 103. *Quintus testis Joannes Gerardi in omnibus fere aliis* D
consentit, narratque cum duobus aut tribus aliis, oppidum S. Stephani præservatum fuisse ope S. Rosaliæ *a pestilentia, sicut expositum est num.* 181.

de beneficiis impetratis


275 *Testis sextus fuit Sigismundus de Gerardo, notarius septuaginta quatuor annorum, qui in plerisque consonat aliis testibus, sed adjicit factum valde singulare, quod fere propriis scripti verbis subjungam. Affirmat Sigismundus se post inventionem inscriptionis cum famili sua venisse ad speluncam ex devotione ac pietate in* S. Rosaliam, *quemadmodum eo concurrebant alii multi; secum autem fuisse aliam familiam, in qua erat mulier energumena, nomine* Sigismunda Spinelli. Cumque isti testi et alteri familiæ adesset P. Joannes Baptista di Lingua Grossa, pater multum venerandus et sanctæ vitæ, ex Ordine S. Dominici, qui tunc erat vicarius conventus S. Dominici hujus oppidi *(S. Stephani,)* quique ibat cum dicto teste ad locum memoratum, ut sacrum Missæ Sacrificium offerret; cœpit dictus pater exorcizare et opem S. Rosaliæ implorare. Liberata fuit dicta in Spinelli, atque E
ex corpore ipsius exiverunt diversi spiritus maligni, egredientes sicut guttæ sanguinis, quas emittebat in terram, quæque momento evanescebant. Ipsa demum se humi projecit, acsi fuisset mortua: et reversa ad se, genua flexit coram altari dictæ sanctæ speluncæ, gratias agens Deo Domino nostro, quod per patrocinium gloriosæ sanctæ Rosaliæ esset liberata cruciatibus, quibus torquebatur a spiritibus istis malignis. Vixit deinde multis annis, et dies suos sancte finivit. *Idem de Sigismundæ Spinelli liberatione testatus est brevius Franciscus Pollara sacerdos, et tertius testis: et uterque generatim testatur, multos infirtunc in eodem loco fuisse sanatos, seque ibidem fuisse.*

a visitantibus

276 *Testis septimus erat Antoninus Maniscalco, filius Baptistæ Maniscalco, et incola S. Stephani. Hic generatim testatur, multa beneficia sanationum obtenta esse in spelunca* S. Rosaliæ, *quæ vidit præsens. Nominatim vero de se juratus affirmat, quod, dum parvulus erat, gravi labararet hernia, intellectisque* S. Rosaliæ *beneficiis, votum fecerit eidem Sanctæ, ac inviserit speluncam Quisquinensem, comitante Francisco* F
la Barbera sacerdote, ut gravibus herniæ cruciatibus liberaretur S. Rosaliæ *patrocinio. Cum autem eo pervenisset, ut speluncam videre posset, calceos deposuit, et nudis pedibus ad speluncam perrexit. Verum priusquam ad locum pervenisset, sanum se sensit omnique prorsus hernia liberatum, prout sanus erat, dum ista testatus est. Sanus igitur ad altare* S. Rosaliæ *pervenit, eique de obtento beneficio gratias egit, ac deinde sanus domum est regressus. Memoratus autem Franciscus la Barbera sacerdos, qui est testis secundus, idem beneficium cum omnibus adjunctis affirmavit, seque illud vidisse testatus est. Tempus obtenti beneficii non expressit Antoninus ipse: at laudatus la Barbera asseruit istud contigisse septemdecim circiter annis ante testimonium suum, datum anno* 1642, *mense Februario, ita ut verisimiliter contigerit anno* 1625, *aut sub finem anni præcedentis, certe post inventionem inscriptionis. Porro laudatus sacerdos la Barbera testatus est, se eo tempore post votum* S. Rosaliæ *nuncupatum gravi morbo fuisse liberatum; atque eam fuisse causam, cur tunc adiret speluncam* S. Rosaliæ, *Missam ibidem celebraturus.*

277 *Octavus*






D. Petrus Caccamisi delin.

Paris, V. Palmé

SACELLUM MARMOREUM S. ROSALIÆ IN METROPOLI PANORMITANA.




Sito della Grotta di S. Rosalia in Quisquina ò Monti Rosi.



Pianta della Grotta di S. Rosalia in Quisquina ò Monti Rosi

Lith. du Sénat Barousse, Paris.



Scala di canna una.

Palmo 1 2 3 4 5 6 7 8

Lith. de Sennt Harousse Paris

speluncam,

A 277 *Octavus testis, Nicolaus Comparetto, civis S. Stephani natus annos septuaginta quinque, asseruit pleraque jam dicta ab aliis, et nominatim relata de eo num. 274, uti et mox dicenda a socio sequente. Præterea testatus est, dum dilatabat cum aliis introitum speluncæ, lapidem dilapsum in coxam suam incidisse sine læsione, quod attribuit patrocinio S. Rosaliæ, quam invocaverat. Nonus testis fuit Franciscus Cattano, qui adfuit inventioni inscriptionis, et omnia enarrat, sicuti jam exposita sunt. At unum adjungit, quod aliis rectius scire potuit, nimirum operarios, qui ingressum speluncæ ditatarunt, eo fuisse missos mandato magistratuum S. Stephani, qui* jurati *dicuntur. Missi autem fuerunt ipse Franciscus Cattano et Nicolaus Comparetto, ejusdem oppidi incolæ, cum duobus Panormitanis ante nominatis. Testis decimus erat unus ex juratis S. Stephani, ætatis annorum fere septuaginta duorum, cui nomen* Dominicus di Minardo. *Hic testatur, se tempore inventionis delegatum fuisse ob pestilentiam tunc in vicinia regnantem, atque ea de causa misisse quatuor mox dictos* B *operarios, quos nominat, ut dilatarent ingressum speluncæ* S. Rosaliæ. *Addit se post inventam inscriptionem in spelunca fuisse, eamdem exscripsisse, ac misisse ad dominum Joannem Ventimiglia, tunc terræ S. Stephani gubernatorem. Idem, ut omnes fere alii, locupletissime testatur de perpetua traditione habitationis* S. Rosaliæ, *de devotione populi erga Sanctam, multisque beneficiis ejus patrocinio : et nominatim de matre sua Cæcilia affirmat, eam solitam fuisse singulis diebus Mercurii nudis pedibus speluncam invisere ob beneficium per* S. Rosaliam *impetratum. Undecimus testis, Vincentius die Giorgenti, pleraque jam dicta confirmat, exceptis factis particularibus.*

et ab incolis S. Stephani : brevis observatio de ingressu.

278 *Duodecimo demum loco simul testantur jurati oppidi S. Stephani, confirmantque inventam inscriptionem modo jam exposito, quem miraculo attribuunt ob crustam antiquissimam et durissimam, qua saxum simul cum inscriptione erat contectum. Eadem de causa affirmant, inscriptionem non potuisse recentem esse, sed fuisse antiquissimam. Confirmant etiam cum omnibus fere prædictis testibus, speluncam istam et nemus ab* C *immemorabili tempore fuisse nominata,* nemus et speluncam S. Rosaliæ *(vulgo* il bosco e grotta di S. Rosalia.*) Præterea asserunt, oppidum S. Stephani numquam peste infectum fuisse, quamvis illa in Sicilia, et in vicinis etiam oppidis frequenter sævierit. Hanc autem gratiam merito attribuunt patrocinio* S. Rosaliæ, *præsertim si perpendamus factum num.* 181 *relatum, quod a variis ex hisce testibus confirmatum est. Demum ex hisce testibus observo, verisimiliter errare Cascinum, dum lib.* 2 *cap.* 8 *existimat ingressum speluncæ, de quo dilatato egimus, numquam fuisse usitatum a* S. Rosalia, *quod foramen istud esset nimis angustum. Nam omnes fere asserunt, foramen tractu temporis et decidentibus lapidibus obturatum esse, ita ut antea potuerit, esset majus. Qua de causa, cum altare eo loco fuerit constructum, cujus ignoratur initium, magis credo* S. Rosaliam *per eamdem partem ingressam esse et egressam.*

§ XXVII. Descriptio speluncæ, prout in varias partes dividitur, ex Cascino cum tabula adjuncta : loci ejusdem veneratio usque ad hæc tempora.

Spelunca Quisquinensis in decem cellulas divisa :

Cascinus lib. 2 *cap.* 8 *accuratam dat descriptionem antri Quisquinensis, in varias partes divisi, una cum situ, et ichnographia dictæ speluncæ in eadem tabula repræsentatis. Tabulam huic loco insero, distinctam cyfris Arabicis et litteris. Cyfræ hæ designant cellulas varias totius speluncæ ; litteræ vero portas seu transitus angustos, quibus ab una cellula ad aliam transitur. Primo autem observat Cascinus, speluncam non extendi recta versus profundum montis ; sed statim ab ingressu deflectere ad dexteram versus Occidentem. Secundo totam dividit in duas partes* E *primarias, quarum prima in septem cellulas, seu potius cavernas, dispescitur : secundam vero partem, ad quam deflectendo ad sinistram per sextam cellulam pervenitur, in tres cellulas distinguit, ita ut decem omnino cellulas tota spelunca contineat, prout in figura videre licet. Hisce universim observatis, singulas speluncæ partes cum Cascino perlustrabimus.*

prima illius porta :

280 A. Prima est apertura, quæ hodie sicut porta æqualis est solo : verum quando inventa est XXVIII *(imo* XXV*)* Augusti anni MDCXXIV erat instar fissuræ, quæ tamen saxum non dividebat usque ad terram, quia duobus palmis a superficie terræ finem habebat ; eratque tam angusta, ut nonnihil quidem luminis admitteret, sed corpus humanum non caperet. *Hæc Cascinus, plura adjungens pro opinione sua, qua existimabat* S. Rosaliam *per illam partem nec ingredi potuisse nec egredi. At jam observavi, portam illam paulatim obturatam et angustiorem factam ; ideoque sententiam illam Cascini minus videri probabilem. Quidquid porro sit verius de parte, per quam olim ingressa est* S. Rosalia ; F *portam recte descripsit Cascinus, prout inventa est, et sicut fuit dilatata, addens nunc per portam illam in speluncam intrari duorum graduum descensu.*

prima cellula, in qua inventa inscriptio :

281. 1. Prima est cellula, quæ, resecta aliquantisper rupe, quando aperta est antiqua fissura, et sic dilatata, ut fieret porta, sicuti dictum est, nunc duplo est major. Prima ejus longitudo erat quinque palmorum et medii, latitudo quatuor : atque ita ad inferiora descendebatur, ut quis superne regredi posset sine gradibus, saxum aliquod solummodo aut surculum apprehendendo. Nunc autem duplo majus est spatium, quia instar cubiti incurvata est. Inter utrumque foramen ejusdem cellulæ descenditur per duos alios gradus, et sic proceditur, stante ad sinistram rupe utcumque alta, lævi, et lineis variata, seu a natura in plures lineas distincta, in qua inventa est nobilis illa inscriptio, . . . quæ novem est versuum inæqualium, prout lævitas rupis admittebat litteras ferreo quodam instrumento insculpendas. Litteræ sunt altæ duobus digitis, beneque cavatæ et profundæ. Verum cava illa tractu temporis impleta sunt saxo adnascente, sic tamen, ut materia cavis innata distinguatur.

AUCTORE J. S.

stinguatur. *Ita Cascinus de cellula prima. Inscriptionem autem duplici modo æri incisam dedi ad* § 2.

transitus alter : cellula secunda et tertia quasi una :

282 B. Secundum est foramen, seu porta ad transeundum ad secundam cellulam, relicta ad sinistram inscriptione. Foramen hoc est solo propinquum, humile et angustum : ac illud ingrediens inclinare se debet, nec obeso sit corpore oportet, cum illi etiam, qui mediocri sunt corporis mole, difficulter intrare valeant.

2. 3. Hi numeri secundam et tertiam designant cellulas, simul descriptas, quia ambæ quasi unam exiguam formant, aut porticum modicam, ad palmos sexdecim et medium extensam : quam tamen in duas divido partes, quarum minor uno solum passu est longa; et deinde in parte majore dilatatur, *(post litteram* C *scilicet.)* Altitudo exacte mensurari nequit. Verum quoniam prima est quindecim palmis elevata, aliæ duæ plusquam viginti palmis sunt altæ : superius conjunguntur duo parietes, et se incurvando formant angulum acutum, aut subinde quasi forfices. Atque id fit per per totam speluncam, præterquam ubi aliud quid particulariter notabo.

B

transitus tertius : cellula quarta, in qua lectulus

283 C. Tertium est foramen, per quod ad quartam cellulam ascenditur : atque illac etiam difficulter transitur.

4 Sequitur quarta cellula, quæ a recta linea parumper vergit ad sinistram. Hic solum est altius quam in præcedente atque etiam in sequente. Ipsa quoque est angustior, lata duobus palmis, longa quinque et medio; et justa ratione videtur esse in spelunca quasi exiguum cubiculum cum lectulo suo, quia intra terram et tectum habetur ibi quasi aliquod tabulatum, quod nonnihil a solo elevatum cellulam dividit. Habet fere figuram pedis aut trianguli, factum ex integra tabula lapidea in modum lectuli, in quo videtur Virgo solitaria dormivisse. Porro observandum est, quod quamvis alia omnia speluncæ saxa sint similia exiguis tabulis, hæc petra commodæ ad talem usum sit magnitudinis, cum latus sinistrum sit longitudine quinque palmorum, bases sex palmorum, latus dexterum sex et medii, et ad caput finiatur, ac latitudine sit palmi unius et medii. Ad hunc lectulum ascenditur ex prædicta cellula inferne introeundo per modicum foramen, quod simile est foramini felibus composito, apprehendendo lectulum et in illum ascendendo. Deinde foramine obturato, uti facile obturari potest, persona manet supra lectulum inclusa secreto mirabili, ibique commode dormire potest, si id dici possit de jacente supra nudam petram.

C

Sanctæ fuisse creditur :

284 Quod vero præcipue mirandum : non videtur petra illa ibidem nata, uti aliæ ejusdem speluncæ, sed portata aliunde (dicamus ibi ad prædictum usum a Deo collocatam) bene inserta, et pendens aliquantulum eo modo, ut persona ibi cubans habeat quasi cervical ad caput imponendum : ad latera vero assurgit rupes in circuitu clausa, et modice aperta versus cellulam jam dictam, acsi cortinæ essent appensæ; concurritque in fastigio per modum tentorii. Notandum insuper est, hanc solam partem manere siccam, quando hiberno tempore per totam pluit speluncam. O benevolum Dei affectum in adamatis servorum suorum asperitatibus! Cumque tota specus obscura sit et tenebrosa, hoc solo loco modicum luminis est, quod per aliquod spiraculum a parte dextera superne penetrat. *Hactenus Cascinus, cui varii e testibus ante memoratis eatenus saltem consentiunt, quod testentur quasi lectulum in spelunca esse inventum, ubi existimabant* S. Rosaliam *dormire solitam, licet locum tam fuse et exacte non describant. Redeamus ad Cascinum.* D

reliquæ cellulæ partis primæ cum portis suis :

285 D. Est transitus, qualis est ad litteram C.

5. Hæc cellula est similis præcedenti. Per eam si quis transit ad latus sinistrum, in sublimi relinquit loculamentum, quod undique est quinque palmorum : at illud commode ascendere quis nequit.

E. Sexta est porta, qua ad sextam transitur cellulam.

6. Sequitur sexta cellula, sex palmis lata, longa novem. In duobus hujus lateribus duæ sunt fissuræ tenebrosæ, quæ vix hominem capiunt.

G. Septima est apertura ad ultimam cellam, quæ ad dexteram est sita.

7. Hæc pars est ultima et extrema, latitudine quatuor palmorum, longitudine quinque et medii. Non habet tectum sublime, et in modum forficum acuminatum, sed humile et cameræ simile. Videtur quasi scaphus *, et quasi fons a lateribus conclusus cum canali in medio, aut quasi os. Cur hanc latiorem fecerint, ruptis ad latera petris, quibus ibi E magis coarctabatur, prorsus ignoro, nisi ex pietate lapides auferre voluerint. Cellula tota obtecta est quadam quasi crusta candida, orta ex aqua, quæ ibidem stillat; licet ego locum invenerim siccum, quia ingressus sum mense Octobri, quando aquæ defecerant...

* nicchia

transitus ad partem secundam : cellula octava et nona:

286 H. Tandem est foramen, per quod, ut dixi, si quis regrediatur, penetrat in secundam ex duabus præcipuis speluncæ partem, quæ sita est ad sinistram. Depressius hic est solum, tantique horroris est locus, ut me retro præ horrore reciperem. Verum invocans Sanctam, me intro traxi summa difficultate, humi stratus inter saxa, præmittens brachium unum et humerum, repensque serpentis instar per totum istud primum spatium, ad quatuor palmos extensum, angustum, et tam depressum, ut illac penetrari nequeat, nisi eo modo. De tribus autem cellulis, quibus secundam hanc partem constare dixi,

8. Hæc prima est, quæ octo fere palmis est longa, minus quam tribus *(lata, opinor,)* alta duobus, et deprimitur sub fissura sinistra, quæ una est ex duabus sextæ cellulæ fissuris, de quibus supra est dictum. F

I. Est transitus.

9. Secunda est cella ejusdem longitudinis, et latitudinis quinque palmorum et medii.

transitus et ultima cellula ceteris major, in qua sedile :

287 L. Est transitus duobus palmis largus, tamquam ultima arca, ex qua intratur in tertiam cellulam, quæ est arx postrema et sancta cella sacræ hujus eremi.

10. Hic est sancta cella, reliquis omnibus major, quia in regressu excurrit usque ad primam cellulam, habens ad latus sinistrum secundam et tertiam *(primæ partis)* jam descriptas. Ab hac eadem parte habet collem seu sedile, quod non ortu naturali, sed arte ibidem est constitutum, et quidem sanctis illis manibus elaboratum credimus. Aptum est ad sedendum aut cubandum. Cella est quasi triangularis, sed concava ad latus dexterum, longa sexdecim palmis, alta duodecim, larga circa introitum sex palmis et dimidio, ac in medio fere sexdecim, ac tandem in angulum quasi acutum in fine coarctatur, circa quem latitudine est trium palmorum. *Hactenus Cascinus, ex cujus verbis aperte colligitur, ultimam cellam in figura minorem repræsentari, quam debuit, si justa proportio omnium esset servata.*

AUCTORE J. S.

A *vala. Nolui tamen ob modicum hunc defectum figuram immutare, ne deteriorem facerem.*

brevis in speluncam observatio.

288 *Laudatus vero auctor descriptionem speluncæ concludit his verbis :* Hæc est rupes, et abditum maxime latibulum habitationis tam asperæ, rigidum naturæ claustrum, factumque a Deo ad Sponsam tam charam illic recludendam; ab ipsa autem electum, ut sola cum ipso habitaret, non alia de causa, quam quæ manu ipsius scripta nunc melius intelligitur : " Amore Domini mei " Jesu Christi "; tam bene vero custoditum, ut unico arboris ramo ad primum os putei *, aut saxo, ubi est lectulus, aut demum exigua terræ quantitate, aut etiam sine ulla instauratione, in hac ultima caverna maneret reclusa, ita toti mundo sepulta, et cognita vivaque soli Deo. *Sic ratiocinatur Cascinus, insistens semper opinioni suæ, qua existimavit habitationem* S. Rosaliæ *nulli omnino mortali fuisse cognitam. Verum suo loco ostendi, opinionem illam minus esse probabilem; neque tamen idcirco negare volui, Sanctam maxime solitariam fuisse, et vitam duxisse valde austeram in hac spelunca.* B *Quippe, etsi certum foret, cibum modicum sustentando corpori Sanctæ a persona fideli allatum fuisse; animæque cibum eidem per sacerdotem fidelem fuisse administratum : non ideo vita* S. Rosaliæ *desineret solitudine et habitatione videri austerissima et vehementer miranda; sed solummodo magis imitanda videri posset illis, quibus divina gratia animum inspiraret tanto rigori parem.*

* i. e speluncæ

Reliquiæ S. Rosaliæ in oppido S. Stephani, ubi et sacellum ei structum,

289 *Porro, descripta priore illa* S. Rosaliæ *habitatione, lubet etiam adjungere breviter, qua in veneratione locus ille habitus fuerit usque ad tempora nostra. Documenta de iis, quæ hic narrabo, Patribus nostris Panormitanis humanissime communicavit excellentissimus dominus Josephus Emmanuël Ventimiglia, princeps Pulchri montis et Quisquinæ dominus, eademque Italico sermone conscripta nobis transmisit sæpe laudatus Castiglia noster. Horum fide nituntur facta posteriora, de prioribus vero egit etiam Cascinus lib. 3 cap. 8. Hic testatur, anno 1625 Joanni de Ventimiglia, S. Stephani domino per Cardinalem archiepiscopum ex reliquiis* S. Rosaliæ *datas esse duas particulas, quas thecæ, seu dimidiatæ* C *statuæ argenteæ includendas curavit, et per clerum honorifice transferendas ad oppidum S. Stephani die* XXV *Septembris anni 1625. Theca ibidem duplici clavi reclusa interim deposita fuit in ecclesia majore, donec ædificatum esset sacellum Sanctæ proprium, in quod reliquiæ illæ deinde fuerunt illatæ. Verumtamen hoc non est sacellum istud, quod ante speluncam ædificatum jam dicemus.*

item parva ecclesia ante ostium speluncæ erecta, ad quam instituitur supplicatio annua :

290 *Eodem anno 1625 a magistratu et populo S. Stephani ædificata est parva ecclesia, ante ostium speluncæ sic locata, ut pars altaris sit in ipso speluncæ ostio. Hac de causa, teste Cascino ibidem pag. 373, multum accrevit concursus populi, magna cum pietate et nudis pedibus eo properantis, tum a S. Stephani oppido, tum ab aliis locis vicinis. Supplicatio etiam, quæ ad eum locum instituebatur jam ante inventionem inscriptionis die Martis in hebdomada Paschali, majori solemnitate et frequentioris populi concursu peragi tunc cœpit, quia dimidiata statua, cui inclusas mox dixi Sanctæ reliquias, a supplicantibus eo deferebatur. Hæc Cascinus. Addunt monumenta mox dicta, festivitatem præcipuam illic celebratam fuisse die* IV *Septembris, quod item factum erat ante inventionem ab immemorabili tempore : deinde, nundinas quoque ibidem institutas fuisse eo tempore, eas permittentibus principibus, oppidi S. Stephani dominis : ac demum, quemdam eremitam Romanum, cui nomen erat* Sanctus de Sanctis, *sacelli diu fuisse custodem. Anno 1630, approbante duce Albuquerquio tunc prorege Siciliæ, et curante principe S. Stephani domino, tot reditus assignati fuerunt memorato sacello* S. Rosaliæ *ante speluncam, ut capellanus fuerit institutus, qui singulis diebus festis Missam ibi celebraret.*

cœpta ibidem anno 1693 congregatio eremitarum ;

291 *Ab hisce deinde collector illorum monumentorum transit ad facta recentiora, quæ ex Italico Latine reddo :* Anno MDCXC Franciscus Scasso, mercator Genuensis, impulsus divina inspiratione, relicta mercatura, statuit cum tribus ejusdem nationis sociis se recipere in speluncam Quisquinensem, et vitam ducere solitariam. Hoc suum propositum declarat comiti et principi domino Caietano Ventimiglia, Quisquinæ baroni et domino, qui prope supra dictam ecclesiam aliquot cellulas curat exstruendas. Anno MDCXCIII E frater Franciscus Scasso cum sociis se recipit ad habitationem illam eremiticam : et collectis fidelium eleemosynis, servataque ab ipso ad hunc usum quadam pecuniæ summa, et præsertim majori pecuniæ vi, a prædicto principe domino Caietano Ventimiglia liberaliter data, anno MDCXCVIII nova ædificata est ecclesia forma ampliori, quali hodieque cernitur; et cellæ eremiticæ mutantur in monasterium recte ordinatum. Eo tempore numerus eremitarum multum accrevit, aggregantibus se hominibus variæ conditionis, mercatoribus, militibus, professoribus.

quæ multum deinde crevit.

292 Omnes tamen erant laici, et omnino dependebant a prædicto principe loci domino, qui regulas, secundum quas vitam instituerent, ipsis præscribendas curavit per Religiosum summæ pietatis, et directorem spiritualem eisdem elegit P. Ludovicum Conti Societatis Jesu, habitantem in collegio Bivonensi, qui locus ipsorum eremo est vicinus. Hoc vivendi institutum longo tempore observarunt magna cum devotione : atque ita eremus eorum brevi tempore evasit ex celeberrimis Siciliæ sanctuariis. Comes et princeps F dominus Josephus Emmanuël Ventimiglia, qui in ditiones illas successit, omnesque consanguinei inclytæ hujus ac regiæ familiæ, non solum opibus suis promoverunt fabricationem ecclesiæ et eremi, quæ in fundis ipsorum sunt constitutæ; sed ecclesiam semper magis ditarunt ornamentis sacris, omnique supellectile necessaria. Census præterea assignarunt pro quotidiano Missæ sacrificio; ac demum continuas quotidie tribuunt eleemosynas ad sustentationem eremitarum, qui magno sunt numero, et perfecta vivunt observantia. *Ita de hisce eremitis* S. Rosaliam *utcumque imitantibus habent observationes, quas nobis transmisit humanissimus ac diligentissimus Castiglia, qui et humanitatem principis Josephi Emmanuëlis Ventimiglia et pietatem ejusdem erga* S. Rosaliam *multum commendat. Verum ab hac diverticulo Panormum redeamus.*

§ XXVIII.

AUCTORE J. S.

§ XXVIII. Graphis antri S. Rosaliæ in monte Peregrino ac templi, quod antro adhæret, nuper delineata : cultus Sanctæ ibidem celeberrimus.

Graphis antri et templi S. Rosaliæ,

Accuratam *satis speluncæ* S. Rosaliæ *descriptionem dedi* § 25, *cum adjuncta Cascini figura. Verum summa Panormitanorum erga sanctam hanc suam Patronam pietas me ad alia properare non sinit, priusquam novam loci ac templi præsertim delineationem lectorum oculis exhibeam. Quippe non litteris solum indicarunt Siculi se desiderare, ut Acta* S. Rosaliæ *multis illustrarentur figuris, sed etiam varias delineationes diligenter collegit, ac humaniter transmisit sæpe laudatus Castiglia. Ex hisce vero præcipuas elegi suis locis Commentario inserendas.* B *Quapropter delineationem antri et templi, cui hunc titulum præfixum invenio,* Graphis antri S. Rosaliæ in monte Ercta, ac templi, quod antro continenter adhæret, *incisam hic exhibeo eadem omnino magnitudine, qua fuit transmissa.*

cum annotationibus figuram explicantibus :

294 *Annotationes vero figuram explicantes huc similiter transfero.* Templi sanctæ Rosaliæ in Erctensi monte, post sacri corporis inventionem a Panormitano senatu amplificati, ac magnifice ornati, una cum antro, cui continenter adhæret, exactam graphidem in hac figura exhibemus, atque his litteris illustramus.

A. Arcus, qui sacram cryptam ab intecta templi parte dividit.

B. Sacræ cryptæ profunditas.

C. Altare eo in loco exstructum, in quo S. Rosalia animam Deo reddidit.

F. Cryptæ alterius foramen, intimum sanctæ Virginis domicilium.

L. Templi pars intecta.

M. Foramina ad colligendas aquas pluvias, quæ deinde per subterraneos meatus in cisternam se recipiunt.

C N. Pars montis in dextera templi parte.

O. Puteus ad peregrinorum commodum excavatus.

P. Arcus, qui tectam templi partem ab intecta dividit.

Q. Templi tecti navis. *Hactenus annotationes Latine scriptæ iisdem omnino verbis. Solum in hisce observari potest, litteras eodem etiam modo fuisse positas, ne quas omissas credat lector, quia ex ordine alphabetico nonnullæ desiderantur.*

cura Panormitani senatus de hac ecclesia :

295 *Porro annotationes quoque aliquot subsequuntur, ad cultum* S. Rosaliæ *spectantes. Ex hisce, ne sim justo prolixior, præcipuas solum huc transfero.* Anno MDCXXVII delecti sunt a senatu nobiles aliquot, ut una cum Societatis Jesu sacerdote omnimodo sacri antri cultui, ornamentisque invigilarent. De hoc nobilium conventu, quem Siculo sermone DEPUTATIONEM dicimus, loquitur P. Amato de Principe templo pag. 247 : P. Mancusi Istoria di S. Rosalia tom. I pag. 306. Nostra hac tempestate prædicti nobiles septem sunt, ex quibus unus exprætor, quatuor exsenatores, unus e Societate Jesu theologus, et e mercatorum numero alter. *Videri de his ulterius possunt laudati Amatus et Mancusus, ex quorum verbis facile colliget lector, pietatem Panormitanorum adeo non decrevisse, ut etiam incrementum ceperit : initio enim quatuor solum fuere deputati; nunc vero septem sunt; nec modicam illi habent pecuniæ summam ad locum ornandum.* D

296 Sub ara antri maxima, eo ipso in loco, ubi sacræ inventæ sunt reliquiæ, pulcherrimum ex marmore D. Rosaliæ simulacrum collocatum est, opus Francisci Tudisco Florentini (Amato de Principe templo pag. 471) eo situ, ut morientem Virginem repræsentet... Huic simulacro nobilissimam ex argento vestem sacravit magnus Hierosolymitani * Ordinis magister, Gregorius Caraffa Neapolitanus, quod D. Rosaliæ beneficio terrible pestis incendium, Melitam anno MDCLXXVI devastantis, conquieverit. (Amato de Principe templo pag. 244.) In præsentia vero prædicti nobiles huic antro addicti vestem curant ex auro solido gemmis distinctam, cujus pretium, addito etiam pretio coronæ ex auro, ejus capiti impositæ die XX Aprilis an. MDCCXXVII; nec non Christi e cruce pendentis simulacri, et lilii, quod utrumque ex auro solido præ manibus habet, E quinque aureorum millibus penditur. Sunt et alia inibi ex argento pretiosa ornamenta, quæ summam colligunt trium millium aureorum.

pretiosa illius supellex :

* *nunc* Melitensis *vulgo dicti*


variæ festivitates ac frequens populi concursus :

297 Ter in anno D. Rosaliæ festum inibi non sine pompa celebratur, die scilicet Dominica, quam IN ALBIS dicimus : quo die plenariam criminum indulgentiam Romanus Pontifex anno MDCLII largitus est. (Auria Rosa celeste pag. 108, *ubi bullam Innocentii X edidit.)* Pridie Nonas Septembres, et octavo Kal. Augusti. Verum tertio quoque anno singulari celebritate ac populi concursu, senatusque Panormitani interventu, sacratissima Eucharistia ibi publicæ omnium adorationi proponitur quatuor continenter diebus. De populi vero frequentia id scitu dignum est, nullum ferme diem præterire, vel nubilum, vel pluvialem, vel æstuante sole fervidissimum, quin civium aliquem vel advenarum, peregrinantium ritu eo se conferentem aspiciat. Nonnulli etiam feruntur ad antrum pedites in dies singulos accedere (distat porro antrum quatuor milliaria ab urbe.) Morem hunc religiose servavit viginti prope annos frater Joseph Glorioso, laïcus Dominicanus ex oppido Montis majoris in Sicilia, qui, F cum in Panormitano sanctæ Zitæ cœnobio ædituum ageret, singulis diebus post Vesperas ad sacrum D. Rosaliæ antrum accedens, ad Completorii signum ex munere suo edendum numquam non est reversus. *Hactenus Castiglia, qui et alia quædam memorat, nimiæ prolixitatis causa omittenda.*

delineatio viæ per montem Peregrinum factæ,

298 *Verum cum relatum sit, quam crebræ peregrinationis fiant ad sacram* S. Rosaliæ *speluncam; cumque olim ad illam via non pateret nisi difficillima per montis prærupta, juvabit lectorem etiam docere, quo studio quibusque impensis Senatus Panormitanus viæ difficultates imminuerit. De monte Peregrino, olim* Ercta *dicto, agit Cascini Opus in Appendice seu Digressione* I *cap.* 2. *Satis erit hic præmonere, speluncam* S. Rosaliæ *sitam esse in parte montis Septemtrionali, non versus Panormum, sed versus mare. Hac de causa, cum Panormus Meridiem versus sit sita, prospectum montis Meridionalem cum viis per montem complanatis dilineatum accepi sub hoc titulo :* Erctæ montis prospectus Meridionalis ex collegio maximo Societatis Jesu, *eumdemque æri incidendum curavi, qualem hic exhibeo.*

299 *Hasce*



Scala di Canne Siciliane

Lith du Senat Barousse Paris.

A 299 *Hasce vero annotationes figuræ delineatæ addidit Castiglia:* Consueverunt Panormitani, etiam ante effossum D. Rosaliæ corpus, Erctam religionis causa accedere. Nullum tamen, nisi præruptum ac præceps, dabatur in monte iter: atque etiam illa, quæ civibus frequentabatur, semita, quamque vulgo SCALAM dicebant, (ubi S. Rosalia Vincentio Bonelli se videndam exhibuit, *ut relatum est num.* 227) ardua nimis et acclivis, ac non nisi ingenti cum difficultate prætereuntium vestigia excipiebat. Hæc ad duo milliaria protendebatur ad montis antrum, quod Aquilonem prospectat. Jam, inventis tandem Dei beneficio D. Rosaliæ reliquiis, ac sedulo recognitis, Panormitanus senatus civium pietati consulens et commodo, æquissimam prærupta inter saxa viam, solidissimis circumductam muris, arcubusque firmissimis sustentatam instruxit: quam non pedites tantum levissimo labore, sed equites etiam, ac vecti gestatoria sella, vel curru equis juncto, facillime percurrant. Viam hanc complanare cœpit senatus proximis ab inventione sacrati corporis temporibus. Auctorem habemus P. B Cascini lib. 3 cap. I pag. 335: qui etiam docet in perrumpenda dumtaxat ac rescindenda immanium saxorum mole, multa aureorum millia senatum consumpsisse. Deinde in nova via struenda ab anno MDCLXXIV, quo cœpta est, ad MDCCXXV, quo perfectam absolutamque III Idus Maias refert Amatus de Principe templo pag. 237, aureorum prope duodecim millia idem senatus Panormitanus impendit.

et annotationes,

300 Ut lectoribus aliquo modo consuleretur, has addidimus litteras cum adnotationibus. Adjecimus item scalam palmorum, ad quam dirigi potest, quidquid in apposita figura minus exacte delineatum est.

quibus explicatur figura

A. Caput viæ, ab imis montis radicibus usque ad sacrum antrum lapidibus stratæ. Primus hic viæ ductus longitudinem habet ulnarum sive cannarum Sicularum CCXLV, latitudinem cannarum duarum, et palmorum sex.

B. Initium arcuum ad sustentandos quatuor viæ flexus in præruptissima montis parte. Tres primi hujus viæ arcus latitudinem habent cannarum duarum, altitudinem cannarum duarum, palmorum C sex.

C. Octo alii ejusdem viæ flexus in eadem prærupta montis parte.

D. Ædes prima cum D. Rosaliæ imagine, ad fornicis formam exarcuato opere, exstructa in faciliori præcipitis viæ loco. Altera ejusdem formæ ædicula ex hac parte intuentibus non subjacet: adversis inest montis rupibus: hanc littera E præsignat.

F. Specula intecta, in qua D. Rosaliæ est simulacrum intra ædiculam, cui crux superimposita est: quæ constratam viam claudit, et Meridionalem terminat prospectum.

G. Turris speculatoria in editiori montis fastigio sita, quæ Æolias usque insulas prospectat, ac cives monet...

Inter F et G in Boreali montis parte, post brevem viæ descensum, cannarum videlicet CLXXX, sacrum D. Rosaliæ antrum jacet.

In eo montis loco, qui Tyrrheno imminet mari, surgit ampla porticus, XII arcubus et columnis XVI clausa, in cujus vertice marmoreum D. Rosaliæ insidet simulacrum, altitudinis palmorum XXIV. Hanc statuam, anno MDCLXIII impositam, iteratis tormenti ictibus prætereuntes naves, ne Turcarum quidem demptis, et apposita prece consalutant. Vide P. Amato pag. 237, P. Mancuso tom. I pag. 303, Auria Rosa cœleste pag. 131. *Hactenus diligentissimus Castiglia, cujus observationibus nihil necesse est addere.*

AUCTORE J. S.

§ XXIX Sacellum Sanctæ in ecclesia metropolitana structum; in hoc servatur arca pretiosa, in qua ejusdem Sanctæ corpus.

Sacellum S. Rosaliæ in æde maxima structum

De *sacello, quod* S. Rosaliæ *exstructum est in æde principe Panormitana, seu in metropolitana ecclesia, jam aliquid alia occasione dictum est* § 23 *num.* 251. *Plura de eodem narrat Cascinus lib.* 3 *cap.* 3; *et Amatus jam sæpe laudatus pag.* 247 *et sequentibus. Brevius vero de illo* E *agunt Auria in Rosa cœlesti pag.* 95, *et Mancusus in Historia tom.* I *pag.* 304. *Tabulam, quæ exteriorem hujus sacelli et interiorem prospectum exhibet, una cum dextero ejusdem latere, delineatam ceteris addidit Castiglia, hoc adjecto titulo:* Scenographia sacelli marmorei, in Panormitano principe templo a senatu erecti, in quo arca reliquiarum D. Rosaliæ servatur. *Hanc eadem forma et extensione incisam hic repræsento.*

sumptibus maximis et mira elegantia:

302 *Annotationes Castiglia subdit sequentes:* Marmoribus versicolores lapides inserendi artem invenerunt primum Panormitani sculptores, eaque primum usi sunt in sacelli hujus parietibus contexendis. *Franciscus Baronius in Opere de Majestate Panormitana lib.* 3 *cap.* I *de illo sacello sic loquitur apud Amatum pag.* 250: Sileo sacellum in æde maxima D. Rosaliæ a fundamentis excitatum, quod operis elegantia, ac pretiosorum lapidum vel pulchritudine vel dispositione, non regium modo est, sed etiam par illi alterum in Sicilia tota non agnoscitur: a quibusdam Italis equitibus accepi, cum forte primam hujus sacelli frontem contemplarentur admirabundi, Italiam universam simili opere gloriari F non posse. *Idem lib.* I *cap.* 3, *si locus recte assignetur apud Amatum:* Arcus quidem totus eorum lapidum generibus convestitur, qui auri argentique pretium exæquant. Sunt, qui affirment senatum Panormitanum minus quidem insumpsisse *(seu insumpturum fuisse,)* si id ex argento struxisset. Architectura singularis, lapidum dispositio mirabilis: ita enim alter alteri cohæret, ut ex unius pulchritudine alterius pulchritudo commendetur: nonnulli sic micant ex intervallo calculi, ut structuram omnem vel animare vel illustrare mirum in modum videantur. *Hæc ille, qui si forte cum nonnulla exaggeratione loquatur de sumptibus sacelli; dubium tamen non relinquit, quin fuerint maximi. De hisce laudatus Castiglia notat sequentia:* Sane ex publicis senatus Panormitani tabulis cognovimus, eumdem senatum aureorum, sive scutorum Siculorum tredecim millia ad id persolvisse anno MDCXXV: deinde anno MDCXXXIV, quo sacellum perfectum est, summam aliam scutorum trium millium quingentorum solutam esse: quæ si primæ addatur, ad scuta Sicula 16500 totius sacelli pretium pertingit.

 303 *Idem*

AUCTORE J. S.

cura Panormitanorum de illo sacello,

303 *Idem deinde alia subjungit his verbis :* Ut hujus sacelli sedula habeatur cura, excellentissimus senatus Panormitanus duos canonicos eligit deputatos ex capitulo ejusdem templi. Nunc eorum unus est illustrissimus dominus Alfonsus Fernandez de Medrano Panormitanus cantor (prima dignitas post pontificalem) et judex tribunalis regiæ monarchiæ in Sicilia, qui ob egregium, quo æstuat, amorem erga D. Rosaliam, summo studio multis argenteis candelabris, vasis, aliisque hujusmodi ornamentis sacellum mirifice illustravit. Alter est canonicus Antoninus Mongitorius Panormitanus, qui inter alia D. Rosaliæ Vitam compendiose edidit, et Opus scripsit nondum editum, quo enarrat cultum D. Rosaliæ per universum orbem diffusum. *His recentiori manu de Mongitorio addit :* Obiit tantus vir maximo civium mœrore Panormi die XXIX Maii MDCCXLIII. *Mox vero ita prosequitur :* Benedictus XIII P. M. indulgentiam clargitus est omnibus Christi fidelibus hoc sacellum visitantibus, ut etiam cryptam ejusdem virginis Rosaliæ in monte Peregrino. Insuper ut
B pro qualibet Missa, in utroque loco a quocumque sacerdote celebrata, a purgatorii igne liberaretur anima, pro qua Missa celebratur, ut *(habetur)* ex concessione data Romæ XXVI Junii an. MDCCXXVIII.

dona pretiosa eidem oblata,

304 Pendent ante sacellum nonnulli argentei lychni, qui perpetuo ante Virginis reliquias ardent: inter quos unus affabre elaboratus, dono missus a civitate Neapolitana anno MDCLVII, ob liberationem a peste, eodem anno ope nostræ Virginis *(obtentam, teste Auria in Rosa cœlesti pag.* 119.) Alter oblatus ab Hierosolymitano equitum Ordine, ob Melitam insulam anno MDCLXXVI a peste liberatam. Binos etiam lychnos crystallinos egregie fabrefactos anno MDCCXXII archiepiscopus Panormitanus, Fr. D. Joseph Gasch S. Rosaliæ virgini obtulit in sui erga Virginem obsequium. Alium denique argenteum ingentis molis ac mirifici artificii dedit Victor Amedeus, Sabaudiæ dux, tunc Siciliæ rex *(postea rex Sardiniæ, ac hodierni Sardiniæ regis pater.)* Libras pendet 399, aureis stetit 5000. Frequentissimus est quotidie populi Panormitani aliorumque concursus, ut D. Rosaliam veneretur.

variæ ibidem Sanctæ festivitates.

C 305 Quanto autem splendore ac dignitate in hoc principe templo celebretur anniversarius dies festus D. Rosaliæ Idibus Juliis, refert P. Amato pag. 252, et P. Mancusi tom. I Hist. pag. 310. In eo festo quotannis quatuor millia aureorum collocantur a senatu Panormitano. *Festivitas ea est inventionis reliquiarum. Addit demum Castiglia :* Panormi ac per totum Panormitanæ civitatis territorium dies quartus Septembris singulis annis ex præcepto colitur, jussu eminentissimi Cardinalis Doriæ. Inibi etiam idem fit Idibus Juliis ex edicto ejusdem. *Prima festivitas celebratur ritu duplici primæ classis cum Octava ; altera ritu duplici secundæ classis ; sed utraque est de præcepto, ut habet Amatus pag.* 251 *et* 252, *ubi plura videri possunt.*

Arca pretiosa, in qua Sanctæ corpus servatur,

306 *Cascinus lib.* 3 *cap.* 2 *et Amatus pag.* 250 *late agunt de arca pretiosa, cui inclusa servantur* S. Rosaliæ *ossa sacra. Duas hujus arcæ partes accurate delineatas cum annotationibus suis nobis transmisit Castiglia. Priorem, quam hic exhibeo, designat is titulus :* Facies anterior arcæ argenteæ, in qua D. Rosaliæ reliquiæ servantur. *Titulus autem hasce observationes adjunxit diligentissimus adjutor :* Ut facilius, quæ in D hac arcæ facie descripta sunt, intelligantur; literas addidimus, quarum hic explicationem subnectimus.

A. Inscriptionem continet, quam refert Cascinus pag. 338, et Amatus pag. 251. Ea autem fideliter ex ipsa arca descripta sic habet : " Philippo IV rege nostro felicissimo, D. Fran- " cisco Fernandez de la Cueva duce Albuquer- " quii prorege humanissimo, S. Rosaliæ patriæ " servatrici D. Franciscus Valguarneræ princeps, " Assori comes, prætor. Cap. D. Petrus Pala- " cio, Horatius Lomellino, D. Carolus del " Voglia Campixiano, Andeas Vespasiani Aglia- " ta, Franciscus del Colle, Simon Bonaccolti, " senatores arcam hanc quinquemestri properato " absolutoque opere perfectam ære publico ex " voto D. D. anno MDCXXXI ". In ejusdem arcæ parte postica hæc alia leguntur : " Urbanus VIII. P. O. M., Panormitanæ pietatis, felicitatis amplificator, S. Rosaliæ virginis solemnes, qua nata quaque inventa in terris, dies Ecclesiæ fastis adscripsit, A. D. MDCXXIX, Pont. VI. Joannettinus Doria S. R. E. C. Archiep. Panorm. corpus divinitus repertum, probatum, colendum exposuit, anno jubilæi MDCVXV. Sen. Pan. argento inclusit MDCXXXI. E D. Franc. Valguerneræ princeps Præt. Cap. D. Palacio, Horatius Lomellino, Carolus del Voglia Campixiano, Andreas Vespasiani Agliata, Franciscus del Colle, Simon Bonaccolti PP. CC.

variis observationibus illustrata :

307 B. Orationem S. Rosaliæ exprimit. Ibi ea inscripta sunt, quæ refert Cascinus pag. 336. *Verba sunt :*

Preces Deo rosarum instar in calathis mittit :
Angelorum obsequia, et munera florum refert.

C. Contemplationem ejusdem Virginis cælatura exprimit in arcæ operculo. *Verba apud Cascinum assignata hæc sunt :*

In Erctensi foramine abdita liberius cælo fruitur.

D. In arcæ item opusculo S. Rosalia coronam precum sanctissimæ Dei Genitrici offert. *Verba insculpta ex Cascino accipe :*

Coronam laudum Deiparæ profert,
Solennem posteris orandi ritum.

Hujus arcæ argentum (auctor est P. Cascini et P. Amato locis citatis) est pondo librarum 1750. F Verum canonicus Antoninus Mongitore in libro Ms. de Templis Panormitanis pag. 311, postquam solertissime consuluisset publicum accepti et expensi codicem, comperisse se testatur, hujusmodi argentum libras circiter 1300 complere. Ex eodem Antonini Mongitore libro Ms. cognovimus prædictæ arcæ artificium et argentum 18460 aureis stetisse; nec multum distare videtur a P. Joanni Amato sententia, qui totius arcæ materiam et opus ipsum ad aureorum 20000 summam pertingere contestatur. Sed publicæ senatus tabulæ novissime consultæ summam scutorum Siculorum 21000 ostendunt.

ea ter quotannis exponitur, et subinde in publicis necessitatibus,

308 *Amatus de Principe templo pag.* 106 *et* 107 *docet, quo apparatu singulis annis Panormi in ecclesia metropolitica exponantur sanctorum patronorum arcæ reliquiariæ, et quibus diebus iter quotannis* S. Rosaliæ *arca exponatur in medio templo pridie festivitatis, videlicet* X *Januarii ob terræ motus, de quibus postea ;* XIV *Julii ob inventionem sequenti die celebrandam ; et* III *Septembris, quia postea die præcipua celebratur Sanctæ festivitatis. Præterea quando periculum aliquod pestilentiæ ingruit, aliis quoque diebus subinde exponitur. Lubet referre, quid*

actum

A *actum sit nuperrime, dum anno* 1743 *gravissima pestis Messanam afflixit: nam cum non dubitarem, quin Siculi in tam manifesto periculo opem* S. Rosaliæ *implorassent, rogavi, ut mihi perscriberetur, si quid factum esset notatu dignum. Plura collegit humanissimus Castiglia, suo loco observanda; at unum huc maxime spectat, quod, servatis verbis ipsius, huc transfero.*

prout factum anno 1743 ob pestem

309 Ut Panormi, *inquit*, cognitum est de navi, quæ ad Mamertinum portum elapso anno MLCCXLIII appulerat, et contagionem cum mercibus ex Missolongio vehebat; expeditæ sunt confestim ad illius urbis senatum litteræ ab excellentissimo prorege Bartholomæo Corsini, et excellentissimo Panormitano senatu, in quibus necessariæ accensebantur cautiones de navi longius a littore comburenda; utque sedulo curaret, ne quid intra urbem inferretur, quod luem civibus afflaret. Interea vero publico Panormitanorum cultui proposuit idem Exc. senatus D. Rosaliæ reliquias novem continenter diebus V Kal. Junias.

Messanæ sævientem

310 Ubi vero certum allatum est nuntium de peste inter Messanenses cives grassante, rursus B civium obsequiis et precibus exhibita est S. Rosaliæ reliquiarum arca Idibus Junii ad X Kal. Augusti. Eodemque tempore solemnes fiebant cujuscumque civium cœtus supplicationes, in quibus omnes ferme religiosi Ordines processerunt, clerus cum ipso Panormitano archiepiscopo, qui primus prodiit canonicorum collegio stipatus. Alii etiam interfuerunt episcopi, qui Panormi versabantur, singulari omnes modestia, fune per collum dependente, ac spinis redimiti, ferrea etiam aliqui se cædentes catena, plerique etiam nudo pede. Eadem ratione sodalitates, quæ Panormi excoluntur prope innumeræ, supplicationem quoque inierunt, ut D. Rosaliæ opem tantas inter angustias pro Sicilia ac patria efflagitarent. *Ita Castiglia: nec irrita fuere vota Panormitanorum, cum magnopere mirandum sit, pestem, quæ vehementer sævit Messanæ, non extendisse se longius per Siciliam.*

alterum arcæ latus.

311 *Hisce dictis occasione arcæ ob periculum pestis expositæ, alterum illius latus repræsento in hac tabula, quæ transmissa est hoc titulo:* Facis lateris sinistri ejusdem arcæ. *Notæ additæ* C *sunt sequentes:*

A. Exprimit S. Rosaliæ in eremum secessum. Inscriptionem habes apud Cascinum pag. 336; *ubi sic exprimitur:*

Solitariæ vitæ consilium Dei Parens ac Puellulus
Volentes, propitii, cælesti sospitant comitatu.

B. Exprimitur in arcæ operculo S. Rosalia ab angelo e Quisquinensi specu ad Erctensem evocata. *Verba inscripta sunt:*

E. Quisquinensi spelunca ad Erctensem ab angelis evocatur.

Notandum hic, quod in scutis argenteis, quæ manu ferunt angeli, in quatuor arcæ angulis siti, insculptæ non fuerunt historiæ ac carmina, ad sacri corporis inventionem spectantia, quæ refert Cascinus citatus pag. 337; sed tantum rosæ, ut hic delineatæ conspiciuntur. *Hactenus Castiglia, qui aliorum laterum faciem delineatam non misit, quod ex datis figuris de tota arca facilis sit conjectura.*

§ XXX. Honor S. Rosaliæ habitus, cultusque ejusdem extensus a summis Pontificibus ad regnum Siciliæ, et ditiones Romani Imperatoris ac regis Hispaniarum.

Quomodo Sanctæ cultus Romæ inchoatus,

Non Panormi solum, nec in sola Sicilia, celebris est S. Rosaliæ *veneratio, sed ea brevi tempore in plerisque Europæ provinciis maxime increbuit, uti late ostendit Cascinus lib.* 3 *Operis sui Italici. Ibidem cap.* 13 *refert, quo modo Romæ inchoata sit Sanctæ veneratio, et per Urbanum VIII summum Pontificem promota. Primo testatur, Cardinalem Doria perscripsisse ad Urbanum VIII omnia, quæ Panormi gesta erant post inventas* S. Rosaliæ *reliquias; Urbanum vero non solum ea omnia approbasse et laudasse, sed miro etiam Sanctæ amore inflammatum esse.* E *Secundo narrat, primam* S. Rosaliæ *festivitatem celebratam esse Romæ anno* 1627, *die inventi corporis, aut* XV *Julii, curante P. Hieronymo Petrucci Societatis Jesu, qui Panormo Romam venerat. Hic enim effecerat, ut in collegio Romano ejusdem Societatis in prædicto inventionis festo oratio haberetur de laudibus* S. Rosaliæ, *et die Dominica sequenti poema elegans de eadem Virgine recitaretur. Devotionem populi valde auxit sanitas subito obtenta ab uno ex discipulis collegii, simulac is* S. Rosaliam *invocaverat: nam ille imagini ejusdem Sanctæ, quæ in ecclesia erat exposita, donum argenteum gratus appendit, eaque occasione viri quoque primarii eo cœperunt accurrere, et Sacrificia quoque curarunt celebranda. Addit hisce Cascinus, Siculos quoque in ecclesia sibi propria* S. Rosaliam *publico cultui exposuisse.*

favente Urbano VIII, cui Sanctæ dens offertur:

313 *Audierat summus Pontifex prædictæ festivitatis celebrationem, et verbis benevolis indicabat, se odam aut hymnum velle componere ad honorem* S. Rosaliæ. *Cum autem eodem tempore* F *degeret Romæ Antonius de Moncada et Aragona, dux Montis alti et princeps Paterni, tunc presbyter, ac postea in Societate Jesu defunctus, cumque intelligeret Pontificem libenter audire de* S. Rosalia, *credidit commodam sibi dari occasionem promovendi cultum Sanctæ, cujus erat amantissimus. Quapropter dentem* S. Rosaliæ, *quem acceperat occasione distributarum a Cardinale Doria reliquiarum, auro et margaritis ornatum Urbano VIII obtulit. Accepit sacrumpignus summus Pontifex, tantoque in pretio habuit, ut dentem illum gestaverit in pectore. Quin imo non contentus litteris Cardinalis Doria de veritate dentis fidem facientibus; testimonium ipsius quoque ducis habere voluit, teste Cascino, qui omnia hæc enarrat latius. Porro hæc Urbani VIII in* S. Rosaliam *pietas alteri festivitati celebrandæ occasionem præbere potuit. Certe festivitas ista in eodem collegio Romano fuit habita die* VI *Aprilis sequentis anni* 1628, *favente Pontifice: orationem enim Latinam, quam in laudem* S. Rosaliæ *dixit nobilis juvenis Joannes Maria Roscioli, canonicus Lateranensis, imprimi sibique dicari voluit, curavitque ut non solum magnifico cum apparatu declamaretur, sed præsentia quoque*

AUCTORE J. S.

quoque Eminentissimi nepotis sui Antonii Barberini, aliorumque Cardinalium et principum honoraretur. Exstat hæc Oratio apud Cascinum in Appendice pag. 51 *et seq : compositaque est a P. Angelo Galluccio Societatis Jesu, teste Auria in Rosa cælesti pag.* 15.

ab eodem nomen Rosaliæ Martyrologio Romano additum,

314 *Interim Cardinalis archiepiscopus ac senatus Panormitanus instabant apud Urbanum VIII, causam promovente laudato supra Petruccio, ut nomen* S. Rosaliæ *insereretur Martyrologio Romano, quod recudebatur. Urbanus vero, quantocumque in sanctam Virginem ferretur affectu, rem tamen remisit ad sacram Rituum Congregationem, ut rigoroso examine discuteretur : at impressionem Martyrologii cessare jussit, donec, allatis e Sicilia monumentis scripturisque necessariis, examen perficeretur. Absoluto tandem feliciter examine, Urbanus die* XXVI *Januarii anni* 1630 *ad senatum et populum Panormitanum ita scripsit :* Scriptam in cælesti viventium libro Rosaliam Panormitanam, virginitatis liliis coronatam, carere diutius noluimus triumphali Martyrologii Romani testimonio... In salute
B istius urbis agnitum esse beneficum Civis vestræ patrocinium, non mediocriter gaudemus, qui vota pontificiæ charitatis ad optatos exitus duci fatemur felicitate virtutum vestrarum. E sacro corpore, quod anteactis ætatibus ignotum lux cæli plane visa est patefecisse in tempore opportuno, cupimus ad populum istum depluere imbrem, quamvis serotinum, et pluviam voluntariam cælestium beneficiorum, quam illa segregasse credenda est patriæ et hereditati suæ, tam grato religiosi obsequii cultu laudes et reliquias ejus veneranti *etc.*

et gratiæ actæ pro acceptis aliis Sanctæ reliquiis :

315 *Ad Cardinalem Doria idem Pontifex scripsit die* XVI *Martii anni* 1630, *illius charitatem tempore pestis exhibitam mire commendans, atque hæc ad propositum nostrum litteris inserens :* Quæ cæleste patrocinium Panormitanæ patriæ magnitudine beneficiorum declaravit beatissima virgo Rosalia, digna plane erat, cujus nomen in sacris Romani Martyrologii fastis inter Catholicæ Ecclesiæ plausus triumpharet. *Porro, cum interim laudatus Cardinalis archiepiscopus reliquias quasdam Sanctæ destinasset ad Urbanum ; hic ejusdem mensis Martii die* XXIII
C *per litteras de accepto pignore sacro gratias egit his verbis :* Accepimus gemmas paradisi, desiderabiliores super aurum et lapidem pretiosum, reliquias beatissimæ virginis Rosaliæ, selectas e cælesti Panormitanæ ecclesiæ thesauro. Sacræ consolationis rore floruit statim cor pontificiæ charitatis. Porro autem oramus eam Virginem cum Omnipotente regnantem, ut quæ a patrio cælo pestilentiam nuper depulisse pie creditur, nunc brachio virtutis suæ, facta terribilis ut castrorum acies ordinata, discordiam ex Italia profliget. Te vero, qui munus, angelis gratissimum, hominibus salutare, ad nos misisti, paternæ benevolentiæ brachiis complectimur *etc. Laudatæ litteræ integræ habentur apud Cascinum pag.* 390 *et seqq.*

geminum ejus in Martyrologio elogium ;

316 *Absoluta non multo post fuit impressio Martyrologii Romani cum duplici* S. Rosaliæ *elogio. Quapropter illud Petruccius cum litteris, datis die* IV *Aprilis, misit ad senatum Panormitanum, uti ipse cupiebat Pontifex. Elogium autem ad diem* IV *Septembris, qui emortualis creditur, tale est :* Panormi natalis sanctæ Rosaliæ virginis Panormitanæ, ex regio Caroli Magni sanguine ortæ, quæ pro Christi amore paternum principatum, aulamque profugiens, in montibus D
ac speluncis solitaria cælestem vitam duxit. *Inventio vero corporis ad* XV *Julii his celebratur verbis :* Panormi inventio corporis sanctæ Rosaliæ virginis Panormitanæ, quod Urbano octavo Pontifice maximo repertum divinitus, anno jubilæi Siciliam a peste liberavit. *Non potuerunt non placere hæc elogia tam Cardinali archiepiscopo quam senatui populoque Panormitano. Verumtamen, teste Cascino pag.* 393, *non defuerunt, qui de loco emortuali Sanctæ, et de liberatione Siciliæ a pestilentia, nonnihil dubitationis insusurrare voluerunt apud Cardinalem Barberinum. At, cum duo illa capita solide sint probata præ ceteris, difficile non fuit senatui et archiepiscopo motam dubitationem dissipare per litteras ad Eminentissimum Barberinum datas. Hic vero Cardinali archiepiscopo respondit, decretum sacræ Congregationis Rituum tam maturo judicio latum fuisse, ut nimium animositatis ostenderet, quiscumque eidem se opponeret, aut de eo minus reverenter disserere sustineret. Addebat, nihil ultra requirendum esse, cum vel solum istud decretum cum approbatione Pontificis* E
sufficeret ad obturandum os obloquentium.

variæ reliquiæ Romam missæ :

317 *Panormitani igitur læti promotione cultus* S. Rosaliæ, *gratos se præbere voluerunt iis, quorum opera rem cœptam intelligebant et perfectam. Prima festivitas Romæ fuerat in collegio Romano Societatis Jesu. Missæ fuerunt anno* 1630 S. Rosaliæ *reliquiæ ad prædictum collegium, teste Cascino pag.* 393, *qui ipse curam habuit eas transmittendi. Hinc eodem anno, die* IV *Septembris rursum ibi celebrata festivitas Sanctæ. Eodem etiam die festum Sanctæ celebratum Romæ in ecclesia nationis Siculæ, ubi concessæ fuerunt a Pontifice plenariæ indulgentiæ ob dedicationem novi altaris et imaginis* S. Rosaliæ. *Reliquias quoque ejusdem Sanctæ petiit per Cascinum Joannes Maria Roscioli, qui primam de ejus laudibus orationem dixerat, ut eas thecæ argenteæ inclusas in ecclesia Lateranensi collocaret, teste rursum Cascino pag.* 396. *Senatus vero Panormitanus imaginem* S Rosaliæ *pretiosissimis decoratam ornamentis transmisit ad Urbanum VIII. Hic autem litteris ad senatum, datis* III *Januarii anni* 1632, *declaravit munus sibi gratum fuisse. Litteras hasce dat Cascinus* F
pag. 395, *ex quibus nonnulla ad propositum nostrum huc transfero :* Dignam, *inquit,* Apostolica pietate curam existimavimus, Rosaliam insigni sanctimonia claram beatarum virginum catalogo adscribere : quod vobis totique Panormitanæ civitati jucundum accidisse lætamur. *Hactenus de cultu Sanctæ per Urbanum VIII extenso et promoto.*

picta ibidem Sancta jussu Alexandri VII ut patrona contra pestem :

318 *Quibus modis per Alexandrum VII dilatatus sit cultus* S. Rosaliæ, *refert Vincentius Aurea, qui eodem tempore florebat, in Rosa cælesti pag.* 125 *et sequentibus. Pestilentia, quæ in variis Italiæ partibus sævierat, Roma quoque affligebatur. Qua de causa Alexander Papa anno* 1656 *talem* S. Rosaliæ *imaginem curavit excudendam, ut in ea repræsentetur tamquam patrona contra pestem : exhibebatur enim sancta Anachoretis, genibus flexis super cadavera orans pro Urbe ; ex duobus vero angelis adjunctis alter Sanctam rosis coronat, alter nudum gladium vagina recondit in signum cessantis pestilentiæ. Inscriptio quoque addita erat cum oratione sequente in hunc modum :* S. Rosaliæ virgini Panormitanæ supplicat Christiana respublica, ut sicut

A ut anno Domini MDCXXV patriam suam a peste liberavit, ita hoc anno MDCLVI et perpetuo ab eadem servet Romam communem patriam et mundi caput. ORATIO. Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, nos ad te revertentes propitius respice, atque per merita B. Rosaliæ virginis a peste defende, ut dum tibi devoti existimus, iracundiæ tuæ flagella a nobis amoveas. Per Dominum etc.

reliquiæ Alexandro missæ: ab eodem Officium ad totam Siciliam extensum:

319 *Cum vero anno sequente* 1657 *reverendissimus dominus Antonius Gelosus, vicarius generalis sedis Panormitanæ vacantis, nonnullas* S. Rosaliæ *reliquias ad prædictum Pontificem misisset, Alexander eidem gratias agendas curavit per illustrissimum dominum Natalem Rondoninum, qui Pontifici erat a secretis. Epistolam totam recitat Auria pag.* 125. *Ex ea huc transfero sequentia :* Reliquiæ S. Rosaliæ, quas ad Sanctissimum Dominum nostrum misisti, non leve ipsi gaudium attulerunt, cum inclyta ita urbs * pari olim, qua nunc Roma, quin immo longe acerbiori pestilentia implicata, documentum præbuerit, quantum in iis ad teterrimum morbum profligandum momenti sit. Auxit egregii muneris laudes vir excellentissimus, omnique virtute cumulatissimus, Terrænovæ dux, qui illud una cum tuis litteris religiose pieque tradidit Sanctitati suæ *etc. Deinde anno* 1666 *instituerunt archiepiscopus ac senatus Panormitanus, ut Officium* S. Rosaliæ *extenderetur ad totum Siciliæ regnum, atque istud obtinuerunt, ut patet ex approbatione Sacræ Rituum Congregationis, data* XXVII *Novembris anni* 1666, *ac deinde confirmata ab Alexandro VII. Itaque Officium novem lectionum, ex quibus tres sunt de vita Sanctæ, et oratio particularis, anno* 1667 *Romæ impressum ac Panormi recusum est, totique Siciliæ regno præscriptum. Videri illud potest apud Auriam ad calcem Rosæ cælestis.*

* Panormus

B

ab Innocentio XI ad omnes ditiones Leopoldi imperatoris,

320 *Porro, sicut beneficia* S. Rosaliæ *se ad plerasque Europæ provincias extenderunt, ita plura paulatim regna Officio proprio ejus festivitatem celebrare desiderarunt. Anno* 1689 *gratiam illam petiit et obtinuit augustissimus æque ac piissimus imperator Leopoldus, concedente Innocentio XI, uti discimus ex decreto Sacræ Rituum Congregationis, quod edidit Mancusus*
C *Historia tom.* I *pag.* 258 *sub hoc titulo :* Decretum S. R. C. de festo sanctæ Rosaliæ virginis Panormitanæ cum Officio et Missa in regnis et provinciis cæsareæ majestati imperatoris Leopoldi I subjectis tamquam de patrona, annuente S. P. Innocentio XI. *Decretum ipsum ibidem sic legitur :* Piis ac enixis precibus augustissimi imperatoris Leopoldi, per suas litteras SS. Domino nostro a R. P. D. Emerix sacræ rotæ auditore oblatas, institum fuit, ut Sanctitas sua facultatem tribuere dignaretur, ut die IV Septembris festum sanctæ Rosaliæ virginis Panormitanæ, cujus patrocinio et intercessione, ut in iisdem litteris addebatur, plura in dies ei augentur beneficia, cum Officio et Missa sub ritu duplici majori, tamquam de patrona, in regnis et provinciis cæsareæ majestati subjectis licite et libere quotannis recolatur et celebretur; et hujusmodi instantia a Sanctitate sua ad sacram Rituum Congregationem remissa, Eminentissimi Patres eidem sacræ Congregationi præpositi ob singularia ejusdem cæsareæ majestatis erga Sedem apostolicam promerita, petitam gratiam concedendam esse censuerunt; et sic, ut præfertur, opportunum decretum expediri mandarunt. Die XXX Julii MDCLXXXIX. A. Card. Cybo., Bernardinus Casalius S. R. C. secretarius.

AUCTORE J. S.

et demum ab Innocentio XII ad ditiones regis Hispaniæ.

321 *Pietatem Leopoldi imitatus est Carolus II Hispaniarum rex*[1], *qui anno* 1693 *ab Innocentio XII impetravit, ut festum et Officium* S. Rosaliæ *ad omnia regna ditionesque sibi subjeclas extenderetur. Decretum Sacræ Rituum Congregationis sic edidit Mancusus pag.* 259 : Relatis in S. R. C. ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Albano precibus excellentissimi ducis de Medina Cæli, serenissimi Catholici regis apud sanctam Sedem oratoris, nomine ejusdem majestatis porrectis pro extensione Officii sanctæ Rosaliæ virginis, alias pro regno Siciliæ *(et)* nonnullis mundi partibus concessi, eadem sacra Congregatio censuit, esse concedendum, ut in posterum singulis annis die IV Septembris ejusdem Sanctæ festo recitari possit in omnibus regnis et dominiis præfato Hispaniarum regi subjectis sub ritu semiduplici, et juxta rubricas Breviarii Romani, firmis in reliquis remanentibus indultis sub ritu duplici jam concessis; si SS. Domino nostro placuerit. Die XV Martii MDCXCIII. Facta igitur deinde SS. Domino nostro per me secretarium relatione, Sanctitas sua annuit. Die XVIII ejusdem mensis Martii, anno MDCXCIII. A. Card. Cybo.... D. Inghirami S. R. C. Secretarius. *Addit hisce Mancusus, Sanctæ Officium in quibusdam Hispaniæ diœcesibus recitari ritu duplici, videlicet in Hispalensi et Toletana, quia facultatem illam illarum antistites jam antea obtinuerant, Toletanus nempe anno* 1679, *Hispalensis anno* 1685. *Diœcesi quoque Mutinensi in Italia eamdem gratiam concessam a Clemente XI, testatur. Eadem verisimiliter et aliis quibusdam deinde concessa.* E

§ XXXI. Missa propria pro regno Siciliæ impetrata, et Officium novum : preces Senatus Panormitani apud summum Pontificem, ut Officium extendatur ad Ecclesiam universalem. F

Missa propria approbata pro utroque Sanctæ festo,

Anno 1695 *a sacra Rituum Congregatione pro toto regno Siciliæ approbata est Missa propria* S. Rosaliæ, *eaque eodem anno Romæ et Panormi impressa cum hoc decreto :* Suprascriptam Missam propriam sanctæ Rosaliæ virginis ab eminentissimo et reverendissimo domino Cardinali Colloredo revisam, correctam et relatam, sacrorum Rituum Congregatio ad enixas preces excellentissimi ducis de Medina Cæli, serenissimi regis Catholici apud sanctam Sedem oratoris, nomine ejusdem majestatis porrectas, pro regno Siciliæ approbavit, et in festo ejusdem Sanctæ, servatis in reliquis rubricis Missalis Romani, celebrari posse benigniter concessit. Die XVIII Junii MDCXCV. A. Card. Cybo.... B. Inghiramus Sac. Rit. Congr. Secr. *Concessa est hæc Missa tam pro festo inventionis die* XV *Julii celebrari solito, quam pro festo præcipuo, quod* IV *Septembris agitur; ut colligi potest ex diverso Euangelio : nam id solum mutatur. Die* IV *Septembris præscribitur legenda parabola de decem*

AUCTORE J. S.

Virginibus ex Matthæo cap. 25 ; *pro die Inventionis ex Matthæo cap.* 13 *a* ℣ 44 : Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro *etc. Verum, ut me monuit Castiglia*, novissime decretum fuit, *ut posterius istud Euangelium in utraque legeretur festivitate, atque eodem tempore in prima Oratione etiam aliquid est mutatum.*

ex qua pauca dantur.

323 *Missa autem hæc sic composita est, ut contemptus rerum mundanarum, vita solitaria et virginitas maxime commendentur. Introitus hic est :* Regnum mundi et omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi *etc. Oratio hæc erat prima:* Deus, qui beatam Rosaliam virginem e regalibus mundi deliciis in montium solitudinem transtulisti, concede propitius, ut ejus meritis et patrocinio a seculi voluptatibus in cælestium amorem transferamur, et ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per *etc. Eadem deinde sic correcta :* Deus, qui bea-
B tam Rosaliam virginem e regalibus deliciis in montium solitudinem transtulisti; concede propitius, ut ejus meritis et intercessione, a mundi voluptatibus in cælestium amorem erigamur, et ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per *etc. Oratio hæc ita impressa legitur in novo Officio, de quo jam agam: nam dicta de Missa sufficiunt ad propositum nostrum.*

Officium novum pro regno Siciliæ approbatum :

324 *Officium novum de* S. Rosalia *impetravit anno* 1713 *civitas Panormitana, idemque anno* 1729 *approbavit Congregatio sacrorum Rituum pro toto regno Siciliæ ; uti discimus ex decreto laudatæ Congregationis, quod post Officium, anno* 1730 *Panormi impressum, ita sonat :* Ad supplices enixasque preces nomine senatus civitatis Panormitanæ pro extensione Officii sanctæ Rosaliæ virginis Panormitanæ ad Ecclesiam universalem SS. Domino nostro porrectas, illasque a Sanctitate sua ad Sac. Rituum Congregationem remissas, atque relatas, Sac. eadem Rituum Congregatio benigne indulsit, ut singulis annis die IV Septembris in festo sanctæ Rosaliæ virginis Officium ipsius proprium, sub die XXIX Augusti MDCCXIII pro civitate Panormi approbatum, ab
C omnibus ecclesiæ secularibus et regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, in toto regno Siciliæ tantum recitari possit et valeat. Die decimo Decembris MDCCXXIX. N. Cardinalis Coscia Prop... N. M. Tedeschi archiep. Apomenus Sacr. Rit. Congr. Secret. *Facile videbit studiosus lector, plus petitum fuisse a senatu Panormitano, quam fuerit concessum a Congregatione sacrorum Rituum. Causam repulsæ tanto minus divinare possumus, quanto latius per varias Europæ provincias Sanctæ cultus legitime est propagatus, nisi fortasse Officium visum fuerit nimis singulare, quam ut videretur præscribendum toti Ecclesiæ Catholicæ. Sane hymni, antiphonæ, aliaque fere omnia moribus et gestis* S. Rosaliæ *sunt adaptata, quod raro fit in Officiis toti Ecclesiæ præscriptis.*

petita extensio Officii per epistolam,

325 *Quidquid autem sit de causa repulsæ, excellentissimus senatus necdum spe excidit impetrandi aliquando, ut sancta urbis suæ Patrona, toto fere orbe celebrata, seu dicto jam Officio, seu alio minus singulari, a tota Ecclesia honoretur. Sane sævissima illa pestilentia, quæ ante paucos annos urbem Messanensem sic devastavit, ut reliquæ tamen pepercerit Siciliæ, quod* S. Rosaliæ *patrocinio attribuunt Panormitani*, D
occasionem et stimulum ipsis admovit preces iterandi apud summum Pontificem. De hisce anno 1744 *ita ad me scripsit P. Noto :* Senatus Panormitanus a Benedicto XIV P. M. enixe petiit, ut Missam et Officium proprium S. Rosaliæ die IV Septembris sub ritu duplici ad universam Ecclesiam extenderet. Idem rogarunt et metropolitanæ ecclesiæ capitulum, et archiepiscopus Panormitanus, et duodecim nobilium virorum cœtus, quem vulgo regni Siciliæ deputationem appellamus. Curavit etiam senatus, ut nonnulli Europæ principes a sancta Sede idem flagitarent, et quemdam e nostra Societate Romæ commorantem per litteras rogavit, ut id ipsum apud Romanam curiam Panormitani senatus nomine agere pergat. *Idem nobis transmisit exemplar epistolæ Italicæ, quæ data notatur* XXX *Octobris anni* 1743, *et cujus titulus Latine redditus hic est :* Epistola excellentissimi senatus, directa ad pedes Sanctitatis suæ, ut Officium S. Rosaliæ commune faciat orbi Catholico. *Lubet eam huc transferre, tum quia de dilatato* S. Rosaliæ *cultu breviter multa complectitur, tum ut sic vota nostra* E
pro extensione cultus S. Rosaliæ *modeste conjungamus. Quapropter Epistolam totam ex Italica Latinam facio.*

in qua ostenditur, quam multis locis Sancta habeatur ut patrona,

326 Sanctissime Pater. Tantis beneficiis et continuæ protectioni S. Rosaliæ virginis, civis suæ, se ingratam exhiberet Panormus, si ex parte sua non procuraret majorem ipsius exaltationem et cultus extensionem. Quod si antiqua beneficiorum acceptorum memoria prorsus excidisset; recentius, quam ut id fieri possit, est beneficium servatæ hujus metropolis, felicissimæ patriæ suæ, et reliquæ regni partis a funestissimo infortunio contagii Messanensis, Deo volente per patrocinium sanctæ Thaumaturgæ, constricti in solo territorio prædictæ civitatis Messanæ, et in paucis proximæ Calabriæ habitationibus. Non hanc solam metropolim peste liberat; sed Deus eam prodigiis manifestare dignatur in toto mundo. Thaumaturgam pro beneficiis obtentis celebrant Ancona, Mediolanum, Genua, Nicæa *, Sardinia, Cremona, Melita, Barcino, Colonia, Vienna, Antverpia, Ipra, Praga, Græcium *, Cilleia *, Cracovia, Thigernum *, Molinæ, California in America, et usque ad regiones Turcicas Africæ et Orientis. Hac de causa merito eamdem Patronam legerunt Italia, Hispania, Germania, Gallia, Polonia, Belgium et Lusitania, præter alias non paucas regiones et civitates, quæ eamdem et affectu et obligatione impulsæ venerantur; quales sunt Venetia, Sabaudia, Bavaria, Lotharingia, Mutina, Mantua, Bononia, Hispalis, Toletum, Matritum Duacum, Recinetum, Interamna, Luca, Florentia, Forum Livii, Neapolis, Rivellum, Trevicum, Luceranna * et Manfredonia cum aliis Europæ locis.

* Nizza in Provincia
* Gratz in Styria
* Thiers
* Moulins
* Luceraune

quibus gradibus promotus sit ejus cultus,

327 Si autem ob prodigiosam Panormi liberationem a peste, anno MDCXXIV orta, obtentam per preces beatæ Civis, quæ effecit, ut tunc invenirentur sacræ suæ reliquiæ, in visceribus terræ montis Peregrini per quinque secula latentes, dignatus est Sanctissimus Dominus Urbanus VIII non solum eamdem Martyrologio Romano cum honorifico elogio inserere ad IV Septembris, diem ipsius emortualem; sed etiam ad XV Julii, diem felicis reliquiarum ejus inventionis rationi videtur consentaneum, ut hæc ipsa metropolis a Sanctitate vestra exspectet gratiam et solatium

AUCTORE J. S.

A solatium cultus ejusdem Sanctæ per totum orbem Catholicum propagati, recitatione Officii proprii, et celebratione Missæ, ritu duplici, die IV Septembris, qui necdum alio Officio occupatus est in Breviario Romano. Ita semper jure merito per multos gradus processit cultus hujus gloriosissimæ Virginis Panormitanæ, gratia sit benignis concessionibus Sedis apostolicæ.

et quam late extensus,

328 Anno MDCLXVI ab Alexandro VII urbi Panormitanæ ejusque diœcesi concessum fuit Officium particulare de Sancta. Istud anno MDCLXXIII a Clemente X extensum fuit pro civitate Atrano: anno MDCLXXIX ab Innocentio XI pro diœcesi Toletana: deinde anno MDCLXXXIII pro toto hoc Siciliæ regno; anno MDCLXXXV pro diœcesi Hispalensi: anno MDCLXXXIX ab eodem Pontifice pro toto imperio ritu duplici. Anno MDCXCIII ab Innocentio XII dilatatum fuit ad omnia regna regi Hispaniarum subdita. Anno MDCXCV pro hoc ipso regno approbata est Missa nova propria hujus Sanctæ. Anno MDCCXIII a Clemente XI concessum est Officium proprium pro hac civitate, et pro tota diœcesi Mutinensi in Longobardia, illudque deinde anno MDCCXXIX a Benedicto XIII B extensum.

ut tandem communis fiat toti Ecclesiæ.

329 Patrona igitur et protectrix quasi generalis S. Rosalia quam maxime mereri videtur alium istum gradum, ut celebretur per universalem Ecclesiam ritu duplici Officium et Missa ipsius prædicto beatæ mortis suæ die. Res porro hæc tum summam creabit lætitiam ferventissimæ huic civitati, tum grata erit mundo universo, qui Sanctam devote veneratur. Hic itaque senatus gratiam hanc maxime insignem a Sanctitate vestra humiliter flagitat, illamque a Paterna pietate vestra se obtenturum sperat; ac se prosternens ad sacros pedes exosculandum, Pastoralem benedictionem petit *etc. Multa ex factis in hac epistola contentis jam suis locis relata sunt, alia vero quædam referentur inferius, ubi agetur de reliquiis Sanctæ ad varias provincias transmissis, et de cultu ibidem inchoato.*

C

§ XXXII. Occasione terræ motus nova Panormi instituta festivitas S. Rosaliæ: beneficia ejusdem Sanctæ in alio terræ motu.

Vehementes terræ concussiones in Sicilia,

Anno 1693 *nova Panormi instituta est festivitas* S. Rosaliæ, *eaque singulis annis celebratur die* XI *Januarii. Nominatur passim* festum terræ motus, *quia horrendæ concussiones, quibus prædicto anno pars magna Siciliæ afflicta est, eidem festivitati occasionem præbuerant, quod Panormitani se a ruina servatos crederent patrocinio* S. Rosaliæ. *P. Dominicus Stanislaus Alberti anno* 1724 *libellum edidit Italicum et perbrevem, in quo narrat damna terræ concussionibus tunc Siciliæ illata, et periculum Panormi, una cum institutione festivitatis memoratæ. Divisa est hoc tempore Sicilia tota in tres provincias præcipuas, quas* valles *vocant; nimirum in vallem Nemorensem seu Demonæ, vulgo* il val di Demoni, *in vallem Netinam, Siculis,* il val di Noto, *et in vallem Mazaræ, iisdem* il val di Mazara: *in hac postrema sita est Panormus, in priori est Messana, et in secunda Syracusæ. Omnes hæ valles multum passæ sunt terræ successionibus, quæ summa vehementia inchoatæ sunt duabus fere horis ante mediam noctem, die Veneris* IX *Januarii anni* 1693. *Cum autem post primam successionem aliæ subinde leviores sequerentur, homines ex urbibus passim se proripiebant in campos apertos, ne ruinis ædificiorum cadentium opprimerentur.*

quibus Catana aliæque urbes suubersæ:

331 *Verumtamen die Dominica* XI *Januarii in urbes redibant plerique, ut sacrosancto Missæ sacrificio adessent, et multi eodem tempore de peccatis confitebantur, præsertim Catanæ, ut advertit laudatus scriptor pag.* XI, *ubi id maxime erat necessarium. Quippe duabus fere horis post Meridiem, et circiter quadraginta horis a prima successione, tam gravi iterum successu terra est mota, ut Catana fere tota perierit. Miserrimi infortunii spectator attonitus fuit P. Antonius Serrovira ex Ordine Minorum Conventualium, qui Catanam proficiscebatur, et paucis milliaribus Italicis ab ea aberat;* Quando improviso, *inquit scriptor,* vidit nubem caliginosam supra civitatem se extendentem, quæ noctem secum E portabat funestam. Vidit eodem tempore ex ore montis Ætnæ nonnullas emitti flammas, quæ per tractum vicinum se dilatabant. Eodem temporis momento mare sine modo intumescere cœpit et inflari; et terra cum mugitu horribilis sonitus tota tremere cernitur. *Plura addit de effectu terræ motus in avibus, jumentis et equis. De Catana vero asserit, urbem non amplius apparuisse P. Antonio: neque id mirum, cum testetur totam corruisse, exceptis tribus aut quatuor ædificiis, urbisque muris. Alias quoque urbes similia passas scribit, ita ut sexaginta hominum millia sub ruinis perierint.*

Panormi multa quidem collapsa ædificia; at nemo sub ruinis periit,

332 *Quod spectat ad Panormum, tot quoque ibidem ædificia corruerunt, ut instaurari non potuerint triginta millibus scutorum, eodem scriptore testante: et quidem nonnulla ceciderunt in locis maxime frequentatis a populo. Quorumdam etiam domus collapsæ sunt, postquam earum incolæ paulo ante exiverant, non metu successionis, quam necdum erant experti, sed alia occasione; quod maxime notandum de ægroto aliquo, cujus domus collapsa est, postquam exiverat. Qua de causa magnopere erat mirandum,* F *nullum hominem periisse Panormi, uti accidisse testatur laudatus scriptor, idque divinæ protectioni plane attribuendum. Cur autem acceptum beneficium* S. Rosaliæ *patrocinio adscripserint Panormitani, edisserit idem scriptor, varias allegans rationes, inter quas illa etiam est, quod in ecclesia Sanctæ in monte Peregrino nulla fuerit terræ successio, quemadmodum sacellani istius ecclesiæ, aliique testes fide digni asseruerunt; quodque antiqua* S. Rosaliæ *ecclesia inter Ragusam et Claromontem illæsa steterit, licet urbs utraque gravissime fuerit afflicta. Alias ipsius rationes non repeto, cum judicium archiepiscopi Panormitani, gubernatoris Siciliæ, totiusque senatus et populi Panormitani sufficere possit ad beneficium istud* S. Rosaliæ *pie attribuendum, sicut illi unanimiter fecerunt.*

quod beneficium ab omnibus S. Rosaliæ est attributum,

333 *Prorex ipse, dux Uzedæ, ter invisit ecclesiam Sanctæ in monte Peregrino, ut cum populo undique accurrente gratias ageret de beneficio accepto. Archiepiscopus Ferdinandus de Bazan solemnem instituit festivitatem, in qua propriis manibus sacrosanctum Domini Corpus distribuit communicantibus, qui asseruntur fuisse numero*

AUCTORE J. S.

numero septemdecim millia: vesperi vero hymnum Te Deum laudamus *cecinit, præsentibus prorege, consilio regio, senatu Panormitano, atque omnibus fere nobilibus. Deinde vero senatus Panormitanus cogitavit de celebranda festivitate annua in die anniversario terræ motus, seu* XI *Januarii. Primo anno festum istud celebratum est die* XI *Februarii hoc modo. Triduo ante mandatum est populo, ut signa publicæ lætitiæ ederet prædicto festivitatis die. Dein pridie festi ad vesperam archiepiscopus inchoavit hymnum,* Te Deum; *qui dum canebatur a musicis, sanctissimum Sacramentum circumferebatur in agmine supplicantium per ecclesiam. Data vero benedictione et hymno finito, omnes processerunt ad sacellum* S. Rosaliæ, *ubi prætor nomine totius senatus et populi tale votum nuncupavit.*

instituto in gratiarum actionem festo annuo.

334 Ad tuæ magnitudinis pedes, O sacra et excelsa virgo et concivis Rosalia, provoluti, nos senatus populusque Panormitanus, tuarum intercessionum efficacia in terræ motuum ærumnis, in quibus tot civitates et oppida hujus regni corrue- B runt, tantusque gentium numerus periit, divinitus hanc urbem, patriam tuam, præservatam fuisse pie credimus, sentimus et profitemur. Quam ob causam, tam hujus, quam aliorum beneficiorum impulsu, in gratitudinis signum corda senatus populique Panormitani tibi addictissima iterum dicamus; et omni undecima Januarii die, in qua terræ motus et liberatio evenerunt, in perpetuum, ad specialem nominis tui exaltationem, solemnitatem quotannis celebraturos eum sacrosanctæ Eucharistiæ sumptione, spondemus, juramus ac vovemus ante sanctissimæ individuæque Trinitatis tribunal, coram illibata Dei Genitrice Maria, et omnibus curiæ cælestis magnatibus, tactis Jesu Christi Domini nostri Euangeliis. *Hoc votum illustre est argumentum religiosæ pietatis Panormitanorum erga* S. Rosaliam, *cujus festivitas sequenti die, sequentibus vero annis* XI *Januarii, solemniter est celebrata cum expositione arcæ, in qua sacrum ejus corpus servatur, uti jam dictum est num.* 308. *Festivitas quoque ab archiepiscopo ad totam diœcesim eodem anno fuit extensa.*

Alius terræ motus Panormi anno 1726,

335 *Anno* 1726, *die* 1 *Septembris, alius terræ motus graviter afflixit civitatem Panormitanam, et non sine hominum interitu. Neque tamen in tristi illo infortunio* S. Rosaliam *sibi de-* C *fuisse crediderunt Panormitani, licet beneficium non soli* Rosaliæ, *sed etiam Virgini Immaculatæ et S. Josepho attribuerint. Totam istius terræ motus historiam fuse enarravit Antonius Mongitorius, vir eruditus, et scriptis Operibus notissimus, edito libello Italico, cujus titulus Latine redditus hic est:* Panormus admonita, pœnitens et grata in horribili terræ motu primi Septembris anni MDCCXXVI. *Duas alias ejusdem terræ motus relationes anno* 1726 *Panormi impressas præ manibus habeo. Verum cum illas Mongitorius viderit, uti et tertiam aliam, ac multa ab iis omissa in præfatione sua testetur, cumque hic scriptor ceteris notior sit et auctoritate præstantior; unus hic sufficiet ad propositum nostrum, ut breviter nonnulla dicamus, cur* S. Rosaliam *Panormitani hic benefactricem agnoscant. Part.* I *cap.* I *exponit varia prodigia, quibus cladem quamdam Panormitanis prænuntiatam existimat.* X *Cap.* 2 *ipsam terræ succussionem describit. Sequentibus capitibus narrat damna ædificiis illata, quæ non pauca fuerunt; ac deinde homines sub ruinis mortuos aut læsos: mortuos autem asserit* D *ducentos circiter et quinquaginta; læsos fere quinquaginta supra centum.*

in quo varii expertis beneficia S. Rosaliæ,

336 *Part.* 2 *Opusculi describit varia pœnitentium opera, supplicationesque multiplices, quibus divinam iracundiam placare conabantur Panormitani post terræ succussionem, ne novis succussionibus damna ædificiorum et hominum augerentur. Varios quidem patronos invocabant varii; plerique tamen Immaculatam Dei Genitricem, S. Josephum, et* S. Rosaliam, *ad cujus ecclesiam in monte Peregrino immensus erat populi concursus. Et sane post damnum primis succussionibus illatum, teste Mongitorio, nova non accesserunt, licet concussiones quædam leviores postea fuerint secutæ. Porro in enarratione damnorum tria aut quatuor miscet exempla, ubi invocata* S. Rosalia *clientes suos divinitus servasse videtur. Ita pag.* 20 *puellas in domo hospitali maxima dormientes sub tecto, in quod murus, sex palmos largus, erat præcipitatus, conservatas miraculo credit auctor, quod ad primum strepitum Immaculatam cæli Reginam et* S. Rosaliam *invocassent.*

aliorumque Sanctorum:

337 *Pag.* 24 *refert, quomodo Antonia, uxor D. Antonii Paterno, e ruinis domus suæ collapsæ fuerit extracta, et integre postmodum sana-* E *ta. Commendaverat illa se SS. Trinitati, S. Vincentio Ferrerio et* S. Rosaliæ; *et miraculo attributum fuit, quod viva evasisset, teste Mongitorio. Pag.* 25 *exponit damna ecclesiæ S. Vincentii Ferrerii, testaturque in sacello* S. Rosaliæ *varia mansisse immota, quæ naturaliter labi debuerant; idque etiam miraculo adscriptum. Pag.* 41 *narrat, mulierem quamdam sic inter ruinas fuisse collocatam cum duobus filiis, altero quinquenni, altero lactente, ut sibi filiisque suis fame pereundum crederet. Verum, cum magna fiducia opem sanctissimæ Dei Genitricis implorasset et* S. Rosaliæ, *ut sufficienti lacte filios nutrire posset, id revera præstitit, toto triduo abundans lacte, donec post triduum cum filiis viva ruinis est exempta. Pag.* 47. *D. Joannem Maraffa cum tota sua familia mortis periculo divinitus liberatum existimat, postquam invocaverant Virginem sine labe conceptam,* S. Rosaliam *et S. Caietanum.*

quibus patronis attribuerint Panormitani,

338 *Part.* 3 *cap.* I *idem auctor exponit rationes, ob quas Panormitani plurimas Sanctissimæ Dei Genitrici, S. Josepho et* S. Rosaliæ *gratias agere deberent, quod tota civitas Panor-* F *mitana non esset penitus excisa. Primam rationem repetit a revelatione monialis cujusdam, quam fuisse asserit* probatæ perfectionis, *et vixisse Panormi* in monasterio observantissimo. *Visionem exponit hoc modo:* Paucis diebus post terræ motum vidit divinam Majestatem adhuc iratam civitati Panormitanæ. Ad hanc visionem cœpit Dominum ferventer rogare, ut deponeret indignationem, et amplius tam vehementer ne castigaret civitatem piam. Tunc intellexit a Deo, quod propter enormia peccata decrevisset exterminare terræ motu omnes cujusvis ætatis et conditionis incolas; quodque rogatus fuisset a S. Rosalia, ut meritam castigationem differret, sed quod precibus ipsius se inflexibilem exhibuisset. Deinde novis precibus rogatus fuit a Sanctissima Virgine Maria, et a sancto ejus sponso Josepho. Verum cum semper maneret inflexibilis, ab ipsis propositum fuit ut tali modo castigaret, ut omnes incolæ discerent, Deum graviter esse indignatum, seque emendare proponerent: si vero hi peccatis pertinaciter inhærerent, justam vindictam ex-

secutioni

A secutioni mandaret. Annuit huic conditioni Dominus: immisit terræ motum, qui modicum crearet damnum, paucisque mortem, omnibus terrorem inferret. *Addit, Deum lacrymis pœnitentium fuisse flexum: voluisse tamen, quo indignationem prorsus deponeret, ut variæ instituerentur supplicationes. Illa omnia Deus communicavit prædictæ moniali; hæc superiori suo, iste vero archiepiscopo.* Atque ita, *ait auctor*, innotuit, precibus Immaculatæ Reginæ, S. Josephi et S. Rosaliæ retentum esse divinæ justitiæ brachium, ne plenam civitati inferret castigationem.

quod urbs non periisset penitus, et quare

339 *Non dubito, quin varia futura sint de hac visione judicia, cum homines vario modo sint affecti. Quod subdit Mongitorius, non eamdem etiam ubique fidem inveniet. Ait energumeno cuidam post terræ motum sacros adhibitos fuisse exorcismos, dæmonemque de clade Panormitanorum gavisum fuisse ac gloriatum, quod hac vice* S. Rosalia *cladem avertere non potuisset; quodque ne ruinam quidem omnimodam deprecata fuisset, nisi preces suas conjunxissent beatissima Dei Genitrix et S. Josephus. His tribus diebat debere Panormitanos salutem suam. Historiis* B *istis, de quibus judicium meum non interpono, addit prodigia, quæ visa fuerant cladem annunciare. Beneficia quoque servatorum in ipso terræ motu hominum non paucorum, qui non videbantur mortem effugere potuisse modo naturali; antea narraverat, eaque huc potuisset ad propositum suum transferre. Demum ex omnibus concludit, justum fuisse, ut Panormus se gratam exhiberet, quod penitus non esset sub ruinis sepulta. Festa varia ad honorem Immaculatæ Virginis, S. Josephi, et* S. Rosaliæ *diversis diebus pie celebrata deinde cap.* 2 *et seqq. exponit. Ratio autem gratias* S. Rosaliæ, *de qua sola hic ago, plurimas agendi vel sola hæc sufficere poterat, quod statim a prima concussione fuisset ferventer et constanter a pluribus invocata; quodque constaret, prima illa damna novis deinde non fuisse aucta, uti alias in terræ concussionibus frequenter contingit.*

C

§ XXXIII. Cultus Sanctæ, ejusque reliquiæ et beneficia per diœcesim Panormitanam.

Reliquiæ missæ Caccamum, ubi Sancta electa est patrona:

De *cultu antiquo* S. Rosaliæ, *qui corporis inventionem præcessit, quique viguit in variis Siciliæ provinciis, satis disputatum est* § 15. *Officium vero ejusdem Sanctæ ad totum Siciliæ regnum auctoritate summi Pontificis extensum fuisse, vidimus* § 30. *Hic vero breviter agendum censeo de cultu* S. Rosaliæ *per varias Siciliæ diœceses, qui cœpit aut promotus est post corporis inventionem, presertim quia multis locis inchoatus est ob reliquias acceptas, et quia non pauca diversis locis obtenta sunt beneficia, quæ populi pietatem auxerunt. Cascinum hic ducem habeo, reliquis* S. Rosaliæ *scriptoribus diligentiorem, eumque fideliter sequar, sed quanta possum brevitate. Lib.* 3 *cap.* 4 *diœcesim Panormitanam percurrit auctor, et a Caccamo, ubi antiqua fuit* S. Rosaliæ *ecclesia, ducit exordium. Hoc oppidum anno* 1625, *die* VIII *Aprilis*, S. Rosaliam *elegit patronam, et aliquid reliquiarum impetravit a Cardinali Doria. Hæ reliquiæ ibidem magnifico apparatu exceptæ fuere, thecæque argenteæ, quæ dimidiatum exhibet corpus, inclusæ; ac quatuor clavibus obserata est theca.*

AUCTORE J. S.

vir ibi in lapsu illæsus, puer mutus loquela donatus,

341 *Non pauca in oppido isto narrantur* S. Rosaliæ *beneficia, quorum primum, quod in receptione reliquiarum nullus esset læsus, licet varii in manifesto fuissent periculo, præsertim unus, qui equo delapsus, hærenteque pede in scandula ephippiaria, per equum ad aliquod spatium attractus fuit sine læsione, Clarius tamen et certius miraculum est, quod subdit. Filiolus Hippolytæ Rossa, jam trienni major, tam erat mutus, ut ne balbutiendo quidem ullum umquam verbum protulisset. Hic cum matre sua videbat apparatum ignesque festivos, dum afferebantur prædictæ reliquiæ, manibusque lætitiam indicabat, cum ore non posset. Mater hæc videns, cum lacrymis puerulum* S. Rosaliæ *commendat. Paulo post bis clamantem audit. Dubitans tamen, an alterius non esset clamor iste, filium accedit et interrogat; hic vero matri recte respondet. Rogatus postea puer, a quo gratiam illam obtinuisset, libere et constanter respondit, loquelam sibi datam esse a* S. Rosalia, *quamvis id a nullo audivisset.* E

puer mortuus vita donatus, donec baptizaretur,

342 *Non minus est mirabile, quod subjungit. Catharina Gaita infantem utero gerebat mortuum, et triduo medicamenta sumpserat, quibus infans expelleretur, sicut demum est factum. Dum autem saluti matris a medicis prospiciebatur, infans non modo mortuus, sed etiam niger, positus erat in scamno alterius cubiculi. Accessit eo mulier quædam infantem visura, et mota commiserationis affectu,* S. Rosaliam *invocat his verbis:* Ah! S. Rosalia, quin miseram istam matrem baptismo saltem consolaris? *imponensque manum suam corpori, invocato* S. Rosaliæ *nomine, mox spirantem vidit. Itaque baptismus ploranti fuit datus; portatusque ad ecclesiam, obiit rursum, priusquam domum referretur.*

vulnera sanata,

343 *Josephus Ciaccio pessime vulneratus erat a biennio, tam in corpore quam in ore, totque erat doloribus plenus, ut cibum vix capere aut se movere posset. Hujus soror Margarita devota admodum erat novæ patronæ* S. Rosaliæ. *Per filiam igitur Vincentiam, undecim annorum puellam, oleum Sanctæ obtulit, eademque puella, invocata prius coram imagine* S. Rosaliæ *ope, nonnihil olei ex lampade illius ab ecclesia domum retulit.* F *Hoc oleo Margarita os vulneratum fratris sui unxit; eique bibendam dedit aquam, cui aliquid imposuerat de lapide sepulcri* S. Rosaliæ. *Hisce factis, æger dormire primum, deinde manducare cœpit sine dolore; et sex diebus omnino convaluit.*

pueri quatuor sanati

344 *Infans decem mensium, cui nomen erat* Simon Sedeli, *tortis erat oculis, incurvato corpore, tamque debilis, ut nec brachia nec caput posset elevare: nec se movere poterat, sed prorsus erat inutilis, cum totum corpus esset instar pulmonis. Die* III *Septembris in pervigilio* S. Rosaliæ *ante pectus hujus infantis ligaverunt gossipium, quod reliquias* S. Rosaliæ *attigerat, cum exiguo frusto lapidis sepulcri ejusdem; et sic infantem cunis imposuerunt. Mox infans manus elevavit, quæ semper fuerant immobiles, oculi etiam ad rectum statum conversi sunt, omniaque membra vigorem acceperunt. Hæc in pervigilio. In ipsa vero festivitate, quæ tunc prima vice celebrabatur miro cum apparatu et devotione magna, tres pueros hernia laborantes sanitati restitutos testatur Cascinus, addens reliquias Sanctæ*

AUCTORE J. S.

ctæ per totum octiduum venerationi fidelium mansisse expositas.

Reliquiæ Ciminnam portatæ, ubi varia beneficia obtenta:

345 *Ciminna, aliud diœcesis Panormitanæ oppidum, reliquias* S. Rosaliæ *accepit die* III *Septembris anni* 1625 *in ipso Sanctæ pervigilio; eæque sequenti die festo, reclusæ theca inaurata, longo supplicantium agmine comitante, ad sacellum novum, in ecclesia principe constructum, fuerunt delatæ. Festivitas quoque ad octo dies continuata est. Signa ibidem non defuisse testatur Cascinus; quin imo omnes sanatos asserit, atque inter illos hominem quinquagenarium, cui nomen erat* Paulinus Santoro, *e gravi hernia sanum factum. Tres alios occasione festivi apparatus periclitatos, et illæsos fuisse testatur, videlicet Franciscum Cagnera, lapsum sub equum; Nuncium Scimeca, gravi pondere ex alto in dorsum ipsius ruente; et Leonardum Paulici, qui lapides pro sacello cædens, cum tota rupe, cui insidebat, in aliam rupem sic præcipitatus est, ut conterendus videretur. Omnes hi occupabantur ad honorem* S. Rosaliæ; *atque hæc ipsos illæsos servasse creditur.*

B

Misilmerii pestis ad tempus cessat, dum Sanctæ paratur pecunia,

346 *Misilmerium, in eadem diœcesi situm, mense Martio anni* 1625 *pestilentia laborabat, quando statuerunt incolæ ad* S. Rosaliam *recurrere, et ejus imaginem Panormi pingendam curare, atque ecclesiam ædificare* S. Rosaliæ *dedicandam. Hunc in finem die* XIII *Aprilis stipem cogere cœperunt: atque eodem die cessavit pestilentia. Tam subita gratia attoniti incolæ, lætique et grati, ubi post quindecim dies imaginem* S. Rosaliæ *absolutam Panormi intellexerunt, festivo cum apparatu eam per plurimos delegatos afferendam curarunt, quando nova gratia obtigit Antonio Corso, qui auctor fuerat implorandi opem* S. Rosaliæ. *Venerat is eques cum aliis, ut* S. Rosaliam *veneraretur: verum dum parat descendere, equus explosionum strepitu territus, in pedes se erigit, et super excussum equitem collabitur, tantumque ei vulnus infligit, ut duabus horis instar mortui esset, et aut mortuus crederetur, aut brevi moriturus.*

aliud beneficium dum defertur Sanctæ imago,

347 *Verum, lugentibus eo casu sociis, frater Leo guardianus vicini cujusdam Conventus beatæ Mariæ, recordatur se habere aliquid reliquiarum* S. Rosaliæ, *idque jacenti applicat. Ille vero mox respirat, sanctam Patronam suam*

C

invocat, et resurgit. Vulnus quoque deinde sanatum est solo oleo S. Rosaliæ. *Ubi prædictus Antonius Corso e lapsu recreatus erat, omnes deputati iter prosequuntur usque ad ecclesiam beatæ Mariæ in monte Gebel Ros, ubi guardianus erat mox memoratus frater Leo, atque istic imaginem deponunt, ut post aliquot dies eamdem solemniter Misilmerium deferrent. Dies solemnitati assignatus erat primus Maii: deinde vero rem differre voluerunt usque ad sequentem Dominicam, ut parandis omnibus plus esset temporis. Verum Deus aliter ordinasse videtur: nam pestis, quæ septemdecim diebus cessarat, rursum se manifestavit nocte primum Maii præcedente, infectis tribus personis. Qua de causa sine dilatione imago Sanctæ ad oppidum perlata est die* I *Maii, sicut primo fuerat decretum. Totum supplicantium agmen, mulieres æque ac viri, nudis pedibus incedebat per montem asperum, et sic pari pietate et apparatu imago ad ecclesiam principem delata est, ibique relicta, donec propria ipsius ecclesia esset perfecta.*

348 *Festivitas per octo dies continuata est mira populi devotione; nec desiderata sunt Sanctæ beneficia. Mulier, cui nomen Francisca Bella, duobus mensibus continuis sic laboraverat brachio, latere et femore arido, ut se movere non posset. Cum autem sciret* S. Rosaliæ *imaginem per plateam transferri, ad januam domus suæ per terram se attraxit; pieque pro impetranda sanitate precata est. Lapsa est primum sensibus destituta exiguo tempore. Deinde surrexit sana, et sacram imaginem secuta est, mirantibus omnibus, qui ejus infirmitatem noverant. In alia platea Josepha Compagno obviam imagini se stitit ad januam, portans infantem suum, qui semper erat inclinato capite, et clausis oculis, quod nec caput elevare nec oculos posset aperire. Accepit ibi frustum lapidis sepulcralis* S. Rosaliæ; *idque filioli sui oculis applicuit. Ille vero mox oculos aperiens vidit, caputque elevavit, omni malo liberatus.*

D

plura impetrata in festivitate,

ac demum, accepta imagine, pestis omnino depulsa

349 *Post hæc Cascinus, cujus verba Latina faciam, ita prosequitur:* Verum paucæ hæ sunt gratiæ, si eas conferre velimus cum gratia universali perfectæ liberationis a peste, quæ tamsa subito concessa est, ut post introductam imaginem nullum amplius secutum sit malum. Nonnulli vero, quorum malum glandularum indicio erat detectum, nempe Petrus Vita, Marius Damiano, et Joanna Constantina, atque hæc quidem pro mortua habita, subito sanati sunt. Quapropter, finitis quadraginta purgationis diebus, et pro majori cautela aliis quindecim; in altera supplicatione, qualis prior fuerat, circumlata est sacra imago, cantatusque hymnus TE DEUM, ut Sanctæ et Deo ipsi gratiæ agerentur de perfecta liberatione. Tertia supplicatio instituta est die V Octobris, exstructis arcubus triumphalibus, majorique solemnitate adhibita; quia imago ferebatur primum ad ecclesiam propriam, unaque reliquiæ Sanctæ. Cantata ibidem est Missa, et post Vesperas translatæ reliquiæ ad ecclesiam majorem: ac demum Sancta fuit electa Patrona, comitante festivitate et plausu universali. *Hactenus Cascinus.*

E

Reliquiæ Thermas missæ

350 *Pergit ille mox ad aliam ejusdem diœcesis civitatem, maritimam et splendidam, quæ Latinis* Thermæ, *Siculis* Termine *dicitur. Civitas hæc, ut notat, jam manifesto miraculo infra referendo beneficam* S. Rosaliæ *opem experta erat, quando Cardinalem archiepiscopum Panormitanum humiliter rogavit, ut aliquid sibi communicare dignaretur ex Sanctæ reliquiis. Annuente Cardinali, ad recipiendas reliquias deputatus est unus e magistratibus D. Michael Angelus Anfuso cum rectore collegii Societatis Jesu, P. Jacobo Domenichi; quibus die* VII *Junii anni* 1625 *reliquiæ datæ sunt cum instrumento donationis authentico. Translatio hæc facta est via maritima, sacræque reliquiæ, theca argentea reclusæ, altari, quod in puppi navis extructum erat, per archidiaconum Thermensem reverenter sunt impositæ. Magnificum duodecim navium comitantium aliarumque rerum apparatum dabit Cascinus desideranti: nam similia plerumque omittenda censui, ne justo sim longior.*

F

ibique Rosalia solemniter electa patrona:

351 *Illud unum cum ipso, qui adfuit, observo, ventum fuisse contrarium et vehementem, ita ut mare intumesceret, quando redeundum erat Thermas, postquam donatæ erant sacræ reliquiæ. Verum hisce navi impositis, ventum mox mutatum mareque placatum testatur, ita ut, mirantibus omnibus, qui aderant, secundo vento feliciter proveherentur, et ne candelæ quidem, coram reliquiis accensæ, in puppi extinguerentur.*

Postquam

A *Postquam felici navigatione Thermas delatæ erant reliquiæ, impositæ sunt statuæ eleganti, magnificoque cum apparatu a supplicantibus circumlatæ, super altare principis ecclesiæ sunt depositæ, ibique Sancta civitatis electa est patrona, continuata per triduum solemnitate; ac eidem Sanctæ novum sacellum in ecclesia jam dicta fabricari cœptum. Præterea anno 1629 nova ecclesia ibidem Sanctæ dedicata, et instituta confraternitas sub ejus nomine, ipso Cardinali Doria primam Missam istic celebrante in festo inventionis die* XV *Julii.*

puella ibidem sanata

352 *Duo miracula valde authentica Thermis contigisse testatur Cascinus. Prioris, quod præcessit, supra mentionem feci; idque ex Cascino sic contraho. Filiola Josephi et Elisabethæ Aidone, diebus tantum quadraginta nata, graviter ægrotare cæpit febribus, vomitu, inflatione horrenda partis capitis, frontis, ventris, pectoris, humerorum. Accedebat debilitas crurum, quæ movere nequibat; hernia, et difficultas respirandi, ita ut non modo insanabilis, sed moribunda crederetur, uti juramento confirmarunt medici.* B *Medicamina quidem illi dederunt aliqua, sed sine ulla spe sanationis. Ubi vero miracula* S. Rosaliæ *innotescere cœperunt; mater infantis conata est obtinere particulam ex lapide sepulcri* S. Rosaliæ. *Acceptam particulam aquæ imposuit, idque solum medicamentum infanti adhibuit, curans interim aliquot Missæ sacrificia ad honorem Sanctæ celebranda, et ejusdem imaginem frequenter invisens. Bibebat puellula quotidie de prædicta aqua, atque ita octo diebus perfecte sanata est. Qua de causa mater filiam suam, quæ* Paula *nominata fuerat in baptismo, deinde* Rosaliam *vocavit ad honorem Sanctæ.*

et S. Rosaliæ imago in incendio illæsa.

353 *Alterum ita fere exponit Cascinus. Thermis degebat Siciliæ prorex, ut balneis uteretur: quando in cubiculo, ubi dormiebat nobilis dominus Franciscus Zuniga, ortum est repentinum et grande incendium. Habebat ille imaginem papyraceam* S. Rosaliæ *muro affixam, atque ea de causa mortem evasisse creditur. Certe opportunum habuit subsidium se eripiendi incendio, et periculum evasit. Postquam autem flamma erat exstincta, repererunt lectum aliamque supellectilem combustam, totum vero cubiculum undique* C *ambustum; donec venerunt ad imaginem, quam non conbustam, sed a flammis allambentibus tactam viderunt, et aliquid solum ex limbo combustum. Multi viri nobiles id testati sunt, et miraculum crediderunt, ideoque hæc imago diligenter servata,* quæ hodie, *inquit Cascinus*, conservatur in collegio Panormitano Societatis Jesu cum scriptura de facto miraculo. *Scripturam hanc mihi communicavit P. Noto, atque ex ea huc transfero pauca. Res contigit anno 1626. Franciscus Zuniga erat ephebus aulicus D. Antonii Pignatelli Tavaræ marchionis. Factum vero, eodem modo ibi relatum, sic confirmatur:* Exstant hac de re conscriptæ litteræ a Benedicto de la Costa, per id tempus urbis Thermitanæ duce, ad Joannem Alarcon proregis œcomomum, regis arcis præfectum, qui de omni hac re ad nos ipse retulit, et apud nos hanc eamdem imaginem ad perpetuam miraculi memoriam servari voluit etc. *Scripsit hæc sub imagine, etiamnum servata, P. Joannes Scorsus Societatis Jesu. Hæc de diœcesi Panormitana, a qua cum Cascino ad vicinam diœcesim Montis regalis gradum facimus.*

§ XXXIV. Cultus reliquiæ et miracula in diœcesibus Monteregalensi, et Cephaleditana.

Reliquiæ Monte regali acceptæ, et Sancta electa patrona, dein cessat pestis:

Mons regalis, *Siculis* Monreale, *licet urbs modica, et quatuor solum milliaribus Panormo dissita, archiepiscopali tamen dignitate jam a seculo* XII *ornata fuit. Urbs hæc æque ac vicina Panormus peste laborabat anno* 1625, *quando reliquias* S. Rosaliæ *studiose flagitavit et obtinuit. Datæ hæ fuerunt a D. Vincentio Domenichi, cujus opera multum utebatur Cardinalis Doria; et prope Montem regalem exceptæ sunt ab ipso urbis archiepiscopo, Hieronymo Venero, a quo statim fidelium venerationi ibidem sunt porrectæ, electaque* S. Rosalia *Montis regalis patrona. Deinde reliquiæ magnifica pompa, qua item præcedentia erant peracta, in urbem delatæ* E *ad ecclesiam metropolitanam, comitante longo supplicantium agmine, ibique decantatus hymnus*, Te Deum. *Facta hæc sunt* XX *Maii anni* 1625: *sequenti vero die Missa solemnis decantata, ac confirmata Patronæ electio. Decreta quoque solemnis supplicatio in diem tertium Pentecostes, et altera in* IV *Septembris.* Neque *inquit Cascinus,* irrita fuit devotio et fides istius urbis, quia intra dies quadraginta *pestilentiæ* malum cessavit.

alia ibidem impetrata beneficia.

355 *Duas gratias particularibus personis divinitus factas, quas* multis testimoniis *probatas ait, subjungit hoc fere modo. Elisabetha Lais Religiosa monasterii S. Castrensis, manum tumore non magno affectam habuerat ab annis quindecim. Verum tumor ille triduo ante translationem reliquiarum* S. Rosaliæ *tantum ei creabat dolorem, ut opem divinam implorandam crediderit, manumque argenteam* S. Rosaliæ *voverit, si dolore illo liberaretur. Nuncupato voto, ubi applicuerat aliquid de lapide sepulcrali* S. Rosaliæ, *dolor illico recessit, et post tres horas ipse etiam tumor evanuit. Secundum sic fere narrat. Petrus Sgroi, duorum annorum puer, jam sexdecim mensibus hernia tam gravi laborabat, ut viscera quotidie* F *sæpius effluerent, nec statui suo restitui possent sine magno ipsius dolore. Id accidit demum tanto cum periculo, ut jam lividus esset et moribundus; quando mater opem* S. Rosaliæ *imploravit his verbis:* Ah! S. Rosalia, sana mihi hunc filium, aut ipsum accipe: nam talem non desidero. *Res mira! Mox viscera sine ope alicujus naturalem situm tam bene repetierunt, ut deinceps semper manserit sanus.*

Sancta patrona electa Corleone;

356 *Ex præcipuis diœcesis Monteregalensis oppidis est* Corleonis, *Cascino* Corleone, *in mappis* Coriglione *dictum. Oppidum est mediterraneum et unius fere diei itinere Panormo dissitum, quod gravi pestilentia laborare cœperat mense Decembri anni* 1624, *et postmodum varia nequidquam adhibuerat remedia tam naturalia, quam divina Sanctorum opem implorando. Demum incolæ prædicti oppidi, exemplo Panormitanorum excitati, die* XIX *Martii anni* 1625 S. Rosaliam *elegerunt patronam, eique ecclesiam erigere; ac ejusdem reliquias Panormi flagitare decreverunt. Verum, postquam audiverunt reliquias Panormi obtentas, cum ecclesia tam*

AUCTORE J. S.

tam cito ædificari non posset, sacellum interim in loco ecclesiæ deputato mira alacritate erexerunt, ibique imaginem Sanctæ deposuerunt. Porro dies statutus pro translatione reliquiarum erat XVI *Junii, et præcedenti die deputati Corleonenses Panormum discesserant, quando nocte diebus interposita jam se benignam Corleonensibus, ostendere cœpit* Rosalia.

ubi mulier cum tribus filiabus per apparentem Sanctam sanata ;

357 *Factum ex Cascino tradam compendio. Decumbebat illa nocte multum afflicta Francisca Palumbo, quia maritus ipsius peste infectus erat ac delatus ad publicum infectorum valetudinarium, ipsaque domi segregata cum tribus filiabus, quas jam infectas deprehenderat. Somnum præ nimio dolore capere non potuerat, quando lumen vidit, aut certe se videre credidit, ita ut existimaret jam diem esse. Cum tamen caput fatigatum utcumque recreare vellet, et decumbere pergeret; vocem audit, seque vocari credit. Audiens vero esse* S. Rosaliam, *a qua vocabatur, orat pro marito et pro tribus filiabus, ac demum pro se, ut capitis dolore liberaretur.* Rosalia *autem omnes sanandos, ac urbem quoque malo liberandam in adventu reliquiarum* B *suarum promittit; ipsamque Franciscam visa est ter attingere. Demum simulac visio, quæ ipsi videbatur diu durasse, evanuerat; lecto exsilit, et, cum jam dies esset, totam visionem vicinis enarrat : ad filias quoque suas accedit, ac omnes reperit sanas, sic tamen, ut in locis corporum, ubi infectæ fuerant, relicta essent vestigia. Ea de causa natu minimam, quæ sex solum mensium habebat ætatem, et* Nuntia *fuerat appellata,* Rosaliam *nominavit. Mariti etiam et totius civitatis sanitas postmodum est secuta, ut dicetur.*

delatis eo Sanctæ reliquiis,

358 *Jam vero prædicto die* XVI *Junii legatis Corleonensibus reliquiæ Panormi traditæ sunt cum litteris fidem earum attestantibus, adjunctaque et alia particula ejusdem Sanctæ a P. Vincentio Galetti Societatis Jesu, qui eam antea acceperat. Legati e magistratu Corleonensi erant Franciscus di Plata et Octavius Ferzano : reliquias vero portabat Marcus Rizzi, vices gerens archipresbyteri Corleonensis. Cæremonias tam Panormi quam in itinere servatas, quæ magnificæ erant, refert Cascinus. Beneficia vero a* C *Corleonensibus impetrata huc breviter transfero. Quando reliquiæ oppido inferebantur, quinquaginta erant in valetudinario pestilentiosorum, qui adeo erant infecti, ut mortem magis quam sanitatem exspectarent. Verumtamen cum reliquiæ ferrentur per loca vicina, exhortantibus Capucinis, qui illis assistebant, se transtulerunt, quo quique poterant modo, ad locum, unde transeuntes videre poterant reliquias, ibique ad earum conspectum alta voce misericordiam implorarunt, nec frustra : nam omnes ad lectos suos redierunt pedites, et tam fortes, acsi nullum paterentur malum : omnes quoque brevi convaluerunt, et primus omnium liber egressus est maritus Franciscæ Palumbo, ut huic antea prædixeral* S. Rosalia, *in somnio aut visione supra relata.*

cessat pestilentia :

359 *Reliquiæ autem eo die extra civitatem depositæ sunt in ecclesia nobilis monasterii S. Mariæ Magdalenæ virginum, ibique per octiduum veneranter servatæ sunt a monialibus, et populi concursu honoratæ. Postea vero, quia absolutus necdum erat apparatus, qui pro solemnitate parabatur, et quia, non amplius se dilatante peste, Sanctæ favor jam percipiebatur ; ad Capucinos* D *delatæ sunt, ut ibidem manerent et interim colerentur a populo, donec plena salus esset obtenta et civitas expurgata. Hæc mora erat prolixior, quia post sanatos ægros quadraginta dies purgationi erant deputati, ita ut interim non modo instrui posset splendidus apparatus, sed nova etiam Sanctæ ecclesia perficeretur, ut insinuat Cascinus, asserens multa oblata esse Sanctæ munera in nova ecclesia. Itaque die* XXX *Augusti, ubi constabat de plena liberatione et purgatione totius civitatis, hymnus* Te Deum *fuit decantatus, et die 2 Septembris publicata est solemnis festivitas pro die sequenti* III *Septembris, post quam et aliæ quædam festivitates magnifico apparatu celebratæ sunt, ut fusius narrat Cascinus ; longe vero plura oblata sunt dona votiva pro gratiis a particularibus personis obtentis, quas innumeras fuisse ait, referens e multis aliquot, quas huc transfero.*

plurima alia beneficia

360 *Petrus Nicolosi, viginti annorum juvenis, corpore erat tam debili et dissoluto, ut ad omnia fere esset inutilis. Verum, quando reliquiæ* S. Rosaliæ *transibant, a suis ad januam fuit positus ; invocataque ibidem Sancta, mox corporis sanitate et vigore donatus est. Andreas* E *di Giovanni et Catharina di Nino gutturis malo liberati sunt. Helena Perricone et Margarita Patella visum, quem omnino aut fere omnino amiserant, receperunt. Tres mulieres partus malo liberatæ sunt, nimirum Margarita Catalanotto et Vincentia Nasello, quæ solebant semper abortum pati, et Catharina Mangiardo pariendi impotentia. Tres e gravi lapsus malo convaluerunt, videlicet soror Perla Bracco, quæ præ nimia corporis gravitate e lapsu periclitabatur ; Joannes Antonius Catalanotto puer, cui brachium erat confractum ; et Matthæus Rombardo, puer item sexennis fere aut septennis, qui femur habebat ruptum. Evidentius fuit periculum Francisco lo Cascio, qui pro ecclesia* S. Rosaliæ *constructa saxum gerebat ponderis justo majoris, atque ea occasione sic labebatur, ut vultus ipsius esset medius inter saxum istud dilabens et aliud. Accurrentes caput ejus comminutum credebant hominemque mortuum : at eumdem repererunt sine ullo mali vestigio, et intellexerunt* S. Rosaliam *ab eo fuisse invocatam. Præterea tres pue-* F *ri e gravissima percussione, quæ mortem illatura videbatur, Sanctæ patrocinio convaluerunt. Primus est Vincentius Romano septennis, tam gravi pondere percussus, ut mortui instar laberetur. Duo alii Antonius et Dominicus Licata, prior novennis, alter anniculus, molæ ictu ambo contriti, et pro mortuis habiti, invocatione et oleo* S. Rosaliæ *subito sani fuerunt et incolumes.*

in eadem civitate impetrata·

361 *Adjungit multos, variis infirmitatibus morti vicinos fuisse sanatos votis* S. Rosaliæ *nuncupatis. Tales sunt Paulus Butera, Philippus Mangano, et duo infantes biennes circiter aut triennes, nimirum Josephus Bosso et Isidora Mistretta. Vincentius Montalbono a medicis pro moribundo habebatur, atque ut talem sequenti die eum relinquere volebant. Verum ille* S. Rosaliæ *opem imploravit, et sequenti die tamquam sanus revera a medicis fuit derelictus. Demum multi, qui in variis corporis partibus jam peste infecti erant, inter quos tredecim infantes, convaluerunt. Hæc de Corleone. Cascinus, beneficia* S. Rosaliæ *ob multitudinem mira brevitate recensens ; observans tamen in fine, Sanctam erga infantilem ætatem præcipue se benignam præbuisse.*

A *buisse. Nunc cum eodem ad diœcesim Cephaleditanam progredimur.*

Reliquiæ Cephaledem delatæ:

362 Cephaledis, *vulgo* Cefalu, *urbs est maritima, nonnihil procurrens in mare Tyrrhenum, et episcopalis sub archiepiscopo Messanensi. Culta jam fuerat* S. Rosalia *in hac diœcesi ante inventionem corporis. At, corpore invento, vulgatoque Sanctæ patrocinio contra pestem, Cephaleditani primum sibi procurarunt terram e Sanctæ spelunca acceptam, tamquam amuletum contra pestilentiam. Deinde vero conati sunt Panormi aliquid reliquiarum impetrare, idque haud difficulter obtinuerunt. Ubi vero intellexerant reliquias sibi concedendas, honorificam legationem via marina miserunt Panormum, ubi die* XXVI *Maii anni* 1625 *extra urbem desideratas reliquias accepit D. Joannes Sanfilippo, vicarius generalis episcopi Cephaleditani, qui easdem navi super erectum altare impositas perduxit Cephaledem. Exceptæ vero hic fuerunt magno omnium gaudio multisque cæremoniis, et a supplicantium agmine circumlatæ per urbem, ipso assistente episcopo. Depositæ primum sunt in loco ad id eleganter parato in sacello sanctissimi Crucifixi, donec paratum esset proprium Sanctæ sacellum,* B *quod ædificabatur.*

quæ civitas a peste mansit libera:

363 *Deinde vero illatæ sunt sacello proprio, ibique mira populi devotione, donisque votivis honoratæ. Mansit hæc urbs intacta a peste, idque* S. Rosaliæ *patrocinio a civibus attributum fuisse testatur Cascinus.* Hinc, *inquit, populus* se gratissimum et devotissimum exhibuit, non aliud nomen in ore habens quam S. Rosaliæ, invocans illam magna reverentia in omni necessitate. Sancta vero votis eorum non defuit, quamvis tot gratiarum notitia mihi hactenus communicata non sit, nisi unius sanationis subitæ a malo calculi, quæ facta est oleo lampadis. *Festivitas Sanctæ celebrata est* IV *Septembris, decretumque ut id fieret singulis annis.*

reliquiæ item Politii et Sclafani

364 *In Diœcesi Cephaleditana est Politium oppidum non ignobile et mediterraneum, vulgo* Polizzi *dictum. Tres particulas reliquiarum* S. Rosaliæ *ad eam civitatem anno* 1625 *portatas asserit Cascinus, dicens duas priores advenisse mense Junio: unam ex iis depositam esse in ecclesia Fratrum Minorum de Observantia; alteram in monasterio monialium S. Benedicti, quod vocatur* Abbatia nova : *tertiam vero particulam* C *advenisse mense Augusto, et depositam esse in principe civitatis ecclesia. Festivitatem quoque Sanctæ magna populi pietate eodem anno celebrari cœptam die* IV *Septembris, idque ex decreto facto continuandum quotannis. Sclafanus in eadem diœcesi patrocinium* S. Rosaliæ *promereri studuit: nam anno* 1625 *primum elegantem Sanctæ imaginem sibi pingendam curarunt, et coram ea, super altare posita, lampadem perpetuo ardere voluerunt. Mense vero Decembri reliquias impetrarunt, easque honorifice exceperunt, concurrentibus ad solemnem supplicationem etiam vicinorum locorum incolis. Plura de hisce non tradit Cascinus, quocum diœcesim Mazarensem invisemus.*

§ XXXV. Cultus, reliquiæ, et beneficia Sanctæ in diœcesi Mazarensi.

Reliquiæ translatæ Drepanum,

Hactenus cum Cascino perlustravimus diœceses Siciliæ in ora Boreali sitas: nunc vero pergimus ad partem Australem, ubi Mazara est, urbs episcopalis sub archiepiscopo Panormitano. Non tamen ab ipsa Mazara exordiemur, sed pro tempore acceptarum ab ipsis reliquiarum varias illius diœcesis civitates adibimus, ducem sequentes Cascinum. Primum hoc ordine est Drepanum, incolis Trapani, *urbs maritima in ora Occidentali et emporium celebre. Drepanum autem, teste Cascino, ante Panormum peste laborare cœpit, et primum ex omnibus Siciliæ urbibus infectum est. Primum quoque hoc malo liberatum scribit patrocinio S. Alberti, antiqui urbis patroni, sed ad tempus dumtaxat, ita ut pestis deinde iterum recrudesceret. Flagitarunt igitur Drepanenses* S. Rosaliæ *reliquias, easque consecuti sunt. Attamen ne pestilentiæ periculum augeretur, si multos ad eas transferendas ablegarent Panormum, curarunt reliquias Drepanum cum litteris authenticis deferendas sine solemnitate; at non ignorante populo, cujus in earum adventu ingens erat concursus Drepani. Translatio illa facta est* I *Maii anni* 1625 : *ac deinde festivitas translationis summa solemnitate est celebrata die Dominica* XI *ejusdem mensis, reliquiæque per octiduum venerationi fidelium expositæ in ecclesia S. Rocchi, ibique donis votivis miraque populi devotione honoratæ.* E

ubi cito sublata pestilentia.

366 *Porro beneficam fuisse* S. Rosaliam, *evidentiaque fuisse ipsius beneficia, testatur Cascinus. Nam primo asserit, nullam domum a tempore acceptarum reliquiarum recenti pestilentia fuisse infectam: secundo, nullam personam in domibus infectis pestilentiam ab eo tempore contraxisse*, una forsan excepta, *inquit. Tertio gratiam integræ domui in transitu reliquiarum præstitam hoc fere enarrat modo. Alexander Specchi, Romanus patria, habitabat Drepani; et in domo ejus jam quinque personæ pestilentia occubuerant. Duæ aliæ eodem laborabant malo, et filiola ipsius morti erat vicina. Ipse autem et uxor ipsius, se male etiam habentes, cum reliquis domesticis ad aspectum reliquiarum se humi prosternunt, et misericordiam implorant.* Mox domus illa conspersta fuit aqua sacra a presbytero, et reliquiæ per viam suam procedentes, illam vere reliquerunt expurgatam: nam sanata est filiola, aliique ægroti: nec ullum deinde ibi fuit malum, sicut nec in civitate, jam omnino purgata solo reliquiarum circuitu. *Qua de causa, cessantibus morbis, adhibitisque cautelis solitis quadraginta dierum, in gratiarum actionem decantatus est hymnus* TE DEUM *die* XXVI *Julii; et prædictus Alexander Specchi elegantem lampadem ex argento donum misit* S. Rosaliæ. *Ab aliis quoque ecclesiis Drepanensibus acceptas deinde esse nonnullas* S. Rosaliæ *reliquias, adjungit auctor.* F

Reliquiæ Marsalæ: alterum ibi beneficium, alterum in mari:

367 *Inter Drepanum et Mazaram sita est Marsala, civitas item maritima, ubi haberi reliquias* S. Rosaliæ *in ecclesia Societatis Jesu, S. Stephano dicata testatur Cascinus, tale referens beneficium. Frater Gabriel Panormitanus ex Ordine S. Francisci de Paula, ruptam habebat venam*

AUCTORE J. S.

venam pulmonis, eaque de causa per octo dies continuos tantam vomebat sanguinis copiam, ut non amplius ageretur de humanis remediis, sed de extrema Unctione. Verum unum e Patribus Societatis rogavit, ut reliquias S. Rosaliæ ad solamen suum afferret. Ille vero prædictas reliquias aquæ imposuit, eamque ægroto bibendam dedit. Mox desiit sanguinis vomitus; et sanatus est æger, fatentibus medicis opus esse natura superius. Die VI Octobris anni 1626 Marsalam appulit navis Melitensis, quæ horribili tempestate fuerat jactata. Nautæ aliique deinde narrarunt Josephum Giunta, patria Messanensem, et unum e duobus Fratribus Societatis Jesu, qui in navi fuerant, habuisse quidpiam reliquiarum S. Rosaliæ, idque, cum tempestas sæviret sine intermissione, mari immisisse: et confestim mare ita fuisse placatum, ut ad terram pertingere possent.

reliquiæ ad montem S. Juliani allatæ,

368 *Eryx, oppidum Drepano vicinum, alias* Mons S. Juliani *dictum, per annum integrum a peste in Sicilia regnante fuerat immune, quando mense Junio anni* 1625 *etiam fuit infectum, non credentibus tamen incolis malum esse pestilen-* B *tiæ, quo multi occumbebant. Ad hoc oppidum via marina portatæ sunt reliquiæ* S. Rosaliæ *pro ecclesia Fratrum Prædicatorum, receptæque sunt pia supplicatione, non magno tamen cum apparatu, et in memorata ecclesia depositæ. Mox eodem die occurrere cœperunt, qui malo infecti erant et eatenus latuerant, tamque manifesta præ se ferebant pestis indicia, ut de malo non amplius dubitaretur, et domus suspectæ declararentur sexaginta, et paucis diebus usque ad trecentas; ac trecenti intra dies viginti morerentur. Detecto sic malo, cum postea et aliæ reliquiæ adferrentur pro ecclesia monasterii Salvatoris, et aliæ pro ecclesia S. Petri, in qua sacellum Sanctæ dedicatum est, longe majori affectu fuerunt exceptæ. Aliam insuper particulam eo delatam insinuat, at non indicat, ubi fuerit deposita. Quod vero spectat ad depulsionem pestilentiæ, multas gratias particularibus præstitas affirmat ante gratiam universalem.*

ubi multi prius sanati, ac deinde totum oppidum peste liberatum.

369 *Paula di Pomo sanata est, bibita aqua, cui impositæ fuerant reliquia. Pulvis lapidis sepulcralis saluti fuit filio Antonii Selvaggio. Alii utrumque adhibuerunt, uti tres sorores et frater unus Antoniæ Voltagio, quæ etiam vota pro ipsis* C S. Rosaliæ *nuncupavit: hujus mater ac soror una jam ante peste erant mortuæ. Initio mensis Julii duo sacerdotes sanati sunt. Horum primus gravissima laborans peste vovit thecam argenteam, cui reliquiæ Sanctæ imponerentur. Alter Leonardus Theodoro, cum duobus domesticis infectus, reliquias Sanctæ e monasterio S. Petri supra limen domus suæ ponendas curavit; et desideratam sanitatem cum suis obtinuit. Catharina et Vincentia Voltagio, mater et filia, peste erant infectæ, sed filia gravius, oculis clausis laborans. Cum hæc se mente commendaret* S. Rosaliæ, *et aliquid ei munusculi offerre vellet, nihil occurrebat nisi annulus digiti. Hunc vicino suo tradidit offerendum, eumque rogavit, ut aquam cui impositæ fuerant reliquiæ, afferret. Allatam bibit cum matre, et ambæ sanatæ sunt: reliqui vero domestici a malo fuere intacti. Circa finem ejusdem mensis Angela Lombardo, laborans peste cum tribus filiis, sola invocatione, et voto Sanctæ nuncupato, cum iisdem subito sanata est. Antonia Pirrone, in cujus brachiis Antonius maritus, professione medicus, peste erat mortuus, cum ipsa eodem malo laboraret, ferventer invocavit* D S. Rosaliam, *eamque visa est noctu videre in somno; mane vero se sanam reperit. Rosalia Piraino peste laborans et gravida, cum ad partus labores pervenisset sine obstetrice, opem imploravit* S. Rosaliæ, *prolemque feliciter enixa est; atque hæc et illa vixerunt a peste liberæ. Concludit Cascinus dicendo, se multa alia referre posse beneficia eidem oppido concessa, sed ea ob similitudinem omittere tanto libentius, quanto certius ex omnium confessione constat, totum demum oppidum peste fuisse liberatum.*

Reliquiæ portatæ Mazaram, ubi Sancta est patrona;

370 *Ipsa civitas episcopalis Mazara, a qua una e tribus Siciliæ partibus* Vallis Mazaræ *nominatur,* S. Rosaliam *elegit patronam, et ejusdem reliquias impetravit Panormi, ut Sanctæ festivitas quotannis celebraretur ritu solemni. Non refert Cascinus, quo anno facta sit ista translatio; sed testatur reliquias fuise obtentas per Marcum la Cava Mazarensem episcopum, qui, teste Pirro tom.* 2 *pag.* 528, *defunctus est anno* 1626, *die* IV *Augusti, ita ut translatio certo facta non sit post illud tempus. Solemnitas autem translationis fuit splendidissimo apparatu, et præstanti Mazaren-* E *sium pietate, maxime insignis, ut fuse narravit Cascinus, qui videri poterit: nam mihi ad alia diœcesis oppida progrediendum est.*

item Castellum Veteranum translat,

371 *Non longe Mazara distat* Castellum Veteranum, *Siculi* Castel Vetrano, *quod pestilentiæ calamitates expertum est integro anno, ac simul cum Drepano et Panormo correptum fuit prædicto malo, teste Cascino. Hoc oppidum, audita inventione corporis* S. Rosaliæ, *ejusque potenti contra pestem patrocinio, primum ipsius imaginem curavit pingendam, eamque cum imagine S. Rocchi et Virginis Immaculatæ in eodem altari hunc in finem erecto collocavit. Deinde reliquias* S. Rosaliæ *diligente partivit, et obtinuit perticulas duas cruris et brachii, quibus et tertia accessit, per Fr. Hippolytum Panormitanum, Ordinis Minimorum, studiose obtenta. Hæ reliquiæ extra urbem Panormitanam traditæ sunt delegatis oppidi prædicti bene multis die* XIII *Junii anni* 1625, *portatæque honorifice versus Castellum Veteranum, ubi maxima solemnitate sunt exceptæ die Dominico* XXII *Junii, delatæque primum ad ecclesiam S. Francisci de Paula, ubi una ex tribus particulis est deposita; ubi etiam deinde sa-* F *cellum Sanctæ fuit exstructum. Aliæ vero particulæ ad principem ecclesiam sunt translatæ, ubique reverenter depositæ.*

ubi pestis extincta,

372 *Eodem die sacræ reliquiæ transierunt ante domum de pestilentia suspectam, ubi omnes in genua provoluti misericordiam Sanctæ implorabant. Porro testatur Cascinus, medicorumque duorum testimonio suum confirmat, non modo huic domui suspectæ, sed publico etiam infectorum valetudinario tantam gratiam præstitam, ut omnes infirmi convaluerint, ac intra mensem unum et medium nullos superfuisse infirmos in locis prædictis. Unus e medicis erat* Vincentius di Maggio, qui, *inquit,* clare testatur liberationem valetudinarii infectorum et domus suspectæ, seque ipsum sensisse se malo fuisse correptum, atque aqua S. Rosaliæ subito fuisse sanatum. *Alter erat* Franciscus Mirabella, *qui testimonium scripto dedit, sed prolixius, ideoque compendio referendum. Testatur primo, morbum credelissimum, qui per annum duraverat, subito benigniorem factum ad invocationem* S. Rosaliæ, *ab eaque expulsum. Secundo asserit, se certam illius rei habere notitiam, cum ultra centum*

A tum ægrotos visitasset, quos ex indiciis judicabat morituros: at sanos vidisse, invocata S. Rosalia, neque id contigisse secundum naturæ ordinem. Tertio de propria domo sua testatur, mortuum jam ibi fuisse famulum unum, clanguisse uxorem suam et nutricem filii, qui defectu lactis tantum non moriebatur: sed omnes subito convaluisse tactu lapidis sepulcralis S. Rosaliæ. Quarto affirmabat, sibi constare, a multis celatas esse gratias obtentas, ne cogerentur fateri se antea malum suum occultasse.

multa a particularibus

373 Præter hoc universale beneficium, particularia non pauca narrat Cascinus, eaque huc breviter transferam. Antonella Palagonia peste laborare cœpit pridie illationis reliquiarum: sequenti die suprema Sacramenta suscepit, et deinde nonnihil aquæ sacratæ cum lapide sepulcrali S. Rosaliæ eidem est datum. Tertia die, cum transferenda erat ad valetudinarium infectorum, inventa est quasi mortua, et pro mortua extra domum humi deposita, ut ante sepulturam ipsius lectus infectus domo efferretur. Redierunt deinde ad defunctam, ut credebant; sed non modo B vivam invenerunt, sed etiam sine peste, et omnino sanam. Attonitis tam subita mutatione, et causam sciscitantibus ipsa respondit, se eo momento sensisse quasi personam aliquam sibi appropinquantem, quæ, tacto capite, sibi dixerat: Surge, Antonella: gratiam impetrasti. Res hæc sane mirabilis. At non minus mirandum, quod sequitur. Ipso die ingressus reliquiarum Josephus Alexandri, redux a supplicatione uxorem suam invenit flentem, quia defuncta erat paulo ante filiola ipsorum, non nisi sex menses nata. Rosalia in baptismo fuerat nominata, ideoque mors illa parentibus S. Rosaliæ amantibus durior accidebat. Jam frigida erat infans, et fasciis suis exuta. Cum tamen recordaretur genitor, exiguam sibi esse reliquiarum S. Rosaliæ particulam; illam quæsivit, eaque frontem infantis et guttur tangit crucem formando, cum vox, calor et motus revertitur. Sanatam quoque fuisse infantem non enuntiat Cascinus, sed clare insinuat; asserit enim, annulum aureum a matre infantis S. Rosaliæ missum fuisse in gratiarum actionem.

obtenta beneficia.

C 374 Dæmones eodem die in energumenis timuisse Sanctæ reliquias, testatur Cascinus: ac Franciscam Accardo, quæ tribus annis fuerat obsessa, deinde cruciatu illo liberatam in ecclesia S. Francisci de Paula. Ipso etiam ingressus die melius habere cœpit Philippa Catalano, quæ per annum a demone vexata fuerat; et sequenti die prorsus liberata est. Gabriel Bassi diu laboraverat febri quartana; uxor vero ipsius Joanna jam biennio chiragra erat vexata. Hæc cum gravida esset, vovit, se nomen Rosaliæ daturam, si puella nasceretur: atque hoc voto ambo eodem illo die sunt sanati. Aliquot mensibus citius, nimirum mense Februario, idem plane votum nuncupavit Angela Pisciotta, peste cum marito suo infecta: atque ambo intra eumdem mensem convaluerunt. Die XV Martii a pestilentia sanati sunt Franciscus et Maria Cafaltari, frater et soror, post votum ab ipsorum patre nuncupatum. Hisce beneficium alterius generis subdit Cascinus, nimirum Raphaelæ Dionigi, virgini tertiariæ Ordinis S. Dominici, quæ in publico infectorum valetudinario decumbebat, sed præ nimia verecundia medicam manum nolebat pati, nec cilicium deponebat, quo erat induta, mandatum esse ab apparente S. Rosalia, ut medicis obediret; mortemque eidem a Sancta prædictam. Hactenus de gestis Castelli Veterani, ubi reliquias Sanctæ etiam haberi apud RR. PP. Prædicatores, adjungit in fine Cascinus.

AUCTORE J. S.

Reliquiæ Salemi: sanatio oleo S. Rosaliæ obtenta:

375 Salem aut Salemis, Siculis Salemi, oppidum ejusdem diœcesis mediterraneum, habet sacellum S. Rosaliæ dicatum in ecclesia S. Mariæ de Jesu, Sanctamque eamdem elegit Patronam, ac solemni ritu festivitatem quotannis celebrat. Reliquiæ quoque in eadem ecclesia servantur: aliæ vero ibidem habentur in ecclesia Societatis Jesu, S. Ignatio sacra. Hisce Cascinus subdit beneficium, quod cuidam ex oppido Carinensi in eadem diœcesi præstitum fuit. Josephus Lazara gravi vulnere laborabat in gutture; malumque credebatur immedicabile. Venit is Panormum, maloque suo adhibuit oleum e lampade S. Rosaliæ, atque aliquid illius olei secum tulit in lagenula. Verum medici varia quoque ipsi remedia dederunt, et secum item tulit lagenulam ab iis præparatam. Cum autem domui propinquus esset, in descensu cecidit, rupitque cadendo lagenulam medicam. Credidit igitur nolle S. Rosaliam, ut oleo suo alia adjungerentur medicamina, præsertim quia mox se sensit sine dolore, ita E ut manducare posset et bibere. Ita solo illo oleo sanatus est.

Alcami reliquiæ, ac pestis sublata.

376 Alcamus in eadem diœcesi S. Rosaliæ sensit patrocinium. Hoc oppidum, uti æquali fere distantia inter Panormum et Drepanum est medium, ita utriusque urbis pestilentiam communem habuit, et ad eamdem confugit Patronam. Hujus reliquias per delegatos Panormi obtinuit die IV Junii anni 1625, easque magnifico apparatu suscepit, ac deposuit in ecclesia Fratrum Minorum de Observantia. Mox ibi coram reliquiis cœptæ sunt preces quadraginta horarum, nec sine fructu: nam statim diminui cœpit pestilentia, atque uno mense prorsus extincta est. Hac de causa tunc iterata est solemnis supplicatio, cantatusque hymnus TE DEUM in gratiarum actionem. Postea vero in prædicta Minorum ecclesia extructum est sacellum S. Rosaliæ sacrum, variaque in eodem oppido erecta altaria cum imagine ejusdem Sanctæ.

§ XXXVI. Cultus, reliquiæ et miracula in diœcesi Agrigentina. F

Reliquiæ Bivonam delatæ:

Agrigentum, incolis Girgenti, urbs Siciliæ est episcopalis sub archiepiscopo Panormitano, sitaque in ora Australi insulæ. Antiquissimus est Sanctæ cultus in hac diœcesi, in qua est spelunca Quisquinensis, primum sanctæ Anachoretidis habitaculum, uti et Bivona, aliis Bisbona Latine nominata, et Oppidum S. Stephani, loca jam frequenter memorata. Non repetam hic ante dicta, sed solum adjungam nonnulla quæ scripta sunt a Cascino, cum eo a Bivona exordium ducens. Bivonenses, audita corporis inventione, mira alacritate antiquam S. Rosaliæ ecclesiam instaurarunt. Deinde studiose flagitarunt reliquias, usi opera P. Leonardi Ramano Societatis Jesu, qui eas facile impetravit per Cascinum ipsum, qui hæc narrat; et geminam quidem obtinuerunt particulam Bivonenses. Harum translatio facta est die XXII Martii anni 1625:

AUCTORE J. S.

1625: *susceptæ autem sunt summa pietate, cum innumera hominum multitudo nudis pedibus obviam egrederetur ad quinque milliaria, et via difficili per montes. Magnificus quoque cum pietate apparatus fuit conjunctus, ac supplicatio instituta maxime solemnis, atque ita una ex particulis portata fuit ad ecclesiam S. Joannis, ibique deposita, donec propria Sanctæ ecclesia esset perfecta.*

beneficia ibi impetrata:

378 *Altera particula, quæ destinata erat ecclesiæ Societatis Jesu, non minori pompa per civitatem in supplicantium agmine circumlata est die* III *et* IV *Septembris, seu in pervigilio et festivitate* S. Rosaliæ. *Neque illo solum anno tanta celebritate Patronam suam coluerunt Bivonenses; sed quotannis eamdem festivitatem ita celebrarunt, ut apparatus singulis annis potius cresceret, quam diminueretur, teste Cascino. Porro ex documentis Mss. collegii Societatis Jesu Bivonensis disco, dentem esse* S. Rosaliæ, *quem obtinuit a Cascino, eumque quotannis in festivitate* S. Rosaliæ *per civitatem in supplicatione circumferri: aliam quoque ossis Sanctæ particulam nunc* B *in eodem servari collegio. Pestilentia autem Bivonam reliquit intactam, ut jam antea dictum, idque aliis quoque temporibus sanctum non sine beneficio* S. Rosaliæ. *Itaque una solum gratia hic commemoranda. Joannes Baptista di Francesco mortifera laborabat infirmitate, et jam extrema Unctione munitus erat. Medicus tamen ad ipsum rediit, mortuum fore existimans, quando perfecte sanatum invenit. Miraculum fuisse testatus est ille ipse medicus, quod nullum in ipso deprehendisset sanationis indicium; sed subito sanatum invenisset. Sanatus vero declaravit, apparuisse sibi* S. Rosaliam, *et dixisse:* Esto sanus: curam tamen habe instaurationis ecclesiæ meæ.

in oppido S. Stephani, et apud speluncam Quisquinensem.

379 *De Oppido S. Stephani, in cujus territorio sita est spelunca Quisquinensis, deque reliquiis* S. Rosaliæ *eo translatis, dictum est* § 27. *Hic pauca adjungo de favoribus, quos loci incolæ* S. Rosaliæ *attribuunt. Sæviente per Siciliam peste, et per oppida quoque vicina, juvenis quidam redierat domum peste infectus, ut ex glandulis fuerat intellectum. Mater ipsius, re intellecta, ad patrocinium* S. Rosaliæ *confugit, juvenemque lecto imposuit: ac vestimenta ipsius* C *omnia comburenda curavit. Sequenti die juvenis surrexit sanus sine ullo mali indicio: nec ulli in Oppido S. Stephani adhæsit contagio. Huc spectant beneficia, quæ occasione antri Quisquinensis leguntur impetrata. R. P. Albertus Valentia, Prior Carmelitarum Camaratæ, gravi laborabat et immedicabili urinæ difficultate. Verum, invocata* S. Rosalia, *et applicato saxo speluncæ Quisquinensis, subito sanatus est.* Alii, *inquit Cascinus,* sanati sunt solo voto visitandi speluncam istam, unus ibidem pernoctando. *Claudus, incedens fulcris subalaribus, nitebatur cum aliis speluncam istam invisere. Hic in media sanatus est via, portansque deinde fulcra sua humeris, eadem ad speluncam suspendit in testimonium gratiæ obtentæ.*

Rahalmuti reliquiæ, et beneficia Sanctæ:

380 Rahalmutum, *Agrigentinæ quoque diœcesis oppidum, Siculis* Rahalmuto, *antiquis temporibus* S. Rosaliam *coluit, primamque eidem ecclesiam dedicavit, ut vult Cascinus. Hanc ecclesiam, invento corpore, diligenter instaurarunt Rahalmutenses, et Sanctæ reliquias obtinuerunt Panormi. Harum translatio incidit in diem* XXXI *Augusti anni* 1625, *quando susceptæ sunt ab incolis insigni pietate et pari solemnitate, eodemque die energumena liberata in ecclesia Fratrum* D *Minorum de Observantia, ubi solemne cantabatur Sacrum, teste Cascino. Rahalmutenses quoque pestis periculo liberasse videtur patrona* Rosalia, *præsertim quia illa maxime sæviebat in vicinia, et quia nonnulli infecti Rahalmutum intrarunt, malo nulli communicato, et demum quia ipsi Rahalmutenses satis diu cum vicinis infectis commercium habuerant, nec ullum tamen contraxerant contagium.*

reliquiæ Camaratam et ad oppidum S. Joannis perlatæ,

381 *De* Camarata *et* Sancto Joanne, *quæ oppida sunt eidem duci subjecta, et tamquam partes duæ ejusdem oppidi, inquit Cascinus, cum eodem simul agemus. Hæc loca intrego anno a peste immunia fuere; sed anno* 1625, XXVIII *Maii, in oppido Castri novi, quod necdum sciebant infectum esse, malum contraxerunt. Ubi innotuit contagium, mox ad humana ac divina præsidia confugerunt utriusque oppidi incolæ. Reliquiæ Panormi impetratæ, et die* 2 *Julii sine hominum frequentia Camaratam versus delatæ sunt; at honorifice susceptæ, ipso duce cum multis obviam egrediente. Depositæ primum sunt in ecclesia S. Cataldi extra Camaratam, indeque translatæ pio cum apparatu ad præcipuam ecclesiam Camaratensem, donec ædificata esset nova ecclesia, Sanctæ tamquam patronæ dedicanda.* E *Altera particula debito cum honore deposita fuit in ecclesia principe oppidi S. Joannis.*

ubi duo facta prodigia,

382 *Duo facta, inquit Cascinus, optimam mox spem dederunt, tamquam secuturæ liberationis indicia. Per viciniam publici peste infectorum valetudinarii ferebantur reliquiæ, et ægroti supplices accesserant ante fenestras vitro clausas, Sanctæque opem implorabant, quando omnia simul tegmina vitrea cum ingenti sonitu delapsa sunt, nec tamen confracta; acsi voluisset insinuare Sancta, se ostendere reliquias suas afflictis illis sine vitro intermedio. Alterum est tale. Quando dux ipse primum lapidem ponebat pro ecclesia Sanctæ ædificanda, ferebatur in loco vicino lectica, qua infecti peste transferri solebant, sed vacua. Cum autem eodem tempore tormenta exploderentur, equi perterrefacti saltare cœperunt, totamque illam in frusta comminuerunt lecticam. Hæc, inquam, populi spem acuerunt.*

ac deinde pestilentia exstincta:

383 *Nec vana fuit fiducia, quam de subsidio* S. Rosaliæ *conceperant: nam statim diminui* F *cœpit malum, teste Cascino. Verumtamen non prorsus cessavit pestilentia ante annum sequentem, quando* XXIV *Januarii translati sunt, qui convaluerant, ex locis infectorum, totaque purgatio absoluta fuit* XXV *Martii, in festivitate Sanctissimæ Dei Genitricis, ad cujus etiam patrocinium confugerant Camaratenses. Nova tunc instituta fuit supplicatio, cum reliquiis* S. Rosaliæ, *Missaque de Sanctissima Virgine Maria solemniter celebrata, ac tandem hymnus* TE DEUM *decantatus. Sequenti vero die iterata est supplicatio, reliquiæque* S. Rosaliæ *ad propriam ecclesiam tunc perfectam translatæ.*

aliud geminum beneficium uni concessum

384 *Hisce accedit particulare beneficium, quod præstitum est P. Angelo Permo ex Ordine Carmelitarum. Laboraverat duobus annis tam gravi et continuo sanguinis fluxu, ut sæpe videretur morti propinquus. Tandem ductus charitate in miseros et pietate erga* S. Rosaliam, *decrevit vitam finire in publico valetudinario peste laborantium, quibus ibidem tribus mensibus constanter servivit, ope* S. Rosaliæ *invocata. Viri charitatem approbavit Deus. Sanus semper astitit infectis, et die festo* S. Rosaliæ, *seu* IV *Septembris*

A *ptembris, incolumis valetudinario egressus est, et veteri malo liberatus. Idem deinde febri quartana vexatus, parum aquæ sumpsit, cui lapis sepulcri* S. Rosaliæ *fuerat impositus ; atque eo modo sanitatem adeptus est.*

Castrum Novum, acceptis reliquiis peste liberatum

385 *In eadem diœcesi est oppidum,* Castrum Novum *dictum, de quo peste laborante supra memini. Hoc oppidum inter ea numerat Cascinus, quæ peste liberata sunt patrocinio* S. Rosaliæ. *Hujus reliquias eo missas asserit thecæ argenteæ inclusas : ecclesiam quoque ibidem Sanctæ constructam. Fatetur tamen horum exactam non haberi notitiam defectu monumentorum, sed multa in ecclesia conspici appensa ex votis dona. Locus ejusdem diœcesis est, qui Siculis* le Grotte, *Latine* Gruttæ *dici potest, seu vicus sit, sive oppidulum. Huic loco, multum a peste patienti, subvenisse ait comitissam Rahalmuti per reliquias* S. Rosaliæ ; *sed fateatur se distinctam non habere notitiam alicujus beneficii.*

uti et Alexandria :

386 Alexandriam, *quam alias in tabulis geographicis non invenio, in eadem diœcesi recenset Cascinus. Testatur ibidem apparuisse* S. Rosaliam *simplici mulieri, ac locum designasse, ubi* B *ecclesia ad honorem suum erat erigenda, prædicens populum tunc liberandum peste, qua affligebatur. Credidit mulieri populus, et confestim sacellum construxit in loco designato. Prima ibi Missa celebrata est die Dominico* XVI *Februarii anni* 1625. *Cessavit subito malum, et nullus deinde infectus est peste, ita ut jam die* XXI *ejusdem mensis vacuum esset valetudinarium. Hæc Panormum perscripta sunt a D. Josepho Bonajuto, qui ibidem erat causa pestilentiæ præfectus. Porro sacellum illud* S. Rosaliæ *postea amplificatum in gratiarum actionem reliquiasque Sanctæ ibidem servari in ecclesia Fratrum Minorum, magnaque populi devotione coli, testatur Cascinus, qui et alteram apparitionem refert, quam huc compendio transfero.*

puella a Sancta monetur Religionem ingredi.

387 *Apparuit Sancta puellæ septemdecim annorum, eamque monuit ut vitam amplecteretur monasticam. Cum autem hæc responderet, se quidem id libenter facturam ; at patrem sibi non crediturum. Reposuit Sancta se tale daturam signum, ut ei pater esset crediturus: idque cupiente puella,* C *disparuit. Porro, quando mane surrexit, invenit cirros sibi ab una parte amputatos: idque signum visum est tam certum, ut res sequenti die Dominico sit exsecutioni mandata.*

Saccæ æger momento sanatus,

388 *In eadem demum diœcesi Sacca, oppidum maritimum,* S. Rosaliam *agnoscit patronam. Testatur Cascinus novam ibidem* S. Rosaliæ *constructam fuisse ecclesiam post liberationem Siciliæ a peste, nec tamen explicat, an hæc Saccæ quoque dominata fuerit : devotionem vero populi eodem tempore mirifice auctam subita sanatione ægri, qui eo adductus erat mali violentia, ut se amplius movere non posset. Huic ægroto offerebatur exigua pixis, quam initio repudiabat, quod medicinas, quarum tædio affectus erat, ea contineri existimaret. Verum, ubi audivit in ea esse reliquias* S. Rosaliæ, *in spem erectus est : thecamque acceptam applicuit loco corporis maxime dolenti, atque unico momento convaluit. Tam subitam sanationem mox indicavit parentibus se levando, eosque amplectendo, ac in gratiarum actionem ecclesiæ* S. Rosaliæ, *quæ tunc ædificabatur, donavit elegantem picturam ejusdem Sanctæ, pecuniamque notabilem ad promovendam structuram. Hoc autem miraculum oppidi incolas incitavit ad ecclesiam citius absolvendam, ad instituendam confraternitatem ejusdem Sanctæ ; ac demum, perfecta eo usque ecclesia, ut primum in ea fieret Missæ sacrificium, ad instruendum pium supplicantium agmen, a quo effigies Sanctæ, honorifice per oppidum circumlata, ad novam ecclesiam deferretur.*

AUCTORE J. S.

ac deinde alii : Sancta ibidem patrona electa, et allatæ reliquiæ.

389 *Quando illa supplicatio per civitatem instituebatur, infirmus, mortis periculo expositus, dum audiebat supplicantes esse in locis sibi vicinis, votum Sanctæ nuncupavit, ac subito sanatus est, et sequenti die tabellam votivam appendit. Hoc eodem, vel alio tempore, quod clare non exprimit Cascinus, puer novem annorum, de cujus vita desperabatur, aqua Sanctæ vitam protraxit. Terra ejusdem capto membrorum usu saluti fuit. Plura ejusmodi se prætermittere ait Cascinus, qui et varias enumerat imagines Sanctæ in ecclesiis diversis Saccæ servatas. Patronam ibidem electam testatur anno demum 1630, prima die Junii : duas quoque ejus reliquiarum particulas eo delatas, quarum altera est in ecclesia principe ; altera destinata erat propriæ ecclesiæ* S. Rosaliæ. *Hæc de diœcesi Agrigentina, ut ad Catanensem transeamus.*

E

§ XXXVII. Cultus, reliquiæ et miracula in diœcesibus Catanensi et Syracusana,

Reliquiæ portatæ Calasibetum, Catanam, Acem,

* Calatascibet

C*atana, urbs episcopalis sub archiepiscopo Monregalensi, sita est versus Orientem in ora maris Ionii. In hac diœcesi antiquitus* S. Rosaliam *coluit Calasibetum *, oppidum mediterraneum, ubi Sancta deinde electa est patrona, postquam eo translatæ erant ejus reliquiæ, quas thecæ argenteæ incluserunt, ut habet Cascinus. In ipsa vero episcopali urbe Catana Sanctæ reliquiæ in duabus servantur ecclesiis ; videlicet in ecclesia Societatis Jesu, dono Cascini acceptæ, et in ecclesia Dominæ nostræ,* de Misericordia *cognominatæ. Ambæ hæ exponuntur die* IV *Septembris, quando Sanctæ festivitas celebratur; uti et imago Sanctæ eodem tempore exponitur in ecclesia collegiata. Acis, oppidum non longe distans Catana,* F Rosaliam *elegit patronam* VI *Octobris anni* 1625 : *delatæque eo reliquiæ ejusdem Sanctæ a P. Antonio Leonardo Societatis Jesu, cui eas donaverat Cascinus. Translatio autem hæc facta ritu maxime solemni, apparatuque pio et magnifico, cum supplicatione, decantatoque hymno* TE DEUM, *et Missa solemni, habita est oratio in laudem* S. Rosaliæ, *cujus reliquiæ in ecclesia principe manserunt depositæ.*

Ennam, ubi beneficium peccatori in fine præstitum :

391 Enna, *alias* Castrum S. Joannis, *vulgo* Castro Giovanni, *desideravit etiam* S. Rosaliæ *reliquias ; ac duas earum particulas accepit per Cascinum, alteram pro ecclesia majore, alteram pro ecclesia Societatis Jesu, in quibus ecclesiis collocatæ sunt multa cum veneratione. In eo oppido insigne beneficium peccatori moribundo præstitum, auctor est Cascinus. Rem accipe compendio. Monitus ille erat, ut ad mortem bene obeundam se præpararet. Hærenti et confuso apparuit in somno* Rosalia, *visaque est pro eo misericordiam exorare apud sanctissimam Dei Matrem. Certe sequenti die de peccatis suis confessus est apud aliquem e Societate Jesu presbyterum, optimis comitantibus veræ pœnitentiæ indiciis :*

AUCTORE J. S.

diciis : eaque pietate mortem deinde obiit, ut omnibus de salute sua spem optimam reliquierit, licet liberioris antea fuisset vitæ.

reliquiæ et cultus in oppido S. Philippi,

392 *Oppidum S. Philippi accepit* S. Rosaliæ *reliquias die* v *Julii anni* 1625, *eæque depositæ sunt in ecclesia Fratrum Minorum Reformatorum extra oppidum. Sequenti autem die honorifica et pia instituta est supplicatio, Sanctaque electa est oppidi patrona. Solemnitas illa iterata est die* IV *Septembris ; ac demum in prædicta ecclesia sacellum huic Sanctæ dedicatum, ac statua inaurata, quæ circumferretur in supplicationibus, eidem constructa.*

item in loco le Plache dicto,

393 *Locus territorii Catanensis, dictus a Cascino* le Plache , *audita inventione corporis* S. Rosaliæ , *mira in hanc Sanctam pietate exarsit. Itaque jam anno* 1624 *festivitatem ipsius magno vicinorum populorum concursu pie celebrarunt. Cum vero hujus beneficiis fruerentur, ut ex donis votivis colligit Cascinus, elegantem tabulam curarunt pingendam Panormi, et statuam eidem Sanctæ erigendam. Reliquias ejusdem deinde obtinuerunt per Cascinum , ac harum translationem tanta pietate celebrarunt prima Dominica* B *Septembris , anno verisimiliter* 1625 , *tantoque populi concursu , ut* viginti hominum millia *ad festivitatem confluxisse, magnamque eorum partem nudis pedibus iter difficile confecisse , affirmet Cascinus. Unum ex beneficiis , quæ populis istis convicinis concessa ait, summo ab ipsis loco haberi asserit. Fuse relatum contraham in compendium.*

ubi aquarum penuriæ subvenisse creditur Sancta ;

394 *Populi illi ob propinquitatem montis Ætnæ multum patiebantur ab aquarum penuria , nec modum sciebant, quo huic malo mederentur. Anno autem* 1630 , *mense Julio , quando totus ille tractus defectu aquæ vehementer affligebatur , statuerunt ad patrocinium* Rosaliæ *confugere. Itaque die* XV *Julii, recordati illum esse diem inventi corporis, reliquias Sanctæ supra altare exponendas curarunt , ut Missa celebraretur : præmissaque oratione, atque invicem animantes fiducia de Sancta , fodere cœperunt, ut ante Missam finitam invenirent aquæ venam. Et revera fontem invenerunt tam copiosum , ut bene expurgatus tres efficeret rivulos , canales-* C *que deinde fuerint fossi , ut aqua ad loca plura derivaretur. Itaque aqua illa a populis istis vocata fuit* aqua S. Rosaliæ , *ejusque statua ibidem ad rei memoriam collocata. Relationem vero facti se accepisse testatur Cascinus a quinque sacerdotibus subscriptam. Ceterum in toto hoc facto non quidem est manifestum miraculum, cum illa aquæ vena ibidem esse potuerit et fodiendo inveniri modo naturali : nam aliquis audierat in eodem loco aquam fuisse inventam ante annos octoginta. Pie tamen et recte beneficium* S. Rosaliæ *attributum est, tum quod causæ naturales a Deo etiam dirigantur , tum quia tam copiosa erat aqua, ut aliquid prodigii habere videretur , et fortasse revera habuerit.*

miracula tria Platiæ facta.

395 *Restat in diœcesi Catanensi oppidum* Platia, *vulgo* Piazza *dictum, de quo brevissime agit Cascinus, cujus verba Latine reddam.* Ad civitatem Platiam , nobilem , abundantem et populosam missum fuit aliquid de terra sepulcri S. Rosaliæ die IV Septembris anni MDCXXIV : eaque terra subito patrata sunt tria stupenda miracula; nimirum D. Laurentius Terzano et alius , qui moribundi erant, sanati sunt ; et cæco, qui ambobus captus erat oculis, visus est restitutus. *Hæc de causa terra illa ab incolis illius civitatis* D *multum expetita est , ut adjungit : atque ita a Catanensi diœcesi pergit ad Syracusanam, quo et nos sequemur.*

Reliquiæ Ragusæ, Sicli,

396 Syracusæ , *urbs olim potentissima , sed postmodum diminuta , episcopalis est sub archiepiscopo Monregalensi , sitaque in ora maris Ionii. In hujus diœcesi varia loca cultu* S. Rosaliæ *gavisa sunt ante corpus inventum , sed plura accesserunt postea. Ragusa imprimis , præter antiquam Sanctæ venerationem in ecclesia ipsius extra civitatem posita , festivitatem* S. Rosaliæ *ritu solemni celebrat die* IV *Septembris , et reliquias ejusdem possidet in principe ecclesia conservatas.* Siclis, *aliud ejusdem diœcesis oppidum, tres reliquiarum* S. Rosaliæ *habet particulas , unam nimirum in ecclesia parœciali S. Mariæ, alteram in ecclesia Fratrum Minorum , et tertiam in ecclesia sanctæ Crucis tertii Ordinis. Sanctæ quoque sacellum exstructum in prædicta S. Mariæ ecclesia, electaque ibidem est patrona* XVI *Maii anni* 1626. *Ecclesias in eadem civitate inchoatas fuisse* S. Rosaliæ *asserit Cascinus : verum prima manserat imperfecta : nec edicit , utrum* E *aliæ fuerint absolutæ.*

Motucæ, quæ peste liberata :

397 Motuca , *Siculis* Modica , *cum peste laboraret , anno* 1626, *die* VI *Augusti* S. Rosaliam *elegit patronam , ejusque festivitatem celebrare decrevit. Præterea sacellum eidem dedicavit in ecclesia Dominæ nostræ Gratiarum ; ac demum modicam ecclesiam ex voto construxit eodem anno, mense Septembri, prope publicum valetudinarium peste laborantium. Hac pietate obtinuisse Motucenses, ut peste liberarentur, affirmat Cascinus. Idem adjungit eo a se missas fuisse* S. Rosaliæ *reliquias, easque depositas esse in ecclesia S. Petro dicata.*

Neti item reliquiæ,

398 Netum , *Siculis* Noto *dictum , ubs est in eodem tractu non ignobilis , a qua tertia pars Siciliæ* valis Netina *dicitur. Hæc civitas , inventione corporis audita , inter primas* S. Rosaliam *colere studuit , acceptamque ejus imaginem, pictam ex voto duorum , qui a peste Panormi manserant liberi , in ecclesia collocavit. Festivitatem quoque die* IV *Septembris celebrant apparatu admodum solemni magnoque concursu Netenses , quibus non pauca per Sanctam præstari* F *beneficia, testatur Cascinus. Hic ipse anno* 1625 *eo misit ejusdem Sanctæ reliquias, quæ ibidem in ecclesia Societatis Jesu, dimidiata statua ex argento reclusæ, a fidelibus honorantur.*

Leontini pluvia impetrata :

399 Leontini , *aliis* Leontina *et* Leontinum , *vulgo* Lentini , *urbs item est diœcesis Syracusanæ , ubi pietas incolarum erga* S. Rosaliam *utili beneficio inchoata est. Rem compendio exponam ex Cascino. Anno* 1626 *initium æstatis , aut ver potius tam erat siccum, ut omnis fere spes messis intercideret. Confugerunt Leontini ad divina subsidia per patronum suum S. Alphium martyrem , aliosque civitatis suæ Sanctos , supplicationibus institutis; sed frustra. Audita vero fama miraculorum* S. Rosaliæ , *piam ordinarunt supplicationem , in qua hujus Sanctæ reliquias et imaginem circumtulerunt una cum imagine sanctissimæ cœli Reginæ, ut* Rosalia *apud Mariam ipsius patrocinium exoraret. Tam repentina fuit pluvia : ut jam guttæ nonnullæ præcesserint tempore supplicationis ; finita vero supplicantium processione, per reliquam diei partem et noctem sequentem abundantissime deciderit. Mox apud Leontinos duo* S. Rosaliæ *constructa*

A *structa sunt sacella, alterum in S. Dominici, alterum in S. Alphii ecclesia: atque his tertium deinde adjunctum est.*

reliquiæ Calatagironi, ubi multa

400 Catalgironum *oppidum est ejusdem diœcesis, ut illud nominat Cascinus, at alibi* Calagironum *et* Calatagironum *nominatum invenio. Hic cultum* S. Rosaliæ *excitavit D. Nuntius Gallente sacerdos, qui ecclesiam ibi fabricare cœpit anno* 1625, *mense Octobri, eamque perfecit anno sequenti, ita ut prima Missa ibi celebraretur in ipsa festivitate* S. Rosaliæ, IV *Septembris anni* 1626. *Missa autem celebrata est ab ipso episcopo, et festivitas fuit peracta tamquam de patrona, cessantibus operibus servilibus, quia Sancta jam erat electa civitatis patrona: reliquiæ quoque ipsius jam advenerant, atque ex solemni supplicatione fuerunt honoratæ. Varia huic civitati collata sunt beneficia, quæ huc transferam ex Cascino. Vir bonus, sed infirmus, cum videret fodi pro locandis novæ ecclesiæ fundamentis, et rogasset, qua de causa id fieret; ubi audivit ecclesiam ædificandam* S. Rosaliæ; *promisit ei tabulam pictam, si* B *sanaretur: sanatus est, ac tabulam donavit. Infans, cui nomen erat Carolus Sciacca, tanto oculi unius malo laborabat, ut jam visum isti oculo abjudicarent medici: maligna insuper febri erat correptus. Verum mater infantis ad* S. Rosaliam *confugit eodem die, quo primus pro nova ecclesia positus erat lapis: et infans sequenti die mane periculo erat liberatus, ac postea omnino convaluit.*

impetrata

401 *Quatuor insuper infantes ibidem sanatos testatur Cascinus. Primi grande supra aurem apostema momento disparuit. Secundus periculoso tumore liberatus est. Tertius spina usum unius cruris amiserat, sanatusque est sequenti die mane, postquam solum biberat parum aquæ, cui lapis sepulcri* S. Rosaliæ *erat impositus. Quartus erat tam debilis, ut pedibus consistere non posset. Hunc parentes in honorem* S. Rosaliæ *lanea induerunt tunicula, et fortis evasit ac firmus. Duo etiam moribundi, nimirum Didacus Campo, habita Sanctæ imagine; et alius, voto nuncupato, convaluerunt. Memorata mox aqua in gravi periculo feliciter usi sunt Hieronymus Longobardo et Franciscus Guierra. Honofrius* C *d'Adama, hydrope laborans a triennio, tribus vicibus, sumpta eadem aqua, sanatus est, et prima quidem vice, postquam extrema Unctione erat munitus. Verum Franciscus Secasio, cruris unius usu ab octo annis captus, aqua simul et oleo restitutus est. Hieronymus d'Alessandro laborans morbo articulari ab annis quatuordecim, usui dictæ aquæ addidit votum procurandi oleum pro lampade, donec nova perficeretur ecclesia, atque ita sanitatem consecutus est. Solius vero aquæ usus, patrocinante* S. Rosalia, *D. Antonio Bonanno dolores articulares exemit; mulieri membrorum usu destitutæ vigorem restituit, ac sensum amenti septuagenariæ.*

sunt beneficia.

402 *Tribus aliis* S. Rosalia *solum invocata se beneficam exhibuit modo sane mirabili. Primus illorum erat sutor,* Jacobus *nomine, qui hernia dudum laboraverat uno loco, sed idem malum alio item loco recenter contraxerat. Rogavit hic* S. Rosaliam, *ut novo illo malo, quod majorem creabat dolorem, et laborem impediebat, ejus ope liberaretur. Obtinuit, quantum rogavit, recente hernia liberatus est, manente tamen antiqua. Jacobus Semola rusticus calcibus tam graviter vulneratus est sub umbilico, ut viscera effluerent. Cum autem domum delatus esset moribundus; uxor eum intuita, mox* S. Rosaliam *invocavit his verbis:* Ah sancta Rosalia, quæ tot patrasti miracula Panormi. *Exclamat hic Cascinus:* O grande miraculum! Dum profertur et auditur Rosalia, homo aperuit oculos jam clausos: qui videbatur mortuus, se recollegit et vixit. *Tertius, sola invocatione sanatus, fuit juvenis, qui omnibus subsidiis ad recte moriendum munitus erat, et jam mortuus credebatur. Imo jam oculos et os ipsius clauserant circumstantes, ut solet fieri de mortuis.* Mater tamen, *inquit Cascinus,* conversa ad imaginem S. Rosaliæ, opem ipsius pro filio implorabat. Risus obortus est quibusdam ex præsentibus, quod existimarent tarda nimis esse hæc vota: ecce autem, cum ægri soror animi deliquio corriperetur, mortui (ut credebatur) vox auditur, dicentis: Modica aqua sororem meam aspergite: tam bene enim unico momento se habebat, ut primus fuerit, qui ad illam necessitatem adverteret, et subsidium flagitaret, ita ut nesciam, an tantumdem facere potuisset, si e somno evigilasset. *Hunc et præcedentem sanatos esse, ante dixerat: utrum vero integram quoque sanitatem subito ob-* E *tinuerint, an paulatim convaluerint, non exprimit; quia omnia hæc beneficia breviter tantum perstrinxit, maxime priora. Nunc ad diœcesim Messanensem transibimus.*

AUCTORE J. S.

§ XXXVIII. Cultus, reliquiæ et beneficia in diœcesi Messanensi et in Pactensi.

Reliquiæ Imacharum allatæ:

Messana, *incolis* Messina, *urbs est celebris et archiepiscopalis in ora Orientali Siciliæ ad fretum Mamertinum. Diœcesim Messanensem Italiæ proximam cap.* XI *perlustrat Cascinus, quem ubique in hisce sequor, et ab oppido maxime Messana dissito exorditur, quia cultus* S. Rosaliæ *ibidem antiquitus viguit. Oppidum istud, in parte mediterranea situm, Latine* Imachara, *vel* Hemichara *dictum, at nunc vulgo* Traina *dicitur. Gemina ibidem est particula reliquiarum* S. Rosaliæ, *altera in ecclesia S. Silvestri Trainen-* F *sis, altera in parœciali S. Nicolai, ubi festivitas Sanctæ ritu solemni celebratur* IV *Septembris, et ejusdem quoque imago exponitur. Reliquiarum particulam posteriorem eo attulit Panormo D. Vincentius Vicino Sacerdos Trainensis, qui veniens Panormo, ubi vigebat pestilentia, coactus est quadraginta dies extra civitatem morari in separato, ibique peste laborare cœpit. Invocavit igitur loci patronum S. Silvestrum Trainensem, et singulari pietate* S. Rosaliam, *cujus habebat reliquias: atque ita sanitatem consecutus est.*

malum gutturis sublatum Messanæ:

404 *Ecclesiam* S. Rosaliæ, *variaque altaria et sacella* Messanæ *condita, testatur Cascinus, addens non pauca quoque Messanensibus beneficia per Sanctam præstita, sed ea a se relata lib.* I. *Nos de iis agemus in appendice miraculorum post Vitam. Quapropter unum dumtaxat, quod hoc loco narrat, huc transfero. Anno* 1625, *die* VIII *Aprilis graviter ægrotare cœpit uxor Josephi Buttone, ac paucis diebus ad mortiferas angustias fuit perducta, quod suffocaretur tanto gutturis malo, ut os aperire non valeret. Itaque pie ad mortem se præparabat, atque hunc in finem*

AUCTORE J. S.

finem habebat piam Servatoris imaginem. Huic autem imagini adjunctum erat modicum quid reliquiarum S. Rosaliæ, *marito ipsius Panormo transmissum. Hac occasione maritus ægrotam excitabat ad fiduciam de Sancta concipiendam, quod fama miraculorum ejus jam late esset sparsa. Ægrota igitur, concepta fiducia, cum loqui non posset, mente invocabat Sanctam ac lacrymis, reliquiasque ejus pie osculata gutturi admovit. Mox eodem momento novum sentit vigorem, et malo cessante, os aperit ac clare loquitur, gratias agens sanctæ virgini* Rosaliæ *de sanatione sua tam repentina. Maritus porro, rogante uxore, factum totum perscripsit Panormum; eoque donum misit caput argenteum, ac Missam ibi cantandam curavit in gratiarum actionem.*

reliquiæ in abbatia S. Philippi de Fragala,

405 *In eadem diœcesi est abbatia S. Philippi de' Fragala, Ordinis S. Basilii, non longe ab oppido Myrto sita, ut docet Pirrus in Notitia abbatiarum Siciliæ pag.* 91. *Hujus abbas commendatarius D. Franciscus lo Presti accepit anno* 1629 *reliquias* S. Rosaliæ, *sibi donatas Panormi. De hisce autem reliquiis nemini quidpiam dixerat. Verumtamen, ubi redierat ad sanctum Philippum,* ad eum venit virgo pia et simplex, nomine Dominica Castranuci, petiitque opem ab ipso pro necessitate spirituali, dicens se ad eum missam ab illa Sancta, quæ in domo ipsius erat a vespera præcedente : hæc autem non alia certo erat quam S. Rosalia. *Ita Cascinus, dicens abbatem primo attonitum hæsisse præ nimia admiratione : deinde vero pietatem ipsius in* S. Rosaliam *fuisse auctam, summoque studio curasse, ut in magno ibidem esset honore. Postmodum nepotem *, aut forte cognatum, ejusdem abbatis, nomine Philippum, ab infirmitate sanatum esse aqua, cui eædem reliquiæ fuerant impositæ, idem Cascinus testatur.*

* nipote

item Petraliæ,

406 Petra *aut* Petralia, *geminum est in Sicilia oppidum, nimirum* Petralia superior *et* Petralia inferior. *Utraque sita est in media fere Sicilia circa montem, qui olim* Nebrodes, *nunc* Madonia *ab incolis dicitur, adeoque longissime Messana distat : ad hujus tamen diœcesim utraque spectat. Porro testatur Cascinus reliquias* S. Rosaliæ *haberi Petraliæ in ecclesia majore, imaginem in S. Antonii, ac utrobique festivitatem celebrari die* IV *Septembris, nec sine beneficiis. Utrum vero Petraliam Superiorem designet, an Inferiorem, non adjungit.*

C

et in oppido S. Marci, ubi varii sanati.

407 *In eadem diœcesi est oppidum S. Marci, medium fere inter Messanam et Panormum. Ad prædictum quoque oppidum translata sunt pieque suscepta* S. Rosaliæ *sacra pignora: neque hæc suam ibidem frustra desiderari sivit beneficentiam. Dominica Lombardo per annum fere insanabilem passa erat sanguinis fluxum; multaque nequidquam usurpaverat medicamina. Deinde vero accepit aquam, cui impositæ fuerant reliquiæ* S. Rosaliæ: *ubi parum hujus aquæ cum fiducia biberat, sanam se reperit, nec umquam deinde sensit prædictum malum. Id intellexerat Laura Bruno, quæ febri quotidiana et vehementi per octo menses continuata eo erat adducta, ut de morte magis quam de vita cogitaret. Usa est eodem remedio pia fiducia, et sanitatem continuo obtinuit. Franciscus Castella biennali laborabat febri, gustataque eadem aqua, subito sanatum se ita gavisus est, ut circumiret ad prædicandum Sanctæ beneficium. Filia Dominicæ Lombardo, quam mox vidimus sanatam, nomine* Vita, *ejusdem aquæ nonnihil pie ebibens, febri liberata est.*

D

Cultus et reliquiæ in diœcesi Pactensi :

408 *Omnes modo Siciliæ diœceses perlustravimus, excepta Pactensi omnium minima.* Pactæ *autem, vel* Pacta, *Siculis* Patti, *est urbs maritima in ora Septemtrionali Siciliæ, et episcopalis sub archiepiscopo Messanensi. In ipsa civitate Pactensi festivitas* S. Rosaliæ IV *Septembris celebratur. In vico vero tribus milliaribus ab urbe Pactensi dissito, cui nomen* la Giojosa, *festivitas ejusdem Sanctæ tum* IV *Septembris tum* XV *Julii ritu solemni peragitur cum indulgentiis ac supplicatione celebri, in qua circumferuntur sanctæ Virginis reliquiæ, quas locus ille possedit ab anno* 1625. *Sacellum hisce reliquiis in ecclesia majore conditum est, in quo multa offeruntur sacrosanctæ Missæ sacrificia. Imago etiam* S. Rosaliæ *ibidem honoratur in ecclesia PP. Oratorii, beatæ Virgini dicata. Hactenus de cultu, reliquiis et miraculis* S. Rosaliæ *paucis annis per totam fere Siciliam sparsis breviter agere volui cum Cascino, cujus mentem tam fideliter conatus sum exprimere, ut ipsa verba Italica frequenter tantum Latinitate donaverim; et sola brevitatis ac commodioris interpretationis causa id ubique non fecerim.*

E

cur tam multa de cultu sint data.

409 *Volui celerem illam cultus propagationem non prætermittere, etsi Sanctæ Officium et festum ad totam deinde Siciliam auctoritate Pontificia extensum viderimus, quia celeritatem illam promoti cultus tanto magis an gloriam Sanctæ spectare credidi, quanto pluribus cum beneficiis et miraculis fuit conjuncta, atque ex iis nata. Præterea celerrima illa cultus propuagatio utcumque ostendit, vana non esse, quæ de pluribus Sanctæ beneficiis conscripta sunt : miraculis enim et beneficiis maxime permoventur homines ad Sanctos colendos. Ceterum dubitare nequeo, quin post tempora Cascini cultus* S. Rosaliæ *ad plura pervenerit Siciliæ loca, quemadmodum et de reliquiis et de beneficiis ejusdem etiam existimo. Verum plura de hisce investigare non est necesse : miracula tamen omnia, quæ ad notitiam meam pervenerint, colligam in appendice post Vitam. Nunc vero investigabimus, quam celeriter, quibusque occasionibus, ad alias plerasque Europæ provincias* S. Rosaliæ *cultus sit propagatus.*

F

§ XXXIX. Cultus, reliquiæ et beneficia S. Rosaliæ in Italia.

Cultus per totam fere Europam propagatus

Cascinus lib. 3 *cap.* 14 *ostendit cultum* S. Rosaliæ *per totam fere Europam fuisse propagatum. At, cum postea ad civitates longe plures pervenerit, ita hic Cascinum sequar, ut ex aliis scriptoribus aut monumentis relata ab ipso sim amplificaturus, quantum fieri potest diligenti investigatione. Continebit simul hæc relatio, quidquid fide dignum de reliquiis et beneficiis Sanctæ se mihi obtulerit. Provinciarum aut regnorum sine delectu alio eum sequar ordinem, quem jam tenuit Cascinus, Itaque cum eo exordior ab Italia, ubi Romæ inchoatum* S. Rosaliæ *cultum, varias reliquiarum ipsius particulas eo ad Urbanum VIII aliosque missas jam vidimus* § 30, *atque ea de causa de Urbe Romana nihil hic addo, sed ad alias civitates cum Cascino progredior.*

411 Paula, *aliquibus* Patycos *dicta, et vulgo*

in regno Neapolitano reliquiæ Paulæ, Rivelli, A *go* Paola, *oppidum est Calabriæ citerioris in ora maris Tyrrheni. In hujus oppidi territorio antiquam fuisse* S. Rosaliæ *ecclesiam asseril Cascinus lib.* I *pag.* 21. *Deinde vero Paulam aliquid reliquiarum delatum est per quemdam e Societate Jesu atque idcirco sacellum Sanctæ erigere voluerunt domini istius loci, ait iisdem fere verbis Cascinus. In Basilicata et in diœcesi Polycastrensi oppidum est Rivellum, quod in territorio suo antiquam habebat* S. Rosaliæ *ecclesiam. Hac de causa Cascinus ait Rivellum sed misisse ejusdem Sanctæ reliquias, quibus populi devotio anno* 1627 *excitata fuit.*

Trivici, ubi Sancta est patrona ; 412 *In principatu Ulteriori intra montem Apenninum est* Trivicum, *vulgo* Trevico, *aut* Vico della Baronia, *civitas modica, sed episcopalis, quæ inter primas regni Neapolitani civitates cultum* S. Rosaliæ *magna pietate suscepit ; nec sine gratiis obtentis, ait Cascinus, licet nullam nominatim referat. Reliquiæ Trivicum delatæ sunt circa finem anni* 1627. *Trivicanæ ecclesiæ eo tempore præerat Hieronymus Mezzanius, qui* S. Rosaliam *elegit patronam civitatis, ac reliquias ejus* B *anno sequenti* 1628, *die* XXIV *Aprilis, ritu maxime solemni magnaque cum veneratione transtulit, instituta annua hujus translationis festivitate. Itaque duo quotannis festa* S. Rosaliæ *Trivici peraguntur, alterum* IV *Septembris, alterum translationis* XXIV *Aprilis.*

Neapoli sublatum maleficium, 413 *Neapolim jam anno* 1625 S. Rosaliæ *reliquias attulit P. Andreas Gonzaga Societatis Jesu, qui eas Panormi acceperat a Cardinali Doria. Verum exiguam dumtaxat harum particulam ibi reliquit, donatam personæ particulari, cui illa saluti fuit. Decumbebat magicæ artis maleficio mulier non ignobilis, et nurus Consiliarii Salinas, mense Novembri anni* 1625. *Decumbenti applicatæ sunt memoratæ reliquiæ, ac mox surrexit infirma, jam prorsus sana. In lecto autem ipsius inventa sunt magicarum præstigiarum indicia, teste Cascino, qui hæc narrat. Relictum est igitur Neapoli aliquid reliquiarum* S. Rosaliæ, *sed in manu personæ privatæ, ita ut cultus Sanctæ ea occasione non fuerit inchoatus in ecclesia Neapolitana, licet privatorum quorumdam devotio facile excitari potuerit. Ceterum aliam partem reliquiarum suarum P. Andreas* C *Gonzaga portavit ad patriam suam, ibique elegans sacellum Sanctæ exstructum. At non indicat Cascinus, ubi id fuerit.*

ac deinde urbs peste liberata, 414 *Attamen cum anno* 1656 *sævissima pestilentia civitas Neapolitana graviter affligeretur, patrocinium* S. Rosaliæ *non neglexit, sed eam cum aliis patronis invocavit, atque ita illo flagello liberatam se sensit* XVII *Augusti. Varia illius rei testimonia affert Vincentius Auria in Rosa cœlesti pag.* 119 *et sequentibus. Patroni invocati fuere Sanctissima Virgo Deipara Immaculata, S. Januarius antiquus patronus, S. Franciscus Xaverius recenter ea de causa electus, et* S. Rosalia *tamquam universalis contra pestem patrona, quantum existimo. Recitat laudatus Auria fragmentum epistolæ proregis Neapolitani, ac testimonium medicorum, in quibus prædicti enumerantur patroni, quibus liberatio Neapolis a peste attribuitur. Consentit etiam Franciscus de Magistris scriptor Neapolitanus in Statu rerum memorabilium civitatis Neapolitanæ, ubi pag.* 142 ait, Depictæ erant imagines Deiparæ Immaculatæ, S. Januarii, et Francisci Xaverii, et D. Rosoleæ cum inscriptione, OB URBEM A PESTE SERVATAM. *Agit enim de festivitate, quæ Neapoli instituta fuit ob pestem sublatam.*

AUCTORE J. S.

indeque festivitas annua ibi celebrari cœpta, 415 *Itaque Neapoli die* IV *Septembris magno cum apparatu celebrata* S. Rosaliæ *festivitas in ecclesia SS. Trinitatis de Monte, ait Auria. Deinde etiam decretum, ut id fieret annis singulis in gratiarum actionem de beneficiis per* S. Rosaliam *obtentis. Hisce porro auditis, senatus Panormitanus gratias egit de gloria* S. Rosaliæ *promota Neapoli per litteras* IX *Novembris anni* 1657 *Panormi datas, quas recitat Auria pag.* 121 *et* 122. *In hisce autem significat, se intellexisse, varia sacella Neapoli erecta esse, et ecclesiam quoque ædificandam Sanctæ propriam, ac demum annumerandam esse patronis civitatis Neapolitanæ. Auria non explicat, an hæc re ipsa fuerint peracta. At Mancusus in Historia* S. Rosaliæ *tom.* I *pag.* 274 *patronam Neapoli electam asserit, sed nullum citat auctorem : magnamque præbet causam dubitandi, an civitatis patrona sit electa, quod non nisi unam nominet ecclesiam, in qua celebratur Sanctæ festivitas.*

acceptæque Panormo reliquiæ. 416 *Certiora igitur sunt, quæ pag.* 122 *subdit Auria ; nimirum Sanctæ reliquias Panormo Neapolim missas, hasque argenteæ inclusas thecæ depositas esse in ecclesia S. Luciæ de Monte, ubi* E *sacellum Sanctæ dicatum, et annua festivitas instituta : præterea anno* 1664 *a senatu populoque Neapolitano lampadem argenteam magni ponderis missam esse Panormum, ut ea perpetuo coram sacro corpore* S. Rosaliæ *arderet.*

Atranum, acceptis reliquiis, item peste liberatum. 417 *Hisce aliud regni Neapolitani oppidum adjungit P. Caietanus Maria Noto in litteris hoc anno* 1746 *ad me datis, ita scribens :* Anno MDCLVI Atrani, Apuliæ oppidum diœcesis Amalphitanæ, peste maxime afflictabatur. Inter hæc advenit unus e civibus, qui secum S. Rosaliæ reliquias afferebat : quas statim ac publice adorandas exposuit, et S. Rosaliam cives omnes in patronam suam recepere, pestis exstincta est. Refert id ex religiosi viri testimonio Petrus la Placa... Panormitani senatus cancellarius *in Opere Italico, quod anno* 1745 *Panormi impressum est* sub hoc titulo, I Trionsi di S. Rosalia *etc.* pag. 27 et 28. *Plura de hisce non addo, cum laudatum Opusculum mihi ad manum non sit : al solum observo, Atranum etiam numerari inter urbes pestilentia liberatas* S. Rosaliæ F *patrocinio in Epistola senatus Panormitani data num.* 328.

Cultus et reliquiæ Anconæ, 418 *Anno* 1630, *die* IV *Septembris, festivitatem* S. Rosaliæ *maxima solemnitate et devotione celebrare cœpit Ancona, urbs ditionis Ecclesiasticæ ad mare Adriaticum. Cascinus illam fusius referens festivitatem, asserit celebratam esse* in honorem S. Rosaliæ, liberatricis a peste. *Hæc verba nonnullam præbere possunt suspicionem de liberata Ancona a peste patrocinio* S. Rosaliæ. *Imo Mancusus sæpe laudatus tom.* I *pag.* 285 *peste liberatam scribit, hunc ipsum allegans Cascini locum. Verum examinandum prius erat, an peste laboraverit eo anno Ancona ; quod invenire non potui. Itaque non ausim liberatam dicere, sed malim suspicari, Sanctam ibidem fuisse celebratam, aut quia Ancona in periculo fuit contrahendæ pestilentiæ, et ad Sanctæ patrocinium confugit ; aut quia alia quadam occasione pietas Anconitanorum erga* S. Rosaliam *fuit excitata. Festivitas illa celebrata fuit in ecclesia Societatis Jesu. At non exprimit auctor, an statutum fuerit, ut singulis annis repeteretur. Verisimile tamen est, quotannis celebrari, cum dicat non minori sed potius majori solemnitate celebratam*

AUCTORE J. S.

lebratam esse anno 1632, postquam reliquiæ S. Rosaliæ Anconam fuerant perlatæ. Demum adjungit, idem festum actum esse in castro quodam vicino, quod Falconero dicitur.

et Lucæ, ubi quædam obtentæ gratiæ :

419 Luca, urbs Etruriæ, sed sui juris et respublica libera, non minori pietate cultum S. Rosaliæ amplexa est, quam modo dicta Ancona. Ait Cascinus, credidisse Lucenses, S. Rosaliam ex urbe sua originem trahere, quia Sinibalda familia nobilis ibidem est et antiqua, ideoque Sanctæ cultum tanto ferventius amplexos esse. Jam suo loco monui, varias de genealogia S. Rosaliæ esse sententias, licet omnes ejus stirpem a Carolo Magno deducant. Verum hic solum de cultu et reliquiis agimus. Testatur Cascinus se particulam unam pro Lucensibus dedisse abbati Raphaëli Olivetano : atque alteram quoque aliunde ad eamdem urbem pervenisse : priorem thecæ argenteæ, alteram crystallinæ inclusam servari : festivitatem vero Sanctæ in pluribus peragi ecclesiis. Ceterum præcipuus promotor cultus S. Rosaliæ in urbe Lucensi erat D. Vincentius Sinibaldi, cui varia ejusdem Sanctæ patrocinio collata beneficia scribit Cascinus, dicens non modo domum ipsius, sed illum ipsum, uxoremque ejus et filios a S. Rosalia adjutos, et quidem, dum medici desperabant ; nihil tamen de eorum morbis distinctius explicans. B

item cultus et reliquiæ Cremonæ,

420 Cremona, civitas ducatus Mediolanensis satis nota, S. Rosaliam venerari cœpit, ejusque opem implorare occasione militum Siculorum, quorum dux Petrus Valdina marchio della Rocca secum habebat Sanctæ reliquias. Cremonam eo tempore pestilentia laborasse scribit Cascinus, quod videtur intelligendum de malo quodam periculoso et contagioso, qualia frequenter oriri solent in exercitibus. Verum, qualecumque fuerit contagium, testatur auctor, imaginem piam S. Rosaliæ pictam fuisse jussu prædicti militum ducis, eumdemque curasse, ut aqua consecraretur reliquiarum S. Rosaliæ impositione; atque hac aqua multis sanitatem fuisse divinitus restitutam, itaque magnam Cremonensium devotionem enatam erga S. Rosaliam. Cum autem laudatus Valdina particulam reliquiarum suarum Cremonæ reliquisset, exstructum est in ecclesia S. Viti altare dicatum S. Rosaliæ per eminentissimum dominum Petrum Campora episcopum Cremonensem. C Statua insuper Sanctæ erecta per Bernardinum Resta, eaque ad S. Viti ecclesiam portata solemni supplicatione. Pro hisce auctor laudat Vitam brevem S. Rosaliæ editam anno 1633 per P. Franciscum Abriani Ordinis Carmelitarum : an vero annua Sanctæ festivitas Cremonæ etiam sit instituta, ex relatis non liquet.

et Fori-Livii :

421 Forum Livii, urbs ditionis Pontificiæ in Romandiola, vulgo Forli dicta, reliquias S. Rosaliæ flagitavit, et particulam costæ accepit, eo per Cascinum transmissam. Hæc costæ particula thecæ argenteæ fuit imposita, erectaque ibidem Sanctæ statua in sacello eleganti. Ex hisce non solum profluxit multa populi devotio, sed festivitas etiam instituta quotannis celebranda, teste Cascino, qui hisce plura non addit de cultu Sanctæ in Italia. Verum Mancusus in Historia S. Rosaliæ multo plures Italiæ assignat urbes, quæ cultum ejusdem Sanctæ postea sunt amplexæ. Lubet scriptorem illum sequi, urbes illas enumerando, sed brevissime, et eo ordine, quo præcedentibus ab ipso sunt additæ.

cultus Setiæ, Tusculi, Interamnæ, Asculi, Ravennæ :

422 Setia, vulgo Sezze, oppidum ditionis Pontificiæ in Campania Romana, anno 1716 colere cœpit S. Rosaliam, cujus imago Romæ picta D anno 1718 collocata fuit in ecclesia monialium S. Claræ, ibique celebrata festivitas, ut fusius narrat Mancusus tom. I pag. 275 et seqq. Tusculum in eadem provincia, Italis Frascati, cultum S. Rosaliæ amplexum est anno 1717, posita Sanctæ imagine in ecclesia Societatis Jesu, celebrataque ibidem solemni festivitate, de qua laudatus scriptor pag. 284. Interamna, incolis Terni vocata, diutius S. Rosaliam coluit. Ecclesiam ibi eidem ædificavit Joannes Georgius Castelli, eques Ordinis Melitensis, postquam Melitam Sanctæ patrocinio peste liberatam viderat, ut suo loco narrabitur. Habet illa ecclesia Sanctæ reliquias; ejusque festivitas ibidem quotannis ritu solemni peragitur, teste Mancuso pag. 284, qui non pauca etiam beneficia a populo obtineri affirmat. Asculum Picenum, oppidum quoque status Ecclesiæ in Marchia Anconitana, vulgo Ascoli dictum, habet ossiculum S. Rosaliæ in ecclesia Societatis, Jesu, eodem teste pag. 285. Ravenna Sanctam colere cœpit anno 1718, sparsis primum per civitatem multis imaginibus, quibus civium pietas fuit accensa. Imago deinde ejusdem Sanctæ exposita fuit publicæ venerationi in ecclesia Societatis, ibique festivitas instituta die XV Julii, quæ dies est E corporis inventi.

reliquiæ, miraculo in via nobilitatæ, Bononiam delatæ:

423 Anno 1717 reliquias S. Rosaliæ accepit Bononia, celeberrima Italiæ civitas, sub dominio summi Pontificis. Narrat istud Mancusus paulo prolixius tom. 2 pag. 150 et seqq. Hasce reliquias Panormo in Italiam et Bononiam deportandas acceperat illustrissimus comes di Rubilant, qui cum illis se navi commisit Neapolim tendenti. Verum post biduum navigationis duæ naves Turcicæ navim illam cœperunt persequi, ita ut necessario a recta via deflectendum esset, ne præda hostibus fieret navis Christiana. Hæc autem ubi toto octiduo ita fugerat, sequentibus semper navibus Turcarum; viderunt Christiani se esse non longe ab urbe Tunetana, atque idcirco evadere non posse humanis viribus. Itaque ad preces se converterunt, productisque S. Rosaliæ reliquiis, eam enixe rogarunt, ne sacer ille thesaurus, venerationi fidelium destinatus, præda esset infidelium. Post breves preces sævissima orta est tempestas, obscusatoque cælo, quod ante serenum erat, prospectus extra navim non nisi F ad decem passus patuit : navis autem abrepta vento vehementissimo..., inflatis velis intra quatuor circiter horas jactata est in portum Neapolitanum : quod iter naturaliter peragi non potest tempore tam brevi. Hæc sibi relata esse ab ipso comite di Rubilant, asseruit juramentoque confirmavit Bernardinus Ignatius Astensis presbyter ex Ordine Capucinorum, cujus juramentum recitat Mancusus una cum relatione ejusdem hic compendio data. Porro Bononiensis senatus allatas reliquias honorifice suscepit, atque in ecclesia sua S. Petronio dicata deposuit : testaturque Mancusus, exstrui cœptum fuisse sacellum marmoreum ad honorem Sanctæ, dum scribebat : alia quoque magnifico opere cœpta fuisse, ad reliquias honorifice collocandas festumque celebrandum die IV Septembris.

cultus in multis aliis Italiæ urbibus,

424 Laudatus scriptor tom. I pag. 288 docet Sanctæ festivitatem quoque annuatim celebrari in quadam ducatus Mirandulani ecclesia, quam non nominat. Per totam insuper diœcesim Mutinensem agi eamdem festivitatem, uti jam dixi num. 321 episcopo Mutinensi concessum a Clemente XI. Facultatem celebrandi Officium S. Rosaliæ

A saliæ *per totam diœcesim petierat Mutinensis præsul Ludovicus Masdoni, quia credebat sanitatem sibi instauratam Sanctæ patrocinio. Cum enim multis ætatis ingravescentis incommodis et infirmitatibus ad obeundum officium episcopale ineptus, et lecto plerumque affixus esset, Sanctam sibi elegit patronam, ac vires sibi eo usque redditas sensit, ut clerum suum consecrare rursum posset, et diœcesim quotannis lustrare, quemadmodum fusius refert Mancusus tom.* 2 *pag.* 148 *et* 149. *Coli etiam* S. Rosaliam *Placentiæ, ac in ducatu Ferrariensi, et in Mantuano, asserit laudatus scriptor pag.* 289, *sed modo quodam vago, ita ut ex dictis ipsius colligi nequeat, an in locis istis annua celebretur festivitas. Idem ait pag.* 291 *exercitum Hispanum Mediolani pestis periculo liberatum, indeque suspicatur Sanctam ibidem coli : at nullam producit auctoritatem, nec ullum assignat tempus. Verum Genuæ festivitatem celebrari in ecclesia Clericorum Regularium, qui ministerio infirmorum se addixerunt, devotionemque ibidem multum esse auctam anno* 1717, *clarius eodem loco testatur.*

reliquiæ etiam Monte Physcone,

B 425 Mons Physcon, *vulgo* Monte Fiascone, *oppidum est Etruriæ Pontificiæ, ubi cultus* S. Rosaliæ *anno* 1717 *receptus fuit magno ardore. Rem fuse narrat Mancusus pag.* 292 *et seqq.. ex quo præcipua breviter capita colligam. Ibidem in seminario episcopali varia distributa sunt exemplaria Vitæ* S. Rosaliæ, *cujus lectione omnium ibidem pietas in Sanctam est accensa. Celebrata igitur in seminario festivitas inventionis die* XV *Julii magno cum apparatu; ac tunc venerationi exposita imago Sanctæ, inventa apud civem quempiam, qui asserebat se eam pingendam curasse, quia in mari Siculo liberatus erat imminenti naufragio, invocata ope* S. Rosaliæ. *Porro Franciscus Perini nobilis Panormitanus, ubi prædicta audierat, particulam digiti* S. Rosaliæ, *quam habebat authenticis testimoniis munitam, donavit ecclesiæ seminarii Montis Physconis S. Bartholomæo dicatæ. Harum reliquiarum translatio solemnitate celebri magnoque apparatu facta est die* XIV *Julii, et festivitas inventionis die sequenti pie celebrata. Atque hoc modo inchoatus est Monte Physcone* S. Rosaliæ *cultus, pietate in Sanctam ad oppida quædam vicina* C *simul propagata. Hisce subdit auctor, Florentiæ die festo* S. Rosaliæ *imaginem Sanctæ exponi in ecclesia Societatis Jesu : Liburni * vero sacellum eidem Sanctæ dicatum esse in ecclesia S. Mariæ Montis nigri, multumque eo populum concurrere in festivitate* S. Rosaliæ. *At non edicit, an Sancta in duabus istis urbibus Officio colatur ecclesiastico.*

* Livorno

et Recineti, ubi varia impetrata beneficia.

426 *Ut huic collectioni de cultu Sanctæ in Italia finem imponamus, restat memoranda civitas Piceni, seu Marchiæ Anconitanæ*, Recinetum, *vulgo* Recanati *dicta, quo reliquiæ* S. Rosaliæ *pervenerunt anno* 1723. *Res tota narratur a Mancuso tom.* 2 *a pag.* 156; *sed compendium mihi sufficiet. Anno* 1723, *mense Septembri, in monasterio Recinetensi monialium S. Stephani tres e monialibus, videlicet Candida Columba Ghinelli, Barbara Constantia Fortuna, et Rosalia Cherubina Leopardi, lecto decumbebant continua febri vexatæ. Cum autem non diu ante delatæ essent reliquiæ* S. Rosaliæ *ad prædictum monasterium, infirmæ moniales ad opem Sanctæ confugerunt : eaque pie invocata, capita sua memoratis reliquiis tangi voluerunt. Quo facto, mox febris abscessit, sanasque sic reliquit, ut deinde non rediret. Hoc factum ipsæ moniales subito sanatæ, præmisso juramento, testatæ sunt* XXI *Februarii anni* 1724 *coram publico notario Antonio Francisco Præsuttino, et duobus testibus ex Ordine Minorum de Observantia, prout latius narratur in Actu notariali, apud Mancusum edito, quem episcopus Recinetensis confirmavit, fidem et auctoritatem prædicti notarii testando* IV *Martii ejusdem anni, quemque archiepiscopus Panormitanus eodem anno, die* 2 *Aprilis, in Acta referri curavit, suoque nomine subscripsit, ita ut triplex illa sanatio abunde videatur firmata. Verum ex relatione jurata monialium clarum non est, an omnes tres eodem die sint sanatæ, an diversis; sed solum ex illa constat,* subito *omnes sanatas esse : malimque suspicari singulas esse sanatas diversis diebus, tum quod de* diversis diebus *fiat mentio, tum quod dies sanationis non exprimatur. Ceterum reliquiæ illæ* S. Rosaliæ *monialibus donatæ erant a viro nobili Carolo Calcagni, habitante Messanæ, sicut additur in testimonio monialium. Hæc de Italia sufficiant, licet dubitare nequeam, quin Sanctæ cultus ad plura etiam Italiæ loca pervenerit.*

AUCTORE J. S.

E

§ XL. Cultus, reliquiæ et beneficia in Gallia, Hispania, Germania et Hungaria.

Nicæa, nuncupato voto, liberatur peste

Quandoquidem Cascini vestigiis insistere statui, cum eodem ex Italia in vicinam transibo Galliam, ubi Nicæam Provinciæ, quæ ab aliis Italiæ attribuitur, peste liberatam scribit post votum S. Rosaliæ *nuncupatum. Rem narrat hoc modo. Nicæa Gallis* Nice, *Italis* Nizza, *quæ sita est in limite Italiæ, et caput est comitatus Niciensis, gravi laborabat pestilentia, uti multæ aliæ urbes eo tempore. Cum autem audivissent Nicienses* S. Rosaliam *contra pestilentiam esse patronam ; ac scirent reliquias ipsius honorari in pago comitatus Niciensis, dicto* Lucerame, *qui paucis solum milliaribus Nicæa distat ; ibique esse sacellum eidem Sanctæ dicatum ; ad patrocinium ipsius confugere decreverunt : atque id fecerunt hoc modo.* F *Voverunt Nicienses, se daturos lampadem argenteam memorato* S. Rosaliæ *sacello ; seque in urbe sua alterum sacellum eidem Sanctæ erecturos, eique alteram lampadem daturos argenteam. Quin et votum illud impresserunt, multisque miserunt in circuitu. Voto nuncupato, ait Cascinus, cessavit pestilentia : idem videri potest apud Jofredum in Nicæa pag.* 52.

et Sanctæ reliquias impetrat :

428 *Præterea post biennium litteras miserunt Panormum, ut flagitarent nonnihil reliquiarum Sanctæ* Rosaliæ. *Exemplar litterarum, quibus reliquias istas petierunt Nicienses, ante me habeo. Datæ sunt Nicææ* XXIV *Junii anni* 1633, *et subscriptæ hoc modo, sed Italice :* Syndici Nicienses. Andreas Bontà secretarius. *Asseritur votum* S. Rosaliæ *factum, additurque peti reliquias ad excitandam magis populi devotionem,* Quia simulac nuncupatum erat votum, subito cessavit dictum contagium miraculo vere magno, æternaque memoria digno. *Id contigisse anno* 1631 *ante in eadem epistola dicitur. Reliquias vero anno* 1634 *impetrarunt, teste Cascino, qui suas ipse donavit. Inscriptio tamen apud Jofredum pag.* 52 *exprimit annum* 1635. *Verum, cum*

AUCTORE J. S.

cum dicat geminam particulam esse missam, prior forsan anno 1634, *altera* 1635 *missam fuerit. Eodem teste, Nicienses argenteam lampadem* S. Rosaliæ *domum miserunt Panormum; ac eidem in cathedrali Niciensi elegans erexerunt sacellum.*

reliquiæ item Parisiis et Biterris :

429 *Parisiis ab anno* 1628 *particulam costæ* S. Rosaliæ *habuit Anna Austriaca Franciæ regina, quæ et Sanctæ imaginem pingi jussit. Particula maxillæ ejusdem Sanctæ ab anno* 1631 *servatur in ecclesia domus professæ Societatis Jesu, S. Ludovico dicata Parisiis. Reliquias* S. Rosaliæ *etiam petiit et obtinuit Clemens de Bonzy episcopus Biterrensis in Occitania, quod urbs Biterrensis* * *peste affligeretur, teste Cascino. Addit Mancusus pestilentiam cessasse per allatas reliquias : nec dubium est, quin cessaverit, sed quomodo aut quamdiu post allatas reliquias, non invenio.*

* Beziers

Thigernum vero et Molinæ, iis acceptis, factoque voto,

430 *Hisce adjungo annotationem a P. Noto scriptam, quæ Panormo huc missa sic habet :* Anno MDCXXX *(pestilentia liberatæ sunt patrocinio* S. Rosaliæ) civitates Galliæ *Thigernum* * *(in Alvernia inferiori,)* et Molinæ * *(Borbonensis provinciæ caput;)* ut fuse scribit P. Stephanus Chamillard Societatis Jesu in epistola ad P. Joan-
B nem Mariam Amato : quam hic typis edidit in Oratione secunda in solemni studiorum lustratione pag. 135. *Assignata epistola Italica est, scriptaque anno* 1705. *Ejus compendium sufficiet ad propositum nostrum. Refert Molinas anno* 1630 *peste graviter laborasse, magistratum autem* S. Rosaliæ *vovisse annuam supplicationem, ad ipsius honorem pie instituendam in ejus die festo; votoque nuncupato ac supplicatione instituta, pestem cessasse. Occasio voti sic exponitur. Cappucini quidam narrarunt Molinensi magistratui, civitatem Alverniæ Thigernum, unde venerant, peste liberatam esse post votum* S. Rosaliæ *factum, acceptasque nonnullas ipsius reliquias ab aliquo P. Cappucino donatas Thigernensibus. Cum vero rector collegii Societatis Jesu significasset, se reliquias habere* S. Rosaliæ, *votum nuncupatum est, cessavitque pestilentia.*

* Thiers
* Moulins

peste dicuntur liberatæ.

431 *Addit tamen revixisse pestem, quando voto, quo etiam promiserant Molinenses, se curaturos, ut pingeretur imago Sanctæ, non satis velociter satisfactum est; at rursum cessasse post impletam hanc quoque voti partem. Dubitabunt*
C *fortasse Molinenses de veritate hujusce facti, quia in tabulario urbis de eo nihil est inventum; in tabulario vero capituli duæ solum breves inventæ memoriæ : quarum prior dicit, venisse anno* 1631 *magistratum ad capitulum ac rogasse ut institueretur supplicatio* secundum votum. *Altera habet, venisse magistratum ac petiisse a capitulo,* ut institueretur supplicatio generalis, ad agendas Deo gratias pro liberatione a peste. *Verum in neutra fit mentio* S. Rosaliæ. *Itaque existimo P. Chamillard factum narrasse ex litteris annuis collegii Societatis Jesu, in quibus similia solent notari : nam votum primo cum adjunctis personis refert, aitque subscriptum fuisse,* Demmonet. *Deinde vero pro occasione voti ac eventu rei laudat* P. Lebel Societatis Jesu. *Ceterum senatus Panormitanus in epistola sua ad Pontificem inter urbes Sanctæ patrocinio gavisas numerat Thigernum et Molinas ex hisce monumentis, quantum opinor. Auria in Rosa cœlesti pag.* 102 *ex Diario Nicolai Causini, quod mihi ad manum non est, hæc producit verba ad* IV *Septembris* : S. Rosalia de Normannis oriunda miræ sanctitatis, quæ pestis expultrix in Italia, et Molinis colitur magna solemnitate. *Verba ut-*

cumque ambigua sunt : nam pro varia interpunctione varius exoritur sensus, nimirum de cultu D
Sanctæ Molinis delato secundum interpunctionem datam; vel de peste Molinis æque pulsa ac in Italia, si comma ponatur post vocem Molinis. *Verum qualiscumque fuerit mens Causini; agit de Molinis in Gallia, non de Mechlinia in Brabantia, ut ipsum perperam intellexit Auria, dicens* S. Rosaliam *Mechliniæ in Brabantia coli solemniter. Quippe cultus Sanctæ non est tam cito inchoatus Mechliniæ, sed ibi cœptus est, dum fuit permissus omnibus ditionibus regis Hispaniæ.*

Reliquiæ in Hispaniam ad regem missæ :

432 *Ex Gallia Cascinum sequor in Hispaniam, de qua breviter sic disserit* : Civitas Panormitana, simulac reliquiæ S. Rosaliæ venerationi fidelium fuerunt expositæ, duas ex illis insignes particulas, saxo illo lucido vestitas, inclusasque duabus thecis, quas corallides ornabant, in Hispaniam transmisit ad regem Philippum IV et reginam. Illæ vero exceptæ sunt veneratione digna regibus tam Catholicis et piis. *Reliquias hasce omnes, aut certe partem unam rex Catholicus deinde donavit regali monasterio S. Laurentii, ubi anno* 1722 *testimonium Car-* E
dinalis Doria, quod ibi cum reliquiis servatur, propria manu exscripsit Pinius noster. Illud huc transfero : Joannettinus Doria S. R. E. presbyter Cardinalis tituli S. Petri in Monte aureo, archiepiscopus Panormitanus, fidem facio, et attestor ex reliquiis S. Rosaliæ, virginis Panormitanæ, cujus corpus nuper est inventum in specu montis Peregrini, lapideis thecis mirifica concretione inclusum, fuisse desumptum capitulum humeri ejusdem beatissimæ Virginis, quod ad sacram Catholicam regis domini nostri Philippi IV majestatem transmittitur a senatu Panormitano. Ut autem in exhibendo cultu præfata majestas minime sit anceps, ceterique omnes Christi fideles possint rite colere et religiose venerari, in ejus rei testimonium præsentes litteras dedi, propria subscriptione et sigillo obsignatas. Panormi XXXI Augusti, Indictione VIII, anno Domini MDCXXV. Joannettinus Cardinalis Doria, archiepiscopus Panormitanus *etc. Ita authenticum Cardinalis testimonium.*

exercitus Hispanus contagio liberatus :

433 *Factum memorabile, si omnia adjuncta satis sint certa, mihi communicavit mox laudatus adjutor, Cajetanus Noto, ita scribens* : Cum F
hoc anno (1652) Joannes Austriacus Barcinonensem urbem obsidione cingeret, pestifera lues, quæ per regna Hispaniæ grassabatur, Hispanum exercitum magno militum damno invasit : a qua tamen repente liberatus est, ubi solemnis supplicatio indicta fuit, in qua S. Rosaliæ effigies circumlata est. Habetur hæc narratio in libello, eodem anno MDCLII Panormi typis Nicolai Bua impresso in 8°., cui titulus est *(Italicus, quem Latinum facio :)* „ Relatio stupendi miraculi, „ patrati per S. Rosaliam virginem Panormitanam „ in exercitu regis nostri Catholici, et solemni„ tatis ea de causa celebratæ Matriti in die festi„ vitatis ipsius IV Septembris MDCLII, accepta „ ex litteris, datis in aula die XI ejusdem mensis „ a persona summæ auctoritatis „. Ibi autem hæc leguntur verba *(Italica, sed rursum Latina reddenda :)* „ Serenissimus dominus Joannes Au„ striacus pie imploravit opem virginis Panormi„ tanæ S. Rosaliæ : atque ubi ipsam *(id est, pictam ipsius imaginem)* cum applausu et devo„ tione per exercitum in solemni supplicatione „ circumferri curaverat, ut ab omnibus honora„ retur et coleretur; miraculum revera stupen„ dum!

A " dum! cessavit illico contagium, omnibus per-" fectam sanitatem consequentibus, non solum " a malo contagioso, sed a quacumque etiam " alia infirmitate, ita ut post hanc supplicatio-" nem nullibi melius et perfectius sanitas vigeret " quam in exercitu Catholico ". Inde adnitentibus P. Josepho Spucces Societatis Jesu Panormitano regio concionatore, et doctore Damiano Bertolo Panormitani senatus apud Catholicum regem procuratore, solemne festum D. Rosaliæ in Matritensi urbe celebratum est. *Hoc factum etiam narrant Auria in Rosa cœlesti pag.* 110 *et Mancusus tom.* I *pag.* 271.

reliquiæ in Majorica insula.

434 *Ipsa quoque urbs Barcinonensis periculo infectionis exposita fuit per quemdam mercatorem, qui, morte appropinquante, aperuit, cur singulis annis festivitatem* S. Rosaliæ *solemniter celebrasset, nimirum merces pretiosas, sed infectas, in urbem induxerat, ibique distraxerat: attamen invocaverat* S. Rosaliam, *ut omne averteret periculum. Ita revera factum asserit Mancusus pag.* 271. *Merces illæ nec mercatori nocuerunt, nec iis, quibus eas vendidit. At factum hoc si satis certum, mirandum quidem; sed nequa-* B *quam imitandum. Anno* 1683 *insula Balearis major, dicta alias* Majorica, *accepit* S. Rosaliæ *reliquias, quas in metropoli cognomine possidet collegium Societatis Jesu, ut latius narrat Mancusus tom.* I *pag.* 272. *Hactenus de Hispania, ubi cultum* S. Rosaliæ *primum in diœcesibus quibusdam particularibus receptum ac deinde promotum per totum regnum, ac per ditiones omnes Catholico regi subjectas, jam vidimus* § 30. *Qua de causa nihil addendum est de insula Sardinia, quæ eodem tempore cultum* S. Rosaliæ *suscepit, quod regi Hispaniæ esset subjecta, licet seculo nostro alium regem acceperit.*

Reliquiæ Viennam ad imperatorem missæ:

435 *De reliquiis* S. Rosaliæ *in Germaniam portatis Cascinus pag.* 400 *ita scribit:* Nihilo minus augustissimo imperatori Ferdinando carissimæ fuerunt *(Sanctæ reliquiæ,)* ex quibus primo nonnulla accepit fragmenta in theco eleganti, eaque in summo habuit honore; multoque magis *(acceptum)* deinde fragmentum insigne ex radio brachii, undique candido lapide circumdatum. *Mancusus tom.* I *pag.* 261 *ex litteris Viennensibus docet, prædictas reliquias ab Urbano* C *VIII missas esse ad Ferdinandum II, easque ab imperatore postea donatas domui professæ Societatis Jesu Viennæ. P. Bernardus Gollez, cujus sunt illæ litteræ, inter alia sic scripsit* XIV *Decembris anni* 1670*:* Digitum autem hujus Sanctæ sacristanus asserit tempore pestis a Ferdinando II, Ratisbonæ existente, ad Domum *(professam Viennensem)* missum fuisse, et ab inde pestem aut numquam aut raro admodum Viennam infestasse. *Primam autem festivitatem* S. Rosaliæ *magno splendore celebratam fuisse Viennæ anno* 1641, *docet ex litteris annuis prædictæ domus professæ. Aliæ litteræ P. Gollez Panormum missæ affirmant,* S. Rosaliam *Viennæ* patronam *fuisse electam in magnis* mortium et morborum periculis. *Demum Viennam Sanctæ patrocinio fuisse peste liberatam, affirmat non solum laudatus Mancusus, sed clarius etiam ostendit Vincentius Auria in Rosa cœlesti pag.* 106.

Vienna peste liberata,

436 *Pauca ex hoc scriptore contemporaneo Latina facio.* Inde, *inquit*, per totam Germaniam nata est extraordinaria devotio erga Sanctam, *(ex Cilleia nimirum peste liberata, ut mox videbimus)* tantoque magis per totum imperium accrevit ejus veneratio, qui eadem liberatio comperta fuit in urbe Vienna Austriæ, malo contagioso liberata patrocinio Sanctæ. Unde in memoriam tanti beneficii acclamata fuit Viennæ patrona, et in collegio *(imo in domo professa)* Societatis Jesu ejusdem urbis sumptuosum ejus nomini erectum fuit altare, atque in loco publico elegans ipsius statua, ante quam singulis hebdomadis die Sabbati litaniæ ejus piissime decantantur. Hisce needum contentus populus imaginem Sanctæ depingendam curavit in januis domus suæ in gratiarum actionem de miraculis, patrocinante Sancta patratis toto illo tempore, quo pestis duravit isto anno (1649, *ut ante insinuavit.)* Quin imo Georgius Tecler, istius regionis pictor, venit ad implendum votum visitandi speluncam S. Rosaliæ in monte Peregrino, testans veritatem facti, una cum Laurentio Churelich Germano, qui Panormum venit, ut distinctam facti relationem communicaret.

AUCTORE J. S.

uti et Cilleiæ:

437 Cilleia, *aut* Celia, *vulgo* Cilley, *caput est comitatus cognominis in circulo Austriaco, sitaque in confinio Styriæ et Carniolæ ad Saanam fluvium. De hac urbe laudatus Auria præmiserat sequentia:* Hoc anno MDCXLIX patrocinium Sanctæ obtinuit apud Datorem omnium E stupendum miraculum in imperio Germaniæ, in urbe Celia diœcesis Labacensis, ubi tam crudelis sæviit pestis, ut miseri mortales horrendo illo malo existinguerentur magna multitudine usque ad sexaginta millia. Nihil proderant medicorum antidota, magistratuum diligentiæ, nec preces aut vota diversis Sanctis facta. In statu tam miserando pius istius civitatis episcopus confugit ad devotionem et ad patrocinium Sanctæ anachoretidis Panormitanæ Rosaliæ, a qua mirabilia in variis mundi partibus contra pestem patrata intellexerat. Itaque sincerissimis lacrymis vovit, se ædificaturum ecclesiam, nomini et honori ipsius dicandam, si precibus suis grande illud Dei flagellum ab ista civitate averteret. Non poterat eo tempore pius episcopus adimplere votum, quia ærarium civitatis omnino erat exhaustum sumptibus occasione mali factis. Verum cum persona dives eo morbo liberata esset, ea propriis sumptibus vix cœperat ædificare, quando confestim pestis prodigiose in civitate cessavit. *Pro hisce auctor laudat relationem quamdam anno* 1653 *Panormi impressam; subditque oratio-* F *nem, qua usos fuisse Germanos affirmat, hisce verbis Latinis conceptam:* Deus, qui corpus famulæ tuæ Rosaliæ, post tot sæcula intra montes inventum, contra sævientem pestilentiam sacrum amuletum fidelibus tuis esse voluisti; da supplicibus tuis, ut qui sacras ejus reliquias colimus, vel commemoratione lætamur, ejus quoque intervenientibus meritis, a præsentibus periculis, et a malo pestilentiæ liberemur. Per Christum Dominum nostrum.

reliquiæ Sanctæ Græcii, ubi patrona electa:

438 *De Græcio, Styriæ metropoli, vulgo* Gratz *dicto, scribit Cascinus, summam ibi devotionem in* S. Rosaliam *esse natam anno* 1633, tamquam in illam, cujus beneficio fuerant peste liberati Græcenses. *Mancusus tom.* I *pag.* 262 *originem hujusce cultus declarat ex epistola Ms. P. Wolfgangi Reusxen, qui de eo varia Panormum perscripsit anno* 1670, *die* 2 *Decembris.* Origo, *inquit*, cultus Beatæ hujus in nostro templo fuit P. Alegambe, qui cum principe ab Hoggenberg in provinciis fuit, et circa illud tempus corpus beatæ Rosaliæ fuit inventum. *Accepit nimirum P. Alegambe reliquias* S. Rosaliæ *in Sicilia, easque Græcium detulit, ubi* civitas

AUCTORE J. S.

seu magistratus suis sumptibus componi curavit elegantem cistam argenteis adornatam laminis, cui reliquiæ impositæ sunt, *ut habet eadem epistola, ubi additur :* Et in patronam a civitate electa tempore pestis. *Cum autem reliquiæ sint depositæ in ecclesia Societatis Jesu, ibi Sanctæ festivitas quotannis celebratur solemniter,* quod etiam fieri solet, quandocumque pestis grassatur, *inquit P. Reusxen, addens :* Et nos ad finem Litaniarum de omnibus Sanctis *(quæ quotidie dicuntur in Societatis Jesu collegiis)* semper oramus orationem de diva Rosalia. *Mancusus ex eadem epistola, sed verbis illius non adductis, narrat extra urbem Græcensem a Congregatione honoratorum civium sub titulo Virginis Purificatæ erectam esse ecclesiam* S. Rosaliæ, quo frequens populus excurrit præsertim *in ipso festo,* atque aliquot anathemata ibidem jam sunt affixa. *Hæc demum subjungit P. Reusxen :* Nunc a P. Rectore intellexi, unam partem reliquiarum esse etiam in sacello domestico B. Aloysii, et Sanctam solemni voto a tota civitate facto fuisse in patronam electam; plurimaque beneficia accepisse Græcenses per intercessionem Beatæ. B

reliquiæ item Coloniæ et Bonnæ,

439 *Cascinus reliquias* S. Rosaliæ *jam suo tempore etiam Coloniæ fuisse scribit, in ecclesia Societatis Jesu, ibique sacellum Sanctæ exstructum. Apud Mancusum vero plura de hisce scribunt duo Patres Societatis Jesu Coloniæ degentes. P. Adamus Pleikner ita anno* 1670 : Tempore pestis Patres hujus collegii plurimas illius, tamquam singularis contra pestem patronæ, imagines Coloniæ sparserant. *Idem referens P. Hermannus Crombach, addidit, imagines istas primum tetigisse reliquias Sanctæ. De earum vero usu ita habet :* Quæ ostiis domorum vel conclavium affixæ sunt, vel gestatæ, successu sæpe felicissimo, depulsa a multis ædibus, familiis, agris *, lue. *Unum ex obtentis ibi beneficiis referam in Appendice cap.* 5. *Porro adduntur ibi et alia pietatis exercitia, quibus tempore pestis Sanctæ opem implorarunt Colonienses. Bonnæ in electoratu Coloniensi particula est reliquiarum* S. Rosaliæ; *de qua ad majores meos P. Jacobus Kritzradt anno* 1671 *ita perscripsit :* Bonnæ particula ex reliquiis S. Rosaliæ, nobis in solatium ac tutelam submissa, et venerationi publicæ exposita, pietatem mirifice auxit, contagione per urbem gliscente. C

* *forte* ægris

atque in Hungaria

440 *De eximia Pragensium pietate in* S. Rosaliam *Mancusus agit pag.* 263. *Nonnulla quoque de aliis Bohemiæ et Silesiæ locis mihi communicavit P. Cajetanus Noto. Verum cum Sancta per omnia regna Augustæ domui Austriacæ subjecta tamquam patrona colatur, ut vidimus num.* 320, *solum memorare volui illius dominii urbes, quæ jam antea Sanctæ cultum erant amplexæ, nisi singularia quædam dicenda occurrerent. Qua de causa nihil dicam de regno Hungariæ, nisi reliquias* S. Rosaliæ *duobus saltem locis ibidem haberi. Tirnavia urbs Hungariæ Superioris hoc seculo accepit reliquias* S Rosaliæ *per P. Franciscum Castiglia Panormitanum Societatis Jesu, qui Romæ erat pœnitentiarius, quando eas rector collegii Societatis Jesu Tirnaviensis studiose petiit, et per ipsum accepit, teste Mancuso pag.* 266 ; *ubi addit in parte quadam ditionis comitis Esterhasi ecclesiam* S. Rosaliæ *esse conditam, Sanctæque reliquias anno* 1720 *impetratas esse a prædicto comite. Forsan et plures reliquias deinde obtinuerunt Hungari, qui ut subditi Domui Austriacæ Sanctam colunt.*

441 *Idem est de Transilvania, de qua Laudatus P. Noto ita hoc anno ad me scripsit :* Dum elapsis annis pestilentia per Transilvaniam vicinasque regiones grassaretur, plures S. Rosaliæ reliquiæ pro illis regionibus petitæ sunt et illuc transmissæ. Invocatam porro ibi S. Rosaliam, ejusque opem populos illos sensisse, ex litteris Vienna huc missis accepimus. *At nec particulare aliquod memorat beneficium, nec docet, ad quas urbes transmissæ sint reliquiæ. Pestilentia vero, de qua loquitur, inchoata est tempore postremi belli Turcici, seu anno* 1737, *atque in milites æque sæviit ac in Transilvaniæ et Hungariæ incolas, præsertim anno* 1738, *sed non diu post sedata fuit ac omnino demum sublata.* D

et Transilvania.

§ XLI. Cultus, reliquiæ et beneficia S. Rosaliæ in Belgio et præsertim Antverpiæ : item in Polonia et in insula Melitensi. E

Reliquiæ in Belgio :

In *Belgium nostrum variæ quoque perlatæ sunt particulæ reliquiarum* S. Rosaliæ, *ejusque cultus ibidem cœptus ab anno saltem* 1629, *quando etiam Antverpiæ editum fuit breve compendium Vitæ, variis imaginibus repræsentatum. Cascinus pag.* 400 *testatur P. Florentium Montmorentium, qui provinciæ Flandro-Belgicæ Societatis Jesu ab anno* 1623 *fere finito usque ad annum* 1627 *præfuit, reliquias* S. Rosaliæ *Roma portasse in Belgium, sed nec annum exprimit, nec exponit, ad quam delatæ sint urbem. Ipris in Flandria collegium Societatis Jesu reliquias Sanctæ a multo tempore veneratur, ut ad me perscripsit P. Ludovicus Verspilt in eodem collegio degens, qui etiam adjungit in ecclesia istius collegii singulare quotannis in honorem Sanctæ celebrari sacrum, ad quod conveniunt puellæ pauperes, quæ erudiuntur doctrina Christiana in sacello sancti Spiritus, cujus* S. Rosalia *est patrona.*

aliquæ Antverpiam missæ,

443 *Anno* 1629 *aliæ reliquiæ* S. Rosaliæ *portatæ fuerunt Antverpiam, ibique solemni ritu depositæ in Sacello ornatissimo Sodalitatis juvenum sub titulo Nativitatis beatæ Mariæ Virginis, quæ ibidem semper continuata est per unum e Patribus domus Professsæ Societatis Jesu, et hactenus floret sodalium numero et pietate. Eas flagitavit P. Hermannus Spruyt prædictæ Sodalitatis director ; donavit Panormi Cascinus anno* 1628 *cum litteris patentibus D. Francisci de la Riba, archidiaconi Panormitani et vicarii generalis Cardinalis Doria, quæ hactenus servantur et sigillo Eminentissimi Cardinalis sunt munitæ, imo et nomine ipsius datæ, ita ut potius vocari debeant litteræ Cardinalis ipsius, cujus nomen præfigitur. Reliquias autem istas Romam detulit P. Hieronymus la Roccha procurator provinciæ Siculæ ad Congregationem missus anno eodem* 1628, *ibique eas coram notario multisque testibus tradidit P. Joanni de Tollenare, provinciæ Flandro-Belgicæ ibidem procuratori, qui eas finita congregatione Antverpiam detulit anno* 1629, *una cum instrumento memorato Cardinalis Doria, et instrumento traditionis Romæ per notarium facto, ac signato* XX *Decembris anni* 1628. F

444 *Utrumque*

AUCTORE J. S.

ac depositæ in sacello Sodalitatis juvenum domus professæ Societatis Jesu

A 444 *Utrumque instrumentum præ manibus habeo, uti et testimonium P. Joannis de Tollenare, quod notatum est Antverpiæ* III *Augusti an.* 1629, *atque his verbis conceptum :* Ego infrascriptus testor, me reliquias S. Rosaliæ cum instrumento authentico illustrissimi Cardinalis Doriæ archiepiscopi Panormitani, et alio instrumento, coram notario Romæ confecto, accepisse Romæ a P. Hieronymo Rocca tunc procuratore Siciliæ Societatis Jesu, et supradicta omnia tradidisse in manus P. Hermanni Spruyt ejusdem Societatis. *Visis autem hisce testimoniis, recognitisque reliquiis, illustrissimus Joannes Malderus episcopus Antverpiensis permisit die* III *Septembris anni* 1629, *ut in diœcesi sua publicæ venerationi exponerentur.*

magna cum solemnitate:

445 *Papebrochius noster in Annalibus Antverpiensibus apud nos Mss. ad annum* 1629 *de primo honore publico reliquiis istis delato breviter sic habet:* Die VIII Septembris Sodalitas juvenum, sub titulo Nativitatis B. M. Virginis pridem erecta, solenniter ab ecclesia domus professæ ad aulam suam transtulit reliquias S. Rosaliæ virginis ex Sicilia allatas, curante sodalitatis B directore, et ab illustrissimo Maldero probatas vigore instrumenti, anno præcedenti die XXI Junii signati per D. Franciscum de la Riba, . . . fidem faciendo, fragmentum ossis lapidi inditum, (quod P. Jordanus Cascini, Societatis Jesu in Sicilia provincialis, mittebat Antverpiam P. Hermanno Spruyt) esse ex reliquiis Rosaliæ virginis Panormitanæ . . . . Quare eamdem Sanctam ista Sodalitas ex tunc cœpit civitati nostræ colendam proponere, veluti singularem contra pestem patronam, et patrocinii efficaciam multis modis experiri. *Paulo ante ad eumdem annum scripserat:* Mense Augusto exorta est denuo pestilentia in urbe. *Verum nihil deinde ulterius scribit de illa pestilentia, nisi pauca eodem hoc loco, ita ut credibile sit, patrocinium* S. Rosaliæ *profuisse non modo particularibus, sed toti quoque urbi.*

festivitas annua cum supplicatione ibidem hactenus celebrata,

446 *Porro festivitas Sanctæ a prædicta Sodalitate, cui altera juvenum Sodalitas, sub titulo Assumptionis B. M. Virginis, deinde devotionem suam conjunxit, celebratur magna solemnitate, institutaque supplicatione per vicinas urbis plateas, singulis annis Dominica prima Se*C*ptembris : at non semper eodem plane modo et ordine peracta fuit. Hoc tempore talis est ordo. Exponuntur a tempore matutino sacræ reliquiæ in sacello Sodalitatis, quod amplum est et undique marmore eleganti vestitum, picturisque pretiosissimis exornatum. Præter Sacrificia alia et sacram concionem de* S. Rosalia, *solemnis Missa ibidem cantatur, concinente musicorum choro : ac omnes sodales sanctissimum Christi corpus suscipiunt. Post meridiem vero hora tertia reliquiæ, comitantibus sodalibus cereos gestantibus, feruntur ad ecclesiam domus professæ e regione sitam, ibique Laudes solemniter decantantur : quibus finitis, instituitur supplicatio per varias urbis plateas, comitante venerabili Sacramento, et sic reliquiæ* S. Rosaliæ *circuitu satis longo ad sacellum sive aulam Sodalitatis referuntur, ibique aliæ rursum decantantur Laudes. Tandem, finitis Laudibus, sodalibus aliisque magno numero accedentibus exosculandæ præbentur reliquiæ et solemnitas clauditur. Antverpiensis episcopus anno* 1682 *indulgentias quadraginta dierum concessit omnibus*, S. Rosaliæ *reliquias in dicta festivitate pie visitantibus, sive in sacello sive in ecclesia prædictis.*

non sine fructu a sodalibus tempore pestis percepto :

447 *Quantum porro pietatis suæ fructum perceperint sodales Nativitatis B. M. Virginis, qui congregantur ante meridiem, colligi potest ex litteris impressis, quibus alii sodales, sub titulo Assumptionis, qui congregantur in eodem sacello post meridiem, declarant decretum suum et rationes eligendi patronam* S. Rosaliam, *et primam ipsius festivitatem ritu admodum solemni celebrandi. Verba Belgica Latine reddo :* Hujus Patronæ electione sodales sperant se obtenturos favorem et felicitatem, quam omnes fere, qui opem ejus implorant, consequuntur; quamque impetrarunt sodales Nativitatis, ex quibus, postquam sacra ossa hujus sanctæ Virginis singulari veneratione prosequi cœperunt, tempore triennalis pestilentiæ nullus occubuit, imo nullus ægrotavit, quamvis eorum sodalium numerus a quingentis non longe absit : quod beneficium, ut pie credunt, impetrarunt patrocinio illius, quam antea tot piis exercitiis honorarant et invocarant. *Quod dicitur nullus toto triennio pestilentiæ mortuus fuisse aut infirmus, suspicor intelligendum esse de sola pestilentia, licet verba ita sint po*- E *sita, ut alios quoque videantur excludere morbos, ideoque incerta sit loci intelligentia. Ceterum hi sodales sub titulo Assumptionis cum præcedentibus concurrunt in celebranda festivitate* S. Rosaliæ, *atque in reliquiis ipsius exornandis, etsi alias ob nimiam multitudinem duæ sint congregationes diversæ.*

festivitas extraordinaria in collegio Societatis Jesu cum fructu peracta :

448 *Papebrochius in laudatis Annalibus ad annum* 1659 *de iisdem loquitur sodalibus, quando hæc scribit ad propositum nostrum :* Grassante autem per civitatem pestilentia jam inde ab anno superiori, quo domus professa unum alterumque, obsequio infectorum expositum sacerdotem amiserat; et sodalitas juvenum Mariana duplex, una post alteram, suas S. Rosaliæ reliquias in ejusdem domus professæ sacello cultui publico exposuerat, non sine peculiari sacrorum cereorum et comprecationum frequentia : hoc anno exemplum imitati sunt Patres collegii, in cujus vicinia præ aliis urbis vicis sæviebat malum. Igitur ipsi quoque exposuerunt in suo oratorio publice venerandam Sanctæ illius statuam, persuaseruntque omnibus circumhabitantibus, nec non sco- F laribus eorumque parentibus, in ejus patrocinium nomina dare sub solenni Sacro, ad id decantato cum Missis toto matutino tempore continuatis, et concione post meridiem. Ex eo autem die in vico isto, ubi antea septemdecim contagione exstincti, triginta afflati fuerant, nemo contactus est; nemo etiam ex eodem collegio; ubi tamen anno superiori jam dicto fuerant peste exstincti duo : sed eorum mors celata erat, ne a juvandis in vicinia proximis variæ laborantibus aut deterrerentur aut prohiberentur Patres, necdum auctoritate publica de periculo moniti.

aliæ reliquiæ per Bollandum impetratæ ac donatæ sacello Sanctæ,

449 *Duas alias reliquiarum* S. Rosaliæ *particulas Bollandus noster anno* 1637 *Roma accepit, ut ex iis alteram pro se servaret, alteram traderet quatuor sororibus virginitatem professis, nobili stirpe ac pietate præstantibus, multisque beneficiis de domo professa Antverpiensi optime meritis, quarum nomen* Houtappel. *Misit eas particulas ad Bollandum P. Silvester Petrasancta, scriptis Opusculis non paucis notus, donante eas R. P. Francisco Piccolomineo, tunc Romanæ*

AUCTORE J. S.

Romanæ provinciæ præposito provinciali, ac postea totius Societatis generali, qui testabatur se eas accepisse in Sicilia, dum illius provinciæ erat visitator. Porro, ubi obierat Bollandus, atque etiam vita excesserant tres e quatuor memoratis sororibus, curarunt Henschenius et Papebrochius, Bollandi successores, ut ambæ illæ particulæ, suam eum in finem reddente D. Anna Houtappel tunc nonagenaria et cæca, et probante antistite Antverpiensi, donarentur sacello S. Rosaliæ jam ante erecto. Hoc autem sacellum, amplum et elegans, præcipue usurpatur ad puellas, magna multitudine istud frequentantes, imbuendum doctrina Christiana, uti tam ibidem quam in multis aliis similibus sacellis, constanter diebus Dominicis fieri solet per aliquem e Societate Jesu.

ubi ejus quotannis celebratur festivitas.

450 *Festivitas translationis* S. Rosaliæ *in prædicto sacello solemniter celebrari cœperat impetratis ad id indulgentiis plenariis, jam ante acceptas reliquias. At hæ anno* 1678 *sacello donatæ novum festivitati splendorem addiderunt. Celebratur autem Dominica tertia Julii perpetua* B *Sacrificiorum oblatione ante meridiem; post meridiem vero oratione panegyrica in laudem Sanctæ, ac Laudibus musice modulatis. Venerabile Sacramentum manet toto die expositum usque ad vesperam, quando præmissis variis precibus datur benedictio. Præterea singulis anni Dominicis post oblatum Missæ Sacrificium cum aliis precibus jungitur oratio ad honorem* S. Rosaliæ. *Ceterum devotæ virgines, quæ et sacelli curam habent et puellas ibidem privatim instruunt, inter quas variæ sunt nobili stirpe ac opibus spectabiles, testantur antiquam esse traditionem, quod nulla ex puellis, quæ ibidem instruuntur, aut ex sacris virginibus, quæ illas privata instructione ad communem et publicam utiliter præparant, umquam malo contagioso seu pestilentia fuerit correpta. Alia demum particula* ex cranio S. Rosaliæ *anno* 1744 *cum authentica approbatione mihi transmissa est a sæpe laudato Castiglia, quæ anno* 1745 *huc perlata, rursumque in curia episcopali ad publicam expositionem in ecclesia nostra approbata, hactenus in ara Musei nostri thecæ argenteæ inclusa servatur.*

Mera, pagus Brabantiæ

C 451 *Ex reliquiis porro, quæ conservantur in sacello Sodalitatis domus professæ, particula quædam anno* 1668 *donata est ecclesiæ parochiali in* Meer. *Pagus est diœcesis Antverpiensis prope confinia Brabantiæ Hollandicæ, atque septem circiter aut octo horarum itinere distans Antverpia versus Bredam, a qua minus distat. Flagitavit illam reliquiarum particulam R. D. Joannes Gerlacus vanden Bogaert, Ordinis Præmonstratensis, et loci parochus, quia cupiebat cultum* S. Rosaliæ *magis promovere in pago* Meer, *qui eodem anno pestilentia liberatus erat Sanctæ patrocinio, ut narrat in litteris, quibus rogat prædictam reliquiarum particulam. Epistola illa Belgico sermone conscripta est, et hactenus conservata. Latina faciam præcipua capita, quæ huc transfero. Ait primo se diu summa pressum fuisse sollicitudine,* Quia, *inquit,* misericors ac justus Dominus nos castigavit morbo contagioso seu pestilentia, quæ per medium circiter annum duravit in communitate nostra.

peste liberatus,

452 *Deinde testatur se magno vitæ periculo Sacramenta ægrotis administrasse, ac laudat Deum, quod pagum illum mirabiliter malo illo liberaverit, hoc præcipue attribuens* S. Rosaliæ *patrocinio:* Nam, *inquit*, postquam Dominica decima sexta post Pentecosten, incidente in diem IX D Septembris, in longo supplicantium agmine per pagum nostrum circumtulimus pictam S. Rosaliæ imaginem, quæ jam ultra annum magna devotione honorata fuit in ecclesia nostra; experti sumus ab illo die neminem occubuisse aut ægrotasse pestilentia. Id unusquisque advertit magna cum admiratione: et ab illo die communitas nostra magis semper magisque se devotam exhibuit ac piam in S. Rosaliam. *Demum addit se hac de causa partem reliquiarum desiderare ac flagitare. Rem autem ita fuisse peractam, non modo memoratus parochus subscripto nomine testatus est, sed idem quoque testatus est ipsius vicarius, D. Paschasius Michaël van Gessel ex eodem Ordine Præmonstratensi, uti et quinque alii ex præcipuis istius pagi, quorum nomina, tamquam testium, epistolæ leguntur subscripta.*

et ideo particula reliquiarum Antverpiensium eo missa, et Sanctæ festivitas instituta.

453 *Allegata et testata ratio permovit R. P. Franciscum l'Hermite præpositum domus professæ, ut pateretur reliquias Sodalitatis Marianæ dividi, approbante antistite Antverpiensi, ac partem earum donaret memoratæ ecclesiæ pagi Merensis. Testimonium donationis sigillo R. P.* E *Præpositi munitum etiamnum servatur in prædicta parochia, illudque nobis perhumaniter transmisit hodiernus pastor in Mera ex Ordine item Præmonstratensi, R. adm. D. Antonius Ophals. Verba subjungo:* Ego infrascriptus præpositus domus professæ Societatis Jesu hisce testatum facio, particulam hanc ossis S. Rosaliæ candidam, desumptam ex arca reliquiarum ejus, quæ publicæ venerationi expositæ sunt in Sodalitate juvenum instituta sub titulo Natæ Virginis in eadem domo, et cum consensu officialium ac directoris ejusdem Sodalitatis, templo pagi Merensis, ad postulationem adm. Rdi Dni pastoris Joannis vanden Bogaert ex Ordine Præmonstratensi datam, ut populi devotioni, tamquam antidotum futuris temporibus contra pestem serviat. In quorum fidem has manu mea scripsi et subscripsi, ac sigillo officii mei munivi. Antverpiæ XXIX Novembris MDCLXVIII. *Subscriptum erat,* Franciscus l'Hermite. *Approbatio episcopi Antverpiensis cum facultate exponendi dictas reliquias inferius legitur in eadem charta, quæ sigillo etiam episcopali munita est. Dubitari nequit, quin reliquiæ istæ solemniter exceptæ sint in Mera; at illius* F *solemnitatis memoria conservata non est. De festivitate vero annua, ita scribit laudatus supra illius ecclesiæ pastor Antonius Ophals:* Celebratur illud festum apud nos annue cum indulgentiis plenariis, magno populi concursu et publica supplicatione; *nimirum ipsa die* IV *Septembris, si sit Dominica; alias vero prima Dominica post diem prædictam.*

Reliquiæ Cracoviam delatæ,

454 *Amplissimum Poloniæ regnum reliquias* S. Rosaliæ *accepit anno* 1630, *atque eam eodem anno colere cœpit, impresso etiam brevi Vitæ compendio, ut refert Cascinus pag.* 400. *In laudato Compendio Cracoviæ edito hæc sub finem leguntur:* Quo *(anno* 1630*)* etiam pars costæ illius lapideo cortice inclusa, et parti ossis alterius annexa, cura Patrum Societatis Jesu, ex regno Siciliæ per Jordanum Cascini ejusdem Societatis (qui inventioni sacri corporis adfuerat, Ordinis sui tunc in ea insula provincialis præses) obtenta, Cracoviam hoc eodem MDCXXX, die XXV mensis Julii, cum fide publica apportata fuit: et deinde mensis Septembris die XXI ejusdem anni in ecclesia S. Barbaræ, domus professæ Societatis Jesu, publicis fidelium honoribus,

A bus, ecclesiastico magistratu volente et approbante, exposita, contra imminentis epidemiæ pericula amuletum salubre. *Hisce adjungit Cascinus, festivitatem die* IV *Septembris celebratam fuisse in prædicta S. Barbaræ ecclesia, ac deinde quotannis continuatam. Præterea asserit, malum contagiosum in quibusdam domibus Cracoviæ se manifestasse, sed favore* S. Rosaliæ *subito cessasse. Mancusus tom.* 1 *pag.* 267, *laudans duos auctores Polonos, narrat memoratas reliquias non solum venerationi fidelium exponi annis singulis in theca argentea pretiosa, sed subinde etiam tempore calamitatis publicæ circumferri in agmine supplicantium. Reliquias vero ejusdem Sanctæ servari etiam in Collegio Cracoviensi, docet ex manuscriptis P. Joannis Scorso.*

et Varsaviam ad reginam Poloniæ missæ.

455 *Varsaviæ etiam, ubi solet esse aula regum Poloniæ, conservantur* S. Rosaliæ *reliquiæ, quas a regina summo honore exceptas tradit Cascinus. Eas ibidem esse depositas in sacello regio, ait laudatus Mancusus, qui ex testimonio P. Alexandri Saivichi asserit festivitatem ibidem magna solemnitate celebrari. Quin et patronam* B *tempore pestis electam esse a regno Poloniæ affirmat, sed sine teste. Forsan id intelligi debet de ecclesia quadam particulari, non de regno : nam scriptor ille, licet bona fide procedat, subinde tamen fallitur, dum amori suo in* S. Rosaliam *nimis indulget, nonnulla ex conjecturis levibus asserens, aut supra verum exaggerans, ita ut assertis ipsius certam habere fidem non semper ausim, nisi fontes, ex quibus hausit, assignet. Verumtamen dubitare non possumus, quin devotio erga* S. Rosaliam *late per Poloniam diffusa sit ob Vitam ibidem editam : at nescimus, an festivitas celebretur pluribus locis aliis.*

Melita peste liberata, ac missæ eo reliquiæ :

456 *Cum insula Melitensis anno* 1676 *gravi laboraret pestilentia, postulatæ sunt reliquiæ* S. Rosaliæ, *ac obtentæ eo successu, ut pestis continuo fuerit exstincta. Narrat id breviter Mancusus tom.* 1 *pag.* 410, *adducens verba Laurentii Hasiac medici Melitensis ex Opusculo de Postrema lue Melitensi, quod mihi ad manum non est. At scriptor hic apud Mancusum ita habet :* Sanctam Rosaliam virginem Panormitanam, totius orbis amorem, et huic lui roseo, quo pol- C let, odore adversantem extollere, atque clientelam concelebrare cuncti cœperunt. *Ex eodem, opinor, auctore Mancusus Italice refert, quæ Latine reddo :* Postquam a magno Priore S. Joannis (*Ordinis Melitensis*) ex loco eminenti ostensæ erant reliquiæ S. Rosaliæ, dono senatus Panormitani ab equitibus Hierosolymitanis (*seu Melitensibus*) impetratæ, Sanctaque invocata precibus, lacrymis votisque totius populi Melitensis, secuta est confestim ad odorem hujus Rosæ prodigiosa mali cessatio. *Idem. pag.* 273 *affirmat, hac de causa non modo annuam Sanctæ festivitatem in insula Melitensi cœptam esse celebrari, sed patronam quoque specialem insulæ electam : nec non crucem pretiosam dono missam, ut ea ornaretur Sanctæ statua in monte Peregrino; ac lampadem argenteam sacello, in quo sacrum Virginis corpus Panormi requiescit.*

idcirco Sancta a Melitensibus equitibus electa patrona.

457 *Amatus jam sæpe laudatus in Opere de Principe templo pag.* 244 *de hisce ita scribit :* Ob Melitam (*anno*) MDCLXXVI peste laborantem senatus (*Panormitanus*) Roseum (*id est* S. Rosaliæ) indulsit os argentea in arca conclusum Gregorio Carafæ, Neapol. Roccellæ Priori : XXII Junii MDCLXXVI Nicolaus Cottonerius, magnus magister (*Ordinis Melitensis*) excepit, ac M (*forte* mense) Sept., post lucem illico extinctam, cum aliis SS. lipsanis, ex Ordinis thesauro eductis, solemni supplicatione per urbem circumtulit. Exinde post absolutum eucharisticum hymnum, unanimi concilii sacri voto inter suæ Religionis ac Vallettæ *(civitatis, ubi residet summus Ordinis magister)* tutelares adlegit, obligans Ordinem ad celebrandas anno quolibet solemnes Vesperas, ac Missam pontificalem XXII Junii in ejus translatione. *Pro hisce laudat Puteum in Historia Religionis Hierosol. tom.* 2 *lib.* 8 *fol.* 448 : *et deinde subdit :* Carafa succedens Cottonerio MDCLXXX transmittens magnam auream crucem, e pectore detractam suo, voluit Divæ statuam argentea veste contectam, quam ornant onerantque principum donaria.

AUCTORE J. S.

§ XLII. Sanatus evidenti miraculo Franciscus Castiglia, cultum Sanctæ promovet in Lusitania : sanatus item Indiæ prorex, eumdem in India inchoat.

E

Mirabilis sanatio Francisci Castiglia,

POst *medium seculi* XVII *cultus* S. Rosaliæ *in Lusitaniam quoque et Indiam penetravit opera maxime P. Francisci Castiglia Societatis Jesu, qui subito et prodigiose sanatus erat per Sanctam, dum post absolutum Societatis tirocinium Logicæ studebat in collegio Panormitano. Res eodem anno* 1663, *quo contigit, fuse narrata est, typisque edita relatio cum approbatione archiepiscopi Panormitani. Multi deinde scriptores eamdem historiam Opusculis suis inseruerunt. Quapropter præmitto brevem miraculi relationem, quam Joannes Nadasi Societatis Jesu conscripsit in Opusculo, cui titulus :* Annus dierum memorabilium Societatis Jesu, *ut deinde breviter adjungam quædam ab eo omissa. Laudatus scriptor pag.* 369 *ad* X *Augusti sic habet :* Decima die Augusti anni MDCLXIII Panormi Franciscus Castiglia Panormitanus, Societatis Jesu religiosus scholasticus, cum animam prope jam F ageret, visus sibi est coram tribunali lucis immensæ aspici benigno vultu a presentibus istic Deipara, S. P. Ignatio, et S. P. Xaverio : etiam angelo custode in lectulo jacentem velut complexo, et ei loquente de SS. Eucharistia pie accepta. Accessit ægri lectulum ex alto propius S. Rosalia virgo, etc.; " Francisce, aiebat, moriendum tibi nunc erat : et ego tibi obtinui a Deo sanitatem, si eam velis : erit illa ad majorem Dei gloriam. Fac votum eo modo, quem ego tibi dictabo ". Tum Latine in hæc verba præibat; ægro quoque ita singula pronunciante, ut ab illa audiebat : " Voveo me servum tuum in vita mea laudem et gloriam tuam promoturum in universo mundo ". Adjecit Sancta Italice : " Venies ad meum antrum pedes; ac sacra Communione pie reficieris : et attende ut impleas id, quod est ad majorem Dei gloriam ". Et post pauca : " Jam inquit, sanus es " : ac videri desiit, Francisco ita sano relicto, ut nullum doloris, vel debilitatis vestigium persentisceret. Hæc omnia fuse descripta, examinata, et ab illustrissimo ac reverendissimo Panormitano archiepiscopo Petro Martinez rite approbata, typis

AUCTORE J. S.

typis variis non semel edita, pro concione laudata, æri Panormi ac Romæ incisa, ac mihi ab ipso Francisco Romæ particulatim narrata sunt. *Hactenus Nadasi, præcipua sanationis capita breviter complexus.*

cujus adjuncta exponuntur;

459 *Nunc ex prolixiori narratione quædam accipe adjuncta. Natus erat Franciscus Castiglia annos octodecim, et biennio laboraverat periculoso morbo, quem omnes nominant* malum cordis. *Malum id adeo creverat a die* VII *Augusti usque ad* X *ejusdem mensis, ut sacrosanctum Christi Domini Corpus ei pro viatico administratum fuerit nocte inter* IX *et* X, *et paulo post inceperit omni sensu carere : in quo statu extrema Unctio eidem fuit data, et preces ordinariæ pro moribundis recitatæ. In cubiculo autem moribundi erant imagines sanctissimæ Virginis, SS. Ignatii et Francisci Xaverii, ac reliquiæ* S. Rosaliæ. *Aderant quoque ægrotanti ea nocte tres sacerdotes, nimirum Philadelphus Vairello collegii minister, Joannes Scorso, et Petrus Maria Grimaldi, quibus accedebat Josephus Candone auditor theologiæ ac sacerdotio proximus, præter* B *fratres infirmis ministrantes. Hi omnes vitam quidem infirmi vehementer cupiebant, sed non nisi mortem exspectabant; quando subito circa sextam noctis horam se erexit medio corpore in lecto, lætaque facie oculos aperuit, et clara voce dixit,* SANCTA ROSALIA. *Nihil videbant circumstantes, nisi motus alacres et pios Francisci, qui brachia expandebat suaviter in aere et rursum claudebat. Nullam quoque audiebant vocem, nisi vocem ipsius; et ne omnia quidem, quæ ipse se dixisse retulit, audierunt adstantes, nimirum quad ea protulerit voce nimis submissa, aut interno magis affectu quam voce articulata. Audierunt tamen præsentes verba omnia voti supra relati, quæ ita proferebat, ut videretur prolata ab alio verba distincte repetere.*

visio moribundo oblata,

460 *Verum lubet audire ipsum Franciscum, cujus verba Italica solum Latina faciam :* Adductus eram, *inquit,* ad mortis terminum, quando videbar esse coram Dei tribunali. Stabat illa Majestas in loco elevato et tam splendido, ut splendor me obscuraret. Aderat ad latus dexterum sanctissima Virgo mirabili pulchritudine conspicua et pallio coloris cærulei amicta. Vicina C sanctissimæ Virgini, in loco tamen humiliori, stabat virgo S. Rosalia, singularis patrona mea, aliquantulum ad Dei solium conversa, pulcherrima etiam ipsa et splendidissima, vestitu induta candido et rosis distincto. Erant insuper ab una parte sanctus pater meus Ignatius habitu sacerdotali, et ab altera parte sanctus pater Francicus Xaverius forma prædicatoris. Gloriosi hi Sancti me omnes intuebantur vultu alacri atque amabilissimo modo, tamquam me animantes, et cælum mihi addicentes : quæ res me maxime confortabat et consolabatur. Quantum ad me, videbar mihi esse genibus flexis, et ad latus meum dexterum videbam stantem angelum meum custodem specie juvenis admodum elegantis et alati. Videbam et dæmonem, in parte tamen valde longinqua humi dejectum et valde confusum. Videbar mihi quamprimum judicandus, ac humili submissione exspectabam momentis singulis divinam sententiam.

votumque ab eodem in visione nuncupatum,

461 Tunc appropinquavit mihi S. Rosalia virgo, mihique dixit : " Francisce, moriendum tibi nunc erat : et ego tibi obtinui a Deo sanitatem, si eam velis : erit illa ad majorem Dei gloriam ". Propensus ego in illo casu eram ad moriendum propter certitudinem, quam animo D conceperam, quod irem Deum visurus in gloria. Nihilominus cum interna quadam reluctatione reposui, ut id fieret, quod ad majorem Dei gloriam conduceret. Illa vero vicinior facta, mihi dixit : " Fac votum eo modo, quem tibi dictabo ". Et ego admirans, quod Sancta dignaretur ad me appropinquare, subjunxi : " Sancta Rosalia ad me "? Illa vero cœpit dictare formulam voti, paulatim singula seorsum verba pronuncians, et voce submissa in hunc modum : " Voveo, me servum tuum in vita mea laudem et gloriam tuam promoturum in universo mundo ". Quod attinet ad sensum, qui in mente mea nascebatur, quando repetebam illa ultima verba, fuit promissio procurandi, ut dilataretur gloria S. Rosaliæ, in quacumque essem mundi parte, etiam in Indiis, quarum desiderio me stimulari alio tempore senseram, et mox, aucto stimulo, inclusi voto postulationem superioribus proponendam de adeundis illis partibus. Nuncupato voto, subdidit Virgo : " Venies ad antrum meum pedes, ac sacra communione pie reficieris : et attende, ut impleas id, quod E est ad majorem Dei gloriam ". Animam meam eo tempore sentiebam suavitate liquefieri : atque accedebam ad amplectendum et osculandum sanctos pedes, eosque revera osculabar : et animadvertebam esse nudos, candidos, molles, et calore quasi naturali.

ac secuta momento unico integra sanatio,

462 Post hæc omnia videbam, quod me benignis oculis intueretur, et animos mihi addidi ad hæc dicendum : " Sancta gloriosa, nullus mihi credet, ideoque non erit tibi gloria de hoc magno miraculo, si non dederis mihi aliquod signum ". *Ad hæc, eodem teste, reposuit Sancta :* " Tibi, dum eras moribundus, extremam Unctionem administravit P. Grimaldi, et jam pro te recitarunt preces PRO MORIBUNDIS; et nonnulli e circumstantibus te tangentes, judicarunt nullam vitæ spem superesse ". Hæc fuit ipsius responsio, et plene mihi satisfecit, quia, quemadmodum novo juramento testor, nihil noveram de istis adjunctis. Post hæc rursum pedes ejus osculabar : et illa dicens mihi, ESTO JAM SANUS, videri desiit, relinquens odorem tam suavem, ut illum nequeam ulli odori terreno assimilare, quamvis eumdem per quadrantem F circiter horæ perceperim, ubi integre eram sanatus : credens autem illum percipi a P. Joanne Scorfo confessario meo, de eo ipsum interrogavi. Deinde subito me erexi in lecto, dicens : SUM SANUS, nullo mihi relicto vestigio doloris, debilitatis, aut cujusvis alterius, quod mihi post consuetum malum meum semper supererat. Scripsi continuo propria manu breviter factum, jubente dicto patre meo spirituali : sine ullius adjumento me vestibus indui, et flexis genibus cum circumstantibus de favore accepto gratias egi sanctæ Virgini. Matutino tempore in ecclesia cum reliquis ad Communionem accessi in sacello S. Rosaliæ. Deinde mansi genibus nixus sine ullo incommodo ad spatium unius horæ circiter. Ceterum in omni hac relatione bene animadvertendum est, me fuisse perfecte mentis compotem, meque discurrisse atque attente cogitasse, quando loquebatur Sancta, aut ego respondebam, meque optime cognovisse, quod sua benignitate mihi sanitatem restitueret. *Hactenus Franciscus ipse, qui triduo post speluncam* S. Rosaliæ *pedes invisit, et omnia religionis exercitia cum aliis statim obire cœpit, ut alii latius referunt, testan-*

tes

A *tes spiritus servorem novum ei quoque fuisse datum : de quo verisimiliter plura dicere poterant, et haud dubie dixissent, si scripsissent post mortem ipsius.*

miraculum ab antistite Panormitano approbatum :

463 *Porro noluerunt Patres Panormitani, ut tantum* S. Rosaliæ *beneficium, tamque evidenti miraculo obtentum, debita careret approbatione et confirmatione, sed rem detulerunt ad curiam archiepiscopalem, a qua post testes auditos, re diligenter examinata, decretum prodiit, cujus hic est titulus :* Decretum illustrissimi et reverendissimi domini, D. Petri Martinez Rubio, archiepiscopi Panormitani, sanctissimi domini nostri domini Alexandri Papæ VII prælati familiaris et assistentis, et a consiliis status Catholicæ Majestatis etc. *Sententia vero lata est talis :* Jesus. Dicimus, pronunciamus, decernimus et declaramus, Franciscum Castiglia, clericum Societatis Jesu religiosum, de quo in hoc processu agitur, miraculose fuisse liberatum a morbo, et sanitati restitutum, talemque sanitatem derepente recuperatam per intercessionem S. Rosaliæ virginis, supernaturaliter et miraculose accidisse, et pro B vero miraculo judicari debere, et publicari posse : et ut miraculum approbamus, declaramus et authorisamus de consilio infrascriptorum tam sacræ theologiæ quam juris canonici doctorum omni meliori modo.

Petrus archiepiscopus.

S. T. et U. J Doct. cantor D. Joannes Antonius Gelosus, abbas S. Nicolai lo Reale civitatis Mazariæ, vicarius et visitator generalis.

S. T. et U. J. Doct. D. Simon Fimia, abbas sanctæ Luciæ Nethi, vicarius generalis ad pias causas, regius visitator generalis pro S. C. M. episcopatuum Cefaludensis et Pactensis.

S. T. et U. J. Doct. D. Joannes Baptista Bongiorno, protonotarius Apostolicus, et rector ecclesiæ parrochialis S. Antonii.

Fr. Angelus a Politio Ordinis Minorum.

Fr. Petrus a S. Hippolyto Carmelita Discalceatus.

Thomas Tamburinus, rector collegii Panormitani Societatis Jesu.

Petrus Salernus e Societate Jesu. *Hactenus de sanatione Francisci plane prodigiosa, sed iis rationibus et auctoritatibus asserta et confirmata,* C *ut dubitem, an tam imprudentes reperiantur hæretici miraculorum osores, ut hoc factum audeant in dubium vocare aut inficiari apud prudentes.*

Sanatus Franciscus, ut in Indias proficiscatur Romam venit :

464 *Quid vero deinde factum sit de Francisco Castiglia, et quo ille modo gloriam* S. Rosaliæ *promoverit, narrat Mancusus tom. 2 Opusculi sui, adjutus ad id litteris, quas ipse Franciscus scripsit ad fratrem suum, D. Bartholomæum Castiglia, non solum nobili stirpe, sed multis quoque titulis et officiis illustrem. Satis mihi erit, præcipua relationis capita breviter huc transferre. Primo gratiæ plurimæ Deo et* S. Rosaliæ *fuerunt actæ, vulgatumque per totam Europam miraculum, ut latius videri potest pag. 12 et sequentibus. Secundo Castiglia, petita facultate in Indiam proficiscendi eaque concessa a Joanne Paulo Oliva, Societatis Jesu præposito generali, Panormo Neapolim ea intentione discessit die* viii *Octobris anni* 1664 ; *indeque Romam. Eluxit in hoc facto divina providentia : nam præpositus generalis, motus præcibus illustrium Francisci parentum, missionem differre voluit, eumque in finem scripsit Panormum ; at allatæ sunt eæ litteræ, postquam Franciscus discesserat : idemque rursus Neapoli factum : nam et eo mandatum subsistendi pervenit serius. Itaque, cum hæc divinæ dispositioni attribueret Pater generalis, facultatem proficiscendi semel datam non revocandam censuit, sed confirmandam, prout eamdem revera Romæ ratam habuit.*

AUCTORE J. S.

ubi Sanctam curat pingendam, sicut apparuerat :

465 *Romæ ad menses aliquot substitit Castiglia, nec ibidem defuit occasio gloriam* S. Rosaliæ *promovendi : nam, cum clara esset stirpe, celebrique sanatione magis innotuisset, invisebatur a personis principibus, quibus sanationem suam candide enarrans, devotionem erga* S. Rosaliam *conabatur instillare. Inter alios serenissimus Bavariæ dux Patri cuidam Germano Romam profecto mandavit, ut factum ex ore ipsius Francisci disceret, sibique deinde referret. Usus ea occasione Franciscus imaginem* S. Rosaliæ *cum precibus in ea scriptis misit serenissimo duci, cui id munusculum fuit pergratum. Laboravit interim diligenter Castiglia, ut vultum Sanctæ, qualem viderat, penicillo haberet expressum : atque id demum consecutus est. Quippe* xx *Decembris ejusdem anni* 1664 *ita ad D. Josephum Castiglia patrem suum Roma scripsit :* Post diuturnos la- E bores obtinui a peritissimo pictore vultum S. Rosaliæ, sicut mihi apparuit, atque is est simillimus. Spero finitum fore hoc tempore matutino : ad hoc prototypon aliud exemplar curabo pingendum, quod tibi transmittam, ut illud habeas ad mei memoriam. *Mansit illa imago in illustri domo* Castiglia *vel* del Castillo, *et nunc est apud R. P. Ignatium Stanislaum Castiglia, provinciæ Siculæ præfectura perfunctum, et domus professæ Panormitanæ præpositum, qui jam sæpe in hisce actis laudatus est, et numquam satis laudari poterit pro insolita humanitate et diligentia, qua studuit undique monumenta colligere eaque cum per se tum per subditos suos humanissime mihi transmittere, ac annotationibus diligenter illustrare. Effigiem autem ex prædicta archetypa eleganter adumbratam, quam idem nobis transmisit, æri incisam hic exhibeo.*



F

hæc tabula hactenus servatur : ejus figura hic data.

466 *Porro post laudatam imaginem in tabula hæc leguntur scripta :* Hoc vultu, hac veste, sed longe pulcherrimis, diva Rosalia anno mdclxiii, mense Augusti, die ix, hora vii, Francisco Del-Castillo, ætatis suæ anno xix, Soc. Jesu quinto, dum comploratus ageret animam, sese, duce Virgine Maria, cum SS. Ignatio et Xaverio, in augustissimæ Triadis conspectu, dæmone jam perterrito, videndam præbuit :

AUCTORE J. S.

buit: statimque ejus ope et alloquio est vitæ restitutus. Qui dum Rosaliæ jussu ejus laudem et gloriam promoturum in universo mundo vovisset, atque in Indias, ut vota persolveret, properaret; hanc ipsam effigiem visæ Divæ prope simillimam, Romæ forte divino consilio depictam casuque habitam, optimo parenti suo D. Josepho Panormum misit: quam tutelare veluti numen domus Del-Castillo æternum volet. *Laudatus mox P. Ignatius Stanislaus Castiglia notavit prædictam imaginem fuisse pictam secundum quamdam beatissimæ Virginis Mariæ effigiem, quam fortuito Romæ viderat Franciscus Castiglia, et in qua ipsum vultum* Rosaliæ *sibi olim apparentis deprehenderat.*

Castiglia pietatem erga S. Rosaliam excitat in Lusitania;

467 *Porro Franciscus Castiglia discessit Roma in Lusitaniam, perlatusque Ulyssiponem accessit ad Lusitaniæ regem, qui miraculum Panormi factum ex ore ipsius audire voluit, et reliquias* S. Rosaliæ *pie veneratus, imaginem quoque ipsius a Francisco oblatam benevole accepit. Quin et dixit, teste Mancuso pag.* 18: Volo ut ab hoc tempore thaumaturga hæc Virgo habeatur et agnoscatur tamquam patrona regni mei. *Præterea uxor comitis de Castelmelhor, qui erat ex præcipuis regno administris, et filius ipsius natu maximus periculoso decumbebant morbo, reliquiisque* S. Rosaliæ *applicatis brevi sanitatem adepti sunt, mirantibus medicis, ut scribit idem auctor, dicens alia quoque beneficia per* S. Rosaliam *impetrata esse in Lusitania. Unum refert nominatim hoc fere modo.* Scalabi *(oppidum est Lusitaniæ ad Tagum vulgo* Santaren *dictum) mulier pauper diris torquebatur doloribus per totum corpus. Transiens illic Castiglia ei reliquiis* S. Rosaliæ *bene precatus est, et mox omni dolore fuit liberata. En hisce satis liquet, devotionem erga* S. Rosaliam *in Lusitania excitatam fuisse per Franciscum Castiglia: eamdemque ibidem continuatam, constat ex fragmento epistolæ anni* 1721, *quod recitat Mancusus pag.* 19: *nec tamen certum hinc fit, an etiam festivitas annua ibidem aliquo loco celebrata fuerit, aut modo celebretur.*

dum navigat in Indiam, prorex voto sanatur, Castiglia pro eo se devovens moritur:

468 *Anno* 1666 *Castiglia sacerdotio initiatus est Ulyssipone, indeque eodem anno cum aliis Patribus Societatis Jesu discessit in Indiam navi vectus Lusitana. Vehebatur eadem navi novus Indiæ prorex D. Joannes Nugnez, comes S. Vincentii, qui P. Franciscum magni faciebat et amabat. Verum cum erant circa promontorium Bonæ spei, pestis classem invasit ipsamque proregis navem. Prorex ipse pestilentia tactus, eo deductus est, ut de vita ejus desperarent medici. Emicuit in hoc casu charitas P. Francisci Castiglia, qui humili prece reliquum vitæ suæ Deo obtulit, ut vita proregi conservaretur diutius. Factum id per litteras testati sunt prorex ipse et P. Grimaldi, missionis Superior et P. Francisci confessarius. Res evenit, prout rogaverat Castiglia, atque hoc modo. Accepturus erat prorex sacrosanctum Sacramentum pro viatico per manus P. Francisci; quando hic prius eum monuit, ut voveret elegantem ecclesiam* S. Rosaliæ *construere Goæ, eamque reditibus donare pro Missa perpetua, si Sanctæ patrocinio sanaretur. Votum istud nuncupavit prorex ac juramento firmavit eo eventu, ut simul febri, vomitu ac pustulis pestilentibus liberaretur, momentoque perfectam consequeretur sanitatem. Contra P. Franciscus Castiglia statim mortifero correptus est malo, gratiisque Deo et* S. Rosaliæ *actis de precibus suis exauditis, mira pietate accepit extrema morientium subsidia, ac spiritum Creatori suo placide reddidit* XXVII *Augusti anni* 1666 *in navi prætoria, cui a* Santa Teresia *nomen erat. Plura de hisce videri possunt apud Mancusum tom.* 2 *pag.* 20 *et seqq.*

cultus S. Rosaliæ per proregem in India promotus.

469 *Prorex autem Goam felici dein navigatione perlatus, mox elegantem ecclesiam* S. Rosaliæ *prope Goam in monte ædificandam curavit. Prima ibidem Sanctæ festivitas magno apparatu celebrata est die* IV *Septembris, anno verisimiliter* 1667, *cantatis solemniter Vesperis in pervigilio* III *Septembris, quemadmodum latius refert Mancusus pag.* 26 *et seqq. Festivitatem istam primam honoravit conversio decem partim puerorum partim puellarum, qui tempore divini Officii omnes simul elata voce baptismi gratiam flagitarunt. Puellis omnibus impositum est Rosaliæ nomen, quod multis commune facere studuit prorex, assignatis reditibus pro dotatione pauperum puellarum, quæ id nomen gestarent. Ceterum prorex ille usque ad mortem* S. Rosaliæ *cultum conatus et promovere. Hunc in finem Missam perpetuam et festivitatem annuam censu sufficienti stabilivit, et ecclesiam tam pretiosa supellectili quam reliquiis* S. Rosaliæ *a P. Castiglia acceptis donavit, ita at re ipsa ostenderet se substitutum esse laudato Patri ad promovendam in India Sanctæ gloriam.*

§ XLIII. Reliqua de cultu, reliquiis et beneficiis S. Rosaliæ in America et Africa.

Cultus Sanctæ in Brasilia,

In *Americam etiam penetravit cultus* S. Rosaliæ; *neque id mirum de regnis et provinciis Americæ, quæ sub dominio sunt regis Catholici, cum Sanctæ cultus omnibus subditis regis Hispaniarum sit communis; sed magis est mirandum de aliis Americæ provinciis. Nomen* S. Rosaliæ *celebre esse per totam Brasiliam, quæ paret regi Lusitaniæ, ostendit Mancusus tom.* 2 *part.* 4 § 13, *allegans verba P. Antonii Mariæ Bonucci Societatis Jesu, qui diu in Brasilia habitavit, et ejusdem Sanctæ Vitam ibidem edidit sermone Lusitano. Testatur is, nomen* Rosaliæ *frequenter puellis imponi in baptismo, vestem anachoreticam a multis gestari ad ejus honorem, congregationem piam sub titulo* S. Rosaliæ *erectam, ac demum referri ab incolis beneficia cujusvis generis, quæ patrocinio ejusdem Sanctæ referunt accepta. Accedit P. Alexander Perier, qui provinciam Brasiliæ Societatis Jesu pro Provinciali olim gubernavit, ac reversus in Italiam collegium Faventinum rector administravit: nam hic affirmat in ipsa Brasiliæ metropoli festivitatem Sanctæ quotannis celebrari die* IV *Septembris in collegio Societatis Jesu. Urbs illa olim episcopalis, nunc archiepiscopalis,* Soteropolis *a Latinis passim vocatur, estque caput Sinus Omnium Sanctorum ac regni totius, vulgo* S. Salvador de la Baha de todos os Santos.

in Peruvia, aliisque Americæ regnis:

471 *Maximam esse devotionem erga* S. Rosaliam *in regno Peruano, testatus est P. Sebastianus Morales Societatis Jesu, a provincia sua tamquam procurator Romam missus, asserens ibi etiam Vitam ipsius editam esse sermone Hispanico. Cum vero multum desideraret particulam*

A *lam quamdam reliquiarum ejusdem Sanctæ; illam, teste Mancuso, qui ipsum Romæ allocutus est, obtinuit per Patrem aliquem Siculum, promittens reliquias istas Limæ, simulac eo pervenisset, pretiosæ includendas thecæ et publicæ venerationi exponendas. Hæc Mancusus, qui mox* § 4 *pergit cultum* S. Rosaliæ *ostendere per Novum regnum Granatæ, per Novam Hispaniam perque alias Americæ provincias Hispanis subjectas. Verum cum nullum possit esse dubium de cultu Sanctæ in ditionibus regis Hispaniæ, breviter tantum indicabo nonnulla beneficia, quæ in amplissimis istis regionibus obtenta dicuntur, prætermissis sacellis, ecclesiis, aliisque cultus indiciis, quæ apud ipsum Mancusum reperiri poterunt, et verisimiliter quotannis multiplicantur. Hac quoque de causa nihil dicam de regno Chilensi, licet ex litteris P. Caroli Haimbhausen, qui procurator provinciæ Chilensis Societatis Jesu in Europam missus est, hoc ipso anno* 1746 *intellexerim,* S. Rosaliam *ibidem in magna esse veneratione.*

B 472 Emerita, *aut* Merida, *ut vulgo vocatur, urbs alia est Novæ Hispaniæ in provincia Jucatania, alia Novi regni Granatæ. In hac posteriori malum contagiosum invaluerat adeo, ut domos omnes inficeret. Uni soli dicitur pepercisse domui, cujus possessor imaginem* S. Rosaliæ *habebat, eique devotus erat. Hanc relationem scripto dedit P. Xaverius Joppolo Jesuita Panormitanus, qui diu in America pro conversione infidelium laboraverat, indeque reversus, Panormi in domo professa defunctus est. Eodem teste, quando prima vice celebrata est Sanctæ festivitas in Fano S. Joannis, circumlata in agmine supplicantium imagine* S. Rosaliæ, *mox disparuerunt innumeræ locustæ, quæ quatuor aut quinque annos territorium urbis magno affecerant detrimento. Non satis mihi apparet, quodnam sit istud Fanum S. Joannis, cum varia sint in America; cumque Mancusus scribat*, San Gioan Girone, *quod eo modo expressum nullibi invenio. At satis est, quod constet de facto. Præterea narrat Mancusus pag.* 41 *in Nova Biscaia anno* 1716 *constitutum fuisse pagum, cui datum est* S. Rosaliæ *nomen, uti et præcipuæ ecclesiæ in eo ædificatæ: populum autem illius pagi im-*
C *munem fuisse a malo contagioso, quod in circuitu sæviebat: nec aliud contra malum fuisse adhibitum remedium, quam aquam per reliquias* S. Rosaliæ *sacratam, quam bibebant. Reliquias porro Sanctæ eo tulerat P. Aloysius Mancusi Siculus Societatis Jesu, qui et pagi incolas congregasse, et per easdem reliquias horridam tempestatem sedasse dicitur ibidem pag.* 43. *Pro his omnibus laudatur epistola P. Francisci Sanfilippo, data Mexici mense Novembri anni* 1723.

varia ibidem

473 *De Nova Gallæcia Mancusus varia refert ex testimonio P. Francisci Mariæ Gravina, Societatis Jesu in America missionarii, quæ compendio huc transferam. Reperiuntur in memorata provincia duo seu oppida seu pagi, in quibus cura fidei promovendæ PP. Augustinianis est demandata. Uni nomen* la Barca, *alteri* Ocotlan. *Posterior hic locus in tabulis geographicis notatus reperitur non longe a Guadalaxara Novæ Gallæciæ metropoli, ex quo colligitur, priorem quoque in eadem esse vicinia. Hoc autem in Ocotlan anno* 1706 *factum narratur. Variolæ, notum malum maxime puerorum, licet nulli subinde parcat ætati, multis hominibus in Ocotlam mortem inferebant. Hac de causa quædam* S. Rosaliæ *devota duas Missas votivas ad honorem ipsius cantandas curavit, aliasque preces jungendas. Cantata autem Missa secunda die* XXXVIII *Junii*, prorsus cessavit pestis, *ut habet Hispanica relatio, quæ variolas* pestis *nomine hic designat, quia malum est contagiosum: nam antea clare* birvelas, *seu* virvelas, *id est*, variolas *nominaverat. Porro pia mulier, quæ Missas istas pro omni populo celebrari curavit, pro una speciatim puella ex variolis moribunda Sanctæ imploravit opem, invisens aut imaginem aut locum ei sacrum, quod distincte non dicitur; eique vitam et sanationem feliciter impetravit.*

in diversis provinciis

auctore J. S.

474 *Addit scriptum istud Hispanicum, puerum, nomine Michaëlem, quem pater ipsius Thomas Lopez de Resamano quasi pro mortuo habuerat, ex variolis convaluisse in pago* la Barca, *ubi ab ipsum per eamdem mulierem missa erat imago* S. Rosaliæ *et oblatum sacrosanctum Missæ sacrificium: mulierem quoque Joannem nomine, febribus ei variolis laborantem, ibidem implorasse* S Rosaliæ *patrocinium, ac feliciter convaluisse. Demum cum nimia siccitate fruges in locis istis periclitarentur, Missam votivam de* E
S. Rosalia *celebratam esse in* Ocotlan, *et mox abundantem impetratam esse pluviam, qua discussum fuit periculum, docet eadem scriptura Hispanica apud Mancusum pag.* 44 *et* 45. *Laudatus auctor deinde multa accumulat de eximia* S. Rosaliæ *veneratione in variis Novæ Hispaniæ provinciis, præsertim in Mechoacana et in Mexicana. Verum cum sola colligere statuerim Sanctæ beneficia, quod de cultu omnibus communi aliunde constet, satis mihi erit verba Italica P. Francisci Sanfilippo Latina reddere.* Hic Mexici, *inquit*, magna est devotio *(erga* S. Rosaliam*)* et gratiæ miraculaque sunt innumera. Integræ familiæ, dominante malo quodam contagioso, infirmitate sunt liberatæ per aquam Sanctæ; *id est, potu aquæ, cui reliquiæ fuerant impositæ.*

impetrata beneficia;

475 *California necdum satis erat nota, quando jam prima suscepit fidei semina, et cultum* S. Rosaliæ. *Credita olim est insula maxima Americæ Septemtrionalis. At errorem illum anno* 1701 *feliciter detexit P. Eusebius Franciscus Kino, Germanus Societatis Jesu missionarius, qui itinere triennali per Americam Septemtrionalem, postquam duo transierat flumina, nimirum flumen* Cæruleum *et flumen* Coloratum, *quo California a Novo Mexico separatur, se tandem in California esse miratus est, prout latius refertur in Opusculo Gallico, cui titulus* Lettres edifiantes et curieuses, *in epistola dedicatoria quintæ epistolarum collectioni præfixa, et ostenditur in tabula geographica Californiæ, eidem volumini inserta. Verum descriptio Californiæ huc non spectat, sed cultus* S. Rosaliæ *in vastissimam illam provinciam feliciter inductus, ut patet ex laudata modo tabula, in qua cum aliis notatus reperitur pagus* S. Rosaliæ. *Cultum autem hujus Sanctæ ibidem excitare præcipue cœpit P. Franciscus Maria Picolo, Siculus Societatis Jesu missionarius, qui inter primos fidem in California propagare cœpit, ut videri potest tom.* 5 *Litterarum mox laudatarum a pag.* 248, *ubi amplam relationem de tota missione Californiæ scripsit ad senatum Guadalaxarensem. Idem P. Petro Reggio, Siculæ provinciæ præposito scripsit, se* S. Rosaliæ *pratrocinio maxime attribuere uberes fructus in missione sua collectos.* F

etiam in Californía,

476 *Ex Sicilia deinde in Californiam profectus*

AUCTORE J. S.

quo delatæ reliquiæ Sanctæ.

ctus est P. Ignatius Marini ejusdem Societatis, qui acceptas S. Rosaliæ *reliquias secum eo detulit, teste Mancuso pag.* 51. *Deinde vero ad fratrem suum P. Franciscum Marini scripsit, trium sibi pagorum in partibus Californiæ vicinis curam esse, omnesque subditos patrocinio* S. Rosaliæ, *cujus favori referebat acceptum, quod, cum in omnibus istis partibus dirum sæviret contagium, nullus ex tribus istis pagis malo fuisset correptus. Ceterum, dominante ante paucos annos malo contagioso in Nova Hispania,* S. Rosaliam *fuisse multorum refugium, magnamque in eam fuisse pietate ejusdem mali causa in Portu Principis, oppido Cubæ insulæ, vulgo* Porto del Principe, *Havana anno* 1740 *perscripsit P. Josephus Xaverius Alagna ad P. Caietanum Noto, qui litteras mecum communicavit. Hactenus dicta de America ostendunt,* S. Rosaliam *ibidem in multa haberi veneratione, valdeque in clientes suos beneficam esse: quod ad propositum nostrum sufficit.*

In Africa etiam

477 *Ne Africa quidem, licet pauciores numeret Christianos quam reliquiæ mundi partes, cultu et beneficiis* S. Rosaliæ *prorsus destituta est. De Exilissa urbe, quæ Hispanis* Ceuta *dicitur nullum potest esse dubium, quin ibi Sancta colatur, cum illa dudum fuerit Hispanorum regi subjecta. At magis mirandum est, eidem Sanctæ honorem haberi non a Christianis solum, sed etiam a Mauris Mahometanis. Asserit Mancusus tom.* 2 *pag.* 53, *Tuneti fontem esse prodigiosum, cui nomen est* S. Rosaliæ, *potuque istius aquæ salutem restitui infirmis, non solum Christianis, sed Mahometanis etiam. Pro facti veritate laudat P. Franciscum Raimondi, qui diu in regno Tunetano fuerat missionarius, et quem id sæpius referentem audivit. Itaque de puteo ipso, sanitatem suis aquis reddente infirmis, non videtur dubitari prudenter posse. Verum forsan aliqui dubitabunt, an non potius naturali vi istius aquæ, quam alicui miraculo, attribuenda videatur sanitas a bibentibus impetrari solita, cum et aliis locis fontes reperiantur salubres; cumque solum* S. Rosaliæ *nomen non sufficiat ad credendum, ejus beneficio potius quam aquæ salubritate pelli infirmitatem; præsertim cum ignoretur, unde vis illa sanandi prædicto fonti sit orta; et non nisi per conjecturam dicatur, aliquid fortasse de sepulcro aut reliquiis Sanctæ eidem fuisse injectum. Itaque ut quid de sanationibus istis certi posset statui, opus esset diligenti examine in ipsis locis instituto.*

colitur et benefica est S. Rosalia.

478 *Porro in ædificio seu carcere, cui noctu includuntur mancipia Christiana Tuneti, sacellum et altare est* S. Rosaliæ, *in quo divina peraguntur officia, et Sanctæ festivitas quotannis celebratur, atque apparatu quidem magnifico, ad cujus sumptus non Christiani solum, sed etiam Mahometani concurrunt, si credimus Mancuso, qui et ipsum regem Tunetanum aliquando ad sumptus illius festivitatis subministrasse asserit, testem pro hisce omnibus laudans memoratum ante P. Franciscum Raimondi. Addit ex testimonio P. Michaëlis Angeli Haghius, qui prædicti Patris in missione fuit socius, pestilentiam, licet sæpe Tuneti dominetur, numquam fuisse in carceri illo Christianorum,* S. Rosaliæ *dicto: quod sane maximum et mirandum videtur beneficium, si attendamus ad multitudinem mancipiorum, quæ locum illum incolunt, et haud dubie tanto majori periculo expositi sunt tempore contagionis, quanto angustius pro numero conclusi sunt. Hactenus dicta de cultu Sanctæ per præcipuas mundi partes multo latius deduci possent, multisque augeri, si opus esset. Verum ex hisce abunde liquere existimo, gratum fore et jucundum orbi Christiano, si communi Officio cultus* S. Rosaliæ *ad universam Ecclesiam aliquando tendatur. Itaque finem huic Commentario tandem statuo, Vitamque subjicio, ut post hanc tam antiqua quam recentia miracula ac beneficia, quæ necdum data sunt, pro Vitæ appendice undique colligam.*

VITA BREVIS

Auctore Octavio Caietano S. J.

Ex volumine Ms. in bibliotheca collegii Panormitani Societatis Jesu.

Sanctæ gesta, mors, sepultura, cultus: a b c d e

Rosalea virgo Panhormi *a* nata creditur *b*, unaque fuisse ancillarum Margaritæ *c* reginæ, quæ Willelmi Siciliæ regis conjux fuit, a qua proximum urbi Panhormo montem, cui Peregrino nomen, dono habens, eo secessit, vitamque ab omni consortio remotam in spelunca transegit: ibi pie, sancteque obiit, humataque *d* est. Propter eandem speluncam ædes divæ Rosaleæ ædificata *e* est, adjunctumque cœnobium eremitarum e familia sancti Francisci. In urbe Panhormo ædicula olim fuit sanctæ Rosaleæ nomini dicata, quæ dein sanctæ Catharinæ, in præsentiarum sancto Martyri Ignatio episcopo Antiocheno adhæsit. Erecta divæ Rosaleæ ara, in qua ejus effigies antiqua tabula colitur.

Bivona per eam peste liberata.

2 In oppido Bivona, ædes item beatæ Rosaleæ sacra, cujus origo haud sane recens est. Sed enim antiquis temporibus, cum Siciliam pestis lues depopularetur, traditur fœminam divina specie, (quæ Rosalea virgo credita est,) bono viro se videndam obtulisse, monuisseque, ut eo loco, quem illa commonstrabat, ecclesiam conderet, et Rosaleæ dicaret, paruisse hominem cælestibus monitis; ædemque, quæ adhuc manet, ædificasse. Locus vero extra oppidi muros tunc temporis fuit: nam Bivona muris olim circumsepta, et vestigia murorum extant. Sed ædes consequentibus temporibus majore spatio aucta. Eodem loco, ubi nunc ædes, ingens erat saxum hedera circumvestitum: in illud etiam veneratio; nam derasus ex eo pulvis ebibitur ab iis, qui frigoribus laborant; et multis inde incolumitas redit. Ignotum oppidanis, quonam ævo extructa, primum ædes Rosaleæ dicta: sed in ea divæ Rosaleæ tabula est ante annos CXXV *f* picta, fusumque æs campanum ante annos CXLV. Panhormi solemnis divæ Rosaleæ virginis agitur memoria pridie Nonas Septemb.

ANNOTATA.

a *Panormus antiquissima et pulcherrima urbs est Siciliæ ac passim notissima, incolis* Palermo *dicta. Id unum hic observandum, a variis olim,*

A *lim, inter quos etiam est Plinius,* Panhormum *fuisse scriptum, uti a Cajetano scribitur, licet a Græcis æque ac Latinis antiquissimis urbs hæc rectius* Panormus *legatur dicta.*

b Creditur, *ait auctor, quia antiqua non habebat monumenta, quibus dicta sua firmaret. Hinc sequentes Vitæ adjecit annotationes :* Quæ de diva Rosalea scribimus, ex fama et seniorum traditione accepimus. Opere maximo dolemus nullum de ea monumentum a majoribus nostris conscriptum nos comperisse, cum omnem operam ac studium hanc in rem collocaverimus. Plerisque Rosa Lea creditur dicta, quod ex Lea familia fuerit. *Hæc ultima observatio jam abunde refutata est in Commentario num.* 102, *ubi ostenditur illa opinio nata esse ex pictura tecti Olivetlensis ecclesiæ, in qua ita scriptum erat Sanctæ nomen circa finem seculi* XV, *repugnantibus picturis omnibus antiquioribus, aliisque monumentis. Caietanus autem errorem illum popularem partim videtur secutus, partim vero repudiasse : nam scripsit ille* Rosalea, *mutata littera* i *in* e, *non tamen* Rosa Lea *gemina voce. Verum nomen est* Rosalia *Latine, et secundum idioma Siculum* Rusalia, *Græcis olim fortasse* Ῥοσαλία. *Consule dicta num.* 102 *et seq.* B

c *Potuit* Rosalia *vivere in aula inter ancillas honorarias reginæ Margaritæ, ut suo tempore creditum fuisse testatur Caietanus. Potuit et montem Peregrinum accipere dono illius reginæ, ut ibi vitam duceret solitariam, sive credamus monialem fuisse tempore istius donationis, sive malimus dicere usque ad istud tempus in aula vixisse : donatio enim verisimiliter solum facta est, ut tuto ibi viveret Sancta, non ut montem pleno jure possideret, ac heredi alicui post mortem relinqueret. Eamdem donationem ab aliis quoque assertam fuisse, observavi num.* 100 *: neque tamen eam pugnaciter defendere velim, cum popularis illa traditio non jam certa sit, et a quibusdam fuerit oppugnata. Illud tamen observavi in Commentario num.* 101, *non posse mortem Sanctæ satis probabiliter collocari circa annum* 1160, *sed collocandam esse multis annis serius, si inhærere velimus traditionibus per Caietanum assertis de cohabitatione cum Margarita regina, et de donatione montis Peregrini ; quia Margarita Willelmo nupsit anno* 1150, *et verisimiliter montem non donavit ante annum* 1166, *quo Willelmus I obiit. Consule de hisce dicta* § 9. *Fateor lubens, auctoritatem Caietani in hisce tanti momenti non esse, ut rem faciat certam. At certum mihi quoque est, pro anno* 1160 *nullam afferri posse rationem alicujus momenti. Annus ille primum signatus est a Philippo Ferrario in Catalogo generali : ductoremque hunc sine multo examine secutus videtur Cascinus.* C

d *Ad hunc locum ipse Caietanus notavit sequentia :* Ante annos ferme viginti, dum hæc scriberem, fæmina, virili veste ac nomine sumpto, Angelum se dixit, habituque eremitarum in antrum divæ Rosaleæ sese abdidit ; ubi solitariam vitam per aliquot annos duxit. Dein proximi cœnobii præfecturam suscepit. In ea administratione cupido incessit defodiendi corporis sanctæ Rosaleæ : postea vero quam rem ligone exequi cœpit, visa exsudare oleo defossa humus, contremuisse antrum : quibus exterrita prodigiis a facinore destitit. *De hac muliere, quæ melius edocta vestes sibi congruas deinde resumpsit, deque corpore per alios etiam frustra quæsito, plura notavi in Commentario num.* 183 *et sequentibus.*

A Octavio Caietano.

e *In Commentario* § 15 *longe plures antiquas* S. Rosaliæ *ecclesias, scella, altaria, pictasque tabulas assignavi, ita ut de antiquissimo cultu nulla possit esse dubitatio. Unum hic observo, nempe ignorari initium sacelli hujus in monte Peregrino ; indeque suspicionem oriri posse, illud jam extitisse vivente ibidem* Rosalia, *eique usui fuisse. Certe traditio de monte Peregrino per reginam Sanctæ donato nonnullum tali suspicioni præbet fundamentum.*

f *De ecclesia Bivonensi admodum antiqua dictum est num.* 164, *et de Bivona per apparentem* Rosaliam *peste liberata num.* 176, *ubi Cascinus existimat factum contigisse anno* 1348. *Id tantum adjungo, non posse recurri ad hanc apparitionem ad statuendum cultus initium, cum diu ante coleretur Sancta aliis locis, idque liqueat ex ipsis Caietani verbis,* Quæ Rosalea virgo credita est. *Quippe Sancta apparens non poterat credi* Rosalia virgo, *nisi hæc jam nota fuisset et culta, cum nec nomen suum nec quidquam de gestis suis legatur revelasse.*

E

VITA ALTERA

Auctore Jordano Cascini S. J.

Ex editione impressa anni 1631.

PRÆFATIO SEU DEDICATIO.

Auctor perstringit varia approbationi reliquiarum Sanctæ prævia;

Eminentissimo ac Reverendissimo Domino D. Joannettino Doriæ *a* S. R. E. Cardinali archiepiscopo Panormitano. Jordanus Cascini Societatis Jesu. Jam inde ab initio, cum, coorta Panormi turbulentissima pestilentiæ procella, quæ reipublicæ navim male jactatam in supremum naufragii discrimen adduxerat, divæ Rosaliæ veluti Arctoum sidus *b* ad levandam animorum ægritudinem, sospitandosque vectores apparuit; placitum Eminentiæ vestræ fuit, mihi, etsi ex omnibus ab ipsa dilectis minime ad opus tanti momenti, quod in ea inventione versatum est, promovendum idoneo, ut meam tamen conferrem laboris ac studii partem, imperare. In qua sane difficili navigatione *c* nec breves, nec modici durandi labores fuere adversus tempestatum furias, et malos genios, qui scopulos nobis objectare omni ope nitebantur, quo minus vel incolumitas publica, vel tam inclytæ Patronæ gloria bene feliciterque procederet; sed cepimus tandem portum, et anchoras jecimus, tum cælestis ejus Facis auspicio, ductuque certissimo ; tum ejus, qui clavum tenebat, Doriæ Cardinalis recta gubernatione ; cujus in sacris reliquiis rite approbandis non minus pium, quam prudens judicium summi deinde gubernatoris sapientissimi sanctissimique Pontificis Urbani gravissimo suffragio cohonestatum est. F

ac deinde causam et difficultates hujus Vitæ scribendæ exponit.

2 Fas erat igitur votivam tabellam publicæ Liberatrici suspendere, quod uti persolveretur, jussus sum ab Eminentia vestra rerum gestarum ordinem

A. JORDANO CASCINI.

ordinem historiæ mandare. Cujus certe conficiendæ majus mihi onus impositum sensi, quam tum ad earum reliquiarum approbationem defudandum fuit. Quippe cum multa mihi una in opera fuerint necessario suscipienda, transigendaque negotia; pervestiganda ea, quæ adhuc in occulto latebant; cruenda ab ruderibus antiquitatis Vita, in quibus non minus, quam in durissima silice sacra ossa, usque ad hæc tempora abstrusa erat præteritarum rerum memoria, quæ una cum sæculis interfluxisse videbatur, non Panormi solum, sed ex tota ferme Sicilia recolligenda, loca alia oculis, alia epistolis perlustranda, ac foris etiam, sicubi odoris aliquid hujus Rosæ expiraret, quæ quo magis in cœlestibus fragrabat areolis, eo in terris evanuerat magis. Sed neque his incœptis non obsecundavit hæc Virgo, cujus præsenti ope imagines illæ *d* quasi ex aurifodinis deprompta atque in lucem sub auspiciis Eminentiæ vestræ datæ sunt. Quæ sane argumenta, senatu Panormitano ita volente, ex solido argento partim fusa, partim affabre cælata, gemmea veluti emblemata, inserta sunt novæ hujus ac votivæ arcæ lateribus, quæ in votivo itidem non minore, quam illa, magnificentia extructo sacrario dicata est. Intra eam arcam, si ita visum fuerit Eminentiæ vestræ, rerum etiam gestarum, quas nos vel in inventione testes oculati spectavimus, vel de vita solliciti quæsitores indagavimus, ad conservandam posteritati memoriam monumentum recondere: ea omnia in commentarium retuli, donec multis occupationibus expedito liceat mihi longiorem de his prosequi historiam *e*, eamque pro eo, ac debeo Eminentiæ vestræ, cui S. Rosaliæ gloria usque adeo cordi est, eadem animi demissione consecrare. Vale.

ANNOTATA.

a *Eminentissimus Cardinalis Doria præerat Panormitanæ ecclesiæ ab anno* 1608: *Pestilentia vero Panormi orta erat anno* 1624, *ut exposui in Commentario* § 18. *De Cascino actum est* § 1, *et sæpe per decursum Commentarii, quia omnibus fere gestis pro approbatione reliquiarum interfuit.*

b *Corpus inventum hac metaphora designat; acsi diceret;* Simulæ S. Rosaliæ corpus inventum est.

c *Agit de recognitione et approbatione reliquiarum, in qua variæ occurrerunt difficultates, ut expositum est* § 20 *et seqq.*

d *Vitam antiquis et novis imaginibus adumbratam jam ante in lucem dederat.*

e *Longiorem illam Historiam deinde composuit, sed non edidit ipse morte præventus. Opus istud a Salerno editum sæpe laudavimus.*

CAPUT I.

Sanctæ natales, gesta, mors, sepultura, ac corporis diu absconditi mira inventio.

Sanctæ natales ac primordia: ingressus in speluncam Quisquinensem:

Sancta Rosalia Virgo Panormi patre Sinibaldo nata est, clarissimo genere a Carolo Magno per Italiæ reges, et Marsorum comites, non longa avorum serie ducto. Rogerio *a* Siciliæ regi, ejusque filiæ Constantiæ *b* imperatrici propinquitate conjuncta, in aula regum, ubi orta, etiam educata est. Margaritæ certe, quæ Graciæ *c* Navarræ regis filia Willelmo Rogerii filio nupsit, chara *d* in primis fuit. Sed enim honorum splendoribus, divitiarum commodis, adolescentiæ illecebris per contemptum proculcatis, divino afflata incensaque spiritu, ad Quisquinæ *e* montes ac nemora ditionis suæ, quadraginta ferme passuum millibus Panormo distantia, angelorum *f* ductu secessit. Hic secretissimam nacta speluncam plures cavernarum anfractus habentem, in quas omnes angustus satis ac perdifficilis erat aditus, in eam, veluti thalamum a cœlesti Sponso sibi paratum, quo remotior ac tutior ab hominum consuetudine et accessu sola cum eo solo degeret vitam, nullis sive solitudinis, sive ferarum, sive etiam dæmonum terriculamentis absterrita, animo ausuque plusquam muliebri, plusquam virili, per os instar putei arctum insiluit, atque ad interiora, quod necesse erat, reptando pervadens, ibi aliquandiu incoluit, eamque domum mirifice adamavit: quod etiam chirographo suo in durissima ejus putei silice insculpto testatum reliquit his verbis. EGO ROSALIA SINIBALDI QUISQUINE ET ROSARUM DOMINI FILIA AMORE DOMINI MEI JESU CHRISTI INI HOC ANTRO HABITARI DECREVI. Quod sane chirographum mendis ipsis, Puellæ rude Latinitatis ingenium ostendentibus, quasi sigillis munitum, eodem, quo corpus, tempore *g* divinitus repertum est.

transitus ad speluncam montis Peregrini: gesta

4 Ex hac spelunca divino iterum spiritu, ac cœlestium comitatu *h* ducta, remigravit Panormum, non sane ad aulam, et paternas ædes, sed altiore quodam consilio ad vicinum urbi montem, quem Erctam *i* Græcorum historiæ, nunc vulgo Peregrinum Panormitani dicunt, præruptis undique saxis asperum, nec nisi per tres semitas arduum præbentem iter, cetera inaccessum ascendit. In cujus excelso vertice, qui ex media eaque amœna planitie assurgit; solitariæ vitæ et contemplationi satis accommodo, qua vergit ad Boream, speluncam Quisquinensi etiam horribiliorem ac secretiorem offendit. Erat hæc ea tempestate nemore circumsepta, nec tam ad defendendas temporum injurias, quam perpetiendas natura comparata, perenni stillicidio infesta, frigore, luto, tenebris horrida, et vel belluis ipsis inhospitalis. In hanc igitur Virgo per angustum, ut tum res erant, aditum irrumpit. Sed in amplissimo specu extillantibus undique superne saxis, quæ capiti impendent, vix ullus habitabilis dabatur angulus, quo se stillicido immunis reciperet. In arctissimum igitur foramen exesæ rupis, et abditissimum, ac vix corpusculi capax, ut pro veste illi potius, quam pro cellula esset, intrudebat sese: ibi præterquam immortali Sponso nulli *k* mortalium cognita castissima Columba delitescere; ibi aspero victu cultuque, prolixis orationibus, perpetuis jejuniis, vigiliis, cæterisque sanctarum ascetriarum afflictationibus se exercere, et non magis adversus corpus suum, quam infestissimos spiritus assidue strenueque depugnare.

in spelunca, ac sanctus obitus:

5 Hujus anachoreticæ ac cælestis omnino vitæ cælites ipsos magistros, adjutores, consolatores habuit. Frequenter eam revisebant angeli et honorabant, sæpe etiam ipsa angelorum Regina cum summo rege Filio, aspectu suo jucundisque

A cundisque colloquiis dignabantur; floribus præterea, ac roseis præsertim cerollis *l* eam ornabant, ut essent indicio, quantum sibi cordi essent, vel efflorescentes in virgineo pectore virtutes, et fragrans in primis virginitatis odor, vel tam multa erga se sanctæ Virginis in solitudine degentis obsequia, atque in primis illa, quibus Matrem beatissimam, et infantem Jesum ornare gestiebat, modo floribus ex prato decerptis *m*, modo angelicis salutationibus, quasi roseis laudibus ad calculos dinumeratis, quibus solennem nunc precandi ritum, sed per ea tempora singularem usurpabat. Hanc vitam sanctissime actam consentanea mors excepit, quam ubi instare sibi intellexit, vel usque ad extremum spiritum propositi tenax *n*, ut veteres illæ magnæque anachoretides, sola se in nuda humo composuit, et Crucifixi imaginem in sinu tenens piacularibus globulis sinistra manu pectori admotis et implicitis, dextera jam languens sustinens caput, solis spectantibus et adjuvantibus angelis, roseam efflavit animam, quæ ad Sponsum virginum evolavit pridie Nonas Septembris, qui dies tum Panormi, B tum in reliqua Sicilia recolendæ ejus memoriæ sacera solemnis fuit.

sepultura: corpus diu absconditum. Pestis Panormi orta,

6 In hoc antro eorumdem, ut par est credere, angelorum *o* ministerio sepulta ad quadringentos et septuaginta circiter annos veluti thesaurus abstrusus fuerat, atque ad afflictas patriæ suæ res opesque sublevandas divina providentia reservatus. Nam hoc in loco, prout erat a majoribus traditum, ab aliis alio tempore perquisita *p*, non nisi anno quarto et vigesimo super millesimum sexcentesimum, cum maturum ac maxime erat opportunum, inventa est. Hujus anni mense Junio exitialis lues *q* Panormum invasit, ex Lybia importata eo navigio, quo Christiani de Maurorum servitute redempti fide publica reducebantur domum. Serpere ea latius in dies ac miserum in modum vexare urbem occœpit. Trepidatum itaque Panormi est, ac primum ad pacem Numinis exposcendam salutaris Eucharistia in omnibus fere templis, ut his in malis fieri assolet, exposita: publicæ indictæ preces, supplicationes cleri et religiosorum Ordinum per vices diebus singulis habitæ, sed Idibus Julii sacræ capsæ tutelarium sanctarum Christinæ *r* et C Nimphæ more majorum per urbem summo mane circumductæ præeunte clero universo, ipsoque urbis antistite D. Joannettino Doria S. R. E. Cardinali: hoc prosequebatur populus, lacrymis et clamoribus ad opem divinam implorandam identidem sublatis.

contra quam dum miro plane modo invocatur Sancta,

7 His autem non sine divino instinctu factum est, ut duo sacerdotum paria, qui Sanctorum invocando nomina cæteris cantoribus præcinebant, magno quodam intervallo alterum ab altero disjuncta, non ex condicto, sed interno quodam impulsu, post reliquarum virginum patronarum nomina sanctum etiam Rosaliæ nomen, quod ex litaniis desuetudine jam abolitum erat, in civium vero memoriam non nisi festo ejus die incidebat, miro consensu et alacritate animi advocarent *s*. Nec in irritum invocatio cecidit: nam e vestigio visa est compellata virgo Rosalia exaudisse populi sibi supplicantis preces: vesperi nimirum ejusdem diei sacrum illius corpus, mirabiliter absconditum, mirabilius inventum est, nec minore Dei providentia indidem depromptum, quam fuerat ante depositum.

eodem die invenitur corpus,

8 Erant menses jam fere duo *t*, cum operam ac laborem in eo loco effodiendo posuerant quidam partim suasu mulieris ob receptam divinitus valetudinem, partim etiam cupiditate ac spe, prout est hominum ingenium, reperiundi thesauri, qui eodem loci ferebatur abstrusus: sed nullus profecto alius sese thesaurus quærentibus obtulit, nisi qui absconditus erat in agro, seu potius in petra, quæ sacris ossibus admirabili quodam opere adnata et adhærescens, illa circumquaque vestiebat, ac tumulis loco sarta tecta servabat. Igitur hæc sæpe priores investigatores frustrata fuerat, ratos se in duram silicem aliquam, quæ forte in hujus montis visceribus lateret, inter effodiendum impegisse, nec ultra ligonibus posse aperiri viam: eademque etiam hos postremos jam labore defatiscentes, atque exitum rei desperantes ab incœpto retraxissent, nisi animos spemque addidisset Deus, ut pertinacius illud urgerent. Ita tandem ferrea clava grandem silicem primo rumpunt; alterum deinde totius massæ fragmentum, non quod ita magnæ molis, sed quod majoris præ mole (id quod erat miraculo) ponderis esset, in alia fragmina discindunt: quæ ubi vacua ac levia conspicantur, rei admiratione attoniti, carissimum exoptatumque Virginis caput jam manibus se tenere animadvertunt. E

et ad palatium archiepiscopi deinde portatur.

9 Nec temere id creditum, nam mirabile illud monumentum, quod nulla humana arte videbatur elaboratum, locus ipse sacri depositi constanti ecclesiæ Panormitanæ, et aliarum traditione certissimus, nuper exorta domi calamitas, cui satis opportunum illud præsidium submittebatur, ratio ipsa inventionis, ossium subito spectata pulchritudo et integritas, odoris a multis percepta suavitas, subsecutus statim populi concursus, animorumque conspiratio astruebant veritati fidem. Verum ut res tanta, qua par erat prudentia definiretur, diligenti custodia interdiu adhibita, proxima deinde nocte asportatum in urbem est, quod erat inventum, et in ædium Cardinalis archiepiscopi sacello repositum, donec ex præscripto sacrorum canonum de eo constaret satis. Regebant tunc Siciliam pro rege Philibertus Emmanuel Sabaudiæ ducis filius; Panormum vero don Franciscus del Bosco dux Misilmelis, princeps Catholicæ, prætor; D. Joannes Agliata baro Soloënti, D. Joseph del Bosco, D. Jacobus Lucchisius baro Camastræ, D. Horatius Strozzi, D. Petrus Bongiorno, Dominicus del Colle senatores. Qui profecto F non magis inauspicatum annum suum invasione pestis, quam tam magni thesauri inventione fortunatum rati, maximopere expetivere, ut legitima præsulis approbatione sanctæ hæ reliquiæ haberentur.

ANNOTATA.

a *Rogerius rex Siciliæ primus, sed dux istius nominis tertius, nepos erat Roberti Guiscardi Normanni, qui Apuliam, Calabriam et majorem Siciliæ patrem Saracenis eripuit, ac posteris suis reliquit. Filium Rogerius habuit Willelmum I, quem anno* 1150 *regni consortem fecit. Obiit vero anno* 1152, *vel, ut alii volunt,* 1154, *ait Pirrus in Chronologia regum Siciliæ.*

b *Constantia quoque filia erat Rogerii. Hæc nupsit Henrico VI imperatori, ac cum eo post varios reges obtinuit Siciliæ regnum, quod etiam filio suo Frederico II imperatori reliquit. Volunt aliqui Constantiam monialem fuisse ante nuptias; at idem negant alii. Res huc non spectat.*

c *Garzias*, *aliis* Garsias, *aut* Garcias, *hujus*

A. Jordano Cascini.

jus nominis erat quartus Navarræ rex, quem Mariana eodem anno 1150, quo filia ejus Margarita Willelmo nupsit, equi lapsu defunctum asserit in venatione.

d *Quod hic asserit Cascinus Sanctam fuisse charam Margaritæ reginæ, conforme est traditioni per Caietanum in prima Vitæ relatæ. Attamen in Opere majore opinioni illa vocatur in dubium, quia non bene cohæret cum anno emortuali* 1160, *sive Cascinus ipse abierit in aliam deinde sententiam, sive ejus corrector Salernus. At mihi præplacet opinio hic asserta, quia annus emortualis omnino est incertus.*

e *De ingressu Sanctæ in speluncam Quisquinensem in Commentario actum est* § XI, *et* § 2 *data Sanctæque asserta est inscriptio mox referenda: totus vero locus uberius descriptus est* § 27.

f *Quo nitatur fundamento illa opinio, qua creditur Sancta ab angelis ad speluncam ducta, videri potest in Commentario num.*111 *et* 112.*Facile ibi videbit eruditus lector, imaginem illam, quæ ibi repræsentatur, non sufficere ad certo asserendam rem tantam, quæ ne Salerno quidem ibidem* B *num.* 117 *satis probatur.*

g *Non idem prorsus, sed idem fere tempus auctor intelligit: nam inventio illius inscriptionis quadraginta diebus posterior est corporis inventione, ut videri potest in Commentario* § 26, *ubi antri Quisquinensis et inscriptionis inventio late est exposita.*

h *Cœlestium comitatum non sic intelligere necesse est, ut credamus angelos visibili specie comitatos fuisse Virginem. Adi Commentarium num.* 133 *et* 134, *ubi etiam eodem* § 12 *quæritur ratio mutatæ habitationis.*

i *De Ercta monte, nunc Peregrino, deque antro ibi a Sancta inhabitato consule Commentarium* § 25.

k *An nulli mortalium fuerit aliquo tempore cognita, incertum est: at ne satis quidem probabile aut verisimile existimo, mansisse Virginem omnibus ignotam usque ad mortem obitam. De ea Cascini et aliorum opinione disserui in Commentario* § 4, *et subinde breviter aliis locis. Videri potest* § 13, *ubi de gestis omnibus in spelunca actum est.*

l *Hi favores cœlestes non aliud habent fundamentum, quam pictas quasdam tabulas. At in* C *Commentario num.* 139 *observavi, similia pictorum meditationi ac inventioni attribuenda videri: nec obvio sensu explicandas esse ejusmodi tabulas, nisi divini illi favores aliunde quoque probari possunt. Scimus quidem tantam esse divinæ liberalitatis ac munificentiæ præstantiam, ut* centuplum *promiserit, ac revera tribuat deserentibus sui amore caduca mundi bona; nec dubitamus, quin centuplicatam remunerationem* Rosalia *abunde acceperit: at cum mille modis electos suos remuneret infinita sua sapientia Dominus; nullum nominatim favorem ex ea veritate legitime colligere possumus.*

m *Ne hoc quidem probabile satis videri, dixi num.* 138.

n *Sanctam probabilius non obiisse sine humano auxilio et extremis Sacramentis, nec certum esse situm morientis hic descriptum, ostendi in Commentario* § 14, *ubi et de aliis ad mortem spectantibus egi; et diem emortualem non omnino certum esse, observavi.*

o *Opinionem hanc esse minus probabilem, probavi num.* 155 *et seqq.*

p *De corpore frequenter quæsito, ac prædictione de eo non reperiendo, nisi tempore gravis calamitatis, vide dicta in Commentario num.* 183 *et sequentibus.* D

q *De hac pestilentia actum est* § 18.

r *De S. Christina apud nos disputatum est ad diem* 24 *Julii, de S. Nympha agit Martyrologium Romanum* 10 *Novembris, Siculi vero* 12.

s *Mirabilis hæc Sanctæ invocatio fusius relata est in Commentario num.* 198 *et sequentibus.*

t *Dies nimirum quinquaginta, ut dictum est num.* 201 *in Commentario, qui consuli poterit de mirabili inventione corporis, ejusque delatione ad palatium archiepiscopale* § 19.

CAPUT II

Miracula post corpus inventum; ejus approbatio; Panormus peste liberata: cultus Sanctæ multum propagatus, et reliquiæ ad varias provincias missæ. E

Miracula inventionem corporis subsecuta:

Nec longum interfuit tempus, cum divina opportune testimonia accessere: nam ubi sive ossium, sive lapidis cum illis concreti inter frangendum schedæ discussæ, vel aliquid etiam pulveris circum illa jacentis, vel aquæ de specu extillantis ægri corporibus certa quadam fiducia applicari cœpta sunt, tanta continuo visa coruscare miracula *a*, ut optimum factu, ac necessarium visum antisti fuerit, pro sua auctoritate jubere de iis cognosci, et in publicas referri tabulas totam inventionis, et rerum supra ordinem naturæ gestarum historiam. In ea cognitione trecenti ferme testes a gravibus viris in ecclesiastica dignitate constitutis rogati examinatique, et ad confirmanda dicta jurejurando adacti. Dum hæc aguntur, excedit e vivis Philibertus *b* prorex, cui in Siciliæ gubernationi ejusdem Philiberti suffragio designatus, et regio F statim consilio subrogatus est idem Cardinalis Doria, et uti afflictam provinciam susciperet exoratus. Qui sane utraque potestate abunde pollens, rem Panormitanam universæque Siciliæ labantem consilio suo, ac labore sustentavit confirmavitque. Exacto etiam anno magistratu, creati prætor D. Nicolaus Placidus Branciforti, princeps Leonfortis, comes Racudiæ; senatores D. Marianus Angliata et Spatafora, D. Ludovicus Spatafora, Didacus Blascus, Thomas Cascini, D. Franciscus Requesen, baro S. Jacobi, D. Petrus Septimus. Qui ad civilium rerum curas in tam perturbato civitatis statu multum studii ac negotii, tum ad extirpandum pestilentiam, tum etiam pro inventi corporis approbatione adhibuerunt.

consultationes pro approbatione reliquiarum habitæ:

11 Itaque ad hanc rem transigendam post preces a multis religiosis viris, multaque pietatis opera ad eliciendam divinam mentem adhibita, ex omnibus fere Religiosorum Ordinibus theologi, aliique pii juxta ac graves viri ab antistite in concilium vocati: his humana divinaque testimonia summatim primum exposita: tum integra

A tegra singulis tradita, domi per otium expendenda et enucleanda magis. Ubi ea satis ab his cognita ac perspecta, iterum ac tertio habita consultatio *c*, in qua re mature discussa, consultoque numquam intermissis precibus Deo, visum est omnibus, ipso antistite rogante sententiam, constare satis, inventi S. Rosaliæ corporis veritatem a Deo miraculis esse testatam. Nam præter innumerabilia signa quotidie ac passim edita, quorum ratio haberi vix potest, non pauca ita illustria extitere, ut non præsentes modo, sed etiam longe per orbem dissitos fama et admiratione compleriut: plures ab inveteratis deploratisque morbis erepti: aliis animam agentibus planeque depositis vita servata: alii etiam a morte obita, et vel ab ipso pheretro excitati. Sed in depellenda pestilentia ejus maxime virtus enituit, sive a singulorum capitibus, sive a totis oppidis, in primis vero Panormi urbe, in qua illud etiam miraculo adscribendum, quod intermissa sancti corporis declarandi cura, recrudescebat lues, repetita, mitescebat.

c

B 12 Itaque ne longius civitatis salus protraheretur, quæ a solo novæ Patronæ cultu ac patrocinio pendere videbatur; rogante sæpe antistitem senatu, expetente populo Panormitano, omnibus optimatibus contendentibus, tandem auspicatissimo jubilæi anno salutis humanæ sexcentesimo vigesimo quinto supra millesimum, octavo Kalendas Martii, juxta sacrorum canonum ritum D. Joannettinus Doria P. Cardinalis, Panormitanus archiepiscopus sua auctoritate corpus S. Rosaliæ esse, ac sanctum habendum asseruit, eoque nomine senatui, facta publico instrumento fide, tradidit, et venerandum populo exposuit, a quo magno concursu, lætitia, a plausu exceptum, lacrymis etiam spe concepta quam primum recuperandæ salutis obortis. Pompa, qua tum primum ex privato archiepiscopi sacello in ædem maximam debito sanctitati cultu translatum est, pro re et operis festinatione conspicua sane fuit, non tamen pro flagranti Panormitani populi studio, et meritis Civis suæ magnifica satis.

reliquiæ tandem approbatæ delatæque ad ecclesiam maximam,

13 Alia *d* multo magnificentior quatuor fere mensium spatio comparata, spectataque est v Idus Junii ejusdem anni. Ea visa non tam sacra pompa, qualis in circumferendis sacris reliquiis sole-C mnis in magnis urbibus solet esse, sed plane triumphalis, qua Virgo sanctissima in urbe sua de pompis ejus atque deliciis devictis prostratisque triumpharet. Arca christianis compacta tabulis, argenteisque per angulos laminis ornata atque minuta, per totam Toletanam aliasque celebriores Panormi vias a lectissimis ex nobilitate viris, in quibus cum pietatis ac generis splendore ornatus etiam corporum emicabat, circumacta est. Convestiti pretiosis peripetasmatis, serico auroque intextis et acu pictis, ad summum usque fastigium et templi maximi, quod raro visum, et domorum parietes. His frondes, tabulæ pictæ, aliaque id genus ornamenta interposita, cum speciem varietate delectabilem dabant, tum etiam nihil relinquebant rude et inornatum. Erecta passim altaria splendido omni instrumento, cœlato etiam auro argentoque, ac gemmis instructa illustrataque. Arcus quatuor positi ingenti mole, majore artificio, regio prope sumptu. Qui in media civitatis area, quam octogonum vocant, publico ære est constitutus, aureum amplius duodecim millibus constitit, reliqui etiam sumptuosi: quorum unum Genuensium e regione maximi templi, alterum Catalanorum non modico post intervallo, quartum propter mare intra portam, quam Felicem vocant, Florentinorum natio dedicavit. Omnes statuis, picturis, carminibus, emblematis ex vario poetarum ingenio graphice picti ornatique.

deinde vero per urbem circumlatæ pompa plane magnifica,

d

A. Jordano Cascini.

14 Ducebant pompam ex quatuor urbis regionibus, in quos æquales partes tributa civitas est, invitati cives, et in quatuor distincti classes, vexilla holoserica auroque texta præferebant: in singulis autem singulæ urbis præsides Agatha, Christina, Nympha, atque Oliva, novam patronam Rosaliam in societatem ascitam dextra ducentes spectabantur: acus phrygii opus perpulchrum erat: tum sodalitates, quæ sunt Panormi tres et nonaginta, partim vexillis ejusdem pretii et ejusdem operis imagine insignitis, longo ordine per vexilliferos magno comitatu stipatos vario splendidoque ornatu conspiciendos; partim Sanctorum statuis auro fulgentibus et vario vocum instrumentorumque concentu ducendis, pompam omnem hilariorem jucundioremque faciebant. Cæterum religiosi Ordines sua quique pegmata, tum primum vario argumento S. Rosaliam referentia, affabre constructa portantes subsequuti. E Impensa in omnem apparatum centum millium aureorum summa. Civitas universa nullo pestilentiæ metu deterrita ad eum diem festum, quam maxime posset læto splendidoque tum animi tum corporis habitu agitandum effusa.

quæ describitur:

15 Spes in Virginem ac Patronam suam concepta incolumitatis pignis erat: nec ea fefellit. Pro miraculo habitum, quod in contrectanda supellectile, populique tam frequenti conventu, qui per decem dies ad varia festiva spectacula maximus factus est; contagio per has occasiones grassari alias assueta, pro incremento sumpserit decrementum: ac ne ambiguum esset, cui tantum beneficium adscribendum foret, cum ab his diebus usque ad Idus Julii pestis varie processisset, hoc tamen Iduum die, qui dies anniversarius inventi corporis est, repente atque omnino cessavit. A quo rursus inito quadraginta dierum numero, perfectæ incolumitati explorandæ veteri observatione constituto, una cum pestilentia, reliqua etiam morborum genera evanuerunt; ac tandem aliis decem ad purgandam civitatem exactis, dies Septembris tertius, qui natalem sanctæ Virginis diem præcedit, primus incidit, cum D. O. laudibus ac novæ F Patronæ rite persolutis, in pristinum cum reliquis Siciliæ civitatibus Panormo restituta commercia *e*.

Panormus dein Sanctæ patrocinio peste liberata.

e

16 Verum profecto mortalium genus divinis beneficiis nescit uti, sed ea per suam socordiam sæpe corrumpit. Quo vitio factum est, ut recuperata Panormi incolumitas perpetua non esset: nam uti, qui ex intestino aliquo morbo medicorum ope curati sunt, neglecta corporis adhuc imbecilli custodia, ex quovis lapsu detrimentum accipiunt, et in eamdem recidunt ægritudinem, ita sane illa cælesti ope restituta civitati salus, incuria nostra conservata non diu est. Quinque circiter post menses pestilentia revixit, quæ jam plane extincta fuisse videbatur; seu quod aliquid infectæ vestis, vel non satis exploratæ, vel hominum avaritia absconditæ, ad usum, quasi tuta salvaque omnia essent, adeoque ad perniciem depromeretur, sive quod ex aliis oppidis eodem malo laborantibus (nec enim adhuc Sicilia liberata erat) peregre venientes in urbem temere recepti, sive quo alio casu incertum est. Illud pro certo habendum, non sine Dei nutu id contigisse,

Pestis post quinque circiter menses reviviscens Panormi,

A. Jordano Cascini.

contigisse, qui ex erratis hominum attollendæ gloriæ suæ ac suorum argumentum capere consuevit. Ita ex duplicato civitatis malo D. Rosaliæ conduplicatum beneficium est.

rursum Sanctæ beneficio, ut creditur, fuit exstincta: f

17 Eadem opitulante mitior quam antea lues fuit, nec itidem, ut solebat, recrudescere visa, quinque itidem menses laboratum ex ea est. Ab universa vero civitate omnino depulsa *f* iterum anno MDCXXVI, Mense junio, recurrente scilicet peracti anno proximo triumphi, atque ipsius inventionis appropinquante die, cum Siciliæ præesset adhuc Cardinalis Doria, qui a republica sublevanda non ante conquievit, quam eam pristinæ incolumitati restitutam expurgatamque redderet, urbis vero magistratum gererent, D. Franciscus Agliata et Paruta princeps Villæ Franchæ, D. Simon Parisius et Bononia baro Melochæ, Gaspar Agliata, D. Vicentius Landolina, D. Antonius Colnagus baro S. Veneræ, D. Antonius Gasconius, Don Carolus de Thermis, qui in eadem restituenda tuendaque strenue laborarunt. Nec multo post latius id beneficium in omne Siciliæ corpus a capite promanavit. Ea confessio omnium fuit, Siciliam universam a
B pestilentiæ morbo, a quo vix aliquando humana arte atque præsidiis populi expediuntur, divæ Rosaliæ beneficio brevi liberatam, haud tam multis civibus desideratis.

varii proreges de Sicilia per Sanctam peste liberata testati sunt.

18 Exinde vulgata incolumitatis fama, mirum quantum ejus nomen, et cultus in omnes Christiani orbis regiones cœptus est propagari. Quod etiam in publicas tabulas relatum est multis per totam Siciliam a proregibus aliis alio tempora promulgatis edictis, primum ab eodem Cardinali Doria, deinde a marchione Tavaræ, qui postea Siciliæ præfuit, cum eodem tempore urbis magistratum gererent D. Cæsar Cajetanus marchio Sortini, prætor; senatores D. Octavius Corsettus, D. Aloysius Silvera, Alfonsus Saladinus, D. Octavius Orioles, D. Petrus Buttunerius, Franciscus Ares; tum demum a duce Albuquerquii, qui hoc tempore Siciliam prorex gubernat; in quibus edictis cum vel per oppida jam peste purgata, vel per omnem insulam jungendi commercii, vel demum etiam rei familiaris libere transvehendæ potestas fieret, Siciliæ liberatio communi divæ Rosaliæ patrocinio refertur ac-
C cepta.

Reliquiæ ad varias provincias missæ, g

19 Aliquid inventi corporis reliquiarum *g* expetitum, ut præsens malorum amuletum. Panormo hæ missæ, ac publicis litteris ab antistite Panormitano comprobatæ, magno cum gaudio, atque omni festivo apparatu a civitatibus exceptæ. Multæ D. Rosaliam in patronam elegere, quarum hic catalogum recensere longum esset. Nec vero cum Siciliæ solum oppidis, sed cum omnibus gentibus id boni communicatum, atque in omnem fere orbem impertitæ reliquiæ. Romam *h* atque in alias Italiæ civitates, ad reges Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, in Germaniam denique transmissæ, eademque litterarum fide publica consignatæ, ab accipientibus magno in pretio ac veneratione habitæ.

eæque magno in pretio habitæ ab Urbano VIII:

20 Verum enimvero Urbanus VIII Pontifex Maximus ex urbe terrarum orbis capite, veluti ab excelsa specula signum ceteris extulit, quo et eorum pietatem ratam faceret jam susceptam, et alios etiam face sua inflammaret; mirum enim quantum tam magnus ac pius Pontifex in hanc Virginem non sine aspirante Deo incensus sit. Quas reliquias theca ex auro argentoque pulcherrime facta inclusas a duce Montis Alti dono
D primas accepit, continuo adorationis culti prosequutus est, idque instrumento publico in Romana curia confecto testatum voluit posteris: neque solum honorem hunc cæteris cælicolis communem, ac debitum habuit, sed quod fuit singularis cujusdam erga eam pietatis, dentem (hic enim erat ex reliquiis excerptus, ac datus) collo suspensum quasi peregrinam magnique pretii margaritam gestavit in pectore.

ab eodem memoria Sanctæ Romanis Fastis addita:

21 Præterea anno MDCXXIX tum sua in Virginem propensa impulsus voluntate, tum rogatu ejusdem Cardinalis Doriæ, et Panormitani senatus, D. Antonii de Requesens principis Pantellariæ, prætoris, Don Caroli Siracusa, D. Mariani Agliata et Spatafora, D. Petri Giurato, D. Joseph Buonajuto, D. Leonis Rosselli, D. Gasparis Giurato, senatorum, ejus nomen Ecclesiæ Fastis non sine honorificentissimo elogio adscribi voluit; neque id uno in loco, sed diem natalem pridie Nonas Septembris, et inventionis Idibus Julii recenseri; acceptam postea aliam a Cardinali Doria reliquiarum partem ex brachio eodem cultu habuit; postremo studium in hanc Virginem excandescens in pectore quamvis augusto Pontificis diu contineri non potuit, quin tum aliis signis, tum datis præsertim diplomatis tribus E
sese proderet, duobus ad Cardinalem archiepiscopum, quorum unum gratiarum actionem de dono reliquiarum misso, alterum de relata in Fastos D. Rosalia nuncium continebat; tertio ad Panormitanum senatum misso, quo ejusdem beneficii sui, et singularis tum in Virginem, tum ejus civitatem universam suscepti amoris significationem gratulationemque tam magno thesauro invento complectebatur. Missa hæc diplomata fuere anno MDCXXX, D. Mario Gambacurta marchione Mottæ prætore; Joanne Roxas, D. Joseph Antonio Ballo et Sollima barone Calattuvi, Lancilotto Castelli, D. Francisco Russelli Cap., Martino de Pinedo, D. Vincentio Gambacurta senatoribus.

specus montis Peregrini magnifice exornata.

22 Interea civitas Panormitana non minore ardore magnifica opera ad ejus cultum, jam olim voto destinata, ac jam inchoata magno collatæ publicæque pecuniæ sumptu prosequebatur. Nam antrum Peregrini montis, ubi Divæ corpus inventum, in templi modum conformatum est et exornatum. Ara marmorea eo ipso in loco, ubi F
sepulta delituerat, constituta. Intra aram imago posita eodem situ gestuque, quo ibidem jacuerat. Columnæ quatuor ex lapide iaspidis ambientes aram æneum tectum fulciunt, quo adversus guttas ex rupe jugiter manantes ara protecta est, concellis item æneis et ara et ipsæ antri fores munitæ. Reliqua specus marmoreis tabulis, in quibus res illic gestæ carminibus prosaque explicatæ incisæque ad memoriam posteris et exteris cognitionem tradendam, tecta ornataque fere est tota *i*.

i sacellum item Panormi pretiosum atque arca corpori servando elegans constructa.

23 In urbe vero ipsa hæc sunt: in templo maximo, ubi erant jam a majoribus ædificata duo se invicem e regione spectantia et uno vestibulo comprehensa sacraria, quorum alterum divæ Christinæ, alterum D. Nymphæ (licet hoc nondum absolutum esset) arcas argenteas reliquiarum custodes religiose servaret, amplificatis Septentrionem versus vestibuli spatiis, tertium sacellum, ubi S. Rosaliæ novæ patronæ nova arca reponeretur, in antiquiorum medio, ut illis etiam esse ornamento posset, constitutum est. Eadem opera crustis marmoreis omnium operti parietes, ac multigenum lapidum expolito

A torum vermiculatis emblematis luculenter ornati *k*. Arca demum ex argento eleganti opere descripta anno MDCXXXI, prætore Don Francisco Valguarnera et Carretto comite Asori et principe Valguarneræ Cap., D. Petro Palacio, Horatio lo Melino, D. Carolo del Voglia Capisciano, Andrea Agliata Vespasiani filio, Francisco del Colle, Simone Bonaccolto senatoribus, incepta, quinque mensibus perfecta. Laminarum in ea spectanda crassities, ac varia cælatura: argumenta item vitæ, rerumque gestarum Virginis signis partim fusis, partim anaglyptica arte pulcherrime factis extantia: alia præterea signa, aquilæ tenentes scuta, bajulique sustinentes arcam: ipsa diva Rosalia in summo eminens: ex solido argento omnia fusa: librarum pondo mille quingentum. *k*

ANNOTATA.

a *Hæc miracula dabuntur post hanc Vitam partim ex Salerno, partim ex Cascino. De iis jam dictum est in Commentario num.* 207, *ac* 211 *et* 212.

b *Obiit Philibertus Sabaudiæ ducis filius, ac Si-*
B *ciliæ prorex die* 3 *Augusti anni* 1624, *ut habet Salernus in Commentario num.* 208, *et Pirrus tom.* 1 *Siciliæ sacræ pag.* 199 *addit Cardinalem Doriam tunc* tertium *regni Siciliæ administrationem pro rege suscepisse. Verum præfectura ipsius tantum durabat, donec alius prorex a rege statutus advenisset.*

c *De variis consultationibus pro approbatione reliquiarum, earumque recognitionibus consuli potest Commentarius prævius* § 20 *et* 21.

d De *translatione prima ad ædem maximam in Commentario actum num.* 234,*ac deinde de translatione per urbem* § 22.

e *Argumenta præcipua liberatæ pestilentia urbis patrocinio* S. Rosaliæ *recensui in Commentario num.* 240.

f *De secunda hac aut reviviscente pestilentia agit Commentarius* § 23.

g *De reliquiis Sanctæ ad varias Siciliæ urbes missis, pieque et solemniter exceptis, multa dicta sunt in Commentario* § 33 *et sequentibus; ubi item expositum, quibus locis electa sit patrona.*

C h *De transmissis Romam et in varias provincias reliquiis videri potest Commentarius* § 30, 39, 40 *et seq., de honore iis habito ab Urbano VIII, item* § 30, *ubi etiam exposita sunt, quæ tam laudatus Pontifex quam ejus successores præstiterunt ad cultum Sanctæ promovendum.*

i *De ornata Sanctæ specu in monte Peregrino actum est* § 25 *et interim* § 28.

k *Pretiosum Sanctæ sacellum, uti et arcam, in qua corpus servatur,* § 29 *non solum descripsimus, sed etiam æri incidi curavimus.*

D

MIRACULA

Auctore Petro Salerno S. J.

Ex Vitis Sanctorum Siculorum Octavii Caietani,

CAPUT I.

Variæ sanationes, factæ pleræque post sumptam aquam, Sanctæ reliquiis aut lapide sepulcri consecratam. E

Cur auctor miracula aliqua e multis referat: a

Res ipsa jam postulare videtur, ut sicut aliqua de traditione, cum opportunus incidit locus, commemoravimus, ita hic aliqua miracula *a* percenseantur; nimirum liquido ut omnibus constet, quibus rationum momentis sapientes viri ad hoc de reliquiarum cultu decretum sanciendum inclinati sint; tum ut perspecta sint Dei auctoris omnium opera, qui et in Sanctis suis maxime gloriatur, et in hac misera temporis conditione misericordiam suam cum summa potentia conjunctam elucere voluit maxime. Nec vero consilium est omnia persequi, ne longius, quam satis est, protrahatur historia: sed ex omnibus ea, quæ relatu dignissima sunt, referemus, quæque publicis tabulis consignata, et multorum testium confessione, ac juramento firmata. Et primum quidem quæ in urbe, tum quæ in lazareto *b* gesta sunt. *b*

mulier ex abortu morti vicina, c

2 Nympha Quaranta *c* septimum et vigesimum attingens ætatis annum, Prospero Quarantæ muliebrium crepidarum artifici in matrimonium data, partum immature abegit: quicum tanta vis sanguinis præter abortientium morem F profluere accepit, ut exhaustis cum sanguine viribus semimortua in lecto cubarit. Obstetrix, cujus ætas, ad quinquagesimum quintum producta annum, in ea arte atque experientia consenuerat, ac medicæ artis peritus extemplo convocati, paucas illi vitæ horas naturæ lege permitti uno ore pronuntiant; instrui Sacramentorum armis oportere; et quidem festinato opus esse. Cum igitur circa secundam noctis horam expiatis exhomologesi animi maculis, defferetur ad ægram Eucharistia, obvius illi fit, Deo potius itineris ejus duce, quam forte, D. Hieronymus de Terminis, qui administrandis lazareti rebus a senatu præpositus, domum se referebat. Equo statim desilit, pietate non minus quam nobilitate ornatus eques, et sacram Eucharistiam ad domicilium usque moribundæ prosequitur: postea vero quam templum eam eadem pietate reduxit, tum demum venit illi in mentem ossis S. Rosaliæ, quod secum circumferebat, eo consilio sibi a reverendissimo vicario don Francisco de Riba traditum, ut ægris

A. Petro Salerno S. J.

gris ad sanctitatem ejus comprobandam applicaretur : dolet ex animo, quod, cum data facultas esset, per oblivionem et mulieris valetudini, et sanctæ Virginis gloriæ defuisset.

sumpta aqua, quæ Sanctæ reliquiis consecrata erat, subito sanatur : d

3 Verum cum animadverteret eidem sacerdoti eodem esse regrediendum extremæ Unctionis caussa, occasionemque sibi oblatam præteritæ culpæ redimendæ, comitem se illi adjunxit. Ubi ventum est domum, ac res sacra rite perpetrata *d*, extractum ex sacculo holoserico frustulum ejus ossis, ac pugillum pulveris ex eodem antro montis Peregrini collectum, atque in aquam immersa *e* precibus S. Rosaliæ a sacerdote consecrari jubet, ac viro tradit, qui eam uxori propinet : quibus peractis, ambo discessere. At vir omni cunctatione abjecta, eam uxori porrigit, monens aquam esse S. Rosaliæ sacram : sperare se ejus ope valetudinem recuperandam. Illa oppressos oculos tollens, et se, salutem ac vitam suam Virgini commendans, potum hausit. Nec illum spes, hanc commendatio fefellit : ubi paulum quievit, marito renuntiat repressam aliquantulum sanguinis effluentis vim, mox etiam omnino stetisse, nec ullo se morbo gravari. Itaque ab instantis mortis periculo eadem ferme hora, qua moriendum illi prædixerant medici, evasit prorsus incolumis. Quare tam prospero rei exitu lætus Prosper Deo Optimo Maximo ac sanctæ virgini Rosaliæ meritas egit gratias; et ubi illuxit, D. Hieronymum et sacerdotem convenit, ut tam læta nunciaret, et gratum animum præseferret.

sanguis graviter vulnerati lapide sepulcrali Sanctæ mox sistitur : f

4 Nec solum aquæ potus huic mulieri, sed lapis ipse S. Rosaliæ alii sanguinis profluvium stitit. Joannes Andreas Montaltus in pervigilio S. Jacobi apostoli anni MDCXXXIV *f* vulnus in adverso pectore, qua vergit cor, cultro ictus accepit, quo incisa etiam vena est, quam arteriam vocant : tantaque ex ea prosiluit sanguinis copia, ut eo obrutus jaceret exanimis. Cum multa incassum medicamenta *g* ad eum cohibendum essent adhibita, et chirurgus Joannes Colonna inspectum vulnus humana arte curari posse negaret, atque adeo mortem saucio homini appropinquare, appositus lapis *h* S. Rosaliæ, et sanguinis fontem obstruxit, et semimortuum excitavit, et paucis demum diebus pristinæ incolumitati restituit.

mulier ex hydrope sanata, i

5 Nec solum factis vulneribus remedium attulit sancta Virgo; sed etiam ne fierent, repræsentavit : nam Maria de Martino hydrope diu *i* multumque afflictata, cum etiam in ea morbus vim confirmasset suam, teste Willelmo Carrega medicæ artis doctore, nihilque omnia fere tentata remedia contulissent, nec aliud eodem teste superesset, quam si perfoderetur umbilicus, aqua S. Rosaliæ intrito lapidi admixta, atque epota, omissoque alio quovis medicamine, plane convaluit.

vi ex gravi oculorum malo ; k

6 Marcellum vero Lopes *k*, cujus sinistrum oculum prope occupaverat vicinus tumor malis affectionibus scatens, febris etiam invasit. Coguntur medici plures, ut concilium capiant de eo curando : consentiunt omnes resecandum esse tumorem, vel cauterio inurendum : sed humanis remediis divina antevertunt. Admovet ille intumescenti fronti particulam ossis lapidi adhærescentem, quæ ex S. Rosaliæ reliquiis habebatur : exinde captus modico somno. Regressi postridie medici et febri et tumore liberum eum offendunt. Jurarunt omnes eam valetudinem nec naturæ beneficio, nec medicinæ ulli, sed divinæ solum virtuti tribuendam.

tumor maxillæ momento abductus, l

7 Simili fere morbo Agatha Galla divinitus servata est. Hæ sibi derepente genæ usque adeo intumescenti, ut quasi altera promineret facies, occurrit propere ingesto in os lapide *l* S. Rosaliæ, eique se ac salutem permittendo suam : nec vero cunctata est Virgo invocanti succurrere : eodem temporis puncto evanuit tumore. Id et mulieris ipsius et conjugis, et ancillæ confessione compertum est : insigne etiam medica arte homines juramento affirmant, non potuisse naturæ vi eam humorum copiam sine ipsius mulieris detrimento intro refundi, sed altius eam caussam esse petendam.

diuturnum oculorum malum depulsum : m

8 Accedit his etiam Vincentius Ciaccius graviori periculo in eadem corporis parte liberatus : ex oculis nimirum magnopere ac diu *m* laborarat, ita ut eorum altero, sanguine suffuso nimioque calore inflammato, captus propemodum videretur : nec dolorem ex iis solum, sed molestiam quoque trahebat maximam, quod non modo adversum solem, sed ne illuminatum quidem aerem intueri, aut ferre posset : quod si quando per urbem ingrediendum esset, demissa pilei ora, vel alio quovis modo eos protegere necessum erat. Omnes fere prosequutus fuerat vias, quibus eos sanari posse speraret : sed tantum abfuit ut juvarent remedia, ut aliquod eorum etiam noceret. At nunc expertus cælestis medicinæ vim, implicitum bombyce pulverem, lapidisque fragmenta chartula involuta oculis cum admovisset, non plus interfuit moræ, quam quantum pronunciandis semel oratione Dominica ac Salutatione angelica insumitur, quibus pie precibus usus est, cum subito doloris atque incommodi omnis expertem se sensit, omniaque cernere clarius quam quando incolumis fuerat.

puella peste infecta, cum melius haberet sumpta S. Rosaliæ aqua n

9 Puellæ duæ a mortis limine revocatæ; in quibus quia tota rerum gestarum series admirationem habet, boni consulat lector, si quid nimis enucleari videbitur. Altera est D. Agatha Morsa *n*, nobilibus parentibus D. Francisco et D. Maria Morso nota. Hanc sub noctem febris aggreditur, dolorem capitis et inguinum secum afferens. Prima luce medicus cum febrim et tuberculum in inguine exortum comperisset, peste infectam asserit : demum aliorum commercio interdici jubet. Flavia Majorana vicinæ suæ calamitate permota, aquam offert osse sanctæ Rosaliæ injecto, ac precibus rite sacram : hanc ut ebibit puella ac res suas sanctæ Virginis commisit fidei, continuo levari se morbi molestia sensit, remittere febris vim, ac tumorem ferme evanescere. Quo comperto, parens puellæ contendit a D. Hieronymo Grimaldi, cujus curæ regio illa urbis a senatu commissa fuerat, ut habita cognitione levioris morbi, ne medicum mitteret ex iis, qui peste arreptos curare soliti, sed qui suspectos. Impetrat : mittitur Hieronymus Mancusus; qui cum deferbuisse febrim et tuber abolitum fere animadverteret, secus quam prior medicus senserat, suspectis eam adjudicat. Hinc, ut plerumque homines ex eventu res metiuntur, commendare hunc, inveli in priorem medieum cæpit D. Franciscus, quod non bene perspecto filiæ morbo, segregandam a civium communione duxisset domum. Excepit has querelas Flavia Majorana, et nacta occasionem, comiter hominem alloquuta est : perperam ab illo medicum incusari : habendam potius S. Rosaliæ gratiam, cujus aquæ potus ægritudinem filiæ minuisset : sed quo plus filia valetudinis acquirebat,

eo

A eo ille in sua sententia obdurabat magis.

ac ideo pater negaret peste infectam esse, ad extrema reducitur;

10 Non inultum profecto tulit ingratum hominis animum sancta Virgo: quamquam in eo puniendo severitatem misericordia temperarit. Postero die increscit filiæ malum, reviviscit tumor, febris exitialis efficitur. Mutata puellæ habitudine, sententiam mutat Hieronymus, infectisque eam addicit: ipse se ab ejus removet cura. Succurrunt illi Demetrius homo Græcus, in eo morbi genere curando usu et exercitatione abunde pollens, et una Pompilius Nastasi: utrique actum de corporis salute pronunciant: animo subveniendum. Itaque accitus sacerdos cælesti Pane, sacro Oleo roborat. Præceps ad mortem ruebat puella: vi appetendi amissa, quartam jam et vigesimam horam sine cibo ac potu traduxerat: deficiunt vires: natura concedit morbo, ac supremos jam anhelitus ciet: mater desperata filiæ salutem, ceream Christiano more facem, ac thus accensum cervicali apponit: et, quæ misera est eo tabescentium morbo conditio, ut a quibus maxime expectare deberent opem, destituantur, ipsa se a filiæ congressi divellit o. Sed enim pater, ut nihil intentatum relinqueret, quo spiranti B adhuc filiæ subvenire posset, obtestatus uxorem est, ut ingressa cubiculum, electuarium ex hyacinto confectum, ex medici præscripto ultimum vitæ subsidium, afferret natæ. Recusat mater, rata filiæ nihil prodesse, sibi autem obesse plurimum posse: vicere tamen et patris preces, et maternus in filiam amor; atque ut quoquo modo sibi caveret, aceto se proluit, quod ad retundendam contagionis vim, si quid aliud, natum est: tum hyacinthum, vel, quo incipiente morbo gaudere visa est, electissimum offert vinum. Illo interroganti ne annuit quidem: quin et hyacinthi buccellam digito in os ingestam actutum respuit. Igitur cum lachrymulam ab oculis labi, quod ultimum est recedentis vitæ vestigium, et pedes etiam calore destitutos sensisset, renunciat viro filiam extrema pati, ac de sepultura cum eo agit: hic itidem cum eo, cuia intererat, D. Hieronymo Grimaldi.

ac deinde, sumpta rursum illa aqua, subito sanatur.

11 Hos etiam sermones excepit Flavia Majorana, quod facile fuit, cum utriusque domus in angiportu sitæ sese e regione respiciant: et quamprimum alloquendi copia fuit, matrem de salute filiæ percontata, cum extinctam propeC modum accepisset, bonæ spei pleni aquam S. Rosaliæ osse consecratam offert. Redit cum hoc poculo ad filiam mater: vix rogata puella, utrum sibi placeret ex ea sumere, demisso annuit capite, ac bibit. Cujus umquam tanta medicinæ vis, ut eam tam subito a mortis ore, ac faucibus extraxisset? Respirat, oculos tollit, et quasi mellis, vel si quid melle dulcius est, delibata dulcedine, rursus eodem potu se recreat, vires statim ac sensus resumit, ac cibos expetit. Pater tam inopinato eventu stupens, properari cibos jubet ad instaurandas ægrotæ vires: his primum cum voluptate pascitur: post paulo uberiori etiam cibo reficitur: somnum capit, a quo incolumis prima luce excitata est. Accersitus medicus, postquam tam insolitam ac mirabilem mutationem admiratur, supra naturam id esse affirmat.

ANNOTATA.

a *Titulum hisce miraculis talem præfixit auctor:* Aliquot miracula in inventione S. Rosaliæ virginis Panormitanæ; *non quia omnia ipso inventionis die facta sunt, sed quia non diu post inventionem, et ante approbationem reliquiarum contigerunt. Relata illa primum sunt Italice a Cascino ex processibus coram Cardinali Doria institutis; Salernus vero e pluribus hæc Latine exposuit.* A. Petro Salerno S. J.

b *Lazaretum hic est domus seu valetudinarium peste infectis unice destinatum.*

c *Hoc miraculum narrat Cascinus lib.* 1 *cap.* 12, *ubi est vigesimum quintum ex centum, quæ eo capite referuntur.*

d *Id est, ubi extrema Unctio administrata erat infirmæ, ut habet Cascinus.*

e *Laudatus Cascinus habet, aquam fuisse consecratam reliquiis* S. Rosaliæ, *nec ille de pulvere loquitur.*

f *Legendum* anni MDCXXIV, *ut patet ex Cascino, cujus hoc est decimum septimum ex centum mox dictis.*

g *Ait Cascinus medicum non scivisse remedium, quo sanguinem sisteret; tantumque effluxisse sanguinis copiam, ut mox moriturus videretur, et jam instar mortui jaceret sine motu.*

h *Lapis hic sepulcri* S. Rosaliæ *a muliere* E *præsente datus est Joanni Colonna medico, ut vocatur a Cascino, et ab ipso medico vulneri applicitus, quo sanguis mox stetit. Sequenti autem die, cum vulnus intumuisset, idem lapis rursum applicitus, invocata simul* S. Rosalia, *itaque vulnus expurgatum ac paucis diebus sanatum, teste Cascino.*

i *Per annum hydrope laborasse, et desperata fuisse medicis dicitur a Cascino, cui id est octavum miraculum.*

k Marcellus Lopez *vocatur a Cascino, cui hoc miraculum est vigesimum quartum. Laboraverat sex mensibus grandi oculorum malo, cui ex febribus tumor ille accesserat. Verum, ubi aquam consecratam reliquiis Sanctæ tumido oculo cum fiducia admoverat (Salerius ipsam reliquiarum particulam scribit admotam) dormivit duabus horis, ac dein se prorsus sanum reperit, teste Cascino. Erat Lopez annorum quadraginta trium, ac unus e tribus capitaneis, ut vocant, servitio senatus Panormitani addictis.*

l *Factum est hoc miraculum die sequenti corporis inventionem, seu 16 Julii anni* 1624, *atque idcirco tertiam recensetur a Cascino, qui testatur frustrum istud lapidis sepulcralis eodem die datum fuisse Antonio Gallo, qui id uxori* F *suæ porrexit; hanc vero istud ori imposuisse, recitata semel Salutatione angelica, itaque subito sanatam.*

m *Cascinus, cui hoc quartum est, asserit malum istud oculorum durasse quatuor mensibus, priusquam subito sanaretur, prout exponit Salernus.*

n *Puellam fuisse annorum quatuordecim testatur Cascinus, qui id narrat octogesimum septimum miraculum, aitque factum mense Januario anni videlicet* 1625.

o *Cascinus asserit, facta esse a patre, quæ hic matri attribuuntur. Præterea omittit, quæ hic dicuntur de repugnantia matris in juvanda filia, de ceteris consentiens. Porro, dum scriptores hi in similibus adjunctis dissonant, dubitari potest, uter rectius scripserit: nam: etsi Cascinus sit coævus ideoque videatur præferendus, potuit Salernus etiam habere processus authenticos, atque ex iis leviusculos Cascini errores corrigere, aut supplere nonnulla ab eo prætermissa.*

CAPUT

A. PETRO SALERNO S. J.

CAPUT II.

Aliæ sanationes, variis modis impetratæ post S. Rosaliam invocatam.

Puellula submersa aut vitæ divinitus

Altera est Laurentii ac Dorotheæ Avernæ filia, cui Angelæ inditum nomen. Hæc in aquas domestici fontis, qui erat in vicinis ædibus per caput et pedes ierat præceps : cum in eo quartam jam horæ partem *a*, supinis, ut ceciderat, pedibus hæsisset, ac jam motum edere desiisset, eam ex adversa fenestra mulier Hieronyma casu conspicatur. Hæc S. Rosaliæ propitiam opem implorat puellæ : quod primum omnium insita in animo erga Virginem pietas suggessit. Sed omen sane futuri miraculi fuit, quod non invocationi, sed reliquiis divino decreto debebatur. Advolat deinde, extrahit intermortuam *b*, B quippe albicantibus oculis, exerta lingua, turgidulis genis, labellisque spumantibus : parentem puellæ in amicorum cœtu propter ipsas fores offendit. Hem! quo adversa fortuna tua redegit tibi filiam, inquit, Laurenti? O spectaculum non tibi, ac tuis modo, sed saxis etiam luctuosum! Modo eam aquis extuli non victuram potius, quam morituram. Durum sane; sed est patientia emolliendum, quod infectum fieri fas non est. His verbis, ac multo magis deformi filiæ aspectu perculsus parens lachrymari extemplo, pectus pertundere, questibus cœlum lacessere : ac desperata ejus vita, de funere cogitare. Misit etiam amicos ad proximum Franciscanorum cœnobinm, qui id curarent : matrem vero celari rem voluit, ne quæ febri maligna confecta erat, et jam sacro Viatico morti comparata, ei præriperet animam repentinus dolor. Interim clamoribus et nunciis excitus, de proxima officina accurrit Franciscus Christadorus, D. Rosaliam ipse identidem exclamans, bono esse animo parentem jubet: sperare se D. Rosa- C liæ auxilio filiam a morte vindicandam : fragmentum lapidis cum ossis particula concretum ex iis, quæ in monte Peregrino nuper reperta fuerant, admovet puellæ capiti atque humeris. Mirum dictu! In aspectu atque oculis multorum excitari puella cœpit et haustam aquam ac cibum evomere.

aut sanitati restituta : ipsius quoque mater sanata :

13 Ubi spes vitæ rediit; advocant medicos. Hi contra longiorem lucis usuram illi superesse negant; præscribunt tamen sua de more remedia; quorum, matre ipsa teste, adhibitum nullum. Non tam igitur his, quam S. Rosaliæ præsenti ope in spem adducti, factoque sibi animo, omnia ad matrem deferunt, quæ natam gremio suo, eodemque fovit lecto, quo ipsa jacebat. Vix media effluxerat hora, cum parentem vocat, ostendit filiam omnino sospitem, renidentem sibi, unaque in lecto colludentem. Parens amicum adducit: mirantur ambo non solum in integrum eam rediisse, acsi nihil uspiam mali passa esset, sed vegetiorem, pulchrioremque solito. Miraculum mox miraculo additum; mater *c* eo loci, quo paulo ante diximus, deducta, earumdem reliquiarum beneficio brevi convaluit.

moribunda e peste sanata,

14 His adscribi potest alia ab urgente etiam morte servata : Margaritæ Bottegaræ nomen est. Hæc pestilenti febri vexata, ac duabus papulis D exulcerato crure, admotum illis ignem perpessa, eo pervenerat, ut medicorum auxilio destituta, jam intermortuis oculis supremos traheret spiritus. Unde sacerdos quidem, qui eam de media via (nam tum custodes adeuntes cavebant ne cum infectis commercia jungerentur) agentem animam vidit, monere non desistebat eos, qui domi erant, ut Christianis eam monitus in eo agone confirmarent. Cum eodem se contulisset Stephanus Garofalus medica arte præditus, quam aquam pridie ejus diei S. Rosaliæ sacram sibi paraverat, per eos, qui aditus observabant, tradendam morientis matri in manus dedi, quam ab ipsamet matre in os infusam cum sorbuisset ægra, quieti sese in altera lecti sponda composuit, ibique convaluisse duas ferme post horas reperta *d* : postero luce e lecto excitata, in ipso aditu domus, sermonem miscere cum aliis visa est ab iis, qui eam pridie ut depositam luxerant.

alius eo malo laborare incipiens,

15 Alii non eo se redigi passi sunt; sed malum im ipso sui ortu de medio sustulerunt. D. Octavius Moradel legis peritus, ubi meridiari E desiit, incaluisse se præter solitum sensit : oculos etiam caputque prægravari, æstuare cor, et quod maximo erat indicio, dextrum genu ad inguen usque dolore afflictari. Itaque uxoris suæ monitu in lecto decumbit : hinc vero magis ac magis ingravescit dolor : ad remedia adjiciunt animum. Sed uxor primum omnium ad id, quod recens a Deo fuerat oblatum, confugit. Potandam aquam S. Rosaliæ conjugi offert : qua ille hausta, sedari sibi cordis æstum sensit. Inde cum secundari a Virgine spem vidit suam, tentare alia, digito in aqua intincto loca dolore infesta cœpit contingere : simul ac prima pars tacta est, hinc, velut adversum hostem ferre non posset, aufugit dolor : ille fugientem insequitur, donec continenter fugatus omnis. Cum igitur vacuum se dolore exclamasset, id S. Rosaliæ acceptum retulit, ac placidæ quieti se dedit. Postea nullius adminiculo surgens resedit in lecto, qui paulo ante versare non poterat latus *e*.

rursum alia jam correpta,

16 Similis etiam victoria non absimili ab hoste parta. Glans in inguine existit Hyacinthæ Anfuso, famulæ *f* D. Josephi Roasi sacerdotis spectatæ virtutis : dolor etiam caput, rigor ac febris totum quatiunt corpus. Hic ubi rem oculis ac F manibus mulierum exploratam sensit, posthabitis aliis, ad hæc primum arma confugit : recens enim vulgari cœperat miraculorum S. Rosaliæ fama : audierat etiam eodem die particulam lapidis excisi in antro montis Peregrini in potestatem venisse cujusdam feminæ, quicum sorori suæ consuetudo intercedebat. Hunc postquam ab illa commodatum accepit, vovit etiam rem divinam sanctæ Virgini se facturum : tum aquam a se ipso lapide ac precibus consecratam, bibendam famulæ suæ ministrat. Vovet etiam ægra jejunium; examen vero mulierum, quæ domi erant, et pro sua singulari pietate et sacerdotis etiam jussu in genua procumbens, præeunte illo, statas S. Mariæ Virginis preces submurmurabat : quibus absolutis, quærenti D. Josepho, qui valeret, Meliuscule, respondit mulier, ac videri tumorem decrevisse. Instant igitur precibus; recedentem loco hostem, quibus S. Rosaliæ implorabant opem vocibus, veluti persequuntur. Inter precandum rogata identidem Hyacintha, detumescere sensim tuberculum asserebat, donec dimidio fere quadrante, omnino dissipatum est.

17 His

item alia, g

A 17 His quoque armis ac vocibus alia mulierum manus abegit hostem. Francisca Grutta *g* quindecim annos nata, cum e strato levaret corpus, male affecta sensit inguina: vidit etiam intumuisse aliquantulum. Re primo aspectu levis momenti ac neglectui habita, ad domestica munia obeunda se contulit. Verum circa meridiem, cum non molestiam modo, sed et dolorem traheret, atque adverteret paulo plus tubercula prominere, sitire etiam se vehementer; amicam *h*, quæ domi suæ degebat, de tota re certiorem fecit. Illa fragmento lapidis S. Rosaliæ in aquam injecto, nullo alio ritu adjuncto, nepti non semel propinavit: at, quæ aliis statim salutem attulerat, in rem nihil profecit. Quis divina audeat divinare consilia? forte ut quo magis in aperto esset malum, eo miraculum splendesceret magis. Igitur cum invesperasceret, non solum siti, sed et capitis dolore, et febri æstuare: nigrescere etiam labra, tubera eo magnitudinis procedere, ut quatuor transversos digitos longitudine, digitum latitudine exæquarent: variis etiam maculata coloribus acrem dolorem incutere. B Accedit mater, ac de re tota cognoscit. Quid faciant? quo se vertant? ad medicasne artes, an ad sanctæ Virginis rursus refugiant opem? In altero periculum suberat vel commigrandi in lazaretum, vel per bimestre fere intercludendæ a commercio domus: in altero jam repulsam a sancta Virgine tulerant. Consuluerunt sane aliquanto post meridiem pro foribus medicum, sed suppressa de tuberibus mentione; ut ejus consilia nocumenti forte plus quam adjumenti potuissent afferre.

post secundam invocationem,

18 Consternatæ itaque pari dolore ac metu, omissis illis, tres uno animo mulieres exposcendam rursus S. Rosaliæ opem censent, bonæque spei plenæ, ante papyraceam ipsius imaginem cum animo corporibus quoque prostratis, magnamque lachrymarum vim profundentes, eam exorare contendunt. Ecce autem inter orandum veluti divinitus impulsa ægra ipsa lapide strumas contigit; nec non salutarem sibi lapidis tactum sentit: affirmat omni se capitis et inguinum dolore, tuberibus etiam vacuam. Aliæ vix credunt, ratæ a nimia cupiditate valetudinis assequendæ ea verba proficisci. Oculis igitur ac manibus explorant, uti se res habeat: C vident tantumdem esse omnia, acsi nulla umquam fuissent: quæ tamen paulo ante oculis viderant, manibusque attrectarant. Tum vero admiratione ac gaudio perfusæ, Dei optimi Maximi potentiam, beneficiumque S. Rosaliæ laudibus efferunt. Hæc omnia sacramento adactæ tres ipsæ mulieres retulerunt.

tres consequenter in una domo peste, i

19 Eadem Virginis beneficentia in unam domum sese effudisse visa est; quater *i* etenim invocata, quater adfuit præsens. Nam Dominicus de Bartolo Panormi natus annos septem et triginta, filia sua, contagionis caussa, ad lazaretum deportata, domi cum uxore, reliquaque familia ab aliorum consuetudine sejunctus, ut fit, ab ipso fere publicæ calamitatis initio continebatur. Cœpit etiam ipse gravi capitis atque inguinis dolore tentari horam jam ipsam atque amplius. Eo pressus non humano sibi remedio, sed divino opem contulit: pauxillum apud se aquæ habebat ex ea, quæ stillat in antro S. Rosaliæ; in hanc pulverem etiam ex eodem loco decussum infundit, eoque hausto poculo, implorataque ejusdem Virginis ope, ægritudine continuo liberatus est. Quatuor ex hoc effluxerant dies, cum non similis modo inguinis dolor, sed et febris invasit quadrimum ejus filium Hieronymum: tuberculum etiam in inguine apparuit. Igitur quod parenti saluti fuerat, idem in filio tentatum remedium; nec incassum: propinato illi eodem poculo, et invocantibus cunctis, ipso etiam infante, prout a matre edocebatur, S. Rosaliæ nomen balbutiente, febris una cum dolore, ac tuberculo, quæ per horam incrementum fecerant, prorsus evanuit, optimaque deinceps puer valetudine usus est.

A. Petro Salerno S. J.

ac tertius etiam polypo liberatus:

20 Sed profecto non videbatur pestilens malum domo exturbatum, sed ab uno depulsum alium petere. Sex dierum interjecto spatio, vehemens febris alterum filium Franciscum annos agentem tredecim aggressa est: sed eodem remedio subventum est illi ab optimo parente. Quamvis enim noctem integram febri laborasset, cum prima tamen luce pristina illi reddita valetudo est: nec febris modo, sed et nullius pestis vestigium relictum. Hoc beneficium sancta Virgo alio in eumdem adolescentem confirmari, ceteraque in eamdem domum collata accumulari voluit. Morbus, quem polypum *k* medici vocant, mensem jam ipsum adolescentis oculum male graviterque habebat. Eo ipso die præcipiti, quo filius convaluerat ex febri, freta sanctæ Virginis liberalitate, ac cælestis medicamenti vim experta, E eodem aquæ ac pulveris immixto luto, tamquam novo collyrio, oculos inunxit. Nec spes in irritum cecidit: sequenti die liberum ab omni molestia filium recepit: nec deinceps aliquid ex eo morbo puer, nec alii ex aliis, ex quo S. Rosaliæ beneficio curati sunt, cœpere molestiæ.

sanatio, petita ea conditione, si essent reliquiæ S. Rosaliæ: l

21 Adjiciam ultimo loco singulare quiddam, quod ad faciendam sacris reliquiis fidem, siquis tamen eam post tot conscripta et contestata miracula desideret, plurimum valet. Antonius Vismarra, cum mane cognovisset puerum *l* suum pridie febri, et capitis dolore vomituque jactatum, cum occidente sole in lecto decubuisse, eaque mala etiam tum vigere; veritus maxime ne hæc symptomata, quæ peste tentatis inesse solent, hoc tantum mali domui suæ portenderent, his periculis ea prodigia procurare voluit. Particulam ossis S. Rosaliæ, quæ penes se erat, in aquam conjicit: tum eam non precatur modo, sed etiam obtestatur, ut si os illud ex suis esset, id levanda pueri sui ægritudine planum faciat. Quod sane temere fortasse ab ipso tentatum existimet quispiam; at certo Dei consilio permissum, F ut reliquiarum veritas pateret magis. Igitur ubi aquam hausit æger, seque ac valetudinem suam sanctæ Virginis patrocinio tradit, sedatur continuo capitis dolor, compescitur vomitus, remittit febris.

plura alia prætermissa

22 Hæc fere celebriora in urbe fuere miracula: multa etiam alia vulgata sunt, quibus sua quoque habenda est fides; quæ, ne longum faciam, ut supra monui, silentio præteribo. Illud vero prætermittendum omnino non censeo, multa, ac forte etiam plura esse, quæ in publicum prolata non sunt. Cum enim multi, ne rei familiaris jactura, aliave subirent incommoda, nulla medicorum ope, sed solo S. Rosaliæ beneficio, vel toto illi suscepto, vel lapide adhibito, aut aqua pota, pestem a se ac tota domo depulerint, pestem simul ac miraculum silentio involverunt, ne si se proderent, magistratus offensionem incurrerent, a quo capite plectebantur hi, qui simul ac peste correpti essent, rem ad se non denunciassent sed: quoniam hujusmodi beneficia clausa in pectore teneri

A. Petro Salerno S. J.

neri vix possunt, cum paucissimis ex familiarissimis communicabant. D

ANNOTATA.

a *Cascinus, cui id est miraculum vigesimum sextum, non asserit, quanto tempore in aqua manserit triennis hæc puella, sed solum dicit spatio sat longi temporis fuisse immersam. Et sane, cum nullus viderit illabentem puellam, tempus istud exacte nequit determinari.*

b *Mortua omnino credebatur, ac revera mortuam fuisse existimat Cascinus, idque mihi verisimilius apparet, tum quia omnes initio mortuam credebant, tum quia omnia mortuæ puellæ indicia recenset laudatus auctor. De morte ipsius adeo non dubitabat pater, ut Fratres Minores advocari jusserit ad eam sepeliendam; non vero medicos ad sanandam. Præterea nullum vitæ indicium dedisse legitur, priusquam cum* S. Rosaliæ *reliquiis, audito infortunio, accurreret Francis-* B *cus Christadorus. Scio quidem nonnullos, qui se ceteris hominibus prudentiores credunt, statim dicturos puellam non fuisse mortuam, quia aliqui homines satis diu sub aqua vivunt. Verum, cum plures cito sub aqua moriantur, cumque necesse sit dicere, puellam saltem citius sanatam esse, quam modo naturali potuisse sanari videatur; id solum dici legitime potest, de morte non omnino constare; ideoque in additionibus marginalibus aut vitæ aut sanitati divinitus restitutam asserui.*

c *Hæc gratia item breviter narratur a Cascino tamquam miraculum vigesimum septimum.*

d *Ipse medicus Stephanus Garofalus, teste Cascino, cui id est decimum miraculum, Margaritam post duas a sumpta aqua horas invisit, et sanam reperit, miraculum hoc deinde testatus cum tribus aliis medicis.*

e *Consentit Cascinus, id referens vigesimum tertium.*

f *Id nonum miraculum Cascino, qui exacte hic relatis consonat, nisi quod dicat famulam fuisse in domo Vincentiæ Rouasi, quæ simul cum fratre Josepho in eadem domo habitabat, ita ut utriusque haud dubie fuerit famula.*

g *Sextum hoc est miraculum Cascini, qui ait* C *uxorum fuisse* Josephi la Grotta, *sed annis solum quindecim natam.*

h *Erat hæc ipsius amita vel matertera, Italice* Zia, *et* Vita *nomine.*

i *Sequentia quatuor miracula eodem modo narrat Cascinus consequenter, ac primum ex his ipse decimum tertium.*

k *Cum polypus in naribus oriri soleat, non in oculis; dubitari potest, an non aliud potius fuerit oculorum malum; nisi forte polypus in naribus ortus circa oculum fuerit egressus.*

l *Cascinus vocat* servum, *duodecimque annorum ætate fuisse testatur. Nomen ipsi erat* Jacobus Majorana. *Verisimiliter Salernus per* puerum *designavit servulum. Factum id mense Februario anni* 1625, *ideoque loco octogesimo nono relatum a Cascino, qui temporis ordinem plerumque secutus est in referendis hisce miraculis.*

CAPUT III.

Miracula facta in publico peste infectorum valetudinario.

Sed jam quæ in lazareto patrata sunt, scribere aggrediar. Nympha Gentilis Panormitana, annum agens octavum supra vigesimum, adeo fuerat veneno pestilentiæ imbuta, ut in plures id evomuerit corporis partes. Ex inguine tuber erupit: sinistrum pedem papula ulceravit: suram quoque majus ulcus fœde corruperat, in quo venenum maxime prodebatur. Constituerant medici tibiam omnino resecare. Itaque infelix mulier, et futuri hujus cruciatus metu, et ceteris animi corporisque oppressa doloribus, dies noctesque in lachrymis ac querelis ducebat insomnis. Curandis in lazareto animis operam dabat P. Adrianus E a Panormo ex Observantium S. Francisci familia. Hunc rogat conspicata mulier, ut aquam S. Rosaliæ ministraret sibi: obsequitur ægræ studio ac pietati Pater, nec aquam solum, sed et pulverem largitur ex eodem antro petitum, ut eo ulcus aspergeret. Mira res! Hoc solum adhibito medicamento vesperi, implorataque S. Rosaliæ ope, ita convaluit, ut postridie chirurgus eam de more invisens, nihil, cui mederetur, invenit: ac biduo omnis omnino mali expers fuit *a*. *Sanatio pestis,* *a*

24 Francisca de Arco, Panormi itidem nata, annos novem et decem, æstuante febri, ac duobus tuberibus, eo loci redacta erat, ut medicorum auxilio, sensuum usu, ac viribus derelicta, prope abesset a morte *b*. Assidebat ei Nympha Gentilis, quam modo S. Rosaliæ beneficio curatam diximus; hujus accitu propere accessit P. Adrianus, idem ille, de quo supra diximus, qui Christiana monita moribundæ suggeret, inter quæ illud inculcabat, ut S. Rosaliam identidem invocarent; neque hoc solum officii præstitit, sed et S. Rosaliæ reliquias capiti imposuit, et aquam magno labore in os ejus, quam omnes defecerant vires, glutiendam ingessit. Igitur reliqua nocte F cum integris sensibus non uteretur, et sanctam Virginem, uti monebatur, et Nympham Gentilem etiam promiscue compellaret, mulierem sibi videre visa est sanctimonialem cultu corporis habituque referentem, atque ita sibi amanter affari: Nympham Gentilem amplius ne appelles: super genua mea procumbe, ac somnum cape: jam vales, jam morbo libera es. His auditis, dormire re ipsa cœpit: prima vero luce experrecta, valentem se ac febri, et tuberum omnisque omnino expertem mali cognovit. Deinde cum monialem illam, cujus oblectata colloquio fuerat, toto nosocomio quæritaret, negotium etiam dedisset aliis, ut sicubi eam offenderent (verbis eam describebat) ad se ducerent, ut gratum illi præ se ferret animum; nullam similem ore, habituque reperire potuerunt. Unde aperte intellexerunt et colloquii et salutis tam subito acquisitæ auctorem non aliam, præter sanctam virginem Rosaliam fuisse. *alia cum visione prævia,* *b*

26 Curvanus

A *tertia cujusdam pro mortuo habiti ac feretro impositi,*

25 Curvanus Curvaia in solius divinæ gratiæ spe ægris in lazareto opitulandi laborem periculumque susceperat. Post aliquot vero dies magnum suæ charitatis fructum cepit, ut Dei caussa pestilentia conficeretur. Sex etiam papulis totum fere suppuraverat corpus; quarum unaquæque lurida ac virulenta, magnitudine etiam dimidio palmo parvo: ex singulis semissis putridæ carnis rescissus. His itaque doloribus absumptus, cum nec somno nec cibo refici posset, adeoque dolorum acerbitate a sensibus ac ratione advocaretur, ut nec, ubi esset, nec utrum esset, an non esset, plane cognosceret: tandem excessit e vivis, vel certe excessisse existimatus est. Impositus enim feretro est, atque aliis in eo cadaveribus aggestus. Huic pridie, quam moreretur, qui cognatione conjuncti erant, aquam S. Rosoliæ potandam dederant. Et quamquam id tunc e sententia non processisset, quæ tamen erat eorum in Virginem pietas ac fiducia, defuncti etiam corpus, antequam in feretrum inferretur, eadem aqua perfuderunt. Vim, si fas est dicere, sanctæ Virgini attulisse visi sunt, ut eum B vivum redderet sibi. Cum enim jam efferretur, attolit e loculo caput. Exclamant omnes a mortuis excitatum *c*. Id comprobavit eventus: nam febri depulsa, ex vulneribus quoque brevi convaluit: incolumem quippe cum reperit postridie medicus. Is erat religiosus vir ex familia S. Francisci, quæ S. Luciæ cœnobium in suburbio situm incolit, qui ante hunc diem vita functum eum viderat.

item alterius jam feretro elati:

26 Nec minus mirandum est, forte etiam magis, quod adjungam. Joannem Dominicum Liziardum cum septem dies maligna macerasset febris, Sacramentis omnibus rite expiatum ad insaniam prius, quam ad mortem adduxit. Malo cum genio agitari dixisses, ita febris æstu debacchabatur. Nec injicienda solum manibus pedibusque vincula, sed defixis etiam humi clavis, ac lignis colliganda, ut membra omnia coercerentur. Quæ etiam abrumpere cum conaretur, latus sibi ac terga, colliso in terram corpore, sic laceravit, ut suo ipse sanguine obrueretur. Demum loquendi ac sentiendi facultate deperdita, decem et quatuor horas *d* mortuus, vel mortuo simillimus, in lecto distentus est. Qui funera curabant, rati eum exhalasse animam, feretro impositum efferunt. C Parum aberant a nosocomio, cum ille motum ciere nonnullis visus est. Exclamant hi rei gravitate permoti. Quibus vocibus excitus P. Adrianus ad feretrum pergit: jubet deponi corpus: apponit illi reliquias S. Rosaliæ, et aquam iis sacram in fauces ægri tandem infudit. Cum aqua infudi visus est iterum animus. Ita qui exanimatus jacebat, repente revixit, ac brevi integram valetudinem recepit.

alius item peste liberatus e

27 Adolescens quidam, Joannes Baptista Mignuni *e* nomen est, valetudine a sancta Virgine supra humanas vires quasi præmii loco suæ in parentes pietatis accepit. Hic pubertatis annos tum primum attingens, florentem vitam abrumpere eorum caussa, a quibus eam acceperat, præoptavit. Eos in lazaretum contagionis caussa ductos sequutus est, ut officium iis præstaret suum. Nec multum intercessit temporis, cum contagionis particeps factus est. Itaque febris ac tuberum molestia duos ipsos dies cibum ac potum adversatus, jam inedia contabescebat. Sed sumpta S. Rosaliæ aqua evanescentibus strumis, febris etiam abscessit, ac postridie sospes repertus est. Ita confirmarunt parentes ipsius et cum aliis Raimundus Peres. *f*.

A. Petro Salerno. S. J. *alius ter sanatus: f*

28 Sed hic non solum alieni miraculi testis, sed etiam sui conscius non semel fuit. Incolumis hic in lazaretum quasi in ergastulum, judicum sententia, conjectus fuerat, ut cum capitis sui periculo coquum ageret. Et quidem ter peste tentatus, ac toties in summum vitæ discrimen adductus, ac Sacramentis omnibus rite lustratus, ex primo et secundo morbo precibus obsecrato S. Rosaliæ ejusque hausto salutari populo, evasit incolumis. Tertium vero cum obstructis duplici glande faucibus non modo quidpiam alimenti, sed ne guttulas quidem aquæ S. Rosaliæ sorbere posset, apposita gutturi chartula, in qua pulvis ex antro ejusdem Virginis collectus continebatur, ut quem veluti conserta manu perimere hostem nequiverant, obsidione premerent, ea sane non diuturna, sed brevissima, expulerunt.

grave gutturis malum sublatum in muliere moribunda:

29 Sed enim in alia cominus idem expugnatus hostis. Prudentia Bandis propter solam contagionis suspicionem ad lazaretum deducta, paucis post diebus re ipsa febri atque angina acerrima ita ægrotavit, ut multos dies a cibo abhorreret: et quamquam ommisso paxillo reserarent palatum, vis tamen deglutiendi nulla erat, sed potius quidquid cibi, quamvis delicati, in os E ingerebatur, continuo repellebat. Addebatur his malis etiam phrenesis, quæ miseram insanire cogebat *g*. Desperata itaque a medicis curatione, quartam jam horam extinctæ similis jacuerat; cum adest vocatus idem P. Adrianus, præsentique remedio succurrit ægræ. Aquam S. Rosaliæ in os instillat. Magna profecto hujus aquæ vis, cui extemplo cessit hostis, qui omnibus medicorum artibus, omnibus amicorum machinis ante restiterat. Auribus etiam percepere, qui intererant, P. Adrianus ipse, Jacobus Recepertus, et ejus uxor excitatum per fauces strepitum quasi sublati obicis, qui meatus intercludebat, vel potius mortis obmurmurantis, quæ guttur elidere paratum habens, invita recedebat. Ab aliis quoque mors eadem, aliis appropinquans viis, rejecta est.

sanata pestis, h

30 Maria de Carolo *h* pestifera febri ac glande sub ala prominente confecta, Sacramentorumque omnium præsidio munita, hausto S. Rosaliæ poculo, ab imminente morte servata est. Quod ipsa de se, et qui assidebant, P. Adrianus et Catharina Calcaterra solito jurejurando affirmarunt. F

grave vulnus, i

31 Verum hæc eadem Catharina de se aliud quoque miraculum prodidit, Siquidem illi ingens lapis, e tecto delapsus, in caput cum irruisset, et ipse bifariam fractus est, et ei vulnus infregit, quo illa concussa attonitaque similis cecidit. Deinde receptis sensibus ita ex capite et genis dolore angebatur, ut nullus cibo aut quieti capiendæ daretur locus. Una cum ea tum fuerat Agatha Consolincis, ab ictu tamen immunis. Hæc S. Rosaliæ opem identidem pro sociæ salute flagitabat. Iter illa commode fecit P. Adrianus: qui fusis de more ad S. Rosaliam precibus, admovit capiti ipsius reliquias aquam etiam propinavit. His solum, nec aliis usa medicorum remediis, mulier ita convaluit, ut statim et cibo et potu se reficeret, nec ulla deinceps adhibita vulneri cautione, aut quicquam ea de caussa cibo ac potioni parcens, nihil ex eo acceperit detrimenti.

febris periculosissima, k

32 Hæc eadem de alia Agatha *k*, cui Fontanæ cognomen datum, testata aliud miraculum est.

A. PETRO SALERNO S. J.

est. Nam vi febris ad extremum vitæ diem adducta, abjecta omni humani remedii spe, hausto solum poculo S. Rosaliæ, proximo die, qui extremus illius vitæ medici judicio esse debuerat, non viva solum, sed omnino incolumis reperta est; idque constat non Agathæ solum, de qua diximus, sed et medici, et P. Adriani, et quotquot in eo lazareto agebant, testimonio.

pestis iterum: l

33 Idem Virginiæ Valenzuni *l* beneficium datum, cujus in coxa sturmæ duæ ad mali medici magnitudinem intumuerant. Febri etiam vexata non delirare solum, sed ita etiam furere cœpit, ut catenis esset compescenda. Extremum spiritum jam ducebat, sed S. Rosaliæ beneficio usura vitæ prorogata est. Vesperi epota aqua, postridie mane strumis ac febri vacua reperta est.

mulier bis peste, ac tandem vexatione dæmonis, m

34 Neque his solum finibus cælestis hujus aquæ vis continebatur, ut ab ægris corporibus morbos, sed etiam ut cacodæmones ab energumenis expelleret, magnam habuit vim. Utriusque in una muliere periculum factum. Catharina Samnoata *m* cum semel atque iterum in pestem incidisset, ac duorum tuberum curatione, quorum alterum mali cydonii magnitudinem B æquabat alterum longe superabat, sævis fuisset doloribus excruciata; bis etiam S. Rosaliæ aqua, non epota, ut ceteri, sed infusa solum ulceribus, sic valuit, ut non solum pedibus iter faceret, sed cursum etiam, nescio qua data occasione, capesseret. Sed his perfuncta malis, molestiore alio ac diuturniore torquebatur. Plures annos *n* in eam septem cacodæmones exercuerant dominatum; audisses sæpe mulierem literarum rudem eorum opera Latinos Græcosque sermones ferere. Sed nihil in hoc litterarum ludo molestiæ, nisi ad verbera ac tormenta ventum esset. Biduum sæpe, vel quatriduum, quandoque etiam septem ipsos dies a cibo miseram prohibebant. Quod si capere permisissent, retinere tamen sæpe non permittebant. Nunc sanguinis copiam ex variis corporis partibus exprimebant: alias mortis metū subigebant, ut intempesta ac nivali nocte e strato se proriperet. Præstigiis etiam infesti erant, si quando ad templum ibat ut rei divinæ interesset: sacrosanctæ Eucharistiæ, et mulieris etiam, quacum quatuor et decem annos familiarissime vixerat (Angela de Todaro appellatur) eam sumentis eripiebant aspectum. Fuit, quando filium ab ulnis C miseræ matris avulsum in Terram impingerent. Demum faucibus aliquando vim intulere, ut suffocarent.

quæ diu duraverat, liberata

35 His atque aliis multis dirisque agitata modis, quos enumerare supervacaneum esset, ad Drepanitanum Deiparæ Virginis templum, tamquam ad munitissimam arcem confugit, ut ab ea tyrannide liberari posset. Sanctam etiam virginem ac martyrem Christinam, hujus urbis patronam, oravit sæpe, nec exoravit tamen; sæpe sacris carminibus a religiosis viris, aliisque, qui in eo officio die multumque versati sunt, adjurati dæmones, nec expulsi: scilicet huic Virgini hæc palma servabatur. Alios enim aliis temporibus ex sanctis suis honore cohonestat Deus. Itaque S. Rosaliæ reliquiis consignata aqua, atque hausta, manus, illa dæmonum ejecta est, nec ullam deinceps mulier ab eis injuriam passa, neque impeditia, quominus libero S. Eucharistiæ frueretur aspectu. Hoc ipsamet jurejurando asseruit. Idemque confirmant mulieres duæ Vincentia Sansuni et Angela de Todaro, de qua supra meminimus.

36 Sed jam miraculorum narrationi, non mi- D raculis finem imponam tum sectandæ veritatis studio, tum vitandæ legentium satietatis, quam multarum rerum ad idem pertinentium similitudo et copia parcere solet. Brevi tamen perstringam omnia. Sex et quadraginta numerantur, qui adhibitis sanctæ Rosaliæ reliquiis, vel aquæ potu, vel alia ratione ipsius ope implorata, præter naturæ modum ac vires curati sunt. Et quidem fere omnes a gravissimo ac lethali pestilentiæ morbo utpote in loco ei curando destinato, atque ab instantis jam mortis periculo, in quod plerumque pestilentiæ virus solet adigere: plurimi vero patris Adriani opera, qui sanctæ Rosaliæ reliquias, ut præsentissimum hujus veneni amuletum, vel aquæ calicem, ut antipharmacum, toto nosocomio circumferebat, adeo ut salutem ac vitam omnium in manu sua habere videretur.

multa alia prætermissa.

ANNOTATA.

a *Consonat Cascinus, cui est miraculum quinquagesimum.*

b *Intra duas horas morituram, dixerant medici, teste Cascino, qui id eodem modo refert loco quinquagesimo sexto.* E

c *Septuagesimum septimum hoc est apud Cascinum, qui sine ulla dubitatione mortuum fuisse asserit. Verisimile est, revera mortuum fuisse, cum diu pro mortuo habitus sit; attamen mors non omnino est certa: at certum, non potuisse modo naturali tam cito sanari, quam sanatum testantur. Asserit enim Cascinus, reportatum fuisse ad lectum, ibique bene dormivisse ea nocte, ac sequenti die sanum inventum.*

d *Testatur etiam Cascinus, cui est septuagesimum quartum, quatuordecim horis pro mortuo habitum fuisse.*

e Mangione *scribitur a Cascino, qui id habet septuagesimum.*

f *Cascinus vocat* Jacobum Raymundum, *narrans triplicem ipsius sanationem loco* 61, 62 *et* 63. *Forte nomen fuit* Jacobus Raymundus Peres.

g *Consentit Cascinus, apud quem est trigesimum octavum.*

h *Hoc narrat Cascinus quadragesimum septimum eodem plane modo.*

i *Eadem habet Cascinus loco octogesimo.* F

k Angela *hæc nominatur a Cascino, cui hoc est miraculum quadragesimum quartum.*

l Virginia Valente *apud Cascinum, ubi est miraculum trigesimum nonum.*

m Catharina Samorcata *scribitur apud Cascinum, qui geminam pestis sanationem, pulsumque dæmonem consequenter narrat, ut tria beneficia, quorum primum est quinquagesimum primum.*

n *Septemdecim annos ita vexatam fuisse, asserit Cascinus.*

APPENDIX

A

APPENDIX

Miraculorum ac beneficiorum.

CAPUT I.

Reliqua miracula seu beneficia, quæ præter prædicta Cascinus retulit lib. 1 cap. 12.

Præmonitio ad sequentia miracula ex Cascino collecta :

Centum S. Rosaliæ *beneficia, inter corporis inventionem ac approbationem facta, juratisque testimoniis confirmata, narravit Cascinus lib.* 1 *cap.* 12, *ut jam ante monui. Ex hisce sua collegit Salernus, prout mox data sunt, causas reliqua omittendi has allegans :* Sed jam miraculorum narrationi, non miraculis finem imponam, B tum sectandæ veritatis studio, tum vitandæ legentium satietatis, quam multarum rerum ad idem pertinentium similitudo et copia parere solet. *Tum quadraginta et sex miracula uno verbo perstringit. Verum quæ ille prætermisit, forsan magis præ festinatione, quam alia de causa, ex Cascino breviter colligere statui. Ut autem id majori brevitate fieri possit, atque ut adjuncta quædam minus necessaria, aptius resecentur ; non ipsa ejus verba Latine reddam, sed facta ab eo relata meis verbis fideliter exponam, nihil prætermissurus, ex quo major aut minor miraculorum evidentia valeat cognosci; ordinemque secuturus, quem ipse secutus est auctor, iis solum prætermissis, quæ relata sunt ex Salerno. Porro prævie hic observo cum Cascino, tempore corporis inventi varia variis obtigisse, ad* S. Rosaliam *utcumque spectantia, eaque multis fuisse salutaria : cum enim disruptus est lapis, in quo sacra ossa erant abscondita, alii nonnullas ossiculorum, alii lapidis particulas sibi clanculum vindicarunt : alii vero nonnihil de terra lapidi vicina, alii de aqua ibidem stillante quidpiam* C *desiderarunt. Horum omnium usus, seu potius fiducia, qua hisce utebantur, mire profuit ad quælibet impedranda beneficia.*

sanati hydropica,

2 *Ipso inventionis die, seu* XV *Julii anni* 1624, *Franciscus Ricca, cui custodia turris in monte Peregrino demandata erat, virtutem* S. Rosaliæ, *quam dudum amaverat, feliciter expertus est. Cum adesset corporis inventioni, quidpiam ossiculorum secum tulerat, domumque reversus, illud aquæ imposuerat. Hanc deinde aquam inflatis cruribus uxoris suæ Petronillæ dudum hydropicæ applicuit : atque ea continuo sanata est. Idem Franciscus* S. Rosaliæ *attribuebat aliud beneficium ; quod ut minus clarum prætermitto. Hoc primum apud Cascinum.*

peste laborans,

3 *Secundum eodem die patratum narrat in hunc modum. Carolus Cardona, quindecim annorum juvenis, ex febri, dolore capitis, carbunculisque tribus, peste infectus deprehendebatur. Avunculus ipsius D. Franciscus Burchi, accepto frusto lapidis sepulcralis* S. Rosaliæ, *consecravit aquam, cui illud imposuit. Hanc aquam vesperi æger sumpsit, et mox dolore liberatum se sensit ; nec ullum sequenti die inventum pestilentiæ vestigium.*

Ex Cascino.

mulier variis malis affecta,

4 *Tertio ante jam relato, transeo ad quartum, quod contigit die* XX *Julii, atque ita refertur. Francisca, uxor Francisci Balsamo, annos nata triginta octo, variis simul gravibusque premebatur malis, videlicet animi deliquiis, capitis doloribus ac stomachi, gravi sudore, febri vehementi, cordis palpitatione et vomitu. Hæc omnia oriri credebantur ex impressione pestifera, quam contrahere potuerat occasione rhedæ infectæ, missæ ad vehendum corpus mortuum. Quidquid autem sit de causa infirmitatis, sumpsit illa aquam a marito oblatam, cui lapis sæpe laudatus erat impositus, præmissa oratione Dominica et salutatione Angelica, ac subito integram sanitatem est consecuta.*

alius stomachi dolore,

5 *Relatum modo beneficium alteri, quod quintum est apud Cascinum, occasionem præbuit. Joannes Dominicus Costa, eodem fere stomachi laborans malo, cum audisset sanationem prædictæ Franciscæ vicinæ suæ, eamdem aquam flagitavit, præmissisque iisdem precibus, contra malum suum eam potavit, ac statim sanatus est.* E

laborans febri pestilente,

6 *Josephus Schifano notarius pestilenti laborabat febri, ideoque tamquam suspectus de peste segregatus erat. Eo ipsum perduxerat vis morbi, ut medici judicarent non superfuturum, nisi ad quinque aut septem horas. Verum cum uxor ipsius aquam* S. Rosaliæ *accepisset, maritoque bibendam dedisset ; hic dormire cœpit, ac mane tam belle habere a medicis inventus est, ut triduo prorsus fuerit sanatus. Hoc beneficium, quod præcedentibus minus subito obtentum est, undecimum est apud Cascinum.*

duæ aliæ eodem malo affectæ

7 *Duodecimum, quod geminum est, sic narrat :* Eodem fere modo ac eadem aqua sanatæ sunt soror Salvatoris Basilico, et filia Vincentii Panicola, quæ ob febrem pestilentem ac mortiferam segregatæ erant, et ad extrema deductæ.

quinque vulneribus laborans,

8 *Uxor Andreæ Montalto quinque habebat vulnera in una mamilla : huic quinquies applicuit frustum lapidis sepulcralis Sanctæ, et sana fuit. Id decimum octavum apud Cascinum.*

febricitans,

9 *Sequitur decimum nonum, hoc modo relatum. D. Antonius Agliata, septemdecim annorum juvenis, laborabat frigore, febri ac capitis dolore. Sumpsit paululum aquæ, stillantis in spelunca* E *montis Peregrini, cui admixtum erat quidpiam terræ sepulcro vicinæ. Dormire deinde incipit, auditque in somno se moneri, ut sanus surgat, quemadmodum fecit.*

calculo laborans.

10 *D. Petrus Valdina, marchio della Rocca, annorum viginti et octo, gravem lateris dolorem ex calculo ortum sibi abstulit brevissimo tempore, postquam lapidem sepulcralem sibi applicuerat : ipsumque calculum sine labore effudit sequenti die mane. Id vigesimum.*

lapsus in puteum mirabili modo servatur illæsus :

11 *Loco vigesimo primo observat auctor, varia beneficia contigisse in domo D. Josephi del Bosco senatoris Panormitani, qui cum aliis deputatus fuerat die* XVI *Julii ad montem Peregrinum, ut de inventione cognosceret. Primum, quod eodem die contigit, ante cum inventione corporis narraverat hoc fere modo. Carolus di Palermo, duodecim circiter annorum puer, cum pueris aliis ludebat in area domus prædicti senatoris ; cum inter ludendum subito retrocedens, in puteum, qui ibidem erat, capite deorsum verso se incogitans præcipitat. Cum autem de invento* S. Rosaliæ *corpore audivisset, nec tamen no-*

minis

Ex Cascino. *minis recordaretur, inter cadendum Sanctam invocavit his verbis :* O Sancta, quæ nunc inventa es, adjuva me. *Mox se in puteo deprehendit recto corpore pedibus insistens sine ulla læsione. Ad cumulum beneficii accessit, quod statim invenerit funem, quo vinum dimittebatur in putei aquam frigidam, eoque apprehenso tam agilis fuerit, ut sine ullo alicujus subsidio ad summitatem putei pervenerit, atque illæsus exiverit.*

pestis sanatur in puero, 12 *Alterum beneficium loco ante assignato sic refertur. Hieronymus, filius Josephi Curmaci, sex annorum puer ex familia domini del Bosco, febri laborare cœperat, atque alia pestis indicia in corpore circumferebat. Data est puero aqua, qui lapis sepulcralis erat immissus ; et mox melius habere cœpit, atque intra horam omnino convaluit.*

item in viro. 13 *Deinde ipse D. Josephus, cum die 1 Augusti ratione officii sui multum fuisset occupatus negotiis peste laborantium, vesperi se debilitate, frigore, capitis dolore, vomitu, ac demum febri et tumore pestilente in inguine correptum advertit. Circa mediam noctem, cum quietis expers esset, ad patrocinium* S. Rosaliæ *confugere* B *statuit : sumptamque particulam lapidis, cui nonnihil quoque ossis* S. Rosaliæ *adhærebat, loco corporis inflato applicuit, Sanctam simul magno affectu invocans. Paulo post lapidem amovens, et tumorem abactum deprehendit, et febri omnique dolore caruit.*

Multi 14 *Hinc transeo ad vigesimum octavum Cascini, quod primum contigit in publico valetudinario infectorum mense Julio anni* 1624. *Joannes Thomas Ferro, novemdecim annorum adolescens, febri pestilenti ad extrema redactus erat intra duos dies. Verum cum unus ex eremitis montis Peregrini nonnihil reliquiarum* S. Rosaliæ *eo portasset, aquamque, cui illæ fuerant impositæ, ægroto bibendam dedisset, hic subito integre convaluit.*

alii 15 *Eodem tempore infans Margaritæ lo Preste, febri tumoreque laborans pestilente, aqua* S. Rosaliæ *sumpta, intra duas horas febri, tumore, omnique malo liberatus fuit.*

peste 16 *Josephus Jonico, adolescens quindecim annorum, peste eo erat adductus, ut desperatus ac derelictus a medicis jaceret in valetudinario.* C *Advocatus ad moribundum P. Adrianus ex tertio Ordine S. Francisci, jam supra sæpe laudatus apud Salernum, aquam ei porrexit reliquiis Sanctæ consecratam. Qui quatuor diebus nec manducare nec bibere potuerat, hanc aquam sumere potuit, sumpsitque tam feliciter, ut subito convaluerit.*

magis 17 *Franciscus Barone, triginta annos natus, febri ac tumore pestifero jam sensuum usu carebat. Data ei nihilominus aqua frequenter laudata, eademque loco corporis affecto aspersa fuit. Mox cœpit dormire, ac brevi convaluit.*

minusve 18 *Nardus Montalbano, cum peste non admodum maligna laboraret, votum nuncupavit* S. Rosaliæ ; *et tunc, etsi jam ad veletudinarium destinatus fuisset, tandem relictus est domi. Verum redeunte post mensem fere malo pestilente, rursus invocavit sanctam Virginem, aquamque ejus et loco affecto applicuit et bibit : ac mox tumore febrique liberatus est, et sanus permansit.*

laborantes, 19 *Hieronymus Scarpace, piscator triginta annorum, tam gravi febri tamque horrendis pestis tumoribus laborabat, ut medici malum resecare non auderent, ne hominem occiderent. Desperatus igitur erat, atque extremis Sacramentis ad mortem paratus ; quando F. Joannes* D *Maria Capucinus rogavit chirurgum, ut ægroto resecaret tumorem pestilentem sub axilla. Ille id præstitit ; ægrotus vero invocans* S. Rosaliam, *aquamque ejus bibens, et vulneri applicans, mox cessante febri, sanari cœpit, nec alio usus remedio, brevi omnino convaluit.*

20 *Hieronymus Pileri, natus annos quindecim,* *aut alio etiam malo,* *vehemente febri et gravi gutturis malo sic laborabat, ut triduo cibum capere non posset. Cum tamen potuisset sumere paululum aquæ sæpe dictæ, Sanctamque pie invocasset, repetita tribus vicibus oratione,* Salve Regina ; *omni liberatus est malo.*

21 *Stephanus Maiorana, annos natus viginti* *et morti* *tres, pestilentia eo deductus erat, ut sensuum careret usu, nec ultra duas horas victurus crederetur a medicis. Huic aquam sacram infudit P. Adrianus, eumque sequenti die carentem febri deprehendit, non tamen sine glande pestilente. Vovit igitur infirmus se curaturum, ut Missa celebraretur : eaque celebrata, omnino se sanum reperit.* E

22 *Josephus Casata, annorum quadraginta et* *jam vicini,* *sex, pestilentem tumorem habebat supra stomachum, sanguinemque vomebat. Jam loquela et sensuum usu ad horam orbatus fuerat eo malo, quando nonnihil ad se reversus, sumpsit aquam* S. Rosaliæ. *Aperuit subito oculos, evomuit malignos humores, at non sanguinem ; locutus est, cessavit febris, ac convaluit. Hoc trigesimum septimum apud Cascinum.*

23 *Transeo ad quadragesimum. Angelica Sta-* *post S. Rosaliam* *rabba, annos nata viginti sex, bis sanata est post sumptam* S. Rosaliæ *aquam ; prima vice ex maligna febri, quando jam erat derelicta a medicis ; altera vice ex quatuor tumoribus pestilentibus.*

24 *Joanna Barcasancio febri et peste sic erat* *diversis* *correpta, ut medici pronuntiarent, sanari non posse, nisi a Deo. Vesperi bibit* S. Rosaliæ *aquam, quæ et locis affectis applicata est : mane vero surrexit sana.*

25 *Hieronyma Licet-domine, annorum viginti* *modis* *et quinque, eodem malo eodemque die laborans, eodem etiam modo sanata est.*

26 *Antonia di Cæsare, a medicis item desperata,* *in vota* F *sequenti die convaluit e peste, sumpta eadem aqua.*

27 *Prætermisso uno, quod datum a Salerno,* *vocatam,* *sequitur quadragesimum quintum hoc modo. Diana di Stephano, annorum viginti septem, bis sanata est, sumpta* S. Rosaliæ *aqua. Prima vice ob febrem malignam et pestis vehementiam deserta erat a medicis, quando sanata est. Altera vice rursus ad extremum deducta periculum, seu peste seu alio malo, quod non exprimitur, subito sanata est, et sequenti die e lecto surrexit.*

28 *Philippa Christiana di Bivona, annos qua-* *subito* *draginta nata, pestilentiæ et febris vehementia a medicis derelicta erat, et sensuum usu destituta, ac jam morti vicina. Ubi vero aqua* S. Rosaliæ *bibenda ei data est, et locis affectis adspersa, subito cessavit febris : at pustulæ pestilentes sunt apertæ, quibus deinde nullum adhibere voluit remedium, nisi aquam ac oleum ejusdem Sanctæ : et sic brevi sanata est.*

29 *Angela di Theodoro, annorum viginti* *aut post breve* *sex, gravi pestilentiæ malo et plaga gravi, e qua vermes scaturiebant, jam a medicis erat derelicta et sensibus destituta, quando nonnihil prædictæ aquæ ori ejus infusum est, plagæque adspersum.*

A *spersum. Hoc facto, rediit ei sensuum usus, cessavit febris; ac plaga etiam brevi tempore est sanata.*

tempus

30 *Joanna Rizza, nata annos triginta, tumore brachium dexterum affligente febrique maligna, evidenti mortis periculo erat exposita. Verum, dum ei maritus nonnihil aquæ* S. Rosaliæ *attulit, ac signum crucis addidit, ipsa simul* misericordiam *unica voce inclamante, disparuit pestilens tumor, febrisque cessans brevi sanam reliquit.*

omnino

31 *Angela Oliva, viginti sex annorum, præ febri vehemente, locisque corporis peste infectis, ad dies quinque cibo caruerat et quiete. Præterea tumor pestilens ei jam abscissus erat, sed alius alio loco natus. Quapropter aquam* S. Rosaliæ *utrique loco admovit, eaque resecti tumoris dolor cessavit, atque alter tumor disparuit : et sic brevi convaluit. Hoc quinquagesimum quartum est apud Cascinum.*

convaluerunt.

32 *Sequitur aliud non minus mirabile, quo hoc caput concludam. Vincentia Bongiorno, quatuordecim annorum puella, febri maligna,* B *varisque ac glandibus pestilentibus, sensuum usum perdiderat, ac desperata erat a medicis. Huic ipsa sancta* Rosalia *dicitur aquam applicuisse, eique moribundæ medicata esse propriis manibus, quemadmodum fere relatum est apud Salernum num. 27 de Francisca de Arco, cujus sanatio apud Cascinum sequitur. Observat autem Cascinus ex duabus hisce sanationibus in valetudinario ortam esse famam, quod Sancta in valetudinario infectos peste sanaret etiam propriis manibus.*

CAPUT II.

Prosecutio eorumdem miraculorum ex Cascino cap. 12.

Ex illis,

Cascinus a beneficio 57 incipit quædam narrare de iis, qui se peste laborantium servitio addixerant in valetudinario. Ex hisce au- C *tem, quod perpetuo expositi essent periculo, nonnulli variis vicibus sanati sunt. Primus occurrit Petrus del Monaco, qui quater sanatus narratur; bis nimirum convaluit ex maligna febri, quæ pestilens credebatur; ac bis item sanatus est, quando manifesta habebat pestilentiæ indicia. Singulis vicibus momento convaluit, postquam lapidem sepulcri* S. Rosaliæ *sibi applicuerat. De coquo valetudinarii ter sanato actum est apud Salernum. Qua de causa ad sexagesimum quartum progredior.*

qui serviebant

34 *Franciscus Consolino octiduo servierat in valetudinario, quando correptus est febri pestilente, quæ intra mensem eo ipsum deduxit, ut derelictus esset a medicis, et ad mortem obeundam presbyter pia eidem suggereret monita. Verum ubi ab eodem sacerdote parum aquæ* S. Rosaliæ *acceperat, cessavit malum, rediitque sanus ad servitium infirmorum* XIV *Augusti. At die* V *Septembris pestis eum jam aperta corripuit : eaque rursum liberatus est potu aquæ atque invocatione* S. Rosaliæ.

peste laborantibus

35 *Bartholomæus Papa inter primos servire cœperat peste laborantibus, atque eodem correptus est malo, quod se manifestabat in sex corporis partibus. At ubi die* XIII *Augusti nonnihil aquæ* S. Rosaliæ *bibisset, eaque partes corporis affectas tetigisset, sequente die sanum se reperit. Deinde pergens servire infectis rursum tanto oppressus est malo, ut et loquelam perdiderit, et supremis morientium subsidiis fuerit munitus. Verum eadem sumpta aqua, iterum convaluit, et quidem subito.*

Ex Cascino.

36 *Joannes Nicoletti ad valetudinarium se contulerat, ut scribæ ibidem fungeretur officio. Laboravit primum vehementi febri, ac deinde peste. At utraque vice saluti ei fuit aqua* S. Rosaliæ.

malumque contraxerant,

37 *Josephus Lombardo missus erat ad valetudinarium tamquam peste infectus, sed ex errore. Verum morbo suo confestim liberatus, infectis servire voluit; et pestem contraxit tam vehementem, ut extrema susceperit Sacramenta. Sumpta quoque* S. Rosaliæ *aqua, sanus repertus est* XII *Augusti, quando moriturus credebatur. Porro reversus ad servitium infirmorum, peste rursus contracta iterum videbatur ad extremum vitæ deductus; sed sanatus est eodem remedio, quo ante.*

aliqui repetitis vicibus sanati,

38 *Didacus Gandaneri suspectis de peste servierat, maloque illo correptus atque ad publicum valetudinarium erat deportatus. Pesti ac febri tantus accesserat sanguinis vomitis, ut a medicis haberetur pro desperato. Verum ille invocavit* S. Rosaliæ *opem, voto nuncupato de invisenda nudis pedibus spelunca ipsius. Post votum dormire cœpit, indeque manducare : potaque deinde etiam* S. Rosaliæ *aqua, tam cito convaluit, ut post biduum ad mensam serviret eidem medico, a quo derelictus fuerat ut certo moriturus.*

alii semel, E

39 *Rocchus Marchese in valetudinario erat, ut scriberet nomina ægrotantium et defunctorum. Peste febrique ibidem correptus est, eoque deductus, ut desperatus a tribus medicis, extrema susceperit Sacramenta, et jam animam ageret. Verum modica* S. Rosaliæ *aqua sensibus est restitutus, maloque cessante, sine alio remedio sanatus.*

postquam jam fuerant

40 *P. Franciscus Marino Societatis Jesu, cum diligenter assisteret peste infectis, contagium in fronte contraxerat ad partem dexteram, et sensibus jam erat orbatus, desperantibus medicis de sanatione. Verum socius ipsius P. Antonius di Agostino ope* S. Rosaliæ *sanandum sperabat.* F *Quapropter hanc sanctam Virginem invocans, rogabat ut ea gratia dignaretur confirmare apud Siculos veritatem reliquiarum suarum, promittebatque se ad honorem Dei et Sanctæ promulgaturum beneficium : atque ita sacras reliquias admovit ipsius capiti, quod ita erat inflatum, ut nec oculi nec humani capitis figura agnosceretur. Hoc tactu reliquiarum mox melius habere cœpit infirmus : neque tamen vel sic existimabant medici ipsum sanari posse; cumque viderent malum diminui, affirmabant infirmum oculo dextero cariturum. Attamen perfecte tandem convaluit, oculusque eidem fuit salvus, ut integrum esset beneficium, relicta solum ad supercilium cicatrice in gratiæ obtentæ memoriam.*

ad extrema deducti,

41 *Laudatus mox P. Antonius di Agostino pestilentiæ indicia in se ipso deinde expertus est, videlicet capitis dolorem, malam inguinis affectionem; nauseam, et vomitum aliaque contagio propria. Hac de causa jam se præparabat ad mortem pie obeundam, sumptoque manu osse* S. Rosaliæ, *quod secum habebat, ei se commendabat, non ea intentione, ut vitam obtineret diuturniorem,*

aut saltem

Ex Cascino. *niorem, sed potius ut cum Sancta perveniret ad conspectum Creatoris, desiderans, ut corpus suum cum illa reliquia sepeliretur. Cum autem ea proferret, suavem sensit fiduciæ affectum; dixitque cupere se vivum aut mortuum esse cum* S. Rosalia, *at incongruum sibi videri, si os istud Sanctæ, cujus corpus quingentis fere annis sub terra fuerat absconditum, sua causa rursum terræ redderetur: eaque dicens, sacrum istud os reverenter exosculatus est, quando ei subito supervenit sudor copiosus, quo omne malum expellebatur: atque ita dormire cœpit, ac mane surrexit sanus.*

graviter 42 *Fr. Augustinus Kirieleisonne, ex Ordine S. Joannis de Deo, ad infirmorum servitium instituto, serviebat in valetudinario, ubi ter est sanatus. Febri valde maligna liberatus est* XII *Augusti ad solam* S. Rosaliæ *invocationem; et post dies octodecim eodem modo sanatus a grandi tumore pestifero. Verum, postquam ad servitium infirmorum redierat, post dies quindecim gravius relapsus est, et ad extrema deductus. Quapropter locum peste infectum conspersit aqua* B *per lapidem Sanctæ sepulcralem sacrata; et febris omneque malum cessavit, seque subito sanam agnovit.*

laborabant. 43 *Fr. Alphius Marcavia ejusdem Ordinis peste et febri eo deductus erat* I *Septembris, ut nec cibum amplius capere posset, ac deliraret præ mali vehementia, et a medicis esset desperatus. Verum postquam aqua* S. Rosaliæ *ei data fuerat potanda, locaque infecta Sanctæ reliquiis contacta, manducare primum cœpit, ac deinde aliis infirmis de more servire.*

Mulieres eodem fere modo 44 *Sebastiana di Noto, serviens in valetudinario mulieribus infirmis, febri maligna ac tumore pestilente præter modum grandi laborabat adeo, ut destituta esset a medicis, sensibusque orbata, atque animam brevi actura videretur. Verum modica aqua* S. Rosaliæ *ori ipsius fuit imposita, ac tumori pestilenti admota: atque ita sequente mane prorsus erat sanata.*

sanatæ. 45 *Hieronyma Gattusa, quæ ante sanata per* S. Rosaliam, *ut dictum est num.* 189, *occasionem præbuerat sacrum corpus quærendi, cum ex charitate se addixisset servitio infirmorum in valetudinario, contagio afflata fuit, sed ope ejus-* C *dem Sanctæ sanata.*

Aliæ pestis 46 *Post relatas sanationes eorum, qui non nisi ex charitate, quantum scitur, peste laborantibus servire voluerant, Cascinus nonnulla profert exempla, quibus patet, ne illos quidem sanctæ* Rosaliæ *beneficiis privatos fuisse, qui culpa sua tali servitio erant applicati, aut lucri solius intentione serviebant. Hieronymus Canina damnatus erat ad serviendum peste infectis in valetudinario; ibi tam gravi pestilentiæ malo fuit correptus, ut et sensuum usu privatus et a medicis esset derelictus. Verum accepta modica* S. Rosaliæ *aqua, intra horas viginti quatuor convaluit, et sanus surrexit.*

sanationes 47 *Josephus Græco, febri item et peste ibidem laborans, eadem aqua sanatus est.*

in publico 48 *Petrus Pennizza, serviens ibidem ut mercenarius, febri ac peste in multis partibus corporis se manifestante ad extrema deductus est, ac sanctissimis Sacramentis ad mortem præparatus. Verum saluti fuit aqua* S. Rosaliæ, *ex qua nonnihil bibit, et quidpiam locis affectis admotum est. Evanuerunt subito pestilentes tumores uno excepto, qui cum modico dolore quasi pro signo erat relictus; atque hic brevi quoque sine* D *alio medicamento fuit sanatus.*

49 *Dominicus di Messina ad valetudinarium deportatus fuerat infirmus; ibique sanatus aliis laborantibus cœperat servire. Deinde majori cum periculo pestem contraxit, eaque sic laboravit, ut desperatus esset a medicis. Verum data eidem aqua* S. Rosaliæ, *febris confestim cessavit, ac die sequente e lecto surrexit* *valetudinario.*

50 *Hisce subdit Cascinus, multos quoque servatos fuisse in manifestis pestilentiæ periculis, ex quibus unam dumtaxat allegat pro specimine. Vincentius Daidone chirurgus nullum aliud contra pestilentiæ pericula subsidium voluit, nisi lapillum ex sepulcro* S. Rosaliæ, *quem ori imponebat, et sic magno animo fiduciaque de Sancta ad infectos accedebat. Dentem quoque postea impetravit, atque hisce præsidiis numquam contagio afflatus est, etiamsi ex aliis facile triginta obiissent, partim medici partim chirurgi, teste Cascino.* *Chirurgus a peste servatus*

51 *Postea nonnulla beneficia refert laudatus auctor, quæ per reliquias* S. Rosaliæ *impetrata fuere, addita protestatione, Si veræ ipsius essent reliquiæ. Duo jam ex iis dedi cum Salerno. Sequens vero apud Cascinum, ubi nonagesimum est, sic refertur. D. Josephus Ricupri sacerdos laborabat tumore in gutture, cui applicuit particulam memoratorum ossium. Porro non solum petiit, ut sanaretur, si hoc os esset* S. Rosaliæ; *sed ausus est adjungere; se id non crediturum, nisi sanaretur: ac momento evasit sanus.* *quidam sanati in confirmationem reliquiarum:* E

52 *Hæ reliquiæ, quibus eam gratiam obtinuerat laudatus sacerdos, mutuo ei datæ erant a Joanne Baptista di Gregorio, qui earum usu varias a Deo obtinuerat gratias. Primo ipse aliquando sic fuerat cordis dolore pressus cum vomitu, capitis dolore, et pestilentiæ signis, ut se moriturum crederet. Verum admoto supra cor suum sacro illo pignore, momento relevatus fuit et sanus. Secundo ex duabus filiabus ipsius, Victoria et Vincentia, febri laborantibus cum indiciis pestilentiæ, prior subito convaluit tactu ejusdem ossis ac potu aquæ ejusdem; altera vero potu aquæ* S. Rosaliæ, *positoque supra partem affectam gossypio, quod prædictas attigerat reliquias. Tertio Antonia, filiola ipsius triennis, ludebat in platea, cum equus infrenatus pleno* F *cursu sic in puellulam videbatur deferendus, ut ipsa nequaquam evadere posset periculum. Verum matre* S. Rosaliam *invocante, furiosus ille equus subito stetit, mirantibus omnibus. Evidentius est beneficium, quod de eadem puellula sequitur, et non diu post contigit. Labebatur puella e scala viginti graduum, ita ut videretur caput eidem comminuendum. At jam didicerat puella* S. Rosaliam *invocare, et sic evasit illæsa.* *varia alia beneficia per reliquias,*

53 *Hisce duo alia ob similitudinem jungit auctor, sed quæ citius facta testatur. Infans expositus erat equo cursim accedenti, quando mater ipsius invocavit* S. Rosaliam *tanta felicitate, ut equus ille ante ipsum infantem consisteret, quamvis ab altero item accurrente truderetur.* *aut solam*

54 *Franciscus Daidone, filiolus novennis Vincentii Daidone chirurgi ante laudati, labebatur e scala, non per gradus devolvendo, sed a latere, ita ut ob altitudinem scalæ evidens esset mortis periculum. Sed qui cadentem videbant,* S. Rosaliæ *opem implorarunt, atque invenerunt puerum stantem in terra et salvum, modice tamen læsum a ferro, quod e scala in ipsum deciderat.* *invocationem*

ciderat. Porro testatus est infans, quod sentiret inter cadendum, se sub axillis ab aliquo sustentari, ac leviter in terram deponi.

S. Rosaliæ a diversis obtenta.

Duo alii ejusdem cognominis Daidone, ambo febri, vomitu, glandibusque pestilentibus ad extremum vitæ periculum adducti, fuere sanati sola applicatione lapidis sepulcralis S. Rosaliæ *eodem die* XV *Julii, unus spatio viginti quatuor horarum, alter brevi tempore.*

55 *Caput, in quo hæc omnia narravit, Cascinus concludit alio beneficio, ex quo ortum est contentionis aliquid, quod vertit in laudem Sanctæ. Hieronymam di Aragona, infantem infirmam, inspexerant medici atque ex glandibus pestilentibus pronuntiaverant peste infectam. Hac de causa toti domui, in qua habitabant viginti personæ, communi hominum commercio erat interdictum. Sequenti die domus incolæ contenderunt, sibi injuste aliorum commercio interdictum esse, ideoque missus est primarius urbis medicus ad judicandum de illa lite, uno ex prioribus medicis comitante. Adducta est infans, nec ullum in ea deprehensum est pestis indicium, stupente medico, qui signa pestilentiæ in illa pridie agnoverat. Hinc crescente domesticorum contentione contra medicum, hujusque stupore, anceps hærebat medicus primarius, quando mulier aliqua ex interiore domus parte exclamavit :* Dicite, dicite pro amore Dei, et ad laudem Sanctæ, infantem esse sanatam oleo ipsius lampadis. *Ad quam vocem cessavit contentio cum gloria* S. Rosaliæ.

CAPUT III.

Alia miracula et beneficia, relata a Cascino cap. 15 in confirmationem reliquiarum S. Rosaliæ.

Perceptus a multis suavis odor reliquiarum,

Cascinus lib. I *cap.* 15 *mirabilia et beneficia narrat non pauca, quibus veritas reliquiarum* S. Rosaliæ, *jam ante aliis rationibus probata, etiam confirmatur. Cum autem in hisce prolixior sit, quam in ceteris, ea compendio huc ita transferam, ut tamen nulla alicujus momenti adjuncta omittere decreverim. Primum signum, seu liberationem Siciliæ a peste, quia abunde relata est, breviter solum perstringit. Deinde se suavi reliquiarum odore a multis percepto, de quo subinde jam facta est mentio, memorat sequentia. Primo asserit suavem illum odorem perceptum fuisse ab initio inventionis, sed solum a quibusdam, et numquam ab omnibus; seque in diuturna reliquiarum recognitione sæpe audivisse, odorem illum laudari a multis; at semper ingenue confessum esse, a se non percipi. Secundo testatur, se tandem, cum frangeret lapidem, cui aliquod os erat insertum, nihilque de reliquiarum odore cogitaret, improviso tanta suavis incognitique odoris fragantia fuisse perfusum, ut odorem illum nulla odoris terreni similitudine explicare posset. Cum autem ad istum odorem invitaret socios, a nullo tunc fuit perceptus, licet illi aliis vicibus dictitassent se suavem percipere odoris fragrantiam. Idem sibi secunda vice accidisse testatur, et numquam postea.*

Ex Cascino. quæ aquam, cui erant impositæ, etiam fcerunt odoriferam.

57 *Tertio Erasmus Salato, unus e doctoribus medicinæ, qui ad recognitionem reliquiarum fuerunt adhibiti, particulam ossis, cui nonnihil terræ adhærebat, secum domum portavit, atque aquæ imposuit. Hoc facto, aqua ista concepit odorem quasi aquæ rosaceæ, qui a multis fuit perceptus : eaque de causa aqua ista diligenter fuit servata. Addit auctor, idem tam multis aliis contigisse, ut nimis prolixum esset, singula referre. Quarto cum constet aquam rosaceam mutari nonnihil odore et colore, quando affunditur aqua pura; aliqui reverenter experiri voluerunt, an idem contingeret in aqua illa, quæ tantam odoris suavitatem ex impositis* S. Rosaliæ *reliquiis contraxerat. Quare experimentum istud bis sumptum est, præsentibus multis, semel in domo dominæ Vincentiæ Lucchese, probatæ virtutis matronæ, atque iterum in collegio Societatis Jesu. Sumpta est aqua rosacea, eique affusa est aqua pura : mox color aquæ rosaceæ mutatus est et odor imminutus. Allata similiter est aqua, cui odor ex impositis Sanctæ reliquiis inhæserat; eique eodem modo aqua pura est affusa. Verum color hujus aquæ mutatus non est; odor vero adeo auctus, ut ab omnibus non sine stupore jucundo perciperetur magis quam ante. Audierat hæc P. Franciscus Sparacino, nonnullis reliquiarum particulis donatus, ac simile experimentum capere voluit Calataginori in collegio Societatis Jesu. Vasi imposuit lapidis sepulcri* S. Rosaliæ *frustulum, quantum est granum milii ; eique infudit aquam copiosam. Mox aqua illa facta est odorifera instar rosaceæ. Evacuato deinde vase, iterum et tertio exiguæ isti particulæ affusa est aqua pura, quæ toties contraxit odorem rosaceum, præsentibus multis Societatis Jesu Patribus et stupentibus de miraculo.*

Brachii dolor tali aqua subito sublatus :

58 *Porro dubitari nequit, quin hæc occasionem dederint bibendi aquam, cui vel reliquiæ vel lapis sepulcri* S. Rosaliæ *fuerat impositus, uti felicissime contra morbos quoslibet factum, multis exemplis jam didicimus. Inter primos fuit P. Josephus Agostini Societatis Jesu, et socius Cascini in recognitione reliquiarum. Laborabat hic a mensibus tredecim gravi dolore dexteri humeri, isque tantum accreverat, ut difficulter divina Mysteria peragere posset, et minus etiam quietem capere. Itaque sacras* S. Rosaliæ *reliquias aquæ imposuit, eamque bibit, brevi prece præmissa. Vix tantum interfuit spatium, quo pota aqua ad stomachum pervenire posset, cum sentit quasi manu aliena gravitatem humeri sui ac dolorem auferri; subitoque vibrans brachium ac cubiculo exiens, aliis Patribus obtentam gratiam communicare festinavit.*

reliquiæ ab infante mirabiliter honoratæ,

59 *Mirabile est, quod sequitur apud Cascinum, ubi refertur hoc sensu, sed multo prolixius. Vincentius Barbera, architectus civitatis Panormitanæ et pictor, particulam habebat reliquiarum* S. Rosaliæ, *sed eam absconditam servabat, donec lis de approbatione esset decisa. Die* XV *Februarii audivit approbationem esse decretam, etsi necdum esset promulgata. Mire lætatus hoc nuntio, statim eadem vespera cum retiquiis accedit aliquos Patres e Societate Jesu, qui alias Sanctæ reliquias viderant, ut earum audita similitudine se magis securum redderet. Reversus domum, rem communicat uxori, quæ hortatur, ut simul reliquias illas venerentur. Cum autem chartam, qua involutas tenebat reliquias, domesticis omnibus vellet ostendere, infans ipsius Franciscus, octodecim menses natus, quem amila*

Ex Cascino.

ta vel matertera gestabat in brachio, vi cœpit se gestantis brachio evolvere, evolutusque se primus in genua provolvit, manu quoque significans, ut idem facerent alii; deinde vero expedite pronuntiat, sancta Rosalia, *easdemque voces alacritate magna quater repetit, licet antea necdum voces ullas proferre soleret, nisi forte* Mamma *et* Tata: *demum tot gestibus instabat, ut reliquiæ sibi traderentur, ut pater eas in manus daret infantulo, qui eas primus omnium reverenter exosculatus est. Hæc omnium domesticorum testimonio firmata fuisse, testatur Cascinus.*

item ab alia puella, quæ simul sanatur.

60 *Huic simillimum est, quod subjungit, quodque eodem fere tempore factum testatur Puellula tredecim mensium ægrotabat. Hujus pater acceperat particulam reliquiarum* S. Rosaliæ, *qua infantem tacturus accedebat. Infans vero nihil edocta, viso patre, pronuntiat,* S. Rosalia, *in lecto se elevans, ac subito sanatur.*

Varia beneficia

61 *Alterius generis est, quod deinde prolixa narratione exponit Cascinus, quodque brevi compendio huc transfero. Franciscus Morillo Societatis Jesu ex villa quadam redibat Panormum* B *per mare, quando ventus subito factus est contrarius et tam vehemens, ut mare præter modum intumesceret, atque apertum esset naufragii periculum. Timorem augebat nox obscura, quodque cymba amissa esset, dum eam attrahere conabantur, ut in terram evaderent. Quapropter opem* S. Rosaliæ, *quam pia prece salutaverant, dum montem Peregrinum prætemavigabant, implorare cœperunt, et mox prope navem apparuit cymba, nec tamen ea vice apprehendi potuit, quod fluctu vehemente rursum dejiceretur ex oculis. Cum mœsti essent nautæ, hac spe frustrati, cumque cymbam per tenebras quærere non possent; hortante Francisco Morillo, qui* S. Rosaliæ *reliquias secum habebat, at iteratas preces convertuntur, nec frustra. Quippe cymbam viderunt prope navem, eamque invenerunt illæsam in tanta tempestate: nec mora, in cymbam ingressi, remisque adnixi, tam cymbam quam navim, quam ei alligaverant, feliciter ad terram perduxerunt prope montem Peregrinum.*

navigantibus

62 *Huic beneficio alia quædam serius facta subduntur ob similitudinem. Lembus in mari Siculo impetebatur a navi inimica tam propin-* C *qua, ut nec fugere posset nec resistere. Qui lembo vehebantur, ubi agnoscebant periculum, vota fecerunt* S. Rosaliæ, *nec frustra, quantum colligitur ab eventu. Dum enim rectores navis inimicæ vela vertere laborabant ad lembum melius apprehendendum, ita se implicarunt, ut illi interim se longe subduxerit, et feliciter ad terram pervenerit.*

præstita.

63 *Præterea non pauca beneficia navigantibus a* S. Rosalia *fuisse præstita, colligitur e multitudine tabellarum votivarum, quibus ecclesia Sanctæ ejusque spelunca in monte Peregrino jam olim abundabat. Ex his unum narratur hoc modo. Quatuor Patres Societatis Jesu e regno Neapolitano vela faciebant in Æthiopiam: atque inter hos erat P. Josephus Pomo, cui nonnullas* S. Rosaliæ *reliquias dederat Cascinus. Horum navis, bis acri tempestate jactata fuit et periclitata, primum in sinu Joiæ *, qui est in ora Calabriæ ulterioris; deinde prope insulam Capream *, non longe a Neapoli. Utraque tamen vice feliciter evaserunt, et salutem suam attribuerunt* S. Rosaliæ. *Nam in prima tempestate P. Josephus Pomo thecam, in qua erant Sanctæ reliquiæ, funi alligatam immisit mari exiguo sotum tempore, et mox mari tranquillitas rediit:* D *atque eodem fere modo tempestas quievit altera vice prope Neapolim.*

* Gioia

* Capri

Herniæ

64 *Pergit deinde auctor ad alia beneficia, quorum hoc est primum. Quispiam, cujus nomen non indicatur, viginti annis hernia laboraverat insanabili. Hic concepta fiducia de* S. Rosalia, *cujus miracula audierat, pedes adire voluit montem Peregrinum; sed in media via subsistere coactus est, quod vires deficerent. Cum autem tristis sederet, et non sociis modo, sed etiam* S. Rosaliæ *se excusaret, quod iter non posset perficere; animatum se sensit ad iter prosequendum, moxque se sanum deprehendens, mirantibus sociis, reliquum itineris currendo peregit: humillimasque Sanctæ agens gratias, ferreum ligamen, quo uti coactus fuerat, lætus deposuit in monte Peregrino. Factum id est post primam expositionem reliquiarum* S. Rosaliæ *die* IX *Aprilis.*

quorumdam

65 *Eodem malo novem annis vexatus fuerat Fr. Ludovicus a S. Michaele, reformati Ordinis S. Augustini, quando* XXII *Novembris nudis pedibus ad montem Peregrinum ivit, sicut* E *voverat. Postquam summo labore eo pervenerat, gratias egit* S. Rosaliæ *de itinere perfecto, novam simul flagitans gratiam: et mox se malo suo liberatum sensit.*

sanata:

66 *D. Antonius Francione sacerdos simili malo per annos quindecim laboraverat, quando speluncam* S. Rosaliæ *invisere voluit, sperans ibidem se sanandum. Verum sine sanatione obtenta rediit; neque tamen de illa obtinenda desperavit: sed ad alia pietatis exercitia conversus, ligamen, quo semper contra malum se munierat, rumpi sensit: auctaque hinc spe, Missæ sacrificium obtulit, votisque quibusdam nuncupatis, se ita reperit liberum, ut nullo egeret ligamine.*

alia

67 *Honophrius Buonarota laboraverat diu fistula inveterata sub costis, dixerantque medici gravius affligendum infirmum, si illa consolidaretur. Evenit, ut dixerant: clausa fistula, infirmi latera, pectus, aliæque corporis partes tam male affectæ sunt, ut de vita ipsius desperaretur. Cum autem speraret, se sanandum patrocinio* S. Rosaliæ, *in sedili portatus est ad speluncam; ibique Sanctam pie cœpit invocare. Paulo post somno correptus obdormivit; ac sanus deinde evigilavit:* F *nam sponte rursum aperta est fistula, per quam mali humores se exonerarunt, et sic recreatus ac fortis, gratias Sanctæ egit, sanusque et alacer domum rediit.*

corporis mala

68 *D. Philippus Solonia gravi capitis inflammatione visum prorsus amiserat, et jam quinque mensibus, adhibita nequidquam arte medicorum, usu oculorum carebat. Invocata frequenter* S. Rosalia, *de cujus ope fidebat, tandem duci voluit ad speluncam montis Peregrini, eoque pedes pervenit ductoris subsidio. Diu ibidem oravit, ac sequenti etiam die sacra Communione refectus est. Verum, non impetrato visu, domum repetiit, se divinæ providentiæ totum permittens; non tamen sine spe visum recuperandi. Cum autem esset in reditu, pergens semper orare, exclamavit, se, quantum existimaret, videre, et quidem videre* S. Rosaliam: *idem paulo post rursum accidit, audiente ductore, quid diceret, sed nihil vidente. Incertum tamen ipsi erat, an hæc ab imaginatione processissent; an vero etiam oculis corporeis Sanctam ad momentum vidisset. Attamen spes hisce augebatur, pergebatque per viam orationi instare, donec jam tertio*

A *tertio Sancta ipsi appareret, quod factum, quando orationem de ipsa recitabat. Majus hac vice lumen vidit, atque oculis apertis, ita ut non ferens tantam lucem, humi laberetur instar mortui, atque ita jaceret per mediam horam, mirante socio, qui nihil videbat, ac frustra ipsum excitante. Surrexit tandem apertis oculis, et omnia recte cernens. Testatus etiam est se in lapsu illo vidisse* S. Rosaliam, *ac longe clarius quam duabus prioribus vicibus, tanquam fulgur ante se coruscantem, ac vocem audivisse dicentis :* Redi ad speluncam. *Qua de causa statim reversus est sine auxilio ductoris, utpote jam clare videns, ut Sanctæ gratias ageret in spelunca, ubi eodem die cum Eremitis vicini monasterii hymnum* Te Deum *decantavit, ac postridie sacrosanctum Missæ sacrificium obtulit, mirantibus omnibus ac Deum laudantibus, qui cum duobus diebus præcedentibus cæcum ibidem viderant.*

ablata. 69 *Fr. Placidus a sanctissimo Sacramento, Augustinianus excalceatus in conventu S. Nicolai Tolentini, ita laborabat, ut nec alterum brachium* B *movere posset nec collum, atque uno oculo prorsus esset captus et altero parum cerneret. Cum autem pia per conventum institueretur supplicatio cum reliquiis* S. Rosaliæ, *dum hæ ante cubiculum ipsius erant, humi se projecit misericordiam implorans, ac mox de terra surrexit perfecte sanatus.*

CAPUT IV.

Alia beneficia et miracula, a Cascino relata cap. 16.

Dux mulieres peste laborantes

Cascinus *cap.* 16 *narranda suscepit beneficia cujuslibet generis, omissis fere omnibus sanationibus a peste, ex quibus se duo tantum hic exponere asserit, quia reliquis magis sunt insignia ob adjunctam apparitionem. Primum est de muliere, quæ septemdecim diebus peste laboraverat, quæque morti tam videbatur propin-* C *qua, ut jam mandatum esset, ut carrus veniret mane ad corpus ipsius avehendum ad sepulturam. Venit statuto tempore carrus, sed mulier sana exierat lecto : narrabatque se nihil sumpsisse, nisi parum aquæ, terræ et lapidis sepulcri* S. Rosaliæ : *Sanctam vero noctu sibi apparuisse, factoque supra se crucis signo, sanitatem momento reddidisse.*

ab apparente Rosalia sanatæ ; 71 *Alia gravi quoque laborans pestilentia, noctu vidit formam beatissimæ Virginis Matris Dei, ac cum ea aliam Dominam admodum speciosam* (ita nominabat S. Rosaliam, *inquit Cascinus.) Hæc infirmæ appropinquabat. At ea clamabat, ut abscederet, aut saltem aceto se lavaret, nimirumne peste afflaretur. Respondebat illa, nullum esse periculum, et ne ipsam quidem morituram. Tum propriis manibus tetigit quinque corporis loca peste infecta, eademque lavit : aquamque infirmæ bibendam obtulit, dicens sic sanandam, quemadmodum revera contigit, Sancta eidem rursum apparente, eamque juvante. Ab hisce ita enarratis ad alia progreditur laudatus auctor.*

multi 72 *Josephus li Moli filiolam habebat quadrimam, Annam nomine, filium vero duodennem Matthæum. Illa febri laborabat acutissima, filio gravis dentium dolor nullam concedebat quietem.* Ex Cascino. *Pater pro medicina utrique applicuit aquam* S. Rosaliæ *sæpissime jam memoratam, qua filiola intra tempus matutinum convaluit, et filii dolor momento fuit abactus.*

a morbis 73 *Gratia Casale calculo tam graviter affligebatur, ut morituram se crederet. Applicuit lateri dextro reliquias* S. Rosaliæ ; *et dolor mox cessavit : ac paulo post lapillum ejecit notabilis magnitudinis. Similis gratia obtigit P. Francisco Guidara Societatis Jesu, qui antea fuerat medicus. Hic etiam calculorum dolore graviter cruciabatur, quando adhibitis frustra medecinis, reliquias* S. Rosaliæ *sibi applicuit. Intra spatium, quo psalmus* Miserere *bis posset recitari, cessavit dolor : deinde post mediam horam aut paulo amplius calculum effudit bene magnum, quem minores secuti sunt postridie.*

variis 74 *Vincentia, uxor doctoris Pompilii di Anastasio, ossiculum per guttur eo usque dimiserat, ut inhærente ossiculo suffocanda videretur. Tanto exposita periculo, ac memor* S. Rosaliæ, *mox conabatur dicere,* S. Rosalia, adjuva me, *sed voces formare non satis poterat ob difficultatem respirationis. At recordata, se aliquid secum habere de lapide sepulcri* S. Rosaliæ ; *illud mox profert, ac gutturi admovet, Sanctam simul mente invocans. Mirabilis sane gratia ! simulac frustulum istud lapidis guttur attigit, ossiculum, quo suffocabatur, per os ipsius exsilit ad spatium trium palmorum, repertumque est tinctum sanguine, quo præstantia beneficii clarius appareret.* E

et mortiferis 75 *Hujus filiæ Nymphæ, quæ nupta erat doctori Fabritio Scarfelotti e San Basilio, non minor collata fuit gratia. Hæc acuta febri, per decem dies noctesque continuata, ad extrema erat deducta, nec confiteri poterat ob perpetua deliria. Aderat confessarius e Societate Jesu, sed ne per signa quidem impetrare poterat tantum, ut absolutionem auderet impertire, quod non loquela modo, sed sensu quoque esset orbata. Qua de causa ad preces, et præcipue ad patrocinium* S. Rosaliæ *confugerunt præsentes : ac primo nonnihil aquæ sæpe dictæ ori infirmæ per vim aperte infuderunt; ac deinde Sanctæ reliquias eidem admoverunt. Nihil tamen eo die videbantur proficere, nisi quod infirma os aperuerit ac semel iterumque dixerit,* Sancta Rosalia, *quibus vocibus in spem erecti sunt præsentes. Tota nocte sequente in tali mansit statu, ut quinque medici, qui infirmæ assistebant, deinde testati sint, se cogitasse non supervicturam ultra horam unam. Inter illos proprius ipsius frater, qui numquam aberat, affirmavit, se decem facile signa lethalia in sorore sua deprehendisse. Verum quando aurora sequentis diei aderat, et illucescebat, audita est alta voce matrem aliosque vocare domesticos, quibus dixit :* Sum sana per gratiam S. Rosaliæ. *Deinde subjunxit :* Non auditis musicam ? Audite, audite angelos. *Non credidit sanam mater, quia verba illa minus expedite proferebat ; sed delirantem haud dubie existimavit. Cum tamen et confessarium desideraret ; ille vocatus cito adfuit, et melius loquentem, ac recte confitentem invenit. Hisce erectus in spem maritus quædam Missæ sacrificia curavit offerenda ; uxoremque oleo lampadis* S. Rosaliæ *ungendam. Hac unctione tam cito convaluit infirma, ut cibum sumpserit, et sine alio remedio fuerit sana. Tam subita visa est Cascino hæc sanatio, ut* quasi momento factam *asserat, præsertim quia tam gravis* F

EX CASCINO.

vis erat infirmitas, ut medici asseruerint sanari non potuisse sine miraculo. Nam hæc ratio evincit, claro ac evidenti miraculo sanatam esse, et subito etiam convaluisse; nec tamen sanatio momento est peracta, atque ea de causa dixit, quasi momento. Ceterum Nympha post sanationem suam varia minute narravit de habitu et forma pulcherrima S. Rosaliæ sibi apparentis, de verbis ipsius, dicentis, suas esse eas reliquias, ac de musica angelorum audita, quæ auctor perstrinxit breviter.

sanati,

76 Vincentia di Maggio morti item vicina erat, nec vitam desiderabat longiorem. At jubenti confessario, ut sanationem suam rogaret, obedivit, et ad S. Rosaliam confugit. Apparuit ei Sancta habitu eremitico, et ægrotam momento sanavit. Hæc autem tanto simul spiritus fervore donata fuit, ut Sanctam imitatura votum virginitatis nuncupaverit, et capillos abscissos ad speluncam ipsius miserit, ubi multa similia appensa testatur Cascinus.

uti et infans,

77 Infans, sexdecim dies natus, cum infirmus per dies quatuor a lacte prorsus abstinuisset, defunctus est, certe ut credidit, et asseruit Cascinus. Verum pater, natione Hispanus, imaginem S. Rosaliæ supra mortuum infantem posuit, tantaque fide oravit, ut infans oculos aperuerit, ac se moverit; moxque sanus lac maternum sugere cœperit.

B

et puella, qui credebantur mortui.

78 Puellula quoque in vico Hispanorum in fontem valde profundum deciderat, diuque ibidem manserat immersa: nam quæsita erat per totum vicum, priusquam sciretur submersa. Cum non inventa esset, et quispiam diceret, infantem circa fontem fuisse visam; pertica in fonte quærere cœperunt, ac tandem infantem invenerunt submersam. Summus erat parentum dolor; at fides non minor: tanto fervore institerunt precibus apud S. Rosaliam, ut infantem receperint vivam et valentem.

Sancta cuidam mortem suam triduo ante revelat;

79 Francisca Sieri varios S. Rosaliæ experta est favores. Primo adierat montem Peregrinum, ubi rixa erat tanta, ut quis sclopo manum admoveret, globum autem per errorem recta in caput Franciscæ dirigeret. Illa S. Rosaliam subito invocaverat, et sic illæsa fuit: nam globus plumbeus in velo capitis et in capillis ipsius hæsit, ibique visus a multis. Secundo ægrotans invisit corpus Sanctæ in ecclesia Panormitana, ibique levi somno correpta convaluit. Hosce experta favores, de tertio non dubitavit. Apparuit ei S. Rosalia, monuitque ut ad mortem post triduum obeundam se sacra confessione et Communione præpararet. Paruit illa: confessa est de peccatis, et sacram Communionem tribus diebus continuis iteravit. Monita rursum est nocte sequentis diei, uti et nocte tertia. Monitionem quoque illam secreto indicavit confessario suo, et duobus aliis sacerdotibus magnæ probitatis. Neque decepta est: nam levi tacta est infirmitate die Sabbati; ac die Lunæ, qui tertius erat, animam Creatori suo reddidit.

C

aliam ad moriendum suaviter invitat.

80 Mirabile est, quod sequitur, et præcedenti eatenus simile, quod felicem mortem S. Rosalia clienti suæ prænuntiaverit. Antonia Mirendina, piissima septemdecim annorum puella, diuturno morbo ad extrema erat deducta. Cum autem ut mortua aliquamdiu jacuisset, et ut mortua a matre aliisque præsentibus plangeretur, tamquam e somno evigilans, matri dixit: Mater, cur plangitis? Mortua non eram, sed suavissime dormiebam: O quam magna vidi! Cum vero mater rogaret, ut ea sibi diceret, diu noluit: sed voluit Cardinalem archiepiscopum advocari, ut ipsi ea referret. At, non audente matre Cardinalem accersere, ita inter ipsas convenit, ut vocaretur confessarius, qui omnia deinde Cardinali diceret. Verum, non invento confessario, rursum institit mater, ut sibi visa referret. Cui tandem filia dixit, a S. Rosalia gratiam sibi factam moriendi: nam velle Sanctam, ut ipsa secum esset in supplicatione. Hæc ter ab ipsa fuisse repetita, non voce puellæ moribundæ, sed virili et forti, mandasseque ut Cardinali dicerentur, testati sunt præsentes. Deinde post quadrantem et medium horæ, composito corpore clausisque oculis suaviter exspiravit.

D

Nonnulli

81 Post hæc Cascinus refert beneficia nonnulla, impetrata ab iis, qui laborabant ad honorem Sanctæ, quando instituenda erat ac quando instituta est celebris illa supplicatio, qua corpus approbatum prima vice per urbem fuit portatum. Stabat aliquis, cujus nomen non dicitur, in scalis excelsis ad parietem quemdam exornandum, quando rheda transiens scalas evertit, hominemque ita dejecit, ut conterendus videretur: nihilominus tam erat illæsus, ut laborem mox resumere potuerit. Alia rheda mulierem ita ad parietem pressit, ut præsentes contritam crederent; sed intactam reperunt. Equus marchionis della Rocca ita per rhedam contusus fuit, ut ipse ex equo præcipitaretur: equus tamen et eques fuere illæsi. Hisce merito addit, mirandum esse, in tanta hominum, equorum et rhedarum per plateas commeantium multitudine, quanta fuit eo tempore, nullum accidisse infortunium.

E

in gravibus periculis

82 Duo alia tempore facta his jungit ob similitudinem. Dominus Joannes de Torres cum militum cohorte accedebat, ut excubias mutaret ante palatium regium, in armis stante cohorte alia, quæ de statione decedebat, quando equus, quo vehebatur, subito exterritus in lanceam centurionis Noëra, quam protensam tenebat ac in terra firmatam, sic invehit dominum suum, ut hic equo decideret. Transivit lancea thoracem ipsumque indusium, corpus tamen prorsus erat illæsum: quod S. Rosaliæ favori attribuit, quia illam subito invocarat.

F

illæsi.

83 Clarius miraculum est, quod sequitur. Vir probus equo vehebatur cum uxore retro sedente, et cum filio, quem brachio tenebat. Cum autem transiret per viam angustam montis Gebel Ros juxta præcipitium, equus improviso sic exsiliit, ut mulier decideret, ac vir ipse cogeretur infantem dimittere, atque equo exsilire. Mox equus in præcipitio constitit, et omnes tres inventi sunt sine ulla læsione: nam S. Rosaliam equo se dejiciens pie invocarat.

Maleficia ablata,

84 Subjungit Cascinus quædam beneficia energumenis præstita, quorum hoc est primum. Mulier Hispana, D. Maria Figueroa de Torres, magico maleficio credebatur affecta. Quando adhibebantur exorcismi sacri, tam male habebat, acsi moritura esset, quod ad vomitum urgeretur, nec tamen vomere posset. Præsens aliquando fuit mox memoratus dominus Joannes de Torres, qui particulam habebat ossis S. Rosaliæ. Hanc ille particulam aquæ imposuit, et nonnihil ex ea bibere mulierem jussit. Pota aqua, mox evomere cœpit massas quasdam capillorum. Ejusdem aquæ potationem repetiit quatuor sequentibus diebus, ac semper aliquid simile evomuit, adjunctis etiam quandoque aciculis, donec perfecte sit sanata.

Hac

A *Hæc coram multis testibus facta, affirmat auctor. Similem quoque gratiam eodem tempore alteri præstitam testatur, quæ, sumpta similiter aqua* S. Rosaliæ, *maleficorum præstigias per vomitum ejecit, ac sanata est.*

ac dæmones

85 *Antonia Leonti a sexdecim annis erat energumena, dixeratque, dum appropinquabat festum* S. Rosaliæ, *se morituram sequenti sabbato. Qua de causa filius ipsius, susceptis ante sanctissimis Sacramentis, ipsam vehementer reluctantem perduxit ad ecclesiam metropoliticam, nec tamen pertrahere potuit ad sacellum, in quo servatur corpus* S. Rosaliæ, *cui multas dicebat injurias. Verum ad nomen illius Sanctæ quatuor dæmones, ut creditum est, stationem suam reliquerunt, extinguentes candelam longe positam, quemadmodum se pro signo facturos prædixerant. Quintus demum post cancellos ferreos vehementius percussos, quam fieri posset a femina, similiter egressus est, ac feminam, quæ credebatur a quinque malignis spiritibus obsessa, reliquit liberam.*

expulsi,

86 *In die autem corporis solemniter translati multos fuisse expulsos malignos spiritus, eademque per totam Octavam continuata beneficia, asserit Cascinus. Ex hisce unum refert nominatim, testaturque illud accidisse e regione Collegii Societatis Jesu, se multisque Patribus præsentibus, ac coram innumera populi multitudine. Mulier valde honorata atque honesta a malignis spiritibus vexata fuerat per annos septemdecim sine remedio. Hæc e regione altaris ante collegium erecti sedebat modeste, omnemque ornatum contemplabatur, donec arca* S. Rosaliæ *pervenenisset ad initium istius plateæ. Verum, ubi eo pervenerat, priusquam ibi illus ulius arcam adhuc longe distantem vidisset, subito arrepta, clamore repentino et saltu in aëra palliumque dejiciens, ac capillos crispans, omnibus notum fecit, sanctam arcam appropinquare, seque inde torqueri. Mox ad stridores et injurias delapsus est dæmon, per os mulieris dicens :* Sta, canis : sta, canis, *idque tanta vi, ut mulier a quinque viris retineri non posset. Verum non potuit malignus spiritus præsentiam sacrarum reliquiarum exspectare, sed exerta prius lingua præter modum crassa et nigra, ante earum adventum fugit ac mulierem prorsus liberam reliquit. Hoc factum die Lunæ* IX *Junii, sicut ipse spiritus malignus præcedente die Lunæ prædixerat.*

Mirabiles quædam conversiones

87 *Ab hisce ad mirabiles quasdam infidelium conversiones progreditur. Mahometanus captus a Christianis, diligenter diu hero suo servierat, comparatoque peculio libertatem suam emerat. Verum, abrupto commercio Panormi ob pestilentiam, non poterat in patriam suam discedere : auditisque miraculis* S. Rosaliæ, *sperabat se per eam a peste fore immunem : atque ea de causa imaginem ipsius sibi comparavit, ac vesperis singulis lampadem ante eam accendit. Quin et speluncam ipsius inviserat, atque alia faciebat ad ipsam honorandam, acsi fuisset Christianus, ut ejus patrocinio in patriam rediret. Grata fuere Sanctæ prædicta servitia : nam apparuit ipsi in somno, monuitque ut fieret Christianus, dicens hanc unam esse viam, qua ad veram patriam, seu ad cælum pervenitur. Attonitus quidem fuit hoc somnio; at non conversus. Porro ad patriam redire desiderans, jam cum alio Turca item libero ad iter erat paratus, quando Sanctæ reliquias ante invisit, ut de beneficiis gratias ageret, et pro felici itinere oraret. Sequenti nocte*

iterum apparuit Sancta, ejusque duritiam increpans, percussa mala ipsum excitavit. Evigilans itaque et interne motus, vidit cubiculum suum magno lumine illustratum, et in ea Dominam miræ pulchritudinis, quam aliter explicare nesciebat, nisi dicendo : Pulchra, pulchra, pulchra; multum, multum, multum. *Hæc rursum ipsi dicens, ut se faceret Christianum, alioqui moriturum, disparuit. Hæc apparitio virum quidem vehementer movit; sed addictum patriæ sectæque suæ non ita penitus permovit, ut non fluctuaret ambiguus. Tertio demum dormienti visa est sancta Virgo, mortem certam et infernum prædicens, nisi converteretur, tactaque leviter mala disparuit. Evigilans igitur omnem deposuit dubitationem, ac mane ad pedes Cardinalis se projecit, baptismum flagitavit, eumque post sufficientem instructionem pie suscepit, vivens deinde de vocatione sua lætus ac contentus.* *Ex Cascino.*

Maurorum

88 *Maurus Algerii natus, cui nomen erat* Xiniffa, *mancipium erat Gabriëlis Mas, et subinde aliquid pauperibus dabat ad honorem* S. Rosaliæ. *Apparuit ipsi Sancta in somno, præcepitque, ut fieret Christianus : quod primo recusavit. At iterum jussus, rogavit nomen apparentis, auditoque* Rosaliæ *jubentis nomine, dixit se baptismum velle suscipere. Verum cum deinde parum attenderet ad promissionem in somno* E *factam ; reversa rursum est Sancta nocte sequente, magisque institit, ut baptismum susciperet, atque etiam rogata a Mauro, quo nomine in baptismo vocari deberet,* Petri *nomen eum eligere jussit, dexteram ipsius tangens. Quin et crucis signo ipsum in fronte signasse dicitur, his additis verbis :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. *Certe Maurus divino hoc somnio ita permotus est, ut post debitam instructionem susceperit baptismum et Petri nomen, cui adjungi desideravit nomen Rosaliæ ad honorem Sanctæ.*

infidelium,

89. *Hisce similis additur conversio, at serius peracta. In triremibus Siciliæ diu servierat mancipium infidele, cui jam ætaras at sexaginta annorum. Quo huic modo succurrerit* S. Rosalia, *nescitur : sed Sanctam ei succurrisse, ab eventu colligitur. Nam postquam aliquot diebus febri laboraverat, baptismum flagitavit, et* Rosalinus *vocari voluit ad honorem* S. Rosaliæ. *Cum ardenter instaret, et morbus ipsius jam esset gravis,* F *baptismus ei mox collatus est, datumque nomen* Rosalinus. *Deinde, vix duabus horis elapsis a prima mentione baptismi, animam feliciter Creatori suo reddidit.*

Animalia etiam sanata:

90 *Deinde advertit Cascinus, in aliorum quoque Sanctorum Vitis legi, animalia ipsorum ope fuisse sanata, et nonnulla exempla similia narrat de* S. Rosalia. *Primo gallinæ quædam, quæ videbantur morituræ, semel iterumque servatæ sunt terra sepulcri* S. Rosaliæ. *Secundo catellus unus moribundus, et alter pro mortuo habitus, medicatus est re quapiam ad Sanctam utcumque spectante.*

prodigia alia

91 *Demum prodigia duo adducit, alterum de vite, quæ recisa fuerat, atque iterum sic coaluit per terram sepulcri, ut uvas eodem anno produxerit. Alterum est de malo aurea, quæ in monasterio quodam produxerat ramusculum novorum florum in pervigilio festivitatis* S. Rosaliæ, *seu die* III *Septembris. Cum autem Superior monasterii hunc vidisset ramusculum, dixit :* Utinam multi essent, conducerent cras ad coronam S. Rosaliæ texendam in sua festivitate. *Annuit Sancta pio desiderio : nam postridie mane*

Ex Mancuso. *ne tota arbor plena fuit floribus. Hactenus ex Cascino, cujus mentem fideliter exprimere conatus sum.*

CAPUT V.

Recentiora quædam beneficia compendio data ex Historia Mancusi part. 5.

Puella Colonix sanata, *Mancusus part.* 5 *Historiæ* S. Rosaliæ *refert varia Sanctæ beneficia, partim antiqua, partim recentiora. Cum autem antiqua jam dederim, et nonnulla quoque ex recentioribus occasione cultus narraverim, huc solum transferam alia, quæ necdum a me commemorata sunt, idque faciam tanta brevitate, quanta fieri poterit. Reliquias Sanctæ Coloniam fuisse portatas,* B *Sanctæque patrocinium ibidem non inutiliter fuisse imploratum tempore pestis, narravit in Commentario num.* 439. *Porro unum ex beneficiis ibi obtentis refert Mancusus* § 7, *citans auctoritatem P. Hermanni Crombach in collectione quadam Ms. Res ita habet. Puella nobilis, Gertrudis nomine, heres unica magnarum opum, anno* 1636 *pestilentiæ malo tacta, eoque deducta erat, ut extrema suscepisset Ecclesiæ Sacramenta. Aderat ei confessarius P. Adrianus Horn, rector Coloniensis collegii Societatis Jesu, cum reliquiis* S. Rosaliæ. *Hic suasit, ut votum aliquod nuncuparet in honorem Sanctæ, cujus reliquias ei porrigebat exosculandas. Vovit illa perpetuam virginitatem servare, si convalesceret;* subitoque revaluit integris viribus, *inquit laudatus Crombach, addens eam adhuc superfuisse sanam anno* 1670, *quando scribebat.*

mulier moribunda Mazarini, 93 *Laudatus Mancusus* § 8 *refert sanationem moribundæ, factam anno* 1680 *Mazarini, quod oppidum est Siciliæ in valle Netina. Testatur autem se totum factum habere ex scriptura diligenter examinata, juramentoque firmata anno* C 1711, *quando mittenda erat ad curiam episcopalem Syracusanam. Compendium beneficii accipe. Agatha, uxor Petri Maggio, honoratæ conditionis mulier, tum abortu gemini infantis, tum inscitia medentium ad extrema erat perducta, et jam moribunda, quando Alphius Ingala eam invisit. Hic, ubi deprehenderat nonnihil sensus infirmæ superesse, suggessit nomen* S. Rosaliæ, *monuitque ut votum aliquod in honorem ipsius nuncuparet. Paruit illa, ac vovit gerere vestem modestam, qualis ibidem usurpatur ab iis, quæ Sanctæ singulari titulo sunt devotæ. Nuncupato voto, post horam loqui cœpit, meliusque habere, id* S. Rosaliæ *attribuens : ac post duos tresve dies e lecto sana surrexit. Deinde prolis amans, promisit se primæ daturam nomen* Rosaliæ *in honorem Sanctæ : nec diu post concepit, felicique partu suo tempore edidit filiam, cui nomen* Rosaliæ *impositum.*

item alia mulier. 94 *Idem auctor* § 9 *palatium legati regis Hispaniarum Romæ a sæviente istic pestilentia immune fuisse asserit, patrocinioque Matris Dei Immaculatæ, ac* S. Rosaliæ *istud attribuit. Præterea ibidem asserit, doctori Bartolo Maggio, cum oraret pro salute uxoris suæ Vincentiæ periculose ægrotantis, visam fuisse Matrem Dei, quæ ad preces* S. Rosaliæ *vitam reddebat uxori* D *ipsius, quæ revera cito convaluit : conjuges autem in gratiarum actionem mutuo consensu ab usu conjugii deinde abstinuisse. Pro utroque facto laudat Mongitorium in opusculo, cui titulus :* Panormus Mariæ devota. *Similia haberi possunt pro beneficiis ab iis, qui gaudent tale quid sibi obtigisse, et merito se gratos exhibent. Verum recenseri debent inter minus clara minusque certa. Quæ vero refert* § 10, *non lubet huc transferre, quia non satis certa videntur, et modo utcumque diverso referuntur a Tornamira in Idea conjecturali pag.* 156.

95 *Mancusus* § XI *de conversione cujusdam* *Maurorum* *mancipii Mahometani historiam narrat bene longam, quam compendio huc transfero. Anno* 1694 *Panormi Periculosis stomachi doloribus decumbebat mancipium, cui nomen* Barca. *Sæpe rogatus, ut fieret Christianus, pertinaciter semper renuebat. Accessit P. Hieronymus Natale Societatis Jesu cum reliquiis* S. Rosaliæ, *rogavitque ægrotum, an vellet bibere aquam, quam consecraret cum* S. Rosaliæ *reliquiis. Annuit Barca,* E *qui, licet Mahometanus, Sanctæ erat devotus. Bibit aquam consecratam : rogatusque, an baptizari vellet, mox consensit. Iterum rogatus, adjecit se* Rosalinum *vocari velle. Brevi interim sanatur, ubi iterum de aqua illa consecrata largiter biberat. Verum sanatus vacillare cœpit in proposito suo, dissuadentibus conversionem sociis quibusdam perfidis, qui illi aderant. Itaque rursum correptus est pristinis stomachi doloribus : ac sic ad patrocinium* S. Rosaliæ *pro salute corporis ferventer recurrit, et revera vomitu atræ bilis nonnihil est recreatus, ita ut somnum caperet. Dormienti apparuit Sancta, atque omnem exemit dubitationem. Multa de hoc somnio divino narrat auctor : at mihi sufficit dicere, eo somnio prorsus esse conversum. Narravit ille ostensum sibi fuisse infernum, deinde purgatorium, ac demum cælum. Nisce vero visis, Sancta disparuit, atque ipse evigilavit perfecte sanatus. Porro mox instrui voluit, atque in ipso* S. Rosaliæ *festo baptizatus est, ac* Rosalinus *dictus. Piissime deinde vixisse Rosalinum testatur Mancusus, qui eum novit.* F

96 *Subdit auctor* § 12 *aliquot Mahometanos* *quorumdam conversio* *ita conversos, ut eorum conversio adscribatur favori* S. Rosaliæ. *Primus ab apparente* S. Rosalia *dicitur missus ad P. Alphonsum Mugnos Societatis Jesu, ut ab eo instrueretur et baptizaretur : idque revera factum est. De hac conversione quædam adjuncta me docuit P. Caietanus Noto. Res contigit circa annum* 1685. *Mahometanus ille vocabatur* Mustafa, *ac ætatem habebat sexaginta circiter annorum, dum conversus est. Primo ut mancipium servierat in triremibus Siculis ; ac deinde ad domestica servitia translatus erat a quodam ex præfectis triremium, qui inter alia ipsum jubebat lampadem accendere coram imagine* S. Rosaliæ. *Hoc cum diu fecisset, ab apparente in somno* S. Rosalia *monitus est, ut fieret Christianus, quia cito erat moriturus ; missusque ab eadem ad P. Alphonsum Mugnos in domo professa Panormitana habitantem. Cum autem domum professam Mustafa adibat, vidit imaginem Sanctæ circa portam domus, dixitque Sanctam sibi apparuisse eadem plane forma. Instructus igitur est baptizatusque, et non multo post tempore defunctus. Ita testabatur Fr. Petrus Mira Societatis Jesu, qui socius fuerat P. Alphonsi Mugnos ad instruendum Mustafam, et ætate admodum*

A *admodum provecta supererat, dum hæc ante paucos annos mihi communicavit P. Noto. Redeo ad Mancusum.*

Sanctæ attributa. 97 *Alter laborans arthritide, etiamsi infidelis esset, invisit speluncam* S. Rosaliæ *in monte Peregrino, ibique osculans pavimentum altaris, subito variis præsentibus exclamavit, se Christianum esse velle, sicut revera factus est. Duo alii cum hero suo ad speluncam iverant, ut omnia curiose lustrarent. Verum herus unum ex illis excitavit ad Sanctam quoque honorandam; quod ubi ille tandem aggressus est, voluit mox fieri Christianus: deinde alter quoque ingressus, miratusque socii sui mutationem, idem quoque mox desideravit: atque ambo instructi sunt et baptizati. Quintus jam senex sæpe monitus erat, ab ipso etiam archiepiscopo, ut fieret Christianus; sed pertinaciter resistens, respondere solebat, id sibi non esse dictum a* S. Rosalia. *Verum gravi infirmitate decumbens, improviso clamare cœpit:* Vocate dominum archiepiscopum, ut me baptizet, quia S. Rosalia vult, ut fiam Christianus. *Re audita, illustrissimus archiepiscopus Jacobus Palafox* B *accurrit ipse ad mancipium: instructumque, quantum permittebat infirmitas, baptizat, dato illi nomine* Rosalinus. *Neque diu post pie defunctus est Rosalinus ille, eximium divinæ misericordiæ documentum. Eodem fere modo conversus est sextus, qui item sub finem vitæ secreta monitione* S. Rosaliæ *fidem Catholicam dicitur amplexus, et paulo post mortuus. Addit auctor plures ejusmodi factas esse conversiones; sed de aliis sibi non esse notitiam satis distinctam.*

Alia quædam beneficia: 98 *Laudatus auctor* § 13 *narrat varios favores, interveniente* S. Rosalia, *præstitos piæ illustrique dominæ Catharinæ Venero, baroni delli Magazzenacci, cui Sancta subinde apparuisse dicitur anno* 1696 *et* 1697. *Deinde* § 14 *narrat, ignis periculum bis depulsum post invocatam* S. Rosaliam. *Primum narratur accidisse Fratri cuidam Societatis Jesu, qui ut agros magis redderet fertiles, incendium in iis excitaverat. Verum ventus exortus flammas eo deferebat, ubi grave metuebat periculum. Timens igitur imprudentiæ suæ damna, in genua provolvitur, et votum nuncupat* S. Rosaliæ. *Mox ventus mutatur, flammasque eo defert, ubi nullum erat* C *periculum. Factum hoc frater ille dicitur jure jurando confirmasse P. Philippo Noto rectori Bivonensi Societatis Jesu. Aliud, ex Mongitorio relatum, ita evenisse dicitur. Vitus Riccobono, cum vicinum incendium ad vineam et silvam suam cerneret appropinquare, recurrit ad opem sanctissimæ Dei Genitricis, et simul ad* S. Rosaliam: *atque ita vinea mansit immunis a flammis, et levissimum dumtaxat damnum in silva fuisse asseritur.*

equus post lapsum e præcipitio illæsus: 99 *Auctor* § 15 *narrat beneficium, quod contigit anno* 1696 *prope speluncam Quisquinensem, ubi tunc præsens erat, ita ut de re tota optime potuerit esse instructus. Equus trunco alligatus, dum dominus sacræ concioni intererat, evaserat liber, ac vagando pervenerat ad ingens præcipitium. Dum autem herus, ecclesia egressus, equum accedit, ut reducat; equus præceps per rupes illas devolvitur atque ad imum delabitur. Omnes credebant mortuum, et revera instar mortui jacebat. Verum dum accedunt equum lustraturi; ille se erigit, ac reperitur sine ulla læsione. Hoc attributum favori* S. Rosaliæ, *quia præsentes, non minus timentes homini, qui equum in præcipitio stantem accedere volebat, quam ipsi equo, Sanctam alta voce invocarant. Deinde* § 16 *exponit auctor favores factos illustri ac piæ virgini Panormitanæ, Antoniæ Mariæ Sandamiani, cui ait* S. Rosaliam *datam esse ab Immaculata Virgine magistram vitæ spiritualis: et cui mortem anno* 1698 *obitam a* S. Rosalia *prænuntiatam fuisse affirmat, laudans pro hisce Mongitorium. Talia facta breviter solum perstringo, quia vera quidem esse possunt; sed non habent ea certæ veritatis indicia, quibus nituntur pleraque beneficia et miracula ex Cascino et Salerno ante commemorata.* Ex Mancuso.

tempestatis periculum ablatum: 100 *Certius apparet, quod sequitur. Redibant ex Africa in Siciliam circa finem seculi* XVII *P. Franciscus Raimondi et P. Michaël Angelus Haghius, felicique navis cursu delati fuerant ad portum Liburnicum. Verum cum deinde præterveherentur agrum Romanum, sævissima orta est tempestas, quæ omnem videbatur salutis spem eripere. Conversi sunt Patres ad preces, ac nominatim Haghius* S. Rosaliæ, *cujus penes se habebat reliquias, opem implorabat, addito voto de invisendo nudis pedibus monte Peregrino, si superiores Societatis permitterent.* Vix finieram E preces, *inquit Haghius,* cum navis, nescio quo modo, periculo fuit defuncta. Inde ortus ventus secundus, qui semper pergens prospere spirare, nos quatuor dierum spatio salvos et incolumes perduxit in Siciliam. *Idem deinde narrationem suam ita confirmavit:* Ego P. Michaël Angelus Haghius confirmo, ut supra, anno MDCCVI, mense Septembris, die III, in hac residentia Maziensi Societatis Jesu, in quorum fidem hæc omnia sigillo Societatis munivi, paratus juramento munire.

favores 101 *Anno* 1700, *ut subdit Mancusus ex notitiis Francisci Pilosi, sacellani in monte Peregrino, die* XIV *Julii ad ecclesiam montis Peregnini portata fuit in sedili uxor Francisci di Carlo, quæ jam quinque annis nervorum contractione acutisque doloribus sic fuerat vexata, ut incedere non posset. Verum ante sacrum altare subito sanata, sine ullius ope pedes domum rediit læta et alacris.*

varii 102 *Anno* 1702, *mense Septembri, ad speluncam venerunt quidam nautæ, ut votum persolverent, quo nuncupato, piratarum Saracenorum manibus fuerant erepti.*

F a quodam 103 *Eodem anno, die* XXVIII *Augusti, quædam persona laborans febri tertiana, post sumptum quidpiam de terra sepulcri* S. Rosaliæ, *continuo febri fuit liberata.*

in monte Peregrino 104 *Eodem anno,* I *Septembris, Anna Landolina, cui apoplexia manuum ademerat usum, oravit Sanctam, ut sibi restitueret usum manuum, quibus victum sibi comparare posset. Exaudita est, ac* XXII *Septembris in monte Peregrino* S. Rosaliæ *egit gratias.*

scriptis 105 *Eodem anno,* XXVIII *Decembris, filiola quædam Messanæ, ubi cum parentibus tunc erat, sic rheda exciderat, ut rota per ipsam transierit. Verum illæsa fuit puella, accepto solum signo quodam in pectore, idque favori* S. Rosaliæ *attributum a parentibus, qui reversi Panormum, mox ad montem Peregrinum se contulerunt, ut se gratos Sanctæ exhiberent.*

olim 106 *Dominica Luisa, nata Petræ * in Sicilia, quindecim habebat ætatis annos, sed prorsus erat muta. Adducta est a parentibus ad montem Peregrinum die* VIII *Martii anni* 1703, *ibique accepit nonnihil gossypii, quod intinctum erat oleo lampadum in ecclesia ibidem semper ardentium*

* Petraglia

Ex Mancuso. *dentium, ut eo linguam attingeret. Illa vero etiam transmisit ad stomachum, et mox soluta est lingua ipsius in laudes* S. Rosaliæ.

consignati. 107 *Mirabile prorsus est, quod anno* 1706 *contigisse asserit in Sicilia prope Leontinos *, citans Francisci Pilosi mox laudati notitias. Quidam ab hero suo erat rogatus, ut montis quoddam jugum præceps, ubi nidus erat columbarum silvestrium, conscenderet. Cum autem inter ascendendum manu apprehenderet saxum non satis firmum; cedente saxo, præcipiti lapsu ferebatur deorsum. At invocata* S. Rosalia, *mansit in aëre pendulus, solis retentus cruralibus fasciolis, donec e summitate montis funibus a præcipitio sit retractus.*

* Lentini

Sanationes 108 *Eodem anno infans quadraginta dierum Mazarini totum fere corpus habebat ulceribus plenum, ita ut misere cruciaretur, et lamentaretur. Porro* XXIX *Junii capiti infantis impositum fuit numisma* S. Rosaliæ *insignitum effigie, et mox siluit et quievit ad quadrantem unius horæ. Postridie datus ei fuit cibus* S. Rosaliæ *(ita vocant glandes, quas ferunt ilices prope antrum* S. Rosaliæ *in monte Peregrino) redactus in pulverem, et mox quievit infans, nec diu post sanatus est. Verum eodem rursus malo deinde correptus est; atque eodem etiam modo sanatus est in perpetuum.*

B

varix. 109 *Ursula Xacia, puellula biennis, pedibus ita distortis semper fuerat, ut loco se movere non posset, nisi rependo. Mater infantem miserata, votum nuncupavit* S. Rosaliæ : *mox pedes cruraque ad statum naturalem pervenerunt; materque cum infante* X *Maii anni* 1707 *adivit montem Peregrinum, ubi non modo Sanctæ gratias egit, sed miraculum quoque cum aliis rei consciis grata prædicavit. Hoc item factum ex notitiis Pilosi hausit Mancusus et* § 20 *innexuit, cum sequenti aliunde accepto.*

illustresque 110 *Eodem anno* 1707, *cum Marsalæ concionaretur Mancusus, didicit miraculum diu ante factum, quod ei narravit ipse, qui ab apparente* S. Rosalia *momento erat sanatus. Senex hic erat sexagenario major, qui narrabat se in juventute sua, dum occuparetur ornanda quadam ecclesia, ita e scala portatili lapsum, ut brachium sibi ruptum esset, et caput vehementer læsum. Portatus itaque domum fuit pro mortuo, quia initio mortuus credebatur. Adhibitis vero medicamentis eo deductus est, ut de vita parum aut nihil spei superesset, quando vidit* S. Rosaliam, *cui devotus erat, ad se appropinquantem : quæ, postquam infirmum bene sperare jusserat, manum suam imposuit rupto brachio, et capiti pessime affecto; disparensque ita sanum reliquit, ut rediens medicus nullum mali invenerit vestigium. Hæc sibi tenerrimo affectu relata ab ipso sene testatur Mancusus, licet alias nullam de facto repererit scripturam.*

C

et momento peractæ. 111 *Huic ex notitiis Pilosi subdit aliud, quod contigit anno* 1709. *Generalis Crucigerorum mense Septembri e gravi morbo convaluerat. sed visum eo malo penitus amiserat. Cæcus igitur nuncupavit votum juratum invisendi speluncam* S. Rosaliæ, *cujus reliquias simul oculis admovebat : ac visum derepente recuperavit. Hac de causa mense Octobri venit ad montem Peregrinum, sicut facturum se voverat.*

D

CAPUT VI.

Prosecutio recentiorum miraculorum ex Mancuso.

Mazarini Sancta electa patrona contra locustas, *Mancusus* § 31 *incipit narrare varia beneficia, a* S. Rosalia *præstita in comitatu Mazarino, præmonens ea esse desumpta ex Actis authenticis, quæ Mazarini formata sunt jussu episcopi Syracusani, in cujus diœcesi est Mazarinum, oppidum non ignobile, et comitatus titulo exornatum, de quo jam egimus supra num.* 93. *Anno* 1710 *ingens locustarum agmen, quod ad eas Siciliæ partes supervenerat, vastitatem agris minabatur. Curaverunt Mazarinenses magnam pingi tabulam, in qua erat effigies* S. Rosaliæ, *eique altare erexerunt in ecclesia Societatis Jesu. Deinde magno cum apparatu in eadem ecclesia, eum in finem ornata,* S. Rosaliam *elegerunt civitatis patronam, maxime contra locustas. Formula istius electionis, suique oblationis per magistratum et civitatem facta, uti et totius festivitatis solemnitas, videri potest apud Mancusum, qui se præsentem fuisse, ac breviter ad concionem dixisse testatur. Reliquias quoque Sanctæ in solemnitate illa fuisse affirmat pag.* 124, *sed non indicat, unde fuerint acceptæ.*

E

contra quas creditur defendisse agros Mazarinensium : 113 *Deinde favores,* S. Rosaliæ *patrocinio attributos, sic enumerat. Primo ait, territorio Mazarinensi levissimum aut nullum damnum illatum esse a locustis, quæ in vicinis territoriis nihil fere reliquerant intactum, et non depastum. Secundo ait, locustarum magna examina avolasse ex agris, quando aqua per reliquias* S. Rosaliæ *consecrata iis aspergebatur a personis particularibus, ac transvolasse agros, quibus eadem aqua fuerat aspersa, aut certe iis non nocuisse : atque id etiam accidisse villæ collegii Societatis Jesu, in cujus sacello idcirco collocatæ sunt Sanctæ reliquiæ, per Mancusum ipsum donatæ. Tertio affirmat, aquam illam a plurimis hominibus fuisse petitam; et nonnulla refert facta particularia, in quibus messem miraculo attribuit. Verum ea prætermitto, quod non satis clara videantur miracula. Quarto demum testatur, plurima oblata esse dona ab iis, qui crediderunt agros suos favore* S. Rosaliæ *servatos fuisse contra locustarum vastationes; diemque illum, quo Sancta fuerat electa patrona, sequenti etiam anno magna solemnitate fuisse celebratum.*

F

hernia sacerdotis 114 *Certius videtur miraculum, quod* § 22 *narrat ex Actis ad episcopum Syracusanum missis, quodque ita refertur. Sacerdos probatorum morum, et sacræ theologiæ doctor, natus Platiæ *, sed habitans Mazarini, ita ab anno et medio hernia laborabat, ut equo vehi non posset, nec diu valeret pedibus consistere, etiamsi consuetis contra simile malum cautelis se munivisset. Hic in modo dicta solemnitate* S. Rosaliæ *rogatus fuit, ut tempore supplicationis diaconi fungeretur officio, quemadmodum pridie fecerat in Vesperis. Acceptat officium tractus pietate in* S. Rosaliam, *accensisque candelis quibusdam, rogat Sanctam, ut malo suo liberaretur. Porro, cum supplicatio ad duas circiter horas durasset, acres sentire cœpit dolores, qui cum nimium augerentur, convertit se ad sacras reliquias, rogavitque*

* Piazza

A *vitque Sanctam, ut subministraret vires ad ministerium cœptum perficiendum; ac subito dolor ita ablatus est, ut posset ad finem usque supplicationi assistere. Finita supplicatione, quando reliquias deponebat manu sua, rursum Sanctæ se commendavit, et tunc quasi interna voce sibi audivit dici:* Esto jam sanus. *Domum reversus, iterum idem audivit, ac revera se sanum reperit. Gratias igitur egit Sanctæ, sed sanationem suam quadraginta diebus siluit, interim ligamina omnia abjiciens, et equitans uno die Platiam, indeque Mazarinum eodem die revertens. Post quadraginta dies miraculum publicavit, illudque post duos menses coram testibus confirmavit juramento. Tres quoque medici locum, ubi malum fuerat, lustrarunt, juratoque testimonio affirmarunt, se ne quidem minimum herniæ invenisse vestigium.*

et infantis sanata :

115 *Infans eodem herniæ malo laborabat, cujus mater, audita sanatione laudati sacerdotis, sperare cœpit filiolum suum ita quoque sanandum. Itaque ducit ipsum ad altare* S. Rosaliæ: *capitque aliquid de rosis, quæ ibidem erant* B *positæ in vasis aqua plenis. Reversa domum, parti affectæ infantis abstrahit medicinas applicitas, et tria dictarum rosarum folia applicat. Deinde locum affectum iterum lustrans, vidit nullum superesse malum : doctaque iteratis postea inspectionibus filiolum suum certo sanatum esse, gratias Deo egit et* S. Rosaliæ. *Præterea rem totam ipsi Mancuso exposuit, et juramento firmavit, rogans, ut beneficium istud scriberet, suppresso sanati nomine.*

sanationes

116 *Quidam medicinæ doctor, ut narrat Mancusus* § 23, *decumbebat febri vexatus ac gravissimo stomachi dolore. Adhibitis frustra remediis naturalibus, petiit ac obtinuit reliquias* S. Rosaliæ. *Deinde præmissa salutatione Angelica, propriis manibus reliquias stomacho admovet, præsentibus variis : ac mox dolorem pulsum sentit, ac Sanctæ agit gratias. Eadem vespera bene cœnavit, sequenti autem die febri liberatus e lecto surrexit, atque exivit domo, uberiores Sanctæ gratias acturus.*

alia

117 *Hisce generatim subdit auctor, varias per aquam* S. Rosaliæ *obtentas esse gratias Platiæ et Mazarini in malo quodam populari,* C *quod Meridionalem Siciliæ oram percurrit. Deinde unum ex Actis Mazarinensibus jam laudatis nominatim refert in hunc modum. Vir nobilis correptus fuit febri tertiana quadruplici, eaque maligna. Desperabat doctor medicus Trigona de vita infirmo conservanda, ideoque munitus fuit extremis Ecclesiæ Sacramentis. Deinde morti propinquus videbatur, quando petiit aquam* S. Rosaliæ, *ex qua bibit post brevem orationem. Bibita ea aqua, copiosissime sudavit, ac sequenti die redeuntibus medicis sanum se exhibuit, de lecto surrexit, et* S. Rosaliæ *gratias egit.*

diversorum :

118 *Mancusus* § 24 *primo narrat, placidam mortem cuidam esse concessam a* S. Rosalia. *Deinde refert, filiolum cujusdam principis desperatum fuisse a medicis, applicatoque gossypio* S. Rosaliæ, *infantem eodem die ereptum esse periculo, ac non diu post sanatum. Alium eodem gossypio confestim liberatum malo gutturis; alium vero gravi laterum dolore. Hæc breviter perstringenda censui, quia non omnia iis confirmantur indiciis certitudinis, quæ in ejusmodi factis desiderantur, ut habeantur pro miraculis.*

119 *Magis confirmatum ac plane mirabile est, quod sequitur* § 25. *Dominus vicarius Calatauturiensis (oppidum est Siciliæ in valle Mazaræ ad Himeram fluvium. qua vallis Mazaræ separatur a valle Demonæ, ac vulgo dicitur* Caltavoturo) *iter noctu agebat, ut domum reverteretur, quando tam densis septus est tenebris, ut nec ipse, nec equus, quo vehebatur, quidpiam amplius cernerent. Sæva nimirum tempestas noctis auxerat tenebras, atque inter rupes montiumque præcipitia formidinem augebant fulmina et tonitrua. In tanto periculo constitutus, ad singularem patronam suam* S. Rosaliam *confugere statuit, ejusque opem imploravit ferventi oratione. Post preces vidit in aëre pulcherrimam et lucidissimam rosam magnitudine unius palmi, quæ se locavit prope brachium dexterum prædicti domini, eumque salvum et incolumen perduxit domum; ac dein mox disparuit. Duo hic adjungenda. Primo, quando invocata* S. Rosalia, *apparere cœpit rosa illa, erat vicarius cum equo suo prope præcipitium, quo de vita periclitabatur. Secundo lucida illa rosa equitanti tam erat vicina, ut subinde manum ad illam extenderit : at ipsa nonnihil recedebat, Demum vicarius domum reversus, tam* E *erat attonitus stupore, ut mox genua flecteret. et humillimas* S, Rosaliæ *gratias ageret. Porro factum istud didicit Mancusus ex P. Antonio de Nostris, viro magnæ virtutis ex Ordine S. Augustini, qui scripto testatus est, id sibi anno* 1713 *ab ipso domino vicario non sine tenerrimis lacrymis relatum esse.*

Ex Mancuso. quidam mirabili modo e periculo ereptus,

120 *Quod sequitur, Mancuso expositum est a viro æque probo ejusdem Ordinis Augustiniani, atque item scripto traditum. Erat Corleone (de quo oppido jam actum in Commentario num.* 356) *funium textor, nomine Balthasar, cujus maxillam invaserat gangræna terribilis, ac judicio medicorum insanabilis. Cum tamen aliquid spei superesse judicaretur, si ferro igneque adhibito resecaretur malum, dies sectioni tam periculosæ jam statutus erat, ac infirmus extrema Sacramenta hunc in finem susceperat. Commendabat igitur se enixe favori* S. Rosaliæ *illa nocte, quæ sectionem statutam præcedebat. Sensit dolorem utcumque mitigatum, ita ut in somnum incideret. Dormienti autem apparuit* S. Rosalia, *quæ suavibus verbis ægrum solata est, dicens se esse* Rosaliam, *quam invocaverat, sanandumque* F *promittens. Hæc dicens locum affectum duobus attigit digitis, fecitque ut totum os corrosum maxillæ decideret in pectus ipsius, ubi illud evigilans invenit. Mox advocatæ uxori suæ os istud nigrum ac putridum ostendit, ac visionem enarrat. Mirantur ambo miraculum, et plurimas sanctæ* Rosaliæ *gratias agunt. Sana prorsus erat maxilla, nullumque supererat mali vestigium; nihil quod gena nonnihil esset excavata, ubi os istud exciderat. Porro hujusce facti se* testem oculatum *esse ait P. Vincentius Simonetta Augustinianus, quia et infirmum et sanatum vidit : testaturque factum Corleone fuisse notissimum, et juridica quoque solemnitate superioribus manifestatum.*

alius æque mirabiliter e gangræna sanatus :

121 *Non absimile est, quod subdit Mancusus ex testimonio domini Philippi Sidoti, vicarii generalis antistitis Panormitani, qui sorori suæ id accidisse narravit. Hæc Panormi in monasterio S. Viti repetitis vicibus fuerat abbatissa, et ibidem vocabatur* Joanna Eleonora Crucifixa. *Porro in grave mortis periculum inciderat ex frusto ossis, quod inter manducandum faucibus tam tenaciter inhæserat, ut nullo modo potuisset evelli.*

os gutturi infixum mirabiliter evulsum :

Ex Mancuso. *evelli. Cum autem suffocanda videretur, ultimumque emissura spiritum, apparuit ei* S. Rosalia, *quam mente invocaverat, immissisque in guttur ipsius duobus digitis ossiculum benigne evulsit, ac disparuit. Narravit illa visionem suam toti monasterio, et sanatio ab omnibus attributa est miraculo: ideoque gratiæ* S. Rosaliæ *persolutæ.*

gratiæ quoque internæ multis præstitæ. 122 *Demum* § 26 *colligit Mancusus gratias aliquot internas, quas attribuit patrocinio* S. Rosaliæ. *Verum, etsi gratiæ internæ longe pluris faciendæ sint, quam externæ, seu quam spectantes ad felicitatem quamdam temporalem; non solent passim habere tam clara gratiæ prodigiosæ indicia. Cum autem tales quoque sint, quas ibidem narrat laudatus auctor, eas silentio involvendas censeo; contentus observare probabilem conjecturam fieri posse de gratiis internis* S. Rosaliæ *patrocinio impetratis ex multitudine externarum et visibilium; nec dubitandum esse, quin Sancta animabus clientum suorum non minus prospexerit quam corporibus. Ceterum commemoratis omnibus, quæ visa sunt huc transferenda ex Mancusi* B *Opusculo, ultimum spicilegium aggrediar ex documentis novissimis.*

CAPUT VII.

Collectio beneficiorum et miraculorum ex documentis recentioribus, partim impressis, partim manuscriptis.

Unde accepta sint documenta sequentium beneficiorum: *Diligentissimi ac frequenter laudati adjutores nostri, Castiglia et Noto, studiose collegerunt documenta omnia ad* S. Rosaliam *spectantia, quæ vel posteriora sunt Opusculo Mancusi, vel hujus diligentiam fugerunt; eademque nobis humaniter transmiserunt annis* 1737, 1744, *ac de-* C *mum hoc ipso anno* 1746, *quo hæc scribo. Quapropter ex his documentis referam posteriora Sanctæ beneficia, idque faciam ea brevitate, qua sine rerum detrimento singula exponi poterunt; ac servato etiam temporis ordine, quantum patietur documentorum ratio. Primo occurrit scriptura, in bibliotheca collegii Panormitani Societatis Jesu servata, cujus titulus Italicus sic redditur Latine:* Collectio miraculorum, quæ facit quotidie gloriosa mater, S. Rosalia virgo solitaria, in monte Peregrino in gratiam eorum, qui ipsi sunt devoti, incipiens ab ejus festivitate die IV Septembris anni MDCXCIV. *Hujus scripti* auctor videtur fuisse aliquis ex iis, qui sacræ cryptæ S. Rosaliæ curam gerunt, *ut recte observatur in margine. Verum ad duos tantum annos videtur curam ea scribendi continuasse, forsan quia diutius in officio suo non mansit, seu morte subtractus, seu alio profectus. Certe duorum dumtaxat annorum beneficia mihi communicata sunt, quæ paucis subjungam.*

sanationes 124 *Anno* 1694, *die* IV *Septembris, ad montem Peregrinum venit*. S. Rosaliæ *gratias acturus, quidam Panormitanus, qui libertatem suam Sanctæ attribuebat. Captus fuerat a Tunetanis, et servituti addictus. Verum, factis* S. Rosaliæ *votis, modum invenit, quo se natatu in* D *libertatem vindicaret. Alterum ita refertur. Mancipium infidele, quod ad montem Peregrinum venerat cum R. D. Algaria parocho, ubi statuam* S. Rosaliæ *in medio speluncæ osculatum fuerat, libere edixit se velle fieri Christianum, sicuti revera factum est. Fateor hæc non esse evidentia miracula. At evidentissimum est, quod sequitur ex eodem scripto. Quidam e servis proregis Siciliæ, rebus emendis præfectus, Messanæ mortifero correptus est morbo, et jam mortuus credebatur, ac feretro erat impositus, ut sepeliretur. Dilata fuit sepultura ob curam aliorum infirmorum ad mediam circiter horam, cum evigilavit homo patrocinio* S. Rosaliæ, *quæ eidem apparens dixit, non moriturum eo morbo. Itaque, mirantibus omnibus, qui habitus fuerat pro mortuo, venit die* XIX *Julii anni* 1695 *ad ecclesiam montis Peregrini, ibique sacro epulo refectus,* S. Rosaliæ *egit gratias. Hæc tria ex eodem monumento mihi communicata. Quorum ultimum eodem die* XIX *Julii fuit conscriptum, haud dubie ex testimonio ipsius sanati.*

variæ 125 *Sequitur ordine temporis alia relatio, item* E *Italice scripta, quæ auctorem habet R. P. Andream Bertolino, Ordinis Clericorum regularium, qui infirmis ministrant, et* Cruciferi *vel* Crucigeri *nominantur. Relatio hæc accurate concinnata est, sed prolixior, quam congruat propositæ brevitati. Quapropter facta singula fideliter ex ea compendio tradam. P. Casimirus Selvago, laudati Ordinis sacerdos, ætatem habens annorum viginti et octo, quatuor mensibus tam gravi laboravit sanguinis fluxu, ut bis susceperit extrema Sacramenta cum indulgentiis istius Ordinis, quæ solent concedi* in articulo mortis. *Curam infirmi habebat celeber medicus Joannes d'Orlando, qui ex variis indiciis ei non nisi mortem præsagiebat, et revera non raro capitis dolore, febribus, ac nimio sanguinis fluxu jam jam videbatur moriturus. Mense Octobri anni* 1715 *ita lamentabatur, ut alius ejusdem Ordinis Religiosus, obiens exercitia spiritualia S. Ignatii in vicino cubiculo, confestim accurreret, credens moriturum.*

ex manuscriptis 126 *Ubi vero verbis paululum solatus erat ægrotum, recordatus est se in cubiculo suo habe-* F *re reliquias* S. Rosaliæ, *abiitque eas allaturus. Portatis ad ægrum reliquiis istis, hic fiducia plenus vovit Sanctæ inter alia adire montem Peregrinum, ibique celebrata Missa, prædicare in honorem Sanctæ de ejus laudibus. Nuncupato voto, mox recesserunt vicinæ mortis indicia, et melius habere cœpit. Hac de causa dictas reliquias e collo suo suspensas gestare voluit. Eodem tamen die apparuit deinde in ægroto tale indicium, ut id medico videretur* mortale, *dicente contra infirmo, se jam sanatum* S. Rosaliæ *patrocinio. Cum autem advenisset dies* I *Novembris, de quo ex prædicto indicio male ominatus fuerat medicus, se tandem vidit deceptum, dixitque eam esse gratiam divinitus acceptam, quam venerabili patri Camillo de Lellis, Ordinis institutori, attribuebat. Verum respondit P. Casimirus concurrisse forsan servum Dei Camillum; at palmam deberi* S. Rosaliæ, *quam viva fide invocaverat. Demum die* III *Novembris prorsus sanatus e lecto surrexit. Porro eidem Patri aliud non diu post obtigit beneficium: nam cum per horas aliquot gravi laborasset dentis dolore, tandem reliquias Sanctæ ori imposuit, et momento disparuit*

A *disparuit dolor. Utrumque beneficium suscripto nomine testatus est laudatus Andreas Bertolino.*

relata :

127 *Idem quoque aliud refert beneficium, quod concessum testatur cuidam sui Ordinis sacerdoti, ac viro sanctitate vitæ conspicuo, quem nominare noluit, sed patria fuisse Calatagironensem affirmat. Hic cum Panormi studiis navaret operam, multo affectu ferebatur in* S. Rosaliam *ejusque speluncam frequenter et pie invisebat in monte Peregrino. Post studia reversus in patriam, melancholicus primo, ac tandem phreneticus est effectus. Adhibitis nequidquam medicinis, malum ad octo fere menses duravit, donec die* IV *Septembris in festo* S. Rosaliæ *quispiam ex laudato Ordine ipsum inviseret. Ille phrenetico significat, diem illum esse* S. Rosaliæ, *cui Panormi satis fuerat devotus. Simulatque audivit* S. Rosaliam *nominari,* Adjuva me, *inquit,* S. Rosalia, adjuva me; ac memor esto obsequiorum quæ tibi Panormi præstiti. *Ac sine mora, mirantibus omnibus, sibi restitutus est, eaque de causa ab aliis vocatus est* devotus S. Rosaliæ.

B

in Vita piæ cujusdam monialis dicitur S. Rosalia

128 *Hisce apparitionem* S. Rosaliæ *cum Jesu, Maria aliisque Sanctis subjungam ex libro impresso, de quo hæc notavit Castiglia :* Vitam sororis Febroniæ Ferdinandæ a Jesu sanctimonialis, quæ in Panormitano S. Claræ monasterio magna virtutis opinione obiit die XXIII Septembris MDCCXVIII, scripsit ejusdem confessarius, Fr. Caietanus a Panormo, Ordinis Minorum Observantium lector jubilatus, et typis edidit Panormi *anno* 1733, *ut in titulo adjuncto legitur. Titulus libri, sed Italicus, est* Speculum universale *etc. Ex hoc autem libro, qui mihi ad manum non est, visionem cap.* 85 *pag.* 314 *relatam communicavit laudatus Castiglia. Rem partim compendio, partim ipsis verbis Latine redditis, lector accipe. Die* XV *Julii in festo inventionis* S. Rosaliæ *vitam solitariam Sanctæ considerabat soror Febronia, talemque sibi vitam vehementer optabat. Rapta tum fuit in spiritu, viditque sanctissimam Dei Genitricem cum Jesu puerulo, quem brachio gestabat : cum hisce quoque erant* S. Rosalia, *S. Franciscus et S. Bonaventura. Deinde a Jesu jussa est* S. Rosalia *alloqui Febroniam de statu suo, atque illa dicitur sic locuta :*

C

eam in apparitione allocuta verbis hic relatis :

129 Soror mea charissima, Sponsus noster per infinitam sapientiam suam te duxit ad Religionem, et me in eremum. Verum ego eo ducta fui, ut me solam facerem salvam, et tu in eo loco posita fuisti, ut aliorum etiam salutem procurares. Ego me eo modo salvare poteram, si vero fuissem in Religione, forsan non vicissem mundum, dæmonem et carnem, quia illustri nata genere, educataque secundum excellentiam humanam, facile poteram allici commoditatibus corpori congruentibus; nec tantum me humiliare potuissem et contemnere me ipsa, quantum amari poteram colique et æstimari ab aliis. Verum æterna Sapientia, quæ cernit omnia, me destinavit ad locum solitarium, valde absconditum et occultum, quod salvare me vellet; quia fortasse alio modo perdere poteram, quod nunc possideo. In te vero, charissima mea, cum sis paupercula, portata ab altissima Providentia tam prodigiose, ductaque ad hunc Religiosæ vitæ statum, locum habere nequit superbia, cum multa habeas, quibus te humilies. Insuper ad hunc locum te duxit æterna Sapientia ad utilitatem multarum animarum : itaque destinata non es ad utilitatem dumtaxat tuam, sed in bonum aliarum. Si tu existimas, soror, magis perfectam esse vitam solitariam in eremo; ego tibi dico, perfectiorem esse statum tuum Religiosum, quia non deerit, quod patiaris in Religione, si perfecta vivas observantia. Noli igitur mihi invidere; quia tibi assevero, me certo tibi invisuram, si capax essem invidiæ. O soror charissima, quantum obstricta es liberalissimæ dexteræ Dei nostri amantissimi, quia tantos tibi favores præstitit et amores. *Hactenus* S. Rosalia, *si credimus Vitæ auctori.*

Ex vitam.

et ex iis hauriri nequit argumentum alicujus momenti

130 *Quæret hic aliquis, an ex hac visione nequeat desumi argumentum contra monasticam sanctæ* Rosaliæ *vitam, et pro vita omnino ignota. Respondeo me nullam hujusce visionis mentionem facere voluisse, ubi de illis tractatum est, quia argumentum nullius ponderis hac relatione haberi puto. Nam primo non dicitur, utrum relatio istius visionis scripta fuerit ab ipsa sorore Febronia, an solum ab ipsius confessario, dum Vitam exaravit. Secundo non explicatur, an Febronia statim post visionem, dum recens erat memoria, eamdem conscripserit, aut confessario suo dictaverit. Itaque, etsi visio ipsa omnino esset certa, de quo judicare nequeo, cum Vitam non viderim : necdum scimus, an satis recte sit exposita, et an verba* S. Rosaliæ *satis exacte sint relata : neque enim tam longa oratio diu post exacte conscribi potuit, ideoque verendum est, ne præconceptas opiniones suas vel Vitæ auctor vel ipsa Febroniam visioni immiscuerit. Præterea, etiamsi constaret Febronia statim post visionem calamum assumpsisse, ut eam exacte enarraret, ne sic quidem satis esset certum, immixtas eidem non esse prævias ipsius opiniones de statu vitæ* S. Rosaliæ, *cum eas etiam immiscere potuerit statim post visionem, auditaque interne verba suo modo explicare, et defectu sufficientis memoriæ nonnihil immutare.* E

contra opinionem de vita Sanctæ monastica.

131 *Hac de causa recte dixit Papebrochius noster tom.* VI *Maii pag.* 246, *ubi agebat de revelationibus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis,* in talibus *(visionibus aut revelationibus)* nihil esse præsidii ad quæstiones pure historicas, seu sacræ illæ seu profanæ sint, prudenter dirimendas; proinde nihil ipsis Sanctis detrahi, cum talium veritas, citra ullum ad ipsas respectum, vocatur in controversiam, aliunde probanda vel infirmanda. *Hæc ibidem pluribus probantur exemplis, et ratio jam data est, nimirum quia solent opiniones naturaliter præhabitæ se immiscere visionibus istis, neque idcirco visiones istæ desinunt esse divinæ, et utiles ad finem intentum. Hujusce autem visionis scopus erat, ut Febronia contenta esset vita sua Religiosa, isque obtineri poterat, etsi eidem non explicaretur, an* S. Rosalia *ante vitam solitariam vixisset in monasterio. Demum in allegatis verbis ne quidem ullibi affirmatur,* S. Rosaliam *recta ex ædibus paternis ad solitudinem abivisse, aut numquam vixisse in monasterio : omniaque verba, quæ* Rosaliæ *attribuuntur, vera essent, licet per vitam monasticam gradum fecisset ad anachoreticam : quod enim dicitur,* Si vero fuissem in Religione, *facile intelligi potest,* sicut tu, *videlicet* ut vitam ibi finirem. *Hæc breviter observanda censui, quia adverti nonnullos existimasse aliquid in illo visione latere præsidii contra opinionem de monastica* S. Rosaliæ *vita.* F

CAPUT

Ex varis.

CAPUT VIII.

Prosecutio eorumdem miraculorum aut beneficiorum.

Multi Religiosi in Africam navigantes ad redimendos captivos

Anno 1725 S. Rosalia *insigne præstitit beneficium non paucis viris Religiosis ac sacerdotibus ex Ordine B. M. V. de Mercede, qui pro captivorum redemptione in Africam navigabant cum aliis quibusdam. Tota facti series mihi communicata est ex relatione Rdi admodum Patris Marci a S. Antonio definitoris generalis Ordinis jam laudati de Mercede, qui præsens fuit. Carthagine nova* * *in Hispania navi, cui nomen erat a* S. Antonio, *se simul commiserant ex Ordine de Mercede P. Melchior Garzia Navarrus provincialatu perfunctus, et redemptor pro provincia Castellana, ac P. Emmanuel Priego, prædicator regius, et pro eadem provincia* B *redemptor; ac jam laudatus P. Marcus a S. Antonio pro eodem regno. Totidem ex eodem Ordine erant pro regno Andalusiæ, videlicet PP. Petrus Ortega, Petrus Vos-Valler et Franciscus a Spiritu sancto. His Patribus adjuncti erant quatuor Fratres laïci ex eodem Ordine. Navem insuper ascenderunt P. Didacus Teglio jam dicti Ordinis, P. Genesius Matthæus Ordinis Prædicatorum, P. Alfonsus Torilla ex Ordine Trinitariorum, et Josephus Torres secularis. Hi omnes Carthagine nova solverunt die* XVIII *Martii anni* 1725, *ac die Jovis sancto, seu* XXIX *ejusdem mensis venerunt in conspectum portus, qui ab auctore* Farigna, *in tabulis Blavianis* Farina *vocatur, prope Tunetum, quo navigabant.*

* Cartagena

gravis tempestatis periculo liberantur post votum Sanctæ nuncupatum:

133 *Verum vento contrario impediti sunt, quo minus portum intrarent; die autem sequente versus Sardiniam rejecti sunt gravi tempestate, qua item sequenti Sabbato prohibiti sunt ab ingressu portus Calaritani. Hac de causa die Dominica Paschatis Siciliam versus cursum direxerunt navarchi, ut intrarent portum Panormitanum.* C *Verum hora vigesima prima Italica, seu tertia post meridiem, orta est nubes tam terribilis, ut humanam spem omnem abjicerent. Ad divina igitur conversi præsidia, voverunt* S. Rosaliæ *Missam solemnem celebrandam, si imminens periculum effugerent, et Panormum pervenirent. Vix nuncupatum erat votum, cum nubes illa in duas divisa est partes, ac navem reliquit in medio, in quam non nisi modicum quid grandinis incidit. Ventus quidem vehemens eo die continuatus est, sed sine ullo navis damno. Postridie vero, seu die Lunæ, 2 Aprilis, favente aura Panormum feliciter pervenerunt. Inde die Jovis sequenti omnes ante memorati Religiosi pedites se contulerunt ad montem Peregrinum, ut votum suum implerent: quod ibidem mira pietate et non modica solemnitate fecerunt. Demum sequenti die* VI *Aprilis totius beneficii relationem conscripsit, ac subscripto nomine confirmavit unus ex illis, nimirum jam ante dictus P. Marcus a S. Antonio, qui de pietate cujusdam Mauri infidelis erga* S. Rosaliam *hæc addit. Cum omnibus distribuerentur imagines* S. Rosaliæ *et quidpiam de terra sepulcri, Maurus in regno Tunetano natus, et dictus* Ali Almanzor, *ea* D *non minus avide expetebat quam Christiani. Causam vero rogatus a P. Marco, respondit,* gloriosam S. Rosaliam esse Sanctam Maurorum et Christianorum. *Notat Casliglia, idem factum esse relatum in Opusculo quodam Hispanice scripto ab Emmanuele Mariano Ribera, et impresso Barcinone anno* 1725, *cui titulus:* Real patronato *etc.*

Pavanæ in insula Cuba per Sanctam multa beneficia obtenta,

134 *Hisce subjungam alia quædem, collecta ex variis epistolis ex America scriptis in Siciliam. Scripsit hasce litteras P. Josephus Xaverius Alagna Societatis Jesu, patria Panormitanus, ac tunc degens Havanæ, unde eas misit Panormum, partim ad P. Antonium Ignatium Mancusi sæpe laudatum, partim ad P. Cajetanum Mariam Noto, qui ex iis mihi transmisit, quæcumque ad Sanctam nostram spectant. Porro in prima ex hisce epistolis. data* V *Septembris anni* 1738 *ad Mancusum, generalim scribit, cultum* S. Rosaliæ *vigere multumque augeri Havanæ, nomen Sanctæ multis imponi, multasque numerari gratias ipsius patrocinio impetratas, aliaque similia, quæ huc non transfero, tum quia de cultu Sanctæ in ditione Hispanica, cujus est Havana, nullum est* E *dubium; tum quia solum generatim relata sunt. Idem Pater anno* 1740, *eodem die mensis Septembris, ad P. Noto rursum repetiit multa per* S. Rosaliam *beneficia impetrari Havanæ, ac duo ex illis nominatim refert, affirmans ea esse facta suo tempore.*

puellula moribundæ sanitas illic restituta,

135 *Primum hoc modo exponitur. Puellula biennis circiter aut triennis gravi morbo ad extrema erat perducta: nam medicus ipse existimabat eo die, quo sanata est, se post Meridiem eam mortuam reperturum, quia jam aliquo tempore oppressa fuerat lethargo, ita ut nec cibum sumpsisset nec potum. Mater puellulæ multum dolens accurrit tandem ad collegium Societatis Jesu, ac flagitat consecratam* S. Rosaliæ *aquam, Accepta hac aqua, redit ad filiolam, multaque vi efficit, ut quidpiam ex ea aqua bibat, dicens esse* S. Rosaliæ. *Hac sumpta, subito oculos aperit puellula, vidensque mensam sanis ad manducandum stratam, ipsa quoque cibum petit, ac bene manducat. Mater, hisce visis, nullum aliud adhibere voluit remedium, ac sanam habuit filiolam, quam post paucos dies misit ad collegium Societatis Jesu ad eumdem Patrem Alagna, ex cujus epistola factum compendio tradidi.* F

et mens sana amenti:

136 *Alterum sic refertur. Virgo quædam primaria scrupulis primum vexata fuerat, ac deinde in amentiam deciderat, multum dolente ejus Patre, qui egregius erat* S. Rosaliæ *cultor. Hic itaque promisit celebrandam festivitatem cum oratione panegyrica de* S. Rosalia; *et sic exiguo tempore sanata est filia. Gratiarum actioni interfuit P. Alagna, qui id narrat ut beneficium* S. Rosaliæ, *non ut* apertum miraculum, *quemadmodum præcedens vocaverat. Multa deinde subjicit de devotione erga* S. Rosaliam *in alio oppido ejusdem insulæ, quod vocatur* Portus principis, *testaturque maxime invocari contra malum quoddam ibi particulare, quod describit. Verum nullum nominatim refert factum. De cultu autem* S. Rosaliæ *in Portu principis jam dixi in Commentario num.* 476. *Hac de causa tam illa prætermitto, quam alia, quæ subjungit de cultu ejusdem Sanctæ in Nova Hispania.*

periculosa alterius gangræna sanata:

137 *In epistola* XXII *Februarii anni* 1742 *ad eumdem P. Noto data P. Alagna speciale refert beneficium, puellæ septenni circiter aut octenni, ut ex visu conjiciebat, concessum. Fuerat illa diuturno*

A *diuturno morbo variis vicibus deducta ad supremum mortis periculum, ac tandem in maxilla et in mento ipsius apertum erat vulnus, quo se manifestabat nigro colore perfecta gangræna.* Mors ipsius, *inquit Italice,* momentis singulis exspectabatur, et jam parabantur necessaria ad sepulturam, quando proba mulier, ac devota S. Rosaliæ, eam visitans, dixit matri, bono esset animo, et juberet afferri aquam S. Rosaliæ, cum spe certa de sanatione filiæ obtinenda patrocinio Sanctæ. Ita factum est : venientesque eodem die medici summa admiratione detexerunt vulnus, videruntque tam colorem nigrum quam omnia alia gangrænæ indicia disparuisse. *Id accidisse testatur duobus fere mensibus, antequam scriberet, cumque initio vocet* gratiam singularem, *insinuat filiam a morbo suo perfecte sanatam esse, etsi post data verba nihil amplius habeatur in parte epistolæ mihi communicata.*

B

CAPUT IX.

Panormus variis vicibus servata a periculo pestilentiæ.

Panormus Priusquam *Actis* S. Rosaliæ *finem imponam, nonnulla supersunt commemoranda de urbe Panormo variis vicibus in pestilentiæ periculo servata, quæ in hunc locum distuli; ac demum quædam facta postremis hisce temporibus. Vincentius Auria in sæpe laudata Rosa cœlesti pag.* 103 *late exponit, qua ratione factum sit, ut anno* 1649 *periculum pestilentiæ esset Panormi, ac quidam jam peste obiisse dicerentur in gemino valetudinario istius urbis, consentiente Mancuso part.* I *pag.* 409. *Verumtamen pestis illa initio suffocata est, idque patrocinio* S. Rosaliæ *attributum a Panormitanis, qui idcirco jussu Vincentii Landolina urbis prætoris in gratiarum actionem die corporis inventi, seu* XV *Julii, insignem magno apparatu festivitatem celebrarunt in honorem Sanctæ. Iterum anno* 1656 *Panormus periclitata est a peste, quæ sæviebat eo anno* C *Neapoli, multisque aliis Italiæ locis, quod merces quædam infectæ Panormum clanculum essent introductæ per mercatorem quemdam Florentinum, teste Mancuso mox laudato. Verum exstincta fuit flamma, antequam innotuerat; idque favori sanctæ Patronæ suæ attribuit senatus Panormitanus, qui in gratiarum actionem ante portam speluncæ montis Peregrini erexit simulacrum marmoreum cum hac inscriptione :* Divæ Rosaliæ patriæ servatrici anno MDCLVI S. P. Q. P.

variis vicibus 139 *Rursum anno* 1619 *trepidatum est Panormi, quod pestis invasisset Conversanum, civitatem regni Neapolitani in provincia Bariana, recursumque ad* S. Rosaliam *jussu prætoris Panormitani, qui ante sacrum* S. Rosaliæ *corpus, et ante statuam ejus in spelunca montis Peregrini multas semper faces ardere voluit in honorem Sanctæ. Majus et evidentius fuit periculum sub initium hujus seculi, ut disco ex relatione Ms. R. P. Petri Mariæ Tagliarini, quam scripsit Italice et subscripto nomine confirmavit die* IX *Januarii anni* 1744, *tunc rector Panormitanæ domus tertiæ probationis Societatis Jesu. Didicit ille factum ex ipso, cui imminebat periculum, sed aliquot annis postquam acciderat, ideoque annum certum determinare nequit. Verum ex triginta annis, qui præterierunt post rem auditam, aliisque aliquot annis ante elapsis, utcumque colligitur, rem contigisse ante aut circa annum* 1710. *Præterea testatur, virum fuisse probæ vitæ, ac famæ integerrimæ mercatorem, cui periculum acciderat, quique haud dubie cavit, ne vulgo innotesceret, quamdiu erat periculum conflandæ cuiquam invidiæ. Itaque mirari non possumus, hoc* S. Rosaliæ *beneficium a nemine hactenus fuisse scriptum. Rem fideliter enarratam accipe.* *ex variis.*

140 *Scripserat D. Maximilianus Delbono ad mercatorem Tuneti degentem, quocum habebat commercium, ut sibi transmitteret tapetem e lana contextum, quales Tuneti texuntur, ut eo in domo sua uteretur. Diu post tapes ille transmittitur Panormum cistæ inclusus, ferturque ad ædes D. Maximiliani, non aperta in urbis introitu cista. Vesperi ille cistam aperit, ut lustraret tapetem, præsentibus uxore, filiis ac servis ipsius. Verum vix explicaverant tapetem, cum omnes subito vertigine ac febri se correptos sentiunt. Hinc cogitarunt tapetem illum advectum esse ex partibus peste infectis : ac revera adhuc* E *eadem vespera in se deprehenderunt tumores pestilentes. Itaque Maximilianus, ne fidem publicam læderet, mox domum suam obserari jubet, decernitque generoso animo rem manifestare magistratibus, qui publicæ sanitatis curam habent, ut prospicerent ne longius serperet contagio. Attamen, priusquam id faceret, voluit cum omnibus domesticis implorare patrocinium* S. Rosaliæ, cujus (si bene memini, *inquit,*) penes se habebat reliquias. Omnes igitur humi prostrati, Sanctam pie oraverunt, ut se patriamque suam eo liberaret periculo. His factis, cum magna de protectione Sanctæ fiducia cubitum iverunt : maneque evigilantes, viderunt disparuisse tumores pestilentes, seque funesto isti periculo divinitus ereptos. Qua de causa ex animo gratias egerunt sanctæ suæ Protectrici, reque nemini indicata, tapetem simul cum cista combusserunt. *Hæc omnia sibi ab ipso Maximiliano Delbono relata, testatur laudatus Pater.* *pestis periculo*

141 *Anno* 1720 *rursum patrocinio* S. Rosaliæ *attribuerunt Panormitani, quod pestilentia, quæ* F *Massiliam eo tempore gravissime afflixit, accensa non sit Panormi, quam istius contagii periculo expositam fuisse affirmant. Eam autem periculi Mancusus pag* 411 *allegat rationem, quæ si satis est certa, periculum fuit manifestum. Quippe asserit navem infectam, qua pestis Massiliam delata est, appellere voluisse Panormum, eoque cum navem dirigerent rectores, ter impeditos fuisse vento contrario, donec demum gravi procella longius rejecta sit navis, ideoque Massiliam directa.* *exposita fuit,*

142 *Vicinius et manifestius fuit periculum, quod a pestilentia imminebat Panormitanis anno* 1743, *quando illa sæviit Messanæ. Quanta pietate tunc Panormi imploratum sit Sanctæ patrocinium, exposui in Commentario num.* 309 *occasione expositi hunc in finem sacri corporis. Quam vero manifestum fuerit periculum, hic restat explicandum. Sæpe laudatus adjutor noster P. Noto sic ad propositum nostrum hoc anno* 1746, XI *Februarii Panormo Latine scripsit :* Minime tamen est silentio prætereundum, quod Panormi non sine maximo totius civitatis emolumento evenisse, nuper accepi. Carolus Tuca nauclerus Messanensis mense Maio anni MDCCXLIII *et præsertim anno* 1743,

 Messana

ex variis.

Messana Panormum appulit, et, nondum satis hic explorata Messanensi pestilentia, liberum habuit cum Panormitanis commercium. Post paucos dies febri primum corripitur : deinde bubonem, clarissimum pestilentiæ indicium, in se deprehendit. Accersito medico, venam sibi aperiri postulat impetratque, dolorem simulans : pestis tamen indicia pernicioso quodam animi rubore minime detegit. Cum tamen ex eo silentio et sibi ipsi et toti huic civitati maxime metueret, divam Rosaliam illacrymans invocat, votoque se obstringit invisendi sacram ejus speluncam, si convalescat.

ut probatur :

143 Res mira! Cum in tot animi agitationibus paulum conquievisset, ubi e somno evigilat, pestiferum tumorem jam evanuisse, et se sanitati prorsus restitutum advertit. Servatricem suam statim agnoscit : e lecto prosilit, et ad antrum S. Rosaliæ, ut spoponderat, accedit, et lætus deinde Messanam remigrat. Totum id autem silentio involvit, donec, restituto Messanensibus commercio, omnem rei seriem non sine lacrymis narravit reverendissimo patri P. D. Georgio B Caiuccio abbati congregationis Montis Oliveti, qui et ad me retulit. Idem ipse Caiuccius, qui in Messanensi contagio fuit, servatum se etiam a S. Rosalia prædicat, cui tabulam accepti beneficii testem, cum in metropolitani templi sacello, tum in Ercteæ speluncæ sanctuario, gratus appendit. *Idem* XVII *Julii ejusdem anni ita ad me scripsit :* Quo tempore Messanæ contagiosa lues sæviebat, quidam Messana profugus Panormum appulit, in publico valetudinario ex peste ægrotavit, ac tandem convaluit; quin tamen pestiferum morbum (quem nulli detexit) in eos, qui sibi ministrabant, derivaret. Quidam e nostris, suppresso profugi illius nomine, rem totam narravit, quæ plane S. Rosaliæ erga Panormitanos beneficentiam haud parum confirmat.

his autem periculis patrocinio S. Rosaliæ se ereptos,

144 *Ex dictis satis colligitur, non inanem fuisse Panormitanorum formidinem tempore istius pestilentiæ, sed manifestum fuisse contagionis periculum, ideoque pie adscribi potuisse* S. Rosaliæ *patrocinio, quod immunes fuerint a contagione, eidemque, cujus opem supplices imploraverant, gratias merito persolutas esse. Prolixum* C *esset, minusque necessarium est, omnia huc transferre, quæ in grati animi significationem præstiterunt Panormitani, eo periculo perfuncti. Quapropter pauca solum a P. Noto communicata ex epistola hujus anni transcribam, præmonens tamen varia jam facta esse anno* 1744 *in honorem Virginis Immaculatæ et* S. Rosaliæ. *At sequentia spectant ad annum* 1745 : Die XI Januarii anni præteriti MDCCXLV (qui dies solemnis est Panormi ob servatam hanc urbem ope S. Rosaliæ a terræ motu anni MDCXCIII) extraordinaria indicta est supplicatio, in qua præeuntibus Religiosis familiis, cleco ac capitulo, ac subsequen- Panormitano senatu, S. Rosaliæ reliquiæ a metropolitano templo ad senatorias usque ædes circumductæ sunt, ubi digesta undique luminaria, ac ludrici ignes festivo strepitu pompam auxere. Die XVI Maii (in quem eodem anno MDCCXLV incidit festum patrocinii S. Josephi, totius Siciliæ patroni) sublato jam omnis contagionis metu, atque expurgata cum reliquis finitimis oppidis Messana, Panormitanæ urbis reseratæ sunt portæ omnes, ac deinceps portarum ablatæ custodiæ. Sequenti vero die XVII Maii excellentissimus senatus, (quod decessor suus eodem die D anno MDCCLIV magna pietate præstiterat) ad sacram S. Rosaliæ cryptam se contulit, sacram Synaxim sumpsit, et scuta Sicula ducenta ad ejus altare donum obtulit. Prædicta autem omnia gesta sunt, prætore Josepho Emmanuele de Vigintimiliis, principe Pulchri Montis, qui præterea de sua pecunia sacellum S. Rosaliæ in ecclesia cathedrali æneis cancellis ornavit.

pie crediderunt Panormitani, eique festivas grates persolverunt

145 At Ignatius Migliaccius princeps Malvagnæ, qui proxime post illum præturam adeptus est, solemnitatem, quæ quotannis mense Julio per quatriduum celebrari consueverat (quæque anno MDCCXLIII et MDCCXLIV ad impediendam periculoso pestis tempore populi frequentiam fuerat intermissa) anno MDCCXLV maxima cum pompa quinque continenter dies celebrari jussit, innumeris prope hominibus, non ex vicinioribus modo, sed ex remotissimis etiam Siciliæ urbibus, turmatim Panormum confluentibus. Totius solemnitatis narrationem typis mandavit Petrus la Placa, Panormitani senatus cancellarius, sub hoc titulo : " I Trionfi di S. Rosalia V. P. do- " matrice della pestilenza etc. Panormi apud An- " tonium Epirum MDCCXLV in 4°. ". Sed et po- E pulus Panormitanus, editis per illos dies plurimis lætitiæ signis, haud parum solemnitatem cumulavit. Visebantur passim per vias ac domorum limina constructæ aræ, coruscantes faces, qua aquarum qua ignium festivi lusus, erectæ denique multo artificio moles quamplurimæ, in quibus collatum urbi a S. Rosalia beneficium ante civium oculos ponebatur. Simile quid iterum præstitere cives Panormitani eodem anno Nonis Augusti. Cum enim hoc die per singulas pene urbis vias, plateas, vicos, angiportus, ubicumque icones beatissimæ Virginis sunt (sunt autem innumeræ) festa quotannis exhiberi soleant spectacula; hoc anno una cum B. Virgine S. Rosaliam quoque expressere, Panormitanæ urbi in præsenti discrimine opitulantes, ut videlicet tantum beneficium utriusque patrocinio referre se profiterentur acceptum.

CAPUT X.

F

Præter Panormitanos alii quoque Siculi ipsique Messanenses tempore pestis, anno 1743 Messanæ vigentis, Sanctæ patrocinium implorarunt; nec frustra.

Sancta Alcami patrona electa ob pestem Messanæ vigentem; idemque alibi factum.

Porro non soli Panormitani tempore pestis Messanensis ad patrocinium S. Rosaliæ *confugiendum censuerunt; sed alii etiam id fecere. Imo vix dubitare possim, quin id factum sit per totam fere Siciliam, si non ubique communi ac publico consilio, certe privata multorum pietate, prout etiam hic Antverpiæ factum memini. Lubet pro exemplo adducere civitatem Alcamum, quam anno* 1625 *post acceptas* S. Rosaliæ *reliquias peste liberatam dixi in Commentario num.* 376 : *Alcamenses enim anno* 1743 *die* XV *Julii publicum nuncuparunt votum celebrandi quotannis festivitatem inventi corporis, idque*

A *idque per notarium Josephum Blasi in Acta referri voluerunt, additis subscriptionibus præcipuorum magistratuum. Ex Actis hisce, quæ mihi communicata sunt, præfationem huc transfero :* Cum contagiosa pestifera labe hæc civitas laborasset die IX Julii MDCXXV, beatissimæ Virginis Mariæ Miraculorum, ejusdem principalis patronæ, ac divæ Rosaliæ intercessione liberata fuit, ut omnibus notum est, et litteræ eminentissimi Joannettini Cardinalis Doria, tunc hujus regni proregis . . . sub die XXIII Septembris . . testantur. Memor modo tanti beneficii in præsenti universali regni timore ejusdem causa morbi, a quo Messana vexatur, tremens ac fidens, ut eodem patrocinio tueatur, decrevit ipsam sanctam Panormitanam virginem Rosaliam quoque in patronam accipere, et diem ejus inventionis XV Julii perpetuo sibi sub infra scripto solemni voto festivam facere et celebrare, et ut singulis omni ævo innotescat, ad præsentem actum devenire decrevit. *Formula voti hisce plane est consentanea. Hæc facta Alcami.* Sed et in reliquis Siciliæ urbibus S. Rosaliæ cultus est instauratus, eamque Servatricem in tanto rerum discrimine B reliquæ totius insulæ urbes agnoscunt et prædicant : *inquit P. Noto in epistola ad me data* XXII *Maii anno* 1744.

Flumine Dionysii et Messanæ, quando pestis sæviebat,

147 *Pergit deinde ad loca, in quibus sæviit pestis, ita scribens :* Quin et in ipsa Messana plures, qui ad ejus opem confugerunt, vel Servatricem vel Liberatricem experti sunt, de qua re nonnulla misimus sincera documenta. In oppido etiam, quod FLUMEN DIONYSII vocant, et duodeviginti passuum millia Messana distat, incolæ peste correpti, S. Rosaliæ opem senserunt, festum magna pompa celebrarunt ; et novum templum accepti beneficii monumentum erigere aggressi sunt : singuli cives, ecclesiasticis viris ac magistratu præeuntibus, lapides ad id suis humeris asportarunt. *Hoc anno rursum memoravit sequentia :* In oppido etiam Messanæ proximo, quod FLUMEN DIONYSII, vulgo FIUME DINISI dicitur, haud pauci fuere, qui in S. Rosaliæ imagine, aut in ejus sepulcrali pulvere adversus pestiferam luem pharmacum opportune nacti sunt.

non pauci crediderunt se patrocinio S. Rosaliæ

148 Dignus est, qui memoretur, doctor Joannes Dominicus de Joanne Panormitanus, qui oppidum istud nomine domini Calogerii Columnæ ducis C Cæsarodis ac marchionis ejusdem Fluminis Dionysii administrabat. Hic mense Maio anno MDCCXLIII, Messanæ cum moraretur, imaginem S. Rosaliæ depingi curavit, quam die XIV ejusdem mensis ab illustrissimo domino F. Thoma Moncada, Messanensis archiepiscopi generali vicario (nunc autem ejusdem urbis archiepiscopo) consueto ritu benedictam, ad proximum Fluminis Dionysii oppidum secum transtulit, et sequenti die in ecclesia cathedrali pia veneratione locavit. Post paucos dies Messanense contagium illuc illabitur, ac pene quingentos supra mille cives interimit. Gubernator oppidi, ubi duos e suis familis (quos ægrotos inviserat, et pulsui haud semel manum admoverat) peste exstinctos videt, S. Rosaliæ opem postulat, et cum reliqua familia servatur incolumis : quod eo magis S. Rosaliæ refert acceptum, quod deinde bis quotidie ex officio contagiosos omnes inviseret : quin et ad expurganda finitima alia oppida, peste sedata, designatus accesserit.

fuisse ab illo malo immunes,

149 *In documentis, de quibus mox num.* 147 *fit mentio, similia fere referuntur Messanæ facta. Varii scribunt se inter evidentissima pericula mansisse incolumes, idque attribuunt patrocinio* S. Rosaliæ, *cujus penes se habebant reliquias.*

EX VARIIS.

Primo D. Franciscus Carrascon, armaturæ militaris inspector et senator Messanensis scripsit Messanæ anno 1743, XXX *Augusti, sibi datas fuisse* S. Rosaliæ *reliquias,* Quæ, *inquit,* sunt unicum antidotum, quod semper mecum gestavi, ac Deo per patrocinium Sanctæ me obstrictum agnosco, quod in hoc conflictu me semper intrepidum servaverit et sanum. *Idem* I *Septembris ejusdem anni scripsit, incredibile esse, quantam pestilentia populo Messanensi intulisset ruinam : asseritque sæpe sibi* per cadavera corrupta et mire fœtentia eundum fuisse, *quando ad senatum, ad valetudinarium publicum, aut alia pro ratione muneris sui procedebat ; nec tamen officio suo deesse voluisse, sed mira animi tranquillitate omnia peregisse : oblatum quidem sibi a chirurgo fuisse antidotum, sed reliquias* S. Rosaliæ, *miramque de ope ipsius fiduciam sibi fuisse pro antidoto ; nec aliud se voluisse, ne fiduciam illam videretur minuere. Hæc pluribus verbis exposita sunt in laudata epistola. Porro quanta fuerit populi Messanensis strages, colligi potest ex annotatione P. Castiglia, quæ ita habet :* E Scripserat *(senatus Messanensis scriba ad proregem Siciliæ)* paulo ante *(diem* I *Septembris anni* 1743*)* usque ad illum diem viginti sex circiter hominum millia intra Messanensem urbem peste obiisse. *P. Hieronymus Maria Polara Societatis Jesu* XX *Martii anni* 1744 *ita scribit Italice, sicut reddo Latine* : Locutus sum postea cum plurimis personis, hic Messanæ similiter a malo servatis a S. Rosalia, cui se commendabant, ut mihi dixerunt. Multi etiam a morbo sanati patrocinio ejusdem.

aliqui etiam se sanatos asseruerunt :

150 *Antea in eadem epistola dicit laudatus Polara, se fuisse quasi* cadaver animatum, *non quidem febribus aut apertis mali pestilentis indiciis, sed molesta inquietudine interna ; atque in eo statu votum nuncupasse* S. Rosaliæ : *eadem vero nocte tam copiosum secutum esse sudorem, qui item nocte sequente continuatus, ut indumenta interiora frequenter fuerint mutanda. Tam firmiter porro credidit, se Sanctæ patrocinio fuisse sanatum, ut inferius sic loquatur :* Pro gratia mihi facta, id juro et attestor ut sacerdos indignus, me miraculo sanctæ virginis Rosaliæ vivum esse, obligatumque voto veniendi Panormum, eundique peditem a radicibus montis Peregrini usque ad speluncam, curandique celebrari F triginta Missas in honorem Sanctæ. *Mox addit de socio suo Petro Polara Societatis Jesu :* Ita etiam magister Petrus, qui item in vivis mansit miraculo S. Rosaliæ virginis. *Jam initio epistolæ idem de se ac socio suo dixerat, ibique addit, se votum jam dictum nuncupasse cum socio, postquam S. Martinus de Andrea, ipsorum socius, correptus fuerat peste, qua obiit* IX *Julii anni* 1743, *ipsis ei assistentibus. Quin et addit, se ambos creditos fuisse peste infectos, et jam mortuos. Petrus Antonius Bova Societatis Jesu, qui peste correptus fuit et convaluit, ita ad fratrem quemdam suum Panormi degentem Italice scripsit* XI *Aprilis anni* 1744 : De me possum dicere, mihi, dum malo eram obstupefactus, suggestum esse, ut confugerem ad Sanctam nostram. Id feci, vovens ei jejunium in pane et aqua, cui jam satisfeci die III Septembris, *nimirum in pervigilio Sanctæ.*

quin et a multis imminutio istius pestilentiæ

151 *Finem pestilentiæ istius etiam patrocinio* S. Rosoliæ *a multis attribui, disco ex litteris jam*

EX VARIIS. *jam laudatis. P. Noto de hisce ita hoc anno ad me scripsit :* Horatius Tarrianus, qui a secretis est Mamertini senatus, librum edidit Italico sermone sub hoc titulo : « Memoria istorica del contagio della citta di Messina » . . Ibi pag. 110 testatur a die XV Julii (quæ est anniversaria inventionis corporis S. Rosaliæ) anni MDCCXLIII imminutam fuisse Messanæ in dies singulos morbi vim, quod ejus cives in æde senatoria imaginem beatissimæ Virginis, ac S. Rosaliæ affixerint, et utrique quotidianas preces in Missa obtulerint. Eadem scribit auctor cujusdam libri Italici, cui titulus : « Istoria dell' anno MDCCXLIII » . . : additque lib. 3 pag. 262 in eadem æde senatoria publicas ob id Deo gratias Messanenses egisse. *Hæc confirmantur ex epistola, quam die* I *Septembris anni* 1743 *laudatus Horatius Turrianus direxit ad principem Bartholomæum Corsini proregem Siciliæ : nam in ea prorsus eadem asseruntur die imminuta a* XV *Julii pestilentia, deque imagine* S. Rosaliæ *in sacello senatorum una cum imagine beatissimæ Virginis locata, ac demum de utraque Patrona quotidianis* B *precibus invocata.*

et cessatio attribuitur patrocinio Virginis Immaculatæ et S. Rosaliæ :

152 *Tam hæc pestilentiæ imminutio, quæ passim* XV *Julii cœpta asseritur, quam integra cessatio non diu post præcipuam* S. Rosaliæ *festivitatem, et in ipso festo natæ Virginis Mariæ secuta, teste jam laudato Horatio Turriano, fecerunt, ut utriusque patrocinio liberationem civitatis suæ multi attribuerint Messanenses. Multi initio existimabant neminem peste obiisse in urbe Messana post diem* IV *Septembris* S. Rosaliæ *sacrum : at me monuit P. Noto, unum deinde innotuisse, qui ex peste ante contracta die* VII *ejusdem mensis occubuit. Hac de causa Turrianus integram cessationem recte affixit diei* VIII *Septembris, qua Virginis Nativitas celebratur, quaque credunt Messanenses Epistolam ejusdem beatæ Virginis ad Majores suos delatam fuisse, ut notat Turrianus ; sed de ea hic non disputo. De Flumine Dionysii hæc quoque scribit P Noto :* Illud etiam notandum, quod in eo oppido declinare visa est morbi vis a die IV Septembris, nostræ Virgini sacro, quo effusissimus imber, diu expetitus, e cælo lapsus, pestiferas sordes e D viis oppidi secum abduxit, atque aerem purgavit. Idcirco cives omnes S. Rosaliæ, quam sibi patronam adoptarunt, ædificando templo ea, qua in altera epistola scripsimus, solemnitate operam contulere. *Hactenus de iis, quæ occasione pestis Messanensis* S. Rosaliæ *accepta referuntur, in quibus manifesta quidem non sunt miracula ; varia tamen beneficia sic impetrata, ut pie et prudenter credi possit Sanctæ profuisse patrocinium, uti revera crediderunt Messanenses, qui anno* 1730 *Sanctum ritu solemni elegerant patronam.*

grata Panormitanorum in Sanctam Patronam suam pietas.

153 *Ceterum quam grata memoria Panormitani hactenus recolant istud* S. Rosaliæ *beneficium, ut urbi suæ reliquæque Siciliæ concessum, disco ex gemina hujus anni* 1746 *epistola. In priori P. Noto ita ad me scribit* XVII *Junii :* Parari jam cœpta sunt, quæ pro annua S. Rosaliæ celebritate futuro exhibenda sunt mense. Accepti autem beneficii recens memoria id efficiet, ut non minore pompa, ac fortasse etiam majore, quam anno præterito solemnitas sacra celebretur. *Hæc de festivitate corporis inventi,* XV *Julii peragi solita. De qua celebrata ita deinde* E *scripsit :* Magnificentissima omnium consensu fuit mense Julio annua S. Rosaliæ solemnitas, ad quinque dies producta, et novis aucta lætitiæ ac pompæ significationibus. Illud sane memoratu dignum, quod amplissimi principis templi interior facies ab imo ad summum, non jam holosericis, ut moris est, aliisque id genus ornatibus, sed tersissimis fuit obducta crystallis, quæ innumeris propemodum cereis luminibus repercussa, jucundissimum nocturno præsertim tempore oculis exhibebat spectaculum. Hæc autem prætari jussit Ferdinandus Maria Tomasi et Caro, princeps insulæ Lampadusæ et Palmæ dux, hoc anno iterum prætor, qui litteratorum etiam Mecænas in suis ædibus academiam, sub nomino PISCATORUM ORETÆORUM, pridem instituit, in qua eruditam de S. Rosalia dissertationem quotannis habendam decrevit. *Hæc in laudem Panormitanæ erga* S. Rosaliam *pro coronide adjungenda duxi. Utinam urbes singulæ sanctos patronos suos, si tanta nequeant magnificentia, pari certe pietate venerentur.*

C F

DE SANCTA ROSA VIRGINE

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI VITERBII IN ITALIA

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Cultus Sanctæ, scriptores Vitæ, Acta edenda.

PROBABILIUS ANNO MCCLII. Cultus Sanctæ Viterbii ex Martyrologiis

V*iterbium Hetruriæ in Italica civitas, provinciæ Patrimonii divi Petri caput, celebrat hoc die olim civem, nunc patronam suam* S. Rosam *virginem Tertii Ordinis S. Francisci alumnam ; quæ vitæ sanctitate, miraculorum frequentia ac incorrupti sui corporis prodigiosa integritate patriam suam illustravit. Duplici apud cives suos quotannis gaudet festivitate : altera* VI *Martii, quæ sine ulla solemnitate peragitur, altera hoc, ut diximus die, quæ summo cum apparatu ac frequentissimo populi concursu celebratur : de utraque infra sermo recurret. Porro inter sacros Fastos, qui hujus Virginis meminerunt, Romani Martyrologii editiones, etsi eam ad eumdem hunc diem referant, non eodem tamen cum titulo annuntiant. Editio Plantiniana Antverpiensis cum Notis eminentissimi Baronii excusa anno* 1613, *eam* Sanctam *appellat ;* Viterbii

A terbii sanctæ Rosæ virginis : *at aliæ, quæ ex eadem officina prodierunt,* Beatæ *dumtaxat titulum tribuunt hoc modo :* Viterbii beatæ Rosæ Virginis. *Eodem modo legit archiepiscopus Hydruntinus Franciscus Maria De Aste in Disceptationibus in Martyrologium Romanum.*

et Officiis propriis.

2 *Contra Arturus in Martyrologio Franciscano* Sanctæ *titulo insignit, ita scribens :* Viterbii sanctæ Rosæ virginis Tertiariæ : quæ humilitatis et pietatis operibus vacans, spiritu prophetico, signisque admirandis emicuit. *Arturo consonat laudatus archiepiscopus in Martyrologio Franciscano, Castellanus in Martyrologio universali, et Codex Usuardinus manu scriptus Hagenoyensis anno* 1412 *exaratus, apud Sollerium in Additionibus Usuardi. Sed undecumque hæc variatio in Romanum irrepserit,* Rosæ *titulum* Sanctæ *legitime competere, satis superque constat tum ex summorum Pontificum litteris ac nominatim Sixti IV, quas per decursum recitabimus, tum ex Officio* Rosæ *proprie a sacra rituum Congregatione anno* 1668 *pro universo clero cum seculari* B *tum Regulari per Viterbiensem diœcesim concesso, et a Benedicto XIII anno* 1728 *ad omnes utriusque sexus fideles, qui ad Horas canonicas tenentur, per totum Ecclesiasticum statum et Etruriam extenso. Ex his inquam satis superque constat,* Sanctæ *titulum* Rosæ *deberi, quandoquidem tam in præfatis litteris, quam in Officio constanter illo gaudeat. Idem videre est in Officio cum Octava de ipsa recitari concesso a sacra rituum Congregatione anno* 1743.

Scriptores Vitæ varii.

3 *Scriptores, qui* Sanctæ *nostræ meminerunt, longa serie recenset Arturus supra laudatus ad præsentem diem, et Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1252 *num.* 17, *ubi etiam monet, plures de ea exstare legendas Mss. et excusas incertis auctoribus, ex quibus simul et ex Processu vitæ et miraculorum unam compegisse ait Hieronymum Victorium Viterbiensem canonicum; negat tamen eam suo tempore excusam fuisse. An edita jam sit ignoro. Petrus Coretinus Viterbiensis Vitam Virginis ex professo conscripsit sermone Italico ex processu illius, ut ait, aliisque authenticis monumentis collectam, quam anno* 1638 *Viterbiensibus typis edidit. Verum ea* C *suis mendis non caret, prout ex iis, quæ per decursum animadversuri sumus, manifeste patebit. Eodem idiomate Vitam evulgavit anno* 1677 *Camillus Maria Rinaldus Florentinus e Societate nostra : sed cum is Coretino nimium credulus adhæreat, eodem cum illo habendus est loco. Vitam aliam Latine excudit anno* 1698 *Antonius Giannellus nostræ itidem Societatis. Profitetur hic in præfatione sua, nihil se scripturum, quod a Vitæ illius historicis aut certis monumentis non desumpserit : verum inter illos primum locum eidem Coretino tribuere videtur; unde ipsius historica fides in aliquibus vacillat.*

Acta priora authentica perierunt.

4 *Exstitisse quondam authentica* S. Rosæ *Acta, quæ dudum perierunt, habemus ex Processu pro canonizatione illius instituto, jussu Calisti III PP. anno* 1457; *in quo articulo* 10 *sic habetur :* Item decimo; quod vita dictæ beatæ Rosæ in pluribus authenticis scripturis antiquis una cum ejus miraculis cum descripta essent et annotata, ex negligentia et calamitate dictæ civitatis Viterbii deperdita fuerunt, et igne combusta; et quod de hoc est publica vox et fama. *Jacturam hanc irreparabilem aliquantulum leniverunt, si vera narrat auctor Vitæ manuscriptæ, monumenta quædam, de quibus ita meminit :* Ad cujus (S. Rosæ) commendationem et famam aliqua enarrabo, quæ in quibusdam instrumentis antiquis a fide dignis et devotis relata inveni atque fideliter conscripta, sicut supra dictæ personæ, se a supra dictæ virginis Rosæ ore audivisse et vidisse testatæ sunt. *Personas has auctor nusquam nominatim prodit, uti nec se ipsum : sed quisquis ille fuerit, Vita digna visa est, quæ in Processu examinanda et idoneis testibus ex constanti fama confirmanda proponeretur.*

AUCTORE C. S.

Vita cum Processu canonizationis

5 *Illam ipsam una cum Processu, cui, ut dixi, inserta est, descriptam ex autographo, quod apud moniales in monasterio* S. Rosæ *Viterbii asservatur, curantibus potissimum Possino et Vannio Societatis nostræ presbyteris, ad majores nostros transmissam habeo. Antiquum amplumque esse autographum testatus est R. P. Dominicus Brunaccius per provinciam Romanam Societatis Jesu tum temporis præpositus Provincialis in epistola ad Papebrochium nostrum Roma data anno* 1676. Difficultas, *inquit,* potissima, quæ se offert in describendo Processu formato pro canonizatione Sanctæ hujus, est, quod E integrum et satis amplum volumen evadet, præter difficultatem caracteris antiqui. *Ex hoc ultimo capite factum reor, ut quædam in apographum nostrum menda irrepserint, quorum aliqua manu propria correxit P. Vannius, emendaturus omnia, si per sanctimoniales licuisset.* Processum, *ait in epistola anno* 1681 *data,* S. Rosæ descriptum ex autographo penes me habeo. Non licuit conferre totum exemplum cum exemplari; quia moniales Viterbienses institerunt, ut citissime remitteretur : curavi, ut conferrem partes præcipuas.

hinc inde mendoso

6 *Quapropter lectorem rogo, ut ignoscat mihi, si in cognominibus, ac nominibus propriis citandorum testium hinc inde erravero, ea enim propter characteris difficultatem et ego sæpe et ipse verosimiliter divinare debuimus. Præterea videntur quædam in nostro apographo desiderari : id vero ex eo suspicor, quod Coretinus aliqua ex Processu narret, quæ ego in exemplari nostro non reperio. Eamdem Vitam habuit eminentissimus Baronius, prout ipse testatur in notis ad Martyrologium Romanum ad hunc diem scribens :* Accepimus ejus Acta ab ecclesia Viterbiensi... F Est eorum exordium : Inter alias. *In nostro tamen apographo præfatio quædam præfigitur, quæ incipit :* Quoniam ut ait Augustinus : *et recte, ni fallor; nam assignatum ab eminentissimo initium sic habet :* Inter alias autem : *quæ particula conjunctiva* autem *sermonis prosecutionem, non exordium denotat.*

edenda.

7 *Præfatæ Vitæ subnectitur fragmentum quoddam alterius Vitæ ejusdem Sanctæ, quod per decursum Vitam secundam appellabimus. Hujus auctor exorsus a referenda, in quam Sancta inciderat, infirmitate, extases in ea habitas enarrat; dein susceptum Deiparæ jussu Tertiariarum S. Francisci habitum cum multis circumstantiis, quæ ad fabulas proxime accedunt, describit : rursus cœlestes apparitiones immiscet. Denique S. Virginis exilium, adventum in castrum Surianum, et deinde in Vitorchianum refert. Hinc ad priorem Vitam remisso lectore, quædam subdit miracula. Ego vitam priorem utpote magis concinnam, integram et sinceriorem edam, ita tamen, ut in annotata translaturus sim ea, quæ secunda Vita seu vere seu fabulose reliquis superaddit. Huic Vitæ subjungam aliam in Officio Sanctæ*

AUCTORE C. S.

Sanctæ proprio in lectiones secundi nocturni per Octavam divisam. Lectiones primæ diei non recudam, quia reliquiarum quoddam compendium sunt : dies quintus, sextus et septimus aliis impediti Officiis lectiones proprias non habent : supersunt itaque lectiones duodecim, quas totidem distinctas numeris edam. Præter hæc Acta habemus etiam Processum, qui duabus partibus constat. In priori insignia miracula per sanctæ Rosæ *potens patrocinium impetrata longo ordine delegatis examinanda et a fide dignis testibus confirmanda exhibentur : in posteriori ea ipsa uti et Sanctæ Vita idonearum personarum testimoniis, jurejurando interposito, probantur confirmanturque. Primam partem totam excudam; secundam consulto prætermittam : cum enim in plurium, quam ducentorum sexaginta testium examinationibus, responsisque tota consistat, continua earumdem rerum terminorumque repetitio inutilem operi molem, lectori nauseam pareret. Neque tamen hinc aliqua ex parte studiosus lector fraudabitur; nam quidquid testimonia illa habent singulare, aut scitu dignum, id omne in annotatis suo quodque loco reperiet.*

B

§ II. Annus Sanctæ natalis incertus : emortualis inquiritur.

Anni natalis et emortualis nusquam exprimuntur in monumentis authenticis.

N*usquam in Actis aut Vita* S. Rosæ, *quæ legi, certum nativitatis aut obitus illius annum consignatum reperi; nusquam reperit Waddingus Ordinis Minorum Annalista. Posterius testatur aperte tom.* 3 *Annalium Minorum ad annum* 1252 *num.* 6 *sic scribens :* Omnia, quæ circumferuntur, ejus Acta consului, ut Vitam Ms., quæ servatur in monasterio, in quo jacet; neque ullibi habetur expressum certum mortis tempus. *Alterum suo de natali anno silentio satis indicat. Waddingo consonat Vannius Societatis Jesu, in litteris suis ad Papebrochium anno* 1686, *in quibus testatur, quod* neque in Vita inserta Processui Calisti III, neque in ullo authentico scripto (quam-
C vis, *inquit,* omnia monumenta, quæ in archivio Viterbiensi et apud moniales S. Rosæ servantur, diligentissime examinaverim) recenseantur anni nativitatis, obitus, ac translationis B. Rosæ. *Incerta æque est, in qua obiit, ætas. Quare nescio, quo fundamento nitatur Coretinus, dum lib.* I. *cap.* I *confidenter ait, illam anno* 1240, *verno tempore sub Pontificatu Gregorii IX natam esse : dumque lib.* 3, *cap.* 16 *velut ex tripode asserit, eamdem anno* 1258, VI *Martii, cum annos septemdecim, menses decem plus minus numeraret, vivere desiisse. Coretino nihilominus adstipulantur Rinaldus et Giannellus, sola ipsius, opinor, ducti auctoritate.*

Variæ de emortuali anno sententiæ : Waddingi exponitur

9 *Ast alii scriptores in figendo emortuali anno variant. Marcus Ulyssipponensis in Chronicis Minorum parte* 2 *lib.* 2, *cap.* 15 *Sanctæ obitum circa annum* 1261 *statuit : Bzovius tom.*13 *Annal. anno* 1254 *illigat : Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ eam pridie Nonas Septembris post annum salutis* 1254, *Alexandro IV summo pontifice, ad Sponsum migrasse existimat : eminentissimus Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, nullo anno assignato S. Virginem ad Alexandri IV tempora pervenisse, arbitratus est, quod tamen postea, ut num.* 27 *videbimus, retractasse dicitur. Contra Lucas Waddingus Annal.* D
Minor. tom. 3 *ad annum* 1252 *num.* 6, *et post eum Arturus in Martyrologio Franciscano statuunt,* S. Rosæ *obitum post annum* 1252 *protrahi non posse. Probat id Waddingus ex litteris ab Innocentio IV datis Perusii* VII *Kalendas Decembris anno* IO *Pontificatus sui, qui annus in Christi* 1252 *incidebat. Litteras has profert laudatus Annalista ex Reg. Vaticano epist.* 240. *Easdem recitat Odoricus Raynaldus tom.* 13 *Annal. Eccles. ad datum annum num.* 7 *citans in margine lib.*10, *epist.* 240, *et Antonius Bremondus in Bullario FF. Prædicatorum tom.* I, *pag.*218 *desumptas* Ex archivo Ordinis lib. A. fol. 730. *Epistolam hanc, quia præsentem controversiam dirimere videtur, totam ex laudato Bremondo huc transfero.*

et probatur ex epistola Innocentii IV

10 Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prædicatorum, et archipresbytero S. Sixti Viterbien. salutem et apostolicam benedictionem. Si * in Sanctis suis mirabilis et benedictus in secula Deus noster venerandæ memoriæ Rosam virtute ac fortitudine in hujus vitæ solitudine dicitur solidasse, ut in- E
ter mundanos incursus et vitiorum illecebras virginei floris integritate servata, per virtutum ardua immaculato calle pertransiens ac nitorem in conscientia perferens, foris aliis velut rosa redoluerit per exemplum, ac tandem secundum pietatis fidem, thronum gloriæ conscendere meruerit, choris virgineis sociata; prout clara miraculorum indicia, quæ in terris divina bonitas operari dicitur, protestantur, ne lucerna sub modio lateat, sed luceat ad veritatis agnitionem infidelibus, et fidelibus ad fidei fulcimentum; his sane miraculorum signis ac prodigiis dilectus filius Electus, clerum *, consilium et populus Viterbien. merito, quin potius meritorie excitati, nobis humiliter et humaniter supplicarunt, ut fidelium testimonia super ipsius novellæ Rosæ fragrantia, videlicet vitæ meritis et miraculorum assertionibus recipi faceremus. Ita quod, quæ felicitatis potiri creditur præmiis in Ecclesia triumphanti, in militanti quoque honore congruo celebris habeatur; et quæ gloriosa Dei Virgo coram hominibus claruit, pia innotescat patrona pro hominibus coram Deo. F

** Wadding. Sicut*

** alii clerus*

pro examinandis Sanctæ vita et miraculis scripta.

11 Nos igitur ipsorum laudabile votum favore benevolo cupientes prosequi, cum in re tam profundi judicii tanta expediat maturitatis cautela procedi, ut his, qui perversitatis hæreticæ fermento corrupti loqui audent mala de bonis, et in electis pingere maculam, ut Ecclesiæ sponsæ Christi species decoloretur in membris, nullus insultandi fidelibus aditus relinquatur : discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus super ipsius Rosæ vita et miraculis testes fide dignos atque legitimos, quos undecumque produci contigerit, coram vobis legitime recipere, ac de singulis circumstantiis juxta interrogationis formam, quam vobis sub Bulla nostra transmittimus, prudenter examinare curetis, et ipsorum dicta fideliter in scriptis redacta, et sub propriis inclusa sigillis, in diversis locis caute servanda deponere studeatis; donec prædictis Electo, clero, consilio, et populo nobis supplicantibus, vel motu proprio * ea viderimus requirenda, ut tunc eis inspectis, secundum Deum, prout motum nostrum res clarius nota formaverit, in negotio procedamus. Non obstante indulgentia, qua tibi, filii Prior specialiter

** Wadding. nostro*

A specialiter, vel Ordini tuo generaliter a Sede apostolica etc. Datum Pertusii vii Kalendas Decembris Pontificatus nostri * anno decimo. *Ejusdem prorsus tenoris hæc epistola est apud Waddingum et Raynaldum, præterquam quod totum titulum præfixum non habeat.*

* Pontificatus nostri non habent Wadding. et Raynaldus.

Waddingo adhæremus.

12 *Ex hisce Innocentii litteris assertum suum sic probat laudatus Annalista Minorum :* Ex quibus, *inquit*, evidenter deduxerim, vel anno præcedenti (1251) vel hoc ipso defunctam. Quippe in Vita ejus a pluribus descripta refertur, eam accepisse ab angelo mortem Friderici II, quæ incidit in finem anni MCCL. Cum vero sub finem hujus committitur a Pontifice, ut miraculorum ab ea patratorum efformetur processus, fit ut proxime præterito vel hoc ipso anno (1252) inter vivos esse desierit. *Hucusque ipse, cujus sententiæ ego subscribo ; quid enim huic ratiocinio solide objici possit, non video, nisi quis prædictæ epistolæ authentiam in dubium revocare voluerit, quod nemo hucusque, quod sciam, ausus est. Quin et ipse Coretinus, quique eum secuti sunt, misere se torquere malunt, quam eam ab Innocentio IV fuisse datam negare.*

B

Authentia epistolæ probatur:

13 *Et sane authenticam esse, probant tum allatæ supra a Waddingo, Bremondo, ac Raynaldo citationes, tum locus et tempus, quo data est. Nam Innocentius IV anno* 1243 *mense Junio ad Apostolicam Sedem evectus decimum Pontificatus sui annum mense Novembri* 1252, *quo epistola notatur, jam a quinque mensibus inchoarat. Quod autem id temporis Perusii fuerit commoratus, manifeste tradit Pagius in Breviario historico-chronologico-critico Pontificum Romanorum, ubi pag.* 320 *et seqq. docet illum anno* 1251 *Perusium advenisse, ibidemque Romanis merito offensum subsequenti etiam anno resedisse, donec tandem* 1253 *Romanorum vim veritus concesserit Assisium, ut habet pag.* 326 *num.* 62. *Præterea Innocentii IV jussu institutum fuisse examen pro canonizatione nostræ Virginis, testatur Ciaconius tom.* 2 *col.* 103 *de Innocentio IV dicens :* Viterbii B. Rosæ puellæ Viterbiensis canonizandæ examen commisit. *Non exstant quidem Acta processus Pontificis hujus jussu indicti, verum ea forte ipsa sunt, quæ* ex negligentia et

C

calamitate civitatis Viterbii deperdita et igne combusta *in formato sub Calisto III processu dicuntur.*

confirmaturque

14 *Vaticinium quoque de Frederici obitu refert laudata sæpe Vita, et ipse cum suis sequacibus Coretinus pag.* 69. *Omnes etiam illud anno* 1250 *in vigilia S. Nicolai, sive die* v *Decembris editum (quamquam Giannellus in Romanis numeris erret) unanimiter tradunt. Nec minor consensus est in assignando præfati imperatoris fatali anno ac die, qui fuit Christi* 1250, XIII *Decembris S. Luciæ sacer. De eo Pagium in laudato opere pag.* 316 *num.* 45 *audiamus.* Anno, *ait*, MCCL Fridericus olim imperator in festo S. Luciæ XIII Decembris extinctus, ut concors est omnium scriptorum sententia, si paucos excipias. *Unde corrigenda est Ms. Vita, ubi ait :* Paucis autem elapsis diebus, nova fuerunt delata in Viterbium, quod Federicus imperator hæreticus, qui persequebatur Ecclesiam Dei, in vigilia B. Nicolai defunctus est. *Hæc hallucinatio scriptori oborta videtur ex eo, quod crederet, eodem die, quo Sancta vaticinata est, vaticinium fuisse completum, verum id ad ejusdem veritatem neutiquam requirebatur. Hæc per transennam ; nunc sententiam nostram ulterius confirmemus.*

AUCTORE C. S.

sententia nostra ex alia epistola ejusdem Innocentii

15 *P. Vannius e Societate nostra in litteris ad Papebrochium* IV *Kal. Julii* 1686 *Roma datis duas recitat in hanc rem epistolas. Prior quæ ejusdem est Innocentii IV ad Priorem S. Matthæi Viterbiensem, ita habet :* Dilectæ nobis in Christo filiæ abbatissa et conventus monasterii S. Mariæ Viterbiensis ordinis S. Damiani, sua nobis conquestione monstrarunt, quod Petrus dictus Caputosto presbyter ecclesiæ S. Mariæ de Podio Viterbiensis auctoritate propria, juxta monasterium earumdem, quoddam ædificium, post denunciationem .... operis, et appellationem ad nos legitime interjectam, præsumpsit construere, in ipsius monasterii non modicum præjudicium et gravamen : ideoque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audias causam, et appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Datum Assisii v Idus Septemb. Pontif. nostri anno undecimo. *Fuit hic Christi* 1253.

E

et Alexandri IV,

16 *Alterum, quam exhibet Vannius, epistolam scripsit Alexander IV laudati Innocentii successor ad episcopum Viterbiensem. Ex ea discimus, ædificium illud, de quo Innocentius agebat, fuisse quoddam monasterium sub invocatione* S. Rosæ. *Verba Pontificis manifesta accipe.* Dilectæ in Christo filiæ abbatissa et conventus monasterii monialium S. Mariæ Viterbiensis ordinis S. Damiani petitione monstrarunt, quod cum Priori S. Matthæi Viterb. nostris dederimus literis in mandatis, ut ex parte nostra sub pœna excommunicationis inhibere curaret, ne quis infra spatium mille passuum ad passum Communis circa omnes fines monasterio isti contiguos et vicinos, monasterium seu oratorium, vel regularem domum transferre præsumat : si vero aliquod personarum religiosarum oratorium seu domicilium aut claustrum infra prædictum spatium esset constructum, cum in præjudicium prædicti monasterii constructum existeret, illud protinus autoritate nostra faceret demoliri .... Petrus dictus Caputosto presbyter Viterbien. in quadam domo, quam infra prædictum spatium obtinet, et quam monasterium S. Rosæ nominat, quasdam mu-

F

lieres religiosas nititur congregare in dictarum abbatissæ et conventus præjudicium et gravamen; eodem Priore in executione mandati nostri procedere negligente. Quare prædictæ abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc paterna sollicitudine curaremus. Quocirca fraternitati tuæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus dictam domum omnino demoliri faciens, procedas in aliis supradictis juxta directarum ad eumdem Priorem continentiam litterarum. Datum Anagniæ v Kal. Julii Pontificatus nostri anno primo. *Annus hic datæ epistolæ erat Christi* 1255.

ex quibus ostenditur obiisse

17 *Hinc fluit argumentum prorsus simile illi, quod supra ex Waddingo adduximus ; Innocentius IV anno Domini* 1253 *jubet inquiri de ædificio quodam, quod Petrus de Caputosto in honorem* S. Rosæ *moliebatur, ut ex Alexandri IV litteris manifestum est. Dicto igitur anno, Sancta nostra inter vivos esse jam desierat. Non potuit tamen illius obitus ante annum* 1251 *accidisse, cum in proxime præcedentis anni fine Frederici mortem prædixerit : restat itaque, ut eam intra annos*

AUCTORE C. S.

annos 1251 *et* 1253 *obiisse dicamus. Jam vero verisimile non est, Petrum de Caputosto statim a Virginis obitu sub illius invocatione monasterium ædificare cœpisse. Nec magis verisimile est, hæc ipsa Petri molimina, abbatissæ ac monialium delatas ad Pontificem querelas, obtentasque ab eodem hac super re litteras, et quidquid denique ille in promovendo, istæ in disturbando opere conati sunt, paucorum mensium spatio fuisse peracta. Supponamus tantisper, diem* VI *Martii* 1252 *fuisse* S. Rosæ *postremam : elapsos hinc usque ad subsecuti proxime anni* V *Idus Septembris menses* 18 *prædicta omnia facile exigere videntur. Rem sic elucido.*

sub Pontificatu Innocentii IV.

18 *Obierit Sancta nostra assignato anno ac die, post unum alterumve mensem clerus populusque Viterbiensis ex pio erga S. Civem suam affectu institerit apud Innocentium, ut vitam ac miracula ejus examinari juberet, cum tam recens eorum adhuc exstaret memoria. Ad illorum supplices preces missis ab Innocentio* XXV *Novembris ejusdem anni litteris paluit præfatus presbyter excitari, ut canonizandæ quamprimum, ut arbitrabatur,* B *meritissimæ Concivi suæ construendo monasterium, pietatis palmam reliquis præciperet. Contra sanctimoniales veritæ, ne id in monasterii sui damnum cederet, apud eumdem Pontificem de injuria expostularint, a quo et anno* 1253 *mense Septembri desideratas litteras adeptæ sunt. Novem hi menses, qui inter priorem posterioremque Pontificis epistolam intercesserunt, natæ controversiæ eo perducendæ videntur sufficere, ut commode perfici potuerint, quæ de illa in dictis litteris referuntur. At cum nec sic optatum finem obtinerent, ad Alexandrum Innocentii successorem recurrere coactæ sunt. Eruditum tamen lectorem hic monitum velim, priorem epistolam ex Vannii fide a me referri, qui cum Romæ habitaret, Vaticana Regesta potuit consulere, uti alias se consuluisse testatur. Atque hinc corruit eorum sententia, qui, ut num.* 8 *diximus,* S. Rosam *ad Alexandri IV, qui Innocentio IV successit, tempora pervenisse existimant. Quomodo enim sub Alexandri Pontificatu vixisse potuit, pro cujus utique defunctæ canonizatione duos circiter annos ante ejusdem Alexandri Pontificatum Innocentius Viterbiensium rogatu examen* C *jusserat institui? Quomodo sub Alexandro IV vixisse dicitur illa, cujus ut Sanctæ nomine monasterium jam erigebatur sub Alexandri decessore? Audiamus tamen, quibus argumentis hanc nostram sententiam convellere, suamque stabilire conentur adversæ partis sectatores,*

§ III. Refutantur argumenta huic sententiæ opposita.

Refelluntur

Quotquot hac in parte adversarios patimur, nituntur Actis processus pro canonizanda S. Virgine nostra jussu Calisti III instituti. Ad illa insertamque iis Vitam plurimi aperte provocant, tamquam ad certissima monumenta, a quibus nefas sit recedere : quidquid his contrarium profertur, ad ea velut ad amussim flectunt ac torquent. Fateor equidem non uno in iis loco asseri, illam ad Alexandri IV tempora pervenisse. Verumtamen Acta illa non tantæ apud me sunt auctoritatis, ut ab iis non liceat recedere, dum cum aliis authenticis, qualia supra protulimus, D *monumentis pugnant. Quid quod illi ipsi loci, ex quibus sua adversarii tela depromunt, semetipsos conficiant, et manifestam in auctoribus suis personarum ac temporum ignorantiam demonstrent? Dabo specimina.*

argumenta adversariorum

20 *Primus Processus articulus ita habet :* In primis ponunt, et, si opus est, probare intendunt, quod recolendæ memoriæ Rosa tertii Ordinis sancti Francisci de Viterbio jam ducentis annis elapsis vel circa, in civitate Viterbii tempore felicis recordationis Alexandri IV, et Federici II imperatoris vulgariter dicti Barbarossæ oriunda fuit miraculose etc. *Et inter testes* Nardus Mazzatoste de Viterbio . . . dixit, quod pluries audivit dici, quod dicta beata Rosa vixit Christiane tempore Federici Barbarossæ. *Item* Nicolaus Ciaccie de Viterbio . . . dixit, vera esse omnia et singula in dictis articulis et ejus Vita contenta, et recitando ea de verbo ad verbum, et maxime quod dicta beata Rosa nata ex patre matreque Christianis tempore Alexandri IV et Frederici Barbarossæ etc. *Rursum* Jacobus Magistri Oddonis de Viterbio . . . dixit vera esse . . . quod bea- E ta Rosa ex Catholicis parentibus Viterbii oriunda tempore Federici Barbarossæ vixit in summa virginitate *etc. Denique ipsa* venerabilis mulier domina Margareta Petrutii de Viterbio abbatissa monasterii B. Rosæ . . . dixit, vera esse . . . videlicet, quod dicta B. Rosa jam ducentis annis vel circa tempore Alexandri IV et Federici Barbarossæ vixit *etc. Pluribus, ne nauseam pariam, referendis supersedeo.*

ex Processu desumpta :

21 *Et fontem, ex quo contrariæ sententiæ propugnatores sua hausere : at quam lutulentus is sit, ex fœdo parachronismo, ac personarum confusione, quibus laborat, satis superque liquet. Age, rem discutiamus. Imperium Frederici Barbarossæ sive Ænobarbi, qui anno* 1190 *defunctus, jam* 60 *et plures annos obierat, priusquam Alexander IV Petri Cathedram anno* 1254 *conscenderet, illius, inquam, imperium cum ejusdem Alexandri Pontificatu contemporaneum statuunt, cum inter utrumque ultra* 60 *anni intercesserint. At error hic, opponet aliquis, circa solum nomen versatur : in priori enim ex allatis locis expressis verbis vixisse traditur* tempore felicis recordationis Alexandri IV et Federici II imperatoris, F *quamquam illum* Barbarossam *vulgariter dictum fuisse, ibidem perperam addatur. Atque ad hunc sensum explicandi sunt reliqui, qui Barbarossam dum nominant, Fredericum II intelligunt. Si ita : (nec enim lubet cavillari) illum omnes voluerint significare : verum tum etiam concedant necesse est, omnes illos hac in re turpiter errasse, atque adeo eorumdem in assignando, quo Sancta vixerit tempore, auctoritatem in his ipsis locis per se ipsam convelli.*

quorum sublesta fides

22 *Præterea vel sic in alium incurrunt parachronismum, dum Frederici II imperium cum Alexandri IV Pontificatu connectunt. Obiit ille anni* 1250 *mense Decembri; hic vero non nisi* 1254 *eodem mense, id est quarto post anno, universæ Christi Ecclesiæ cœpit præsidere : quomodo igitur* Alexandri IV, et Frederici II tempore *vixisse dicitur, cum imperator ille sub Innocentio IV Alexandri prædecessore ex hac vita migrarit. Avertit id procul dubio eminentissimus Baronius, qui in Martyrologio Romano ad hunc diem his Actis usus prædictum errorem tacite corrigere conatur, sic inquiens :* Claruit temporibus

Frederici

A Frederici imperatoris, pervenitque usque ad tempora Alexandri Papæ quarti. *Non dubito, quin hunc explicandi modum a Baronio suggestum ambabus ulnis amplexuri sint, quicumque cum Coretino opinantur: aliam quippe, qua sese expediant, viam non reperio. Verumtamen verba ex Actis relata aliud quidquam sonant, alium sensum præ se ferunt. Ponamus exemplum. Ecquis ex posteris nostris post ducentos annos legens forte, aliquem tempore SS. D. N. Benedicti XIV Pont. Max. ac Francisci I Augustissimi imperatoris floruisse: ecquis, inquam, ex posteris eum eodem illo tempore vixisse non arbitretur, quo ex divina providentia et ille universalis Ecclesiæ, et iste Romani imperii fræna feliciter moderabantur?*

ex parachronismo

23 *Quare ego sic existimo, testes illos omnes, quorum testimonia recitavimus, ex communi quodam errore retulisse sanctam Civem suam ad unum idemque tempus, quo Alexander IV Apostolicam Sedem, et Fredericus sive Barbarossa, sive II, imperium, ut arbitrabantur, simul tenebant; quod profecto nulla ratione potest subsistere.* B *Nec quisquam me ita opinantem temeritatis arguet, si pauca, quæ ex præcedentibus in unum contracta repeto, perpendere non gravetur. Ex communi certe errore factum esse patet, ut unanimi consensu Frederici II loco Barbarossam substituerint: quid mirum igitur, si ex simili hallucinatione Frederici imperium usque ad Alexandri IV Pontificatum extenderint, prout re vera extendisse, citata verba clarius innuunt, quam ut ulterius debeat probari. Sane magis mirum est, quod Ænobarbum, triginta circiter annos defunctum, antequam Fredericus II imperaret, cum eodem Frederico confuderint, quam quod posterioris hujus imperium pervenisse existimarint ad Alexandri IV Pontificatum, inter quem et dicti imperatoris obitum quatuor dumtaxat anni intercesserunt.*

ostenditur.

24 *Nec deest ratio, qua in errorem hunc labi potuerunt. Alexander IV, ut infra dicemus, Viterbii commorans sacrum Virginis corpus e templo S. Mariæ in Podio ad moniales S. Damiani solemniter transtulit. Hinc natum fieri erat, ut istius Pontificis nomen, tamquam optime de civitate sua meriti, in Viterbiensium ore, dum de* S. C Rosa *mentionem facerent, continuo versaretur. Cumque ex gratissimo hujus de Frederici II morte vaticinio (quem, quia Ecclesiam Dei persequebatur, Barbarossam appellare potuerunt) constaret, eam sub illo imperatore vixisse; facile hinc induci potuerunt, ut crederent, sub hujus imperio ac illius Pontificatu claruisse: præsertim cum Alexander IV Innocentio IV, sub quo* S. Rosam *floruisse manifestum est, fuerit subrogatus. Quis igitur certum me reddat, testes illos tam dubios, in assignando, sub quo vixit Sancta, Pontifice non fuisse lapsos; quis inquam id mihi persuadeat, etiam dum Innocentii IV litteræ contrarium declarant. Pergamus ad alia.*

Refutantur responsa circa bullam Innocentii IV

25 *Dixi num. 12, contrariæ sententiæ assertores malle se misere torquere, quam Innocentii IV epistolam, qua vitam ac miracula* S. Rosæ *examinari jubet, negare. En libero fidem. Coretinus lib. 3 Vitæ hunc capiti 12 titulum fecit, quem Latine hic reddo:* Pontifex Innocentius IV ordinat institui processum de sanctitate Rosæ viventis. *Dein post pauca ait:* Mandabat per suam bullam Priori S. Mariæ ad gradus ex Ordine S. Dominici, et archipresbytero S. Sixti Viterbiensi, ut vitam ac miracula ejus describerent, formarentque processum de sanctitate illius, cum ipsa esset ætatis duodecim annorum: ut posset eam postmodum canonizare: ut factum fuit. *Itane vero duodecim annorum puella* S. Rosa *adhuc inter vivos versabatur, et jam de canonizatione ejus solicitus Pontifex, supplicantibus clero, concilio ac populo Viterbiensi, de ejusdem Virginis vita ac miraculis mandat juridice inquiri, testimonia undecumque producta recipi, et quidquid denique fieri solet in processu Beatificationis Servorum Dei, diligentissime observari,* ut posset eam postmodum canonizare? *Novus enimvero et inusitatus usque huc in simili causa procedendi modus.*

auctore C. S.

et inania

26 *Viderunt id Coretini defensores Giannellus et Rinaldus, propterea que, ut fidem facerent, ad singularem illius sanctitatem recurrerunt. Juverit ipsorum verba audire. Prior lib.* I *cap.* 18 *exorditur in hunc modum:* Cum Rosa supra quam cuiquam credibile est, sanctitate excelleret, ut ei etiam extra ordinem honor haberetur, par erat. Quocirca eodem anno MCCLII, VIII *(imo* VII*)* Cal. Decembris idem Pontifex Innocentius IV Viterbium ad Cœnobitarum S. Dominici præpositum in præclaro S. Mariæ ad E gradus cœnobio, atque ad S. Xisti archipresbyterum apostolicas misit litteras, mandans, ut Rosæ, tum duodecim annos natæ, acta cognoscerent; quæque usque ab infantia supra naturæ vires operata esset, universa describerent: (honor præcipuus, et usque ad hoc tempus, quod noverim, S. Rosæ Viterbiensi collatus unice!) *Consonat Rinaldus, apud quem in annotationibus libro* 3 *adjectis leguntur sequentia, quæ ad substantiam ex Italico versa hic exhibeo:* Quod autem Innocentius tam singulariter cum virgine Rosa egerit, factum est propterea, quod ipsa in suis sublimissimis virtutibus, et maxime prodigiosis gratiis esset singularis: unde par erat, ut ex ordinario agendi modo eximeretur illa, quæ omnem prorsus ordinarium modum sanctitatis excedebat. *Ita illi: ast vereor ne extraordinarius ille honor vix ullam fidem apud eruditos inveniat.*

adversariorum

27 *Et vero quis illam in vivis crediderit fuisse id temporis, quo de ea Innocentius in data num.* 10 *et seq. epistola diserte asserit, quod* foris aliis velut rosa redoluerit per exemplum, ac tandem secundum pietatis fidem thronum gloriæ F conscendere meruerit, choris virgineis sociata, prout clara miraculorum indicia, quæ in terris divina bonitas operari dicitur, protestantur etc? *Quis, inquam, illam tum vixisse, persuaderi sibi patietur, quando de ipsius vitæ meritis et miraculorum assertionibus testes recipi jubebat Pontifex.* Ita quod *(verba sunt Innocentii)* quæ felicitatis potiri creditur præmiis in Ecclesia triumphanti, in militanti quoque honore congruo celebris habeatur; et quæ gloriosa Dei Virgo coram hominibus claruit, pia innotescat patrona pro hominibus coram Deo. *Poteratne Pontifex disertioribus verbis Sanctæ obitum exprimere? Enimvero quæ* secundum pietatis fidem thronum gloria conscendere meruit choris virgineis sociata; quæ felicitatis potiri creditur præmiis in Ecclesia triumphanti, *nescio, qua ratione illa inter mortales numeretur. Sane non aliter quam de defuncta jam Virgine Bullam hanc intellexit eminentissimus Baronius, qui, teste Feliciano Bussi in Historia Viterbiensi parte* I *lib.* 3, *ea perlecta, voluit Notam, quam in Martyrologio Romano de* B. Rosa *adscripserat, ita corrigi, ut in Alexandri locum* Innocentius *substitueretur, legereturque:*

AUCTORE C. S.

pervenitque usque ad tempora Innocentii Papæ quarti. *Testatur id laudatus auctor ita legi non solum in correctionibus Mss. Romæ in bibliotheca Vallicellana, verum etiam in editionibus posterioribus,* * *et nominatim in Antverpiensi Plantiniana anni* 1630, *cui hæc verba præfigantur*: Postrema vero hæc editio post ejus obitum nonnulla exhibet, quæ reddenda vel mutanda auctor ipse notaverat. Innocentium *etiam loco* Alexandri *legit editio Moguntina anni* 1631.

effugia

28 *Perspexere opinor, argumenti hujus vim Coretini defensores: quapropter ut sese expediant, rem mihi incredibilem comminiscuntur. Audiamus Giannellum l.* I *c.* 18 *disserentem.* Wadingus, *inquit,* Rosam curæ examinis ab Innocentio commissæ Viterbii morte præreptam credidit. Verum, cum hosce per auctores *(Waddingum et Ciaconium)* exploratum sit, pontificale diploma supra indicatum a summo pastore Innocentio IV datum: perque ejus in Sanctorum ordine reponendæ causam beatissimi patris Calisti III imperio cognitam (quod latuisse Wadingum, fateri

B

necesse est) liqueat, S. Virginem Innocentii superfuisse vitæ, dicendi sunt lapsi opinione librarii in transcribendis ab exemplari Apostolicis litteris, eam arbitrantes exstinctam, eo quod in more sit positum, ob illos, qui ex corpore jam excesserint, edi talia diplomata, qui error Wadingo aliisque deinde scriptoribus ita opinandi occasio fuerit; quemadmodum in hujus non æquiparabilis Virginis Vita, quam patria dictione accurate descripsit P. Camillus Maria Rinaldus Florentinus nostræ Societatis, argute disseruit. *Hucusque Giannellus.*

et cavillationes

29 *Hæc primum legenti mihi videbatur Giannellus dicere, Bullam illam postmodum a librariis interpolatam fuisse, adeoque eam, quam exhibuimus, non esse puram illam, quam ad Viterbienses transmisit Innocentius. At postquam ad fontes recurri, aliud prorsus deprehendi. Rinaldus enim, quem ille laudat, in additionibus ad lib.* 3 *pag* 234 *habet sequentia, quæ ex Italico Latine reddita subjungo*: Quem juridicum Processum, ex expresso mandato Calisti III confectum, si inspexisset Waddingus, haud difficulter credidisset, illam vixisse illo tempore, quo data fuit *(epistola Innocentii IV)* ex suppositione,

C

Rosam jam tum fuisse defunctam. Non foret casus extraordinarius, si errassent ministri, qui dictum Breve ex exemplari descripserunt. Cumque dari non soleat similis facultas formandi processum publicum de vita et virtutibus, nisi eorum, qui jam defuncti sunt, hinc facile illis ministris fuit in hunc errorem incurrere. *Itaque ex mente Rinaldi, adeoque et Giannelli, epistola a Waddingo cæterisque excusa, illa ipsa est, quam Innocentius transmisit Viterbium, sic tamen, ut præter ipsius mentem interpolata jam esset, atque immutata. Rem paucis explico. Innocentius epistolam conscribit, qua de vita ac miraculis S. Rosæ adhuc superstitis jubet juridice inquiri: hanc epistolam ministris suis transcribendam tradit: at illi simile examen non nisi de defunctis institui probe gnari,* Rosam *defunctam credidere: quapropter auctoritate propria Pontificis litteras mutant, mutatasque Viterbium destinant. Ita illi sentire videntur.*

examinantur.

30 *Sed pace illorum dixerim: argutum hoc ratiocinium mihi non probabile nedum argutum apparet. Hinc enim alterutrum admittant necesse est; videlicet vel quod transcribendas Pontificis litteras propria auctoritate mutaverint, vel quod Innocentius conscribendæ epistolæ negotium eis dederit, nulla de* S. Rosæ *vita aut morte facta mentione. Si primum; intolerabilis infidelitatis arguunt Apostolicarum litterarum ministros, quæ profecto non leviter asserenda, sed solide probanda esset. Si alterum, rem narrant non verisimilem. Nam qui fieri potuit, ut Pontifex tam singulari et usque ad id tempus, ut fatetur Giannellus, nulli prorsus concesso honore* S. Rosam *dignari volens, nullum de peculiari hoc favore verbum fecerit apud illos ipsos, per quos hac super re litteras suas conscribi mandabat. Adeone negligenter in re tam gravi tamque insolita procedebat Innocentius? Nefas est hoc de tanto Pontifice affirmare.*

Ostenditur inanitas prætensæ traditionis de instituto,

31 *Superest, ut aliud, quo opinionem suam tuentur, argumentum examinemus. Præter laudatum sæpe Processum, de quo satis disputatum arbitror, ad traditionem provocant adversarii. Audi Giannellum l.* I *c.* 18: Præterea a majoribus traditum accepere perpetuo sine ulla prorsus dubitatione posteri, inter vivos numeratam fuisse, cum diploma Pontificium transmissum est,

E

Rosam. *Idem habet Rinaldus in additionibus pag.* 234, *unde hæc deprompsit, seu potius vertit Giannellus. Quam antiqua hæc sit traditio, non inquiro: duo tamen mihi certo persuadeo. Primum est, natam hanc esse ex illa alia, ex qua* S. Rosam *ad Alexandri IV tempora pervenisse opinantur: alterum est, priorem illam jam viguisse, priusquam de posteriore hac Viterbienses cogitarint. Utrumque probo. Si verum est, Sanctam sub Alexandro IV diem suum obiisse, necesse est, ut ipsa etiamnum inter vivos versaretur, quando laudatum diploma ab Innocentio IV prædicti Alexandri decessore emanavit. Unde ex prima traditione per necessariam, ut ajunt, consequentiam sequitur secunda: sed non contra: licet enim supponas, quod Innocentius IV viventis adhuc* Rosæ *virtutes ac miracula examinari permisisset, confici hinc non poterit, eam ad Alexandri IV Pontificatum pervenisse: potuit quippe vita defungi intra illud biennium, quod a data anno* 1252 *epistola intercessit usque ad mensem Decembrem anni* 1254, *quo Pontificatum suum auspicatus est Alexander. Progredior ad alteram asserti mei partem.*

F

de viva Virgine, canonizationis examine:

32 *Negari non potest, quin post* 200 *a Sanctæ obitu annos viguerit ea apud Viterbienses opinio, quæ illam ad Barbarossæ ac Alexandri IV tempora refert; id enim repetitæ toties a testibus in Processu voces luculenter significant. At eodem tempore latuisse alteram, quam laudati auctores proferunt, traditionem, altum de ea in eodem illo Processu silentium non minus clare demonstrat. Nam quid causæ esse potuit, quod e tot testibus inventus sit nullus, qui de tam singulari prorsus favore verbum nullum faceret? Poteratne ad probandam* Rosæ *sanctitatem quidquam illustrius produci, quam quod ipsius summi Pontificis judicio digna visa esset, de qua duodecimum aut decimum tertium annum in vivis agente simile examen iniretur? Quæ igitur tam pertinacis silentii causa esse potuit, nisi quod insolitum illum honorem sanctæ Concivi suæ unquam collatum esse, ignorarent? Si autem ignorarint, ergo tunc temporis illa etiamnum latebat traditio: si tum latuerit, merito suspectam habemus traditionem de re tam insolita, præsertim cum Pontificis litteris aperte refragetur, nitaturque relatione testium, quos de temporum personarumque inscitia ne ipsi quidem adversarii nostri queunt*

AUCTORE C. S.

A *queunt excusare. Ex his omnibus concludo, prætensam illam a Rinaldo ac Giannello traditionem non plus roboris habere, quam habeat illa, unde nata est. Frustra igitur ex eadem sententiæ suæ præsidium quærunt, quippe quæ eam non modo non roborat, verum etiam non parum infirmat.*

et contra Coretini interpretationem concluditur.

33 *Porro epistolam Alexandri IV num.* 16 *relatam admittit Coretinus lib.* 3 *cap.* 14, *addens eam servari apud sanclimoniales, in quarum favorem fuerat concessa. Verum illam sic interpretatur, ut pro sententia sua cogat militare. In primis hunc capiti titulum præfigit :* Fuit erectum oratorium sub nomine S. Rosæ, dum adhuc viveret. *Deinde narrat, Petrum de Caputosto presbyterum, quo conscientiæ moderatore (ut ipse ait) Sancta utebatur, voluisse quasdam virgines congregare, quibus* Rosa *quindecim annorum puella præesset. Quod autem in Pontificiis litteris domus illa* monasterium S. Rosæ *vocetur, inde tantum probari arbitratur, illam dum adhuc inter vivos degeret, ob eximiam sanctitatem eo titulo fuisse donatam.* Non erat, *inquit,* S. Rosa auctor hujus monasterii, sed Petrus Caputosto presbyter, quemadmodum in Bulla legitur, in qua signata anno MCCLV, dum illa vivebat, Pontifex SANCTAM vocatam esse demonstrat. B *Ita ipse, et qui eum seculi sunt, quidquid opinioni suæ contrarium reperiunt, aut facile dilui, aut favere sibi existimant. Si Innocentii IV litteras proferas, quibus canonizationis examen indicitur : examen istud, viva Virgine, indictum contendunt. Quod si hoc cum Innocentii epistola pugnare ostenderis, facilis videtur ipsis responsio, dicendo, quod contra Pontificis mentem ex errore ministrorum acciderit, ut in ea tamquam de defuncta ageretur. Repones, inauditum esse, ut de quopiam vivo examen canonizationis instituatur? Ita est, inquiunt; sed* par erat, ut ex ordinario modo eximeretur illa, quæ omnem prorsus ordinarium modum sanctitatis excedebet. *Si* monasterium *sub* sanctæ Rosæ *titulo objicias, tantumdem effeceris : vivebat enim tunc, ajunt, isti monasterio præficienda : de titulo autem non est curandum, illo enim, Pontifice teste, viva gavisa est. Ecce quam misere torquere se debeant, ut popularem quamdam traditionem tueantur, quæ quam crebro fallat, docent elucubrationes eruditorum, qui certe oleum et operam perdunt, si similibus traditionibus tam authentica monumenta debeant cedere.* C

§ IV. Sanctæ sepultura et translatio : quæ de his Coretinus aliique scripserunt, discutiuntur.

Corpus Sanctæ humili sepulcro tumulatur.

Postquam beatissima Virginis anima ad cœlestis Sponsis amplexus evolavit, sacrum ipsius corpus non sine sanctitatis indiciis in ecclesia S. Mariæ de Podio terræ mandatum est, ut legitur in lect. VI *Officii Sanctæ proprii.* Corpus ejus miro splendore illustratum, suavique odore perfusum, in templo S. Mariæ de Podio, effossa humo ac desuper ingesta, tumulatum fuit. *De hoc sepulturæ loco omnes conveniunt, et ita diserte asseritur cum in Vita manuscripta, tum in Processu inferius excudendis. Coretinus lib.* 3 *cap.* 16 *tumuli situm distinctius assignans ait, Sanctam sepultam fuisse in ipso ecclesiæ introitu ad sinistrum latus prope aquæ lustralis vasculum : libro autem* 4 *cap.* 2 *addit, non loculo, ut in aliis funeribus assolet, inclusam, sed egesta tantummodo regestaque humo conditam fuisse. Locum hunc post translatum corpus ad sanclimoniales, apud quas nunc requiescit, etiamnum in honore haberi, scribit Felicianus Bussi Historiæ Viterbiensis parte* I *lib.* 7, *ubi ait, in eodem loco, in quo Sancta tumulata fuit, ad sinistram scilicet in ipso ecclesiæ ingressu, altare erectum esse cum hac inscriptione :*

Rosa.virgo.cœlestis.
quæ.adhuc.apud.vos.cives.vernat.
in.hoc.loculo.primum.abdita.refloruit.
ejus.plantæ.folium.non.defluit.
et.gratiarum.fructus.non.desiderantur.
ministrantes infirmis m. a. p. p.

A quo tempore hæc ara erecta sit, non indicat laudatus Felicianus : sed quantum ex inscriptione licet colligere, seculo XVII *antiquior non est, cum Clerici regulares* ministrantes infirmis *eam posuisse dicantur, qui sub initium prædicti seculi, eodem teste scriptore, Viterbium primum admissi, ecclesiaque S. Mariæ de Podio donati sunt.* E

Prodigium campanarum in ejusdem obitu examinatur

35 *Huc etiam spectat prodigium, quod Giannellus lib.* 1 *cap.* 21 *narrat in Virginis obitu accidisse ; videlicet hujus ecclesiæ, in qua sepelienda erat, campanas sponte sua sonuisse. Rem ipsius verbis refero :* Inventum est in libello memoriali cujusdam eorum temporum parochi, in sanctæ Virginis excessu, æra campana, quæ gemina erant ejus templi S. Mariæ in Podio, sonum reddidisse, nemine impellente, ultra unum diem. *Acceperat id Giannellus, ut in præfatione pag.* 14 *testatur, Viterbii ex P. A. Carriddo tum temporis Clericorum regularium, qui ei parœciæ præsunt, moderatore, qui a Giannello postmodum per litteras rogatus de fundamentis, quibus ea fama niteretur, eodem teste, respondit in hunc modum :* Anno MDCLXXIII quidam senex familiæ Servorum B. Virginis nostram domum venit, vocansque ad colloquium Patrem Achillem eo tempore domus Præpositum, ab eo petiit, ut campanas videret, ac memini, me quoque illuc ivisse. Invenit ille memoriam caracterum Gothicorum in majore campana, quæ nunc refusa fuit novissime, et fusa fuit anno MCIX. Et minor campana erat minus antiqua. Dictus religiosus vir narravit, lectum a se in cujusdam ejus temporis parochi scriptis memoriæ causa servatis, utramque per se sonum dedisse. *Hucusque ex P. A. Carriddi epistola Giannellus. Idem prodigium narrat Felicianus loco supra citato, affirmans id etiam ex traditione haberi. Ego unde hæc confirmem refutemve nil habeo ; verumtamen non video quomodo ex eo, quod in citatis scriptis legatur, campanam* utramque per se sonum dedisse, *deduci possit, id* in sanctæ Virginis excessu *accidisse, durasseque* ultra unum diem. *An forte id ita fert traditio? Sed illa non satis antiqua et certa videtur, ut indubitatam fidem inveniat. Quid enim causæ esse dicemus, quod nec in Vita manuscripta, nec in toto Processu ulla mentio fiat de tam memorabili prodigio? Quid, inquam, causæ esse dicemus, nisi quod traditio ista seculo* XV *nulla esset, aut certe tam obscura et incerta, ut contemnenda videretur.* F

36 *Jacuerat jam aliquot menses, aut potius annos*

AUCTORE C. S.

Ab Alexandro IV, trina apparitione prævia, transfertur.

annos in humili quidem, ut supra diximus, sed tamen miraculis claro sepulcro, sacrum Rosæ *corpusculum, cum tandem eo gloriosus in lucem erutum, elevatumque est, quo humilius latuerat. Concors est omnium scriptorum sententia fundata in Actis processus ac Vita manuscripta, translationem, de qua agimus, ab Alexandro IV summo Pontifice peractam fuisse. At de tempore non ita convenit: utrumque infra examinabimus, postquam rei gestæ seriem ex laudatis monumentis exposuerimus. Dum adhuc inter vivos degere* S. Rosa, *religiosæ vitæ desiderio flagrans, monasterium* S. Mariæ Rosarum, *quod modo* S. Rosæ *nuncupatur, adiit supplicans, ut in sanctimonialium numerum admitteretur. Repulsam passa sic vaticinata est:* Hoc vobis notum sit, quia quam contemnitis habere viventem, gaudebitis habere defunctam; quam et habebitis. *Vide si lubet cap. 4 num. 22. Nec inane fuisse vaticinium, postmodum eventus probavit: quippe cum Alexander IV Viterbii versaretur, ter ipsi apparuit his eum compellans vocibus:* Quoniam complacuit Christo computare
B me infra numerum Ancillarum suarum, Tu cujus vices tenes in terris, ne differas facere, quæ facere debes: sed cito pergens ad ecclesiam S. Mariæ in Podio, corpus meum inde levabis et portabis ad monasterium S. Mariæ Ordinis S. Claræ; quia ibi debet esse locus meæ quietis. Quod cum Papa primo et secundo neglexisset, tertio monitus intellexit, divinum esse miraculum. Surrexit protinus mane, et personaliter cum quatuor Cardinalibus accessit ad portentosum locum, et inde effodiens sacrum corpus, ad monasterium, de quo fuerat monitus, deportavit. *Hæc ex Vita manuscripta.*

Circumstantiæ a Coretino circa sepulturam

37 *Duas præterea circumstantias narrat Coretinus, quæ paucis referendæ ac discutiendæ sunt. Lib. 3 cap. 16 scribit, quod Viterbienses cum audirent, sanctissimam Civem suam jam animam agere, ad illius ædes acervatim venerabundi accurrerint: unde conjicere licebat, fore ut ex temeraria pietate sacrum corpus, cum efferendum esset, violarent, vestesque ac membra tamquam sacras reliquias sibi discerperent. Ut huic malo occurreretur, Sanctæ obitum aliquamdiu populo celatum, funusque clanculum terræ*
C *mandatum fuisse. Hoc porro factum esse ex mandato Alexandri IV, tradit in Summa chronologica de episcopis Viterbiensibus;* Sexta vero die Martii, *inquiens,* Rosa virgo Viterbiensis, sanctitate insignis ac innumeris clara miraculis obdormivit in Domino. Cujus corpus Pontifex *(Alexander IV)* ne tumultus devotionis causa fieret in populo, clam sepeliri jussit. *Quid de hoc Alexandri mandato censendum sit, liquet ex supradictis de anno emortuali, et ex dicendis de tempore translationis: quare ad alia progredior.*

et translationem assertæ discutiuntur.

38 *Idem auctor lib. 5 cap. 1 et 2, et post illum Rinaldus ac Giannellus inventionem corporis quodam prodigio illustrant, quod magis probatum velim, priusquam ei fidem adhibeam. Ajunt,* S. Rosam, *cum jam tertio Pontifici appareret, hoc illi corporis sui reperiendi signum dedisse; ut ubi rosam ex templi humo effloruisse conspiceret, ibi corpus suum quiescere ne dubitaret. His promissis excitatum Pontificem una cum Cardinalibus et clero ad designatum templum properasse, inventaque in ipso introitu rosa, ligone terram egessisse, ac sacrum denique corpusculum vivo simillimum non sine suo omnium-*

D *que adstantium stupore reperisse. Unde hæc de ista rosa didicerit Coretinus, ignoro: certe in tota Vita et Actis processus, quæ habeo, nusquam de rosa in translatione nata fit mentio, quamvis translatio sæpe numero memoretur. Habet quidem Ricciardus Tome in suo testimonio hæc verba:* Super cujus (Rosæ) sepulcro nata est quædam rosa miraculose, *sed non addit, miraculum istud in translatione contigisse, aut Alexandro IV in signum reperiendi corporis ab ipsa Sancta promissum fuisse. Deinde unius Ricciardi testimonium, silentibus reliquis testibus, suspectum mihi est; præsertim cum præmittat, se multa ex his, quæ testatur, didicisse* a quadam ejus paterna avia, cum ipse esset puer sexdecim annorum, et ipsa sexaginta annorum quinque et ultra: *hinc vereor, ne ad aniles fabulas hæc rosa rejicienda sit. Forte simile quid de reperto ibidem* S. Rosæ *corpore metaphorice dictum, in sensum proprium quispiam interpretatus est. Certe omnium ceterorum testium universale silentium rem ut minimum dubiam relinquit.*

Translatio ista peracta non fuit

39 *Superest controversia circa annum, quo hæc translatio peracta sit. Occasionem errandi* E *præbuerunt Vita manuscripta et Acta processus, in quibus decimo octavo post mortem mense contigisse asseritur; sed quam improbabiliter, patet ex § 2 et 3, ubi ostendimus, Sanctam anno 1252 certo jam vita functam fuisse, et quidem mense Martio, ut communis est sententia: unde consequens fit, ut jam 33 mensibus obiisset, priusquam Alexander IV Pontifex crearetur. Juverit nihilominus aliorum, qui circa annum emortualem nobiscum non sentiunt, sententias examinasse, eademque opera refutasse argumenta, quæ ex translationis tempore pro anno obitus stabiliendo depromunt. In primis occurrit sententia Coretini, qui lib. 3 cap. 16 ait:* Moriebatur illa (seu potius nascebatur, ut perpetuo viveret) anno MCCLVIII, VI Martii, nata annos XVII et menses X circiter. *Libro vero 4 cap. 1 et 2 translationem affigit* IV *Septembris anni* 1260. *Idem facit in Summa chronologica hisce verbis:* Alexander anno MCCLX Viterbium cum tota curia reversus est, ibique residens sacræ virginis Rosæ Viterbiensis post decimum octavum sui obitus mensem, tres in matutinis visiones habuit. Cujus eloquio monitus, ejus corpus ab æde F S. Mariæ de Podio, die IV Septembris ejusdem anni, ad sui nominis monasterium solenni pompa transtulit.

decimo octavo post mortem mense, anno 1260

40 *Hæc opinio se ipsam conficit, dum a morte Sanctæ obita* VI *Martii anni* 2258 *usque ad* IV *Septembris* 1260, *menses tantummodo* 18 *numerat, cum fere* 30 *intercedant. Error hic deprehensus emendatusque est in Officiis Sanctæ propriis, annis* 1668, 1728 *et* 1743 *cum approbatione S. rituum Congregationis excusis; in quibus inter Virginis mortem, corpusque translatum* triginti circiter menses *medii numerantur. At salva observantia Sacræ rituum Congregationi debita, dicere liceat, nec hanc sententiam veritati satis conformem videri, quemadmodum duobus paragraphis præcedentibus ostensum est. Contra Coretinum præterea facit, quod Alexander dicto anno* 1260 *non videatur Viterbii resedisse, sed Anagniæ. Colligitur id ex variis ipsius litteris, quas exhibet Raynaldus in Annal. ad annum hunc. Ad annum vero* 1258 *num.* 6 *asserit, illum sub initium Septembris Viterbio Anagniam profectum esse, ibique biennio circiter*, ut ejus, *inquit*, litteræ demonstrant,

A strant, *commoratum esse. Quod autem mense Septembri anni* 1260 *nondum Anagnia discesserit, eruitur ex epistola ad Pragensem et Olmucensem episcopos data* Anagniæ 2 Non. Octob. anno VI. *Ait quidem Coretinus in Summa chronologica, præfatum Pontificem eo anno Viterbium accessisse, ut palatium suum recens amplificatum viseret, sed non probat. Sed sit ita, ut vult Coretinus; nondum verisimile fiet, translationem* S. Rosæ *decimo octavo, aut trigesimo post obitum mense institutam fuisse. Vide dicta paragraphis præcedentibus.*

ut vult Coretinus ;

41 *Porro ne quis mihi hic Papebrochium nostrum objiciat, pauca ex ipsiusmet mente notanda sunt. In Conatu chronico-historico ad catalogum Romanorum Pontificum, verba Coretini jam recensita adoptavit. At postmodum agnovit errorem suum; et ut erat veritatis amantissimus, ne quis exemplo suo in eumdem incideret, manu propria ad marginem annotavit sequentia.* Hæc Coretinus parvæ apud me fidei scriptor, postquam animadverti, quam fœde is sit hallucinatus circa obitum B. Rosæ Viterbiensis, cujus B Vitam tamen ex professo scripsit singulari libello. Etenim ibi et hic eam asserit defunctam anno MCCLVIII, tempore hujus Alexandri, qui corpus ejus, ne tumultus causa devotionis fieret in populo, clam sepeliri jusserit; postea autem anno MCCLX, IV Septembris transtulerit, ad sui nominis monasterium, post decimum octavum sui obitus annum. *Deinde subdita, quam dedimus, correctione, concludit :* Proinde etiam istum locum expungere oportet, et usque ad mensem Septembrem differre quæstionem, an et quid Alexander in illius causa egerit. *Hæc Papebrochius : mihi vero certum videtur, virgineum* Rosæ *corpusculum ab Alexandro IV translatum fuisse : id enim evincunt tot recensiti in Processu testes, et continua, nemine contradicente, traditio, et Vita manuscripta : sed in assignato tempore erratum fuisse (qui error facile potuit irrepere) evincunt adductæ hucusque rationes.*

nec 1259, sesqui-anno ab obitu, ut aliis placet :

42 *Rinaldus lib.* I *Vitæ cap.* 20 *detecta Coretini hallucinatione, aliam init viam. Ac primo quidem Sanctæ obitum eisdem, quibus Coretinus, anno et mensi illigat : deinde translatas ab Alexandro sacras exuvias decimo octavo ab* C *obitu mense contendit, nixus auctoritate Processus, a quo recedendum non putat. Sed translationi huic annum non* 1260, *sed* 1259 *assignat. Rinaldo consentit Giannellus lib.* 2 *cap.* I, *ratus, hac ratione auctoritatem Processus sartam tectam manere. Verum dum illi de errore Coretini corrigendo soliciti sunt, alios non caverunt. Nam præterquam quod inter annum ejus emortualem, quem ultra* 1252 *differri non posse jam supra ostendimus, et annum* 1259 *septem anni intercesserint; unde probabunt, Pontificem cum sua curia, ut ipsi asserunt, eo tempore Viterbii resedisse? Enimvero contrarium suadent omnes Bullæ, quas ad prædictum annum exhibent, Raynaldus, Waddingus, Bremondus aliique, ex quibus omnibus colligitur, Alexandrum id temporis Anagniæ sedisse, prout num.* 40 *jam notavimus. Juverit tamen id paucis hic confirmasse. Residebat adhuc Anagniæ* XXVI *Julii, quo die epistolam ad generalem Magistrum Minorum scripsit signatam :* Datum Anagniæ VII Kal. Augusti Pontif. nostri anno V. *Incipitque* Mente sollicita, *apud Waddingum tom.* IV *Annal. in Regesto Pontificum. Nec inde aberat* XVII *Septembris; tum enim aliam ad FF. Minores destinavit cum hac subscriptione :* Datum Anagniæ XV Kal. Octobris Pontificatus nostri anno V.

AUCTORE C. S.

sed probabilius anno 1257 vel 1258, aliquot annis post mortem.

43 *Ex hactenus dictis alterutrum mihi certum videtur: videlicet aut tempus illud* 18 *mensium inter tumulatum translatumque corpus, perperam in Processu asseri, aut certe ad aliam, quam quæ ab Alexandro facta est translationem referendum esse. Si primum, potuit Alexander id præstitisse anno* 1257 *aut proxime subsecuto, cujus utriusque Septembri resedisse Viterbii, constat ex subscriptionibus litterarum, quas passim in regestis Pontificum et Bullariis legere est. Si autem verum sit, quod in Processu dicitur :* Nisi præfatus Alexander nimis propere ex humanis secessisset, dictam gloriosam Virginem jam annumerasset in catalogo Sanctorum et Sanctarum Dei, prout jam fuerat pollicitus, *cum sacrum corpus transferret : si, inquam, hoc vere dicatur, probabilius mihi videtur, translationem incidisse in annum* 1258 *Alexandri morti, quæ in Majum anni* 1261 *incidit, proximiorem. Atque hæc sententia, quæ circa* 18 *illos menses errorem in Processum irrepsisse statuit, mihi verior videtur, ut probant argumenta hucusque adducta.* E

Conjectura de sesqui-anno in Processu asserto.

44 *Quod si quis tamen omnino velit, non nisi sesquiannum inter humati translatique corporis dies intercessisse, is referat oportet tempus illud non ad solemnem illam ab Alexandro institutam translationem, sed ad aliam, quæ diu ante fieri potuit intra eamdem ecclesiam, quæque corporis inspectio potius, quam translatio dicenda sit. Hæc opinio forte non improbabilis videbitur consideranti pauca, quæ subjicio. Obierit Sancta* VI *Martii* 1252, *ut supra diximus : mox sepulcrum ejus, quemadmodum ex Vita et Processu habemus, variis miraculis cœperit inclarescere. Prodigia hæc una cum facta ab Innocentio IV instituendi examinis potestate nata erant inducere clerum populumque Viterbiensem, ut ipsius corpus inspicerent, repertumque omnis corruptionis expers, decentius humo mandarent. Id itaque exsequi potuerunt* IV *Septembris* 1253, *octavo decimo ab ejusdem obitu mense. Cum vero paucis post annis,* IV *itidem Septembris die ab Alexandro IV solennis illa translatio facta sit, hinc posteri ducentis annis post, cum jussu Callixti III Processus formatus est, inspectionem* F *corporis incorrupti facile potuerunt confundere cum ejusdem translatione. Ex qua confusione consequens fiebat, ut crederent, sacrum istud depositum decimo octavo post mortem mense translatum fuisse, adeoque sanctam Civem suam sub Alexandro IV vivere desiisse. Quo fundamento semel posito, necesse est, ut ad objectas ex Innocentii IV et Alexandri litteris difficultates respondeant; quod vitæ ac miracula* Rosæ *adhuc inter vivos commorantis juridice examinari jussa sint; quod eidem Virgini adhuc superstiti monasterium sub* Sanctæ Rosæ *nomine erigere voluerit presbyter Caputosto, et cetera, quæ abunde refutavimus. Fatendum tamen est, quæ modo de inspectione corporis diximus, meram esse conjecturam, ac proinde omnino incerta. Certiora de his omnibus haberemus, si acta examinis sub Innocentio IV indicti exstarent, quæ forte inter scripta illa authentica numerabantur,* quæ ex negligentia et calamitate dictæ civitatis Viterbii deperdita fuerunt et igne combusta, *ut habet Processus num.* 12.

Sententia eorumdem scriptorum

45 *Narrant præterea memorati scriptores, sanctimoniales, apud quas sacrum corpus depositum*

AUCTORE C. S.

situm fuit, Regulam S. Francisci, relicta Benedictina, in gratiam S. Rosæ *amplexas esse : quod si verum est, non parum ad Sanctæ gloriam, conceptamque de illius sanctitate existimationem demonstrandam facit. Audiamus Corelinum lib. 4 cap.* 2. Monasterium , *inquit*, et templum, dimisso antiquo titulo S. Mariæ rosarum cum Ordine S. Damiani et Regula S. Benedicti, assumpserunt titulum S. Rosæ cum Ordine S. Claræ et Regula S. Francisci; quam profitebatur beata Virgo, quamdiu vixit. *De mutato monasterii ac templi titulo satis mihi constat, at de Regula non item. Non inficior equidem, id ita fieri potuisse : exploratum enim habeo, sectatrices S. Claræ in duas classes abiisse; quarum altera Regulam S. Benedicti a Cardinali Hugolino, qui postea Gregorius IX dictus est, sibi traditam observabat, altera proprio S. Francisci instituto cum S. Clara regebatur. Potuerunt igitur sanctimoniales Viterbienses a priori illo Ordine ad alterum transiisse, ut ita ostenderent, quanti concreditum sibi thesaurum æstimarent. Sed cum Coretinus nullum hujusce rei monumentum citet,* B *et aliunde non pauca argumenta contrarium suadere possint, rem in dubio relinquo, donec quid certi producatur.*

de mutato instituto monialium ratione hujus translationis,

46 *Sane si vera sit illa Regulæ commutatio, mirari satis nequeo antiquiorum scriptorum, quas vidi, de re tam memorabili et ad Sanctæ gloriam honorifica, obstinatum silentium. Nihil de ea habet Vita manuscripta , nihil Acta processus, nihil Officium proprium. Tradunt quidem multi, præfatæ ecclesiæ et monasterio nomen a* S. Rosa *inditum fuisse, sed de admissa tum primum S. Francisci Regula nullum faciunt verbum, etiam tum cum maxime intererat fecisse. Quid quod etiam contrarium non uno in loco in Vita ac Processu asseratur. Nam in Processu quidem Contutius presbyter canonicus S. Angeli, prius rector ecclesiæ S. Mariæ in Podio diserte affirmat, monasterium istud, Virgine adhuc inter vivos superstite, fuisse* monasterium S. Claræ : *nam inter cetera sic de Sancta testatus est :* Ingredi voluit monasterium S. Claræ, nunc vulgariter dictum el monasterio di santa Rosa. *Et post pauca :* Licet ubi est ejus (S Rosæ) monasterium ad præsens, esset etiam per prius mo- C nasterium S. Claræ; tamen postquam corpus hujus Virginis illuc fuit delatum, mirum in modum supercrevit et crescit singulo die. *Quod autem per* monasterium S. Claræ *significetur* monasterium Ordinis S. Claræ , *eruitur ex Vita , in qua num.* 23 *sancta Virgo post obitum suum Alexandro IV apparens, sic eum alloquitur :* Pergens ad ecclesiam S. Mariæ in Podio, corpus meum inde levabis et portabis ad monasterium S. Mariæ Ordinis S Claræ. *Quid clarius dici potest? Sed nescio, studione an casu factum sit, ut præfati tres scriptores, dum de hac apparitione agunt, expunctis voculis* Ordinis S. Claræ *legerint;* portabis ad monasterium S. Mariæ rosarum.

non certa esse ostenditur.

47 *Neque dicas, monasterium istud locis citatis per prolepsim dici* S. Claræ, *ejusque Ordinis, quia videlicet moniales sese ipsius instituto postmodum subjicere : nam præterquam quod id gratis diceretur, verba Contutii prorsus contrarium sonant, cum diserte asserant, quod* ubi est ejus monasterium ad præsens, esset etiam per prius monasterium S. Claræ. *At enim, opponet aliquis in recitatis Innocentii et Alexandri epistolis prædictæ moniales appellantur* Ordinis S. Damiani. *Ita est ; sed hinc in neutram partem* D *concludi quidquam certi potest, cum ab ecclesia S. Damiani juxta Assisium , in qua Clarissarum religio sumpsit exordium* , Damianitæ *et* Ordinis S. Damiani, *omnes S. Claræ sectatrices olim appellatæ sint , sive S. Benedicti sive S. Francisci regula uterentur : quam ob rem etsi dimissa S. Benedicti regula, Franciscanam amplexa fuissent, non propterea Damianitæ esse desiissent. Denique ne longior sim, non disputo, an et quando Viterbienses Clarissæ vetus institutum suum mutarint : id unum dico, non satis mihi certum videri, id ab eis occasione hujus translationis factum fuisse : libenter sententiam mutaturus, si quis certiora attulerit.*

§ V. Corpus post aliquot secula ab omni corruptione immune perseverat; ignem perfert illæsum.

E

Corporis post aliquot secula integritas

Jacuerat jam multis mensibus virgineum Rosæ corpus , ut supra diximus, in ecclesia S. Mariæ in Podio sub terra, cum inde integerrimum omnisque corruptionis expers, elevatum et ad præfatas moniales translatum est. Prodigiosa hæc corporis integritatis eo mirabilior apparet, quo locus, quo depositum fuerat, humidior corruptionique inducendæ secundum naturæ leges aptior erat, ut recte notat Felicianus Bussi in Historiæ Viterbiensi parte* I *lib.* 3: *ubi in margine observat, Ecclesiam S. Mariæ dictam* del Poggio *ad radicem collis sitam esse, atque inde ob continuum aquarum defluxum esse humidissimam. Porro hæc sacri corporis integritas non sine perpetuo miraculo ad nostra usque tempora perseveravit. Tam concors est ea de re scriptorum omnium, qui Sanctæ meminerunt, narratio, ut de illius veritate nemo nisi stulte possit dubitare. Aliqua ex multis testimonia accipe. In primis in laudato Processu ducentis post Virginis sepulturam annis instituto, inter varios articulos, quo probatæ fidei personæ jurejurando confirmandos proposuere, octavus sic habet :* Item F octavo , quod ad ejus venerabile corpus, quod etiam usque nunc *(anno videlicet* 1457*)* miraculose ita integrum perseverat et illæsum, cujus caro calcatur, dum premitur inferius, et cum dimittitur, ad statum revertitur, licet sub terra humatum ac sepultum per annum jacuerit cum dimidio *(aut eo amplius)* sine macula et læsione aliqua; et singulo die omnibus illud videre volentibus ostenditur *etc.*

ostenditur ex unanimi scriptorum

49 *Codex Usuardinus Hagenoyensis scriptus anno* 1412, *adeoque antequam præfatus processus institueretur, apud Sollerium nostrum in Additionibus Usuardi ad hunc diem, eamdem corporis* S. Rosæ *(quam perperam abbatissam vocat) integritatem testatur his verbis :* In Viterbio sanctæ Rosæ virginis et abbatissæ, cujus corpus per plura tempora durans adhuc ostenditur integrum. *Fortunatus Hueberus in Menologio Franciscano parte* 4 *de eadem Virgine agens.* Corpus ejus , *inquit*, post quadringentos annos incorruptum , tamquam perenne et stupendum cælestis vitæ argumentum et amabile miraculum, ab omni hominum , Pontificum , imperatorum , regum , ducum , principum , grandium , nobilium

A lium et plebejorum conditione invisitur. *Illustre etiam est testimonium Lucæ Waddingi in Annalibus sui Ordinis, ad annum* 1252 *num.* 17 *in hæc verba scribentis :* Volvunt et revolvunt corpus sanctimoniales, et vestes superinducunt pretiosiores; idque absque læsione aut membrorum dissolutione. Habitum eam induerunt S. Claræ, et velum imposuerunt capiti, ob viventis desiderium de eodem habitu suscipiendo. *Ex quibus profecto liquet, carnem virginei illius corporis non modo incorruptam, sed etiam solidem vivæque similem permansisse.*

et oculato Papebrochii et Sollerii testimonio.

50 *Reliquis, ne longior sim, referendis supersedeo : non possum tamen, quin duos oculatos testes eosque minime suspectos adducam, Papebrochium ac Sollerium olim hujus Operis, ut erudito mundo palam est, egregios promotores. Horum prior in libello, quem de suo ab urbe Romana in Belgium reditu manuscriptum reliquit, inter cetera, quæ anno* 1661 *mense Octobri Viterbii degens, notatu digna existimavit, de Sancta nostra annotavit sequentia :* Templum quoque S. Rosæ frontispicio sibi recens concinne adjuncto, B ornatum *(est)* longe amplius, quam ductum externum frontispicium promittat. Supra aditum, chorum suum moniales habent, reliquum laquear gypseo nunc eleganter ornatum opere : ad dexterum majoris altaris latus locus est gypsea cælatura decorus, ubi inaurati clathri valvis interius ductis clausi : quibus apertis, vidimus post altare per lucidissimam crystallum, integerrimum B. Rosæ corpus, nisi quod vultus et manus alioqui plena carne conspicuas denigraverit flamma ardentis sacristiæ; nec uspiam hactenus corpus tam integrum vidimus. Amplissima theca, quæ tota interius conspiciebatur, sericis vestita rosis : caput Sanctæ serto ex argenteis rosis contexto bene grandi cingebatur. *Hucusque Papebrochius. Brevius Sollerius ad citata ex Hagenoyensi codice verba addit :* Ipsum *(corpus* S. Rosæ *integrum et incorruptum)* vidimus anno MDCXCVII, cum adhuc adventantibus expositum pateret.

Igne lipsanothecam ipsasque vestes in cineres redigente,

51 *Nec temporis tantum edacitati tot seculis restitit, verum etiam ignis vim sustinuit illæsum, sola, cujus ex Papebrochio meminimus, in tanti prodigii memoriam contracta nigredine. Audiamus Waddingum jam supra laudatum.* Incendio consumptum est anno MCCCLVII ejus seC pulcrum, igne devastante omnia, quæ erant in sacello : imo et vestes, quibus induebatur, incinerante, et annulos pleres, quos habebat in digitis, liquefaciente; nec tamen vim ullam aut læsionem minimam sacro intulit corpori, Deo ad insignis thesauri commendationem, obstupescentibus hominibus et monialibus, ab incendio corpus reservante. *Hausit hæc Waddingus ex Processu, in quo prodigiosa corporis ab ignis violentia præservatio pluribus locis a nominatis ibidem testibus, jurejurando interposito, juridice affirmatur. Juverit unum locum huic commentario inseruisse.*

idem corpus illæsum permansisse

52 *Miraculum sexagesimum primum fide dignorum testium juramento confirmatum sic habet.* Tempore etiam Domini, Domini Innocentii PP. VI, currentibus tunc MCCCLVII, cassa quædam lignea posita in cappella ecclesiæ beatæ Rosæ, prout etiam exstat in præsentiarum, igne casuali accensa, combusta est una cum omnibus et singulis jocalibus * et monilibus, quibus corpus dictæ gloriosæ virginis Rosæ ornatum erat et circumdatum hinc undique infra supraque. Jacebat enim tunc sacratum corpus prædictum in cassa præfata, prout etiam nunc jacet, nec aliquid aliud in dicta cappella remansit incombustum præterquam venerabile corpus præfatum, quod intactum illæsumque a prædicto igne fuit miraculose conservatum, acsi nullus ibi ignis adfuisset, cum cetera omnia essent jam in pulverem redacta usque ad vestimenta, quibus coopertum erat corpus prædictum, et monilia, quibus digiti ejusdem Virginis et caput ornatum erant; prout publica vox et fama est de præfato miraculo in civitate Viterbii, et prout manifeste adfirmabat vidisse propriis oculis et interfuisse, domina Clara, filia olim magistri Angelini de Viterbio et monialis monasterii præfati, quæ jam annis XXVIII vel circa obiit, cum esset in maximo senio constituta : pluries tamen in ejus vita id ordinate recencere solita erat pluribus personis, et præsertim Dominæ Franciscæ Benedicti, dominæ Margheritæ Paulutii, dominæ Margheritæ Stefani, dominæ Magdalenæ Johannis, dominæ Angelæ Petrutii et dominæ Jacobæ Angeli tunc et nunc monialibus dicti monasterii, et aliis E pluribus Viterbii, prout publica vox est et fama in dicta civitate Viterbii.

* i. e. gemmis vel annulis

AUCTORE C. S.

probatur.

53 *Porro miraculi hujus magnitudo exigit, ut indagemus, an personarum circumstantiæ cum dictis cohæreant ; hoc itaque paucis expediamus. In primis domina Clara magistri Angelini filia, testis oculata prodigii, mortua dicitur viginti octo annis, antequam anno* 1457 *Processus formaretur : obiit igitur anno circiter* 1429. *Cumque* in maximo senio *defuncta dicatur, demus, eam ad annum* 92 *vitæ pertigisse, adeoque anno* 1337 *natam esse : unde ulterius consequens fiet, ut anno* 1357, *quo miraculum contigit, annum vitæ vigesimum numerans in præfato monasterio monialis degere, et prodigii testis esse potuerit. Nec major est difficultas circa reliquas testes, quæ id ex Clara audiisse dicuntur, omnes enim cum ipsa in eodem monasterio vivere potuerunt, ut ex singularum ætate juridicis earum testimoniis adscripta liquet, quam propterea adjicio. Francisca Benedicti dicitur annorum* 64 *vel circa : Margaritæ Paulutii testimonium non reperi : forte amanuensis incuria prætermissum, aut nomen male descriptum est. Margarita Ste-* F *fani* 50 *annorum, Magdalena Johannis* 44, *totidemque circiter Angela Petrutii notatur. Jacobæ Angeli testimonium deest, nisi sit eadem cum Johanna Angeli Viterbiensi moniali, quæ etiam* 44 *circiter annos nata ibidem scribitur. Atque hæ omnes pro confirmanda miraculi, de quo agimus, veritate juratum testimonium dixerunt. Forte pro* Margareta Paulutii, *legendum est* Margareta Petrutii, *quæ juridice* interrogata super sexagesimo primo *miraculo* de corpore beatæ ab igne miraculose præservato,... dixit vera esse contenta *in eo,* prout sciunt universæ moniales.

Aliud item incendii periculum

54 *Præter hoc etiam alterum incendii periculum evasisse dicitur in eodem Processu articulo* 13, *ubi utrumque hisce verbis proponitur.* Item tertiodecimo : qualiter cassa et universa, quæ erant supra et subtus dictum gloriosum corpus, ubi erat reconditum, casuali igne combusta est et corpus præfatum sine aliqua macula *(inusta scilicet, nigredinem enim contraxisse, monuimus)* illæsum remansit, et immaculatum præservatum et intactum ab igne. Et qualiter inde post longum temporis intervallum a candela accensa, quæ per oblivionem monialium remanserat in dicta

AUCTORE C. S.

dicta cassa, licet combusta esset, a dicta candela et igne iterum ejus sanctum corpus miraculose remansit præservatum et intactum : et hoc est notorium, publicum et manifestum. *De priori jam satis dictum est : posterius vero etiam multis narratur inter miracula, quæ Vitæ Processui insertæ subnectuntur, ex quibus sequentia in compendium contraho. Anno* 1429 *nonnulli monasterium* S. Rosæ *accesserant, ut sacrum ipsius corpus venerarentur : quorum desiderio ut satisfaceret Margarita Petrutii, postmodum ejus loci abbatissa, cui cura ostendendi corporis ex officio incumbebat, lipsanothecam aperit, geminamque candelam, alteram ad caput Virginis, ad pedes alteram venerationis ergo, ut arbitror, de more accendit.*

a relicta candela, evadit,

55 *Postquam venerantium religioni satisfactum est, Margarita thecam claudit, candela, quam ad sacros pedes collocaverat, per inadvertentiam accensa relicta. Jamque horæ spatium effluxerat, cum ipsi negligentiæ suæ in mentem venit : nec mora cum Sorore Clara, quæ illi adfuerat, ad sacrum corpus tremebunda accurrit,*
B *thecam, quæ ex asseribus compacta erat, aperit, et candelam ardentem reperit, sed flamma innocua, quippe quæ nullum damnum intulerat, nisi quod in operculi tabula aliquam maculam inussisset. Verum hoc miraculum, si tamen ut miraculum habendum sit, exile videtur; nisi talis fuerit istius thecæ constitutio, ut ignem alioquin concipere necessario debuerit : prius certe prodigium multo illustrius est, ac ordinarias naturæ leges sine dubio excedit : ei quo magis excedit, eo magis admirabilem reddit virginei corporis integritatem, quod ignis violentiæ, quo cetera omnia et ipsa metalla dissolvebantur, illæsum restitit, et ita restitit, ut ne flexibilitatem quidem pristinam amiserit; quare merito in Officio Sanctæ proprio die* XI *Martii anni* 1743 *a Sac. Rituum congregatione denuo approbato legimus :* usque ad hodiernum diem integrum ac flexibile, universo orbe stupente, servatur.

Unguis e digito sacri corporis evulsus

56 *Sed admirabilem illam integritatem, cui furens elementum pepercit, sacrilega cujusdam avaritia violare sustinuit. Res pluribus narratur inter miracula in Processu relata, apud nos in Appendice a num.* 3 *: quapropter eam hic brevi*
C *tantum relatione exponam, additis quibusdam circumstantiis, quas aliunde cognoscere licuit. Cum Teuto quidam vir potens* S. Rosæ *corpus religiose inviseret, incessit eum cupido aliquam ex illo particulam venerationis ergo obtinendi. Itaque zelo suo non secundum scientiam indulgens, cum sanctimoniali, cui sacri corporis custodia commissa erat, oblata pecunia paciscitur, ut sibi unum e digitorum unguibus donet. Paret illa auro allecta, unguemque e digito violenter evulsum egregia custos Teutoni tradit : at ille, reddita iniquitatis mercede, in Allemaniam lætus revertitur.*

prodigiose renascitur.

57 *Non diu post simoniaca mercatrix sceleris sui atrocitate perculsa, miris animi angoribus concuti cœpit : ad conscientiæ remorsus accedebat timor, ne crimen suum, quod manifesto vulnere digitus exprobrabat, brevi innotesceret. Hisce animi angustiis agitata consiliique inops, ad Virginem, quam læserat, accurrit, uberrimis lacrymis scelus deflet, culpam fatetur, misericordiam implorat. Dum autem gemit et suspirat, oculos suos in digitum, quem sua avaritia deturpaverat, tremebunda conjicit; et ecce tibi, novum unguem in prioris evulsi locum prodigiose natum deprehendit, reliquis similem, nisi* D
quod illi subnigri essent, hic vero pellucida albedine niteret. Obstupuit enimvero monialis; nec mora, ad abbatissam properans, suum crimen simul et Virginis misericordiam palam confessa est. Ita quoad substantiam refertur loco citato ; ubi immediate auctor subjungit : Hæc ego, qui *(vel* quæ, *dubie enim vox exarata est)* superiora descripsi, oculata fida recolo me vidisse. *Nunc pauca notanda veniunt.*

Quædam circumstantiæ ad hoc miraculum spectantes.

58 *Coretinus miraculum hoc fuse describens lib.* 4 *cap.* 3 *ait, id non diu post translationem contigisse; digitum vero, a quo unguem avulsum diximus, esse quartum manus dexteræ. Addit, præfatum Teutonem in Allemanniam reversum sacras illas reliquias in magnifico sacello, in honorem Sanctæ exstructo, honorifice collocasse, ubi tempore, quo scribebat, scilicet circa annum* 1636 *etiamnum servarentur : sed locum non indicat : quod tamen, si vera narrat, maxime erat præstandum. Denique caput istud concludit his verbis, quæ ex Italico Latine reddo :* Spargebatur per civitatem et mundum hujus rei fama cum inexplicabili omnium admiratione : E
quandoquidem unguis evulsus in Germaniam delatus fuit, ubi hodiedum servatur, et in eodem Sanctæ digito conspiciebatur et conspicitur alter novus et albicans, cum prius omnes exsangues et nigri apparerent. Sed confirmatum fuit cum debita solemnitate et testimoniis istud miraculum, ordinatumque insuper, ut sacri corporis thecæ duæ claves haberentur, quarum altera apud abbatissam, altera apud unam e duodecim senioribus monialibus servaretur; prout in ejus Processu legitur. *Lib.* 5 *cap.* 7 *præterea asserit, episcopos Viterbiensem et Hortanum, cum anno* 1457 *Calixti III jussu* Rosæ *vitam ac miracula juridice examinarent, ad ejusdem Sanctæ corpus accessisse, et miraculum unguis prodigiose renati confirmasse : verum ego præter laudatam relationem, quam retuli nihil in Processu ea de re reperio ; unde suspicari licet, illa ab amanuensi omissa esse. Magis miror, nullum e tot testibus hujus rei meminisse : et forte id factum est, ut sanctimonialium famæ consulerent; neque enim miraculum istud poterant referre, quin simul simoniacam mercatricem commemorarent.*

F

§ VI. Veneratio a summis viris Sanctæ corpori exhibita.

Corpus Sanctæ venerationis causa

Tam *prodigiosa virginei corporis incorrupta integritas non modo vicinos populos, verum etiam summos viros, cum sacra tum profana dignitate conspicuos, ad sui venerationem attraxit. Exstant plurima de hac re in Processu jurata testimonia : unum et alterum accipe. In Nardi Mazzotoste Viterbiensis testimonio hæc leguntur:* In causa scientiæ dixit, quod corporis incorruptio patet ex aspectu oculorum omnibus illud videre volentibus : et quod ipse semper audivit dici, quod fuit sub terra per plures et plures menses; nec est possibile, prout ipse existimat, quod fuerit in tanta incorruptione præservatum, nisi miraculose. Et quod continuo præ devotione et reverentia, magna illuc populorum confluit multitudo, et præsertim in die solemnitatis suæ, cum exolutione votorum ex gratiis et miraculis, quæ

AUCTORE C. S.

A quæ dicuntur facta per ejus invocationem. *Nicolaus Ciacce in eadem canonizationis causa testatus est, se vidisse plures eminentissimos Cardinales, aliosque sacros præsules venerabundos accedere. Juverit ad Sanctæ gloriam ad particularia descendere, et Pontificum, imperatorum, regumque nomina recensere, qui sacras* Rosæ *exuvias venerati sunt.*

invisitur a summis Pontificibus,

60 *Coretinus lib.* 4 *Vitæ cap.* 10 *ad propositum nostrum de Eugenio IV hæc scribit :* Eugenius IV Pontifex, motus tantorum miraculorum fama, anno MCDXLVI ipse Viterbium advenit, corpus S. Rosæ magna cum devotione visitaturus; ubi per clerum ac populum de Rosæ sanctitate penitus instructus, ad eorum preces spopondit eam Martyrologio et catalogo aliorum Sanctorum inscribere. *Idem lib.* 5 *cap.* 9 *narrat, Pium II PP. anno* 1460, *iterumque* 1462 *easdem sacras reliquias Viterbii veneratum fuisse. Pari animo in Virginem fuit Julius II, qui, teste Feliciano in sæpe laudato Opere parte* I *lib.* 6, *die* XXVII *Septembris anno* 1509 *ejus corpus religiose invisit, eaque occasione sanctimonialibus* B *confirmavit facultatem a decessore suo Sixto IV concessam recitandi Officium de eadem Sancta in sua ecclesia et monasterio : adjecitque, se eamdem in Sanctorum album relaturum. Denique lib.* 7 *refert, Benedictum XIII anno* 1727 *similia pietatis obsequia* S. Rosæ *in suo corpore exhibuisse.*

a Sixto IV annuo munere

61 *Nec prætereundus hic est Sixtus IV, qui suum in admirabilem Virginem animum annuo munere testatum facere voluit. Breve hunc in finem concessum exhibet Coretinus lib.* 5 *cap.* 9 *in hæc verba :* Dilectis filiis Prioribus et Communi civitatis nostræ Viterbii Xistus Papa Quartus. Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum siquidem fe. re. Nicolaus Papa Quintus, Prædecessor noster per suas litteras in forma Brevis voluit, et Prioribus pro tempore existentibus, nec non Communi civitatis nostræ Viterbii mandavit, ut in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis singulis annis monasterio sanctæ Rosæ Viterbiensis, Ordinis S. Claræ, prout idem Nicolaus retroactis dudum temporibus institutum fuisse perceperat, de introitibus Cameræ Viterbiensis offerret et offerri faceret C solemniter in posterum tria tortitia ceræ novæ ponderis ceterarum ecclesiarum, quibus hujusmodi oblationes fieri solent. Cupientes igitur, in ipso monasterio peramplius Altissimum honorari, divinumque cultum adaugeri, volumus, et vobis Apostolica auctoritate mandamus, quatenus omni mora, dispendio, omnique conditione semotis, in ejusdem Purificationis tantumdem, et in S. Claræ tria, nec non etiam sanctæ Rosæ prædictarum festivitatibus alia tria tortitia ceræ æqualis aliorum tortitiorum de introitibus Cameræ Viterbiensis hujusmodi annis singulis fieri faciatis, ac demum in prædictis festivitatibus designatis ecclesiæ ipsius monasterii, ad omnipotentis Dei, ac Beatæ Mariæ, et sanctæ Rosæ hujusmodi laudem, exaltationem et gloriam cum ea, quæ convenit et decet solemnitate offeratis.

honoratur.

62 *Breve hoc ex fide Coretini recitavi, qui certe in assignando anno, quo datum dicit, non leviter lapsus est : ait enim fuisse* Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Januarii MCDLVII; *quo scilicet anno Sixtus Ecclesiæ gubernacula nondum tenebat : quippe qui non ante annum* 1471 *ad Pontificatum evectus est. Ejusdem Brevis meminerunt Rinaldus et Giannellus, qui illud anno* 1471 *concessum ajunt,* V *Novembris, ut addit posterior. In eo tamen hi tres conveniunt, quod dicant, anno* 1512 *die* V *Maii Viterbiensem Universitatem in generali concilio decrevisse, ut novem illa tortitia uno eodemque die* IV *Septembris, quo Sanctæ translatio celebratur, a magistratu, viris nobilibus, opificum collegiis, populoque Viterbiensi ad* S. Rosæ *ecclesiam imposterum solemniter deferrentur.*

Idem invisunt imperatores,

63 *Duos etiam imperatores, Sigismundum et Fredericum sua* S. Rosæ *corpori religiosa obsequi detulisse, testati sunt in causa Canonizationis oculati testes Jacobus magistri Odonis, et Michaël de Alexiis legum doctor. Posterioris testimonium tale est :* Ipse vidit imperatorem Sigismundum illuc cum magna reverentia ad dictum locum visitandum accessisse, jam viginti annis elapsis, vel circa : et similiter in anno jubilæi imperatorem Federicum una cum Cardinali Bononiensi, protonotario de Odæis, episcopo Vigintimiliensi et aliis prælatis; et illi monasterio oblationes plurimas fecisse. *Potuit Sigismundus id præstitisse anno* 1433, *quo coronam* E *auream ab Eugenio IV accepturus Romam contendens, mense Maio Viterbium ingressus est, ut habemus ex Odorico Raynaldo Annal. Eccles. ad hunc annum num.* 14. *Per Fredericum, IV aliis III intelligit, qui circa annum jubilæi videlicet* 1450 *in Italiam venit, corona aurea a Nicolao V coronandus. Adfuisse tum ipsi sacros præsules honoris causa a Pontifice missos ac nominatim Cardinalem Bononiensem, satis constat ex Ciaconio aliisque : de anno tamen non conveniunt, aliis* 1451, *aliis* 1452 *assignantibus. Hæc venerationis officia idem imperator repetiit anno* 1469 *Roma rediens, quam religionis gratia adierat, teste Coretino, et Feliciano parte* I *lib.*5; *addens, ea occasione concessas fuisse populo a Cardinalibus, qui in comitatu Frederici erant, quasdam indulgentias, quarum Bulla in ejusdem monasterii archivio etiamnum servetur.*

reges, aliique principes.

64 *Arturus in Martyrologio Franciscano ad diem* IV *Septembris ad propositum nostrum hæc habet :* Carolus VIII Galliarum rex Christianissimus in reditu suo ab expeditione Neapolitana F Viterbium adiens, in die Pentecostes visitavit corpus ipsius S. Rosæ virginis. *Ita ipse citans Additiones ad Monstreletum vol.* 3 *ad annum* 1495; *quo Carolum Viterbii fuisse, etiam notat. Coretinas de Episcopis istius sedis pag.* 164. *Recentiora duo exempla addit laudatus Felicianus, quæ priusquam huic paragrapho finem imponam, ex Italico Latine versa subjungo. Primum, quod ex Vita Sanctæ aucta et anno* 1702 *Viterbii recusa, in historiam suam retulit parte* I *lib.* 7 *sic refert:* Cum pari pietate et devotione nostra ætate visus est ad venerandum sacras sanctæ Rosæ reliquias prosterni Cosmas III magnus Hetruriæ dux, piissimus ac devotissimus princeps, dum anno MDCC ratione jubilæi anni sancti post honorata Romanæ urbis sacra loca, Florentiam suam rediens, transiit Viterbium, ibique eo solum fine substitit, ut istud obsequii tributum Sanctæ penderet. *Aliud eodem in libro tradit in hunc modum, sed verbis etiam Italicis :* Convenit exponere, quomodo anno MDCCXXV die XVIII Maii in hanc urbem advenerit majestas sua Jacobus III magnæ Brittanniæ rex, una cum sua regia consorte Maria Clementina Subiescki, eo uterque animo ut monasterium S. Rosæ ingressi sacrum corpus dictæ.

AUCTORE C. S.

ctæ Sanctæ honorando, spirituali sua voluptati indulgerent. *Plura in hoc argumentum adducere possum; sed hæc suffecerint.*

§ VII. Domus Sanctæ describitur, in veneratione habetur, et monasterii septis includitur.

Cella paternæ domus,

Auctor Vitæ, quam daturi sumus, illustrioribus, quæ Sancta palam gessit, prodigiis referendis unice intentus, nihil de ipsius domo ac cellula, actaque in ea vita solitaria scriptum reliquit: contra celebris est ejusdem in Processu mentio: quare ne quid lector desideret, huc transfero ea, quæ ad illustrandam sanctæ Rosæ *vitam privatam, ac domicilium conducere arbitratus sum. In ipso Processus limine hæc invenio:* In primis ponunt *(testes examinandi)* et si opus est, B probare intendunt, quod recolendæ memoriæ Rosa tertii Ordinis sancti Francisci .. hujus seculi contemnens illecebras, ad amorem supernæ cælestis gloriæ tracta, ejus carnem jejuniis, continuis vigiliis, durisque castigationibus ac cilicio præ caritate et grandi ad omnipotentem Deum affectum macerabat, vilissimo semper habitu ac zona, et asperis tunicis contenta, permagna humilitate et subjectione in arctissima cellula ad modum carceris orabat et contemplabatur. *Totidem pene verbis idem affirmavit venerabilis domina Margarita Petrutii, monasterii* S. Rosæ *abbatissa, inter cetera testificans,* quod dicta B. Rosa.. vixit in civitate Viterbii in summa virginitate, continuis jejuniis et orationibus ejus corpus macerans, et in arctissima cellula instar carceris ædificata prope ecclesiam sanctæ Mariæ in Podio, quam præfata testis deponit, se vidisse et ibidem præ magna devotione fuisse.

in qua Sancta vixit, describitur ex Processu:

66 *Eamdem domum ac cellam paulo latius describit R. D. Contutius ecclesiæ S. Angeli de Spata Viterbii canonicus, de cujus juridico testimonio ita loquitur Processus:* Dixit... quod jam triginta annis elapsis vel circa, ipse fuit rector S. Mariæ in Podio, et quod ipse bene re- C cordatur, quod in dicta ecclesia *(id est parœcia)* erat domus quædam, quæ vulgariter dicebatur la casa di santa Rosa, tam ad ejus convicinis, quam ab aliis hominibus civitatis Viterbii; quam domum ipse testis pluries vidit, ubi plures imagines Sanctorum et Sanctarum Dei depictæ erant, quæ videbantur profiteri maximam antiquitatem. In qua domo erat etiam cellula quædam arctissima in modum speluncæ, ubi erat fenestrella quædam ita exigua, quod vix puer inde potuisset exire: quæ cellula vulgariter dicebatur LA CELLA DI SANTA ROSA. *Hæc ex actis Processus: at Giannellus in sæpe citato Opusculo suo lib.* I *cap.* 4 *longe fusiorem descriptionem tradit, additis etiam venerationis ejusdem loci exemplis, per cœlestes favores comprobatis. Priusquam illius verba recito, juverit ex ipsomet notasse, quæ auctoritate nitantur.*

et latius ex Giannello.

67 *Itaque in prœmio sic præfatur:* Præterea quædam præcipua inserui, quæ mihi descripta misit super sanctæ Virginis domo cum miraculis in ea editis, tum majorum suorum tempore, tum suo, Joannes Antonius Gnazza, civis Viterbiensis, humani divinique juris peritus, cujus tunc adolescentuli parentes, monasterii S. Rosæ D virginibus illam venderent (erat enim ex matris ejus bonis) quando (juxta prædictum a Diva parenti suæ) in unum coagmentanda erat corpus cum eodem monasterio: affirmavitque jurejurando, duobus testibus advocatis, libellioni auctoritate apostolica eohonestato, se ea, quæ circa domum enarravit, vel vidisse suis oculis ipsummet, vel a majoribus exaudisse. *Hisce præmissis rem ipsam accipe. Postquam ex Vita manuscripta retulisset,* S. Rosam *impetrare non potuisse, ut in monasterium, in quo nunc jacet, admitteretur, narrationem suam in hæc verba prosequitur:* Æquo libentique animo ferens repulsam, asceterio non concesso suæ domus cubiculum mutavit adeo arctum, ut vix ipsam cum paupere cubili et parvulo altari caperet; cum ipsa etiam domus esset valde angusta: constabat enim duabus habitationibus tantum, ampliore altera, quam aulam denominant; altera arctiore; supra quas erat horreum. Arctiori conclavi contigua fuit cella, quam sibi Rosa vindicaverat, vice carceris (ut ajebat) cavata intra crassum arcis murum (cujus muri adhuc cernuntur indicia) E longa palmos circiter decem, circiter quatuor et dimidium lata, aliquantulum lucis a fenestrella palmari excipiens. Hoc habitu usque ad XII Calendas Majas MDCLXI, quo ejus possessionem iniere ascetriæ, S. Rosæ est servata domus; ac semper ei ab incolis veneratio est habita, nec exiguo equidem cum fructu.

Puerpera in eum se recipiens, prolem a veneficiis incolumen servat.

68 Laura enim Biellia, cujus propria domus illa erat, quæque illa utebatur, liberos tollere cum minime posset, eo quod statim ut partum ediderat, illum infestarent veneficæ, damnum deploravit apud suarum confessionum auditores, qui hortati eam sunt, ut cum primum se uterum gerere animadverteret, in sanctæ Rosæ domicilia concederet, ibique pareret, susceptamque prolem ibidem aliquamdiu detineret. Consilio usa est, cum oportuit Laura: et ecce tibi anno MDCXXXII continuo a partu, quo enixa est noctu fœminam, et parere in posterum desiit, strepitus excitatus est ingens, aperuitque se ipsa domus janua, quamquam suis repagulis occlusa, quin tamen se adstantium oculis quidquam objiceret. Puella vero nata, Catharinæ nomine in lustrali fonte accepto, vitam diu duxit incolumis. F

Non sine prodigio septis monasterii includitur,

69 *Reliqua huc spectantia enarrat lib.* 2 *cap.* 2, *ubi reflectens ad vaticinium, quod in lacinia Vitæ secundæ manuscriptæ Sancta nostra matri edidisse traditur his verbis:* Benedixit mihi *(Christus)* unum ex lateribus hujus domus, quod permanebit in monasterio meo; *sic scribit:* Forsitan ex me lector quæras (quando esse is locus videtur, eo quod conjuncte et suis corporis translationem et futuram suæ domus cum eo cœnobio connexionem prævidcrit) quonam tempore cum S. Mariæ Rosarum monasterio consociata fuerit Rosæ domus. Factum id est anno MDCLXI, circiter IX, aut VIII Calendas Majas, ut supra innuimus; nec sine miraculus quidem. Ex eo enim die, nimirum XII Calendas Majas, quo coëmpta ad continuandum clausti parietem fuit, ad biduum triduumve, quo domum jungere parietibus cogitabant, quam plurimus tum Viterbiensium, tam externorum illuc pio domus videndæ studio concurrentibus, per olfactus omnium permanere cœpit suavissimus rosarum odor; quo impulsa multitudo auferebat ut sacratas res memoriæ et cultus causa retinendas, rudera ipsa et lateres, e quibus odoris ejusden suavitas

AUCTORE C. S.

A vitas afflabatur. Intra id etiam tempus cum adolescentuli, nescio qui, parum verecunde nugari in horreo, quod super lacunaria erat, incepissent, fragor ingens auditus super tectum, quo consternati omnes in fugam sunt.

ædificato deinde super Sanctæ cellula sacello,

70 Discere præterea cupias, lector, quisnam sit hujusce domus nunc status? Undecim annis postquam inclusa cœnobio est, videlicet anno MDCLXXII, cum arcum quemdam domus ei adhærentis demoliuntur, divæ Rosæ domus parte, qua ad ipsius templi viam vergit, proruente, ejusdem ejus cellæ pars concidit: reliqua manent integra, ut capite IV superioris libri fuere descripta, aucta veneratione tamen. Dicatæ enim Deo in hoc cœnobio virgines super Divæ sacellum erigendum curavere, in quo Christi Domini effigiem, ut a præside ostensus quondam fuit Hierosolymæ populo sentibus coronatus et chlamide contectus purpurea, celebris artificis penicillo elaboratam exposuere super aram. Ad quod sacellum ineundum ædificatæ sunt scalæ ligneæ tot gradibus, quot constant Romæ, quas, eo quod per earum gradus Judex B orbis terrarum supremus, cum judicandus esset, ascendit, Sanctas appellant; et harum sunt similes.

a sanctimonialibus pie frequentatur.

71 Flexis genibus gradus ascetriæ scandunt, in graduum singulis precando immorantes; omnibus deinde in hunc modum excursis, per cancellos nuceos ingrediuntur sacellum. Inde per ostiolum graduum duorum descensu ingressio est in conclave, quod fuisse horreum diximus super latius ex duobus S. Rosæ domus cubiculis, quæ aula nuncupatur. Illo in conclavi religiosæ Sorores, ut sanctæ Patronæ sint aliquo modo consimiles, pro facultate ab animi moderatoribus accepta, privatis verberationibus ita severe indulgent, ut sanguine et pavimentum et parietes conspiciantur aspersi. Illo e conclavi ligneas per scalas in aulam S. Rosæ domus descenditur; unde in cubiculum minus latum, quod cellæ S. Virginis junctum docuimus, transeunt (et illuc post sanctorum graduum conscensionem semper ad orandum proceditur) ibique in precibus pro eo, quod cuique collibet, perstant ante aram, ubi S. Rosæ jacentis, qualis in templi ædicula cernitur, imago colitur, ante quam lychnus ar- C genteum super vasculum pensile indesinenter lucet; nec aliud quidpiam præter scabellum ad genua ponenda formatum in eo habetur. Atque hic S. Rosæ domus his temporibus habitus, et veneratio est.

§ VIII. Duplex apud Viterbienses de Sancta festivitas; translationis annua solemnitas; Officia propria.

Duplex Sanctæ festivitas antiquitus insituta

J*am insinuavimus initio hujus commentarii*, S. Rosam *quotannis duplici festivitate apud Viterbienses suos gaudere: de utraque hic agendum venit. Priori festo, quod* VI *Martii recurrit, beatissimus Virginis ad Cœlites transitus honoratur: posteriori, quod in præsentem diem incidit, ejusdem sacri corporis translatio celebratur: utriusque perantiqua est institutio. De anniversario obitus die manifestum id est ex Processu, in quo expressis verbis ait Petrus Nicolai de Bussis, se miracula Sanctæ prædicari audivisse* in die festivititatis sui anniversali obitus. *Aliis etiam in locis de* die festivitatis *ac* solemnitatis *frequens fit mentio. Similiter antiquissimum esse translati corporis festum, docet vetus Ordo Officiorum propriorum ecclesiæ cathedralis S Laurentii Viterbi, in quo mense Septembri hæc lego:* Die IV † Rosæ virginis Viterbiensis et ejusdem civitatis patronæ. *Et infra:* Hoc festum ab omnibus Viterbii celebratur ex decreto summi Pontificis Alexandri IV. *Hinc liquet, festivitatem hanc non multis post Sanctæ obitum annis in patria ipsius urbe institutam esse ab Alexandro IV, idque verisimiliter, dum ab ipsa ter monitus sacrum corpus ad S. Claræ moniales solemniter transtulit. De eadem celebritate procul dubio loquitur eminentissimus Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum dicens, ex decreto Romani Pontificis concessum esse ecclesiæ Viterbiensi solemnem de* B. Rosa *diem agere. Eamdem approbasse videtur Sixtus IV, qui indulgentias benigne largitus est recolentibus memoriam hujus translationis, prout discimus ex eminentissimo Cardinali Prospero de Lambertinis* E *(qui modo Benedictus XIV universæ Christi Ecclesiæ feliciter præsidet) in Opere suo de Servorum Dei Beatificatione: verba infra num.* 76 *recitabimus.*

Translationis annua solemnitas

73 *Porro utrumque diem non eadem peragi festivitate, indicat Coretinus, dum ait:* Dies festus de obitu ipsius agitur VI Martii: sed festum ejus solenne celebratur Viterbii IV Septembris, ipsa die, quo (ut diximus) corpus illius translatum fuit ex S. Mariæ in Podio ad monasterium sui nominis. *Consonat Lindanus e Societate nostra in litteris hac super re ad Bollandum nostrum anno* 1648 *Laureto datis*, De S. Rosa, *inquiens*, Viterbo hæc accepi. Festum S. Rosæ celebratur VI Martii in ecclesia propria, sed nulla cum solemnitate: celebratur vero IV Septembris, qua maxima potest solennitate in tota civitate, et frequentissimo populi concursu. Per Octavam fere totam multa exhibentur spectacula, et præmia victoribus in ludis, qui celebrantur. Eligitur singulis annis unus, cui incumbit onus promovendi spectacula. *Hæc omnia enucleatius describit Giannellus lib.* 2 *cap.* 22, *quæ cum ad Sanctæ cultum gloriamque non parum facere videantur, huic commentario inserenda censui.* F

describitur.

74 Dicta mihi sit amplissima supplicatio ethonor, quo sanctæ suæ Civis festum ornant Viterbienses. Nam præter cereorum funalium munera, quarum superiore capite meminimus, *(vide num.* 62*)* inter divinam Rem, quæ ceremonia solemni cum symphonia celebratur, ad frequentissimum populum de ejus laudibus verba facit sacer orator. Festi autem pervigilio, noctis circiter horam primam a Romana porta divæ Rosæ versus, pompa ingenti supplicationem obeunt longo agmine compositi omnis ordinis ætatisque homines, cereas præferentes faces, collucentibus undique per domorum fenestras lucernarum flammulis: pium agmen sequitur gestata bajulorum humeris machina, in qua sublimis apparet statua sanctæ Civis, aliquod ex admirandis ejus vitæ operibus repræsentans, quam cereorum luminum circumfulgent manipuli innumeri. Credas triumphare tunc Rosam in simulacro suo; tot omnis vel generis vel sexus vel ætatis indigenas advenasque sibi obsequentes in illo, ex fenestris, in viis passim circumspectat. Certe

AUCTORE C. S.

Certe plus imprimere in animis, quam objicere oculis eo spectaculo illam, haud pauci experiuntur. Sacræ pietatem lucis festivi de nocte ignes diurnique ludi, atque ad bravia quadrupedum cursus per dies aliquot (si qua est a Sanctæ gloria) subsequuntur. Annua hæc egregie reddit Viterbium Heroinæ suæ. *Hæc Giannellus de annua translationis festivitate : hinc ad Officia ecclesiastica progrediamur.*

Officium ecclesiasticum de communi recitari solitum

75 *Quamquam nullum Officium proprium de Sancta nostra ante annum* 1668 *concessum reperiam, indubitatum tamen est, eam jam ante istud tempus ecclesiastico officio cultam fuisse, saltem in urbe sua patria : at quo anno hic cultus ei cœperit deferri, non perindecertum est. Si quis id ad Alexandri IV tempora retulerit, non refragabor : verisimile enim est, eodem tempore, quo festum diem agere, eodem etiam recitare Officium de Communi permissum fuisse, idque valde conforme est verbis Directorii supra laudati :* Hoc festum ab omnibus Viterbii celebratur ex decreto summi Pontificis Alexandri IV. *Officium autem in hunc modum præscribitur sub*
B *ritu duplici :* Omnia de com. Virg. Oratio Exaudi nos Deus. Ad Matut. pariter omnia de eodem Com. præter lect. I Noct. quæ leguntur de Scriptura occurente. Ad Missam introitus, Dilexisti Justitiam de com. unius Virg. et dicitur Credo. *Impressum fuit hoc directorium intra annos* 1638, *quo Cardinalis Brancatius, cujus jussu editum notatur, teste Ughello in Italia sacra, Viterbiensem cathedram adeptus est, et* 1668, *quo idem episcopus Officium proprium impetravit, ut mox dicturi sumus. Verumtamen hanc Officii antiquitatem nonnihil dubiam reddit Felicianus in Historia Viterbiensi parte* I *lib.* 6 *affirmans, Julium II anno* 1509 *concessisse monialibus* S. Rosæ *facultatem* recitandi Officium ejusdem Sanctæ in dicta sua ecclesia et monasterio, secundum ordinationem prædecessoris sui Sixti IV. *Quibus verbis innui videtur, anno* 1509 *nondum recitari solitum Officium* S. Rosæ, *præterquam a prædictis ascetriis, quibus id a Sixto IV, qui seculo* XV *senescente Ecclesiæ præsedit, concessum esset. Res tamen certa non est, cum hic agi potuerit de Officio aliquo proprio præfatis monialibus tantummodo permisso.*

C

cui Sixtus IV indulgentias annexuisse videtur :

76 *Porro idem Sixtus IV indulgentias elargitus est recitantibus Officium translationis, sive istud tum primum instituerit, sive ab aliquo e decessoribus suis permissum ipse confirmarit. Discimus hoc ex Eminentissimo Cardinali Prospero de Lambertinis, qui loco supra citato tractans,* De nonnullis... Officiorum concessionibus pro quibusdam locis particularibus, *ita prosequitur :* In meis animadversionibus admisi praxim concessionis Officiorum pro sacris translationibus; ... addidi a summis Pontificibus concessas aliquando fuisse indulgentias recolentibus memoriam translationis sacrarum reliquiarum, et signanter a Julio II pro translatione beatæ Catharinæ Suecæ, a Sixto IV pro translatione beatæ Rosæ Viterbiensis. *Hisce verbis, si mentem Eminentissimi recte perceperim, dicere videtur, admisisse se, non solum canonicum Officium pro translationibus sanctorum corporum recitari permissum fuisse, verum etiam istud recitantibus, a summis Pontificibus et signanter a Julio II et Sixto IV indultas esse indulgentias.*

77 *Lapsu temporis crevit Viterbiensium erga sanctam suam Civem veneratio : quare eminentissimus Cardinalis Franciscus Brancatius eorum antistes lectiones proprias* sanctæ Rosæ, civitatis D Viterbii protectricis *Sacræ Rituum Congregationi approbandas obtulit, ab eaque anno* 1668, XXI *Julii impetravit, ut die* IV *Septembris translationis festum Officio proprio et Missa, sub ritu duplici majore, die vero* VI *Martii ejusdem beatus obitus ritu duplici minore ab universo clero Viterbiensi, tam seculari, quam regulari utriusque sexus celebraretur. Missa autem signatur,* Dilexisti, *oratio propria hæc est :* Deus qui beatam Rosam sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es, tribue nobis, quæsumus, ut ejus precibus et meritis a culpis omnibus expiemur, et tuæ Majestatis consortio perfruamur æterno. *Anno* 1725 *die* VII *Julii elevata est ea Officii recitatio ad ritum duplicem secundæ classis cum Octava, in eumdem modum, quo jam indulta fuerat Fratribus Minoribus conventualibus. Rursum anno* 1728, XXVIII *Januarii, Benedictus XIII ad preces Ministri generalis Minorum observantium Ordinis S. Francisci, nec non monalium monasterii* S. Rosæ *concessit, ut præfatum Officium* ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus in toto Statu ecclesiastico et E Etruria degentibus, qui ad Horas canonicas tenentur, cum.. lectionibus secundi Nocturni et oratione propriis... sub ritu duplici minori recitari et missa respective celebrari debeat. *Denique anno* 1743 *die* XI *Martii a Sacra rituum Congregatione obtinuit ejusdem urbis episcopus pro universa sua diœcesi Officium cum Octava sub ritu duplici secundæ classis, in festo translationis persolvendum. Habet hæc Octava lectiones secundi et tertii Nocturni cuilibet diei proprias Missa etiam propria* Loquebar *assignatur. Illud vero notatu dignum, quod tum in hoc, tum in aliis, de quibus egimus, Officiis*, Rosa sanctæ *titulo insigniatur.*

Officia propria etiam cum Octava concessa.

§ IX. Viterbienses communi consilio instant apud Calistum III pro impetranda Rosæ canonizatione : processus instituitur : inscribitur Martyrologio. F

Viterbienses canonizationem Civis suæ

Exigebat sane æquitas, ut Viterbienses Civi suæ, a quo patriam tam gloriose illustratam viderent, gratas vices rependerent, eamque Sanctorum fastis solemni canonizatione adscribi curarent. Neque vero suis partibus defuerunt : quin id a sancta Sede impetrare toties conati sunt, ut mirari satis nequeam, quid obfuerit, quominus ea res desideratum exitum fuerit sortita. Vix e vivis excesserat, cum Electus, clerus, concilium populusque Viterbiensis Innocentio IV (ipso teste) supplicarunt, ut fidelium testimonia super ipsius novellæ Rosæ fragrantia, videlicet vitæ meritis et miraculorum assertionibus recipi faceret. Ita quod, quæ felicitatis potiri creditur præmiis in Ecclesia triumphante, in militanti quoque honore congruo celebris habeatur; *prout latius in litteris num.* 10 *recitatis videre licet. Verum hic canonizationis processus indictus quidem est a præfato Pontifice, sed vel formatus non est, vel certe pio Viterbiensis civitatis desiderio et exspectationi non respondit, obstantibus forte illius temporis calamitatibus, aut subsecuta, ejusdem Innocentii*

AUCTORE C. S.

A *nocentii morte. Si qua tamen hujus examinis acta exstiterint, ea forsitan inter authentica illa instrumenta numerabantur, quæ una cum Miraculis ex negligentia et calamitate civitatis Viterbii deperdita combustaque fuisse, num. 4 ostendimus.*

non semel frustra conati impetrare, Calisto III

79 *Paucis post annis spem eorum erexit Alexander IV, Innocentii successor; qui, ut supra vidimus, translato post ternam apparitionem* S. Rosæ *corpore, sacros ei honores per solitas Ecclesiæ solemnitates decernere decrevit: fecisselque haud dubie, nisi præmaturus obitus prohibuisset. Hac rursum spe frustrati, usque ad tempora Eugenii IV, qui anno* 1431 *Petri cathedram ascendit, rem intactam reliquere. Sub illo Pontifice causa resumpta est, at conatu iterum irrito: nam licet Eugenius eorum postulatis benigne annuerit, juridicumque de Sanctæ nostræ meritis ac miraculis examen institui permiserit, felici tamen caruit successu ob rationes num.* 82 *adducendas. Tandem anno* 1455, *teste Coretino, rursumque* 1456 *ad Calistum III delegarunt clarissimum virum Christophorum de Malvicinis* B *legum doctorem ac comitem palatinum una cum F. Luca Benedicti ex Seraphico Ordine S. Francisci, ut rem denuo tentarent. Libellum supplicem, quem eum in finem præfati oratores Pontifici obtulerunt, una cum Processu ad nos transmissum inveni : eumdem Coretinus Italico sermone donatum Vitæ* S. Rosæ *inseruit. Cum vero contineat fere omnia, quæ in causa Canonizationis a Viterbiensibus pie acta sunt, operæ pretium reor, illum hic exhibere.*

libellum supplicem offerunt.

80 Beatissime Pater. Alias pro parte devotorum oratorum vestrorum Viterbiensium, virorum archipresbyteri, canonicorum et capituli majoris ecclesiæ Viterbiensis, et magnificorum Priorum populi, Communis hominum et universitatis vestræ civitatis Viterbii, nec non abbatissæ et monialium conventus et monasterii S. Claræ, nunc sub vocabulo S. Rosæ vulgariter nuncupati, exposito Sanctitati vestræ, quod olim sanctæ memoriæ Rosa virgo de Viterbio, dum ageret in humanis, summo Catholicæ Fidei ac devotionis accensa fervore, transitoria ac terrena despiciens, et cælestia semper appetens ac C æterna, Regulam tertii Ordinis S. Francisci, ab ejus pueritia professa est, et in summa paupertate ac humilitate religionem, quam fuerat ingressa, observabat. Et ita laudabilis conversationis et vitæ, et tantæ pietatis in parentes et proximos, et morum et mentis et corporis castitatis observantiæ cum summa virginitate, ac tot aliis miris insignita virtutibus, et tantæ sanctitatis in ejus vita fuisse asseritur, ut in eam divina clementia suæ benignitatis gratiam in tantum infuderit ac instillaverit, quod tantæ sanctimoniæ pollens nitore, quum seipsam continuis jejuniis, vigiliis et orationibus maceraret in quadam ejus arctissima cellula, ubi ipsa ut plurimum orabat, pluribus miraculis ex virtute omnipotentis Dei, dum vixit, emicuit ; et post ejus felicem obitum infinitis claruit miraculis.

in quo, expositis variis

81 Propter quæ præfati vestri oratores, pia commoti intentione, contemplantes vitæ ejusdem virginis Rosæ sanctimoniam, illam tamquam Deo gratam et acceptissimam, aliorum imitando vestigia, asscribi SS. Catalogo cupiebant. Felicis recordationis Alexander quartus prædecessor vester, cui per visionem apparuerat, et plurima ejus sanctitatis signa demonstraverat, nisi morte nimis propere esset præventus et de hoc seculo migrasset, ipsam virginem Rosam in aliorum Sanctorum et Sanctarum Dei catalogo firmissime adscripsisset. Deinde revolutis pluribus annorum curriculis propter calamitates ac fortunas vestræ civitati Viterbii occursas, fe. re. Eugenio IV prædecessori vestro humiliter per eosdem fuit supplicatum, ut prius per illos viros graves et expertos, quibus is duceret committendum, de sanctimonia, virtutibus ac miraculis ejus virginis Rosæ receptis informationibus et testimoniis fide dignis, prout tantæ rei pondus exigebat et gravitas, ipsam Sanctorum Dei catalogo asscribi facere dignatur.

dilatæ canonizationis causis,

82 Idem prædecessor intendens et in hujusmodi causa juxta rei gravitatem cum debita deliberatione ac maturitate procedere, dictæ canonizationis supplicationem signavit : quæ ad finem debitum et convenientem postmodum ducta non fuit propter negligentiam illorum, quorum intererat, et desidiam; nec non propter temporum varietatem et immutationem, in hujusmodi causa ad ulteriora non fuit processum. Postmodum vero tractu temporis super hujusmodi materia per clarissimum legum doctorem et comitem palatinum D. Christophorum de Malvicinis oratorem archipresbyteri, canonicorum et E capituli, Priorum hominum et personarum, abbatissæ et monialium prædictarum, dignum fore existimantium, quod Thesaurus tam longo tempore absconditus, Christi fidelibus ostendatur, et tamquam lucerna lucens et virginitatis flos ad aliorum exemplar et instructionem pateat, pro exaltatione nominis Domini nostri Jesu Christi ac splendoris gloriæ et honoris eorum militantis Ecclesiæ, super præmissis et aliis prædictam causam concernentibus, Sanctitati vestræ fuit humiliter supplicatum, ut in præmissis opportune providere dignaretur de benignitate Sedis apostolicæ et eadem Sanctitas de præmissis certam notitiam non habens, hujusmodi supplicationibus inclinata, dictam canonizationis causam committere est pollicita. In qua re ad nullum actum extitit processum aut prosecutum propter novas calamitates ac miserias, quæ huic vestræ afflictæ civitati, et seditiones civium intestinas successerunt.

pro resumenda causa perorant.

83 Cum autem, P. sancte, in præsentiarum nihil aliud per oratores eorumdem desideretur magis, eidem vestræ Sanctitati humiliter supplica- F tur pro parte venerabilis viri Fratris Lucæ, ac clarissimi legum doctoris et comitis palatini D. Christophori de Malvicinis de Viterbio, oratorum, archipresbyteri, canonicorum, capituli, Priorum populi, Communis hominum, universitatis, abbatissæ, monialium conventus monasterii præfatorum ; quatenus eadem Sanctitas dignetur committere alicui vel aliquibus ex S. R. E. reverendissimis Patribus, dominis Cardinalibus, prout melius Sanctitati vestræ videbitur expediens esse, dictæ canonizationis causam, et de vita ac miraculis dictæ virginis Rosæ, prout in tanta re convenit, et aliis præmissis se diligenter informent, et cum debita maturitate ac gravitate ad examinationem testium, et alia necesse incumbentia et quomodolibet opportuna, in hujus canonizationis actibus et solemnitatibus alias requisitis procedant, illaque benigne et diligentissime, ut præmittitur, examinata et ruminata et discussa, eadem vestræ Sanctitati referant, ad finem et effectum, quod præfata Sanctitas valeat postmodum dictam Rosam virginem canonizare et in catalogo Sanctorum asscribi mandare, ut moris

AUCTORE C. S.

ris est. *Hucusque exemplar nostrum, nulla temporis adscripta nota.*

Processus canonizationis indicitur

84 *Postulatis annuit Calistus, qui processum in canonizationis causa instituendum commisit Reverendissimis et Eminentissimis dominis Bessarioni Cardinali Nicæno episcopo Tusculano, Dominico Cardinali Firmano titulo S. Crucis in Jerusalem, et Prospero Colonna titulo S. Georgii ad velum aureum Cardinali. Verum hi aliis curis impediti, pro potestate accepta substituere sibi Paulum Sancta fide Syracusanum, Angelum Alterium Sutrinum, et Angelum Capranicam de Caranzonibus Reatinum, episcopos. Cumque Syracusanus et Reatinus aliis similiter negotiis distenti, eam provinciam recipere nequirent, in eorum loco ab iisdem Cardinalibus subdelegati fuerunt Joannes Viterbiensis atque Tuscanensis, et Nicolaus Hortanus et Civitatis Castellanæ episcopi. Postmodum sese etiam excusavit Sutrinus; quo tamen non obstante, reliqui duo examinare testes et commissam sibi causam tractare aggressi sunt: ita enim habebant in mandatis.*

B

et inchoatur,

85 *Demum anno* 1457 *Dominica* IV *Quadragesimæ dicta* De rosa, *quæ dies in* XXVII *Martii incidebat, processui initium factum est. Comparuerunt itaque coram præfatis episcopis Viterbiensi et Hortano commissariis subdelegatis R. P. Lucas Ordinis S. Francisci, et clarissimus legum doctor ac comes palatinus Christophorus De Malvicinis, syndici et procuratores ab archipresbytero et clero ecclesiæ Viterbiensis, necnon senatu populoque ejusdem civitatis, ac denique ab abbatissa et monialibus* S. Rosæ *constituti. Exhibuerunt illi quindecim articulos, quibus virtutes ac miracula Sanctæ generatim complexi sunt, postulantes, ut super eis testes audirentur. Consulto prætermitto protestationes, decreta edita, reliquumque juris ordinem, tum ne lectori molestus sim, tum quod quædam ex istis instrumentis in apographo nostro desiderentur, ex industria, opinor, prætermissa. Aliqua tamen, quæ ad Sanctæ gloriam magis facere videntur, ex Coretini fide, qui authentica monumenta laudat, enarrabo. Excellentissimus Petrus Ludovicus Borgias capitaneus generalis Sanctæ Sedis, et gubernator ducatus Spoletini ac provinciæ Patrimonii, edictum per omnes jurisdictionis suæ ci-*

C

vitates, locaque vulgavit, imperans, ut authenticis litteris Viterbium transmitterent, si qua miracula aut beneficia S. Rosæ *patrocinio apud se impetrata cognoscerent: testarenturque, quam in quolibet loco eadem Virgo venerationem publicam obtineret.*

Litteræ in hunc finem a vicinis oppidis missæ.

86 *Edicto publicato, mox undique imperatæ litteræ Viterbium allatæ sunt, quas laudatus Coretinus lib.* 5 *cap.* 6 *asserit Processui insertas esse; sed in nostro apographo desunt. Unas idem auctor recitat a Prioribus populi civitatis Balneoregii transmissas: ex quibus pauca ex Italico Latina delibo, ut pateat, quanta apud Balneoregienses fuerit de* S. Rosa *existimatio:* Non possumus, *inquiunt*, certo scribere miracula particularia (quæ sine dubio innumerabilia sunt) propter calamitatem præteritorum temporum, aut forte inadvertentiam, vel mere (ut credimus) propter negligentiam majorum nostrorum. At omnimode confitemur, rem esse mirabilem, vel potius divinam, dignamque ab omnibus cum reverentia celebrari, tamquam ipsa luce clariorem, quod omnes (absque ullo dubio) in hac parte una voce consentiant, confirmentque, virginem Rosam esse Regis superni sponsam. Hoc dicunt, hoc clamant, hoc affirmant, hoc prædicant viri, feminæ, senes fide digni, juvenes, pueri, puellæ: ita ut ipsi lactentes non essent in cunis (ut ita dicamus) hæc omnia prædicare, dummodo ipsis data sit loquendi facultas etc. *Hæc epistola signatur data* Balneoregii anno MCDLVII, XXX Martii. Priores populi civitatis Balneoregii. *Et infra;* Jacobus de Carolis Cancellarius. *Aliorum oppidorum, quæ similes litteras in eumdem finem dedere, nomina tantum recitat laudatus Coretinus.*

D

Corporis integritas examinatur:

87 *Idem auctor cap.* 7 *narrat, prædictos antistites commissarios die* 2 *Aprilis ejusdem anni* 1457, *una cum procuratoribus utriusque partis, et tribus notariis deputatis, ad* S. Rosæ *monasterium accessisse, ut quæ de sacri corporis prodigiosa incorruptione affirmabantur, ipsi præsentes examinarent. Quæ cum verissima deprehenderent, videlicet corpus omnis corruptionis expers integerrimum perseverare, et non secus atque animatum, carnis ac membrorum flexibilitatem retinere, unguem quoque olim sacrilege rescissum mirabiliter renatum conservare; mandarunt notariis, ut ea omnia simul cum antiquis inscriptionibus, picturis, et monumentis ejusdem ecclesiæ ac monasterii, in acta referrent, prout apparet, inquit ipse, in Processu: in quo tamen hanc corporis inspectionem ceteraque jam recensita non reperio in apographo nostro: quapropter ea illius fidei relinquo. Præterea cap.* 8 *producit epistolam Alphonsi Aragoniæ regis*, IV *Maii ejusdem anni ad Calixtum Pontificem in favorem canonizationis datam; addens illam Latino idiomate scriptam Processui item insertam esse fol.* 132; *verum ea quoque in nostro exemplari desideratur. Ad processum redeamus.*

E

testis 264 auditi Rosa Martyrologio inscripta.

88 *Die* IX *Aprilis anni* 1457 *cœpta est juridica examinatio testium fide dignorum, quorum numerus ad ducentos sexaginta quatuor pervenit: ex quibus alii miraculorum, quæ asserebant, oculati testes fuerant, alii ea ipsa in se fuerant experti: Hi omnes nominatim citati et juramenti religione obstricti et secundum juris ordinem examinati, suum respective de vita, virtutibus ac miraculis* S. Rosæ *testimonium dixerunt. Singulorum testimonia apud me habeo: sed ea, ut jam monui, consulto prætermittam, ne perpetuis earumdem rerum repetitionibus lectori nauseam pariam. Tenuit hoc examen usque ad diem* IV *Julii ejusdem anni, qua tandem processui finis impositus est, Actaque a notariis clausa et subdelegatorum in hac causa antistitum, Viterbiensis ac Hortani sigillis rite munita fuere: sed solemnis canonizatio neutiquam subsecuta est. Nec tamen omni fructu processus ille caruit, si vera sint, quæ Coretinus habet cap.* 9: *ait enim, a Calixto III, perlectis ejusdem Actis, sanctitatem absque ulla solemnitate confirmatam esse, ordinatumque, ut Sanctorum catalogo inscriberetur.*

F

VITA

A

VITA

auctore incerto

Manuscripta Processui Canonizationis inserta.

PROLOGUS.

Commendat auctor perpetuam

Quoniam, ut ait Augustinus de vera religione, verba et exempla Sanctorum sunt quædam fragmenta illius panis cælestis, qui de cælo descendit, quæ habent incitare legentium et audientium corda ad amorem divinum et ad devotionem illorum Sanctorum, qui in hac vita perfecta opera peregerunt, hinc nihilo minus *a* conferre robur ad perfectam et arduam pœnitentiam aggrediendum, et vitæ æternæ gratiam impetrandam. (a) B Idcirco Dominus noster Jesus Christus in Euangelio secundum Matthæum non immerito suis discipulis imperavit dicens: Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Similiter apostolus Paulus clamat; Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; subaudias de vita et actibus Sanctorum. In quibus verbis satis clare ostenditur, quanta debeat esse fidelium diligentia ad perscrutanda et memoriter retinenda Sanctorum et Sanctarum præcedentium opera; quæ re vera instincti divino non tam ad illorum gloriam, quam, ut ita dicam, ad omnium eruditionem et vitæ correptionem, in litteris noscuntur esse redacta. Nam sicut dicit Seneca de moribus imprudentium, nisi ad regulas, prava non corriguntur.

Sanctorum ac præsertim tenellarum virginum — * *se abundat*

2 Et ideo Christiani fideles cupientes vitam suam corrigere et mores in melius emendare, debent se * solerti mentali intuitu Sanctorum verba et actus jugiter meditari et quasi ad quoddam speculum, depositis pravis moribus, sacris virtutibus animam venustare, maxime autem ad C illa opera virtuosa, quæ in sexu fragili et puellis tenellis est dignatus Dominus demonstrare. Nam si de vita Sanctorum hominum adultorum admirantur hodie homines non modicum, et Deum eorum actibus magnificant et extollunt, qui ætate et viribus in hac vita fuere completi, et ad eorum exempla vitam suam corrigunt et emendant, quanto potius de ardua pœnitentia, fide indefessa et virtuosa opera puellarum sanctarum, quæ ab ipsa pueritia sua cordialiter Christo Domino adhæserunt: certo multo magis, quam de vita beatorum Petri et Pauli, vel Andreæ, qui habuerunt in hoc seculo ætatis et virium complementum.

memoriam et imitationem.

3 Et ratio hujus est, quod in creatis minimis in natura, puta, ape vel aranea vel formica, divina sapientia plus relucet, quam in magnis mala mole corporea augmentatis, puta, elephante, bubalo vel camelo. Unde Augustinus in libro Confessionum: Magis miror muscæ agilitatem, quam cameli magnitudinem. Et idcirco de aspera pœnitentia puellarum sanctarum, quæ fuerunt in hac vita minimæ in natura, quantum est ad ætatem et corporis molem, deberent homines quamplurimum admirari et Deum altissimum in earum actibus collaudare, et vitam corrigere et in melius emendare. *A. INCERTO*

Inter has S. Rosam extollens

4 Inter alias autem sacras virgines, de quibus non est hodie usquequaque fama diffusa, fuit quædam puella sacra virgo nomine Rosa, quæ quasi quædam venusta cæli rore perfusa, in Viterbiensi viridatio fuit orta; et bene successit in virtutibus et sanctitatibus dignum nomen. Nam quod leges clamant, nomen debere esse consequens rei, in virgine Rosa eminet adimpletum. Nam sicut quidem flos rosa super vernalibus floribus pulchritudine stat excelsior, sic virgo Rosa inter cunctas virgines alta sedet. Conjugatis et continentibus altior erigitur saltem virginitatis candore, cum eis virginum felicior vita sit. Igitur sanctitatum longa mora *b* virgo Rosa ceteras Sanctas præcedit, ut rosa flos alios præcellit quosvis flores. (b) Pascit quidem rosa flos oculos pulchritudine immensa, pascit etiam membra reliqua odoratione extensa; sic Rosa virgo pascit eam videntes sanctitatibus Christianos. Pascit nunc quoque relictarum virtutum suavitatis odoribus cunctos sanos *c*. (c) Quæ tempore SS. Domini nostri Domini Alexandri Papæ quarti suum diem clausit extremum *d*. E (d)

ex monumentis fide dignis

5 De qua ad honorem primo illius cælestis Sponsi, qui delectatur et pascitur inter lilia virginalis pudoris, septus choreis virginum puellarum, cui ab ipsa pueritia hæc sacra Virgo castissimis amplexibus juncta fuit; consequenter vero ad honorem et laudem ipsius virginis Rosæ, ad cujus commendationem et famam aliqua enarrabo, quæ in quibusdam instrumentis *e* antiquis a fide dignis et devotis personis relata inveni, (e) atque fideliter conscripta, sicut supradictæ personæ, se a supradictæ virginis Rosæ ore audivisse et vidisse testatæ sunt. Ideoque sanctitates describere et miracula B. V. Rosæ omni posse *, præsenti volumine nos conamur, nec * non perlectæ nigræ vetustatis diurno nubilo scientium abnegent mentes *f*, cum hominum memoria labilis feratur et vana, juxta quod ostendit moralis Seneca: Memoria nihil perdit, nisi id, quod non sæpe respexit. (f)

* *i. e. conatu*
* *l. ne*

ejusdem vitam fidelibus imitandam conscribere aggreditur.

6 Ideoque stilo etiam aggredimur vitam miram præfatæ Virginis relaxare, ne queat latere posteros, ut hiis scriptis in electione cognita diligatur, dilecta appretietur et appretiata dirigat * imitationem sui, quos cura beatitudinis semper angit. Nam quidem si latuisset, ignoraretur, et ignoratæ F nulla esset imitatio, nec cupido, quia illos, quos nescimus, nullatenus possumus imitari, teste in hiis Augustino: Res incognita non diligitur: Magis dilecta magis appretiatur, ut ait Boëtius. Quisnam cupit, quod nescit? Et iterum moralis poeta quidam: Quod latet, ignotum est, ignoti nulla cupido. Fateor, nec quidem posse connumerari cunctas virtutes, signa ac prodigia, quas * Dominus noster Jesus Christus beatæ Rosæ meritis operari dignatus est, etiamsi membra corporis verterentur in linguas: sed nos de multis hiis pauca hic descripsimus.

* *supple ad*
* *quæ*

ANNOTATA.

a *Supple* possunt. *Sensus itaque est, quod exempla Sanctorum non minus juvent ad arduam pœnitentiam viriliter peragendam, quàm ad divinum amorem venerationemque Sanctorum in legentium animis excitandam.*

b *Per* longam moram *virtutum intensionem ei excellentiam intellige, non moram temporis: in*

A INCERTO

in tenella quippe ætate obiit, similis illi, de quo Sapientiæ 4 dicitur : Consummatus in brevi explevit tempora multa.

c *Felicianus in Hist. Viterb. legit :* cunctas sacras. Sanos *tamen utrumque nostrum Ms. habet : sensus esse potest :* Rosa *pascit suavitatis odoribus omnes sanos, id est qui sana sive Christiana mente virtutes illius meditantur.*

d *Adi Commentarium a num.* 8.

e *Habuisse compilatorem hujus Vitæ ad minimum duo instrumenta, quæ descripsit, satis patet ex fragmento secundæ Vitæ, ubi repetit ea, quæ jam tradiderat. Patet etiam ex inconcinno et perturbato modo, quo narrationem suam texuit, ita ut centones varios, vix observato ordine, consuisse mihi videatur.*

f *Obscura ac vitiosa hac periodo significat, ideo se scribere Vitam* S. Rosæ, *ne, qui ejus facta jam norunt, eadem obliviscantur, dum eorum memoriam opportuna lectione nequeunt refricare.*

B

CAPUT I.

Pia pueritiæ ac adolescentiæ studia et miracula

Prædestinationis gratia ab ipsa infantia in Sancta eluxit, dum mortuam suscitavit.

Æternus autem rerum conditor, ut ait Apostolus, ante mundi constitutionem electos prædestinavit, et prædestinatos ad regnum suum vocavit sola gratia, nulla necessitate seu meritis præcedentibus. Quæ quidem gratia in Sanctis et electis, ut dicitur, demonstrata est dudum in quibusdam, antequam progrederentur ex utero, ut Hyeremia *a* et Joanne Baptista *b*, qui in adventu Domini exultavit in utero. In quibusdam vero demonstrata fuit ab ipsis ipsorum cunabulis, ut patuit in beato Nicolao *c*, qui die, quo natus fuit, stetit in pelvi, et bino hebdomadæ die cœpit non sugere mammas. In quibusdam aliis apparuit hæc gratia in pupillari ætate, sicut in beata Agnete *d*, Agata *e* et pluribus, quæ sustinuerunt martyrium in pupillari *f* et tenera ætate, sicut etiam patuit suo modo in hac puella virgine Rosa, quæ, ut scribitur in supradictis instrumentis, tam jucundum Deo habitaculum in sua pueritia apparuit, tamque grata sibi * (* *l.* illi) extitit, ut, dum esset trium annorum, avunculam, quæ per diem mortua fuerat, resuscitavit * (* *l.* resuscitaverit) *g*.

divino cultui et corporis macerationi dedita fuit : panem in rosas convertit :

8 In pupillari autem ætate cœpit hæc Virgo devote cum matre sua ad ecclesiam pergere, prædicationes autem Fratrum Minorum frequenter audire et verbum Dei cum intentione mentali devota percipere. Quam ob rem cœpit mundum et mundanorum ludibria spernere, cupidorum avaritiam devitare, carnales illecebras vehementer horrere; cœpit insuper Dominum Jesum Christum tota mente diligere, ad ipsum affici et ei totis visceribus adhærere ac per hoc mundo, diabolo et eorum pompis simpliciter et irrevocabiliter renunptiare. Cœpit jejuniis corpus suum arcere, victum sibi substrahere et substractum pauperibus erogare *h*. Fuit autem Virgo præfata tantæ pietatis et misericordiæ in pauperes Christi, ut cum una dierum panes pauperibus erogandos ex domo parentum portavit, uti solita erat et consueta, ad mandatum patris interrogantis, quidnam in sinu deferret absconsum; illa illico, sinu aperto et patefacto cum summa obedientia, ejus sinus rosis diversorum colorum plenus apparuit. D

aves ad eam convolant, amphoram fractam puellæ integram restituit :

9 In tantum, ut, divina in eam continuo superveniente clementia, aves ad eam, dum comedebat, accurrerent, et micas panis in ejus sinu manducarent. Quæ Virgo tanta omnipotensis Dei gratia suffulta, cum in ejus pueritia cum aliis puellis se conferret ad fontem cum amfora * (* *l.* amphora) pro aqua exhaurienda, ut moris est, et uni illarum puellarum amfora, quam portabat, rumperetur et in plurima frusta divideretur, increpata ab ejus parentibus, prout puella præfata falso retulerat, quod B. Rosa huic casui more puellarum præstiterat occasionem; accesserunt ad locum, ubi amfora rupta erat, et ejus frustis et particulis simul reductis, meruit Virgo præfata, ut omnipotens Deus ejus potentiam demonstraverit super eam, ut tot frusta hinc inde conspersa et divisa, ad proprium locum eorum reducerentur, acsi numquam rupta fuisset. Et sic amphora puellæ restituta est integra et sana absque aliquo nocumento et defectu, ex gratia omnipotentis Dei, dictæ beatæ Rosæ meritis exigentibus. E

mulierem mirabili indicio furtum suum cogit fateri : confessam pœna liberat.

10 Propter quæ meruit etiam Virgo præfata, ut cum semel a quadam ejus commatre *i* esset sibi furto substracta quædam gallina storina *k*, et per dictam commatrem id negaretur, summa Dei justitia voluerit, quod in dextera parte vultus sui pennæ ejusdem coloris subtractæ gallinæ visibiliter apparerent : quæ propter hanc novitatem sibi contingentem et occursam * (* *l.* occurentem) furtum gallinæ confisa * (* *al.* confessa) dictæ Virgini ejus commatri, pennæ illico ex ejus facie miraculose disparuerunt *l*. Propter quæ miracula ab omnibus tunc existimabatur virgo Rosa in sanctam mulierem ventura, si viveret, cum tantum gratiæ in eam summus Deus infunderet *m*.

ANNOTATA.

a *Vide Jeremiæ caput* I. *De hoc sancto Propheta actum est tom.* I *Maii, die* I.

b *Lege Lucæ caput* I ℣ 44. *De eodem actum est tom.* IV *Junii, die* 24.

c *Loquitur de S. Nicolao episcopo Myrensi, cujus Acta discutienda venient* 6 *Decembris.* F

d *S. Agnes decimo tertio vitæ suæ anno illustri martyrio coronata est. Acta ejus illustrata reperies tom.* 2 *Jan., die* 21.

e *De hac Virgine martyre consule tomum* I *Februarii, die* 5.

f Pupillaris ætas, *in puellis ea proprie est, quæ duodecimum nondum annum explevit : verum hic pro minorenni sumitur.*

g *Nihil peculiare de hoc miraculo reperi : idem tamen refertur in Officio a S. Rituum Congregatione concesso.*

h *Coëgit me inconcinna compilatoris narratio, qui, ut in Commentario monui, quæcumque reperit, nulla ordinis ratione habita, refert, ordinem immutare : omissis enim, quæ aut in pueritia, aut pueritiæ ætate proxima egit, subjungit ea, quæ maturiorem ætatem exigunt. Dabimus ea capite* 2 *a num.* XI : *interim ipsissimis auctoris verbis narrationem prosequimur.*

i *Commaternitas est affinitas spiritualis, quæ inter mulierem, quæ de sacro fonte infantem suscipit, susceptique parentes intercedit.*

k Storina *barbara vox ex Italica* Stornello, *quæ*

A *quæ* sturnum, *et colorem sturnorum similem significat, deducta.* Storina *igitur gallina dicitur, quæ plumis sturnis est concolor.*

l *Pro veritate hujus prodigii spondere non ausim.*

m *Hucusque perturbatum ordinem, ut monui supra, debui corrigere.*

CAPUT II.

Graviter decumbens jubetur a Deipara tertium Ordinem S. Francisci amplecti a, *et hæreticos redarguere ; quod subito sanata exequitur : patrem piis cœptis obsistentem in sua vota flectit.*

B *Gravi morbo afflicta cognoscit statum plurium defunctorum ; et a Deipara invisitur ;*

Procinctu autem temporis facta manu Domini super eam, cœpit prolixi languoris gravedine ægrotare, in qua quidem valetudine cum teneretur ab abstantibus jam morti propinqua, subito apertis oculis cœpit loqui. Fatebatur autem circumstantibus sibi, bonorum et malorum recedentium statum intueri. Etiam nonnullas Sorores, quæ per viginti annos ante ortum suum decesserant de hac vita, et quas numquam viderat, cognitione clarissima cognoscebat, ac propriis nominibus convocabat *b*. Sic igitur jacens et lectulo decubans florigera virgo Rosa, apparuit ei gloriosissima Mater Dei monilibus immensis ornata, et tamquam sponsa pulcherrima decorata corona et ex utraque parte sui virginum vallata choreis *: quam intuens virgo Rosa sibi circumstantibus dixit : Ut quid tam incuriales * estis, ut quid tantæ vos tenent moræ, ut ei minime assurgatis? Surgite igitur, eamus obviam ei.

* *i.* choris

* *i. e.* inhumanæ

C *et sanatur, a qua tertiam S. Francisci regulam amplecti et hæreticos ad fidem reducere jubetur :*

12 Et protinus surrexit de lecto et cum præfatis sibi adstantibus egressa est domum et ivit obviam Reginæ regiæ Matri Dei ; quam sic affata est dulciter Virgo Mater lilia fragrans : Rosa in summo assumens * virgulto cum aliis florigeris virginibus complantata, respice me mentalibus oculis sic ornatam, et ad exemplar mei taliter te ornare non differas, et sic ornata et mulierum comitiva *c* honesta associata ecclesiam Præcursoris Joannis et pauperculi confessoris Francisci *d* devotissime visitabis. Demum ad ecclesiam S. Mariæ in Podio *e* remeabis et ibi in Missarum solemniis tonsuram recipies capillorum et depositis mundalibus vestimentis et ornamentis, sicque induta cicilio cordaque tui aselli succincta, summi Sponsi connubia celebrabis : quibus devote et cum laudibus Dei peractis, admisso sic pœnitentiæ habitu, ad domum paternam redibis, ibique in sanctæ conversationis habitu orationi et laudibus divinis vacabis. Exhortationibus insuper proximorum ferventer insistes, insolentes et a Fidei tramite exorbitantes viriliter et audacter, omni timore postposito, redargues. Et si propter hæc a parentibus, vel domesticis, vel extraneis redargutiones et incommoda patieris, patienter tolerare non desinas; nam ex hiis meritum, et post meritum præmium consequeris æternum. Illi autem, qui obsecundare voluerint, gratias a Deo consequentur, æternam vitam et dona : qui autem contradixerint tibi, seu spreverint, et finaliter perseveraverint, infortunia cruenta recipient : et hiis dictis Virgo Mater Dei disparuit. Hæc autem omnia supradicta audiens virgo Rosa a Virgine Matre, sequenti die cuncta sibi injuncta per ordinem executioni mandavit *f*.

* *forte* assurgens

A. INCERTO.

patrem sanctis suis laboribus obnitentem placat.

13 Verum cum multitudo gentium * assidue veniret ad domum B. Virginis ad videndum hæc, quæ faciebat; pater cœpit eidem Virgini minari, et dicebat ei : Si hæc, quæ facis non dimiseris, omnes capillos tui capitis detruncabo : et Virgo respondit; Non cura, quia pro nobis fuerunt pili barbæ Domino nostro Jesu Christo detruncati, et hæc pro ipso ego sustinere non timeo. Et pater dixit : Si non dimiseris, ego forte * te ligabo : et præfata virgo respondit : Et Dominus noster ligatus fuit ad columnam; et ego pro eo ligari non timeo. Et dicebat patri suo cum magna devotione et fortiter plorando : Pater noli contradicere mihi; si vero mihi non contradixeris, Domius noster Jesus Christus associabit te cum angelis suis in Paradiso : et si mihi contradixeris, non dimittam ob hoc, quia E Dominus præcepit mihi, quod hæc faciam. Et pater incepit plorare et dicere : Filia fac cum benedictione Dei. Et tunc beata Virgo dixit patri et avo et presbytero et aliis astantibus suis ac præfatæ dominæ Sitæ *g* : Benedicite me in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Et continuo mulieres veniebant ad dictam Virginem et ipsa accessit cum hiis, quæ secum fuerant ad ecclesiam et dicebat ad illas : Quælibet vestrum quam primum vadat ad ecclesiam et oret pro toto populo Christiano.

* *i. e.* populi

* *i. e.* fortiter

Apparet ei Christus cruci affixus, ex cujus aspectu acerbissimo dolore afficitur.

14 Paucis admodum elapsis diebus apparuit ei Jesus Christus veluti crucifixus : ad cujus visum crudele spectaculum commota sunt viscera ejus et tam ingentis doloris et compassionis aculeo pertransivit animam ejus, ut per spatium dierum plurium a tonsione pectoris et decapillatione capillorum atque laceratione aliorum membrorum minime declinaret *h*. Ex tunc autem crucifixi Jesu et Virginis gloriosæ imaginem semper in suo pectore deferebat; et quia amor mentem amantis quiescere non permittit, de lectulo surgebat de nocte, et per vicos et plateas civitatem circuibat, laudes divinas modulatis vocibus decantando. F

ANNOTATA.

a *Hæc indicata narrantur in secunda Vita, sed hinc inde adduntur aliqua, quæ in priori desiderantur. Non abs re duxi ea huc transferre. Postquam auctor retulit prædictam de bonorum ac malorum meritis visionem, sic prosequitur :* Et hæc fecit die Martis usque ad diem Mercurii : die vero Mercurii in nocte cum mater B. Virginis et multæ aliæ mulieres custodirent eam et crederent, quod ipsa emitteret spiritum, et mater vellet sibi dare ad comedendum ; et B. Virgo dixit matri suæ : Nolo comedere, quia cras erit vigilia B. Joannis Baptistæ, et continuo surrexit cum magno gaudio et laudabat Dominum et B. Virginem Mariam et B. Annam et omnes Sanctos et Sanctas Dei, et rogabat Deum, quod daret potentiam et virtutem regi Franciæ perdendi illas gentes. *Hæc ille, circa quæ pauca notanda sunt. Coretinus lib.* 2 *cap.* 8, *cui more suo adhæret Giannellus, ex hoc, ut videtur loco,*

A. Incerto. *co, scribit*, S. Rosam *in extasi spectasse S. Ludovicum Franciæ regem cum suo exercitu obsidione Damiatæ* eadem hora et momento *periclitantem : cumque pro eo preces fudisset, urbe potitum cognovisse. Porro id contigisse ait* die Jovis XXIII Junii in vigilia S. Joannis Baptistæ anno MCCXLIX. *Verum hæc non subsistunt. Nam primo S. Joannis Baptistæ Vigilia anno* 1249 *non incidebat in diem Jovis, sed Mercurii : unde verba illa :* Et hæc fecit die Martis usque ad diem Mercurii : die vero Mercurii in nocte *etc. Sic accipienda sunt, ut intelligatur nox illa, quæ diei Mercurii initium erat, non finis. Neque obstat, quod die Mercurii dixerit :* cras erit Vigilia, *per* cras *enim matutinum tempus significavit : nam non erat, cur die Mercurii jejunaret propter Vigiliam S. Joannis Baptistæ, si ea in diem Jovis incidisset. Deinde falsum est, S. Ludovicum cum exercitu suo die* 23 *Junii anni* 1249 *in prædicta obsidione periclitatum, ac Damiata potitum esse; jam enim urbem illam a sexta ejusdem mensis die in suam redegerat potestatem, ut in Actis prædicti sancti Regis videre licet tom.* V *Augusti die* 25. *Dicendum igitur est,*
B *vel diem oblatæ visionis ab auctore Vitæ male assignari, vel per visionem illam obsidionem occupationemque Damiatæ non fuisse repræsentatam, vel saltem non nisi præteritam potuisse exhiberi.*

b *Hanc arcanorum cognitionem testantur etiam et probare parati sunt testes in Processu infra num.* 5.

c *Vox Italica, quæ proprie comitatum, quo quis honoris causa stipatur, significat.*

d *In hunc Sanctum singulari quadam devotione ferebatur.*

e *Erat hæc ecclesia illius parochialis, sanctæ Mariæ de Podio, dicta* a clivo, ubi templum parœciæ situm est, *inquit Giannellus lib.* I *Vitæ cap.* I. *Derivatur autem a voce Italica* poggio, *quæ collem significat.*

f *Quomodo id exsecuta sit, refert Vita secunda, unde excerpo sequentia :* Et incontinente se quidem in terram, et in crucem prostravit lugens, adhærens matri suæ : Mater omnes res ac delicias hujus seculi tibi relinquo : ac continuo rogavit matrem dicens : mater volo, quod domina Sita induat mihi tunicam et cingat mihi
C cordulam et tundat *(imo tondeat)* mihi capillos sicut clerico. Et statim dicta domina Sita venit ad beatam virginem Rosam, et dixit illi : Filia non sum digna facere hæc, quæ dicis. Et ipsa respondit : B. Virgo Maria præcepit mihi, quod tu modo induas mihi tunicam de cilicio, quam ad caput lecti sui habebat. Et ipsa domina Sita respondit et dixit : Filia, permitte consanguineos tuos. Et Virgo respondit : B. Virgo Maria præcepit mihi, quod te instigem, ut facias, quæ tibi dixi. Et mater dixit ipsi : Filia non habeo cordulam : et ipsa respondit : Non habes unam cordulam asini? Et mater fecit sicut ei præcepit. Tunc dicta domina Sita fecit, quidquid sibi præceperat ipsa Virgo. *Refert dein biographus Sanctam, comitantibus multis mulieribus, assignatas ecclesias adiisse, et reliqua, quæ a Deipara mandata erant, fuisse exsecutam. Porro aspero hoc habitu teneram illam Virginem usam esse, asseritur etiam in Processu loco supra citato, ubi dicitur :* Cum laboraret in extremis, voluit cilicio asperrimo ac durissimo indui, et ejus aselli cordula *(id est, qua asinus alligatus erat)* præ devotione accingi. *Coretinus l.* 2 *cap.* 10 *et cum eo Rinaldus et Giannellis, aiunt creditum fuisse, quod vestis illa, cum Deipara Virgini appareret, divinitus esset allata : sed scriptores illi omnia tantopere exaggerant, tamque mirabilia reddere conantur, ut soli eorum auctoritati tuto credi non posse existimem. Certe neutra Vita fundamentum sufficiens præbet rei tam mirabili asserendæ.* D

g *Quænam hæc domina* Sita *fuerit, nusquam indicatur : forte fuit aliqua Tertiaria S. Francisci.*

h *Apparitionem hanc cum aliis quibusdam circumstantiis accipe ex Vita secunda.* Præterea cum tunc *(paulo post assumptum pœnitentiæ habitum)* Dominus noster Jesus Christus in cruce apparuit eidem Virgini. Et ipsa Virgo in mente incepit extrahere capillos sibi et percutere se in facie ac pannos sibi devidere, et plorabat cum magna devotione, et fecit se portari ad ecclesiam, et prostravit se in crucem et dicebat ei plorando : Pater, quis te crucifixit? Et dum ita plorabat, surrexit quidam dominus et traxit ipsam de ecclesia et duxit ad domum suam. Quæ Virgo cum ducta esset ad domum suam, tribus diebus E
se marturivit * semper plorans. *Texit dein narrationem fabellæ simillimam.* Postea vocavit matrem suam et dixit ei : Mater porta mihi parum herbæ; et mater abiit et portavit sibi aliquantulum de menta. Et B. Virgo dixit : Pone super pectus meum et mitte stare. Et ipsa Virgo dimisit ipsam aliquantulum, et postea accepit eam cum manu et dixit matri : Mater accipe herbam istam et habeas eam nimis caram, quia Dominus noster Jesus Christius benedixit eam supra pectus meum. *Quid hæ nugæ sibi velint, non capio. Audi tamen lepidam Coretini, Rinaldi, ac Giannelli interpretationem. Ajunt illi, Christum Virgini secundo apparuisse non jam crucifixum, sed cœlesti gloria conspicuum, a quo* postulavit *(verba sunt Giannelli lib.* 1 *cap.* 9) ut pectus consecraret sibi una cum suaveolentis mentæ fasciculo, quem a matre e domestico vase compactum afferendum curaverat, atque inibi collocarat, utque arctum conclave suum et angulum illum domus dedicaret, illum cum S. Mariæ rosarum cœnobio, cui erat conterminus (quod cœnobium suum vocavit, cum rem matri retulit) in unitatem coiturum, suæque mortalitatis exuvias in eodem cœnobio servatum atque observatum iri, pro- F
phetico more præsentiens. *De prædictione illa postmodum sermo recurret : sed pectoris ac anguli per mentæ fasciculum consecratio anilibus fabulis mihi proxima videtur. Quod autem secundam Christi apparitionem spectat, penes scriptores illos sit fides.*

* l. marturiavit, *quod apud Cangium in Glossario idem est, quod* martyrizavit

CAPUT

A

CAPUT III.

Ob refutatos hæreticorum errores ab urbis præfecto cum parentibus exsulare jussa Surianum se recipit, ubi mortem Frederici II vaticinata, Vitorchianum migrat : incolas piis monitis instruit, cæcum illuminat, in ardenti rogo illæsa perseverans hæreticæ mulieris pervicaciam flectit.

B

Catholicam fidem, spretis hæretiorum minis, publice profitetur : a

In simplicitate nempe cordis Christum Jesum quotidie gentibus prædicabat *a*, bonis bona pronuntiando æterna, et malis supplicia sempiterna. Contra hæreticos autem horribiliter sæviebat, et eorum hæreses argumentis sensibilibus confutabat, argumenta illorum falsa replicabat, et cunctis audientibus, dictorum argumentorum falsam apparentiam apertis rationibus luce clarius ostendebat. Itaque cunctis audientibus liquido videbatur, et erat, quod per ejus os loqueretur Spiritus, cum quæcumque locuti sunt Sancti Dei, per os Spiritus sancti locuti sint. Hæretici autem, qui tunc in Viterbio ut infra triticum zizania pullulabant *b*, contra hanc Virginem ut canes rabidi fremere cœperunt, et ut a verbis obmutesceret Fidei, præmissis comminationibus indixerunt. Virgo autem Christi in Dei amore et Fidei fulcimento firmata, comminationibus spretis, et terroribus cunctis depulsis, loquebatur contra eos cum fiducia verbum Dei, asserens, se paratam pro favore Fidei Catholicæ et defensione mortem libentissime substinere.

C

quapropter cum parentibus urbe ejecta c

* *i. e.* illi
* *l.* suggesserunt

16 Audientes autem hæc insani hæretici atque perfidi, adierunt præpositum civitatis, qui tunc per imperatorem hæreticum Federicum *c* in civitate Viterbii præsidebat, et quantum possibilitas affuit, sibi * successerunt *, quod nisi illam cum parentibus suis de civitate Viterbii expelleret, populus dictæ civitatis contra se commotionem faceret, et post commotionem insultum, et post insultum expulsionem reciperet. Quo audito, dictus præses, missis apparitoribus suis, jussit virginem Rosam cum parentibus suis *d* accersiri, et peregre proficisci. Quibus præsentatis sub pœna personali et omnium suorum bonorum proscriptione mandavit, ut statim de civitate deberent exire. Illi autem audientes hoc immane præceptum, et temporis asperitatem rigiditate glacici, nivium et algoris videntes, rogaverunt, ut mandatum temperaret, et supersederent, quoadusque asperitas temporis declinaret. Nam si recederemus nunc, inquiunt, mortis nobis periculum immineret. Præses autem irato animo replicavit mandatum, asserens se idcirco accelerare egressum, ut mortis periculum non evadant.

asperrima hieme Surianum pervenit : ubi

17 Parentes autem virginis Rosæ, imperantis jussione urgente, egressi sunt civitatem, pergentes per aspera montis Cimini *e*, et concava vallium ipsius plenarum nivibus totam diem. Die vero secundo devenerunt Surianum *f*. Existente * autem cum suis parentibus virgo Rosa ibidem, et de nocte in visione per angelum recepto divino oraculo, de mane vaticinata est in populis dicens : Audite Christi fideles lætamini confidentes, quod usque ad paucos dies habebitis nova trophea *g*. Hoc autem vaticinium factum est a beata Rosa in Vigilia B. Nicolai. Paucis autem clapsis diebus nova fuerunt delata Viterbium, quod Federicus imperator hæreticus, qui persequebatur Ecclesiam Dei, in Vigilia B. Nicolai *h* defunctus est. Lætata est igitur S. Mater Ecclesia de tanto persecutore detracto, et prophetia virginis Rosæ auctentica reddita et probata.

A incerto.

impii Frederici II mortem divinitus cognitam annuntiat.

* *l.* existens

Inde Vitorchianum ingressa, incolarum animos ad pietatem instituit, cæcum a natalibus visu donat :

18 Decedens autem de supradicto castro virgo Christi Rosa cum parentibus suis, venit Vitorchianum *i* et ibidem diebus aliquibus *k* commorata est. Mares autem et mulieres castri illius susceperunt eam lætabundo animo et devoto; et illa, ut simplex erat, simplici confabulatione exhortabatur illos ad depositionem vitiorum et ad susceptionem bonorum morum et sanctarum virtutum. At illi cum devotione audiebant eam, et quotidie recipiebant ab ea monita salutis. Interea in castro prædicto erat quædam virgo nomine Delicata, quæ ab ipsa sua nativitate caruerat virtute visiva. Quam quidem parentes ipsius ad virginem Rosam adduxerunt, supplicantes obnixe, ut dignaretur pro ea orare atque suis humilibus precibus et Deo caris virtutem, qua carebat, visivam recuperaret. Virgo autem Rosa, precibus eorum commota, sese in orationem dedit : facta autem oratione, surrexit, et imponens manum lumen sibi * recuperavit optatum.

E

* *i. e.* illi

hæreticam frustra conata convertere, l

19 Præterea autem in eodem, quod diximus, castro Vitorchiani erat quædam hæretica *l* perfida, quæ contra Fidem Catholicam quotidie horrenda latrabat et verbis virginis Rosæ, quantum poterat, obsistebat : sed virgo fidelis Rosa dictam hæreticam veritatis jaculis feriebat, et altercando et disputando claris rationibus confutabat. Sed quid plura? Cum nec sic acquiescere vellet, cogitavit virgo sanctissima Rosa convertere eam per virtutem fidei sibi infusam; videlicet per jejunia prolixi temporis spatio tracta, ut evidenter hæretica comprehenderetur, et per *m* viam naturæ nullatenus fieri possent. Quapropter obtulit, se jejunaturam viginti diebus, in quibus nihil sumeret alimenti, et tamen virtute suæ fidei absque læsione aliqua incolumis permaneret. Inquit hæretica : Lupi et grues longo tempore abstinent et vivunt : quod natura contulit illis, et tibi posset hoc ipsum facere.

F

ingentem rogum accendi jubet : in eoque diu illæsa perseverans, pervicacem mulierem Christo lucratur.

20 Videns autem Christi Fidelis, quod hæreticam illam nec per rationabilia verba, nec per exemplaria facta poterat a perfidia revocare, fecit magnum ignem parari, et rogavit sacerdotes, ut pulsarent campanas ad hoc, ut populus conveniret ad tale spectaculum : et confidens de Dei clementia, pro cujus fide et lege certabat, in medium prosiluit ejusdem, et hinc inde pluries se revolvens flammarum globis vallata undique, tam diu ibidem moram contraxit, quamdiu ignis ille totaliter fuit extinctus. Finaliter inde exiens, et sospes coram hæretica gradiens, dicti castri plebe adstante, absque ustione vestimentorum et corporis sic illæsa apparuit, acsi inter flores roridos commorata fuisset *n*, clamans et dicens : Jam depone infidelitatem tuam et devota mente subde te legi divinæ. Ad cujus stupendum miraculum prava illa hæretica stupefacta, infidelitate

A INCERTO. te deposita, ad fidem Christi totaliter se convertit; sicque populus cunctus astans ad laudem prorupit Altissimi, gratia Christo agens, qui tantam virtutem virgini Rosæ contulit.

ANNOTATA.

a *Quod Sancta piis exhortationibus populum instruxerit, et efficacibus argumentis convicerit hæreticos, habemus etiam ex Actis Processus num.* 4 *et* 6; *quod certe satis mirabile est in tam tenera puella. At mihi incredibile apparet, quod Coretinus lib.* 2 *cap.* 15 *et lib.* 3 *cap.* 12 *ait, videlicet, eam non modo in ecclesiarum exedris ad concionem dixisse, verum etiam postmodum ad id ipsum factitandum, ab Innocentio IV apostolicam facultatem accepisse.* Anno MCCLII concessit *(Innocentius IV)* illi auctoritatem apostolicam prædicandi libere, uti faciebat, Euangelium Christi : *inquit loco postremo, nullum tam insolitæ rei testem, nullum instrumentum producens. Quare miror, Giannellum tam facile id credidisse lib.* I *cap.* 17, *ubi eam concessionem adducto ex S. Scriptura exemplo persuadere conatur* B *his verbis :* Anno MCCLII prædicandi verbi divini Sacrarumque Litterarum exponendarum ei facultatem motu proprio est largitus. Neque enim vetatur Christi Vicarius heroicæ sanctitudinis fæminis hujusmodi facultatem concedere; cum eam ipse Christus Dominus mulieribus dederit, eas ad erudiendos de suo ad vitam reditu Apostolos amandando. *Itane vero? Quam recta hæc sit comparatio, judicent eruditi. Ego quid in hac parte Christi Vicarius possit, non disputo; sed donec alia argumenta proferat Giannellus, non persuadebit mihi, apostolicam illam auctoritatem facultatemque puellæ duodenni aut undenni, qualem ipsi eam faciunt, ab Innocentio IV reipsa concessam esse. Multo credibilius in Processu dicitur per plateas et vicos divinas laudes celebrasse, et sæpe in saxo quodam ad populum sermones habuisse : nusquam in templorum exedris id fecisse traditur : et sane ego tenellam Virginem humilitatis amentiorem fuisse credo, quam ut mulier in ecclesia loqueretur.*

b *Invaluisse sub Frederico II in Italia hæreticos testatur Innocentius IV in epistola ad FF.* C *Prædicatores data de hæresi per Insubriam exstirpanda. Habes eam apud Raynaldum ad annum* 1251 *num.* 33 *et seqq. Unde hæc pauca desumo :* Olim enim dum vivebat perfidus ille tyrannus *(Fredericus II)* non potuit libere contra hujusmodi pestem, præcipue in ipsa Italia, eo impediente, procedi, cum non impugnaret, sed foveret potius pestem ipsam : de qua cum evidenter haberetur suspectus, exigentibus nihilominus aliis multis et enormibus suis excessibus, fuit a nobis in Lugdunensi concilio condemnatus.

c *Fredericum II designat, qui, licet hæresim aperte professus non sit, de ea tamen* evidenter suspectus *habebatur, ut ex Innocentio IV mox diximus. Porro difficultas hic est, qua ratione quisquam tum temporis pro imperatore Viterbio præfuisse dicatur. Nam prout ex sequentibus patebit, hæc debuerunt contingere anno* 1250 : *jam vero ex allatis apud Raynaldum aliosque passim annalistas scriptoribus constat, quod Viterbienses, qui anno* 1240 *a Pontifice ad Fredericum defecerant, anno* 1243 *ad Ecclesiam redierint. Verum dicendum est, Fredericum ea urbe postmodum rursus potitum esse. Tradit id Petrus Coretinus. De episcopis Viterbii, in Scambio* XV *episcopo sic scribens :* Sub idem tempus eodem Innocentio *(IV)* pontifice a Friderico cæsare fugato cum Cardinalibus suis, civitas Viterbii, quæ pro Apostolica Sede custodiebatur, ab imperatoris exercitu obsessa, ob hostiles incursus, nefarias cædes crebraque incommoda, auxilio omnino destituta, viribusque lassata, ac bello non modo tunc imminente, verum etiam fame atque peste plurimum oppressa, in calamitatibus, ineunte anno MCCXLVII miserrime succubuit. *Hucusque Coretinus : cui consentit Ughellus Italiæ sacræ tom.* I *col.* 1411 *num.* 17, *ubi id confirmat diplomate Innocentii IV, quo Viterbiensi populo relictis Frederici partibus ad Ecclesiæ obsequium redeunti præteritorum veniam indulgens eum sub Apostolica protectione suscepit. Exordium illius est :* Non est in justo malorum vindice. *Datum autem est* Perusii XV Kal. Maii, anno nono : *adeoque anno Christi* 1252. *Porro diploma loco citato totum reperies* D

d *Vita secunda eamdem rem narrat in hunc modum :* Et postmodum vero, cum beata Rosa pergeret per civitatem Viterbii assidue cum cruce in manibus et laudaret nomen Domini nostri E Jesu Christi et beatissimam Virginem Mariam, quidam, qui tunc pro imperatore Federico præsidebat civitati Viterbii, rogatus a quibusdam hæreticis, qui in eadem civitate publice tunc temporis morabantur, quod eam extra civitatem expelleret, fecit ad se matrem B. Virginis Rosæ *(vocari)* et præcepit eidem sub pœna bonorum omnium et personæ, quod se de prædicta civitate usque ad aliam diem sequentem cum tota sua familia separaret. Et cum mater B. Virginis ad domum reverteretur, et hoc nunptiaret familiæ suæ, sicut præceperat ei Potestas *(id est supremus urbis rector,)* pater dictæ Virginis ivit in continenti ad Potestatem et rogavit dicens : Domine miserere mei et familiæ meæ, quoniam si in isto tempore exiremus de civitate, propter nives, quæ jacent per montes et valles, omnes moriremur. Et dictus Potestas eidem respondit; Ideo vos expello, ut omnes moriamini. Qui reversus ad domum, cum tota familia et rebus suis exivit civitate Viterbii, et semper ningebat etc.

e *Mons est Hetruriæ in provincia Patrimonii, indigenis* la montagna di Viterbo *dictus, ad cujus* F *radices Viterbium situm est.*

f Surianum *(Italis* Soriano) *castrum est in eodem Cimino monte, teste Coretino, exstructum, octo milliaribus Italicis distans Viterbio. Huc ut pervenirent prædictus mons periculoso sane tempestate hyberna itinere peragrandus fuit, ut patet ex tabula, quam suæ Etruriæ metropoli præfixit Franciscus Marianus.*

g *Idem vaticinium refertur in Vita secunda :* Et iverunt ad quoddam castrum, quod Surianum nomine appellatur. Et cum perveniret ad dictum castrum beata virgo Rosa, cœpit dicere sicut sibi ab angelo fuerat nuntiatum, quod antequam sunt multi dies, amici Dei habebunt magna nova. Et hoc dixit in Vigilia S. Nicolai : quæ cum dixisset, iverunt nova Viterbii non post multos dies, quod Federicus imperator debitum naturæ exolverat in Vigilia B. Nicolai.

h *Consule Commentarium num.* 14.

i *Aliud Hetruriæ in provincia Patrimonii castellum, secundum Baudrandum octo, secundum Coretinum quatuor tantum milliaribus distans Viterbio. Italis* Vitorchiano *dicitur; Latine* Orchianum, Vitorchianum, *et* Vicus Orchianus *appellatur.*

k *Vita*

A k *Vita secunda habet :* Stetit *(id est commorata est)* ibidem per tres dies : *Verum hoc spatium angustius videtur, quam ut commode Sancta nostra patrare potuerit, quæ mox referenda sunt. Forte per triduum illud, nondum perspecta illius sanctitate, nonnisi ut vulgaris peregrina habita est.*

l *Coretinus, Rinaldus ac Giannellus eamdem etiam magam fuisse asserunt, quæ præstigiis suis incolas ad hæresim pelliceret. Fidem penes ipsos relinquo.*

m *Sensum hiulcum sic restitues :* et per ea, quæ per viam naturæ *etc.*

n *Illustre hoc Catholicæ Fidei testimonium, tanto prodigio confirmatum, non uno in loco a testibus jurejurando adstrictis in Processu relatum reperio.*

CAPUT IV.

B *Cæcum illuminat, impio pœnam prædicit, in Ordinem S. Claræ admitti postulat : repulsa vaticinatur : moritur, et post trinam apparitionem ab Alexandro IV transfertur.*

Cæco visum reddit, impio pœnam vaticinatur,

Quodam nempe tempore vir quidam Andreas nomine, qui per multa tempora cæcus existens a virgine Rosa rogitabat suffragium, ut pro se ad Dominum intercederet : illa autem ut pia erat pectore, compassa misero illi, pias ad Deum pro eo preces fudit; quibus fusis, lumen sibi restituit, quo carebat. Quidam indevotus et furibundus vir et præceps totus in verbo et facto, virginem Rosam divina eloquia proferentem percussit in brachio : ad quem Virgo conversa vaticinando dixit : Hinc ad tres dies signum apparebit manifestum in corpore tuo, per quod ab aliis hominibus discerneris. Vere sic accidit : nam adveniente die tertio omnes pili tam de capite, quam de facie, nec non de toto corpore C ceciderunt. Itaque non homo, sed quoddam monstrum turpissimum videbatur.

Inter sanctimoniales S. Claræ admitti petit : repulsa de admittendo post mortem corpore suo vaticinatur. a

22 Et quoniam *a* Famula Dei mundo despicabilis reddebatur pro eo, quod semetipsam despexerat, ut Christum lucraretur, qui nonnisi per humilia reperitur, cum adhuc in carne viveret, et conversaretur in domo paterna, venit ad monasterium ipsum, in quo nunc jacet; et petivit a monialibus ipsis recipi in consortium earumdem, ut inter sacras virgines ipsa Virgo soluto carnis debito, ad Sponsum suum, quem avide sitiebat, perveniret, scilicet Dominum nostrum Jesum Christum. Cui cum Sorores respondissent, quod quia * numerus receptarum dominarum erat completus, et sic non poterant eam recipere : sacra Virgo ait : Scio, namque scio, et scio, quod non ista est causa, sed quia despicitis in me, quæ Deus acceptat in omnibus, ut scilicet propter ipsum sapientes mundi sint stulti, ut fiant sapientes. Nam sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum : sed hoc vobis notum sit, quia quam contemnitis habere viventem, gaudebitis habere defunctam, quam et habebitis *b*. b

* *quia abundat*

A 23 Quid plura? contigit, sacrum Virginem ex hac vita migrare *c* et sepeliri in ecclesia S. Mariæ in Podio, ubi jacuit decem et octo mensibus *d*. Statimque cœpit coruscare miraculis; et quia decens erat, ut quam Deus glorificaverat in cælis, mundus coleret in terris, nec non et ut sua profetia impleretur, qua profetaverat de sepultura sua; infra octo dierum spatium ter apparuit sommo pontifici S. Domino Alexandro Papæ IV, qui tunc cum sua curia degebat Viterbii; dicens ei in visione : Quoniam complacuit Christo computare me infra numerum Ancillarum suarum, tu cujus vices tenes in terris, ne differas facere, quæ facere debes : sed cito pergens ad ecclesiam S. Mariæ in Podio, corpus meum inde levabis et portabis ad monasterium S. Mariæ Ordinis S. Claræ, quia ibi debet esse locus meæ quietis.

A. INCERTO. Post obitum suum ter apparens Alexandro IV, jubet corpus suum transferri, c d

24 Quod cum Papa primo et secundo neglexisset, tertio monitus intellexit, divinum esse miraculum. Surrexit protinus mane, et personaliter cum quatuor Cardinalibus accessit ad portentosum locum : et inde effodiens sacrum corpus, ad monasterium, de quo fuerat monitus, deportavit, tantamque devotionem concepit ad ipsam, quod, nisi quia oportuit eum Romam accedere, canonizasset *e* eam, sicut ipsis proprio ore dixit monialibus ipsis. Post vero exhumationem sacri corporis fuit assertum a multis, quod in sepulcro ejus fuerat inventum manna in modum olei redolentis. F

quod Pontifex cum summa sanctitatis illius existimatione exsequitur : in sepulcro manna repertum dicitur. e

ANNOTATA.

a *Quamquam biographus nullam de Virginis Viterbium reditu mentionem faciat, manifestum tamen est, ea, quæ sequuntur, Viterbii contigisse, quo postliminio reverti potuit sub initium anni* 1251, *si, ut Coretinus lib.* 3 *cap.* 7 *tradit, Viterbienses, intellecta Frederici morte paulo postquam eam* S. Rosa *prædixerat, Cæsarianum cum suis asseclis præsidem ex urbe pepulere.*

b *Vaticinium hoc a juratis testibus in Processu confirmatur.*

c *Anno probabilius* 1252, *ut diximus in Commentario.*

d *Vide disputata in Commentario a num.* 39.

e *Hanc Sanctæ apparitionem, ejusdemque corporis translationem asserunt in Processu testes : sed prætermissæ canonizationis causam non rejiciunt in discessum Romam, sed in præproperum Pontificis obitum :* Nisi, *inquiunt*, præfatus Alexander nimis propere ex humanis secessisset, dictam gloriosam Virginem jam annumerasset in catalogo aliorum Sanctorum et Sanctarum Dei, prout jam fuerat pollicitus. F

VITA ALTERA

Ex Officio ecclesiastico S. Rosæ a. a

Pia Sanctæ in infantia

Rosa piis orta parentibus mox cœpit virtute clarere : impedimenta nescivit ætatis : in lacteo pectore senilem gerebat animum : ab iis, quæ pueris in deliciis sunt, ipsa virtute, non annis maturior, vehementer abhorruit. Nil puerile gessit in opere : pergebat ad templum Domini et legem Dei adhuc puerula observabat. Ab ipsa

Ex Officio proprio.

ipsa infantia timere Deum et abstinere ab omni peccato, cælitus edocta fuit. Uti rosa inter flores, ita ipsa Puella inter virgines facile emicuit. Devotio illi erat supra ætatem, virtus supra naturam, ut videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum virginis. Habent itaque quod in Viterbiensi virgine S. Rosa, cujus hodie diem festum colimus, mirentur viri, non desperent parvuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ.

virtutum exercitia,

2 Vix in primos accentus solvere linguam potuit, cum primum ex ejus ore dulce Jesu ac Mariæ nomen insonuit. Ita Deus mirabilis in Sanctis suis ex ore infantium ac lactentium suam perficit laudem, ac ipsas infantium linguas disertas facit. Pietatem erga Sanctos cum lacte suxisse visa est. Iis caruit innocuæ alioqui ætatis morum defectibus, qui in iniquitatibus conceptum hominem satis produnt. Incedebat in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum. Omnibus magnum aliquod portendebat : factus est stupor super omnes cognatos ac vicinos dicentes : Quæ putas
B puella ista erit? Etenim manus Domini erat cum illa.

ac morum gravitas.

3 Nondum infantiam egressa, morum magistra audiebat, et erat : magisterium virtutis implevit, quæ præjudicium vehebat ætatis. Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. In hoc primo vitæ curriculo ita Dei benedictionibus præventa fuit, ut absolutæ perfectionis metam attigisse videretur. Quum alii incipiunt, jam ipsa perfecerat : exultavit ut gigas ad currendam viam : cucurrit viam mandatorum Domini, quia Dominus ipse ejus dilataverat cor : non in vanum, aut quasi in incertum cucurrit, quæ et comprehendit. Ita in ipso infantiæ flore spectaculum facta est mundo, angelis et hominibus : mundo, quod nil saperet, quæ mundi sunt : angelis, quod eorum innocentiam semper æmulari studuerit : hominibus, quod iis præluceret sanctitatis exemplo.

Adhuc puellula pœnitentiam in deliciis habet,

4 Innocens Virgo in innocuum corpusculum usque adeo sæviit, acsi luendæ sibi fuissent pœnæ graviorum scelerum, quorum pro ætatis ratione ne quidem poterat esse conscia. Minusculæ ita non pepercit ætati, ut cum alii infantes
C deliciis ac jocis, ipsa secus consueverit acerbioribus pœnitentiis vacare. Necdum luctam pati poterat carnem inter et spiritum; carnem tamen tamquam rebellem assidua mortificatione contrivit. Mirum proin erat ac pulchrum visu, in ipsa intueri angelicam innocentiam anachoreticæ pœnitentiæ conjunctam, ceu rosam spinis undique circumseptam.

muliebrem ornatum odit,

5 Innocens Rosa ab se licita novit per pœnitentiam abscindere, quæ nusquam meminerat, se illicita perpetrasse. Dignos pœnitentiæ fructus fecit, quæ nullum grande scelus admiserat. Mundi pompas ac vanitates omnes, quibus sequior sexus mire delectatur, alto pede calcavit : non ornari jam aut placere cuiquam, nisi Domino suo studuit : nihil habuit commune cum mundo, quæ cælum mente incolebat. Omnia arbitrabatur ut stercora, ut Christum lucrifaceret : nusquam super caput suum gestavit signum superbiæ in die ostentationis suæ : hoc detestata semper fuit quasi pannum menstruatæ. Nusquam lætata est Dei Ancilla, nisi in Domino Deo suo : hic erat illi omne bonum; ea nuptiali veste dumtaxat superindui cupiebat, qua digna redderetur, D
ut nuptiarum Agni particeps fieret.

innocens corpusculum macerat, mortuam resuscitat.

6 Hispido amictu tegi, nudis incedere pedibus, iteratis flagellis suum ad rosæ usque colorem cruentare corpusculum, ciliciis, jejuniis aliisque id genus pluribus austerioris pœnitentiæ actis tenuia macerare membra solemne habuit. Eo brevi corpus redegit, ut impediret nihil, quo minus in jugi divinorum contemplatione irretorta mentis acie maneret. Hac eximia sanctitate ad miraculum junior Rosa præfulsit : cui sanctitatis miraculo insigne aliud accessit, quod ipsa adhuc puella enixis ad Deum precibus vitam amitæ defunctæ obtinuerit *b*. Ac fama fert, b
alia quoque ipsa teneriori in ætate mirabilia edidisse, quibus Deus ejus sanctitatem voluerit esse testatam.

Virgo aliis virgineum pudorem afflat : eleemosynam miraculo celat :

7 Virgo Rosa vultu plane ad angelicam modestiam composito, intuentium animis puriora virginitatis sensa instillabat. Bonus odor Rosæ sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, ubique diffunditur ac aliis adhæret. Hinc factum, E
ut flos, quem ipsa perpetuo coluit, in alieno quoque solo adoleverit. Nec porro tamquam virgo fatua charitatis oleo destituta, cælestis Sponsi, quem ardentissime adamabat, repudium promereretur; manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, et charitatis viscera quam latissime reseravit. Non dilexit verbo neque lingua, sed opere et veritate; charitatis juxta ac temperantiæ studiosissima, impendebat virtuti, quod subtrahebat voluptati, fiebatque refectio pauperis abstinentia jejunantis. Eleemosynam faciens tuba nequaquam canebat, sed adeo illam occuluit, ut nesciret sinistra, quid ageret dextera. Decerptum frugi alimoniæ suæ panem in stipem pauperum erogabat; quem quum semel hyberna tempestate alienæ sublevandæ inopiæ clanculum ferret, sui patris jussu coacta prodere, quid gremio reconderet, continuo panis in rosas effloruit *c*. c

solitudinis amore angusto conclavi includitur a Deipara Tertiariæ habitum induere jubetur :

8 Cum septimum exegisset annum *d*, solitudinis amore capta, in arctiori paternæ domus cellula *e* suum tabernaculum posuit. Bonum hic esse illi fuit : namque cellula isthæc corpori quidem Rosæ videbatur carcer; at ejusdem animæ erat cælum; dum illud saturabatur lacrymarum d
pane, hæc cælestibus perfruebatur deliciis. Contigit aliquando, ut præ diutina corporis macera- e
tione ægrotaret ad mortem; sed super eam adeo facta est manus Domini, ut B. Virginis visitatione roborata, ac habitum tertii Ordinis S. Francisci induere monita, pristinas ad vitam vires F
absumpserit *f*. In eo ipso solitario ergastulo con- f
stituta fieri nequaquam potuit, ut communium Ecclesiæ necessitatum oblivisceretur : cumque iis difficillimis temporibus in Dei Ecclesia ingentes turbas excivisset Friderici secundi imperatoris impietas, Virgo Deo devota ac zelo plena enixa prece exorare non prætermisit Deum, cujus ad nutum venti obediunt et mare, ut motos fluctus componere, ac tranquillitatem facere dignaretur.

ob propugnatam S. Ecclesiam exsulat : acta in exsilio.

9 Non amplius, quam decennis *g* erat, quum divino afflata Spiritu, qua piis adhortationibus, qua etiam luculentissimis argumentis plures Romanæ Ecclesiæ infensissimos hostes eidem arctio- g
ri fœdere reconciliavit. Hinc communem perduellium invidiam subivit, ac patrium solum una cum universa cognatione sua vertere jussa, in vicina oppida commigravit *h*. In hoc deportata exilium,

A exilium, quod æquo semper animo tulit, Friderici mortem, et Ecclesiæ pacem prædixisse fertur: mulierem quoque a nativitate cæcam luce donavit, atque ad fidei firmitatem adstruendam eodem divino Spiritu percita, in succensum rogum prosiliit, ibique trium horarum spatio *i* intacta permansit. Superari enim charitas Christi flamma non potuit; ac segnior fuit ignis, qui foris usserat, quam qui intus accenderat. Ita mulierem quamdam refractariam atque hæreticam una cum aliis pluribus lucrata est Christo. Stupuere ad hæc universi, quod jam Divinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset.

Virterbium redux, inter moniales admitti rogat: repulsa vaticinatur:

10 Tandem Rosa post exilium redux *k* Viterbium ingenti totius urbis exultatione ac plausu excepta est. Quam cives omnes ejus doluerunt exilium, tam omnes ejusdem reditum sunt adgratulati: non fuit, qui præ gaudio non exiliret, dum ab exilio soluta reverteretur Virgo Israël: erat enim mœrentium consolatrix, pauperum adjutrix, animarum directrix, innocentiæ, flos virginitatis lilium, charitatis rosa, vas electionis ac sanctitatis, absolutissimumque perfectionis exemplar. B Mox itaque ac patrium solum repetiit, quo longius a mundo sequestrata maneret, in sanctimonialium numerum S. Mariæ de Rosis cooptari etiam atque etiam rogavit: sed ob suam ac monasterii inopiam frustrata voto, se mortuam consecuturam, quod vivens impetrare non potuit, rursum prophetico spiritu prænunciavit *l*.

ad paternam domum regressa

11 Ad pristinum ergo paternæ domus ergastulum reversa, oppido solitariam vitam degebat. Duxit atque reduxit eam ad hanc solitudinem Deus, ut ad cor illius familiarius loqueretur. Non illi mandavit Dominus, ut egrederetur de terra sua et de cognatione sua et de domo patris sui: sanctitatis enim cœnobium domesticos inter parietes eidem construxerat, quod sola incoleret Dei Sponsa cum Sponso. Hic datæ sunt illi pennæ sicut columbæ, et volavit, ac requievit, ut in altum contemplationis assurgeret. Corpus, quod alias aggravat animam, eidem non pondus onerati fuit, sed ala volaturi: quippe diutina mortificationis vi omne illi pondus abstulerat. Mortificata quidem erat carne, sed vi- C vificata spiritu, ac quanto erat ab omni humano divulsa commercio, tanto angelorum *m* consortio fruebatur.

sancte moritur: corpus terræ mandatum, post 5° menses transfertur, et incorruptum miraculis claret.

12 Quapropter mundi pertæsa ac identidem ad beatam patriam anhelans, sciens, quod velox esset depositio tabernaculi sui, cupiebat dissolvi, et esse cum Christo. Exaudita est oratio ejus; nam læthali correpta morbo cellulam, in qua duobus *n* post exilium annis permanserat, commutavit cum cælo. Itaque non annis, sed meritis gravis (ætas enim senectutis vita immaculata) decimo octavo *o* suæ vitæ anno nondum absoluto, evolavit ad Sponsum. Rapta est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Consummata in brevi explevit tempora multa; placita enim erat Deo anima illius; propter hoc properavit educere illam de medio iniquitatum. Corpus ejus mirum emittens splendorem, odoremque suavem exhalans in templo S. Mariæ de Podio inhumatum est, donec elapsis a sepultura triginta circiter mensibus *p* jussu Alexandri IV tunc Viterbii sedentis, ac in somnis ter ab ea commonefacti, exhumatum ac sine ulla corruptione inventum, pridie Nonas Septembris ad præfatum monasterium, quod postea a S. Rosæ nomine vocitari cœpit, solemni pompa translatum est, ubi ad hodiernum usque diem integrum ac flexibile, universo orbe stupente, servatur, ac novis semper miraculis enitescit. *Ex Officio proprio.*

ANNOTATA.

a *Vita hæc desumpta est ex Officio Sanctæ proprio anno* 1743, *die* XI *Martii a sacra Rituum Congregatione concesso cum Octava pro die ejus festo* 4 *Septembris et* 6 *Martii respective recitari in civitate ac diœcesi Vilerbiensi. Pro prima die recitatur* S. Rosæ *Vita in compendium contracta, quam consulto prætermisi, quia nihil in illa continetur præter ea, quæ jam tradita sunt. Pro secunda, tertia, quarta, ac octava die (aliæ enim aliis Officiis impediuntur) sequentes lectiones secundi Nocturni assignantur: quæ quia* S. Rosæ *innocentiam, corporis macerationes, zelum fidei, reliquasque virtutes, ac prodigiosam corporis integritatem suavi panegyri proponunt, eas in admirabilis Virginis gloriam priori Vitæ subjungere visum est.*

b *In Vita Processui inserta supra num.* 7 *dicitur trium annorum fuisse, cum hoc prodigium patraret.* E

c *Consule præfatam Vitam num* 8.

d *Ætatem hanc nullibi in Vita expressam reperio: eamdem tamen tradit Coretinus, ex quo hæ Lectiones forsitan compositæ fuerunt. Vide, quæ diximus in Commentario prævio num.* 8.

e *De cellula multa dedimus in Commentario toto paragrapho* 7.

f *Pluribus hæc tradita sunt in Vita superiore num.* XI *et* 12.

g *Decennem etiam facit Coretinus, cum Ecclesiæ hostes ad officium reducere exorsa est: at quo fundamento, ignoro.*

h *Exsilium et acta in eo fusius descripta reperies in laudata Vita toto capite* 3.

i *In citata Vita num.* 20, *dicitur in rogo tamdiu perstitisse, donec ignis omnino exstinctus esset.*

k *Quo tempore regredi Viterbium potuerit, diximus in Annotatis ad eamdem Vitam num.* 22, *lit.* a.

l *Adi numerum proxime citatum.*

m *De hoc angelorum consortio nusquam aliquid reperi: forsitan de invisibili tantummodo angelorum societate verba intelligenda sunt.* F

n *Tempus hujus postremæ in solitario illo loco commorationis videtur referri ex fide Coretini lib* 3 *cap* 16. *Sed quomodo duobus dumtaxat post exsilium annis in eo commorata est, si, ut Coretino placet, anno* 1258 *vivere desierit? Nam num.* 9 *dicitur tantum decennis fuisse, cum hæreticos de officio commoneret, et in exsilium paulo post expelleretur: exsilium vero diuturnum certe non fuit: quippe sublato e vivis Frederico II, circa finem anni* 1250, *ejectisque, eodem auctore teste, Cæsarianis, anno* 1251, *adeoque ætatis suæ undecimo Viterbium postliminio rediit. Hinc usque ad annum* 1258, *Sanctæ ex ejusdem menle emortualem, ad minimum sex anni effluxere: atque adeo aut plures in voluntario illo carcere annos transegit, aut quatuor circiter annos, priusquam se inclusit, Viterbii versata est. Hoc vero ultimum non satis cohæret cum iis, quæ supra dicta sunt: videlicet, quod* mox ac patrium solum repetiit, *in monialium societatem admitti petierit; al* frustrata voto..

ad

Ex Officio proprio.

ad pristinum... paternæ domus ergastulum reversa, oppido solitariam vitam *vixerit. Interserit quidem Coretinus inter reditum obitumque multa, puta, indictum interea de viva Virgine canonizationis examen, concessam apostolicam prædicandi potestatem; erectam piam puellarum domum, cui ipsa præesset annis nata quindecim: verum his in Commentario satis superque responsum reor.*

o *De extrema Virginis ætate consule Comment. a num.* 8.

p *Nota hic correctum Coretini et testium in Processu errorem circa translatum corpus decimo octavo post mortem mense. Sed an sic in aliam non impingatur hallucinationem, consuli potest Commentarius* § 2, 3 *et* 4.

ACTA

Processus pro Canonizatione S. Rosæ instituti jussu Calisti III. Ex copia Autographi, quod servatur apud Sanctimoniales in monasterio S. Rosæ Viterbii. B

Præfatio ad subdelegatos

Coram vobis reverendis in Christo patribus, et domino domino Johanne *a* Viterbiensi et Tuscanensi *b*, et domino Nicolao Ortano *c* et Civitæ Castellanæ *d*, Dei et apostolicæ Sedis gratia, dignissimis episcopis, et in hac parte et causa commissariis et subdelegatis pro informatione famæ, vitæ, ac miraculorum examinatione beatæ virginis Rosæ, tertii ordinis Minorum de Viterbio, per reverendissimos in Christo patres et dominos, Dominum B. Fusculanum *e*, Nicenum vulgariter nuncupatum, dominum Dominicum, tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Firmanum, et dominum P. * tituli sancti Georgii ad velum aureum de Columna, episcopum, presbyterum ac diaconum miseratione divina S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, commissarios electos et deputatos per Sanctissimum dominum nostrum Papam, in causa canonizationis gloriosæ virginis C Rosæ tam vestro proprio nomine, quam etiam vice et nomine reverendi patris, domini A. *f* Dei et apostolicæ Sedis gratia episcopi Sutrini, tertii collegæ vestri in dicta subdelegationis causa, ad recipiendum testes, illosque examinandum et informandum et omnia dicendum et faciendum, prout in vestra delegationis Bulla latius continetur, super fama, vita ac miraculis dictæ B. Rosæ, legitime tamen requisiti, nec comparentis, aut comparere volentis ob nonnullas legitimas causas impediti per ipsum allegatas.

* Prosperum Columna, Domicellum Romanum

in causa canonizationis.

2 Et propter hoc vices suas paternitati vestræ committentis juxta formam et tenorem dictæ vobis factæ commissionis et subdelegationis bullarum, prout sic, vel aliter plus, vel minus, ut in Actis coram P. V. factis et productis, ad quæ nos referimus, latius continetur: comparent et se præsentant venerabiles ac spectabiles viri Frater Lucas Ordinis Minorum, dominus Christophorus de Malviciniis legum doctor et comes palatinus *g*, sindici et procuratores, nomine sindicatorio et procuratorio archipresbyteri, canonicorum et capituli ecclesiæ Viterbiensis, ac magnificorum dominorum Priorum populi, communis hominum et universitatis civitatis Viterbii, necnon venerabilium dominarum et mulierum, dominæ Margaretæ Petrutii abbatissæ, et monialium Conventus ecclesiæ et monasterii S. Claræ, sub vocabulo S. Rosæ prædictæ de Viterbio, et omnibus melioribus, modo, via, jure et forma, quibus magis et melius de jure fieri potest et debet, coram vobis dominis commissariis et subdelegatis præfatis pro tribunali sedentibus in Podio, fenestræ secundæ salæ *h* majoris, palatii episcopatus Viterbiensis, loco per P. V. electo et deputato ad hunc actum, pro tribunali exhibent et produnt infra scriptos articulos, sive capitula divisim et conjunctim, super quibus diligenter examinari petunt, et interrogari generaliter omnes homines et personas, cives, incolas et habitatores magnificæ civitatis Viterbii et provinciæ Patrimonii, ac diversorum aliorum locorum, super infra scriptis articulis, sive capitulis informatorum et specialiter suprascriptos testes. E

Compendio proponuntur a testibus probanda, Sanctæ natalis, asperitas vitæ,

3 In primis ponunt, et si opus est, probare intendunt, quod recolendæ memoriæ Rosa, tertii Ordinis sancti Francisci de Viterbio, jam ducentis annis elapsis *i*, vel circa, in civitate Viterbii tempore felicis recordationis Alexandri quarti et Federici secundi imperatoris, vulgariter dicti Barbarossa *k*, oriunda fuit miraculose *l* ex patre domino domino Johanne *m*, et Catarina matre, Catholicis et Christianissimis, ita semper habitis et reputatis communiter, quæ orthodoxæ fidei documentis imbuta, Christiana inter Catholicos conversata et pro tali habita ac retenta, in ejus pueritia senilem habens sapientiam, hujus seculi contemnens illecebras, ad amorem supernæ cælestis gloriæ tracta, ejus * carnem jejuniis continuis, vigiliis, durisque castigationibus ac cilicio præ caritate et grandi ad omnipotentem Deum affectu macerabat, vilissimo semper habitu ac zona et asperis tunicis contenta, permagna humilitate et subjectione in arctissima cellula ad modum carceris ut plurimum orabat et contemplabatur, et durissimas agens pœnitentias: et quod de hiis est publica vox et fama in civitate Viterbii, et quasi ubique locorum et semper communiter ita fuit habitum, tentum et reputatum. F

* i. e. suam

variæ virtutes,

4 Item secundo ponunt, et, si opus est, probare intendunt; qualiter dicta B. Rosa virgo, donec fuit in humanis, in professione laudabiliter conversata, vita ac conversatione resplendens, discreta, sapiens, benigna, casta, humilis verecunda, et pro sancta semper virgine in maxima devotione ac reverentia habita, magni sensus, fidelis patiens, eleemosynaria vixit: cum summa virginitate et carnis continentia, maximam semper in omnipotentem Deum gerens reverentiam, in summa paupertate, visitando ecclesias, cum maxima obedientia dominorum ecclesiasticorum, ac etiam eorum, qui Ecclesiæ reputabantur persequutores, salva semper orthodoxæ fidei religione: piissima in parentes et proximum, et ut plurimum populo prædicans verbum Dei annunptiabat, et super lapide quodam maxime, qui miraculose se elevabat et declinabat: et quod de hiis est publica vox et fama in civitate Viterbii et pluribus aliis locis, et ita semper pro verissimis fuerunt habita et reputata.

5 Item

A *arcanorum cognitio,*

5 Item tertio ponunt, et si opus est, probare intendunt, quod præfata virgo Rosa, cum esset in humanis, et semel graviter infirmaretur, miraculose videbat animas multorum mortuorum, et eorum præsertim, qui per plures annos ante ejus nativitatem mortui fuerant: quos licet præfata Virgo numquam viderit, neque cognoverit, sigillatim tamen eos per propria nomina distinguebat, et ipsorum qualitates, conditiones ac vitam, dum fuerant in humanis, et eorum bene ac male gesta. Quæ tamen, cum laboraret in extremis, voluit cilicio asperrimo ac durissimo indui, et ejus aselli cordula præ devotione accingi; spiritum deinde habens propheticum ex virtute et gratia omnipotentis Dei; prout de hiis omnibus est publica vox et fama, notum et notorium in civitate Viterbii et quasi ubique locorum.

prodigiosa scientia, zelus pro fide catholica,

6 Item quarto, quod Virgo præfata fuit maximæ fidei et miraculosæ ac profundæ scientiæ absque eo, quod ab aliquo humano doctore fuerit instructa, præcepta legis antiquæ *n* ac præcepta ac consilia *o* sacrorum Euangeliorum, inviolabiliter observans, B in singulis ejus actibus honestissima, corpore et moribus ac mente castissima, in summa ardens caritate Dei, et spiritum habens propheticum, urgentissimis rationibus in favorem S. fidei Christianæ obstinatam perfidam * confutabat, et convincebat hæreticos, cum summis abstinentiis vires humanas transcendens *p*: seipsam corporaliter in ardentem ignem sponte prosiliens et conjiciens, confisa in sanctæ fidei virtute, publice confudit ac vicit hæreticos, cum sese et ejus * corpus intactum ab igne præservasset; et quod de hiis omnibus publica vox est et fama in civitate Viterbii et ubique locorum, et continuo fuerunt prædicta, ut vera, et habita, retenta et reputata.

* *forte* perfidiam

* *i. e.* suum

tolerata ejusdem Fidei causa persecutiones, orationis studium, miracula,

7 Item quinto, quod Virgo præfata cum maxima humilitate et prudentia ac patientia persequutiones tolleravit hæreticorum, et Ecclesiæ persecutores *, exemplo Domini nostri Jesu Christi dulcia verba pro asperis respondens. Et continuis invigilans orationibus ita fuit grata et exaudita ab omnipotenti Deo, ut ejus Virginis meritis et intercessionibus Deus suam gratiam pluribus concesserit et infuderit; videlicet in dæ-C monum effugatione, mortuorum resuscitatione, apostematum miraculose de uno loco et membro ad aliud translatione, hidropicorum et paraliticorum ac diversarum aliarum infirmitatum curatione, et pluribus aliis miraculis, dum vixit, emicuit, in tantum, quod per ejus corporis delationem ignis se fidit et retrocessit *q*. Et de hiis omnibus fuit, et est publica vox et fama Viterbii, et ubique locorum, et ita semper pro veris fuerunt prædicata, habita ac retenta.

* *l.* persecutorum

sepulcrum prodigiis clarum:

8 Item sexto, qualiter dictæ gloriosæ Virginis mors pretiosa et accepta fuit in conspectu altissimi et summi Dei: cum in ejus sepulcro, postquam naturæ concessit, plurima miracula ac gratiæ in diversis locis apparuerint, non vi verborum, sed subito absque aliquo languentis labore, in ædificationem S. Catholicæ et orthodoxæ Fidei Christianæ, interdum contra, interdum supra et præter naturam, mortuos suscitando, illuminando cæcos, leprosos mundando, auditum surdis, clausis gressum, mutis loquelam præbendo, captivos a vinculis, et vi tempestatum periclitantes nautas liberando, et per tactum suæ cordulæ ac cinctum, quæ ex lino et serico in dicto venerabili monasterio fiunt, ubi ejus sacrum corpus requiescit; prægnantes mulieres ad parturiendum, et fœtus mortuos et incompletos per potum loturæ manuum emittendum: febricitantes et pestilentiatos liberando, et pluribus aliis magnis ac diversis miraculis coruscando, ab ejus morte usque in hodiernum diem; quæ omnia aliter, quam miraculose fieri non potuissent, emicuit. Et de hiis omnibus et singulis est publica vox et fama ubique locorum, et maxime in civitate Viterbii, et ita semper fuit et est habitum et retentum.

Ex Processu

unde factum, ut monasterium ejus monialium numero et sanctitate floreret.

9 Item septimo, quod in ejus sancti nominis honorem, et ædificationem ejus continuorum miraculorum plures venerabiles matronæ, virgines nobiles et populares, ejus monasterium ingressæ *r* vitam regularem et observantiam usque in hodiernum diem professæ sunt, et continuo profitentur sine numero, propter justam earum et sanctam vitam summamque honestatem, cum sine macula continuo vixerint et vivant, ita universum populum ædificant, ut in eas singulo die major crescat devotio: et quod de hoc est publica vox et fama, notum et notorium.

E *Corpus Sanctæ incorruptum multis salutiferum invisitur.*

10 Item octavo, quod ad ejus venerabile corpus, quod etiam usque nunc miraculose ita integrum perseverat et illæsum, cujus caro calcatur *f* dum premitur inferius, et cum dimittitur, ad statum pristinum revertitur; licet sub terra humatum ad sepultum per annum jacuerit cum dimidio *t* sine macula et læsione aliqua, et singulo die omnibus illud videre volentibus ostenditur. Ad quod diversorum populorum et nationum, tam intra, quam ultra montes, continuo concurrit et confluit multitudo, cum maxima devotione et reverentia, et præsertim in die ac Vigilia ejus anniversarii obitus et solemnitatis *u*, cum delatione palliorum, sacrarum imaginum et aliarum diversarum rerum oblatione, vota sic omnipotenti Deo et beatæ Rosæ, tamquam * aliis Sanctis Dei, persolvendo; cum firmissime credatur et existimetur ab omnibus, ista miracula fieri ex gratia omnipotentis Dei, exigentibus meritis dictæ gloriosæ virginis Rosæ, et quod prædicta nullo modo fieri potuissent, nisi miraculose; præsertim quod ejus corpus cum tanta integritate fuerit præservatum, nec per tot mensium diuturnitatem fuerit sub terra corruptum. Et quod de prædictis omnibus est publica vox et fama, et ita semper fuerunt pro verissimis prædicata, habita, reputata ac retenta, et sic est notum et notorium. F

* *i. e.* non secus ac

Quæ omnia probare contendunt.

11 Item nono, quod prædicta omnia et singula, quæ ex fama probanda sunt, populi seniores dictæ civitatis Viterbii, et graviores personæ dictarum religionum *, et layci omni exceptione majores, ita recolunt audivisse continuo ac sensisse ab eorum antecessoribus et antiquioribus dictæ civitatis, et ita firmissime credunt et tenent, prout notum est et notorium.

* *forte* religiosarum

Authentica Sanctæ Acta deperdita:

12 Item decimo, quod vita dictæ beatæ Rosæ in pluribus authenticis scripturis antiquis, una cum ejus miraculis, cum descripta essent et annotata, ex negligentia et calamitate dictæ civitatis Viterbii deperdita fuerunt et igne combusta: et quod de hoc est publica vox et fama.

honor ipsius corpori delatus,

13 Item undecimo, quod a pluribus summis Pontificibus et aliis prælatis et gravioribus personis *w* habitus est recursus ad istam Virginem, ut pro eis ad omnipotentem Deum intercederet, tamquam ad alios Sanctos et Sanctas Dei.

14 Item duodecimo, quod præfata virgo Rosa,

Ex Processu. Post trinam apparitionem ab Alexandro IV, transfertur :

sa, canonice cum vixisset, et fuisset ecclesiastice sepulta in quadam ecclesia Viterbiensi, vulgariter nuncupatas S. Mariæ del Poggio, in visione sicut apparuerat Alexandro IV tum summo Pontifici, ejus corpus translatum fuit cum maxima solemnitate ad ecclesiam S. Mariæ tunc vulgariter nuncupatam, quæ nunc dicitur ecclesia S. Rosæ: et nisi præfatus Alexander nimis propere ex humanis secessisset, dictam gloriosam Virginem jam annumerasset in catalogo aliorum Sanctorum et Sanctarum Dei, prout jam fuerat pollicitus: et quod de hoc est publica vox et fama, notum et notorium.

ignem sine damno sustinet : periculum incendii arcet.

15 Item decimotertio, qualiter cassa et universa, quæ erant supra et subtus dictum gloriosum corpus, ubi erat reconditum, casuali igne combusta est, et corpus præfatum sine aliqua macula illæsum remansit et immaculatum præservatum, et intactum ab igne; et qualiter inde post longum temporis intervallum a candela accensa, quæ per oblivionem monialium remanserat in dicta cassa, licet combusta esset a candela et igne, iterum ejus sanctum corpus mira- B culose remansit præservatum et intactum et hoc est notum et notorium, publicum et manifestum.

Quæ omnia prodigiose facta videntur,

16 Item quartodecimo, quod prædicta omnia et singula miraculose ex virtute et gratia omnipotentis Dei facta et concessa fuerunt, et sunt, intercessionibus et sanctis operibus dictæ gloriosæ virginis Rosæ. Et quod aliter fieri non potuisset ex vi verborum, fraudulenta suggestione aut diabolica operatione interveniente, præter, supra, contra et ultra naturam humanam: propter quæ creditum est semper ab omnibus communiter, et existimatum, dictam gloriosam virginam Rosam connumerari debere et aggregari, describi et annotari in catalogo aliorum Sanctorum et Sanctarum Dei. Et hoc est notum et notorium, publicum et manifestum, et ita communiter semper habitum fuit et retentum.

et ex communi voce probantur.

17 Item quintodecimo et ultimo, quod de prædictis omnibus et singulis suprascriptis fuit et est in civitate Viterbii, et quasi ubique locorum per universas Italiæ partes, et in multis locis ultramontanorum, publica vox et fama, et singulis annis, et maxime in die anniversarii obitus solemnitatis suæ, pradictæ omnia et singula, una C cum ejus laudabili vita, fama ac miraculis, publice prædicata sunt ut vera, et pro veris habita, reputata ac retenta ab omnibus, qui illa audiverunt, prout etiam nunc habentur, tenentur, et reputantur, et ita semper habitum est et retentum de generatione in generationem ab antiquioribus et senioribus dictæ civitatis.

Quapropter petitur, ut in examine juridice procedatur.

18 Ad quæ omnia et singula probanda procuratores et sindici præfati, procuratorio et sindicatorio nomine, quibus supra, exhibent et producunt generaliter omnes et singulos homines et personas dictæ civitatis Viterbii, et aliorum locorum, et præsertim testes supradictos, quos super præmissis, et præmissorum quolibet, recipi petunt et admitti per P. * vestras, et illos diligenter examinari, conjunctim et particulariter, in contumaciam Silvestri de Malvicinis de Viterbio, substituti procuratoris fiscalis Romanæ curiæ, legitime tamen moniti ac citati per Nicolaum Francigenam, publicum et juratum nuntium; cujus contumaciam accusaverunt et ad ulteriora procedi petierunt, eo potissimum cum casualiter ex miraculo *x* omnipotentis Dei contigerunt, initiari dictæ gloriosæ Virginis processum præcedenti die Dominicæ dictæ della Rosa *y*. Et sicut eadem die miraculose facta est per Dominum nostrum Jesum Christum panis et piscis multiplicatio, sicut cantatur in Ecclesia: Lætare terra sterilis *z*, ita eodem die ex magna Dei virtute, intercessionibus dictæ gloriosæ virginis Rosæ, processus inceptus sit miraculose in die Dominicæ della Rosa; et prædicta petunt per Paternitates vestras fieri omni meliori modo, via, jure et forma, quibus magis et melius de jure possunt et debent, tam ex officio vestro, quam etiam ex vigore articulorum productorum coram vestris Paternitatibus, salvo semper jure addendi et minuendi et non adstringens aliter etc. *aa*.

* i. e. Paternitates

D

ANNOTATA.

a *Fuit is, teste Coretino de Episcopis Viterbiensibus,* cognomento Cecchinus de Caranzonibus Romanus . . . episcopalem Viterbii cathedram adeptus sub Martino V anno MCDXXIX.

b *Tuscania, Italis* Toscanella, *urbs parva Italiæ est in ditione Ecclesiæ, et provincia Patrimonii, in ipso confinio ducatus Castrensis, ad Martham fluvium, episcopalis, sed Viterbiensi episcopatui perpetuo unita.* E

c *De viro hoc illustre elogium texit Ughellus Italiæ sacræ tom.* I *col.* 740 *et seq. hujus initium habe :* Fr. Nicolaus Palmerius Siculus Ordinis Eremitarum S. Augustini, insignis per ea tempora theologus . . . ex episcopo Cathacensi in Calabria huc *(Hortam)* translatus est die 2 Julii MCDXLV . . Decessit Romæ anno MCDLXVII *etc. Porro Horta Etruriæ civitas est prope Tiberim atque Narem condita.*

d *Unitus fuit hic episcopatus Hortano per Eugenium IV anno* 1437, *teste Ughello in Italia sacra, tom.* I *col.* 599.

e *Designatur Bessarion archiepiscopus Nicænus, et Tusculanus in Italia episcopus, vir rebus in concilio Florentino gestis clarus.*

f *Angelum Alterium indicat, quem laudatus Ughellus col.* 1276 *scribit ad Sutrinam cathedram evectum esse anno* 1453.

g *Varias hujus vocis acceptiones vide apud Cangium in Glossario : hic officium quoddam significat.*

h *Italica vox* sala, *cubiculum seu conclave sonat.* F

i *Vide, quæ de anno natali ac emortuali Sanctæ disputavimus in Commentario* § 2, 3 *et* 4.

k *De errore hoc multis actum est locis mox citatis.*

l *In quo miraculum hoc constiterit, nusquam in ejus Vita reperio. Coretinus lib.* I *cap.* I *ait, illam ortam esse ex parentibus, qui longa sterilitate laborarant.*

m *Cognomen patris nullibi exprimitur : e nobili stirpe, sed pauperem fuisse, asserit citato loco Coretinus : primum ex honoris titulo* Domini, *qui ipsi tribuitur, forte colligit : alterum ex ipsius Vita, ac domo satis manifestum est. Utrumque parentem patria Viterbiensem fuisse, idem auctor tradit.*

n *Præcepta Decalogi intellige.*

o *Scilicet paupertatis voluntariæ, castitatis perpetuæ, et obedientiæ integræ, quas virtutes modo suo statui proportionato perpetuo coluit.*

p *Hisce verbis indicari videtur,* S. Rosam *non modo diuturnum jejunium subire voluisse in castro Vitorchiano, ut hæreticæ mulieris pertinaciam flecteret : verum etiam reipsa vel tunc*

vel

A *vel alias in simili causa subiisse.*

q *Tutius Lorenzeti Viterbiensis, in Processu rem sic explicat :* Cum semel igne combureretur domus quædam in contrata S. Mariæ in Podio; nec posset aliquo pacto extingui; quam primum tamen secus ignem delatum fuit corpus dictæ Virginis, in eodem instanti retrocessit incendium, et ignis extinctus est.

r *Quantum numerus monialium in præfato monasterio creverit occasione sacri* Rosæ *corporis eo delati, discimus ex testimonio Franciscæ Benedicti sanctimonialis, in quo hæc leguntur :* In quo quidem monasterio ipsa testis optime meminit, quod vix erant novem, vel circa, monachæ; et tamen usque in hodiernum diem tot miraculis claruit dictum gloriosum corpus, ut singulis diebus excreverit earum numerus de bono in melius, cum admodo sint triginta vel circa, quæ pro majori parte dictum monasterium ingressæ sunt, præcedentibus miraculis et gratiis per eas susceptis a dicta B. Rosa. *Hocce vero tempore in eodem monasterio, ordinarie* 56 *ascetriæ degunt, teste Feliciano, Hist. Viterb. parte* 1, *lib.* 1. *Idem*
B *auctor lib.* 7 *refert beneficium anno* 1705 *iisdem monialibus a* S. Rosa, *ut pie credunt, collatum, in cujus rei memoriam in earum choro hæc inscriptio legatur :*

A. P. R. M.

Die XVIII Dec. MDCCV, quæ incidit in feriam sextam, eo videlicet tempore, quo Christus pati voluit, atrocissimo casu sponsas suas affici permisit; nam inter psallendum, cum ad eum versiculum cantici ventum est : ET EXULTAVIT ETC., totum fere laquear hujus odei collapsum est, ac fœda ruina sanctimoniales oppressit : quæ dum trabes corruentes et lapides excisos in se ruere vident, S. Rosæ patrocinium implorant eo successu, qui miraculi speciem habere possit; ut nulla e quinque et quinquaginta, quæ consepultæ iis ruderibus fuere, mortua est *, licet inter eas quædam octogesimum jam fere annum agens, gravissimum vulnus exceperit. Quapropter hoc ne casu dixeris evenisse, sed amantissimi Numinis providentia, ad B. Rosæ gloriam amplificandam; ut exclamare liceat : Stantia non poterant tectare probare Deum *.

* imo sit

* i. e. Divam

C s *Locus hic vitiosus videtur : at perspicuum est, quid sibi velit : videlicet carnem illam adeo omnis corruptionis expertem esse, ut etiam mollis sit, nec aliter ac viva, pressa cedat, dimissa in priorem statum revertatur.*

t *Consule Comment.* § 4.

u Solemnitatis dies *verosimiliter festum translationis denotat.*

w *De personis illustribus, quæ Sanctam in suo corpore honorarunt, egimus* § 6. *De Alphonso Borgia, Cardinali Valentino (qui postmodum Pontifex maximus Calistus III dictus est) post nuncupatum* S. Rosæ *votum sanitati restituto, vide inter Miracula num.* 137 : *de Amico antistite Aquilano, num.* 177 *etc.*

x *Nullum hic video miraculum : at, puto, insinuant tantummodo, non sine divina providentia factum videri, ut* S. Rosæ *canonizationis examen in Dominica sibi cognomine exordiretur.*

y *Fuit illa Dominica IV Quadragesimæ, dicta* de Rosa, *ex eo, quod Pontifex eo die rosam auream benedicere soleret; qua de re qui plura cupit, consulere potest Franciscum Pagium in Breviario Pontificum in Innocentio IV, Raynaudum, Cangium in Glossario; verbo* Rosa aurea *etc. Incidebat hæc Dominica anno* 1457, *quo processus institutus est, in diem* 27 *Martii.* Ex Processu.

z *Si ab amanuensi erratum non sit, Missale vel Breviarium Viterbiense in prædictis verbis ab hodierno nostro, aliisque antiquis debuit discrepare : Introitus enim Missæ hujus Dominicæ est :* Lætare Jerusalem : *in Horis vero incipit quidem capitulum ad Sextam per has voces :* Lætare sterilis, quæ non paris : *at nullibi invenio* Lætare terra sterilis : *cætera conveniunt.*

aa *Subjungitur protestatio Silvestri de Malvicinis, qua postulat, ut secundum jura procedatur, etc.; quæ, ne lectorem pluribus, quam res exigat, detineam, prætermitto.*

MIRACULA

Ex Processu Canonizationis.

CAPUT I. E

Mortui resuscitati, muto loquela, cæcis visus restitutus, varii oculorum morbi prodigiose curati.

Omnipotentis Dei et gloriosissimæ virginis Mariæ matris ejus, et apostolorum Petri et Pauli, ac cælestis curiæ totius triumphantis, et gloriosæ beatæ virginis Rosæ, de cujus re agitur, nominibus et præsidio invocatis, infrascripta sunt miracula facta per altissimum Creatorem, precibus et meritis ipsius beatæ Rosæ, hominibus et personis infrascriptis. *Proponuntur miracula.*

20 In primis jam sunt anni XVIII, vel circa, cum quædam nominata Caterina uxor Petri de Vaschi, diœcesis *a*... moram trahens in urbe apud sanctum Angelum *b*, haberet filium quemdam annorum trium nomine Jacobus *, qui mortuus jacuerat per aliquod spatium. Quæ Caterina mater cum haberet maximam devotionem ad dictam gloriosam virginem Rosam, summa cum lacrymarum habundantia et reverentia vovit dictæ B. Rosæ, ut dignaretur preces effundere ad omnipotentem Deum, ut ejus precibus et meritis ejus filium de morte suscitaret ad vitam, vovens ac promittens ejus ecclesiam et corpus venerabile cum dicto suo filio, sic mortuo, visitare cum quodam cereo. Qui quidem Jacobus puer sic mortuus, illico, facto voto, de morte ad vitam suscitatus est. Quæ Caterina cum negligens esset exequi dictum votum, apparuit ei noctu, cum vigilaret, prælibata gloriosa Rosa dicens : Comple diligenter votum tuum : valde Viterbium ad domum meam. Quæ Caterina hac visione perterrita et stupefacta, respondit et dixit : Quis es tu? Quæ sic interroganti respondens ait : Ego sum beata Rosa virgo, quam episcopus Romanus recepit *c*; et illico hiis dictis, ab ejus oculis evanuit. Quæ dicta Caterina sequenti mane cum dicto Jacobo ejus filio versus Viterbium iter arripiens, ejus votum, prout promiserat, cum maxima devotione adimplevit, præsente Nardo Mazzatoste *d*, Joanne Perine *e* et monialibus.

Puer resuscitatur, emisso per matrem voto; quod a Sancta correpta exsolvit.

* l. Jacobum

F

21 Anno

Ex Processu. Partu laborans, invocata Sancta fœtum mortuum enititur: qui facto voto, revixit. * *adde et*

21 Anno insuper M Domini CDLI domina Paulina Johannis Vocci, cum prægnans et prope tempus parturiendi jam esset *, magnis doloribus et angustiis affligeretur, nec partum quovis modo posset emittere, vovit se omnipotenti Deo et gloriosæ virgini B. Rosæ, ut ejus meritis et intercessionibus a tot anxietatibus liberaretur et partum emittere posset. Quo voto emisso, licet jam esse videretur in periculo mortis constituta, in continenti precibus beatæ Rosæ prælatæ fuit et est liberata, licet per dies quindecim *f*, antequam partum posset emittere, laborasset, et infantem mortuum peperisset; qui illico facto voto, resipuit et supervixit per plures menses, præsente abbatissa *g* et monialibus.

Defuncto conjugi uxor ante Sanctæ corpus vitam impetrat.

22 Anno MCDXIX Menicus Marci Gualdi de Viterbio mortuus, in terram jacens *h* juxta patriæ consuetudinem, quam pluribus ibidem adstantibus ante funus; mortui Menici Covella uxor ante corpus B. Rosæ constituta, humillime oravit, ut suscitaretur Menicus ejus vir suis precibus et meritis de morte ad vitam, promittens pingi facere dictum miraculum in cassa *i*, B ubi tum ipsa Gloriosa jacebat. Quo voto facto, rediens domum mulier maritum vivum reperit et de morte ad vitam suscitatum, qui supervixit expost per annos plures. Quod miraculum dictum apparet in dicta cassa, prout Petrus Angelus Nicolai *k* de Viterbio pluries recenseri audivit a matertera, ejus matre, et filia dicti Menici sic resuscitati, et Joanne magistri Anselmi testibus, et Domina Angela Egidii Marci Gualdi *l*, et domina Joanna Egidii Transmundi.

Teuto ex gravi infirmitate visu ac loquela destitutus, S. Rosæ meritis utrumque recuperat.

23 Anno insuper Domini MCDL, qui fuit annus Jubilei *m*, quidam Teuthonicus cum ex quadam ejus mortali infirmitate oculos amisisset et loquelam, audita fama miraculorum et gratiarum, quæ omnipotens Dominus noster Jesus Christus, ut suam omnipotentiam demonstraret, continuo faciebat propter merita et intercessiones gloriosæ virginis Rosæ de Viterbio, illi se cum summa humilitate commendavit, ut si visum et loquelam ejus meritis et gratia recuperaret, se * basilicam, ubi gloriosæ Virginis corpus requiescit, seu monasterium visitaret. Quo voto sic ut supra emisso, misericors Dominus pietatis suæ clementiam in supplicantem hunc devotum extendit: C statim enim forte per duarum horarum spatium, devotus iste orator visum recuperavit et loquelam et sic vidit et locutus est, ut prius videre solitus et consuetus. Qui cum Viterbium in anno Jubilei se contulisset, visitandi dicti corporis gratia, Joanne Petri Parmæ *n* et pluribus ibidem astantibus, dictum miraculum sic sibi contigisse, manifestavit, uti iis est testificatus, et monialibus.

* *se abundat.*

Ejusdem Sanctæ beneficio mulier ex uno,

24 Item quod cum quædam mulier nomine Rita, de castro Maleani *o* Sabinæ, esset cæca uno oculo et lumine privata, vovens se Deo et dictæ gloriosæ Virgini, illico oculum et lumen recuperavit. Quod quidem miraculum ipsa publice manifestavit, præsentibus domino Paulo ecclesiæ S. Andreæ de columna, domino Salvato beneficiato ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Domino Joanne de Tibure beneficiato S. Mariæ Majoris de Urbe *p*, et pluribus aliis ibidem adstantibus.

et alia utroque oculo cæca, curantur. * *imo currente*

25 Anno insuper Domini MCDLIII currentibus *, quædam mulier nomine Bartholomea *q* Angeli del Messere de Viterbio, cum ex quadam terribili infirmitate cæca effecta esset, itaque nihil prorsus videret super terram, prout omnes, qui eam viderunt et cognoverunt, manifeste attestantur: D licet vires et consilia plurium medicorum probasset, nec aliquid sibi ad recuperationem perditi visus profuisset. Demum se videns in tanta calamitate ac misera constitutam, non sine gemitu et multis singultibus, lacrymantibus oculis plorans et flens, ad terram prostrata omnipotenti Deo et B. Rosæ se vovit, dicens: Si me a calamitate liberabis, per mensem continuum tuum sacrum et sanctum corpus visitans, Missam in tuum honorem et reverentiam celebrari faciam: quo voto sic celebrato, in continenti ad lucem pristinam et visum oculorum restituta est, acsi nihil mali numquam * in oculis passa fuisset *r*; præsente Paulina Mattei Lucæ, et Lodovica Michaëlis Paloccio, contratæ *s* S. Mattei idem testificantibus, ac Gianna Cole del Messere testificante, conduxisse ipsam Bartolomeam sic cæcam ad ecclesiam S. Rosæ, et demum vidisse eam, facto voto, illico videre et oculos recuperasse.

* *l. unquam*

Varii oculorum

26 Anno MCDXLIV cum puer quidam Petrus Dominicus Jacobi Boccacerase, contratæ S. Sisti, et Cæcilia Matthei Cencii, contratæ S. Quirici de Viterbio, essent oculis maculati quodam E panno *t*, in tantum quod vix videbantur; cæci etiam esse apparebant omnibus. Leonarda mater dicti Petri Dominici existens cum infirmis præfatis ante corpus B. Rosæ in ejus ecclesia, devote se genuflectens cum certa quantitate seu filza *u* corallorum, seu ambrarum *w*, cum quibus dicebat PATER NOSTER, tetigit dictum gloriosum corpus: deinde cum iis irrigavit *x* et tetigit dictorum infirmorum oculos; qui, statim amoto panno, quem in eis habebant, mirabiliter claruerunt et liberati sunt penitus ab omni nota, prout Viterbii notorium est, præsertim in eorum convicinia. Istud testatur Gianna tertii ordinis S. Dominici, se vidisse ipsum, sanum cum oculis deinde, cæcum. Idem testatur domina Leonarda ejus mater, et Laurentia ejus soror, se audivisse *y* ab ejus matre et aliis de domo.

periculosi morbi

27 Anno Domini MCDLI cum quædam Maria Antonii Abonis Lombardi de Sutrio *z*, pateretur morbillos *aa*, ex quorum uno exorto in sinistro oculo ejus, oculis cæca effecta penitus; vovit se Deo et B. Rosæ, quod, si dictus oculus ei sanus restitueretur, et liber ejus precibus F et meritis, quod * ad suum sacrum corpus deferret oculum argenteum: quo voto facto, non per multorum dierum spatium sanata est et in tantum libera facta ex dicto oculo, acsi mali numquam aliquid passa esset et absque aliqua macula, et prout testificata est dominæ Franciscæ *bb* et ceteris monialibus.

* *quod abundat.*

illius patrocinio

28 Anno insuper Domini MCDLIV et mense Augusti, cum quædam Angela, uxor Joannis Nardi Palotti de Viterbio, ex quadam ejus gravissima infirmitate cæca facta esset et oculorum lumen et aciem amisisset, destituta omni humano præsidio, cum per annum fuisset sine lumine, convertit ejus * mentem cum summa devotione et reverentia ad omnipotentem Deum et gloriosam virginem Rosam, ut ejus intercessionibus dignaretur sibi oculos restituere, ad minus quod tantum videret, quantum posset exire domum * et ecclesias visitare: quibus sic ut supra emissis precibus, merita est exaudiri; quia illico quam primum ex oratione surrexit, vidit, et lumen oculorum recuperavit, prout etiam hodie videt, acsi numquam fuisset cæca, cum voverit,

* *l. suam*

* *l domo*

A voverit, se continuo observaturam diem ejus sanctæ solemnitatis. Idem testificatur *cc* domina Tomassa ejus mater, Angilella Marci, Petrutius Butii et Petrus Dominici, et Constantia Mascini contratæ S. Marci.

subito sublati. 29 Filomena puella ætatis annorum quinque, et filia Benedictæ Justi, contratæ vici S. Petri de Viterbio, sub annis * MCDXLVIII *dd* cum pateretur gravissime infirmitate quadam, vulgariter detta delle quate *ee*, quarum septem illi supervenerant in uno oculo, ita ut pupilla et lux oculi esset ita cooperta et offuscata, ut nihil videret, et cæca judicaretur ab omnibus ibidem eam videntibus. Quæ puella sic infirma cum magna devotione afficeretur B. Rosæ, prout ab ejus parentibus fuerat instructa et monita, una dierum accessit ad ecclesiam S. Rosæ, ante cujus corpus accersita quadam venerabilis illius monasterii monialis, sibi nota, nomine domina Margarita Petrutii, ad præsens illius abbatissa, ab ea petiit quoddam cingulum *ff* dictæ B. Rosæ, asserens, se illud positurum in oculo, ubi patiebatur, et ex quo nihil videbat. Spero etB iam, inquit, quam primum oculus meus tetigerit cingulum hoc, quod tetigit hujus B. Virginis corpus, liberari et sic videre et lumen mihi restitui. Quæ monialis ad verba et preces hujus puellæ, dato sibi cingulo quodam et in oculo sic cæco, unde nihil videbat, apposito, mira res! non aliter quam nubes a ventis conquassatæ fugiunt ex aere, sic fugerunt et cessaverunt illo instanti præfatæ septem delequate, et clarus et mundus remansit oculus, uti etiam erat per prius, et vidit. Quæ sic illuminata, accedens ad ejus domum, inquit matri; Videsne, mater, me liberam et sanatam meritis B. Rosæ? Ad quod mirandum spectaculum Benedicta ejus mater, accersitis convicinis, oculum ostendit sic restitutum, et miraculum recensuit. Testatur id Filomena *gg*, Benedicta *hh*, et Margarita abbatissa.

* i. e. anno

Sancta apparens mulieri, eam excitate liberat. 30 Currentibus insuper annis Domini MCDXXXVII mulier quædam nomine Palotia Ricci, contratæ *ii* S. Leonardi de Viterbio, ex ambobus oculis cæca *kk* cum nihil penitus vidisset per annum integrum, desperata numquam * videre, cum id esset contra naturam humanam *ll*, et potentiam et artem medicorum *mm*. Semel memor domi suæ, et quod alias viderat, et quanta erat C cæcorum et nihil videntium miseria et calamitas, et quanta insuper grata illorum, in quibus nihil natura defecerat, recommittens se non sine lacrymis et suspiriis pluribus omnibus Sanctis cælestis curiæ. Genuflexæ illi non dormienti, sed sic paululum resipienti *nn* visibiliter visa est apparere B. Rosa in forma, prout pingitur *oo*, prout ipsa videre videbatur per intellectum, cum ex oculis nihil videre posset; cujus mulier præfata continuo devota extiterat, inquiens ei: Palotia, Palotia, invocasti omnes Sanctos præter me: cui cum mulier respondisset interrogans: Et quisnam * es tu? Respondit: Ego sum beata Rosa de Viterbio: cui cum illa sic genuflexa, plorans reverenter diceret. Adjuva me; injunxit B. Rosa dicendo, ut oculos aperiret: in quibus tribus vicibus insufflavit. Quo facto, statim antequam inde discederet, aperti sunt ejus oculi et catharactæ *pp* oculorum elevatæ, et vidit sine aliqua macula *qq*. Testificatur id Palotia præfata; et ab ea audivisse dicunt Petrus Dominici Sciarvatelli, Joannes Jutii Fanciulli, Tomas Capati, domina Margarita et Domina Magdalena *rr* moniales.

* l. umquam

* imo quænam

Mater filio suo unius oculi usum suis precibus impetrat. 31 Adornina Petri, quædam mulier Corsa *ss*, habitatrix Viterbii in contrata S. Leonardi, cum in dictam B. Rosam jam magna dedita esset devotione, quemdam ejus filium, quem habebat nomine Laurentium, ætatis duodecim annorum, vel circa, uno oculo penitus cæcum luce et pupilla ipsius oculi. Qui cum per plures annos sic cæcus vixisset, devotissime vovit *tt* præfatæ B. Rosæ, commendans se illi, ut filio suo Laurentio apud omnipotentem Deum intercederet, ut lumen restitueret et oculo visum cum luce. Quo voto taliter emisso, mane sequenti Laurentius præfatus e lecto cum ambobus oculis surrexit, et vidit, nec umquam, qui eum cognovisset, apparebat, ipsum cæcum extitisse, ita clarus erat et lucidus. Id testificatur domina Adornina *uu*.

Ex PROCESSU.

ANNOTATA.

a *Deest in apographo nostro nomen diœcesis: forte quia ob autographi vetustatem legi non poterat: at Coretinus ac Rinaldus aiunt fuisse diœ-* E *cesis Tudertinæ, cujus caput est Tudes, sive Tudertum, Italis Todi, urbs Umbriæ in Italia.*

b *Id est Romæ prope castrum sancti Angeli.*

c *Id est: beatam agnovit, puta Alexander IV in translatione illius sacri corporis.*

d *Miraculum hoc uti et apparitionem Sanctæ in Processu citatus Nardus affirmat, se audivisse a prædicti Jacobi parentibus, tum Romæ, tum Viterbii,* præsertim *(verba Processus sunt)* semel Viterbii in monasterio sanctæ Rosæ, præsente Joanne Petri Parmæ et certis monialibus. *Porro Nardus Mazzatoste dicitur ibidem* ætatis sexaginta annorum vel circa vir magnæ fidei.

e Joannes Petri Parmæ de Viterbio *nominatur in Processu: in quo testatur, se cum pluribus aliis ad ecclesiam* S. Rosæ *accurrisse, cum prædicti parentes cum resuscitato filio, solvendi voti gratia, eo advenirent, narrarentque tum acceptum beneficium, tum Sanctæ, voti exsecutionem urgentis, apparitionem. Addit etiam, puerum illum* per plures horas *mortuum fuisse, prinsquam suscitaretur. Idem prodigium suo quoque testimonio firmavit venerabilis mulier Margareta Petrutii, abbatissa monasterii Sanctæ nostræ, in cujus responsis juridicis hæc lego:* F Aliqua in parte vidit, et in parte audivit, ut puta, in resurrectione mortuorum; sicut continetur in primo miraculo, cum ipsa viderit et audiverit prædictos Petrum et Caterinam de Vaschi, qui pro resuscitati eorum filii suscepta gratia, ex ingentibus meritis dictæ B. Rosæ, ad ejus ecclesiam venerunt pro dicti voti exsolvendi gratia, prout ipsi asserebant *etc.*

f *Ex hoc forte loco ait Rinaldus, fœtum jam quindecim diebus in utero mortuum fuisse: verum illud inde nullo pacto potest deduci.*

g *Margareta Petrutii, in cujus testimonio ita legitur:* Similiter super secundo miraculo de filio Paulinæ, filiæ Petri Sbarræ de Viterbio, mortuo nato resuscitato, dixit vera esse contenta in eo. *Consonant aliarum monialium testimonia.*

h *In feretro, ut consanguinei supremo planctus officio, priusquam tumularetur, ejus corpori parentarent. Ita fere locum hunc interpretatur Coretinus, qui patrium hac in re morem optime potuit novisse.*

i *Fuisse*

Ex Processu.

i *Fuisse re vera pictum in antiqua lipsanotheca, testatus est nominandus mox Joannes magistri Anselmi. Verba ex Processu accipe :* Menicus Marci Gualdi . . . ad vitam resuscitatus est meritis et intercessionibus B. Rosæ, prout etiam hodie apparet dictum miraculum depictum, quod ad perpetuam memoriam pictum fuit in quadam antiqua cassa, ubi corpus dictæ B. Rosæ reponi solitum erat, una cum aliis miraculis ibi depictis, quod ipse semper audivit pro verissimis haberi.

k *Ita reipsa et ille et alii citati testes asseruerunt. Discrepat tamen in assignando tempore Petrus Angelus, dum ait, miraculum hoc jam ab* octuaginta annis *vel circa, contigisse; cum ab anno* 1419 *usque ad* 1457, *quo processus institutus est, nonnisi* 38 *anni effluxerint : sed discrimen hoc amanuensis errori videtur adscribendum.*

l *Testimonium ipsius inter cetera sic habet :* Domina Angilella Egidii Marci Gualdi quinquagenaria, altera testis, inducta, producta, citata, relata, jurata et diligenter examinata super dicto
B miraculo Marci Gualdi, juramento suo testificando dixit, vera esse contenta in eo. Interrogato in causa scientiæ dixit, quia ita continuo et semper audivit dici et affirmari a supra dictis, ut supra, et præsertim a Matteutia filia dicti Marci Gualdi, quæ miraculum resuscitationis dicti sui patris et magna admiratione et devotione in B. Rosam recitare solebat.

m *Indictus ille fuit a Nicolao V anno* 1449, *celebratusque Romæ anno proxime subsecuto ingenti prorsus hominum concursu, ut apud Raynaldum Annalium tom.* 18 *videre est.*

n *De eo ita Processus :* Item dixit, quod jam septem annis elapsis, hoc est in anno jubilei, quidam Theutonicus, de cujus nomine dicit se non bene recordari, retulit sibi et pluribus aliis in ecclesia S. Rosæ, quod cum ipse in partibus suis cæcus et mutus fuisset per plures annos, audita fama miraculorum B. Rosæ, se illi devote commendavit, promittens visitare ejus basilicam, si visum et loquelam recuperaret. Quo voto facto, ante duarum horarum spatium vidit, et perfecte locutus est : et ideo se illuc contulerat dicti voti exequendi gratia.

C o Urbs parva Italiæ est in ditione Ecclesiæ, in Sabina provincia, cujus caput existit, prope Tiberim fluvium, in colle; sedes est episcopi Sabinensis... xx milliaribus distans ab urbe Roma in Septentrionem. *Ita Baudrandus. Vocatur etiam, eodem teste,* Maglianum, *et* Manliana, *Italis vero* Magliano.

p *Ex his patet, miraculum hoc Romæ impetratum fuisse. Ecclesiæ vero illæ vulgo notiores sunt, quam ut notis indigeant.*

q *Coretinus idem hoc miraculum referens, legit non* Bartholomæam, *sed* Bartholomæum : *verum mulierem fuisse, tum ex sua, tum ex aliarum testium depositione juridica, manifestum est.*

r *Insigne hoc beneficium, ipsa cui obtigit, sub juramento attestata est. Testimonium ejus, quamvis prolixius, visum fuit ex Processu huc transferre : est autem hujusmodi :* Domina Bartolomea Angeli del Messere de Viterbio, testis inducta, producta, citata, relata, jurata et diligenter examinata super quinto articulo et præsertim super sexto miraculo in ejus persona facto, suo juramento testificando dixit, vera esse contenta in eo, quod jam quatuor annis elapsis vel circa cum ipsa testis ex quadam terribili, quam passa fuerat, infirmitate cæca devenisset ex ambobus D
oculis, itaque nihil penitus videret, et sic cæca per mensem et ultra stetisset, licet plures medicinas experta fuisset. Una tamen die considerans intra se calamitatem, in qua erat constricta, et quanta erat miseria cæcorum, volvit mentem ad B. Rosam, suspirans et lacrymans et illi se devote committens, ut ab hujusmodi angustia liberaretur, vovens, se visitaturam per mensem integrum ejus sacrum corpus, si contingeret, ipsam sanari. Deinde fecit se pedetentim duci per Giannam Colæ ad dictam ecclesiam, ad quam ubi devenit, prosternens se ante dictum corpus pluribus ibidem circumspicientibus, apertæ sunt cataractæ oculorum ejus, et vidit, uti prius ante dictum infirmitatem videre solita erat... Interrogata; Quibus præsentibus; dixit, de se, teste domina Gianna, Paulina Mattæi Luca et Lodovica Mattæi Palotii, Michaële Palotii, pluribus monialibus, et quasi universa ejus convicinia etc. *Hisce consonant citatarum mulierum testimonia.*

s Contrata *et* Contrada *est* via, regio, Vicinia, *inquit Ludovicus Muratorius antiquitatum Italiæ tom.* 2 *col.* 1190. *Hic urbis regionem, vel parochiam significat. Sæpius hæc vox recurret infra : quare, ne idem crebro repetere cogar, lectorem huc remitto.* E

t Panno *Italis dicitur macula in oculo exorta.*

u *Italice vox est significans res quaslibet transmisso filo sibi mutuo cohærentes. Hic globulos precatorios significat, uti ex sequentibus liquet.*

w *Est et hæc vox Italica succinum significans : itaque* filza corallorum seu ambrarum *sunt globuli precatorii ex corallio vel succino.*

x *Qua ratione oculos irrigaverit, explicat Gianna tertii Ordinis S. Dominici, jurata hujus miraculi testis, cujus testimonium recito :* In causa scientiæ dixit, quod jam duodecim annis elapsis, vel circa, cum quidam Petrus Dominicus ejus germanus, et Cæcilia Matthæi Cencii, ex quadam infirmitate, quæ communiter appellatur : li morviglioni *(variolorum genus est,)* qui in eorum oculis supervenerant, ita affecti essent, quod quasi nihil videbant, et erant penitus obcæcati : quos pueros sic cæcos cum duxisset ad corpus B. Rosæ, ante quod genuflexa F
pro eorum liberatione devote orans, tetigit dictum sanctum corpus cum quibusdam corallis, quos in ejus manibus retinebat, et illos pro ea *(matre)* lavit cum aqua loturæ manuum et oculorum dictæ B. Rosæ. Deinde posuit dictos corallos super oculos præfatorum puerorum, quos etiam cum dicta aqua irrigavit. Et statim omnibus circumspicientibus, pannus oculorum dictorum puerorum cecidit, et claruerunt oculi in illo instanti miraculose etc. *De lotura manuum postmodum sermo recurret.*

y *Non audivisse modo, verum etiam cæcos custodivisse, imo et adfuisse, cum sanarentur, testata est præfata Leonarda : sed illius, uti et matris testimonia, quia præter dicta nil continent, prætermitto.*

z *Italis* Sutri, *urbs est episcopalis in provincia Patrimonii.*

aa Morbille *Italis vocatur pustulæ rubentes sive varioli.*

bb *Erat hæc sanctimonialis monasterii* S. Rosæ, *ætatis sexaginta circiter annorum, ut habetur in ipsius testimonio. Porro venerabilis domina Margarita Petrutii, præfati monasterii abbatissa,*

A *batissa*, interrogata super octavo miraculo de Maria Abonis de Sutrio, cæca uno oculo, et ad sanitatem restituta, dixit; vera esse contenta in eo. Interrogata in causa scientiæ, dixit : Quia vidit prædictam Mariam liberam in dicto oculo, et deinde propter morbillos penitus cæcam; et demum, facto voto ad B. virginem Rosam, quamprimum super dictum oculum sic cæcum imposita est aqua, cum qua lotæ fuerant manus dictæ B. virginis Rosæ, oculus in eodem instanti ad lucem restitutus est, prout in dicto miraculo continetur. Interrogata, de quibus præsentibus? Dixit; De se teste, dicta Maria, domina Francisca, et Sorore Jeronima de Civita Castellana, consobrina dictæ Mariæ, et pluribus aliis monialibus.

cc *Ita re vera citati omnes, tum etiam ipsa Angela, juridice testati sunt.*

dd *Laudatus sæpe Coretinus lib.* 5 *cap.* 9 *ait, miraculum hoc contigisse anno* 1458 *postquam Calistus III, finito jam processu*, Rosæ *titulum* Sanctæ *confirmasset. Verum hæc Coretini narratio non exiguæ ipsum suæ in indaganda veritate negligentiæ arguit : nam si vel levi oculo Acta* B *Processus inspicere ad eaque advertere voluisset, invenisset utique beneficium hoc Processui anno* 1457 *formato pro probanda* Rosæ *sanctitate insertum; et ab ipsa ibidem Filomena, et ab ejusdem matre, domina Benedicta Justi, juratis testibus, luculenter probatum confirmatumque deprehendisset.*

ee *Forte hæc vox mendose descripta est : nam in Italicis dictionariis eam non reperio : sed videntur epiphora, sive fluxus acris humoris in oculum, ortæque inde maculæ denotari; nam in ipsius Filomenæ testimonio sic dicitur :* Quo facto *(cum oculum attigissset cingulo, quod Sanctæ corpus tetigerat)* disparuerunt dictæ delequatæ : *et in testimonio ejusdem matris :* Deliquaverunt se dictæ delequatæ et disparuerunt. *Ita hunc locum etiam intellexerunt Rinaldus et Giannellus.*

ff *Cingulum hoc videtur fuisse funiculus, quali Tertiariæ S. Francisci utuntur, et ipsa Sancta, dum viveret, fuerat usa. Porro funiculi isti ex serico et lino in monasterio* S. Rosæ *conficiebantur,* C *ut dicitur supra num.* 8, *et a pluribus perquam salubriter adhibitos fuisse, per decursum videbimus.*

gg *Erat illa anno hoc* 1457, *quo testata est, annorum circiter* 14.

hh *Mater scilicet præfatæ Filomenæ. Utriusque testimonium, quia penes solas voces differt a data relatione, ne longior sim, prætermitto.*

ii *Id est, parœciæ, ut habet Rinaldus noster Florentinus.*

kk *Ex infirmitate quadam, inquit ipsa in sua depositione.*

ll *Id est, cum naturæ vires excederet similis mali curatio.*

mm *Plurimis medicamentis jam usa fuerat, ut testata est juridice interrogata; sed frustra; addit etiam quod* ab omnibus medicis et aliis, qui eam videbant et curabant, erat destituta et derelicta, quia impossibile videbatur, quod umquam videret.

nn *Mendose posita, aut transcripta hæc vox est : quid tamen sibi velit, explicatur in juridico illius responso, ubi dicitur :* Cui *(Palotiæ)* ita oranti genuflexæ et paululum quasi obdormienti apparuit etc *Vult itaque, eam dormitanti similem fuisse, cum* S. Rosa *illi apparuit.*

oo *Si pingi soleat, qualiter eam Opusculo suo æri incisam præfixit Coretinus, apparuisse debuit habitu religiosæ tertii Ordinis S. Francisci.* Ex Processu.

pp *Metaphorica locutio est, qua indicat, quod, quemadmodum elevatis cataractis, urbes introëuntibus patent, ita, discussa hac cæcitate, coloratis rebus quasi transitus ad retinas oculorum patefactus sit.*

qq *Id est, absque ulla reliqua in oculis macula, vel obscuritate.*

rr *Consentiunt citatorum testium jurata responsa.*

ss *Oriunda ex Corsica, Italiæ insula.*

tt *Obscuram periodum sic intellige :* Vovit præfatæ B. Rosæ quemdam ejus, *(id est suum)* filium, quem habebat etc.

uu *Ita re ipsa interposito jurejurando Adornina ejus mater asseruit.*

CAPUT II.

Energumeni et maleficiati liberati, mutis loquela reddita, contractis membrorum usus restitutus. E

Currentibus insuper annis Domini MCDXLIX, die vero octavo mensis Julii, mulier quædam Francisca, uxor Angeli Dominici De Jovi *a*, filia Dominici de Mugnano, contratæ S. Marci, cum dæmoniaca esset, et dæmonium in se haberet, quæ more dæmoniacorum et dæmones in se habentium, infinitas fatuitates domi et extra, publice et privatim faciebat, vicinis et aliis nonnullis adstantibus circumspicientibus. Inter quæ interdum ejus * linguam ita acriter mordere solita fuerat, ut eam sibi pro medietate avulserit, in tantum, quod, dum sic in ista fatuitate et dæmonum perturbationum * et vexatione consisteret, semel contigit, quod diebus tribus, et noctibus totidem staret sine locutione et absque eo, quod verbum aliquod faceret. Quæ tamen per prius devota fuerat præfatæ Virginis gloriosæ, F antequam dæmones eam invaderent. Beata Rosa, quæ numquam ejus devotos dereliquit, illi in tanta extasi persistenti apparuit in vestitu deaurato, confortans eam, et dicens : Cognoscis me? Cui dæmoniaca, voce sibi restituta, respondit : Tu es B. Rosa, ad quam semper magnam habui devotionem : adjuva me, et ego in tuam reverentiam portabo cingulum tuum. Cui Virgo beata respondidit * : Noli timere, quia liberata et sana facta es.

Energumenæ graviter a dæmone vexatæ apparet, dæmonemque expellit : a

* l. suam

* l. perturbatione

* imo respondit

33 Quibus dictis, dæmon in formam cujusdam monstri, seu quadrupedis naturæ nigræ, de ejus corpore exivit, et cadens in terram aufugit. Quæ sic sanata statim accessit ad visitandum corpus dictæ B. Rosæ, cujus meritis et precibus fuerat sibi lingua semi avulsa cum loquela restituta, et a dæmonum vexatione liberata : quæ nunc etiam usque in hodiernum diem cum ejus familia sana vivit et libera. Cum tamen pollicita esset portare ejus cingulum per certum tempus, et id exequi negligeret, noctu apparuit ei dicta Beata, turbata facie et induta nigro, dicens ei : E QUEL CORDONE *b*? Ob quam quidem visionem a somno excitata, sequenti mane accinxit

vota differentem increpat. *b*

Ex Processu.

xit se dicto cingulo, et sic continuo vixit, et vivit in summa sanitate *c*. Probantur hæc per dominam Caterinam Jacobi Jemini *d* Magistri Stefani, Franciscam Marci Barberii, Joannam Petri Muratoris, Angelam Joannis Forlani, Angilellam Egidii Marci Gualdi, Margaritam Cecchini, omnes contratæ S. Marci de Viterbio, et Fratrem Jacobum Maltempi, et Fratrem Jacobum Filippi Ordinis Servorum, Jacobum Stephani, Simonem Angeli, Antonium Tutii macellarium, et magistrum Antonium bastarium *e*, omnes de Viterbio.

Energumenus ad Sanctæ corpus semel

34 Anno MCDLV, die X Septembris, quidam Antonius, Sclavus nomine, dictus Frater Andreas Ordinis Minorum, qui annis circiter novem a dæmone vexatus fuerat. Itaque durante dicto tempore, pluries in mente superveniebant sibi certi tremores, ex quibus cogebatur retorquere manus, bracchia et faciem : quo furore durante, nullus poterat ipsum detinere, cum in ejus corpore assereret plures dæmones esse. Quæ accidentia tunc demum sibi contingere solebant ut B plurimum, cum accedebat ad solemnitatem aliquam, aut ad devotum quempiam locum. Is cum semel esset Viterbii Frater effectus, et duci vellet per quemdam ejus socium ad monasterium S. Rosæ, ejus Virginis sacri corporis visitandi gratia, illud corpus nullo pacto pati potuit, alta voce clamando : Nolo illud videre, quia est mihi inimicum.

et iterum ductus, misere torquetur : cui dormienti Rosa spondet auxilium : f

35 Cum tandem ligatus brachiis, illuc duceretur, continuo recusans illud videre, pluribus vicibus se percussit asperrima in grata *f* ferrea dicti monasterii, qua locus ille sive cappella, ubi requiescit præfatum sacratum corpus, vallatur. Cui demum cum objiceretur, quod nullo pacto aliter inde exolveretur, nisi prius data fide, quod dimitteret corpus dicti Fratris Andreæ liberum sine nocumento; respondebat, quod non poterat inde ita faciliter exire, cum in eo essent socii septem, quos nominatim distinguebat per nomina dæmonum; et quod sequenti mane exirent, omnes pollicebantur. Qui cum inde solutus abisset, adveniente nocte ultra modum extitit cruciatus : cui tamen sic fatigato, paululum quieC scenti, in somnis apparuit Virgo quædam laureata; cui, cum ipse vellet deferre et eam honorare, inquit : Ne timeas fili mi, quia liberaberis. Qui cum e somno excitaretur, sani factus est intellectus et mentis compos, prout sibi videbatur. Cum tamen clarescente jam die ad dictam ecclesiam * pristini redierunt cruciatus et extasis, nec aliter potuit dictam ecclesiam intrare, quam ligatis manibus et pedibus.

** supple duceretur.*

hinc eo tertio deductus tandem liberatur.

36 Ad cujus B. Rosæ corpus cum esset adductus per vim, et ante illud arctissime ligatus, pluribus sibi supervenientibus doloribus et anxietatibus, cum furore angustians, a summo mane usque ad horam Nonæ non potuit pati, ut videret dictum corpus, neque biberet loturam manuum *g* dictæ Virginis, licet pluries sibi fuerint aperti dentes cum quodam bastone seu baculo ligneo digito obgrossiori, quem dæmoniacus ter fregit cum dentibus et laceravit sine labore, exclamando continuo : Væ nobis, eamus ad profundum. Licet ipse esset idiota, tamen sic Latine loquebatur, cujus ori cum opponeretur annulus *h* digiti Beatæ, ut ipsum deoscularetur, pluries per eum rejectus fuit. Quam primum tamen per vim illum est deosculatus *i*, cecidit in terram quasi mortuus, vomendo et expuendo certum quid nigrum, quod multum clare et D aperte videri non potuit, quid esset propter multitudinem ibidem astantium; quod postea disparuit. Qui paulo expost postquam resipuit, inquit : Ajutatemi, che mi voglio inginocchiare *k*. Et sic cum auxilio B Rosæ expulsis dæmonibus miraculose liberatus fuit. Et continuo præ devotione dictus Antonius Sclavus, nunc dictus Frater Andreas, Ordinis Minorum, singulo die visitando dictam ecclesiam illi monasterio servit et obsequitur. Quod miraculum ipse dixit et attestatus est *l*, præsentibus domino Christoforo de Malvicinis *m* legum doctore et comite palatino, et S. Jacobo Jutii de Viterbio, Andrea Capati, Joanne Jutii Fanciulli, Fratre Ludovico de Gallexio, Fratre Antonio de Setia et Fratre Bernardino de Setia.

Alia dæmonum vexationibus erepta.

37 Domina Margarita Angeli Jignosi de Viterbio, cum de MCDXLVII haberet quamdam ejus filiam, ætatis annorum duodecim vel circa, quæ præ quodam timore per octo dies ita a spiritibus fuit vexata, ut loqueretur die noctuque tamquam fatua et fantastica, ad modum habentium in se malignos spiritus : quam ob contingentiam afflicta mater, prout erat dictæ B. E Virginis Rosæ devotissima, illi humiliter ejus filiam, ita dæmoniacam et dæmonium in se habentem, commendavit. Quo voto facto, instantissime per ictum oculi sana puellæ rediit mens, et prudenter locuta est, uti prius consueta fuerat loqui, nec de cetero spiritus rediit. Ita testificatur domina Margharita *n*, et Lucretia ejus filia, et ejus pater *o*.

Mutus jussu Sanctæ ad sacrum corpus delatus loquelam recipit.

38 Anno MCDXLIII Lodovicus puer, filius Tutii Angeli della Teja, contratæ S. Faustini, mutus, qui numquam loquutus fuerat; pro quo cum Egidia *p* quædam dicti pueri avia paterna, Angilellam Lueæ sutoris de Viterbio, mulierem bonæ conditionis et vitæ, cum consuluisset, quid faciendum; sequenti nocte ambabus dictis mulieribus apparens per visionem B. Rosa, videbatur os suum ad os pueri muti apponere. Quæ mulieres a somno excitatæ et visione, sequenti mane portaverunt puerum mutum ad beatum corpus præfatæ Rosæ, et cum apposuissent os muti pueri ori Virginis præfatæ, ejus implorantes auxilium, statim puer loqui incepit perfecte et bene, præsentibus prædictis mulieribus, parentibus pueri et monialibus dicti monasterii. F

Oranti pro gemino filio matri apparens, utrumque sanitati restituit.

39 Franciscus quidam, filius dominæ Petrutiæ Paridis de Viterbio, dictæ nunc Antonii de Valeritano *q*, cum esset ætatis annorum novem, ob quamdam, quam passus est, infirmitatem, loquelam perdidit; ita quod per mensem integrum fuit mutus sine loquela. Cui quidem Francisco erat germanus quidam nomine Jacobus, qui continuo dormiendo semper stridebat : ex qua infirmitate vexatus fuerat per mensem cum dimidio. In quos duos puerculos Petrutia eorum mater dulcissima, materna pietate commota, non sine singultibus, lacrimis ac suspiriis, noctu in lecto recommendavit se B. Rosæ, ut dignaretur sibi ejus filios, mutum alterum, semimortuum * restituere. Cui paulisper obdormienti in somno apparuit B. Rosa, in forma prout modo depingitur, dicens ei : Ne timeas, Petrutia devota mea, quia devotio tua merita est exaudiri. Ego enim sum B. Rosa, quæ filios tuos liberavi. Quæ sic exterrita, a dicto somno, et visione excitata, vocavit Antonium ejus virum, illi referens, quam habuerat visionem. Demum quodam cingulo seu cordone B. Rosæ suscepto, cum eo filios prædictos tetigit, quo facto, illo instanti

** supple alterum*

A instanti apertæ sunt artariæ *r* dicti Francisci, et locutus est inquiens: Mater vellem parum de pisce. Et alter Jacobus ita convaluit, quod albescente die e lecto sanus surrexit, præsentibus dictis parentibus et monialibus.

Lapsu ex equo membris omnibus captus, * *alii* La Volpe

40 Item quod de anno Domini MCDLI... quidam Jacobus de Lagolpe * de Viterbio, admodum rector hospitalis Disciplinatorum et Caritatis Viterbiensis, currens super quodam equo prope Justitiam *s* extra muros Viterbienses fere per unum miliare, ex eo cecidit. Ex quo quidem casu seu jactu effectus est attractus in omnibus membris suis, et cum nec pes, nec manus, suum officium parere * (*i. e.* facere) posset, jacuit in lecto per dies quadraginta *t* et ultra, in quo se volvere aut movere non poterat propter attractionem. Et demum cum vix cum crocciis *u* ligneis paulatim ambularet, cognoscens se ita stroppiatum *w* et attractum, ejus mentem ad B. Rosam elevavit in die S. Claræ, in mense Augusti, quo die cum dictis crocciis, licet cum summa difficultate, se contulit ad ecclesiam dictæ B. Rosæ, ubi ejus venerabile corpus quiescit.

pristinæ sospitati restituitur.

B 41 Ubi cum maxima et ingenti lacrymarum abundantia se ad terram prostravit, prope cappellam sepulcri ipsius B. Virginis gloriosæ, ejus præsidium implorando: et tandem elevato jam Corpore Christi, cum Missarum celebrarentur tunc solemnia, facta oratione prædicta, circumspiciente populo ibidem existente, sanus inde surrexit et inlæsus, referendo gratias omnipotenti Deo et ipsi gloriosæ Virgini. Qui in præsentiarum adhuc vivit liber et sanus *x*, præsentibus reverendo Patre Magistro Johanne de Tibure, Provinciali ministro Ordinis Minorum, Georgio Trombetta, monialibus Johanne Cifarelle, Magistro Gentili, et Veronica uxore dicti Jacobi et pluribus aliis.

Alterum itidem contractum, apparitione prævia, * *i. e.* de rupe

42 Anno insuper MCDXXXIX quidam Palotii Nardus de Viterbio, parochiæ S. Petri della Rocca *, cum maximis doloribus corporis et torsionibus opprimeretur, et manibus ac pedibus quasi esset attractus. Itaque se de uno loco ad alium movere non poterat aliquo pacto per se ipsum sine alterius auxilio; cum sic torqueretur, apparuit præfata Rosa noctu, cujus ipse semper C fuerat devotissimus: quam quidem visionem mane sequenti considerans, et se conversus ad omnipotentem Deum et gloriosam Rosam, dixit: O gloriosa beata Rosa, adjuva me et libera me ab hac gravi infirmitate, promittens corpus suum * (* ejus) visitare cum quadam imagine cerea. Qui in continenti miraculose, circumspicientibus pluribus, ad pristinam sanitatem fuit restitutus, prout hodie sanus est, et vivit cum ejus familia, præsentibus dominis monialibus.

et infantem a gravi infirmitate sanat.

43 Existens Angela Benedicti Zello de Viterbio, jam infans, ex quadam gravissima infirmitate tota desiccata est, in tantum, quod ex ejus corpore ei supervivere nihil apparebat, nisi spiritus; quam cum mater ejus gloriosæ virgini Rosæ prædictæ vovendo commisisset, in continenti sanata est *y*, præsentibus monialibus.

Puella nobilis contractis ex luctuoso casu digitis, post emissum votum,

44 Puellæ cuidam nomine Lauræ, filiæ nobilis viri Laurentii de Castoldensibus, de Viterbio, dicti, et vulgariter de Monte alto, MCDLIV post dicti Laurentii ejus patris acerbam et crudelem mortem, quæ sibi fato *z* dicitur potius, quam ob demerita contigisse, non * (* *l.* ne) dicam nonnullorum invidorum livore, præ timore exterritæ digiti omnes manuum debilitati sunt et attracti, et prout vulgariter dicitur, agrancati *aa* in modum, quod neutra ejus manuum suum satis officium facere poterat, immo etiam ad os ponere nullo pacto valebat, sed per alienas manus et bibere et comedere sibi opus erat. Quæ puella, dum sic infirmaretur, vovit se omnipotenti Deo et B. Rosæ, recipere ejus habitum, et tamquam monialis servire et vivere in ejus monasterio, si contigerit ipsam liberari. Ex Processu.

tactumque sacrum corpus, utriusque manus usum recipit.

45 Quo voto facto et enarrato monialibus dicti monasterii, per moniales præfatas sibi et ejus juvenili ætati compatientes, ducta est ad sacratum corpus B. Rosæ: quo glorioso corpore cum ejus attractis manibus acclusis digitis devotissime tacto, illico ibidem astantibus circumspicientibus, miraculose liberata fuit et est, et digiti omnes reducti sunt ad pristinam sanitatem et convaletudinem *bb*. Præsentibus domina Margherita abbatissa et nonnullis aliis monialibus, et domino Priore ecclesiæ S. Bartholomæi de Viterbio cum pluribus consanguineis et amicis dictæ puellæ, prout est publica vox et fama Viterbii, et præsente Pacifico Bonelli *cc*, de Viterbio.

Duo alii simili infirmitate liberati.

46 Margarita Antonia Bonanni, de castro Bagnariæ *dd*, MCDXLIX cum haberet filiam quasi siccam, quæ nullo humano auxilio juvari poterat, recurrens tamen ad beatam Rosam, ipsam E sibi * (* *l.* illi) præsentando, statim liberata est, præsentibus monialibus.

47 Quidam insuper Regnicola *ee* pedibus et manibus et universis aliis membris suis ita attractus erat, siccus et debilitatus, quod nec pes, nec manus, nec aliquod aliud ejus membrum suum satis officium facere poterat. Cum venisset ad balneas Viterbienses, seu potius illuc deferri se fecisset; nec vis medecinarum, nec balnearum sibi quovis pacto prodesse posset, in hospitio, seu domo Tomæ caciatoris, ubi ipse erat dehospitatus, persuaso sibi, sese voveret B. Rosæ virgini de Viterbio: qui si devote id efficeret, firmissime exauditus a tanta infirmitate liberaretur; cum eidem devote supplicantibus gratiæ numquam claudatur gremium et clementiæ. Ad quas persuasiones et verba commotus ille Regnicola, orationes suas interposuit ad dictam Virginem: quibus emissis, paucis inde post horis de membro in membrum se movere incepit paulatim et in tantum, quod de brevi ad pristinam restitutus est sanitatem. Et sic sanus et sospes ex F hospitio recessit in partes suas, ubi * (* *forte* unde) ductus venerat cum maxima angustia, gratia et meritis dictæ virginis Rosæ gloriosæ. Ita testificatur dictus Tomas *ff*.

ANNOTATA.

a De castro Jovi *dicitur a citanda Catharina Jacobi Gemini: a Coretino vero* Giove *vocatur: verosimiliter est illud, quod in tabulis F. De Wit* Giovi *notatur, tribus circiter milliaribus Germanicis trans Tiberim distans Viterbio.*

b *Verba Italica sic reddes Latine:* Estne illud cingulum? *Quasi diceret: ubi est cingulum, quod in mei honorem gestare promiseras?*

c *Rem totam illa ipsa suo testimonio confirmavit: audi Processum.* Francisca Angeli Dominici de Jovi, testis inducta, producta, citata, relata, jurata et diligenter examinata super dicto tertiodecimo miraculo, suo juramento testificando dixit, in omnibus et per omnia vera esse contenta in eo, prout superior testificata est dicta Caterina *(cujus verba mox dabimus.)* Interrogata in causa scientiæ dixit: Quia interfuit et passa

Ex Processu. passa est prædicta: quando vexata fuit a dicto dæmone, et quando apparuit ei B. Rosa, et quando liberata est per expulsionem dicti nigri *etc.*

d *Libet hujus occulatæ testis in Processu relatum responsum hic exhibere; est autem hujusmodi.* Item dixit, quod jam *(abhinc)* octo annis vel circa, quædam Francisca, uxor Angeli Dominici de castro Jovi, contratæ S. Marci, dæmoniaca, cum infinitas fatuitates faceret, linguam sibi interdum acerrime mordendo et pro majori parte temporis muta. Itaque cum una vice numquam fuisset loquuta per tres vel quatuor dies, in plurium præsentia locuta est dicens: Tu es beata Rosa, cujus semper fui devotissima; miserere mei; et ego in tuam commemorationem semper portabo tuum cingulum. Quæ cum interrogarent eam, quidnam essent, *(id est significarent)* dicta verba; respondit, quod B. Rosa apparuit sibi cum vestitu deaurato, et dixerat ei: Cognoscis me? Quod B. Rosa respondit ei, prout dæmoniaca testificabatur, per hæc
B verba videlicet: Ne timeas, quia modo libere-
* l. liberaberis ris *; et statim in plurium præsentia vix prolatis dictis verbis, exivit de ore dictæ dæmoniacæ certum quid nigrum in forma quadrupedis. Et sic surrexit dæmoniaca tunc sana et libera, quæ per tantum tempus dæmonium in se passa, loquelam amiserat, et accesit cum magna devotione ad dictam ecclesiam. Quæ tamen cum multis revolutis diebus post recuperationem sanitatis, dictum cingulum dimitteret, de nocte obdormienti ei apparuit præfata B. Rosa, redarguens eam de cingulo, quod non portaverat, prout ipsa postea retulit. Interrogata in causa scientiæ dixit: Quia prædicta vidit et præsens fuit, et audivit singula singulis referendo, et quod cognovit ipsam sanæ mentis et bene loquentem, antequam haberet in se dæmonium: et deinde quia vidit et cognovit ipsam fatuam et mutam, et fuit præsens, quando ex gratia et virtute dictæ B. Rosæ liberata est etc. *Consonant reliquorum testimonia, quibus brevitatis gratia, referendis supersedeo.*

e *An nomen proprium sit, an opificii, divinare non possum: si postremum; forte acupictorem significat:* Bastare *enim, teste Cangio in Glossa-*
C *rio, est* acu pingere.

f Grata, *vox Italica, Latine* clathri: *forte iidem sunt, de quibus Papebrochius in Comment. num.* 50.

g *Lotura manuum, quæ sæpius in Processu recurret, erat aqua, qua sacri corporis manus a monialibus abluebantur, ut in præsentissimum malorum remedium adhiberetur.*

h *Annulis digitos ornatos habuisse, jam vidimus in Comment. num.* 51.

i *Quod ipsum corpus exosculari coactus fuerit, testatus est ipse F. Andreas: forte annulum digito adhærentem osculari debuit.*

k *Italica dicta sic verte:* Adjuvate me; volo genuflectere.

l *Operæ pretium judicavi ipsius testimonium hic describere:* Frater Andreas Sclavus Ordinis Minorum, testis citatus, relatus, juratus, et diligenter examinatus super sexto articulo et super decimo quarto miraculo, dixit suo juramento, vera esse contenta in eo. Interrogatus in causa scientiæ, dixit: Quia cum ipse decem annis circiter vexatus esset a dæmonibus, ita quod creberrime in monte superveniebant sibi certa signa, propter quæ cogebatur torquere manibus bracchia et pedes et faciem, et fantastice loque- D
batur. Qui tamen cum multis inde revolutis annis venisset Viterbium, et per ejus socium duci vellet ad corpus B. Rosæ, tunc demum ita vexabatur a præfatis dæmonibus, ut nullo pacto posset illuc etiam invitus duci. Ductus tandem per violentiam, et ligatus ad ferramenta infixa in cappello dictæ B. Rosæ, ultra modum angustiabatur . . . * idem dissolvi: cui cum diceretur, * *deest vox, pura,* rogabat
quod non prius non * solveretur, quam dictum * non *abundat*
corpus dimitteret (loquebantur enim dæmones
per ejus *, et perfecte in Latino dicebat, cum * *supple* os
esset idiota) et responderant, quod non poterant dimittere corpus Fratris Andreæ, cum essent socii septem in dicto corpore; sequenti tamen die pollicebantur illum liberum dimittere.
Et sicut relassatus * dictus Frater Andreas: in- * *forte* sic est relaxatus
sequenti nocte obdormienti apparuit B. Rosa in somnis dicens ei: Ne timeas, quia jam es liberatus *(id est, in proximo est ut libereris.)* Adveniente tamen die iterum ductus per vim ante corpus dictæ B. virginis gloriosæ Rosæ, et ibidem iterum ligatus, plures fatuitates fecit, de quibus particulariter ipse non recordatur, nisi E
quod videtur sibi, quod tunc premeretur multis angustiis, et quod lingua abscinderetur sibi. Tandem cum per violentiam cohactus fuit dictum corpus deosculari, tamquam mortuus cecidit, et quod visum est sibi, quod ex ejus ore exiret certum quid. Et quod ex illo in posterum, ubi tunc sanus surrexit, numquam inquietatus fuit a præfatis dæmonibus etc.

m *Hic, uti et reliqui citati, testes oculati fuere.*

n *Mater sanatæ Lucretiæ.*

o *Nicolaus Nannis, patria Viterbiensis dicitur in sua testificatione.*

p *Egidia Tutii de la Teja, quæ præfatum mutum apud se educaverat, ut ipsa testata est.*

q *In suo testimonio vocatur* Domina Petrutia, Antonii de Castro Valentano. *Est autem* Valentano, *Latine* Varentanum, *oppidum Italiæ in Patrimonio S. Petri prope lacum Volsiniensem, teste Baudrando.*

r Arteriæ *legendum puto. Porro* arteria *hic significare videtur, non venam vitalem, sed guttur seu gurgulionem, cujus etiam significationis est apud Italos, et hanc res ipsa hoc loco exigit.* F

s *Id est, locum plectendis reis, vel eorumdem cadaveribus suspendendis destinatum. Tropica locutio est, translata appellatione a virtute, quæ in sceleratos animadvertit, ad locum supplicii.*

t Per dies triginta et ultra, *habetur in ipsius Jacobi testificatione.*

u *Rursus Italizat.* Croccia *Latine est* fulcrum.

w Stroppiato *Italis, Latine* mancus *aut* membro aliquo captus.

x *Imo beneficium ipse juratus luculenter testatus est.*

y *Ita testatum reliquerunt præfata Angela, ejusque mater.*

z *Casum intellige, vel potius providentiæ permissionem.*

aa *Ab Italico* aggranchiare, *quod de digitis dicitur, dum ex frigore aut nervorum convulsione contrahuntur.*

bb *Voti rea Laura stetit promissis, ut patet ex Processu in quo inter reliqua istius monasterii sanctimonialium testimonia legitur:* Soror Laura, Laurentii olim de Monte alto, dicti monasterii monialis, altera testis citata, relata, jurata

A rata et diligenter examinata super vigesimo primo miraculo in ejus personam collato, suo juramento testificando dixit, vera esse contenta in eo. Interrogata in causa scientiæ dixit, quod vidit et præsens fuit et dictam gratiam ac miraculum in se ipsam suscipere merita est, cujus miraculi ac susceptæ gratiæ devotione præfatum monasterium ingressa est.

cc *Cognatum prædictæ Lauræ se dicit in suo testimonio, eamque apud se habitasse, dum hæc contingerent.*

dd *Balneoregium Etruriæ civitas est in ditione Ecclesiæ.*

ee *Ex regno Apuliæ dicitur in testimonio Thomæ Caciatori.*

ff *Luculenter sane hoc beneficium confirmavit, uti etiam Francisca Thomæ, et Nicolaus Thomæ filius.*

CAPUT III.

B *Varia ulcera ac apostemata sublata; vincti ergastulis exempti; morbus comitialis curatus; pestis a pluribus depulsa.*

Mulier a periculosa fistula liberatur: a

Anno Domini MCDLII mulier quædam, nuncupata Caterina Pauli Vannelli, de Viterbio, pestilentiali morbo, seu fistula *a* vexabatur in tibia, in tantum quod quasi ad mortem videbatur reducta, nec recta ulterius stare poterat. Humano omni auxilio destituta et medicorum, se convertit ad omnipotentem Deum et gloriosam virginem Rosam; promittens, se per annum continuum ejus cordulam supra se portaturam, si a tanta peste contingeret ipsam liberari. Quo voto facto, ita sana facta est et libera, quod vix signum aperturæ et cicatricis in ea appareret *b*.

b

C 49 Item, quomodo sub annis Domini MCDXXXV quædam puella, nomine Angela, filia Johannis Tomæ Magistri Jeronimi, de Viterbio, parrochiæ sancti Mattiæ, cum tribus pestiferis apostematibus in facie prope auriculam opprimeretur; angustians, ne ex apostematibus præfatis facies remaneret deturpata et signata, propter ipsorum apostematum cæsuras et cicatrices, domina Andicotia ejus genitrix dubitans de prædictis, mentem ejus ad summum Deum et gloriosam Rosam convertit, devotissime supplicans, ut ejus precibus et meritis et intercessionibus ex apostematibus præfatis nihil signi aut cicatricis in facie dictæ ejus filiæ remaneret, et illa supra caput ægrotantis præfatæ poneret, aut in loco, ubi propter ipsorum apostematum incisiones facies Angelæ prælibatæ non veniret deturpata. Quibus precibus sic noctu factis et emissis, apparuit sequenti mane, ejus preces jam exauditas per B. Rosam. Itaque dicta apostemata translata sunt evidenter de loco prope auriculam, ubi erant, ad caput, et sic puella præfata precibus B. Rosæ fuit et est liberata absque aliquo nocumento, aut deturpatione faciei: quæ hodie etiam nupta vivit cum ejus familia *c*.

puella tribus apostematibus in facie,

c

Ex Processu. et aliæ duæ fistulis,

50 Mulier quædam, Filippa Jacoba nomine, filia Angilelli, de Sutrio, per octo annos continuos fistulas in tibia dextera passa fuerat, in qua decem et octo horribilissimæ apparuerant; nec medicorum aliquis has pestiferas et terribiles plagas poterat curare, licet secum habuisset ad hujusmodi morbi curam continuo duos sollempnes medicos, ejus consanguineos: omni tamen humano auxilio prorsus erat destituta. Quæ quidem mulier infirma, postquam mortalia vidit tentamenta nihil, nihil artes posse medentum, auxilium cæleste petens, sub MCDLI genuflexa devotissime cum plurima lacrymarum habundantia, plagis discoopertis, se gloriosæ virgini B. Rosæ recommisit, vovens, si liberaretur, se ejus monasterium ingressuram, et continuo monialis * et ejus serva vivere. Quo voto sic celebrato et precibus ita expositis, meruit exaudiri a gloriosa Rosa, ita ut subito per parum spatii sanaretur a tanta plagarum horribilitate miraculose, a qua per octo superiores annos manu medicorum sanari non poterat: quæ hodie devote vivit in monasterio prælibato *d*.

l. monialem... servam

d

in tibiis afflictæ sanantur. E

51 Antonia, uxor Petri Angeli, de Viterbio, MCDLI habens fistulam in tibia, quæ numquam sanari potuit, facto voto B. Rosæ de celebranda Missa, sanatur præsentibus monialibus *e*.

e

Mala gutturis,

52 Anno MCDL mulier quædam, nomine Francisca, uxor Johannis Spolglie, de Viterbio, contratæ S. Petri, apostemata in gutture, in tantum, quod nihil poterat inglutire, et jam in extremis constituta erat *, precibus in ipsius gloriosæ Rosæ præfatæ *, a prædicto morbo miraculose liberata fuit et est. Mulier quædam, nomine Geronima Mancini, de Chia *f*, uxor Johannis de Bassano, MCDLII cum pateretur ex gutture ex quodam ibidem nato ulcere, facto voto de portando accinctam cordulam B. Rosæ, post triduum sanata est.

* *adde* cum
* *supple* honorem fusis

f

periculosa ulcera

53 Cum mulier quædam Viterbiensis sub MCDXLIX graviter pateretur in tibia certa ulcera in modum apostematum, et incisuram timeret, quam medici prædicebant sibi, et adfirmabant necessariam ad ulceris præfati et infirmitatis curationem; nec aliter inde se evasuram; cum maxima devotione lacrymando, vovit se B. Rosæ præfatæ, ut ejus sanctis meritis et precibus dignaretur incedere ad Jesum Christum, et sibi gratiam facere, ut a tali infirmitate liberaretur, ne ipsam oporteret devenire ad dicti ulceris seu apostematis incisuram. Quibus precibus et voto sic emissis, illico a dicta ejus infirmitate et ulcere est penitus sanata, cum ex oculorum ictu illo instanti crepuerit ulcus, vix finito verbo; præsentibus Johanne Petri Parmæ *g*, Petrutio Butii et Petro Dominici de Viterbio, contratæ S. Marci. F

g

et apostema abacta. *h*

54 Cuidam etiam Giannæ Dominici, de Monte Leone *h*, ex apostemate in mammilla ejus gravissime ægrotanti et infirmæ, noctu in somnis apparuit B. Rosa, cui cum magna affectione dedita erat, ei dicens: Ne timeas, filia mea, recommitte te mihi: quoniam et ego te liberabo. Quæ adhuc obdormiens, se illi recommisit cum ea, qua potuit, reverentia et devotione. Inde non multo post a somno excitata comparet apostema, prout in somnis habuerat *, quod crepuerat, et se ad sanitatem pristinam restitutam meritis dictæ B. Rosæ virginis, prout eadem Gianna testificatur.

* *i. e.* senserat

55 Mattæus Sciacchie, de Castro Vitorchiano, cum sub annis Domini MCDXLIV ex quadam fistula

Ex Processu. Tibia, brevi resecanda, applicato sanctæ cingulo, vigori pristino redditur.

fistula seu apostemate per ejus in tantum marcidus et putridus factus esset, quod a medicis omnino secari debere dijudicaretur, si mortem inde volebat evadere, et deputato die ad illum secandum per magistrum Gentilem de Viterbio, cum una dierum illum accessisset Julianus de Tuscanella, vulgariter dictus Juliano Dellorioło, habitator Viterbii, contratæ S. Simeonis, et illi infirmo miraculum in ejus personam susceptum de febre recitasset virtute cujusdam cinguli, cum quo corpus B. Rosæ tactum fuerat, in tantam devenit infirmus devotionem, ut meritus fuerit a tanta gloriosa Virgine exaudiri, in tantum, quod extenso sibi dicto cingulo per Julianum præfatum, et sibi accincto, ubi pes marcidus de brevi juxta medicorum judicia secari debebat, ex meritis dictæ Virginis, per dicti cinguli tactum, sanatus est. Id testatur præfatus Julianus *i* et domina Francisca monialis.

Detento in carcere apparens, libertatem spondet et procurat.

56 Item cum quidam Uginus Albanensis, stipendiarius *k* et socius strenui viri Angeli Ronconi, de anno Domini MCDXLII, de mandato reverendi patris domini Johannis de Reate, apostolici prothonotarii, tunc gubernatoris *l* provinciæ Patrimonii, in carceribus Viterbii arctissime ligatus detineretur, et ipse celebrem famam ipsius gloriosæ Virginis audiret; ejus auxilium cum maxima devotione invocavit, ut a dictis carceribus ipsum eximeret et liberaret, promittens, in futurum ejus venerabile corpus visitare et illi continuo devotionem et reverentiam devotissime exhibere. Cui sequenti nocte eadem gloriosa Virgo apparuit, et propriis manibus ejus personam capiens, dixit ei: Ne timeas, quia te per tutum iter ducam et liberabo, et crastino mane exibis. Et die jam clarescente, precibus et meritis ipsius gloriosæ Virginis e dictis carceribus exivit et liberatus fuit *m*. Qui ut beneficii accepti memor esset, ejus venerabile corpus visitavit juxta promissa. Quod miraculum, præsentibus domina Francisca, dicti monasterii moniali, Colella de Cavaza, Lallo de Monte Politiano *n* stipendiariis tunc præfati Ronconi, et Fratre Erasmo Ordinis Minorum, qui de dicto miraculo memoriam fecit per ejus scripturam, publice enarravit, præsentibus monialibus.

Monacho innocenti coram judicibus succurrit, et liberat:

57 Anno etiam Domini MCDL, cum quidam Guilielmus nomine de Bussinetura, diœcesis Arelatensis *o*, monachus monasterii Montis majoris *p* et Prior de Vembreno, hospitaretur Romæ prope castrum S. Angeli, et peregrini quidam fuissent expoliati a nonnullis latrunculis, captus fuit per officiales prælibatus clericus, prætextu dicti furti. Qui ubi ductus fuit ad torturam, ut torqueretur, licet innocens esset, omni spe destitutus, genuflexus se projecit ad terram, ejus mentem elevans ad summum Deum et B. gloriosam Rosam, alta voce exclamans sic: O beata Rosa, si vera sunt, quæ de te dicuntur et prædicantur, adjuva me in tanto periculo constitutum. Quibus dictis, territi officiales nullum prorsus aliud verbum ei dixerunt, sed statim exemerunt dictum clericum e carceribus et liberatus sic recessit.

inique detento compedes ac carcerem aperit:

58 Quidam Juvenalis de Narnea *q*, cum in carceribus et in compedibus artissime detineretur ob calumniam quamdam, sibi falso objectam, cum magna contritione animi ac devotione humillime commendavit B. virgini Rosæ, ut, sicut falso calumniatus ibidem detentus erat, ejus meritis dignaretur ostendere, quod idem miraculose exiret, ne magis prodesset falso accusandi iniquitas et injustitia, quam sibi profutura esset pura veritas et justitia. Quibus votis ita emissis, illico miraculose obserati compedes aperti sunt, et portæ carceris carcerato patuerunt et ultro apertæ sunt, donec libere exivit. Et sic de manibus eorum, qui ipsum falso detinebant, ex meritis dictæ B. Rosæ virginis se exemit *r*.

morbo comitiali laborantem sanat.

59 Galiana quædam puella, filia Petri de Urbe veteri *s*, habitatoris Viterbii, MCDLIII, et mense Augusti, morbo caduco vulgariter sic dicto vexabatur. Quæ cum semel ex dicto morbo tacta, in terram cecidisset, mulier dicta Simonetta Bartolomei Jutii de Viterbio, videns eam sic prostratam in terram et jacentem, et attonita, mota animi compassione pro ipsa oravit ad B. Rosam, genuflexa dicens: O gloriosa B. Rosa, si ista puella ab infirmitate hac liberabitur, cum ea semel visitabo sacratissimum corpus tuum. Quibus verbis sic dictis, immediate surrexit puella, et in illa hora a dicta infirmitate sanata est.

Pestilenti febre ad extrema deducta, invocata Sancta, extemplo convaluit.

60 Item quod de anno MCDXLIX et mense Julii, quædam mulier, nomine Angela, filia Dominici Sardi, de Viterbio, cum affligeretur morbo pestifero in pluribus locis suæ personæ cum febre pestilentiali, in tantum, quod nec comedere, nec aliquid etiam stillatum * poterat deglutire: de cujus vita cum nulla spes superesset ulterius; ob quam quidem gravissimam infirmitatem, licet loqui non posset, mentem ejus ad summum Deum et gloriosam Virginem præfatam cum magna devotione elevavit, ejus auxilium invocando. In continenti miraculose, meritis ac precibus gloriosæ Virginis præfatæ, a dicta infirmitate et pestifera febre fuit et est liberata, prout est etiam testificata Antonia ejus mater.

* i. e. guttatim

Alia simili lue affecta, epota aqua, qua Rosæ manus ablutæ fuerant,

61 Item quod currentibus annis Domini MCDXLVIII, et mense Julii, quædam Angelina, filia Tutii Lorenzetti, de Viterbio, cum pestifero morbo, videlicet duobus * inguinibus et uno in brachio, graviter infirmaretur. Itaque omnia signa in ea mortem sibi intiari videbantur; præsertim cum per totum ejus corpus signa, quæ vulgariter lenticulæ *t* cognominantur, apparuissent, in tantum, quod de ejus vita desperatum erat unicuique. Quam quidem Angelinam, sic morti vicinam et propinquam, domina Ludovica ejus mater, ex voto præambulo facto Deo et B. Rosæ, deferri fecit ad ejusdem virginis Rosæ sepulcrum: et lotis manibus dictæ gloriosæ virginis Rosæ cum aqua, eam potandam dedit infirmæ puellæ: quam cum ebibit, in continenti fuit et est sanata. Quæ admodum etiam continuo contendit cum Ludovica ejus genitrice, se intraturam monasterium dictæ gloriosæ virginis Rosæ, cum ab ea salutem receperit. Præsentibus domina Ludovica ejus matre *u* et Petrutia Bartolomei, Antonio idem asserente, et domina Francisca moniali, contratæ S. Mariæ in Podio, et præsente Tutio Lorenzetti ejus patre.

* forte addendum, tuberibus et in

alius applicato infectæ parti cingulo,

62 Anno Domini MCDXLIX Menicus, filius magistri Angeli Sellarii, cum esset pestifero morbo in coscia * gravissime oppressus et quasi in transitu constitutus, Paulina ejus mater animadvertens, filium ab hac vita quasi prorsus destitutum, devotissime preces omnipotenti Deo et gloriosæ Rosæ effudit pro salute et liberatione sui filii. Quo voto facto, nocte sequenti apparuit sibi dicta gloriosa Virgo cum quadam cordula, quæ videbatur sibi apponi per eam in loco, ubi morbus erat pestifer, videlicet in tibia ipsius pueri sic ægrotantis: ex qua appositione et tactu

* Latine femore

A tactu videbatur sibi ad sanitatem redire et liberari a dicta pestilentia et infirmitate. Post quam quidem visionem sequenti mane dictus puer sic ægrotans et infirmus, sanus et liber ab omni ejus epidimiæ infirmitate precibus B. Rosæ præfatæ factus est.

alia emisso voto ingrediendi monasterium sanantur.

63 Item quomodo sub annis Domini et M prædicto *w* et mense Julii, Angela filia Benedicti Zello, de Viterbio, parocchiæ S. Jacobi, dum morbo pestifero graviter infirmaretur et quasi in transitu constituta * cum jam signa mortis in ea apparerent, quæ vulgariter lenticulæ cognominantur; Francisca, dictæ puellæ mater sic destitutæ et semimortuæ, ipsam vovit gloriosæ Virgini præfatæ, quod, si contingeret liberari, quam primum pervenisset ad quartum decimum annum, ingrederetur religionem dicti monasterii. Quo voto sic celebrato, miraculose dicta puella sanata est ab infirmitate prælibata. . . *x*.

w — * *supple* esset, — *x*

Simile beneficium mater suo filio impetrat.

64 Anno Domini MCDLIV, cum puer quidam, annorum quatuordecim, nomine Nicolaus Petri Hispani, habitatoris Viterbii, contratæ S. Stefani, graviter infirmaretur ex pestilentiali pontura *y*, et in die festivitatis B. Johannis Euangelistæ, de B mense Decembris, ita graviter laboraret, ut a medicis omnibus derelinqueretur, moriturus quod esset adjudicatus; adsumptus est a matre ejus Perna per desperationem, ut super ejus brachiis moriretur, cum vivere vix per horam crederetur ab omnibus, dicente: Volo, quod filius meus moriatur in manibus meis. Ante cujus os cum per dictam Pernam ejus matrem candela benedicta retineretur accensa, prælibata Perna materna caritate mota et affectu, lacrymando pro ejus salute oravit B. Rosam: in qua oratione et verbis auditus fuit sonus campanarum ecclesiæ prælibatæ Rosæ pulsantium; ad quarum sonum inquit: O gloriosa sancta Rosa, hanc mihi gratiam facere digneris, ut cognoscam, numquid filius meus vivat, vel mortuus sit. Quibus dictis, illico oculum unum parum aperuit: quod advertens mater prædicta inquit: Fili mi, recommitte te Deo et B. Rosæ. Qui puer ita infirmus cum ad vocem matris dixisset: O gloriosa beata Rosa, tibi me recommitto, obdormire cœpit paululum quasi per horam, et inde e somno expergefactus, inquit: Ego liberatus sum, mediante intercessione B. Rosæ benedictæ; et C inde ejus sanctum corpus visitavit cum quadam imagine cerea, habita reconvalescentia præsente patre, ejus viro, et pluribus aliis, de quibus non recordatur.

y

ANNOTATA.

a Fistula *tumoris seu ulceris species est, sive ut habet Gorræus in Definitionibus medicis,* Sinus angustus, oblongus, callosus .. os habens, cui cicatrix obduci nequit, per quod humor certis temporibus tenuis excernitur.

b *Miraculum hoc ipsa Catharina jurejurando testatur in Processu.*

c *Imo etiam rem totam una cum parentibus suis coram delegatis in hac causa juridico testimonio confirmavit.*

d *Testimonium ipsius Philippæ accipe:* Soror Filippa Jacoba de Sutrio, monialis dicti monasterii, altera testis citata, relata, jurata et diligenter examinata... suo juramento dixit, qualiter ipsa fuit ex tot fistulis et plagis infirmata, et per invocationem dictæ virginis Rosæ liberata est, prout in dicto miraculo continetur.

e *Rem ita se habere testatæ sunt ipsa Antonia, Margareta Petrutii abbatissa et moniales* S. Rosæ, *quæ tamen moniales ac abbatissa præsentes non fuerunt, cum miraculum impetratum est, sed tantum id ab Antonia narrari audiverunt.* Ex Processu.

f De castro Chiæ *dicitur in præfatæ Franciscæ testimonio. Castrum istud mihi ignotum est.*

g *Verba ejus accipe:* Item dixit *(Petrus Parmæ)* quod octo anni vel circa, *(sint)* cum quædam mulier Viterbiensis infirmaretur certis ulceribus sive apostematibus in tibia, dubitans, ne illa inciderentur juxta medicorum judicium, se devote commendavit B. Rosæ quibus precibus emissis, ex ictu oculorum crepuerunt ulcera et sanata est a dictis apostematibus. Interrogatus in causa scientiæ dixit: Quia ipse vidit et præsens fuit. *Totidem fere verbis idem asserit Petrutius Butii item oculatus testis: sed in testimonio Petri Dominici nihil de eo reperio, quia scilicet non fuerat hac super re interrogatus; fuisse enim illum præsentem, cum prædicta mulier sanaretur, affirmat etiam præfatus Petrutius.*

h *Geminam urbem* Monte Leone *assignat Baudrandus in Geographia. Altera Latine* Vibo E *et* Vibo Valentia *urbs regni Neapolitani est in Calabriæ ulterioris provincia sita. Alia* Mutuscæ *et* Trebula *dicta, castrum provinciæ Sabinæ est in ditione Ecclesiæ, duobus circiter miliaribus Germanicis distans Reate, secundum tabulas Frederici De Wit.*

i *Operæ pretium videtur juridicam depositinem Juliani hic producere:* Cum quidam Matthæus Schiacchie, de Castro Vitorchiano, ductus esset Viterbium ex eo, quia judicio medicorum pes ejus secari debebat, cum marcidus esset et quasi ex putrefactione consumptus, cum aliter evadere non posset, cum dicti medici ita asserebant. Cum tamen in die deputato ad secandum dictum pedem convenisset illuc præfatus Julianus, ad eum visitandum, et medici præpararent ferramenta et alia necessaria; exterritus dictus Matthæus infirmus pro futuro dolore, convertens se ad Julianum præfatum, ipsum rogavit sub fide compaternitatis, qua ab eo poposcit ne permitteret sibi secari dictum pedem. Qui Julianus cum id sibi pollicitus esset, dixit, quod recommitteret se dictæ B. Rosæ, recitans illi miraculum, quod in sua persona susceperat F virtute illius cinguli, et qualiter ipse fuerat tot vicibus liberatus a febre. Ad cujus verba conversus infirmus, cum magna devotione et multis lacrymis se commendavit B. Rosæ, et accinxit se dicto cingulo, vovens se præfatæ Rosæ. Quo facto, statim pes, qui per medicos secari non potuerat *(prohibente scilicet Juliano)* incepit convalescere, itaque de brevi fuit restitutus sanitati, meritis et intercessionibus B. Rosæ prædictæ. Interrogatus in causa scientiæ, respondit: Quia vidit prædicta et præsens fuit. *Huic prorsus similis est magistri Gentilis chirurgi oculati etiam testis depositio.*

k *Œconomus seu procurator penus vocatur a Coretino, Rinaldo ac Gianello. Albanensis dicitur ab Albano Campaniæ Romanæ oppido.*

l *Qui scilicet tamquam Prolegatus summi Pontificis quoad politicum et civile regimen, provinciæ Patrimonii præsidebat.*

m *Aliter prorsus beneficium hoc narrant Coretinus, Rinaldus et Gianellus. Posteriorem pro reliquis audiamus.* S. Rosam *Ugino in carcere apparentem et in hunc modum loquentem inducit:*

Ex Processu.

cit: Ne timeas, Ugine: namque ego dux et patrona adero in judicio; in cujus confirmationem dimitteris e carcere die crastino. Reddito die inter interrogationum tricas tam sagax et acuta dux fuit Ugino Rosa, ut ejus explicata innocentia, sine ulla mora missus factus sit.

n *Urbs parva Hetruriæ in agro Senensi episcopalis.*

o *In Gallia Narbonensi. Diœceseos metropolis Arelata est urbs antiquissima ad ripam Rhodani sita.*

p *Hallucinatur Giannellus dum lib. 2, cap. 20, monasterium hoc in Manliana urbe collocat: hallucinatur, inquam; nam monasterium* Montis majoris *situm est prope Arelatum, ut in tabula geographica Diœcesis Arelatensis edita a Dionysio Samarthano Gallia Christianæ tom.* I, *ante col.* 515 *videre est. Ejusdem monasterii extra muros Arelatenses meminit Mabillonius Annal. Benedict. tom.* I, *pag.* 128.

q *Narnia urbs est episcopalis in Umbria sub ditione Pontificis.*

r *Prodigium hoc confirmat Margarita Petru-* B *tii abbatissa ex constanti traditione: ac dein subjungit;* Prout demonstrant picturæ in hujusmodi miraculi memoriam tunc temporis descriptæ et depictæ in quadam antiquissima cassa monasterii præfati, quæ omnibus illam videre volentibus ostenditur.

s Orvieto *incolis, urbs Italiæ, sita in provincia Patrimonii, caput agri Urbevetani.*

t *Id est lentigines sive maculæ.*

u *En tibi matris testimonium:* Domina Ludovica Tuti Lorenzetti, de Viterbio, testis citata, relata, jurata et diligenter examinata super trigesimo octavo miraculo, suo juramento dixit, vera esse contenta in eo. Interrogata in causa scientiæ dixit: Quia vidit et præsens fuit, quando Angelina ejus filia ex pluribus pestiferis signis morti, judicio medicorum, et prout omnes, qui eam videbant, existimare poterant, adjudicata erat: quæ tamen præcedente devotione, quam ipsa testis habebat et semper habuit in B. Rosam, ducta est ad ejus monasterium et ibi bibit de aqua, cum qua erant lotæ manus dictæ Virginis, et pollicita est, se ejus monasterium ingressuram, ex tunc puella ad C mortem anhelans, incepit convalescere, et paulo post pristinæ sanitati est restituta.

w *Vitioso loquendi modo indicatur annus* 1449, *ut patet ex ipsius Angelæ, ejusque matris Franciscæ Benedicti, testimonio miraculum prædictum confirmante.*

x *Quid sibi puncta illa velint ignoro: forte characteres ab amanuensi legi non potuerunt.*

y *Italica vox hic pestiferum carbunculum denotare videtur.*

CAPUT IV.

Peste infecti, febricitantes, phthisici, leprosa, aliique ægri sanati.

Puer alter a peste, *a*

Johannes Grisostomus puer, filius Christophori Bartholomei, alias Boceafrolla, de Viterbio, contratæ S. Mariæ in Podio, amorbatus eo morbo, qui anguinalia *a* dicitur, jam in extremis erat constitutus MCDLI. Quem Francisca ejus mater vovens B. Rosæ, dixit: O gloriosa beata Rosa, ad te recurro: tamquam tua devota minima, et hunc meum filium tibi commendo: quibus dictis, sanatus est puer. D

66 Anno MCDXLI puer quidam, ætatis sexdecim mensium, filius Christofori Batholomei Boccafrolle, contratæ S. Mariæ in Podio, cum infirmaretur eo morbo, qui dicitur Grossum in gutture *b*; ejus pueri mater ad Deum et B. Rosam conversa, inquit: Si filium meum, gloriosa Rosa, liberabis, corpus tuum sacratum per mensem integrum visitabo. Quo voto facto, puer e tanto periculo liber est factus.

alter a gravi gutturis malo sanati. *b*

67 Anno insuper Domini MCDLI, XXVIII mensis Octobris, cum mulier quædam, dicta domina Agnes Mariotti Materche, de castro Maleano *c*, ætatis forte viginti annorum quatuor, vel circa, gravissime infirmaretur eo morbo, qui vulgariter dicitur Languinaglia. Ex qua quidem infirmitate ita ad ultimum suæ vitæ spiritum deducta erat, ut ab hac vita videretur migrasse. Et cum a suis omnibus esset jam destituta et laboraret in continuo transitu * per spatium trium dierum, pro ejus funere præparata fuerat cera, sepultura et cetera omnia funeralia. Domina tamen Lucretia, ejus genitrix, maternæ E pietatis non immemor, quæ continuo pro liberis consilium capit, nec umquam penitus desperat, donec aliquid spiritus subest, ejus filiam ita graviter ægrotantem humiliter ac devote non sine magna lacrymarum habundantia omnipotenti Deo et gloriosæ virgini Rosæ vovit, ut si ejus precibus ipsam sanari, immo mortuam ad vitam reduci contingeret, cum mortua jam esset *d*, quod eam duceret ad ejus ecclesiam, ubi sacrum suum et venerabile corpus requiescit, cum quodam cereo unius libræ, ibique eam accingeret ejus cordula sive cingulo, quam deferret per annum integrum ad ejus honorem et reverentiam.

Inguinaria peste in extremis posita mulier, *c*

* *i. e.* agonia

d

68 Quibus precibus et voto sic, ut supra! emissis, gloriosa Virgo, quæ numquam renuit devote precantibus, ad compassionem afflictæ matris et misericordiam mota annuit, et ostendens ejus potentiam ex gratia omnipotentis Dei, in continenti hiis verbis dictis, sic ægrotans mulier, immo mortua, incepit convalescere, in tantum, F quod infra dies paucos (mira res est) in prosperrimam sanitatem evasit libera ab omni infirmitate et epidemia. Quod quidem miraculum revelatum fuit per dictam dominam Agnetem ante corpus B. Rosæ in ejus ecclesia Viterbiensi, quo loco convenerat voti exsolvendi gratia, sub annis Domini MCDLII, die XXIII Aprilis, præsentibus fer * Rosato Mattei, de dicto miraculo notario rogato, et Corolo Grugni *e* et Petro Angeli Trie de Viterbio, testibus.

facto per matrem voto, mortem morbumque evadit.

* *i. e.* magistro

e

69 Petrus Dominicus *, olim bonæ memoriæ Nicolai de Bussi, de Viterbio, cum esset ætatis annorum sex vel circa, MCDL intolerabili febre angustiabatur, superveniente sibi signo. Cum maxime tunc in civitate Viterbii pestis *f* immineret, in tantum ægrotanti puero defecit spiritus, ut immature paulo post inde spatio diebus suis æstimaretur fungi. Quædam Caterina Jacobi Gemini de Viterbio, infirmi nutrix, mota compassione venerabilis mulieris dominæ Suevæ, pueri matris, instar pueri vapulantis plorantis, quæ eodem anno triplici funere, mariti, filiorum et consanguineorum, mœsta et afflicta lugebat, in ejus solatium hoc solo cum sorore Elisabetha

Laborantes febri pestifera

* *adde* filius

f

A Elisabetha ex ampla, quam habebat, familia, relicto sibi, et materna pietate et affectu, quem in filium, quem lactaverat a teneris annis, habebat, non sine maxima lacrymarum habundantia, puerum morti jam vicinum et anhelantem, cui parum aut nihil supererat spiritus, gloriosæ virgini Rosæ commendavit, et vovit, ut afflictæ dignaretur misereri genitricis, quæ in morem acceptorum altissimo Jesu Christo, cum honestissime ac pure continuo vixerit præ ceteris, ita præ ceteris affligi videbatur, exemplo Job: quo voto facto sic, et ebibito aquæ parum loturæ manuum dictæ B. Rosæ, quam per vim deglutiri sibi fecerant, illico sine mora aliqua febris cum signo cessavit, et ad sanitatem restitutus hodie cum gratia dictæ B. Rosæ vivit et illi plurimum pro suscepta gratia afficitur. Istud testificatur Petrutius Bussi, dicta Catarina et domina Sueva, mater ejus.

aliisque gravibus malis

70 Angelus Pasquine, filius muratoris, contratæ S. Leonardi, cum graviter infirmaretur morbo infectus, itaque morti potius, quam vitæ propinquus existimaretur ab omnibus ipsum videntibus; B conversa Pasquina, ejus mater, ad omnipotentem Deum et B. Rosam, vovendo promisit, si Angelus ejus filius evaderet a tanta infirmitate, quod per annum integrum faceret ipsum indui ejus habitu. Quo voto sic, ut supra, emisso, præfatus Angelus est sanatus, ut eadem Pasquina est testificata et Angelus.

sanitati restituit.

71 Venerabilis matrona domina Perna Cole, de Capranica *g*, cum videret Johannum ejus neptem gravi morbo infectam, et ad mortem laborantem, nec illi tentamenta aliqua mortalia prodesse quovis pacto; ipsam gloriosæ virgini Rosæ vovit, pro ejus salute oravit, quoad potuit, post quæ exaudita est ejus oratio, et sanata est dicta Johanna. Idem testificatur dicta domina Perna et Johanna.

Grassante Viterbii peste, moniales suas discrimine liberat.

72 Currentibus annis Domini MCCCCL, cum civitas Viterbii durissima peste opprimeretur, in tantum, quod quasi ab universis ejus incolis et habitatoribus videbatur derelicta, propter summam aeris intemperiem et influentiam: contigit, quod in monasterio S. Rosæ, ubi ejus sacratum corpus requiescit in summa veneratione, moniales plures morbo et epidemia infirmarentur ad mortem; videlicet domina Margarita Petrutii, dicti monasterii abbatissa, domina Angela ejus soror, domina Magdalena, domina Ludo- C vica, soror Serafina, soror Perna, et soror. . . . Quæ conspicientes sese in tanto periculo mortis, Deo omnipotenti et gloriosissimæ virgini B. Rosæ humillime ac devotissime commendarunt, ut dignaretur ejus domum ac familiam a tanta infectione et epidemiæ infirmitate conservare et custodire. Quibus precibus ab hiis venerabilibus mulieribus et universis monialibus aliis dicti monasterii sic devotissime et cum maxima mentis contritione emissis, exauditæ sunt earum voces, uti digne postulantes a gloriosa virgine Rosa; ita ut nulla ipsarum in dicto monasterio ex tali infirmitate et morbo perierit *h* miraculose, cum vix domus alia Viterbii intacta remanserit, ex contagione præfata, habitatio sola B. Rosæ, utpote sacras virgines castasque matronas omni sanctimonia et bonitate pollentes continet *, præservata fuerit ex gratia omnipotentis Dei et meritis et precibus B. Rosæ; et quod jam sexaginta annis nulla mortua est in dicto monasterio ex peste.

* *l.* continens

73 Cum domina Agnes quædam haberet filium, ætatis annorum viginti octo, gravi peste in inguine ægrotum et infectum satis *, anhelaret ad mortem, dubitans, ne deficeret illi spiritus, cum continuo esset in transitu, illum dictæ gloriosæ virgini Rosæ commendavit et vovit. Quo voto facto, eodem instanti est sanatus, prout dicta Agnes est publice testificata.

EX PROCESSU. *Adolescentem a peste,*

* *supple:* ut

monialem a gangræna, incolumes reddit.

74 Monialia quædam monasterii B. Rosæ præfatæ, sub annis Domini MCCCCLIV, nomine Caterina, filia Augustini Longi, de Viterbio, cum pateretur cancrum in mamilla ejus sinistra, cujus morbi horribilissimi infirmitate obstupefacta domina Francisca, dicti monasterii monialis, et spiritualis mater Catarinæ præfatæ, ne moniales ceteræ ex hac contagione infectæ contaminarentur, se prosternens ante corpus dictæ B. Rosæ contrite ac devote inquit: Mater sanctissima et spes nostra, adjuva nos, ne omnes inficiamur ex hoc pestifero morbo: pro cujus ægrotantis amorbatæ salute tibi mamillam argenteam constituam. Quibus precibus factis, illico morbus ille caput fecit ac principium *i*, prout vulgariter dicitur. Et quoniam de humano *k*, morbus talis sine periculo cum medicinis curari non potest, Caterina præfata curata extitit, et precibus B. Rosæ de brevi ad sanitatem E restituta *l*.

Ischiadem

75 Existenti infirmæ gravissime sorori Drusianæ de Polimartio *m*, moniali dicti monasterii, ex infirmitate, quæ dicitur la sciatica *n*, MCCCCLII et mense Aprili; ex cujus infirmitatis gravitate et longitudine supervenerat sibi catarrus. Ex quibus infirmitatibus nullus medicorum poterat eam liberare. Facto voto de quadam imagine cerea deferenda ad ejus corpus, si deliberaretur, in continenti sanitas restituitur et penitus liberatur ab omni morbo * infirmitate *o*.

* *adde* et

tollit;

76 Anno insuper MCCCCXL Narda, filia Nicolai Tomæ de Viterbio, contratæ S. Petri, ex ea infirmitate, quæ sciatica dicitur, ita deliberata * est, ut dolores sibi usque ad collum jam supervenissent. Cui ita infirme ægrotanti et in lecto jacenti Catarina quædam Baptistæ inquit: Vove te Deo et B. Rosæ portare sibi bracchium unum cum spatula *p* de cera: quæ cum sic vovisset, eodem instanti sana surrexit de lecto.

* *imo* devexata

infantem

77 Anno insuper MCCCCLIII puer quatuor mensium, nomine Josephus, Santi della Coldusta de Viterbio filius, contratæ S. Angeli, ex gravi infirmitate phtysicus quasi exaridus et desiccatus effectus, ad ultimum vitæ spiritum deductus erat: pro quo Antonia ejus mater B. Rosam oravit pro filii sanitate, F quem cum devote ad ejus ecclesiam detulisset, et super ipsius gloriosum corpus posuisset, in continenti in prosperrimam sanitatem evasit, ejus precibus et meritis *q*.

mulierem phthisi liberat,

78 Domina Johanna uxor Francisci, vulgariter dicta Francisca de Veritate, cum de MCCCCXLIII ex quadam infirmitate in phtysicum devenisset; quæ infirmitas vulgariter dicitur el mal sottile, et ex dicta infirmitate gravaretur per novem menses, vel circa, nec medicorum quisquam eam posset juvare, se commendavit B. Rosæ: quo voto facto, convaluit et sanata est. Istud dicta domina Johanna testificatur et Antonia Giorgii Tubatoris, et domina Laurentia Gemini, ejus vicinæ.

leprosam mundat:

79 Quædam domina Titia Jacobi de Fulgineo, tertii Ordinis S. Francisci, sub MCCCCLI et mense Augusti, die quinto, erat tanta lepra affecta, quod nulla ex ejus sororibus adhærebat sibi, nec in comedendo, stando aut dormiendo, aliquam secum habebat communionem aut

Ex Processu.

aut adhærentiam, ne dicta lepra corrumperetur; sed continuo sola stabat ab aliis separata. Quo factum est, ut, cum videret se una dictarum in tanta calamitate ac miseria constitutam, sola transtulit * se in secretiorem partem domus, ubi ad terram genuflexa, lacrimans cum summa cordis contritione inquit: Quæ numquam tibi devote supplicantes derelinquis, gloriosa B. Rosa, adjuva me et munda me ab hac lepra. Veniam enim ad tuum sanctum corpus visitandum, et de lotura et aqua tuarum sanctarum manuum vultum meum lavabo. Quæ voto sic facto, surrexit, et ad prædictum corpus accessit, et uti fuerat pollicita, fecit. Mira res, est statim Missa celebrata, et quam primum se lavit cum dicta aqua, sanata est et liberata effecta ab illa immundissima lepra, prout etiam hodie sana et libera vivit; præsentibus ibidem domina Julia tertii Ordinis ministra, filia quadam magnifici domini Raymitii de Farnesio, et domina Constantia, filia quadam Rubei de Viterbio, contratæ S. Johannis, quibus ita revelavit in confessione domina Angela Petri de Capranica *r*.

* *l.* transtulerit

B

arthritidem pellit;

80 Anno insuper præfato, cum juvenis quidam Romæ ex gutta *s* graviter infirmaretur, devote recommisit et vovit se B. Rosæ, promittens afferre ei candelam ceream, si contingeret, ipsum ab hujusmodi infirmitate liberari: quo voto facto, illico est ad pristinam sanitatem restitutus. Quod miraculum sic contigisse, manifestavit coram domino Nicolao presbytero diœcesis Metensis *t*, Uberto Bergucido subdiacono, et Johanne Petro Papiensis *u* diœcesis.

paralyticam simul et hydropicam subito sanat,

81 Anno insuper Domini MCCCCLIV cum quædam mulier, nomine Rita Destangano, habitatrix Viterbii, parochiæ S. Crucis, hidropica esset et paralytica insimul, et in dicta infirmitate laborasset per aliquos menses, nec quovis pacto aut humano auxilio liberari posset, cum infirmitates prædictæ incurabiles sint, cum summa humilitate et devotione se commendavit B. Rosæ virgini, offerens, si a tanta infirmitate ejus meritis et intercessionibus liberaretur, per annum integrum nudis pedibus ejus gloriosum corpus visitaturam in basilica, ubi admodum requiescit. Quibus precibus ac voto, ut supra, emissis, ex gratia omnipotentis Dei, qui potentiam suam demonstrare in hac gloriosa Virgine continuo non desistit, subito absque alio temporis intervallo, seu momento, mulier paralytica et hidropica miraculose sanata est et convaluit ex dicta ejus infirmitate; prout dicta Rita testificata est et domina Cæcilia, uxor olim domini Augustini, et domina Laura, tertii Ordinis S. Francisci, et Gregoria *w* uxor Simi.

C

tumorem crurum dissipat:

82 Quidam insuper Johannes Andreæ, contratæ S. Lucæ, sub MCCCCLVI cum ex quadam magna et antiqua infirmitate crura ipsius per universas ejus partes tumefacta essent et ingrossata in modum duorum columnarum, ita quod ejusdem erant grossitudinis tibiæ cum cruribus *x*, se tandem, licet cum summa difficultate et labore, contulit ad ecclesiam B. Rosæ, quo loci ubi per eum ventum est, accepta lotura manuum dictæ B. virginis Rosæ, et cum ea reverenter ac devote lavans tibias et crura, orans continuo pro ejus salute, eodem instanti ipso existenti in ecclesia, præsentibus monialibus et nonnullis aliis ibidem astantibus, tumor crurum et tibiarum ex momento subito secessit, et in tantum liberatus est, quod quasi currendo *y* pro suscepta gratia domum suam est reversus, meritis et intercessionibus dictæ B. virginis Rosæ. Idem testificatus est dictus Johannes Andreæ et Andreas Capati *z* de Viterbio, et moniales.

D

serpentinum morsum reddit innoxium.

83 Caterina, Philippi Bartolomei filia, MCCCCLII cum semel a quodam terribili serpente esset insultata, et dentibus ejus pedem venenose momordisset, et ex ejus morsu cecidisset, astans ibidem Angela Tomai, ejus mater, ipsam vovit B. Rosæ, quod, si contingeret evadere, faceret ipsam ejus servam et monialem: quo voto facto, illico surrexit, acsi mali nihil umquam habuisset, et infra dies quinque fuit penitus liberata.

ANNOTATA.

a Anguinaglia *Italica vox tumorem inguinis significat, teste Veneronio. Pestem inguinariam indicari, infra patebit ad num.* 67.

b *Videtur species anginæ fuisse.*

c *Vide Annotata ad num.* 24 *litt.* o.

d *Id est, morti proxima, ut moraliter mortua haberetur.*

E

e *Audi hunc suo testimonio illud prodigium firmantem.* Carolus Grugni.... suo juramento dixit, vera esse contenta in eo: videlicet quod jam sex annis vel circa, cum ipse esset in ecclesia S. Rosæ una cum fer Rosato Mattæi et Angelo Trie de Viterbio, vidit ibi advenientem quamdam dominam Lucretiam de castro Maleano, una cum quadam domina Agnete ejus filia, quæ cum maxima reverentia cum visitassent et obtulissent ante corpus gloriosæ virginis Rosæ, dixerunt coram eis et dictis monialibus, qualiter venerant illuc, ut se a votis, quæ fecerant, absolverent. Paucis enim ante diebus dicta Agnes, ejus filia, ita ægerrime ex pestilentiali febre gravata est, ut eam mori in castro Maleano de proximo existimaretur. Data enim *(sunt)* ei omnia Sacramenta Ecclesiæ, et jam in continuo transitu expirabat. Confisa tamen ejus mater in continuis miraculis, quæ continuo prædicantur a dicta B. Rosa, dictam ejus filiam illi, ut liberaretur, commendavit. Confiderat enim, quod propter ejus merita et mortua posset reviviscere: et prout firmissimæ erat opinionis, ita sibi in virtute sanctæ fidei contigit, quia merita est exaudiri, et liberata est puella. *Consonant Petrus Angeli, et Margareta Petrutii abbatissa cum ascetriis suis.*

F

f *Sævisse hoc anno* 1450 *atrocem pestem in Italia, videre licet apud Muratorium in Rerum Italicarum scriptoribus tom.* 21, *col.* 610: *ubi ait, eam totam Longobardiam pervasisse, horrendasque strages edidisse, ita ut in urbe Mediolanensi triginta hominum millia ea lue sublata fuerint.*

g *Oppidum Italiæ est in provincia Patrimonii.*

h *Singulare hoc beneficium abbatissa cum suis monialibus juridice interrogata, juramento suo testata est.*

i *Italis* far capo, *quod Latine vertas* facere caput, *phrasi medica significat suppurare, sive in pus converti. Vult itaque cancrum illum in apostema contractum ac in pus conversum non ultra serpsisse, sed ejectis sordibus desiisse. Audiamus ipsius Catharinæ depositionem.* Domina Caterina Augustini Longi, de Viterbio, testis.... jurata,... suo juramento dixit, vera esse contenta in eo *(articulo)* videlicet prout quod cum ipsa in mamilla sinistra pateretur cancrum, qui de sua natura et secundum canones medecinæ, ut

A ut asseritur, aut curari non potest, aut sine periculo non curatur: tamen ubi pro ejus salute oratum fuit ad B. Rosam per dominam Franciscam, monialem dicti monasterii, morbus ille sive cancer ostendit ejus caput, et curata est sine periculo.

k *Id est, ope humana: sed an hic recte legam, ignoro; adeo dubius hoc loco character est.*

l *De curatione hac interrogata sæpe citata abbatissa* respondit, vera esse prout in eo *(articulo)* continetur. Interrogata in causa scientiæ dixit: Quia vidit, prout omnibus monialibus manifestum est.

m Polimartium, *Italis* Bomarzo *castrum in provincia Patrimonii.*

n *Ischias, morbus vulgo notus.*

o *Ita cum monialibus testata est præfata abbatissa.*

p *Spatula est chirurgicum instrumentum, quo emplastra deducunt. Eadem vox, teste Cangio in Glossario, etiam humerum, vel scapulam significat: posteriori modo vox hic accepta videtur: humerus enim morbo afflictus erat.*

q *Ita factum esse, constat ex juridico Anto-*B *niæ, pueri genitricis testimonio.*

r *Insigne hoc miraculum tum ipsa, cui contigit, tum nominatæ omnes jurejurando confirmarunt. Testimonia earum, quia præter dicta nil continent, prætermitto: quod, ne nauseam pariam, etiam in sequentibus servabo.*

s *Arthritidem sive morbum articularem denotare videtur.*

t *Metæ urbs episcopalis est Galliæ ad Mosellam fluvium, ubi Saliam recipit, sita, Metensis tractus caput.*

u *Papia*, Pavia *incolis, urbs Longobardiæ in ducatu Mediolanensi.*

w *Hæ omnes in suis juratis responsis asserunt, se Ritæ adfuisse, cum a duplici illo morbo prodigiose ac subito sanaretur.*

x *Inepta locutio est: tibia enim os majus cruris est: sed ni fallor, per tibias intellexit suras. Vult itaque, crura ita intumuisse, ut a talis usque ad genua ejusdem essent crassitudinis.*

y *Præ lætitia scilicet ob impetratum beneficium.*

z *Hujus pro reliquis testimonium accipe.* Andreas Capati de Viterbio, alter testis citatus, re-C latus, juratus... dixit, quod de anno præterito, cum Joannes Andreæ ex quadam præambula infirmitate ejus crura essent tumefacta ultra modum, ita quod excedebant tibias, et accessisset ad corpus B. Rosæ, et ante eum in præsentia monialium cum lotura manuum dictæ Virginis lavaret dicta ejus crura sic tumefacta, omnibus circumspicientibus *, recessit tumor, et crura ad debitum modum reducta sunt, tamquam essent quodam corio seu pelle exspoliata; et sanus et liber ex dicta infirmitate recessit. Interrogatus in causa scientiæ dixit: Quia vidit, et præsens fuit, et vidit et cognovit dictum Johannem cum dictis cruribus ita ingrossatis et tumidis, et deinde sanum et liberum et ad naturam suam reductis. Interrogatus de præsentibus dixit: De se teste, dicto Johanne et pluribus aliis, una cum dictis monialibus. *Idem ibidem testatus est Joannes Andreæ, cui contigit. Consentit cum sanctimonialibus abbatissa.*

* i. e. intuentibus

Ex Processu.

CAPUT V.

Incendii periculum a lipsanotheca sua arcet; in medio igne, consumptis reliquis, solum Sanctæ corpus mirabiliter illæsum permanet: in ignem lapsam puellam sanat: naufragantibus subvenit; morbos pellit.

Candela in lipsanotheca ardens relicta, nihil sacro corpori nocet: a

Anno insuper MCCCCXXIX cum cura ostendendi et gubernandi *a* sacrum corpus B. Rosæ commissa esset mulieri venerabili dominæ Margaritæ, in præsentiarum dicti monasterii abbatissæ bene meritæ, et cum cumvenientibus * nonnullis, ut visitarent dictum corpus, vocata esset soror Clara per dictam dominam Margaritam, ut sibi esset auxilio; juxta consuetudinem accensis duabus candelis, a capite una, et alia juxta pedes, patefacto hiis, qui venerant, beato corpore, per incuriam et inadvertenter, discedentibus illis, clausa est cassa, ubi requiescit dictum corpus, per præfatam dominam Margaritam et Sororem Claram, illic accensa dimissa candela, quæ posita erat juxta pedes dicti sacri corporis. Quibus monialibus sic discedentibus, inde per horam reductum est ad memoriam prælibatæ dominæ Margaritæ, candelam accensam ibidem esse dimissam per ipsarum incuriam et oblivionem. Qua ex re sic attonita et tremebunda, accersita ad se dicta Clara, eidem inquit; Clara, Clara, extinximusne candelam illam? Et sic simul cum maxima admiratione accurrerunt ad dictum corpus, et compererunt candelam præfatam accensam intus sic clausam, prout dimissa fuerat per eas moniales, quæ nocumenti nihil aut læsionis illic attulerat, immo ex ea nihil signi apparebat, quod accensa remanserit, præter paululum signi in cassa a parte superiori. Quod naturaliter fieri non potuisset, E nisi miraculose precibus dictæ B. Rosæ, ne ejus corpus sic non * læderetur et combureretur in totum *b*.

* l. convenientibus

* non abundat

b uti nec incendium, quo lipsanotheca ac corporis ornamenta combusta sunt.

85 Tempore etiam DD. Innocentii *c* PP. VI, currentibus tunc MCCCLVII, cassa quædam lignea posita in cappella ecclesiæ B. Rosæ, prout etiam extat in præsentiarum, igne casuali accensa, combusta est una cum omnibus et singulis aliis jocalibus * et monilibus, quibus corpus dictæ gloriosæ virginis Rosæ ornatum erat et circumdatum, hinc undique, infra supraque. Jacebat enim tunc sacratum corpus prædictum in cassa præfata, prout etiam nunc jacet *d*, nec aliquid aliud in dicta cappella remansit incombustum, præterquam venerabile corpus præfatum, quod intactum illæsumque a prædicto igne fuit miraculose conservatum, acsi nullus sibi ignis adhæsisset *e*, cum cetera omnia essent jam in pulverem redacta usque ad vestimenta, quibus coopertum erat corpus prædictum, et monilia, quibus digiti ejusdem Virginis et caput ornatum * erant, prout publica vox et fama est de præfato miraculo in civitate Viterbii, et prout manifeste

* i. e. gemmis vel annulis

* ornata

Ex Processu.

manifeste adfirmabat, vidisse propriis oculis et interfuisse, domina Clara, filia olim magistri Angelini de Viterbio, et monialis monasterii præfati; quæ jam annis viginti octo, vel circa obiit, cum esset maximo senio constituta, pluries tamen in ejus vita id ordinate recensere solita erat pluribus personis, et præsertim dominæ Franciscæ Benedicti *f*, dominæ Margheritæ Paulutii, dominæ Margheritæ Stefani, dominæ Magdalenæ Johannis, dominæ Angelæ Petrutii et dominæ Jacobæ Angeli, tunc et nunc monialibus dicti monasterii, et aliis pluribus Viterbii, prout publica vox est et fama in dicta civitate Viterbii.

Infantem misere ambustam pristinæ integritati restituit.

86 Benevenuta infans, filia Joannis Piccini de Florentia *g*, habitatoris Viterbii, per matrem domi secus ignem relicta MCCCCXLIV, mense Novembris, in eum cecidit puerili more. Quam mater domum rediens, igne filiam pedibus, manibus ac facie combustam aspiciens, dolore immenso perculsa, B. Rosæ auxilium imploravit, ne tam crudeli morte aut obiret filia, aut sic monstruosa viveret, cum ejus facies monstro similis potius, quam humano * appareret. Quibus precibus a B. Rosa exauditis, a periculo mortis evasit puella libera, sine macula ab omni cicatrice et deturpatione faciei; id testificantibus parentibus *h* ejus, vicinis et consanguineis.

* supple vultui

B

Cuidam naufrago opem suam imploranti

87 Anno MCCCCXXII quidam dominus Alfonsus Hispanus, tunc secretarius reverendissimi domini Cardinalis *i* sancti Eustachii, cum Viterbii esset in hospitio coronæ *, a Johanne magistri Anselmi, patrono * dicti hospitii, de ejus mandato ductus est ad ecclesiam B. Rosæ, ubi sequenti mane solemniter celebrari fecit Missam cum quatuor torceis * cereis, plurimisque candelis: in qua genuflexus extitit a principio usque ad finem Missæ. Post cujus celebrationem, cum devote visitaret corpus B. Rosæ, interrogatus a dicto Johanne, ad quodnam hoc faceret, lacrymantibus oculis respondidit * dicens, se maximam gratiam habuisse ab omnipotenti Deo, precibus et meritis B. Rosæ; quod cum esset semel in mari super quadam fuste *k*, tanta et tam horribilis supervenit ventorum tempestas, ut fustis præfata, ubi ipse erat cum aliis, undis et aquis marinis impleretur.

* i. e. sub signo coronæ

* i. e. hero, sive hospite

* i. e. tædis

* respondit

C

apparens, eumdem cum sociis salvum ad portum perducit:

88 Qui cum esset tam prope submersionem, et morti tam horrendæ propinquus, a patrono * fustus et nautis aliis derelictus, cum plures ex ibidem assistentibus essent suffocati, et reliquis nulla spes esset ulterius, idem Alfonsus in tanto mortis periculo constitutus, memor famæ et miraculorum, quæ Deus omnipotens dominus noster Jesus Christus B. Rosæ precibus faciebat, et ostendebat in populis, alta voce devotissime exclamavit, invocans Dei primum omnium creatoris, et deinde ipsius gloriosæ virginis Rosæ auxilium, ut eos a tanta tempestate et periculo liberaret. Cui sic exclamanti statim visibiliter apparuit B. Rosa, dicens: Ne timeas; quia exaudita est oratio tua. Et manibus propriis ipsum capiens cum omnibus in dicta fuste existentibus, qui remanserunt, at portum conduxit salvationis. Qui dominus Alfonsus, antequam de Viterbio discederet, in dicta ecclesia depingi fecit imaginem gloriosæ Rosæ prælibatæ pro ejus devotione *l*.

* i. e. nauclero

item alterum, submersa navi periclitantem

89 Quidam peregrinus, dictus Joannes de Greconio, regni Poloniæ nativitate, sub annis Domini MCCCCLIV, circa finem mensis Maji, cum præ devotione accederet super quadam barca * ad visitandum corpus S. Jacobi *m* de Galitia, ubi plures astabant peregrini ob dictam visitationis causam, et navigaret per regnum Franciæ, juxta civitatem quamdam Bordeos *n* vulgariter nuncupatam, exorta valida tempestate in mari, præfatus Joannes illico cum omni, qua poterat devotione, recommendavit se gloriosæ Rosæ de Viterbio, vovens, se visitaturum ipsius sacrum corpus Viterbii et ecclesiam, ubi requiescit, si a tanto naufragio et periculo, ejus intercedentibus meritis, eriperetur, et evaderet.

D

* i. e. navi

admisso voto, naufragio subducit:

90 Quo voto sic celebrato et emisso, subito barca fracta est et submersa et ab aquis deglutita, una cum decem nautibus, et viginti peregrenis, qui ibidem devotionis prædictæ gratia transvehebantur. Qui Joannes peregrinus præfatus, cum a tanto naufragio et morte sibi vicina, quam ante oculos conspiciebat, aliis sociis et nautis periclitantibus, incolumis et sanus evasisset, dicti ejus sic celebrati voti persolvendi gratia, accessit Viterbium sextadecima die Novembris, MCCCCLV, ut visitaret sacrum corpus virginis Rosæ prælibatæ; et retulit dictum miraculum pluribus ibidem præsentibus et astantibus, videlicet Fratri Ludovico de Gallesio, Fratri Simoni de Viterbio, Ordinis Minorum, Fratri Gabrieli tertiæ Regulæ, et Andreæ Capati de Viterbio, testibus, et ceteris in conventu S. Francisci.

E

item alium submersionis periculo propriis manibus eripit.

91 Anno MCCCCXL Gemino cuidam della Torre Viterbiensi, eunti ad S. Angelum de Apulea *o* præ devotione, vix paulisper obdormienti, de mane ex quadam rimula tecti hospitii, unde sol intrabat super eum, apparuit vigilanti B. Rosa, dicens vulgari sermone: Fac, quod facias te filium Angeli sancti. Cui cum Geminus diceret: Quis es tu? Sum civis tua, Sancta respondidit *: quo dicto, illico disparuit. Qui mane, cum in transitu pervenisset una cum quodam ejus socio ad quemdam fluvium, ex aquarum cujus impetu maximo quasi fuisset suffocatus et submersus, memor visionis præfatæ, quam nocte viderat præcedenti, videns se in tanto periculo constitutum, devote invocavit auxilium ejus B. Rosæ, quæ sibi apparuerat? Quæ sic vocata, illico illic astitit, et manibus apprehendens Geminum, qui revolutus erat per aquas, cum quodam ejus socio, qui eum tenebat, et quasi erant submersi et suffocati, ipsum extra periculum, in quo erant, liberum eduxit. Quod quidem miraculum Jacoba Jacobi, olim dicti Gemini uxor, attestata est, se pluries audivisse a Gemino ejus viro, et præsentibus Antonio, Baptista et Francisco, filiis dicti Gemini.

* respondit

F

Servum in mari tempestatem sedat.

92 Teotonicus *p* quidam mercator Venetiis, cum in mari maximo naufragio conquassaretur, ita quod omnes secum navigantes submergi dubitarent et perire. Cum eis mortis et suffocationis immineret periculum, devote se commendavit gloriosæ virgini Rosæ Viterbiensi, et sic preces mercatoris exaudiri meritæ sunt, ita ut ex tempestate summa in mari appareret tranquillitas, donec ad portum optatæ devenerunt salutis. Qui quam primum Venetias rediit, ubi plurium diversarum rerum mercantiam * exercebat, dictæ Virginis figuram pingi fecit in quadam ejus tabella, quam secum continuo in ejus camera præ summa devotione retinebat. Quam quidem picturam et imaginem, et dicti miraculi relationem, magister Petrus Dominici *q*, Viterbiensis medicus, se vidisse et audivisse a præfato

* i. e. mercaturam

A præfato mercatore, testificatus est.

Viro suo de vita ex morbo periclitanti uxor sanitatem, prævio voto, impetrat:

93 Anno insuper Domini MCCCCXXXV quidam Egidius de Viterbio, contratæ S. Marci, gravissima ac multiplici infirmitate laborabat, cum in modum, quod jam in articulo mortis erat constitutus, nec de ejus vita spes aliqua supererat. Angilella ejus uxor, conversa ad summum Deum et B. virginem Rosam, cujus devotissima erat, eidem flexiis genibus devote supplicavit, et junctis manibus, ut sibi dictum Egidium, ejus virum, restitueret, si pro ejus anima et corpore id melius foret, vovendo et promittendo, continuo jejunare Vigiliam ejus festivitatis. Quo voto sic emisso et facto, illico Egidius præfatus pristinæ sanitati fuit restitutus, præsentibus magistro Antonio Bastario, Jacobo Stefano Viti, Antonio Vitii, macellariis, et Simone Angeli, omnibus de Viterbio testibus *r*.

simile beneficium mater filio:

94 Currentibus annis Domini MCCCCLV, et mense Julii, puer *s* quidam, nomine Dominicus, filius Augustini fabri, de Viterbio, contratæ S. Petri, cum gravissime infirmaretur tribus diebus et noctibus, quasi mortuus apparuit: B itaque nulla spes salutis ejus restabat ulterius. Qui dum sic infirmaretur gravissime, Antonia ejus pueri mater, convertens se ad B. Rosam, promisit ipsum ducere ad ejus venerabile corpus, et ipsum lavare cum aqua et lotura manuum Virginis præfatæ, et dicti pueri collum cingere cordula, cum qua tactum esset ejus gloriosum corpus. Quo voto sic facto, statim fuit sanatus et ex tunc incepit deambulare; qui etiam hodie vivit.

et quidam alter equo suo obtinet.

95 Anno Domini MCCCCLVI, et mense Novembris, equus cujusdam Angelutii de Porchiano *t*, Viterbii commorantis, quasi mortuus jacens destitutus ab omnibus hujusmodi infirmitatum peritiam habentibus. Præfatus Angelutius vovens, se ad B. Rosam dicens: Gloriosa Rosa, quæ numquam me dereliquisti, adjuva me in hac hora, quia si equus reviviscit, tibi in tua sancta ecclesia faciam celebrari unam Missam. Quo voto facto, statim surrexit animal sanum et liberum coram Angelo Tavuglie.

ANNOTATA.

C a *Hæc sacri corporis gubernatio consistebat in lavandis manibus aqua, quæ dein infirmis potanda dabatur: item in induendis vestibus, ostendendo corpore etc.*

b *De miraculo hoc juridice interrogata prædicta Margarita abbatissa, omnes moniales suas testes invocavit.*

c *Hic anno* 1352 *Clementi VI suffectus, universalem Christi Ecclesiam rexit usque ad annum* 1362.

d *In nova scilicet theca, de qua, uti et de ornatu sacri corporis, vide quæ adduximus ex Papebrochii Itinerario in Comment. num.* 50.

e *Sacrum corpus inde aliquam nigredinem contraxisse, diximus ex eodem Itinerario, loco citato.*

f *Vide Comment. num.* 53.

g *Verosimiliter Florentia, incolis* Fiorenza, *urbs primaria Thusciæ vulgo notissima, indicatur.*

h *Verba ex Processu habe.* Joannes Piccininus, de Florentia, habitator Viterbii, testis citatus, relatus, juratus et super sexagesimo tertio *(in Ms. nostro sexagesimum secundum est, quia forte amanuensis unum prætermisit)* miraculo diligenter examinatus, suo juramento testificando dixit, vera esse contenta in eo, in omnibus, prout ibidem descriptum est. Videlicet, quod dicta Benevenuta, ejus filia, per invocationem S. Rosæ, cum domi igne quasi penitus esset combusta, liberata est et sanata a cicatricibus et signis. Interrogatus de tempore dixit; quod jam tredecim anni *(sint)* vel circa. Interrogatus in causa scientiæ dixit: Quia prædicta vidit et præsens fuit. *Eadem hæc jurejurando confirmavit Piccinini uxor Maria*

Ex Process.

i *Fuit is Alphonsus Carillius, nobilis Hispanus, patria Concanus, ab antipapa Benedicto XII, qui XIII dictus fuit, diaconus cardinalis S. Eustachii renuntiatus, postea a Benedicto defecit, adhæsitque Romano Pontifici Martino III, alias V, a quo Cardinalatus confirmationem obtinuit. Obiit Basileæ anno* 1434. *Ita fere Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium tom.* 2, *col.* 745.

k *Ab Italico* fusta, *Latine* myoparo.

l *Subjungo confirmationem relati miraculi ex testimonio præfati Joannis, apud quem hospitatus fuit.* Joannes Magistri Anselmi de Viterbio, ætatis sexaginta quinque annorum, vel circa, E testis . . . juratus . . dixit, . . . quod audivit insuper et vidit, quod jam triginta annis, vel circa, quidam dominus Alfonsus Ispanus, secretarius Cardinalis S. Eustachii, qui in ejus domo hospitatus fuit, cum in mari vi tempestatum navis, in qua ipse erat, periclitaretur, et etiam deducta esset in quemdam periculosum locum, a quo vix evadere poterant: nautes enim omnes desperati de salute, remigia dereliquerant. Memor dictus dominus Alfonsus corporis B. Rosæ præfatæ, et ejus famæ et miraculorum, illi se ex animo recommendavit, promittens, si a tanto periculo liberaretur, quod visitaret ejus ecclesiam, et pingi faceret ejus figuram. Quod votum quam primum effecit, cessavit tempestas; in eodem momento exorta est tranquillitas; et navis, in qua erat, quasi submersa et ab omnibus derelicta, liberata est. Apparuit enim B. Rosa ipsi eam invocanti et clamanti: Beata Rosa, adjuva nos; et ipsum cum aliis sociis in navi existentibus manibus propriis apprehendens, ad portum salutis reduxit. Qui cum venisset Viterbium, in domo Johannis præfati, recensuit dictum miraculum sic sibi contigisse, præsente domina Francisca moniali et pluribus aliis, de quibus non recordatur: et pingi fecit dictam imaginem in ecclesia S. Rosæ, prout hodie apparet, F et dictum votum, prout pollicitus fuerat, exolvit. *Hæc Joannes: quæ Margareta abbatissa confirmavit.*

m *S. Jacobum Majorem intelligit, cujus sacrum corpus Compostellæ in Gallæcia, Hispaniæ provincia, summo peregrinantium concursu colitur. Actum de eo est in Opere nostro tom.* VI *Julii, die* 25.

n *Burdegala, Gallis* Bordeaux, *Italis* Bordeos, *urbs Galliæ Aquitanicæ, ac Guiennæ provinciæ primaria et celebre emporium.*

o Angelopolim, *seu* Fanum S. Angeli *indicat. Est autem oppidum Apuliæ in Capitanata provincia, in summitate Gargani montis situm. In eo visitur sacrum antrum S. Michaëlis archangeli, in rupe montis in modum ecclesiæ excavatum, et toto orbe celeberrimum, eo quod ibidem illustris S. Michaëlis apparitio acciderit. Porro Ecclesia annuam hujus apparitionis memoriam recolit* 8 *Maji: at majores nostri de ea agere distulerunt usque ad diem* 29 *Septembris, qua*

Ex Processu.

qua ejusdem Archangeli festum celebratur. De peregrinis devotionis causa eo confluentibus sequentia habet Eminentissimus Baronius in Notis Martyrologii Romani : Constat quidem fuisse olim frequentissimam ea ex causa *(ob apparitionem)* ad montem Garganum peregrinationem : nam (ut cetera prætereamus) narrat Petrus Damianus, scriptorum integerrimus, Othonem imperatorem Roma ad montem Garganum nudis pedibus perrexisse, idque monitu S. Romualdi, ut crimen paulo ante commissum ea corporis afflictatione expiaret.

p *Id est Teuto, seu Germanus.*

q *En tibi, quæ de illius testimonio habet Processus.* Magister Petrus Dominici, artium et medecinæ doctor, de Viterbio, alter testis . . . dixit . . . quod semel, aliquibus annis jam elapsis, cum ipse esset Venetiis in camera cujusdam mercatoris Theotonici, vidit ibi in quadam tabella imaginem S. Rosæ depictam ; et interrogans dictum mercatorem, quid dicta imago importaret, respondit mercator : quod cum in mari quædam fustis, in qua ipse erat cum quibusdam aliis sociis, vi tempestatum conquassaretur et quasi periret, ita periculum eis mortis ante oculos existens imminebat ; memor dictæ B. Rosæ, illi se præfatus mercator commendavit devote : quo voto facto, illico tranquillitas ex tempestate exorta est, et ex tanto periculo, in quo erat una cum sociis, meritis dictæ Virginis evasit. Ob cujus devotionem pingi fecerat dictam imaginem.

r *Angilella Ægidii conjux, Jacobus Stephanus Viti, et Antonius Vitii, sese oculatos testes profitentur, et Ægidii dicta confirmant.*

s *Non potuit anno* 1455 *admodum puer fuisse, cum anno* 1457 *coram delegatis in hac causa una cum matre præfatum beneficium cum juramento testatus sit : forte prior annus male notatus est.*

t *Forte hic Porcianum indicatur, quod Orlendius in Orbe sacro et profano parte* 2 *pagina* 1294, *statuit ad fontes Arni, Italiæ fluvii, qui in Florentino agro ex Apennino monte oritur.*

C

CAPUT VI.

Præmaturo partu periclitantem, aliosque ex variis morbis moribundos, sanitati subito restituit.

Prægnans emissa immaturi fœtus parte, triduo cruciata animam agebat ;

Donata mulier, filia Nicolai Ciacciæ, et uxor Nicolai, dicti vel Vicario, sub annis Domini MCCCCLV, et mense Julii, cum esset prægnans quinque mensium, et per tres dies ac noctes continuo angustiata, emisit partum abortivum : in quo quia non supervenerunt sibi ea signa, et accidentia, quæ communiter aliis parturientibus . mulieribus solent evenire, secundo die post abortivum prædictum sic emissum, totum ejus corpus ac pectus est tumefactum et inflatum, et instar cimbali tractum et æquatum ; prægnans enim erat mensium quatuor, et incensissimis doloribus ultra dodum affligebatur. Ex quorum anxietate partum abortivum emittere conata est sub hac forma ; videlicet quod emisit bracchium totum integrum prius, residua parte corporis remanente per tres dies in ejus visceribus ; quibus doloribus omni humano destituta erat auxilio. Quo factum est, ut tertia inde die ad ultimum vitæ suæ cum se jam devenisse cognosceret, accersito ad se quodam Luca Caprino Viterbiensi, Tibi omnes hos meos, ait, filios commendo, ex quo * eorum pater abest.

** i e quamdiu*

quam pater mortuam credens,

27 Quibus dictis, supervenit paulo post Nicolaus Ciacciæ, pater dictæ Donatæ ; qui cum maxima lacrymarum habundantia mulieri ægrotæ, quæ instar obdormientis pueri, clausis oculis ad mortem tendere videbatur, inquit : Dulcissima filia mea, spes oculorum meorum, ex caritate et amore mei miseri patris tui, aperi oculos parumper. Quæ verba adinstar pueri plorantis cum pluries iterasset, commota filia pietate paterna, oculos aperuit. Ex quo actu ibidem omnes astantes uno ore laudaverunt Deum ; cum eorum nullus existimasset, eam ulterius vivere ; frigida enim erat jam effecta per universas corporis partes, et jam ultra modum inceperat instar mortui et sepulti cadaveris *. Cui cum pater iterato diceret : Carissima filia mea, hanc a te gratiam volo et expostulo, postquam te jam miseram conspicio ad extremum punctum vitæ devenisse, nisi vis, me tecum mori, ut mihi respondeas.

** forte omissum est livere vel quid simile,*

argenteum anathema S. Rosæ vovit, voto facto, extemplo salva surrexit.

98 Cui cum semimortua mulier nullum responsum daret, nec signum verbi faceret ; facto voto per dictum ejus patrem omnipotenti Deo et B. gloriosæ virgini Rosæ, quod, si anima rediret in mortuum corpus seu cadaver, (mortua enim penitus existimabatur) deferret ad ecclesiam dictæ B. Rosæ votum quoddam argenteum. Mira res est et præter omnium opinionem, hiis dictis et voto emisso, mortua sic mulier illico inquit : Et offero etiam induere et mecum deferre ejus sanctum habitum *a* per quatuor menses ; addens insuper præfata mulier : Mi pater carissime, sana sum et liberata ; etiam volo surgere, cum residuum dicti partus emisisset : et surrexit. Qua etiam hodie vivit, omnibus ibidem astantibus obstupescentibus et glorificantibus Deum et B. Rosam de tam solemni ac maximo miraculo. Præsentibus ibidem Luca Caprino, presbytero Nardo, sanctæ Crucis, ejus patrino, Johanne et Mariotto Nicolai Ciacciæ et Nicolao Ciacciæ *b* et Petro Paulo Cucumelle *c*, testibus.

Moribundi,

99 Dominicus insuper ex Constantia genitrice et patre Maximo genitus, contratæ S. Marci, cum esset puer ætatis annorum quatuor, in tanta infirmitatis fuit agonia, ut cum nec bibere posset aut comedere, in articulo mortis videbatur constitutus ; ita ut continuo videretur ad transitum anhelare, ut vulgariter dicitur. Invocata tamen per Constantiam, ejus genitricem, B. Rosa, et illi cum devotione facto voto, mirabiliter est liberatus et ad salutem est restitutus. Id testificatur ejus mater Constantia *d*.

post nuncupata vota

** alibi* de bocca infure

100 Repræsenti anno MCCCCLVII, cum domina Nicola mulier, dudum Silvestri, vulgariter dicti de Bocca insula *, uxor, contratæ S. Marci, cum pro Petrucio *e* quodam ejus affine ac conjuncto, letaliter infirmo et ægroto, ad B. Rosam oraret pro ejus salute, illi vovens ac promittens certum votum ; miraculose, facta oratione, in illo puncto incepit febris declinare, et

A et sanatus est paulo inde. Id testificatur dicta domino Nicolai.

aut epotam aquam, qua Sanctæ manus ablutæ erant, f

101 Dominicus Augustini Baptistæ, de Aretio f, cum annorum esset duorum cum dimidio vel id circa, et præ quadam longissima infirmitate esset semimortuus et quasi ad ejus vitæ spiritum deductus esset extremum, per Caterinam, ejusdem Dominici pueri ægrotantis maternam aviam, ad corpus virginis Rosæ deductus est. Cui * quam primum ebibenti parum aquæ loturæ manuum dictæ virginis Rosæ, illo instanti sine mora, aqua vix ebibita et deglutita, sanus est effectus, uti ante dictam infirmitatem extiterat. Id testificatæ sunt Antonia pueri mater, Augustinus pater et Caterina avia.

* *lege* Qui ebibens

subita sanitate donati.

102 Laurentius quidam, Angeli Longi filius, cum ætatis esset anni unius, vel id circa, MCCCCXLVIII, contratæ S. Mariæ in Podio, de Viterbio, et magna febre detentus, in tantum, quod morti magis, quam vitæ vicinus existimaretur ac propinquus, lactantium infantium more dictus fuit per dominam Lodovicam, ejus genitricem, ad ecclesiam B. Rosæ virginis præfatæ. B Cui per vim ubi est datum ad ebibendum et deglutiendum tantillum aquæ loturæ manuum ejus, eodem momento illo instanti sugere lac incepit et resipire *. Id testificati sunt Lodovica mater et Angelus pater.

* *i. e.* convalescere

Alii periculose decumbentes,

* *alibi* Nannis

103 Anno insuper MCCCCLIII, Johannes Jacobæ Giannis * filius, contratæ S. Andreæ, de Viterbio, tunc quinque mensium infans, infirmus taliter consumptus erat, quod semimortuus ad viam universæ carnis tendebat. Tandem facto voto per ejus matrem ad B. Rosam, resipivit puer et sanatus est. Id testificatur dicta domina Jacoba, ejus mater, et domina Antonia, Sanctis sutoris uxor g.

g

facto voto, h

104 Quædam puella semimortua, trium annorum ætatis, vel circa, Antonii de Reate h civis Viterbiensis filia, cum magnopere quadam ejus infirmitate gravaretur, ita quod ab omnibus moritura adjudicabatur. Pectus enim ejus continuo sine cessatione anhelitus pulsare videbatur, et angustiose anhelitum emittere : oculos habebat elisos et mortuos, cum crocei essent. Facto tamen voto puellæ *, et illa recommissa præfatæ virgini Rosæ, convaluit, et est liberata. Id testificatur dicta domina Lucretia, ejus mater, et C domina Margarita Nicolai Nannis, mater Lucretiæ i.

* *i. e.* pro puella

i

aut adhibita

105 De anno proxime præterito MCCCCLVI, et mense Augusti, puer quidam, nomine Johannes Laurentius Magnardi, ab omnibus medicis diffidatus * et penitus desperatus de ejus vita, cum per dies viginti stetisset cum oculis clausis et coopertis, nec aliquem cognosceret : dominæ Angelinæ, ægrotantis pueri genitrici, persuasum est, ad quam pueri cura magis spectabat, a quadam ejus convicina, ut puerum lavaret cum aqua loturæ B. Rosæ, et eam postea puero ebibendam traderet ægrotanti, cum devotione et reverentia. Quod dum effecisset, puer in illa hora convaluit, oculos aperuit, et sanatus est. Id testificatur domina Angelina ejus mater.

* *i. e.* depositus

prædicta aqua,

106 Marianus Tomai Magdalenæ, contratæ S. Faustini, cum ad mortem letaliter infirmaretur; itaque de ejus salute erat penitus desperatum, nec quisquam medicorum ad dictam infirmitatem expellendam ipsum juvare poterat. Una dierum cum sic puer ægrotans in lecto jaceret, audivit genitricem dominam Petrutiam, cadum vini ad monasterium dictæ B. virginis Rosæ mittentem devotionis gratia, quam erga illum venerabilem locum pro sacrarum modialium et matronarum ibidem consistentium residentia gerebat; inquit matri : Genitrix dulcissima, et ego volo mittere alium cadum vini ad dictum venerabile monasterium, ut præfata gloriosa Virgo dignetur me a tanta infirmitate eripere et liberare; et sic liberabit me a morte. Quo cado vini illuc emisso, et lotura manuum dictæ Virginis reportata et ægrotanti puero ad bibendum tradita cum devotione, ex miraculo omnipotentis Dei, aqua vix deglutita, ægrotus convaluit et ad sanitatem pristinam restitutus est. Ita testificatur Petrutia Tomai, ejus mater.

Ex Processu.

107 Bartolomeus quidam Lombardus, habitator Viterbii, cum MCCCCLIII ad mortem esset infirmus et prope horam mori expectaretur, in quodam hospitali Viterbiensi, delato sibi cingulo sive cordone B. Rosæ per quemdam puerum, et illo cum devotione sibi accincto, illico convaluit : et id testificatur idem Bartolomeus.

aut cingulo, in sanitatem prodigiose restituti.

E

108 Cum domina Angela S. Valentini, S. k Scolarii uxor, contratæ S. Faustini, haberet quamdam filiam, ætatis quinque mensium, quasi mortuam ex quadam magna, quam patiebatur, infirmitate, ex qua quasi ad ultimum vitæ devenerat spiritum, nec sibi propter ejus infantilem ætatem medico opus esset : vovit eam dicta Angela ejus genitrix, ut, si a tam horribili contingeret evadere infirmitate, quod celebrari faceret unam Missam in honorem et gloriam omnipotentis Dei et præfatæ B. Rosæ, in ecclesia, ubi sanctum ejus corpus requiescit. Quo voto vix emanato *, cessavit infirmitas, et puella jam semimortua, ad ejus primam est restituta sanitatem. Id testificatur dicta domina Angela.

Mater vovens Missam, infanti moribundæ sanitatem subito impetrat. k

* *i. e.* emisso

ANNOTATA.

a *Tertiarium S. Francisci, opinor.*

b *Omnium præfatorum testimonia, uti et ipsius Donatæ, in Processu legere est : duorum in confirmationem tam prodigiosæ curationis libet hic subnectere. Itaque in Nicolai Ciacciæ, patris Donatæ, responso juridico hæc lego :* In personam cujusdam Donatæ filiæ suæ, gratiam dictæ Virginis miraculose suscepit : quæ cum prægnans esset de MCCCCLV et mense Julii, infinitis doloribus angustiata per tres dies, cum partum non posset emittere, et medietatem emisisset, et F ejus corpus instar cimbali inflatum esset, in tantum, ut frigida et quasi mortua esset, et funeralia pararentur, cum oculi essent clausi, et nihil ulterius superesset spiritus, ab omnibus derelicta : facto voto ad B. Rosam, eodem instanti, in ictu oculorum, aperti sunt oculi mortuæ mulieris, partum emisit et eodem momento sanata est miraculose etc. *Hucusque pater.*

c *Ipsius testimonium sic sonat :* jam duobus annis elapsis, vel circa, ipse interfuit, quando Donata filia Nicolai Ciacciæ et uxor Nicolai Vicarii, prægnans et in periculo mortis constituta per tres dies, cum partum ejus emittere non potuisset, nisi pro medietate; et tamen facto voto, meritis et intercessionibus dictæ B. Rosæ, licet frigida sine spiritu et mortua videretur, cum jam fœtesceret, in eodem momento residuum partus abortivi emisit, et sanata est miraculose præter omnium opinionem.

d Constantia Mascini *vocatur in suo testimonio, in quo totidem fere verbis beneficium relatum*

Ex Processu. *tum asserit. Idem confirmat ibidem Constantiæ genitrix.*

e *Vocem hanc divinare debui, cum dubio maxime charactere expressa sit.*

f *Aretium (incolis* Arezzo*) antiquissima Italiæ civitas, quippe quæ olim ante Romam conditam inter duodecim Etruriæ primaria capita recensebatur; monti imposita est, iu agro Florentino.*

g *Idem sub juramento asseruit Angelus Longus, pueri genitor.*

h *Civitas Italiæ, ditionis Ecclesiæ, in Umbriæ provincia, sita est ad Velinum* (il Velino) *fluvium in confinio regni Neapolitani et Aprutii ulterioris, inter Aquilam ad Ortum et Narniam ad Occasum. Ita fere Baudrandus.*

i *Quibus accedit Nicolaus Nanni, pater Lucretiæ.*

k *S. per abbreviationem posita est pro Italico* ser, *id est* Magister. *Porro* scolarius *forte ludi magistrum significat, nisi fuerit cognomen proprium.*

B

CAPUT VII.

Neglectum votum vindicat; varias infirmitates sanat; corpus suum a furibus immune servat; sanguinis fluxum, aliaque mala tollit.

Infans ob neglectum votum infirma, impleto voto convalescit.

Mulier quædam, nomine Luminata, contratæ S. Johannis, parturiendi libere et sine periculo gratia, cum vovisset, partum ex ea emittendum et oriundum, si veniret in lucem vivus, et femina esset, illum denominare nomine dictæ B. virginis Rosæ; et natus partus et femina sub alio nomine esset baptizata et denominata, puella sic nata non aliter se consumebat, quam candela aut cera apud ignem, instar salis tepidæ aquæ appositi. Ducta tamen præfata puella semi-adusta et consumpta, ad B. Rosam, et denominata Rosa propter ejus reverentiam, eodem temporis concessu *a*, quo ducta fuit puella ad virginem Rosam, ad bonam valetudinem infirmitas tendere incepit ac converti, et de brevi puella sanata est, prout Nicolaus Ciulpe, ejus vicinus, est testificatus.

C

a

Graves infirmitates,

110 Angela quædam, puella, filia ser Francisci ser Nicolai, gravissime ex febre et doloribus ad mortem infirma et anhelans, facto voto per ser Franciscum ejus patrem, eodem instanti sanatur meritis dictæ virginis Rosæ. Ita testificatus est idem ser Franciscus *b* et ejus mater.

b

invocata, Sancta

111 Anno insuper Domini MCCCCLI, cum Jacobus magistri Oddonis, de Viterbio, rediens ex insula Ciciliæ *c*, in mari magna infirmitate detentus fuit, in tantum, quod numquam se domum vivus * redire existimabat. Convertens tamen ejus mentem ad dictam virginem Rosam, supplicans, ne contingeret, ipsum extra patriam mori et nudum ignota arena jacere, eodem momento sic emisso voto, incepit convalescere, ita ut sequenti die cum ad portum Corneti *d* applicuisset, sanus et liber ex navi in terram prosiliit *. Ita idem Jacobus est testificatus *e*.

c

* *lege* vivum

d

D

* *l.* prosilierit

e

depulsæ :

112 Mulier quædam, nomine Caterina Petri Ennis, cum haberet quemdam filium, ad mortem ægrotum et destitutum pene ab omnibus, cum spes nulla de ejus vita jam ulterius superesset, credebat enim, omnino illum de proximo moriturum; cum male vigil requiesceret et prius longe obdormiens. Tandem cum noctu paululum aut nihil obdormiens, illico vocem emisisset, quasi sic in somnis dicens : O virgo gloriosa B. Rosa, tibi filium meum recommendo. Quo voto sic, ut supra, emisso, ubi prius de vita pueri per genitricem ejus esset desperatum et alios omnes, ita convaluit puer et resipivit * et febris recessit, acsi numquam mali aliquid habuisset. Id testificatur ejus mater.

* resipuit *sive* convaluit.

proles impetrata.

113 Mulier domina Felix dicta, Boni filia, Antonii Rubei de Viterbio uxor, MCCCCXXXVI, tunc uxor Marci Lucæ de Bussis, per duos annos cum ex ejus viro Marco concipere non posset, genuflexa multis suspiriis et lacrymis ad B. Rosam oravit, dicens : O gloriosa Rosa, si gratiam hanc mihi feceris, ut ex viro meo masculum concipiam vel feminam, partum ad tuam referam ecclesiam, illum, cujuscumque *f* sit sexus, tuo sancto nomine nuncupabor. Quo voto sic emisso, infra dies quindecim ab ejus viro gravida facta est. Quæ cum tempore suo filium peperisset, illum, juxta voti facti obligationem, Marcum Rosatum denominavit *g*.

E

f

g

Apparens noctu quibusdam ascetriis, corpus suum servari jubet :

114 Anno MCCCCLI, obdormientibus noctu cuilibet in ejus * cella, dominæ Margaritæ abbatissæ *h*, dominæ Angelæ *i*, sorori Caterinæ, sorori Serafinæ, sorori Drusianæ, monialibus monasterii præfati, apparuit B. Rosa cuilibet de per se dicens : Guardatemi, che due vermi mi rodono la spalla dritta *k*. Post quam visionem, congregato capitulo monialium, et ea omnibus patefacta, obstupefactæ singulæ moniales sese de mandato abbatissæ in orationem posuerunt, devote orantes lacrymosis oculis Deo * et B. Rosæ, ut eis declararetur in virtute Dei omnipotentis, quid sibi vellet hoc somnii. Quæ virgo B. Rosa nocte sequenti apparuit iterum Drusianæ, dicens : Si me cras rogabitis, quid significet somnium hujusmodi, patefaciam.

* *lege* sua

h

i

k

* *lege* Deum et B. Rosam

F

quæ deinde comperiunt, fures frustra conatos fuisse sacrum corpus auferre.

115 Clarescente deinde jam die, cum magister Antonius Mattei Denanzi et Petrus Faccende, Viterbienses, venissent ad visitandum dominam Magdalenam, dicti loci monialem, eorum consanguineam, compererunt gratam *l* ferream quasi a suo loco remotam et evulsam violenter, quasi clanculum per impetum quis voluisset illam aperire. Quæ signa animadvertentes moniales, et subtiliter investigantes, invenerunt manifeste, quod nonnulli spiritu diabolico instigati, prædictas reliquias venerabilis corporis gloriosæ Rosæ prælibatæ inde auferre quærebant et ad aliam ecclesiam et locum transferre : quod revelatum fuit et ad lucem deductum per apparitionem et visionem gloriosæ virginis Rosæ, ut supra, factum miraculose.

l

Graviter ex gutture laboranti incolumitatem spondet et præstat :

116 Domina Petrutia, uxor s'Valentini ser Fredi de Viterbio, contractæ S Blasii, MCCCCXXV, mense Septembris, septem mensibus in gutture ita passa est, ut dicto tempore nihil præter aquam cum cuccaro *m* et ovi vitello potuerit deglutire. Quo factum est, ut penitus consumpta esset et annihilata *. Nec medicorum quisquam sibi poterat prodesse. Cui noctu obdormienti mulier quadam, alba veste induta, apparuit,

m

* *i. e.* extenuata

A apparuit, dicens: Petrutia recommitte te B. Rosæ, quæ facit quotidie mille gratias et miracula; quæ juvabit et liberabit te ab ista infirmitate. Quæ jam a somno excitata, memor dictæ visionis, vovit, se B. Rosæ, visitare ejus ecclesiam et ibidem celebrari facere Missam unam solemnem, visitare ejus sanctum corpus cum uno cereo: quæ post sanctum votum immediate convaluit et sanata est *n*.

n

apparens mulieri ulcera sanat: o

117 Anno MCCCCLV Gemma Dominici, de Monte Leone *o*, habitatrix Viterbii, patiens in mamilla quinque ulcera, seu plagas, apprime horribilia, quæ nulla medicina aut humano auxilio curari poterant. Commendans se tamen humiliter Deo et B. Rosæ, inquit: Gloriosa et beata Rosa, si vera sunt, quæ de te dicuntur, adjuva me a tanto dolore ac periculo. Quibus dictis, statim obdormienti paulisper apparuit Gloriosa, dicens: Ex quo te mihi commendasti, scias, in tua excitatione te sanam fore. Quæ excitata,
B se ex dicta infirmitate liberam et sanam apparuit *.

* *lege* compe-rit

alterius fluxum sanguinis sistit. p

118 Quædam domina Petrutia, uxor quondam Antonii Nannis, de terra Aquæpendentis *p*, provinciæ Patrimonii, cum pateretur fluxum sanguinis, a qua quidem fluxus infirmitate nulla medicina aut medicorum subsidio liberari potuit per tres menses: celebrato tamen voto dictæ B. Rosæ, de visitando ejus corpus cum debita reverentia, omnipotens Deus, dictæ B. Virginis precibus et meritis, præfatam Petrutiam dicti fluxus infirmitate liberavit. Quæ jam sana effecta vivit *q* adhuc, in dicta terra Aquæpendentis moram trahens.

q

Idem beneficium prægnanti,

119 Angela mulier quædam, uxor Forlani, de Viterbio, sub annis Domini MCCCCXXX prægnans, eum pateretur maximas angustias et dolores cum torsione corporis, superveniente maximo sanguinis fluxu, de ejus vita nulla erat spes ulterius, cum singula tenderent ad mortem. Quæ in tam repentinis motibus et signis mortiferis, cum sola esset in ejus vinea semiviva extra muros Viterbii, elevans mentem ad Deum omnipotentem et ejus B. virginem Rosam, eidem cum humillime pro ejus salute et liberatione supplicaret, statim fuit liberata. Quæ etiam hodie vivit *r* cum ejus familia, præsente Angilella Egidii Marci Gualdi et Caterina Jacobi Cecci Bianchi.

r

item alteri confert.

C 120 Item, quod de anno MCCCCL, dum quædam domina Caterina, uxor quondam Antonii Æascie, de Viterbio, contratæ S. Egidii, fluxum sanguinis passa esset per tres menses, nec in aliquo per medicorum quempiam juvari posset, accessit ad ecclesiam B. Rosæ in die ejus festivitatis. Cui dum officium diceretur et prædicaretur, sese humiliter recommisit, non sine lacrymis vovens et promittens, se in ejus Vigilia perpetuo jejunaturam et ejus solemnitatem diem solemnem custodire, si ex dicta fluxus infirmitate liberaretur. Quo voto facto, illico sanata remansit a fluxu prædicto *s*.

s

Sanguinis ex ore profluvio in extremis positæ apparet, eamque penitus sanat: t

121 Cujusdam monialis dicti monasterii, nomine Geronimæ Antonii, de Civita Castellana *t*, MCCCCLII per mensem continuum cum sanguis ex ore exire et fluere non desisteret die noctuque, ita ut nullo pacto posset quiescere, cum nec sibi aliquid posset prodesse, desperatæ posse sanari, extremam habuit Unctionem cum omnibus Sacramentis Ecclesiæ. Cui in tanta anxietate constitutæ, noctu dormienti apparuit B. Rosa, dicens tribus vicibus: Jeronima, agnoscis me? Quæ cum respondidisset *: Ego te vidi, sed te non cognoso. Cui cum B. Rosa respondidisset: Ego sum beata Rosa: tribus vicibus se ex somno excitavit, et apertis oculis, tantum sanguinis a naribus exiverat, ut jam per terram inde longe discurrisse videretur. Expergefacta tamen, memor visionis hujusmodi, precibus dictæ Beatæ sensit se penitus liberatam miraculose, licet tunc vigeret pestis in civitate, itaque vix aliquis infirmus sanabatur: et licet sanguinis tantum exiverit, quod lectum perforaverit.

Ex Processu.
* respondisset

puellam a fluxu sanguinis ac febri hectica,
* *alibi* Franciosi

122 Anno insuper Domini MCCCCXLVII, cum puella quædam, nomine Johanna Francisci *, castri Capresis *u*, provinciæ Tusciæ, habitatoris Viterbii, fluxus sanguinis et febrem ethicam *w* per aliquos menses passa esset; quæ ita ejus nervis et ossibus eradicata *x* erat, ut nullo pacto posset ab ea eradicari; Antonia ejus genitrix *y*, cum famam B. Rosæ Viterbiensis et ejus miraculorum sensisset, puellam ægrotam præfatæ Virgine devote commendavit: quo voto et precibus sic, ut supra emissis, illico puella sanata est.

u
w
x
y

E

mulierem a cordis cruciatibus liberat.
* *alibi* Maccaroni

123 Anno Domini MCCCCLIII, Angilella Antonii, alias Maccarone *, uxor Jacobutii Gerardi, de Castro Ronciglione *z*, mira cordis suffocatione et pœna cum vexaretur, se vovit gloriosæ virgini Rosæ, promittens visitare ejus corpus et celebrari facere Missam. Quo voto facto, in continenti se sensit a dicta pœna exgravari *, et sic sanata est *aa*.

z
* *i. e.* levari
aa

ANNOTATA.

a *Vox hæc videtur ab amanuensi mendose descripta. Substitue* momento, *et sensus erit integer.*

b *Testimonium ejus sic habet:* Cum quædam Angela, ejus filia, gravissime ex febre et capitis dolore tenderet ad mortem, facto voto ad B. Rosam, in eodem instanti sanata est. Interrogatus in causa scientiæ dixit: Quia prædicta vidit et præsens fuit.

c *Sicilia, Italiæ in mari mediterraneo insula, vulgo notissima est.*

d *Baudrandus aliique Cornuetum (Italis* Corneto) *statuunt in Hetruria, in provincia Patrimonii S. Petri, ad Martham* (la Marta) *fluvium, in ora maris Tyrrheni: estque urbs episcopalis, sed episcopatui Monte Flasconensi perpetuo unita, ut tradit Ughellus in Italia sacra, tom.* 1, *col.* 983, *Orlendius in Orbe sacro et profano, aliique.* F

e *Verba accipe.* De MCCCCLI, ipse testis cum rediret per mare ex insula Ciciliæ, et gravissima infirmitate detineretur, itaque vix sibi parum anhelitus supererat aut spiritus: conversus tamen in ejus mentem ad B. Rosam, se illi devote commendavit. Quo voto sic emisso, in eodem instanti convalescere incepit, ita ut sequenti die, cum ad portum Corneti applicuisset, liber et sanus a dicta infirmitate in terram prosiluit. *Lege* prosiluerit.

f *Ita correxi: in apographo enim nostro mendose legitur:* cujus numquam sit sexus.

g *Rem ipsa testis sic exponit:* Cum ipsa, jam viginti annis elapsis, nupta esset Marco Lucæ de Bussis, nec ab eo per tres annos, quibus secum fuerat, potuisset ingravidari, ob quamdam naturæ impossibilitatem, licet ipsa pluries medicorum medicinas experta esset, et tamen semper

Ex Processu.

semper sterilis reputabatur. Facto tamen voto ad B. Rosam, paulo inde ex post ex dicto Marco concepit, ex meritis dictæ B. Rosæ. *Deinde dominam Angelam Lucæ de Bussis, socrum suam, testem citat, quæ suo etiam juramento nurus suæ dicta confirmavit.*

h Interrogata super octuagesimo octavo *(miraculo, quod apud nos tantum est octogesimum sextum, quia duo omissa videntur)* de apparitione B. Rosæ in visione certis monialibus, qualiter debebat inde furtive subtrahi et admoveri * : dixit, vera esse contenta in eo. Interrogata in causa scientiæ, dixit, quod prædicta vidit. *Ita Processus.*

* *lege* amoveri

i *Hæc non nisi generaliter abbatissæ ac duarum monialium dicta confirmavit.*

k *Italica verba sic verto Latine :* Custodite me ; nam duo vermes mihi corrodunt humerum dexterum. *Per duos vermes, sacrilegos duos fures significat, qui a dexteri humeri parte clathros perfringere tentabant.*

l Grata *vox Italica, clathros significat. Vide, quæ num. 50 ex Papebrochii Itinerario notavimus in Commentario.*

B

m *Mendose scriptum videtur pro* zuccaro, *Latine* saccharum.

n *Ita ipsa juridice testata est.*

o *Vide annotata ad num. 42, lit.* i.

p *Acula, seu Aquula, urbs Hetruriæ, in provincia Patrimonii.*

q *Susceptum beneficium Petrutia ipsa, jurata asseruit.*

r *Prout ex ejus testimonio liquet, in quo hæc lego.* Item dixit, quod jam viginti octo annis, vel circa, cum ipsa prægnans pateretur maximas torsiones cum fluxu, et semel in ejus vinea supervenirent sibi dicti dolores, ita quod quasi mortua dijudicabatur : conversa ad B. Rosam, illico sanata est, prout in miraculo nonagesimo secundo *(apud nos nonagesimo)* continetur. *Interrogata de* præsentibus dixit, de se, Angilella Marci Gualdi et Caterina Bianchi. *Hinc nota, quod dum superius* sola *in vinea fuisse dicitur, vel commode accipi debeat, vel quod prædictæ duæ testes sic laboranti supervenerint.*

s *Miraculum illa ipsa juramento confirmavit.*

t *Italiæ oppidum est in provincia Patrimonii.*

u *Verosimiliter* Capras *Hetruriæ pagum denotat, quem Ferrarius in Lexico* Capresi *appellat, statuitque apud montem Alvernum, non procul ab ortu Tiberis.*

C

w *Vox Italica febrem hecticam significat. Est porro febris hectica periculosa et continua, calorem solidum substantificum et radicalem, ut loquuntur medici, consumens.*

x *Lege* radicata, *a verbo* radicare, *id est, radices agere, sumiturque hic metaphorice pro inhærere.*

y *Quæ miraculum hoc testata est.*

z Roncilio, *oppidum Italiæ, in provincia Patrimonii, et tractus cognominis caput, situm est ad amnem Faliscum, decem milliaribus Italicis distans Viterbio, teste Baudrando.*

aa *Ita ipsa jurata asseruit.*

D

CAPUT VIII.

Vitam militi servat, dissidentes componit, partu periclitantibus subvenit, febres arcet.

Militem a nece servat :

Currentibus annis Domini MCCCLXX, stante bello Viterbiensi cum Brictonibus *a*, quidam Matteus Dominici Transimundi, contratæ S. Marci, cum esset extra muros Viterbienses, præfati Brictones inimici insurrexerunt in eum et ipsum sunt insequuti ; donec unus ex eis eques prosiluit super eum, in terra jacentem, cum ejus equo, ut ipsum occideret : et eo sic semimortuo relicto, cum invocasset B. Rosam, discessit eques stipendiarius, ipsum mortuum existimans. Quo fit, ut nocte sequenti apparuit * B. Rosa cuidam mulieri, dictæ Menicæ, dicens ei, ut moneret *b* matrem præfati Mattei, ne permitteret eum ulterius exire, quia, licet evaserit illa vice, non evaderet alias in futurum.

* apparuerit

E

concordiam inter dissidentes mox componendam prædicit :

125 Mariottus quidam Silvestri Boccaifuse * longa inimicitia obnoxius * cuidam Raffaëli Sanctori de Viterbio : de quo Mariotti præfati mater plurimum dubitabat *, ne sub aliquo quæsito colore Mariottum, ejus natum, interciperet. Noctu vovendo se dicta domina Nicola, ejus mater, B. virgini Rosæ, et inde paulisper obdormienti genitrici apparuit virgo Rosa præfata, illi nunptians sic : Quia sequenti mane fiet pax, esto boni animi. Quo facto, albescente jam die, Mariottus et Raffaël pacem fecerunt, prout noctu viderat mater in visione ; de qua pace penitus erat desperatum. Id testificatur Mariottus et præfata ejus mater, domina Nicola.

* *al.* Rocca infuse
* *adde* erat
* *i. e.* timebat

fugitivum filium feliciter reducit.

126 Antonius Dominici, alias Cortopasso, de Viterbio, contratæ S. Marci, MCCCCXLVIII turbatus recessit et se stipendiariis quibusdam commisit, prout vulgariter dicitur, al soldo *c*. Quem pater affectu paterno motus, undique prosequutus est. Quos patrem et filium cum quædam nomine Rosa, eorum consanguinea, longe tempore *, redirent, expectasset, vovit B. Rosæ, se per mensem visitaturam ejus sacrum corpus, si sanus rediret pater cum filio. Quo voto facto, mira res ! sequenti die sani cum lætitia reversi sunt pater et filius.

F

* *supple* ut

Puerperio laborans, imposito corpori funiculo, feliciter enititur :

127 Item quod, cum nobilis mulier domina Johanna, uxor strenui viri Jacobi de sancto Gemino, esset in partu, quo adeo doloribus et angustiis oppressa erat, quod * nulla sibi medicina ad emittendum partum poterat * prodesse. Statim tamen, imposita ejus corpori cordula, quæ corpus ipsius gloriosæ Rosæ tetigerat, et ejusdem auxilio cum maxima devotione et reverentia invocato, peperit, et sic liberata et sanata fuit et est.

* *lege* ut
* *lege* posset

prægnans vovens ferre Sanctæ funiculum, doloribus eximitur :

128 Mulier quædam, nomine Francisca Herculani, et uxor Antonii Colecte, de Viterbio, MCCCCXLIII prægnans quinque mensium, adeo doloribus erat oppressa, quod necubi * requiescere poterat propter dictos dolores, quos quasi per dictos quinque menses continuo passa fuerat. Quæ in tanta anxietate et angustia constituta, quam primum se humiliter vovit Deo et B. Rosæ, deferre

* *l.* nullibi

A ferre ejus cordulam accinctam, est sanata et liberata. Quæ etiam advenientibus diebus parturiendi, peperit sine angustia et dolore.

in puerperio laborans, epota laudata aqua, enititur,

129 Anno mccccl, mensis Aprilis die iv, Francisca Nardi de Maltempo, de Viterbio, parochiæ S. Mariæ in Podio, prægnans, in tempore parturiendi gravissimos dolores et incensas anxietates per dies quatuor et noctes totidem continuo passa est, nec parere poterat; ita ut quasi de vita dubitaretur. Quæ in tot languoribus constituta et anxietatibus, B. Rosæ auxilium imploravit, petens a circumstantibus, sibi loturam gloriosæ Rosæ deferri. Quam cum ebibisset, illico partus exire incepit, licet turbato ordine: quia primo exiverunt nates, secundo pedes, postea manus et ultimo caput. Quia partus quasi videbatur semimortuus. Cum mulieres tres, Vitorbese videlicet, Antonia Franciosi et Bartolomea Baptiste Nerii, ibidem astantes, insufflare *d* ceperunt in ejus auribus, continuo invocando auxilium B. virginis Rosæ pro matris et infantis salute. Licet puer ita itheroclito *e* modo et turbato ordine natus appareret, dicto B. Rosa patrocinante, fuerunt et sunt liberati.

B

alia difficili partu levatur.

130 Paulina, uxor magistri Angeli, de Perusia *f*, habitatoris Viterbii, contratæ S. Lucæ, cum mccccli tempore partus magnis doloribus opprimeretur duabus diebus et totidem noctibus, nec parere posset, itaque de ipsius vita dubitaretur, precibus tamen B. Rosæ filium peperit *g*.

Periclitans puerpera emittendæ proli vitam, donec baptizaretur, impetrat:

131 Anno mcccclIII, cum Laurentia quædam Johannis, dicti de Vacoduva filia, Viterbiensis mulier, prægnans esset et præmature magnis premeretur doloribus et angustiis; ita ut partem nullo pacto mundi posset emittere, quem in visceribus suis sentiebat quasi divisum: se tamen cum summa humilitate recommendavit gloriosæ virgini Rosæ, cui mulier hæc eviscerata *h* dedita erat et devota, ut tantum sibi gratiæ dignaretur impertiri, ut oriundus ex ea fœtus ad minus in tantum viveret, donec sacrum baptisma posset suscipere, pro sanctæ fidei ortodoxæ et Catholicæ zelo et magno affectu. Quas preces et vota quam primum emisit, peperit: licet quodam modo fœtus in frusta videretur divisus, illi tamen tantum erat ac superfuit spiritus, donec sacro baptismate fuit baptizatus. Idem testificata fuit dicta Laurentia.

C

item aliæ post multos dolores,

132 Domina Margarita, uxor Johannis Veltri, contratæ S. Sisti, cum sub mccccxxxvii in partu gravissime laborasset per tres continuos dies et ultra, nec quovis pacto aliquo medicorum et humano subsidio partum posset emittere, quam primum se commendavit B. Rosæ, in eadem hora facti voti peperit et sanata est, acsi mali nihil unquam habuisset. Id testificata est dicta Margarita et Lucia ejus Mater *i*.

factis votis;

133 Anno insuper Domini ml *k*, cum domina Matthea Johannis de Senis *l*, habitatrix Viterbii, parochiæ S. Marci, esset prope partum, et per tres dies angustiose laboraret, nec parere posset quovis modo, conversa in ejus mente ad omnipotentem Deum et B. Rosam, illi se devote commendavit, ut, si ejus meritis et intercessionis a tanta anxietate et angustia liberaretur, quod pareret, et partus cum anima et spiritu nasceretur, itaque baptizari posset, quod ipsa visitaret et ejus sanctam ecclesiam per unum mensem continuum, et ibidem Missam faceret celebrari. Quo voto facto, peperit mulier sine angustia et puer vixit per octo menses. Id testificatur dicta domina Matthea.

Ex process. commode pariunt.

134 Domina Bartolomea Petri Pauli Petrutii, prægnans cum aliter partum emittere non posset, licet per dies nonnullos gravissime et incensissimis doloribus angustiaretur in parturiendo; quam primum se vovit et commendavit B. Rosæ virgini, partus, facta oratione et voto, liberrime exiit ex ventre ejus genitricis, sine aliqua ipsius parturientis angustia et anxietate. Idem testificata est dicta domina Bartholomea.

Moribundi ex febribus

135 Anno Domini mccccxxv, Corona de Canapina *m*, uxor Petri Pauli de Viterbio, contratæ S. Laurentii, cum continua febre vexata recepisset Sacramenta Ecclesiæ, vovit se Deo et B. Rosæ, ut, si evaderet, Missam unam ad ejus honorem faceret celebrari: quo facto, in continenti liberata est.

subito sanati.

136 Anno mccccxlvii, quidam Joannes Menici del Pelofacto de Viterbio, contratæ S. Johannis de Noctula *n*, febres terribiles cum fluxu passus fuerat, quorum occasione et anxietate cum ad ultimum et extremum vitæ devenisset; Caterina ejus mater, accedens ad corpus B. Rosæ, cum multis lacrymis ibi exclamavit ad B. Rosam pro salute sui filii. Qua oratione sic festinanter facta, illico domum rediit, dubitans *, ne filium mortuum domi comperiret. Quæ cum illuc intrasset, reperit filium sedentem secus ignem sine periculo, qui sanus effectus miraculose, etiam nunc vivit *o*.

E

* i. e. metuens

Cardinalis Valentinus, postea Calistus III, a periculosa febre convalescit,

137 Item quod, cum sanctissimus dominus noster dominus Calistus *p*, divina providentia Papa tertius, dum esset in minoribus *q* constitutus et Cardinalis Valentinus *r*, in anno Domini mccccxlv in urbe Romana esset magnis febribus afflictus, itaque de ejusdem Sanctitatis vita tunc dubitaretur, maxima cum devotione ejus mentem ad Deum et ipsam beatam gloriosam Rosam elevavit, promittens ipsi B. Rosæ unam rosam argenteam. Quo voto facto, divino inspirante auxilio, ut demum Ecclesiæ suæ sanctæ pro Catholicæ et ortodossæ * fidei Christianæ conservatione et augmento, de ejusdem Sanctitatis persona miraculose et divinitus provideret ad totius Christianæ religionis decus, gloriam et exaltationem, cum id futurum in mente divina esset, præservatus precibus ipsius B. gloriosæ Virginis convaluit, et præfatus liberatus fuit et est.

* l. orthodoxæ

F

et votum, quod nuncupaverat, persolvit.

138 Et currentibus annis Domini mccccxlvi, die vigesima mensis Novembris, egregius decretorum doctor, dominus Bernardus Rompia, Geruncus *s* diœcesi, jussu præfati sanctissimi Domini nostri, tunc Cardinalis Valentini, rosam argenteam ad monasterium B. Rosæ in civitate Viterbii detulit, quæ supra corpus ipsius B. Rosæ adhuc pendet, et omnibus eam videre volentibus publice demonstratur.

ANNOTATA.

a *Quale hic bellum significet, non satis assequor: certe nusquam reperio inter Viterbienses ac Britones anno* 1370 *belligeratum esse. Unde vehementer suspicor, proxime citatum annum male assignari pro anno* 1376: *hoc enim Britones ex Britannia Armorica a Gregorio XI ad redigendas in ordinem varias Italiæ civitates rebelles, quibus se Viterbium adjunxerat, transmissos fuisse, ex Italis scriptoribus constat. Ab his Britonibus huic bello forte nomen indidere.*

b *Coretinus, Rinaldus ac Giannellus, in Opusculis crebro citatis ajunt, prædictam Meni-*

 cam

Ex Processu. *cam simul a Sancta jussam esse matrem admonere, ut filium, dum adhuc spirabat, extra urbis mœnia sublatum properaret. Forte id in ipso autographo reperit Coretinus, ut mihi verisimile videtur; nam simile quid instituta narratio, ne hiulca sit, videtur exigere. Porro inter testes reperio quamdam nomine Menicam Mattei Transmundi, relatum beneficium ex aliorum crebra relatione confirmantem.*

c Soldo *Italis, Latine stipendium militi debitum. Itaque significat, illum turbatum, id est, quidpiam ægre ferentem inter stipendiarios nomen suum militiæ dedisse.*

d *Anne ut experirentur, an viveret? Ita colligi posse videtur ex Franciscæ Nardi testimonio, in quo, narrato quod puerpera obtinuit, beneficio, de ipsa prole hæc subduntur :* Primo... exierunt nates, deinde pedes, postea manus et ultimo caput. Qui partus *(cum)* nec vivus esse appareret, insufflatus est in ejus auribus per Antoniam Franciosi, Bartolomeam Baptistc Nerii, et Vitorbese, mulieres ibidem astantes. Post quam insufflationem in eodem momento resipivit quasi mortuus puer, et respirare incepit cum patrocinio B dictæ B. Rosæ. Interrogata in causa scientiæ dixit : Quia vidit et præsens fuit et prædicta experta est.

e *Lege* heteroclito. *Vox Græca* ἑτερόκλιτον *significat aliquid alieno et novo quodam modo inflexum.*

f *Hetruriæ urbs est dominio summi Pontificis, ampla et culta :* Perugia *ab indigenis vocatur, estque agri Perusini caput.*

g *Ita jurati asseruerunt, ipsa Paulina Viterbiensis, et magister Angelus sellarius, patria Perusinus, Paulina conjux.*

h *Id est, cujus viscera adeo torquebantur, acsi viva exenterarelur.*

i *Convenit utriusque testimonium : sed cum in eo beneficium hoc, miraculum* 107 *dicatur, oportet ut amanuensis noster vel numerum male expresserit, vel aliqua miracula omiserit.*

k *Mendum manifestum est : voluit procul dubio annum* 1450 *signare, cum Matthæa de collato sibi beneficio testimonium ipsa dederit anno* 1459, *ut ex sequentibus liquet.*

l Siena *indigenis Hetruriæ urbs ampla et pro-* C *be culta intra colles jacet in limite agri Florentini.*

m Capena *oppidum Hetruriæ Livio et Plinio, nunc castrum ditionis Ecclesiæ in provincia Patrimonii, et in tractu seu statu Roncilionis, 7 milliaribus circiter Viterbio dissitum in Ortum.*

n *Paræciam hanc reperire nequivi : forte vitiose vox descripta est pro* S. Joannis in Ciocola, *quæ, teste Feliciano Bussi, nunc corrupte* in zoccoli *appellatur.*

o *Ut patet ex ipsius Joannis Menici, ejusdemque genitricis Catharinæ, testimonio in Processum relato.*

p *Scilicet Calistus III, cujus jussu processus hic institutus est. Fuit is Alphonsus Borgia, natione Hispanus, patria Savinensis, Valentinæ diœcesis, teste Platina in Viti Pontificum. Ob rem Ecclesiæ prospere gestam a Martino V episcopatum Valentinum obtinuit ; deinde vero anno* 1444 *presbyter cardinalis, titulo SS. Quatuor Coronatorum, ab Eugenio IV creatus est : anno denique* 1455 *sub nomine Calisti III ad sacram Petri cathedram elevatus est, quam usque ad annum* 1458 *tenuit.*

q *Id est, dum nondum esset Romanus Pontifex.* D

r *Valentia, regni Valentini caput, ampla nobilis ac elegans Hispaniæ Tarraconensis civitas, in ora maris mediterranei ad fluvium Turiam,* Guadalaviar *vulgo dictum, anno Urbis* 616 *a Junio Bruto condita traditur. Distat Barcinone in Occasum hybernum* 49 *leucis, uti et Toleto in Ortum et Cæsar-Augusta in Meridiem ; inquit Baudrandus.*

s *Verosimiliter diœcesim Gerundensem significat, cujus caput ex Gerunda, incolis* Girona, *urbs Cataloniæ episcopalis sub archiepiscopo Tarraconensi in Hispania.*

CAPUT IX.

Varii febricitantes prodigiose sanati.

E

Item puer quidam, filius Barnabe de castro Ribello, comitatus Urbis veteris *a*, cum esset gravi febre detentus, itaque de ejus vita satis dubitabatur, statim imposita super ejus corpus cordula quadam, quæ corpus ipsius B. Rosæ tetigerat, per quamdam dominam Polisenam, famulam Johannis cancellarii de Narnea *b*, in dicto castro tunc existentem, et ejusdem gloriosæ B. Rosæ cum devotione auxilio invocato, per spatium forsan trium horarum a tali infirmitate fuit et est liberatus. *Febricitantes, a* *b*

140 Item quod, cum Benedicta, filia magistri Marci, magistri Jacobi, de Aquapendente *c*, jam tribus annis elapsis, gravissima febre cum maximo capitis dolore detineretur, et in tali esset infirmitate constituta, audiens de corpore et miraculis ipsius gloriosæ B. Rosæ, statim incepit habere maximam devotionem ad ipsam gloriosam Virginem, summo desiderio affectans cordulam unam, quæ supra ipsius venerabile corpus imposita fuisset. Ad quam sic cogitantem et desiderantem, accessit mulier quædam, dicta Antonia *d*, uxor Peri Angeli de Aquapendente, dictam cordulam secum deferens : quam ipsa Benedicta sic infirma cum maxima reverentia et devotione ipsius B. Rosæ posuit supra corpus suum et caput : quæ in continenti a dicta gravissima febre et capitis dolore miraculose fuit et est liberata, precibus et meritis gloriosæ Virginis præfatæ. *imposito membris suis c* *d* F

141 Item quod de anno MCCCCL, quidam clericus ecclesiæ Astoricensis *e*, nominatus Martinus, cum febrem per dies quinquaginta quinque passus esset, ei dixit quædam ejus consanguinea : Accipe cordulam hanc B. Rosæ et ipsam cum devotione sibi * accingendo cum Pater noster et Ave Maria, statim liberaberis. Quo facto, statim liberatus est ab ejus infirmitate. *aut accincti cingulo, quod Sanctæ corpus attigerat ; e* * *l.* tibi

142 Currentibus annis Domini MCCCCLII, quædam domina Mattea Venturc, dum longo tempore febrem passa esset, vovens se B. Rosæ, illi promisit facculam quamdam, ponderis unius libræ ceræ cum dimidia, et ejus solemnitatis festum custodire. Quo voto facto, subito a febre sanata est et liberata facta. *alii emissis votis, de offerendo cereo,*

143 Supra dicto insuper anno, mulier quædam, nomine Antonia, uxor Antonii, alias Capati *curando Missæ sacrificio*

A pati de Viterbio, contratæ S. Mattei, patiebatur quatenam cum ejus filia simul, nec eis aliquid poterat prodesse, licet plurima essent expertæ ægrotantium more. Quæ cum sic essent auxilio humano prorsus desesperatæ, fecerunt votum gloriosæ Rosæ, quod, si contingeret, eas liberari, quod * facerent celebrari unam Missam in ejus altari, ad gloriam et honorem suum. Quo voto sic facto et promisso, quælibet ipsarum in eadem hora liberata est a dictis febribus *f*.

* quod *abundat*

f *gestando Sanctæ cingulo,*

144 Eodem anno, quidam Matteus Lucæ et ejus uxor, de Viterbio contratæ S. Mattiæ, febres continuas patiebantur, a quibus nulla medela aut medicorum præsidio juvari poterant. Voventes tamen sese B. Rosæ humiliter, quod, si ab hujusmodi febribus et cruciatibus liberarentur, per annum continuum ejus cordulam accinctam portarent, in ejus honorem et reverentiam. Quo voto sic facto, statim liberati fuerunt et sunt *g*.

g *de mittendo ad ejus corpus dono,*

145 Eodem anno, quædam mulier, nomine Paulina, uxor Bartolomei, dicti Dellabruza, de B Viterbio, contratæ S. Mattiæ, febrium malo morbo et continuo vexabatur una cum ejus socero: qui voverunt se gloriosæ virgini Rosæ, portare faculam unam ad ejus sepulcrum. Quo voto facto, ambo statim fuerunt et sunt liberati; prout testificata est domina Tomassa Antonii Marrocchi.

146 Anno prædicto quædam mulier, Felix nominata, filia quædam Lazari, de Pisis *h*, febres continuas patiebatur, a quibus nullo humano auxilio poterat liberari, licet plurium medicorum implorasset; se tandem vovit, gloriosæ Rosæ virgini prælibatæ, portaturam ejus cordulam per annum continuum, si a dictis febribus ipsam sanari contingeret. Quo voto sic facto, statim ad pristinam sanitatem restituta est *i*.

h *de portando per annum cingulo*

i *et visitando sacro corpore, incolumes evadunt.*

147 Anno Domini MCCCCLV, et mense Julii, quidam Franciscus Napuletanus * gravi febre laborans, facto voto gloriosæ virgini Rosæ, pro ejus liberatione promittendo visitare ejus corpus venerabile sacratum cum quadam imagine ceræ, illico sanitati pristinæ liber penitus a febribus restituitur.

* l. Neapolitanus

Alius tacto simili funiculo,

148 Anno Domini MCCCCXLIII, Petrus Jennius C quidam, Menici Tondi de Viterbio filius, contratæ S. Leonardi, a febre graviter opprimebatur longo tempore: pro cujus liberatione cum Angilella, ejus mater, ante corpus dictæ Virginis ipsum voveret, et exinde cordulam ad eum deferret; qua super ejus dorsum et personam *, statim a febribus fuit et est sanus et liber effectus *k*, meritis ejusdem Virginis et precibus.

* *supple* posita

k *alius eo accinctus,*

149 Magister Simon Baptiste clavarius de Viterbio, MCDXLIX per undecim menses quartanam febrem passus fuerat, et cum aliter liberari non posset, devote vovendo se B. Rosæ, accinxit ejus cordulam. Quo voto facto et cordula sic accincta, subito mirabiliter a dicta febre sanatus est.

150 Puer quidam, nomine Berardinus, annorum quatuor, filius Bartholomei Francisci Calderarii *l*, de Viterbio, contratæ S. Leonardi, MCDLV, et mense Julii, quotidiana febre, quam passus fuerat per octo dies, graviter infirmabatur. A Vannotia ejus matre data est sibi ad bibendum lotura manuum dictæ gloriosæ Rosæ, hoc est aqua, cum qua ejus gloriosæ manus lotæ fuerant, cum magna devotione, quam ubi ebibit, sequenti die fuit et est liberatus *m*.

l *puer, epota aqua sæpe dicta, a febribus liberati.*

m

151 Anno MCDXDLVI Johannes Herculani de Viterbio, quotidiana febre ita graviter infirmabatur, quod de ejus vita quasi dubitandum erat: et demum vovens *, se cum Francisca ejus uxore ad B. Rosam, quod portaret per annum continuum ejus cordulam. Quo voto taliter emisso, subito sese paululum a febre sensit exgravari, et inde ad dies paucos penitus est liber effectus *n*.

Ex Processu. Item alii ex eodem malo

* l. vovit

n *subito sanitati restituti*

152 Sanctes, filius Jacobi Boccacerase, MCDXLIX quotidiana febre ita ægre vexabatur per plures menses, ut de ejus vita dubitaretur. Qui cum voveret per Leonardam ejus matrem B. Rosæ, ut, si liberaretur, in ejus ecclesia ad ejus honorem faceret Missam celebrari cum dicto Sancte, et cordulam accinctam certo tempore deferre. Quo voto sic facto, miraculose liber a febribus factus est.

153 Paulotia quædam Ceci molendinarii et Johanna ejus filia, MDCLI febribus ægerrime ægrotabant, et pene omnium erant auxilio destitutæ. Itaque una nocte Johanna præfata, cum ad ultimum vitæ spiritum seu punctum devenisset, in conspectu matris summopere afflictæ, E pro qua mater præfata conversa ad Deum et B. Rosam, inquit: O gloriosa Rosa, adjuva me. Cui paululum obdormienti gloriosa Rosa apparuit, dicens: Certa sis, quia ambæ isto mane eritis salvæ. Quæ ex somno excitatæ, sese ita sanas et liberas compererunt, acsi numquam febres passæ fuissent *o*: præsente Caterina Baptiste de Aretio... *p*.

post invocatam Sanctam,

o

p *aut vota*

154 Anno MCDXLI Francisca Bacchini de Viterbio, contratæ S. Petri, febricitans per annum cum dolore ancarum *q*, licet manu medicorum sanari non potuisset, facto tamen voto B. Rosæ de faciendo celebrari Missam in ejus ecclesia et portando libram ceræ, subito liberatur *r*.

q

r *in ejusdem honorem*

155 Anno MCDXXXIV, Christophorus magistri Angeli Boccafrolle, de Viterbio, contratæ S. Mariæ in Podio, febricitans, se ulterius juvare non poterat: pro quo quædam ejus carnalis soror, nomine Vitorbese, vovit B. Rosæ, dicendo: Si fratrem meum ab hujusmodi infirmitate liberabis, per mensem integrum sacrum tuum corpus visitabo. Quo facto, recessit febris, et infirmus sanatus est.

156 Anno MCDLV, mense Julii, Leo quidam, Gajetanus nomine, febricitans, in articulo *s* mortis constitutus, præ fama et miraculis B. Rosæ, quæ audiverat, ad ejus gloriosum corpus F visitandum accessit, licet cum difficultate et angustia. Cui humiliter et devote se recommittendo, vovit cordulam ejus portare: quo facto, liber penitus a febribus ad prosperam sanitatem est reductus.

nuncupata

s

157 Frater Mariottus de Viterbio, MCDLIV, mense Octobris, Ordinis Heremitarum, febre quotidiana et tertiana simul et eodem tempore vexabatur, nec sibi cura aliqua aut medicina prodesse poterat. Quem cum Lucia, ejus soror, noctu custodiret, inquit ei, ut se recommitteret B. Rosæ et cum devotione biberet aquam loturæ manuum ejus. Qui infirmus cum ad mandatum sororis hæc fecisset, et aquam ebibisset, in continenti miraculose sanus et liber penitus evasit a febribus *t*.

aut sumptam

t *quam lavandis Sanctæ manibus adhibitam,*

158 Anno MCDL Gabriël, puer et filius Tutii Angeli Teie, de Viterbio, contratæ S. Faustini, continuis febribus gravatus et omnium medicorum destitutus auxilio, fuit in voto positus per

Ex Processu. per matrem ad B. Rosam; et quam primum de dicta aqua loturæ data est sibi ad bibendum, factus est liber.

ANNOTATA.

a Orvicto. *Vide annotata ad num.* 59, *lit.* s.

b *Incolis* Narni, *urbs vetus Umbriæ in ditione summi Pontificis, a Nare fluvio, cui adjacet, nomen mutuata est.*

c *Vide annotata ad num.* 90. *lit.* s.

d *Quæ hoc beneficium coram delegatis in præsenti causa suo juramento testata est.*

e *Forte ab* Astura, *vulgo* Astora: *olim oppidum erat Latii in Volscis, nunc exiguum castrum est ditionis Ecclesiæ, in Campania Romana, in ora littorali.*

f *Ita ipsa Antonia jurata asseruit.*

g *Constat ex utriusque sanati testimonio.*

h Pisæ, *vulgo nota Hetruriæ civitas, ad Arnum fluvium, potens olim suique juris respublica, nunc magno Hetruriæ duci paret.*

i *Ita plane ipsa Felix Lazari, juridice interrogata, asseruit.* B

k *Exstat utriusque, matris scilicet ac filii de hoc beneficio testimonium.*

l *Inter testes* Caldararius *dicitur: verum eadem est utriusque vocis significatio, deduciturque ab Italico* caldaraio, *quod artificem lebetum significat.*

m *Hæc pueri pater, Bartholomæus Franciscus, et Vannotia mater, testati sunt.*

n *Ita ambo conjuges asseruerunt.*

o *Hoc miraculum utriusque juramento confirmatum est: quibus accessit Catarinæ Baptistæ testimonium.*

p *Vide in Annotatis ad num.* 78, *lit.* f. *Porro quid puncta illa denotent, ignoro. An forte omisit aliqua amanuensis noster, quæ præ characteris difficultate legere non poterat?*

q Ancæ *vetus vox Latina, vel Italica potius,* coxendices, *sive summam coxam significat.*

r *Prout ipsa asseruit.*

s Articulum mortis *commode interpretare: alioqui nec cum difficultate ad Sanctæ corpus potuisset accedere.*

t *Utriusque de hac re testimonium in Processu recitatur.* C

CAPUT X.

Alii a febribus curati: ter votum violans, tertio punitus; toties resipiscens, toties sanatus.

Varii a b periculosis

Eodem anno, Tutius quidam Angeli Teie *a*, punctura *b* et febre gravatus per plures dies, licet pluribus medicinis infirmitatem expellere enixus fuerit, petens tamen aquam loturæ manuum B. Rosæ virginis cum reverentia, et illam postquam ebibit, sanus surrexit et liber effectus et domum exivit, cum esset in articulo mortis.

160 Eodem anno, in die Nativitatis B. Virginis, Franciscus Nardi, de Viterbio, contratæ S. Petri, puer duorum annorum, infirmus D febre et patiens in gutture. Itaque quasi ad ultimum vitæ suæ reductus erat: quem ejus mater ad corpus B. Rosæ detulit: cui moniales dixerunt: Visne, ut mortuum hunc B. Rosa resuscitet? Ipso tamen sibi * recommendato humiliter B. Rosæ, statim puer et sanatus *c*. [* sibi *abundat*; c]

161 Anno MCDXLV ser Thomas magistri Johannis de Viterbio, contratæ S. Sisti, cum annorum esset viginti duorum, et febres continuas pateretur longo tempore: itaque quasi siccus factus erat. Quo dolore mater afflicta, accedens * ad monasterium B. Rosæ, de cujus manibus accepta lotura et aqua, eam potui dedit filio cum devotione; qui post potum sanatus est in illa hora. [*febribus*; * l. accessit]

162 Anno MCDXL, mense Augusti, Cecilia Butii, de Viterbio, contratæ S. Justini, ex terribili febre, quam passa erat longo tempore, arida effecta erat, et extremam receperat Unctionem, in extremis constituta: precibus tamen B. Rosæ liberata est *d*. [*conflictati,*; d]

163 Paulus *e*, alias Tuscernia, de Viterbio, MCDLI, contratæ S. Faustini, continuis febribus oppressus, ad extremum vitæ suæ redactus erat. Per cujus matrem facto voto B. Rosæ, factus est liber. [*variis votis*; e] E

164 Anno MDLIII, mense Septembris, Nicolaus Petri Ispani, habitatoris Viterbii, puer duorum annorum, contratæ S. Angeli, terribili febre ita oppressus fuit, ut deductus esset ad nihilum. Pro quo *f* ad B. Rosam recommendavit eum; facto voto per matrem, in continenti est sanatus. [*auxilium Sanctæ*; f]

165 Quædam Menica de Ameria *g*, et Peregrina ejus filia, habitatrices Viterbii, longo tempore incensis febribus oppressæ fuerant; precibus tamen et meritis B. Rosæ liberatæ sunt *h*. [*implorantes,*; g; h]

166 Anno. MCDLV, Felix Ciofi, contratæ S. Faustini, de Viterbio, uxor Nicolai, pluribus mensibus terribili febre gravata erat, ita quod de ejus vita dubitaretur satis: per quam facto voto, B. Rosæ meritis ac precibus est sanata. [*eadem patrocinante,*]

167 Anno MCDXLIII Bartholomeus, puer quidam filius *i* de Viterbio, pluribus mensibus gravissima febre gravatus erat: per cujus matrem facto voto B. Rosæ, sanus efficitur. [*curantur.*; i] F

168 Erasmus quidam Bernardi de Viterbio, contratæ S. Sisti, MCDXLIII pestilentiali morbo infirmus erat. Quem Petrutia Fasano *, ejus mater, aspiciens, inquit: Fili mi, recommitte te Deo et B. Rosæ. Cui cum devotione accinxit ejus cingulum et aquam potui dedit, cum qua manus ejus lotæ erant; in illa hora et illo instanti miraculose est liberatus *k*. [*Febres per usum funiculi,*; * alibi Justini; k]

169 Anno MCDLI, mense Junii, Angela filia Menici, de Viterbio, contratæ S. Leonardi, gravi febre per tres menses afflicta, itaque tumefacta jam erat. Pro qua Menica, ejus carnalis soror, B. Rosæ humiliter intercessit, et ejus cingulum se devote accinxit, et aquam loturæ præfatæ ebibit. Quo facto, sanana est et *l* statim infirma. [*et aquæ, depulsæ.*; l]

170 Eodem anno, mense Octobris, die XXVII, Filippa, uxor Lodovici de Viterbio, contratæ S. Johannis in coccula *, continua febre gravata, vovendo se cordulam B. Rosæ per annum portare, immediate liberatur. [*Item alii plurimi*; * l. ciocola]

171 Anno MCDXXXV, Petrus quidam, febricitans, cum per ejus matrem voveretur B. Rosæ de portando quolibet anno quamdam sacculam; [*graviter*]

A lam; facto voto, a continuis febribus sanatus extitit.

a continuis

172 Anno insuper Domini MCDL, Melchior Ambrosi de Viterbio, contratæ S. Johannis, febribus continuis quassatus, vovit se Deo et B. Rosæ, ejus corpus per annum unum visitare. Quo voto facto, statim a febribus mundatus et liber remansit.

febribus afflicti,

173 Anno MCDXLIX, Antonius Petri della Chiesa, de Viterbio, contratæ S. Quirici, quartanam febrem pluribus mensibus est passus cum fluxu sanguinis : unde ad extremum vitæ suæ erat jam reductus. Facto tamen voto per Paulinam, ejus uxorem, ad B. Rosam, sanus evasit.

implorata Sanctæ ope,

174 Anno insuper prædicto, quædam Johanna Angeli Tutii, de Viterbio, contratæ S. Quirici, cum febribus continuis vexaretur cum angustia corporis et pectoris, facto voto de portando cordulam B. Rosæ, sanitas restituitur.

eique — *m* — *n*

175 Currentibus insuper annis Domini MCDV *m*, et mense Julii, mulier quædam nomine Maria, de patribus Leodii, dum peregrinans esset in partibus Italiæ, in civitate Ferrariæ *n*, B contigit sibi, quod maximo febris ardore detineretur pluribus diebus. A qua cum cuperet liberari, ut ejus peregrinationem exequeretur; devotissime sese recommendavit omnipotenti Deo et B. Rosæ de Viterbio, vovens, se ejus sacri corporis lumina * visitaturam, si contingeret suis precibus et meritis e tanta febrium angustia liberari. Quo voto sic emisso, statim paululum obdormivit : a quo somno inde expergefacta, sensit, se ita mundam et liberam a dictis febribus, acsi febrium nihil umquam habuisset, precibus et meritis præfatæ B. virginis Rosæ. Quæ quidem Maria, cum ejus voti exsolvendi gratia venisset Viterbium die tertiadecima mensis Octobris, MCDLVI, retulit et attestata est, dictum miraculum sibi contigisse, prout supra descriptum est, in præsentia Antonii de Renutio, Jacobi Egidii Nocentii, Andreæ Capati et Petri Dominici, civium et habitatorum Viterbii : quod ut in scriptis redigeretur, plurimum depacta est.

* *l.* limina

variis votis,

176 Anno insuper Domini MCDLV, Marcus Marci de Bustis, cum ingentissimis febribus quassaretur, nec aliunde expectaret præsidium, cum singula C omnia essent jam experta, venerabilis mulier, domina Angela, ejus materna avia, illum B. virgini Rosæ commendavit. Quo voto emisso, immediate febris a dicto Marco recessit et juvavit *o*, ei successit sanitas. Id attestatur domina Angela, ejus avia et idem Marcus.

o

pie nuncupatis, — *p*

177 Reverendus pater, dominus Amicus Aquilanus *p*, dum esset patrimonii gubernator, gravi febre et incensa infirmitatus * est MCDXLII, et cum in lecto febricitans per mensem jacuisset et ultra, sese devotissime commendavit omnipotenti Deo et præfatæ Rosæ virgini, offerens illi certum votum, si sanitas sibi restitueretur. Quibus emissis precibus et voto, illico sine mora e lecto surrexit sanus, præsente Petrutio Bussis *q* idem asserente, et Johanne de Calabria et ejus pene universa familia.

* *l.* infirmatus — *q*

sanitatem — *r*

178 Sub annis Domini MCDXL, cum Johanna quædam, Antonii Allexii uxor, contratæ S. Sixti, quinque mensibus quasi continua febre vexata esset, nec quovis alio pacto ab juvando *r* ex humano præsidio medicorum illam a se abdicare posset aut expellere; cum de ea expellenda pluries fecisset periculum : facto voto gloriosa virgini Rosæ, illo instanti fuit ad sanitatem restituta et salva facta. Idem dicta Johanna testificatur.

Ex Processu.

pristinam — *s*

179 Sub annis Domini MCDLVI et mense Septembris, cum Petrus Dominicus quidam, Cecci muratoris filius, contratæ S. Mariæ in Podio, de Viterbio, longa febre detineretur, cum esset ætatis annorum quinque, in tantum defecit et est substentatus *s*, quod nullo pacto mundi se poterat ulterius substentare. Facto tamen voto ad B. Rosam, et illi puero ita ægroto data ad bibendum aqua loturæ manuum ipsius Virginis, in eadem hora puer fuit et est sanatus. Idem testificatur domina Maci, ejus mater, et Sabecta Nardi et Antonia Nardi Contesci Johannis.

miraculose — *t*

180 Johannes Nardi, Antonii Nardi, contratæ S. Johannis, de Viterbio, filius, cum annorum esset sexdecim et per mensem gravissime febricitasset, cum maxima devotione et reverentia se vovit præfatæ virgini Rosæ, et ad eum delata aqua loturæ manuum ipsius et ebibita, miraculose in eodem puncto sanatus est. Itaque tunc ex ictu oculi in morem balistæ vitam *t* emittentis, ita febris penitus ab eo recessit. Istud E testificata est Sabecta ejus mater et Maji Cecci muratoris.

et subito

181 Anno insuper Domini MCDXLIII, Lodovicus, Johannis Pastoratii filius, ætatis trium annorum, per duos continuos menses gravissime fabricitans, in tantum erat debilitatus, ut vix ulterius se posset quovis pacto substinere; et sic omnium videbatur destitutus auxilio. Facto tamen voto per Bartolomeam, ejus matrem, ad B. Rosam, et aqua dictæ loturæ in parva quantitate ebibita, illa vix deglutita, illico puer sanatus est. Id testificatæ sunt Bartholomea, ejus mater, et Petrutia Cartulere, contratæ S. Johannis.

consecuti. — * *supple* cum

182 Domina Petrutia Cartulere, contratæ S. Johannis, sub MCDXLVII intolerabili febre * detenta esset per mensem, in tantam devenit debilitatem et angustiam, ut nec pes, nec manus, nec quodvis aliud ejus membrum suum satis officium possent exercere. Facto tamen voto ad B. Rosam, non sine lacrymarum abundantia, et cum maxima devotione, ad sanitatem pristinam est restituta. Idem ipsa Petrutia affirmat et Bartholomea Pastoratii.

F

Diuturnis febribus, per emissum de gestando funiculo votum, liberatus, — *u*

183 Julianus quidam, Mutii de Tuscunella *u*, vulgariter dictus Delloriolo, contratæ S. Simeonis, de Viterbio, cum sub MCDXXXVII, febricitasset per tresdecim menses, vel circa, et postquam mortalia vidit tentamenta nihil, nihil artes posse medentium, auxilium cæleste petens, cum devotione et reverentia vovendo, se commendavit præfatæ virgini Rosæ, ut, si a tanta febris angustia liberaretur, cingulo seu cordone, cum quo ejus sacrum corpus tactum fuisset, se accincturum. Quo voto facto, et liber redditus, voti sui exolvendi gratia, dictum cingulum per tres menses portavit. Quibus tribus elapsis mensibus, dixit uxori : Non feram ulterius dictum cingulum; cum jam liber sim factus; quasi in vilipendium et contemptum dictæ B. Rosæ. Quibus verbis sic dictis et amoto a se cingulo, illico febris ipsum artissime aggressa est.

votum semel et iterum violans, in febrim reincidit, observans, denuo sanatur :

184 Clarescente postmodum jam die, gravi dolore capitis ac febre angustians Julianus, idem se iterum dicto cingulo devote accinxit : quo facto, illico febris recessit, et ad sanitatem pristinam rediit. Quod quidem cingulum cum per quatuor

Ex Processu. quatuor alios menses detulisset sine febre, una dierum secum irascens immemor salutis dudum sibi restitutæ, postposito honore dictæ Virginis, præfato cingulo a se abdicato, iterum febris in eum impetum fecit et artissime magis eum premebat. Rediens iterum ad se Julianus præfatus et erroris præteriti male contentus, se iterum præfato cingulo accinxit: propter quod iterum statim meruit liberari.

tertio violans, tertio acrius febricitat; * *supple* cum

185 Quod quidem cingulum per quinque alios menses secum continuo * detulisset, et advertens, se in vivaciorem sanitatem devenisse, existimans, se auxilio dictæ B. Rosæ virginis de cetero non indigere, projecit non sine iracundia dictum cingulum, contumeliose et iracunde dicendo: Nec virgo Maria, nec B. Rosa facere poterit, quod dicto cingulo ulterius indigeam; nec illud mecum ulterius feram. Quibus verbis vix ab eo prolatis, terribilius et gravius magis febris eum invasit, in tantum, quod nullo pacto incensissimos ejus ardores et capitis dolorem poterat substinere.

B *tandem facti pœnitens denuo sanitati restituitur.* * *forte* misericorditer * *forte* cuicumque

186 Ad se ipsum tandem rediens, et errorum, quos commiserat, male contentus, et pœnitentiam agere intendens, cum summa humilitate genuflexus, se iterum et tertium gloriosæ virgini Rosæ præfatæ recommendavit. Quæ Virgo gloriosa, cum nulli devote ad eam supplicanti salutis gremium claudit, et misericordiæ * juxta Euangelium ubicumque * centies peccanti et pœnitenti pœna remittitur, iterum sibi gratiam inveniendo, ipsum ad primam valetudinem reduxit, et sic totiens exaudiri meritus est, quotiens illi se devote commendavit. Id testificatus est idem Julianus, Rosa ejus uxor, domina Margarita Johannis Guglielmi et uxor Brache *w*. w

ANNOTATA.

a Della Teia *in scripto ejus testimonio vocatur.*

b *Forte* pleuritis *designatur*: Puntura *enim Italis etiam pleuritidem significat.*

c *Ita testata est præfati pueri mater. At mirati satis nequeo, ipsius pueri testimonium in Processum relatum esse: nam si anno* 450 *duorum tantummodo annorum fuerit, consequens fit, ut* 1457, *quo processus institutus est, novennis dumtaxat esset: et quomodo novennis puer testari* C *potuit de iis, quæ bimulo sibi acciderant? Unde suspicor, Francisci ætatem non recte hic assignari.*

d *Constat ex ejusdem Cæcitiæ juridico responso.*

e *Hujus, ejusdemque genitricis, testimonio rei veritas confirmata est.*

f *Obscura periodus hunc fere sensum habet: Quam ob rem mater, facto voto commendavit illum B. Rosæ, et mox sanatus est.*

g Ameria *seu* Amelia, *urbs Umbriæ antiquissima ac episcopalis in ditione Ecclesiæ.*

h *Consonat utraque in suis juratis responsis.*

i *Patris, seu matris, nomen amanuensis noster prætermisit: puto, quia characteres legere non poterat, id enim indicat omissum post vocem* filius *spatiolum.*

k *Rem uterque attestatus est.*

l *Sensus est*: Quo facto, infirma sanata est, et *quidem* statim.

m *Hic annus mendose positus est pro* MCDLV: *nam infra dicitur votum suum exsolvisse anno ejusdem seculi* LVI.

n Ferrara *incolis, urbs Italiæ, in ditione Ecclesiæ, ducatus Ferrariensis caput.* D

o *Mendosa vox est: cui substitue* evanuit, *aut aliam similem.*

p Amicus Agnifilus *anno* 1431 *ab Eugenio IV Aquitanus episcopus declaratus est: anno vero* 1430 *Patrimonio rector præfectus, ac deinde a Paulo II inter purpuratos Patres cooptatus.*

q *Inter cetera sic ille testatus est*: Jam quindecim annis elapsis vel circa, cum reverendus pater, episcopus Aquilanus, tunc Patrimonii gubernator, gravi febre tunc laboraret per mensem vel circa, facto voto B. Rosæ, in eodem instanti convaluit.

r *Vitiosam locutionem sic explico: Nec quoquam pacto febrem excutere posset per remedia petita ex humano præsidio etc.*

s *Id est, in tantam imbecillitatem devenerat, ut medicamenta, quibus vitam eo usque sustentaverat, nihil ultra proficerent.*

t *Obscura plane est hæc comparatio. Clarior erit, si dicamus,* vitam *hic poni pro* vitta: *(prout in Glossario suo testatur Cangius, se reperisse:)* E *vittam vero sumi pro nervo. Tum autem sensus erit, quod quemadmodum nervus balistæ tensus, attractusque, velocissime remittitur, ita febris febricitantem subito deseruerit.*

u Tuscania, *olim urbs ampla et dives, at sæpius vastata, nunc parvum est Italiæ oppidum in ditione Ecclesiæ et provincia Patrimonii, ad Martham fluvium,* 15 *milliaribus Viterbio distans in occasum hybernum.*

w *Perampla de quadruplici hoc beneficio, trinaque violati voti pœna, extant in Processu testimonia a citatis personis jurejurando confirmata.*

CAPUT XI.

Aliis febricitantibus subvenit, doloribus capitis aliisque malis medetur, maleficia arcet.

Paulina Mattinci Lucæ, contratæ S. Mattei, de Viterbio, cum per mensem graviter febricitasset, facto voto ad B. Rosam, in eodem momento sanata est. Ita testificata est dicta domina Paulina et Lodovica Michaëlis Palotii *a*. F *Febricitantibus* a

188 Domina Magdalena Magistri Nicolai medici, de Monte Flascone *b*, MCDL graviter febricitans, in tantum, quod in tisicam *c* devenerat, quam primum se vovit P. Rosæ præfatæ, sanata est a dicta febre. Id testificatur dicta domina Magdalena et domina Angela, ejus mater, et domina Jacoba, ejus soror. *opem Sanctæ* b c

189 Domina Catarina Georgii tubatoris, cum MCDL, vel circa, febribus continuis angustiaretur per duos continuos menses, devote se recommittens, et vovendo B. Rosæ virgini præfatæ, immediate absque mora aliqua convaluit et pristinæ sanitati est restituta. Id dicta domina Caterina testificatur. *per vota*

190 Domina Ceccha Vanni, parrochiæ S. Justini, gravi febre laboranti per quatuor menses continuos, una cum quodam ejus filio, duorum *implorantibus*

A rum annorum, quem in tisicum devenisse, medici asserebant, facto voto de portando cingulum dictæ B. Rosæ, et illo utrique ipsorum accincto, miraculose absque aliquo temporis intervallo, et matri et filio, ita ægrotantibus, sanitas pristina restituitur; cum eodem instanti quam primum puer aquam loturæ dictæ præfatæ Virginis beatæ ebibit, pueri febris cessavit. Id testificatur dicta domina Ceccha, ejus mater.

mirabiliter

191 Domina Jacoba, uxor Cagnoni, cum videret ejus filium gravi febre anhelantem ad mortem, illum vovit B. virgini Rosæ. Voto sic facto, febris illico cessavit, et puer sanatus est. Id testificata est dicta domina Jacoba, ejus mater.

succurrit d

192 Puer quidam, filius Bartolomei Rossolini *d*, contratæ S. Simeonis, gravissima febre laborans, delatus per ejus genitricem ad corpus B. virginis Rosæ, et illi accincto cingulo ejusdem Beatæ per quamdam dominam Magdalenam, illius monasterii monialem, a tanta febre ad sanitatem eadem hora et momento est restitutus. Idem testificatur Bartolomeus præfatus et ejus B uxor.

et subito e

193 Cum quædam mulier, nomine Philippa Lodovici, contratæ S. Johannis, gravissima febre ac punctura *e* anhelaret per plurimos dies, quam primum se devote vovit et commendavit B. Rosæ virgini, convaluit statim et sanata est. Idem testificata est dicta domina Philippa et Peregrina Sanctori, contratæ S. Blasii.

sanat.

194 Mulier quædam insuper, nomine Caterina Pelofacti, cum haberet filium quemdam octo annorum, per mensem gravi et incensa febre ægrotantem et anhelantem, eodem instanti facto voto ad B. Rosam de * ejus salute, noctu, prout vovit, sanatus est filius a dicta febre; quia illico sanatus est, ut dicta Caterina est testificata.

** lege* pro

Capitis f

195 Item currentibus annis Domini MCDXLVIII, quidam Angelus Johannis de Ameria *f*, incenso capitis dolore afflictus, ita quod de ejus vita jam erat desperatum, cum nullum sibi medicorum remedium aut medicina prodesse posset, devotissime mentem suam elevans ad omnipotentem Deum et B. Rosam, ejus patrocinium pro liberatione invocavit, vovens, se ejus venerabile corpus visitare cum quodam capite cereo. Quo voto sic facto, ejusdem gloriosæ beatæ Rosæ C meritis fuit et est liber et ad pristinam sanitatem restitutus.

dolores,

196 Anno MCDLI Antonius quidam, alias dictus Cento in mezzo, de Viterbio, contratæ S. Lucæ, dolore capitis gravissime afflictabatur: qui cum ejus mentem convertisset ad B. Rosam, ut pro ejus salute intercedere dignaretur ad omnipotentem Deum, vovendo, se ad ejus ecclesiam portaturum caput quoddam cereum, in continenti facto voto, liberatus fuit.

aliique cruciatus, g

197 Quidam infans sex annorum, nomine Angilellus Gidolfi, Augusti Angeli Samutii Sacchi, de Castro Fabrice *g*, filius, sub MCDLV, doloribus ita affligebatur per quatuor dies, quod continuo plorabat, et nec lac ebibere aut mamillas sugere poterat. Quem postquam Jacoba, ejus mater, vovit B. Rosæ deferre ad ejus ecclesiam et cum eo visitare ejus beatum corpus; subito factus est liber.

laterum h i k

198 Anno MCDLIII Agnes quædam Herrigi, de Alamannia alta *h*, doloribus flancorum *i* terribiliter oppressa, et erat Viterbii, nec audebat dictam ejus infirmitatem cum aliquo conferre, cum esset forensis *k*, devote recurrit ad B. Rosam, dicens: Si vera sunt, quæ de te narrantur, tuam potentiam ostende in me pauperrima alienigena; et si me ab infirmitate hac liberabis, sacrum corpus tuum visitabo, et tibi imaginem ceream offeram. Quo voto sic facto, eodem instanti sana surrexit.

Ex Processu.

et pedum mala, l

199 Quædam Francigena mulier MCDXLIX, cum Romam indulgentiæ *l* et devotionis gratia accederet, propter longi itineris asperitatem in tantum est pedibus conquassata et fatigata, ut, suis pedibus eorum officium facere denegantibus, cum auxilio duorum virorum cum bracchiis ducta sit ad ecclesiam B. Rosæ, cui se quam primum vovit, sanata est et libera ambulavit.

ejusdem intercessione cessant. m

200 Venerabilis vir Gabriel quidam Rampa, baccalaureus, Gorindicensis *m* diœcesis, ab adolescentia cum dolorem capitis bis in ebdomada pateretur; ut Romam accederet anno Jubilei MCDL, visitans corpus B. Rosæ Viterbii, ejus miracula audiens, vovit, se dictæ B. Rosæ offerre caput cereum cum Missa, si ab infirmitate et dolore hujusmodi liberatur. Quo voto sic facto, numquam de cetero dicto dolore E gravatus est, ut attestatur idem Gabriel per ejus scripturam cum pluribus testibus, videlicet Lodovico Johanne canonico et præposito Valentino, Bartolomeo Thogoretho, diœcesis Cartaginensis, Petro presbytero de Alamannia, Salviericensis diœcesis, et Domno Antonio de Belangiis, rectore ecclesiæ S. Andreæ, diœcesis Parmanensis.

Prægnanti ex devoluto in corpus suum dolio periclitanti subvenit.

** i. e.* metuens

n

201 Cum quædam, nomine Constantia, uxor Mascini, contratæ S. Marci, de Viterbio, MCDLV et mense Maii, domi suæ una dierum vegeti *n* cuidam, vino plenæ, et onustæ, ne caderet, sese opponeret, dubitans *, ne vir ejus in eam seviret, si cecidisset, illam ad suum locum pristinum reduxit, licet cum maxima anxietate corporis et angustia, cum tota veges jam esset supra se. Quo factum est, ut dies quinque continuos incensissimos dolores substineret, in tantum, quod de ejus partu abortivo emittendo et vita dubitaretur satis. Implorato tamen auxilio B. Rosæ, quæ nulli gremium claudit, statim est sanitati pristinæ restituta ipsa. Id testificatur Johannes Petri Parmæ, Petrutius Dominici et Petrus Antonii Johannis, contratæ S. Marci.

F

Laterum cruciatus compescit;

** i. e.* parvo

** lege* excessit

202 Quidam Rubeus Bonus Viterbiensis, cum doloribus ylіorum ultra modum esset oppressus, nec medici eum possent juvare quovis pacto aut medicinæ auxilio, accincto cingulo B. Rosæ, sibi tradito per Rosam ejusdem Rubei infirmi uxorem, paulo * inde post spatio liberatus est, et dolor successit * in totum. Ita testificatus est Rubeus præfatus et domina Rosa supra dicta.

maleficia fugat. o

203 Cum mulier quædam Constantia Mascini de Viterbio, contratæ S. Narci, a somno noctu excitata, adverteret phantasma quoddam super puerum, quem secum in lecto jacentem retinebat, et præ phantasmatis timore in modum gattæ *o*, loqui non posset, cum puerum in gutture artissime videretur constringere, invocato auxilio ac præsidio gloriosæ virginis Rosæ, aufugit phantasma, nec ulterius apparuit, et puer sine nocumento remansit ac periculo, licet paululum resipuerit. Idem testificatur dicta ejus mater.

ANNOTATA.

Ex Processu.

ANNOTATA.

a *Exstant earum testimonia in Processu.*

b Mons-Flasconis, *indigenis* Monte-Fiascone, *urbs parva Hetruriæ, in provincia Patrimonii. Alio etiam nomine* Mons Physcon *appellatur.*

c *Id est phthisim contraxerat. Deducta est hæc vox ab Italico* tisica.

d *In suo, quod de hoc miraculo dixit, testimonio dicitur* unus ex dominis Prioribus *civitatis Viterbiensis.*

e *Vide dicta in Annotatis ad Caput præcedens lib.* b.

f *Consule Annotata Capitis præcedentis lit.* g.

g Fabrica, *urbs parva Italiæ in Patrimonio, decem circiter milliaribus Viterbio dissita, quantum apparet ex tabulis F. de Wit.*

h *Germaniam superiorem intelligit, estque ea Germaniæ pars, quæ magis ad meridiem extenditur, uti Inferior illa dicitur, quæ magis vergit ad septentrionem.*

i *Id est laterum seu iliorum. Porro vox* flanci *deducta hic videtur ab Italica* i fianci *latera seu*
B *ilia Latine.*

k *Idem quod extranea.*

l *Instante scilicet jubilæo a Nicolao Vindicto, ut vidimus supra in Annotatis ad num.* 23, *lit.* m.

m *Vitiosus plane hic locus videtur, uti et circa finem vox* Salviericensis *et* Parmanensis : *neque operæ prelium videtur in hæc loca multis inquirere.*

n Veges *dolii genus est.*

o *Verba hæc:* in modum gattæ, *ad phantasma refer: est autem* gatta *Italis Latine felis : vereor, ne mulier hæc somniaverit.*

APPENDIX

Alia quædam miracula Vitæ secundæ subnexa a.

a

C

Electus in archiepiscopum confirmationem obtinere non valens, b

Quidam clericus ultramontanus *b* in archiepiscopum fuit electus : qui recepto decreto suæ electionis et acceptata electione, pro sui præsulatus confirmatione ad Romanam curiam properavit. Cui protinus æmuli obstiterunt, contra eum de sua electione jurgantes, opponentes articulos, et ad rationes suas libellos et exceptiones suas plurimas offerentes. Qua ex re prorogata fuit causa ad plures annos : propter quam dilationem oportuit, dictum clericum in curia moram contrahere; et nihilominus in sumptus consumere quicquid pecuniæ secum tulerat; quapropter factus est pauper : et sic de Roma et Romana curia tamquam desperatus recessit. Veniens autem Viterbium, hospitatus est ibi : et cum in stratu * suo de nocte quiesceret, cogitationibus plurimis fatigatus, cœpit paululum dormitare. In ipso autem somno revelatum fuerit sibi *, quod recommendaret causam suam Deo et virgini sacræ Rosæ, et votum emitteret de honore aliquo propter Deum impendendo, si consequeretur suæ electionis confirmationem.

* *l.* strato

* *l.* fuit illi

2 Qui consurgens a somno talique articulo monitus, illico, mane facto, ad ecclesiam S. Rosæ perrexit et corpus ejusdem sacræ Virginis a monialibus, commorantibus in monasterio supra dictæ ecclesiæ, sibi suppliciter poposcit ostendi. Quo viso et humiliter venerato, retulit monialibus ibidem existentibus totam seriem visionis præfatæ. Immediate autem post narrationem visionis prædictæ coram astantibus monialibus illis dictus electus emisit votum, quod, si de causa suameritis B. Rosæ reportaret intentum, rosam auream ad monasterium ipsum perenniter destinaret : et emisso voto hospitium est reversus. Mira res ! statim autem post suum de monasterio recessum nunptius de curia veniens, sibi occurrit, deferens litteras, quod deberet pro sua causa ad Urbem reverti. Qui gratias Deo referens et virgini sacræ Rosæ, sumpta refectione, per iter, quo venerat, remeavit. Constitutus autem coram summo Pontifice, exposuit humiliter causam suam; ut explicata *, statim fuit in archiepiscopum confirmatus. Qui Viterbium veniens, duas rosas secum retulit, unam de puro auro, aliam de argento : quas ambas cum multa devotione et gratiarum actione virgini Rosæ obtulit et spopondit, auream rosam perenniter mittere ; quod et fecit dum vixit *c* : cessante postmodum vita, quievit tributum.

D

in somnis monitus votum Sanctæ nuncupat, et Romam reversus, votis potitur.

* *supple* est

c

E

Monialis evulsum sacro corpori unguem simoniace vendit : facti pœnitens

3 Quidam autem vir Theutonicus, virginis Rosæ devotus, ob devotionis causam ejus corpus visitavit. Quo visitato et debite venerato, affatus est monialem illam, cui commissa erat cura custodiendi sacrum corpus; dixitque ei : si unam * ex unguibus digitorum manus hujus Virginis dederis mihi, tantam tibi pecuniam dabo : illa autem pecuniæ dono allecta unam de unguibus digitorum manus *d* Virginis violenter evulsit et Theutonico illi dedit. Qui pecunia pacta exhibita, unguem cum devotione magna suscepit, et eam in mundissimo loco reconditam in Alamanniam transportavit *e*. Monialis autem prædicta cernens, quia sacrilegium, quod commisit, bono modo tegi non poterat, pro eo, quod ex digito exunguato patenter quædam difformitas *f* refultaret, cœpit cogitationibus variis iterum excruciari.

* *l.* unum

d

e

f

4 Considerabat forefactum *g* esse enorme, et de forefacto in brevi sibi dispendium imminere. Quid faciat nescit, semper per devia currens, errans, et errando vulnus doloris alebat. Videns autem, quod omne humanum subsidium sibi deficeret, recursus habuit ad patrocinium illius, quam læserat, videlicet ad virginem Rosam; ad cujus pedes se sponte prostravit, cum lacrymis recognoscendo humiliter culpam suam, promittendo nihilominus, quod numquam in posterum talia vel similia facere attentaret. Et surgens ab imploratione suffragii, respexit amaro animo et facie verecunda manum, quam sua avaritia deturpaverat : et vidit unguem in proprio digito renovatam, aliis quidem unguibus tendentibus ad nigredinem, illa sola albedine renitente *h*. Ad quod miraculum monialis illa stupefacta pariter et conterrita, deposita verecundia, abbatissæ et monialibus aliis rem gestam, prout se habuerat, fideliter revelavit *i*. Hæc ego, que *k* superiora descripsi, oculata fide recolo me vidisse.

implorata Sanctæ ope, unguem digito prodigiose restitutum deprehendit.

g

F

h

i k

5 Alio quoque tempore, existente abbatissa cum quadam nobili domina de Viterbio, nomine Maria, summitas campanilis ecclesiæ S. Rosæ, propter disjunctionem ad invicem suprapositorum lapidum, minabatur ruinam. Erat autem tanta illorum lapidum apertura, quod, si more solito campanæ fuissent pulsatæ, absque dubio periculum effecissent. Rosa autem virgo sanctissima

S. Rosa commonet moniales de imminenti turris ruina.

A sanctissima cernens, ex casu lapidum imminere dispendium, apparuit cuiquam * honestæ dominæ nomine Claræ moniali: cui in altum protenso bracchio summitatem campanilis ostendebat dicens: Nonne tu vides, lapides illos casuros in brevi? attende, attende, et perspicue prospice, quod cito ruerent. Surgens autem a somno monialis præfata secessit ad locum, unde dictum campanile poterat intueri: et respiciens vidit, lapides illos a compage parietis semotos, sicut sibi visio demonstrabat; et advocans abbatissam et alias quasdam Sorores, retulit eis visionem prædictam et una cum eis accessit ad locum, et simul pariter viderunt lapides ab invicem separatos ad casum. Abbatissa vero statim fecit remedium per artifices adhiberi; et sic meritis virginis Rosæ periculum personarum et rerum dispendium evaserunt.

* l. cuidam

Cæcus post factum de extruendo Sanctæ sacello votum, visum recipit:

6 Quodam namque tempore, cum quidam Teutonicus in partibus suis valde famosus et dives, apud Venetias se ageret, casu accidente, duorum luminum ammisit visum. Cumque magnam substantiam consumpsisset in medicis, nec adipisci valeret, quod anxie quærebat, scilicet ut liberaretur a cæcitate, unde reddebatur valde B tristis; subito venit ei in mentem, qualiter B. Rosa ab Alamannis colitur et habetur in reverentia magna, pro eo, quod a referentibus dicitur, quia in partibus illis operatur multa miracula. Cui Virgini cum se tota, qua poterat, devotione recommendaret, promittens ei, quod faceret in terra sua cappellam ad honorem ipsius, si eum a cæcitate liberaret; statim hiis peractis, qui cæcus erat, lumen recepit, et in laudem omnipotentis Dei et B. virginis Rosæ prorupit *l*.

l

captivus, implorato ejus auxilio miraculose liberatur.

7 Alio quippe tempore nobilis quidam de Narnea *m*, nomine Juvenalis Antonii, dum in turri dictæ civitatis carceratus detineretur, et cum eo duo alii, scilicet Reveratius et Peregrinus; ipse Juvenalis, qui pluribus annis fuerat officialis Viterbii, et noverat virtutem S. Rosæ virginis, ei se cum multa fiducia recommendavit in ipsa custodia. Cui apparens Famula Dei, ipsum Juvenalem absolvit; et ut patentius claresceret miraculum, claustris non apertis *n*, solutum tuto in loco constituit.

m

n

Energumena ad ejusdem sepulcrum deducta, facta peccatorum confessione, liberatur.

8 Apud castrum Vitorchiani *o*, puellæ quædam, cum invita fuisset in matrimonio juncta, C et nullo modo vellet esse cum viro, intentantibus mortem suis, nisi sponte se subderet viro, dedit se dæmonibus; qui accipientes potestatem in eam, intraverunt in corpus ejus et multis diebus et noctibus ducentibus * eam vagam, nullibi sinebant quiescere. Tandem suadentibus suis, quod confiteretur, nullo modo acquiescebat, sed potius risum faciens, spuebat in eos. Dicitur interim Viterbium et ad corpus S. virginis Rosæ: ubi dum aliquantulum subsisteret, petivit capta mulier, sibi dari potum: una vero de Sororibus ipsis, quæ custodiebat sacrum corpus, quasi edocta a S. Rosa, accepta aqua, lavit manus S. Rosæ prædictæ, et loturam ipsam dedit sitienti mulieri; quam ut deglutivit: Volo, inquit, confiteri. Ducite me, ait, ad Fratres Ordinis, unde fuit hæc Sancta. Et ducentes eam ad Fratres minores, uni eorum, f. * Capellano monialium, in confessione sua peccata detexit, statimque antiquus serpens, qui eam deluserat, illico dereliquit, et ex tunc per omnia marito cohæsit Quod non ambigit fidelium mens, meritis B. Rosæ virginis hoc fuisse factum, dum ad ipsius invocationem dæmon expellitur, et ægra mulier pristinæ redditur sanitati *p*.

o

* l. ducentes

forte scilicet

Ex Processu.

p

Puer ex lapsu membra contritus, apparitione prævia, a Sancta restituitur sanitati.

9 Alio quoque tempore puer quidam, nomine Menicus, cum suis sodalibus juvenculis ludendo, caput sibi et omnia membra ita conquassaverat, ut vix supervicturus crederetur in crastinum. Cujus interitum parentes ægre ferentes, pro eo, quod unicus erat eis, ipsum cum multis precibus et lacrymis recommendaverunt B. virgini Rosæ: et ecce nocte insequuta B. Rosa apparuit parentibus pueri, dicens: Propter fidem vestram et devotionem, quam habuistis in me, ecce præstitum est vobis, quod petistis, quia filius vester sanus factus est. Evigilantes autem mane, filium, quem credebant tradere sepulturæ, invenerunt sic sanum, acsi nil penitus mali ante sensisset.

Dæmones e duobus energumenis expulsi.

10 Testatur etiam de miraculis S. Rosæ loquens vulgariter de vero fama, quod cum duo dæmonia in bina corpora hominum separatim intrassent, quatiebant ea contumelioso languore sine requie aliquali. Quorum parentes, memores sanctitatis virginis Rosæ, eos ut furibundos. linfantes *, ligatos catenis, ad sacrarium miraculosi corporis Rosæ sanctæ transire fecerunt invitos, et eidem corpori devote supplicationibus * præfatorum parentibus, pro liberatione hujusmodi orationibus et cum votis, virtute omnipotentis Dei et meritis gloriosæ virginis Rosæ, statim dictos dæmones ut nigros scardavones *q* emisere per ora, et liberati omnino laudem Deo et Virgini dedere devote.

E

* lymphantes

* l. supplicantibus

q

Puer ex lapsu devita periclitans subito convalescit:

11 De infantia vix perfectus *r* puer quidam, peragrando loca in mature de alto sita prosiluit in terras: qua causa pueri relicto eorum proprio loco descenderunt, adeo quod quasi vitæ sortem delinquere cogebatur *s*. Parentes autem plurimum diligentes filios plus quam semetipsos anxii medicaminum supradicto juvamine *t* ad spiritualia decurrere, voventes se pro liberatione pueri sanctitatibus sacræ Rosæ: votis namque peractis, virginis Rosæ meritis ad pristinam puer illico rediit sanitatem.

r

s

t

oculorum infirmitas moniali sublata.

12 Nec vos legentes prætereat, quod monialis quædam Ordinis S. Claræ gravata quasi oculorum infirmitate perpetua, cum invocasset postmodum relicta a medicis auxilium meritorum corporis S. Rosæ pro incolumitate, meruit mox, voto exacto, puram luminum pristinam visionem.

Moribundæ sanitas reddita:

F

13 Adjuro insuper etiam vos, qui perlegitis devota virginis Rosæ, ne relinquantur, quæ referenda putavi; maxime quidem, nobilem quamdam dominam de Viterbio, morbis ita quassatam, quod ab omni fere sensuali virtute accersita * fisicis * testibus signa dabat * morte potius, quam salute sperandum *u*. Nam debilis erat ei pulsus ac anelitus, oculorum pupilla occultabatur, et per corpus labebatur sudor parvus et frigidus, demumque ipsa in novissimis revoluta, corde valetudinis præsidia exoranda *, præcipue auxilium meritorum Rosæ virginis devotissime imploravit, exauditaque in prece sua Dei gratia sacræ Rosæ meritis quasi evulsæ sensuales rediere virtutes, et post de languore mortifero: hæc ego, qui scripsi, testor eam vidisse omni modo liberatam.

* *i. e* repetita

* *l* Physicis

* *adde* de

u

* *supple* existimans

puerpera difficili partu levata.

14 In partu periclitans mulier de vita, cum voverit se Rosæ virgini, ut partui et vitæ faveret, accepto cingulo, quo cinctum extitit corpus Rosæ, cum spe de ea confidens se cinxit: quibus peractis, partui finem dedit et vitam indubitatam incolumitatem * excepit.

* *l.* indubitata incolumitas

15 Orbatus liberis nobilis miles de Alamannia-

Ex Processu. Proles ex sterili conjuge impetrata : nia avide cupiens prolem pro filio sibi dando de sterili uxore, vota porrexit ad sanctitatem Rosæ virginis satis devote. Cumque post hæc matrimonialiter hæsisset uxori, gravidum conceptionis onus uteri fassus fuit. Exacto postmodum debito tempore inclusi partus, favente Rosa sancta, ejus uxor filium pulcerrimum prodidit in hunc mundum. Et semper * hoc miraculo ex voto censum aureum annuatim vita pueri ad laudem beatæ Rosæ ejus corpori condonavit *w*.

* forte super, i. e. propter

w

surda mulier, 16 Auditionis meatum reclusa mulier adeo quod surda erat, devota valde de virtutibus S. Rosæ relatis corpori dictæ Virginis pro auditu recuperando se recommendavit cum fide; quapropter consequuta est integraliter illæsum pristinum auditum.

et alia moribunda sanata. 17 Mulier quædam reluctantem animam tenens, cum morborum quassitudine devenerat ad mortis horam, retinendæ vitæ et fugandæ mortis preces multiplices ad sacram Rosam fudit: quia constans in spe consequendæ, quam optabat resumpsisse, vitæ, primam sanitatem exstitit gratulatum *x* consequuta.

x

B

Incendium exstinctum : 18 Denique miraculis, quorum non finis est, finem ponens, refero cujusdam dominæ Viterbiensis ita igne accensam domum, ut a ruina nullatenus posset liberari, intercedente domina ipsa sanctitatibus sacræ Rosæ pro auxilio, quarum eam recordari jussit ejusdem ecclesiæ pulsatio campanarum *y*, fuisse a ruina præfata omnimodo reservatam: et extincto igne, mira tam magna videns collaudavit Deum in orationibus S. Rosæ.

y

grave malum sublatum. 19 Item in anno Domini MCCCCVI tempore Domini Domini Innocentii divina providentia PP. VII de mense Februarii beatissima Rosa sanavit quemdam hominem de civitate Saxoniæ de una infirmitate, quæ erat in spetie lepræ, quam infirmitatem passus fuit in carnibus dentium suorum: et gratia Dei et B. Rosæ liberatus est. Deo gratias. Amen.

ANNOTATA.

a *Cum Vitæ secundæ, cujus sæpe meminimus, miracula quædam subdantur, quæ, si unum alterumve excipias, inter miracula idoneorum testium suffragiis confirmata non reperiuntur; visum est ea hic subnectere: ne quid lector desideret.*

C

b *Forte Germanus: hoc enim nomine in Processu Germani non semel veniunt.*

c *Cum in Processu nullus e tot testibus, inter quos Margarita Petrutii abbatissa cum aliquot ascetriis suis recensetur, hujus rei mentionem faciat; tota hæc relatio suspecta mihi est. Sane tam honorificum ex voto tributum, quocumque tempore missum fuerit, non videtur moniales latere potuisse: nec ipsæ tacituræ fuisse videntur, si ad illarum pervenisset notitiam. Verumtamen cum miracula aliqua, ut non semel notavi, ab amanuensi nostro omissa videantur, fieri potest, ut illud unum ex iis sit.*

d *Coretinus, Rinaldus et Gianellus ajunt, unguem a quarto seu annulari dexteræ manus digito avulsum fuisse.*

e *Ubi, si præfatis scriptoribus credimus, sacras illas reliquias in magnifico sacello in hunc finem exstructo pretiosa inclusas theca collocavit: ibique, teste Coretino, circa annum* 1636, *quo Vitam* S. Rosæ *conscripsit, etiamnum servabantur. Unde hæc ipsi didicerint, plane ignoro: utinam saltem, si vera narrent, locum, in quo sacellum hoc conditum est, verbo uno indicassent.* D

f *Iidem scriptores addunt, digitum cruentatum apparuisse, non secus acsi vivo corpori refectus unguis fuisset.*

g *Id est crimen.*

h *Albedinem hanc ad sua usque tempora perseverasse tradunt Coretinus et Rinaldus, quorum posterior in Vita anno* 1677 *Italice edita ait:* Dein prodigiosus unguis usque in hodiernum diem præ cæteris ita pulcher et pellucidus est, ut quicumque eum videre meruerit, ei pariat admirationem et stuporem. *Prioris verba quoad sensum ita sonant:* Spargebatur hujus rei per civitatem ac orbem fama cum incredibili omnium admiratione: quippe dum unguis in Germaniam delatus erat, ubi hodiedum servatur; conspiciebatur, et conspicitur in eodem Sanctæ digito unguis alter novus et albicans: cum prius exanguis et niger appareret.

i *Subdit Coretinus:* Miraculum hoc eum debita solemnitate ac testimoniis ut verum agnitum est: fuitque insuper statutum, ut sacri corporis thecæ duæ claves haberentur, quarum altera apud abatissam, altera apud unam e duodecim senioribus monialem servaretur; prout in ejus Processu legitur. *Eadem habet Giannellus, addens, rem totam episcopi auctoritate examinatam agnitamque fuisse. Miraberis forsitan, studiose lector, omnium testium de hoc tam insigni miraculo silentium. Quod abbatissa cum suis virginibus de hac re tacuerit, id earum verecundiæ tribuendum puto; quippe quæ miraculum declarare non poterant, quin simul simoniacam labem, qua monasterii sui alumna sese olim inquinaverat, patefacerent. Forte eadem ratio reliquis testibus indixit silentium; videlicet, ut sanctimonialium verecundiæ parcerent, quarum religiosam disciplinam sanctamque vitam pluribus locis commendabant. Forte etiam, ut jam alias monui, quæ hac de re in Processu habebantur, ab amanuensi nostro omissa sunt. Huic suspicioni favent verba Coretini mox data, quibus miraculi relationem concludens ait:* prout in ejus Processu legitur. E

k *Nisi in describendo erraverit amanuensis, miraculi hujus narratio a femina conscripta est: nec obstat, quod vox* que *per diphthongum expressa non sit; nam plus quam centenis vicibus per totum Processus decursum* e *vocalis pro* æ *diphthongo adhibetur: ita V. G.* hec *pro* hæc *posuit: aliis tamen locis sæpenumero correxi, ne tam frequentia menda nauseam lectori parerent. Hæc oculata testis forte fuit una ex monialibus ejusdem monasterii.* F

l *An, et ubi sacellum exstrui curaverit, divinare nequeo.*

m *Urbs Umbriæ in ditione Pontificis.*

n *Hoc idem Sanctæ pie opitulantis prodigium aliter relatum est supra num.* 46 *in Processu. Ibi enim leguntur sequentia:* Quibus votis ita emissis, illico miraculose obserati compedes aperti sunt, et portæ carcerato patuerunt et ultro apertæ sunt, donec libere exivit. *Contra hic* claustris non apertis *tuto loco restitutus dicitur. Verum hæc apparens contradictio evanescit, si tempora distinguamus, dicamusque, primo quidem compedes ac fores divinitus reserata fuisse,* donec libere exivit: *at postquam jam in tuto positus esset,* ut patentius claresceret miraculum, *occlusos carceres esse repertos, adeo ut* claustris non apertis *Juvenalis evasisse crederetur. Miraculi*

A *culi confirmationem vide loco mox citato.*

o *Consule annotata ad num.* 18 *in Vita lit.* k.

p *Non reperi hæc confirmata a testibus.*

q *Barbara vox ab Italica* scardafone, *quæ scarabeum significat. Est autem scarabeus sordidum insecti genus, quod stercori et quisquiliis continuo immoratur et alitur : hinc dæmones immundos utique spiritus scarabeos per metaphoram appellat : nisi forte sub scarabeorum forma, dum expellerentur, apparuerint; quod textui conformius est.*

r *Id est, infantiæ proximus.*

s *Vitiosa hac periodo nihil aliud significatur, quam quod puer ex eminentiori loco temere desinens, ex lapsu de vita periclitatus fuerit : reliqui vero pueri, qui forte aderant, cadentem intuiti, ex eodem illo loco descenderint.*

t *Periodum obscuram et vitiosam sic explico :* parentes... anxii medicaminum *(id est, de medicaminibus adhibendis)* supra *(id est,* pro) dicti *(pueri)* juvamine, ad spiritualia etc.

u *Ineptus loquendi modus denotat, quod ex in-*
B *diciis omnium sensuum desperandum potius, quam sperandum de salute esset.*

w *Mirum, hujus rei mentionem nullam fieri a monialibus in Processu.*

x *Obscura locutio est : fore* gratulatum *ponitur pro* gratulabunda.

y *Coretinus lib.* 4 *cap.* 5 *hoc miraculum referens ait, campanas nullo impellente sponte pulsatas fuisse; at unde hoc acceperit, ignoro. Sane id ex datis verbis Processus erui non potest. Coretino tamen more suo adhæret Giannellus, sed non Rinaldus, qui de campanis altum silet.*

Nomina testium, qui supraposita miracula jurejurando respective confirmarunt.

Subjungo nomina eorum, qui in præfato Processu coram dominis commissariis et subdelegatis relata miracula interposito juramento con-
C *firmaverunt : non quod omnes omnia testati sint, sed alii alia : ita ut inter illa, vix ullum, aut nullum sit, quod non unius aut plurium juridico testimonio assertum firmatumque sit. Interrogationes et responsa eorum omitto, ne nauseam pariam, ut in Commentario prævio num.* 6 *monui.*

Die nona Aprilis, quæ fuit dies Sabati comparuerunt infrascripti testes jurati, relati, inducti, producti, ut supra coram supradictis dominis commissariis et subdelegatis, pro tribunali sedentibus in loco supradicto et confinato *, moniti ad hanc horam et diem. Et primo.

* *i. e.* præstituto, *ab Italico* confinare, *i. e.* terminos constituere

Petrutius Nicolai de Bussis de Viterbio.

Presbyter Contutius canonicus ecclesiæ S. Angeli de Spata de Viterbio, et olim Rector ecclesiæ S. Mariæ in Podio.

Nardus Mazzatoste de Viterbio.

Nicolaus Ciaccie de Viterbio.

Ricciardus Tome magistri Gerolimi de Viterbio.

Christoforus Panalfi de Viterbio.

Presbyter Antonius canonicus ecclesiarum sanctorum Lucæ et Faustini.

Dominus Michaël de Alexiis legum doctor.

Dominicus ser Angeli de Viterbio.

Jacobus magistri Odonis de Viterbio.

Artimannus ser Baptistæ de Viterbio.

Laurentius Judicis de Viterbio.

Pacificus Bonelli de Viterbio.

Antonius Gattus de Viterbio.

Magister Johannes Mariani de Alma Diani artium et medicinæ doctor de Viterbio.

Magister Petrus Dominici artium et medicinæ doctor de Viterbio.

Nicolaus Antonii Ciulpe de Viterbio.

Petrus Paulus Cucumelle de Viterbio.

Ser Franciscus ser Nicolai de Viterbio.

Tutius Lorenzetti de Viterbio.

Nicola Tuccie de Viterbio.

Johannes Lucæ de Viterbio.

Dominus Angelus Prior ecclesiæ sancti Bartolomæi de Viterbio.

Johannes Petri Parmæ de Viterbio.

Bartolomæus Rosolini de Viterbio.

Domina Sabecta uxor Bartolomæi Rossolini de Viterbio.

Tomas Johannis Cacciatoris de Viterbio unus ex dominis Prioribus dictæ civitatis.

Domina Francisca Tomæ de Viterbio. E

Nicolaus filius dicti Tomæ Cacciatoris de Viterbio.

Domina Cecilia Ferabuschi de Viterbio.

Domina Gianna Ninæ de Viterbio.

Domina Felix Antonii Rubei de Viterbio.

Domina Angela Lucæ de Bussis de Viterbio.

Domina Perna Petri Hyspani de Viterbio.

Petrus Ispanus de Viterbio.

Dominus Antonius Blondus rector ecclesiæ S. Petri de Ulmo de Viterbio.

Domina Ludovica Tutii Lorenzetti de Viterbio.

Petrutia Bartolomæi Antonii.

Julianus Mutii detto * delloriolo civis Viterbiensis.

* *i. e.* dictu

Rosa Juliani Mutii dicto delloriolo de Viterbio.

Domina Margarita Johannis Guiglielmi de Viterbio.

Jacobus dictus della Golpe de Viterbio, rector Disciplinatorum et caritatum hospitalis Viterbiensis.

Georgius Trombecta habitator Viterbii.

Magister Gentilis de Viterbio.

Veronica uxor Jacobi della Golpe. F

Johannes Cifarelle de Viterbio.

Magister Angilellus magistri Angeli civis Viterbiensis.

Domina Petrutia uxor supradicti magistri Angilelli.

Filippa Jacoba magistri Angilelli.

Domina Bartolomæa Angeli del Messere de Viterbio.

Gianna Cole Missore de Viterbio.

Domina Paulina Mattæi Ducæ de Viterbio.

Domina Ludovica Michaëlis Palotii de Viterbio.

Antonia uxor Franciosi.

Caterina uxor Pelofacti de Viterbio.

Gianna tertii Ordinis sancti Dominici.

Domina Leonarda Boccacerase.

Domina Laurentia Boccacerase.

Domina Caterina Petri Jennis de Viterbio.

Johannes Jutii de Viterbio.

Domina Paulina uxor Bartholomæi della Bruzza contractæ S. Mattiæ de Viterbio.

Domina Tomassa Antonia Marrochi.

Johannes magistri Anselmi de Viterbio.

Petrus

Ex Processu. Petrus Angelus Nicolai de Viterbio.
Domina Angilella Egidii Marci Gualdi.
Domina Johanna Egidii Marci Gualdi Transmundi.
Caterina Jacobi Gemini de Viterbio.
Domina Sueva Nicolai de Bussis.
Francisca Marci Barberii de Viterbio.
Francisca Angela Dominici de Jovi.
Johanna Petri Muratoris de Viterbio.
Angela Johannis Forlani de Viterbio.
Caterina Jacobi Cecchi Bianchi.
Margarita Cecchini de Viterbio.
Frater Jacobus Maltempi Ordinis Servorum de Viterbio.
Frater Jacobus Filippi Ordinis Servorum de Viterbio.
Jacobus Stefani Angeli.
Antonius Jutii macellarius de Viterbio.
Magister Antonius bastarius de Viterbio.
Constantia Mascini contratæ S. Marci de Viterbio.
Domina... mater dictæ Constantiæ.
Petrutius Butii.
B Petrus Dominici de Viterbio.
Angela Nardi Palotii de Viterbio.
Domina Tomassa mater Angelæ Nardi.
Filomena Benedicti Justi de Viterbio.
Domina Benedicta Justi, mater dictæ Filomenæ.
Palotia Riccii contratæ S. Leonardi de Viterbio.
Joannes Jutii Fanciulli de Viterbio.
Petrus Dominici Sciarguatelli.
Tomas Capati de Viterbio.
Adornina Petri de Corsica, habitatrix Viterbii.
Frater Andreas Sclavus Ordinis Minorum.
l. Malvicinis Dominus Christoforus de Malvicis * de Viterbio, legum doctor et Comes palatinus.
Ser Jacobus Tutii de Viterbio.
Frater Dominicus de Gallexio Ordinis Minorum.
Frater Antonius de Sectia.
Frater Bernardinus de Viterbio, Ordinis Servorum.
Andreas Capati de Viterbio.
Johannes Andreæ de Viterbio.
C Frater Ludovicus de Gallesio Ordinis Minorum.
Frater Simon de Viterbio.
Frater Gabriël tertiæ Regulæ sancti Francisci.
Domina Margarita Nicolai Nannis de Viterbio.
Nicolaus Nannis de Viterbio.
Domina Lucretia Nicolai Nannis de Viterbio.
Domina Egidia Tutii della Teja de Viterbio.
Tutius Angeli della Teja de Viterbio.
Domina Petrutia Antonii de castro Valentani.
Nardus Paulotii de Viterbio.
Angela filia Benedicti Zello de Viterbio, et ejus mater.
Margarita Antonii Bonanni de Bagnaria.
Caterina Pauli Vannelle de Viterbio.
Domina Andreotia ser Johannis ser Tomæ de Viterbio.
Ser Johannes Tomæ magistri Jeronimi... de Viterbio.
Domina Angela filia dicti ser Johannis.
Antonia Petri Angeli de Viterbio.
Francisca Johannis Spolgliæ de Viterbio.
Geromnia mulier de castro Chiæ.
Gianna de Monte Leone, habitatrix Viterbii.
Domina Simonetta Jutii de Viterbio.
Domina Galiana Petri de Urbe veteri. D
Domina Antonia Dominici Fari de Viterbio.
Domina Angela Dominici Nardi de Viterbio.
Domina Lodovica Tutii Lorenzetti de Viterbio.
Domina Petrutia Bartolomæi Antonii de Viterbio.
Carolus Grugni de Viterbio.
Petrus Angeli Triæ de Viterbio.
Domina Paulina magistri Angeli sellarii de Viterbio.
Magister Angelus sellarius de Perusio habitator Viterbii.
Domina Francisca Benedicti Zello de Viterbio.
Domina Francisca Nardi Maltempi.
Christophorus alias Boccafrolla de Viterbio, vir supradictæ dominæ Franciscæ.
Vitorbese de Viterbio.
Antonia Franciosi de Viterbio.
Bartholomæa Baptistæ Nerii.. de Viterbio.
Angelus Pasquinæ muratoris de Viterbio.
Domina Angela muratoris mater dicti Angeli.
Domina Johanna Colæ de Capranica, habitatrix Viterbii. E
Domina Perna Colæ de Capranica, habitatrix Viterbii.
Domina Caterina Augustini Longi de Viterbio.
Domina Narda Nicolai Tomæ.
Domina Caterina Baptistæ de Viterbio.
Domina Antonia della Caldussa de Viterbio.
Domina Johanna Francisci de Viterbio.
Domina Antonia Georgii Trombectæ de Viterbio.
Domina Laurentia Gemini de Viterbio.
Domina Titia Jacobi de Fulgineo, tertii Ordinis sancti Francisci.
Domina Julia similiter tertii Ordinis.
Domina Constantia de Tuderto.
Domina Angela Petri de Capranica.
Domina Rita de Scansano, habitatrix Viterbii.
Domina Cecilia Domini Augustini de Viterbio.
Domina Laura tertii Ordinis S. Francisci, commorans in civitate Viterbii.
Domina Gregoria Simi de Viterbio.
Domina Caterina Filippi Bartolomæi.
Domina Angela Tomæ mater dictæ Caterinæ.
Johannes Piccininus de Florentia, habitator Viterbii.
Domina Maria Johannis Piccinini, habitatrix Viterbii. F
Domina Jacoba Gemini della Tora de Viterbio.
Antonius Gemini della Tora de Viterbio.
Franciscus Gemini de Viterbio.
Baptista Gemini de Viterbio.
Egidius... de Viterbio.
Jacobus Stefani Viti de Viterbio.
Antonius Vitis de Viterbio.
Domina Angilella uxor supradicti Egidii de Viterbio.
Dominicus Augustini Fabri de Viterbio.
Antonia Augustini Fabri de Viterbio.
Domina Donata Nicolai Ciacciæ uxor Nicolai Vicarii de Viterbio.
Lucas Caprinus de Viterbio.
Presbyter Nardus Rector sanctæ Crucis de Viterbio.
Johannes Nicolai Ciaccie de Viterbio.
Mariottus Nicolai Ciaccie... de Viterbio.
Domina Nicola Silvestri Bocca in furc de Viterbio.

Mariottus

A Mariottus Silvestri Boccafusæ de Viterbio.
Domina Antonia Augustini de Aretio, habitatrix Viterbii.
Augustinus Baptistæ de Aretio, habitator Viterbii.
Domina Caterina mater dictæ Antoniæ Augustini de Viterbio.
Domina Lodovica Angeli Longi.
Angelus Longus de Viterbio.
Domina Jacoba Nannis de Viterbio.
Domina Antonia Sanctis sutoris de Viterbio.
Angelina Magnardi de Viterbio.
Domina Petrutia Nicolai Magdalenæ de Viterbio.
Bartolomæus Lombardus habitator Viterbii.
Domina s'Valentini ser Scolarii de Viterbio.
Domina Petrutia s'Valentini s'Fredi de Viterbio.
Gemina Dominici de Monte Leone, habitatrix Viterbii.
Domina Petrutia Antonii Nannis de Aquapendente.
Caterina Antonii de Viterbio.
B Domina Angilella Maccaroni de Ronciglione.
Domina Menica Mattei Transmundi de Viterbio.
Antonius Dominici, alias Cortopasso de Viterbio.
Domina Francisca Herculani de Viterbio.
Johannes Herculani de Viterbio.
Domina Laurentia Johannis de Vacodura de Viterbio.
Domina Margarita Johannis Viltris de Viterbio.
Domina Lucia mater dictæ dominæ Margaritæ.
Domina Matteia Johannis de Senis, habitatrix Viterbii.
Domina Bartolomea... de Viterbio.
Johannes Menici del Pelofacto de Viterbio.
Domina Caterina Johannis Menici del Pelofacto de Viterbio.
Antonia uxor Petri de Aquapendente.
Domina Antonia Capati de Viterbio.
Matteus Luce contratæ S. Mattiæ de Viterbio.
Domina... uxor dicti Mattei de Viterbio.
C Domina Felix Lazzari de Pisis, habitatrix Viterbii.
Petrus Jennis Dominici Tondi de Viterbio.
Angilella mater supradicti Petri Jennis de Viterbio.
Simon Baptistæ clavarius de Viterbio.
Bartolomeus Francisci Caldararii de Viterbio.
Domina Vannotia mater supradicti Bartolomei mei de Viterbio.
Domina Palotia Cicci de Viterbio.
Johanna Palotiæ.
Domina Caterina Baptistæ de Aretio, habitatrix Viterbii.
Domina Francisca Bacchini de Viterbio.
Frater Mariottus de Viterbio.
Domina Lucia supradicti fratris Mariotti soror de Viterbio. Ex Processu.
Tutius Angeli della Teia de Viterbio.
Franciscus Mariotti Nardi de Viterbio.
Domina... mater supradicti Francisci de Viterbio.
Cecilia Butii de Viterbio.
Paulus... Feiscerna contratæ S. Faustini de Viterbio.
Domina... mater supradicti Pauli.
Menica de Amelia, habitatrix Viterbii.
Peregrina filia supradictæ Menicæ.
Erasimus Bernardi de Viterbio.
Petrutia Fustini de Viterbio.
Angela Menici et Menica ejus soror de Viterbio.
Filippa Lodovica de Viterbio.
Melchior Ambrosii de Viterbio.
Antonius Petri della Chiesia.
Domina Paulina ejus uxor... de Viterbio.
Domina Johanna Angeli Tutii de Viterbio.
Domina Johanna Antonii Alexii de Viterbio.
Domina Bartolomea Pastorati de Viterbio.
Domina Petrutia Cartulere de Viterbio.
Domina Magdalena uxor magistri Nicolai de Monte flaxone.
Domina Angela mater supradictæ dominæ Magdalenæ. E
Domina Jacoba ejus soror de Viterbio.
Domina Caterina Georgii.
Domina Cecca Vannis de Viterbio.
Domina Jacoba Cagnoris de Viterbio.
Domina Pellegrina Sanctori de Viterbio.
Antonius, alias Cento mezzo de Viterbio.
Domina Jacoba Angilelli Gidolfi de Fabrica, habitratrix Viterbii.
Angilellus Gidolfi de Fabrica, habitator Viterbii.
Rubeus Bonus de Viterbio.
Domina Victoria Jannis Butii de Viterbio.
Domina Laura Petri Pauli Egidii de Viterbio.
Domina Caterina Lucæ... de Viterbio.
Johannes Petri Scolarii de Viterbio.
Venerabilis mulier domina Margarita Petrutii de Viterbio, admodum bene merita abbatissa monasterii B. Rosæ.
Domina Francisca Benedicti monialis... de Viterbio.
Domina Magdalena Johannis de Viterbio monialis. F
Domina Angela Petrutii de Viterbio monialis dicti monasterii.
Domina Margarita Stefani de Viterbio monialis.
Domina Ludovica Lentii de Viterbio monialis.
Domina Johanna Angeli de Viterbio monialis.
Soror Jeronima Antonii de civitate Castellana monialis.
Soror Laura Laurentii, olim de Monte alto, dicti monasterii monialis.
Soror Filippa de Sutrio monialis dicti monasterii.

DE

A D

DE B. BENINCASA RAPACCIOLI

ORDINIS SERVORUM B. M. V. MARTYRE,

IN ASIA

J. V.

SYLLOGE

§ I. Beati locus natalis, Vita bis scripta, familia, professio religiosa.

B E

ANNO MCDXV. *Notitiæ de Beati patria;*

Patria beato huic Martyri obtigit Collis Scipionis in Umbria Italiæ provincia, vulgo Colle Scipoli *aut* Coldiscepoli *dictus. Oppidum istud seu castrum in Narniensi diœcesi situm est, distatque Narnia milliaribus quinque; Interamna vero duobus, uti habent ambæ Vitæ Mss. De eodem hæc tradit Leandri Alberti Descriptio totius Italiæ, anno* 1566 *Latine edita Coloniæ Agrippinæ, pag.* 152 *:* Via... Flaminia procedenti eo usque, ubi læva in parte Velini lacus aquæ ex edito præcipitatæ Nari illabuntur, citra Ternum *(Interamnam)* ponte transito, qui Naris ripas jungit, oppidum in tumulo cernitur, Collis Scipionis vulgo literatis dictum, frequens et opibus affluens; quod Scipionem condidisse nonnulli putant. *Et pag.* 156 *:* Primum igitur ab aquarum e Velino lacu in Narem delapsu, per ea loca, quæ nunc Sabiniam appellant, incedenti Collis Scipionis offertur, quo de supra commemoravimus. *Conditorem ejus fuisse Scipionem Africanum antiqua vult tradito, inquiunt Vitæ Mss., idque omnino asserit Ludovicus Jacobilli in Vita Beati edita tom.* I *de Sanctis* B *Umbriæ pag.* 725 *; sed nimis liberaliter : nam apud Livium et Plutarchum, quos citat, nullam prorsus de Colle Scipionis mentionem inveni. Nolim tamen ideo negare ab aliquo e Scipionibus fuisse conditum.*

Vita Italice scripta, cujus majorem partem

2 *Vitæ Mss. jam memoratæ Italico idiomate concinnatæ sunt, auctoremque habent P. magistrum Hyacinthum Selimbeni, vel Salimbeni, ut in secunda scribitur, Collescipolitanum ex tertio Ordine S. Francisci. Primam anno* 1652 *compositam biennio post Roma huc misit P. Matthæus Gherardelli Societatis nostræ; alteram paulo pleniorem* XIV *Aprilis* 1657, *addiditque :* Vita B. Benincasæ Rapaccioli descripta ab Eminentissimo hujus cognominis, *nimirum Francisco Angelo Rapacciolo sacræ Romanæ Ecclesiæ presbytero Cardinale, consanguineo Beati ex fratre in octavo gradu secundum Selimbenium. De eo videri potest Alphonsus Ciaconius in Vitis Pontificum tom.* 4 *col.* 628. *Vita hæc secunda nihil aliud est quam exemplar primæ, nec plura continet de gestis Beati; sed genealogiam et familiam aliquanto fusius explicat. Id tamen miror, quod nusquam exprimatur, quis fuerit avus Beati. Majorem Vitæ partem occupat genealogia, cui Selimbenius præmittit laudes suæ patriæ, commendans Collem Scipionis a magnitudine, amœnitate, antiquitate et fidelitate, quam semper illibatam servavit erga Sedem Apostolicam inter rebelliones vicinorum populorum : atque ea de causa Gregorius XI Collescipolitanos variis ornavit privilegiis, confirmatis deinde per novas bullas a Martino V, Paulo III aliisque Pontificibus. Privilegia ista labefactata per Julium III, qui Michaëlem Angelum Spada Interamnensem creaverat loci vicarium, restituit auxitque Pius IV, concedendo universitati et populo Collis-Scipionensi totam jurisdictionem : ita ut etiam hodie, inquit Selimbenius, civitas gubernetur quasi adinstar reipublicæ per magistratus populo electos.*

occupat genealogia

3 *Hinc transit laudatus auctor ad familiam Beati, quam antiquitus ibidem loci conspicuam fuisse ait, dictamque primum* Rapizzoni *ac deinde* Rapaccioli, *quæ terminationis mutatio abhinc* 400 *annos et amplius facta sit exemplo diversarum familiarum Umbriæ. Addit inveniri in archivis, quod successive duo Rapizzonii donationes insignes fecerint abbatiæ Farfensi ex bonis, quæ ad illos pertinebant in Colle Scipionis; indeque apparere, Rapizzonios regionis istius* F *dominos fuisse ab annis* 500 *imo* 600. *In Vita secunda sive altero exemplari assignatur caput familiæ, videlicet comes Rapizzoni genitus ex Attone, Raynerii filio : qui Raynerius variorum locorum comes floruisse dicitur circa annum* 900. *Successionem illam docent variæ scripturæ etiam hodie exstantes, inquit Selimbenius; secundum quas idem Rapizzonius Interamnæ et totius provinciæ Narniensis præfectus * fuit. Hujus deinde tres filii recensentur Dodo seu Dodonus, Juvenalis et Tebaldus, noti ex donationibus in archivo Farsensis abbatiæ descriptis. Primus fuit Narniensis episcopus, idque anno* 1028 *secundum Ughellum tomo* I *Italiæ Sacræ. Juvenalis genuit Falconem, Rapizzonem et Crescentium, quorum singuli binos habuere filios : Falco Leponem et Berardum, Rapizzo Litaldum et Gualfredum, Crescentius Guidonem et Thebaldum. Sex illi patrueles donarunt anno* 1093 *antiquam ecclesiam S. Stephani prope Collem Scipionis cuidam presbytero Luponi : prout etiamnum hodie legi potest in ejusdem templi fronte, ubi exstat donatio prædicta litteris Gothicis in marmore exarata, teste rursum Selimbenio.*

* *Italice castaldo*

4 *Dirisa*

in aliquibus deficiens.

A 4 *Divisa in tres ramos familia, duo primi a Falcone per Peponem et a Rapizzone per Gualfredum descendentes priscum nomen* Rapizzoni *mutarunt in* Rapaccioli; *tertius a Crescentio per Tebaldum propagatus utramque illam appellationem respuit: nam filii eorum ob intestinas discordias sejunxerunt se a Rapacciolis et vocari cœperunt* de Tebaldis, *mutato cum nomine etiam scuto gentilitio: siquidem pro uno vel tribus rapis, quæ semper fuerunt insignia familiæ Rapizzoniæ, substituerunt ipse equum media parte truncatum. Atque hæc anno circiter* 1210 *contigisse tradit biographus. Una stirps Rapacciolorum semper mansit in Colle Scipionis; altera vero incoluit Insulam S. Angeli, castrum Umbriæ inter Narniam et Interamnam: post cujus eversionem anno* 1245 *migravit cum multis aliis familiis Interamnam, ibique cœtui nobilissimorum civium adscripta est. Circa annum* 1340 *ambæ familiæ de Rapacciolis et de Tebaldis altero affinitatis vinculo sese conjunxerunt, Jacobo Tebaldi data in matrimonium Stefanuccia Rapaccioli, quæ amita fuit Beati nostri, prout mox* B *videbitur. Post præcedentia, quæ compendio retuli, Selimbenius generaliter loquitur de variis in utraque stirpe illustribus viris, inter quos haud dubie progenitores fuerunt Beati nostri; sed omittit omnium nomina præterquam patris ejus, quem indicat his verbis:* Verum tempus est nominandi Andream, *illico subdens:* Ex Andrea nati sunt circa annum MCCCL Antonius philosophiæ ac medicinæ doctor, et Jacobus, postea in Religione Servorum B. Mariæ dictus BENINCASA. Ejusdem Andreæ soror fuit Stefanuccia, nupta Jacobo Tebaldi *etc.*

Beatus circa medium seculi 14 natus

5 *Jacobillus in elogio Cardinalis Rapaccioli apud laudatum Ciaconium col.* 629 *quædam aliter habet de filiis et nepotibus primi Rapizzonii. Verum quæstionibus genealogicis nolo me interponere, contentus ea breviter narrasse, quæ fuse a Selimbenio de patria et prosapia beati Martyris conscripta sunt. Nunc ad gesta ipsius progredior, collecturus tum ex Vita antiquiore, quam Jacobillus edidit tom.* I *de Sanctis Umbriæ, tum ex aliis Mss. quidquid ad Beatum pertinet. Locum et annum natalem distincte expressit Jacobillus pag.* 726, *citans in margine Fidem publicam sibi missam Senis anno* 1629 *a* C *F. Franc. Salvano Priori conventus Servorum:* B. Benincasa natus est in dicta terra Collis Scipionis anno MCCCXLIX tempore P. Clementis VI. Pater ejus vocabatur Andreas Rapaccioli, et ipse in seculo Jacobus nominabatur: educatus fuit a suis parentibus multa cura et vigilantia. *Mox subdit, quomodo in tenera sua ætate religiosum institutum amplexus fuerit.* Concionante per Quadragesimam anni MCCCLXV in Colle Scipionis P. F. Bartholomæo Luti Senensi, religioso charitate flagrante et docto Ordinis Servorum gloriosæ Virginis Mariæ, motus ille sanctis ejus exhortationibus statuit mundum deserere et fieri Servus istius magnæ Dei Matris. Hac de causa Senas cum prædicto F. Bartholomæo profectus est, ibique in conventu S. Clementis fratrum Servorum sacrum illius Religionis habitum suscepit XXII Maii MCCCLXV, ætatis suæ anno XVI.

Ordinem Servorum ingreditur anno 1365.

6 *Selimbenius in utraque Vita Ms. profert testimonium admissionis Beati ex antiquis commentariis conventus Senensis, Italice his verbis conceptum:* MCCCLXV Senis in capitulo congregatis Patribus S. Mariæ Servorum jussu et commissione R. P Prioris F. Bartholomæi Luti XXII Maii, *(in Vita prima scribitur* Luci et XXII Maii,) quæsitum fuit, an consentirent in admissionem fratris Jacobi, filii Andreæ Rapaccioli e Colle Scipionis: et suffragiis initis, vota omnia favorabilia fuerunt, eodemque die religiosam vestem indutus est, stante optima relatione patris Prioris, qui cum noverat et probaverat, dum concionabatur in Colle Scipionis, et honestate Juvenis ac devotione tempore probationis suæ monstrata. Patres adfuerunt LIV numero, et Jacobus iste appellatus deinceps fuit frater Benincasa. *Post annuum tyrocinium secuta est professio solemnis* VIII *Junii, perperam a biographis uno die citius collocata, ut patet ex laudatis commentariis:* MCCCLXVI collectis Patribus S. Clementis Ordinis S. Mariæ Servorum propositus fuit ad professionem frater Benincasa a P. Priore F. Bartholomæo Luti, et initis ea de re suffragiis, vota omnia numero LVIII favorabilia fuerunt die VII Junii. Sequenti professionem emisit, et fuit rogatus q. Thomas olim q. Francisci* Senensis. Interfuit M. Antonius medicus Collis-Scipionensis frater ipsius. F. Franciscus Salvanus de Senis procurator conventus manu propria. *Antonium Rapaccioli, qui professioni interfuit, Jacobillus Beati* patruum *appellat: Selimbenius vero constanter eum vocat* fratrem, *uti habet testimonium mox datum.*

AUCTORE J. V.

*in Vita priore additur notarii

E

§ II. Cur Senensis a quibusdam dictus: prædicat in Bohemia contra Wicleffistas seu Hussitas, prodigiose liberatur e carcere, migrat in Tartariam et tandem cum socio capite truncatur: cultus Beati publicus.

Senis diu commoratus

Ob diuturnam commorationem in Senensi conventu sumptumque ibi religiosum habitum, Beatus cognominatus est Senensis, *teste Jacobillo. Eadem de causa Joannes Petrus Crescenzi libro* 3 *Præsidii Romani Italice vulgati pag.* 118, *ubi Beatos Ordinis Servorum recenset, ita scripsit:* Benincasa Rapaccioli Senensis, martyr in Tartaria MCDXV. *Franciscus Angeloni* Senensem *quoque appellatum fuisse ait pag.* 274 *in Vitis Sanctorum Interamnensium, quas sermone patrio edidit anno* 1646. *Eumdem hi tres auctorem citant P. F. Gregorium Alasia Servitam in Catalogo Beatorum sui Ordinis, quem in museo nostro non inveni. Ejusdem etiam meminit Selimbenius, dicens, anno* 1622 *Florentiæ impressum esse et in eo referri, quod Beatus floruerit anno* 1400; *quem Alasia* Senensem *vocat non a patria, sed a loco suscepti habitus religiosi. Hæc ad cautelam inserere visum est, ne quis inhærens Alasiæ verbis putet, Beatum nostrum Senis natum esse, vel* Benincasam *patria Collis-Scipionensem et professione Senensem in duos perperam distrahat. Nunc ad ea, quæ post emissam professionem gesta sunt, veniamus.* F

8 Fecit B. Benincasa, *inquit Selimbenius*, magnos in bonitate et doctrina progressus, unde suo tempore æstimatus fuit sanctus et insignis

AUCTORE J. V.

et virtutibus ac doctrina excultus mittitur cum socio in Bohemiam prædicaturus contra Wicleffistas

gnis theologiæ magister; *de quo magisterio inferius ait liquere ex multis contractibus, in archivo Senensis conventus descriptis.* Propter sanctitatem suam et doctrinam missus est in Bohemiam ad concionandum contra hæreticos istius temporis, datusque est illi comes P. Petrus Malvezzi, *quem Jacobillus tradit fuisse nobilem Bononiensem, et post Angelonum citatum* beati *titulo honorat; sed nusquam inveni aliquod ejus cultus vestigium. Ceterum hæretici, qui sub finem seculi* XIV *et maxime seculo* XV *in Bohemia grassabantur, erant Wicleffistæ seu Hussitæ, germina Waldensium, sic dicti a quodam Joanne Hus. Vide Spondanum in Continuatione Baronii ad annum* 1393 *num.* 7. *Historiam Hussitarum libris* 12 *prosecutus est Joannes Cochlæus, e cujus libro* I *sequentia excerpsit Odoricus Raynaldus ad annum* 1408 *num.* 69: Factum est ut post mortem ipsum *(Wicleffi, obitam anno* 1384,*)* quidam ex discipulis ejus, nomine Petrus Payne Anglus, Pragram cum libris illius profugerit, regnante Wenceslao: ea forsitan occasione permotus, quod ante eum Bohemus quidam genere nobilis ex domo, quam Putridi piscis vo-
B cant, apud Oxoniam in literarum studio constitutus libros Wicleffi . . . inde in patriam secum retulit, velut pretiosum thesaurum; quos Pragæ diversis transcriptionibus multis hominibus communicavit, et juxta nomen suum Putridi hæretici lethale virus civibus suis infudit. etc.

sive Hussitas: ibi functus aliquamdiu munere apostolico conjicitur in carcerem,

9 Commodavit autem, *inquit Æneas Sylvius Historiæ Bohemicæ cap.* 35, scripta quæ attulerat his potissime, qui Teutonicorum odio tenebantur: inter quos Joannes eminuit obscuro loco natus, ex villa Hus, quod anserem significat, cognomentum mutuatus. Hic cum esset ingenio peracri et lingua diserta, multumque dialecticis oblectaretur et peregrinas opiniones amaret, avide admodum Wiclevitarum doctrinam arripuit . . . . Sequebantur Johannem clerici fere omnes, ære alieno gravati, scelcribus ac seditionibus insignes, qui rerum novitate evadere pœnas arbitrabantur. His et nonnulli doctrina celebres juncti erant, qui cum in ecclesia consequi dignitatem non potuissent, iniquo animo ferebant, sacerdotia majorum censuum his committi,
C qui quamvis nobilitate præirent, scientia tamen viderentur inferiores . . . Proruperunt in blasphemias . . . et ab Ecclesia Catholica recedentes, impiam Valdensium sectam atque insaniam amplexi sunt. *De anno, quo Beatus noster in Bohemiam ac deinde in Tartariam profectus est, et quanto tempore iis in locis versatus fuerit, nihil habeo compertum ex biographis, generaliter tantum ista narrantibus. Audi Selimbenium:* Ivit eo (*in Bohemiam*) summa cum voluptate magnaque aviditate amittendi vitam pro fide Catholica. Ibi concionatus est, ibi laboravit aliquamdiu multo cum fructu: donec in carcerem fuit conjectus et ad mortem destinatus cum socio suo post mille contumelias et opprobria.

unde liberatus ab angelo Tartaros adit instruitque, ac tandem consummat martyrium anno 1415

10 Verum placuit Deo mittere angelum, qui apertis carceribus et solutis compedibus et catenis, imperavit illi ut inde aufugeret et proficisceretur ad prædicandam fidem inter Tartaros, ubi suo tempore unà cum socio esset obtenturus gratiam moriendi pro Christo. *Ambos e carcere ab angelo liberatos in Asiam migrasse, ibique post longam prædicationem et miracula edita occisos esse, scribunt etiam Angelonus et Jacobillus; sed iter Tartaricum, jubente angelo et* martyrium promittente, susceptum fuisse non D *memorant. Et promissio quidem martyrii adjecta postmodum videtur: omittunt enim illam, etsi mandatum angeli exprimant, notitiæ Mss. de Beato Roma missæ ad Bollandum anno* 1650. *Pergit Selimbenius:* In Tartariam se contulit, eam percurrit concionando et faciendo multa et magna miracula, quemadmodum indistincte testificantur litteræ et commentaria authentica istorum temporum: tandemque anno MCDXV die IV Septembris ipse et socius post varia atrocia tormenta capite truncati sunt ab illis barbaris in quadam civitate, quæ in epistola Germanico idiomate tunc scripta a Provinciale Bohemiæ, appellata fuit Cotumban (*Vita prima habet* Cotumbania.)

in quadam civitate non satis nota.

11 *Inferius citat litteras Storbera missas ad patres Senenses anno* 1420, *in quibus P. Gerardus Tedesco, provincialis Bohemiæ appellatus in prima Vita, de eodem Beato meminit, compendio narrans liberationem ejus e carcere ope angeli, fugam jussu Dei ex Bohemia in Tartariam, et martyrium. Autographum illarum litterarum, quas puto easdem esse cum epistola numero præcedente memorata, Germanice exara-* E *tum servari ait in archivo istius conventus, necnon scripturas alias authenticas, in quibus de martyrio Beati agitur. Vellem istorum exemplar huc missum fuisset, uti etiam illius Compendii de Beati vita et morte, quod idem Selimbenius legi asserit in Historiis Mss. ejusdem conventus, ante annos* 100 *et amplius a P. F. Lucentio compositis; unde forsitan plusculum lucis affulgeret ad palæstram martyrii assignandam: locum enim* Cotumbam *vel* Cotumbania *nominatum apud geographos invenire non potui.* Cotamba *quidem memoratur a Ptolemæo lib.* 6 *Geographiæ cap.* 4; *verum illud Persidis oppidum est, non Tartariæ. Angelonus et Jacobillus ex antiquo Legendario ejusdem conventus proferunt sequentia:* Beatus Benincasa Rapacciolus martyr in Asia, *non addito oppidi nomine. Notitiæ Mss., de quibus numero præcedente, citant etiam libros antiquos conventus Senensis, qui similiter nomen urbis reticentes martyrium* in Asia *collocant. Hos in præfigendo titulo secutus sum, quandoquidem mihi non constabat, in qua urbe passus fuerit Beatus.*

Gaudet titulo Beati

12 *Ad cultum illius publicum quod attinet, nullis quidem Martyrologiis* B. Benincasa *inscriptus legitur; verumtamen ab immemorabili tem-* F *pore ante Urbani VIII decreta* beati *titulo insignitus fuit, uti mox patebit. Bollandus nomine laudati Cardinalis Rapaccioli rogatus ut mentiodem faceret de beato hoc Martyre, rescripserat* VI *Augusti* 1650 *in hunc modum:* Quod eram mea sponte facturus, ut B. Benincasam Rapacciolum in meo opere de Sanctis recenserem, id faciam Eminentissimi Cardinalis hortatu tanto diligentius. Et vero ejus me auctoritas magna sollicitudine liberavit. Nam cum antea libros D. Ludovici Jacobilli de Fulginatibus aliisque Sanctis legerem, vulgatos post paullo quam erat ab Urbano VIII bulla edita de non nominandis absolute Sanctis aut Beatis, qui tales non essent vel palam habiti a C annis vel ab Ecclesia declarati; verebar necubi in bullam eam offenderem, procedebamque subtimide. At cum tomum edidit idem D. Jacobillus de Sanctis Umbriæ, post eamdem bullam sæpius iteratam et explicatam, eumque Eminentiæ suæ dedicavit; non video quid amplius metuere debeam. . .

A beam... At cur in ea relatione *(ex Jacobillo transcripta)* omissum est, quod idem Jacobillus tradit de sacello, quod huic Beato consanguineo suo sua Eminentia e marmore ædificat?

at publico cultu præcipue Senis. 13 *Litteris Romæ datis eodem anno* XVII *Septembris inclusæ fuerunt nomine prædicti Cardinalis notitiæ Italicæ Mss., quarum hoc exordium :* Non est timendum, ne impingatur in bullam Urbani; quia plures quam ducenti anni sunt ex quo B. Benincasa fuit dictus, nominatus, et cultus ut beatus et ut martyr publice, et præter alia loca Senis in ecclesia Servorum in sacello Dominæ Nostræ de igne; sub cujus imagine sunt quatuor Beati et inter alios hic cum inscriptione : BEATUS BENINCASA MARTYR IN ASIA. Pictura ante ducentos annos ibi fuit, sicuti modo exstat. *Ejusdem imaginis et inscriptionis meminit Angelonus num. 7 citatus. Idem quoque cultus indicium profert Jacobillus, addens sequentia :* In sacello Piccolominiorum in dicta ecclesia Senensi S. Clementis, cernitur exposita publicæ venerationi antiqua imago hujus Beati cum palma martyris in manu, radiis splendoris in capite, et habitu fratris Servitæ : ad pedes B ejus legitur *epigraphe jam dicta.* Conspicitur quoque in eadem ecclesia ad publicam devotionem alia major tabula, sed recentiore penicillo picta, imaginem illius referens, *sub qua habetur :* B. BENINCASA MARTYR . . . In libro antiquo *(cujus etiam Selimbenius meminit)* tabulis cooperto, continente Regulam Servitarum et notam multorum Beatorum hujusce religionis, qui conservatur in archivo dicti conventus Senensis, legitur fol. XX *vel* 21 : B. Benincasa [filius] Andreæ Rapaccioli e Colle Scipionis martyr in Tartaria. *Legendarium num.* II *memoratum habet* in Asia. *Subdit Jacobillus :* In Arbore, seu Navi Ordinis Servorum, edita in lucem anno MDC a P. F. Gregorio Alasia a Summa Ripa, conspicitur inter alios Beatos imago ejus cum titulo B. BENINCASA.

§ III. Alia proferuntur indicia venerationis tum publice tum privatim continuatæ, cui nihil officit silentium quorumdam scriptorum. C

Veneratio continuata A*liud argumentum publicæ venerationis ad sua tempora continuatæ superaddit Selimbenius, ita scribens :* Imago hujus Beati cernitur etiamnum hodie, depicta cum diademate in capite et palma in manu, in altari B. Francisci Patritii in ecclesia Servorum Senensium, et infra leguntur hæc verba : BEATUS BENINCASA MARTYR IN ASIA. Eam illic ab annis ducentis et amplius pingendam curavit nobilis familia Senensis Castoriorum, hodie exstincta.... In processu Senis instituto pro canonizatione B. Francisci Patritii, mentio fit de B. Benincasa occasione visitationis prædicti altaris, in quo abhinc pluribus quam ducentis annis imago ejus colitur cum effigie B. Francisci ac BB. Philippi et Joachini, de quibus Ordo Servorum celebrat Officium. *Gesta horum trium illustrata jam sunt in Opere nostro : B. Francisci Patritii sive Senensis tomo* III *Maii pag.* 655 *et tom.* VII *pag.* 790,

S. Philippi Benitii tomo IV *Augusti pag.* 655, *B. Joachini tomo* 2 *Aprilis pag.* 454. *Asserit præterea Selimbenius, conspici imaginem martyrium ejus repræsentantem ad latus dexterum sacelli in ecclesia Deiparæ Virginis de colle nuncupatæ, haud procul a Colle-Scipionis : cujus ecclesiæ, per Petrum Rapaccioli a fundamentis erectæ et dotatæ*, hodie, *inquit*, patronus est prædictus Cardinalis Franciscus Angelus Rapaccioli, *ab Urbano VIII ad sacram purpuram evectus* XIII *Julii* 1643, *et post triennium sub Innocentio X consecratus* civitatis Interamnensis episcopus. AUCTORE J. V.

post decretum Urbani VIII. 15 *Hanc porro imaginem a laudato Eminentissimo, et consequenter post Urbani VIII decreta, fieri jussam esse testantur citatæ notitiæ Mss., in quibus ad Bollandi quæsita num.* 12, *sic respondetur :* Quantum ad sacellum, quod Jacobillus asserit Beato construi in Colle Scipionis a sua Eminentia, omissum hoc fuit in apographo misso; quoniam ea de re non aliud est verum, nisi quod Cardinalis eum uno e suis fratribus in sacello majori ecclesiæ, quam pater ipsorum extra oppidum Collis-Scipionense exstruxerat mirificæ imagini, Dominæ Nostræ de colle dictæ, erigendum curavit altare cum columnis et frontispicio e marmore discolore, sub quo reposuit corpus S. Guerrini martyris, extractum e sacris cœmeteriis Romanis, ibique collocatum die octava Nativitatis B. Mariæ Virginis, quod principale festum est illius ecclesiæ. Postea in muris lateralibus dicti sacelli a dextra parte posuit in corona ex opere marmorato tabulam decollationis B. Benincasæ, et a sinistra similem alteram B. Columbæ dictæ Reatinæ, sed oriundæ e Colle Scipionis familia, Guadagnoliorum. *Additur, solos hosce duos Beatos pro indigenis haberi in Colle Scipionis. Vitam B. Columbæ Reatinæ edidit Papebrochius ad* XX *Maii : Translatio autem S. Guerrini M. celebratur* XV *Septembris.* E

Interamnenses quoque eum BB. suis annumerant : 16 *Angelonus pag.* 275 *Martyrem nostrum Beatis Interamnatibus accenset propter ejus majores, ibidem jure civitatis donatos. Audi Selimbenium :* Numerat hæc civitas inter alios suos Sanctos B. Benincasam, quia ortus est ex familia, quæ ab anno MCCXLV (ut supra vidimus) legati Apostolici opera jus civitatis obtinuit inter nobiles Interamnenses : et nostra tempestate in templo cathedrali exstat in magna tabula publicus catalogus, exhibens omnes Sanctos et Beatos, qui fuerunt episcopi, aut cives... aut bene meriti de Interamna. Cernitur et legitur inter alios beatus Benincasa; de quo aliud modo non dicetur, omissis aliis recentioribus et antiquis de eo memoriis. Hæc omnia dicta sint cum professione adhærendi et insistendi debita observantia et reverentia decreto gloriosæ memoriæ Urbani VIII edito XIII Martii MDCXXV *etc.* In denominando beato prædicto Patre Benincasa, sicut omnes alii supra nominati fecerunt, volo niti recognitionibus et approbationibus Ordinariorum... omnique eo, propter quod aliis et mihi ipsi licitum fuit ita facere; non intendendo violare ullum decretum, sed subjicere omnia censuræ sanctæ Sedis, cujus vivo filius et subditus obedientissimus. *Hæc ille.* F

nec dubitandum videtur de cultu legitimo. 17 *Quis vero credat Eminentissimum Rapacciolum, præsulem eruditum et prudentia clarum, teste Ciaconio, prædicta facturum fuisse aut etiam permissurum ut Interamnæ in sua cathedrali* Benincasa *pro beato publice haberetur, nisi constitisset de legitima cultus possessione per casum*

AUCTORE J. V.

sum exceptum ab Urbani decretis. Vide supra num. 13. *Itaque ob relata hactenus publicæ venerationis indicia dubitare non potui, quin locus beato huic Martyri in Opere nostro deberetur inter hodiernos Cœlites ; præsertim cum Eminentissimus Prosper de Lambertinis, nunc summus Pontifex Benedictus XIV, in Indice rerum et verborum eruditi sui Operis de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione pag.* XXIV *dicat ;* Denominatio Sancti, aut Beati, non potest auferri iis, qui ab immemorabili sic fuerunt appellati ; *et pag.* XIX *ibidem :* Cultus publicus infertur ex retentione imaginum Servorum Dei in ecclesiis, etiamsi pictæ sint sine diademate et splendoribus, et etiamsi collocatæ sint extra altare , et seorsim ab imaginibus Beatorum vel Sanctorum ; *quod utrumque variis probat exemplis libro* 2 *cap.* 14 *num.* 5, *et cap.* 24 *num.* 111.

Pie affecti erga Beatum, inter quos Cardinalis Rapacciolus pluries ejus opem expertus.

B 18 *Pie admodum, uti memoratus Selimbenius verbis num.* 10 *datis subjungit, erga hunc Martyrem affectus fuit Cardinalis Jacobus Tebaldus, a Callisto III ad sacram purpuram promotus anno* 41 *post Beati obitum, id est,* 1456 : *et gloriæ sibi ducebat numerare illum inter suos consanguineos, agnoscens familiam suam derivatam a Rapacciolis, ut supra, et propter aviam suam Stefanucciam, Beati amitam. Cardinalis hujus epitaphium ex Selimbenio non transcribo : legi id potest tomo* 2 *Ciaconii col.* 995, *vel tomo* 2 *Italiæ Sacræ Ughelli in Episcopis Feretranis, apud quem annus emortualis* MCDLXVI *recte exprimitur. Singulari pietate eumdem* B. Benincasam *prosecutus est Petrus Rapaccioli, cui datum fuit a Deo ut familiam suam, quæ aliquamdiu jacuerat in paupertate, honestis mercaturis erigere potuerit. Erat is secundum Selimbenium consanguineus Beati ex fratre in septimo gradu. Supra laudatus Cardinalis Franciscus Angelus Rapaccioli hujus filius profitebatur, eodem Selembenio teste,* speciali prorsus devotione se affici erga prædictum Beatum, et pluries evidentissime cælestem illius opem ac protectionem expertum fuisse.

Silentium Gianii et aliorum nihil officit : hac occasione subjicitur

19 *Jacobillus pag.* 727 *pro Beato nostro perperam citat Archangelum Gianium in Annalibus Servorum ; hic enim agit de alio Benincasa non martyre, quem Papebrochius dedit to-*
C *mo* VII *Maii pag.* 662. *Cur autem* B. Benincasa M. *a Gianio præteritus sit, nescitur, inquiunt citatæ notitiæ Mss. : haud dubie quod monimenta de eo non habuerit. Ad silentium Gianii respondet Selimbenius, illum in Annalibus omisisse Beatos plures,* ac præter alios ipsum B. Paulum Spanocchi, quamvis martyrium illius narretur a Pio II in suis Orationibus et Commentariis. D *Similis responsio dari potest, si quis objiciat, memoriam Beati nostri non exstare apud Michaëlem Florentinum in Chronico Servorum, et Philippum Ferrarium in utroque Catalogo Sanctorum : adde quod argumentum ab illorum aliorumque silentio petitum nequeat evertere testimonia superius exhibita de cultu publico. Ad Paulum Spanocchium quod attinet, perscrutatus sum quotquot in museo nostro reperi orationes et Commentarios aliaque ab Ænea Sylvio seu Pio II scripta, varios etiam consului martyrologos et historicos ; sed nusquam mihi occurrit Spanocchii nomen. Tandem in Fastis Senensibus anno* 1669 *recusis, inveni pag.* 529 *satis prolixum elogium cujusdam Pauli,* Ordinis Servorum B. V., *qui* spectatissimæ vir integritatis, apud agrum Pennarum a S. Marino dictum, in sui Ordinis cœnobio degebat *anno* 1462, *obiitque mense Octobri ; an ejusdem anni et quo die, me latet.*

elogium alterius, quem etiam dabimus, si cultus probetur,

20 *Elogium istud notatur desumptum ex libro* 5 *Commentariorum Pii II. Verba subjicio ex Francofurtensi editione anni* 1614, *pag.* 124 *:* Vulgatum est per idem tempus venerabilem quendam monachum, natione Senensem, in agro Pennarum E
S. Marini suo in sacello imaginem B. Mariæ Virginis erexisse, ad quam, veluti miracula facientem, regionis accolæ frequentes accurrerent : id ægre tulisse Sigismundum *(Malatestam, Arimini dominum,)* jussisse monachum imaginem amovere ; nec parentem, misisse qui noctu caperent atque ad se ducerent daturum pœnas. Illos interceptum ore obstructo ducentes, cum tota nocte ambulassent, et jam se putassent Ariminum attigisse, summo diluculo apud sacellum, in quo erat imago, se reperisse ; atque ira concitos captivum in alta cruce suspendisse, quæ ab eo index loci in trivio paulo ante fuerat erecta : sed mox sicariis abeuntibus, fracto laqueo, monachum cecidisse, repertum a rusticis atque confotum revixisse : quem rumorem nota Sigismundi crudelitas atque impietas probabilem reddidit. *Cum Pius II satis innuat narrationem suam ex rumore seu fama populari haustam esse, facti veritatem aliunde cupimus edoceri ; item quo anno et quota die Octobris obierit venerabilis ille monachus , an alicubi colatur, et an fuerit Servita, qualem faciunt Senenses Fasti : nam cœnobium San-Marinense,* F
in quo vixisse dicitur, non invenio apud Gianium, enumerantem 137 *cœnobia sui Ordinis. Documenta idonea de istius Pauli publico cultu si mittantur, suus ei locus dabitur in Opere nostro.*

ACTA

ACTA SANCTORUM

SEPTEMBRIS

QUINTA DIES

SANCTI, QUI NONIS SEPTEMBRIS COLUNTUR

SAnctus Victorinus presb. et Mart. prope Cutilias Sabinorum oppidum in Italia.

S. Romulus M. in Græcia,
B **item**

S. Eudoxus
S. Zenon
S. Macarius et
MCIV Milites
  martyres Melitinæ in Armenia minori.

S. Censurinus præfectus
S. Cyriacus, alias, Quiriacus, episcopus
S. Maximus presbyter
S. Archelaus diaconus
S. Aurea mulier
C **S. Felix miles**
S. Maximus mil.
S. Taurinus mil.
S. Erculanus, vel Herculanus mil.
S. Venerius mil.
S. Storocinus mil.
S. Mennas mil.
S. Commodus mil.
S. Hermes mil.
S. Maurus mil.
S. Eusebius mil.
S. Rusticus mil.
S. Monachius mil.
S. Amandinus mil.
S. Olipius mil.
S. Cyprius mil.
S. Theodorus tribunus
  martyres Ostiæ in Latio.

S. Rhaïs vel Heraïs virgo M. prope Alexandriam in Ægypto. E

S. Quintus vel Quinctius
S. Arcontius
S. Donatus
  martyres Capuæ.

S. Nimfidus vel Nymphus M.
S. Saturninus M.
  Alexandriæ in Ægypto.

S. Taurinus
S. Nemoratus
S. Saturninus
S. Arapollinus
  martyres in Ægypto.

S. Abda episcopus martyr cum aliis in Perside.

S. Anianus episc. conf. Vesontione in Gallia. F

S. Alpertus presbyter conf. in pago Cessima agri Dertonensis in Italia.

B. Ursicinus episc. conf. Ravennæ in Italia.

S. Genebaudus vel Genebaldus episc. conf. Lauduni in Gallia.

S. Victorinus episc. conf. Comi in Italia.

S. Ansaricus episc. conf. Suessione in Gallia.

S. Bertinus abbas Audomaropoli in Belgio.

A **S. Taurinus episc. M. Augustæ Auscorum in Novempopulania.**

SS. Romanus et David, alias Borisus et Glebus aut Ilibus, principes Russi. D

B. Albertus abbas Pontidæ prope Bergomum in Italia.

B. Jordanus abbas generalis Ordinis Pulsanensis in Apulia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI

Sanctus Laurentius Justinianus, *postquam ab Alexandro VIII in Sanctorum numerum relatus est, tam hac die, qua pontificalem cathedram ascendit, insertus est Fastis Romanis, quam die natali, qua de eo ut tunc Beato actum est,* VIII Januarii.

S. Marcelli *Papæ martyris exceptio reliquiarum apud Arvernos notatur in gemino codice Usuardino apud Sollerium nostrum. De* Marcello *autem reliquiisque ejus circumlatis actum est* XVI Januarii.
B

Juventinus *et* Maximus *martyres Antiocheni, quos hodie repetit Castellanus, vocans* Juventium *et* Maximianum, *ab eodem cum Martyrologio Romano memorantur, et apud nos dati sunt* XXV Januarii.

Julianus *episcopus Conchensis hac die reperitur in Catalogo generali Ferrarii, uti et olim erat in Romano Martyrologio. Nunc vero memoria ejus in Romano tantum legitur die, quo apud nos etiam de eodem actum est,* XXVIII Jan.

Sabilus *hodie rursum memoratur apud Græcos; apud Galesinium vero* Thathuel *et soror ejus* Bebæa, *qui etiam leguntur in Martyrologio Arabico-Ægyptio Ms., quod Latinum fecit Gratia Simonius. Dati sunt* XXIX Jan.

Savinæ *virginis et* Saviniani *martyris memoria Trecis hac die annuntiatur apud Grevenum. Verum de utroque,* Sabina *scilicet et* Sabiniano, *apud nos disputatum est ad diem* XXIX Jan.

Ingenuinus *episcopus Sabionensis hodie annuntiatur a Castellano, eumdemque videri, qui in variis Fastis antiquioribus etiam legitur sub*
C *nomine* Ingenui *aut* Ingenuini, *ostendam ad hunc diem in SS.* Nympho *et* Saturnino. *Verum de Sancto illo apud nos jam actum est cum Martyrologio Romano ad diem* V Febr.

S. Alto *abbas Altmonasteriensis in Bavaria. Martyrologium Anglicanum, Ferrarius, David Camerarius. De eo egimus* IX Febr.

S. Legontius *episcopus Metensis insertus est hodie Florario apud nos Ms. Vide dicta de illo Sancto* XVIII Februarii.

S. Longini *militis et martyris translatio capitis notatur in Kalendario Pragensi. Actum apud nos de* S. Longino, *uti et de hac translatione* XV Martii.

Eutyches *et* Maro *martyribus Capuanis mendose admixti leguntur apud Notkerum. De iis actum est cum aliis* XV Aprilis.

S. Proba *virgo annuntiatur hodie Lauduni a Molano et Ferrario, aut* in agro Laudunensi prope Guisiam, *ut habet Martyrologium Parisiense, et fere Castellanus. Nos de hac* S. Proba *virgine M. egimus.* XXVIII Aprilis.

Constantinopoli sanctorum martyrum Urbani, Theodori, Menedemi, et sociorum septuaginta septem ecclesiastici ordinis, qui a Valente imperatore pro fide Catholica in navigio impositi, jussi sunt in mari comburi. *Annuntiatio est Martyrologii Romani ad hunc diem* V *Septembris. At cum illos dederimus die* XVIII *Maii, tom.* IV *ejusdem mensis pag.* 170, *consule diem* XVII Maii.

SS. Ferreolus *et* Ferrutio *MM. in multis Fastis memorantur hodie ob festum corporum inventorum. De iis actum est* XVI Junii.

Herentrudis *virgo hodie iterum in Florario Ms. Sanctorum occurrit. Eadem videtur cum illa, de qua in prætermissis* III *hujus et* IV *dictum est. Vita data* XXX Junii. E

S. Cyrillus *Gortynæ in Creta episcopus signatur hodie in Synaxario Sirmondiano. Datus est* IX Julii.

S. Columba *virgo et martyr* Conymbricæ in Lusitania *hac die posita est apud Arturum in Gynæceo. Vide disputata de ea ad diem* XX Julii.

S. Taurini *episcopi inventio annuntiatur a Greveno. Est* Taurinus *Ebroïcensis episcopus, cujus hodie inventio celebratur. Acta data sunt* XI Augusti.

S. Gedeonis *Israëlitarum judicis memoria occurrit hodie in codice Usuardino Hagenoyensi, sed de eo cum Martyrologio Romano egimus* I Septembris.

B. Margaretulæ *translatio* e Lovaniensi urbe Leodium *notatur apud Chalemotum. At eam translationem numquam factam existimo; sed intelligendam translationem ex loco, ubi occisa fuerat, ad urbem Lovaniensem. De hac Beata actum est* 2 Septembris.

S. Agilulphus *abbas M. cum sociis hodie ponitur apud Grevenum. Sed* Aigulphus *Lerinensis is est, de quo disputatum die* III Septembris. F

S. Godegranni *episcopi Sagiensis et martyris memoria recurrit in codice Usuardino reginæ Sueciæ apud Sollerium. Vita data est* III Septemb.

S. Marcellum *episcopum Trevirensem annuntiat hodie Ferrarius; at in Romano est die præcedente. Kalendaria vero nonnulla hodie dant* Marcellum *martyrem Cabillonensem. De utroque actum* IV Septembris.

Madruyna *abbatissa Benedictina S. Petri prope barcinonem cum titulo* Sanctæ *annuntiatur ab Arturo in Gynæceo. Præcessit Menardus, quem laudat, in Appendice altera Martyrologii Benedictini pag.* 147, *ubi tale dat elogium:* Sancta Madruina fuit abbatissa cœnobii sancti Petri Barcinonensis anno Domini nongentesimo sexto. Mauris Barcinonem populantibus, captiva ducta est in insulam Balearium Majoream. Erat ei quidam propinquus mercator, qui de ejus solutione cum ea egit. Die præstituta sancta Madruyna evasit ex carcere, fugitque ad navim sui propinqui: sed Maurus, qui eam custodiebat, elapsam persecutus

A secutus est. Mercator periculum videns, eam in sacco lanæ pleno abscondit. Maurus existimans eam in saccis esse absconditam, omnes saccos pugione oblongo terebravit, eique tria aut quatuor vulnera inflixit, quæ constanti animo tulit : et ita eluso Mauro, liberata ad suum monasterium rediit. Curam abbatialem sibi restitutam recusavit, ut se ad felicem mortem tranquillius compararet : quam paucis post diebus obiit, ob vulnera sibi a Mauro illata, quæ recrudescebant. *Uterque auctor laudat Antonium Yepesium in Chronico S. Benedicti cent.* 2. *Verum Yepesius factum refert cent.* 4 *pag.* 348 *ad annum* 801, *et post præcedentia paulo latius relata, Hispanice subdit, quæ reddo Latine :* Cumque *(moniales et Barcinonenses)* illam existimarent Sanctam, honorifico eam sepulcro condiderunt in ecclesia versus partem Septemtrionalem ad sinistram. Deinde, procedente tempore, translata sunt ossa ipsius ad modicum tumulum in sacellum S. Benedicti : variaque miracula dicuntur causa ipsius a Domino facta. *Hæc suspicionem ingerunt de cultu publico, præsertim cum* Sancta *vocetur ab Yepesio ; nec tamen* B *cultum satis certum reddunt, cum Mabillonius in Annalibus Benedictinis tom.* 4 *pag.* 37 *referat quidem destructionem monasterii S. Petri ea occasione factam, sed de* Madruyna *taceat. Quapropter sufficiet hic notare factum affigi ab Yepesio, non anno* 906, *sed* 986, *ut et a Mabillonio : rogareque eruditos Benedictinos et Barcinonenses, ut de cultu nos faciant certiores.*

Quintinus *aliquis cum titulo* episcopi, *et subinde sine illo titulo, hodie celebratur in variis Fastis, cum antiquis tum recentioribus. In Martyrologio Augustano, apud nos edito tom.* VIII *Junii, legitur :* Quintini episcopi et conf. *Apud Martenium vero tom.* 6 *Collectionis amplissimæ veterum scriptorum* Quintinus *reperitur in gemino Martyrologio, nimirum in primo, quod Bedæ nomine insignitum reperit, ubi habetur :* Natale S. Quintini confessoris, *et in Calendario Stabulensi, in quo nudum nomen* Quintini. *Grevenus et Molanus, eosque secutus Ferrarius* Quintinum *episcopum con-* C *fessorem* in Campania *annuntiant, quod explicat postremus de Campania Galliæ. Florarium nostrum Ms.* Quintianum *habet episcopum item et confessorem, sed sine loco. Fateor me* Quintinum *et* Quintianum *æque ignorare, sicut omnes illi, quos recensui, locum ignorarunt. Verum nonnulla mihi est suspicio,* Quintum *Capuanum, de quo hodie agimus cum Arcontio et Donato, fuisse primo a Sociis avulsum, ut factum constat apud Rabanum, et in multis Fastis contractioribus : deinde vero, nomine nonnihil immutato,* episcopi *titulum etiam fuisse additum. Totus error, si erratum in eo sit, oriri potuit ex Rabano, ubi* Quintus *post Ingenuum episcopum sic memoratur, ut videri episcopus potuerit. Si quis in re ambigua potuerit certiora docere, gratissimus erit monitor.*

Victorinus *confessor Romæ annuntiatur a Greveno et Molano. Præcesserat Petrus de Natalibus, ei texens elogium lib.* 8 *cap.* 40, *secutique sunt Ferrarius et alii quidam recentiores, inter quos Piazza in Hemerologio sacro Urbis,* Sanctum *nominans. Nullus tamen probat cultum aliquando fuisse* Victorinum *Rhetorem : nam hunc designant, de quo agit Hieronymus in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum, et cujus conversionem narrat S. Augustinus lib.* 8 *Confessionum.* D

S. Petri, qui fuit in Athero *habetur commemoratio in Menologio Sirletiano, uti et in Menæis impressis, et in Mss. a Sirmondo communicatis : in his scribitur* in Athyra. *At nullum uspiam invenio elogium.*

Dimadius *confessor in Æthiopia memoratur a Castellano, ex Fastis sacris ecclesiæ Alexandrinæ editis per Jobum Ludolfum, quantum conjicio. At ex iis satis nequit constare, Catholicusne fuerit, an hæreticus aut schismaticus, præsertim cum tempus taceatur. In alio Synaxario Ms. Ægyptiaco, quod Latine reddidit Simon Moysis, alumnus collegii Maronitici Romæ, legitur* Dimidis *martyr Alexandriæ. De hoc minus dubitare possumus, quin fuerit Catholicus : et suspicor eumdem esse cum* Dimadio, *qui nec* confessor *nec* martyr *vocatur in Fastis Ludolfi. Additur in laudato Synaxario, corpus in mare fuisse projectum, et passus dicitur* sub Luciano, *forte legendum* Licinio : *nam interpres imperitus nomina frequenter luxavit. Ceterum de* Dimadio *aut* S. Dimidio *nihil præterea invenio, nisi quod Ludolfus in Historia Æthiopiæ part.* 2 *pag.* 292 *dicat,* Dimadius cæcum et paralyticum sanavit, *laudans pro hisce Fastos metricos.* E

Apuleius *M. hodie a Maurolyco ponitur cum Ferreolo et Ferrutione, quorum sola inventio hodie celebratur : nec invenio aliquem* Apuleium *cum ipsis esse passum.*

SS. Felix *et* Moderatus *hodie memorantur simul a Castellano, qui* Moderatum *ponit in Supplemento* I *Julii. Videri possunt dicta ibidem in prætermissis.*

Latro *episcopus Laudunensis cum Sancti titulo hodie refertur a Saussayo in Catalogo Sanctorum post Martyrologium. Vide dicenda de eo hodie ad Vitam S. Genebaudi patris ipsius annotatione ultima.*

Cavensis ecclesiæ dedicatio per Urbanum II facta memoratur apud Wionem, Menardum, et Ferrarium, apud quos plura videri possunt.

Cenetensis ecclesiæ dedicatio hoc die videri potest apud Ferrarium. F

Judith *regina Poloniæ cum titulo* Sanctæ *memoratur ab Arturo in Gynæceo, ubi anno* 1017 *defunctam asserit, sed cultum non probat : nec illa* Sancta, *aut* Beata *vocatur ab iis, quos laudat.*

Margarita *Burgundica vel Nivernensis, regina Siciliæ, secunda conjux Caroli Andegavensis Siciliæ regis, ut* venerabilis, *insignisque humilitate, integritate ac charitate in pauperes memoratur a Castellano, qui ait eam Tornodori obiisse anno* 1308. *Eadem annuntiatur ab Arturo a Monasterio in Gynæceo sacro ut* Beata, *nec tamen colitur.*

Petrus de Burbone *(de Bourbon) reclusus prope Parisios, ab eodem ut* venerabilis *ponitur et anno* 1639 *defunctus.*

S. Innocentius *virgo* Burdigalæ *adscribitur in codice Burdigalensi apud Sollerium. Cum autem alibi non occurrat, nescimus, utrum nomen sit Sanctæ anonymæ impositum, an vero eidem semper fuerit proprium.*

Alelmus *secundus abbas Aquicinctinus cum titulo* beati *memoratur a Raissio ; uti et* Richardus *conversus*

A *conversus ejusdem cœnobii. Verum de cultu silet.*

Margarita Sulmonensis, *abbatissa Clarissarum seu potius Urbanistarum, ut* beata *memoratur ab Arturo in Martyrologio Franciscano et in Gynæceo. Vitam ut Beatæ dedit Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom.* 2 *pag.* 206, *et Benignus Fremaut in Opere de Vitis Sanctorum piorumque Ordinis Franciscani ad* v *Septembris eodem utitur* Beatæ *titulo, ubi Vitam Belgice enarrat. Nullum tamen assignant publici cultus fundamentum. Hueberus titulum* Beatæ *rectius, opinor, prætermisit; nec eo utitur Waddingus, ubi ad annum* 1425 *de ea agit, et ad* 1449 *ipsius mortem refert, licet apud ipsum semel* beatam *nominatam inveniam, quando ad annum* 1395 *de natalibus agit.* Margaritam *hanc, licet virtutibus præstantissima fuerit, coli publice non existimo, cum Romæ sepulta fuerit, nec de ea mentionem reperiam apud Piazzam, aut ullum alibi cultus indicium.*

Gentilis de Matelica *Ordinis Minorum, ut martyr in Perside annuntiatur ab Arturo et ab* B *Huebero. Prior* beati *titulum suo more addit, alter vero hunc titulum omittit : nec satis certa cultus indicia reperire potui. Ex eodem Ordine sequuntur varii, a prædictis scriptoribus ad hunc diem memorati, videlicet.*

Peregrinus de Falerono Sanseverini in Piceno.

Rainerius Fabrianensis Fabriani in Marchia Anconitana.

Nicolaus de Canino... in Latio.

Joannes a Gautfordia... in Hibernia.

Paulus Sinopolitanus... Medumæ in Calabria.

Petrus Morselinus... Carnoti in Gallia.

Franciscus de Ledesma... in Mexico.

Jacobus Brunaci *cum* Beati *titulo* Perusiæ *hoc die legitur apud Carolum de S. Vincentio in Anno Dominicano, ubi laudat Seraphinum Razzi, qui revera* Jacobum Brunacci *pag.* 335 *editionis Gallicæ memorat, sed cultum ipsius non probat, illumque inter pios potius quam* Beatos *recenset. Plures viri illustres et venerabiles ex Ordine Prædicatorum videri possunt apud laudatum Carolum de S. Vincentio, aliosque ejusdem Ordinis scriptores.*

C Godefridus *abbas Schonaugiæ, et* Petrus *episcopus Catalaunensis memorantur apud Chrysostomum Henriquez cum titulo* Beati; *at cum cultum non probet, nec hi in aliis Fastis reperiantur, lector eum ulterius poterit consulere : nam Chalemotus* Godefridum *quidem habet, sed sine titulo* Beati; *at* Petrum *non satis notum recte omittit.*

Fridericus *primum* Valdsassi monachus, *deinde* abbas, *ac demum* episcopus Aystettensis *inter venerabiles recensetur apud Chalemotum.*

Joannes Yama *Japon Societatis Jesu memoratur* D *in Menologio Ms. ejusdem Societatis, ut egregius fidei promotor in Japonia, ubi demum pro fide mortem oppetiit.*

Wocardus *et* Winerbaldus *presbyteri, ac* Gerwaldus *et* Regenardus *diaconi, omnes monachi abbatiæ S. Bertini Audomaropoli, memorantur a Rayssio, qui occisos dicit a Normannis. Verum omnes quidem multa a Normannis passi sunt, sed unus tantum occisus* Regenardus, *aut potius* Raynardus, *ut videri potest hoc die in libro Miraculorum S. Bertini, ubi de illis agitur sine titulo* Sancti *aut* Beati.

S. Maximiliani *episcopi Panormitani elogium dat Ferrarius hodie. At hic Sanctus colitur* xv Septembris.

Aper *confessor occurrit in Ms. Martyrologio Trevirensi et in codice Ultrajectino Rosweydi apud Sollerium in auctariis Usuardi, ubi notat,* si Tullensis est, colitur xv Septembris. *Tullensem revera esse, suadet reliquorum silentium. Dabitur ergo* xv Septembris.

S. Septimii *Æsinensis elogium dat Ferrarius in* E *Catalogo Sanctorum Italiæ, eumque hodie annuntiat Castellanus. At Ferrarius in Catalogo generali de eodem meminit die, quo colitur,* xx Septembris.

S. Zachariæ *patris Joannis Baptistæ cædes apud Græcos hodie recolitur. Agemus de illo Sancto cum Martyrologio Romano* v Novembris.

S. Cuniberti *episc. Coloniensis translatio hodie annuntiatur. At de eo Sancto agetur cum Martyrologio Romano* xii Novembris.

S. Crescentiani *martyris Romani hodie in utroque Catalogo meminit Ferrarius, eum Veronæ annuntians ob translationem; sed observat haberi in Martyrologio Romano* xxiv Novemb.

S. Obdulia *virgo hodie* Toleti *annuntiatur in Martyrologio Romano, quia* de ea agitur in Breviario Toletano, *ut in annotatis observat Baronius. At postea dubitans, an non sit eadem cum S. Odilia, hæc addit :* Si autem unam eamdemque Obduliam cum Odilia esse, quis dixerit; ob aliquam factam translationem reliquiarum Toletum, hac die ejus festivitatem celebrari illic intelligat. *Tamayus in Martyrologio Hispano memorat Sanctam die* v F *Septembris* Palmæ in Bætica, *et reliquias* Palma Toletum *translatas affirmat. Verum vel sola vox* Palma *occasionem præbet suspicandi, eamdem esse cum* S. Othilia, *quæ celebris est in Alsatia, et* xiii *Decembris memoratur in Martyrologio Romano : nam hæc aliquando habitavit in* Palma *vel* Balma, *monasterio comitatus Burgundiæ. Ea certe est sententia Nicolai Antonii in scriptis posthumis, quæ latius discutietur ad* xiii Decembris.

DE

DE S. VICTORINO PRESB. ET MART.

PROPE CUTILIAS SABINORUM OPPIDUM

IN ITALIA

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

J. L.

§ I. Duo SS. Severini et totidem Victorini, a martyrologiis inter se permixti, distinctim proponuntur : gesta et passio S. Victorini, qui hodie colitur, ex Actis SS. Nerei et Achillei : exsilii, servitutis, martyrii et sepulturæ loca.

Exeunte seculo I vel ineunte II. Distincta notitia S. Severini abbatis,

Auctores utriusque Martyrologii Romani, parvi seu veteris et hodierni, Ado, Usuardus et Notkerus ad VIII *Januarii S. Severinum annuntiant in unum e duobus conflatum, eumque fratrem* S. Victorini *esse aiunt. Iidem ad* V *Septembris* S. Victorinum *referunt ex duobus pariter commixtum, quem Ramani parvi auctor, Ado et Notkerus fratrem esse dicunt S. Severini. Ut confusio et errores ex ea nati appareant manifestius, ego quatuor Sanctos, a Martyrologis istis permiste annuntiatos, prius distribute hic proponendos esse existimavi. De eo, qui hodie colitur, quidquid fide digni ad posterorum memoriam transmissum exstat, de tribus aliis summa duntaxat, adducam istarum rerum capita, quibus præcognitis facile perspicies, quomodo secernenda et cui Sancto tribuenda sint singula, quæ memorati martyrologi prædicant in perturbatis suis elogiis infra exhibendis. Spiritu prophetiæ et miraculis celeberrimus anno* 482 *obiit S. Severinus abbas, Noricorum apostolus, cujus corpus auctoritate S. Gelasii Pontificis, anno* 496 *vita defuncti, ad castrum Lucullanum prope Neapolim deportatum fuit. Anno* 909 *castrum istud eversum et sacra ossa Neapolim devecta fuere, depositaque in ecclesia monachorum Ordinis S. Benedicti, quæ a Noricorum apostolo patrono suo jam tum* S. Severini *appellabatur. Sancti hujus Acta et utriusque translationis historiam, fideliter conscripta, edidit Bollandus ad* VIII *Januarii, quo natalis ejus Neapoli celebratur, tom.* I *ejusdem mensis a pag.* 484 *et ibid. in Appendice a pag.* 1098.

SS. fratrum Severini episc. Septempedani et Victorini conf.,

2 *Temporibus Justiniani imperatoris eximia vitæ sanctitate claruit alter S. Severinus, ex eremo assumptus ad episcopatum Septempedadum in Piceno sive, ut nunc loquimur, Marchia Anconitana. Ex Septempedæ ruinis oppidum* Sanseverinum *emersit, sic dictum a sancto urbis dirutæ episcopo Severino. Ecclesiæ cathedralis nomine ipsius consecratæ solemnitatem celebrant Sanseverinates die* VIII *Junii, ad quem Martyrologio Romano hodierno inscribitur; Sancti vero natalem agunt* VIII *Januarii, quo proinde die eum dandum censuit Bollandus. Hic S. Severinus fratrem habuit S. Victorinum confessorem. Cum uterque non procul Camerino Umbriæ civitate eremum incolerent, Victorinus (ut humana fragilitas est) dæmonis tentationibus victus in peccatum impudicitiæ consensit; at post lapsum per misericordis Dei gratiam sui ac dæmonis victor egregius evasit: pœnitentiam agens in corpus suum pia crudelitate diu sæviit, tantumque in virtute profecit, ut Sanctorum in cœlo gloriam et in terra honores fuerit consecutus. In Martyrologio Romano hodierno annuntiatur ad diem, quo Camerini colitur,* VIII *Junii: sed quia gemina ejus et Severini fratris Acta tom.* I *Januarii a pag.* 500 *et in Appendice a pag.* 1103 *ediderat Bollandus, inter dicti diei prætermissos relatus fuit. At non referetur, uti opinor, in nostri Operis Supplemento, ubi adducentur, quæ ad cultum ejus nondum illustratum pertinent, et simul dispici poterit, an S. Victorinus Severini episcopi frater distingui debeat a Victorino monacho, quem S. Gregorius Papa sub finem homiliæ* 34 *in Euangelia narrat lacrymis, vigiliis, aliisque piis exercitationibus Deum luxuriæ peccato sibi offensum placasse atque illius remissionem e voce cœlesti intellexisse. Porro S. Victorinus, de quo jam sermo est, in suis et fratris Severini Actis, quæ Bollandus laudatus primo loco adduxit atque alteris antiquiora sunt, asseritur post actam pœnitentiam* brevi ad urbis Amiterninæ sacerdotium *promotus fuisse.*

necnon hodierni S. Victorini martyris ex Actis

3 *Est et alter* S. Victorinus, *episcopus, ut fert traditio inferius refutanda, Amiterninus, qui in fine seculi* I *vel initio sequentis prope Cutilias in Sabinis martyrium subiit. Is ipse est noster Presbyter et martyr, episcopali dignitate gestisque alienis hodie in Fastis sacris deformatus. Sibi restituendus est ex SS. Flaviæ Domitillæ, Nerei, Achillei et aliorum Martyrum Actis ad* XII *Maii in nostro Opere editis; e quibus*

AUCTORE J. L.

quibus sequentia huc transfero. Postquam S. Flavia Domitilla, nobilissima virgo Romana, hortatu SS. Nerei et Achillei ennuchorum, qui cubicularii ejus erant, nuptiis cum Aureliano consulis filio animum avocasset et virginitatem Deo consecrasset, a sponso suo delata fuit quod Christiana esset, et in insulam Pontiam ablegata. Eusebius lib. 3 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* 18 *in scriptorum a Christi fide alienissimorum monumentis se legisse testatur, S. Fl. Domitillam* anno principatus Domitiani quinto decimo, *qui ab Idibus septembris anni* 95 *currere cœpit in exsilium* una cum aliis plurimis *actam fuisse. Ex eorum numero fuere SS. Nereus et Achilleus, de quorum martyrio SS. Eutyches*, Victorinus *et Maro, in insula Pontia cum S. Fl. Domitilla exsulantes*, *Marcellum virum Christianum per litteras certiorem fecerunt*, *quarum hæc est conclusio:* Erit caritatis tuæ solicite circa nos agere, et aliquem ad nos talem dirigere, qui et nos de tua et [te de] nostra sospitate facit lætiores. Dies natalis eorum (*Nerei et Achillei*) quarto Idus Maias.

B

SS. Nerei et Achillei:

4 Accepto hoc scripto, Marcellus germanum suum misit ad insulam, qui fuit cum his confessoribus Christi (*Eutychete*, Victorino *et Marone*) per annum. Postea vero ad Marcellum reversus hæc retulit: Cum Aurelianus post martyrium Nerei et Achillei ageret, ut ad Domitillæ posset pervenire consensum, dictum est illi a quodam, quod majorem haberet caritatem cum Eutychete, Victorino et Marone, quam habuerat cum eunuchis suis Nereo et Achilleo, qui eam docuerant Christo credere. Unde factum est, ut a principe Nerva peteret eos sibi donari, si sacrificare noluissent. Qui cum viriliter agerent, Eutyches, Victorinus et Maro, atque minas Aureliani penitus non curarent; deposuit eos de insula, et quasi servos per sua prædia singulos divisit; Eutychen in sexto decimo ab Urbe [miliario] via Numentana; Victorinum vero in sexagesimo [via Salaria;] Maronem vero in centesimo trigesimo in eadem via Salaria: jussitque eos terram fodere per totam diem, ad vesperum vero cantabrum (*id est, purgamenta farinæ seu potius panem ex iis confectum*) manducare. Sed Deus omnipotens dedit

C

eis gratiam in locis peregrinis: nam Eutyches conductoris loci filiam a diabolo liberavit; Victorinus autem vicedominum loci paralyticum, per tres annos de lecto non surgentem, fecit orando incolumem; Maro vero morbo hydropis laborantem procuratorem civitatis Septempedæ liberavit. Interea facientes sermonem ad populum, docuerunt multos Christo credere; et facti presbyteri populum credentium ampliavere.

5 Tunc diabolus replevit ira mentem Aureliani; et misit, qui vario genere pœnarum interficerent eos. Nam Eutychen in media via diu cædi jussit, quamdiu spiritum exhalaret.... Victorinum vero apud eum locum, qui Cotilias appellatur, ubi putentes aquæ emanant et sulphureæ, in ipsis capite deorsum per horas tres teneri jussit, et iterum suspendi. Hoc per triduum pro Christi nomine passus Victorinus migravit ad Dominum. Jussit autem Aurelianus corpus ejus non sepeliri: at cum una die apud Cotylas jacuisset, venerunt Amiternenses populi Christiani, et rapuerunt eum, et in suum territorium transtulerunt, atque ibi sepelierunt. Maronem vero *etc. Ita Acta SS. Nerei et Achillei, ut vocari solent, in editione nostra ad* XII *Maii: ex aliquibus tamen musei nostri codicibus Mss. lacunas aliquot supplevi. Quanta auctoritate ea valeant, dicetur num.* 47. *Id interim pro re indubia habeto, quidquid fide digni de* S. Victorino *M. oblivioni superest, Actis contineri. SS. Eutyches et Maro, quos illa pariter celebrant, in Adonis, Usuardi et Notkeri Martyrologiis necnon in utroque Romano, parvo et hodierno, una cum* S. Victorino *annuntiantur* XV *Aprilis, ad quem diem de omnibus breviter egit Henschenius. An tres isti sancti Martyres* a Principe Nerva, *ut in iisdem Actis asseritur*, *Aurelianus in servitutem traditi fuerint, dispicietur* § 5: *ubi assignatis imperatoribus, sub quibus exsilium, servitutem et martyrium verisimilius passi fuere, nonnulla circa servilem eorum conditionem vitamque deinde actam observabantur. Notitia locorum, in quibus* S. Victorinus *M. exsulavit, agrum in servitutem abductus fodiendo coluit, insolente supplicii genere martyr occubuit, et sepulturæ mandatus fuit, ex variis nunc dabitur.*

D

E

qui ubi exsilium, servitutem ac martyrium passus

6 Pontiam *Insulam*, Victorini *et aliorum Sanctorum, qui in laudatis Actis memorantur, exsilio nobilitatam, Ferrarius in Nova topographia ad Martyrologium Romanum ita describit:* Pontia, Ponza, insula maris Thyrreni ante sinum Formianum, contra Cajetam, Palmariæ et Sinoniæ insulis proxima. Est autem Palmaria contra Tarracinam, ab ea in Austrum ad XLV M. P. distans, prorsus inhabitata: at Pontia aliquot habitationes habet, exilio et deportatione non tam civium Romanorum quam Christianorum clara, a proximo litore ad XXX M. P. recedens. *Duram* S. Victorinus *servitutem servivit prope martyrii sui palæstram seu lacum, in cujus aquas putentes ac sulphureas cum per triduum, capite deorsum verso, trium quotidie horarum spatio identidem dimissus fuisset, animam Deo reddidit. De lacu isto eique adjacente oppido cognomine hæc scribit Lubinus in Tabula* 5 *geographica Mart. Romani illustrati:* Cutiliæ seu Cutilia, et Cotylia vel Cotyle, oppidum et lacus in Sabinis, in agro Reatino, a Reate octo millia passuum distans, sexagesimo ab urbe Roma milliario: urbs ad montem sita, a qua non longe erat lacus, qui Cutiliæ sive Aquæ Cutiliæ appellabatur. *Pompeius Angelottus in descriptione urbis Reatinæ patriæ suæ cap.* 9 Cutilias *a Gothis dirutas fuisse ait, atque inter colonias, ab incolis dispersis conditas, fuisse hodiernam* Contigliano, *ab* Aquis Cutiliis, *nunc* Lago di Contigliano, *teste Ferrario in Lexico geographico, longius distans quam antiquum oppidum, a quo nomen retinuit.*

F

et sepultus fuerit, explicatur.

7 *Situm* Amiterni, *cujus cives sancti Martyris corpus, postquam uno die jussu Aureliani prope Aquas Cutilias inhumatum jacuerat, in suum territorium transtulerunt, ex Baudrando accipe.* Amiternum, urbs Sabinum * in Italia Livio et Plinio, quæ Vestinis tribuitur a Ptolemæo, olim episcopalis, postea excisa; et ejus rudera nunc conspiciuntur in plano montis dorso, prope castrum S. Vittorino, de S. Victorini episcopi Amiternensis (*imo presbyteri et martyris*) nomine dictum, in Aprutio ulteriori, provincia regni Neapolitani, testibus Ferrario et Cluverio, prope fontes Aterni fluvii, *nunc vulgo* Pescara *dicti*, ab Aquila (quæ illi et Fuconio urbi excisæ ex adverso Amiterni successit) V mil. pass. distans in Septentrionem, olim ingens, ut rudera

* Sabinorum

AUCTORE J. L.

A ra indicant. *Amiternenses sacrum corpus, quod in suum territorium transportarunt, honorifice sepelierunt in loco, ut antiqua consuetudo ferebat, suburbano, ubi nunc* S. Victorini *vicus conspicitur. Antonius Antinorius cap.* 2 *Introduotionis ad Historiam Aquilanam apud Muratorium tom.* 6 *Antiquitatum Italiæ col.* 500, Rudera, *inquit,* scriptorum testimonia, traditio prope vicum S. Victorini ejus *(Amiterni)* situm fuisse ostendunt; et vicus ille postea pro sede *episcopali* stetit : *quæ opinio* § 3 *confirmabitur. Sancti corpus in ecclesia, quam Amiternenses in suburbio suo supra illud erexerant, religiose asservatum fuit usque ad tempora Ottonis I imperatoris; sub quo potior ejus pars Magdeburgum in Germaniam, nonnullæ vero reliquiæ Metas in Galliam translatæ fuere, ut* § *ultimo videbitur.*

Memoratos SS. Severinos et Victorinos Martyrologia ita intermiscent, ut hujus diei

8 *Habes nunc, studiose lector, distinctam notitiam duorum* SS. Victorinorum, *martyris et confessoris, et totidem SS. Severinorum, abbatis et episcopi; e quibus duo priores ab Adone, Usuardo, Notkero et utriusque Romani Martyrologii auctoribus ad* v *Septembris in unicum* Victorinum, *duo posteriores ad* VIII *Januarii in unicum Severinum constantur : et quemadmodum hic ab omnibus Severino permixto* Victorinus, *ita illic a plerisque* Victorino *confuso Severinus frater attribuitur.* B *Tanta personarum perturbatio Sancto, quem hodie Ecclesia colendum proponit, densam offudit caliginem, ac erroribus non paucis præbuit occasionem. Horum aliquos non inobservatos præteriit Bollandus tom.* I *Januarii pag.* 498 *et* 499; *ubi SS. Severinos intermistos discriminavit; sed hodiernum* S. Victorinum *suis involutum tenebris reliquit. Neque eas dispulit Henschenius tom.* 2 *Aprilis pag.* 374, *ubi illum cum* S. Victorino, *prope oppidum Cutilias passo, eumdem esse pronuntiavit. Sollerius in Observationibus ad textum Usuardi,* S. Victorinum *hodie annuntiantis, enodationem rei implexæ facilem et expeditam non esse perspiciens, ea tantum suggessit, quæ sufficere existimabat, ut difficultates indicarentur,* alibi, *inquit,* ex integro discutiendæ.

Sanctum internoscere difficile sit : nihil lucis adferunt Hieronymiana.

9 *Id ego hic suo loco præstiturus, eo primum confugi, unde mihi lucem adferendam sperabam; ad Martyrologia, inquam, Romano parvo vel Adone vetustiora. Verum ea mihi pervolventi nullum occurrit, quod* VIII *Januarii S. Severinum, vel* v *Septembris* S. Victorinum *memoret. Referuntur quidem in aliquibus Martyrologiis, quæ S. Hieronymo vel Bedæ attribuuntur; sed ex eorum numero sunt, quæ Papebrochius in Prologo ad Bedæ, Flori et aliorum Martyrologia ante tomum* 2 *Martii edita, et Sollerius in Præfatione ad Usuardinum cap.* I *art.* I § 2 *Adonis vel Usuardi aliqua ex parte compendia esse judicant, pro vario compilatorum arbitrio concinnata. Ad* XXIV *tamen Julii Adone antiquior Rabanus S. Victorinum confessorem ornat elogio, ex ipsius et fratris Severini episcopi Septempedani Actis vetustioribus deprompto. Eodem quoque die in optimæ notæ Hieronymianis, quorum textus inferius producam, Amiterni* S. Victorinus *martyr annuntiatur. Dedit hunc Sollerius brevius quam vellem. Ejus occasione mentionem faciens de* S. Victorino, *qui* v *Septembris colitur, hoc solum subjicit :* Idem an alius ab eo, qui hoc die *(*XXIV *Julii)* in Hieronymianis refertur, usque adeo exploratum non est. Maluimus nos hodiernum Victorinum, quisquis is est, loco suo ex citatis codicibus servare. *Meam in hac quæstione sententiam feram* § 4.

Septembris Tomus II.

§ II. Exhibetur e Martyrologiis S. Victorinus ad v Septemb. et S. Severinus ad VIII Januarii ex duobus quisque in unum conflatus : errores circa S. Victorinum hodiernum.

S. Victorinum M. et presb. cum synonymo conf. ad 5 Sept. Romanum parvum, Ado,

Nunc *geminos* SS. Victorinos *hodie a martyrologis in unum implicatos exhibeo. Quæ in eorum elogiis episcopo Amiternino et confessori conveniunt, uncis includam, ut ab iis, quæ ad Presbyterum et martyrem pertinent, commode dignoscantur. Martyrologorum Sanctos confundentium agmen ducit et seducit auctor Romani parvi :* Romæ, Victorini martyris [fratris Severini, qui post miram pœnitudinem Amiterninæ urbis episcopus] et martyr factus est. E *Ado prolixissimum hoc habet elogium :* In suburbano Romæ, natale beati Victorini martyris. [Fuerunt autem duo fratres, Victorinus et Severinus. Hi post utriusque parentis obitum se invicem pædagogantes, pari custodia se mutuis obsequiis æmulantes, germanitatis vinculo probabiles, Deo se ipsos hostiam vivam obtulerunt. Cumque in tantum excrevissent, ut sua omnia perfectionis intuitu relinquerent, et vendentes res suas, censum earum pauperibus erogassent, Deo expeditius servituri, nudi facultatibus omnibus remanserunt. Alter itaque serviens alteri mutua vice et æmula charitate serviebat. Imperium, libertas. Nihil deerat illis, cum nihil haberent. Igitur Victorinus spirans altius, et id ipsum, quod sibi parebant, imperfectum computans, nec satis sibi factum, si alteri liceret in altero, aut alter alteri servitium exhiberet; eremum ingreditur, seditque in specu excelsæ rupis, quam subterfluentis aquæ geminum sinuarat abruptum, uni tantum hospitium viro, ut sedens somnum caperet, vel si reciperet alterum, stans oraret. Texerat ostiolum vimine : assiduus in lectione et oratione manebat.

F *qui prolixum*

11 Cernit interim invidus omnis boni profectum Viri, et ferre non valens simulat se puellam, et ante fores Viri gementia verba ingeminat : Heu, inquit, me miseram, silvis, errore et tenebris vagam ! Locus non agnoscitur : iter quæritur. Quisquis es locis hujus incola, cælum undique et silvæ famam virtutum tuarum opusque ferunt; eripe me a frendentibus apris, eripe me a sævientibus lupis et a rictibus ursorum. Quod victura sum, tuum crit; si moriar, tuum. Satis superque sufficiat operiri limine tuo. Non longum quæro habitaculum, unius tantum noctis hospes ero. Reserat Victorinus cellam, et hostem, dum miseretur, secum includit. Vix horæ spatium intercesserat, dum inter molimina et assiduum corporis motum protenso pede tetigit Hominem Dei, et, velut compungens vulnere, noxio calore succendit. Addit igniculum dulcedo sermonis, urget facinus solitudo. Quid moror? Facit casum columna arboris, alta radice quæ diu fundata steterat : furtivus amor scelus perficit. Exclamat jam victor Victorini diabolus: Quid agis, inquit, Vir perfectissime, cui etiam

 frater

AUCTORE J. L.

frater gravis fuit? Jam jungeris alteri, qui recessisti a tuo? Quid agis, qui novum dogma silvis constituens suadebas scopulis castitatem? Hæc jactans ex oculis decepti velut fumus evanuit. At is, qui ceciderat, velut exanguis jacuit.

elogium ex utriusque

12 *Pergit Ado :* In se autem aliquando reversus, silvas deseruit, ad fratrem Severinum repedavit : pudore diu vocem supprimens, tandem causam facti exposuit, ipse pœnam sibi statuens. Findens namque arborem, manusque per fissuram inserens, præduratam cuneis pessulans, cicatricem arboris claudit. Sed mox Severinus factum pœnamque fratris episcopo suo nuntiat. Ille veniens, primum eum solvere tentat : sed ut repugnantem vidit, orat, benedicit, consolatur, discedit. Vir autem Domini, qui se gravissima pœnitentia damnaverat, Dominica tantum die modicum panis et aquæ coactus a fratre percipiebat, qui etiam re simili cibo et jejunio macerabat. Igitur in hujusmodi constrictione triennium volvitur. Cumque jam omnes pœne movisset ejus in Christo imitanda humilitas, episcopus civitatis rediens, vix agere potuit, ut sese B a pœna, qua ille memor tremendi judicii se damnaverat, absumptis pœne carnibus, permitteret resolvi. Quantæ autem sanctitatis postea fuerit, quamque potens in miraculis, non facile lingua alicujus explicabit. Electus deinde ab universo populo Amiterninæ urbis sacerdotium adipiscitur.]

Actis male contexuit, Notkerus,

13 *Eadem de S. Victorino confessore fusius narrantur tom.* I *Januarii a pag.* 500 *in ipsius et fratris S. Severini Septempedani Actis. Vixit S. Victorinus ille seculo* VI : *Martyr synonymus prope Cutilias non serius quam initio seculi* 2 *coronatus fuit. Sanctos tanto temporis intervallo invicem disjunctos in unam personam conjunxit Ado, dum præcedentibus ex historia SS. Nerei et Achillei ista annexuit :* Inde postmodum sub imperatore Nerva cum aliis Dei servis Eutyche et Marone ab Aureliano judice primo relegatur in sexagesimo ab Urbe miliario, via Salaria; deinde apud eum locum, qui Cottilias appellatur, ubi putentes aquæ manant et sulphureæ, in his capite deorsum per horas tres suspensus teneri ab impio judice jussus est. Quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus, migravit ad Dominum. Cumque C una die corpus ejus jussu Aureliani inhumatum jacuisset, venerunt Amiternenses, et rapientes transtulerunt in suum territorium, et honorifice sepelierunt Nonis Septembris. *Adonis elogium ex duorum* SS. Victorinorum *Actis compilatum habetur in variis musei nostri libris, qui Sanctorum Vitas continent, tam Mss. quam editis. Totum etiam vel ex parte olim in plerisque diœcesibus infra num.* 57 *nominandis ad Matutinum recitabatur. Notkerus ita oblongum elogium suum orditur :* Victorini martyris in suburbano Romæ. Hic cum fratre Severino *etc. Plura non transcribo. Satis sit indicasse, quod martyrologus iste peccatum cum dæmone sub forma muliebri, stupendam pœnitentiam, episcopatum Amiterninum et martyrium prope Cutilias uni quoque* S. Victorino *indiscriminatim adscripserit.*

14 *Licet minus evidens, meo tamen judicio non minus certa est confusio in Martyrologio Usuardi et Romano hodierno.* Romæ *(Usuardi textum refero)* beati Victorini martyris, qui sanctitate et miraculis præclarus [sacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adipiscitur.] Inde postmodum sub imperatore Nerva jussus est suspendi capite deorsum, ubi putentes et D sulphureæ emanant aquæ. Quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus, victor migravit ad Dominum. *Romanum hodiernum ista habet :* Romæ in suburbano beati Victorini [episcopi] et martyris, qui sanctitate et miraculis clarus [sacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adeptus est.] Postmodum sub Nerva Trajano apud Cutilias, ubi putentes et sulphureæ emanant aquæ, cum aliis Dei servis relegatus, ab Aureliano judice jussus est suspendi capite deorsum. Quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus, victor migravit ad Dominum. Cujus corpus Christiani rapientes honorifica sepultura Amiterni condiderunt. *Quæ in utroque textu jamjam dato uncis interposui a S. Victorino confessore mutuata esse negabunt, qui credunt* S. Victorinum *martyrem Cutiliensem fuisse episcopum Amiterninum : sed dignitatem hanc a confessore ad Martyrem translatam fuisse apparebit ex dicendis § sequente.*

Usuardus et Romanum hodiernum confundunt.

15 *Aliqua ex laudatis Martyrologiis classicis non solum* S. Victorino *martyri attribuunt, quæ sunt synonymi confessoris; sed etiam circa ea, quæ sunt sancti Martyris, varie errant. Ado elogium, quod his verbis inchoarat,* In suburbano E Romæ natale beati Victorini martyris, *ita concludit :* Cumque una die corpus ejus... inhumatum jacuerat, venerunt Amiternenses, et... honorifice sepelierunt Nonis Septembris. *Quomodo Sanctus* Nonis Septembris *et per martyrium cælo nasci et corpus ejus ab Amiternensibus sepeliri potuit, si* una die *illud* inhumatum *jacuerit? At Ado per vocem* natale *intellexit non diem, quo Sanctus passus fuit, sed quo passionis memoria agitur. Recte. Sed quid ad antiqua Hieronymiana, quæ, ut* § 4 *videbitur, eum referunt die* XXIV *Julii, quem ipsius natalem esse dicunt? An et hunc diem Sancti emortualem negabis ut Adonem excuses, qui ejus sepulturam* V *Sept. et martyrium uni ex diebus proxime præcedentibus affigit? Secundo, Ado num.* 13 *de sancto Martyre scribit :* Cum aliis Dei servis Eutyche et Marone ab Aureliano judice primo relegatur in sexagesimo ab Urbe miliario, via Salaria, *ubi Cutiliæ jacent. Romanum hodiernum habet :* Apud Cutilias. . cum aliis Dei servis relegatus, ab Aureliano judice jussus F est suspendi *etc. Romani verba videri possunt eum sensum habere, quem Adoniana habent, scilicet* SS. Victorinum, *Maronem et Eutychetem, postquam Aureliano in servitutem traditi essent, ad unum omnes locum amandatos fuisse, quod Actis SS. Nerei et Achillei repugnat; nam in hisce legitur :* Deposuit eos de insula *Pontia Aurelianus,* et quasi servos per sua prædia singulos divisit, Eutychen in decimo sexto ab Urbe [miliario] via Numentana, Victorinum vero in sexagesimo [via Salaria] *prope Cutilias,* Maronem vero in centesimo trigesimo in eadem via Salaria.

variis erroribus

16 *Tertio, idem Romanum* S. Victorini *martyrium atque etiam, ut videtur, relegationem ad locum, ubi servitutis jugum subiit,* sub Nerva Trajano *contigisse asserit : in Actis vero SS. Nerei et Achillei et in Adonis, Notkeri et Usuardi Martyrologiis solum nomen* Nerva *exprimitur. Quis per illud intelligat Trajanum imperatorem, qui quidem* Nerva Trajanus, *at numquam* Nerva *simpliciter vocari consuevit? An Sancti servitus et martyrium Nervæ, an vero Trajani successoris imperio, affigenda sint,* § 5 *examinabitur*

admixtis.

A *minabitur. Quarot, secundum memorata Acta, in quibus rerum gestarum ordinem inversum esse præsumi non debet, sed probari,* S. Victorinus *Eutyches et Maro nondum presbyteri ordinali erant, cum ex insula Pontia in servitutem abducerentur : nam in illis primo Sanctorum exsilium in ista insula, dein amandatio ad loca servitutis narratur ; et tum demum omnes* facti presbyteri *esse affirmantur. Verum* S. Victorinus *M. in Romano Mart. , in quo* episcopi *titulo donatur, prius* sacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adeptus, et postmodum sub Nerva Trajano apud Cutilias, *ubi servitutem passus est,* relegatus *fuisse dicitur. Profluxit hic error ex confusione S. Victorini episcopi et confessoris cum nostro Presbytero ac martyre, et in Romanum transiit ex Adone; quod hujus verba num.*12 *in fine et num.* 13 *relegens facile observabit. Cur Romanum parvum et Usuardus* Romæ, *Ado autem, Notkerus et Romanum hodiernum* in suburbano *ejus sanctum Martyrem annuntient, alibi videbitur.*

B 17 *Duos Severinos, nimirum abbatem, qui Neapoli quiescit et colitur, et episcopum Septempedanum, cui frater fuit S. Victorinus confessor, ad communem utrique natalem diem* VIII *Januarii ita permiscuit Romanum parvum seu vetus :* Neapoli, Severini confessoris, Victorini fratris. *Ado, Usuardus, Notkerus, hisque juniores martyrologi passim omnes confusionem illam adoptarunt. Præcipuorum annuntiationes si legere lubet, apud Bollandum invenies in comment. de Severino Septempedano. Omnium iterum dux vel potius seductor fuit auctor Romani parvi, ut in Observationibus ad Usuardum agnoscit ipse, qui in Præfatione ad hujus Martyrologium antiquitatem illius atque auctoritatem vindicarat Sollerius. Romanum hodiernum separatim utrumque S. Severinum annuntiat, episcopum Septempedanum* VIII *Junii, abbatem vero seu Noricorum apostolum* VIII *Januarii : atque hoc insuper die S. Severinum ex duobus illis commixtum seorsum refert iisdem pene, quibus Usuardus, verbis :* Neapoli in Campania, natalis S. Severini episcopi, fratris beati Victorini martyris, qui post multarum virtutum perpetrationem plenus sanctitate quievit. *Confusionem hic ob-*
C *scuriorem facit gloria martyrii* S. Victorino *adscripta : nam Severino abbati nullus frater* Victorinus *fuit : quem vero habuit episcopus Septempedanus in pace obiit. Baronius amborum Severinorum memoriam in Romano novo distinctim consignatam inveniens, et perturbatam, quam mox dedi, annuntiationem nulli eorum integre convenire videns, eam agere putavit de terlio quodam S. Severino episcopo Neapolitano, atque huic fratrem fuisse* S. Victorinum *martyrem, qui Nonis Septembris colitur.*

In iisdem Martyrologiis duo etiam SS. Severini ad 8 Jan. in unum coaluere, quem

18 *Sed quæ Baronii sententia fuerit, forsan ex ipsiusmet verbis lector cognoscere mavult. In annotatione de S. Severino episcopo Septempedano, qui cum fratre suo Victorino confessore ad* VIII *Junii in Romano annuntiatur,* Ambigua, *inquit,* adhuc et subobscura remanet de sancto Severino *Septempedano* narratio ob omnimodam fere similitudinem, quam in omnibus habere videtur cum sancto Severino episcopo Neapolitano, quocum non tantum nomine et dignitate episcopatus convenit ; sed (quod mirandum sit) uterque fratrem habuit nomine Victorinum, *episcopus Neapolitanus martyrem Septempedanus confessorem :* unde facillime contingere potuit, ut quod esset alterius, tribueretur alteri : quod quidem Ado sexto Idus Januarii et Nonis Septembris fecisse videtur, dum Victorinum illum *confessorem,* qui *seculo* VI in eremo perarduam vitam dixit, germanum existimavit Severini Neapolitani, cujus quidem frater eremum minime coluit, sed longe ante martyr factus est. Nec mirandum est duos Severinos duos fratres Victorinos habuisse ; cum moris Christianorum fuisse constet, suis filiis nomina Sanctorum imponere, qui illorum sectantes vestigia, etiam patrocinio fulcirentur. Dionys. Alexand. apud Euseb. lib. VII cap. XX. Horum autem fratrum Severini *Seplempedani* et Victorini *confessoris* Acta legimus accepta ab ipsorum ecclesia, ex quibus novimus hos fratres fuisse uterinos, eremiticamque vitam excoluisse : quorum Victorinus cum aliquando lapsus fuisset, arctioribus se disciplinæ vinculis mancipavit, ac sancto fine quievit. Severinus autem, ad regimen episcopatus assumptus, sanctitate clarus migravit e vita.

episc. Neapolitanum et fratrem hodierni S. Victorini M. Baronius

AUCTORE J. L.

E 19 *In sua hac annotatione Baronius palam facit, se non observasse ex S. Severino abbate, qui Neapoli colitur, et synonymo episcopo S. Victorini confessoris fratre in Romano parvo, Adone Usuardo et Notkero coaluisse monstrosum S. Severinum episcopum Neapolitanum. Cum hic et duo Sancti, e quibus conflatus est, distinctum quisque in Romano novo elogium habeat, cumque Romani parvi auctor, Ado et Notkerus ad* V *Septembris* S. Victorino *martyri tribuant fratrem Severinum, et ejusdem nominis monstrosum episcopum ad* VIII *Januarii fratrem esse dicant* S. Victorini, *et quidem, ut Usuardus et Romanum addit,* martyris; *Hinc Baronius, ut ante dicebam, existimavit S. Severinum episcopum Neapolitanum revera exstitisse, et hodiernum martyrem* S. Victorinum *illius fratrem fuise. Errorum istorum veritate supposita, Adonem ad* VIII *Januarii et* V *Septembris, ubi fratribus SS. Severino Septempedano et Victorino confessori convenientia putatitiorum fratrum S. Severini Neapolitani et* Victorini *martyris elogiis inserguntur, corrigendum esse monet, quod geminum synonymorum fratrum par commiscuerit. A martyrologis, qui Baronium incautum deceperunt, plures alii in eosdem errores pertracti fuere. Contra omnes statuendum est,* S. Victo-
F *rino martyri nullum fuisse fratrem Severinum episcopum Neapolitanum, atque hunc ex ecclesiæ istius antistitum numero, et ex Martyrologio Romano, quo nunc utitur Ecclesia, expungendum esse; cum numquam exstiterit, nisi in eorum mente, qui eum ex SS. Severinis, Noricorum apostolo et episcopo Septempedano, inter se permixtis, originem duxisse ignorarunt. Ad dicta stabilienda necesse non est, ut quidquam addam iis, quæ Bollandus tom.* I *Januarii pag.* 457 *ex litteris. P. Antonii Beatilli S. J. ad se Neapoli missi, et pag.* 499 *ex Ferrarii Calalogo Sanctorum Italiæ transcripsit. Ibidem pag.* 498 *neotericos quosdam refellit, qui monasterium et ecclesiam S. Severini Noricorum apostoli, quæ Neapoli exstant etiamnum, commentitii S. Severini episcopi nomine primum nuncupata fuisse scriptitarunt, sed deinceps a Noricorum apostolo idem nomen retinuisse.*

et alii credidere : putatitius hic Severinus e Mart. Romano expungendus.

§ III.

AUCTORE J. L.

§ III. Episcopalis dignitas a S. Victorino conf. translata ad hujus diei Presbyterum et mart. : novus S. Victorinus episc. Camerinensis a Jacobillo obtrusus : nescio quem Amiternensem suggerant Ferrarius et Castellanus.

SS. Victorinorum confusionem minus perspexit Baronius :

Baronius, *qui SS. Severinorum confusionem ad* VIII *Januarii non perspexit, sanctum quidem* Victorinum *martyrem a confessore internovit ; sed non satis, uti colligi potest ex ejus annotatione in Mart. Romanum ad* V *Septembris.* Cum VIII Junii superius egimus de Victorino germano sancti Severini Septempedani, satis ostendimus errare eos, qui duos hos Victorinos in unum confundunt ; et huic Martyri illa tribuunt, quæ alterius esse noscuntur ; nimirum lapsum illum miserandum, quem describit hic Ado, qui ceteris errandi tribuit occasionem : nam et id ad Bedæ *Plantiniani* Martyrologium additum reperitur, cum in veteri manuscripto ejus Martyrologio nihil hujusmodi legatur, sicut nec antiquo Romano, vel in Usuardo. De aquis Cutiliis, ubi hic passus est, scribit Plin. lib. II cap. XCV et lib. III cap. XII. Hujus autem Victorini martyrium descriptum habetur in Actis sanctorum Nerei et Achillei apud Sur. tom. III die XII Maii, ex quibus ceteri accepere. Habetur mentio de eodem supra XV Aprillis una cum Marone et Eutychete ; licet ibi nulla de episcopatu mentio fiat ; *quæ ad* V *Septembris etiam omitti debuisset, ut mox patebit.*

non Martyri, sed confessori episcopatus Amiterninus congruit :

21 *Baronius in Notis, numero præcedente et supra num.* 18 *transcriptis, Adonem reprehendit, quod vitam eremiticam et lapsum in peccatum impudicitiæ a S. Victorino confessore ad Martyrem Cutiliensem transtulerit. Nihil de isto lapsu legi ait in Martyrologiis Romano antiquo et Usuardino ; neque nullam in iis confusionem notat. An ergo Usuardus, cui consonat Romanum, quod Baronius antiquum vocat, de* S. Victorino *martyre vere scripsit :* Sacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adipiscitur? *Dubitari nequit, quin illa intelligi debeant de S. Victorino conf., qui in suis et fratris S Severini Actis tom.* I *Januarii pag.* 500 *editis num.* 9 *post expiatum gravissima trium annorum pœnitentia luxuriæ peccatum* brevi ad urbis Amiterninæ sacerdotium *assumptus fuisse dicitur. Acta illa alteris, quæ ad ejusdem tomi calcem a pag.* 1103 *habentur, certo antiquiora vidit et majore ex parte in compendium contracta elogio suo inseruit Ado, retentis hisce vocibus,* Amiterninæ urbis sacerdotium, *quæ etiam in Usuardo leguntur, et in Romano novo ; cujus verba hic iterum adfero :* Romæ in suburbano beati Victorini [episcopi] et martyris, qui sanctitate et miraculis clarus [sacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adeptus est.] postmodum sub Nerva Trajano apud Cutilias *etc. Romanum Martyrologium correxeris, si quæ hic uncis secreta vides, deleveris atque illi restitueris, a quo accepta sunt, nimirum S. Victorino confessori, qui ad* VIII *Junii debito episcopi titulo nudatus ita refertur :* Camerini, S. Victorini confessoris.

nullius roboris argumentis Orlendius episcopalem dignitatem sancto

22 *Henschenius ad* XV *Aprilis* S. Victorino *martyri episcopatum etiam abjudicat, Adonis et Usuardi verba, quibus ad sacerdotium Amiterninum ab omni populo electus fuisse asseritur, de simplice presbyteratu intelligens ; de quo etiam exponuntur in Usuardina editione Lubeco-Coloniensi :* Romæ in suburbio, beati Victorini presbyteri et martyris, qui sanctitate et miraculis præclarus sacerdotium Amicerrimæ [Amiterninæ] urbis, totius populi electione est adeptus *etc. Orlendius in Orbe sacro et profano parte* 2 *lib.* 4 *cap.* 15 *num.* 10 sacerdotium Amiterninæ urbis *rectius quidem episcopatum significare censet, qui in utroque Romano et Notkeri Martyrologio clare exprimitur ; at cum sacram hanc dignitatem, ut ex numero præcedente satis apparet, martyrologi a S. Victorino confessore mutuarint, frustra eos opponit Henschenio, SS. Nerei et Achillei Actis inhærenti, in quibus* S. Victorinus *martyr ac socii ejus Eutyches et Maro* facti presbyteri *esse dicuntur. Objicit præterea Orlendius :* Amiternina quoque ecclesia, ejusque in locum suffecta Aquilana Victorinum in sacris suis dypticis episcopum nuncupat. *Diptycha ecclesiæ Aquilanæ nihil evincunt, nisi vetustate superent ipsam urbem, post medium seculum* XIII *civitatis jure et sede episcopali donatam ; facile enim concessero, traditionem de episcopatu* S. Victorini *M. ecclesia Aquilana antiquiorem esse : sed quomodo persuadebis, illam non fuisse ortam ex confusione, qua Romani parvi auctor, Ado, Usuardus et Notkerus S. Victorinum episcopum et confessorem cum Martyre involverunt ?*

Martyri asserit, cui Antinorius locum inter præsules Amiterninos

23 *Amiterninæ ecclesiæ monumenta satis antiqua, sanctique Martyris episcopatum testantia, Orlendium nulla vidisse credam, donec proferantur. Certe in iis, quæ Antinorius civis Aquilanus diligenter collegit et cap.* 2 *Introductionis ad Historiam patriæ suæ adduxit, aliquoties* S. Victorini *fit mentio, nullo episcopatus ejus vestigio apparente. Hinc Antinorius* SS. Victorinorum *in Martyrologiis confusione animadversa, sanctum Martyrem episcopis Amiterninis non accensuit, hanc mentis suæ declarationem eorum seriei præmittens :* Sunt, qui reponant seculo primo Christiano S. Victorinum inter episcopos. Ejus Acta, quæquæ sint, habentur in illis SS. Nerei et Achillei : at inibi nullimode præsul dicitur . . . Ado et auctaria Usuardina cum S. Victorino confessore, de quo hic num. III, eum confundentes antistitem confecerunt. *Dein inter præsules Amiterninos, quorum exstat memoria, primum ponit Valentinum, qui in fine seculi* V *et initio sequentis sedit. Secundum collocat Castorium, cujus meminit S. Gregorius Magnus lib.* I *Dialogorum cap.* 4 *: tertium S. Victorinum confessorem, quem* seculo, *inquit*, vixisse VI, sancti fratrem Severini *Septempedani* fuisse, Amiternique antistitem, sat clare Acta dicunt in Act. Sanctor. VIII Januar. T. I. p. DI. n. IX. De eo multi multa scripserunt, et Adoni adhærentes cum Victorino martyre seculi primi Christiani complicarunt. At revera duos habuit Amiternum Victorinos, Matyrem nempe illum, episcopum alterum : unus primo, unus sexto Ecclesiæ seculo *.

** adde floruit. rectius denegat : cum in antiquo monumento*

24 *Sequitur S. Cetheus, de quo actum in Opere nostro ad* XIII *Junii ; tum Leontinus, qui post medium seculi* VIII *præfuit ; deinde Quodvulldeus, in quo Antinorius duas antiquas inscriptiones,*

AUCTORE J. L.

A *ptiones, suam et meam sententiam stabilientes producit.* Quodvultdeus episc., *inquit*, de quo legitur in S. Victorini oppidi ecclesia in marmorea theca sepulcrali S. Victorini mart. primi seculi sculpta inscriptio, non integra a Baronio in Not. ad Martyrol. die xv Apr. allata: IVBENTE DEO CHRISTO NOSTRO SANCTO MARTYRI VICTORINO QUODVVLTDEVS EPIS. DE SVO FECIT. Licet characteres non sapiant primorum seculorum epigraphe *, præcedere debent annum CMLXIX, quo ex Chron. Sigeberti docetur S. Victorini cadaver Metensem in urbem translatum, probabiliter theca ex ista: alter namque lapis nunc solo positus ejusdem ecclesiæ, in quo sculptum : . . . QUIESCIT BICTORINVS PBR. Victorinus nempe presbyter, v in B tot exemplis celebri derivatione; lapis iste vel quia rudior, antiquior erat, vel Quodvultdeianæ urnæ operculum, *quam Antinorius antiquiorem esse censet* anno CMLXIX; *addo ego* circiter, *quia corpus* S. Victorini *martyris Magdeburgum in Germaniam translatum fuisse credo circa idem tempus, quo Sigeberti Chronicon in Miræi edi-* B *tione ad annum* 970, *in aliis vero* 969, *testatur Metas deportatum fuisse* ab Amiternis Eutychetem martyrem cum reliquiis . . . Victorini, *pro quibus Antinorius* cadaver *substituit. Magdeburgenses potiore jure de translato ad se Sancti corpore gloriari posse quam Metenses,* § *ultimo probabitur.*

* epigraphen

et Actis SS. Nerei et Achillei solo presbyteri titulo donetur.

25 *Præter inscriptiones jam allatas ex Antinorio altera, anno* 1170 *posita, num.* 51 *refertur, in qua Sanctus tantum* martyr *vocatur. Abest etiam* episcopi *titulus a documento seculi* x, *quod vide num.* 61, *et a Martyrologiis omnibus Hieronymianis ad* XXIV *Julii, quorum textus* § *sequente dabuntur. Licet vero Sancti presbyteratus in illis pariter non exprimatur; cum tamen ipse, et quos nemo, quod sciam, hactenus episcopos dixit, Maro atque Eutyches in Actis SS. Nerei et Achillei* facti presbyteri *esse affirmentur; cumque Amiternenses suum olim* Victorinum *non pro episcopo, sed pro presbytero dumtaxat habuerint, uti docet vetus inscriptio* . . . QVIESCIT BICTORINVS PBR., *id est*, presbyter; *ego hanc dignitatem Sancto debitam esse judico, episcopalem autem indebitam, imo ipsi attributam ex errore, nato ex confusione jam sæpius indicata;* C *et consequenter e Romani hodierni textu expungendum esse Amiterninum sancti Martyris episcopatum, pro quo in Martyrologio Parisiensi an.* 1727 *excuso* presbyteri *appellationem recte substitutam lego:* In agro Amiternino natalis sancti Victorini presbyteri et martyris.

Refutatur Jacobillus

26 *Apud Cassidorum lib.* 8 *Variarum epistola octava ita inscribitur :* Victorino viro venerabili episcopo Athalaricus rex. *Scripta fuit anno* 526 *post mortem Theodorici Gothorum in Italia regis, cui se successisse Athalaricus Victorino significat. Cujus hic sedis episcopus fuerit, ex epistola erui nequit: Ludovicus tamen Jacobillus tomo* 2 *de Sanctis et Beatis Umbriæ pag.* 232 *mira confidentia asserit, illum* 30 *circiter annis ecclesiæ Camerinensi præfuisse,* IX *Septembris anni* 540 *sancte obiisse, in cathedrali honorifice sepultum atque ex antiquis ejusdem urbis patronis habitum fuisse. Ut apud lectorem fidem inveniat, gemina Guilielmi et Guidonis episcoporum Camerinensium, possessiones monasterii S. Mariæ confirmantium, instrumenta laudat. In altero, quod an.* 1254 *a Guilielmo datum fuit, mentionem fieri* beatorum confessorum et pontificum Ansovini et Victorini; *in altero vero a Guidone an.* 1261 *concesso addi* episcoporum Camerinensium. *Dein S. Victorinum suum distinguit a S. Severini Septempedani fratre, quem perperam episcopum fuisse negat. De S. Ansovino Camerinensi præsule actum fuit ad* XIII *Martii. Ejusdem urbis antistiti Victorino in Opere nostro nullus inter cœlites locus concedetur, donec de ejus existentia et cultu major certitudo habeatur. Quoniam S. Severini frater Amiterninam diœcesim administravit, atque in vicina Camerinensi ejus corpus ab immemorabili tempore quievit et cultus viguit; vehemens mihi est suspicio, ab ipso non distinguendum esse episcopum, qui cum S. Ansovino in dictis instrumentis memoratur, et Jacobillum utriusque nominibus vocem* Camerinensium *ex conjectura adjecisse, in quam ipsum haud dubie abduxit præsumpta opinio, quod S. Victorinus Severini frater nullibi episcopalum gesserit.*

SS. Victorinos multiplicans.

27 *In suspicione ista me confirmat primo, quod nullum, excepto Jacobillo, scriptorem invenire potuerim, qui illum ecclesiæ Camerinensis epicopis annumeret: secundo, quod idem Jacobillus sa-* E *cra ejus ossa in cathedrali deposita esse dicat* intra arcam seu conditorium corporis S. Ansovini, *Victorinum vero S. Severini Septempedani fratrem Prolaquei quiescere : ubi tamen hujus Victorini corpus Camerini in veneratione esse diserte testantur Joannes Baptista Cancellottus in sanctorum fratrum Actis lib.* 2 *cap.* 7, *atque alii in documentis Mss. ex Italia ad majores nostros transmissis. Ejusdem S. Victorini Vitæ in novem lectiones distributæ, quam Actorum S. Ansovini Romæ anno* 1682 *editorum scriptor Matthæus Pascucci misit, hæc præmittuntur:* Reperta in civitate Camerin. in ecclesia cathed . . . . ubi et corpus ejus in arca marmorea . . . una cum corpore S. Ansovini dictæ civitatis episcopi requiescit. *Ecce S. Victorinus Severini frater in eadem arca hic dicitur quiescere, in qua novum suum Victorinum collocat Jacobillus. Quis non videat scriptori huic* SS. Victorinos *multiplicanti haud statim (ne quid gravius dicam) assentiendum esse? Nullum igitur S. Victorinum agnosco, qui episcopus Camerinensis fuerit; nullum etiam ejusdem nominis episcopum Amiterninum præter S. Severini Septempedani fratrem, cujus sacra lipsana Camerini in cathedrali reli-* F *giose asservantur, et festum* VIII *Junii celebratur. Videri tamen possunt Ferrarius et Castellanus ad* v *Sept. adstruere voluisse* S. Victorinum, *non modo a Martyre Cutiliensi, sed etiam a fratre Severini diversum, eumque antistitem ecclesiæ Amiterninæ.*

Obscurum est, quem hujus nominis episc. Amiterninum Ferrarius

28 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ suum* S. Victorino episcopo Amiternino et mart. *elogium hac annotatione excipit :* Fere omnes scriptores Acta Victorini episcopi et mart. cum Actis Victorini confessoris apud Camerinum confundunt. Hunc Victorinum Baron. eundem esse putat cum eo, de quo in Martyrol. Rom. die xv Aprilis et in Gestis SS. Nerei et Achillei agitur; qui cum Marone et Eutychete passus traditur. Sed si ita est, corrigendum esset Martyrol., quod bis martyrium ejusdem mart. recenset, non enim dici hic potest uno tempore martyrium, alio inventionem vel translat. ejusd. memorari. Deinde mirum esset in Actis prædictis SS. Nerei et Achillei, ubi Victorini et sociorum martyrium pluribus describitur, nullam fieri episcopatus mentionem. Vereor, ne Acta hujus cum Actis illius,

de

AUCTORE J. L.

de quo die xv Aprilis, confusa fuerint, ac propterea eumdem hunc cum illo videri. *Ferrarius, quemadmodum ex ipsius verbis colligo, in eam sententiam propendet,* S. Victorinum *martyrem Cutiliensem, de quo Acta SS. Nerei et Achillei, in Martyrologio Romano dumtaxat ad diem* xv *Aprilis commemorari, nec dignitate episcopali fulsisse; synonymum vero, qui ad* v *Septembris in eodem refertur, antistitem Amiterninum fuisse. Sed quis iste* Victorinus *episcopus? an S. Severini Septempedani frater? Hic quidem revera Amiterni sedit: at Ferrarius, uti et alii neoterici, id ignorasse vel non credidisse videtur. Certe neque in elogio, quo eum ad* viii *Junii ornat, neque in subjecta annotatione de sancti istius episcopatu ullam mentionem facit. At Ferrarius magis innuere videtur, episcopum suum* Victorinum *etiam fuisse martyrem, et consequenter a confessore S. Severini fratre diversum. Si ita sit, quo seculo tertius ille Victorinus claruit? ubi passus est? etc.*

B

et Castellanus 5 Sept. coli velint: alium non agnosco S. Victorinum, qui Amiterni sederit, quam S. Severini fratrem, cujus cultus hoc die e Martyrologiis evinci nequit.

29 *Castellanus in Martyrologio universali uncis a reliquio Romani textu separavit, quæ ad Martyrem Cutiliensem spectare arbitrabatur, alium ab eo Sanctum hodie coli existimans, cui ista reliquit:* Romæ in suburbano S. Victorini. . qui sanctitate et miraculis clarus sacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adeptus est; *vel ut Gallice habet:* qui ob sanctitatem et miracula episcopus Amiterninus ab omni urbis populo electus fuit. *In margine sinistro legitur:* Obiit in pace. Differt a S. Victorino Cutiliensi primi seculi martyre, Amiterni sepulto. *In dextero notatur numerus* vi, *quo secultum sancti præsulis emortuale significatur. Diceres a Castellano indicari S. Victorinum Severini Septempedani fratrem: hic enim episcopatum Amiterninum seculo* vi *administravit, eodemque ad vitam feliciorem transiit. Dubito tamen, an hujus sententiæ fuerit Castellanus: nam non ignoravit S. Victorinum confessorem, quem Romanum ad* viii *Junii sine episcopi titulo refert, esse fratrem S. Severini Septempedani, id enim in margine annotavit; at nullibi monuit ipsum episcopum esse, vel* v *Septembris etiam coli, uti alias facere consuevit: in sui vero Martyrologii indice Sanctorum nomina complectente eum a præsule Amiternino et confessore, cui hunc diem sacrum facit, distinxisse videtur, dum utrumque distinctim ita posuit:* Victorinus Amiterninus episc., mortuus in pace, v Sept., *et post duos intermedios;* Victorinus Camerinensis confessor, viii Junii.

C

20 *Porro quidquid sit de Castellani et Ferrarii mente, ego imprimis ita statuo: Martyrologia ad* v *Septembris nullum præbent fundamentum opinandi in humanis exstitisse* S. Victorinum *episcopum Amiternensem a confessore S. Severini fratre diversum; nam verba* Post miram pœnitudinem Amiterninæ urbis episcopus... factus est, *quæ habentur in Romano parvo;* Postmodum Amiterninæ urbis episcopus eligitur, *quæ Notkerus enarratæ Sancti pœnitentiæ subjicit;* Electus deinde ab universo populo Amiterninæ urbis sacerdotium adipiscitur, *quæ Ado pœnitentiæ a Sancto actæ subjunxit, et paululum mutata in Usuardum et Romanum novum transiere; verba, inquam, illa de alio* S. Victorino *intelligenda non sunt, quam de confessore S. Severini fratre, ut superius probatum est. Secundo nulla solida ratio in Martyrologiis fundata adduci potest, cur quis affirmet sæpius memorati sancti confessoris venerationi consecratum esse hunc diem, quo in Adonis, Usuardi, Notkeri et Romani novi elogiis refertur passio* S. Victorini *prope Cutilias coronati, ad quem etiam pertinet appellatio* martyris *bis in Romano parvo expressa. Baronio, qui Martyrem Cutiliensem et* v *Septembris et* xv *Aprilis una cum SS. Eutychete et Marone in Romano novo annuntiari censet, supra objicit Ferrarius:* Sed si ita est, corrigendum esset Martyrol., quod bis martyrium ejusdem Mart. recenset *etc. Futile sane argumentum: nam neque Romani novi neque antiquiorum Martyrologium auctores S. Maronem die* xv *Aprilis, quo festum ejus Reate agitur, primum commemorantes, quidquam censura dignum fecerunt, dum sociorum martyrum Eutychetis et* Victorini *mentionem adjunxerunt, omnes communi elogio exornarunt, ac dein* S. Victorinum *seorsum annuntiarunt die* v *Sept., quo colitur, ut statim dicetur.* D

§ IV. Cultus S. Victorini M. Nonis Sept. probatur: ab illo non distinguendus, quem ad xxiv Julii Hieronymiana celebrant: an ex corrupta in illis Sancti annuntiatione orti SS. lxxxiii Milites Amiternini martyres? E

S. Victorini M. Cutiliensis venerationi nunc dicatus dies 5 Sept.,

Baronius supra num. 20 et multi alii affirmant, S. Victorinum *M. Cutiliensem hoc die coli; de cujus rei veritate securum me facit primo fragmentum epistolæ P. Antonii Beatilli, Neapoli* xiii *Novembris anni* 1638 *ad Bollandum datæ quod ad hunc diem sepositum inveni, atque ita habet:* Accepi has Amiterno seu ab urbe Aquila: dicuntque ibi celebrari festum quotannis mense Septembri de Sancto Victorino martyre, idque ab immemorabili tempore: aiuntque ipsum fuisse Victorinum socium SS. Maronis et Eutychetis martyrum. *Secundo notitia, quam nobis anno* 1736 *Roma transmisit Joannes Marangonus presbyter Vicentinus protonotarius Apostolicus, et cathedralis Anagninæ canonicus.* Cum de S. Victorino episcopo Amiterni prope Aquilam plura occurrant dubia et falsa, utpote Acta ejus confusa a scriptoribus cum Actis Victorini Camerinensis; occasione qua Aquilam urbem in Vestinis accessi aliquando, Amiternum etiam perrexi, vel potius ad pauperrimam villulam S. Victorini nuncupatam, ut cœmeterium SS. lxxxiii Militum MM., de quibus in M. B. Rom. xxiv Julii, lustrarem. *De* 83 *Militibus MM. Martyrologio Romano Baronii inscriptis paulo infra pluribus agetur.* Ibidem vidi sepulcrum sed vacuum cum inscriptione, *quam num.* 24 *ex Antinorio me dedisse credo,* S. Victorini, et cœmeterium sub antiqua illa ecclesia, in qua etiam reperi duo fragmenta vetustissima lapidea, in quibus expressum cernitur S. Victorini martyrium, capite super aquas Cutilias extenso, nec non obtruncatio capitis, *de qua Acta SS. Nerei et Achillei nihil meminerunt. Deinde aliquibus interjectis de eodem* S. Victorino *Cutiliensi testatur Marangonus:* cujus memoria agitur v Sept., *quem diem etiam* F

A *etiam in fronte notitiæ ad nos missæ apposuit.*

quem et olim Sancto sacrum fuisse censeo, saltem a tempore,

32 *Beatilli et Marangoni testimonia me dubitare non sinunt, quin* S. Victorinus *M. Cutiliensis in diœcesi Aquilana* v *Septembris nunc cultum obtineat. An etiam olim obtinuit? Bollandus ad* VIII *Januarii in Comment. de S. Severino Septempedano num.* 2, Suspicamur, *inquit,* v Sept. olim S. Victorinum confessorem, episcopum Amiterninum, celebratum; cujus nunc nomen Martyrologio Romano adscriptum VIII Junii. *Si vera sit Bollandi suspicio, miror, me ex antiquis Martyrologiis, in quibus* S. Victorini *memoria* v *Sept. consignatur, nullum reperire potuisse, quod confessorem pura annuntiatione celebret; ubi contra multa occurrerunt, quæ Martyrem sine ulla commixtione referunt. Adonis Martyrologio, quod Dominicus Georgius a se recognitum et notis illustratum Romæ an.* 1746 *in lucem dedit,* ex. cod. reg. Suec. CDXLI p. XLVI seculi X *alterum subjicitur a pag.* 656, *quod editor* Fuldense *vocat, atque* ex Adone et Usuardo excerptum *esse ait. Ejus auctor in hodierno* S. Victorino *duces suos non fuit secutus, dum*

B *sanctum Martyrem hoc elogio ornat, nulla confusione vitiato:* Roma * natalis S. Victorini martyris, qui sub imperatore Nerva ab Aureliano præside jussus est suspendi capite deorsum per triduum in loco, ubi putentes aquæ et sulphureæ emanant. Sicque sanctus Martyr, gloriose coronatus, migravit ad Dominum. *Ibidem a pag.* 704 *laudatus Georgius dat Kalendarium Palatino-Vaticanum, Sacramentario Gregoriano seculi* XII *præfixum, in quo legitur ad hunc diem:* Victorini mar. *Vetustus codex Usuardinus Pulsanensis apud Sollerium habet:* Romæ, beati Victorini martyris; *Centulensis apud eumden Sollerium et Martyrologium Ms. Leodiense S. Lamberti, Bedæ attributum:* In suburbio Romæ, beati Victorini martyris: *apographum nostrum Romanum ex tomo* 21 *bibliothecæ Vallicellanæ PP. Oratorii;* Romæ, S. Victorini mart.: *item alterum ex codice basilicæ S. Petri, quod Sollerius Vaticanum secundum agnominavit;* Romæ, nat. Victorini mart. *Apographum utrumque stylo Hieronymianum est; sed Sanctos ex Romano parvo, Adone aut aliunde acceptos refert.*

* Romæ

C 33 *Textus allati sufficiunt, ut quis mecum judicet,* S. Victorinum *martyrem die* v *Septembris, quo jam in diœcesi Aquilana colitur, olim etiam cultum fuisse in Amiternina, quæ nunc a quinque fere seculis illius partem constituit; Adonem vero et ceteros martyrologos classicos sæpe memoratos ad eumdem diem de sancto Martyre agere voluisse, sed errasse, dum ad ipsum transtulerunt, quæ confessoris erant.* S. Victorini *venerationem diei* v *Septembris affixam tantæ esse antiquitatis, ut seculis quoque martyrio ejus vicinioribus viguerit, nec affirmare ausim, neque etiam negare. Non primum, quia ex Martyrologiis, sanctum Martyrem isto die annuntiantibus, nullum novi vetustius Romano parvo: Hieronymiana vero ante illud conscripta eum referunt die* XXIV *Julii, quem ejusdem natalem dicunt. Non etiam secundum, quia fieri potuit, ut Amiterni priscis temporibus duplex fuerit festivitas instituta; altera* XXIV *Julii, quo ejus natalis, altera* v *Septembris, quo corporis translatio celebraretur, ea videlicet, cujus meminerunt Acta SS. Nerei et Achillei:* Cum una die apud Cotylas jacuisset *inhumatus,* venerunt Amiternenses populi Christiani, et rapuerunt eum, et in suum territoriumtr anstulerunt, atque ibi sepelierunt.

quo scripsit auctor Romani parvi: Hieronymiana eo antiquiora

34 *Utut res se habuerit, non videtur posse dubitari, quin Amiternenses ab initio sancti Martyris natalem* XXIV *Julii recoluerint; ad quem in Hieronymiano, quod Florentinius sub nomine Vetustioris edidit, legitur:* In Amiternina civitate, miliario LXXXIII ab urbe Romana, via Salutaria (Salaria) natalis sancti Victorini. *In aliis codicibus infra num.* 36 *additur* martyris. *Sollerius agens de* S. Victorino *M., cujus celebratissima ad* XXIV *Julii in Hieronymianis est memoria, nondum exploratum habebat, quis* S. Victorinus v *Septembris coleretur: unde quæstionem, idemne hic cum illo esset, an diversus, in medio reliquit. Sed cum sufficienter jam edoctus sim,* S. Victorinum *hodiernum esse Martyrem prope Cutilias passum, cumque ipsi,* in Amiternina civitate (*quæ vox urbem cum agro suburbano significatione complectitur*) via Salaria *deposito, allata annuntiatio apprime congruat; cur quem hæc* S. Victorinum *commemorat, a Cutiliensi distinguam? At si in Hieronymiano, quod Florentinius vulgavit, recte legatur:* In Amiternina civitate miliario LXXXIII *etc., quid statuendum de hac Adonis anuntiatione ad eumdem diem* XXIV *Julii:* Apud Amiterninam civitatem Militum octoginta trium? E *Totidem sanctos Milites Amiterno attribuunt Usuardus, Notkerus et Romanum Baronii, in quo martyres esse indicantur.*

nostrum sine dubio Martyrem referunt die 24 Julii, quem ipsius natalem dicunt: gravis

35 *Responderet alius, vetustioris Hieronymiani Martyrologii textum a Florentinio in Notis referri ex duobus aliis codicibus, cum hac sola fere differentia, quod pro* miliario LXXXIII *scribatur* mil. LXXXIII; *breviatum autem nomen* mil., *id est,* miliario *acceptum fuisse pro* militibus: *qui error ab antiquiore librario semel commissus, a recentioribus dein adoptatus fuerit. Vellem ab hac responsione omnem veri speciem removere possem, atque demonstrare, sanctos* 83 *Milites Amiterninos ex pari milliarium numero formatos non fuisse. Orlendius in Orbe sacro et profano parte* 2 *lib.* 4 *cap.* 15 *num.* XI *scribit, eorum festum in Aquilana diœcesi agi* XXIV *Julii. Sunt etiam, quos legi aliqua eorumdem corpora et insignes reliquias publicæ venerationi exponere. Hos ego et præsertim Aquilanos, diruto Amiterno vicinos, oro atque obtestor, ut argumenta suppeditent, quibus objectæ difficultati occurratur. Baronius in suis ad Romanum Notis de Militum istorum martyrum cohorte* XXIV *Julii, deque SS.* F *Florentio et Felice* XXV *ejusdem, hosce duos ex illorum numero fuisse affirmat. Consentiunt Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ et alii, qui illos Martyrii palmam adeptos fuisse tradunt sub Maximiano et Diocletiano impp. Verum ex iis, quæ de SS. Florentio et Felice ad dictum diem* XXV *Julii, deque prioris filia S. Justa V. et M. ad* I *Augusti disseruit Sollerius, manifestum est Baronii et sequacium sententiam nulla probabili ratione aut idonea ad fidem faciendam auctoritate suffulciri.*

movetur difficultas circa 83 Milites Amiterninos MM., qui ex corrupta

36 *Causam* 83 *Militum MM. suscepturis eo confugere non licet, ut annuntiationem Hieronymiani vetustioris corruptam esse dicant in* miliario LXXXIII: *nam primo frequentissimus est iste loquendi modus in antiquis Hieronymianis, ut Martyres, qui via aliqua Romana insigni, ut ibi est* Salaria, *coronati vel depositi fuere, annuntientur notato milliarium numero, quibus ipsa urbs a certaminibus palæstra aut loco depositionis abest. Exempla si desideres, vetustioris editorem Florentinium pervolve, et plurima occurrent. Roma vero Amiternum via Salaria euntibus iter*

83 *milliarium*

S. Victorini in aliquot codicibus annuntiatione, quam hic genuinam propono,

AUCTORE J. L.

83 *milliarium conficiendum non fuisse, nullus antiquo milliaria computandi modo insistens evincet. Secundo idem milliarium numerus clarissime exprimitur in Corbeiensi Majore apud Florentinium in Notis :* In Amiternina civitate, miliario octogesimo tertio ab urbe Romana, via Salaria, natalis sancti Victorini martyris. *Atque hunc textum Sollerius procul dubio genuinum esse pronuntiat; confirmaturque ex Hieronymianis contractis. Ms. Reginæ Sueciæ apud laudatum Florentinium habet :* In Amiternina civitate, mill. LXXXIII ab urbe Roma, S. Victurini. *Alterum sub nomine Reginæ Sueciæ tom.* VII *Junii post Indicem Sanctorum :* in Namiternina * civitate, miliario LXXXIV * ab urbe Roma, natalis sancti Victurini. *Corbeiense brevius ibidem :* In Armia Termina * civitate miliario LXXXIII, natalis S. Victorini martyris. *Milliaria reticentur in Romano S. Cyriaci ibid.* In A. . . . to *(lege, ut est in apographo nostro Casinensi secundo,* In Amiterno) S. Victorini martyris.

* *l.* Amiternina
* *l.* LXXXIII
* *l.* Amiternina

censeri possunt originem traxisse.

37 *Istos ex Hieronymianis textus transcribere visum est primo, ut confirmarem Amiternenses olim* XXIV *Julii natalem* S. Victorini *martyris recoluisse, quem a Cutiliensi in* Amiternina civitate, via Salaria *deposito distinguere non licet : nam quæ ratio vel auctoritas suadet, ut duos* SS. Victorinos *martyres Amiternensibus attribuas? Secundo, ut qui 83 Milites Amiterninos MM. eodem die nunc venerantur, clarius intelligerent, fundamento non destitui argumentum supra objectum, quod illorum SS. Militum existentiam valde suspectam reddit, atque ita magis ad eam vindicandam excitarentur. Formidinem, qua angor, ne argumentum istud satis dilui nequeat, numquam sustulerint, nisi probarint istum SS. 83 Militum MM. manipulum, qui ab Adone et aliis martyrologis Amiterno adscribitur, acceptum esse aliunde quam ex Hieronymianis : nam extra dubium mihi videtur, quin in illis hæc vel similis lectio :* In Amiternina civitate, miliario LXXXIII ab urbe Romana *etc. sit primigenia. Si alia ab Hieronymianis documenta adduci nequeant, ignosci mihi debet, quod deponere non possim timorem, quem nullus non prudentem fatebitur, ne pro* miliario LXXXIII *ab oscitante, imperito vel infideli librario substituti fuerint* Milites LXXXIII; *qui error in Adonis, Usuardi et aliorum Martyrologia, ac tandem etiam in Romanum Baronii transierit.*

Qui ita credunt, facile rationem dabunt, cur 24 Julii et 5 Sept. Romæ vel in suburbio ejus

38 *Cum* S. Victorinus *M. 60 circiter ab urbe Romana milliaribus prope oppidum Cutiliense martyrium consummarit, Amiterni vero locus suburbanus, ubi corpus ejus depositum fuit, longius Roma distet ; mirum alicui videbitur, cur* XXIV *Julii in aliquibus et* V *Septembris in omnibus, quæ ipsum memorant, Martyrologiis* Romæ, *vel* in suburbano *aut* suburbio Romæ *annuntietur. Alius rationem daturus censoria rursum hac ratiocinatione uteretur. Priore Hieronymiani textus parte,* In Amiternina civitate miliario LXXXIII, *in sanctos 83 ejusdem civitatis Milites conversa, natum erat fieri, ut altera pars,* Ab urbe Romana, via Salaria, natalis sancti Victorini martyris, *quemadmodum Corbeiense majus habet, acciperetur pro plena et separata* S. Victorini *M. annuntiatione, et pro* ab urbe Romana *suburbium aut suburbanum, vel ipsa urbs Romana poneretur. Hinc Notkerus ad* XXIV *Julii :* Romæ nativitas S. Victorini. In Ammiternina civitate Militum octoginta trium. *In Hieronymiano Epternacensi apud Florentinium, qui illud vetustissimum appellat, atque in contractis Rhinoviensi et Richenoviensi, a Sollerio tom. ultimo Junii editis, 83 SS. Martyres in Armeniam minorem ablegantur. Verba Epternacensis sunt :* Armenia minore Sebasti, Theogenis, Victoris et aliorum LXXXIII. Romæ Victorini *etc. Reticetur hic Sanctus in Rhinoviensi; at in Richenoviensi post* et aliorum octoginta trium *sequitur :* Alibi natale Victurini.

Sanctum tot Martyrologia annuntient, 83 Milites MM. implicantia

39 *Sollerius ad* XXIV *Julii 83 MM. anonymos ex Armenia minore Amiternum reduxit, atque una cum* S. Victorino *M. dedit, quem tamen sibi non satis notum fatetur. Similiter conjunguntur in Mart. Beneventano apud Holstenium in Notis ad Romanum :* Apud Amiterninam civitatem Militum LXXXIII et S. Victorini martyris. *Idem fit in Vaticano secundo. Romam* S. Victorinus M. *remittitur in Barberiano acephalo apud Sollerium laudatum :* Romæ, nat. S. Victurini. *Qui hic silentur 83 Milites, Ado, Usuardus et alii juniores martyrologi eodem die* XXIV *Julii commemorarunt ; sed* S. Victorinum *ad* V *Septembris transtulerunt, elogia sua inchoantes* Romæ, *vel* In suburbano Romæ *etc.. quæ voces unde provenerint, jam assignatum est. Ducem illi habuere Romani Parvi auctorem, cui* S. Victorinum V *Sept. annuntiandi ratio esse potuit, quod ipsius ætate natalis dies* XXIV *Julii, seu potius hujus celebratio ad* V *Sept. transposita esset, priore die destinato ad cultum 83 Militum Amiternensium, ex totidem milliarium ab urbe Romana Amiternum usque distantia jam tum efformatorum.*

tricis quibus eos Amiterno vindicaturi difficulter se expedient.

40 *Quæ numero 38 et seq. objecta sunt, Sanctos istos, qui a cultoribus suis Amiterni vel in locis vicinis passi fuisse creduntur, novis involvunt tricis, quibus utinam memet expedire possem! Si dicam in Epternacensi et aliis Hieronymianis, in quibus Armeniæ minori tribuuntur, ab Amiterno erratum fuisse in Armeniam, non quidem id negabit pars adversa, hunc de* S. Victorino M. *textum genuinum esse judicans :* In Amiternina civitate miliario LXXXIII *etc.; sed contendet auctorem Mart. Beneventani, Adonem etc. similiter ab 83 milliaribus in tot milites Amiterninos aberrasse ; atque hinc factum esse, ut ejusdem textus pars secunda* ab urbe Romana, via Salaria, natalis sancti Victorini martyris *credita fuerit integra annuntiatio, et nunc pro* ab urbe Romana *ejus suburbaum, suburbium aut urbs ipsa in Martyrologiis legatur. Ad hoc reponi potest, sanctum Martyrem in illis* Romæ *etc. consignari, quia coronatus fuit in via Romana, Salaria scilicet. Sic est : Martyres in locis via aliqua Romana, licet procul ab ipsa urbe, jacentibus passi vel depositi in antiquis Martyrologiis Romæ sæpe adscribuntur : at sæpe etiam in locis passionis seu depositionis annuntiantur, tacita vel expressa eorum ab urbe distantia. Jam vero cum S. Hieronymus vel auctor Martyrologii, quod S. Hieronymi creditur,* S. Victorinum *M. notarit non* Romæ, *sed ubi depositus fuit,* In Amiternina civitate, miliario LXXXIII ab urbe Romana, via Salaria *etc.; non modo manet difficultas circa 83 Milites Amiterninos, verum etiam verisimilitudo rationis datæ de prima origine vocum* Romæ, in suburbano *vel* suburbio Romæ, *a quibus commemorationes et elogia* S. Victorini *in aliquot codicibus Hieronymianis atque in Romano parvo, Adone, aliisque Martyrologiis inchoantur.*

§ V

A

§ V. Dissertatio de tempore exsilii, servitutis et martyrii.

S. Victorinus M. et alii sub Domitiano in exsilium missi: cum Mart. Romano 15 April. et 5 Sept.

Superest ut dispiciatur, sub quibus imperatoribus S. Victorinus *exsilium in insula Pontia, servitutem prope Cutilias et martyrium tulerit. Constat ex veterum testimonio apud Eusebium lib.* 3 *Hist. ecclesiasticæ cap.* 18, anno principatus Domitiani quinto decimo, *qui cum anno Christi* 95 *ab Idibus Septembris et* 96 *usque ad eumdem diem componitur*, Flaviam Domitillam Flavii Clementis ejus, qui tunc temporis Romæ consul fuit, ex sorore neptem una cum aliis plurimis *Nereo scilicet, Achilleo,* Victorino *etc.* ob confessionem Christi in insulam Pontiam fuisse deportatam. *Domitiano* XIV *Cal. Octobris anni* 96 *occiso subrogatus fuit Nerva, post quem exeunte Januario anni* 98 *vita defunctum Trajanus imperavit. In Mart. Romano hodierno ad* B XV *Aprilis SS. Maro, Eutyches et* Victorinus *ab exsilio, in quod cum S. Flavia Domitilla sub Domitiano ejecti fuerant,* sub principe Nerva liberati, *et* in persecutione Trajani *variis suppliciis interfecti fuisse asseruntur. Ipsum textum accipe.* Eodem die sanctorum martyrum Maronis, Eutychetis et Victorini, qui primum cum beata Flavia Domitilla apud insulam Pontiam in Christi confessione exules, postmodum sub principe Nerva liberati, cum plurimos ad fidem convertissent, in persecutione Trajani a Valeriano judice variis pœnis jussi sunt interfici. *Pro* Valeriano *legi debet* Aureliano : *ita enim habent Acta SS. Nerei et Achillei, Ado, Usuardus etc. atque ipsum Romanum ad* V *Septembris; ubi de* S. Victorino *legitur :* Sub Nerva Trajano apud Cutilias, ubi putentes et sulphureæ emanant aquæ, cum aliis Dei servis *(vide supra num.* 15*)* relegatus, ab Aureliano judice jussus est suspendi *etc. Hæc verba significare videntur, non modo* S. Victorini *martyrium, sed etiam ejus ablegationem ad locum, ubi servitutem passus est,* sub Nerva Trajano *contigisse.*

Baronius affirmat, Sanctum cum sociis ab exsilio liberatum fuisse sub Nerva,

C 42 *Sanctos sub Nerva ab exsilio liberatos, sub Trajano autem ad loca servitutis amandatos et supremis suppliciis affectos fuisse, Baronii quoque est sententia. In Annalibus ecclesiasticis ad annum* 98, *cui Domitiani cædem et Nervæ in imperio successionem, ad annum* 96 *retrahenda, innectit*, Cum primum, *inquit ibi num.* 12, liberas imperii habenas *Nerva* moderari cœpit, nihil antiquius habuit, quam Christianos, a Domitiano impietatis titulo condemnatos atque exules factos, postliminio restituere ; vetare insuper, ne quis ulterius, qui deos non coleret, Christianamque religionem sectaretur, ut impietatis reus accusaretur. *Dein, Dionis utrumque asserentis testimonio adducto, ita concludit :* Quamobrem tum Flaviam Domitillam seniorem atque juniorem, tum alios suos, *quibus mox* S. Victorinum *et socios accenset*, a Domitiano in insulam relegatos, Romam esse reversos, affirmare opus est, licet quæ extant ipsorum Acta, de his nihil habeant. *S. Flavia Domitilla, cujus antea memini, istius nominis junior est seu virgo, consobrina T. Fl. Clementis consulis, jussu Domitiani ob Christi fidem interfecti. De Fl. Domitilla seniore, ejusdem Clementis vidua, in maris Tyrrheni insulam Pandatariam, teste Dione Xiphilini, ob eamdem causam relegata, vide Henschenium tom.* III *Maii pag.* 9.

AUCTORE J. L.

dein sub Trajano servitutem et martyrium subiisse ; quæ Actis repugnant.

43 *Quemadmodum Baronius* SS. Victorinum, *Eutychetem et Maronem in Pontia insula cum Fl. Domitilla juniore exsulantes, usque ad Nervæ mortem ibi permansisse, ita et illos, eodem imperatore vivente, in servitutem missos fuisse negat in annotatione, qua hæc Romani ad* XV *April. verba* sub principe Nerva liberati, *excipit.* Consulto, *inquit*, hæc addita videntur ; ex quibus etiam illorum Acta sunt corrigenda, ubi legitur illos sub Nerva redactos esse in servitutem : constat enim Nervam imperatorem non tantum Christianos non vinxisse, sed vinctos potius e custodia eduxisse, et exules proscriptosque restituisse. . . . Irrepsit error in illa Acta, ut loco NERVÆ TRAJANI, NERVA simpliciter positus habeatur. *Dissentit a Baronio Franciscus Maria de Aste archiepiscopus Hydruntinus in disceptatione chronologica ad elogium de* S. Victorino *et sociis in Romano* XV *Aprilis :* Nedum hæc Acta efferunt SUB NERVA sine additio TRAJANI, sed et Ado, Usuard. Bellin. Maurolyc. Felic. Galesin. Canis. aliique : ex quo elicitur, Acta a tot scripto- E ribus accita et sequuta, germana adjudicanda. *Paucis interjectis, in Actis affirmari ait, Sanctos sub Nerva non modo in servitutem addictos fuisse ; sed etiam martyrium consummasse. Dein post Usuardi textum ad* XV *April., in quo* sub principe Nerva *coronati fuisse dicuntur, elogium Romani hodierni, quod num.* 41 *integrum dedi, hisce exhibet partibus mutilatum* sub principe Nerva liberati, *et* in persecutione Trajani a Valeriano * judice; *sine quibus ut in Ecclesia legeretur, expedire censet.*

* *l.* Aureliano

S. Fl. Domitillam sub Nerva in Pontia permansisse puto, eique ibidem

44 *Neque in omnibus illustrissimo præsuli Hydruntino, neque etiam Baronio assentior, qui ut vera amplectitur et tuetur, quæ ille ex Mart. Romano expuncta mallet. S. Hieronymus in epistola ad Eustochium, quæ Epitaphium Paulæ matris inscribitur,* Delata, *inquit*, est Paula ad insulam Pontiam, quam clarissimæ quondam feminarum . . . Flaviæ Domitillæ junioris nobilitavit exilium ; vidensque cellulas, in quibus illa LONGUM MARTYRIUM duxerat *etc. Jam vero cum ex Eusebio citato certum sit, eamdem Fl. Domitillam* cum aliis plurimis *exsulare cœpisse* anno principatus Domitiani quinto decimo, *cumque hic imperator, anno isto elapso, quinque dumtaxat* F *diebus in vivis superstes fuerit ; Nerva vero illius successor, qui post illum* 16 *tantum mensibus et diebus aliquot vixit, exsules Christianos initio sui imperii in patriam restitui voluerit : quomodo sancta virgo* longum martyrium *in Pontia duxit, si sub Nerva Romam redierit ? Mihi non videntur ista modo satis verisimili inter se conciliari posse. Credibilius mihi apparet, sanctam virginem omni tempore, quo Nerva imperavit, atque etiam post ipsius obitum in exsilio substitisse, donec sub Trajano Tarracinam transvecta fuit, ubi gloriosum diuturni martyrii cursum consummavit. Tillemontius tom.* 2 *Monumentorum ecclesiast. pag.* 127 *observat, Nervæ singulares potuisse esse rationes, cur Fl. Domitillam seniorem et juniorem cito Romæ comparere noluerit, vel in exsilio detineri permiserit : nimirum quod sibi aliquid mali ab illarum restitutione subvereretur ; nam consanguineæ erant Dominitiani, a militibus post mortem adamati, qui T. Fl. Clementis consulis et Fl. Domitillæ senioris filios, ac junioris amitinos,* etiamnum parvulos,

AUCTORE J. L.

vulos, successores palam destinaverat, et abolito priore nomine, alterum Vespasianum appellari jusserat, alterum Domitianum. *Hæc Suetonius in Domitiano imp. Fortasse etiam Fl. Domitilla junior voluntarium sub Nerva exsitium tulit, quod sciret se non tam libere Deo servire neque tam secure consecratam ipsi virginitatem tueri posse, si Romæ degeret magis exposita Aureliani vexationibus, consensum ad nuptias ab ea quoquo modo extorquere conantis.*

exsulanti S. Victorinum et socios adhæsisse, donec in servitutem abducerentur;

45 *Si S. Fl. Domitilla junior sub Nerva in Pontia perstiterit, quidni cum ea manserint non modo SS. Nereus et Achilleus, qui cubicularii ejus erant; verum etiam* SS. Victorinus, *Eutyches et Maro, qui a Baronio in Annalibus ad annum* 100 *num.* 12 ejus domestici *appellantur, quosque Acta tradunt pia atque intima familiaritate exsuli virgini fuisse conjunctos : etenim Aureliano omnia tentanti*, ut ad Domitillæ posset pervenire consensum, *relatum fuisse narrant*, quod majorem haberet caritatem cum Eutychete et Victorino et Marone, quam habuerat cum eunuchis suis Nereo et Achilleo, *Tarracinæ capite plexis*, qui eam docuerant Christo credere. B *Uti hi duo, donec ad martyrii sui palæstram, ita et illi, donec in servitutem abducerentur, Fl. Domitillæ in Pontia exsulanti verisimilius adhæserunt, in Christi fide et virginitatis servandæ proposito eam confirmantes. Sanctos vero ad passionis et servitutis loca nec Roma, nec aliunde quam ex insula Pontia transportatos fuisse, Acta diserte affirmant. Igitur cum illustrissimo Francisco Maria de Aste expedire arbitror, ut a* SS. Victorini *et sociorum elogio, quod ad* XV *Aprilis in Romano est, istæ voces abessent* sub principe Nerva liberati, *id est, ut Baronius exponit et sustinet, ab exsilio in patriam restituti. Favet nobis Ado, ad eumdem diem de Sancti scribens :* Qui cum beata Flavia Domitilla apud insulam Pontiam LONGUM ducentes EXILIUM, eamque in Christi confessione pio foventes solatio, invidia atque insectatione Aureliani sponsi *etc. Eadem habet Notkerus. Apud Usuardum quoque lego, Sanctos* longum exsilium *duxisse. Hoc si verum est, non modo illorum sub Nerva in patriam reditus negandus, sed etiam eorumdem ab exsilio in servitutem relegatio ac passio ad Trajani imperium* C *differendæ videntur. Utramque tamen ad Nervæ tempora revocant iidem martyrologi; nam post assertam exsilii diuturnitatem ita pergunt Ado et Notkerus :* Postmodum a principe Nerva eidem Aureliano in servitutem traditi sunt; *Usuardus vero :* Postmodum sub principe Nerva variis jussi sunt interfici pœnis. *Duo priores martyrologi ad* V *Sept.* S. Victorini *servitutem et passionem, atque hanc etiam Usuardus, Nervæ imperio innectunt. Illorum elogia desumpta sunt ex Actis, solam Sanctorum servitutem sub Nerva contigisse asserentibus. An hisce et Martyrologis laudatis assentiendum sit, lector ex sequentibus dijudicet.*

quod verisimilius contigit sub Trajano: eorum servitutem atque etiam,

46 *Ecclesiæ, quam Domitianus persecutus fuerat, Nerva successor pacem restituit, simulatque imperare cœpit, et, ut Dio Xiphilini a Sylburgio Latine redditus testatur,* eos, qui rei facti erant impietatis absolvit... Neminem quoque impietatis aut ritus Judaïci accusari permisit. *Judaïsmus, atheismus aut impietas in deos, Christianorum crimina erant, ob quæ in Domitiani persecutione plurimi bonis exuti, in vincula et carceres conjecti, in exsilium trusi, atque ad mortem damnati fuere. Si optimus imperator Nerva ne quidem permiserit, ut Christianæ fidei, quam profiteri ista crimina apud ethnicos commisisse erat, quisquam reus ageretur; creditu difficile est, Aurelianum ipsimet Nervæ non modo detulisse, quod* SS. Victorinus, *Eutyches et Maro Christiani essent et deorum contemptores; sed etiam ab eo petiisse, ut illos sibi traderet servituti subjiciendos, si diis immolare recusarent; dein Sanctos illud facere renuentes ad servitutem condemnatos fuisse. Ista tamen sub Nerva acciderint oportet, si Acta non aberrent; dicunt enim :* Unde factum est, ut *Aurelianus* a principe Nerva peteret eos sibi donari, si sacrificare noluissent. Qui cum viriliter agerent, Eutyches, Victorinus et Maro, atque minas Aureliani penitus non curarent; deposuit eos de insula, et quasi servos per sua prædia singulos divisit. *Hæc Dionis testimonio et benigno Nervæ ingenio, per quem Christianis statim a Domitiani cæde veram religionem tranquille et libere colere licuit, tam parum congruunt, ut improbare nequeam istud Baronii pronuntiatum:* Irrepsit error in illa Acta, ut loco NERVÆ TRAJANI, E NERVA simpliciter positus habeatur. *Contradicit illustrissimus Hydruntinus, eo solo argumento ductus, quod non tantum Acta, sed etiam Ado, Usuardus et alii martyrologi nudum* Nervæ *nomen expresserint: unde tamen nil aliud inferri potest, quam Adonem, quem ceteri secuti sunt, illud ita scriptum invenisse in exemplari, quo usus fuit. Alii Hydruntini præsulis stent judicio : mihi Baronii magis arridet sententia, conformis Martyrologio Romano ad* V *Sept. Verba dedi num.* 41.

ut aliis videtur, martyrium Nervæ imperio Acta affigunt, quorum auctoritas nil evincit :

47 *Illustrissimus Hydruntinus* SS. Victorinum *et socios sub Nerva non modo in servitutem addictos fuisse credit, sed etiam martyrium consummasse; quod tamen Acta non dicunt, licet ipsi et aliis dicere visa fuerint: nullum enim imperatorem nominant, dum suprema Sanctorum certamina enarrant. Ex eo vero quod affirment, eos sub Nerva servitutis jugum subiisse, nullo modo deduci potest, imperatorem istum etiam tum inter vivos exstitisse, cum illi extrema passi fuere. Unde Henschenius, ad* XV *April. de Sanctis agens, Acta incassum opponit Martyrologio Romano, quod eodem die illos coronatos fuisse ait* in persecutione Trajani. F *Ut hæ voces e Romani textu auferantur, laudati præsulis consilium est, quod neque probo, neque umquam explendum esse puto. Etiamsi in Actis manifeste poneretur, Sanctis martyrium sub Nerva illatum fuisse, illis non acquiescerem; quia sub isto imperatore, a Christiani sanguinis effusione alienissimo, martyres statuendi non sunt sine gravissima auctoritate. Hæc autem Actis tribuenda non est. Quanti illa valeant, paucis accipe ex Solleri observatione ad Usuardi textum de S. Fl. Domitilla* VII *Maii.* Nodus recurrit circa Acta ipsa, ab Henschenio ad XII *Maii in Comment. de SS. Nereo et Achilleo etc. num.* 2 laudata tamquam OPTIMÆ FIDEI, tametsi pridem agnovisset Baronius tomo I ad annum LXVIII, num. XXIII, EA ACTA IN ALIQUIBUS FIDE HAUD INTEGRA HABERI. Rigidius ipsa tractant eruditi recentiores; nec Tillemontius, alias tam moderatus, temperare hic potuit, quin acrem in ea censuram stringeret tomo 2 *Monumentorum ecclesiasticorum* pag. CXXVII, vocans OPUS PESSIMUM, DIGNUMQUE, QUOD INTER MANICHÆORUM, SACRA MATRIMONII VINCULA INCESSENTIUM, FIGMENTA CONNUMERETUR. Nec nihil

A nihil nec omnia recte pronuntiat: præplacet eminentissimi annalistæ judicium.

difficultates solvendæ ab iis, qui Actis et Martyrologiis adhærent.

48 *Quid ad Adonianum et cetera Martyrologia ad* XV *April. et* V *Sept.* SS. Victorini *et sociorum servitutem et martyrium Nervæ imperio affigentia, respondendum sit, ex ante dictis colligitur; nimirum imperatorem illum in Martyrologia transiisse ex isto loco in Actis :* Unde factum est, ut a principe Nerva peteret *etc.*; *hic autem nomini* Nerva *verisimilius substituendum aut addendum esse* Trajano : *quod num.* 46 *satis mihi probasse videor. Forte tamen non deerunt, qui Actis et antiquis Martyrologiis potius inhærendum esse existimabunt. Illis ego hasce difficultates solvendas propono. Domitiani imperatoris anno* 15, *quo currente* Victorinus, *Eutyches et Maro cum Fl. Domitilla juniore, Nereo atque Achilleo in exsilium missi fuere, nondum* 17 *integris mensibus evoluto, jam Trajanus imperabat : sed Ado, Usuardus et Notkerus ad* XV *April, tres Sanctos priores* longum exsilium *cum Fl. Domitilla duxisse ajunt; idemque etiam*
B *ad* XII *Maii scribunt de Nereo et Achilleo, post quorum martyrium* SS. Victorinum *et socios ultra annum vivos superstites fuisse, Acta aperte declarant : itaque hi Sancti ante Trajani imperium martyres occumbere non potuerunt. Nunc ulterius quæro, sub quo Fl. Domitillæ eunuchi Nereus et Achilleus sanguinem pro Christo fuderint, si ut iidem martyrologi cum Romano hodierno tradunt,* longum exsilium *in Pontia sustinuerint? Aliud responsum non exspecto, quam eorum passionem differendam esse ad tempora Trajani : id enim exsilii longitudo de sanctis eunuchis asserta, breve Nervæ imperium, quod exiguo tempore post illorum relegationem in exsilium administrare cœpit, ejusdemque benignitas erga Christianos omnino exigunt. At rursum Acta clare affirmant,* Victorinum, *Eutychetem et Maronem post martyrium Nerei et Achillei aliquamdiu cum Fl. Domitilla exsules in Pontia vixisse : igitur sub Trajano non solum martyrium passi, verum etiam ex Pontia ad loca servitutis amandati fuere.*

Sanctorum durissima servitus ; vita reliqua ; martyrium in fine sec. 1 vel initio 2.

49 *Acta habent* , SS. Victorinum , *Eutychetem et Maronem, in servitutem abstractos et per Aureliani prædia divisos, debuisse* terram fodere per totum diem , ad vesperum vero cantabrum *seu panem furfureum* manducare. *Baronius supra num.* 43 *verbis non obscuris significat, Sanc*-
C *tos compedibus insuper vinctos et in custodiis detentos fuisse. Ex eo scilicet illud deduxit, quod olim ad servitutem rusticam damnati in vinculis agrum colere solerent et in ergastulis custodiri. Antiquam hanc apud Romanos consuetudinem veterum testimonia extra dubium ponunt : ex quibus eam Trajani quoque temporibus viguisse didici. Hinc facile credidero, Sanctos in compedibus terram fodisse, duroque hoc labore perfunctos in ergastula detrusos fuisse. Sequitur in Actis :* Sed Deus omnipotens dedit eis gratiam in locis peregrinis, *ubi servitutem serviebant;* nam Eutyches conductoris loci filiam a diabolo liberavit; Victorinus autem vicedominum loci paralyticum, per tres annos de lecto non surgentem, fecit orando incolumen; Maro vero morbo hydropis laborantem procuratorem civitatis Septempedæ liberavit. *Tantis beneficiis affecti hanc gratiam Sanctis referre potuerunt, ut eos vel manumitterent vel manumittendos curarent. Certe quæ proxime subjiciuntur, servili Sanctorum conditioni minime consentanea sunt, licet eos neque vinclos neque ergastulis inclusos fuisse supponas :* Interea facientes sermonem ad populum, docuerunt multos Christo credere, et facti presbyteri populum credentium ampliavere. *Atque hæc causa fuit cur variis tandem suppliciis fuerint interfecti. Tempus exacte determinari nequit. Id solum pro certo haberi potest, eos non serius martyrio coronatos fuisse quam ineunte seculo* 2. *Illud consummare potuerunt in fine seculi* I *sub Trajano, qui exeunte Januario anni* 98 *imperare cœpit. Sententia, eorum servitutem et passionem Nervæ imperio illigans, superius infirmata est.*

§ VI. Vicus S. Victorini M., in quo an. MCLXX ecclesia ipsi consecrata, variis illustratur notitiis : Sancti cultus latissime propagatus.

E *Inter antiquæ ecclesiæ Amiternensis præsules nullum posteriorem novi Lodoïco, qui concilio Romano an.* 1059 *celebrato subscripsit. Ughellus in Italia sacra novæ editionis tom.* I *col.* 1198 *adfert litteras Anastasii PP. IV ad Dodonem antistitem Reatinum anno* 1153 *datas, in quibus* plebem S. Sixti in Amiterno... plebem S. Victorini *prope Amiternum* ... et in eis plebibus oratoria... S. Severini et S. Avitæ in Amiterno, S. Jo. Baptistæ de S. Victorino *episcopatui Reatino subdita esse lego. Ceteras illi subjectas parœcias et oratoria, quæ antea ad diœcesim Amiterninam pertinuerant, ex litteris Pontificiis designat Antinorius cap.* 2 *Introductionis ad Historiam Aquilanam num.* 9 : *ubi postquam recte observasset pro die* IX Kal. Febr., *quo apud Ughellum datæ notantur, potius legendum esse* IX Kal. Sept.; *eumdem Dodonem episc. Reatinum* XXIV *Julii an.* 1170 *ecclesiam sancti Martyris consecrasse scribit* in castro S. Victorini; et* lapis in cornu Euangelii majoris aræ parochialis ecclesiæ muro affixus testatur.

Amiternina diœcesis sec. 12 erat unita Reatinæ, cujus episcopus Dodo

* ut

an. 1170 templum S. Victorino M. consecravit in vico, qui ab ipso nomen restituit :

51 *Subjicit Antinorius hanc inscriptionem lapidi insculptam* : † IN NOMINE DOMINI AMEN. ANNO DOMINICE INCARNATIONIS M. C. LXX. VIII. K. AVG. EGO DODO DEI GRATIA REATINVS EPISCOPVS VNA CVM ANSELMO FVLGINATENSI ET BERAVDO F FVRCONINO PRESVLIBVS CONSECRAVI ECCLESIAM S. VICTORINI M. IN MAIORI ALTARE RECONDIDI DE LIGNO CRVCIS X'. ET DE SEPVLCRO EIVS ET VIRG. M. ET DE VESTIMENTIS EIVS ET DE RELIQVIIS S. ANDREE APOSTOLI ET PROTOMAR. S. STEPHANI ET SEBASTIANI M. ET ELEVTHERII ET ANTIE MATRIS EIVS ET BEATE BARBARE ET S. STEPHANI PP. ET BEATI AVG. CONFESS. MARCELLINI ET PET. ET CALISTI PP. ET VICTORINI ET VICTORINI AD HOC OMNIBVS IN EIVSDEM FESTIVITATE ET VSQVE IN OCTAVA DEVOTE VENIENTIBVS SIVE DE SVIS BONIS MITTENTIBVS AN ANNVATIM TRIVM ANNOR. ET XL DIERVM REMISSIONEM CONCEDIMVS ET HOC TEMPORE DOMINI TODINI FILII GVETVLI EXISTENTE DNO RA. ARCHIPRESBITERO. *Voces inscriptionis* IN MAIORI ALTARE RECONDIDI ... DE RELIQVIIS ... ET VICTORINI ET VICTORINI *ita intelligi possunt, ut in ara majori depositæ fuerint utriusque* S. Victorini *reliquiæ, martyris scilicet et confessoris episcopi Amiternini. At fieri potuit, ut*

AUCTORE J. L.

ut per sculptoris inconsiderantiam nomen sancti Martyris, cui ecclesia consecrata fuit, bis irrepserit. Certe ad ipsum solum referenda sunt, quæ geminatum S. Victorini *nomen proxime sequuntur:* AD HOC OMNIBVS IN EIVSDEM FESTIVITATE ET VSQVE IN OCTAVA DEVOTE VENIENTIBVS SIVE DE SVIS BONIS MITTENTIBVS AN ANNVATIM *etc. Voculæ* AN, *quæ forte redundat, Antinorius apposuit* ITA, *illam sic corrigi posse vel debere existimans. Postrema inscriptionis verba sunt :* EXISTENTE DNO RA. ARCHIPRESBITERO. *Abbreviatum nomen* RA. *Antinorio est* Raynaldus, *quem anno* 1170, *quo facta templi dedicatio, archipresbyterum* S. Victorini *fuisse ait.*

archipresbyterum cum canonicis inde Aquilam migrasse puto post medium sec. 13

52 *Cathedra Furconiensis ab Alexandro PP. IV Aquilæ, quæ Amiternum inter et Furconium media jacet et ex utriusque ruinis accrevit, constituta fuit anno* 1256; *quemadmodum probari potest ex geminis ipsius Pontificis litteris, sub finem dicti anni scrtplis, quas Bernardinus Cyrillus in Collectione quorumdam documentorum, Annalibus suis Aquilanis adjecta, producit. Anno sequente prælati diœcesis Amiterninæ, quæ* B *Reatinæ unita diu proprio pastore caruerat, Berardo de Padula primo antistiti Aquilano sub certis conditionibus obedientiam et reverentiam jurarunt. Antinorius cap.* 4 *Introductionis num.* 7 *publicum hac de re instrumentum,* XXI *Januarii an.* 1257 *confectum, profert, in quo ecclesiæ Amiterninæ prælati, quos inter* Thomas archipresbyter S. Victorini *primo loco nominatur, dicuntur esse habitatores civitatis Aquilanæ. Ecclesiæ* S. Victorini *archipresbyterum cum canonicorum collegio, quo illam tunc insignem fuisse, monumentum anni* 1296 *num.* 54 *citandum docet, Aquilam migrasse credo intra temporis spatium, quo urbs ista condita vel certe ædificiis plurimum aucta, titulo et jure civitatis donata, necnon episcopali sede exornata fuit, id est, intra quinquennium, quod annum Christi* 1257 *proxime præcessit. Perstat etiam nunc Aquilæ idem capitulum, eademque dignitas archipresbyteralis in ecclesia collegiata et parœciali S.Blasii.*

et Amiterninos præsules saltem postremos

53 *In dubium vocari nequit, quin Amiternenses secundum antiquam consuetudinem* S. Victorinum *sepelierint in loco suburbano, cui dein a sancto Martyre nomen inditum fuit, et super* C *ejus corpus, de cujus translatione § ultimo agetur, ecclesiam ædificarint. Antinorius in laudata Introductione, initio capitis* 2, *illam aliquando diœcesis Amiterninæ cathedralem fuisse affirmat.* Sedis, *inquit,* episcopalis locus fuit Amiternum, urbs apud antiquos clarissima... Rudera, scriptorum testimonia, traditio prope vicum S. Victorini ejus situm fuisse ostendunt; et vicus ille postea pro sede stetit... Titulus ecclesiæ est S. Victorini *etc. Nescio, an idoneo testimonio probari possit, cathedram antiquorum præsulum Amiternensium primum in ecclesia intra urbis muros sita, ac postea in suburbana* S. Victorini *constitutam fuisse. Id solum ex documentis mox proferendis colligi mihi posse videtur, postremos præsules Amiterninos in sancti Martyris ecclesia cathedram suam habuisse.*

sedisse in S. Victorini vico et ecclesia,

54 *Furconiensi sede episcopali Aquilam, vico et ecclesiæ* S. Victorini *vicinam, anno* 1256 *translata, prælati ecclesiæ Amiterninæ, ut ante dicebam, novo istius civitatis præsuli Berardo obedientiam et reverentiam sub certis conditionibus jurarunt. Inter alias hæc statuta fuit, ut archipresbyter ecclesiæ* S. Victorini, *ex prælatis* D *Amiterninis præcipuus, conservaret jura episcopalia, quæ in variis locis exercere consueverat. Instrumentum conventionis,* XXI *Januarii anno* 1257 *inter dictos prælatos et Berardum episcopum Aquilanum factæ, de quo num.* 52 *memini, jura illa non sine solœcismis ita proponit :* Ecclesia S. Victorini consuevit cognoscere de causis matrimonialibus et habere jura episcopalia in castro S. Victorini, Piczuli, Porcinari, Rocce de Venis et Clareni; et prædicti consueverunt recipere ab ecclesia S. Victorini sanctum Chrisma: et judicavit de oppressionibus in castris prædictis, et in castro Preturi et tota terra Pretoriani, et dare Chrisma et Oleum prædictis, et in castro Arischii sanctum Chrisma. Respondet dom. episcopus : Placet, dummodo probetur, quod habeatur ex consuetudine approbata et canonica. *Nicolaus de Castrocello tertius episcopus Aquilanus, cum jura archipresbyteri* S. Victorini *diligenter examinasset,* X *Septembris anno* 1296 *declaravit,* Archipr. et capit. S. Victorini et prædecessores eorum habuisse ab eo tempore, cujus memoria non existit, et habere adhuc et exercere debere in pred. ecclesiis E et locis spiritualem et temporalem jurisdictonem in his, quæ ad forum ecclesiasticum spectare noscuntur *etc. Sententiam Nicolai præsulis integram dat Antinorius in notatione* 35 *ad catalogum antistitum Aquilanorum, apud Muratorium tom.* 6 *Antiquitatum Italiæ a col.* 944. *Quæ ex geminis seculi* XIII *instrumentis huc transtuli, Antinorii testimonio conjuncta, me inducunt, ut credam, vicum* S. Victorini M. *nomine et ecclesia celebrem, ultimorum saltem præsulum Amiternensium sedem fuisse. Qui privilegia et jura episcopalia archipresbyteri* S. Victorini *plenius cognoscere cupit, memoratum instrumentum conventionis anno* 1257 *confectum legat, quæque ex bulla Innocentii PP. VIII, anno* 1489 *data, extraxit Ughellus tom* I *Italiæ sacræ postremum editæ col.* 392.

quæ postea, ut credit Antinorius, S. Michaëli archangelo dicata fuit :

55 *Ecclesia* S. Victorini, *quæ secundum Antinorium olim antistitum Amiternensium cathedralis, ac dein sub Reatinæ diœcesis præsulibus episcopalis jurisdictionis archipresbyteratu illustris fuit, parœcialis dumtaxat esse cœpit paulo post medium seculum* XIII, *quando, ut ante dictum est, archipresbyter et canonici Aquilæ domicilium fixerunt. Antinorius cap.* 2 *Introductionis num.* XI, S. Victorini, *inquit,* ecclesia... seculis *duodecimo,* F *ut ex præcedentibus colligitur,* posterioribus titulum præferre videtur S. archangeli Michaëlis V. ad Doët. Raynal. not. CXCVIII. Et nunc etiam solemniter festivitates celebrantur Apparitionis et Dedicationis S. Michaëlis diebus VIII Maii et XXIX Septembris. Ant. Boët. st. DCXXXII not. XCIII. *Adeat lector Muratorium tom.* 6 *Antiquitatum Italiæ col.* 676 *et* 793; *ubi reperiet, quæ hic citantur notationes ad Italica Boëtii Raynaldi et Antonii Boëtii poemata, quibus prior res Aquilanas, ob anno* 1252 *usque ad* 1362 *gestas, conscripsit, atque alter ad annum* 1382 *continuavit. Antinorius, qui in locum* S. Victorini M., *primarii ecclesiæ patroni, S. Michaëlem archangelum sublectum fuisse ex poëtarum istorum rhythmis deducit,* seculo XIII vel XIV *eam credit* instauratam, et... vel restauratoris devotione, vel operis illius in festo terminatione D. Michaëli fuisse dicatam, veteri titulo depresso, ut passim. *Proximus tamen ruinis Amiterni vicus ab antiquo patrono retinuit* S. Victorini *nomen, quo ipsam etiam illius ecclesiam apud scriptores neotericos aliquoties appellatam*

A pellatam invenio. Hæc si S. Michaëli archangelo dedicata fuit, id contigisse arbitror, postquam archipresbyter et canonici inde Aquilam migrassent: hoc autem post medium seculum XIII factum fuisse, probabilius est. Vide supra num. 52.

variæ alibi ecclesiæ, quarum saltem aliquas nostro S. Victorino sacratas opinor.

56 *Stephanus PP. V, dictus IV, in Chronico monasterii Farfensis apud Muratorium tom. 2 Scriptorum Italiæ parte 2 col. 368 inter multa alia monasterii ejusdem bona ac jura, quæ per bullam ineunte anno 817 datam confirmat, etiam recenset* ex fundo Marciani uncias 2 et semis, ubi est ecclesia sancti Victorini;... ex fundo Vassiano uncias VI, in quo est ecclesia sancti Victorini;... ex fundo Paterno uncias VI, ubi est ecclesia sancti Victorini. *In dicto Chronico ibidem col. 669 diploma, anno 1118 abbatiæ Farfensi ab Henrico V imperatore concessum, easdem ecclesias, scilicet* sancti Victorini in Martiano, sancti Victorini in Bassiano, et sancti Victorini in Paterno *collocat* in territorio Sabinensi. *Inter ecclesias diœcesis Aquilanæ, quas ejus episcopus Philippus circa annum 1313 recensuit, apud Muratorium tom. 6 Antiquitatum Italiæ col. 947 et seqq. tres ita commemorantur:* SS. Bartholo-B mei et Victorini de Paganica,... S. Victurini cum capellis,... S. Victorini de Ripa de Fagnanis. *Harum secunda, quæ est* S. Victurini cum capellis, *procul dubio ipsa est, de qua varias jam notitias attuli. Ex ceteris quinque memoratis ecclesiis saltem aliquas* S. Victorino *nostro consecratas fuisse credo; cum jaceant in regionibus, in quibus nullus alter sanctus synonymus majore nominis aut cultus celebritate claruit, videlicet in agro Sabinensi, in quo martyrii lauream prope Cutilias consecutus fuit, et diœcesi Aquilana, ad quam a quinque fere seculis pertinuit locus sepulturæ ejus, olim suburbanus Amiterni, nunc* S. Victorini *dictus; ubi ejusdem cultus priscis temporibus maxime viguit. An Amiternum, cujus antiqua diœcesis modo Aquilanæ pars est, urbs Sabinorum, an vero Vestinorum fuerit, disputant geographi.*

In multis extra Italiam locis 5 Sept. cultum obtinuit: 2 Novemb.

57 *Sancti cultum extra Italiam late propagatum fuisse, ex variarum ecclesiarum breviariis didici. Officium sub ritu simplice, seu trium lectionum, de Sancto hac die recitandum præscribunt Corisopotense antiquæ impressionis, Majoricense anni* 1506 *et Parisiense anni* 1640. *In hoc duas, in illis tres lectiones sancto Martyri* C *proprias invenio, desumptas ex Adone, qui illum cum S. Victorino confessore confundit. Bambergense anni* 1775 S. Victorinum *nostrum eodem ritu colendum proponit cum S. Herculiano, ut ibi legitur. Oratio utrique Martyri communis est: at tres lectiones sunt de Herculano M. non hodierno, sed episcopo Perusino, de quo actum ad diem* 1 *Martii. Raceburgensis anno* 1506 *impressi Calendarium habet:* Victorini episcopi et martyris. Tres lectiones. *Religiosæ virgines Teresianæ monasterii S. Josephi Viennæ in Austria sub ritu semiduplice de sancto nostro Martyre Officium canunt. Lege infra num. 68. De ejus festivitate, a temporibus Gregorii PP. XI et Caroli IV imperatoris sub ritu duplice per totam Bohemiam celebrata, vide num 64. Clerus diœcesis Monasteriensis in Westphalia non modo* v *Septembris, ut alibi, sed etiam 2 Novembris Officium de Sancto nostro persolvere consueverat* in majori ecclesia dupliciter, sed in aliis Dominicaliter, *quemadmodum ad utrumque diem in breviarii Monasteriensis, anno* 1489 *impressi, Calendario notatur.*

58 *Festivitas diei 2 Novembris per diœcesim Monasteriensem instituta fuit, ut* SS. Victorini *et Floriani MM., quorum ossa Anabaptistarum furore seculo* XVI *dispersa fuere, translatio ad templum cathedrale recoleretur; quæ in Usuardo aucto editionis Lubeco-Coloniensis ita memoratur:* Ipso die (2 *novembris*) in Monasterio translatio sanctorum Victorini et Floriani martyrum. *Consonat Grevenus et Florarium nostrum Ms. Sanctorum. In Martyrologio Germanico Canisii legitur:* Item Monasterii elevatio sanctorum martyrum Victorini (de quo ad v Septembris) et Floriani. *An* S. Victorini *corpus vel reliquiæ, quarum translationis memoria in diœcesi Monasteriensi 2 Novemb. olim agi solebat, et forte etiam nunc agitur, vere sint nostri sancti Martyris, ex § sequente lector intelligit. Hic solum dico, quod ex laudato breviario anni* 1489 *et aliis documentis certo novi, nimirum Monasteriensis* S. Victorini *nostri natalem* v *Sept., ejus vero et Floriani M. translationem 2 Novemb. celebrasse. Martyrologium Galesini ad* XXIII *Maii primo loco habet:* In Germania sancti Victorini episcopi. Hic Emiternensis [*] episcopus ab impietatis impuræque superstitionis cultoribus pro Christi nomine contrucidatus est. *Hæc Galesinius se accepisse notat* ex Ms. cod. et Annalibus Artimami monachi. E *Ignotus mihi est Artimamus ille, nisi sit Hartmannus Schedel, qui in Annalibus Norimbergæ anno* 1493 *editis folio* 109 *verso sancti nostri Martyris passionem refert, eumque etiam* Emiterne * urbis *episcopum facit. At nusquam invenio, hunc scriptorem professione monachum fuisse; neque in elogio, quo* S. Victorinum *ornat, ullam Germaniæ aut diei* XXIII *Maii mentionem facit. Istum tamen diem alicubi in Germania sancti Martyris cultui consecratum fuisse suspicor, idque Galesinium in Ms. codice, quem citat, vel alibi legisse, atque ideo Sanctum ad eumdem diem Martyrologio suo inseruisse, in quo insuper ad* XV *April. et* V *Sept. annuntiatur.*

AUCTORE J. L. ejus translatio a Monasteriensibus celebrata: a Galesinio refertur 23 Maii.

[*] Amiternensis

* Amiterninæ

§ VII. Corpus ejus nec Monasterium nec Metas translatum, sed probabilius Magdeburgum sub Ottone I imp.: media pars sec. XIV inde Litomislium portata; festivitas per totam Bohemiam instituta: reliquiæ variis in locis honoratæ. F

Monasteriensibus in Opere nostro jam pridem

Duorum ingentium de sanctis tribus Regibus et S. Ursula voluminum auctor P. Hermannus Crombach S. J. de SS. Victorini *et Floriani MM. corporibus vel reliquiis, in ecclesia cathedrali Monasteriensi olim asservatis et magna in veneratione habitis, nobilissimum et eruditum D. Bernardum a Mallinkrot ejusdem ecclesiæ decanum per epistolam sequentia interrogavit:* 1 Quinam e pluribus homonymis sint, quorum aliquando Monasterii reliquiæ extiterunt; 2 per quem et unde ad hanc ecclesiam advectæ sint; III quo cultu, quoque fructu et eventu illic tum Sancti tum lipsana eorum culti fuerint; IV quo in loco sacra corpora fuerint asservata; V qualiter illa per hæreticos

AUCTORE J. L.

hæreticos profanata et exusta fuerint. *Mallincrotii ad singula quæsita responsum, ad Bollandum a Crombachio transmissum et gemina hujus observatione interpolatum, Papebrochius Operi nostro tom.* VII *Maii pag.* 576 *inseruit; ubi lector varia inveniet singularis venerationis argumenta, qua Monasterienses* S. Victorinum *nostrum et S. Florianum M. Laureacensem prosecuti fuere: sed simul cognoscet, ab illis honoratos fuisse ambos Martyres propter corpora vel reliquias, quæ an ipsorum fuerint, ut minimum incertum esse indicant Mallincrotius et Crombachius. Utriusque dictis ea præmittit et subjicit Papebrochius, e quibus patet, ipsius judicio nec* S. Victorini *nostri nec S. Floriani M. Laureacensis corpora vel horum partes a Monasteriensibus umquam possessas fuisse.*

adjudicatum S. Victorini nostri corpus,

60 *Crombachius in observatione, qua Malincrotii responsionem ad quæsitum primum excipit, Monasteriensibus, Sancti nostri corpus olim ad se translatum credentibus, ibidem num.* 4 *opponit* primo, quod de S. Victorini episcopi Amiternensis (saltem juxta Baronii sententiam) B et sociorum Maronis et Eutichetis translatione, Metas anno DCCCCLXIX facta, constet ex Sigeberto: secundo, quod eumdem sibi vendicent Magdeburgenses; nam in Ms. ejus ecclesiæ reliquiarum catalogo, anno MDI a doctore Sebastiano Weyman conscripto et a Pomario paralipomenis Chronici Saxonici ad annum MCCXX inserto, in prima classe sexto loco ponitur: TUMBA, IN QUA CORPUS VICTORINI, QUI FUIT FRATER SEVERINI EPISCOPI NEAPOLITANI. *De commentitio hoc Sancti nostri fratre et episcopo vide supra num.* 19. *Papebrochius Magdeburgensis non magis favet quam Monasteriensibus, apud quos* S. Victorini M. *a nostro diversi corpus in veneratione fuisse censet.* Idem, *inquit pag.* 578 *num.* 9, de eo dixerim [Victorino,] quem Magdeburgenses olim habuerunt (nunc enim, obtinentibus omnia ibi Lutheranis, neglectas dissipatasque reliquias credo;) et cujus aliunde notitiam nullam habeo, nisi ex Crombachii annotatione. *At ego num.* 62 *et seqq. varias notitias aliunde producam, ex quibus lector intelliget,* S. Victorini *corpus, quod olim Magdeburgi quievit, verosimilius fuisse sancti nostri Martyris, et insi*-C *gnes ejus reliquias inde translatas alibi adhuc superesse. Quas Metis in ecclesia S. Vincentii M. ab urbis istius episcopo Theodorico I locatas fuisse tradit Sigeberti Chronicon in editione Miræi ad annum* 970, *in aliis ad* 969, *non adeo, ut mox videbitur, notabiles fuere, ut vere dici possit, Sancti corpus illic exstitisse.*

cujus aliquas dumtaxat reliquias sec. 10 Metenses accepere.

61 *Sigebertus citatus nihil aliud testatur, quam Theodoricum præsulum* ab Amiternis Eutychetem matyrem cum reliquiis Maronis et Victorini sociorum ejus *accepisse et Metas transtulisse. Nunc rationem accipe, cur per voces* cum reliquiis. . Victorini *non liceat intelligere ipsius corpus. Quæ in Chronico suo de plurium Sanctorum corporibus et reliquiis Metas delatis narrat Sigebertus, ex antiquiore monumento ipse contraxit; quod integrum Theodorico I episcopi Metensis, cujus studio illa collecta fuerant, Vitæ inseruit. Edidit hanc Leibnitius tom.* 1 *de Scriptoribus rerum Brunsvicensium a pag.* 294. *Istud vero monumentum a Sigeberto adducitur cap.* 16 *Vitæ ibid. a pag.* 303 *post hæc verba*: Jamjam ergo pagina illa proferatur in medium ab his, qui interfuerunt, plenissime digesta de translatione Sanctorum. *Horum testimonia audiamus.* Venientes * proxime abhinc in territorium Amiterninæ urbis, quæ et ipsa ruinas tantum ostendit, ab eodem Alberico Marsorum episcopo de monasterio suæ ditioni subjecto. Reate *, D *Theodoricus* pretiosum martyrem Euticen accepit; cujus beati socii Victorini jam anno superiore (*scilicet* 969, *nam monumenti initium est*, Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXX) reliquias emeruerat, simul et partem sancti Maronis pariter passi: quorum et loca passionis aspeximus, et Cotilas fœdo odore spirantes, in quibus verso capite suspensus fuerat martyr (Victorinus.) Passionem denique eorum Scripta retinent sanctorum Nerei et Achillei. *Quis ad periodum istam animum advertens, in qua dicitur. Theodoricus accepisse* martyrem Eutycen *vel Eutychetem,* partem sancti Maronis, *et reliquias* S. Victorini; *quis, inquam, diversum sacra pignora exprimendi modum perpendens non fateatur, præsulem istum obtinuisse reliquias* S. Victorini *minores, quam ut ejus corpus vocari possint. At Sigebertus per illas non plus intellexit, aut certe debuit non plus intelligere, quam sensus exigat in laudato instrumento, cujus summa capita in Chronicon suum transcripsit: illius itaque verba* cum reliquiis.. Victorini *non licet ita interpretari, ut* S. Victorini *corpus Metas translatum fuerit.* E

* *Acherius tom.* 2 *Spicil. secundæ edit. pag.* 155 veniens

* *ibid.* ditionis Reate subjecto

Monumenta, quæ docent, Magdeburgenses sec. XI *possedisse corpus S. Victorini,*

62 *Redeo, unde digressus sum, Magdeburgum, cujus civitatis conditor Otto I imperator effecit, at quam in ea cum cœnobio religiosorum Benedictinorum ecclesiam S. Mauritii M. fundarat, in metropolitanam anno* 968 *fuerit erecta. Ditmarus aliique veteres scriptores testantur, ecclesiam istam pia ejusdem imperatoris cura ditatam fuisse plurimorum Sanctorum corporibus, ex Italia translatis. Admodum verisimile est, ex illorum numero fuisse corpus* S. Victorini, *de quo Chronicon Magdeburgense apud Meibomios tom.* 2 *Rerum Germanicarum pag.* 313 *meminit*: Ipse etiam *Wernerus archiepiscopus Magdeburgensis* in diebus suis divinæ revelationis instinctu principale cum tota majori ecclesia altare, quod per incendium destructum est, anno Domini MLXXIIX consecravit, priori destructo ac inclusis multorum Sanctorum integris corporibus, videlicet Benningi (Benigni, *opinor,*) Victorini *etc. Dubitandum non est, quin* F S. Victorini *corpus, quod Wernerus anno* 1078 *in ira principe ecclesiæ metropolitanæ condidit, idem fuerit cum eo, cujus mediam partem Albertus a Sternberg archiepiscopus Magdeburgensis post medim seculi* XIV *transportavit Litomislium, cathedra episcopali tum temporis insigne oppidum in Chrudimensi Bohemiæ tractu, non procul a Moraviæ confiniis situm.*

Albertum archiep. sec. 14 *mediam partem tulisse Litomislium et eccl. Pragensi*

63 *Obtinuerat Albertus per Carolum IV impperatorem a Gregorio PP. XI facultatem Magdeburgensis archiepiscopatus administrationem permutandi cum regimine ecclesiæ Litomisliensis, a qua ad Magdeburgensem per eumdem Carolum ab Urbano PP. V fuerat promotus. Permutationem istam non citius quam anno* 1371, *nec serius quam anno* 1374 *factum fuisse, compertum mihi est. Albertus igitur intra tempus modo assignatum ad priorem sedem suam Litomisliensem rediens*, Multus volatiles reliquias de ecclesia Magdeburgense in Bohemiam transduxit; inter quas fuerunt caput S. Felicitatis martyris, dimidium corporis B. Victorini episcopi martyris *etc. Ita Chronicon Magdeburgense ibid. pag.* 347. *Menckenius tom.* 3 *Scriptorum rerum Germanicarum*

A *carum col.* 374 *in codice Ms. Dresdensi pro* volatiles *recte legit* notabilis reliquias; *atque ante codicis ejusdem cum editione Meibomiana Collationes col.* 359 *lectorem instruit, ætate Alberti vixisse, in eoque desiisse auctorem laudati Chronici, ab altero juniore deinde continuati. Synchrono igitur scriptore teste, Albertus Litomislium transtulit* dimidium corporis B. Victorini episcopi martyris. *At cujus? Bohemi atque ipse etiam Albertus, quemadmodum ex sequentibus apparebit, eum non distinxerunt a nostro* S. Victorino *martyre et secundum opinionem, quæ jam a multis seculis invaluit, episcopo Amiternino.*

brachium dedisse, ac paulo post Sanctum nostrum sub ritu duplice in Bohemia coli cœpisse,

64 *Thomas Joannes Pessina de Czecherod ecclesiæ metropolitanæ Pragensis decanus in Opere de Majestate et gloria ejusdem ecclesiæ, quod Phosphorum septicornem inscripsit atque anno* 1673 *Pragæ vulgavit, pag.* 475 *inter insignes, quibus illa ditatur, reliquias ponit* Brachium S. Victorini ep. M., *addens :* Cujus corpus Otto Magnus imp. an. DCCCCLXV ex Italia redux Magdeburgum tulit; Albertus vero a Sternberg archiep. B Magdeb. et episcopus Litomissl. an. MCCCLXXIII illud *(imo mediam ejus partem)* Magdeburgo Litomisslium deportavit, et ad petitionem Caroli VI et Joan. I archiep. Prag. brachium ecclesiæ Prag. dono dedit una cum insigni parte capitis S. Sebastiani M. Anno demum MCCCLXXVII, cum Deus hunc Sanctum ibidem Litomisslii multis illustrare dignaretur miraculis, Carolus, ut dies festus ipsius per Bohemiam inter celebriores et sub ritu duplici deinceps haberetur, a Gregorio XI impetravit. *Festum illud, seculo* XIV *institutum, etiam nunc per totam Bohemiam celebratur die* V *Septembris; ad quem in Officiis propriis archidiœceseos Pragensis, an.* 1679 *et* 1732 *impressis, legitur :* S. Victorini episcopi martyris duplex. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hodierna die beatum Victorinum, martyrem tuum atque pontificem, beatitudinis æternæ gloria sublimasti; concede propitius, ut cujus gloriam veneramur in terris, intercessionis ejus auxilio apud tuam misericordiam muniamur in cælis. Per Dominum nostrum. *In lectionibus secundi Nocturni* S. Victorini *gesta, martyrium* C *prope Cutilias et sepultura in territorio Amiternensi enarrantur ex Actis SS. Nerei et Achillei; dein Sancti corpus vel potius, ut auctor synchronus scribit,* dimidium corporis, *ab Ottone I anno* 965 *Magdeburgum delati, Albertus a Sternberg anno* 1373 *inde Litomislium transportasse dicitur, et* ut festum illius sub ritu duplici per universam Bohemiam celebraretur, impetrasse a Gregorio XI Pontifice maximo, adjuvantibus Carolo IV imperatore et Joanne archiepiscopo Pragensi, Cardinali et legato nato.

fidem faciunt, hujus corpus Magdeburgi revera quievisse, sub Ottone I eo translatum.

65 *Consequitur ex dictis, ut media corporis pars, Magdeburgo delata Litomislium, credita fuerit non alterius esse Sancti, quam nostri Martyris. Quis* S. Victorinis *Magdeburgi in ecclesia Metropolitana quiesceret, optime scire potuit, qui sacra ejus ossa partim in Bohemiam transtulit Albertus, utpote civitatis ejusdem archiepiscopus. Quoniam ad Litomisliensem in Bohemia sedem reversus, paucis post factam translationem annis effecit, ut de nostro* S. Victorino *festivitas sub ritu duplice per totum regnum institueretur; præsumi debet, eum ex Magdeburgensis ecclesiæ monumentis vel aliunde didicisse, se ejusdem Sancti medium corpus inde accepisse. Apud Pessinam et in Officio proprio dicitur Otto I imperator* S. Victorini *corpus anno* 965 *ex Italia Magdeburgum tulisse : adderem ego, vel transmisisse, nam chronographus Saxo, qui seculo* XII *scripsit, apud Leibnitium in Accessionibus historicis ad annum* 973 *Ottonis I emortualem,* Antea, *inquit,* in Italia constitutus *imperator,* multis Sanctorum corporibus per Dodonem capellanum suum aliosque persæpe transmissis innumerabilibus reliquiis, ipsorum eam *metropolitanam Magdeburgensem)* sublimaverat patrociniis. *Paucis concludo, Magdeburgum de translato ad se corpore* S. Victorini *nostri poliore jure gloriari posse, quam Monasterium et Metas.*

Hussitæ an. 1425 verisimiliter dissiparunt sacra ossa, ab Alberto Litomislii deposita,

66 *Qui anno* 1736 *Vitam S. Joannis Nepomuceni et historiam ecclesiasticam Bohemiæ in multis illustratam edidit J. T. A. Berghauer, in serie episcoporum Litomisliensium pag.* 271 *verbis, num.* 64 *ex* S. Victorini *Officio relatis, ista subjungit :* Bellorum dein disturbiis hoc sacrum corpus putatur rursus *Litomislio* Magdeburgum reportatum. *Qui ita opinantur de integro Sancti corpore, certe falluntur; nam, ut jam iterato monui, Albertus a sui temporis chronologo Magdeburgensi asseritur mediam dumtaxat ejus* E *partem sec.* XIV *Litomislium attulisse. Sed neque quis tuto credet, hanc Magdeburgum postea reportatam fuisse, licet Crombachius supra num.* 60 *in catalogo reliquiarum ecclesiæ Magdeburgensis, a Sebastiano Weyman an.* 1501 *confecto, legerit :* Tumba, in qua corpus Victorini *etc.; nam primo sicut partem corporis Litomislii depositam, Officium proprium, Pessina et Berghauerus corpus appellarunt, sic et aliam partem, quæ Magdeburgi remansit, auctor istius catalogi eodem vocabulo appellare potuit. Secundo pars Litomislium allata cum templo cathedrali verisimiliter anno* 1425 *interiit, quando Orphani, id est, Hussitæ, qui post mortem ducis sui Ziscæ istud nomen assumpsere, oppido ad deditionem compulso, castrum ejus, in quo cathedralis ecclesia cum episcopi ac canonicorum ædibus sita erat, vi ceperunt, everteruntque. Laudatus Pessina anno* 1675 *ad episcopatum Samandriensem evectus, biennio post in lucem dedit Opus suum de Marte Moravico, in quo pag.* 513 *post descriptam Orphanorum, obvios quosque in expugnato castro Litomisliensi trucidantium, immanem crudelitatem ita pergit :* Res sacræ profanæque simul agebantur, ferebantur, rapiebantur : basilica cathedralis honori beatissimæ Virginis dicata et alia parochialis divo Clementi sacra... omnibus ornamentis poliata, diruta, soloque æquata. *In margine notat* archiv. cathedral. eccl. *et* curiæ Litomyssl. n. XXXVI. *Anno* 1425, *dum ista contigerunt, ecclesiæ Litomisliensi præerat Joannes de Praga S. R. E. Cardinalis, Strigonii in Hungaria anno* 1430 *vita defunctus. Atque hunc Berghauerus postremum ponit, qui episcopatum illum administrarit, a Clemente PP. VI ante medium seculi* XIV *erectum.* F

ubi nunc honoratur pars de brachio vel tibia, quam Eva Sternbergia donavit.

67 *Idem Berghauerus loco citato,* In Lithomysslensi, *inquit,* parochiali ecclesia pars de brachio aut tibia S. Victorini etiamnum pie colitur, quam a Jaroslo Sternbergio episcopo Litomericensi acceptam Eva Joanna comitissa de Sternberg, conthoralis Adami Mathiæ comitis de Trauttmansdorff, domini in Luthomysl, ecclesiæ donavit, ut secunda quoque S. Victorini Litomyslium translatio Sternbergiis debeatur. *Pessina superius num.* 64 *scribit, Albertum a Sternberg metropolitanam Pragensem donasse brachio* S. Victorini.

AUCTORE J. L.

S. Victorini. *An integro? Inter reliquias istius ecclesiæ, anno* 1537 *recognitas, apud eumdem Pessinam in Phosphoro pag.*492 *ponitur :* De brachio S. Victorini ep. et Ms.; *quibus verbis insinuatur brachium tunc integrum non fuisse. Si antea pars ab eo separata fuit, potuit hæc ad Jaroslaum Sternbergium tandem pervenire, qui ab anno* 1676 *usque ad* 1709 *Litomericensi in Bohemia ecclesiæ præfuit. Verum non minus verisimile est, brachii vel tibiæ partem, quam a Jaroslao præsule acceptam Eva Joanna Sternbergia parœciæ Litomisliensi dono dedit, ex ecclesia Magdeburgensi desumptam fuisse.*

Cultus et reliquiæ Viennæ in Austria :

68 *Tomo* v *Maii a pag.* 8 *multorum Sanctorum reliquiæ enumerantur, quas Viennæ in Austria moniales Carmelitanæ excalceatæ seu Teresianæ exponunt venerationi publicæ in ecclesia sua, S. Josepho sacra; cujus primum lapidem anno* 1633 *posuit Eleonora Ferdinandi II imperatoris augustissima conjux et munificentissima monasterii fundatrix, quod a religiosis istis virginibus Viennæ incolitur. Officio ecclesiastico ab ipsis honorantur Sancti nonnulli, de quibus*
B *reliquias notabiliores ab eadem piissima imperatrice Eleonora aliisque obtinuerunt. Inter sacra imperatricis dona memoratur* S. Victorini episcopi et martyris os integrum cruris : qui Officio ecclesiastico sub ritu semiduplici colendus v Septembris. *Os istud unum ex illis fuisse suspicor, quæ sæpe laudatus præsul Albertus ad sedem Litomisliensem rediens Magdeburgi reliquerat : in qua urbe cum jam dominentur Lutherani, nullas ibi Sancti reliquias amplius exstare arbitror, nisi neglectas, dispersasve.*

caput Aquilæ; brachium inde Neapolim translatum :

69 *Porro dum supra legis, quod* S. Victorini *nostri corpus Magdeburgum, ejus vero reliquiæ Metas sub Ottone I imp. translatæ fuerint, id ita ne intelligas, ut* S. Victorini *ecclesia, de qua* § *præcedente egi, nihil ex eo retinuerit : nam ex inscriptione num.* 51 *allata certum est, Sancti reliquias in illius ara majore a Dodone episcopo Reatino anno* 1170 *conditas fuisse. In Actis Italicis Sanctorum et Beatorum diœcesis ac civitatis Aquilanæ, recenti manu exaratis et ad decessores nostros nescio a quo transmissis, Adonis geminos sanctos* Victorinos *confundentis elogium pro Vita sancti nostri Martyris obtru-*
C *ditur, his in fine adjectis :* Conservatur caput istius sanctissimi Episcopi et martyris *Aquilæ* in ecclesia collegiata et parœciali S. Blasii, cujus archipresbyter in subditos suos exercet jurisdi- D
ctionem quasi episcopalem : cutis, quæ in Sancti capite conspicitur tam mollis est ac si foret hominis viventis. *P. Antonius Beatillus S. J., qui ineunte anno* 1642 *Neapoli obiit, in notitiis, quas de aliquot regni Neapolitani Sanctis ad P. Bollandum transmisit, de* S. Victorino *nostro inter alia hæc scribit :* Cujus meis diebus brachium Amiterno seu Aquila habuimus in collegio Neapolitano; ubi et nunc in deaurato reliquiario servatur, et diebus festis exponitur publice cum aliis Sanctorum reliquiis.

subdubito, an S. Victorini reliquiæ, Aquilam olim delatæ, ex parte non sint episcopi conf.

70 *Cum Dodo episcopus Reatinus anno* 1170 *ecclesiam* S. Victorini *martyris consecraret, in altari ejus majore collocavit* DE RELIQVIIS... ET VICTORINI ET VICTORINI, *ut in laudata inscriptione habetur. Etsi fieri potuerit, ut per inconsiderantiam sancti Martyris nomen bis positum fuerit; aliter tamen visum est Antinorio, qui cap.* 2 *Introductionis ad Historiam Aquilanam num.* 3, Revera, *inquit,* duos habuit Amiternum Victorinos, Martyrem nempe illum, *qui hodie colitur,* episcopum alterum : unus primo, unus
sexto Ecclesiæ seculo [claruit.] Id apertissime E
sculptum in inscriptione consecrationis ecclesiæ anno MCLXX... ET DE RELIQVIIS.... VICTORINI ET VICTORINI. *Nunc quæro, unde Aquilana S. Blasii ecclesia caput, quodque inde Neapolim translatum fuit, brachium et alias, quas forte sub* S. Victorini *nomine quondam possedit, vel etiam nunc possidet, reliquias acceperit? Nihil verisimilius responderi potest, quam quod illas canonici ecclesiæ* S. Victorini *martyris post medium seculum* XIII, *ut num.* 52 *dictum est, Aquilam migrantes secum tulerint, et in templo S. Blasii deposuerint ipsi vel eorum successores, qui hodieque Officia divina in eo peragunt. At secundum non improbabilem Antinorii assertionem in ara principe ecclesiæ* S. Victorini *martyris a præsule Dodone reconditæ etiam fuere reliquiæ S. Victorini confessoris, episcopi Amiternini; mirum igitur videri non debet, si ego subdubitem, utrum sacra ossa inde Aquilam transportata, quæ nunc solius Martyris esse creduntur, aliqua ex parte non sint S. Victorini confessoris. Titulus* episcopi, *qui* S. Victorino *martyri attribuitur in plerisque documentis hoc paragra-*
pho adductis, ipsi adhæsit a synonymo confesso- F
sore, quocum confusus fuit.

DE

A D

DE SANCTO ROMULO MARTYRE

IN GRÆCIA

item DE SS. MM. EUDOXIO, ZENONE, MACARIO et MCIV MILITIBUS

MELITINÆ

IN ARMENIA MINORI

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. V.

B

§ I. Cultus apud Latinos et Græcos; intricata et non cohærens Menologii Basiliani narratio.

E

Sub Trajano et Diocletiano. *Martyres hi apud Græcos coluntur* 6 *Septembris :*

Martyrologium Romanum sanctos hosce Pugiles ad v *Septembris ita annuntiat :* Eodem die sancti Romuli, aulæ Trajani præfecti, qui cum sævitiam imperatoris in Christianos detestatur, cæsus virgis, capite truncatus est. Melitinæ in Armenia passio sanctorum militum Eudoxii, Zenonis, Macarii, et sociorum mille centum et quatuor, qui abjicientes militiæ cingulum, in persecutione Diocletiani pro confessione Christi necati sunt. *Patet hic* Romulum *sejungi a reliquis ; et recte, uti Acta inferius danda ostendent. Fallitur tamen Baronius, dum in Notationibus ad Martyrologium ait,* Græci de eodem (Romulo) item hac die in Menologio agunt : *nam Menologium Latine versum a Sirleto Cardinale, quod ipse Baronius ad* III *Januarii*

C *profitetur se Menologii nomine semper intelligere, aliique Græcorum fasti ecclesiastici nihil prorsus hac die de* Romulo *habent ; sed eum una cum ceteris Martyribus celebrant* VI *Septembris.*

quæ de S. Eudoxio habet Menologium Basilianum,

2 *Accipe verba laudati Menologii Sirletiani ab Henrico Canisio editi :* Eodem die (VI) certamen sanctorum martyrum Eudoxii, Zenonis, Romuli, Macarii et reliquorum. S. Romulus capite obtruncatus est a Trajano imperatore, qui Christianos plurimos in diversas regiones exules misit, et in Christianæ fidei confessione permanentes mortis supplicio subjecit. Eudoxius vero Comes sub Diocletiano detentus a præside Melitinæ obtruncatus est, cumque eo milites numero MCIV. Paucis post diebus B. Zeno cum reliquis S. Eudoxii sociis, martyrii coronam accepit. *Clara hæc et distincta sunt; at Menologium jussu Basilii imperatoris Porphyrogennetæ seculo* X *collectum, et Urbini anno* 1727 *impressum Græco-Latine,* Certamen SS. MM. Eudoxii, Romuli, et sociorum *ad dictum diem valde intricate et confuse narrat hoc modo :* Eudoxius Christi martyr, Trajano Romanorum imperatore, Comes ordine fuit, multisque militum millibus (*Græce* μυρίους καὶ χιλίους, *id est,* XI mille) in Gallia imperavit. Romulus autem aulæ imperatoriæ præpositus, auctor fuit eidem Trajano, ut in Galliam * mitteret, qui Christianos milites diis immolare compellerent. Quo peracto, cum milites ad id faciendum induci nequirent, in Melitinam Armeniæ urbem relegati sunt. Post hæc Romulus pœnitentia ductus, cum in Christum credidisset, Trajanumque objurgasset, capite plexus est. Deinde cum imperio potitus esset Maximianus, edixissetque Christianos interfici, mandavit per literas et Melitinæ præfecto, ut Christi cultores occideret. Quare Eudoxium Comitem, ejusque socios milites comprehensos, quod idola adorare nollent, primum quidem multis suppliciis vexavit, demum capite obtruncavit.

* *i. e.* Galatiam

cohærere nequeunt : hinc variæ de illis sententiæ.

3 *Versio Arcudii col.* 250 *inter Anecdota Ughelliana tomo* 10 *Italiæ Sacræ Venetiis recusæ, quoad sensum eadem fere est, qualem et Galesinius ante dederat in suo Martyrologio : nostrum quoque Ms. exemplar Græcum Menologii Basiliani statuit* Eudoxium *comitem sub Trajano,*

F

martyrem sub Maximiano. Conciliari hæc forsan utcumque possent, si per Trajanum significetur Decius, utpote Trajanus *prænomine : at si* Eudoxius, *imperante Trajano proximo Nervæ successore, initio seculi* 2 *comes fuit, quis credat illum vitam produxisse ad tempora Maximiani? Vidit haud dubie Molanus ista non cohærere; ideoque in additionibus ad Usuardum* V *Septembris scripserit :* Eodem die SS. MM. Eudoxii, qui et Marianus, Romuli, Zenonis, et Macarii, qui sub Trajano martyrio coronantur. *Sed Metaphrastes, quem allegat, diserte tradit* Romulum *jussu Trajani necatum,* Eudoxium *vero aliosque diu post martyrio affectos esse sub Diocletiano. Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum ad* VI *Septembris videtur Martyres velle geminare ; præmissa enim hac annuntiatione,* Melitenæ in Armenia SS. Martyrum Eudoxii, Romuli, et Sociorum sub Trajano, *quam notat* ex Galesinio *desumptam esse, subdit :* De

AUCTORE J. V.

De Eudoxio et Soc. Melitenæ passis agitur in Martyrol. Rom. die præced.; sed sub Diocletiano : hi vero sub Trajano passi traduntur. De Romulo duntaxat agit Martyrol. Rom. præcedenti die. *Nicolao Antonio infra citando videntur omnes ejusdem agonis triumphatores esse ; at non edisserit sub quo imperatore.*

Cultus ex Typico, et versiculi ex Menæis,

4 *Festum* S. Eudoxii *et Sociorum in Typico seu Rituali S. Sabæ colendum præscribitur* VI *Septembris his verbis :* Καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Εὐδοξίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἀθλησάντων ἁγίων Μαρτύρων, *id est*, Et S. M. Eudoxii, ac SS. Martyrum cum ipso passorum. *Menæa magna impressa ad eumdem diem Græce sic habent :* Certamen SS. MM. Eudoxii, Zenonis, Romuli et Macarii, *et sequentibus eos ornant versiculis :*

Τμηθέντες Εὐδόξιος, Ῥωμύλος, Ζήνων
Καὶ Μακάριος, μακαριστοὶ τοῦ τέλους.

Quos Latine sic interpretor :

Capite minuti Eudoxius, Romulus, Zenon
Ac Macarius finem beatum obtinent.

Μακάριος *et* μακαριστὸς *sonant* beatus; *in quo lusit poeta, significatum nominis proprii unius*
B *Martyris per appellativum omnibus attribuens. Subditur elogium satis prolixum, cujus hoc initium est :* Οὗτος ὁ ἅγιος Ῥωμύλος ἐπὶ Τραϊανοῦ τὴν κεφαλὴν ἀφηρέθη. Hic S. Romulus sub Trajano capite truncatus est. *Dein agitur de* Eudoxio *aliisque tempore Diocletiani coronatis. Pauca illa idcirco huc transtuli, ne quis solos versiculos ac titulum legens existimaret, in Menæis conjungi hosce Martyres tamquam in eadem persecutione passos : quod sane pronum esset opinari ex titulo,* Romulum *aliis intermiscente.*

quæ seorsum agunt de Militibus 1104 :

5 *Post memoratum elogium sequitur alia annuntiatio :* Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, ἑκατὸν τέσσαρες καὶ χίλιοι στρατιῶται... ξίφει τελειοῦνται. *Id est*, eodem die centum quatuor ac mille milites... gladio cæsi consummant martyrium. *His deinde bini accinuntur versiculi :*

Δεκὰς δεκαπλῆ καὶ χιλιὰς μαρτύρων
Καὶ τετρὰς ἁπλῆ συντελευτῶσι ξίφει.

Quos Latine sic vertas :

Decas decupla et chilias Martyrum
Quaternioque simul ense vitam finiunt.

Istis versiculis addunt Menæa distichon aliud, exprimens simile martyrium S. Calodotes, quam et in annuntiatione mox data conjungunt lau-
C *datis militibus, sed perperam : nam sancta illa Martyr ad hanc classem non pertinet. Dabitur cum sociis suis die* VI *Septembris. Martyres autem* 1104, *de quibus hic separate agitur, haud dubie sunt illi milites, quos elogium citatum narrat projecisse balteos coram præside exemplo* S. Eudoxii : *utrobique enim, etiam in Actis et Ms. Menologio Slavo-Russico, ac Synaxario Ruthenico infra memorando idem est numerus* 1104, *nec ullum apparet distinctionis fundamentum.*

memoria apud Armenos et Moscos ;

6 *Desiderantur Sancti nostri in duobus Armenorum Menologiis ab Assemano editis tomo* 3 *Bibliothecæ Orientalis Clementino-Vaticanæ pag.* 645 *et* 649 : *at in Ms. Catalogo Sanctorum Armenis celebratorum, quem Papebrochio misit D. Ludovicus Picques Doctor Sorbonicus, hæc num.* 50 *leguntur :* Testimonium * S. Euductii (Εὐδοξίου) qui Marinus vocatus est. Item Romeli et Macari, qui martyres tempore Trajani, Septembris sexto. *Clemens Galanus, qui multos annos in Armenia missionarius fuit, parte* I *Conciliationis ecclesiæ Armenæ cum Romana in Annotatione ad caput* 2 *pag.* 16, *inter martyres*

* *i. e.* martyrium

ibidem passos recenset Eudoxium, Zenonem, D
Macarium *Sociosque sub Diocletiano; at* Romuli *nusquam meminit. Porro eximius Picquesius monet, prædictum Catalogum Latine versum esse* ex ingenti regiæ bibliothecæ codice Armeno N° 314, uncialibus litteris scripto ante annos ab hoc MDCLXXXVII circiter sexcentos; *sed interpretem, Oscanum archiepiscopum Armenum, haud satis peritum titulos incondite dictasse amanuensi, imo et nonnullos omisisse. Addit in litteris posterioribus ejusdem anni* 1687, *se dumtaxat usque ad numerum* 35 *inclusive Latinam versionem cum textu Armeno contulisse : quod utinam Vir eruditus et humanissimus reliquis* CXI *numeris fecisset, simulque omissa ab Oscano supplevisset. Meminit quoque ad eamdem diem* S. M. Eudoxii *Synaxarium Ruthenicum Ms., quod anno* 1688 *Moscua submisit noster illic missionarius P. Georgius David, addens in fine Synaxarium istud esse commune toti ecclesiæ Ruthenicæ. Aliud peculiare diœcesis Kijoviensis, eodem interprete, ita habet* : Et S. M. Eudoxii, et cum eo MCIV. E

monumenta alia, S. Eudoxii templum Constantinopoli.

7 *Mss. Menæa Græca bibliothecæ Ambrosianæ et PP. Dominicanorum conventus S. Marci Florentia, ac supplementum ad Menæa excusa collectum ex Ms. Synaxario membranaceo antiquo P. Sirmondi,* S. Romulum *ante alios annuntiant ; prima quidem hoc modo :* Romyli, Eudoxii, Zenonis, Macarii M.; *altera titulum addunt,* Romulus præpositus, Eudoxius, Zenon, Macarius : *tertium vero Græce ita habet :* Passio SS. MM. Romuli, Eudoxii, Zenonis et Macarii. *Elogium subjunctum quædam ab Actis diversa continet, proinde in pauca id contraho :* Ex hisce Sanctis Romulus præpositus sub Trajano imperatore decollatus est. Post Trajanum autem et reliquos imperatores non paucis annis elapsis, cum Diocletianus imperium adeptus esset, Eudoxius comes capite plexus est cum Zenone et Macario, ἅμα σὺν τοις ὑπ' αὐτῶν στρατιώτοις, τὸν ἀριθμὸν οὖσι χιλίοις ἑκατὸν τριάκοντα τέσσαρσιν, id est, una cum militibus, qui eis parebant, numero mille centum triginta quatuor. Ἡ δὲ αὐτῶν σύναξις τελεῖθ ἐν τῷ μαρτυρείῳ τοῦ ἁγ. Προκοπίου ἔνδον τοῦ ἁγ. μ. Μηνᾶ. Celebratur autem ipsorum memoria in oratorio S. Procopii, quod est in templo S. M. Menæ. *De sacra æde a Constantino Magno dicata sancto Menæ martyri potest videri Cangius libro* 4 *Constantinopolis Christianæ sect.* 6 F
num. 62. *Ibidem num.* 38 *templum* S. Eudoxio *consecratum fuisse seculo* IV *vel* V, *narrat his verbis :* S. Eudoxii ædes exstructa fuit ab Eudoxio patricio et præfecto, Constantino M. imperante, si qua fides Codino pag. XXXIX. Certe Eudoxium præfectum prætorio sub Theodosio juniore vixisse indicant leges aliquot in Cod. Th.

A

AUCTORE C. S.

§ II. An sanatio Justiniani imperatoris Martyribus hisce adscribenda sit : numerus S. Eudoxii sociorum; figmenta de S. Romulo, ejus cultus in Hispania : quando et ubi Martyres passi; Acta Græca, et Baronii conjectura de XI mille militibus.

Dubium est, quorumnam MM. beneficio Justinianus sanitatem recuperaverit.

Baronius *in Notationibus ad Martyrologium Romanum hac die scribit sequentia :* Ex horum militum numero, qui Melitine in Armenia coronati sunt, quatuor sacra corpora delata Constantinopolim, reperta sunt temporibus Justiniani imp., quorum beneficio idem imperator letali B morbo curatus est. Rem gestam perpetuis dignam monumentis conscripsit Procopius lib. I de Ædificiis Justiniani imperatoris. *Inventionem harum reliquiarum in templo S. Irenes M., et beneficium sanationis per eas Justiniano præstitum ex eodem Procopio Cæsariensi refert ad annum Christi* 560 *num.* 2. *Verum Procopius, anno* 1663 *cum interpretatione nostri Claudii Maltreti Parisiis editus, libro* I *cap.* 7 *non habet quatuor, sed* οὐχ ἧσσον ἢ τεσσαράκοντα, *id est,* non minus quam quadraginta : *et licet subdat hos fuisse Romanos milites legionis duodecimæ, quam olim stationariam habuit urbs Armeniæ Melitene; non tamen dicit in ea urbe martyrium esse passos. Hinc dubium est, an corpora illa fuerint aliquorum ex hodiernis Militibus, et consequenter an ipsis adscribi debeat patratum miraculum. Tillemontius tomo* 2 *Monumentorum Ecclesiasticorum secundæ editionis pag.* 574 *suspicatur fuisse reliquias celebrium* XL *Martyrum Sebastenorum, quæ prope Constantinopolim sub Theodosio II inventæ sunt, de quibus ad diem* X *Martii.*

C

S. Eudoxii socii probabilius haud plures fuere quam 1104 : *S. Romulus a Pseudo-Dextro*

9 *Tillemontius citatus numerum* S. Eudoxii *sociorum auget trecentis : scribit enim* 1404, *pro* 1104, *idque bis repetit, allegans Menæa magna Græcorum editionis Venetæ anni* 1528. *Editio illa mihi ad manum non est; sed quoniam in Menæis, quæ anno* 1595 *Venetiis prodierunt, in Menologio Cardinalis Sirleti, Actis a Metaphraste conscriptis et alibi computantur dumtaxat* 1104; *existimo Tillemontium perperam Græca vertisse. Unde autem in supplemento ad Menæa excusa, cujus verba dedi num.* 7, *ad prædictos* 1104 *accesserint* triginta, *compertum non habeo : neque ob solam Synaxarii Sirmondiani auctoritatem numerumin Martyrologio Romano descriptum augere volui. Ad* S. Romulum *quod attinet, eum Pseudo-Dexter in Chronico ad annum Christi* 100 *num.* 2 *Hispanum facit ac Trajano homopolum, ita scribens :* S. Romulus Trajani cæsaris præfectus, patria Italicensis, Hispanus in Hispaniam ab eodem relegatus in Celtiberia patitur.*Nempe* innumeri Martyres ad Orientem passi, quorum dumtaxat meminit ex antiquis Græcorum Menologium, Pseudo-Archimedis hujus *(Dextri)* opera in hos tractus terrarumque finem, Gades transferuntur, *inquit vir spectatæ eruditionis D. Nicolaus Antonius in litteris ad Bollandum datis anno* 1658. *Quid vero speciatim de* S. Romulo *senserit, accipe ex Mss. ipsius posthumis, quæ Cuperus noster anno* 1721 *Madriti magna ex parte descripsit.*

in Hispaniam pertractus,

10 Romulum oportet quidem apud Græcos martyrio sublatum : quomodo enim homo Hispanus, et in Hispania pro vera fide occisus, omnem sui memoriam ad Græcos transportaverit, nullam domi et apud suos reliquerit? De hoc docere nos debuerunt gnavi propugnatores mendacissimi Chronici. Et referunt hoc sermone Græci occisionem Martyris, nullum ut relinquant locum relegationi. Romulus dicitur, postquam suasisset Trajano militum Christianorum cædem, in se conversus credidisse in Christum, imperatoremque impietatis accusasse. *Tum subdit verba quædam ex Menologio Basilii et ex Metaphraste, dein sic prosequens :* Nullum hic fateri opus est Hispaniensis relegationis, Celtiberique martyrii vestigium; siquidem Trajanum in Hispaniam venisse numquam, ex Dione et aliis compertissimum est. *Hactenus de adducto Chronici loco : quod sequitur ferit potissimum Joannem Tamayum Salazar martyrologum Hispanum, qui in Notis ad* V *Septembris alia falsa ex Bivario superaddidit.*

E

S. Onesimi socius fuisse fingitur ab aliis,

11 Non autem contenti Romulo cive et martyre Dextri vindices Bivarius et Tamaius progressi sunt ulterius, et quod in Actis Onesimi a Simeone scriptum fuerit Metaphraste (Februarii XVI apud Surium tom. I,) oblatum eum Tertullo præsidi una cum sociis Romulo et Papia; statim, quasi revelatum sibi divinitus fuisset, Bivarius non dubitanter adfirmare ausus est, eumdem hunc esse cum nostro Romulo; cui temerario ausui obstringere se nil veritus Joannes Tamaius, in Acta ipsa Romuli, quæ ad obruzam * veri et comperti non alias formari fas et æquum fuit, vanissimam admisit Bivarii conjecturam; Romulumque Trajani hunc præfectum Onesimi socium illum constituit. Sed quænam, ais, injecerunt hanc mentem Bivario? An solam nominis rationem secutus fuit? Nam huic tot adversantur argumenta, quot Romulo ævo illo pares esse potuerunt, nedum pares vixerunt. Habemus Actorum verba pro mille testibus : " Tunc adductum (Onesimum) ad tribunal Tertulli cum " Romulo adjutore et Papia spirituali commilitone, interrogavit Tertullus, dicens : Quis es?"

* *l.* obtusam

F

quos erudite confutat Nicolaus Antonius :

12 Plane vel hic Onesimus ille est Philemonis Collossensis servus, de quo agit Paulus Apostolus Epistola ad Philem., atque idem Ephesinus postea episcopus, ut apparet ex epistola S. Ignatii ad Ephesios; vel martyr alius SS. Alphii, Philadelphii et Cyrini præceptor, Puteolis aut in Sicilia una cum iis passus, quod magis placet Ferrario in Catal. Sanctorum XVI Februarii et XXXI Julii, et Henschenio tom. 2 Februarii pag. 858 num. 15, confudisseque Metaphrastem utriusque res gestas. Si primum dixeris, fateri oportet consequenter, Romulum, quem appellant " adjutorem episcopi " Acta Onesimi, alium prorsus ab eo fuisse, qui propter opprobratam Trajano impietatem, cujus aulæ magister erat, causam coram eo dixit. Qui enim simul esse poterat prætorii Augusti præfectus et Ephesini episcopi coadjutor? Neque item sic jejune Acta de Romulo tantæ in seculo dignitatis viro agerent, ut quærendi locum relinquerent, quis ille esset. Si vero Puteolanum martyrem hunc dixeris, nihil ad eum pertinere qui sub ultimis ethnicis imperatoribus, hoc est, vel Decio vel Licinio triumphavit, Romulum

AUCTORE J. V.

mulum Trajani martyrem fateri compellamur. Porro quid mirum in has angustias deveniri, quando undique corrasis etiam levissimis argumentis tam sacræ res tractantur? Quæ falsa sunt, certe nequeunt comprobari aliis nisi inepte; et movere aliquid oportet, ne nihil fiat. *Hæc contra fabulatores illos eruditus Hispanus.*

S. Romuli cultus in diœcesi Hispalensi.

13 *Ceterum ista persuasio de patria* S. Romuli *occasionem dedit solemni ejus cultui hoc die in diœcesi Hispalensi, prout narrat Tamayus pag.* 61 *his verbis :* Denique cum archipræsul D. D. Petrus de Castro et Quinones, Hispalensis sedis metropolita, referentibus Decano et capitulo suæ illustrissimæ ecclesiæ et aliis doctissimis viris, agnovisset hunc S. Martyrem ex Italica, sua diœcesis urbe oriundum fuisse; anno MDCXXIV illi cultum cum Officio duplici in diœcesi, et secundæ classis in loco, ubi olim Italica fuit, detulit et hoc in posterum observari præcepit, virtute privilegiorum a summis Pontificibus concessorum præsulibus Hispaniæ. *Sed novum hic rursus errorem admiscuit; nam Rodericus Caro, quem citat, in Antiquitatibus Hispalensibus fol.* 106
B *quadriennio citius id factum tradit, nimirum anno* 1620 : *certe fieri debuit ante* XX *Decembris* 1623, *quo prædictum archiepiscopum Petrum de Castro e vivis excessisse Tamayus ipse ad* XI *Martii pag.* 201, *aliique auctores Hispani asserunt.*

Quando et ubi Martyres occisi fuerint;

14 *De tempore, quo passi fuere, observat Pagius in Critica Baronii ad annum* 106 *num.* 3, *contigere non potuisse martyrium* S. Romuli *et militum Christianorum, a Trajano, dum in Oriente esset, morti addictorum, ante annum* 112, *quo is imperator in Orientem transmisit. Castellanus in Martyrologio universali pag.* 979 *certamen* S. Romuli *consignat ipso anno* 112; *utrum recte, non ausim asserere : Tillemontius enim tom.* 2 *Imperatorum Nota* 17 *et* 22 *in Trajanum, probabiliter statuit duplicem profectionem Trajani Orientem; primam anno* 106, *alteram non nisi anno* 114. *Ad* SS. Euxodium *et Socios quod spectat, martyrium hi consummarunt sub Diocletiano ex antedictis; anno, ut Surius notat,* 290 : *Baronius autem in Annalibus primum de ipsis meminit ad annum* 311 *num.* 21. *Horum palæstra fuit Melitina seu Melitene in Armenia Minori ad Euphratem fluvium :* S. Romulus *vero*
C *passus videtur* in Græcia, *sicuti eum Galesinius annuntiat cum aliis quidem Martyribus, sed quos postea scribit alibi coronatos esse, videlicet in Armenia et tempore Maximiani. Vide supra num.* 2 *Menologium Basilianum.*

scriptor Actorum Metaphrastes : aliquæ de illis

15 *Acta Græca, quorum apographum, nescio unde acceptum, habemus hoc titulo :* Μαρτύριον τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων Εὐδοξίου, Ρωμύλου, Ζήνωνος καὶ Μακαρίου, *id est,* Martyrium sanctorum et gloriosorum Christi marty- D
rum Eudoxii, Romuli, Zenonis et Macarii, *ex antiquis monumentis conscripsit Metaphrastes, eique illa indubitanter attribuit Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis, pag.* 129 *initium recitans. Latine versa edidit Aloysius Lipomanus episcopus Veronensis tomo* 6 *Vitarum Sanctorum, quam interpretationem inferius recudam, sed more nostro divisam in capita et numeros, ut Græcæ narrationi similiter dividendæ respondeat. Baronius ad hunc diem ea vocat* Acta S. Romuli, *quia nempe de ipso agit prior illorum pars; at rectius ab aliis appellantur reliquorum etiam Martyrum nomine, quorum agonem,* S. Eudoxii *præsertim magis fuse describunt post narratum* Romuli *martyrium. Miror tamen, quod Græci Sanctorum tam diversis temporibus, ut ipsi tradunt, passorum res gestas in unam eamdemque narrationem conjecerint. Ex collatione Actorum cum elogio, quod exstat in Menæis magnis impressis, patet illa ex hoc concinnata esse, at multum aliunde amplificata : ex quibus autem monumentis, ignoro.* E

et Baronii conjectura observationes.

16 *Certe quidem illa amplificatio facta non est ex narratione seu elogio Menologii Basiliani : in hoc namque dicitur* S. Romulus *auctor primum fuisse Trajano,* ἀποστεῖλαι εἰς τὴν Γαλλίαν *etc.* ut mitteret, *vel, uti Galesinius et Arcudius verterunt,* iret in Galliam, *Asiaticam nempe, id est, Galatiam, militesque Christianos diis immolare compelleret; deinde pœnitentia ductus credidisse in Christum. Metaphrastes vero, mirabilia omittere haud solitus, impium illud* Romuli *consilium, secutam pœnitentiam et conversionem ne verbo quidem attingit : imo contra insinuat, eum jam ante Christianum fuisse. Mitto alias discrepantias, facile ob erudito lectore observandas. Quod spectat ad undecim mille relegatos milites,* conjectura ducimur, *inquit Baronius ad annum* 108, ut existimemus hos illos ipsos esse decem mille præstantissimos martyres, qui in silvis montis Ararat in Armenia sunt crucifixi. *Hoc si verum sit, manifestæ falsitatis convincuntur istorum Crucifixorum Acta; Baronius quippe loco citato præmittit, undecim mille milites inventos fuisse Christianos a Trajano exercitum lustrante : martyres autem Crucifixi idololatræ adhuc erant tempore Adriani, quando angelus* F
in campo apparens fidem Christi eis prædicavit, uti narratur tom. IV *Junii ad diem* XXII *in ipsorum Actis, quæ ibidem a pag.* 175 *Commentario critico excussit Papebrochius ac fabulosa esse monstravit. Verisimile etiam non est, undecim millia hominum simul neci data fuisse a Trajano : certe id Metaphrastes non siluisset, si in antiquis monumentis reperisset.*

ACTA

A D

ACTA

AUCTORE METAPHRASTE

Ex Ms. Græco, cum Latina interpretatione, quæ exstat apud Lipomanum tom. VI pag. CCXXXI versa.

CAPUT I.

Milites Christianos in exsilium pellit Trajanus : id improbans S. Romulus et aperte Christum confitens gloriosum subit martyrium.

B Τραϊανοῦ τοῦ δυσσεβοῦς βασιλέως πολλὴν μὲν πρόνοιαν καὶ σπουδὴν ὑπὲρ τῆς βδελυρᾶς τῶν εἰδώλων πλάνης εἰσφέροντος, μέγα δὲ καὶ ἀπηνὲς κατὰ τῶν εὐσεβῶν πνέοντος· ἄλλοι τε θυεῖ * τοῖς δαίμοσι, καὶ πρόγε πάντων τὸ στρατιωτικὸν ἠναγκάζοντο. Βασιλικὰ γαρ ἐπέμπετο πανταχοῦ γράμματα σπουδάζοντα τὴν ἀσέβειαν, καὶ Χριστιανοὺς ἢ θύειν κελεύοντα, ἢ ποικίλαις ὑποβάλλεσθαι τιμωρίαις. Ἅπερ ἐπειδὴ καὶ εἰς τὸ πρὸς Ἕω ἀφίκετο στράτευμα, ἐκεῖνοι μὲν τὰ πρὸς τὸν πόλεμον κατ' ἐκεῖνο τῆς ὥρας συσκευαζόμενοι, καὶ μελέταις συνεχέσι καὶ βαρείαις τὰ πολεμικὰ ἐξασκούμενοι, ἄλλωστε δὲ καὶ τὰ Χριστιανῶν ἀσπαζόμενοι, οὐδὲ ὀλίγα τῶν βασιλικῶν ἐκείνων συλλαβῶν ἐπεστρέφοντο. Ἀμέλει καὶ μάχης αὐτοῖς καρτερᾶς συῤῥαγείσης, κρατοῦσι τῶν ἐναντίων καὶ μάλα λαμπρῶς.

* lege θύειν

2 Τοῦτο καὶ εἰς βασιλέα Τραϊανὸν ἀνήχθη· ὁ δὲ διὰ τὴν τῶν οἰκείων ἀποταγμάτων παρόρασιν, οὐδὲ τοῦ κοινοῦ πάντων ἀγαθοῦ τῆς νίκης λόγον ποιεῖσθαι· ἀλλὰ τοὺς τὰς βασιλικὰς διατάξεις ὑπεριδόντας (τὸ πλῆθος δὲ χίλιοι ἐπὶ τοῖς μυρίοις ἦσαν) πρός τε τὴν τῆς Ἀρμενίας Μελιτινὴν, καὶ τὰ πέριξ ἐκείνης ὑπερορίζει. Ἦγε μὲν ὑπόλοιπος στρατία περιδεὴς ἦν καὶ κατάφοβος διὰ τὴν ἐκείνων ὑπερ-
C ορίαν: μὴ καὶ λυπηθέντες πρὸς νεοτερισμὸν ἀποβλέψουσιν, εἶτα καὶ αὐτοὺς καλώσωσιν *, ὡς μήτε τοῦ Χριστιανισμοῦ μήτε τῆς δι' ἐκεῖνον ὑπερορίας αὐτῶν κοινωνήσαντας. Ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνοι ἢ ἔπραξάν τι τοιοῦτον ἢ ἐνενόησαν· ἀλλ' οἷα τοῦ πράου ὡς ἀληθῶς μαθηταὶ, μιμηταὶ καὶ τῆς τοῦ Διδασκαλου πραότητος, καὶ τῆς συμπαθείας ἦσαν· ἡμέρως τε ἔφερον τὴν ὑπερορίαν, καὶ ἥκιστα τῆς ὕβρεως ἐδυσχέραινον.

* l. κολάσωσιν

3 Ῥωμύλος δὲ ὁ τῆς βασιλικῆς αὐλῆς τηνικαῦτα πραιπόσιτος, πρὸς τὸν βασιλέα Τραϊανον, οὔτε αὐτῷ πάντως, οὔτε τῇ πόλει συμφέρειν ἔλεγε τὰ γεγενημένα. Ὁ δὲ, δέον χάριτας ὁμολογεῖν τῷ Ῥωμύλῳ ἅτε πρὸς αὐτὸν εὐνοϊκῶς ἔχοντι, εὐήθης ὢν καὶ ἀχάριστος, ἐλοιδορεῖτο μᾶλλον αὐτῷ καὶ ὠργίζετο, καὶ ὡς ἔγκλημα προέτεινε τὴν εὐσέβειαν. Ῥωμύλος δὲ τῶν ἐκείνου λόγων μηδὲ τὸ βραχὺ φροντίζων, ἐσεμνύνετο μᾶλλον ταῖς διὰ Χριστὸν ὕβρεσι· καὶ τῷ περὶ αὐτὸν ζήλῳ διαπυρώτατα τὴν ψυχὴν ἐκκαυθεὶς, ἐξυβρίζει μὲν εἰς τοὺς ἐκείνου θεοὺς ἀναίδην· ὁμολογεῖ δὲ φανερῶς τὸν Χριστὸν καὶ παρρησιάζεται τὴν εὐσέβειαν. Ἀγριάνας τοίνυν ἐπιπλέον Τραϊανὸς, κελεύει ταθῆναι τοῦτον καὶ ῥάβδοις αἰκίζεσθαι.

4 Ὁ μέντοι Ῥωμύλος εὐψύχως δεχόμενος τὰς πληγὰς; Νῦν εὐεργετῶν με ἴσθι τὰ μέγιστα πρὸς

E Trajano *a* impio imperatore in execrandum errorem simulachrorum magnum quidem studium conferente, valde autem et atrociter spirante adversus pios; et alii sacrificare dæmonibus, et ante omnes cogebantur milites. Literæ enim imperatoriæ mittebantur in omnes partes, urgentes ad impietatem et Christianos cogentes vel sacrificare, vel variis subjici suppliciis. Quæ quidem postquam venerunt ad exercitum, qui erat in Oriente, illi quidem eo tempore ea comparantes, quæ ad bellum pertinebant, continuisque et gravibus se exercentes militiæ meditationibus, alioqui autem religionem amplectentes, nihil curabant literas illas imperatoris. Qui cum magna pugna eis esset exorta, præclaram adversus inimicos obtinent victoriam *b*.

Christiani milites post obtentam victoriam a

2 Hoc fuit relatum ad imperatorem Trajanum. Ille autem propterea quod sua edicta despexerant, ne communis quidem omnium boni, nempe victoriæ, ullam ducit rationem : sed eos, qui imperatorias contempserant constitutiones (erant autem numero undecim millia *c*) relegat in Armeniæ Melitenam *d* et loca, quæ circa eam sita sunt. Reliquus vero exercitus erat in metu propter eorum relega- F tionem, ne dolore affecti molirentur res novas, et eis aliquid mali afferrent, ut qui nec Christianismi, neque propter Christum susceptæ relegationis fuissent eis socii. Verum illi nihil tale fecerunt aut cogitarunt : sed ut qui erant discipuli ejus, qui vere est mitis, fuerunt etiam imitatores mansuetudinis et lenitatis Magistri ; et placide ferebant exilium, et minime ægre ferebant contumeliam.

b relegantur a Trajano : c d

3 Romulus autem aulæ imperatoriæ tunc præpositus *e* apud Trajanum imperatorem, neque ei, neque civitati omnino dicebat expedire ea, quæ facta fuerant. Ille autem, cum oporteret Romulo agere gratias, ut qui benevole esset in eum affectus, stulte et ingrate se gerens, eum potius maledictis insectabatur et ei irascebatur, et tamquam crimen objiciebat pietatem. Romulus vero verba illius ne tantillum quidem curans, gloriabatur potius contumeliis propter Christum susceptis : et ardentissimo ejus zelo in animo accensus, libere quidem et effuse illius deos probris insectatur; Christum autem aperte confitetur, et pietatem audacter profitetur. Magis itaque irritatus Trajanus jubet eum extendi et virgis cædi.

improbans id Sanctus Christumque confitens, virgis cæditur e

4 Romulus autem magno et forti animo plagas accipiens ; Nunc scias, me maximo affici beneficio,

A. *Metaphraste. ac dein gladio necatur.*

cio, exclamabat ad Trajanum. Corpus enim, quod hoc rubro mihi sanguine circumfluit, abluit sordes, quas contraxi ex nidore simulachrorum; et induitur animo munda tunica incorruptionis. Non tulit hæc Trajanus, sed majori ira percitus, ei celerem comparat liberationem, et breve efficit martyrium; et decernit, ut caput Romuli amputetur. Atque ille quidem libenter ensem aspexit propter Christum, et jucundissime subiit stadium martyrii.

Τραϊανὸν ἐβόα· τό τε γαρ σῶμα ἐμοὶ τῷ ἐρυθρῷ τούτῳ περιρρεόμενον αἵματι τὸν ἐκ τῆς εἰδωλικῆς κνίσης δυσώδη μολυσμὸν ἀπολούεται, καὶ ἡ ψυχὴ δὲ ἀφθαρσίας χιτῶνα καθαρὸν περιβάλλεται. Οὐκ ἤνεγκε ταῦτα Τραϊανός· ἀλλ' εἰς πλείονα τὸν θυμὸν προαχθεὶς, ταχεῖαν αὐτῶν τὴν ἀπαλλαγὴν ἐπίτομόν τε τὸ μαρτύριον διεπράξατο· καὶ τμηθῆναι τὴν κεφαλὴν Ῥωμύλου ψυφίζεται. Ὁ μὲν οὖν ἄσμενος τὸ διὰ Χριστὸν εἶδε ξίφος, καὶ ἥδιστα τὸ τοῦ μαρτυρίου ὑπῆλθε στάδιον. D

ANNOTATA.

a *Trajanus imperium suscepit anno Christi* 98, *mortuus est* 117.

b *Nescio de qua victoria hic agat Metaphrastes.*

c *Quid Baronius de iis conjiciat, vide num.* 16 *Commentarii.*

d *Hanc* Melitenem *seu* Melitinam *Trajanus ex castro urbem fecit gentisque metropolim, teste Procopio Cæsariensi lib.* 3 *de Ædificiis Justiniani cap.* 4. *Tillemontius tom.* 2. *Imperatorum pag.* 192 *id refert ad annum Christi* 107, *Trajani* 10. *Civitatem illam cum regione cognomine Ptolemæus aliique geographi adscribunt Armeniæ Minori; Strabo autem, Plinius et Stephanus tribuunt Cappadociæ, quibuscum sentit Christophorus Cellarius Geographiæ antiquæ lib.* 3 *cap.* 8, *eamque in tabula Asiæ Minoris collocat ad confluentem Melæ et Euphratis in Cappadocia; utpote ex cujus nobilioribus olim fuit præfecturis: verum in tabula Orientis, quam postea exhibet, tractum illum*
B *comprehendit Armenia Minore. Idem fit in aliorum tabulis anno* 1741 *editis. Urbs porro de qua* E
agimus, etiam dicta reperitur Melita, *tunc Turcis vulgo* Malatyah. *Distinctionis causa recte addidit Metaphrastes,* τῆς Ἀρμενίας, Armeniæ: *nam et tractus Susianæ ad Tigrim fluvium a Ptolemæo* Melitene *nominatur, teste laudato Cellario cap.* 19.

e *Tillemontius tom.* 2 *Monumentorum pag.* 180 *negat, titulum* aulæ imperatoriæ præpositi *cognitum fuisse tempore Trajano. Sed cum Suetonius, Trajano et Adriano synchronus, militum præfectos in Othone appellaverit* præpositos, *et tempore Statii Papinii poetæ, qui sub Domitiano floruit, procurator ærarii majoris diceretur ærarii sacri* præpositus, *teste Salmasiæ in Notis ad Vitam Antonini Diadumeni; cur non potuit vocari sub Trajano* aulæ imperatoriæ præpositus, *cui ejusdem custodiendæ vel ministerio aulico invigilandi cura erat demandata? Imo quis rite probare queat, hoc titulo appellatum non fuisse? Ait enim Tillemontius tom.* 2 *Imperatorum pag.* 195, *penitus intercidisse Vitam Trajani a variis auctoribus scriptam. Ceterum Cangius in Glossario ad vocem Græco barbaram* πραιπόσιτος *profert hunc ipsum locum. Vitæ Ms.* S. Romuli, *quam in Indice auctorum col.* 41 *notat desumptam* ex codice Colberteo 555, *unde fortassis et apographum nostrum acceptum est.*

CAPUT II.

S. Eudoxius missos ad se capiendum convivio excipit, dein sponte adit præsidem, coram quo fidem profitetur balteumque abjicit, militibus exemplum ejus imitantibus. 1104

C

Christianos persequente Diocletiano, a b

Cum multum autem intercessisset temporis *a* Diocletianus quidem sanguine intestino et tyrannide invadit imperium *b*; contendit autem eos qui præcesserant tyrannos crudelitate superare et impietate, et ostendere illorum sævitiam fuisse humanitatem. Unde etiam ad eos, qui illius parebant imperio, edicta veniebant frequentia, ut omnes vel cum eo communionem impietatis susciperent, vel mors esset eis pœna inobedientiæ. Christiani itaque propter sævam et immanem illius iram, alii quidem malebant cum feris habitare in solitudinibus, quam simul cum hominibus: alii autem montes et speluncas et quæcumque celare poterant subeuntes studebant, quo ad ejus fieri poterat, vel ipsum solum latere.

F Συχνοῦ δὲ μεταξὺ διελθόντος χρόνου, Διοκλητιανὸς μὲν αἵματι ἐμφυλίῳ καὶ τυραννίδι κλέπτει τὴν βασιλείαν· φιλονεικεῖ δὲ τοὺς πρὸ αὐτοῦ τυράννους κατάγε τὸν τῆς ὠμότητος καὶ τὸν της ἀσεβείας λόγον ὑπερβαλεῖν, καὶ τὴν ἐκείνων ἀγριότητα φανερὰν δεῖξαι φιλανθρωπίαν· ὅθεν δὲ διατάγματα συνεχῆ κατελάμβανε τὸ ὑπήκοον, ἢ πάντας αὐτῷ κοινωνῆσαι τῆς ἀσεβείας, ἢ θάνατον αὐτοῖς εἶναι τὸ τῆς παρακοῆς ἐπιτίμιον. Χριστιανοὶ τοίνυν διὰ τὸ τῆς ὀργῆς τοῦ ἀνδρὸς ἄμαχόν τε καὶ δεινῶς ἄγριον, οἱ μὲν τὰς μετὰ τῶν θηρίων ἐν ἐρήμοις διατριβὰς τῆς μετὰ τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον προέκρινον συνοικίας· οἱ δὲ ὄρη καὶ σπήλαια, καὶ ὅσα δύναται κρύπτειν, ὑποδυόμενοι καὶ αὐτὸν, ὡς οἷόντε, τὸν ἥλιον διαλαθεῖν ἔσπευδον.

*S. Eudoxius comprehendi jussus * alibi Marinus*

6 Eo tempore defertur quidam vir pius, et plane indignus qui lateret. Ei nomen erat Eudoxius, aut Marianus *; erat enim utrumque ei nomen proprium. A dignitate autem primiceriatus expulsus propter amorem Christi, descenderat ad inferiorem comitum dignitatem; quam quidem etiamsi non fuisse consecutus, satis tamen habuisset cum solum sequi, quem desiderabat. Defertur autem ad

6 Ἐνταῦθα μηνύεταί τις εὐσεβὴς, καὶ τοῦ μὴ λαθεῖν ὄντως ἄξιος, Εὐδόξιος ἢ Μαριανὸς ὄνομα ἀνήρ· ἀμφοτέροις γαρ ἐκυριολογεῖτο τοῖς ὀνόμασιν· ἀπὸ πριμικηρίων δὲ τὴν ἀξίαν, ᾗ διὰ τὸν εἰς Χριστὸν πόθον ἀπεληλαμένος, ἐν τῇ τῶν κομήτων ὑπεβιβάσθη· καὶ ταύτης δὲ μὴ τυχὼν, ἔστερξεν ἄν τῷ ποθουμένῳ μόνῳ παρακαλούμενος. Μηνύεται δὲ τῷ τηνικαῦτα Μελιτηνῆς ἡγεμόνι· ὅς ἐπειδὴ τὰ περὶ

A τοῦ ἀνδρὸς ἕκαστα μεμαθήκοι, τοὺς ἕξοντας αὐτὸν παραχρῆμα ἐκπέμπει. Τοῦτο δὲ μὴ τὸν Εὐδόξιον λαθὸν, εὐτελεστέραν περιθέμενος τὴν στολὴν, ἵνα μὴ ὅστις εἴη φανερὸς γένοιτο, ἐμφανίζεται τοῖς ἀπεσταλμένοις. Ἐντυχόντες τοίνυν αὐτοῖς* καὶ μήπω τοῦτον ἐκεῖνον εἶναι νομίσαντες, ὅπη ἄρα διατρίβοι ὁ κόμης Εὐδόξιος, εὐθέως ἠρώτων. Ὁ δέ· Εἴ μοι παρελθεῖν ἐθελήσετε εἰς τὴν στάγην*, ἡμερώτατα πρὸς αὐτοὺς ἔφη, καὶ βραχὺ τὸν ἐκ τῆς ὁδοῦ κόπον διαναπαῦσαι, καὶ τραπέζης καὶ ἁλῶν κοινωνῆσαι, ἐγὼ ὑμῖν τὸν ζητούμενον ὑποδείξω.

* imo αὐτῷ

* l. στέγην

7 Παρασκευασάμενος οὖν τὰ πρὸς τὴν ἑστίασιν φιλοτίμως, δεξιοῦται τοὺς ἄνδρας· τῶν δὲ ἡσθέντων ἱκανῶς τῇ τραπέζῃ, εἶτα καὶ τὴν ὑπόσχεσιν ἀπαιτούντων καὶ δεομένων φανερὸν αὐτῶν ποιήσεσθαι τὸν ζητούμενον, ἐκεῖνος εὐθὺς τὸν ἔνδον αὐτοῖς ἀνακαλύπτει Εὐδόξιον· ἐγώ εἰμι, ὃν ζητεῖτε, εἰπών. Τοῦτο μαχαίρας ὀξύτερον καθίκετο τῆς ἐκείνων ψυχῆς· καὶ ὑπολαβόντες· Οὐ προδώσομέν σε τὸν ἡμέτερον ἑστιάτορα, εἶπον, οὐδὲ οὕτω τὴν φιλοξενίαν κακῶς ἀμειψόμεθα· ἀλλὰ τοῦτο ἡμῖν εἰς ἀπολογίαν ἀρκέσει τὸ πολλὰ περὶ τὴν ζήτησιν καμόντας, ὅμως μὴ δυνηθῆναι ὅλως τὸν Εὐδόξιον ἀνευρεῖν. Ἐκεῖνοι μὲν οὖν ταύτας Εὐδοξίῳ τῆς ξενίας τὰς χάριτας ἀπεδίδωσαν.

B

8 Ὁ δὲ καὶ λαθεῖν εἰδὼς ὅτε δέον, καὶ μὴ λαθεῖν αὖ, ὅτε τούτου καιρὸς· θεία γαρ ἦν χάρις ἡ παροῦσα καὶ διδάσκουσα τὸν ἀθλητὸν* ἀκολουθῆσαι τοῖς ἀνδράσιν ἐσκέψατο· καὶ τὴν γυναῖκα καλέσας Βασίλισσαν, ἢ καὶ Μανδάνην, εἰ βούλει· διπλοῖς γαρ καὶ αὐτὴ τοῖς ὀνόμασιν ἐκαλεῖτο· ὅσα τε ἔδει τῶν κατ' οἶκον αὐτῇ ἐντέλλεται, καὶ πάντα τῇ αὐτῆς ἀναθεὶς φροντίδι, ἐσχάτην τοῦτο καί γνησίαν ἐντολὴν διδωσι· μὴ ἐπιδακρύσαι τῇ αὐτοῦ ἐκδημίᾳ, μὴ ἀποδύρασθαι, μὴ θρηνῆσαι ὅλως τὴν τελευτήν· ἀλλὰ καὶ λαμπροφορίᾳ καὶ τῇ ἄλλῃ φαιδρότητι ἐκείνην τιμῆσαι μάλιστα τὴν ἡμέραν. Εὐθὺς οὖν καταφρονεῖ μὲν τῆς οἰκείας συγγενείας Εὐδόξιος· ἐπιλανθάνεται δὲ διὰ Χριστὸν τῆς πρὸς τὰ τέκνα στοργῆς, τοῦ ἰσχυροῦ δὲ τούτου καὶ ἀπαραιτήτου τοῖς πατράσι δεσμοῦ· ἵνα γαρ ἐκεῖνον κερδήσῃ, ζημίαν ἡγεῖτο πάντα καὶ σκύβαλα· καὶ ἄπεισι πρὸς τὸν ἡγεμόνα.

* l. ἀθλητὴν

9 Καὶ αὐτὸς τὸν ἄνδρα ἰδὼν· Χαίροις, ἔφη, κόμης Εὐδόξιε· ὁ δὲ τοῖς ἴσοις εὐθὺς ἠμείβετο· Χαίροις καί αὐτὸς, εἰπὼν, ὦ ἡγεμών. Καὶ ὃς πάλιν· Μετεστειλάμεθά σου, ἔφη, τὴν περιφάνειαν, ὥστε καὶ τοῖς βασιλικοῖς ὑπηρετῆσαι προστάγμασι, καὶ τοῖς θεοῖς τὴν προσήκουσαν θυσίαν προσενεγκεῖν, μαλιστα τῷ πατρὶ πάντων θεῶν τῷ μεγάλῳ Διΐ, Ἀπόλλωνί τε τῷ Φοίβῳ,
C καὶ τῇ φίλῃ παρθένῳ Ἀρτέμιδι. Καὶ ὁ μάρτυς· Ἐμοὶ μία, ἔφη, θυσία, ἡ τοῦ ἀλιθινοῦ Θεοῦ, τοῦ τὸ πᾶν τόδε παραγαγόντος· καὶ τούτῳ θύσω θυσίαν αἰνέσεως, ὅς ἐν Τριάδι θεολογούμενος ὑποστάσεων, ζωῆς ταμίας καὶ οἰκονόμος ἀληθοῦς σωτηρίας γνωρίζεται. Οὓς δὲ θεοὺς ὀνομάζεις, ξύλα τούτους καὶ λίθους ὁρῶ, τῆς λοιπῆς ἀψύχου ὕλης μηδὲ βαρὺ διαφέροντας. Πρὸς ταῦτα διαβλέψαι οὐκ ἔχων ἐκεῖνος· πόθεν ὅσγε ὑπὸ βαθείᾳ τῆς ἀσεβείας ἐκάθευδε μέθῃ; Ἐγώ σε τὰς τοῦ βασιλέως ἐκτελέσαι προστάξεις, καὶ πρὸς τοὺς θεοῦς τὰ εἰθισμένα δράσαι προετρεψάμην, ἔφη· ἀλλὰ σὺ καὶ θεῶν, ὡς ὁρῶ, καὶ βασιλέως ὑπερορᾷς· οὕτω μὲν ἀναίδην εἰς οὓς ἐκεῖνος σέβει θεοὺς ἐνυβρίσας, οὕτω δὲ καινοφανῆ τινὰ λατρείαν παρὰ ταύτην νόμοθετῶν, καὶ ταύτῃ, ὡς εἰς ἐμὰ ὦτα ἥκει, τοὺς πολλοὺς ἀναπείθων.

10 Ταῦτα, πολλῶν περιεστώτων στρατιωτῶν, ὁ ἡγεμὼν διελέγετο· καὶ μεταξὺ ἄγριον καὶ δριμὺ τούτων* ἐμβλέψας· Ὅσοι καὶ ὑμῶν, ἔφη, μὴ τοῖς βασιλικοῖς θεσπίσμασιν ἕπεσθε, τὰς στρατιωτικὰς διαλυσάμενοι ζώνας γυμνοὺς ἑαυτοὺς τῶν τῆς ἀξίας συμβόλων γνωρίσατε. Τὶ τοῦτο λέγων ὁ πονηρὸς ἐκεῖνος; Ὅπως εἴ τινες διὰ τὴν τῆς στρατείας κοινωνίαν φιλίως τῷ Εὐδοξίῳ ἔχοντες, κοινωνεῖν αὐτῷ καὶ

* forte τούτοις

cum, qui tunc erat præses Melitenæ. Qui cum de eo singula intellexisset, qui ipsum adducturi essent, emittit protinus. Hoc autem cum non latuisset Eudoxium, viliori veste indutus, ne esset manifestum, quisnam esset, se ostendit iis, qui missi fuerant. Cum eum ergo convenissent et nondum eum illum esse putassent; ubinam versaretur comes Eudoxius, eum rogarunt. Ille autem: Si meum tectum subire volueritis, eis dixit benignissime, et a labore itineris vos parum recreare, mensæque et salis mecum esse participes; ergo ostendam vobis eum, quem quæritis. A METAPHRASTE.

7 Cum ergo parasset convivium, eos excipit liberaliter. Illis autem mensa satis exhilaratis, et promissum deinde exigentibus et rogantibus, ut eum ostenderet, quem quærebant; ille continuo eum, qui erat intus, aperit Eudoxium, dicens: Ego sum quem quæritis. Hoc gladio vehementius illorum perculit animum; et respondentes dixerunt: Non te prodemus, qui nos accepisti convivio, neque pro hospitalitate tam male referemus gratiam. Sed hoc ad nostram sufficiet excusationem, quod cum in quærendo multum laboraverimus, non potuimus tamen invenire Eudoxium. Illi quidem pro hospitio has Eudoxio retulere gratias. E

apparitores convivio excipit, cumque se iis manifestasset.

8 Ille autem, qui et sciebat latere cum opus esset, et rursus non latere quando hujus rei esset tempus (divina enim, quæ aderat gratia et docebat Athletam, jussit *c* ut eos sequeretur) cum uxorem vocasset Basilissam aut, si velis, Mandanem; nam ea quoque duplici nomine vocabatur; ei mandat quæ spectant ad familiam. Et cum omnia ejus curæ commisisset, hoc quoque postremum et germanum ei dat mandatum, ne ejus defleat decessum * neque propter mortem ejus lamentetur: sed lampadibus *d* et alia lætitia potius illum diem honoret. Statim ergo suam quidem cognationem despicit Eudoxius: obliviscitur autem propter Christum sui amoris in filios, validi et inevitabilis vinculi parentibus. Ut enim illum lucrifaciat, omnia damnum existimat et stercora. Et vadit ad præsidem.

præsidem ultro adit: c

* *Græce aditur ne conqueratur* d

9 Is autem cum ipsum vidisset; Salve, inquit, comes Eudoxi. Ille autem ei vicissim reddit salutem, dicens: Tu quoque salve, præses. Præses autem rursus: Tuam, inquit, accersivimus claritatem, ut jussis parens imperatoris, et diis, ut par est, offeras sacrificium, et maxime patri omnium deorum magno Jovi, et Phœbo Appollini, et charæ virgini Dianæ. Martyr autem, Mihi unum est, inquit, sacrificium, sacrificium veri Dei, qui hoc produxit universum; et ei sacrificabo sacrificium laudis, qui est Deus in Trinitate personarum, vitæ autem suppeditator et vere * salutis dispensator. Quos autem deos nominas, ligna eos video et lapides, nihil differentes penitus a quavis alia inanima materia. Ad hæc ille non valens intueri (quomodo enim, qui dormiebat oppressus profunda crapula impietatis?) Ego te, inquit, sum hortatus, ut exequereris jussa imperatoris, et diis faceres ea, quæ solent fieri: sed tu, ut video, et deos despicis et imperatorem, ut qui, quos ille quidem colit, deos tam impudenter probris affeceris et contumeliis; novam *e* autem præter hanc introducas religionem, et ut eam suscipiant (ut ad meas aures pervenit) multis persuadeas. F

verum Deum prædicat et idola ridet,

* veræ

e

10 Hæc dicebat præses, multis militibus circumsistentibus: quos ille interim torve et ferociter intuitus, Quicumque ex vobis, inquit, jussa regia non sequimini, vos militaribus tunicis exuentes, cognoscite esse nudos ab insignibus dignitatis. Cur hoc autem dicebat ille improbus? Ut, si qui propter militiæ societatem bene vellent Eudoxio, et essent in eadem, in qua ipse sententia, erubescerent ipsi

ac balteum abjicit; militibus 1104 *idem facientibus exemplo Sancti,*

A. Metaphraste. ipsi soli deficientes in tanta multitudine; existimabat enim eos omnino esse paucos: et simul quidem volens pudore afficere Eudoxium, qui sic videretur sentire diversa a toto exercitu; et si solum eum invenisset, de eo faceret, quod vellet. Sed qui apprehendit sapientes in astutia eorum, id, quod excogitarat, convertit in ejus caput. Nondum enim totam absolverat orationem, et egregius ille Eudoxius (tunc enim erat indutus insigni magistratus) zona statim ablata, eam projicit in faciem *f* præsidis. Hoc autem visum est aliis adhortatio et zelus *g*: et totus, qui circumstabat numerus, qui erant mille, centum et quatuor *h*, bono exemplo protinus utentes Eudoxio, ii quoque projecerunt zonas in faciem illius.

qui minas præsidis

11 Dubitans autem præses de multitudine, rem defert ad Diocletianum. Ille autem auctores quidem tantæ audaciæ jubet gravissimis affici suppliciis; sententiam autem de aliis ferendam relinqui senatui. Hanc cum ille accepisset potestatem ab imperatoris amentia, generosum Eudoxium sistendum curans pro suo tribunali; Stultas, inquit, quæstiones et mentis et linguæ mittens contradictiones, B tua sponte diis sacrifica; nam alioqui, ut id invitus facias, omnino coget acerbitas suppliciorum. Et statim enumeravit vincula, et plagas, et carcerem, et ignem, et quæcumque vel solo auditu sunt gravissima. Caligastis nos quoque, sat scio, hæc audientes, et anxii estis de narratione eorum, quæ deinceps sequuntur; num scilicet ea oratio conturbarit Athletam. Sed estote bono animo. Majorem enim ei flammam accendit pro pietate, quod putaret se sic longe præclariorem esse consecuturum coronam victoriæ.

generose contemnit.

12 Ei itaque dicit Martyr: Ludis præses. Hæc ego existimo puerorum terriculamenta, aspiciens ad eas, quæ sunt illinc remunerationes, et pendens a sola munifica dextera mei agonothetæ Christi. Nam terret ille ignis, qui sopiri non potest, et stridor dentium, et quæcumque alia acerbissima sunt parata iis, qui Deum aspernantur et ei non obediunt. Hæc autem tua sunt mihi plane ludus; et ignis, quem mihi minaris, est vel ipsa aqua frigidior. Ensis autem me afficiet beneficio: me enim mittet ad ea, quæ desidero; et pro hoc quidem sole, qui occidit et cito absconditur, reddet mihi Luciferum *i* illum, C qui numquam occidit et suavem radium emittit et ineffabilem; et pro hac mundana et quæ paulo post non erit, visione, ea quæ sunt firma ac stabilia et perpetuo permanent. Deos autem existimare, lignum et lapidem, et aurum et argentum, quod manus formavit et ars poliit, oculosque et manus et reliqua membra eis insculpsit; quomodo non est magna amentiæ?

τῆς γνώμης βούλοιντο, αἰδεσθῶσιν ἐν τοσούτῳ πλήθει D ἀποστατοῦντες αὐτοὶ μόνοι· ὀλίγους γαρ εἶναι παντάπασιν αὐτοὺς ᾤετο· κἀντεῦθεν ὁμοῦ μὲν τὸν Εὐδόξιον αἰσχύνοι, ἀλλότρια οὕτω τῆς στρατιᾶς πάσης φρονοῦντα· ὁμοῦ δὲ καὶ μόνον εὑρὼν, χρήσαιτο αὐτῷ ὅτι καὶ βούλοιτο. Ἀλλ' ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν, κατὰ τῆς ἐκείνου μᾶλλον κεφαλῆς τὴν μεθοδείαν περιέτρεπε ταύτην· οὔπω γαρ ὁ πᾶς λόγος αὐτῷ εἴρητο, καὶ ὁ γενναῖος Εὐδόξιος· ἐτύγχανε γαρ τότε τὰ παράσημα τῆς ἀρχῆς περικείμενος· τὴν ζώνην εὐθὺς ἀφελὼν τῷ προσώπῳ τοῦ ἄρχοντος ἐπιρρίπτει. Τοῦτο δὲ προτροπὴ τοῖς ἄλλοις ἐγένετο καὶ ζῆλον* καὶ ὁ περιεστὼς ἅπας κατάλογος, τέσσαρες ἐπὶ τοῖς ἑκατὸν καὶ χίλιοι ὄντες, ἀγαθῷ ὑποδείγματι τῷ Εὐδοξίῳ αὐτίκα χρώμενοι, τὰς ζώνας καὶ οὗτοι κατὰ τῶν ἐκείνου ὄψεων ἀπέρριπτουν.

* adde ἀνῆψε

11 Ὑποπτήξας οὖν τὸ πλῆθος ὁ ἡγεμὼν ἀναφέρει Διοκλητιανῷ τὰ τοῦ πράγματος· ὁ δὲ τοὺς μὲν τῆς τοιαύτης τόλμης αἰτίους καὶ ἀρχηγοὺς, βαρυτάτας δοῦναι τὰς τιμωρίας κελεύει· τὴν δὲ περὶ τῶν ἄλλων ψῆφον τῇ βουλῇ ἐπιτρέψαι. Τοιαύτην ἐκεῖνος παρὰ τῆς βασιλικῆς ἀπονοίας τὴν ἐξουσίαν λαβὼν, τὸν γενναῖον Εὐδόξιον τῷ ἑαυτοῦ παραστησάμενος κήματι* · τὰς Μωρὰς, ἔφη, ζητήσεις καὶ ἀντιλογίας καὶ τῆς διανοίας ὁμοῦ καὶ τῆς γλώττης ἀποβαλὼν, θῦσον τοῖς θεοῖς ἑκών· ἐπεὶ καὶ ἄκοντά σε τὸ αὐστηρὸν πάντως τῶν βασάνων παρασκευάσει. Καὶ αὐτίκα δεσμὰ, καὶ πληγὰς, καὶ εἱρκτὴν, καὶ πῦρ, καὶ τἄλλα δὲ τὰ βαρύτατα καὶ πρὸς ἀκοὴν μόνην ἀπηριθμεῖτο. Ἰλιγγιάσατε καὶ ὑμεῖς ἀκούσαντες, οἶδα, καὶ περὶ τῶν ἑξῆς ἀγωνιᾶτε τοῦ διηγήματος· μήτι καὶ ὁ λόγος τὸν ἀθλητὴν ἐθορύβησει. Ἀλλὰ θαρσεῖτε· πλείονα γαρ αὐτῶν μᾶλλον ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἀνάπτει τὴν φλόγα, ὅτι καὶ λαμπρότερος ᾤετο πολλῷ διὰ ταῦτα γενήσεσθει στεφανίτης.

* l. βήματι E

12 Ἀμέλει καὶ πρὸς αὐτὸν ὁ Μάρτυς· Παίζεις ἔχων ἡγεμὼν, ἔφη. Παίδων ἐγὼ ταῦτα ἥγημαι μορμολύκεια, πρὸς τὰς ἐκεῖθεν ὁρῶν ἀμοιβάς· χρίστου ἐκκρεμάμενος. Ὡς ἐμὲ τὸ πῦρ ἐκεῖνο καὶ μόνης τῆς φιλονίμου δεξιᾶς τοῦ ἐμοῦ ἀγωνοθέτου φοβεῖ τὸ ἀκοίμητον, καὶ ὁ τῶν ὀδόντων βρυγμὸς, καὶ τἄλλα ὅσα τοῖς τὸν Θεὸν ἀθετοῦσι πικροτάτη μερὶς ἀπόκειται. Τὰ δὲ σὰ ταῦτα, πανδιὰ πάντως ἐμοί· καὶ τὸ πῦρ, ὅπερ ἀπειλεῖς, καὶ αὐτοῦ ψυχρότερον ὕδατος· τὸ δὲ ξίφος εὐεργετήσει· πέμψει γάρ με πρὸς τὰ ποθούμενα, καὶ ἀντιδώσει τοῦ μὲν δύοντος ἡλίου τούτου καὶ ταχὺ κρυπτομένου τὸν ἄδυτον ἐκεῖνον φωσφόρον, καὶ γλυκεῖάν τινα τὴν ἀκτῖνα καὶ ἀπόρρητον ἀφιέντα· τῆς δὲ κοσμικῆς ταύτης F φαντασίας, καὶ ὀλίγῳ ὕστερον οὐκ ἐσομένης, τὰ ἑστῶτα καὶ εἰσαεὶ διαμένοντα. Τὸ δὲ καὶ θεοὺς νομίζειν τὸ ξύλον, καὶ τὸν λίθον, καὶ τὸν χρυσὸν, ἃ χεὶρ ἐμόρφωσε καὶ περιέξεσε τέχνη, καὶ ὀφθαλμοὺς αὐτοῖς καὶ χεῖρας καὶ τὰ λοιπὰ διέγλυψε μέλη. πῶς οὐκ εὔηθες κομιδῆ καὶ ἀνόητον;

ANNOTATA.

a *Annorum scilicet* 167: *Trajanus enim obiit anno Christi* 117, *Diocletianus vero imperium suscepit anno* 284.

b *Crimen Apris prætorio præfecti, qui imperio inhians Numerianum generum suum per insidias necavit, Metaphrastes male imputat Diocletiano: hic enim non cæde aut tyrannide imperium invasit, sed ab exercitu electus imperator mortem Numeriani ultus est, occiso perduelli Apro. Et prioribus quidem imperii sui annis Diocletianum favisse Christianis, testatur Eusebius lib.* 8 *cap.* 1: *persecutio autem adversus milites inchoata est anno* 298 *secundum Pagium, ac deinde anno* 303 *ad Christianos omnes extensa.*

c Ἐσκέψατο *a verbo* σκέπτομαι *non significat* jussit, *sed* deliberavit, *sive* statuit; *et referri debet ad personam initio periodi, quod etiam exigit subsequens conjunctio copulativa* καὶ et, *quam interpres omisit. Rectius itaque sic vertes*: Ille autem, qui et sciebat latere cum opus esset, et rursus non latere quando hujus rei esset tempus (divina enim aderat gratia docebatque Athletam) sequi viros statuit: et cum uxorem vocasset *etc. Menæa dicunt, satellites suasisse Sancto, ut fugeret: quod licet disertis verbis non expressserit Metaphrastes, colligi tamen potest ex numero præcedente.*

d *Græce*

A d *Græce* λαμπροφορία, *id est,* gestatione facium *vel* splendidæ vestis. *In prima significatione vocem illam adhibet S. Gregorius Nazianzenus oratione* 2 *in Pascha ex interpretatione Jacobi Billii pag.* 676*: pro secundo significatu, nimirum* gestatione splendidæ vestis, *citatur etiam Gregorius in Lexico Joannis Scapulæ col.* 1736. *Cangius ad vocem* Λαμπρὸς *ostendit variis exemplis,* λαμπροφορεῖν *interdum esse* vestibus splendidis, *interdum* albis vestiri ; *et pro hoc adducit locum Gregorii Nazianzeni* p. 157, *apud Billium pag.* 409, *ubi* λαμπροφορία *vertitur Latine* vestitus candor.

A. Metaphraste.

e *Græce* καινοφανῆ, *id est,* noviter apparentem *sive* quæ nova apparet, *a* καινὸς *et* φαίνω. *Vocem illam* καινοφανὴς *in nullo inveni Lexico.*

f *Id est,* coram præside. *P. Matthæus Raderus Societatis nostræ in Historia sacra ex magnis ecclesiæ Græcæ Menæis, quam inter Mss. servamus, eamdem phrasin elogii horum Martyrum* τῷ προσώπῳ *etc. vertit,* in conspectu præsidis abjecit. *Testabantur Christiani illa zonæ abjectione se nolle fidem abnegare, ideoque ultro renuntiare honoribus tum militaribus tum palatinis, quod S. Basilius docet de S. Gordio M. tomo* I *Januarii pag.* 131.

g *Melius sic vertas :* Hoc autem aliis fuit hortamento zelumque accendit; *nam Accusativus* ζῆλον *regi debet ab aliquo verbo, quod omissum est in apographo nostro.*

h *Vide Commentarium num.* 9.

i *Solem justitiæ (nam et* φωσφόρος *apud Suidam est* sol*) Christum nempe, de quo canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis :* Ille, inquam, Lucifer, qui nescit occasum.

CAPUT III.

B *Mirabili constantia et magnanimitate acerbissimos perfert cruciatus; capite damnatus orat Deum, mandata uxori dat, mortemque amico prædicit : Sancti et aliorum martyrium.* E

Ὑπολαβὼν τοίνυν ὁ ἡγεμὼν· Ἔοικεν ἡ τοσαύτη μου, ἔφη, μακροθυμία καὶ ἡμερότης εἰς τοῦτό σε μωρίας καὶ θρασύτητος ἀγαγεῖν· ἀλλὰ τῆς μὲν εἰς ἡμᾶς ὕβρεως τὸ γοῦν ἐφ' ἡμῖν ἀνεξόμεθά σου· τὸ δὲ καὶ εἰς αὐτοὺς τοὺς θεοὺς καὶ τὸν αὐτοκράτορα ὑβρίζοντος ἀνέχεσθαι, ἀλλὰ τοῦτό γε ἠλίθιόν τε καὶ οὐ πόῤῥω μανίας· Εἶτα ὁ Μάρτυς· Ἀλλ' οὐχ ὕβρις, εἶπε, ταῦτα τοῖς ὑγιαίνουσι τὸν νοῦν καὶ μὴ τὰς φρενὰς διεφθορόσι. Τοῦτο σφοδρότερον τὸν ἡγεμόνα ἐκμαίνει· καὶ αὐτίκα κελεύει ἐκ τεσσάρων διαταθέντα τὸν ἀθλητὴν ἱμᾶσι χλωροῖς ὠμότερον τύπτεσθαι. Ἐπειδὴ δὲ καὶ πολὺν ἤδη ξαινόμενος χρόνον, φιλοσοφίαν ἀσωμάτων ἐν σώματι θνητῷ ἐπεδείκνυτο, καὶ καταγελασθέντα τὴν πρώτην αἰσχρῶς ἑαυτὴν * ὁ τύραννος εἶδεν· ὑπανῆκε μὲν τὸν μάρτυρα τῶν πληγῶν, δίδωσι καὶ τῷ δεσμωτηρίῳ.

* imo ἑαυτὸν

Excipiens autem præses : Videtur, inquit, tanta mea lenitas et mansuetudo te ad tantam adducere stultitiam et audaciam. Sed tuam quidem in nos contumeliam, quod ad nos quidem attinet, tolerabimus; ipsos autem deos et imperatorem pati a te contumelia affici, plane est stultum et non multum abest ab amentia. Deinde Martyr : Immo vero, inquit, sunt hæc grata iis, qui sapiunt et non sunt emotæ mentis. Hoc majori furore concitat præsidem, et statim jubet Athletam extensum a quatuor hominibus *a* recentibus loris verberari crudeliter. Cum autem jam diu cæsus incorpoream *b* ostenderet philosophiam mortali corpore , et se primum turpiter irrisum vidisset tyrannus; Martyrem quidem relaxavit a plagis, conjicit vero in carcerem.

Præses frustra loris primum,

a

b

C 14 Τινὰς [δὲ ἡμέρας ἐν φυλακῇ διατριψάμενον] c παρίστησι πάλιν ἑαυτῷ· καὶ εἴπου σέ τις, ἔφη ὁ ἡγεμὼν, μεταμέλεια ἔχει καὶ τῆς μανίας ἐκείνης καὶ τῆς λύσσης ἀνήνεγκας; Καὶ ὁ γεννάδας· οὔπω γοῦν ὡς ὁρῶ φητὰ ἡμέτερα συνῆκας, ἀλλὰ συνήσεις εὖ οἶδ' ὅτι καὶ ὀψιμαθὴς τούτων γενήσει*, ἐπειδ' ἂν πλείονι καὶ τῇ πείρᾳ χρήσῃ, καὶ πικροτέρᾳ περιβάλῃς βασάνῳ. Τοῦτον ἐκεῖνος τὸν μυκτῆρα οὐκ ἐνεγκὼν, ἀλλὰ θερμότερος ἑαυτοῦ πολλῷ τὴν μανίαν γενόμενος, σφαίραις τὸν τένοντα μολιβδίναις συνθλάττει, καὶ ἀναμοχλεύει τούτου τὰ ἄρθρα, ὃ θανάτων ἁπάντων πικρότερον. Προσήγετο τοιγαροῦν τὸ ἄηθες τουτὶ μηχάνημα τῷ ἀθλητῇ καὶ καινόν· ὁ δὲ ὥσπέρ τις ἀνάλωτος ἕστηκε πύργος, μὴ δὲ βραχὺ ταῖς ἐκείνου προβολαῖς διασαλευόμενος. Ὁ ἡγεμὼν τοίνυν, ἐπεὶ μὴ ἔφερεν αἰσχρῶς οὕτω διὰ πάντων ἡττώμενος, θάνατον αὐτοῦ κατακρίνει· ἠγάπα γαρ εἰ καὶ οὕτω τοῦ ἀνδρὸς ἀπαλλαγείη.

c

* γενήσῃ

F 14 Cum autem aliquot dies moratus fuisset in carcere , rursus eum jubet sisti ; et , Num te , inquit præses, aliqua subiit pœnitentia, et resipuisti ab illa rabie et insania? Ille autem generosus: Nondum, inquit, ut video, intellexisti res nostras; sed bene scio fore ut intelligas, et eas licet tarde discas, quando magis fueris periclitatus et me acerbioribus subjeceris suppliciis. Hanc non ferens præses irrisionem, sed longe acriore percitus insania , ferreis * globis conterit cervicem, et ejus emovet articulos, quod quidem est omnibus mortibus acerbius. Adhibita est ergo hæc nova et insolita Athletæ machinatio. Ille autem stabat tamquam turris, quæ non potest expugnari, ne tantillum quidem labefactatus illius insultibus. Præses itaque cum non ferret se tam turpiter ab eo superari, eum morte condemnat: satis enim ducebat, si vel sic ab eo liberaretur.

dein acerbioribus tormentis tentata constantia Martyris, capite eum damnat.

* *imo* plumbeis

15 Πλῆθος οὖν αὐτὸν δημίων παραλαβόντες ἐπειδὴ τὸν τῆς τιμωρίας κατέλαβον τόπον, χεῖρας ὁ μάρτυς καὶ ὄμματα πρὸς οὐρανὸν ἀνασχὼν· Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς, εἶπεν, ὁ προσδεξάμενος Ἄβελ τὴν θυσίαν, Ἀβραὰμ τὰς ὁλοκαρπώσεις, τῶν ἀπ' αἰῶνός σου μαρτύρων καὶ προφητῶν καὶ δικαίων τὰ αἵματα,

15 Cum eum ergo accepisset multitudo lictorum, postquam pervenerunt ad locum supplicii, Martyr manus et oculos simul tollens ad cœlos, Domine Deus, inquit, qui Abelis suscepisti sacrificium, Abrahæ oblationes, eorum, qui fuerunt a seculo, martyrum et justorum sanguinem, longosque labores,

Ductus ad locum supplicii precatur Deum, et uxori dat mandata ;

A. Metaphraste.

et admirabilem tolerantiam; tu quoque nunc benignis oculis meum vide sacrificium, et ne despicias, Domine, hunc paucum propter te effundendum sanguinem, qui ferventissimo animo tibi sacrificatur. Ecce enim, ut vides, animam propter te hodie depono. Deinde rursus adjiciens: Consequantur, inquit, benigne Domine, a te auxilium, qui propter me tuum sanctum nomen invocant. Memento hæreditatis tuæ, quam acquisiisti, et ne eis deficiat, Domine, tua misericordia. Hæc cum Deo dixisset, illinc conversus videt conjugem et eum, quæ ei prius jusserat, revocasset in memoriam et fidem ab ea accepisset, se omnia recte executuram; hoc postremo ei mandat, ut ei fossam fodiat in loco, qui dicitur Amimna *d*, et in eo corpus ejus sepeliat.

d

Zenoni prædicit martyrium,

16 Cum autem eum non parva circumsisteret multitudo, vidit quemdam in medio stantem, nomine Zenonem, ei valde amicum et familiarem, illius mortem plangentem. Cui ille, o chare Zeno, tu quidem, inquit, sat scio, nostram fles separationem; sed Deus, cui ego servio et in quem confido, non nos a nobis invicem sejunget, quos vehemens amicitia B et ardens in ipsum amor conjunxit: sed perinde ac in una scapha nos vitam transmittemus. His Zeno corde accensus et inflammatus sumpsit audaciam, et continuo omnibus videntibus et audientibus se statim esse martyrem * est protestatus. Interim autem dum sic clamabat libere, eum comprehendentes lictores, ut eis jusserat tyrannus, caput illi adimunt. Itaque Eudoxii prædictio tam cito effectum est sortita, et ipse amicum Zenonem statim videt consummatum martyrio.

** l. Christianum, uti habent Græca*

et gladio obtruncatur.

17 Cum sic amico providisset, quoniam eum quoque vox quædam e vestigio vocabat, ipse vero tamquam convivium quoddam mortem poscebat; beato suo capite ensi dato, moritur post amicum *e*. Ejus autem conjux non solum corpore, sed etiam animo, cum vidisset maritum propter Christum interfectum, neque eum neglexit, neque illiberale aut effœminatum aliquid est locuta: sed quamprimum accurrens, in lanæ quidem vellere suscipit Athletæ sanguinem, hoc enim ei mandarat maritus *f*. Cum autem sustulisset corpus, id honorifice sepelit, ubi jussa fuerat, nec alia quidem illius mandata negligens; non quod eum amisisset, sed quod non una cum eo excessisset, reputans viduitatem. C

e

f

Uxoris ejus magnanimitas.

18 Unde etiam ad tyrannum accersita *g*, statim a seipsa accedens, irridebat illius deos et habebat ludibrio, ne ipsum quidem dimittens immunem a contumelia, qui eos sustineret honorare. Sed tu quidem, inquit tyrannus, hæc facis volens a me interfici et studens venire ad Maritum, ut aliquod nomen assequaris apud hos impios Galilæos *h*: ego autem nequaquam tibi mortem afferam, etsi sis digna pluribus mortibus; ne existimes fore, ut id a me assequaris. Illa autem, Cor meum, inquit, videt meus Dominus, et mentem accipit ante facta. Non ergo frustrata sum coronis, quod a te non fuerim interfecta: sed quod prompto animi studio me ipsam sacrificavi, ero cum Marito particeps eorumdem præmiorum, et paribus fruar remunerationibus. Eam, cum hæc dixisset, expellit e tribunali.

g

h

Macarius post generosam fidei confessionem

i

19 Nondum autem transierant septem dies *i*, cum gloriosus martyr Eudoxius in somnis apparens conjugi, jubet ut mittat ad prætorium Macarium, suum familiarem et amicum. Ea autem cum renunciasset Macario visionem, ille quamprimum venit in prætorium. Et eum satellites, quisnam esset, cognovissent, eum statim comprehendunt et ducunt ad præsidem.

καὶ τοὺς μακροὺς πόνους, καὶ τὴν ὑπερφυᾶ καρτερίαν· D αὐτὸς εὐμενεῖ καὶ νῦν ὀφθαλμῷ τὴν ἐμὴν ἴδε θυσίαν, καὶ μὴ ὑπερίδῃς, Κύριε, τοῦ διὰ σὲ μέλλοντος ῥυῆναι μικροῦ τούτου αἵματος, ἐκθερμοτάτης σοι προαιρέσεως καταθυομένου· ἰδοὺ γαρ, ὡς ὁρᾷς, τὴν ψυχὴν διὰ σὲ σήμερον ἀποτίθεμαι. Εἶτα πάλιν προσθεὶς· Ἀπολαυέτωσαν φιλάνθρωπε Δέσποτα, ἔφη, τῆς παρὰ σοῦ βοηθείας οἱ δι᾽ ἐμοῦ τὸ σὸν καλοῦντες ἅγιον ὄνομα· μνήσθητι τοῦ λαοῦ σου, μνήσθητι τῆς κληρονομίας σου, ἧς ἐκτήσω· καὶ μὴ ἐπιλίποι τούτους τὸ παρὰ σοῦ ἔλεος, Κύριε. Ταῦτα διαλεχθεὶς τῷ Θεῷ, τὴν σύζυγον μεταστραφεὶς ἐκεῖθεν ὁρᾷ· καὶ ὧν ἐνετείλατο αὐτῇ πρότερον ἀναμνήσας, καὶ ἀσφαλῆ τὰ πιστὰ λαβὼν, ὥστε καταπράξαι πάντα καὶ πέρας αὐτοῖς ἀγαθὸν ἐπιθεῖναι, τελευταίαν ἐντολὴν αὐτῇ ἐπισκήπτει, τάφον αὐτῷ ἐν τῷ χωρίῳ, Ἄμιμνα καλουμένῳ, ἐπιχῶσαι, ἐν τούτῳ τε αὐτοῦ καταθάψαι τὸ σῶμα.

16 Πλήθους οὖν αὐτὸν οὐκ ὀλίγου περιστάντος, ὁρᾷ τινα μέσον ἑστῶτα Ζήνανα*, φίλον αὐτῷ μάλιστα καὶ συνήθη, πενθοῦντα τὴν ἐκείνου τελευτὴν καὶ κοπτόμενον· καὶ, ὦ φίλε Ζήνων, μὴ κλαῖε, ἔφη· σὺ μὲν γαρ, οἶδα, τὸν ἡμέτερον θρηνεῖς χωρισμόν· ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς, ᾧ ἐγὼ λατρεύω καὶ εἰς ὅν πέποιθα, οὐ διαστήσει ἀλλήλων ἡμᾶς, οὓς θερμὴ πάλαι φιλία καὶ ὁ πρὸς αὐτὸν ἔρως συνῆψεν· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἐφ᾽ ἑνὸς σκάφους οὕτω τὸν E βίον συμπλεύσομεν. Πρὸς ταῦτα ὁ Ζήνων διαθερμανθεὶς τὴν καρδίαν καὶ ἀναζέσας, ἐθάρσησε καὶ Χριστιανὸν εὐθὺς ἑαυτὸν ὑπὸ τῇ πάντων ὄψει καὶ ἀκοῇ ἐμαρτύρει. Ἐν ὅσῳ δὲ οὗτος μετὰ παῤῥησίας τοῦτο ἐβόα, συλλαβόντες αὐτὸν οἱ δήμιοι κατὰ τὸ προστεταγμένον ὑπὸ τοῦ τυράννου, ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀφαιροῦνται· καὶ ἡ τοῦ Εὐδοξίου πρόῤῥησις οὕτω ταχὺ τὸ πέρας λαμβάνει, καὶ τὸν φίλον ὁρᾷ Ζήνωνα τῷ μαρτυρίῳ τελειωθέντα.

* l. Ζήνωνα

17 Οὕτω τὰ τῆς φιλίας πραγματευσάμενος, καὶ τοιούτῳ τέλει τὸν Ζήνωνα τελειωθέντα ἰδὼν· ἐπεὶ καὶ αὐτὸν φωνή τις ἄνωθεν καὶ κατὰ πόδας ἐκάλει, καὶ ὥσπέρ τινα καὶ οὗτος εὐωχίαν ἀπῄτει τὸν θάνατον· ξίφει τὴν μακαρίαν αὐτοῦ κεφαλὴν ἄσμενος δοὺς, ἐπαποθνήσκει τῷ φίλῳ. Ἡ μέντοι ὁμόζυγος οὐ τὸ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ τὴν ψυχὴν, διὰ Χριστὸν ἀναιρεθέντα τὸν ἄνδρα θεασαμένη, οὐ ῥαθύμως εἶδεν, οὐδὲν ἀγεννὲς, οὐδὲ θῆλυ ἐφθέγξατο· ἀλλὰ προσδραμοῦσα τὴν ταχίστην πόκῳ μὲν ἐρίου τὸ ἀθλητικὸν αἷμα δέχεσθει· τοῦτο γαρ ἐντεταλμένον ἦν αὐτῇ παρὰ τοῦ ἀνδρὸς· ἀνελομένη δὲ καὶ τὸν νεκρὸν, ὅπη προστέτακτο αὐτῇ, φιλοτίμως κηδεύει· μὴ δὲ τῶν ἄλλων ἐκείνου ἐντολῶν ἀμελήσασα· οὐχ ὅτι ἀπέλαβε τῷ ἀνδρὶ δεινὴν, ἀλλ᾽ ὅτι μὴ καὶ αὐτὴ συναπῆλθε, τὴν χηρείαν λογισαμένη.

18 Ὅθεν καὶ τῷ τυράννῳ αὐτόκλητος παραστᾶσα διεχλεύαζέ τε τοὺς ἐκείνου θεοὺς, καὶ γέλωτα ἐποιεῖτο, μηδὲ αὐτὸν ὕβρεως ἀφιεῖσα τὸν τὰ τοιαῦτα τιμᾷν F ἀνεχόμενον. Ἀλλὰ σὺ μὲν, ὁ τύραννος ἔφη, ταῦτα ποιεῖς ἀναιρεθῆναι παρ᾽ ἐμοῦ βουλομένη, καὶ φθάσαι τὸν ἄνδρα σπουδάζουσα, ἵνα τινὸς καὶ παρὰ τοῖς ἀσεβέσι τούτοις Γαλιλαίοις ὀνόματος τύχῃς· ἐγὼ δὲ οὐδαμῶς σοι, καίτοι πολλῶν ἀξίᾳ θανάτων οὔσῃ, τὸν θάνατον ἐπαγάγω, μὴ τούτου παρ᾽ ἐμοῦ τυχεῖν οἴου. Ἡ δὲ; Τὴν καρδίαν, εἶπεν, ὁ ἐμὸς Δεσπότης ὁρᾷ, καὶ τὴν γνώμην ἀποδέχεται πρὸ τῶν ἔργων· οὔκουν, ὅτι μὴ ἀνήρημαι παρὰ σοῦ, τῶν στεφάνων ἐξέπεσον· ἀλλ᾽ ὅτι προκατέθυσα ἐμαυτὴν τῇ προθυμίᾳ, τῶν ἴσων ἀμοιβῶν ἀπολαύσομαι. Ταῦτα εἰποῦσαν ἐκβάλλει τοῦ βήματος.

19 Ἑπτὰ δὲ οὔπω παρῆλθον ἡμέραι, καὶ ὁ καλλίνικος Εὐδόξιος ὄναρ ἐπιστὰς τῇ συζύγῳ Μακάριον τὸν συνήθη καὶ φίλον αὐτοῦ πέμψαι πρὸς τὸ πραιτώριον ἐπισκήπτει· τῆς δὲ τὰ τῆς ὄψεως τῷ εἰρημένῳ Μακαρίῳ ἀπαγγειλάσης, τὴν ταχίστην ἐκεῖνος παρὰ τὸ πραιτώριον ἔρχεται· καὶ γνόντες αὐτὸν οἱ τῆς τάξεως, ὅστις εἴη, συλλαβόντες εὐθὺς ἄγουσι πρὸς τὸν

A τὸν ἡγεμόνα. Καὶ αὐτίκα τὴν θρησκείαν ἐκεῖνος καὶ τὸ γένος ἠρώτα· ὁ δὲ; Χριστιανός εἰμι, Χριστοῦ δοῦλος, πρὸς αὐτὸν ἀπεκρίνατο. Ἑλλήνων δὲ θεῶν καὶ τῆς βαθείας περί αὐτοὺς ἀπάθης* πάλαι καταφρονεῖν μεμάθηκα, τοῦτό με τοῦ θαυμαστοῦ Εὐδοξίου διδάξαντος· ἔνθέν τοι καὶ τῷ ἀληθινῷ Θεῷ θυσίαν ἐμαυτὸν θύειν ἐπείγομαι, δἰ ἧς δυνήσομαι καὶ τὸν κύριον μού Εὐδόξιον ταχέως καταλαβεῖν.

* l. ἀπάτης

20 Ὁ ἡγεμὼν τοίνυν ὡς τὸ τοῦ Εὐδοξίου ἤκουσεν ὄνομα, καὶ τοῦτον ἐκείνου μαθητὴν ἔγνω· τοῖς ὅλοις εὐθὺς ἐξαπορηθεὶς, ᾔδει γαρ ὡς οὐδὲν ἐν τῷ μαθητῇ πλέον ἀνύσειεν, ἐν τῷ διδασκάλῳ τοῦτο μαθών· Καὶ ὁ κακοδαίμων, εἶπεν, οὗτος Μακάριος ξίφει τὴν μιαρὰν κεφαλὴν τὸ τάχος ἀφαιρεθήτω. Καὶ αὐτίκα οἱ δήμιοι τὰ προστεταγμένα ἐποίουν· οὕτω Μακάριος ὡς ἀληθῶς ὁ μακάριος γίνεται καὶ τῷ τῶν πρὸ αὐτοῦ μαρτύρων χορῷ κατατάττεται. Καὶ τοιοῦτον οἱ γενναῖοι κατὰ τοῦ κοινοῦ τῆς φύσεως πολεμίου ἔστησαν τρόπαιον, ἐν αὐτῷ Χριστῷ, Πατρὶ, καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ Πνεύματι· ὅτι αὐτῷ πρέπει δόξα, κράτος, τιμὴ, καὶ προσκύνησις, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν.

Ille autem statim cum interrogavit, quænam ejus esset religio, et quod genus. Is vero; Sum, respondit, Christianus: deos autem gentium *k* et profundam eorum deceptionem jam olim didici contemnere, cum me hoc admirandus docuisset Eudoxius Hinc fit, ut ego contendam meipsum sacrificare hostiam vero Deo, per quod potero cito ad dominum meum pervenire Eudoxium.

A. Metaphraste.

k

20 Præses autem postquam nomen audivit Eudoxii, et hunc cognovit esse illius discipulum; ille mirandum, in modum animi dubius, sciebat enim, se nihil amplius effecturum in Discipulo, quam fecisset in Magistro; Huic quoque, inquit, infelici Macario sceleratum caput ense quamprimum amputetur. Lictores autem protinus fecerunt, quæ jussi fuerant. Sicque Macarius fit re vera macarius, quod est beatus *l*. Et hi generosi Viri tale trophæum erexerunt adversus communem hostem naturæ, in ipso Christo Deo, et Patre principii experte, et sancto et bono Spiritu; quoniam eum decet gloria et potentia, honor et adoratio nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

gladio itidem necatur.

l

ANNOTATA.

B E

a *Martyris latera præcipue hoc cruciatu affecta fuisse, tradunt Menæa magna;* ταθεὶς ἐκ τεσσάρων ὁ θεῖος, Εὐδοξίος τύπτεται τὰς πλευρὰς καὶ ξέεται; *quod Raderus noster ita vertit :* S. Eudoxius, manibus pedibusque extentis, in lateribus verberatur et laceratur.

b *Græce* ἀσωμάτων, angelicam : *Cangio enim col.* 30 *in Appendice ad Glossarium,* ἀσώματοι *sunt* angeli. *Metaphrastes significare vult, opinor, mirabilem fuisse Martyris patientiam et fortitudinem humana majorem.*

c *Verba uncis inclusa supplevi ex Latina versione, deerant enim in apographo nostro.*

d Amimna *quis locus fuerit, apud geographos non inveni. Menæa tantum habent* ἄμνημον τάφον, *quod citatus Raderus* monumentum humile *interpretatur.*

e *In Menæis dicitur capite truncatus* μετὰ τοῦ φιλτάτου αὐτοῦ Ζήνωνος.... ἀποτμηθέντος ξίφει τὴν αὐτοῦ κεφαλὴν μετὰ τῶν λοιπῶν σὺν τῷ ἁγίῳ Εὐδοξίῳ ἁγίων μαρτύρων, *id est,* una cum carissimo sibi Zenone.... qui gladio occubuit cum reliquis Eudoxii sociis et martyribus, *videlicet Militibus* 1104, *quos postea eodem mortis genere secutus est* S. Macarius, *uti narratur numero ultimo.*

f *Potuit uxor ex pietate et reverentia sanguinem mariti colligere ; sed verisimile non est, Martyrem id mandasse.*

g *Græca non dicunt, accersitam fuisse : sed* αὐτόκλητος παραστᾶσα, *id est,* ultronea se sistens.

h *Christianos per contemptum* Galilæos *appellabant ethnici, quo convitio dein sæpe usus est Julianus apostata. Videri possunt Macri in Hierolexico.*

i *Menæa habent :* Ἑπτὰ δὲ ἡμερῶν παρελθουσῶν, *id est,* septem diebus elapsis.

k Ἑλλήνων *proprie sonat* Græcorum; *sed hic, ut alibi sæpe, significat* gentilium *seu* ethnicorum.

l *Apographum nostrum Græcum addit sequentia :* Et illorum, qui ante ipsum passi fuerant, Martyrum choro inseritur; *quæ apud Lipomanum et Surium omissa sunt.*

C F

A D

DE SS. MARTYRIBUS

CENSURINO PRÆFECTO, CYRIACO (ALIAS QUIRIACO) EPISCOPO

MAXIMO PRESBYTERO, ARCHELAO DIACONO

AUREA MULIERE, FELICE, MAXIMO, TAURINO, ERCULANO VEL HERCULANO VENERIO, STOROCINO, MENNA, COMMODO, HERMETE MAURO, EUSEBIO, RUSTICO

MONACHIO, AMANDINO, OLIPPIO CYPRIO MILITIBUS

ET THEODORO TRIBUNO

OSTIÆ IN LATIO

B E

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Herculano, qui hodie in Martyrologio Romano annuntiatur, antiqua Martyrologia jungunt Taurinum : reliqui aliis diebus commemorati tam apud Græcos quam Latinos : reliquiæ quorumdam alio translatæ.

An. CCLII. *Herculano socius in Fastis antiquis jungitur Taurinus,*

Dum occasione S. Herculani martyris, quem hodie sine ullis sociis in Portu Romano annuntiat Martyrologium Romanum, antiquos Fastos et maxime Hieronymianos attente perlustro, clare deprehendo ex consensu multorum apographorum, quæ S. Hieronymi nomen præferunt, consentiente etiam antiquissimo fragmento, quod edidit Bucherius, Herculano socium jungendum C esse S. Taurinum, ut etiam Castellanus advertit in addendis ad Martyrologium universate pag. 979. Hi enim duo in omnibus fere Hieronymianis hodie occurrunt, et Portui Romano in plerisque attribuuntur, atque idcirco eos sic annuntiavit Rabanus: In Portu Romæ natale Taurini, Eraculani, lege, Erculani vel Herculani. Porro ubi omnem de Taurino dubitationem deposueram, progressus sum ad atia nomina, quæ in quibusdam Apographis juncta leguntur prædictis duobus, videlicet ad Aristosum, qui in tribus aut quatuor exemplaribus habetur; ad Heroum, qui in soto Corbeiensi, et ad atios quosdam evidenter a loco suo avulsos, aut hoc die repetitos.

in Actis vero adduntur plures alii:

2 At nullum ex eis spectare ad Herculanum ac Taurinum credidi: atque in firmius mihi persuasi, quando pervolvi Acta iltorum omnium, quos in titulo recensui: nam Herculanum ad Martyres itlos Ostienses spectare antea nesciebam, quod solus in Portu Romano annuntiaretur, quodque ex antiquis Fastis nullus ei jungendus videretur nisi Taurinus. Verum post Acta, quæ antiqua videntur et bonæ notæ, diligenter perlecta discussaque, clare perspexi Taurinum et Herculanum vel Erculanum, ut in Actis nomen exprimitur, multorum aliorum Martyrum esse Socios, nec passos esse in Portu Romano, sed in civitate vicina, seu Ostiæ. Clara quoque ex prædictis Actis est ratio, cur in Portu Romano, et seorsum ab aliis Sociis, hi duo legantur commemorati in Martyrologiis, nimirum quia hi duo in Portu Romano sepulti sunt, ut dicitur infra in Actis num. 18, reliquis omnibus Ostiæ aut prope Ostiam sepultis. F

horum nomina in Menæis expressa,

3 Jam vero, priusquam de fide Actorum plura disputo, breviter observo, Martyres omnes, quos in titulo recensui, Latinis Græcisque Fastis adscriptos legi, sed nullibi sine erroribus, ita ut mihi prorsus persuadeam, non paucos errores ex Actis dandis posse emendari. In Græcis Menæis laudati Sancti habentur ad XXX Januarii, ut ibidem in prætermissis apud nos observatum est : sed variorum nomina luxata sunt, et solus ibi omissus est Taurinus. Contra adjectus est Sabaïnus quidam, tamquam S. Aureæ famulus, de quo in Actis nostris nulla est mentio. Verum Sabaïnus ille comparet in Actis S. Aureæ, apud nos datis ad XXIV Augusti, ibique vocatur Sabinianus. At jam ibidem advertit Pinius noster, Acta illa S. Aureæ maxime vitiosa esse, fabulisque et erroribus inquinata. Ex horum vero lectione satis patebit, Acta S. Aureæ, quorum varia exemplaria enumerantur ibidem in Commentario prævio num. 9 et 10, ex hisce quidem composita videri, sed ab impostore quodam muttis aucta esse figmentis, ut martyrium S. Aureæ multis exornaretur adjunctis.

4 Martyrologium

atque iidem in Martyrologio Romano annuntiati :

A 4 *Martyrologium Romanum Martyres nostros habet ad* XXIII *Augusti, sed trium dumtaxat ex præcipuis exprimuntur nomina hoc modo :* Apud Ostia Tiberina sanctorum martyrum Quiriaci episcopi, Maximi presbyteri, Archelai diaconi, et Sociorum, qui sub Ulpiano præfecto tempore Alexandri passi sunt. *Non caret errore hæc annuntiatio, ut probabo inferius. Interim observo, omnes Martyres in titulo præpositos nomine* Sociorum *comprehendi. Inter hos Socios etiam est* Aurea, *quæ in iisdem Fastis ad* XXIV *Augusti ex vitiosis Actis ita commemorata est a Baronio:* Apud Ostia Tibernia sanctæ Aureæ virginis et martyris, quæ, saxo ad collum ligato, in mare demersa est : cujus corpus ad littus ejectum beatus Nonnus sepelivit. *Plures in hisce verbis sunt errores, ut infra ex Actis fiet clarum. Inter Socios demum dictorum Martyrum sunt* Herculanus *hodie seorsum in Romano positus, et* Taurinus *ei in Hieronymianis additus, de quibus jam satis disserui. Porro datæ annuntiationes Martyrologii fecerunt, ut Majores nostri de* SS. Quiriaco, Maximo, *et* Archelao *disputaverint ad* XXIII *Augusti, de* S. Aurea *vero ad* XXIV, *ubi et* B *Acta ejus vitiosa sunt data. Ex hisce autem Actis, cum dandis infra collatis, clare patet in utrisque de eadem agi* Aurea, *cum iisdem utrobique jungatur Martyribus, atque in eadem civitate dicatur passa. Dubium quoque non est, quin idem sit* Herculanus *in Martyrologiis et in Actis, cum in illo loco commemoretur in Martyrologiis, quo sepultus dicitur in Actis.*

quorumdam corpora Parmæ servari dicuntur.

5 *Corpora quorumdam ex hisce Martyribus sibi attribuunt Parmenses, quin et cathedralis eorum ecclesia olim* Herculano *erat dicata. Audiamus Ughellum tom.* 2 *Ital. sac. col.* 142 : Templum, olim D. Herculano dicatum Pascalem II in Deiparæ Assumptæ memoriam consecrasse, vetus marmorea inscriptio refert : " Templum hoc olim D. Her" culano dicatum Paschalis II P. M. ritu solemni "in Parmensium gratiam AssumptæVirgini ille ipse consecravit VI Kal. Octob. MCIV ". In eo requiescere pia Parmensium devotio, vetustaque memoria narrat corpora SS. Herculani patroni, qui in Portu Romano die V Septembris martyrio coronatus est,... Quiriaci, Maximi, Archelai martyrum, Aureæ virginis etc. *De iisdem meminit Orlendius in Orbe* C *sacro et profano part.* 2, *lib.* 2, *cap.* 10, *num.* 2. *De hisce jam quædam sunt dicta ad* XXIII *Augusti in* SS. Quiriaco *et Sociis; et alia quædam ad* XXIV *in* S. Aurea, *quæ* Virgo *vocatur cum Martyrologio Romano et Actis corruptis ibi datis, quamvis ex Actis hic dandis de virginitate ipsius non constet. Demum utroque loco nonnulla ex antiquis Martyrologiis de hisce Martyribus collecta sunt, quæ hic prætermittenda censui, quia ad martyrii historiam parum faciunt.*

§ II. Tempus martyrii : Actorum fides probata, maxime ex eorumdem consensu cum historia temporis.

Martyres hi passi sunt sub Gallo anno 252 :

T*empus martyrii, de quo Acta vitiosa varie loquuntur, clarissime in Actis nostris exprimitur. Quippe hi Martyres sub Gallo imperatore, qui sævissimam anno* 252 *movit persecutionem, passi leguntur, et coronati Nonis Septembris. Itaque nec sub Alexandro passi sunt, ut credidit ex conjectura Baronius cum Actis quibusdam vitiosis; nec sub Claudio, ut habent alia Acta æque corrupta et interpolata, sed sub Gallo et Volusiano, et jam dicto anno* 252, *quo gravissima illa, sed brevis, contra Christianos persecutio Romæ præsertim, ubi tunc degebat Gallus imperator, et in ejus vicinia desæviit. Persecutionem inchoatam esse anno* 252, *passim scriptores consentiunt, et quidem sub finem mensis Junii cœptam, vult Plagius in Critica ad hunc annum num.* 10. *Cum porro Gallus anno sequenti interierit ante mensem Septembrem, et imperium susceperit post mensem Septembrem anni* 251, *undique certissimum videtur, Martyres nostros anno* 252 *fuisse passos. Quippe Acta laudata, quorum apographum notatur desumptum* ex manuscripto serenissimæ reginæ Sueciæ in 4º., *sincera esse nunc ostendere incipio.*

sævissima tunc fuit persecutio, ut habent Acta,

7 *De persecutione Galli ita scribit Eusebius lib.* 7 *Historiæ ecclesiasticæ cap.* I : Decio simul cum liberis interfecto, cum secundum imperii annum necdum explesset, Gallus in ejus locum E succedit... Dionysius *(Alexandrinus eo tempore episcopus)* in epistola ad Hermammonem de Gallo imperatore ita scribit : Sed neque Gallus culpam Decii intellexit; nec prospexit, quid tandem illum pessumdedisset. Quin potius ad eumdem lapidem ante oculos suos positum impegit: qui, cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, viros sanctos, qui pro pace et incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est. Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit. Hæc de Gallo Dionysius. *Hisce initium Actorum exactissime consentit. Quæ vero in Actis adduntur de sævitia persecutionis in Urbe Romana, confirmari possunt ex Epistolis S. Cypriani, qui non solum loquitur de persecutione vigente, sed eamdem etiam prædixit in Epistola ad Thibarinos. Est hæc in novissima editione* 56, *atque inter alia sic habet:* Scire enim debitis et pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput esse cœpisse .... Gravior nunc et ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta et virtute robusta parare se debeant milites Christi, considerantes idcirco se quotidie calicem Sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi F propter Christum sanguinem fundere.

et probatur ex S. Cypriano : edictum etiam fuit propositum:

8 *Hæc autem dici de persecutione Galli, colligitur ex Epistola* 54 *ad Cornelium Papam* de pace lapsis danda. *Cum enim S. Cornelius in persecutione Galli occubuerit, cumque Cyprianus moneat pacem esse dandam seu communionem lapsis in persecutione Decii, Epistola hæc scripta est ante persecutionem Galli, et finita persecutione Deciana. Porro in hac ad Cornelium epistola ter repetit, se visionibus divinitus moneri de gravissima persecutione instante. Pauca huc transfero :* Placuit nobis, sancto Spiritu suggerente, et Domino per visiones multas et manifestas admonente, quia hostis imminere prænuntiatur et ostenditur, colligere intra castra milites Christi, examinatis singulorum causis, pacem lapsis dare, immo pugnaturis arma suggerere. *Et infra :* Nos, quod fidei et caritati et sollicitudini congruebat, quæ erant in conscientia nostra protulimus, diem certaminis appropinquasse, hostem violentum cito contra nos exsurgere, pugnam non talem, qualis fuit, sed graviorem multo et acriorem venire. Hoc nobis divinitus

AUCTORE J. S.

divinitus frequenter ostenditur, de hoc nos providentia et misericordia Domini sæpius monemur etc.. *In sequenti ad Cornelium epistola meminit de* edicto proposito, *quo* sacrificia... celebrare populus jubebatur, *ita ut dubitare nequeamus, quin persecutionem præcesserit aut comitatum sit Galli edictum, sicut etiam in Actis asseritur.*

in hac persecutione unus primo impetitus,

9 *Mitto alia multa, quæ de eadem persecutione diversis locis scripsit S. Cyprianus, et solum huc transfero, quæ in ultima epistola ad Cornelium tunc pro fide exsulem ad propositum nostrum memorat. Commendat mirifice liberam Cornelii et Romanorum fidei confessionem, aitque totam Romanam Ecclesiam uno animo confessam esse, atque hæc subjicit:* Prosilierat adversarius terrore violento Christi castra turbare. Sed quo impetu venerat, eodem impetu pulsus et victus est; et quantum formidinis et terroris attulit, tantum fortitudinis invenit et roboris. Supplantare se iterum posse crediderat Dei servos, et velut tirones et rudes, quasi minus paratos et minus cautos, solito suo more concutere. B Unum primo aggressus, ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat. Nam cui non est adversus omnes satis virium, circumvenire quærit solitudinem singulorum. Sed retusus adunati exercitus fide pariter et vigore, intellexit milites Christi vigilare jam sobrios et armatos ad prælium stare, vinci non posse, mori posse; et hoc ipso invictos esse, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes, . . . sed prompte et animas et sanguinem tradere *etc. Hæc sufficiunt, ut pateat de persecutione Galli non minus vera dici in Actis, quam de Gallo ipso et Decio; atque hic Actorum tam accuratus cum historia istius temporis consensus fidem eorum mirifice commendat.*

quod forte dixit Cyprianus de S. Censurino,

10 *Præterea stylus Actorem simplex est et exaggerationibus caret, totaque martyrii historia sic relata, ut finis initio recte congruat. Nonnullæ quidem reperiuntur in Actis sermocinationes, sed eæ et breves sunt et tales, ut minime recedant a verisimilitudine. Mirari quoque non possumus Gallum ipsum loqui cum* Censurino, *ut eum a fide avertat, modo consideremus digni-* C *tatem præfectoriam* Censurini. *Quin imo non improbabilis oriri potest suspicio,* Censurinum *designari a S. Cypriano, dum dicit:* Unum primo aggressus *etc. Neque enim iis verbis significari ipsum Cornelium Papam existimo, cum* ovem *vocet, non* pastorem, *ut Cornelium haud dubie nominasset. Itaque cum ex Actis constet,* Censurinum *singulari colloquio ab imperatore tentatum esse, cumque verisimiliter Gallus virum quempiam eminentis dignitatis primo aggredi voluerit, ut exemplum viri præstantis plures moveret, non inepta videtur hæc suspicio. Obstare tamen tali suspicioni videtur, quod* Censurinus *num. 3 dicatur Sanctis in carcere ministrasse. Verum incertum est, an id fecerit tempore persecutionis Galli: nam id etiam fieri potuit, Decio Ecclesiam persequente, atque eo casu primus esse potuit* Censurinus, *quem Gallus fidei causa carceri mancipavit. At res incerta est, cum neminem nominaverit Cyprianus; ideoque certo dici nequit, utrum primus, an post alios sub Gallo confessus sit* Censurinus.

qui præfecturam gessit.

11 *Æque est incertum, quam gesserit præfecturam* Censurinus, *licet nulla non congruat familiæ* Censurinæ, *quæ antiqua erat et potens eo* D *tempore, ut colligitur ex Trebellio Pollione in libro de Triginta tyrannis cap. ult., ubi de Censorino per milites ad imperium evecto et deinde occiso sic habet:* Censorinus, vir plane militaris et antiquæ in curia dignitatis, bis consul, bis præfectus prætorii, ter præfectus urbis, quarto proconsul, tertio consularis, legatus prætorius secundo, ædilitius quarto, quæstorius tertio, extra ordinem quoque legatione Persica functus, etiam Sarmatica. *Si ille Censorinus sub imperio Claudii II, seu circa annum 269, tot præfecturas administraverat, mirum videri non poterit, si* Censurinus *noster, qui verisimiliter ex eadem fuit familia, præfectus urbi fuerit aut prætorio; id tamen certo dici nequit, cum et multæ aliæ fuerint præfecturæ, quarum minor erat dignitas, minorque potestas. Urbis præfecti istius temporis sunt fere incogniti, ideoque minus sciri potest, an urbis præfectus fuerit Sanctus. Verba Galli ad ipsum in Actis num. 5:* Ne... fama careas, qua hactenus rempublicam nobilissime gubernasse ab omnibus prædicaris; *innuunt insignem quamdam præfecturam; at certos nos non faciunt de administrata a* Censurino *præfectura Urbis. Menæa Græca* Præfectum prætorio *fuisse asserunt; at tantæ auctoritatis non sunt, ut rem faciant certam. Quapropter nihil certi de alterutra præfectura statuendum censeo, et Acta debitis annotationibus illustrata subjungo.* E

ACTA

auctore anonymo,

Ex Ms. codice serenissimæ reginæ Sueciæ in 4[to].

CAPUT I.

Exorta persecutione Galli, comprehenditur Censurinus præfectus, qui interrogatur, constansque in fide Ostiam mittitur; hic carceri traditus invisitur ab aliis: custodes carceris miraculo conversi. F

Excitata gravi persecutione Gallo imperatore,

Postquam *a* impiissimus imperator Decius *b*, non totis duobus annis principatu Romani apicis administrato, rebus humanis exemptus est, Gallus suscepit imperium, cui regnum cum floreret in initio, et cuncta ei ex sententia cederent, ipse prosperitatem suam pariter fugavit et pacem, ex eo quod sanctos viros, qui pro pace regni ejus Deo jugiter supplicabant, persequi decrevit. Tanto quippe in Christianos furore exarsit, ut proposito edicto penitus de terra nomen eorum deleri juberet *c*. Cujus persecutionis immanitas plurimos Romæ Christo Domino martyres procuravit; quorum alii ferarum morsibus laniati, alii in Tyberis alveum demersi, alii ignibus concremati, quidam gladio occisi, non nulli vero exilio

A exilio deportati, susceptum contra diabolum sanctæ fidei agonem victoriosissime consummarunt. Nec minus puniebatur, si quis inventus est aliquem Christianorum apud se latitantem celasse; sed eisdem, quæ Christianis decreta erant, tormentis subactus, etiam præmii eorum creditur obtinuisse consortium *d*, Domino promittente atque dicente : Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.

Censurinus præfectus ipsi defertur ut Christianus :

2 Erat ea tempestate vir quidam præfectoriæ potestatis occulte Christianus, nomine Censurinus, qui pro loco officii sui imperialibus obsequiis abesse non valens, specie tantum his insistebat, re autem vera Domino non ficte serviebat : siquidem jejuniis, orationibus et eleemosynis die noctuque operam dabat, Sanctisque in carcere positis *e* ministrans, multos ex eis, quos acerbitas pœnarum superasse videbatur, ut carnificibus cedere deberent, confortationibus suis retinuit et in fide Christi perseverare perfecit. De quo cum delatus esset apud imperatorem, interrogatus est ab eo, si hæc ita haberentur.

interrogatusque fidem libere confitetur

3 At ille nihil dubitans Christianum se esse respondit, et contemptis idolis, unum Deum colere, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Imperator dixit : Cum unum Deum colere te dixisses, quomodo nunc tres nominasti? Beatus Censurinus respondit : Fides Christiana horum trium, quos audisti, Patris et Filii et Spiritus sancti, ita divisionem in personis confitetur, ut tamen unitatem substantiæ non dividat, quæ adeo in eisdem personis eadem semper est, ut cum sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, nulla tamen earumdem personarum aliud sit quam est alia; sed totæ tres personæ unus est Deus æternus, incomprehensibilis, immortalis, omnipotens, neque initium neque finem ullum habens.

coram imperatore,

4 Imperator dixit : Et quomodo dicitis Christum, quem confitemini Deum vestrum, et natum esse et passum, mortuum atque sepultum; si, ut nunc asseris, Deus vester neque initio cœpit neque fine concluditur? Censurinus dixit : Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, Deus pariter et homo est, ante secula quidem genitus ex Patre, nec tamen gignente inferior, in fine vero seculorum natus ex Maria Virgine, nostræ dignatus est fieri particeps naturæ, in qua pro C nostra salute pati ac mori potuisset. Quadam enim justitia Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, primorum debito parentum universos posteros obligante, hoc solo excepto, in quem Mater nullam successionem maculæ hujus transfudit; quia sacer ejus partus penitus erat immunis ab omni delectatione carnali, propter quam *f* cum originali peccato nascuntur omnes, qui ex utriusque sexus copula procreantur, pro quibus hac ratione effusus est sanguis Christi nullum omnino peccatum habentis; ut quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obstrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit.

invitatusque ad sacrificandum idolis constanter renuit :

5 Ipsam autem mortis injuriam non pertulit illa Divinitatis Christi substantia, sed sola humanitatis susceptæ natura, solo etiam corpore *g* positus est in sepulchro, de quo tertia die resurgens, post aliquot dies videntibus discipulis ascendit in cælum et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, quem expectamus inde ad diem judicii venturum, ut judicet vivos et mortuos et seculum per ignem. Imperator dixit : Desine jam hujusmodi inaniloquiis tempus occupare, et accedens sacrificia diis, ne et familiaritatis apud nos locum perdas et fama careas, qua hactenus rempublicam nobilissime gubernasse ab omnibus prædicaris. Censurinus respondit : Vere te ex illis ostendis esse, de quibus Apostolus dicit, quod ab auditu verbi Dei aures avertant, qui non solum pia Christi gesta audire contemnis, sed etiam saluberrimam de eis suggestionem inaniloquium reputasti; sed nisi resipueris, sermo ipse, quem abjecisti, judicabit te in novissimo die, sicut in Euangelio contemptoribus suis Dominus minatur, a cujus veneratione nec gratiæ tuæ, nec ullius humani favoris appetitus ad idolorum cultum me umquam inflectet, quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem noster cælos fecit : infelices autem sunt, ut sacra *h* dicit, qui appellaverunt deos opera manuum hominum; quia quod fit idolum maledictum est, et ipsum et qui fecit illud.

carceri impositus, invisitur a Maximo, Archelao et Aurea ;

6 Tunc iratus imperator jussit illum civitatem Ostiam *i* deduci, quinto decimo miliario ab urbe Roma positam, et ibidem vinculis alligatum custodiæ mancipari. Erant autem in Ostia civitate Maximus presbyter et Archelaus diaconus E et cum eis quædam Dei famula, nomine Aurea. Hi assiduæ servitutis Dei merito tantam virtutum gratiam obtinebant, ut signa et mirabilia per eos plurima in nomine Domini Jesu quotidie fierent. Cum ergo beatus Censurinus positus esset in custodia, prædicti famuli Christi, Maximus presbyter et Archelaus diaconus, una cum sancta Aurea impetraverunt a custodibus, cum eo colloqui permitterentur.

solutis divinitus vinculis Censurino, milites carceris custodes,

7 Sermocinantibus autem eis et in hymnis et orationibus Dominum collaudantibus, subito nutu divino soluta sunt vincula, quibus S. Censurinus fuerat alligatus. Quo facto vehementer obstupefacti custodes, invicem conferunt, quænam esset virtus, per quam hæc repentina vinculorum solutio invisibiliter fiebat? Erant quidem ex ipsis custodibus numero decem et septem *k*, quorum nomina hæc sunt, Felix, Maximus *l*, Taurinus, Erculanus *m*, Venerius *n*, Storocinus *o*, Menna *p*, Commodus, Hermes, Maurus, Eusebius, Rusticus, Monachius *q*, Amandinus *r*, Olippius *s* Cyprius *t* et Theodorus tribunus.

miraculo illo attoniti, et exhortatione

8 Qui cum starent attoniti de miraculo solutorum insueto more vinculorum, beatus presbyter Maximus inspiratione divina afflatus, superno respectu animoseque præventos intelligens, F salutari eos doctrina cœpit instruere, dicens : Audite me, fratres, de quo dicit Propheta, quod venerit in lucem gentium, ut sit salus earum usque ad extremum terræ, ut dicat his qui vincti sunt : Exite, et qui in tenebris : Revelamini *u*? Qui cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, cunctisque debilitatibus hominum congrua adhibuit levamina, dæmones effugavit, super mare ambulavit, mortuos suscitavit, multisque aliis operibus, quæ nemo alius facere potuit, verum secundum omnipotentiam de cælis descendisse et dispensationem humanæ salutis per carnem suam explesse comprobavit. Qui nos ad tolerandas pro nomine ejus injurias et pœnas persecutionum in Euangelio suo confortat, dicens : Beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, gaudete in illa die et

A. ANONYMO. et exultate, quoniam merces vestra multa est in cælo. Et alibi dicit : Eritis odio omnibus propter nomen meum, qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit; itemque promittit dicens : Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodit eam.

Maximi presbyteri magis excitati,

9 Hinc Apostolus ejus Petrus ait : Karissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit : nec excedatis tamquam novi vobis aliquid contingat; sed quotiescumque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, ut et in revelatione claritatis ejus gaudentes exultetis : si improperatur vobis in nomine Christi, beati estis quia majestatis et virtutis Domini nomen in vobis requiescit. Plus etiam nos accipere in passionis mercede, quam quod hic sustinemus in ipsa passione, probat apostolus Paulus, dicens : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in vobis. Item dicit Propheta : Oculus non vidit absque te, quæ præparasti expectantibus te. Sed vos, fratres, horum melius capaces eritis, si ex toto corde vera esse omnia, quæ de Christo commemorata B sunt, credentes, deinceps etiam animum præparetis ad suscipiendum plenius fidem, quam ad Deum habemus.

instrui cupiunt ad fidem suscipiendam.

10 Tunc omnes pariter milites, qui custodiebant beatum Censurinum, jactantes se ad pedes beati Maximi presbyteri, et eorum, qui cum ipso erant, cum lachrymis aiebant : O lugendam nobis vitam, quam hucusque transegimus, in qua nullus unquam nobis istam salutis viam ostendit, quam vos secure ac feliciter gradientes, ita Deo appropinquastis, ut sicut ille est omnipotens, sic et vos per gratiam ipsius totius boni effectus possibilitatem habeatis! Ecce enim solo voluntatis vestræ nutu, tanta celeritate vincula ista dissiluerunt, ut nulla hominum festinatione tam cito solvi potuissent. Quapropter optamus nos instrui, qualiter cognitionem ejus primo percipere, ac deinde in ejus famulatu permanere debeamus, in cujus nomine tanta miracula faciendi mira gratia præditi estis.

præmissoque jejunio et instructione triduana,

11 Sanctus Maximus respondit : Quia Deo largiente mentis oculos ad veram lucem fidei Christianæ aperire cepistis, ne pigeat jam vel triduano C jejunio eosdem plenius expurgare a sordibus, quibus eos propter spurcissimos idololatriæ ritus obfuscari inevitabile fuit. Triduo autem expleto, in nomine sanctæ Trinitatis, Patris videlicet et Filii et Spiritus sancti, percipietis sacrum baptisma, per quod ab omnibus peccatorum contagiis abluti, spiritali generatione, quæ per ipsum baptisma agitur, filii Dei efficiemini. Ad hæc milites, propere jejunio suscepto, toto triduo fide Domini catechizabantur.

baptismi Sacramentum, ac deinde confirmationis et Eucharistiæ suscipiunt.

12 Quo expleto, baptismi gratiam per beatum Maximum perceperunt, et a fonte sacro eos beata Aurea suscepit. Adveniens etiam beatus Cyriacus episcopus, fidei verbo eos confirmavit, et sacro Chrismate consignavit, et participati sunt omnes sacrosancta mysteria Corporis et Sanguinis Domini : cœperuntque primitivæ Ecclesiæ ducere vitam, abjectis videlicet omnibus mundi commerciis, in timore Domini et sancta conversatione unanimiter permanere : sed et in signis atque miraculis supparem quodammodo gratiam habentes, vitam suam cunctis quotidie gratificabant.

D

ANNOTATA.

a *Titulus hisce Actis præfixus est talis :* Passio sanctorum martyrum Censurini præfecti, Cyriaci episcopi, Maximi presbyteri, Archelai diaconi, Taurini et Erculani militum, cum sociis eorum. *Quod ex Militibus* Taurinus *et* Erculanus, *tam in Actis hisce quam in apographis Hieronymianis, soli nominatim commemorentur, quemadmodum soli sepulti sunt in Portu Romano; nonnullam præbet suspicionem, scriptorem horum Actorum Portuensem fuisse, cum videatur sepultos in Portu præ sociis Militibus honorare voluisse etiam in fine Actorum, ubi duorum illorum sepulturam primo refert.*

b *Decius imperium adeptus est anno* 249, *et occisus in prælio contra Gothos anno* 251. *Eum non regnasse duobus integris annis, affirmat etiam Eusebius laudatus in Commentario num.* 10, *aliique plures, quos huc non transfero. Verumtamen Pagius in Critica ad annum* 251 *num.* 30 *contendit, Decium imperasse ultra biennium, seu tertium imperii annum saltem inchoasse. Tillemontius idem credidit Historiæ imperatorum tom.* 3 *in Decio ad annum* 251. *Præter auctoritatem Sexti Aurelii Victoris de Cæsaribus in Decio, ubi eum cum filio occisum dicit,* exacto regni biennio, *et Victoris in Epitome, ubi de Decio habet :* Imperavit menses triginta, *allegant antiquam inscriptionem, in qua tertia exprimitur tribunitia potestas Decii et consulatus secundus. Cum autem tribunitia potestas simul assumeretur cum imperio, ut certum inferunt ex inchoata tertia tribunitia potestate tertium quoque inchoatum esse Deciani imperii annum. Verum respondeo, Pagium ex verbis Baronii ipsius, quem refutat, colligere potuisse, argumento isto id non certo evinci. Audiamus Baronium ad annum* 254 *num.* 48 *:* Quod si tribunitia potestas ejus *(Decii)* in nummis vel aliis antiquis inscriptionibus tertio... repetita habetur; id accidit, quod anno ante Philippi necem... ab exercitu imperator est appellatus, cum etiam tribunitiam potestatem ex more consecutus est. *Hæc, inquam, verba docere debuerant Pagium et Tillemontium, quam infirmum sit fundamentum, quo nituntur, cum initium imperii Decii nolint ordiri ab acclamatione Decii pea milites, ut Victor fortasse fecit; sed a morte utriusque Philippi imperatorum, ideoque ex initio tribunitiæ potestatis colligi nequeat initium imperii, si id inchoemus post mortem Philipporum. Nolim quidem contendere cum Baronio, Philippos toto anno superfuisse post acclamationem Decii ; at existimo aliquot menses inter hujus acclamationem et eorum mortem fuisse medios; idque ostendi potest modo valde verisimili ex iis, quæ Tillemontius ipse adduxit. Sola relatio eorum, quæ mortem Philipporum præcesserunt, ad id ostendendum sufficit. Quippe Decius in Pannonia acclamatus est imperator, quod ubi Romæ audivit Philippus,* coactis exercitibus, *inquit Zozimus,* velut hostem aggressurus in eum movit. *Deinde vero Philippum conflixisse cum Decio, victumque et occisum Veronæ, ac filium Philippum paulo post Romæ, auctores consentiunt. Itaque primum nuntius de acclamatione Decii Romam perlatus est, deinde exercitus a Philippo coactus non modicus, cum numero superiorem fuisse Deciano velit Zozimus : post hæc alter exercitus ex partibus Romanis, alter ex Pannonia progredi debuit ac*

A *ac demum uterque confligere. Quapropter hisce necessario aliquot menses attribuendi sunt; nec a verisimilitudine recedet, qui sex septemve menses consumptos suspicabitur, et sic facile Victorem cum Eusebio conciliabit. Quippe si circa mensem Junium imperator a militibus acclamatus est Decius; Philippus vero occisus circa mensem Decembrem, consentient satis Eusebius et Victor, sed prior numeraverit annos Decii a morte Philippi, alter vero ab exordio suscepti imperii; et uterque satis recte, cum Decius fuerit occisus anno* 251, *verisimiliter mense Novembri aut Decembri, ut ostendunt Pagius et Tillemontius.*

c *De persecutione Galli, qui post Decium imperator factus est anno* 251, *actum est in Commentario* § 2, *ubi omnia abunde sunt confirmata. Inter infortunia regni ipsius non infimo loco numeranda est pestis, quæ imperium Romanum multis annis graviter afflixit, etiam post Galli et filii ipsius Volusiani interitum. Aliqui crediderunt ortam esse persecutionem, quod occasione pestis sacrificia præscriberentur; at Pagius ad* B *annum* 252 *num.* 10 *id negat, quia cœpta est persecutio ante pestem, atque idcirco Orosius lib.* 7 *cap.* 10 *ait, pestem esse immissam a Deo in pœnam persecutionis.*

d *Loquitur haud dubie auctor de fidelibus, qui occasione celatorum Christianorum capiebantur: nam infidelibus opus istud charitatis ad vitam æternam prodesse non poterat, nisi converterentur.*

e *Id facere potuit tam sub Decio, quam sub Gallo: nam Deciana persecutio non diu hanc præcesserat.*

f *Ratio formalis, cur contrahatur peccatum originale, non est ipsa delectatio carnalis; at ratio formalis esse videtur, quod voluntas omnium hominum, qui via naturali ab Adamo descenderent, vi ordinationis divinæ constituta esset in voluntate Adami, ut docent multi theologi, qui singulari privilegio Sanctissimam Dei Genitricem ab illa lege excipiunt. Verumtamen ita veteres aliqui, atque ipse etiam subinde Augustinus, loquuntur, acsi indicari vellent ob delectationem carnalem contrahi peccatum originale. At recentiores theologi post S. Thomam exactius de causa* C *contracti originalis peccati egerunt. Suarez autem scribens ad primam secundæ S. Thomæ tract.* 5 *disp.* 9 *sect.* 3 *num.* 4 *ad similia S. Augustini dicta sic respondet:* Non est intelligendum, concupiscentiam vel libidinem esse causam, quæ peccatum originale in prole efficiat... Intelligendum ergo, istum generationis nostræ defectum ex peccato primi parentis manasse, et hanc defectuosam generationem esse viam, per quam originale peccatum suo modo transfunditur.

g *Sic tamen, ut Divinitas corpori æque ac animæ maneret hypostatice unita.*

h *Addendum videtur,* Scriptura.

i Ostia *antiqua est civitas Latii ad ostium Tiberis, a quo etiam* Ostia Tiberina *dicitur. Jacet nunc in ruinis, a Saracenis olim diruta.*

k *Hi omnes etiam enumerantur in Actis interpolatis* S. Aureæ *ad* 24 *Augusti datis, ut et in alio Ms. ibidem laudato in annotatis ad caput* I, *ac demum apud Ferrarium ad* 23 *Augusti in* Quiriaco *et sociis, et in Menæis Græcis ad* 30 *Januarii, uno excepto* Taurino. *Sed nomina quorumdam variis modis sunt scripta, ut mox dicam.*

l *In Ms. anonymo* Martialis, *in aliis omnibus* Maximus.

m *In aliis* Herculanus, *in Menæis* Herculinus.

n *In Actis S. Aureæ et Menæis* Benerius, *in Ms. anonymo* Neberius, *apud Ferrarium* Hiberius.

o *In Actis S. Aureæ et Ferrario* Storacinus, *in Ms. anonymo* Stauracius, *in Menæis* Styracimus.

p *In Actis Aureæ et Ferrario* Mennas.

q *In Actis Aureæ* Monaxius, *in Ms. anonymo* Maprilis, *apud Ferrarium* Monasius, *in Menæis* Momochreus.

r *In Ms. anonymo* Saturninus.

s *In Actis Aureæ* Olimpius, *in reliquis* Olympius.

t *In Ms. anonymo* Corporius, *in Menæis* Cyprus.

u *Clarior erit sensus, si hic addatur:* De eo nimirum, qui, *etc.*

A Anonymo.

CAPUT II. E

Baptizantur custodes carceris: mortuo ad vitam revocato, Censurini Socii comprehenduntur: martyrium omnium et sepultura.

Cum mortuum suscitatum Ostiæ audisset Gallus, Sanctos jubet comprehendi:

Interea etiam contigit ab eis mortuum *a* suscitari: cujus claritudo facti famam virtutum, quas per eos Dominus operatus est longe lateque diffudit. Quo etiam Imperator audito, furore repletus, dixit: Magicam artem exercent, et severiori eam disciplina reprimi oportet. Et accito vicario urbis Ulpicio *b* Romulo, misit eum Ostiam civitatem ut quoscumque ibidem Christianos reperisset, ab hac professione eos revocare satageret; et si qui vel sine vi consentirent, vel pœnarum illatione coacti cederent, divitias et honores consequerentur: acquiescere vero nolentes diversis cruciatibus perirent.

hi vero comprehensi fidem constanter profitentur, F

14 Veniens autem Ulpicius Romulus Ostiam civitatem, sanctum Cyriacum episcopum, Maximum presbyterum, Archelaum diaconum et famulam Christi Auream, una cum beato Censurino et Militibus per eos conversis, comprehendi et sibimet præsentari jussit. Qui cum adstarent, interrogantur a judice, si essent Christiani. At illi se veraciter ita esse, clarissima voce testantur. Ad hæc judex: Dominus, ait, noster imperator præcepit, ut ab hac cultura recedentes, deos, quos ipse colit, honoretis. At illi: Quando, inquiunt, imperator contra Deum non jusserit, lege sanciente ei parere debemus: quando vero jussa ejus divinis reluctantur præceptis, deliberatum nobis et ex paternis legibus confirmatum scias, ut obtemperemus Deo magis quam hominibus. Cum ergo Deus jubeat, ut nullum præter ipsum colamus deum, numquam audiemus vel te vel imperatorem tuum, ut profana simulacra cæremoniis aliquibus veneremur.

flagrisque crudeliter cæsi,

15 Iratus judex, jussit eos in carcerem retrudit. Ducuntur itaque de tribunalibus ad vincula, aliaque mox die de vinculis ad tribunalia revocantur: et interrogante judice, si adhuc in sua sententia permanerent; illi fiducia mercedis æternæ

A. Anonymo.

æternæ constanter ac fortiter Christum confitentur: tuncque gaudentes confessione decorari, numquam se idolis immolaturos esse testabantur. Tunc jubente judice, ad verbera denudati, flagrisque hinc inde, inspectante populo, adeo cruciantur, ut finem vitæ inter ipsa verbera habituri putarentur. Videres inter hæc fortissimos Christi Milites exemplo Apostolorum exultasse, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

se spe mercedis æternæ consolantur,

16 Quibus insultans judex: Ubi est, inquit, modo, quem colitis? Quare vos de his pœnis non liberat? Sancti Martyres dixerunt: Et quare vocas pœnam, in quo nos vides gaudere? Nam verbera ista, vel quidquid acerbitatis pro nomine Christi fuerit nobis ingestum, non dolores *c*, sed delicias nobis præbere sentimus. Sed et si quid grave vel asperum patimur, forti patientia sustinere jubemur, dicente Scriptura: Patientes estote usque ad adventum Domini: ecce, Judex ante januam assistit. Qui et ipse alibi dicit: Ecce venio cito et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum facta sua. B Unde et in persecutionibus constituti patienter expectamus ultionis diem; qui tamen antequam veniat, ipsos persecutores nostros converti optamus; ne ipsa eos vindicta in suo reatu inveniat; quod si fiet, quanto major fuerit persecutionis nostræ injuria, tanto et justior et gravior erit pro ipsa persecutione vindicta.

tandem capite minuti,

17 Contra hæc judex nequaquam compunctus, sed in sua crudelitate persistens, capitalem eos sententiam subire præcepit. Illi autem ducti ad arcum, qui erat ante theatrum, secundum quod ex divinis Scripturis fuerant instituti, in agonibus perseverantes et oculum mentis suæ in Deum habentes defixum, gladiis cervices sacras supponunt et mortem pro pietate absque timore suscipiunt: decollati *d* sunt autem Nonas Septembris.

sepeliuntur ab Eusebio presbytero.

18 Et collegit corpora eorum beatus presbyter Eusebius, et Taurinum quidem et Erculanum in portu Romano sepelivit, sanctum vero Theodorum in mausoleo suo posuit, reliquis omnibus cum sancto Cyriaco episcopo apud Ostiam civitatem monumenta extruxit: quorum corporibus in pace sepultis, nomen eorum vivet in secula, quoniam crebris passionibus suis C et cruciatibus glorificantes Dominum, non dilexerunt animas suas usque ad mortem pro nomine ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. D

ANNOTATA.

a *Hujus a mortuis excitatio prolixius refertur in Vita S. Aureæ, ubi dicitur fuisse decennis fere filius sutoris; resque attribuitur* Cyriaco *episcopo, Christianis tamen præsentibus et simul orantibus.*

b Ulpinus Romulus *vocatur in Actis S. Aureæ, apud Ferrarium* Ulpius, *in Martyrologio Romano ad* 23 *Augusti* Ulpianus *a Baronio, a quo et* præfectus *pro vicario substitutus. Verum alia quæpiam observatio hic facienda, quia* vicarius urbis *dicitur Romulus: nam Tillemontius in Decio ad annum* 249 *occasione cujusdam inscriptionis dicit:* Vicarii esse non cœperunt, nisi sub Diocletiano secundum Lactantium, *laudatum in margine lib. de Mortibus persecutorum cap. 7. Verum Lactantius id non dicit. Verba accipe:* Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, multi præsides et plura officia singulis regionibus ac pene jam civitatibus incubare, item rationales multi E et magistri et vicarii præfectorum. *Erant ante Diocletianum præsides, officia, rationales, magistri: cur non etiam vicarii? nam Lactantius de omnibus eodem modo loquitur, et non primum institutos, sed numero auctos significat. Itaque longe probabilius est, vicarios constitutos esse ab Adriano, cum Victor in Epitome de Adriano dicat:* Officia sane publica, et palatina, nec non militiæ in eam formam statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverat. *Hæc paucis observanda censui, ne quis Acta reprobanda censeat ob vocem* vicarius.

c *Ex hoc dicto inferendum non est, Sanctos illos non sensisse corporis dolores, ut subinde quibusdam divinitus concessum est. Nam verba solum exigunt, ut dicamus eos non doluisse de illatis corpori suo doloribus, quod spe mercedis æternæ eos non modo patienter et libenter, sed etiam læti sustinerent.*

d *In Actis vitiosis* S. Aureæ, *hisce multa alia adduntur de martyrio* Aureæ, *quæ tandem mari injecta dicitur: corpus vero ipsius ad littus delatum, et sepultum a S. Hippolyto. Verum quæ hic dicuntur longe probabiliora et verisimiliora sunt.* F

DE

A D

DE S. RHAIDE VEL HERAIDE

VIRGINE MARTYRE

PROPE ALEXANDRIAM IN ÆGYPTO

J. S.

Circa an. CCCVIII. Rhaïs aut potiùs Heraïs in Fastis memorata,

In *Menologio Sirletiano atque Menæis tam impressis quam manuscriptis annuntiatur hodie* Rhaïs *martyr, cum aliqua tamen diversitate. Verba Menologii sunt hæc :* Eodem die natalis B. martyris Rhaïdis, quæ igne consummata est. *Menæa impressa sic habent Latine reddita :* Sancta martyr Rhaïs gladio occiditur. *Versiculi deinde hi subjunguntur :*

B Ποθοῦσα κάλλος Ὑραΐς Θεοῦ βλέπειν,
Σαρκὸς τὸν κάλλος ἐκδίδωσι τῷ ξίφει.
Desiderans pulchritudinem Dei videre Heraïs,
Carnis pulchritudinem tradit gladio.

Notandum primo in versiculis nomen esse nonnihil diversum, ac vocari Heraïdem *potius quam* Rhaïdem, *atque id verum esse nomen, mox videbimus. Secundo notabilis est differentia inter Menologium et Menæa, quia in hisce gladio dicitur cæsa, in illis combusta. Verum ex elogio dando confirmabitur mors gladio illata, non igne. Elogium autem hoc legitur in Synaxario Ms. collegii nostri Parisiensis, quod nomen modo habet* Ludovici Magni.

quæ alia videtur a duabus ante in hoc Opere datis :

2 *Gemina Heraïs cum aliis Martyribus jam data est in hoc Opere, altera ad* IV *Martii cum tribus sociis; at sine ulla temporis aut loci notitia; altera ad* XXVIII *Junii Raïs vel Heraïs occurrit cum multis martyribus, qui passi sunt Alexandriæ in Ægypto sub Alexandro Severo imperatore. Hæc vero Alexandriæ quidem passa est, sed sub Culciano præside, qui Ægypti præfecturam administravit sub Maximino II imperatore, et Christianos acerbissime persecutus est* C *eo tempore, teste Eusebio lib.* 9 *cap.* XI. *Qua de causa hæc* Heraïs *distinguenda est a secunda ex duabus prioribus, cum toto seculo serius sit passa. Verisimiliter etiam a prima distinguitur, quia nulla ratio est, cur eamdem credamus, nisi solum nomen, quod sufficere non potest ad credendum utramque esse eamdem, præsertim cum in iisdem Fastis annuntientur diversis diebus. Hisce observatis, elogium, quod satis nitide concinnatum est, ex laudato Synaxario Græce subjungam, ac deinde reddam Latine. Premittitur annuntiatio, quam Latine sic exprimo :* Certamen sanctæ martyris Heraïdis, et Sociarum. *Sequitur deinde tale elogium.*

elogium ipsius ex Synaxario,

3 Αὕτη θυγατὴρ ἦν τινος ἱερέος· ἐτῶν δὲ οὖσα δώδεκα τὸν μονήρη βιὸν ἠσπάσατο· κατά τινα δὲ πάροδον ἰδοῦσα σὺν ἀνδράσι καὶ γυναῖκας συλλαβομένας καὶ δεσμουμένας, καὶ πλησιάσασα αὐταῖς, καὶ τὴν αἰτίαν ἐπερωτήσασα, δι' ἣν δέδενται, καὶ μαθοῦσα διὰ τὸ εἶναι αὐτὰς Χριστιανὰς, παραυτίκα κατ' ἐνώπιον τῶν συλλαβανόντων ἐξεβόησε· καγὼ χριστιανή εἰμι, καὶ τὰ εἴδωλα διαπτύω. Διὸ καὶ συλληφθεῖσα εἰς ἐξέτασιν κατέστη χουλκιανῷ ἐπάρχῳ Ἀλεξανδρίας· ὅθεν μετὰ πολλὰς τὰς ἐροτήσεις τὴν διὰ ξίφους ἀπόφασιν δέχεται, καὶ τελειοῦται σὺν ταῖς λοιπαῖς γυναιξὶ. *Latinam interpretationem subdo :* Hæc filia erat cujusdam sacerdotis. Cum autem duodecim esset annorum, monasticam amplexa est vitam. Dum vero in transitu quodam vidisset mulieres quoque cum viris comprehensas esse et vinctas; accedensque causam petiisset, cur essent vinctæ; doctaque id factum, qui erant Christianæ; confestim coram iis, qui comprehendebant, exclamavit : Et ego Christiana sum, et idola contemno. Comprehensa igitur ductaque est ad Culcianum præsidem Alexandriæ, ut interrogaretur. Qua de causa post multas interrogationes damnatur ad mortem gladio subeundam, et occiditur cum reliquis mulieribus. E

alterum ex Menæis nonnihil diversum,

4 *Eadem Sancta rursum in Menæis memoratur ad* XXIII *Septembris, atque ibi in Menæis impressis tale fere est elogium, quale jam dedi ex Synaxario Ms. In hoc etiam Synaxario iteratur eodem die sanctæ hujus Martyris memoria, sed breviter, atque hisce Græce adjunctis verbis, quæ Latine reddo :* Eadem est, quæ in variis Synaxariis reperitur et die v hujus (*Septembris*) et XXIII. *Porro, cum videatur operæ pretium fore, si totum elogium ex Menæis impressis huc transferam, illud, quoniam jam Græce impressum est, hic Latine reddam. Præmittitur hæc commemoratio :* Eadem die, memoria sanctæ martyris Hieraïdis virginis. *Deinde tale subnectitur elogium :* Hæc nata est in Ægypto in loco dicto TAMMA, filia cujusdam presbyteri, nomine Petri. Habitu monastico erat induta, annos agens quasi duodecim. Egressa vero cum aliis virginibus ad aquam hauriendam, et videns multas virgines, ac multitudinem virorum, presbyterorum, diaconorum, ac monachorum, quos Lucianus dux vinctos habebat in navi prætereunte; doctaque pro Christo vinctos esse, virili sumpto F animo, se iis immiscuit, ubi id commentariensem rogarat. Hoc autem monente, ut securiorem potius partem eligeret, nec vellet mori cum captivis; postquam noluit mutare propositum, delata est duci, ac deos ipsius irrisit, et in faciem ipsius Christiana sacra ridentis exspuit. Post multos demum cruciatus gladio occisa est.

quod tamen utcumque conciliari potest cum præcedente.

5 *Nihil quidem in hoc elogio legitur, quod præcedenti plane sit contrarium; varia tamen sunt addita, ut lector utrumque conferens facile videbit. Quod dicitur de consputata facie ducis, in solis Menæis legitur, nec satis est verisimile. Præterea in priori elogio Sancta dicitur comparuisse coram Culciano Alexandriæ seu Ægypti præfecto; in altero ducta dicitur ad Lucianum ducem, quod eatenus non pugnat cum præcedenti asserto; sed omnino tacetur de Culciano; acsi sententia mortis etiam lata esset per Lucianum. Verum Lucianus clare non dicitur damnasse Sanctam, et per verba,* Delata est duci; *significari potest, ductam esse ad Culcianum, ad quem verisimiliter captivos omnes ducebat Lucianus.*

AUCTORE J. S.

Lucianus. Quidquid tamen sit de mente ambigua auctoris, ex priori elogio, in quo Culcianus Alexandriæ præses clare exprimitur, probabilius est, sub eo passam esse Sanctam, atque D *idcirco martyrium fixi circa* 308, *quo gravis fuit in Ægypto persecutio. Dies autem martyrii in Synaxario ad* XXIII *clare asseritur fuisse quinta Septembris.*

DE SS. QUINTO VEL QUINCTIO

ARCONTIO ET DONATO MART.

CAPUÆ

J. S.

Ex Martyrologiis

Quintus, Arcontius et Donatus magno Fastorum consensu Capuæ memorati :

Magno *tam antiquorum quam recentiorum Fastorum consensu hodie annuntiantur tres Martyres, Capuani,* Quintus, Arcontius *et* Donatus. *Hieronymiana apud Florentinium sic habent :* Et in Capua Campaniæ natalis sanctorum Quinti. Arconti et Donati. *Consentit Antverpiense* B *vetustissimum in annotatis :* Et in Capua Quinti Areonti et Donati. *Secuti sunt Ado et Usuardus iisdem fere verbis usi. Posterioris verba subdo :* Capuæ, sanctorum martyrum, Quinti Arcontii et Donati. *Consonat etiam hodiernum Romanum, præterquam quod priorem vocet* Quinctium *hoc modo :* Capuæ sanctorum martyrum Quinctii, Arcontii et Donati. *Mirum apparet, nullam de hisce Martyribus memoriam esse in ullis Fastis Capuanis, ut fatetur Michaël Monachus in Sanctuario Capuano pag.* 73, *et Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem, ubi observat ignorari etiam martyrii* tempus et persecutionis nomen. *Geminum quidem* Quintum, *alterum martyrem cum Quarto, alterum confessorem, urbi suæ attribuit laudatus Monachus, an satis recte, hic non examino. At satis certum est, hunc* Quintum Arcontii *et* Donati *socium esse, non Quarti, ideoque ab eo distinctum. Quapropter necessario dicendum est, trium horum Martyrum memo-* C *riam mansisse obscuram, et martyrologis fere tantum innotuisse, nisi aliquando Capuæ fuerint culti, isque cultus deinde interciderit.*

hisce et alii perperam a quibusdam adjuncti :

2 *Porro nonnulla oriri potest dubitatio, an præcedentibus jungendi non sint alii, quia duo revera additi sunt in apographo Corbeiensi, quod ita habet apud Florentinium :* In Capua Campaniæ natalis SS. Quinti, Arconti, Donati, Magni, Januarii. *Similis nascitur dubitatio ex Notkero, qui sic habet :* Capuæ, Quinti, Acontii et Donati, Eutychetis et Maronis. *Verum respondeo,* Magnum *huc perperam videri traductum a die præcedenti aut fortasse a die sequenti, quo alius colitur* Magnus; *ac* Januarium *similiter a* VII *Septembris, quo in Hieronymianis an-* E *nuntiatur. De Notkero jam dixit Sollerius in annotatis ad Usuardum :* Nescio, qua auctoritate Notkerus Socios duos adjunxerit. *Certe hi nuspiam reperiuntur in ullis apographis Hieronymianis, nec verisimile est, Notkerum habuisse ulla horum Martyrum Acta: ex quibus eos adjungeret, qui tunc more suo aliquod texuisset ex gestis elogium. Itaque non dubito, quin* Maronis *et* Eutychetis *memoria huc male translata sit a die* XV *Aprilis, idque occasione Victorini hodie annuntiati, quocum ibidem rectius memorantur.*

priores Capuæ videntur omnino attribuendi.

3 *Demum dubitare quis posset, an revera* Quintus, Arcontius *et* Donatus *attribuendi sint urbi Capuanæ, non solum quia nulla eorum est memoria* Capuæ, *sed magis quia in Fragmento Bucheriano* Acontus *cum aliis tribus hodie memoratur in Portu Romano. Fateor exiguum adeo esse nominis discrimen inter* Acontum *et* Arcontum *vel* Arcontium, *ut illud sufficere nequeat ad tollendam dubitationem. Verum cum* Acontus *vel* Acontius *in monumento tam vetusto, quale est Bucherianum, alios habeat in Portu Romano* F *socios, iidemque etiam in Portu Romano annuntientur in plerisque Hieronymianis ; cumque* Arcontius *quoque magno vetustorum Martyrologiorum consensu cum aliis Sociis attribuatur Capuæ, tam loci quam Sociorum diversitas facit, ut* Arcontium *Capuanum ab* Acontio *Portuensi credamus distinctum, prioremque cum duobus Sociis Capuæ adscribamus, licet de tempore et modo martyrii non constet.*

DE

A D

DE SS. NIMFIDO VEL NYMPHO ET SATURNINO

MARTYRIBUS

ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO

J. S.

Ex Martyrologiis.

Mira Martyrologiorum varietas in hisce Martyribus memorandis :

A*pographa Hieronymiana varios hodie annuntiant Martyres Alexandrinos, sed mira varietate et nominibus multum mutatis. Textus apud Florentinium sic habet :* In Alexandria natalis sanctorum Nemfidi. Saturnini, et depositio beati Ingenui episcopi cum Sociis suis. *Corbeiense hæc profert :* In Alexandria, natalis sanctorum Memfidi, Sturninæ. Depositio beati Ingenui cum Sociis suis, quorum nomina Deus scit. *Vetustissimum Antverpiense videtur eamdem Martyrum classem bis recensere cum aliqua tamen mutatione. Primo ita habet :* In Alexandria Euteci, Maximi, Nimpi, Saturnini. *Suspicor duos priores huc perperam translatos a die præcedenti, ubi in numero martyrum Ancyranorum sunt* Eustichus *et* Maximus, *aut eosdem esse cum Eutichete et Marone, quos ad hunc diem transtulit Notkerus : posteriores vero duos existimo non alios esse ab iis, quos deinde cum* Ingenuo *sic memorat idem apographum :* Alexandria civitate Nimfidæ, Saturninæ. Ingenui episcopi. *In contractioribus apographis nullus ex his recensetur Alexandriæ ; sed* Ingenuus *in variis commemoratur sine loco ; et revera* Ingenuus *non ita etiam in textibus præcedentibus cum duobus aliis jungitur, ut necesse sit dicere eum ad eorum numerum pertinere. Rabanus, qui solus ex martyrologis sui temporis Martyres hos Alexandrinos adoptavit, (et cui interpolata quædam Bedæ exemplaria consonant) dubitationem de* Ingenuo *non clare tollit, sic eos annuntians :* Et in Alexandria, Nymphi, et Saturnini, et depositio B. Ingenui episcopi.

iis dubie annumeratus Ingenuus episcopus alio videtur spectare ;

2 *Verumtamen cum* Ingenuum *potius annuntiet ut confessorum quam ut martyrem, ut vox* depositio *insinuat, Rabanus potius censendus est* Ingenuum *ab aliis separare, quam cum iisdem conjungere. Idem observari potest in duobus apographis ante datis, in quibus item occurrit vox* depositio ; *licet alias in illis videretur memorari ut martyr, quia additur,* Cum sociis. *Grevenus duos tantum sine* Ingenuo *memorat hoc modo :* In Alexandria, Nymphii et Saturnini. *Et revera hi duo tantum Alexandriæ attribuendi videntur, quamvis forsan habuerint non paucos Socios anonymos, qui in duobus apographis primo laudatis perperam junguntur* Ingenuo, *quantum suspicor ob vocem* depositio, *et quia* Ingenuus *alio spectare videtur, ut nunc ostendam. Castellanus in Martyrologio Universali ad hunc diem annuntiat* S. Ingenuinum, *vel* Genuinum, *Sabionensem episcopum, qui in Martyrologio Romano una cum S. Albuino Brixinensi episcopo habetur* v *Februarii, ubi etiam de utroque apud nos actum est. Idem auctor in annotatis ad Martyrologium Romanum Gallice versum die* v *Februarii indubitanter asserit,* S. Ingenuinum *obiisse* v *Septembris, atque ex eo liquet, ipsum non dubitasse, quin sit ille* Ingenuinus, *qui hodie in variis Martyrologiis annuntiatur sub nomine* Ingenui.

et forsan est S. Ingenuinus Sabionensis episcopus.

3 *Porro hæc opinio mihi probabilis admodum et verisimilis apparet, ideoque rationes a Castellano prætermissas hic allegabo. Primo* Ingenuus *in variis apographis Hieronymianis jam datis, aliisque similibus Martyrologiis interpolatis memoratur eo modo, ut confessoribus potius quam martyribus videantur annumerandus ; indeque probabiliter infertur, non esse e classe Martyrum Alexandrinorum. Secundo in Hieronymianis contractioribus apud nos tom.* 7 *Junii annuntiatur sine Alexandrinis illis et sine loco, videlicet in Augustano sub nomine* Ingenuini, *in Labbeano,* Ingenui. *In Turonensi autem apud Martenium tom.* 3 *Thesauri Anecdotorum ponitur,* Ingenui episcopi. *Mitto alia Martyrologia, in quibus occurrit nuda vox* Ingenui. *Jam vero tanto majorem hæc suspicionem ingerunt de* Ingenuino *Sabionensi, quod hujus nomen aliis diebus non reperiatur in Fastis antiquioribus, licet constet de antiquo ejus cultu. Tertio demum obstare nequit, quod modo colatur die* v *Februarii, quoque aliqui ea de causa dixerint, defunctum esse eo die : nam cum simul colatur cum S. Albuino, hujus dies emortualis videtur electus ad utrumque simul colendum. Itaque opinionem istam Castellani non quidem omnino certam, at satis probabilem esse, prorsus mihi persuadeo : atque idcirco solis* Nimfidum *vel* Nymphum *et* Saturninum *in titulo recensui, licet hi fortasse habuerint plures socios anonymos.*

A D

DE SS. TAURINO, NEMORATO, SATURNINO, ARAPOLLINO MM.

IN ÆGYPTO

J. S.

Ex Hieronymianis apographis

Horum Martyrum memoria in Fastis annuntiata.

Præter martyres Alexandrinos modo datos alii quatuor Martyres Ægyptii annuntiantur in apographis Hieronymianis, hic invicem satis consonantibus. Textus apud Florentinium hoc modo eos exprimit : In Ægypto natalis sanctorum Taurini. Nemorati. Saturnini. Arapollini. B *In Corbeiensi ultimum nomen leviter mutatum est :* In Ægypto natalis SS. Taurini, Nemorati, Saturnini, Arapolloni. *Duo vero nomina et ordo martyrum nonnihil mutata sunt in Antverpiensi, quod ita habet :* In Ægypto Taurini, Saturnini, Nemosati, Aropollini. *De codice Blumanio serius cum aliis collato pag.* 1068 *hæc notat Florentinius :* Inter Ægyptios Martyres omittuntur in codice Blumanio Taurinus et Saturninus. *Forsan eos codicis illius collector omittendos censuit, quod jam aliquis* Taurinus *annuntiatus esset in Portu Romano, et aliquis* Saturninus *Alexandriæ : nam ex eo suspicio oriri potest de iis perperam geminatis. Verumtamen aliorum codicum consensus facit, ut verisimilius ab iis hi distinguantur. In codice Richenoviensi duo ex hisce quatuor sic memorantur :* In Ægypto, Taurini, Nemorati. *In aliis hujusmodi codicibus contractis Ægyptii* E *illi fere omissi sunt, nisi quod* Taurinus *in pluribus memoretur, sed Portuensis, qui præter Ægyptium etiam est in laudato mox Richenoviensi. Apud posteriores martyrologos hi Martyres Ægyptii omissi sunt, ut jam observavit Florentinius. Plura de hisce Martyribus non invenio.*

DE S. ABDA EPISCOPO MARTYRE

MULTISQUE ALIIS IN EADEM PERSECUTIONE PASSIS

IN PERSIDE

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. S. Abdas verisimiliter idem cum Abdia, Abdæo, Audio, hac die memoratis in Fastis.

C F

CIRCA AN. CDXX. *Qui quasi geminus habetur in Fastis Græcis, idem videtur martyr :*

Hac die tam in Menelogio Sirletiano quam in Menæis impressis idem martyr, quantum apparet, bis annuntiatur, mutato leviter nomine, acsi geminus esset. Audi Menologium : Eodem die natalis Abdæi, qui spinosis virgis cæsus, Christum Dominum spinis coronatum sequutus est. *Consonant Menæa :* Eadem die S. Abdæus virgis spinosis cæsus moritur. *Sequuntur hi versiculi :*

Ῥάβδων ἀκάνθας μάρτυς Ἀβδαῖος φέρει·
Στεφθέντα τιμῶν ταῖς ἀκάνθαις Δεσπότην.
Virgarum spinas martyr Abdæus sustinet :
Honorans coronatum spinis Dominum.

Menelogium deinde, quasi de alio, hæc memorat : Et sancti martyris Audii episcopi tempore Insdigerdi regis Persarum. Hic sanctissimus Audius detentus a primario Persarum mago, cum soli sacrificare renueret, toto corpore virgis cæditur, ita ut a carnificibus quasi mortuus reportatus, paulo post spiritum Domino tradiderit. *Consentiunt Menæa, in quibus similis plane annuntiatio et simile reperitur elogium, sed sine ullis versiculis. Jam vero hunc esse eumdem cum* Abdæo, *suadet primo similitudo supplicii, secundo quod in aliis Græcis Fastis unus tantum memoretur. Tertio cum in Menæis apud priorem nullum sit elogium, apud alterum vero nulli reperiantur versiculi, oritur suspicio versiculos ex errore distractos ab elogio, indeque ortam esse occasionem geminandi annuntiationem, forte quia nomen aliter in versiculis aliterque in elogio reperiretur scriptum, quamvis revera levissima sit nominis mutatio, et qualis etiam reperetur in Menologio Basiliano, ubi* Abdias *vocatur, quod nomen ex utroque habet aliquid.*

elogium Abdiæ ex Menologio Basiliano.

2 *Porro in laudato Menologio Basilii imperatoris tale ad hunc diem* Abdiæ *martyris habetur elogium :* Sanctus martyr Abdias, natione Persa, professione Christianus, cum daret omnem operam, ut doceret omnes, atque adhortationibus suis ad veram Salvatoris nostri Jesu Christi fidem suscipiendam induceret, captus

a

A a Magorum principe, jubetur abjurato Christo solem et ignem adorare: hos enim tamquam deos Persæ colebant. Quod ille execratus, asperis malorum punicorum virgis in ventre, lumbisque cæditur. Atque ita a mane ad meridiem verberatus et cruciatus, succollantibus lictoribus in domum suam semivivus deportatur: et paulo post Domino sanctam beatamque animam suam tradidit, summam animi ad extremum usque spiritum præ se ferens lætitiam, quod dignus habitus esset, qui pro Domini nostri Jesu Christi nomine martyrium mortemque subiret. Post hæc pretiosas ejus reliquias Christiani accipientes, sepulcro condidere.

aliud Abdæ, qui distinctus est ab Abda XVI Maii celebrato.

3 *In eodem Menologio ad diem* XXXI *Martii memoratur* Abdas *episcopus cum Benjamino diacono, qui passi sunt, diverso tamen tempore, sed in eadem persecutione, sub Isdegerde Persarum rege, ut refert Theodoretus Historiæ ecclesiasticæ lib.* 5, *cap.* 39. *Baronius in annotatis ad Martyrologium Romanum die* XVI *Maii credidit, hunc* Abdam *episcopum eumdem esse cum Auda episcopo, qui eo die annuntiatur apud* B *Græcos cum multis aliis martyribus in Perside coronatis. Baronio acquievit Henschenius noster* XXXI *Martii, ubi de* S. Benjamino *scripsit, ac* S. Abdam *in prætermissis distulit ad* XVI *Maii, quo revera annuntiatur in Martyrologio Romano. Verum ubi ad* XVI *Maii pervenit Henschenius, et Acta martyrum Persarum, qui eo die memorantur a Græcis diligentius lustravit, sententiam mutavit, credidítque memoratos eo die passos esse sub Sapore, atque idcirco necessario distinctos ab* Abda *aliisque, qui passi sunt sub Isdegerde. Non dubitabit ea de re studiosus lector, modo conferre velit scripta ab Henschenio ad* XVI *Maii, seu tom.* III *ejusdem mensis pag.* 574, *cum iis, quæ hic daturus sum: nam* Abdam XXXI *Martii celebratum non alium credo ab hodierno* Abdæo, Audio *vel* Abdia *ob rationes infra dandas.*

ex eodem elogium;

4 *Hisce notatis, subjungo elogium, quod Basilianum Menologium ad* XXXI *Martii habet, quousque spectat ad propositum nostrum:* Hic (*Abdas*) Theodosio juniore imperante florebat in Perside. Postquam autem templum ignis evertit, C comprehensus est et ad regem adductus: qui primo quidem magna cum lenitate illum adhortatus est, ut templum reædificaret. Sed cum is fieri id non posse diceret, misso mandato, omnes Christianorum ecclesias destruxit. Hinc vero initium accepit persecutio adversus Christianos, qua omnium fidelium ætas variis tormentis sublata est: quorum primus sanctissimus Abdas gladio vitam finivit. Deinde per annos integros triginta multi claruere martyres, ex quibus erant viri locupletes, qui post varios cruciatus capite plexi sunt. *Longius elogium eodem die reperitur in Menæis impressis; at istud non adduco, quia martyrium refertur a Theodoreto, ex quo hauserunt Fastorum collectores.*

idem rursus hic Abdias et Abdas, ut probatur

5 *Jam vero non alium esse* Abdiam *vel* Audium *episcopum ab* Abda, *cujus occasione Isdegerdes persecutionem movit, colligo ex Synaxario Constantinopolitano Ms. pervetusto, quod olim Sirmondus habuit, quoque est collegii Societatis Jesu Parisiis, nunc dicti* Ludovici Magni. *In eo enim ad hunc diem* V *Septembris amplum reperitur elogium, in quo* Abdas *vel* Audas *vocatur* Persidis episcopus, *simulque commemoratur Benjamini diaconi martyrium. Priora autem seu tempus et occasio martyrii eodem modo referuntur, sicut in aliis Fastis* XXXI *Martii; ipsum vero martyrium, seu mors* Abdæ *a Persis illata plane consonat cum iis, quæ in aliis Græcorum Fastis de* Abdiæ *morte narrantur. Itaque certum est, auctorem hujus Synaxarii meæ favere opinioni; cumque ille antiquior et accuratior videatur, quam fuerint collectores Menæorum impressorum, ac Menologii Basiliani, auctoritatem ipsius præferendam existimo; præsertim cum satis constet, eosdem Sanctos non raro repeti in Menæis, acsi essent diversi, quod hic etiam fieri potuit in Menologio Basiliano. Occasio quoque geminandi* Abdam *non defuit; nam cum solus initio persecutionis sit occisus, solus primo annuntiari potuit; cumque occasionem persecutioni præbuerit, iterum commemorari potuit cum multis aliis in eadem persecutione passis: idque revera factum suspicor.*

AUCTORE J. S.

ex elogio Synaxarii Constantinopolitani:

6 *Quapropter sententiam laudati Synaxarii ut probabiliorem sequor, totumque elogium, quousque huc spectat, Latine subjungo. Præmissa annuntiatione* Abdæ *Persidis episcopi et Benjamini diaconi, de priore sic loqui pergit auctor:* Certavit hic tempore Theodosii junioris in Perside, Isdegerde ibidem regnante. Nam postquam multa docens, non persuasit Persis, ut abstinerent a cultu idolorum, ardenti incensus fervore, templum ignis, in quo reges Persarum sacrificabant, combussit. Captus igitur, multisque prius cruciatibus subjectus, deinde per quatuor milites exacutis malorum punicorum virgis toto corpore cæsus, atque in propriam domum pro mortuo projectus, brevi beatam animam Domino tradidit. *Mox additur, inchoatam ab eo esse persecutionem sævissimam triginta annorum, de qua infra ex Theodoreto; ac demum narratur martyrium Benjamini diaconi, de quo actum est ad* XXXI *Martii.* E

gravi hic supplicio interemptus.

7 *De genere mortis dubitari utcumque potest, quia in Menologio Basiliano, et in versiculis Menæorum, utrobique ad* XXXI *Martii capite minutus dicitur, et quia Theodoretus solum dicit,* trucidari *jussum a rege. Verum suspicor istud silentium Theodoreti occasionem præbuisse conjecturæ de amputato capite, quod istud mortis genus ceteris sit magis usitatum. Quapropter genus mortis distincte hic relatum mihi longe apparet verisimilius, cum quia tam facile confingi* F *non potuit ex conjectura, tum quia idem etiam Menæa et Basilianum Menologium enarrant ad hunc diem, tum demum quia ex crudelitate persecutionis admodum verisimile est, gravissimum supplicium illatum fuisse* Abdæ, *qui animos Persarum everso templo vehementer exacerbaverat. Accedit auctoritas Theophanis num.* XI *laudandi, qui* Abdam diversis *afflictum tormentis testatur. Itaque non satis recte meo judicio dicat aliquis, potius ex diverso mortis genere duos statuendos esse Martyres fere synonymos: nam monumentorum allegatorum auctoritas tanta non est, ut id mihi satis fiat verisimile contra auctoritatem Synaxarii dati.*

§ II.

AUCTORE J. S.

§ II. An persecutio Persica fuerit sub Isdegerde, eaque continuata sine interruptione sub ejus successoribus : tempus martyrii Abdæ, sedes ejus episcopalis, gesta alia.

Discordia scriptorum de auctore hujus persecutionis ;

Socrates, Nicephorus aliique initium persecutionis, in qua passus est* Abdas, *non attribuunt Isdegerdi, sed filio ejus Varani, aut Vararani, ut eum vocat Socrates, ita scribens cap.* 18 : Ceterum apud Persas mortuo Isdigerde rege, qui Christianos illic degentes nullatenus fuerat persecutus, filius ejus Vararanes, cum successionis jure regnum obtinuisset, magorum consilio in-
B ductus, Christianos graviter exagitavit, supplicia ac tormenta Persica eis infligens. *Nicephorus cap.* 19, *etsi Theodoreti non minus viderit Historiam quam Socratis, cum ex utriusque narratione suam tam aperte concinnaverit, ut iisdem fere sententiis utatur, opinionem tamen Socratis prætulit, atque initium persecutionis item attribuit Varani. Verum Theodoretus tam propinquus fuit loco et tempore, ut utrique sit præferendus; tamque distincte narrat persecutionem sub Isdegerde cœptam, continuatamque sub Vararane et Isdegerde II, ut ei fidem hisce in rebus abnegare nequeamus, præsertim cum sibi consentientem habeat Theophanem, et Cyrillum scriptorem Vitæ S. Euthymii infra laudandos. Pagius ad annum* 414 *sententiam illam amplectitur, putatque persecutionem eodem illo anno* 414, *id est, sex circiter annis ante mortem Isdegerdis, cœptam et sine interruptione ad annos triginta continuatam.*

Assemanus existimat, persecutionem suscitatam esse ab Isdegerde,

8 *Assemanus in Bibliotheca Orientali tom.* I *in S. Marutha episcopo Tagritensi, qui scripsit tam de persecutione anteriore sub Sapore quam de hac sub Isdegerde cœpta, et sub ejus successoribus continuata, pag.* 182 *conciliare utcumque nititur auctorum allegatorum dissidium.*
C *Quippe post laudatos scriptores, qui pro alterutra sententia allegantur, inter quos etiam est Agathias lib.* 4 *pag.* 136, *et Dionysius Jacobitarum patriarcha in Chronico, qui Socratis partes sunt amplexi, ita scribit :* Conciliantur hi auctores, si dicatur, ab Isdegerde quidem motam fuisse Abdæ causa persecutionem, sed mox sopitam (quod enim Pagius affirmat eamdem ad obitum usque Isdegerdis continuatam fuisse, nullo idoneo teste probat :) a Vararane vero initio regni sui instauratam, et procedente die magis auctam; præsertim postquam Vararanes expeditionem in Romanos suscepit, et signa cum iis frequenter contulit. *Vehementer suspicior hanc opinionem haustam ex Amro, scriptore Orientali seculi* XIV, *quem ipse Assemanus alias frequenter improbat et refellit. Quippe tom.* 3 *pag.* 371 *allegat verba Amri, de Jaballaha Seleuciæ et Ctesiphontis archiepiscopo scribentis, ubi inter alia sic loquitur :* Paulo post Jezdegerdes adversus Christianos indignatus, ecclesias dirui jussit. Quam ob causam capitis dolore divinitus iterum correptus, Jaballaham rursus arcessivit : cujus precibus revalescens, Christianos amare D
cœpit, et ecclesias restituit . . .

sed eam mox sopitam ; ac deinde instauratam a Vararane ;

9 Ejus post obitum rursus Jezdegerdes ecclesias diruere et Christianos vexare adorsus est, atque atrocissime in eosdem desæviit : qua in persecutione cæsus etiam fuit sanctus Abda Huzitarum episcopus, eo quod ex ejus clero presbyter contiguam ecclesiæ Ignis domum, Christianis infestam, diruendam procurasset. Hanc ob causam ad iram concitatus Jezdegerdes, persecutionem illam commoverat, quam postea Isaaco Armeniæ patricio intercedente, qui Armenos, ut eidem parerent, induxerat, sustulit. *Ita Amrus, in cujus tamen relatione multas hallucinationes ostendit Assemanus, dicens pag.* 373 *unam tantum persecutionem sub Isdegerde admittendam esse, eamque* mox sopitam *credit, ac demum existimat, eam contigisse* circa finem regni Isdegerdis, hoc est, circa annum Christi CDXIX. *Verum eo modo omnes scriptores adeo non videntur conciliari, ut potius omnes erroris arguantur. Nam si brevissima fuit persecutio Isdegerdis, errarunt illi, qui dixerunt nullam ab eo motam persecutionem contra Christianos : erra-* E
runt etiam Theodoretus, Theophanes, aliique, qui persecutionem ab eo excitatam scripserunt, cum eam nullus tam brevem faciat. Qua de causa malim existimare, persecutionem motam circa finem regis Isdegerdis, *nec interruptam, sed per posteros ejus ad annos triginta continuatum. Sane brevitas temporis, quo motæ persecutioni supervixit Isdegerdes, paucitasque martyrum, qui sub ipso sunt passi, efficere potuit, ut Socrates crediderit persecutionem non nisi post ejus mortem fuisse cœptam, itaque errans alios quoque in errorem perduxerit.*

Pagius vult persecutionem ab Isdegerde cœptam anno 414 :

10 *Pagius, qui persecutionis initium affigit anno* 414, *Theophanem uno solum loco præ oculis habuisse videtur, atque ex* persecutione ad quintum usque annum prorogata, *ut loquitur Theophanes, dictam persecutionis epocham collegisse : nam etsi alios quoque alleget scriptores, hi nequaquam tali favent opinioni. Porro ad annum* 408 *num.* 5 *fundamentum suæ sententiæ his explicat verbis :* Qua in re confirmat, quod scribit Theophanes, hanc scilicet persecutionem sub Isdigerde annos quinque durasse, ab anno nempe Christi quadringentesimo decimo quarto, F
usque ad mortem ejus quæ anno CDXX contigit. *Verum certe hic anno uno aberrat Pagius ; nam ab anno* 314 *usque ad* 320 *sex anni reperiuntur. Præterea nullibi dicit Theophanes persecutionem quinque annis durasse, vivente Isdegerde, quod Pagius sine idonea ratione verbis ipsius addidit. Totum locum Theophanis, quia simul quædam de Sancto memorat, huc transfero :* Hoc eodem anno, *inquit pag.* 71, Isdegerdes Persarum rex Maruthæ primo Mesopotamiæ, et Abdaæ regiæ in Perfide civitatis episcoporum suasu ductus in pietatem totus propendebat : adeo ut visis Maruthæ mirandis operibus baptismum jamjam suscepturus videretur : unde et Magos, ceu seductores, variis exagitabat suppliciis. Anno vero vigesimo diem obiit extremum.

secutus unum eumque male intellectum locum Theophanis : at tam ex hujus

11 Persecutioni porro ab eo suscitatæ causam dedit Abdaas regiæ Persidos urbis episcopus : divino quidem zelo motus, at non eo ex rationis norma usus, Ignis templum succendit. Eo cognito, rex erectas per totam Persidos regionem ecclesias everti jussit : Abdaam autem

diversis

A diversis afflixit tormentis. Persecutione ad quintum usque annum prorogata, plures, immo Martyres innumeri, declarati sunt. Latentes enim Christianos per urbes et vicos magi venatorum more insequebantur: Christiani scipsos viris consularibus prodebant, ne vel silentio Christum abnegasse viderentur. Quibus demum ad mortem hoc pacto quæsitis, plurimi tormentorum vi neci traditi sunt: multi etiam ad Romanos transfugerunt. *Hactenus eo loco Theophanes, qui ad penultimum annum Isdegerdis hæc rursum memorat ad propositum nostrum :* Maruthas porro Mesopotamiæ episcopus Isdegerdem regis Persarum filium dæmone vexatum precibus et jejuniis saluti restituit: ex quo Isdegerdes plurimam erga res Christianas fiduciam accepit. *Mox ad annum sequentem subjungit :* Hoc anno, Isdegerde satis functo, Vararanes filius simul cum regno religionis persecutionem iniit.

quam Socratis verbis ostenditur,

12 *De liberato a dæmone regis filio scribit etiam Socrates, factumque simul* Abdæ *attribuit lib. 7 cap. 8, ubi post memoratam Maruthæ apud Isdegerdem gratiam ita prosequitur :* Parum autem abfuit, quin ipse Christianus fieret, B cum Maruthas una cum Abda *(Græce* Andla) Perfidis episcopo alterum etiam miraculum edidisset. Ambo siquidem dæmonem, quo regis filius vexabatur, depulerunt, cum prius jejuniis ac precibus incubuissent. Verum Isdigerdes quidem, antequam perfecte Christianus esset, mortæ præventus est. Regnum vero ad filium ejus Vararanem devenit, cujus temporibus solutum est fœdus inter Romanos et Persas. *Et hisce clare ostendam, Theophanem ipsum deserendum esse, si non alio possit modo explicari, quam quo eum exposuit Pagius.* Abdas *simul cum Marutha regem fecit* in pietatem *propensum, teste Theophane, qui* Abdam *designat eumdem, de quo agimus.* Abdas *rursum cum Marutha filium regis dæmone liberavit, non alius utique* Abdas *ab illo, qui jam ante cum Marutha regem erga Christianos reddiderat benevolum; quique ab altero* regiæ Persidis urbis episcopus, *ab altero* Persidis episcopus *nominatur. Porro liberatio illa filii regis memoratur a Theophane penultimo Isdegerdis anno ; a Socrate vero sic refertur, ut clare innuat non diu ante mortem Isdegerdis* C *esse factam. Itaque cum* Abdas *primus in persecutione occubuerit, idemque vixerit et gratus Isdegerdi fuerit sub finem vitæ ipsius ; clarum est persecutionem non fuisse inchoatam, nisi sub finem vitæ Isdegerdis, nimirum anno* 419 *aut* 420, *eamque ipsius Theophanis esse mentem, mox ostendam.*

persecutionem cœptam esse sub finem vitæ Isdegerdis,

13 *Verum alio prius argumento utor. Socrates, Theophanes, Cyrillus in Vita Euthymii, aliique scribunt, multos ex Perside fugisse ad provincias Theodosio imperatori subjectas, simulac orta est Persica illa persecutio. Ea de causa Vararanes transfugas repetiit a Theodosio, illoque eos reddere recusante, ortum est bellum inter Persas et Romanos, teste Socrate lib. 7 cap. 18, et Theophane ad primum annum Vararanis pag. 73, ubi sic habet :* Legatos itaque, qui transfugas e regno requirerent, ad Theodosium misit *(Vararanes.)* Theodosius Romanorum imperator eos reddere detrectat : ex quo fœdere soluto bellum ingens inter utrumque suscitatum. *Atqui verisimile non est, regem Persarum toto quinquennio exspectasse, ac tunc demum transfugas repetiisse : itaque nec verisimile est, persecutionem quinquennio viguisse sub Isdegerde.*

AUCTORE J. S. idest, circa annum 419 aut 420, et triginta annis non cessasse, nisi exiguo forsan tempore.

14 *Cur igitur, dicet aliquis, de persecutione ab Isdegerde excitata Theophanes scripsit decennio toto ante ejus mortem, et qua de causa dicit prorogatam* ad quintum usque annum, *cum Theodoretus triginta annis durasse testetur, nisi velit quinquennio continuatam sub Isdegerde ? Respondeo Theophanem de illa persecutione ejusque causa locutum esse extra ordinem, ubi narraverat benevolentiam Isdegerdis seu propensionem ipsius in pietatem, ut mutati regis rationem perspiceret lector. Ad quintum vero annum prorogatam scribit, quia credidit sedatam fuisse anno quinto, non sub Isdegerde, sed anno quarto Vararanis, quo scribit pacem initam inter Theodosium et Vararanem, et persecutionem sedatam. Hanc pacem illigat Pagius anno* 422, *nec tamen admittit persecutionem tunc penitus cessasse ob auctoritatem Theodoreti, eam ad annos triginta proferentis. Malim et ego existimare persecutionem aut non penitus fuisse sublatam, aut solum ad breve tempus, quamdiu dissimulatio erat necessaria Vararani, ut pacem cum Theodosio concluderet. Verum sive ad breve tempus sublata fuerit persecutio, sive in eo erraverit Theophanes, sufficienter ostendisse me existimo, quinquennium persecutionis ab eo assertum* E *non totum spectare ad regnum Isdegerdis, ideoque ex mente antiquorum initium persecutionis statuendum sub finem regni Isdegerdis, id est, circa annum* 419 *aut* 420.

S. Abdas fuit Susæ episcopus :

15 *Cujus urbis episcopus fuerit* Abdas, *antiqui clare non explicant. Theophanes* regiæ Persidos urbis *episcopum vocat : Amrus apud Assemanum nominat* Huzitarum *episcopum. Laudatus jam sæpe Assemanus, qui et Acta ejus vidit, non raro vocat Susæ episcopum, uti et Pagius. Michael le Quien in Oriente Christiano tom, 2 col. 1190 inter Susæ episcopos* Abdæ *contexuit elogium, quod non omni caret errore : nam dicitur ibi Sanctus* Andas *vocari in Martyrologio Romano ad* XVI *Maii ; at non* Andas *ibi, sed* Audas *scribitur, et cum iis annuntiatur Sociis, ut alius censeri debeat, qui passus est sub Sapore, aut potius cum illo confusus.* Ablaatum *vocari a Socrate idem auctor asserit ; at Socrates* Anldam *vocat, et Epiphanius Scholasticus* Ablaatum *nominat, teste Valesio in annotatis ad Socratem pag. 84. De urbe vero episcopali* Abdæ *ita ratiocinatur laudatus le Quien :* Sus, F Susa, Chuzistaniæ, vel, ut apud Nubiensem legitur, Churestaniæ . . . civitas vetus est, ipsa Susan, vel Susa, Assueri Medorum Persarumque supremi dynastæ, . . . aliorumque deinceps ad Artaxerxem usque Longimanum regia : quam Daniel in regione Elam, sive Elamitide collocat, ad fluvium Ulaï, vel Eulæum. Diversa proinde fuit a Persepoli, quæ ad Araxem amnem stabat. Alia porro censenda est Sus ab Ahivaz, ambæque, geographo Nubiensi teste, tridui intervallo disjunctæ sunt.

Acta olim scripta etiamnum exstant in Oriente : elogium ex Theodoreto dandum.

16 *Acta* S. Abdæ, *uti et aliorum martyrum illius temporis, conscripta fuisse a Marutha episcopo Tagritensi, quocum fidem promovit in Perside, testatur Assemanus tom.* I *Bibliothecæ Orientalis, ubi pag.* 181 *de iis visis sic habet :* Certe Acta Abdæ episcopi, cujus causa persecutio Isdegerdica mota est, vidi in Scetensi Syrorum monasterio, quum Nitriensem eremum lustrarem. Exstabant autem in præstantissimo codice Syriaco, qui sexaginta Passiones martyrum partim Orientalium, partim Occidentalium complectebatur. *Verum cum hæc Acta non facile impetrari*

AUCTORE J. S.

petrari possint, elogium dabimus ex Theodoreto, qui sedatam necdum persecutionem breviter enarravit lib. 5 *cap.* 39, *omissis tantum iis, quæ refert de S. Benjamino diacono et de S. Hormisda martyre, quia priora data sunt ad* XXXI *Martii, posteriora ad* VIII *Augusti, quo hic Romano Martyrologio insertus est tamquam sub* Sapore *passus. Error hic de Hormisda sub Sapore passo etiam transiit in Opus nostrum, atque idcirco tanto magis eum hic correctum volo. Nolim tamen credere, sub Isdegerde I passum esse Hormisdam, sed potius sub Verarane contigisse, quæ de eo narrat Theodoretus. Idem dicendum videtur de iis, quæ de Suene et S. Benjamino narrantur.*

ACTA

auctore Theodoreto

B *Ex Historia ejus ecclesiastica lib.* 5 *cap.* 39.

Qua occasione persecutio apud Persas sit excitata, et Abdas martyrio coronatus:

Per idem tempus Isdigerdis Persarum rex, Ecclesiis gentis suæ bellum intulit, occasione inde arrepta. Erat quidam episcopus, nomine Abda, multis virtutis generibus ornatus. Hic zelo immoderato impulsus, pyreum *a* destruxit. Ita Persæ vocant templa igni consecrata : ignem enim deum esse arbitrantur. Rex ea de re per magos certior factus, Abdam ad se evocavit. Ac primum quidem leniter id facinus reprehendit, jussitque ut pyreum ædificaret. Sed cum Abda contradiceret, seque id facturum negaret, rex cunctas ecclesias se destructurum minatus est. Sed et minas suas ad effectum perduxit. Etenim divino illo viro prius trucidari jusso, *b*, ecclesias solo æquari præcepit. Ego vero pyreum quidem intempestive ab episcopo destructum fuisse fateor. Neque enim divinus Apostolus, cum Athenas venisset, et urbem simulacrorum cultui deditam esse vidisset, aram ullam deorum, qui C ab iis colebantur, evertit : sed illorum errorem verbis coarguit, et veritatem demonstravit. Quod vero eversum fanum minime instauraverit, sed mori maluerit quam id præstare, id equidem admiror, et coronis dignum judico. Igni enim templum extruere, non minus esse censeo quam eumdem adorare.

vehementia hujus persecutionis, et varia suppliciorum genera

2 Hinc igitur exorsa tempestas, gravissimos ac sævissimos fluctus adversus alumnos pietatis excitavit. Ac triginta jam elapsis annis, permansit nihilominus, a magis tamquam quibusdam ventis ac turbinibus suscitata. Magos autem Persæ vocare solent eos, qui elementis divinitatem tribuunt. Eorum fabulas nos in alio Opere exposuimus, in quo ad singulas eorum interrogationes solutionem attulimus. Sed et Gororanes *c* Isdigerdis filius, post patris obitum, una cum ejus regno bellum quoque adversus pietatem, quasi hereditario jure transmissum suscepit; et ipse moriens, utrumque simul junctum filio *d* tradidit. Suppliciorum autem varias species, et tormenta ab illis excogitata, quibus pios homines excruciarent, haud facile est exponere. Aliorum enim manus, aliorum terga excoriarunt. Aliorum capita, a fronte exorsi, D ad barbam usque cute nudarunt. Nonnullos sectis per medium arundinibus operiebant, ipsas sectiones corporibus applicantes, deinde, cum firmissimis vinculis a capite ad pedes usque eos constrinxissent, singulas arundines vi extrahebant, ut vicina cute simul tracta, acerbissimum dolorem afferrent.

3 Foveas præterea fodientes, easque diligenter oblinientes, magnorum murium agminibus implebant, pietatisque Athletas eis in pabulum præbebant, manus illorum ac pedes vincientes, ne bestias a se abigere possent. Mures itaque, urgente ipsos fame, carnes Sanctorum paulatim depascebantur, diuturnum et acerbum cruciatum eis inferentes. Alia præterea multo graviora supplicia excogitarunt, hostem generis humani et veritatis inimicum, doctorem habentes. Nec tamen Athletarum fortitudinem frangere potuerunt. Ultro enim accurrebant, mortem, qua immortalis paratur vita, oppetere cupientes. Duos porro tresve hoc loco commemorabo, ut ex iis reliquorum etiam constantia perspici possit *e*.. Suenem *f* præterea, mille servorum dominum, qui ipsi contradicebat, nec Creatorem suum negare volebat, interrogavit, quisnam servorum E ipsius esset nequissimus. Cumque hunc toti familiæ præposuisset, ipsum quoque Dominum ei servire jussit. Dominam quoque, quæ conjux fuerat Domini, eidem servo matrimonii jure copulavit, sperans hoc facto se veritatis Defensorem de sententia dejecturum. Verum spe sua frustratus est : quippe ille domum suam ædificaverat supra petram.

exponuntur.

ANNOTATA.

a *Flammis abolitum fuisse Theophanes aliique dicunt, idque verisimile est, cum alias vix destrui potuerit a Christianis : nam gentiles mox cœptam alio modo destructionem impediissent. Amrus in Commentario num.* 9 *laudatus templi destructionem attribuit cuidam presbytero, quem apud Assemanum tom.* 2 *pag.* 40. Hosce *nominat. Verum sive id fecerit* Abdas *per se, sive per illum presbyterum, passim ipsi factum attribuitur a scriptoribus Græcis, ideoque dicendum est, rem ipsius saltem consilio fuisse peractam.* F

b *Cum Theophanes dicat*, diversis *afflictum fuisse* tormentis, *verisimilius est, fuisse occisum eo modo, quo refertur in Commentario num.* 2 *et præsertim num.* 6.

c Vararanes *ab aliis vocatur, atque ejus nominis quintus est Persarum rex*, quem Persæ Arabesque Beheramum appellant, *inquit Assemanus tom.* 3 *pag.* 396, *ubi dat chronologiam quorumdam regum Persarum, et hunc Varanem viginti annis regnasse existimat.*

d *Filius Vararanis quinti fuit Isdegerdis, vel* Jezdegerdes *secundus, quem annis septemdecim regnasse credit laudatus Assemanus pag.* 397.

e *Hoc loco narrantur de S. Hormisda, quæ data sunt apud nos ad* 8 *Augusti.*

f Suenem *nominatim sacris Fastis adscriptum non inveni ; volui tamen relata de ipso, uti et Anonymorum tormenta huc transferre, quia Martyres in hac persecutione passi apud Græcos generatim cum* S. Abda *et Benjamino annuntiantur ad* 3 *Martii.*

DE

A D

DE S. ANIANO EPISCOPO CONF.

VESONTIONE IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

Cultus Sancti et ætas utcumque probata : breve ejus elogium.

Circa an. CCCLXX. Sanctus in Fastis memoratus recentioribus,

Sanctus Anianus *episcopus Vesontionensis a plerisque martyrologis omissus est, et solum memoratus in Fastis quibusdam Vesontionensibus atque a paucis neotericis. Philippus Ferrarius inter hoc primus eum annuntiasse videtur in Catalogo generali, ubi ad hunc diem ita* B *habet :* Vesuntione S. Aniani episcopi. *In annotatis laudat tabulas et Kalendarium ecclesiæ Vesontionensis. Ferrarium secutus est Saussayus et breviter Castellanus in Martyrologio universali, in quo* S. Anianum *episcopum Vesontionensem hodie memorat. Saussayi elogium subjungo :* Item ibidem *(Vesontione)* depositio ipsius B. pontificis Aniani, qui octavus ordine nobili huic ecclesiæ præfuit ; sed antecedentibus episcopis meritis compar, posteris uti lucidum sidus totius gratiæ et virtutis præluxit : ornatusque omni religionis decore, perdigne exacto pastorali officio, a præmium perrexit. *De translatis SS. Ferreoli et Ferrutii martyrum corporibus hæc præmiserat :* Quorum corpora Christi stigmatibus illustria B. Anianus ipsius urbis pontifex divino beneficio reperit, atque insigni triumpho transtulit ad basilicam S. Joannis Euangelistæ; donec in loco confessionis eorumdem titulum spectabilem erexisset : quo constructo, ad novam ecclesiam idem beatus Antistes ipsamet pretiosa cadavera detulit, atque cum aromatibus recondidit cleri cum insigni comitatu, devotique populi, fide suæ auctores venerantis, concursu copioso. C *Nonnihil ornatus rhetorici elogio huic admixtum est.*

et Bisuntinis cultus antiquus,

2 *Joannes Jacobus Chiffletius in Vesontione part.* 2 *pag.* 49 *ex* Martyrologiis Bisuntinis *geminam affert annuntiationem hisce consentientem. Primo* Nonis Septemb. *testatur hæc legi verba :* Inventio SS. martyrum Ferreoli et Ferrutii : *ac deinde ista :* Depositio S. Aniani, qui eorum corpora transtulit ad ecclesiam S. Joannis. *Ex hisce jam liquet de Sancti cultu : isque confirmatur ex antiquis catalogis antistitum Bisuntinorum , in quibus titulus* Sancti *adjungitur* Aniano: *atque ex Breviario ejusdem ecclesiæ infra latius memorando, in quo* Beatus *vocatur. Antiquitas vero cultus magis probatur ex translato* S. Aniani *corpore una cum corpore S. Silvestri successoris ipsius : de quo ex Martyrologio S. Joannis Chiffletius hæc adduxit verba :* Nonis Junii, translatio sanctorum confessorum Sylvestri et Aniani, archiepiscoporum Chrysopolitanæ * ecclesiæ. *Ferrarius eodem die Silvestrum et* Anianum *commemorat ; sed ignorasse videtur, qua de causa ponerentur illo die, cum de translatione non meminerit. Longius aberravit Saussayus, qui aliam prorsus festivitatem* Aniani *inducit, ita scribens ad Nonas Junii :* Vesuntione Sequanorum metropoli ordinatio S. Aniani episcopi et confessoris *etc. Pro translatione ordinationem male substituit.*

** i. e. Bisuntinæ*

ex corporis translatione probatus.

3 *Porro cum illa translatio haud dubie facta sit ante multa secula ; licet tempus sit ignotum, ut fatetur Chiffletius, aliquam tamen dans conjecturam, quæ apud nos videri potest in S. Sil-* E *vestro ad diem* X *Maii ; certum quoque fit, qualemcumque* S. Aniani *cultum jam antiquum esse. Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu in Illustrationibus Claudianis (quod Opus posthumum incertum est apud nos tom.* I *Junii) pag.* 682 *de dicta translatione ita disserit :* Sepultum opinor *(S. Silvestrum* Aniani *successorem)* in basilica superiore S. Stephani : et cum ea a Valterio vel ab Hugone primo *(uterque episcopus fuit seculo* XI *)* ampliaretur, translatum cum Aniano decessore in eum tumulum sane pervetustum, qui nunc ad parietem est, prope altare sacelli S. Agapiti. In eo namque tumulo, anno Christi MLCXXVII, rogante et præsente me, a dominis canonicis aperto, inventa sunt duorum corporum ossa prægrandia, promiscue congesta, et loci humiditate putrescentia; atque in ossium cumulo annulus aureus, qui relatus in sacrarium, et de quadam hierotheca suspensus est. *Hactenus Chiffletius, cujus conjectura videtur probabilis.*

Ætas Sancti figitur circa annum 370,

4 *De ætate* S. Aniani *breviter agit Joannes Jacobus Chiffletius in Vesontione pag.* 49, *ubi de tempore inventorum corporum SS. Ferreoli et Ferrutii per* S. Anianum *sic loquitur :* Ea au- F tem reperta Valentiniano et Valente imperantibus, antiquæ complures tabulæ testantur (etsi male quidam codices, sub Juliano) quæ et S. Anianum obiisse notant circa annum Salutis CCCLXXIV. *Consentit mox laudatus Petrus Franciscus Chiffletius, tale texens* Aniano *elogium :* Anianus super corpora sanctorum martyrum Ferreoli ac Ferrucii, ex improviso reperta, mille et quingentis ab urbe passibus sacram ædem excitavit, Valentiniano et Valente imperantibus circa annum CCCLXX. Colitur Nonis Septembris, ipsa die inventionis martyrum. *Patitur hæc epocha latitudinem aliquot annorum, quibus ante vel post annum* 370 *fieri potuit inventio, si facta est sub Valentiniano et Valente, ut asseritur in Actis translationis posterioris eorumdem martyrum, quæ facta est seculo* XI. *Acta hæc data sunt apud nos tom.* III *Junii pag.* 13, *ubi hæc leguntur :* Sed Valentiniano et Valente regnantibus, B. Aniano in sanctæ Bisuntionensis ecclesiæ cathedra præsidente, mira Dei dispositione sunt reperti *(Ferreolus et Ferrutius;* quemadmodum in ipsius inventionis narratione digesta potest reperiri. Beatus vero Anianus, Christianæ

AUCTORE J. S.

stianæ fidei prædicator egregius, de reperto Domini thesauro incomparabiliter dives, in eo loco ædificavit ecclesiam, ubi monachorum sacrosanctam vitam instituens, sicut erat totius religionis perfectione repletus, in brevi effecit monasterium, necessariis ejus providentia attributis satis contentum.

an octavus aut nonus fuerit Vesontionensium episcopus; non satis constat.

5 *An antiquiora pro figenda epocha jam dicta habuerit monumenta uterque Chiffletius, plane ignoro, ideoque scire nequeo, quam sit certa, licet alioquin non male cohæreat cum tempore, quo præcedentes et subsequentes episcopos collocat uterque Chiffletius; atque eo ex capite magis fiat verisimilis. Porro inquirere non lubet, utrum octavus fuerit episcopus Vesontionensis, ut in multis catalogis ponitur; an vero nonus, ut in quodam Ms. catalogo habetur, et ut voluit Petrus Franciscus Chiffletius, S. Ferreolum cum illo catalogo inter episcopos Vesontionenses recensens loco secundo: nam fortasse aliqui ex prioribus, qui catalogo Vesontionensium inseruntur, isti ecclesiæ numquam præfuerunt, ut* B *jam observavit Henschenius tomo* VII *Maii pag. 36. Idem tom.* III *Junii in SS. Ferreolo et Ferrutio pag. 12 probavit, Acta inventionis Sanctorum illorum non esse scriptoris coævi; verbaque ipsius, quando dicit, se illa cognovisse ab* Aniano, *non sic intelligenda, acsi rem gestam ipse ab* Aniano *narrante audivisset, sed* ut per manus tradita, nec nisi mediate a Sancto sumpta notitia illa credatur. *Hisce præmonitis, breve* S. Aniani *elogium ex Actis translationis SS. Ferreoli et Ferrutii huc transfero, omissurus ea omnia, quæ ad Sanctos inventos spectant magis, quam ad* S. Anianum.

Corpora SS. Ferreoli et Ferrutii inventa

6 Beato denique sanctoque pontifice Aniano intimante, sanctorum martyrum miracula, sive gloriosa eorum quæque certamina, manifeste revelata sunt et ostensa. Nam cum in prædicta civitate episcopali fungeretur officio; tribunus quidam militum, qui ad custodiam civitatis fuerat D destinatus, venandi studio milliarii ac semis fere spatio ab urbe est progressus. Cumque repertam vulpem a canibus sequeretur; in antiquam monumenti martyrum foveam casu vulpes fugit: sed tribunus, dum pertinaciter insistit, militibus fossorium afferri jussit. Hæc dum per foveam inquiritur, latens ædes, ubi sanctorum martyrum corpora requiescebant, reperitur... Nuntius itaque statim B. Aniano destinatur. At ille festinus occurrit: quia jam hoc opinione vulgi antea audierat; et quoniam sancti Spiritus gratia afflatus erat, Divinitatis eum in hujusmodi miserationibus pietas non latebat. Martyrum ergo sepultura ejus jussu detegitur: statimque Sanctorum corpora in monumento reperiuntur... Beatus itaque Anianus archiepiscopus, tribunus quoque cum militibus ad civitatem redeunt cum triumpho, et excubiis maximis præsidis corpora Sanctorum ad matrem ecclesiam S. Joannis Euangelistæ, cujus fuerant discipuli, summa cum reverentia deferunt...

7 Interim vero a beatissimo præfato Aniano in loco sepulturæ ædificatur, ecclesia, Sanctorum corpora ibidem denuo cum aromatibus sepeliuntur. Conventus Fratrum ad Domino serviendum in sanctorum veneratione martyrum constituitur... Sed quoniam hæc a sanctissimo patre nostro Aniano archiepiscopo cognovimus, ejusque vitam inæstimabilem non seriatim, sed transeundo tetigimus; dignum est ut pro nostræ fragilitatis modulo ejus beatissimum finem proferamus. Peractis namque nonnullorum annorum curriculis post sanctorum corporum inventionem, eadem die ejusdem inventionis, sicut interiorem hominem servaverat immaculatum, ita, ipsis deferentibus martyribus, quibus devote servierat, transmisit ad Dominum. *Plura, quæ huc transferantur, de hoc Sancto non reperio.*

transtulit et ecclesiam ædificavit. E

DE S. ALPERTO PRESBYTERO CONF.

IN PAGO CESSIMA AGRI DERTONENSIS

C IN ITALIA F

J. S.

SYLLOGE

De cultu et gestis.

Cultus S. Alperti,

Ferrarius in Catalogo generali ad hunc diem ita habet: Dertonæ in Liguria S. Alperti confessoris. *Addit in annotatis:* Ex tabulis ecclesiæ Dertonensis, in qua corpus illius asservatur. Extat in territorio ecclesia et abbatia S. Alperto dedicata apud Cessimam pagum, in qua ejus miracula in pariete depicta conspiciuntur. *Quod sensu intelligendum sit, quod hic dicitur de miraculis pictis, colligitur ex Catalogo Sanctorum Italiæ ejusdem auctoris: nam ibi elogio mox dando hanc subdit annotationem:* Acta Alperti nulla extant; nisi quod in abbatia ipsius sub illius imagine in pariete jam pridem depicta hæc verba leguntur: QUALITER S. ALPERTUS, CUM ESSET AD MENSAM PAPÆ, AQUAM IN VINUM CONVERTIT. *Hoc unicum miraculum ibi depictum est, nec plura alia, quantum existimo. Porro Ferrarius in utroque Catalogo insinuat, hujus Sancti reliquias servari in ecclesia cathedrali Dertonensi, idque ex tabulis istius ecclesiæ colligi asserit.*

cujus præcipua pars corporis in propria dicitur servari ecclesia:

2 *Verumtamen existimo, totum Sancti corpus non esse in cathedrali Dertonensi, sed solum aliquas reliquias; præcipuam vero corporis partem servari in propria Sancti ecclesia. Id mihi persuadent notitiæ, quas anno 1662 ad Majores nostros misit Joannes Baptista Chapuis, ecclesiæ cathedralis Dertonensis canonicus theologicis præfectus, qui hæc memorat:* Die v *(Septembris)* in Calendariis antiquis S. Alperti confessoris

A fessoris Officium duplex signatur, et ejus reliquiæ in cathedrali. In synodo Dertonensi anni MDXCV inter sacras reliquias cathedralis notatur: DE OSSIBUS S. ALPERTI CONFESSORIS. Et in eadem synodo in descriptione ecclesiarum titulo, in loco S. Pontii et ejus plebe, habetur: Ecclesia parochialis S. Alperti de Butrio sub titulo S. ALPERTI CONFESSORIS ABBATIA: quæ quidem est antiqua, sed modo data est in commendam. Adest ibi arca prægrandis cum insculpta Sancti effigie in habitu monachili. Præterea S. Alpertus est titulus canonicatus cathedralis. *Hæc satis indicant, reliquias* S. Alperti, *quæ servantur in cathedrali, esse quædam ossa; ideoque non esse rationem idoneam, qua inficiemur præcipuam corporis partem in propria servari arca. Ecclesiam quoque* S. Alperti, *etsi* abbatia *vocetur, esse parœcialem, ex dictis liquet.*

3 *Elogium tale dat Ferrarius :* Alpertus monachus et sacerdos apud Cecimam agri Derthonensis pagum vitam duxisse traditur: qui apud summum Pontificem, quod minime jejunus celebraret, accusatus, ad illum profectus, innocentiam miraculo comprobavit. Nam aquam coram Pontifice et tribus Cardinalibus a se benedictam in vinum convertit. Domum reversus, cum aliquamdiu cum omni sanctitate Deo inservisset, Nonis Septembris migravit in cœlum. Corpus ibidem sepultum multis claruit miraculis, innumeris undique ad ejus tumulum ægrotis et infirmis confluentibus, votaque ob adeptam sanitatem nuncupantibus. Quo in loco ecclesia suo nomini dicata (quæ in abbatiam conversa est, et S. Alperti abbatia nominatur et Butrii.) Sarcophagum adhuc monstratur, in quo corpus illius ab incolis asservari putatur. *Hactenus Ferrarius, cujus dicta jam sufficienter explicata sunt. De tempore, quo* S. Alpertus *vixit, nihil reperio.*

AUCTORE J. S. *pauca e gestis cognita.*

B

DE B. URSICINO EPISCOPO

E

RAVENNÆ IN ITALIA.

SYLLOGE HISTORICA

J. S.

De cultu, reliquiis, gestis et ætate Beati.

AN. DXXXVII DXXXVIII. *Qualis B. Ursicini cultus :*

De *S. Urcisino medico et martyre apud Ravennates actum est a Papebrochio tom.* III *Junii pag.* 809 *et sequentibus. Hic autem ibidem num.* 6 *indicat, Ravennæ item qualicumque cultu honorari* B. Ursicinum *episcopum, ita scribens:* Scripsit idem Ferrettus archiepiscoporum Ravennatium Vitas, quas identidem allegat Fabri; ac nominatim ubi de S. Ursicino XXVII Ravennatium episcopo: cumque asserit anno DXLV, sui episcopatus III, die V Septembris excessisse e vivis, Sanctumque haberi etiam ipsum, quod et nos vidimus Ravenna transeuntes. *Hieronymus Fabri mox laudatus in Sacris monumentis antiquæ Ravennæ part.* 2 *pag.* 427 *in* S. Ursicino, *de hujus sepultura et cultu Italice habet, quæ reddo Latine :* Sacrum ejus corpus sepulturam accepit in basilica S. Vitalis apud corpus S. Ecclesii decessoris sui. Effigies ipsius conspicitur in abside ecclesiæ Classensis S. Apollinaris. Et licet ecclesia nostra memoriam ejus non celebret in divinis Officiis, sanctitatem tamen ipsius asserunt laudatus Ferretti, Hieronymus Rossi in suis Historiis, et in indice Ms. reliquiarum, Philippus Ferrarius in Vita S. Ursicini martyris: ac apud sepulcrum ipsius nomen ejus legitur marmori insculptum in pavimento cum titulo Sancti. *Papebrochius in Itinere Romano Ms. pag.* 219 *narrat, corpus* B. Ursicini *quiescere in ecclesia S. Vitalis, inclusum* marmoreo loculo parieti inserto, et sub ara *cujusdam* sacelli ad dextram. *Plura ad cultum spectantia non invenio. Cum autem in sola fere reliquiarum honorifica conservatione, et in titulo* Sancti *cultus consistere videatur; malui* Beati *titulo uti, quam* Sancti. *Castellanus tamen in Martyrologio universali* Sanctum *vocat cum aliis jam laudatis, ita eum annuntians hoc die :* Ravennæ S. Ursicini episcopi.

C

ejus gesta perstricta breviter :

2 *Agnellus, seculi* IX *scriptor, in Pontificali seu in Vitis pontificum Ravennatum* Ursicinum *ponit vigesimum quartum, atque in ipsius elogio plura disputat, quam de* Ursicino *narrat. Relata de eo, omissis reliquis, huc transfero :* Ursicinus XXIV, humilis vir, rubicundam habens faciem oculosque grandes, procer * statura, tenui corpore, sanctus de opere sancto; ædificator tricoli, *id est, domus archiepiscopi, ut in annotatis observat Blanchinius;* sed non explevit.... Jussitque et ammonuit hic sanctus Vir, ut ecclesiam * B. Apollinaris ab Juliano Argentario fundata, et consummata fuisset. Qui jussa mox adimplens, Deo volente, structa ab eo sancto est Viro in lapidibus Italiæ partibus pretiosis. Nulla ecclesia similis isti, eo quod in nocte ut in die pene scandefiat, *(forte dixerit* candefiat, *pro* candeat.) Igitur iste sanctus Vir quotidie sacrum Agni Corpus super aram Dominicam manibus discerpebat *(id est, quotidie Missæ offerebat sacrificium)* et peccata populi lacrymis expiabat.... Hæc in suis temporibus beatus iste Ursicinus peragens, jussu divino separata est ipsius a corpore anima. Ivit corpus in propria, sepultumque est in basilica B. Vitalis martyris ante altarium S. Nazarii. Sedit autem annos III, menses VI, dies IX. *Hactenus Agnellus, cujus phrasim barbaram ubique non corrigo, quia satis est, si lector sensum capiat.*

* procerus

F

* ecclesia

dicitur Beato apparuisse S. Ursicinus martyr modo mirabili :

3 *De structa* B. Ursicini *hortatu ecclesia Classensi S. Apollinaris multo plura sunt dicta in Commentario prævio ad Vitam S. Apollinaris* § 5, *seu tom.* V *Julii pag.* 335 *et sequentibus, atque eo lectorem remitto, ne actum agam. Porro*

relatis

AUCTORE J. S.

relatis ab Agnello aliud factum adjungit Hieronymus Rubeus in Historia Ravennatum lib. I *pag.* 25, *ubi sic habet:* Cujus admirabilis rei memoria cum plane interiisset, *(loquitur de traditione quadam populari, qua S. Ursicinus martyr caput suum post mortem gestasse creditur) traditio habet*, divo Ursicino Ravennatum archiepiscopo, ad ejus martyris sepulcrum oranti, Ursicinum hunc martyrem, caput manibus gestantem, tribus ex collo palmæ ramis prodeuntibus sese ostendisse: quamobrem ab eo die jussisse Archiepiscopum sanctum, quo perpetuo memoria servaretur, cjus imaginem hoc modo pingi: quod et ad hanc diem cernitur. *Idem repetit lib.* 3 *pag.* 157 *his verbis:* Ferunt autem, uti supra docuimus, eum divi Ursicini Ravennatis martyris memoriam, cum obtruncatus ex humo surrexit, caputque ambabus apprehendit manibus, tribus collo ramis palmæ prodeuntibus, renovandam curavisse; quod eo modo sibi, ad sepulcrum martyris oranti, visus fuisset. *Egit de hisce Papebrochius in S. Ursicino martyre ad* XX *Junii, satisque ostendit, gestationem istam capitis, enatosque e collo martyris tres palmæ* B *ramos, idoneo carere fundamento ad fidem faciendam. Attamen visionem* B. Ursicini *episcopi idcirco non negavit; nec inficiari voluit picturam visioni congruam ejus jussu factam. Verum nec vehementer asseruit istam visionem* B. Ursicini, *nec ego tam firmas pro illa visione rationes invenio, ut certam satis credam, cum Rubeus non indicet, unde illam hauserit, et Agnellus omnino de ea taceat.*

annus emortualis a plerisque statutus 545;

4 *Quotus inter antistites Ravennates fuerit* Ursicinus, *operosius non inquiram. Agnellus vigesimum quartum statuit, alii vigesimum septimum, ac demum Ughellus vigesimum octavum fuisse asserit. In ætate autem Sancti designanda plerique errarunt, nisi forsan erravit Agnellus, qui cum illorum sententia conciliari nequit, ut jam ostendit Bacchinius in dissertatione quarta ad Agnellum. Triennium ipsius cathedræ attribuunt Faber, Ughellus, aliique, atque istud ordiuntur ab anno* 542 *et deducunt usque ad annum* 545, *quo eum volunt obiisse. Triennio sex menses adjungendi sunt et dies novem, si malimus Agnel-* C *lum sequi. Prima nota chronologica in laudato Agnello hæc occurrit:* Denique ipsius Pontificis *(Ursicini)* temporibus defunctus est Athalaricus rex Ravennæ VI Non. Octobris. *Atqui Athalaricus Gothorum rex in Italica obiit anno* 534, *ut passim scriptores agnoscunt. Itaque, si credimus Agnello,* Ursicinus *ab anno* 534 *erat episcopus,* D *sive eodem creatus sit anno, ut existimat Bacchinius, sive jam citius.*

ut Beatus probabilius obiit anno 538

5 *Altera nota, qua ostendi potest,* Ursicinum *diu ante annum* 542 *præfuisse ecclesiæ Ravennati ex sententia Agnelli, reperitur in elogio Ecclesii, qui* Ursicinum *præcessit. Nam refert inter Ecclesium episcopum et clerum ipsius litem fuisse, eamque compositam a Felice IV summo Pontifice. Cum autem Felix IV obierit anno* 529 *aut* 530; *cumque Agnellus non plures Ecclesio episcopatus annos attribuat quam decem; clarum est, obiisse Ecclesium ex sententia Agnelli ante annum* 540, *licet determinatus mortis annus ex ea ratione colligi nequeat. Tertio demum quæ de successoribus* Ursicini, *Victore et Maximiano, narrat Agnellus, nullo etiam modo congruunt cum anno* Ursicini *emortuali, si hic obierit anno* 545: *nam Victori attribuit annos fere septem, et Maximianum ordinatum dicit* pridie Idus Octobris Ind. X, quinquies P. C., *id est, post consulatum,* Basilii junioris. *Ordinatum igitur dicit anno* 546, *ita ut ex sententia Agnelli necessario ante annum* 540 *obierit* Ursicinus. *Quapropter* E *non longe a vera abesse potest epocha Bacchinii, qui existimat* Ursicinum *episcopum creatum anno* 534, *non diu ante mortem Athalarici regis; defunctum vero prioribus mensibus anni* 538. *Sane si quis Agnello soli inhærendum credat, probabiliorem non inveniet epocham.*

aut forsan 537.

6 *Verum si satis constaret de die emortuali* V *Septembris, per Ferrettum et Fabrum statuta, exigerent dicta Agnelli, ut crederemus* Ursicinum *obiisse anno* 537. *Si enim sederit annos tres, menses sex, et dies novem, obieritque die* V *Septembris, episcopus factus est paucis diebus ante finem mensis Februarii, nec post annum* 534, *quo obiit Athalaricus: itaque defunctus fuit anno* 537, *si dictus mortis dies satis sit certus. At fateor nec Agnellum carere anachronismis et erroribus, nec scire me, quam solido nitatur fundamento prædictus dies emortualis: atque ea de causa nec annum* 537 *nec* 538 *omnino certum existimo. Cum tamen nihil habeamus melius aut antiquius, quam sit Opusculum Agnelli, pro figenda ætate* B. Ursicini, *cumque Bacchinius aliis etiam rationibus allatam epocham utcumque confirmaverit; probabilius existimo,* Ursicinum *obiisse anno* 537 *aut* 538; *nec satis perspicio, uter ex hisce annis sit præferen-* F *dus, cum ignoremus, quamdiu sedes vacaverit post mortem* B. Ursicini, *et rursus post obitum Victoris.*

DE

DE S. GENEBAUDO VEL GENEBALDO

EPISCOPO

LAUDUNI IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS J. S.

Sancti cultus, Vita a quo scripta: gestorum qualiscumque chronotaxis.

B

Circa medium seculi VI. Memoria Sancti in Fastis,

Ecclesia *Laudunensis in Francia a multis seculis hoc die coluit* S. Genebaudum *vel* Genebaldum, *primum episcopum suum, ac insigne fragilitatis humanæ divinæque misericordiæ documentum. Memoriam quidem hujus Sancti in Martyrologiis antiquioribus et classicis non reperio, atque ea occasione, opinor, etiam exsulat ab hodierno Martyrologio Romano; at eum defectum supplent cum Fasti posteriores tum notitia certa de cultu satis antiquo. Primo apud Sollerium in Auctariis Usuardi ad hunc diem quater recurrit memoria* S. Genebaldi *breviter laudati, nimirum ex codice Hagenoyensi, qui scriptus est anno* 1412, *et ex tribus editionibus Usuardi, quarum postrema est Molani. Ex hisce unum subdo elogium, quod Grevenus hoc modo concinnavit :* Eodem die, depositio beati Genebaldi episcopi Laudunensis et confessoris, de quo in gestis sancti Remigii legitur. *Celebrarunt insuper* S. Genebaldum *Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 1 *cap.* 41, *et auctor Florarii Sanctorum Ms. ad hunc diem. Ambo hi longum texuerunt elogium, seu potius compendium eorum, quæ infra dabuntur ex Vita S. Remigii. Prolixo item elogio* S. Genebaldum *commendavit Saussayus, breviori Ghinius, Ferrarius aliique brevissimo.*

C

cultusque certus

2 *Martyrologium Parisiense ita de eodem habet :* Lauduni, sancti Genebaldi episcopi, quem primum sanctus Remigius ordinavit huic castro, quod ex parochia sua distractum, ad sedis episcopalis honorem consentientibus coepiscopis evexit. Is concilio Aurelianensi quinto per Medulfum archidiaconum subscripsit. *In Missali Laudunensi, quod impressum est anno* 1506, S. Genebaldi *festivitas proponitur agenda ritu duplici. Ex Missa, quæ est de Pontifice confessore, huc transfero orationem primam, quia in ea sit mentio de corpore Sancti :* Propitiare, quæsumus, Domine, nobis famulis tuis per sancti Genebaldi confessoris tui atque pontificis, cujus corpus in præsenti requiescit ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per *etc. Alia habetur oratio pro aliis ecclesiis, sed hæc erat pro Laudunensi, quod corpus in ea requiesceret. Florarium nostrum Ms. memorat translationem* S. Genebaldi, *designans Laudunensem, die* VII *Decembris, quo etiam Maurolycus hunc nostrum annuntiat. Verum auctor Florarii* S. Genebaldum *confudit cum S. Gerebaldo Baiocensi, ut e loco addito patet.*

E

et antiquus.

3 *Quo tempore inchoatus sit cultus, non reperio : at titulum* Sancti *eidem attributum invenio seculo* XII *ab Hermanno monacho, cujus verba dabo infra. Flodoardus seculi* X *scriptor in Historia Remensis ecclesiæ pag.* 39, *post amplum elogium, de eo sic loquitur :* Obiit igitur Genebaudus in pace, Sanctis Dei connumeratus, tam diu episcopatu perfunctus, ut ei successerit Latro filius ejus episcopus, et ipse postea Sanctus. *Hincmarus item seculo* IX Genebaudum *vocavit* Sanctum, *sicut mox videbimus, ita ut jam tum verisimiliter cultus fuerit, et fortasse multo citius.*

Vita seculo IX scripta ab Hincmaro Remensi :

4 *Quæ de gestis* S. Genebaudi *ad posterorum notitiam pervenerunt, omnia fere leguntur in Vita S. Remigii per Hincmarum archiepiscopum Remensem seculo* IX *scripta, et edita apud Surium ad* XIII *Januarii. Ætas Hincmari, qui plusquam tribus seculis posterior est SS. Remigio et* Genebaudo, *magnam ei nequit auctoritatem attribuere, et ne modus quidem scribendi satis respondet doctrinæ sui auctoris, ut jam observarunt Benedictini scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom.* 5 *pag.* 576. *Verum quod spectat ad autoritatem totius Vitæ, ea magis examinabitur ad* I *Octobris, ubi de S. Remigio erit agendum. Hic solum observo, illa, quæ spectant ad* S. Genebaudum, *magis ex traditione et fama populi hausta esse, quam ex monumentis antiquis. Id collige ex ipso Hincmaro in Opusculo* 55 *capitulorum, in quo cap.* 16 *pag.* 64 *Hincmarum Laudunensem ita alloquitur :* Nec tui decessores ac prædecessores subdi dedignati sunt Remorum episcopis, et de rebus ecclesiæ Remorum metropolis, de quibus ditatum est episcopium Laudunense, quando in ipsam venerunt parrochiam, humiliter ac benigne Remorum ecclesiæ famulari, ex quo beatus Remigius sanctum Genebaudum in Laudunensi castello episcopum non solum constituit, sed etiam, ut ostendit antiqua traditio, et monimentum reclusionis, qua eum propter excessum notissimum secundum regulas reclusit, post dignam satisfactionem restituit *etc. Perstringit hic præcipua capita, quæ in Vita S Remigii fusius narravit, videlicet erectionem episcopatus Laudunensis, peccatum seu lapsum carnalem* Genebaudi, *pœnitentiam ab eo actam, et resumptum munus episcopale; nec laudat Vitam*

F

AUCTORE J. S.

tam antiquiorem, nec alia monumenta scripta; sed traditionem antiquam et monimentum reclusionis. Verisimile igitur est pleraque de S. Genebaudo *relata esse ab Hincmaro ex traditione, licet negare idcirco nolim aliqua etiam ex antiquis scripturis hauriri potuisse.*

erectio cathedræ Laudunensis satis certa videtur et facta circa annum 497:

5 *Quod spectat ad facta præcipua ab Hincmaro relata, non video prudenter dubitari posse, quin sint vera; at idem non dixerim de adjunctis omnibus, quæ ex fama populari nimis liberaliter scribere potuit Hincmarus. Primo non videtur dubitandum, quin cathedra episcopalis Lauduni erecta sit per S. Remigium, primusque ibidem episcopus statutus* S. Genebaudus. *Nullus enim Hincmaro id asserenti contradixit, sed alii multi idem scripserunt. Hermannus Monachus lib.* 1 *Miraculorum S. Mariæ Laudunensis cap.* 1 *assentitur his verbis :* Laudunensem itaque ecclesiam certum est inter præcipuas regni Francorum ecclesias antiquitus fuisse celebrem, quam beatus Remigius Remorum archiepiscopus, sicut in ejus Vita legitur, ex propriis redditibus locupletavit, nobilissimumque et strenuissimum virum sanctum Genebaudum in ea episcopum conse-
B cravit. *Sigebertus in Chronico ad annum* 200 *ita habet :* Collatis a Ludovico *(id est Clodoveo)* rege multis prædiis ecclesiæ Remensi, Remigius multa eorum parte data ecclesiæ Laudunensi, sedem episcopatus ibi esse constituit : primumque illic episcopum Genebaudum constituit, et eumdem in fornicatione cum sua quondam uxore prolapsum, sed septennali pœnitentia purgatum, et de reclusione divino jussu eductum, sedi suæ restituit. *Posuit Sigebertus erectionem ecclesiæ Laudunensis uno anno post baptismum Clodovei, et eatenus satis probabiliter: verum Clodoveus baptizatus est anno* 496, *ut clare probat Pagius ad annum* 499 *num.*9 *et* 10; *non vero anno* 499 *per Sigebertum statuto. Si igitur cathedra Laudunensis tantum uno anno posterior sit baptismo Clodovei, erecta est anno* 497. *Non longe a vero abesse hunc annum existimo, nec tamen omnino certum dico, cum erectio uno alterove anno serius fieri potuerit.*

lapsus item et pœnitentia Genebaudi sati'sunt certa: diuturna episcopatus

6 *Secundo lapsus carnalis* S. Genebaudi *cum uxore ante dimissa satis item videtur certus : nam eum non negarunt Laudunenses. Certa similiter pœnitentia ejusdem, et restitutio in sedem episcopalem per S. Remigium. Verum singula facto-*
C *rum illorum adjuncta non æque apparent certa, uti observabo in annotatis ad elogium infra dandum. Tempus administrati episcopatus ante lapsum et pœnitentiam exacte determinari nequit. Cointius de inchoato episcopatu nobiscum consentiens, lapsum memorat ad annum* 508, *a quo eum non longe amovendum credit. Bailletus in Vita ad* v *Septembris notat in margine* circa annum DVI. *Forte jam citius contigit, videlicet post biennium vel triennium episcopatus administrati; nam tempus istius rei nulla insinuatur nota chronologica. Si tamen ad relationem Hincmari attentum advertamus animum, potius videbitur brevis fuisse administratio episcopatus ante lapsum quam diuturna. Verum quidquid sit de tempore lapsi Episcopi, diuturna fuit sedis episcopalis administratio post lapsum iteratum septennali pœnitentia expiatum, cum, teste Hincmaro et Flodoardo, tam diu sederit, ut filius ipsius Latro Patri in episcopatum successerit. Magis id firmatur ex concilio Aurelianensi* v, *cui archidiaconus ipsius ita legitur subscriptus :* Medulfus archidiaconus directus a domno meo Gennobaudo episcopo ecclesiæ Lugdunensis Clavato subscripsi. D
Laudunum eo tempore passim vocabatur Lugdunum Clavatum, *ut satis notum est.*

administratio, cum anno 549 archidiaconum suum miserit ad concilium Aurelianense.

7 *Attamen videtur dubitare Bailletus, an idem hic designetur* Genebaudus, *et dubitationem suam confirmat ex eo, quod sic ultra annos quinquaginta fuerit episcopus. Verum justa ratio dubitandi non occurrit, cum nullus alius sciatur toto tempore intermedio sedi Laudunensi præfuisse; cumque verisimile sit* S. Genebaudum *ob egregias animi dotes cum stirpis nobilitate conjunctas ad episcopatum fuisse evectum, dum non multum provectæ erat ætatis, uti factum est de S. Remigio. Si autem circa annum trigesimum ætatis factus est episcopus, et circa annum Christi* 497; *jam quinquaginta annos episcopatus excesserit, annumeratis scilicet pœnitentiæ annis, et ultra annos octoginta ætatis habuerit : at neutrum incredibile est, aut inusitatum. Porro dici nequit, quot annis supervixerit post memoratum concilium, ideoque annum emortualem fixi circa medium seculi* VI. *Nunc Acta subjicio ex codice nostro Ms., qui notatur* Q. Ms. 4, *cum aliis Mss. et cum Surii editione collato. Annotationes de more addam non solum ad ostendendam codicum* E
diversitatem, sed etiam ad discutienda quædam Hincmari asserta.

ACTA

Auctore Hincmaro Remensi episcopo

Ex codice nostro Ms. cum aliis Mss. et editione Surii collato.

F

Erectus episcopatus Laudunensis, ubi Genebaudus primus episcopus,

Et de his, quæ in Remensi provincia illi fuerant * traditæ, non modicam partem ecclesiæ S. Mariæ in castro Laudini Clavati *a* Remensis parrochiæ *b*, ubi nutritus fuerat, tradidit : ibique Genebaudum *c*, virum carne nobilem, et tam in Scripturis sanctis, quam in secularibus litteris eruditum, qui relicta uxore *, nepte scilicet ipsius B. Remigii, vitam religiosam *d* expetierat, episcopum ordinavit, et parrochiam ipsius comitatus Laudunensis præfato castro subjecit. Qui Genebaudus plusquam necesse fuerat de anteacta vita et gradus sublimitate confidens, cum debuerit cogitare, quia nec David sanctior, nec Salomone sapientior esset, qui mulieris * delinimentis periclitati sunt; incaute suam uxorem, quam relinquens mutaverat in sororem, quasi pro instructione salutari, frequentius se visitare *e* permisit, oblitus Scripturæ dicentis : Lapides excavant aquæ, et alluvione * terra consumitur, et rupes transfertur de loco suo.

* Surius fuerunt

a b c

* Sur. conjuge

d

* al. mulierum

e

* al. additur paulatim

qui rediens ad uxorem ante relictam, filium et filiam genuit :

2 Unde contigit ut crebræ visitationes, et blanda ac frequentia mulieris colloquia, durum contra luxuriæ mollitiem cor Episcopi emollirent, ex quasi rupem saxeam de loco sanctitatis ad luxuriæ inquinamenta transtulerint. Et item * contra Scripturam dicentem : Quis alligabit ignem in sinu suo, et * vestimenta ejus non comburentur? Admota igni palea, id est carnis muliebris materia, libidinis ignem suasione diabolica, quasi vento vehementi exagitante, ardor luxuriæ in flammas

* al. Ms. iterum

* al. ut et

A flammas erupit, et concumbens *f* cum eadem quondam uxore sua, mulier concepit; et post partum mandavit * Episcopo, filium se peperisse. Genebaudus vero confusus et dolens, nuncio dixit: Quia latrocinio, ut lateret homines, quod Deum latere non potuit, in cubiculi absconso generatus est, recte vocabitur Latro: sic ei nomen imponat. Et quia culpa hominibus non innotuit, ne suspicio inde procederet, si se a solita visitatione fœmina illa subtraheret, cœpit ut antea domum frequentare *g* Episcopi. Sicque factum est, ut tecta hominibus culpa, et in cordibus tam Episcopi quam fœminæ tectus luxuriæ ardor, quoniam ut notum est, quo magis tegitur, tectus magis æstuat ignis: contra culpam compunctus Episcopus, sed post fletum ad culpam rediit; et oblitus est quod planxerat, cum extinguere noluit, quod per desiderium ardebat. Iteravit peccatum, quod egerat, Concepitque iterum mulier, et misso nuncio, mandavit Episcopo, se fœminam perperisse: quam jussit nominari Vulpeculam. Quod cur ita eam nominari voluerit, qui fraudes et significationes in Scripturis ipsius animalis cognoscit, quas ad dolos et versutias deceptoris diaboli, et ad carnis B petulantis illecebras et anfractus retulit, facile satis advertit.

f

* al. mandat

g

peccata sua humiliter confitetur S. Remigio,

3 Tandem Domino, qui beatum Petrum respexit, et negationem amarissime flevit, illum respiciente, Genebaudus in se reversus, ad sanctum Remigium misit, petens, ut Laudunum veniret; quia tales causæ ibi emerserant, quas per se diffinire non posset. Beatus autem Remigius, sicut Genebaudus petiit, Laudunum venit *. Et susceptus cum debita reverentia, ac secreta cubiculi petens, Genebaudum interrogavit, pro qua causa illum vocaverit. Genebaudus vero cum maximo fletu et ejulatu volens tollere stolam de collo suo, et procidere ad pedes sancti Remigii, cum magna virtute a beato Remigio est detentus, ne stolam de collo suo tolleret. Et postquam diutius ambo fleverunt (intellexerat enim B. Remigius Genebaudum admisisse crimen, pro quo stolam vellet deponere) vix cum singultibus et lachrymis Genebaudus per ordinem omnia retulit, quæ commiserat.

* al. pervenit

et pœnitentiam accipit ab eo cellæ inclusus:

4 Quem S. Remigius videns contritum et pene desperatum, blande consolatus est, dicens, quod *h* non tantum doleret de admisso ab eo crimine, quantum quod sic male sentiret de Domini bonitate, cui secundum Euangelicam veC ritatem, non est impossibile omne verbum: qui de nihilo cuncta fecit, primumque parentem, in quo omnes peccaverunt, gratia salvum fecit. Ullum peccantem ad se reversum non despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit. Et qui quatriduanum et jam fœtentem Lazarum lachrymis sororum, quæ signarunt solicitas ac flebiles pœnitentium cogitationes, compatiens flevit, et a mortuis suscitavit, et suscitatum convivio suo admisit. *i* .... Et ut erat doctissimus, ac orator eloquentissimus, testimonia de latitudine sanctæ scripturæ et exempla pœnitentium in unum colligens, ad animandum eum illi proposuit, et exhortato pœnitentiam indixit. Factaque mansiuncula cum lecto * in modum sepulchri, et parvissimis fenestellulis * ac oratorio, quæ hodieque manent secus ecclesiam sancti Juliani, Genebaudum in ea reclusit, et clerum atque parochiæ ipsius populum per septem annos, ut et propriam parochiam gubernavit, et unam diem Dominicam Rhemis, alteram apud Laudunum *k* celebravit.

h

i

al. lectulo

* al. fenestellis

k

5 In qua reclusione pœnitentiæ, quam contritionis ac continentiæ idem Genebaudus fuerit, divina misericordia demonstravit. Septimo siquidem anno in vigilia Cœnæ Domini, cum idem Genebaudus in oratione pernoctaret, et seipsum defleret, quoniam is, qui ad hoc ordinatus fuerat, ut in illa die pœnitentes Domino * reconciliaret, ipse, suis criminibus exigentibus, nec inter pœnitentes in ecclesia merebatur consistere; circa mediam noctem venit *l* angelus Domini magna cum luce ad eum in oratorium, ubi pronus jacebat, et ait ad eum: Genebaude, exauditæ sunt pro te orationes patris tui Remigii: suscepit quoque Dominus pœnitentiam tuam, et demissum est peccatum tuum. Surge, et hinc egredere, facque ministerii episcopalis officium, et reconcilia Domino pœnitentes de criminibus suis. Genebaudus autem nimio terrore perculsus, respondere nihil potuit. Tunc angelus Domini confortans eum, et ne timeret, hortatus est, sed gauderet in misericordia sibi collata.

A. *Hinc anno post septennium angelus apparens Genebaudo,*

* Sur. Deo

l

6 Qui animatus dixit ad angelum: Non possum hinc egredi, quia dominus et pater meus Remigius clavem hujus ostii secum habet, quod et sigillo suo signavit. Et angelus ad eum: Ut non dubites, inquit, me a Domino missum, sicut patet tibi cælum, sic et ostium istud patebit. Et statim, salvo sigillo et sera, ostium illud apertum est. Tunc Genebaudus in modum crucis se jactans in limine, dixit: Etiamsi ipse Dominus Jesus Christus dignatus fuerit ad me peccatorem venire, hinc non ingrediar *m* nisi * ille venerit, qui me in ejus nomine in ista reclusione constituit. Et statim angelus Domini discessit ab eo. Beatus quoque Remigius in crypta sua, quæ retro sedem erat ecclesiæ S. Mariæ Remis, pernoctabat in oratione, et quasi dormiens in excessum est raptus: et vidit angelum *n* assistentem sibi, qui hæc * omnia, sicut dicta et gesta fuerant, narravit; et jussit, quantocyus Laudunum peteret, et Genebaudum episcopali sedi restitueret, et coram se ministerium episcopale agere persuaderet.

cum cella exire jubet monitusque ab eodem angelo S. Remigius,

E

m

* Sur. donec

n

* Sur ei

F

7 Mox sanctus Remigius nihil dubitans, cum summa celeritate Laudunum petiit, et in limine ostii, salvo sigillo et sera reserati *o*, Genebaudum jacentem reperit: quem tensis * brachiis cum gaudio et lacrymis, laudans Domini misericordiam elevavit; eumque sedi et officio episcopali, velut angelus Domini præceperat, restituere maturavit, et Remis * cum gaudio repedavit. Genebaudus itaque in sanctitate et justitia postea omnes dies vitæ suæ gratia Dei pergit, prædicans cunctis, quanta illi fecerat Dominus *p*, quatenus nemo de sua justitia confideret, nemo de misericordia Dei diffideret..... Obiit *q* itaque Genebaudus in pace Sanctis Dei connumeratus, tamdiu in episcopatu vivens, ut ei successerit Latro filius ejus episcopus, et ipse Sanctus *r*.

Genebaudum restituit sedi episcopali, quam usque ad mortem sancte administrat.

o

* Sur. extensis

* Sur. Remos

p

q

r

ANNOTATA.

a *Agitur de acceptis a S. Remigio pro ecclesia Remensi, ex quibus partem impendit ad fundandam ecclesiam Laudunensem. Laudunum autem olim frequenter dictum fuit* Lugdunum Clavatum, *hic* Laudunum Clavatum *dicitur.*

b Parochia *olim non raro dicebatur, quod nunc* diœcesis, *et contra.*

c Genebaudus *in Mss. ubique vocatum reperio, at Surius* Genebaldum *scripsit, uti et alii recentiores.*

d Religiosa

AUCTORE J. S.

d Religiosa *vita æque pro usu illius temporis clericalem significat quam monasticam.*

e *Verisimiliter uxor illa habitabat in palatio seu domo episcopali, quia usus illius temporis ferebat, ut clerici uxores antea ductas, quæ in ordinationem mariti sui consentientes continentiam promittebant, non dimitterent e domo sua; sed eas separato conclavi in domo sua retinerent ut sorores. Probat id latius Thomassinus in Disciplina Ecclesiæ part.* 1 *lib.* 2 *cap.* 61 *et* 62. *Verum major separatio deinde decreta est.*

f Concumbens *legitur in Mss., sed mendum videtur. Surius explevit phrasim hoc modo :* Et concumbente eo cum eadem *etc.*

g *Malim credere in eadem domo permansisse, et perrexisse, ut antea, solitaria cum Antistite miscere colloquia. Id magis congruit initio seculi* VI *: nam concilium Agathense anni* 506 *can.* 16 *non statuit, ut conjuges, postquam maritus ordinatus est, domo separati habitent, sed* sequestrato mansionis cubiculo. *Imo canones apostolici et S. Leo, apud Thomassinum laudati, prohibent domo emitti uxorem.*

h *Phrasim hic mutavit Surius hic modo :* Non
B tantum doleo *etc.*

i *Hic alia quædam sequuntur exempla, nimirum Magdalenæ, Sauli, aliorumque peccatorum, quibus divina bonitas gratiam præstitit; et quidem longe plura in Ms. codice, quam apud Surium, qui partem non modicam omisit. Ego hæc etiam amputanda censui, quod doctrinam potius moralem quam historicam contineant, præsertim cum tota Vita edi possit ad* I *Octobris, si operæ videbitur pretium.*

k *Dubitari potest, an revera S. Remigius toties ab una civitate ad alteram proficisceretur, licet idem quoque scripserit Flodoardus, qui iisdem fere verbis omnia narrat, sed subinde paulo brevius.*

l *Non indicat Hincmarus, unde eam visionem didicerit. Flodoardus de veritate dubitavit, ut insinuat per vocem,* fertur, *quam hæc referens iteratis vicibus ponit. Bailletus omnia narrat, sed tamquam somnium* Genebaudi. *Verum quis Bailleto dixit, tale somnium fuisse* Genebaudo? *Unde id somnium didicit? Aut vera narravit Hincmarus aut falsa; at certe non narravit ut somnium, sed ut visionem vigilantis.*
C *Fateor, me de veritate visionis dubitare, cum scriptor tribus seculis fit Sancto posterior, cumque ipse dubitaverit Flodoardus: at nequaquam dubito, quin Bailletus factum corruperit, et sua ipse somnia narraverit.*

m *Non facile credam hæc dicta esse a* Gene- D
baudo, *cum revelationi particulari satis cognitæ credendum esse doceant theologi. Nam sicut credendum est revelationi cognitæ, ita etiam mandato a Christo per talem revelationem accepto haud dubie est parendum. Quo igitur modo poterat Vir eruditus dicere, se ne Christo quidem veniente egressurum? Hæc aliaque ipsam visionem suspectam reddunt: nam ex tota relatione apparet, Hincmarum ubique studere, ut auctoritatem metropolitani Remensis extollat contra episcopum Laudunensem. Id vero tanto magis suspectum est, quando magis disputatum est de rebus similibus inter Hincmarum Remensem et Hincmarum Laudunensem.*

n *Visionem hanc prorsus omittit Bailletus. Attamen non video, cur hæc magis suspecta esse debeat quam præcedens. Utramque commentitiam vel utramque veram existimo. At in hac, si vera est, nihil corrigendum censeo : præcedentem vero visionem, si revera* Genebaudo *oblata est, minus recte narratam puto.*

o *Hæc satis ostendunt, non posse visione* Genebaudi, *si vera narravit Hincmarus, pro mero haberi somnio.* E

p *Huc usque Surius. At in codice nostro Ms. longa sequitur disputatio, cujus prima solum verba posui. Reliqua dari poterunt in Vita S. Remigii, si videbitur.*

q *Laudatæ dissertationi de misericordia Dei ultima illa verba sunt inserta, quæ etiam inveniuntur apud Flodoardum.*

r *Hæc verba,* Et ipse Sanctus, *apud Flodoardum,* et ipse postea Sanctus, *utcumque insinuant, Latronem post mortem pro Sancto fuisse habitum.* Sanctum *vocavit Saussayus, in Catalogo Sanctorum post Martyrologium Gallicanum ita de eo scribens :* S. Latro nomine, revera autem non latro, sed lator potius gratiæ et justitiæ, omnisque ferax homo virtutis, filius fuit S. Genebaldi episcopi Laudunensis ex furtivo complexu conjugis ante sacerdotium ductæ, heresque pontificiæ dignitatis, non jure sanguinis, sed præcellentis fidei et pietatis merito. *Castellanus in Corollario aëmerorum Martyrologii Universalis pag.* 936 *ut* venerabilem *memorat; observans tamen* Sanctum *vocari a Flodoardo. Verum cum* F
addat nec Officium de eo fieri nec ullam commemorationem, mihi nec Flodoardi nec Hincmari auctoritas sufficit, ad titulum Sancti *vel* Beati *adscribendum ejus nomini; præsertim cum ne illi quidem id clare faciant.*

DE

DE S. VICTORINO EP. ET CONF.

COMI IN ITALIA

SYLLOGE

J. L.

Cultus ex Tatti Martyrologio et Annalibus Comensibus præcipue probatur : expenduntur quæ de ejus gestis et ætate tradunt recentiores.

B

Versimiliter circa medium seculum VII. S. Victorini, de quo

Alterum hoc die S. Victorinum *damus, Comensem vel Novocomensem apud lacum Larium in Italia Subalpina episcopum et confessorem. Cultum ejus præcipue nos docet Aloysius de Tattis Congregationis clericorum regularium de Somacha theologus ac sacri Officii consultor in Martyrologio Novocomensi, an.* 1675 *excuso, et in Annalibus sacris ejusdem civitatis, anno* 1663 *editis, decade* I *lib.* 9 *num.* 25; *ubi hæc habet :* Victorinus noster secundum aliquos feliciter obdormivit in Domino anno DCXLIV V Septembris. Concordat dies cum traditione ecclesiæ Comensis, quæ tunc sancti Episcopi festum celebrat *(apponitur hic in margine :* Off. propr. SS. eccl. Com. V Sept.) in templo S. Abundii; ubi a majoribus nostris tumulum accepit, atque etiam nunc colitur. *In Martyrologio Sanctum ita laudat :* Nonis Septembris. Novocomi in basilica D. Abundii S. Victorini Comen. episcopi et confessoris, qui ad hanc ecclesiam gubernandam Longobardorum tempore accersitus, ab illius gentis principibus, lue Ariana fœdatis, assiduas contumelias et calamitates sustinuit, ut oves a Domino sibi commissas a malis ingruentibus servaret, quod et
C gloriose obtinuit. Tandem multis pro ecclesia sua laboribus fessus, episcopalem tyaram cum æternæ beatitudinis corona commutavit.

varii auctores meminerunt,

2 *Sancti elogio sequentia proxime subjiciuntur :* Officia propria Sanctorum ecclesiæ Novocomen. agunt de S. Victorino hoc die una cum Ben. Jovio Hist. patriæ lib. 2, Feliciano Ninguarda in Descriptione ecclesiarum urbis, ubi de basilica S. Abundii; Philippo Archinto in Elencho suorum prædecessorum, Lazaro Carafino tum in Dyptica episcoporum Comen. n. XVII, tum in Catalogo SS. et BB., quorum corpora in civitate et diœcesi requiescunt; Francisco Ballarino Chron. Comen. p. 2, Roberto Ruscha lib. I suarum Antiquitatum, Quintilio Lucino Passalaqua in I. Epist. histor., Ferdinando Ughello to. V Italiæ sacræ in serie episcoporum Comen. n. XVII, Lelio Fravezzio in Diario perpetuo Comen. et Philippo Ferrario in nova Topographia ad Rom. Martyrol. Nos quoque de ipso plura disseruimus Annal. Comen. *decade* I lib. IX an. XVI usque ad XXV. *Benedicti Jovii, Ballarini, Ughelli, Ferrarii et Tatti Opera ex enumeratis dumtaxat ad manum sunt. Tam hos quam ceteros scriptores, in quorum omnium ætatem inquisivi, antiquitate superat Jovius, cujus Opus, in Thesauro antiquitatum et historiarum Italiæ tom.* 4 *part.* 2 *Lugduni Batavorum anno* 1722 *recusum, ita concluditur :* Explicit Historia patria sive Chronica Benedicti Jovii Comensis ab initio E urbis usque ad annum Domini MDXXXII.

et aliorum 21 præsulum Comensium cultus :

3 *Postquam laudatus Jovius initio libri* 2 *de primis* 22 *patriæ suæ episcopis, quos inter* S. Victorinus *ordine decimus septimus sedit, scripsisset, de omnibus ita pronuntiat :* Hi sunt viginti duo episcopi catalogo Sanctorum adscripti. *Ferrarius in nova Topographia ad Martyrologium Romanum, anno* 1609 *Venetiis edita, agens de* Como, *urbis hujus Sanctos duas distribuit in classes. In priore sunt ex primis viginti duobus episcopi Comenses decem, quos Officio ecclesiastico honorari ait. Posteriorem classem constituunt reliqui duodecim, e quorum numero* S. Victorinus. *Singulorum nominibus expressis, subdit Ferrarius :* De prædictis autem episcopis, licet inter SS. habiti sint, eccl. Comen. nullum recitat Officium. *Tattus in Martyrologio Novocomensi, quod anno* 1675 *lucem aspexit, duodecim istos Præsules variis diebus celebrat, omnesque in Notis ad ipsorum elogia Officio proprio coli affirmat, præter S. Joannem I, cognomento Orcum, inter diei* XXXI *Augusti prætermissos in Opere nostro* F *relatum. Honoratior ei locus concedetur in illius Supplemento : nam quod Tattus in Martyrologio reticuit, id jam ante in Annalibus, anno* 1663 *impressis, decade* I *lib.* 8 *num.* 9 *clarissime asseruerat, videlicet* XXXI *Augusti de S. Joanne I Officium proprium legi. Pari cultu S. Flavianus I et S. Prosper præsules Comenses honorantur, hic* 2 *Martii, ille* XXVI *Februarii; pariterque in Opere nostro desiderantur : in quo ex dictis* 12 *episcopis unum dumtaxat* III *Septembris dedimus S. Martinianum.* S. Victorino *sacer est dies* V *Septembris : septem reliquorum festa in trium postremorum anni mensium dies incidunt.*

ex hisce multi, quos inter S. Victorinus, Officio proprio honorantur in sola

4 *Quæ Tattus in Martyrologio suo et Annalibus de cultu sanctorum Præsulum ecclesiæ Comensis sparsim scribit, studiose pervolvi, et quæ ipse identidem laudat Officia propria, edita fuisse didici ante medium seculi* XVII *seu annum* 1651 *post decretum Urbani PP. VIII anno* 1634 *promulgatum, Lazaro Caraffino episcopatum Comensem administrante. Omnino præsumi debet tunc legitime inchoatam fuisse recitationem Officii*

AUCTORE J. L.

cii proprii de S. Victorino *et aliis, de quibus antea nullum legebatur, atque inter eos esse neminem, cujus veneratio publica per decretum istud fuerit interdicta, quia scilicet omnes illam obtinuerant ab immemorabili tempore ante idem decretum. Centum annis completis, qui ex mente Pontificis immemorabile tempus constituunt, illo antiquior est Jovii Historia, in qua* viginti duo *primi Comenses* episcopi catalogo Sanctorum adscripti *dicuntur. Ex Tatti Martyrologio et Annalibus mihi etiam innotuit, multos ex illis Officiis propriis coli non per totam diœcesim Comensem, sed in ecclesia S. Abundii dumtaxat, in qua eorum corpora quiescunt. Hisce* S. Victorinum *accenseo, cujus festum Tattus in Annalibus Officio proprio* v *Septembris celebrari ait* in templo S. Abundii. *In Martyrologio Sanctum quoque* Novocomi in basilica D. Abundii *etc. annuntiat.* Tumulum, *inquit in fine adjectæ annotationis*, quem in obitu suo a majoribus nostris Victorinus accepit, adhuc retinet ante aram maximam in præfata S. Abundii ecclesia sub ipsius odeo exteriori.

B *ecclesia S. Abundii*

5 *Porro* ecclesia *(verbis Jovii utor, ex lib. 2 Historiæ patriæ excerptis)* extra urbem sita, quæ S. Abundii nuncupatur, apostolis prius Petro et Paulo consecrata fuit; et hæc antiquissima est. Hic aliquando Comensium episcoporum sedes fuit... Habuit olim canonicorum collegium... Anno tertio decimo supra millesimum Nonis Augusti Albericus Comensis episcopus, dimotis canonicis, abbatiale cœnobium *Ordinis S. Benedicti* illic instituit, *cathedra et clero intra urbem ad Deiparæ Virginis ecclesiam translatis...* Post annos octoginta duos Urbanus secundus Pontifex maximus in Galliam profecturus... Comum divertit, et basilicam ipsam sub nomine divi Abundii denuo dedicavit... Postquam Sixtus quartus Pontifex maximus tam multas cœnobiorum commendas facere cœpit, hoc quoque... abbate caruit, nunc cardinalibus, nunc episcopis commendatum. *Anno* 1618 *ecclesia S. Abundii tradita fuit monialibus Ord. S. Augustini, teste Francisco Ballarino in Compendio Chronici Comensis, an.* 1619 *vulgato, part.* 3 *pag.* 279.

C *De Sancti gestis nihil profertur ex antiquis monumentis: elogium Ughelli,*

6 *In elogiis* S. Victorini *apud Ballarinum part.* 2 *laudati Compendii a pag.* 104 *et Ughellum tom.* 5 *Italiæ sacræ in episcopis Comensibus nonnulla ipsius gesta enarrantur. De hisce Tattus in Annalibus longiorem orationem adornavit, cujus medullam continet annuntiatio, quam ex ejus Martyrologio num.* I *retuli. Jam nominati seculi præcedentis scriptores inter litterarum monumenta, quæ de Sancto meminerunt, nullum proferunt vetustius Historia Benedicti Jovii anno* 1532 *perfecta; in cujus libro* 2 *de episcopis Comensibus ex professo agitur, nec nisi solum* Victorini *nomen catalogo Sanctorum inscriptum memoratur. Hinc mihi non levis suspicio oboritur pauca, quæ neoterici de sancti Præsulis vita vulgarunt, ex documentis satis antiquis confirmari non posse, nihilque certi de ipso oblivioni superesse præter nomen et sanctitatem. Interim elogium accipe, quo apud Ughellum citatum Sanctus exornatur :* Victorinus e Bithynia, Nicomediensis civis, post Martinianum Comensem cathedram conscendit anno DCXXVIII. Celebris doctrina fuit, implacabilisque Arrianorum persecutor, qui per id tempus, Rothari rege favente, totam Italiam inficere conabantur. Cum igitur de Cumana persecutionum procella, quam ab Arrianis pro tuendo grege passus fuerat, strenue perfunctus fuisset, successissetque Rothari Cundipertus rex egregie pius, ab eo retulit Victorinus plura privilegia, atque immunitates in favorem suæ ecclesiæ. Postremam diem obiit hic sanctus Præsul anno DCXLIV die v mens. Septemb., sepultusque est in cathedrali *SS. Apostolorum Petri et Pauli, nunc S. Abundii.* D

ejus et Ballarini errores: Commensi ecclesiæ præfuisse creditur

7 *Eadem, si substantiam spectes, ante Ughellum de* S. Victorino *tradiderat Ballarinus, tempus mortis ejus ita determinans :* Transiit ad vitam cælestem anno Domini DCXLIV die v Septembris sub Pontificatu Theodori I, tempore Constantini III imperatoris. *Nunc Tattum audi in notis ad Martyrologium :* Non satis constat, quo defunctus fuerit anno Victorinus, licet plerique recentiores indubitanter asserant ex hac miseriarum valle sublatum anno Domini DCXLIV. Si enim Præsul hic noster obiit anno DCXLIV sub Theodoro (I) Pontifice, ut ipsi tradunt; quomodo accidere id potuit sub Constantino III imperatore, qui triennio ante imperare pariter et vivere desierat, nempe anno DCXLI. Quomodo cum Gundeberto Longobardorum rege intima, *ut Ballarinus scribit*, usus est consuetudine, ab eoque multis, *ut apud Ughellum legitur*, condecoratus immunitatibus, si Gundebertus non nisi anno DCLXI Italici regni habenas assumpsit? Annus ideo certus nos latet, ut alibi *(in Annalibus decade* I *lib.* 9 *num.* 25*)* diximus, sicut et complurium Comen. episcoporum; quamquam iidem neoterici illum assignent non sine erroris, ut patet apertissime, et imprudentiæ nota. *Convenit inter Tattum in sæpe laudatis Annalibus et alios, quos verbis jamjam datis in turpem anachronismum lapsos ostendit, ecclesiæ Comensi præfuisse* S. Victorinum *sub Rothari Longobardorum rege, qui, ut probabilior eruditorum est sententia, e vita excessit anno* 654, *regni sui* 17. *Hinc supra in margine ad num.* I *medio circiter seculo* VII, *latius accepto, Sancti mortem affixi, sub dubio tamen; quia certo non constat episcopatum ejus cum Rotharis regno concurrisse.* E

S. Victorinus sub Ariano rege Rothari, quod non improbabile est.

8 *Paulus Warnefridus diaconus lib.* 4 *de Gestis Longobardorum cap.* 44 *de rege Rothari ita scribit:* Fidei Christianæ non rectam lineam tenens, Arrianæ hæreseos perfidia maculatus est... Hujus temporibus pene per omnes civitates regni ejus duo episcopi erant, unus Catholicus et alter Arrianus. In civitate quoque Ticinensi usque nunc ostenditur, ubi Arrianus episcopus apud basilicam S. Eusebii residens, baptisterium habuit, cum tamen ecclesiæ Catholicæ alius episcopus præsideret. *Hæc fundamentum præbent opinandi, etiam in civitate Comensi, Rotharis ditioni subjecta, duos tunc sedisse episcopos, Arianum et Orthodoxum. An hic fuerit* S. Victorinus *certo, ut statim dicebam, non constat: re tamen examinata, comperi, Sancti episcopatum non sine probabilitate ad Rotharis regis tempora referri, et consequenter in eam præcipue curam ipsi incumbendum fuisse, ut veram religionem gregemque sibi commissum contra Arianos defenderet. Quæ Tattus in Annalibus Sanctum sub Rothari Catholicæ fidei causa fecisse et passum fuisse scribit, ejusmodi sunt, ut perfectissimis virtutibus cumulatissimum episcopum repræsentent : qualem quidem* S. Victorinum *fuisse minime negaverim ; at vellem facta particularia istud comprobantia ex idoneæ auctoritatis monumentis produci posse.* F

DE

A D

DE S. ANSARICO EPISCOPO CONF.

SUESSIONE IN GALLIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

S. Ansarici cultus, Acta : ætas et gesta examinata.

Circa medium seculi VII. Sancti elogium,

Sanctum Ansericum *vel* Ansaricum , *episcopum Suessionensem, vitæ sanctitate memorabilem, omissum tamen ab antiquis martyrologis, celebrarunt recentiores hac die , qua colitur, Saussayus prolixo hunc Sanctum exornat elogio, quod continet præcipua illius gesta , sed ordine quorumdam inverso. Istud, quia Acta minus probare possum , huc transfero :* Suessione depositio sancti Ansarici episcopi et confessoris. Hic ex vico Espaniaco in ipso tractu Suessionensi orthodoxis parentibus oriundus , cum ab ipsis pene incunabilis suavissimos pietatis ac justitiæ fructus libare incœpisset ; fœnus religiosæ educationis episcopum parentibus ac patriæ mox ac adolevit, rependit. Ab eunte enim ætate rerum laudabilium , ac maxime divini cultus , ita studiosum se præbuit , ut se a Deo ad magna excitatum , hominumque communi bono destinatum (tantæ gratiæ in ipso specimina effulgebant) non obscure proderet. Moribus enim castissimis et doctrina præcellenti omnium animos provocabat ad sui imitationem et venerationem. Unde Landulpho episcopo Suessionensi carnis nexibus absoluto , ad præsulatum expetitus , clavum tantæ Ecclesiæ suscipere ad moderandum coactus est, totius sacri Ordinis voto , ac populi flagitatione : quos equidem concepta de eo existimatio haud fefellit.

in quo rerum gestarum ordo perturbatus :

2 Factus enim pontifex Ansaricus, studia omnia in hoc convertit, ut gregis forma fieret, atque omnibus ad salutem, quantum exigit pastoralis cura , opitularetur. Impense enim de omnium provectione sollicitus , divites in officio pietatis continuit : pauperes consilio et solatio adjuvit : aberrantes in viam revocavit , omnes denique ad sancte agendi studium accendit assiduo hortatu , ac virtutum suarum admirabilium exemplis. Sed et cœlitum devotus cultor, sacra , quæ presserant suo in solo , vestigia a squalore extersit , basilicis nitorem restituit , aris splendorem indidit. Corpora sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani (in quos speciali reverentiæ affectu ferebatur) evocatis sanctissimis præsulibus Audoëno Rotomagensi , Pharone Meldensi , Eligio Noviomensi , ex loco , ubi diu abdita jacuerant post agonem , ad basilicam , a se eorum nomine dedicatam , magna cum veneratione transtulit. Dehinc et inter Galliæ lumina ad vindicandam sacram Ecclesiæ disciplinam , synodo Remensi, indictæ a Sonnatio archipræsule Sedis Apostolicæ legato , interfuit. Demumque post tot edita clara fidei, pietatis et justitiæ opera, pervigil ac fidelis Villicus, vocatus a Domino ad præmium profectus est. *Hactenus Saussayus, subinde licentia rhetorica usus : gesta tamen hic relata vera videntur ; sed synodus Remensis habita fuit ante translationem SS. Crispini et Crispiniani, ut videbimus, atque eatenus ordo gestorum est mutatus.*

memoria in Fastis, et cultus :

3 *Præterea* S. Ansaricum *annuntiarunt Ferrarius in Catalogo generali, laudans Fastos Rosweydi et Democharem, Castellanus in Martyrologio Universali , et novissime Martyrologium Parisiense, in quo ita habetur :* Suessione , sancti Anserici episcopi , qui concilio Remensi sub Sonnatio subscripsit. *Alii scriptores neoterici non pauci* Ansaricum *exornat* Sancti *titulo , testanturque eumdem coli Suessione die* v *Septembris. Satis erit huc transferre verba Claudii Dormay, qui in Historia Suessionensi lib. 3 cap. 43 pag. 276 de sepultura et cultu* S. Ansarici *Gallice scribit , quæ reddo Latine :* Corpus ipsius sepultum est in sacello ecclesiæ , quam ædificaverat, ubi etiamnum cernitur saxum , cui insculpta sunt hæc verba : " Hic sepultus est S. Ansaricus, olim episcopus Suessionensis ". Sacræ ejus reliquiæ ex hoc loco elevatæ sunt, translatæque ad ecclesiam cathedralem , ubi honoratæ sunt usque ad urbem captam a Calvinistis Gallis, quod contigit anno MDLXVII. Festivitas hujus Sancti celebratur die v Septembris, quo obiisse creditur.

Acta mendose scripta, attamen edenda.

4 *Acta* S. Ansarici *nulla hactenus edita scio ; sed exemplar aliquod Actorum Ms., quod notatur desumptum* ex archivis ecclesiæ Suessionensis , *Majoribus nostris transmisit Nicolaus Belfortius , jam alias in hoc Opere laudatus. Auctor illorum Actorum non modo ignotus est, et aliquot seculis Sancto posterior ; sed etiam destitutus fuisse videtur sufficienti scientia historica et chronologica , cum anachronismos ineptissimos Actis inseruerit , et pleraque narraverit ordine præpostero. Qua de causa parum auctoritatis hisce Actis tribuere possum, licet verisimiliter facta quædam in iis vere sint relata. Nihilominus meliorum defectu hæc ipsa edere statui; conaborque, quantum fieri poterit, probabilia secernere ab iis, quæ prudenter probari nequeunt , ordinemque inversum utcumque restituere. Præcipua autem facta hic discutere aggredior , reliqua in annotatis breviter observaturus.*

Locus natalis, aliaque usque ad episcopatum,

5 *Locus natalis* S. Ansarici *in Actis vocatur* Espagnycum, *ab aliis Latine* Espaniacum, *Gallice* Espagny. *Consentiunt omnes pagum esse agri Suessionensis, eumque laudatus ante Dormayus ait distare Suessione duobus aut tribus milliaribus Gallicis. Addit idem scriptor , parentes* Ansarici *fuisse conditione tenui , quod unde hauserit ignoro, nisi per conjecturam id dixerit, quia Acta de generis nobilitate nihil habent. Tempus , quo natus est Sanctus , nemo assignat, neque id accurate assignari potest. At natum esse ante finem seculi* VI , *facile videbimus ex tempore episcopatus , licet hujus initium æque sit incertum*

AUCTORE J. S.

incertum; ideoque dici nequeat, quot annis seculum VII natalis ipsius præcesserit. Miraculum fontis eliciti jam ante episcopatum Acta ei attribuunt, consentiente etiam alio quodam instrumento Ms., quod unde desumptum sit, nescio. Verum neque id monumentum Actis melius videtur, nec Acta ipsa satis bene sunt scripta ad fidem indubitatam de hoc miraculo faciendam, ut etiam insinuat Dormayus. Credibilius est a Sancto jam episcopo factum esse, si revera factum est.

cujus initium valde incertum est,

6 Initium episcopatus S. Ansarici adeo ambiguum est et incertum, ut ad annos facile viginti aberrare possit, si quis illud determinare voluerit, saltem ex monumentis mihi cognitis. Si vera essent, quæ infra in Actis num. 10 referuntur de servata urbe Suessionensi a lue inguinaria precibus S. Ansarici episcopi; item si S. Gregorius Magnus anno 593 ad preces Ansarici episcopi privilegium confirmasset monasterio S. Medardi, ut dicitur num. 11; initium episcopatus S. Ansarici non posset longe abesse ab anno 590; et sic episcopus fuisset ad annos sexaginta circi-
B ter, aut etiam paulo diutius. Verum fictitia videntur, aut saltem variis erroribus fœdata sunt, quæ de pete inguinaria refert ineptus scriptor, quemadmodum in annotatis ostendam. Privilegium quoque S. Medardi, quale nunc exstat, nullo modo defendi potest, ut jam alii ostenderunt, et breviter probabo in annotatis. Qua de causa nec lues inguinaria, nec pontificatus S. Gregorii Magni, nec privilegii istius epocha prodesse possunt ad figendum initium episcopatus S. Ansarici; neque ulla alia occurrit nota chronologica ante concilium Remense mox memorandum, cui Ansaricus anno 625 interfuit.

quia anni præcedentium episcoporum ignorantur:

7 Quot vero annis ante concilium Remense sederit Ansaricus, nequit determinari, ut jam monui. Ratio præcipua est, quia gesta quinque decessorum ipsius ignorantur, uno excepto Droctigisilo, de quo a Gregorio Turonensi nonnulla narrantur lib. 9 Historiam cap. 37. Nam ex relatis ibidem conficitur, Droctigisilum superfuisse post annum 589, sed rursum ignoratur, quamdiu deinde vivere perrexerit. Porro inter Droctigisilum et S. Ansaricum in antiquis catalogis antistitum Suessionensium quator episcopi
C ponuntur medii, teste Dormayo pag. 243, nimirum Anectarus, Theobaldus, Tondulphus et Landulphus. Hi autem quatuor si revera post Droctigisilum sederint, paucis solum annis singuli præesse debuerunt, ut ultimus perveniret usque ad tempus concilio Remensi propinquum. At satis verisimile est, unum aut plures ex istis quatuor sedisse ante Droctigisilum, ut volunt scriptores alii. Cointius ad annum 545 num. 14 duos ex quatuor Droctigisilo præponit, duos vero alios postponit; sed fatetur nihil de quatuor istis episcopis ad notitiam suam pervenisse præter nuda nomina. Itaque conjectura hæc nullis fulcitur monumentis, sed alias satis convenit iis, quæ nota sunt de S. Bandarido, de Droctigisilo et de S. Ansarico. Nam S. Bandaridus, de quo apud nos auctum est ad 1 Augusti, vivebat anno 545, et nonnulli volunt eum vixisse usque ad annum circiter 565, quod tamen est incertum, nec admodum verisimile. Inter S. Bandaridum igitur et Droctigisilum sat temporis est, ut Anectarus sedere potuerit et Theobaldus. Similiter inter Droctigisilum et S. Ansaricum, de quo nulla habetur certa notitia ante concilium Remense, sedere potuerunt Tondulphus et Landulfus, singulique præesse ad decennium, aut D
etiam diutius.

nam Ansaricus Landulfo probabilius successit:

8 Hæ congruentiæ moverunt Cointium ad ita ordinandam episcoporum Suessionensium successionem. Et revera spatium longius inter S. Bandaridum et Droctigisilum intermedium apparet, quam ut verisimile fiat, nullum inter eos alium intercessisse; licet antiqui catalogi, teste Dormayo, nullum intermedium habeant: nam ordo facile perturbari potuit in catalogis istis, qui quidem vocantur vetusti, multis tamen seculis verisimiliter posteriores sunt ætate episcoporum, de quibus agitur. Itaque catalogos illos sequendos non putem, præsertim cum inde aliud quoque oriatur incommodum: nam ea ratione quatuor episcopi inter Droctigisilum et S. Ansaricum ponuntur medii, quos inter eos sedisse verisimile non est. Sammarthani in Gallia Christiana in aliud extremum deflexerunt: quatuor enim antistites inter S. Bandaridum et Droctigisilum medios statuunt; nullum vero inter Droctigisilum et S. Ansaricum. Hi certo ab antiquis catalogis longissime recedunt: nec tamen accedunt ad verisimilitudinem, cum sic episcopatum S. Ansarici E
longissimum faciant. Suspicor nullam iis fuisse rationem ordinis memorati, nisi quod privilegium S. Medardi per S. Ansaricum S. Gregorio Magno oblatum velint. At istud privilegium nihili faciendum est pro ordinanda chronotaxi S. Ansarici. Quare malim existimare ipsum Landulfo successisse, ut habent vetustiores catalogi, quam Droctigisilo.

magister fuit S. Drausii postea Suessionensis episcopi:

9 Ex dictis liquet, quam sit incertum S. Ansarici episcopatus initium. Episcopus interfuit Synodo Remense sub Sonnatio, quæ habita fuit anno 624 aut 625, ut Majores nostri variis locis observarunt, et Pagius etiam probavit ad annum 624 num. 4. Id primum ex gestis Sancti innotuit, ideoque nequit dici, an jam multis annis cathedram episcopalem tunc occupasset. Verum, quidquit sit de initio episcopatus, S. Ansaricum virum fuisse egregium et magistrum S. Drausii Suessionensis deinde episcopi, testatur auctor ætate suppar, qui conscripsit Vitam S. Drausii editam apud nos tom. 1 Martii. Audiamus hunc auctorem, qui pag. 406 ita habet: Igitur parentes ejus (S. Drausii) videntes eum tam miris morum virtutibus excellere, et adhuc F
excellentiorem beatitudinis viam velle tenere, decrevere eum inclyto viro et patri memorando Anserico Suessionensis quondam civitatis episcopo ad educandum tradere, ut si quid minus sibi esset ex primo, suppleri in secundo posset Magistro . . . Præstitit namque ei Dominus tantam gratiam et benedictionis copiam coram prædicto venerabili patre Anserico, ut non minori dilectionis affectu amplecteretur ab eo, quam unicus filius diligitur a patre suo. Nec mirum: tanta enim humilitatis et humanitatis gratia . . . se aptabat pene omnibus, ut cunctis fieret admodum gratus, et diligibilis universis haberetur ut filius. At si aliis ita existebat intimus, maxime tamen huic inhærebat potius, cujus se noverat regimine tueri diligentius, cujus moderamine educabatur dulcius, cujus solicitudine monitis divinæ legis et humanæ erudiebatur studiosius.

dicitur struxisse ecclesiam S. Stephani:

10 Nec sine divino nutu credendus est talis Patroni traditus esse custodiæ, cujus paulo post, Dei disponente clementia, sublimandus erat honore. Nam non multo post excurso dierum suorum numero, vocante se ad remunerationem Deo,

A Deo, bonorum repletus fructu operum, hominem exuit, et extremum vitæ diem clausit. *De morte Sancti infra agam. At interim observo, nullum hic occurrere verbum, quo ætas insinuatur decrepita aut præter modum longæva. Porro laudatus sæpe Dormayus in* Ansarico *asserit, ecclesiam S. Stephani protomartyris extra muros urbis Suessionensis anno* 634 *ab* Ansarico *fundatam fuisse et dedicatam. Idem scripserunt Sammarthani, et alii. Verum non dicunt, unde facti illius notitiam hauserint; cumque Acta referant Sanctum in illa ecclesia sepultum sine ulla mentione de ea per ipsum constructa; silentium istud, quod item observo in alio monumento Ms., dubitare me cogit, an structura istius ecclesiæ* S. Ansarico *satis certo possit attribui.*

SS. Crispini et Crispiniani corpora elevavit,

11 *Certior est translatio corporum SS. Crispini et Crispiniani, quam Vita refert num.* 5 *et* 6, *consentientibus aliis scriptoribus. Præcipuum hujusce translationis auctorem fuisse S. Eligium Noviomensem antistitem Vita testatur num.* 6; *idque congruit Vitæ S. Eligii per S. Audoënum* B *scriptæ, editæque ab Acherio tom.* 5 *Spicilegii. S. Audoenus ibidem pag.* 199 *scribit, varia sanctorum martyrum corpora diversis locis per S. Eligium fuisse inventa aut elevata et translata. Itaque S. Eligius* S. Ansarico *auctor fuisse videtur, ut quæreret, thecaque pretiosa reconderet prædictorum martyrum corpora; neque auctor modo, sed etiam præcipuus adjutor. Testem hujusce rei rursum habemus S. Adoenum, qui ipse etiam rei gestæ adfuit, et pag.* 202 *de Eligio ita scripsit:* Suessionis quoque civitate sanctos martyres et germanos Crispinum et Crispinianum ex quadam crypta prolatos mirifice composuit, eorumque memoriam insigni ornamento decoravit. *Per* ornamentum *designat thecam pretiosam latius in Vita commemoratam, quam S. Eligius, ut erat aurifaber peritissimus, si non propriis manibus fabricavit, haud dubie tamen fabricam ordinavit, eique præfuit.*

quod factum non diu antemedium seculi VII: *circa quod mors figenda:*

12 *Porro de tempore hujusce translationis, de quo scriptores non omnino consentiunt, conjectura sumi potest ex laudata S. Eligii Vita, cum aliis rationibus collata. Attamen non video, annum certo ex ea determinari posse, etiamsi existimare velimus SS. Audoenum et Eligium certo episcopos fuisse consecratos anno* 640, *ut* C *volunt Cointius et Pagius, quorum sententiam ut probabiliorem interim secutus est Cuperus noster in S. Audoeno ad* XXIV *Augusti: nuspiam enim habetur, quot annis hæc translatio posterior sit suscepta ab Audoëno et Eligio dignitate episcopali. Præterea opinantur aliqui Eligium et Audoenum anno* 646 *consecratos. Dies translationis æque est dubius, cum Acta notent diem* X *Junii; Dormayus vero aliique velint peraclam esse translationem die* VI *Martii, uti notavit in Martyrologio suo Saussayus. Quapropter nihil de tempore hujusce translationis certi statuere possum, nisi eam contigisse non diu ante medium seculi* VII: *nam alii annum* 647, *alii* 648, *ac demum alii* 649 *assignant, neque pro ullo ex hisce annis meliores invenio rationes quam pro alio; seu potius nulla alicujus monumenti ratio pro uno magis quam pro alio allata est. Idem est de anno emortuali* S. Ansarici, *quem fixi circa medium seculi* VII, *quia annus certo nequit determinari.*

13 *In Vita S. Salabergæ abbatissæ apud Mabillonium Sec.* 2 *Benedictino pag.* 431 *mentio fit de* S. Ansarico *tunc defuncto his verbis:* Vidit quoque *(S. Salaberga)* venerabilem virum Ansericum pontificem obviam sibi venire. Ad quam ait: Agnoscis me? At illa fatetur se ignorare. Ego sum Ansericus episcopus Suessionum, quem crebrius in domo tua accersitum vidisti: veni, et ostendam tibi valvas paradisi, et ostendam civitatem Dei altissimi, et duodecim sedes Apostolorum ex auro gemmisque rutilantes. Cui et ait: Ecce tibi locus præparatus est *etc. Hæc non multis annis post mortem* S. Ansarici *contigerunt, si vere relata sunt: nam S. Salabergam circa annum* 655 *obiisse, Mabillonius existimat: quod ad* XXII *Septembris examinari poterit. Nunc Vitam Sancti qualecumque subjungo.*

AUCTORE J. S.

S. Salabergæ post mortem Sanctus apparuisse dicitur.

VITA

MENDIS CONSPERSA

E

auctore anonymo,

Ex Ms. ecclesiæ Suessionensis

CAPUT I.

Natales primordiaque Sancti: episcopatus susceptus, translatio Sanctorum Crispini et Crispiniani, aliaque in episcopatu gesta.

Cur et ex quibus monumentis scribat auctor:

Cum per orbem longe lateque discurrant terrenorum militum gesta fallacia; miror, cur nos Christiani salutifera militum Christi merita vel saltem in eorum natalitiis non commemoramus. Si enim, quod in Sanctis est laudabile, ad eum utique referri debet, ex cujus munere venit, quique in Sanctis suis mirabilis F prædicatur: proculdubio cum Sanctorum gesta leguntur, Dei virtus et gloria extollitur, Sanctorum laus commendatur, major ipsis reverentia defertur, fidelium mens ædificatur, laica plebs instruitur, et ad virtutes consimiles animatur, dæmon confunditur, ecclesia gloriatur. Celebrantes igitur, dilectissimi, hodie beatissimi patris et præsulis nostri Ansarici solennia, pauca, quæ de gestis ejus agnovimus, tam ex Legendis Sanctorum, quam indultis Romanorum Pontificum verisque testimoniis antiquorum breviter ad memoriam revocemus.

Sancti natales et primordia:

2 Sanctus igitur confessor et pontifex Ansaricus in pago Suessionico, villa, cui Espagnycum nomen est, ex parentibus Catholicis procreatus, ab ineunte ætate Christianæ fidei cultor verus, et euangelicæ etiam vitæ fuit semper imitator præcipuus. Quæ summa ejus sanctitatis, vel maxime elucescit in hoc, quod sequitur, ingenti ab eo spiritu et fide gestum. Nam misertus aliquando vexationi parentum, ac municipium Espagnycorum, ac præsertim vicum de Divite Burgo *a* dictæ villæ inhabitantium, qui aquæ penuria laborabant

A. Anonymo.

laborabant, quod vicus ille altus et circa montana situs esset, sub hortis domus parentum, infra vicum præmissum sitæ, fodi jussit: ubi reperto silice, ad Euangelicum istud verbum firmiter aspirans: Qui non hæsitaverit in corde suo, sed firmiter crediderit, quodcumque dixerit, Fiat, fiet ei; spe maxima, fide recta silici pedem impressit, dicens: Dei nomine fons hic sit. Ad quod verbum lapis ille, sub ejus pede disruptus, incolis potum, ægris sanitatem scaturire cœpit, et in hunc usque diem ab incolis Fons et Pes sancti Ansarici vocatur *b*.

b *susceptus episcopatus.*

3 Igitur cum celestium amore æstuans, et ad augmenta virtutum jugiter intentus, tanta sanctitatis perfectione polleret, Dominicarum ovium meruit divinitus pastor effici, vicesimusque Suessionensis cathedræ pontifex consecrari. Nempe divinæ dignationi competebat, ut absconsa diu Lucerna super candelabrum ecclesiæ poneretur, quæ postmodum in salutem populorum circumquaque radiaret. Siquidem mox ut in præsulem est assumptus, qui antea innumera in se gratiarum charismata congesserat, multo tunc B amplius esse cœpit in jejuniis strictior, crebrior in vigiliis, prolixior in oratione, et in omnimoda virtute ornatior. Gerebat nimirum in mente dictum illud Apostoli: Oportet episcopum irreprehensibilem esse, ideoque toto nisu, toto spiritu agebat, ut mentis puritate, fidei, spei, et charitatis fervore, omnibus exempla præberet sanctitatis.

Invitatis aliis episcopis, et composita theca pretiosa,

4 Talis itaque inveniebatur in domo Dei, cujus comparitione ceteri grex merito dicerentur. Et ecce magnus ille Remunerator, qui ministrantes sibi honorificare promisit, hanc ei confert gratiam, ut cum sanctis Eligio *c* Noviomensi, Audoëno Rothomagensi, Farone Meldensi ceterisque laude dignis episcopis beatorum fratrum martyrum Crispini et Crispiniani Suessionicorum apostolorum sacratissima corpora transferre mereretur. Nec enim dubium esse debet, quin divinæ præscientiæ sic placuerit, duo illi luminaria magna horum sanctissimorum præsulum temporibus de sub terræ abscondito velut in firmamento cœli sursum collocare, quatenus tam ad fidei augmentum, quam ad de- C claranda pontificum merita lucerent mundumque illuminarent. Cum igitur tanto thesauro dignum vas circa aureum et argenteum factum fuisset, et tanquam propiciatorium ex auro mundissimum eminenti loco positum, ex quo dignaretur nobis Dominus hoc Moysi dictum propicius respondere: Inde præcipiam, et loquar ad te; cum, inquam, fabricata esset arca, in qua tabulæ duæ spiritales, conscriptam Dei digito, id est Spiritu sancto, legem continentes servarentur: tunc dicti almi pontifices divino igne succensi populum Suessionicum, Ansarico suadente *d*, convocarunt, pro sancta martyrum translatione triduanum jejunium indixerunt.

c

d

transfert corpora SS Crispini et Crispiniani;

5 Quo completo, et missis super corpora martyrum per præsulis actis, prolatoque Dei verbo ad populum, clero orante cum plebe, præsul Ansaricus, pontificum associatus cohorte, quartis *e* Idibus Junii cryptam, sub qua pausabant ossa martyrum, ubi olim per Sixtum et Sinicium *f* posita, cum tremore et lacrymis reseravit; purissimisque manibus, episcopis juvantibus, Eligio præsertim, qui præcipuus actor erat, dempto cæmento, bina eorum sepulchra discooperuit: et maximus statim inde suavitatis odor fragravit ad declaranda (ut remur) martyrum et pontificum astantium merita: ut per salutiferum odorem traheretur affectus fidelium, juxta illud: Curremus post te in odorem unguentorum tuorum. Tunc sancti pontifices sanctos martyrum artus, cum lachrymabili gaudio exosculatos, in præparatam capsam transtulerunt *g*: et pallio holoserico obvolutos honorifice condiderunt, caput dumtaxat sancti Crispini a populis deosculandum in archivis ecclesiæ reservantes. Elevatur itaque humeris episcoporum vas admirabile, vitæ manna continens, vas, inquam, auri solidum, preciosis virtutem lapillis ornatum: et super altare sursum in eminenti ponitur; ut instar ænei serpentis erectum, omnium devote in se prospicientium languoribus mederetur. Nec id frustra sane. Siquidem in hac translatione reorum solvuntur vincula, effugantur dæmonia, sanantur morbi, peccatorum confertur indulgentia.

e

f

D

g

energumena tempore translationis liberata:

6 Sicut in Parisina muliere Christus pietate sua monstrare dignatus est: quam ob sua facinora tam atrociter dæmon agitavit, ut dentibus sese discerperet, ignis et aquæ pericula minime E perhorresceret, ac sæpe ex capitis vertigine caderet epileptica passione. Ducitur ob id misera ferreis manicis vincta ad almæ Dei Genitricis matricem in urbe Suessionica ecclesiam: ubi per novem dies stans cum matre, nihil obtinuit: quia Christus almaque Mater ejus, ut patuit, curam ejus translationi martyrum reservavit. Nam cum translationis die instante mater ejus videret omnes instar apum conglobatos ad deificam martyrum basilicam confluere, juvantibus clientulis, dæmoniacam ad locum deduxit, ut saltem experiretur, si Christus martyrum gratia conferret salutem. Quæ dum chorum ingreditur, crudelis a dæmone fatigata, tetros emittit clamores, et cruentes ab ore et naribus vomit spumas, lumina contorquens, membra circumflectens. Attoniti super ea præsules et populi, orant martyres, ut ægram salvent. O melliflua pietas Dei nostri! Sicut illa, quæ tetigit fimbriam vestis Domini, a fluxu sanata fuit: sic ista, ut martyrum attigit, a dæmone liberata, sanam omnino se sensit, denuoque confessionis in fonte sua crimina delevit. Quis nunc exprimere sufficiat, F quantum cunctis gaudium induxit quadruplicis hujus miraculi magnitudo; quamque universi cœperunt martyrum nomen attollere, et pontificum merita prædicare, quos Deus ita præordinaverat et salutiferæ translationis ministros et pro muliere dæmonica intercessores? Plane mirificavit Dominus Sanctos suos: et exaudivit eos clamantes ad se, quia justi, ut olim horum meritis patet, et nunc miraculis: ideo oculi ejus super justos et aures ad preces illorum.

diuturna contentio Suessione sublata.

7 Post expleta translationis gaudia, præsul Dei Ansaricus in sua erat sanctitate perseverans, morbos sanans, aliisque miraculis corruscans, de salute autem gregis sui mirum in modum sollicitus. Quo in genere non immerito a nobis enumerandum est, quod cum videret super mensuris vini inter aliquos proceres et cives urbis periculosam valde contentionem, quæ ad ea usque tempora necdum sedari potuerat; convocavit clerum cum proceribus et populo. Quos verbis innitis informans, nunc de pace observanda, nunc de regni cælestis amore commonens, non desinebat verba divinum amorem spirantia vibrare, donec, gladio spiritus penetrante, sese omnes ejus dispositione submiserunt. Quamobrem

A rem ille statim mensuram cupream sculpi jubet, dimidium sextarium hodie appellatam, quæ conveniens omnibus et grata, duratos eorum animos mitigavit: ut, sicut loquente Petro cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum, sic et isti ad sanam mentem revocarentur, audientes præsulem istum beatum: cui eique similibus dicitur: Non estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Ea vero mensura nunc usque servatur in Suessionensi ecclesia cum Sanctorum reliquiis, et pia devotione a populo exosculatur, quod præmissa dissensionis conciliandæ causa et fœdus extiterit.

ANNOTATA.

a *Dormayus locum hunc Gallice vocat* Richebourg.

b *Idem scriptor factum istud referri ait, sed fatetur se istud non legisse in auctoribus bonæ notæ. Jam monui in Commentario num.* 5 *fidem non mereri certam.*

c *De S. Eligio agetur ad* 1 *Decembris, quo colitur : Vita vero S. Audoëni jam data est ad* 24 *Augusti : S. Faronis memoria Romano Martyrologio inserta habetur ad* 28 *Octobris. Omnes* S. Ansarico *diu fuerunt superstites.*

d *Potius dixisset auctor, populum ab* Ansarico *convocatum esse, suadentibus aliis episcopis. De translatione hac consuli potest Commentarius num.* 11 *et* 12.

e Quarto Idus, *id est, die* 10 Junii, *voluit haud dubie auctor dicere.*

f *De SS. Sixto et Sinicio episcopis egi ad diem* 1 *Septembris, ibique probavi eos secundum Acta ibi data floruisse tempore Diocletiani, quod optime congruit cum hoc loco. Verum, si illi a S. Petro missi fuissent in Galliam, ut voluerunt aliqui, quo demum modo poterant prædictos Sanctos sub Diocletiano passos in crypta colocare? Imo ne illorum quidem opinio, qui Sixtum et Sinicium a Sixto Papa II missos crediderunt, satis cohæret cum his dictis, ut studiosus lector facile perspiciet. Attamen translatio illorum corporum ad cryptam per sanctos Sixtum et Sinicium valde est verisimilis, cum SS. Crispinus et Crispinianus passi sint sub initium imperii Diocletiani, et paulo post Sixtus et Sinicius Suessionem pervenerint, ut suo loco probatum est.*

g *Bailletus ad* 25 *Octobris in SS. Crispino et Crispiniano refert horum Sanctorum corpora a S. Eligio primum elevata; et deinde ab* Ansarico, *præsentibus Audoëno et Farone translata. Verum omnia hæc* Ansaricus *simul cum Eligio et aliis, si forsan non uno die, uno certe tempore peregit.*

CAPUT II.

Alia facta, quæ falso videntur Ansarico attributa : beatus obitus et sepultura.

Sævissima lues inguinaria Romæ acta

Inter horum moras temporum cum fere omnes intenti essent ad malum, ascendit ira Dei super eos, et, ut Scriptura impleretur, a Romano sanctuario *a* cepit. Cum enim in Quadragesimo Romani non sancte vixissent, et Christi Corpus in Paschate irreverentur suscepissent, ac postmodum ludis, commessationibus, et luxuriæ vacarent, dum adhuc escæ essent in ore ipsorum *b*; fluvius Tyberis ripas suas sic excessit, ut super ipsos urbis muros influens, et magnam regionis partem occupans, plures domos everteret. Hinc serpentium multitudo ingentam draconem sequens, per Tyberim in mare descendit: sed salsis undis serpentes præfocati, ad littus ejiciuntur. Quorum fœtore inguinaria pestis concreta est, cum tumore inguinis et aliquantulo vultus rubore apparens; fereque sine doloris sensu, ut (quod horrendum est) sine pœnitentia homines passim subito morerentur, oscitando, sternutando, in via, mensa, operis, ludis, templo, colloquiis: ita ut Roma domibus, incolis, adeoque ipso Pelagio summo Pontifice orbata, misere lugeret.

cessat, institutis a S. Gregorio et pie obitis supplicationibus :

9 In cujus locum substitutus sanctus doctor Gregorius, statuit ut plebs Romana jejuniis se affligens cum cleri processione basilicam sancti Petri adiret, in qua Dei misericordiam lachrymabilius litaniis *c* imploraret. Cumque ipse ante gradus basilicæ prostratus cum populo orasset, surgens a terra, vidit super castrum Crescentii *d* angelum, qui cruentatum gladium in vaginam reducebat: atque ita pestilentiam cessasse intellexit: quamquam de simul prostratis ad orandum circiter octoginta mortui sunt. Exinde autem, mutato nomine, Castrum Angeli est vocatum: sancitum insuper, ut quotannis die sancti Marci Euangelistæ cruces nigræ a populo haberentur, et ad sanctum Petrum litaniæ a clero fierent, quæ Majores *e* hodie vocantur.

urbem Suessionensem eodem malo liberatam ait auctor

10 Porro lues ista inguinaria per Galliæ regiones desæviens, urbes, castra et municipia devastans, in circuitu urbis Suessionensis undique populabatur: cum beato præsule Ansarico diu noctuque misericordiam implorante, ne vivens commissam sibi plebem devastari cerneret, audita est vox e cælo altius hæc intonans: Quid urbi huic noxium faciemus? Ad portam quippe Orientalem pausant corpora martyrum Crispini et Crispiniani urbis defensorum: ad Occidentalem plagam sanguis eorum fusus est: consistit in medio cinis corporum et locus sacer sepulchri. Nihil ultra possumus hic prævalere: sed eorum tuitioni urbs dimittenda est. Qua voce audita, morbus conquievit *f*. Unde non parvam censemus Præsulis hujus gratiam, cujus supplicatione et martyrum protectione dira lues Suessionem non attigit. Unde ejus auxilium tanto instantius implorare debemus, quanto crebrius infortuniis quatimur: ut sicut plebem defendit ab inguinaria peste, sic nos et ipsam dignetur in diversis protegere.

Privilegium, quod monasterio S. Medardi, suadente Ansarico,

11 Cæterum inter plurimas ejus virtutes maximum ei erat in mente studium, ut circa religiosa monachorum loca munificus existeret, et sacras Divorum memorias tranquillitate consolidaret, ac divino cultu insigniret. Unde etiam privilegium exemptionis per sanctum Joannem Papam et martyrem indultum cœnobio sancti Medardi Suessionensis, datum in ecclesia beati Papæ Silvestri quinto Idus Martii, anno Incarnationis Dominicæ quingentesimo sexagesimo secundo *g*, Indictione decima, quod fuit regum manibus firmatum, nec non beati Bandaridi *h* Suessorum episcopi consensu factum, ac insuper septuaginta pontificum anathemate solidatum: hoc,

A. ANONYMO. hoc, inquam, privilegium sanctus doctor Papa Gregorius, suadente viro Dei Ansarico, confirmavit in hunc modum: Authoritate Divina, et vice beati Petri Apostolorum principis, consensu omnium Romanorum Pontificum, et voluntate totius senatus Romani, suadente nobis viro apostolico Ansarico *i* Suessorum urbis pontifice, et omnium favente Galliæ episcoporum judicio *k*, decernimus ut nullus archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum fratres præfatæ basilicæ inquietet etc.

datum dicitur a S. Gregorio Papa:

12 Ac sequitur: Ne vilescat tantæ sublimitatis locus, quem caput monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusque ditioni patimur subesse: sed velut hæc Sedes Romana speculationem suam toto orbi indicit, et novas consuetudines omnibus mittit, et omnium personarum scrutinio caret, ita præfatus locus, remota omni consuetudine pessima regum, antistitum, judicum, exemplum divinæ religionis et honestatis ceteris exhibeat monasteriis, et super omnia plena gaudeat libertate. Cujus rectores et filii præsentes ac futuri, tantum sub regali custodia positi, advocationem sancti Petri et successorum suorum hujus sanctæ Romanæ Sedis Pontificum auctoritatem proclament, et, si necessitas incumbit, adeant. De altaribus quoque juxta institutionem beati Papæ Joannis Apostolica auctoritate confirmanus, ut qui fuerit præfati monasterii, sit persona altarium et præsul omnium ecclesiarum sibi pertinentium. Hinc longe post sequitur: Ego Gregorius sanctæ Romanæ Sedis Antistes huic privilegio suscripsi etc. Et sequitur: Flavius *l* Remorum archiepiscopus sudcripsit, Ansaricus Suessorum episcopus subscripsit. Datum sexto Calendas Junii anno ab Incarnatione Domini quingentesimo nonagesimo tertio *m*, Indictione undecima.

ejus mentio in alio privilegio, ut vult auctor:

13 In privilegio quoque domni Eugenii Papæ *n*, quod ad supplicationem Ludovici regis et imperatores datum fuit in ecclesia sancti Joannis Lateranensis, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo vicesimo sexto, Indictione quarta, decimo sexto Calendas Maii, sic dicitur: Inde vir apostolicus Bandaridus Suessorum pontifex et venerabilis Ansaricus præsul eulogias ab his sanctis Joanne et bonæ memoriæ Gregorio episcopis susceperunt, quas in archivis publicis sanctæ Mariæ et sancti Gervasii reposuerunt, ob memoriam recordationis successorum suorum sub anathematate conclusas.

mors, sepultura, miracula que apud sepulcrum.

14 His igitur aliisque plurimis virtutum exercitiis sanctus pontifex Ansaricus, mundi victor, culmen ascenderat perfectionis, cum senio tandem confectus, lecto decubuit. Cumque morbi vi magis magisque invalescente populum suum nimis sollicitum et anxium videret, blandeque consolatus esset, et in manus summi Pastoris commendasset; Dominicis Sacramentis devote susceptis, inter clericorum manus die Nonarum Septembris ei spiritum reddidit, cui famulatum indefessus in mundo exhibuerat. Sepultus est autem in ecclesia sancti Stephani protomartyris, extra urbis muros, super aggerem publicum Coyaci, in qua tunc erant canonici seculares. Ubi beatus Antistes corpore tumulatus multis virtutibus Christo se vivere manifestat, quando ejus sepulchrum, plerumque energumeni, febricitantes, ceterique infirmi, post fusas orationes recepta incolumitate *o*, recedunt: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Quæ de hisce narrat biographus, sumpsisse videtur ex S. Gregorio Turonensi lib.* 10 *Historiæ cap.* I, *sed multa inepte miscuit. Primo enim errat, dum Romæ inchoatam credit luem istam inguinariam: nam, teste eodem Gregorio Turonensi, in variis Galliæ locis jam sævierat, dum Romæ inchoata est. Adhibet quidem Turonensis locum illum Ezechielis* 9 ☧ 6: A Sanctuario meo incipite; *sed non ut indicet, pestem Roma primo inchoatam, sed ut doceat ipsum Petagium summum Pontificem illa fuisse sublatum.*

b *Hic, cum velit pestem esse immissam ob jejunium Quadragesimale non bene servatum, peccataque alia Paschali tempore et non diu post facta, utcumque insinuat inundationem fuisse non diu post Pascha. At testatur Turonensis, inundationem Tiberiis fuisse* mense nono, *pestilentiam vero ortam* medio mense undecimo.

c *Consule laudatum Turonensem, qui recitat orationem S. Gregorii Magni ad plebem, in qua enarrantur pleraque occasione istius pestis facta. Eadem in Vita S. Gregorii Magni narrat Joannus Diaconus apud nos tom.* 2 *Martii pag.* 144 *et* 145, *cum nonnulla tamen diversitate.*

d *Ineptus est anochronismus: nam* Castrum S. Angeli, *cum esset mausoleum Adriani imperatoris, primo nominatum est* Moles Adriani, *super quam angelus, vagina gladium recondens, dicitur visus a S. Gregorio in signum cessantis pestilentiæ, ut etiam habet Baronius ad annum* 590. *Quia vero munitiones mausoleo additæ sunt, jam pro arce habitum fuit, priusquam ab* Angelo *nomen acciperet. Longissime vero aberrat hic scriptor, qui* castrum Crescentii *dictum fuisse putat Gregorii tempore; nomen enim* Crescentii *tantum habuit sub finem seculi* 10, *postquam occupatum erat a Crescentio patritio Romano, qui ex ea arce Romæ tyrannidem exercebat, et tandem ab Ottone III victus interiit. De Castra S. Angeli, Italis* Castel S. Angelo, *plura videre possunt apud Alexandrum Donatum de Urbe Roma lib* 4 *cap.* 7.

e Majores *vocantur* litaniæ, *quæ fiunt in festivitate S. Marci, eæque creduntur institutæ a S. Gregorio:* Minores *vero dicuntur, quæ tribus diebus ante festum Ascensionis Domini continuantur, eæque antiquiores sunt.*

f *Si auctor velit, factum id contigisse eodem fere tempore, quo Romæ cessavit pestis inguinaria, seu circa annum* 590, *ut tota ipsius relatio insinuat, necdum episcopus erat* Ansaricus, *sed eo tempore sedebat Droctigisilus. Quare vel solo hoc anachronismo nutat tota ipsius relatio, quæ insuper sic concinnata est, ut fidem non mereretur, etiamsi miraculum commode ad* Ansarici *tempora referri posset. Apud nos tom.* 2 *Martii pag.* 750 *auctor synchronos narrat, pestem inguinariam anno* 1126 *dominatam esse Suessione; at cessasse post pie circumlatas S. Gregorii Papæ reliquias. Verum simile quid factum esse tempore* S. Ansarici, *alibi non invenio.*

g *S. Joannes I Papa, qui martyr fuit, dudum erat defunctus anno* 562 *hic notato. At præerat tum Romanæ Ecclesiæ Joannes III. Is tamen error imperito scriptori attribui facile potest, si aliunde privilegium non possit improbari. Verum istud privilegium Joannis III subsistere nequit, ut ostendit Papebrochius tom.* 2 *Junii pag.* 74, *tum ex anno Incarnationis contra*

A *tra usum istius temporis adjecto, tum quia datum dicitur consentiente Clotario rege : nam anno 562 Clotarius primus non supererat ; secundus vero Clatarius necdum vivebat. Videri possunt et alia ibidem dicta.*

h *Utrum S. Bandaridus vixerit usque ad annum 562, non satis constat, ut dixi in Commenmentario num.* 7.

i *Verisimile non est,* Ansaricum *episcopum fuisse jam ab anno 593, quo infra notatur privilegium datum, alias notatum anno 594. Vide dicta in Commentario de initio episcopatus.*

k *Nec consensus omnium Romanorum Pontificum, nec voluntas senatus, nec judicium Galliæ episcoporum, congruunt privilegio, quod a S. Gregorio datum scribitur : sed declamatoria ista sunt, et plane inepta, qualia plura sunt in ipso privilegio, quod in novissima editione Operum S. Gregorii recusum in appendice tom.* 2 *col.* 1284 *et seqq. latius videri poterit.*

l *Flavius Remensis episcopus diu ante annum 593 defunctus est. At non solus hic est, cujus subscriptio consistere nequit, sed longe plures sub ipso leguntur privilegio scripti, qui aut numquam fuere cogniti, aut eo tempore non erant* B *episcopi, ut jam observavit Papebrochius loco ante assignato, quem lector potest consulere.* A. Anonymo.

m *Annus hic notatus congruit cum Indictione ; sed alias sub privilegio legitur annus* 594.

n *Eugenius II Papa erat anno 826, Ludovicus Pius imperabat, et currebat quarta Indictio, quando privilegium datum dicitur. Hinc tamen concludere nolim, privilegium, quod hic laudatur, magis esse legitimum, quam sit præcedens. Ratio est, quod* S. Ansaricus *supponatur fuisse episcopus, vivente Gregorio Magno. At verisimile non est jam tum episcopum fuisse, licet lubens fatear non posse ostendi, id certo falsum esse. Deinde citata istius privilegii verba non videntur conformia stylo Romanorum Pontificum, et certe nepta sunt ad confirmandum privilegium præcedens,*

o *Quamvis non inveniam ulla beneficia nominatim litteris fuisse consignata ; facile tamen credi potest facta esse, cum fideles passim Sanctos colere cœperint occasione miraculorum, quæ eorum patrocinio fiebant. Ceterum de sepultura et corporis translatione aliquid dictum est in Commentario num.* 3. E

DE SANCTO BERTINO ABBATE

AUDOMAROPOLI IN BELGIO

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Discutiuntur asserta Mabillonii de scriptoribus Actorum S. Bertini, multaque in iis corriguntur.

Circa an. DCCIX. Asserta Mabillonii de scriptoribus Vitæ S. Bertini :

Mabillonius *Vitam* S. Bertini *abbatis Sithiensis editurus Sec.* 3 *Benedictino part.* I *pag.* 104 *ita præfatur :* Multi gesta S. Bertini abbatis in litteras retulere. Sex omnino invenio hujusce argumenti lucubrationes. Prima est anonymi cujusdam, quem ceteri postea secuti sunt. Secunda C Folquini abbatis Lobiensis, qui Acta SS. Audomari, Bertini, Folquini episcopi, Winnoci et Silvini Waltero abbati Bertiniano, anno CMXCVI mortuo, nuncupavit. Tertia et quarta auctorem habet Folcardum Sithivensis cœnobii monachum. Quinta et sexta metrice compositæ sunt, una quidem ab anonymo quodam, alia ab Simone (ut patant) abbate Sithivensi sub finem seculi XII, quamquam Johannes Iperius de Simone abbate agens, ejus rei (ni fallor) haud meminit. Quatuor postremas scriptiones e monasterio Sithivensi accepimus beneficio tum viri religiosissimi D. Johannis le Pecqueur subprioris, tum humanissimi Gerardi du Val cœnobitæ. Hic unicum exhibemus Folcardum, de aliis auctoribus pauca dicturi. *Ita quidem vir ille eruditus, qui excepta una Vita metrica, eosdem Vitæ scriptores repetit tom.* 2 *Annalium pag.* 23, *sed non sine variis erroribus, ut mihi clare patet, cum ex sex diversis* S. Bertini *Vitis, quas omnes manuscriptas habeo, tum ex testimonio et observationibus eruditi viri ex abbatia Bertiniana, qui veritatis studio exactiorem de Vitis* S. Bertini *suggessit notitiam, et nonnullas ex iis communavit, ut infra dicetur.*

ignoravit ille primum Vitæ scriptorem : et abbatem Laubiensem

2 *Primo anonymus ille, quem primum credit Mabillonius, tantum secundus est scriptor Vitæ* S. Bertini, *ut probabo. Secundo Folquinus abbas Laubiensis Vitam* S. Bertini *numquam videtur scripsisse, licet etiam Jacobus Malbrancus in Scholiis ad cap.* I *lib.* 3 *de Morinis hunc* F *abbatem Laubiensem numeret inter scriptores Vitæ* S. Bertini. *Certe reverendus admodum dominus de Clety, presbyter abbatiæ* S. Bertini *ejusque bibliothecæ præfectus, qui nuperrime mira humanitate parique diligentia ex codicibus Mss. varia nobis transcribenda curavit, in Observationibus eruditis, quas adjunxit, hac de re ita scribit :* E numero Sithiensium, qui Acta S. Bertini litteris mandarunt, expungendus nobis videtur Laubiensium abbas Folquinus, etsi post Malbrancum asserat Mabillonius, ipsum hujus sancti Abbatis Vitam scripsisse, uti et illas sanctorum Audomari, Silvini et Winoci : quod sane probare non videtur illa, cui ipsi auctores unice innituntur, Folquini epistola dedicatoria ad monachos Bertinianos. *Probat id vir eruditus allatis Folquini verbis ex epistola laudata, quam item mihi integram transmisit ex scriptis codicibus.*

perperam inter scriptores Vitæ S. Bertini recensel :

3 *Ex hac autem epistola clarum videtur, nec Audomari, nec* Bertini, *nec Winnoci Vitam*

AUCTORE J. S.

tam scripsisse Folquinum abbatem, sed Vitam dumtaxat S. Folquini Morinensis seu Teruanensis episcopi : ait enim de SS. Audomaro, Bertino *et Winnoco satis scriptum esse ab antiquis ; sed neglectum fuisse S. Folquinum, eaque ratione se impulsum fuisse ad hujus Vitam conscribendam. Verba accipe :* Denique , *inquit Folquinus,* eorum et Vitam et actus, quorum gaudetis principalitate, quorumque hereditariam successionem sortiti estis cum nomine, Audomarum atque Bertinum dico, antiquorum satis commendabat auctoritas , qui, utpote contemporales , sibi ita quadam vicinitate nectuntur , ut , dum unum audieris , alterum subintelligas , et in hujus opere , quis ille fuerit , facile pernoscas. Sanctus æque Winnocus , cum ex uno superiorum pendeat , et ipse satis descriptus erat . . . Sed o nostra tempora ! et o mores ! Venerabilem siquidem , et toto mundo prædicandum , sanctum videlicet Folquinum , modernorum adeo neglexit incuria, ut nulla ejus præter rumorem popularem videretur esse memoria . . . Ad illius Vitam describendam animum induxi *etc.*
B *Hæc verba omnino evincunt, Vitas SS. Audomari* Bertini *et Winnoci diu ante Folquinum fuisse exaratas ; ipsum vero saltem eo tempore non voluisse eas conscribere. Cum autem nullum afferri possit argumentum, quo ostendatur id eum postea facere voluisse aut fecisse ; merito laudatus dominus de Clety observavit, Folquinum non recensendum esse inter scriptores Vitæ* S. Bertini.

erravit iterum, dum geminam S. Bertini Vitam

4 *Erravit tertio Mabillonius, dum geminam* S. Bertini *Vitam a Folcardo monacho Sithiensi scriptam credidit. Errorem hunc rursus observavit diligentissimus de Clety, quando Vitam a Folcardo scriptam, quam primam et compendiosam dixit Mabillonius, mihi ex Mss. codicibus transmisit. Testatur enim nullam omnino secundæ hujus Vitæ in abbatia sua esse memoriam, nullumque illius exstare vestigium, nec in codicibus Ms., nec in aliis monumentis bibliothecæ, nec apud scriptores abbatiæ Bertinianæ. Quapropter examinabimus textum Folcardi, ex quo secundam hanc illius scriptionem collegit Mabillonius. Adducit verba ipsius, qui-*
C *bus utitur in conclusione Operis sui, ubi Folcardus ita loquitur :* Hæc dicta sufficiant pauca e pluribus, quæ compendiosa quidem terminavimus diffinitione, sed patentioris textus serie disponimus elucidare. *Adductis hisce verbis subdit Mabillonius :* Vides hic promitti prolixiorem scriptionem. *Verum fallitur vir eruditus, quod omnia adjuncta non satis attente consideraverit. Neque enim Folcardus aliam hisce verbis promittit* S. Bertini *Vitam, ut ille credidit ; sed miraculorum, quorum aliqua breviter perstrinxerat, prolixiorem relationem se scripturum pollicetur. Quippe Vita ipsa adeo non erat compendiose scripta, ut multis locis prolixior sit illa ipsa, quam pro fusiore Folcardi lucubratione edidit Mabillonius ; sed sola miracula post mortem patrata brevissime relata erant, ut jam dixi.*

a Folcardo scriptam existimavit ;

5 *Ne autem ullum lectori hac de re superesse possit dubium , verba quædam Folcardi , quæ, paucissimis interjectis, sequuntur, hic subnecto :* Sicque hunc Vitæ tantum beatissimi patris et protectoris nostri Bertini librum , titulatis potius quam scriptis ejus post obitum miraculis, claudimus. Sub fasce enim voluminis gemeret, nimiæque infestationis ponderi robustus lector succumberet ; si de tanti Patris Vita delectatum importunus sermo supervurgeret . . . Ejus D
ergo nos accommodantes satisfactioni, acsi jam de Vita refecto Patris clarissimi subsequenter scriptis textum exsequemur signorum *etc. Hæc verba clarissime indicant, non aliam a Folcardo promitti Vitam, sed librum quemdam miraculorum, quod hæc nimiæ prolixitatis vitandæ causa in Vita non essent fuse relata. Miror sane Mabillonium hæc verba vidisse et laudasse ; et vel sic tamen ex una Folcardi promissione geminam facere potuisse. Utrum vero Folcardus librum Miraculorum, quem promisit, deinde seorsum ediderit, non omnino constat. Laudatus de-Clety existimat, ne hunc quidem Miraculorum librum ab eo scriptum esse, quia nullum istius lucubrationis reperitur vestigium. Potuit sane impediri, quo minus impleret promissa : certo tamen affirmare non ausim, nulla ab eo miracula litteris fuisse consignata. Id unum asserere tuto licet, in collectione Miraculorum edita apud Mabillonium aliqua esse scripta ante Folcardum, alia post ejus tempora ; sed nonnulla quoque ibidem reperiri, quæ Folcardi ætate et ab ipso scripta esse possunt ; sed nesciri, quid aut quantum ea in re scriptor ille præstiterit.* E

et dum Vitam illam, quam edidit,

6 *Porro erravit quarto Mabillonius , dum Vitam illam, quam edidit, Folcardo attribuit, seculoque* XI *compositam credidit. Audiamus rursum observationes laudati Domini de Clety :* Ne dixeris ergo cum Mabillonio, *inquit,* illam prolixiorem Vitam S. Bertini, quam publici juris fecit , genuinum esse fœtum Folcardi. Cuilibet enim attente legenti patebit, illius auctorem seu compilatorem non minus centum quinquaginta annis Folcardo superstitem fuisse. *Observatio hæc certa est : nam circa finem istius Vitæ varia narrantur miracula, quæ seculo* XII *facta notavit ipse Mabillonius ; et demum auctor pag.* 151 *clare insinuat se vixisse seculo* XIII : *refert enim ut testis oculatus beneficium anno* 1214 *factum, et mox duo alia narrat mirabilia, quæ illigat anno* 1219 , *ac totam Vitam concludit allato instrumento translationis et relationis corporis* S. Bertini. *Hoc autem instrumentum notatur datum* anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo , septimo decimo Kalendas Augusti. *Verisimile igitur est, auctorem non diu post collectionem suam de vita et miraculis* S. Bertini F
composuisse, ita ut ætas illius Vitæ figenda videatur paulo ante medium seculi XIII. *Hæc certa sunt, si agatur de collectore, qui Vitam illam simul cum miraculis eo tempore collegit.*

Folcardo attribuit,

7 *At fateor, non eam videri mentem Mabillonii. Existimavit ille, opinor , Vitam cum prioribus miraculis a Folcardo exaratam esse seculo* XI. *Verum nec stylus hujus scriptoris congruit cum stylo Folcardi ; nec postrema hæc Vita haberi potest pro Vita prolixius scripta, si eam conferamus cum Vita a Folcardo exarata : nec omnino promisit Folcardus, se iterato scripturum de gestis* S. Bertini *in vita ; sed solum de miraculis post obitum factis. Quapropter ne eo quidem modo Vita per Mabillonium edita satis probabiliter attribui potest Folcardo. Veruntamen evinci videtur ex lib.* 1 *Miraculorum cap.* XI, *auctorem scripsisse seculo* XI, *quo vixit Folcardus : nam dicitur corpus* S. Bertini, *quod a S. Folquino erat loco secreto depositum ob incursiones Normannorum, ibidem mansisse usque ad tempora istius scriptoris. Constat autem, corpus elevatum fuisse a Bovone abbate circa medium seculi* XI. *Itaque primus ille Miraculorum liber*

A *liber scriptus videtur seculo* XI. *Hoc argumento Vitam Folcardo adscribit Mabillonius, ita loquens:* Etsi enim libri manu exarati auctoris nomen haud præferunt, id tamen colligimus ex ejus ætate, quam ipse indicat lib. I Mirac. cap. XI. *Verum recte observat Dominus de Clety, ipsissima esse verba Bavonis abbatis, quæ ad locum illum translata sunt, ut videri potest apud Mabillonium pag.* 122 *et* 162; *verba autem Bovonis æque adoptari potuisse a compilatore seculi* XIII, *quam a Folcardo; ideoque argumentum istud nullius esse ponderis. Præterea si locus iste omnino evinceret, Folcardum esse scriptorem illorum Miraculorum; solum esset inferendum, librum quemdam Miraculorum a Folcardo scriptum esse, uti promiserat; non vero alteram Sancti Vitam. Si autem revera Folcardus post Vitam aliquid seorsum de miraculis scripsit; id Compilator ille adoptaverit.*

cumm hæc seculo XIII *ex multis aliis sit compila ta ab nonymo:*

8 *Quæ dictæ sunt, magis illustrabantur ex iis, quæ de auctore Vitæ per Mabillonium editæ pergit observare laudatus sæpe Cletyus his verbis:* Sed quis fuerit hic scriptor? Nomen ejus non præferunt codices, nec ille, quo usus est Mabillonius, ut ipse fatetur; nec alius, qui adhuc asservatur in bibliotheca Bertiniana. Quidquid B de hoc compilatore compertum habemus, hæc sunt; primo illum floruisse, ut liquet ex observatis, medio seculo XIII circiter: secundo, scriptioni ac libro primo Miraculorum antiquioris anonymi *(hic nobis tantum est secundus)* libroque secundo secundi anonymi, multa inseruisse vel adjecisse, quæ desumpsit partim de verbo ad verbum ex Cartulariis Folquini levitæ et Simonis abbatis; tum ex Folcardi scriptione, tum ex abbatis Bovonis relatione Inventionis corporis S. Bertini, ac ex plurimis aliis coævis *(aut saltem antiquioribus)* scriptoribus hujus cœnobii, qui variis scripserunt temporibus, prout constat ex collatione a nobis facta istius Compilationis cum prædictis Lucubrationibus ac aliis Opusculis: quam collationem his nostris observationibus subjicimus. *Hæc verissima esse, ipse etiam deprehendi conferendo varia ex Mss nostris cum editione Mabillonii. Itaque certum est, anonymum istum seculi* XIII *scriptorem undique corrasisse, quæ de* S. Bertino *invenire potuit.* C *Ea autem videtur fide bona collegisse, sed subinde non satis curasse, ut omnia apte suis congruerent temporibus.*

ordo sex Vitarum S. Bertini breviter assignatus.

9 *Duas Vitas metro illigatas quintam et sextam vocat Mabillonius. Hæ tamen eo ordine non videntur scriptæ, cum prior, quam recte anonymo cuidam attribuit, Folcardo sit antiquior, et* tertia *vocari possit* S. Bertini *Vita: altera vero, quæ Simonis abbatis est fœtus, composita sit seculo* XII, *ita ut hæc sit quinta, et præcesserit Vitam a Mabillonio editam, quæ sexto et ultimo loco est collocanda, exceptis tamen scriptis quibusdam neotericis, de quibus hic non ago. Ordo igitur Vitarum hic est, ut mox latius ostendam. Prima Vita est auctoris anonymi, qui eodem tempore de SS. Audomaro,* Bertino *et Winnoco scripsit. Hæc Vita scriptoribus neotericis, ipsisque etiam Bertinianis videtur fuisse incognita. Secunda auctorem item habet anonymum, sed præcedente juniorem: atque is ipse est, quem Mabillonius aliique vocant* antiquiorem anonymum. *Huic Vitæ adjunctus liber Miraculorum,* secundus *a Mabillonio dictus. Tertia Vita est metrica anonymi item scriptoris, qui præcedentis lucubrationem versibus expressit. Quarta est Folcardi monachi; quinta vero metrica lucubratio Simonis abbatis; ac sextam demum, quæ ex hisce aliisque scriptis collecta est a compilatore anonymo, edidit Mabillonius. Nunc examinandum, quo fere tempore singulæ sint exaratæ; simulque explicandum, quænam insuper de* S. Bertino *scriptis fuerint consignata; quoque demum modo hisce usurus sim ad elucidanda Sancti gesta et miracula.* AUCTORE J. S.

§ II. Exponitur, quo tempore et modo Acta Sancti, aliaque ad eum spectantia fuerint conscripta, ac simul, quænam ex iis edenda.

Primus Vitæ scriptor de SS. Audomaro, Bertino et Winnoco egit:

Vitam S. Bertini *primam ex iis, quæ hactenus notæ sunt, scriptam esse ab eodem auctore anonymo, qui S. Audomari Vitam a Mabillonio editam composuit, jam supra monui. Res hæc certa est ex antiquissimo codice Ms., quem olim Majores nostri acceperunt ex collegio nostro Molsheimensi in Alsatia. Mutilus hic codex et notatus apud nos* † Ms. 86, *continet Vitas variorum Sanctorum, qui discipuli fuerunt S. Columbani abbatis, aut ex Luxoviensi cœnobio prodiarunt, atque inter eas fol.* 67 *de S. Audomaro hunc rubris litteris habet titulum:* In Dei nomine pauca de sancta conversatione et vita militum Christi, Audomari, Bertini et Winnoci. *Post titulum sequitur præfatio et Vita S. Audomari, sicut edita est apud Mabillonium sec.* 2 *Benedict. pag.* 559 *et sequentibus; at in præfatione apud Mabillonium omissa sunt quædam minus necessaria. Post Vitam S. Audomari sine alia præfatione Vita* S. Bertini, *et postea S. Winnoci ita sequitur, ut nullum possit esse dubium, quin idem sit auctor, qui tres hasce Vitas consequenter composuit.* E

non fuit hic S. Bertino synchronus,

11 *De ætate Scriptoris Mabillonius solum notavit, scriptam videri S. Audomari Vitam, quam solam ex tribus noverat,* ante Normannorum cladem, *id est, ante medium fere seculum* IX, *quod videtur certum. Benedictini scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom.* 5 *pag.* 48 *de eodem agunt scriptore anonymo, opinanturque scriptam esse S. Audomari Vitam* quinquaginta *circiter annis post mortem illius Sancti, quia auctor uno loco ita laudat S. Audomari discipulum, acsi factum ex ore ipsius intellexisset; et alio loco eos, qui morti S. Audomari adfuerant, eo commemorat modo, acsi facta mortis tempore ex ore ipsorum didicisset. At verba id non evincunt. Priora hæc sunt apud Mabillonium num.* 6: Hinc post hujus *(Audomari)* obitum cuncta per ordinem monstrans narravit discipulus ille, qui * passus est * in undis. *Alia ibidem num.* 12 *sic leguntur:* Hi vero, qui in eadem hora in ea domo præsentes fuerunt *(morienti Audomaro,)* testati sunt, quod talis eorum nares et ora intravit odor, quasi illa domus omnibus aromatibus fuisset plena. *Dicit quidem auctor, illa a prædictis personis relata fuisse; at sibi fuisse ab iis ipsis narrata non asserit. Aliter loquitur idem scriptor in Vita* S. Bertini, *ubi pro miraculo ad sepulcrum ejus facto oculatos laudat testes infra in Vita num.* 12: Quod illi nobis F

* Ms. quæ
* Ms. fuit

AUCTORE J. S.

nobis testati sunt, in quorum conspectu hæc gloriosa virtus fuit facta. *Allata igitur verba non probant, tam cito scriptam esse hanc Vitam.*

sed medio saltem seculo ac forsan toto posterior :

12 *Quin potius certum est ex Vitis* SS. Bertini *et Winnoci, serius fuisse exaratam, et verisimiliter, integro fere seculo post mortem S. Audomari, cum S. Winnocus diu superfuerit Audomaro, imo totis quinquaginta annis ex Mabillonii calculo, quem hic non discutio : cumque ex ipso scriptore clarum sit, Vitas hasce exaratas esse annis non paucis post mortem S. Winnoci, in cujus Vita miraculum illæsi in incendio corporis ejusdem Sancti narrare incipit auctor his verbis :* Post sancti igitur viri Winnoci de hac vita egressum, longi temporis spatio transacto *etc. Ne quis tamen hoc longi temporis spatium nimis protrahat; observandum est, in Vita S Winnoci per Mabillonium edita Sec.* 3 *Benedict. part.* I *pag.* 308 *idem narrari factum, dicique :* Non multum temporis post excessum Sancti viri effluxit *etc. Itaque tempus, quod longum apparuit primo scriptori, secundo, qui longe junior erat, visum est breve. Non exigunt*
B *itaque allata verba, quibus fortasse anni tantum viginti aut triginta insinuantur, ut existimemus scriptas esse hasce Vitas post seculum* VIII. *Verum aliunde etiam nihil occurrit, quo ostendere possim scriptas esse ante finem seculi* VIII. *Quapropter, cum auctor nullibi indicet se Sanctis fuisse contemporaneum, nullibi etiam ætatem suam insinuet ; nihil de ea statuere ausim, nisi scriptorem Vitas hasce composuisse seculo* VIII *post medium aut seculo* IX *ante medium; idque satis videri certum. Prima igitur hæc* S. Bertini *Vita scripta est medio saltem seculo post mortem hujus Sancti ; et fortasse scriptor ultra totum seculum Sancto fuit posterior.*

Vita hæc bona fide videtur scripta : quo modo edenda.

13 *Laudati scriptores Historiæ litterariæ asserunt, in Vita S. Audomari non reperiri defectus notabiles, nisi quod stylus justo sit fusior, quodque factorum adjuncta non satis enucleentur, ac demum quod scriptor ille magis sit sollicitus de referendis Sancti miraculis quam rebus aliis gestis. Verissima hæc sunt et accurate observata. De Vita* S. Bertini *eadem dici possunt, cum ne mortem quidem Sancti aut Vitæ monastiC cæ initia auctor exponat. Videtur solum narrare voluisse mirabilia quædam, non exactam singulorum scribere vitæ historiam : nam in Vita S. Audomari varia narrat de* S. Bertino, *quæ in hujus Vita non repetit, ac ne leviter quidem attingit. Alia rursum de* S. Bertino *refert in Vita S. Winnoci, omissa in ipsius* Bertini *Vita. Hac de causa, ut colligantur omnia, quæ ab hoc scriptore relata sunt de* S. Bertino, *præmittam omnia ad* Bertinum *spectantia ex Vita Audomari; deinde totam* Bertini *Vitam edam, ac mox adjungam ex Vita S. Winnoci, quæcumque ad* Bertinum *pertinent. Hæc autem simul constituent Vitam primam, quæ scripta videtur fide optima, nec quidquam continet, de quo merito possit dubitari.*

Auctor Vitæ secundæ item anonymus :

14 *Secunda* S. Bertini *Vita auctorem item habet anonymum, sed præcedente juniorem, ut clare patet ex collatione utriusque. Secundum hunc satis noverunt scriptores posteriores, et hodierni etiam Religiosi Bertiniani; sed ignorantes primum, hunc locum attribuerunt secundo. Observat Cletyus anonymum hunc laudari a Folquino diacono* in suo Cartulario, in quo principum ac regum diplomata retulit anno CMLXI : *item a Folquino abbate Laubiensi*, in prologo ad Vitam S. Folquini Morinorum episcopi, quam D concinnavit circa finem seculi X. *Hujus verba dedi num.* 3, *sed hic verisimilius loquitur de primo anonymo, cum simul memoret Audomarum,* Bertinum *et Winnocum.* De eodem, *inquit Cletyus*, antiquior auctor Vitæ S. Winnoci, uti Folcardus et Bovo abbas. *Priorem horum trium de primo anonymo agere existimo, cum omnia fere ex ipso hauserit, exceptis tamen plerisque miraculis. Reliquos vero de secundo anonymo loqui, facile mihi persuadeo, cum hunc magis secuti sint quam primum. Hujus scriptoris ætas satis colligi poterit ex libro* 2 *Miraculorum, si hic ab eodem sit conscriptus, uti vehementer suspicor ob rationes mox allegandas, licet Cletyus contrariæ videatur esse opinionis : et non prorsus sine fundamento, scriptorem libri secundi Miraculorum ab eo distinguendum putet.*

hæc Vita in aliquibus codicibus adjunctum habet librum Miraculorum,

15 *Audiamus observationes viri diligentissimi :* Eodem elabente seculo suæ scriptionis continuatorem sortitus est (*anonymus prædictus,*) alium scilicet anonymum, qui primo libro Miraculorum adjecit secundum, ne plurima, ut ait, quæ propter improbitatem temporum fuerant intermissa, a memoria succedentium abolerentur. E Ast hujus secundi anonymi certior est ætas : utramque enim Danorum incursionem in Sithiu, quæ factæ sunt annis DCCCLX et DCCCXCI, narrat ut testis oculatus, protestaturque in hujus libri prologo se nihil relaturum, nisi quod ipse viderit, aut quæ a personis fide dignis visa sibi compertum fuerit. Ex quibus sane se prodit auctorem coævum. Hic liber secundus Miraculorum in tribus codicibus Mss. bibliothecæ Bertinianæ legitur. In primo, cujus littera prope attingit auctoris ævum, reperitur disjunctus ab antiquioris anonymi scriptione, nullisque titulis distinctus, inter Vitam scilicet S. Ansberti Rotomagensis archiepiscopi et S. Winoci abbatis. In secundo codice, qui exaratus videtur labente seculo decimo, additur hic liber secundus antiquioris anonymi libro, adeo ut hi duo libri unicum Opus conflare videatur, cum nullis titulis distinguantur. Tertius vero codex, qui hunc etiam librum complectitur, ille est, qui subtractis tractatu Bavonis abbatis de Inventione corpo- F ris S. Bertini, et charta translationis ejusdem reliquiarum, factæ per Petrum Morinensem et Assonem Atrebatensem episcopos, eamdem scriptionem continet, quam vulgavit Mabillonius. Porro recentior est hic codex. Sapit seculum XIII. *Hactenus laudatus adjutor.*

qui videtur esse ejusdem scriptoris.

16 *Porro quod observatum est de secundo codice Bertiniano, in quo Vita anonymi et secundus liber Miraculorum ita simul ponuntur, acsi unum esset Opus ; etiam invenio in codice nostro Ms., qui notatus est* P. Ms. 158. *Fuit hic olim abbatiæ Valcellensis Ordinis Cisterciensis, et continet Vitas Sanctorum mensis Septembris ; et licet tam antiquus non sit, ut prope accedat ad tempus, quo hæc Vita scripta est, magna tamen cura ex aliis fuit collectus. Ex hoc autem codice probabiliter colligo, eumdem anonymum tam Vitæ quam hujus libri Miraculorem esse scriptorem, modo tamen nonnihil diverso. Quippe, quantum apparet, Vitam cum prioribus miraculis ex antiquioribus scriptoribus mutuavit, et pro majori parte ex primo anonymo desumpsit ; librum vero Miraculorum ex visis et auditis composuit. Primi verba præfationis ad librum Miraculorum in eam me opinionem inducunt ;* sic

A *sic enim loquitur auctor :* Hiis itaque reverendissimis patribus nostris sui temporis . . . non minus veraciter quam fideliter de virtutibus beatissimi Patroni nostri prælibatis , plurima postmodum... exstant intermissa relatu dignissima. Quorum e numerositate pauca, ac... ea, quæ aut ipsi vidimus , aut ab idoneis personis visa cognovimus,... subinferre satagimus.

ob rationes hic datas : tempus scripsi hujus Opusculi.

17 *Primo non satis video, quo referatur vox* hiis, *nisi ad scripta anteriora ejusdem auctoris. Itaque cum certo referatur ad Vitam illam anonymi, hæc ab eodem conscripta videtur eo stylo et ordine, quo exstat. Secundo cur plures laudat hujus Vitæ auctores, cum videatur consequenter ab uno exarata? Non alia, opinor, de causa quam quod ipse hanc ex plurium scriptis compilaverit. Præterea observo, Vitam in codice saltem nostro non finiri solita clausula, qua gloria sanctissimæ Trinitati abscribitur ; sed clausulam hanc esse dilatam usque ad finem libri Miraculorum, ita ut liber uterque ibi certe scriptus sit tamquam unum Opus; idque clausula quoque post librum Miraculorum posita clare* B *indicat, cum ita habeat :* Explicat Vita S. Bertini abbatis. *Quapropter probabilius existimo Vitam hanc cum quinque subjunctis miraculis, quæ Vitæ annexa sunt; ac deinde librum undecim Miraculorum, ab eodem composita esse anonymo; sed priorem partem ex antiquis monumentis desumptam; alteram vero ex visis et auditis a scriptore compositam. Hæc autem opinio si vera est, totum id Opusculum conscriptum est circa initium seculi* x, *ut ex dictis num.* 15 *colligitur. Edam istud totum ut Vitam secundam ex codice nostro Ms., erroresque aliquot, in quos auctor incidit, conabor corrigere.*

Vita tertia mertrica eodem forsan tempore composita :

18 *Vita metrica anonymi, quam tertio tantum loco commemoro, ita concinnata est, ut illius auctor scribere potuerit ante anonymum modo memoratum, cum nihil referat, quod non legatur in præcedente, et omittat ultimam Danorum aut Normannorum incursionem in Sithiu, licet hæc etiam ab anonymo prædicto fuerit relata. Operis istius exemplar ex codice Ms. nobis transmisit Cletyus, hasce præmittens observationes :* Hanc lucubrationem eruimus ex codice C bibliothecæ nostræ elegantissime exarato, litteris initialibus uniuscujusque versus auro aut argento exornatis ; cujus caracter sapere videtur finem seculi x. Ille idem est codex, qui editam S. Bertini Vitam ab antiquiori anonymo editam complectitur , quæ pro more Officii ecclesiastici distributa legitur , sed valde paucis ex genuino textu subtractis : ipsamque , quam Malbrancus et nonnulli alii scriptores perperam attribuunt Folquino Laubiensium abbati... Quo tempore vixerit hujus metricæ scriptionis auctor, nihil certi habemus : nec ætatem nec nomen præferunt libri. *Hisce addit, conjecturam posse formari pro Vita scripta, labente seculo* IX, *præsertim quia omittitur ultima Normannorum incursio. Probabilis sane est hæc ratio; at res ex ea non fit omnino certa. Nam, ut ipse etiam observat, poëta hic usus videtur anonymo præcedente, ideoque minus verisimile est ante ipsum scripsisse. Quidque sit, scripsit haud dubie seculo* IX *aut* X, *et nullum refert factum, quod alter non habet. Hac de causa non credo me operæ pretium facturum, si hanc ederem Vitam. Cum tamen aliqua narret prolixius, eum subinde laudabo in annotatis ad Vitam aut Miracula.*

19 *Aliud Opusculum, ad illustranda* S. Bertini *gesta idoneum, seculo* X *compositum est a Folquino monacho Sithiensi et diacono. Hic anno* 961 , *ut aiunt Bertiniani , sub abbate Adalolfo cœpit colligere varia diplomata, eaque historica narratione sic connexuit, ut ex iis fecerit* Chartarium historicum , *quemadmodum Opusculum istud vocat Mabillonins de Re diplomatica lib.* 3 *cap.* 5, *ubi de eo sic loquitur num.* 4 : Antiquiora Chartaria quædam historica sunt, in quibus ita connectuntur vetera monumenta , ut rerum eo in loco gestarum series simul explicetur , et ex illis monumentis eliciatur. Id præstitit seculo x labente Folquinus Sithiensis monachus , cujus collectio ita incipit : " In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, incipiunt capitula primæ dictinctionis libri de gestis abbatum et priuilegiis Sithiensis cœnobii, et de traditionibus possessionum , quæ a fidelibus sub uniuscujusque illorum tempore huic loco cum cartarum inscriptione sunt concessæ ". Constat capitulis LXXXI , quibus subjunguntur capitula decem de eleemosynis. In præfatione vero hæc leguntur : " Hunc tantummodo codicem de membranulis in unius libri cumula- E vimus corpus; ut si forsan quis istius loci possessionum investigandarum fuerit avidus , ad hunc recurrat. Ibi numerum et nomina invenire poterit quantocius sub prætitulatione annorum Dominicæ Nativitatis, vel tunc temporis cujuslibet regis apte conjunctum, prout nostræ erat possibilitatis ". *Addit Mabillonius Collectionem desinere* sub annum CMLXI, *auctoremque protestari se nihil aliud scripsisse,* Nisi quod in exemplariis antiquorum potuit reperire, aut strenuis viris narrantibus agnoscere. *Quod ultimum de pertinentibus ad historiam intelligit Mabillonius, qui et aliis locis hoc Opusculum laudat. Verum dicta hic interim sufficiant ad propositum nostrum. At suis locis in Commentario utemur hoc auctore, ex quo posteriores biographi profecerunt.*

AUCTORE J. S. Chartularium historicum Folquini diaconi :

Vita quarta a Folcardo monacho scripta :

20 *Quartæ* S. Bertini *Vitæ auctor est Folcardus monachus , de quo varia jam dicta sunt num.* 4 *et seq. Floruit Folcardus sub Bovone abbate, cui Opus suum dedicavit, adeoque medio circiter seculo* XI : *nam secundum Iperium Bovo abbas factus est anno* 1043, *et defunctus est an-* F *no* 1065. *Folcardus autem , ut habet quidam annalista Bertinianus, teste Cletyo, Vitam Sancti* elegantiori stylo edidit et abbati suo discutiendam reliquit. *Stylus certe diffusior est quam in Vitis aliis, et in illa ipsa, quam edidit Mabillonius , ut tanto magis mirer, eum dicere potuisse, hanc Vitam compendiose scriptam. Facta, quæ refer Folcardus , partim haurire potuit ex utroque anonymo, sed præcipue ex secundo, cujus etiam errores adoptavit ; partim ex Chartulario Folquini, partim ex aliis monumentis, aut ex solis conjecturis. Tria hujus Vitæ habeo exemplaria Mss.: primum* ex secunda parte variarum Legendarum in Corsendonck *(prioratus est Canonicorum Regularium in Brabantia :) hoc integrum est, et præfationem adjunctam habet, non tamen dedicationem. Alterum Majoribus nostris transmisit Chiffletius noster ex Ms. Accintini monasterii, sed mutilum. Tertium nuperrime ex duobus Mss. Bertinianis transcribendum curavit sæpe laudatus Cletyus : atque huic ipsa etiam dedicatio præfixa est. Tria hæc exemplaria diligenter contuli, et recte consentientia reperi, exceptis mendis non paucis vocum male scriptarum, quæ in singulis occurrunt,*

AUCTORE C. S

runt. Cum tamen menda hæc rarissime in omnibus simul exemplaribus reperiantur, pleraque facile corrigi poterunt; ideoque, quo textus sit correctior, eum ex omnibus simul concinnabo Mss., notatis diversis lectionibus, ubi videbitur operæ pretium.

Inventio et elevatio corporis a Bovone abbate exarata.

21 *Eodem fere tempore, qua scripta est Vita a Folcardo, sive paulo post medium seculi* XI, *Bovo abbas jam memoratus concinnavit Opusculum suum de Inventione et elevatione corporis* S. Bertini, *in quo varia referuntur ad Sancti gloriam posthumam spectantia. Pleraque horum auctor vidit, et alia quædam anteriora ex monumentis Bertinianis haurire potuit, ita ut hoc Opusculum sit dignum, quod post tres Vitas memoratas totum Operi nostro inseratur. Cum autem nullum nactus sim exemplar Ms., nec facile nancisci possim, testante Cletyo relationem illam non amplius exstare in codicibus Mss bibliothecæ Bertinianæ, solam recudere cogor editionem Mabillonii, qui Relationem illam se dedisse testatur* ex Mss. codicibus Sithivensi et Claromariscensi. *Bovonem laudant Scriptores Historiæ litterariæ Franciæ tom. 7 pag.* 564, *et observant stylum* B *ipsius esse justo diffusiorem; at Opusculum alias satis bene scriptum. Nos illud ulterius examinabimus in annotatis.*

§ III. Reliqui scriptores, qui de S. Bertino egerunt: utrum Chronicon Joannis Iperii tam sit accurate scriptum quam voluit editor.

Quinta Vita metro leonino composita a Simone abbate:

Quinta Vita S. Bertini, *metro leonino illigata, auctorem habet Simonem monachum, et abbatem Sithiensem. De eo agit Iperius apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum a col.* 631, *seu cap.* 42, *ubi docet Gandensem origine fuisse, virumque religiosum et litteratum. Abbas electus est anno* 1131; *sed electio deinde declarata est irrita per litteras Innocentii II,* quibus litteris domnus Simon veneranter obtemperans, oneri cum dignitate cessit anno Domini MCXXXVI, *inquit Iperius. Cletyus, qui hanc lucubrationem ex codice Ms. Bertiniano transmisit, scriptam dicit medio fere seculo* XII, *id est, non diu ante mortem auctoris: nam obitum ejus cum Iperio affigit anno* 1148. *Præterea ad propositum nostrum hæc observat:* Hujus scriptionis codex ac prologus nomen sui auctoris præferunt, Simonis scilicet hujus nominis primi abbatis Sithiensis. Is *etiam* Folquini levitæ exemplum secutus Cartularium scripsit ab ineunte seculo XI ad sua tempora, hoc est, a tempore Roderici abbatis, qui regere cœpit anno MXXI, summorum Pontificum bullas, principum ac comitum Flandriæ diplomata, aliaque privata instrumenta pari studio in unum volumen retulit, interque res gestas sub uniuscujusque abbatis regimine inseruit. *De hoc Chartulario etiam subinde loquitur Mabillonius in Opere diplomatico. Simonis abbatis Opus laudabo, ubi videbitur operæ pretium. In Vita maxime secutus est Folcardum, cujus non modo opiniones adoptasse videtur, sed diffusum quoque stylum.* C

D *Sexta Vita edita a Mabillonio, seculo XIII compilata est ex variis,*

23 *Sextus demum Vitæ scriptor, cujus compilatio placuit Mabillonio, quia alia fere omnia complectitur, anonymus est seculi* XIII, *ut jam probatum est num.* 6. *Cletyus, qui totam hanc compilationem ex alio codice Bertiniano, quam quo usus est Mabillonius, nitide curavit transcribendam, nobisque communicandam, non modo ætatem auctoris suis observationibus manifestam fecit, sed solerter etiam ostendit, ex quibus auctoribus singula sint desumpta, paucis exceptis miraculis, quæ ipse verisimiliter compilator adjecit, et nonnullis subinde aliis, quæ ipse ex conjecturis aut monumentis ignotis Vitæ addidit. Prologus totus est ex primo anonymo, quem, si forte totum non habuit, ex prima parte, seu Vita S. Audomari, sumere potuit. Caput primum totum est ex Folcardo mutuatum; secundum partim ex Folcardo, partim ex Vita S. Mummolini, quam habemus in codice nostro Ms.; tertium ex anonymo secundo, quem tamen ex Folcardo interpolavit, annum donationis adjungendo. Caput quartum rursus ex eodem anonymo mutuavit, sed quædam ex Folcardo adjecit, errore utriusque etiam adoptato, quo* E *Mummolinus dicitur successisse in episcopatum Noviomensem S. Achario, cum successerit S. Eligio. Caput quintum et sextum ex Folcardo mutuatus est; ac privilegium S. Audomari ex Folquini Chartulario, nisi habuerit autographum. Privilegio pauca subdidit, quæ anachronismo non carent.*

ut ostenditur: ex ea solum edenda quædam miracula:

24 *Caput septimum ex utroque anonymo habere potuit, idemque ex Folcardo, sed anonymum secundum hic maxime secutus est. Caput octavum ex Folquini Chartulario totum desumpsit: nonum vero partim ex secundo anonymo, partim ex Folcardo, partim aliunde, vel ex conjecturis. Caput decimum iterum ex Folcardo mutuavit; et undecimum ex eodem vel ex anonymo habet, sed eorum non expressit verba. Demum caput duodecimum totum fere ipsi compilatori attribuitur, licet nonnulla mutuatus sit ex Folcardo. Hactenus ex observationibus laudatis, quas diligenter cum ipsis monumentis contulit, et accuratas inveni. Ea solum, quæ ex Folquini Chartulario sumpta dicuntur, conferre non potui, cum illud non habeam. Pergit porro laudatus Cletyus de Miraculis ostendere, unde singula sint desumpta. Verum, ne hic justo sim* F *prolixior, de singulis id breviter monebo in annotatis. Quippe Opus istud totum edere non lubet consequenter, prout editum est a Mabillonio, sed singulis auctoribus sua conabor restituere, ut studiosus lector clarius possit perspicere, quo ordine omnia sint scripta, quantique singula valeant. Quod vero supererit ex anonymo Compilatore, post editas tres Vitas et Opusculum Bovonis abbatis, totum suis locis legetur in hoc Commentario, aut dabitur in Appendice Miraculorum, quem ultimo loco subjiciam. Ceterum hujus anonymi Vitam habeo in alio etiam exemplari Ms., quod olim Majoribus nostris traditum est* ex libro *Ms.* Domini Huberti, qui inscribitur Vita Bertini, *ut superius notatum est in margine.*

Chronicon S. Bertini, a Joanne Iperio scriptum, editor Martenius

25 *Præter Vitas aliaque monumenta modo memorata, consulendum etiam frequenter erit Chronicon Sithiense S. Bertini, a Joanne Iperio scriptum, et hoc demum seculo editum ab Edmundo Martene tom.* 3 *Thesauri anecdotorum. Floruit Iperius atque abbas Sithiensis fuit seculo* XIV, *defunctus anno* 1383. *Editor Martenius non*

A *non modo pietatem scriptoris atque utilitatem hujusce Chronici multis laudibus in Admonitione prævia commendat ; sed auctoritatem quoque illius Operis magnificis adeo verbis extollit, ut asserat vix ullum res Belgicas enarrandas suscepisse*, qui dicenda majori ex parte hac ex lucubratione , tamquam ex purissimo ac certissimo fonte non hauserit. *Verum mallem ego , ut laudatus editor accuratam de hoc Chronico crisim dedisset , quam laudes exaggeratas : ita enim lector studiosus melius intellexisset, quid ex eo amplecti tuto possit, a quibus contra cavere debeat. Certe chronotaxis plerumque vitiosa est in prioribus hujus Chronici seculis , ut patebit per decursum. Imo ne facta quidem relata in hoc Chronico tam certa esse, tamque immunia ab erroribus, ut correctione sat frequenti non indigeant, non raro ostendere cogar. Conatur Chronici auctoritatem probare Martenius , quia Iperius secutus est Folquinum diaconum, Simonen abbatem , et eorum continuatorem anonymum seculi* XIII, *quem ait scripsisse anno* 1229; Ex quibus, *inquit* , ita Chronicon suum confecisse videtur Joannes Iperius, ut eorum integras lucubrationes Operi suo inseruisse merito censendus B sit.

exaggeratis extollit laudibus, licet multis non careat erroribus,

26 *Ostendere id conatur verbis quibusdam allegatis , quæ Iperius de se proferre non poterat , quæque idcirco antiquioribus attribuenda sunt scriptoribus , quorum dicta eatenus non mutata Chronico suo Iperius inseruit. Verum vehementer suspicor, Martenium numquam contulisse Chronicon Iperii cum tribus illis scriptoribus , a quibus eum tam multa mutuatum dicit. Certe si diligenter verba Iperii contulisset cum verbis anonymi continuatoris , qui est compilator Vitæ* S. Bertini *a Mabillonio editæ , vidisset totum verborum sensum mutatum ab Iperio in facto , quod referetur in Appendice Miraculorum num.* 25 , *ut ibidem observabo. Præterea si istos auctores tres diligenter contulisset et examinasset , vidisset paucissima ab iis narrari tamquam visa, sed pleraque ut longe præterita ; eaque de causa non dixisset* Chronicon istud Bertinianum tanto majorem apud eruditos promereri fidem , quo antiquiores habet auctores , qui sui temporis res gestas , prout viderant aut a testibus oculatis audierant, scriptis mandarunt. *Inconsiderate et* C *sine sufficienti examine hæc dicta sunt: nam pauca ex scriptoribus, qui viderant aut facta suo tempore scripserant, hausit Iperius, saltem in primis seculis Chronici sui, longe plura ex iis scriptoribus, qui gestis, quæ referebant , longe erant posteriores. Quin et plura ex aliis scriptoribus habet Iperius, quam ex tribus illis , quorum tantum non continuatorem facit Martenius.*

ideoque consulendum quidem sit, sed non sine examine sequendum.

27 *Hæc de Iperio observanda censui , ne quis immodicis Martenii laudibus deceptus , me statim reprehendendum existimet , ubi viderit auctoritati istius scriptoris non acquiescentem. Nolim tamen debita laude fraudare Iperium , cujus Chronicon utile et minime contemnendum judicio, sed non cæce sequendum. Unde ille sua hauserit , quantaque fide scripserit , indicat ipse in Prologo secundo his verbis :* Præsens Opusculum ex multis voluminibus scriptisque authenticis grato labore collegimus , sumendo de quolibet, quod ad propositum spectare visum est , nihil inserendo , quod non authenticis scriptis approbetur. *Deinde explicat , quid per scripta authentica designet , multas videlicet Vitas Sanctorum , Chronica item non pauca , antiquitates, annales , historias et archiva tam ecclesiæ Sithiensis quam aliorum monasteriorum Belgii et Franciæ, libros alios historicos , ac demum cartas privilegiorum. Ex hisce omnibus monumentis se Chronicon suum concinnasse asserit* , ex die et consule tempora temporibus , et ex causis in eis contentis negotia negotiis concordando. *Non dubito , quin id et diligenter et bona fide præstiterit vir pius et doctus ; at sine erroribus factum non esse, luce clarius est. Et sane tale Opus illo seculo, quo vixit Iperius, sine variis erroribus conscribere, humanæ non erat industriæ, tum quod monumenta multa, quibus utendum erat, non omni carerent errore ; tum quod varia per conjecturas erant concilianda. Hæc autem conciliatio tanto erat difficilior, quanto minus ad perfectionem hodiernam accedebat scientia chronologica et critica. Hactenus de Iperio.*

Alia quædam monumenta ad S. Bertinum spectantia.

28 *Hisce expeditis de præcipuis monumentis, quibus usurus sum ad Vitam* S. Bertini *illustrandam, pauca dumtaxat restant dicenda de aliis quibusdam. Habeo novem lectiones Mss. Officii* S. Bertini, *quæ notantur olim acceptæ* E *Audomaropoli ex Ms. abbatiæ* S. Bertini, *et collatæ cum alio Ms. vetustiori ejusdem civitatis. Contuli hasce lectiones cum Vita primi anonymi, ex qua sunt compositæ, sed aliqua aliunde sunt addita. Præterea invenio brevem relationem Ms. de Inventione et translatione corporis* S. Bertini *tempore Bovonis abbatis. Hæc exscripta est ex Catalogo Ms. abbatum S. Bertini. Huic juncta est altera brevissima,* ex Chronico abbatiæ *communicata ; et alia quædam suis locis memoranda. Accedunt Vitæ Mss. et editæ S. Audomari, S. Mummolini, S. Folquini, aliorumque Sanctorum, de quibus dicetur breviter, quando citabuntur. Demum varia de* S. Bertino *scripserunt neoterici, Jacobus Malbrancus in Opere de Morinis, Joannes Mabillonius in Actis et in Annalibus Benedictinis, Carolus Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum, Dionysius Sammarthanus in Gallia Christiana recusa, aliique non pauci, quorum opiniones examinabimus ; nec ullum sequemur sine examine prævio.*

F

§ IV. Natalis locus et tempus : asserta de Sancti genere examinata : Vita monastica Luxovii : tempus adventus ad S. Audomarum.

Natus Bertinus in territorio Constantiæ Alemannicæ,

V*ita* S. Bertini *scriptores in patriam Sancti eatenus mirifice consentiunt, quod natum dicant in territorio urbus Constantiensis, in Germania ad Rhenum prope lacum Bodamicum vel Constantiensem sitæ. Unus Simon abbas Constantiam ipsam nominat urbem Sancti natalem ; sed credere nequeo, ipsum ab aliis dissentire voluisse, sed solum dicere, natum esse Constantiæ, quia in urbis illius natus est territorio. Iperius in Chronico locum ipsum assignare voluit, ita scribens :* Ortus est beatus puer Bertinus in Constantiensi regione, non longe a Constantia civitate Alemanniæ , in loco suæ hereditatis , nuncupato Vasima, provinciæ Maguntinæ. *Malbrancus lib.* 3 *cap.* 1,

AUCTORE J. S.

3 *cap.* I *ex Chronico Ms. legit* Vasinia. *Cur Maguntinæ provinciæ seu Moguntinæ attribuat locum natalem Iperius, non satis perspicio, nisi fortasse loquatur de provincia ecclesiastica : nam diœcesis Constantiensis deinde fuit hodieque est sub Moguntina metropoli. Unde hauserit locum natalem* Vasimam *vel* Vasiniam, *utcumque colligitur ex alio ejus loco. Videtur enim respexisse ad villam* Vausune in pago Constantino, *quam anno* 662 *Mummolino permutatione cessit* Bertinus, *ut apud Mabillonium de Re diplomatica pag.* 606 *legi potest. Nam illam permutationem referens cap.* I *part.* 10 *ita loquitur :* Sanctus quoque Bertinus dedit eidem Mommelino duos villas, scilicet Vasime in pago Constantiensi, quæ sibi successerat ex hereditate paterna *etc.*

non autem in Vasima, ut Iperius voluit;

30 *Laudat pro hisce diploma Clotarii regis, quod apud Mabillonium loco indicato sic habet :* Similiter dedit Bertinus abba memorato domno Mummolino abbati vel episcopo portione sua de villa nuncupante Vausune, in pago Constantino ad integrum, quem de illustri viro Agulfo pro B alia villa Tranciliaco in concambio accepit *etc. Hæc sane non favent Iperio. Quo enim modo* Bertinus *ex paterna hereditate habuit villam* Vausune *vel* Vasime, *si illam accepit* concambio *pro alia villa, ut hic dicitur? Certum igitur est, errasse Iperium, quando credidit villam* Vausune *vel* Vasime *hereditario jure pertinuisse ad* S. Bertinum. *Cum autem constet, eum in illo fuisse errore, vix dubitari potest, quin ex eo conjecturam fecerit de loco natali, idque ipsa ejus indicant verba, cum ibi* Vasimam *item dicat locum* hereditatis *Sancti. Pagus Constantinus, in quo sita dicitur villa, errori forsan occasionem dedit, quod Iperius, legens pagum Constantinum, statim respexerit ad territorium urbis Constantiensis ad Rhenum, existimaveritque locum tam dissitum* Bertino *verisimiliter non obtigisse nisi hereditario jure. Attamen in ipso diplomate contrarium legere potuerat, et verisimile non est,* S. Bertinum *ulla bona hereditaria tunc possedisse. Prælerea non existimo per pagum Constantinum hic designari territorium Constantiæ Alemannicæ in Suevia, sed pagum Constantinum in hodierna Normannia ad Oceanum. Certe* pagus Constantinus, *vulgo* le Cotantin C *vel* le Coutantin, *nomen habet a Constantia Gallica, ut Valesius ostendit in Notitia Galliarum pag.* 156. *Ratio quoque permutationis magis apparet, si ibidem sita erat villa* Vausune, *nimirum quia hæc longe propinquior erat Novioduno, ubi Mummolinus erat episcopus, quam abbatiæ* S. Bertini. *Itaque detecto ex hisce errore Iperii, satis erit nobis cum biographis dicere,* S. Bertinum *esse natum in territorio urbis Constantiæ Germanicæ, nec locum inutili labore magis investigabimus.*

inchoato probabilius seculo VII,

31 *Tempus natale Vitæ scriptores non exprimunt. Annum tamen emortualem invenimus in Folcardo, in Officio Ms., ac demum in ultimo compilatore apud Mabillonium : quo etiam loco Sanctus vixisse legitur usque ad annum ætatis centesimum duodecimum, quod et Iperio placuit. Hæc si certa essent, facile investigari posset annus natalis : verum suo loco ostendam, nec annum emortualem in Vitis satis recte assignari, nec esse omnino certum, ætatis vero tam longævæ annos multo incertiores. Itaque cum ex hisce nihil erui possit, audiamus Iperium. Hic cap.* I *natum dicit* anno Verbi Incarnati quingentesimo nonagesimo vel circiter, sanctæ Sedi apostolicæ præsidente beato Papa Gregorio, imperatoria sceptra gerente Mauritio, et in Francia regnante Clotario secundo adhuc puero. D *Mox part.* 4 *natum dicit* anno circiter secundo *Clotarii II, cujus regnum inchoat anno* 586, *id est, biennio serius quam oportuit. Si omnia sua asserta recte invicem aptasset, natum dixisset anno* 586 *vel* 587, *cum mortuum dicat anno* 698, *ætatis anno centesimo duodecimo. Verum Cointius ad annum* 608 *num.* 3 *existimat,* Bertinum *multo serius natum. Si autem consideremus, quam nullius sit momenti auctoritas Compilatoris anonymi, qui primus tantam ætatem* S. Bertino *attribuit, et Iperium facile in suam opinionem pertraxit; Cointio assentiri poterimus, præsertim cum danda series chronologica gestorum* S. Bertini *magis suadeat, Sanctum esse natum seculo* VII *jam inchoato, et verisimiliter inter annum* 600 *et* 610 *: nam mortuum dicemus circa annum* 707 *ætate tam provecta, ut a centum annis non longe abfuerit, aut eos forte superaverit.*

genere verisimiliter nobili :

32 *De genere nobili aut ignobili* S. Bertini *nihil habent duo anonymi Vitæ scriptores, nihil quoque duo poetæ. Primus Folcardus dixit* E *in Vita :* Beatus puer Bertinus generosa progenitorum stirpe ortus traditur : *quod adoptavit seculi* XIII *compilator anonymus. Verum Iperius plura de Sancti stirpe ratiocinatur, eumque eodem cum S. Audomaro, cum Pipinis et Carolo Magno, genere ortum contendit. Id de S. Audomaro examinabitur ad diem* IX *hujus mensis. Satis mihi erit hic observare, Folcardum quidem num.* 9 *dubitanter per voces,* ut fertur, *asserere* Bertinum *fuisse S. Audomari consanguineum, eamque opinionem sine dubitatione affirmari a Compilatore anonymo seculi* XIII *apud Mabillonium cap.* 2; *at neminem ex tribus prioribus Vitæ scriptoribus asserere,* Bertinum *et Audomarum fuisse consanguineos, licet omnes de utroque loquantur. Horum autem silentium cum adjuncta dubitatione Folcardi, qui sane ad asserendum aliquid non fuit nimis timidus, suspicionem præbet famam illius consanguinitatis non fuisse constantem, sed aliquos fortasse ex eadem patria per conjecturam credidisse, eadem quoque stirpe ortos fuisse. Quapropter non lubet excutere, aut huc transferre, quæ Malbrancus* F *de hisce disputat, asserta Iperii liberaliter amplectens, suisque augens conjecturis. Ceterum satis verisimile est,* Bertinum *nobili genere ortum fuisse, ut tradi affirmat Folcardus, cum silentium priorum biographorum non magni contra hanc opinionem possit esse momenti. At idem non ausim asserere de consanguinitate cum S. Audomaro ob dubitationem Folcardi cum aliorum silentio conjunctam.*

monachus primum Luxovii fuisse dicitur Sanctus,

33 *De vitæ monasticæ initiis Luxovii tacuerunt item tres primi Vitæ scriptores : nec tamen dubitandum videtur, quin Luxoviense cœnobium incoluerit* S. Bertinus, *uti et Mummolinus et Ebertramnus, quibuscum deinde ad S. Audomarum se contulit. Hi enim simul monasterium extruere cœperunt, ubi pervenerant ad S. Audomarum, qui ipse etiam Luxovii monachus fuerat, et conatibus ipsorum favebat. Vel sola hac ratione verisimile est, eos antea exercitatos fuisse disciplina monastica. Quapropter Folcardo, Simoni abbati, aliisque hos secutis facile credere possumus, eos in Luxoviensi cœnobio vitam monasticam amplexos esse, indeque ad S. Audomarum missos ad prædicandum Evangelium, prout eo tempore*

A *pore fieri consueverat in cœnobio Luxoviensi. Silentium primi anonymi, qui videtur eos recta ex Constantiensi regione ad S. Audomarum deducere, ex ea dumtaxat causa ortum videtur, quod intentus esset referendis S. Audomari gestis, ideoque de* S. Bertino *et aliis ea solum referret, quæ cum gestis Audomari erant connexa. Neque hic dici potest, eum saltem debuisse in Vita* S. Bertini *commorationem ipsius Luxoviensem narrare: nam clarum est, scriptorem illum non scripsisse plenam* S. Bertini *Vitam; sed simulac pervenerat ad obitum S. Audomari, ea solum de* Bertino *narrasse, quæ facta erant postea. Secundi anonymi silentium nihilo magis urget, cum hic primo nihil addiderit præter interpolationes et mutationes aliquot exigui momenti, paucaque circa vitæ finem gesta, ac miracula post Sancti mortem facta.*

eoque venisse scribitur sub Eustasio abbate,

34 *Iperius de primordiis* S. Bertini *hæc memorat:* Ablactatus igitur infans indolis eximiæ Bertinus, scholis datur liberalibus inbuendus: deinde ætate corporeque robustior, relicta patria cum parentibus, in Luxovio Burgundiæ monasterio sub patre Eustachio *(rectius* Eustasius *scribitur)* monachus efficitur, et a sanctis ibi B patribus regularibus institutis informatur, hauriens ibi sacræ fidei rudimenta, quæ nostris auribus postmodum excellenter infudit. *Unum in hisce dumtaxat est dubium, videlicet an* S. Bertinus *sub Eustasio abbate Luxovium venerit, ut asserit Iperius cum Folcardo, Simone abbate et aliis. Cointius enim ad annum* 633 *num.* 13 *existimat* Bertinum *serius Luxovium venisse, ita scribens:* Hisce temporibus, cum Audomarus nondum episcopus electus esset, Walberti Luxoviensis abbatis disciplinæ se commiserunt Bertinus, Mummolinus et Ebertramnus. *Cointii sententiam adoptavit Bailletus in Vita* S. Bertini *Verum non video, cur Cointius, qui credit* Bertinum *circa annum* 639 *venisse ad S. Audomarum, commorationem Sancti Luxoviensem tam brevi intervallo circumscriptam velit, ut affirmet eum Luxovium venisse circa annum* 633, *ideoque recedendum credat a scriptoribus Vitæ* S. Bertini, *ab Iperio ac demum a Vita S. Mummolini, in qua item legitur, eum vixisse* sub S. Eustasio Luxoviensis monasterii abbate. *Sane tempus sex annorum, quo se in mona-* C *sterio pararent ad prædicandum Evangelium, justo brevius apparet, cum verisimile sit,* Bertinum *aliosque juvenes fuisse, quando Luxovium venerunt.*

quod statui potest circa annum 625.

35 *Quare probabilius credo, eum citius venisse Luxovium, ibique ad plures annos substitisse, priusquam ad labores Apostolicos cum Mummolino et Ebertramno mitteretur e monasterio; nec ullas invenio rationes, ob quas sub finem vitæ S. Eustasii non possit locari initium vitæ monasticæ, seu circa annum* 625. *Fateor tamen tantam non esse auctoritatem scriptorum pro ea opinione allegatorum, ut res omnino sit certa: sed solum observo, opinionem Cointii, a Bailleto adoptatam, non minus ratione, quam omni auctoritate esse destitutam. Displicent etiam, quæ allegatis verbis subdit Cointius, qui* Bertinum, *Mummolinum et Ebertramnum familiaritate junctos, simulque politioribus litteris operam navantes facit ante vitam monasticam, simulque Luxovium discedentes: nihil enim horum apud antiquos auctores aut vitæ scriptores lego, aut certe, quæ antiqui dicunt de eorum adventu ad S. Audomarum, eo sensu intelligere nequeo. Ultima vero ejusdem observatio, quod Mummolinus ceteris esset natu major, vera apparet, cum apud antiquiores ubique primo loco nominetur, et primus abbas fuerit constitutus, ac deinde episcopus. Contra* Bertinus *natu minimus fuisse videtur e tribus, cum ultimus recenseatur tam in vita S. Audomari, seu apud primum anonymum, quam in vita S. Mummolini.*

Inde Bertinus cum Mummolino et Ebertramno, non ad prædicandum

36 *Tempus, quo* S. Bertinus *e monasterio Luxoviensi discessit, ac in provinciam Morinensem ad S. Audomarum cum Mummolino et Ebertramno venit, non satis est exploratum. Vitæ scriptores primi tempus illius adventus non expresserunt, Folcardus in annis Christi cum annis regum conciliandis misere hallucinatus est, uti et compilator anonymus, quam post Mabillonium Cointius etiam et Pagius Folcardum perperam vocaverunt. Iperius demum varia de tempore hujus adventus, sed mire pugnantia protulit. Primo igitur observo, omnia fere repudianda esse, quæ compilator anonymus de hisce apud Mabillonium cap.* 2 *scribit his verbis:* Ergo cum jam Dominus Militem suum mundo E manifestius propalare disposuisset, ne in absconso lucerna tantæ claritatis lucens, tot mortalium spiritualia commercia differret; egressus duobus tantum comitibus Mummolino et Ebertramno, magnæ scilicet sanctitatis viris tertius adjunctus, perfectus sanctæ Trinitatis cultor in Galliam usque pervenit. Videntes igitur prædicti viri Sancti Bertinus scilicet et socii ejus, ibidem messem quidem multam, operarios autem paucos, cœperunt longe lateque verbum vitæ instanter per totam Galliam disseminare. Adhæserunt autem eis quamplures viri religiosi, qui ab eisdem a mane usque ad vesperum æternæ vitæ pabulis reficiebantur: nec minus quoque palatini proceres intermissa ad tempus regali servitute ad eos confluebant, eorumque modestam conversationem in recte vivendo ad exemplum sibi proponebant.

per totam Galliam, ut perperam aliqui scribunt,

37 Tempore illo Lotharius filius Ludovici regis regni Francorum monarchiam gubernabat, cujus aures cum jam suorum procerum relatione pulsaret sanctorum Bertini sociorumque ejus eximiæ conversationis crebra opinio, mox eos suis adstare jussit conspectibus. Quibus illatis, a rege vir domini Bertinus et ejus socii honorifice sunt suscepti, et longo tempore intra regis palatium summa diligentia subrogati. Post longum autem temporis intervallum præmemorati viri S. Audomarum tunc Tarvennensem episcopum (cujus compatriota et consanguineus erat S. Berti- F nus) adierunt, ut ei in prædicando essent comites, quatenus in æterna retributione a Deo mererentur fieri æqualis gloriæ participes. Sanctus vero Audomarus eosdem Dei famulos gratifice recipiens, omnipotenti Deo gratias egit, qui tales sibi ad prædicandum Euangelium adjutores misit. Erant enim in fide perfecti Catholica, et in ecclesiasticis disciplinis atque in divina Scriptura eruditi. Subibant igitur officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.

qui etiam alio errore Bertinum Mummolino præponunt,

38 *Imperitus compilator hic miscuit quædam a Folcardo scripta cum iis, quæ de hisce leguntur in Vita S. Mummolini manuscripta; nec tamen eorum verba satis recte expressit. Primam periodum ex Folcardo sic restituo:* Ergo cum jam Dominus Militem suum mundo manifestius propalare disposuisset, ne in absconso Lucerna

AUCTORE J. S.

Lucerna tantæ claritatis lucens, tot mortalium spiritualia commercia differret; egressis duobus tantum comitibus, Mummolino et Ebertramno, magnæ scilicet sanctitatis viris, tertius adjunctus, perfectus sanctæ Trinitatis cultor, Morinensium fines pervenit. *Duo in hisce mutavit interpolator; primo pro voce* egressis, *substituit* egressus: *qua mutatione fit, ut* Bertinus, *qui alias tertius seu natu minimus videtur, primus videri possit e tribus. At poterat ex Vita S. Mummolini, quam inepte Folcardo miscuit, ordinem trium illorum Sanctorum clare perspicere, et supprimere non debuerat, quæ ibi leguntur hoc modo:* Sanctus Bertramnus atque Bertinus beatum Mummolinum in patrem sibi elegerunt, cui humili devotione subjiciebantur, et caritativo affectu venerabantur. *Altera mutatio plane ridicula est, qua eos Luxovio* in Galiam usque *pervenisse dicit, ubi Folcardus eos in pagum Morinensium venisse asserit.*

nec tempore Clotarii III,

39 *Verum volebat eos cum auctore Vitæ S. Mummolini* per Galliam, *imo etiam per* totam, *ut ipse addidit, prædicantes inducere, multosque discipulos ac palatinos etiam proceres* B *ad eos deducere; quin et ad aulam regis Clotarii eosdem perducere. Hæc omnia ex laudata S. Mummolini Vita sumpsit compilator, neque advertit quidem, quam inepte* Lotharius *vocetur* filius Ludovici: *nam Clotarius III filius Clodovei II, solus utcumque intelligi posset; sed hic regnum adeptus non est ante annum* 656., *quando multis annis in pago Morinensi fuerat* Bertinus *cum sociis, ut patet ex traditione villæ Sithiu, quam ipse compilator testatur factam anno* XI *Clodovei II, id est, anno Christi* 648. *Nihil igitur ex hisce erroribus colligere possumus pro tempore adventus ad S. Audomarum; nihil credimus de adventu Sanctorum illorum ad Clotarium aut ad ejus aulam, nihil de discipulis, qui se eis junxissent, priusquam ad S. Audomarum pervenerant. Verumtamen, cum scriptores ordinem rerum sæpe perturbent, fortasse S. Mummolinus vocatus fuerit ad aulam Clotarii III, antequam creatus est episcopus Noviodunensis: quæ autem dicuntur de prædicatione, et de discipulis ad Sanctos hosce confluentibus, verissima sunt, si facta credamus eo tempore, quo populum pagi Morinensis cum S. Audoma-* C *ro excolebant: atque eo etiam tempore quidam e proceribus palatinis ad eos subinde venire poterant.*

neque etiam Clotarii II, egressus est,

40 *Iperius cap.* I *part.* 5 *scribit,* S. Bertinum *cum sociis venisse ad S. Audomarum tempore Clotarii II, id est, ante annum* 628, *aliaque jam refutata ab anonymo mutuatur:* Specialiter, *inquit*, sancti Bertinus, Mommolinus et Bertrannus, tres viri cultores sanctæ Trinitatis, talentum Domini nolentes abscondere, vel sine lucro reportare, de Luxovio Burgundiæ monasterio venerunt in Franciam verbum vitæ seminantes, et a rege Clothario sunt honorifice recepti, ac intra palatium regis cum summa diligentia subrogati. *Quæ anonymus facta dicit sub Clotario III, id est, multo serius, quam ut sint verisimilia; hic sub Clotario II ponit, sub quo ipsam etiam traditionem Adroaldi, quæ facta est anno* 648, *mox tamquam anno* 626 *factam collocat. Subdit Iperius:* Post longum temporis intervallum sanctum Audomarum tunc Morinensem episcopum, cujus compatriota atque consanguineus erat beatus Bertinus *(adierunt,)* tam amore ipsius Sancti, quam quia patriæ linguam, utpote Teutonici, bene sciebant: quos D sanctus Audomarus suscipiens, suos in prædicatione statuit esse consortes. Subibant ergo officium legationis suæ labore prædicationis continuæ. *Non difficulter hæc refutari possunt, cum certo non venerint ante episcopatum S. Audomari, qui cœptus est sub Dagoberto et quidem circa finem vitæ Dagoberti, ut plerique existimant, quod magis examinabitur ad diem* IX, *quo colitur.*

sed vocatus verisimiliter a S. Audomaro,

41 *Quare propius ad verum accedet, quod ante dixerat Iperius part.* 2, Bertinum *venisse* in has Occiduas Flandriæ partes *tempore Severini summi Pontificis, cujus pontificatus totus anno* 640 *innectitur a Pagio. Cointus ad annum circiter* 639 *eorum adventum collocat, quod item non longe a vero abesse existimo. Verum rationes hujus chronotaxis aliæ quærendæ sunt, quam hactenus allatas vidi. Primo certum est, Sanctos illos venisse ad S. Audomarum jam aliquo tempore episcopum; et aliquot annis ante fundationem Sithiensis abbatiæ, quæ ex donatione Adroaldi consignata est anno* XI *Clodovei II, id est, Christi* 648. *Itaque adventus certo locandus est inter initium episcopatus S. Audomari,* E *quod circa annum* 637 *figitur, et assignatum jam annum* 648. *Jam vero, cum verisimile sit, Sanctos illos venisse, petente S. Audomaro; cumque verisimiliter manum illam subsidiariam flagitaverit non diu post susceptum episcopatum, simulac perspexerat in pago Morinensi multam esse messem, paucos vero operarios; existimo Mummolinum cum sociis Ebertramno et* Bertino *accurrisse ad Audomarum uno tantum alterove anno postquam ipse ad Morinos pervenerat, præsertim cum primus anonymus in Vita S. Audomari inter episcopatum ab Audomaro susceptum et aliorum adventum nihil referat, quod cogat existimare adventum trium illorum multis annis posteriorem esse ipsius Audomari adventu.*

ad quem cum sociis venit circa annum 638 aut 640.

42 *Id etiam suadet prior habitatio Mummolini et sociorum in veteri monasterio, quam totam præponendam esse anno* 648, *infra ostendam: nam licet ea fuerit paucorum annorum, teste primo anonymo, facile tamen durare potuit ad annos octo vel decem. Quapropter existimo adventum* S. Bertini *et sociorum in pagum Morinensem non longe ab anno* 638 *aut* 640 *amovendum esse.* F *Lubens tamen fateor, hanc epocham tam certam non esse, ut litigare velim, si quis adventum illum paulo citius collocaverit aut serius. Quippe, licet initium episcopatus S. Audomari figatur posterioribus annis regis Dagoberti, qui anno* 638 *defunctus est mense Januario, tam certum non est Audomarum anno* 637 *factum esse episcopum, ut eum erroris accusandum crederem, qui diceret episcopum creatum aliquot annis citius, cum argumentum Cointii, quo nititur probare anno* 637 *episcopum esse factum, sit exigui momenti, ut in Audomaro probari poterit ad* IX *Septembris. Si autem Audomarus citius fuit episcopus, citius etiam ei adesse potuit* Bertinus.

§ V.

A

AUCTORE J. S.

§ V. Vetus monasterium constructum, favente S. Audomaro : fundatio Sithiensis abbatiæ, eodem auxiliante, ac census subministrante Adroaldo.

Adroaldus villam Sithiensem offert S. Audomaro : hoc Sancto juvante

Iperius *cap.* 1 *part.* 6 *ita habet :* Dum sanctus Audomarus cum suis tribus comitibus antedictis sanctæ Trinitatis fidem incredulorum cordibus sua prædicatione frequenter imprimeret, terræ populus ad eos catervatim confluebat, suavi jugo Domini colla devote subdentes. Interea quidam prædives opum, vir illustris Adroaldus nomine, nullum habens filium, cum beato Audomaro tractare cœpit, qualiter possessionum suarum ecclesiam heredem faceret : villam, quæ B Sithiu vocatur, cum suis appenditiis beato obtulit Audomaro, ut ibi xenodochium construat. Jussu igitur beati Audomari tres viri sancti prædicti, Bertinus, Mommolinus et Bertrannus, ecclesiolam construxerunt et cellam in territorio ejusdem villæ in loco, qui adhuc, et propter hoc, Vetus vocatur Monasterium, super fluvium Agniona, anno Domini DCXXVI. Præsidebat tunc Ecclesiæ sanctæ Romanæ Severinus Papa. *Quod de Severino tam hic quam part. 2 dicitur, editor Martenius corrigere voluit, quia cum hic assignato anno 626 non cohæret ; sed potius corrigendus erat annus 626, ut patet ex ante dictis.*

Bertinus cum sociis construit primum

44 *Redeo ad imperium, qui de hac prima habitatione subdit sequentia :* In prædicto loco Veteris-monasterii, sancti Dei Bertinus et Mommolinus et Bertrannus, quasi in eremitorio sederunt cum conventiculo parvo constructi, annis quatuordecim. Tractatus interim Adroaldi cum sancto Audomaro negotiis intersecantibus protelatur. *Hæc, quæ Iperius ex variis scriptoribus desumpsit, optime consonant primæ Vitæ, si pauca corrigantur. Nam primo secundum* C *Iperium Vetus monasterium constructum est jussu S. Audomari, priusquam Adroaldus statuerat villam Sithiensem ad constructionem monasterii donare. Obtulerat quidem S. Audomaro villam illam ad xenodochium construendum ; verum tractatus iste, si credimus Iperio, necdum erat perfectus, quia in alium usum, nimirum ad monasterium fundandum, Adroaldi possessionibus uti malebat Audomarus, quemadmodum clarius exponit Iperius verbis infra dandis num.* 54.

monasterium, in quo paucis annis resident:

45 *Secundo ex hisce consequitur, Adroaldi donationem ,* S. Bertino *et sociis factam necdum fuisse, quando conditum est Vetus monasterium ; sed S. Audomarum hujusce monasterii exstruendi præcipuum fuisse auctorem; licet non negaverim id eum fecisse, quod Adroaldus bona multa ad arbitrium ipsius impendenda obtulisset. Jam vero quod spectat ad opinionem Iperii, asserentis Mummolinum et socios ejus in veteri illo monasterio quatuordecim annis mansisse, ea non modo antiquorum Vitæ scriptorum auctoritate destituta est ; sed parum etiam verisimilis : nam prima Vita, quæ ceteris longe præferenda videtur,* paucis annis *in eo loco moratos habet, uti et Vita* S. Mummolini. *Secundus vero anonymus et Folcardus, tempus istius commorationis non exprimunt. Præivit tamen Iperio Compilator anonymus apud Mabillonium cap. 4, sed ejus auctoritas exigui est momenti. Itaque quatuordecim illi anni non satis sunt probabiles, cum sic* Bertinus *jam anno* 634 *fuisset in pago Morinensi, quod sustineri vix potest, quia Audomarus necdum videtur fuisse episcopus.*

opiniones variæ de tempore structi, hujus monasterii,

46 *Cointius et Mabillonius a chronotaxi nostra longe abierunt, quia existimarunt Vetus istud monasterium ex donatione Adroaldi anno* 648 *esse constructum, indeque numerarunt annos quatuordecim, post quos fundationem monasterii Sithiensis soli* Bertino *attribuerunt : hisce etiam assensus est Dionysius Sammarthanus tom.* 3 *Galliæ Christianæ col.* 485. *Bertiniani scriptores in oppositam abierunt sententiam, crediderunt que novum seu Sithiense monasterium constructum esse ab anno* 640, *quo fere anno Veteris monasterii constructionem locandam existimo. Audiamus, quid hac de re in observationibus suis ad me scripserit sæpe laudatus Cletyus:* Omnes scriptores hujus cœnobii, vetus Martyrologium, aliaque monumenta, mortem S. Bertini unanimiter ad annum DCXCVIII referunt, E consignantque constructionem novi monasterii ad annum DCXL. Nec obstat donatio Adroaldina, data anno XI Clodovei regis, cui correspondet annus DCXLV, vel juxta modernos DCXLVIII. Duplex fuit donatio Adroaldi, una verbalis, altera vero scripta, ut firmior esset prima donatio. Hæc indicat charta Adroaldi, et probant varia monumenta hujus loci.

quod constructum esse nequit anno 626,

47 *Vides, lector studiose, distantiam esse viginti et duorum annorum inter scriptores Bertinianos et mox laudatos Cointium, Mabillonium et Sammarthanum. Bertiniani (si solos consideremus annos æræ vulgaris) faventem sibi habent Iperium, quocum Veteris monasterii constructionem affigere debent anno* 626. *Favet eisdem compilator anonymus, quem edidit Mabillonius, cum dicat Sanctum obiisse anno* 698, *et anno* 59 *a constructo monasterio, quod de hodierno intelligendum, cum in exemplari nostro Ms. addatur :* Anno a fundatione veteris monasterii septuagesimo tertio. *Favet eisdem etiam Folcardus, qui similiter Sanctum obiisse asserit anno* F 698 *et anno* 59 *constructi monasterii. Verumtamen hæc opinio nequit sustineri, cum sic fundatio Veteris monasterii facta esset ante episcopatum S. Audomari, quod certo est falsum. Error illorum scriptorum ortus est ex eo, quod annos Christi male composuerint cum annis regum Francorum, ut liquet ex ipsa epocha mortis* S. Bertini, *quem omnes obiisse affirmant anno decimo quinto Childeberti regis , eumque dicunt annum Christi* 698, *cum dicendus esset* 709, *ita ut certo errent vel in annis regis assignandis, vel in annis Christi. Hac de causa anni, ab iis scriptoribus assignati, non sequendi sunt, sed corrigendi.*

neque Sithiensis fundatio locari potest anno 640.

48 *Quod vero dicitur de duplici donatione Adroaldi, verum omnino existimo ; sed non explicandum eo modo, ut jam anno* 640 *facta sit fundatio Sithiensis, cum solum Veteris monasterii constructio circa illud tempus sit figenda. Dedit Adroaldus bona sua S. Audomaro, ut hic ea in usus pios expenderet, sicut in Vita hujus Sancti legitur. Audomarus vero ex iis primo construxit ecclesiam beatissimæ Virginis, quam postea* S. Bertino *donatam videbimus. Dedit ex iis*

AUCTORE J. S.

iis Mummolino et Sociis ipsius ea subsidia, quibus Vetus monasterium conderent, ut rursum ex Vita S. Audomari satis clare colligitur. Hanc primam Adroaldi donationem hujusque usum magis deinde firmabo. Demum S. Audomarus voluit, ut omnia sibi donata transferrentur ad SS. Mummolinum, Ebertramnun et Bertinum, *pro constructione et sustentatione monasterii Sithiensis. Hæc omnia eruuntur ex Vita prima, seu ex Vita S. Audomari, cum ipso donationis instrumento collata : neque enim hæc monumenta, quibus nihil melius aut tutius de iis habemus, invicem opponenda sunt, sed concilianda, cum adeo invicem non repugnent, ut ex utroque simul sumpto veritas elucescat. Hæc autem ubi ex laudatis instrumentis ostendero, simul refutavero Cointium, Mabillonium, et Sammarthanum, quorum primus duos alios sine multo examine sequentes sibique assentientes habuit.*

Litteræ Adroaldi,

49 *Litteras Adroaldi, seu donationis instrumentum, ex Auberto Miræo lib.* 1 *Donationum Belgicarum cap.* 3 *huc transfero, sicut etiam est apud Dionysium Sammarthanum tom.* 3 *Galliæ* B *Christianæ inter Instrumenta col.* 109, *et apud Cointium ad annum* 648 *num.* 30. Dominis sanctis presbyteris Bertino, Mommoleno, Ebertrando, ego in Dei nomine Adroaldus, sana mente sanoque consilio integræ deliberationis, prout mundana peccata abstergere Dominus dignetur, dono vobis omnem rem portionis hereditatis meæ, in pago Taruanense, quam domino patri Audomaro, apostolico viro, ad xenodochium suum ædificandum, dare voluimus: sed ipse salubre consilium nobis donavit, ut ipsam rem vobis delegarem, ut ibi monasterium in honore Petri, principis Apostolorum, construere debeatis, ad conversandum monachis, ubi beati pauperes spiritu et domestici fidei adjuvari debeant, quorum voces quotidie ad aures Domini personare noscantur, quorum petitiones audit et implet. Propterea vobis in Christo patribus dono per hanc epistolam donationis in pago Taruanensi villam proprietatis meæ, nuncupatam Sithiu, super fluvium Agnione, cum omni merito suo, vel adjacentiis seu aspicientiis ipsius villæ. Hæc sunt villa Magnigeloca, C Vinciaco, Tatinga, villa Amreio, Masto, Fabricinio, Lonsantavas, et Adfundenis seu Malros, Alciaco, Lauriadiaca, villa Franciliaco, cum omni merito eorum, cum domibus, ædificiis, terris cultis et incultis, mansiones cum silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus seu farinariis, mancipiis, accolabus, greges cum pastoribus, mobilibus et immobilibus, vel quibuslibet ædificiis.

quibus villam Sithiu cum spectantibus ad eam donat :

50 Hæc omnia vobis ad integrum trado atque transfirmo, ut hereditate teneatis atque possideatis, et quibus volueritis ad possidendum relinquatis. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego aut unus de heredibus meis, vel quælibet opposita persona, contra hanc donationem venire cogitaverit ullo unquam tempore, in præsentia iram Dei incurrat, et S. Petri offensam, et insuper, fisco cogente, auri libras XV, argenti pondo XXX coactus exsolvat, et quod repetit non valeat evendicare. Et ut hæc donatio omnibus temporibus firmissima sit, manu nostra roboravimus, et qui signarent aut subscriberent, ad præsens rogavimus. Facta donatio VIII Idus Septembris, anno XI regni domini nostri Clodovæi regis. Actum Ascio, villa Dominica, publice coram strenuis viris, quorum nomina cum D subscriptionibus vel signaculis subter tenentur inserta. Signavi ego Adroaldus hanc donationem a me factam, in Christi nomine, peccator. Audomarus, nomine, absque opere, episcopus, pro testimonio. Ego Agolphus presbyter. Ingobertus presbyter. Signum Chuneberti Graphionis. S. Laudeberti. S. Baboni. S. Maurilionis. S. Sacebaronis. S. Adalbaldi. Lendolenus abbas. *Hactenus charta Adroaldi, quam veram non nego. Miror tamen* Bertinum *primo loco nominari ; sed hac de re postea agam latius.*

assignatur ordo rerum gestarum inter Audomarum et Adroaldum,

51 *Nunc ex prima Vita, quam Scriptores Historiæ litterariæ Franciæ scriptam crediderunt ante medium seculi* VIII, *nos vero sub finem* VIII *seculi aut initium* IX, *quæque suspecta esse nequit de interpolatione, cum habeatur in codice valde antiquo, et recte congruat cum Vita S. Audomari ex alio codice edita, seu cum hujus Opusculi parte prima; ex hac, inquam, Vita, cum dato instrumento collata, rerum ordinem conabor assignare. Primo ante adventum* S. Bertini *et aliorum Adroaldus conversus est a S. Audomaro. Secundo Adroaldus conversus* magnam suæ hereditatis partem cum omni sua multiplici E substantia Deo et beato optulit * Audomaro, videlicet, quæ noto nomine vocatur Sithiu. *(Apud Mabillonium*, villam videlicet *etc.) Tertio* beatus vero Audomarus *(adjutus nimirum oblatis ab Adroaldo bonis)* in prædicta villa ante adventum prædictorum ad eum virorum *(Mummolini et sociorum)* ecclesiam ædificavit in eo etiam loco, in quo suum pausat in pace corpusculum. *Hæc ecclesia deinde* S. Bertino *data, nunc cathedralis est Audomaropolitana. Quarto ad S. Audomarum venerunt circa annum* 638 *aut* 640 *Mummolinus, Ebertramnus et* Bertinus. *Quinto* parvo post hæc temporis spatio transacto, *(aliquot forte hebdomadis aut mensibus)* S. Audomarus cum prædictis beatis viris, divina sibi stimulante gratia, monasterium cogitavit in Dei fundare nomine : ad habitandum enim monachis, divina sibi largiente misericordia, locum habebat aptum, *scilicet ex donatione Adroaldi, quæ subditur.*

* *apud Mab.* obtulit

quæ hanc donationem præcesserunt :

52 *Hæc enim verba,* locum habebat aptum *insinuant, locum ab Adroaldo fuisse donatum Audomaro, et non solum oblatum. Vox* obtulit F *idem hic significare videtur ac donavit, sicut etiam in Vita S. Winnoci apud Mabillonium sec.* 3 *Benedict. pag.* 395 *de Heremaro dicitur*, Deo sanctoque Winnoco quoddam sui juris obtulit prædium, *ubi vox* obtulit *sumitur pro* donavit. *Id rursum colligitur ex hisce, quæ paulo post sequuntur :* Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum *(Audomarum)* pervenerunt, concessit illis, ut monachorum habitaculum ædificassent, ubicumque illis in prædicta placuisset villa. *Non enim id poterat concedere Audomarus, nisi Adroaldus locum ipsi donasset. Quapropter verba in litteris Adroaldi,* Dono vobis omnem rem..., quam domino patri Audomaro, apostolico viro, ad xenodochium suum ædificandum dare voluimus : sed ipse salubre consilium nobis donavit, ut ipsam rem vobis delegarem *etc., non excludunt donationem ante Audomaro factam, ac ne hujus quidem acceptionem aut usum huic secundæ donationi prævium ; sed solum significant, voluisse Audomarum omni juri, quod in bona illa acquisiverat donatione Adroaldi, in gratiam* S. Bertini *et sociorum ejus cedere, ut firma donatione ipsis traderentur.*

A *traderentur. Sic certe totus locus intelligi congrue potest, adeoque sic intelligi debet a quovis prudente, qui mavult antiqua monumenta invicem conciliare, quam inutiliter contendere. Verum ad ordinem rerum gestarum redeamus.*

atque inter has etiam est constructio Veteris monasterii,

55 *Itaque sexto*, Sancti igitur viri, Mummolinus atque Bertinus cum ceteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare in quodam loco cœperunt, quod usque hodie VETUS vocatur MONASTERIUM. *Distat locus Audomaropoli uno circiter milliari. Observat vero Cletyus de illo monasterio sequentia* : Illud Vetus monasterium cum suis officinis per bella Gallorum et Anglorum combustum fuit anno MCDXCVII. Felicioribus temporibus eodem in loco erecta fuit parochia sub nomine S. Mommolini, in spiritualibus et temporalibus omnino dependens ab abbatia S. Bertini. *Redeo ad ordinem gestorum. Septimo*, in eo loco paucis morantes annis, *octo forsan aut decem, non vero annis quatuordecim, quantum apparet,* divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum. *Ratio mutandi loci fuit, quod, crescente mona-* B *chorum numero, prior locus nimis esset angustus; quodque Adroaldus jam permotus esset a S. Audomaro, ut bona sua sineret impendi, novaque donatione traderet ad monasterium istud ædificandum ac sensu congruo stabiliendum.*

quam Iperius etiam donationi Adroaldinæ præponit,

54 *Hasce rationes satis clare indicat Iperius, eatenus hæc recte enarrans, errores tamen quosdam suæ relationi immiscens, quos corrigemus. Nam cap.* I *part.* 6 *de his ita loquitur* : Principante sic Dagoberto *(corrige, Clodoveo II Dagoberti filio)* vir illustris Adroaldus supra memoratus beatum Audomarum alloquitur, ut Sithiu villam cum suis appendiciis, et ceteras possessiones supra tactas recipiat, et xenodochium suum construat; sed sanctus Audomarus ejus consilium mutavit, consulens et Deo et beato Petro bona prædicta conferat; quatenus ibi per viros Dei Bertinum, Mommolinum et Bertrannum, qui sibi in opus Dei collaborabant, monasterium construi debeat ad habitandum monachis, ubi laudes Deo et orationes pro vivis et mortuis perpetuo decantentur, et Christi pauperibus hospitia præparentur, et necessaria ministrentur. Quod Adroaldus, præsente beato Audo- C maro cunctisque proceribus urbis Tarvanæ, magna cordis cum alacritate complevit, tradens villam Sithiu cum appenditiis. *Hæc omnia narrat Iperius post relatam Veteris monasterii constructionem, cui donationem Adroaldi factam ad construendum S. Petri monasterium postponit, ut etiam patet ex ejus verbis num. 44 datis. Itaque consentit eatenus certe rerum gestarum ordini supra dato.*

licet corrigendus sit in aliis:

55 *Sequentia, etiamsi corrigenda sint in eo quod Mummolinus dicatur Achario substitutus episcopus, quodque per errorem consequentem constructio novi seu Sithiensis cœnobii attribuatur soli* Bertinó, *eumdem alias ordinem rursum insinuant. Verba subdo* : Interea decedente beato Achario episcopo urbis Noviomæ, ad episcopatum ejusdem urbis Mommelinus provehitur, et Bertrannus cœnobio sancti Quintini a Mommelino præfatur *. Sanctus vero Bertinus cum in vetere monasterio resedisset annis quatuordecim, quia locus ille permodicus erat, ut aptiorem quæreret, spem ponens in Domino, navem conscendit cum aliquibus sociis suis. Et ecce statim contra fluenta præcipitis fluvii angelico ministerio navis impellitur, donec Bertinus ex ordine decantati Psalterii versiculum illum pronunciaret. Hæc requies mea in sæculum sæculi. Lecto versiculo, navis stetit immobilis circa medium, ubi nunc est monasterium. Cognoscens igitur illum sibi a Deo electum locum, ibi monasterium ædificavit in honorem Dei sanctique Petri Apostolorum principis anno DCXC * in quo brevi tempore centum quinquaginta monachos adunavit. Præsidebat tunc Ecclesiæ Dei Martinus Papa primus. *Hactenus Iperius.*

* i. e. præficitur

AUCTORE J. S.

* *forte* DCXL *scriptum*

an donatio Adroaldi ante datas litteras verbis quoque facta sit, incertum.

56 *Idem part.* 8 *ita habet* : Donatio Adroaldi, consilio beati Audomari facta, Sanctis Bertino, Mommelino et Ebertramno de villa Sithiu et ejus appenditiis, cum bona via fuerit et legitima, ut futuris temporibus validior permaneret, voluit eam Adroaldus litterarum suarum attestatione firmari, quæ sic incipiunt : Dominis sanctis Bertino etc... Facta donatio VIII Idus Septembris, anno undecimo regni domini nostri Clodovei regis etc. Actum in Sithiu villa dominica. *In ipso instrumento legitur,* Actum Ascio villa Dominica. *Ascium vero scriptores passim explicant de hodierno* Aix *inter Oppidum S Pauli et Pernas in Artesia. Verum, quidquid sit de* E *loco datarum litterarum, credidit Iperius donationem prius verbis coram testibus factam esse ab Adroaldo; deinde vero litteris confirmatam. Incerta est ea opinio, nec tamen prorsus improbabilis, si non nimium ponatur intervallum inter donationem et litteras. Nam ea litterarum verba,* Ut ibi monasterium in honore Petri principis Apostolorum construere debeatis, *satis insinuant, monasterium necdum fuisse constructum, quando datæ sunt Litteræ donationis. Qua de causa illud ipso anno* 648, *quo datæ sunt litteræ, inchoatum existimo.*

§ VI. Examinantur rationes Cointii et Mabillonii, qui aliam texuerunt chronotaxim : contra eosdem et alios probatur, Mummolinum fuisse primum abbatem hodierni monasterii Sithiensis.

F

Mummolinus primus abbas Sithiensis cœnobii statutus :

Cointius eumque secuti scriptores crediderunt, ædificationem Veteris monasterii anno 648 *inchoatam esse vi donationis Adroaldinæ; novum vero seu hodiernum cœnobium quatuordecim annis serius constructum esse per* S. Bertinum, *postquam Mummolinus ad episcopatum Noviomensem, Ebertramnusque ad regendam abbatiam S. Quintini discesserant. Congruenter huic opinioni Mummolinum quidem primum abbatem Veteris monasterii, non vero novi admittit. Verum, sicut antiqua monumenta suffragantur rerum ordini supra datæ, ita huic chronotaxi omnino repugnant, ut facile ostendi poterit. Quin imo existimo, Cointium in hunc errorem esse lapsum, quod non vidisset sinceram S. Audomari Vitam a Mabillonio deinde editam : nam ibi non solus* Bertinus, *sed omnes simul quæsivisse dicuntur locum novo monasterio construendo : ibi huic monasterio primus abbas a S.Audomaro constitutus dicitur Mummolinus: ibi* post Mummolinum *episcopum factum abbas statutus*

AUCTORE J. S.

tulus dicitur Bertinus, *non in Veteri*, *sed* in prædicto monasterio *novo. Hæc omnia in Vita S. Audomari, seu in prima Vita edenda num.* 3 *et* 4 *tam clare asseruntur, ut de factorum illorum veritate nequeam dubitare : nec dubitasset, opinor, Cointius, si hanc Vitam satis cito vidisset; sed Vitæ interpolatæ, quam solam vidit apud Surium* IX *Septembris, fidere ausus non est, quantum existimo.*

licet enim Vitæ pleræque S. Bertinum primum faciant abbatem,

58 *Hoc autem existimare cogor, quia nullas alicujus ponderis rationes apud Cointium aut Mabillonium invenio, quibus opinionem suam stabiliant. Omnis fere ratio Cointii ad annum* 648 *et rursum ad annum* 702 *num.* 31 *in eo consistit, quod litteræ Adroaldi datæ non sint ante annum* 648 : *ex quo infert constructionem Veteris monasterii cœptam non esse ante eumdem annum. Possunt quidem adjungi Vitæ pleræque* S. Bertini; *at id compertum non fuit Cointio, qui Vitas istas non vidit. Dico igitur sententiæ ipsius adstipulari anonymum secundæ Vitæ auctorem, aliosque omnes biographos, qui ipsum secuti sunt. Audiamus anonymum compilatorem, cujus Compilationem edidit Mabillonius. Hic. cap.* 3 *ita scribit :* Interea quidam vir nobilis, valde prædives opum, Adroaldus nomine, nullum habens filium, tractare cum B. Audomaro et prædictis Dei famulis cœpit, qualiter possessionum suarum Ecclesiam heredem faceret. Quem B. Audomarus inspirante gratia Spiritus sancti hortatus est, ut S. Bertino sociisque ejus prænominatis quæque habere poterat conferret, quatenus ibidem cœnobium in honore B. Petri principis Apostolorum construendo turbam monachorum non modicam coadunarent. Quod Adroaldus, præsente B. Audomaro cunctisque proceribus urbis Tarvennæ, magna cordis alacritate complevit, tradens villam suæ proprietatis, nuncupatam Sithiu, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo vigesimo sexto, anno autem undecimo regni Clodovei filii Dagoberti, octavo Idus Septembris. In territorio igitur quodam ipsius villæ monasterium ædificare cœperunt, qui locus usque hodie Vetus vocatur monasterium. *Fateor lubens hæc omnia favere Cointio, nec aliam esse aliorum Vitæ scriptorum mentem, excepto primo : reliqui enim constructionem Veteris monasterii similiter narrarunt post donationem Adroaldi.*

exigua illarum est auctoritas, cum dissentiant a prima Vita,

59 *Verum omnium illorum auctoritas mihi major non est, quam sit secundi anonymi, quem tam attente sequi voluerunt, ut ipsius quoque errores adoptaverint, atque aliis auxerint, dum annos Christi, et facta quædam ab eo prætermissa adjunxerunt. Jam vero auctoritas secundi anonymi in hisce ne comparanda quidem est cum auctoritate primi. Nam primum anonymum secundo præluxisse clarius est, quam ut multis probari debeat, cum integras ipsius sententias ipsaque frequenter verba adoptaverit. Non igitur satis capio, cur relata a primo scriptore de fundatione primi et secundi monasterii ita mutare voluerit, ut, neglectis fere Mummolino et Ebertramno, pleraque transferat ad solum* Bertinum, *mutatoque ordine* Bertinum *faciat antesignanum. Primus scriptor Mummolinum ubique primum nominat,* Bertinum *tertium : secundus* Bertinum *semper præponit. Primus docet Mummolinum fuisse præfectum primum in utroque monasterio : secundus de præfectura Mummolini etiam in Veteri monasterio, de qua nec Cointius nec Mabillonius nec Sammarthanus dubitat, prorsus siluit. Primus docet Mummolinum ex abbate creatum episcopum, neque adjungit, cui successerit : secundus, ut discedentem faciat ante constructionem secundi monasterii, dicit Mummolinum Achario successisse, quod falsum esse rursum agnoscunt scriptores mox laudati. Exigua igitur apud me in hisce esse potest auctoritas secundi hujus anonymi, aliorumque ipsum seculorum, præsertim cum Iperius ipse perspexerit et docuerit, constructionem Veteris monasterii longe antiquiorem esse litteris donationis Adroaldi, idque ipsum hodieque velint eruditi Bertiniani.*

quam fideliter magis secutus est scriptor Vitæ S. Mummolini,

60 *Porro, licet prima illa Vita tanto magis mihi sufficere videatur, quanto minus suspectus esse potest ejus auctor, acsi voluisset aliqua a* Bertino *ad Mummolinum transferre, quia Mummolini Vitam non scripsit, sed Audomari,* Bertini *et Winnoci; alium tamen subjungam scriptorem, qui præcedentem fideliter est secutus, et nonnulla clarius explicuit. Vita Ms. S. Mummolini in codice nostro, qui notatur* P. Ms. 159, *post relatum adventum Mummolini et sociorum ad S. Audomarum, ita habet :* Parvo post hæc temporis spatio transacto, S. Audomarus cum prædictis beatis viris, divina stimulante se gratia, monasterium cogitavit in Dei nomine fundare ad habitandum monachis, cui, divina largiente misericordia, locus habebatur aptus. *Mox sequitur Adroaldi donatio, sicut in prima Vita, et subditur :* Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis ut monachorum habitacula ædificassent, ubicumque eis placuisset. Sancti igitur viri Mummolinus atque Bertinus cum ceteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare in quodam ceperunt loco, quod usque hodie Vetus vocatur monasterium. Sed in eo loco paucis morantes annis, divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum. Beati igitur in Domini confidentes misericordia, perfectum invenerunt consilium.

quem primum abbatem fuisse docet cœnobii Sithiensis,

61 Protinus enim in navim ascendentes sine gubernatore ac remige, ac sine ulla cibi vel potus cura, huc atque illuc in spatioso stagno, adhærente prædicto eorum habitaculo, navigantes, omnipotentem rogabant Dominum, ut in locum, quem sua illis præparavit misericordia, eos deduceret illæsos, dicentes invicem, quod non ascensuri essent de prædicto stagno, nisi quando, navicula eorum aptum tenente portum, contigisset illis secundum ordinem Psalterii, subsequentem cantare versiculum : Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Misericors Dominus igitur, qui suis ubique præsens est famulis, (prope est enim Dominus omnibus invocantibus eum) navim, in qua fuerunt prædicti beati viri, post aliquod spatium ilico deduxit ad terram. Tunc etiam illi prædictum canentes versiculum, ac sine mora navim relinquentes, læti intraverunt terram, cognoscentes etiam locum illum a Domino ipsis traditum. Dehinc beato Audomaro pio eorum patre favente consilio, monasterium Sithiu, ex prædicta villa nominatum, super Agnionam fluvium in Dei nomine ædificare ceperunt. Confluentibus autem undique religiosis viris ad prædictos Dei famulos, beatus Audomarus Mummolinum præposuit multitudini monachorum. Siquidem ex eo tempore initium sacræ Religionis sumpsit *etc. Post hæc subduntur multa de virtutibus*

A *virtutibus S. Mummolini, multa de ejus regimine, auctoque monachorum numero sub præfectura ipsius.*

ac deinde episcopum Noviomensem post S. Eligium.

62 *Demum promotio ejusdem ad episcopatum recte enarratur his verbis :* Interea vir Dei Eligius Noviomensis urbis episcopus, post multa patrata miracula, in pace plenus dierum migravit ad Dominum : cujus in loco . . . præfatus Mummolinus ad pastoralis regiminis curam subrogatus est episcopus. *Additur, id factum esse tempore* Lotharii regis, *videlicet Clotarii III. Jam vero si consideremus, allata hujus Vitæ verba optime congruere cum Vita prima ; ea vero, quæ addita sunt de Eligio, cui Mummolinus successit ; et de Clotario, cujas tempore id factum est, vere et accurate adjuncta esse ; dubitare non poterimus, quin auctoritas harum Vitarum longe præferenda sit omnibus Vitis posterioribus* S. Bertini, *in quibus Mummolinus falso dicitur successisse Achario, totaque novi monasterii constructio soli* S. Bertino *male attribuitur. Quippe ex eo etiam capite, quod ne verbum quidem de* B *præfectura Mummolini in iis Vitis legatur, clare patet, anonymum secundum, quem alii secuti sunt, supprimere voluisse gesta Mummolini, ac omnia magis referre ad* S. Bertinum, *quam veritas patiatur. Mummolinum enim primum fuisse abbatem, tam certum undique est et indubitatum ex aliis quoque monumentis, sicut mox ostendam, ut suspecta mihi fiat fides scriptoris illius, qui id in prima Vita legit et tamen commemorare noluit.*

Sententia Mabillonii de primo abbate Sithiensis cœnobii

63 *Cointius, Mabillonius et Sammarthanus omnino ut certum admittunt, primum abbatem fuisse Mummolinum ; sed volunt, abbatem fuisse Veteris dumtaxat monasterii, atque id verum esset, si monasterium Sithiense non esset conditum ante annum* 662, *quo Mummolinus jam erat episcopus. Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 401, *ad annum* 648 *de hisce ita scribit :* Veteri monasterio præfectus abbas Mummolenus seu Mummolinus, novo Sithiensi monasterio Bertinus : quæ res non satis animadversa auctores in varias distraxit sententias, aliis Mummolinum abbatem Bertino præferentibus, aliis posponentibus, aliis denique ex albo Sithiensium abbatum omnino C expungentibus, ut primum Bertino locum tribuant. Mummolinus itaque abbas fuit primus, immo et unicus Veteris-monasterii, quod nomen S. Mummolini hactenus retinet ; Bertinus novi post annos quatuordecim a constructione Veteris-monasterii ; cum scilicet Mummolinus defuncto sancto Eligio in sedem Noviomensem subrogatus. *Eadem est sententia Cointii et Dionysii Sammarthani; nec inficior speciosam videri qualemcumque conciliationem illam variarum opinionum ; sed eam non invenio ullis antiquis monumentis congruentem, imo omnibus fere repugnantem, adeoque et a veritate aberrantem, uti jam clarius probare incipiam.*

refutatur ex litteris donationis Adroaldi,

64 *Primo huic opinioni repugnant Vitæ S. Audomari et S. Mummolini jam laudatæ. Primæ Vitæ auctor nequit merito esse suspectus, quia reliquis est antiquior, et de* S. Bertino *magis scripsit quam de Mummolino. Secundæ auctor primum fideliter secutus est, et nonnulla magis exposuit. Aliæ quoque S. Audomari Vitæ prædictis consonant, sed eas adducere non est necesse. Jam vero ex his Vitis habemus, Mummolinum fuisse primum abbatem secundi seu Sithiensis monasterii ; adeoque illud esse constructum diu ante annum* 662, *cum Mummolinus ab anno* 659 *aut* 660 *fuerit episcopus. Secundo ipsæ Adroaldi litteræ satis innuunt, donationem fuisse factam, ut construeretur novum monasterium Sithiense : sic enim habent :* Ut ibi monasterium in honore Petri, principis Apostolorum, construere debeatis, ad conversandum monachis. *Nullus e Vitæ scriptoribus dixit, Vetus monasterium fuisse constructum in honorem* S. Petri. *De novo igitur loquitur Adroaldus, quod in honorem* S. Petri *structum fuisse constat. Deinde vox* ibi *utcumque innuit, monasterium istud fuisse ædificandum in ipsa villa* Sithiu, *quam donabat Adroaldus. Præterea Vetus monasterium fuit angustum et numerus monachorum ibidem exiguus, ut colligitur ex omnibus Vitæ scriptoribus, ita ut dicat Iperius Sanctos ibi fuisse* quasi in eremitorio . . . cum conventiculo parvo. *At verba Adroaldi significant, donationem esse factam, ut amplum ædificaretur monasterium, in quo magnus esset monachorum numerus. Hac de causa omnes Vitæ scriptores asserunt, undique accurrisse multos post constructum monasterium Sithiense, ut ibi Deo servirent ; non vero ante istam fundationem.*

AUCTORE J. S.

E *ac certæ falsitatis convincitur ex variis diplomatibus :*

65 *Tertio ædificatum esse monasterium Sithiense S. Petri ante annum* 662, *certissimum fit ex privilegiis eidem ante istum annum datis. Audiamus aliquid ex litteris Clotarii III, quibus anno* 6 *regni sui, id est, anno Christi* 661 *vel* 662, *mense Februario, confirmat permutationem variarum possessionum, inter Mummolinum tunc episcopum et* Bertinum *abbatem factam :* Igitur apostolicus vir Mummolenus Noviomensis urbis episcopus, nec non et venerabilis vir Bertinus abba de monasterio Sitdiu, qui * ponitur in pago Tarwanense, a quorum amborum opere visi fuerunt ædificare, et est in honore sanctæ Mariæ Genitris Domini nostri Jesu Christi, nec non et sancti Petri et Pauli Apostolorum, vel ceterorum domnorum Sanctorum constructus *, ad præsentiam nostram venientes *etc. Certum est,* Bertinum *hic abbatem dici, non Veteris monasterii, sed Sithiensis, nunc* S. Bertini *dicti : nam Vetus monasterium numquam vocatum est* Sitdiu *vel* Sithiu, *sed istud nomen omnes novo monasterio attribuunt biographi. Stabat igitur* F *novum monasterium initio anno* 662, *nec inchoatum est anno illo. Præterea constructum est non a solo* Bertino *sed* amborum opere, *nempe Mummolini et* Bertini, *ut habent data verba. Eodem anno sexto Clotarii III signatur charta S. Audomari, qua cœmeterium et basilicam S. Mariæ tradit monasterio Sithiensi. In hac autem charta dicitur :* Ubi antea monasterium in Dei nomine ædificatum esse videtur, ubi regulariter viventes aderant monachi *etc. Non itaque inchoatum est anno* 662 *monasterium Sithiense, de quo agitur. Præterea in Privilegio Clodovei III, quod ex Folquino diacono edidit Mabillonius lib.* 6 *de Re diplomatica pag.* 607, *Mummolinus* S. Bertini *vocatur* antecessor, *ibique agitur* de monasterio Sithiu. *Non igitur in solo Veteri monasterio, sed in Sithiensi Mummolinus abbas fuit et decessor* Bertini. *Hæc mihi certiora apparent, quam ut ulteriori dubitationi relinquatur locus.*

* quod

* constructum

deserenda igitur chronotaxis Cointii, cui ipsæ Vitæ posteriores S. Bertini repugnant :

66 *Porro Vitæ posteriores* S. Bertini, *quæ hisce contraria narrant, dum in referenda constructione Sithiensis abbatiæ de Mummolino tacent, imo ante discessisse ad episcopatum asserunt, fidem in hisce non merentur : nam manifesti*

AUCTORE J. S.

festi convincuntur erroris, quia habent, Achario successisse Mummolinum, cum certo successerit Eligio. Si vero respiciamus ad annos in iisdem Vitis enumeratos, clarum est diu ante annum 662 *constructionem Sithiensis monasterii ab auctoribus illarum Vitarum esse fixam; atque ea est causa, cur totis viginti duobus annis chronotaxis Bertinianorum, qui Vitas istas et Iperium secuti sunt, præcedat chronotaxim Cointii et aliorum. At deserenda est chronotaxis illarum Vitarum æque ac chronotaxis Cointii et Mabillonii, cum utramque probaverim vitiosam et aberrantem. Unum itaque restat inquirendum, cur in tabulis donationis Adroaldi* Bertinus *nominetur ante Mummolinum et Ebertramnum. Cointius ad annum* 648 *num.* 31 *hanc reddit rationem :* Confectæ sunt, *inquit*, Adroaldi tabulæ, cum nondum ullus e tribus prædictis monachis aut abbas aut episcopus acclamatus esset, ideoque Bertinus, qui monasticam vitam primus omnium susceperat, jure ceteris anteponi debuit.

Bertinus non videtur primus nominatus esse

B 67 *At velim scire, unde noverit Cointius,* Bertinum *ante alios fuisse monachum, quod antiquiorum scriptorum nulli umquam in mentem venit; quodque contrarium est iis, quæ scripserat ad annum* 633 *num.* 13, *ubi simul ad monasterium Luxoviense discedentes facit* Bertinum, *Mummolinum et Ebertramnum. Quid et ibidem longe probabilius adjungit :* Mummolinus ævo paulo provectior erat Bertino et Ebertramno. *Quippe omnino mihi persuadeo,* Bertinum *non alia de causa Mummolino postpositum esse in regimine monasterii, quam quod ætate esset junior, et verisimiliter etiam vita monastica. Dubitare igitur vix possum, quin Mummolinus duobus sociis præesset a tempore, quo ex monasterio Luxoviensi simul discesserunt, ut in ipsius Vita asseritur: quin iisdem præfuerit in Veteri monasterio, sine abbatis tamen titulo; atque ea etiam de causa a S. Audomaro primus abbas monasterii Sithiensis fuerit statutus. Itaque etsi omnes verisimiliter caruerint abbatis titulo, quando datæ sunt Adroaldi litteræ, unus tamen superior erat et quasi pater aliorum : nec dubium mihi videtur, quin is fuerit Mummolinus, qui ea de causa primus erat nominandus in tabulis Adroaldi.*

in litteris Adroaldi, licet jam ponatur primus.

C 68 *Respondeo itaque me vehementer suspicari, Mummolinum revera primum fuisse nominatum in tabulis Adroaldi; sed ordinem nominum deinde fuisse mutatum, postquam Mummolinus et Ebertramnus ex abbatia Sithiensi discesserant. Productæ sunt litteræ Adroaldi ex Chartulario Folquini, ex quo alias plures produxit Mabillonius lib.* 6, *de Re diplomatica. At laudatus editor in annotationibus suis ad ea diplomata plures observat omissiones ac leviusculas mutationes. Probabilis igitur est etiam hæc mutatio ordinis nominum, quæ tanto magis potuit videri innocua, quanto minus alicui obesse poterat vel prodesse : nam jus omne ex donatione ortum, discedentibus aliis, ad solum devolutum erat* Bertinum. *Plura de hisce non addam, ut ad ordinem rerum gestarum redeamus.*

D

§ VII. Quo tempore S. Bertinus abbas factus : permutat aliquas possessiones cum Mummolino : ecclesiæ B. Mariæ Virginis ipsi pro cœmeterio donata a S. Audomaro.

S. Bertinus circa annum 659 *abbas factus,*

Cum donatio Aldroaldina notetur mense Septembri anni 648, *cumque Sithiense monasterium necdum videatur eo tempore fuisse inchoatum, quia in litteris dicitur,* Ut ibi monasterium . . . construere debeatis; *verisimile est constructionem abbatiæ cœptam esse eodem anno ad finem vergente. An statim sequenti anno locum inhabitaverint monachi, non definio; licet hoc appareat verisimile. Verum constructo monasterio,* confluentibusque undique religiosis viris ad prædictos Dei famulos, beatus Audomarus E Mummolinum multitudini præposuit monachorum, *teste Vita prima, cujus auctor subjungit :* Sed non multo post hæc temporis intervallo, præfatus venerabilis abbas Mummolinus ad Noviomensis urbis episcopatum . . . provectus est . . Gloriosus igitur pontifex Audomarus post Mummolinum in prædicto monasterio beatum præposuit Bertinum. *Itaque* Bertinus *creatus est abbas eodem anno, quo Mummolinus episcopus. Hic vero factus est episcopatus post S. Eligii obitum, qui a pluribus figitur anno* 659, *a Pagio* 658. *Annus emortualis suo loco examinari poterit. Hic interim dixisse sufficiat,* S. Bertinum *abbatem constitutum circa annum* 659.

crescente monachorum et possessionum numero,

70 *Magnus jam tunc erat monachorum numerus, isque adeo excrescere perrexit, ut scriptor anonymus in Vita a Mabillonio edita asserat :* Intra modicum tempus (S. Bertinus) multitudinem monachorum, videlicet centum quinquaginta coadunavit. *In Cistertiensi exemplari* ducentos *legi, observat Mabillonius. Multos accurrisse testantur etiam primi Vitæ scriptores; sed determinatum non exprimunt numerum, quem primus Folcardus posuit, fortasse non sine* F *exaggeratione. Quidquid autem sit de numero monachorum, eos magna prudentia ac vigilantia regebat* S. Bertinus, *ut narrat laudatus scriptor iisdem fere verbis cum primo Vitæ scriptore, quibus subjungit :* Nec deerant, providente Domino, vitæ eorum necessaria. Affines enim et quique nobiles, Christo devoti ejus ammonitione et doctrina, plurima terrarum fundorumque illi conferebant donaria, sicut inferius patebit. *Vera hæc sunt; sed non omnes donationes* S. Bertino *factas recensuit compilator ille; nec recto ordine singulas enumeravit : nam donatio Heremari de villa Wormholt, quam mox subjicit, longe serius locanda erat, ut suo loco videbimus. Nolim tamen negare, adventum S. Winnoci, qui postea factus est abbas Wormholtensis, et trium ipsius comitum, locari posse circa primos annos regiminis* S. Bertini, *seu circa annum* 660, *cum ætas S. Winnoci huic chronotaxi non repugnet : attamen probabilius existimo eos serius venisse, ut ostendam infra.*

possessiones quasdam permutat cum S. Mummolino episcopo,

71 *Interim* S. Bertinus *cum Mummolino episcopo pactus est permutationem quorumdam bonorum : atque ex hoc pacto satis liquet, possessiones*

AUCTORE J. S.

A *nes abbatiæ Sithiensis post donationem Adroaldi cito auctas fuisse. Folquinus diaconus in Chartulario suo apud Mabillonium lib.* 6. *de Re Diplomatica pag.* 605 *de hac permutatione scripsit sequentia :* Sub Francorum quoque principe [Chlothario] prædicti regis Hludovei filio, anno ipsius VI, Verbique incarnati DCLX, placuit venerabili viro Mummoleno Noviomensi episcopo, domnoque Bertino abbati de Sitdiu monasterio inter se aliqua permutare locella : deditque venerabilis Mummolenus episcopus domno Bertino abbati villam nuncupatam Vallis, quam de parte dederat viro reverentissimo Ebertramno abbate de sancti Quintini cœnobio, pro alia villa cognomento Tunninis, seu et Inbrago et Inglindino, vel in Selerciago. Hæc quinque locella domno concessit Bertino. Et e contrario vir venerandus Bertinus dedit Mummoleno episcopo portionem suam de villa nuncupante Vausune, in pago Constantino, et locum aliud nomine Launardiaca villa ad integrum, quam commutationem regia auctoritate confirmare petierunt : quod et factum est. *Sequitur diploma Clotarii III jam ante a nobis laudatum, quo* B *omnia hæc confirmantur. Iperius cap.* 1 *part.* 10 *hujus permutationis et diplomatis Clotarii meminit, cetera narrans, ut hic relata sunt, sed perperam asserens, villam* Vausune, *aut* Vasime, *ut ipse vocat,* S. Bertino *obvenisse* ex hereditate paterna; *quem errorem refutavi num.* 31.

quod factum videtur anno 662.

72 *Annus hujusce commutationis non omnino certus apparet. Folquinus assignat annum* 660, *qui forte nobis est annus* 661, *cum res peracta sit mense Februario : nam non satis mihi patet, utrum Folquinus a mense Januario orsus sit annum, an a Paschate, quia usus ordiendi annum varius fuit, et sæpe mutatus est apud Gallos. Mabillonius in Annalibus tom.* 1 *pag.* 463 *permutationem hanc narrat ad annum* 661, *uti etiam fit a Cointio ad annum* 661 *num.* XI. *Hic recte annum sextum Clotarii III cum anno* 661 *composuit, cum existimet Clotarium ab anno* 655 *regnare cœpisse. Verum Mabillonius notare debuit annum* 662, *quia Clotarii regnum orditur ab anno* 656 *fere finito, ita ut mense* C *Februario anni* 661 *currere non possit annus* VI *Clotarii, sed is tantum inchoandus sit circa finem anni* 661, *si vera sit demonstratio Mabillonii, quam tom.* 3 *Analectorum pag.* 514 *et seq. concinnasse se credidit ex Inscriptione Jonæ scriptoris Vitæ S. Joannis Reomaënsis. Placuit ea opinio Pagio ad annum* 656 *num.* 17, *qui ex ea colligit Clodoveum II adhuc in vivis fuisse hebdomada secunda Novembris anni* 656. *Hoc autem si verum est, Clodoveus II non modo annis octodecim regnavit, ut plerique habent scriptores, sed fere totis novemdecim, cum mense Januario anni* 638 *mortuus sit Dagobertus pater ipsius. At quidquid sit de mense obitus Clodovei, defunctum esse anno* 656, *mihi quoque aliunde apparet probabilius, ideoque factum mox expositum anno* 662 *inectendum credo.*

Ad faciendum cœmeterium cœnobio Sithiensi

73 *Eodem anno sexto Clotarii notatæ sunt litteræ S. Audomari, quibus monasterio* S. Bertini *concessit ecclesiam beatissimæ Virginis Mariæ, quæ hodie est cathedralis Audomaropolitana. Folcardus e Vitæ scriptoribus primus hanc donationem, ejusque occasionem narravit. Ex eo vero compilator anonymus apud Mabillonium rem ita exponit cap.* 6: Omnibus igitur commodis ejusdem loci sui fratribus perquisitis, cimeterium parare non potuit, uti in palude. Super qua re sui omnibus adjutoris dilecti Dei antistitis Audomari consilium et opem non distulit quærere. Qui præclarus pontifex solita caritatis adfuit exhibitione, ejusque consilio communicato et labore, fossa ambiens cimeterium, eidem cœnobio consecravit in prædicti collis vertice, constructa in ejus medio basilica in veneratione sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Quam communi perfectam opere S. Bertino ejusque cœnobitis concessit integre anno sexcentesimo sexagesimo Incarnationis Dominicæ, donationem suam confirma facta per privilegii descriptionem traditione, in qua se ejusdem beati Patris cunctorumque fratrum sub ejus patrocinio Deo servientium orationibus commendavit, petiitque ut in eodem cimeterio, eo totius carnis viam ingresso, corpus exanime humarent. *Iperius part.* 10 *de iis sic habet:* Beatus pater Bertinus ecclesiam suam de veteri monasterio transferens, in hoc Sithiu loco fundaverat : sed quia locus ille tunc sic paludosus erat, ut in eo cemeterium habere non posset, a beato Audomaro episcopo suo consilium et opem quærit : qui sibi cemeterium in collis vertice et basilicam conse- E cravit in honore beatæ Dei Genitricis Mariæ, et domno Bertino dedit in sepulturam fratrum hujus loci, rogans eum et obtestans, ut ubi naturæ sors humanis eum rebus eximeret, corpus suum ad hanc basilicam deferretur, et ibidem cum monachis subterretur *. Tunc beatus Bertinus ordinavit de suis monachis, qui Deo servirent ibidem, et ut de monasterio suo principali ad capellam, et e contra vicissim, per menses et hebdomadas sibi succedant.

* *forte* subterraretur

S. Audomarus locum illum,

74 *Traditionem hujus ecclesiæ et cœmeterii jam verbotenus factam existimo, antequam scriptum est diploma Clotarii III, de quo supra egi, licet litteræ donationis S. Audomari videantur serius datæ, quia notatæ sunt* XVIII *Maii, anno* VI *Clotarii. Ratio est, quod in litteris Clotarii monasterium Sithiu constructum dicitur* in honore sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, nec non et sancti Petri et Pauli apostolorum, *licet alias non legatur primarium monasterium fuisse constructum in honorem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ. Quare verba Clotarii videntur sic intelligenda,* quod princeps basilica sanctis Petro et Paulo; basilica vero cœmeterii beatæ Mariæ dicata esset, *ut advertit* F *Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 463. *Præterea non omnino certum est, Clotarii litteras datas esse ante litteras S. Audomari, si enim Clotarius regnum adeptus est anno* 656 *inter Kalendas Februarii, quibus ejus litteræ sunt notatæ et diem* XVIII *Maii, quo datæ sunt litteræ S. Audomari, hæ præcesserunt, ac datæ sunt anno* 661. *Quare non omnino certum est, utrum diploma præcesserit : at verisimile admodum est, basilicam beatæ Mariæ jam inhabitari cœptam a monachis Sithiensibus ante utrumque.*

in quo antea ecclesiam beatæ Mariæ erexerat,

75 *Quæri ulterius hic potest, an hæc ecclesiæ eadem videatur cum ea, quam S. Audomarus in Vita prima num.* 2 *in Sithiu construxisse dicitur ante adventum* S. Bertini *ejusque sociorum? Respondeo id mihi satis videri certum, cum dicatur eam struxisse* in eo etiam loco, in quo suum pausat in pace corpusculum. *Verum eo tempore ecclesiam dumtaxat construxit, eamque verisimiliter non magni operis. Postea vero cœmeterium additum, ac locus monachorum habitationi*

AUCTORE J. S.

tationi destinatus: quin et verisimile est, ecclesiam majori opere instauratam, aut saltem auctam. Posteriora ædificia monachorum præcipue opera suspicor esse constructa; atque ita recte intelligetur, quod S. Audomarus in litteris suis asserit, basilicam communi *opere esse ædificatam. Itaque ab hoc tempore* S. Bertinus *utrumque locum, tamquam unum monasterium rexit, idque successores ipsius fecerunt usque ad seculum nonum, quo per Fridogisum abbatem monasterium S. Audomari (ita deinde vocata est ecclesia S. Mariæ Virginis) a monasterio* S Bertini *avulsum est, datumque canonicis secularibus. Verum, priusquam hæc pluribus probare aggredior, litteras donationis S. Audomari ex Vita per Mabillonium edita huc transfero, notatis in margine diversis lectionibus ex collatione cum exemplari nostro Ms. Utroque loco præponitur hic titulus:* Exemplar Chartæ S. Audomari. *Litteræ ipsæ sic habent:*

S. Bertino donat per litteras,

76 Domnis sanctis ac venerabilibus in Christo mihi adhærentibus fratribus tam abbatibus quam et presbyteris vel diaconibus vel omni clero Tarvennensis * ecclesiæ, seu viris illustribus, optimatibus, sublimibus personis, vel reliquis quampluribus Audomarus Christi gratia Tarvennensis ecclesiæ episcopus. Licet nos antiqua regulæ constituta salubri observatione custodire conveniat, tamen divina largitate inspirante utili provisione pertractare constituimus, ut quod sacris deliberationibus non derogat, intrepida observatione conservetur. Quare placuit nobis juxta fraternalem consensum: et visceralis pietatis affectus ita cor nostrum intrinsecus mollivit *, ut basilica in insula Sithiu, ubi antea * monasterium in Dei nomine ædificatum esse videtur, ubi regulariter viventes aderant monachi sub libertate constituti ibidem, pariter cum ipsis monachis pro eorum consolatione vel adjutorio basilicam communi opere ad corpora eorum vel nostrum quiescenda ædificavimus in honorem S. Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, ut in suprascripta basilica juxta eorum * fratrum plenissimam caritatem, in ejus locello corpusculum meum post obitum meum ibidem depositum vel conditum deberet inter ipsorum corpuscula monachorum, qui religioso habitu ad omnipotentis * Dei verbum convenerunt de dissimilibus gentibus, de spatiositate mundi in unius gremio sanctæ Ecclesiæ pro amore Christi consolidati sunt, ut ab jugo mundi colla mentes excutiant, omnia deserere, terrenæ curæ pondera deponere, atque ad cæleste desiderium latius animi sinum laxent, vitam remotam pro superna retributione petierunt, ut in ea sanctis virtutibus * dediti, et vetustatem cordis a societate sæcularium strepitus disjungere, et in igne amoris Domini conflati, ut ad cæleste gaudium contemplandum se innovent. Proinde ego pia * fiducia provocatus, intercessores meos apud clementissimum et omnipotentem * Dominum, ut suis precibus præbere mihi dignentur adminiculum, humiliter deposco, et taliter ab ipsa congregatione supplico, ubi et ubi locus evenerit, in quo Dominus de hac luce me migrare jusserit, consocia caritate, juxta quod * in auribus vestris patefecimus, quod voluntas nostra taliter decrevit, ut cum ipsis peregrinis in ipsa basilica, quam pro eorum adjumento construximus, ibidem me requiescere secundum ipsorum monachorum voluntatem et Dei adjutorio licentiam habere debeam, et ipsi Fratres de quibuslibet locis in præfata insula corpus meum adducere, et ibidem recondere debeant.

* M. Taruannensis

* Ms. emollivit

* Ms. in antea

* Ms. ipsorum

* Ms. operis

* Ms. precibus

* Ms. ex qua

* Ms. piissimum et optimum

* Ms. quam

quibus varia etiam conceduntur

77 Per quod decerno et juxta consensum fratrum clericorum Tarvennensis ecclesiæ, vel illustribus viris * interdico, ut ipsa basilica sub * umbraculo patrocinii abbatis Bertini, qui nunc temporis in antedicto monasterio præesse videtur, seu a successoribus suis sub eorum gubernatione regenda cum divino cultu affectuque piissimo et dilectione, qua decet, et cum omni integra soliditate insulæ Sithiu monasterio in sui juris obtineant vigore arbitrioque, vel rebus in ibidem adspicientibus, ut neque ego, neque ullus episcoporum successorum meorum, neque privilegio aut * muneris causa pro ejus adjutorio servorum Dei, vel ipsorum libertate integra reservanda, requirere non præsumat. Et sicut antiquorum vel in novo tempore monasteria propria privilegia sunt consecuta, ita et hoc a successoribus custodiatur, ut * quidquid in ipsa basilica vel ejus monasterio ibidem offertur, ipse abbas vel monachi ibidem servientes absque allius contrarietate vel repetitione episcoporum liberi cum Dei ajutorio hoc possideant: et juxta * quod decretum est, quidquid prædictæ basilicæ monachi sub libertate euangelica regulariter viventes, regio munere seu a quibuslibet Christianis in agris, mancipiis, auro argentove, sacrisque voluminibus, vel in quibuscumque speciebus, quæ ad ornamentum divini cultus, vel ad opus eorum monachorum pertinere noscuntur, vel in ceteris rebus collatis aut deinceps collaturis in præsenti vita nostris temporibus seu successorum meorum, neque ego nullusque sibi pontifex, aut aliquis ex ordine clericorum ordinator Tarvennensis ecclesiæ, suis usibus usurpare aut minuere, aut ad civitatem aliqua specie deferre non præsumat.

* Ms. viris personis

* Ms. sit

* Ms. nec

* Ms. et

* Ms. sine juxta

monasterio Sithiensi privilegia:

78 Et quidquid ad ipsum altare in Dei nomine fuerit oblatum, a quibuscumque Deo inspirante transmissum, nihil sibi exinde pro reverentia S. Mariæ, in cujus honore ipsa basilica vel reliquorum Sanctorum constructa esse videtur, pontifex aut ejus archidiaconus, vel quilibet ordinator ecclesiæ Tarvennensis audeat vindicare a præfato monasterio. Neque in agris ipsius convivia * ego vel pontifices successores nostri vel archidiaconus præparare non præsumat, nisi ab abbate sæpe dicti monasterii Sithiu spontanea voluntate fuerit rogatus, et peracto divino ministerio, absque ullo incommodo in sua studeat habere regressum *. Neque ulla alia potestate in ipso monasterio, ut diximus, neque in rebus seu mysterium aut ornamentum ipsius, neque in personis donandi aut commutandi pro reverentia S. Mariæ, vel Petri et Pauli Apostolorum, vel pro eo ut quieti sub regula sancti ipsi monachi vivere debeant, ad ipsum monasterium deservientes, ut de perfecta quiete ipsa congregatio valeat, duce Domino, illæso tramite per tempora exultare, et ad portum quietis æternæ feliciter pervenire. Et sicut plura monasterio sub libertate viventes, ut pro statu Ecclesiæ et salute regis vel stabilitate regni et tranquillitate patriæ * valeant in ipso loco vel ad eorum reliquias Sanctorum plenius exorare, et juxta decreta antiquorum Patrum, Domino adjuvante, valeant perseverare, quatenus hanc epistolam cum privilegio concesso atque indulto, sub ea (ut diximus) libertate, sicut plurima monasteria, ut monachi ibidem consistentes debeant in perpetuum permanere firmissime, ut jam

* Ms. communia

* Ms. ingressum

* Ms. primæ

A jam dicti monachi a sæpe dicto monasterio ejusque cellulas: quia nihil de canonica auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei pro tranquillitate pacis vel reverentia Sanctorum tribuitur: illud etiam placuit addere, ut absque introitu pontificis ipsi monachi sub religione vel Regula (sicuti superius diximus) vivere debeant Christo protegente, qui adjuvet hanc epistolam conservantibus, et qui destruat infringere eam præsumentibus.

hasque litteras multorum subscriptione firmavit.

* *Ms.* dictionem

79 Quam definitionem * constitutionis nostræ, nostris et futuris temporibus ut valitura sit, manus nostræ subscriptione roboravimus, et fratribus nostris et illustribus viris, ut et ipsi perfirmare deberent, rogavi. Actum in basilica ipsa sub die decima octava Maii, anno sexto regni domini nostri Chlotharii regis. In Christi nomine quamvis peccator ego Audomarus nomine absque merito episcopus hanc epistolam voluntarius dictavi et recensere audivi, et qui subterius scribere deberent, rogavi. Hæc abocellis feci, et alius manum meam tenens scripsit, et B subscripsit. In Christi nomine Mummolinus acsi peccator, episcopus indignus * subscripsi, rogatus pro indiculo domni Audomari. In Christi nomine Audebertus indignus subscripsi. In Christi nomine Drausio indignus episcopus subscripsi. Bertefridus * peccator hanc epistolam subscripsi. In Christi nomine Gravangerus episcopus indignus subscripsi. In Christi nomine Audobertus episcopus subscripsi. Amlancharius * In Christi nomine peccator episcopus subscripsi. Baginus acsi * peccator episcopus subscripsi. In Christi nomine ego * Abel acsi indignus abbas subscripsi. Ego Ramnebertus * peccator hanc epistolam subscripsi. Ego Landebertus acsi * indignus monachus hoc privilegium rogatus scripsi et subscripsi.

* *in Ms. hæc vox non est.*

* *in Ms.* Cravangerus *præpositus est* Bertefrido

* *Ms* Amlacharius

* *Ms.* etsi

* *Ms.* et ego

* *Ms.* Ramnerbertus

* *Ms.* etsi

§ VIII. Expenduntur argumenta, quæ contra hasce litteras donationis objecta sunt: subscriptiones improbantur ut mendosæ vel supposititiæ.

C

Lis inter ecclesias S. Audomari et S. Bertini: hinc impugnatæ Audomari litteræ:

Acris hoc seculo nata est controversia inter clerum cathedralis ecclesiæ S. Audomari et monachos S. Bertini *de fundatione utriusque ecclesiæ aliisque eo spectantibus: atque ea etiam occasione disputatum est de veritate donationis S. Audomari, quam clerus Audomaropolitanus omnino negavit; Bertiniani vero studiose conati sunt probare. Ea autem occasione non solum impugnata est fides harum litterarum, sed ipsæ etiam donationis Adroaldi litteræ in dubium vocatæ. Porro, licet hactenus ita scripserim de gestis* S. Bertini, *acsi totam illam litem ignorarem, et de litteris Adroaldi ita locutus sim, acsi de earum fide nemo dubitasset, quod argumenta contra eas prolata non magni sint momenti: licet etiam eodem modo usque ad finem procedere mallem, quam dictam controversiam attingere; video tamen id mihi hic licitum non esse, si pro instituto nostro examinare velim spectantia ad* S. Bertinum. *Quapropter, cum mentem meam de litteris Adroaldi satis suis locis insinuaverim, easque cum prima Vila, seu Vila S. Audomari, ex qua præcipue impetebantur, ubique conciliaverim, excepto dumtaxat ordine nominum sanctorum* Bertini, *Mummolini et Ebertramni, quem mutatum videri candide edixi, de hisce litteris plura non addam; sed argumenta præcipua contra litteras S. Audomari objecta, quanta potuero brevitate, hic excutiam eo ordine, quo ad illa respondit scriptor anonymus* S. Bertini.

AUCTORE J. S.

primum contra eos argumentum ineptum: secundum ex Vita S. Audomari,

81 *Primum argumentum anonymus scriptor ecclesiæ Audomaropolitanæ desumpsit ex illis verbis num. 78:* Neque in agris ipsius convivia ego vel pontifices successores nostri, vel archidiaconus præparare non præsumat *etc.; credit enim hujusmodi prohibitionem non congruere S. Audomaro, nec sanctitati illorum temporum. At scriptor anonymus abbatiæ* S. Bertini *in Opusculo Gallico, cui titulus:* Origo ecclesiarum S. Bertini et S. Audomari, *pag. 72 ostendit, similia aliis quoque ejusdem temporis privilegiis inserta fuisse: nec sane tanta erat sanctitas et simplicitas morum seculo* VII, *ut cautiones ejusmodi inutiles aut superfluæ videri debeant. Quare tota illa objectio nullius est momenti. Secundum argumentum impugnator litterarum desumit ex Vita S. Audomari, seu Vita prima inferius danda, in quo num. 2 dicitur S. Audomarus ante adventum* S. Bertini *ecclesiam struxisse in eodem loco, ubi nunc est ecclesia S. Audomari, prout dictum est num. 51 et 75, ubi etiam explicui, quo modo ecclesia illa a S. Audomaro structa esse potuerit ante adventum* Bertini, *idque tamen conciliari cum verbis litterarum, quibus ecclesia dicitur ædificata* communi opere *sanctorum Audomari et* Bertini. *Credidit anonymus impugnator illa duo non posse simul consistere, quod S. Audomarus ibi antea construxisset ecclesiam; quodque ecclesiam illam ædificasset* communi opere *cum* S. Bertino, *ideoque litteras S. Audomari falsitatis arguit.* E

quæ accusanda non est, sed conciliandа cum litteris:

82 *Contra defensor* Bertinianus *Vitam S. Audomari vehementer accusat, contenditque interpolatam esse, laudans testes interpotationis Mabillonium sec. 2 Benedict. pag. 559 et 564, Bailletum in Vilis Sanctorum tom. 3, et Pagium ad annum 682. Verum mentem illorum scriptorum asseculus non est scriptor Bertinianus, cum nullus asserat, Vitam illam S. Audomari, sicut edita est a Mabillonio, interpolatam esse.* F *Mabillonius pag. 559 titulum Vitæ talem præfigit:* Vita S. Audomari, . . scripta ab auctore anonymo, qui ante Normannorum cladem vixisse videtur: apud Surium contracta, et interpolata fortasse a Folcardo abbate *(imo monacho)* Sithivensi seculo X *(lege* XI.*)* Restituta ad apographum Corbeiense. *Quæ hic de interpolatione dicuntur, intelligenda sunt de Vita per Surium edita, non de illa, quam ex apographo Corbeiensi dedit Mabillonius; idque magis patet in annotatis ad Vitam pag. 564 et 565, ubi varia affert ex Vita interpolata. Eadem est mens Bailleti in Tabula Critica ad* IX *Septembris et Pagii loco indicato: nam uterque asserit, interpolatam quidem fuisse, sed integritati suæ restitutam a Mabillonio. Res mihi clara est ex codice nostro Ms., ex quo editurus sum partem istius Vitæ, quæ spectat ad* S. Bertinum. *Quare accusanda non est Vita illa, quæ melior est et purior omnibus aliis tam* S. Bertini *quam S. Audomari Vitis; sed illa cum litteris S. Audomari conciliandа, prout fieri posse ostendi. Quod speclat ad alias S. Audomari Vitas, eas non adducam,* quia

AUCTORE J. S.

quia auctores habent rebus gestis longe posteriores, qui narrata a primo auctore augere voluerunt eodem fere modo, quo factum est de Vitis S. Bertini.

tertium litteris magis favet quam nocet :

83 *Tertium argumentum, quo scriptor Audomaropolitanus litteras S. Audomari impugnavit, petitur ab iis verbis, quibus ecclesia S. Mariæ constructa dicitur pro sepultura S. Audomari ac monachorum Sithiensium. Credidit nimirum scriptor ille, usum sepeliendi in ecclesiis necdum seculo* VII *receptum fuisse, nisi pro aliquibus personis singulari honore dignis, quales sunt martyres, episcopi ac Sancti. Verum ostendit Bertinianus scriptor, totum istud argumentum ineptum esse, cum usus sepeliendi in ecclesia monachos sacrasque virgines eodem seculo vigeret. Ex multis exemplis, quæ adducit, unum huc transfero, quia ejusdem fere est temporis, et loco satis vicinum. S. Audoënus in Vita S. Eligii Noviomensis episcopi apud Acherium tom.* 5 *Spicilegii pag.* 173 *scribit sequentia :* Igitur cuncto opere monasterii *(sacrarum virginum, quod Parisiis exstruxit S. Eligius)* pe- B racto, atque omnibus ædificiis ancillarum Dei expletis, . . . ædificavit postremo basilicam in honore S. Pauli apostoli ad ancillarum Dei corpora sepelienda *etc. Hoc ipsum exemplum S. Eligii excitare potuit Audomarum ad simile beneficium præstandum monachis Sithiensibus, quos ut pater benigne semper fovit ac protexit. Qua de causa ratio illa donationis adeo litteris obstare nequit, ut potius donationem ipsam magis reddat verisimilem.*

quartum ex anno sexto Clotarii inepte hoc tempore petitum est.

84 *Nihilo melius est scriptoris Audomaropolitani quartum argumentum, quo impetit litteras S. Audomari, quia datæ dicuntur* anno sexto *Clotario III, acsi Clotarius quatuor solum annis regnasset, uti tradiderunt varii scriptores Chronicorum medio ævo, et non pauci neoterici, quorum opinionem contendit præferendam oppositæ eorum sententiæ, qui annos quatuordecim Clotario III attribuunt. Vidit istud argumentum Iperius, sed inepte respondit, se eos scriptores intelligere* de quatuor annis in se completis, ut junctis eis parte anni præcedentis et parte sequentis, veniatur ad annum ejus sextum, in quo data C fuerunt hæc duo privilegia *(S. Audomari nimirum, et Clotarii III, de quo ante actum.) Ineptam dixi reponsionem, quia numquam perveniri potest ad annum sextum, nisi quintus fuerit completus. Verum cum videatur Clotarius aliquot annis solus totius regni monarchiam tenuisse ; eruditi aliquot neoterici quatuor illos annos explicuerunt de monarchia ipsius, non de tempore toto, quo regnavit diutius in parte Galliæ. Si quibus hæc distinctio non placet, sine multis ambagibus dicere poterunt, Chronicorum compilatores deceptos fuisse, uti sæpe in aliis errarunt: tam certis enim argumentis demonstrarunt recentiores, Clotarium III multo pluribus annis regnasse, ut mirer talem contra litteras S. Audomari objectionem etiamnum nostro seculo formatam fuisse.*

Quintum vero argumentum, quo subscriptio S. Audomari impugnatur,

85 *Quintum impugnatoris argumentum a subscriptione S. Audomari petitum est, præcipue ob voces hasce postremas :* Hæc abocellis feci, et alius manum meam tenens scripsit et subscripsit. *Voluit nimirum, hisce verbis significari, totam chartam ita scriptam esse manu S. Audomari, ut eam alius duceret, dicitque id verisimile non esse. Contra observat defensor Bertinianus, conciliari non posse cum eo verborum sensu præcedentia verba :* Hanc epistolam voluntarius dictavi et recensere audivi. *Non itaque scripsit totam epistolam Audomarus, alio manum ipsius dirigente ; sed eam dictavit, scribente Landeberto monacho, si vera sint omnia. At Bertinianus scriptor nimis videtur in contrariam partem declinare, dum verba illa,* alius manum meam tenens scripsit et subscripsit, *sic exponit, ut ne ad nomen quidem suum subscribendum manum suam accomodaverit, aut dirigi siverit Audomarus, acsi allegatæ voces solum significarent, alium scripsisse et subscripsisse pro Audomaro, eoque jubente ac præsente. Quippe difficulter credere possum, per voces* manum meam tenens *tantum significari* pro me, meo loco, meo mandato, et me præsente, *ut ille contendit. Naturalis mihi magis videretur expositio, si diceremus scripsisse Audomarum, alio manum ducente, non totam epistolam, sed nomen suum epistolæ subnotatum. Eo sane modo probabiliter tolli posset difficultas illa, si satis verisimile esset Audomarum eo tempore fuisse cæcum, sicut voce* abocellis *indicatur ; et si reliquæ subscriptiones essent accuratæ.* E

magnam habet difficultatem, quia Sanctus non videtur eo tempore fuisse cæcus ;

86 *Verum scriptor Audomaropolitanus non sine fundamento contendit, S. Audomarum nondum fuisse cæcum, quando notatæ sunt litteræ. Nam in Vita S. Audomari videtur insinuari, eum tantum paucis annis supervixisse post visum amissum : quippe, relata cæcitate, ad mortem ipsius enarrandam post pauca auctor sic progreditur :* Post hæc vero paucis intervenientibus annis *etc. Paucos igitur annos cæcitati et morti interponit auctor. Attamen S. Audomarus superfuisse videtur octennio toto aut diutius post annum sextum Clotarii, quo hæ litteræ notatæ leguntur. Etenim Melchior Reginaldus in Epitome Historiæ Suessionensis inter instrumenta fol.* 2 *recitat litteras Drausii Suessionensis antistitis, datas ad quinque episcopos comprovinciales, inter quos recensetur* Audomarus. *Atqui epistola illa notatur* VI *Kalendas Julii,* anno decimo quarto *regis Clotarii ; indeque Pagius ad annum* 682 *num.* 10 *colligit, S. Audomarum saltem vixisse usque ad annum* 670, *et forsan diutius, quia nec annos episcopalis administrationis, nec annum emortualem primus Vitæ scriptor expressit. Jam vero tanto minus mihi fit verisimile,* F *Vitæ scriptorem per paucos annos, quos inter initium cæcitatis et obitum Sancti interponit, octennium totum intellexisse, quanto pauciores reperio annos inter initium episcopatus S. Mummolini et annum sextum Clotarii, quo notantur hæ litteræ, quoque cæcus erat Audomarus, si vera est subscriptio ; quandoquidem laudatus Vitæ S. Audomari scriptor inter episcopatus S. Mummolini principium et cæcitatem S. Audomari multos interponit annos his verbis :* Post hæc vero multis intervenientibus annis, B. Audomarus carnales amittens oculos *etc. Itaque, cum Mummolinus non sit factus episcopus ante annum tertium Clotarii ; hic per multos annos non nisi triennium intelligi potest ; per paucos vero annos octennium debet intelligi. Hoc argumentum subscriptionem illam S. Audomari valde reddit suspectam. Observare tamen oportet, in Vitis quibusdam aliis dici, Audomarum fuisse cæcum plurimis annis ante mortem, idque nominatim asseri in illa, quæ Folcardo attribuenda videtur ; sed omnes illæ Vitæ diu post primam scriptæ sunt, nec multum auctoritatis habere possunt.*

87 *Porro*

aliæ etiam subscriptiones episcoporum non videntur probabiles,

A 87 *Porro et alia in subscriptionibus displicuerunt scriptori Audomaropolitano, et dudum ante Cointio ad annum 661 num. 12, ubi epistolam hanc* dubiæ prorsus fidei *sibi videri asserit propter subscriptiones, licet alias fateatur in ea* nihil *esse* historiæ contrarium. *Utraque censura mihi æqua apparet, idque paucis ostendam, omissis brevitatis gratia aliis argumentis scriptoris Audomaropolitani. Dicit S. Audomarus ante subscriptiones se rogasse non modo fratres, sed etiam viros illustres,* ut et ipsi perfirmare deberent. *Interim ex viris illustribus nullus legitur subscriptus. Initio quoque epistola dirigitur ad omnem clerum Taruannensis ecclesiæ: nec tamen ex clero ullus in subscriptionibus apparet, nisi forte* Ramnebertus, *cujus officium aut dignitas non exprimitur. Ex duplici hac observatione colligo, subscriptiones non esse integras, sed multas excidisse.*

quia non ad episcopos sed ad clericos et optimates dirigitur epistola,

88 *Defectus autem hic subscriptionum maxime notabilis est, quia nomina reperiuntur subscripta plurium episcoporum, ad quos epistola non videtur fuisse directa; ut facile probatur ex initio, quod tale est :* Domnis sanctis ac venera-
B bilibus in Christo mihi adhærentibus fratribus tam abbatibus quam et presbyteris *etc. Clarum est voce* fratribus *hic designari abbates, presbyteros, aliosque clericos ecclesiæ Taruannensis, non vero episcopos. Id rursum evincunt hæ voces num.* 77, juxta consensum fratrum clericorum Tarvennensis ecclesiæ *etc. Itaque per fratres, qui num.* 79 *dicuntur rogati cum viris illustribus,* ut et ipsi perfirmare deberent, *abbates item ac presbyteri aliique clerici necessario sunt intelligendi; sed nullo modo episcopi, etiamsi hi alias sæpe* fratres *dicantur. Quapropter non satis capio, cur ex omnibus abbatibus, presbyteris, diaconis aliisque clericis ac viris illustribus, qui rogati dicuntur ad subscribendum, soli* Abel abbas *incognitus, atque æque ignotus* Ramnebertus peccator *in subscriptionibus compareant; atque eorum loco post Audomarum octo legantur subscripti episcopi, ad quos epistola non dirigitur.*

et quia aliqui ex subscriptis episcopi necdum erant :

89 *Augent hanc difficultatem, qui inter illos occurrunt,* Gravangerus *et* Baginus : *nam hi, ut jam advertit Cointius, non videntur alii*
C *a* Ravengerio *et* Baino, *qui deinde fuerunt episcopi Morinenses. Probant id verba Folquini, quæ Malbrancus adduxit in scholiis ad librum 4, pag.* 672, *quibus quatuor S. Audomari successores recensentur hoc modo :* Anno quoque ejusdem regis Theodorici, qui erat annus Domin. Incarnat. DCCXX, præfatus abbas Erkenbodus Taruannensis ecclesiæ sublimatur episcopus, Ravangerii successor in ordine factus, qui et ipse successor extiterat Baini præsulis, successoris Drancii, qui post beatæ memoriæ præsulem Audomarum Taruannensis ecclesiæ susceperat pontificatum. *In vita* S. *Erkenbodi vel Erkembodonis, apud nos data tom. 2 Aprilis, pag. 93 iidem S. Audomari successores enumerantur, videlicet Drantius, Bainus, Ravengerus et Erkenbodo, seu Erkenbodus. Verisimilia non proferunt Malbrancus et scriptor Bertinianus, dum ob leviusculam nominum immutationem Baginum et Gravagerum a Baino et Ravengero volunt distinguere, ut ignotos faciant præsules. Leviusculæ hæ nominum mutationes iis temporibus tam frequentes erant, ut argumenta ex iis desumpta serium non mereantur responsum.*

AUCTORE J. S. observatio Mabillonii, qui subscriptiones tam dubias

90 *Mabillonius de Re diplomatica lib. 2 cap. 20 num. 10 difficultatem ex subscriptione posteriorum episcoporum ortam alio modo tollere conatur :* Sed illud, *inquit,* in primis observatione dignum, quod synodicis diplomatibus non solum præsentes episcopi subscribebant, sed etiam absentes, immo et futuri. Unde factum est, ut in vetustis illis monumentis post præsentium nomina, aut certe inter finem contextus et eorum subscriptiones, amplum non raro sit relictum spatium, quod absentium et futurorum subscriptiones, capere posset. *Ut id confirmet, inter alia num.* 5 *affert hanc ipsam epistolam, de cujus subscriptionibus disputamus, ita scribens :* Paullo ante id tempus Audomarus Morinorum episcopus Sithiensibus monachis privilegium concessit, cujus autographo præter Audomarum subscripserunt duo Morinenses episcopi Gravengerus, qui aliis Ravengerus, et Baginus seu Bainus, qui præcessoris sui Audomari litteras unus post alium ratas habuere.

adducere non debuerat ad probandum, inutilis est

91 *Miror sane Mabillonium ex subscriptionibus hujus epistolæ argumentum desumere : neque enim ex incertis certa sumi potest probatio, et omnes diplomatum defectus facile sanari poterunt, iis dumtaxat exceptis, quæ clare repu-* E *gnant historiæ, si satis est, quod in aliis diplomatis æque labantibus et fidei non satis certæ, similes reperiantur defectus. Verum, quidquid sit de simili leges diplomaticas condendi modo, illa observatio hic non sufficit, cum ne sic quidem subscriptiones fiant verisimiles. Nam* Gravangerus *subscriptus legitur non modo ante Baginum, cujus in episcopatu fuit successor, sed etiam ante Audobertum et Amlancharium, quin et in exemplari nostro Ms. Ante Bertefridum ; oportebit igitur aliam rursus invenire rationem, cur ante episcopos Audomaro contemporaneos, et ante Bainum decessorem suum Gravangerus isti* autographo, *ut vocatur, subscripserit.*

ad fidem iis subscriptionibus conciliandam.

92 *Hanc autem cum ego invenire nequeam, nec magis perspiciam, qua de causa loco cleri Taruannensis et illustrium virorum, qui ad confirmandam donationem erant rogati, subscripserint episcopi, ad quos epistola non dirigitur; demum cum vehementer dubitem, an Audomarus tempore hujus donationis fuerit cæcus; fateri cogor subscriptiones mihi admodum esse suspectas, easque* F *omnino inutiles videri ad formandum ex iis aliquod argumentum. Quod vero spectat ad ipsam S. Audomari epistolam, cum in ea nihil reperiam, quod falsitatis convinci potest, cumque subscriptiones postea ab interpolatore mutari aut adjici potuerint, nolim asserere eam quoque totam esse supposititiam : neque enim id certo evincitur aut argumentis antea excussis, aut solœcismis ac barbarismis stylive obscuritate, quibus laborat. Verum quidquid sit de fide illarum litterarum, ecclesiam beatæ Mariæ Virginis, quæ deinde a S. Audomaro nomen accepit, vere* S. Bertino *donatam, ab eoque possessam fuisse, mox ostendam.*

AUCTORE J. S.

§ IX. Ecclesia B. Mariæ Virginis, deinde S. Audomari dicta, a monachis Sithiensibus possessa fuit: quando et quomodo iis ablata fuerit, ostenditur.

Ecclesiam B. Mariæ possessam fuisse a monachis Bertinianis,

F*olcardus in Vita num.* 20, *aliique omnes scriptores Sithienses, qui ipsum secuti de hisce tractarunt, constanter asseruerunt, ecclesiam beatæ Mariæ donatam fuisse* S. Bertino *pro sepultura monachorum. Idem seculo* x *ante ipsos narraverat Folquinus diaconus in Chartulario suo historico, cui litteras S. Audomari jam ante datas inseruit. His omnibus antiquior S. Folquinus Morinensis episcopus, qui eo vixit tempore, quo monachi Sithienses dictæ ecclesiæ monasteriique adjuncti possessione privati sunt, in litteris suis*
B *infra dandis de constructione et donatione illius ecclesiæ sic loquitur :* Omnibus certe notum est fidelibus, quoniam sancti confessores Christi Audomarus atque Bertinus, dum adhuc in corpore essent, cimiterium in villa Sithiu in superiori loco ad tumulanda sua et monachorum corpora communi opere fecerunt : in cujus medio basilicam in honore S. Mariæ construxerant, quam etiam B. Audomarus S. Bertino suisque successoribus donans, per privilegium quoddam episcopale confirmaverat, et suum inter eos corpusculum sepeliri in eodem privilegio rogaverat *etc. Quæ contra fidem hujus epistolæ objiciuntur a scriptore Audomaropolitanæ ecclesiæ, non magni sunt momenti, ut infra paucis ostendam.*

probant antiqua monumenta, idque ipsi crediderunt Audomarenses :

94 *In vita S. Erkembodonis, qui ex abbate Sithiensi fuit episcopus Morinensis seu Teruannensis seculo* VIII, *data apud nos tom.* 2 *Aprilis pag.* 93, *post relatam emptionem variarum possessionum per S. Erkembodonem factam, hæc subduntur :* Ex his sane possessionibus quasdam adhuc obtinet Sithivense cœnobium, quod quidem nunc constat esse bipartitum. Nam pars, anti-
C quo nomine et ordine retento, monasterium vocatur B. Bertini; pars altera, mutato nomine et ordine, dicitur ecclesia S. Audomari. *Ita scriptor ille Bertinianus ipsos allocutus est canonicos Audomaropolitanos seculo* XII, *cum dicat S. Erkembodonem vixisse* ante annos quadringentos. *Habemus igitur testimonia omnium seculorum a seculo* IX, *quibus constanter affirmatur, ecclesiam S. Audomari antea fuisse monachorum* S. Bertini : *nec invenio id negatum fuisse a canonicis S. Audomari ante seculum nostrum ; quod sane mirandum est, si crediderint falsum esse. Quin imo laudatus sæpe scriptor Bertinianus pag.* 69 *adducit verba antistitis Audomaropolitani, quibus adhuc anno* 1730 *agnovit, ecclesias S. Audomari et* S. Bertini *olim* unius *fuisse* communitatis, *prout decessor ipsius agnoverat subditas fuisse* uni abbati. *Hæc sufficere possunt ad amovendum omne dubium.*

idem evincunt varia regum diplomata :

95 *Verumtamen quia scriptor Audomaropolitanus tenebras claræ veritati offundere conatus est ; lubet id etiam probare ex monumentis antiquissimis et contemporaneis. Mabillonius in Opere de re diplomatica lib.* 6 *pag.* 605 *et seqq. varia edidit regum diplomata, data in gratiam ab-*D*batiæ Sithiensis. Porro hæc abbatia in diplomate Clotarii III dicitur constructa* in honore sanctæ Mariæ Genitricis Domini nostri Jesu Christi, nec non et sancti Petri et Pauli apostolorum, vel ceterorum domnorum Sanctorum. *Iidem plane abbatiæ patroni recensentur in privilegio* Clodovei regis *pag.* 607, *in privilegio Chilperici regis pag.* 608, *in charta Theodorici regis pag.* 609, *in privilegio Caroli regis pag.* 610, *uti et in aliis quibusdam sequentibus. At constat, primariam ecclesiam seu primum monasterium Sithiense fuisse dicatum S. Petro apostolo ; secundariam vero S. Mariæ fuisse consecratam. Reges igitur prædicti utramque simul intellexerunt nomine monasterii Sithiensis, seu monasterii* Sithiu *aut* Sitdiu, *ut varie appellatur. Ex sequenti diplomate Caroli Magni regis, quod datum notatur* anno XX regni *ejus, pag.* 611 *aliud eruitur argumentum.* Igitur notum sit,... qualiter concessimus Autlando abbati et monachis ex monasterio Sithiu, quod est constructum in honore Dei omnipotentis et sancti Petri principis Apostolorum vel ceterorum Sanctorum, ubi sancti Audomarus atque Bertinus Christi confessores corpore requiescunt *etc. Hic solus primarii monasterii patronus nominatur S. Petrus. At S.* E
Audomarus et S. Bertinus *requiescere dicuntur in Sithiensi monasterio, idemque asseritur in duobus sequentibus Ludovici Pii imperatoris diplomatis. Attamen nullum est dubium, quin S. Audomarus sepultus sit in ecclesia S. Mariæ Virginis, nunc S. Audomari, ibique manserit usque ad tempus horum diplomatum. Clarum igitur rursum est, ecclesiam illam S. Mariæ sub monasterio Sithiensi fuisse comprehensam. Hac de causa in diplomate Ludovici Pii pag.* 613 *monasterium istud vocatur*, Sanctæ Mariæ et sancti Petri et Pauli, atque beatorum Christi confessorum Audomari et Bertini; *licet jam tunc canonici inhabitarent monasterium S. Audomari.*

quin id ipsum satis probatur ex Vita S. Audomari,

96 *Ex ipsa Vita S. Audomari, seu ex Vita prima, quam sibi scriptor Audomarensis faventem credidit, quamque Bertinianus nimis aversatus est, eadem possessio verisimili admodum ratione ostendi potest. Relata enim morte S. Audomari, Vitæ scriptor num.* 5 *sic pergit :* Prædictus ergo venerabilis abbas Bertinus, divina sibi gratia revelante, statim ad locum, ubi vene- F
rabilis senex obiit, cum suis pergendo monachis, sacrum beati Audomari corpus cum psalmia et hymnis canticis ad locum sepulturæ deduxit : eumque in prædicta ecclesia, quam ille beatus pontifex in Sithiu ædificavit, cum immenso circumstantis populi sepelierunt luctu. Sanctus autem Audomarus beato prædixit Bertino, cunctisque fratribus, tempore illo Domino in Sithiu servientibus, ut quando ei sors incerta extremæ contigisset horæ, in prædicto loco suum sepelirent corpusculum. *Nulla hic mentio clericorum aut canonicorum ; sed* S. Bertinus *cum suis monachis S. Audomarum sepelivit. Cum autem eum sepeliverit in ecclesia S. Mariæ, nunc S. Audomari, ecclesiam illa possidebat. Quis enim credat, Audomarum voluisse sepeliri per monachos eorumque abbatem, sed in aliena ecclesia? Quis existimare possit, ecclesiam illam fuisse clericorum aut canonicorum, in qua monachi dicuntur sepeliisse episcopum, adstante populo, sine ulla cujusdam clerici mentione?*

ubi narratur Sancti sepultura.

97 *Præterea, cum non solum* S. Bertino, *sed cunctis etiam monachis Sithiensibus curam suæ sepulturæ demandasse dicatur ; dubitare nequeo, quin*

A *quin id scripto fecerit, sicut legitur in Vita alia S. Audomari, quæ auctorem videtur habere Folcardum monachum, ut in Audomaro ostendam. Ille, relato obitu, sepulturam sic narrat :* Translatum est autem corpus ejus a reverentissimo abbate Bertino ac choro monachorum, et sepultum cum gloria in monasterio Sithiu, in basilica, quam ipse præclarus pontifex in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ ad tumulanda monachorum corpora construxerat. Sanctus enim Audomarus beatum Bertinum cunctosque fratres illo tempore in Sithiu Domino servientes in traditione cujusdam privilegii rogaverat, ut, sicubi ei sors incerta extremæ contigisset horæ, in prædicto loco inter monachorum corpora suum sepelirent corpusculum. *Tria habeo exemplaria Mss., in quibus eadem plane de sepultura leguntur verba. Præcedentia quoque in variis reperiuntur, ita ut ex ipsis S. Audomari Vitis abunde probetur, ecclesiam illam S. Mariæ olim fuisse monasterii* S Bertini, *quod mihi undique tam apparet certum, ut mirer negari potuisse.*

B

Possessio illa mansit Bertinianis usque ad annum 820,

98 *Porro ecclesia illa S. Mariæ Virginis cum adjuncto monasterio mansit sub abbatibus* S. Bertini *succcessoribus usque ad tempora Ludovici Pii imperatoris et abbatis Fridogisi aut Fredegisi, qui eam monachis ereptam canonicis dedit. Factum id scriptoribus Bertinianis refertur ad annum septimum Ludovici imperatoris, Christi vero* 820, *quod cum chronotaxi Pagii et aliorum neotericorum recte congruit. Res narratur in Inventione* S. Bertini, *a Bovone abbate scripta, et inferius danda num.* 20. *At primus omnium mutationem illam breviter exposuit S. Folquinus, qui eodem tempore erat episcopus Taruannensis, in charta jam laudata, quam mox integram dabo. Secutus est alter Folquinus diaconus Bertinianus, qui sequenti seculo in Chartulario suo historico de hisce scripsit uberius. Verba ipsius videri possunt apud anonymum sæpe laudatum in Origine ecclesiarum S. Bertini et S. Audomari pag.* 158, *sed plane eadem sunt cum iis, quæ compilator anonymus apud Mabillonium pag.* 121 *de hac exposuit, aut potius compilator Folquini verba ad Opusculum suum transtulit sine ulla cujusdam momenti mutatione.*

C

quando Fridogisus canonicus, abbas factus Sithiensis,

99 *Verba igitur ex editione Mabillonii huc traduco :* Glorioso, *inquit,* imperatore Ludovico, Caroli Magni æque imperatoris filio regnante, cum eatenus hoc antiquum et tunc regale cœnobium ex tempore beatissimi Bertini ejusdem fundatoris præcipui sacra monastici Ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundum instituta canonum Fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur ; contigit ut quidam Fridogisus, genere Anglus, et abbas S. Martini Turonis, anno Verbi Incarnati octingetesimo vigesimo, et præfati regis Ludovici septimo, abbatiam Sithiensis cœnobii regia donatione susciperet gubernandam. Qui in initio tyrannidis suæ cum cerneret abbatiam universam tot monachorum usibus delegatam, utputa centum et triginta monachorum inter utraque monasteria, S. Bertini scilicet sanctique Audomari, degentium, nihilque suarum voluptatum usibus sequestratum ; avaritiæ jaculo cæcatus, monachorum impudenter tentat vitam destruere, ut res eorum usibus a fidelibus traditas suæ lasciviæ potuisset facilius mancipare. Quod diabolica suggestione mente conceptum, nefanda est ab illo perpetratione peractum. Nam in capitaneo * Apostolorum seu S. Bertini loco, ubi octoginta et tres monachi

* i. e. præcipuo

AUCTORE J. S.

deserviebant Domino, sexaginta pro humana potius laude quam pro Dei amore retinuit ; reliquos districtioris vitæ viros, quos suæ perversitati putavit non consentire, de monasterio expellens abire permisit. In S. Audomari quoque monasterio, ubi regulariter viventes aderant quadraginta monachi, triginta canonicos ibidem ad serviendum deputavit in ministerio Christi. At posthæc totius abbatiæ circuiens villas, et quia duplex exstabat monachorum numerus, duplam eis portionem villarum est largitus ; canonicis autem, quia pauciores erant numero, simpla contra monachos est data portio : ipse ea, quæ sibi maxime placuerant, ad suæ perversitatis usum reservavit. Et quia canonicus erat, cum canonicis in S. Audomari monasterio sæculariter vivebat. *Hactenus ex Folquino anonymus ille.*

ecclesiam B. Mariæ, seu S. Audomari tradidit canonicis ;

100 *Iperius cap.* XI *de Fridogiso ita habet :* Fridogisus hujus loci abbas undecimus, natione Anglicus, de genere Caroli Magni, sacri palatii imperialis summus cancellarius, canonicus secularis, et abbas sancti Martini Turonensis, regia donatione suscepit hanc abbatiam a Ludovico imperatore anno suo septimo, et simul hanc abbatiam tenuit una cum Turonensi prædicta. E Hic primus externæ professionis, et nostræ religionis expers, abbas noster statim in suo primo adventu, videns hanc abbatiam tot monachorum indivise sub uno et eodem abbate Deo servientium usibus delegatam, utpote centum et triginta monachorum, nihilque aut parum suæ utilitatis usibus sequestratum, hanc abbatiam divisit : nam capellam sanctæ Dei Genitricis, quam beatus Audomarus ad monachos sepeliendos in arce villæ dedicaverat, expulsis inde quadraginta monachis, triginta canonicos sæculares ibidem instituit : in capitali autem monasterio isto pro octoginta sex monachis, solum quadraginta retinuit, reliquos vero districtioris vitæ viros, quos suis voluntatibus sciebat esse non consentaneos, de monasterio expellens, abire permisit. Et quia sæcularis erat canonicus, cum sæcularibus canonicis vivere præelegit in monasterio sancti Audomari, seu capella sanctæ Dei Genitricis. Quare de omnibus bonis, villis, ac terris ecclesiæ portionem canonicis pro suis gradibus assignavit et tradidit. Ipse etiam ea, quæ F sibi maxime placuerant, suæ voluntatis usibus reservavit. Sic quæcumque prædecessores elaboraverant, ac per eos elaborata fuerant et ordinata, ipse in labores eorum intrans, omnia pervertit atque subvertit. *Hæc Iperius, dissentiens a præcedente scriptore in numero monachorum majoris monasterii. Uter rectius numeraverit, non facile dixero. At clarum est, monachos plures ab utroque recenseri, dum numerum utriusque monasterii simul referunt, quam in singulis recensent locis. Quapropter* centum et triginta *fere monachos in utroque simul monasterio vixisse credo, dum numerus, qui non semper idem esse poterat, morientibus subinde nonnullis, erat maximus.*

orta hinc æmulatione inter monachos et canonicos,

101 *Præter alia damna ex divisione illorum monasteriorum orta, hoc etiam narrat laudatus anonymus apud Mabillonium :* Hic etiam fraternæ caritatis utriusque monasterii destructor extitit, dum et monachi sibi justum, et ab antiquis patribus traditum, reverentiæ honorem vindicant, canonicorumque subjectionem sibi veraciter defendunt ; et canonici ab ipso abbate canonico fallaci adsertione principatum ad se

AUCTORE J. S.

monasteriorum pertinere dicunt. *Post mortem vero Fridogisi, quam idem scriptor, ut et Iperius, innectit anno 834, successor ejus Hugo, quamvis et ipse secularis canonicus esset, teste Iperio, monachorum tamen partibus utcumque favere cœpit. Audiamus Iperium cap.* 12 : Hugo, *inquit*, hujus loci primus abbas duodecimus, filius *(illegitimus)* imperatoris et Francorum regis Caroli Magni, frater imperatoris Ludovici Pii tunc regnantis, ... abbas de monasterio sancti Quintini Viromandensis, sæcularis canonicus hanc ecclesiam regia donatione suscepit, et tenuit una cum ecclesia sancti Quintini prædicta anno Ludovici fratris sui XXI, *et anno Christi* 834.

Hugo abbas Fridogisi successor, Ludovico imperatore

102 *Et mox paulo inferius*: Post hoc Hugo abbas noster condolens hujus ecclesiæ divisioni per Fridogisum factæ, fratris sui imperatoris atque beati Folquini tunc Morinorum antistitis auctoritate, ecclesiam S. Audomari, etsi non ad plenum ad Religionis obedientiam, tamen ad hujus monasterii S. Bertini ac ejus abbatis subjectionem reduxit, sic ut ab abbate S. B Bertini monachus ibidem instituatur canonicorum æditu us, et custos illius ecclesiæ, qui quater in anno, id est, in feria tertia Rogationum, festisque beati Johannis Baptistæ, sancti Audomari, et Omnium Sanctorum, ibi majorem Missam decantet, oblationes et emolumenta percipiat, sicut in Privilegio super hoc a beato præsule Folquino, consensu Ludovici imperatoris confecto, plane continetur.

et S. Folquino episcopo consentientibus,

103 *Privilegii chartam, cujus initium dedit Iperius, ex anonymo totam subjungo :* Ego Folquinus Dei gratia Morinorum episcopus omnibus fidelibus tam futuris quam præsentibus. Quidquid ob amorem Dei exigentes rei veritatem memoriæ futurorum noscendum reliquerimus, valde id animabus nostris profuturum speramus, dum et vera innotescimus, et falsata damnamus. Melius est enim ipsam veritatem ad laudem Dei manifestare, quam pro lucro aut negotio terreno eam celare, ne scilicet homo peccator offensam Dei et Sanctorum ejus in hoc videatur incurrere. Igitur ego Folquinus episcopus, suggestione Hugonis abbatis Sithiensis cœnobii, quod est constructum in insula Sithiu in C honore B. Petri principis Apostolorum, ubi B. Bertinns corpore quiescit, perpendens injustitiam lacrymabilem, quam Fridogisus prædecessor supra memorati abbatis eidem sancto loco intulerat, tota intentione excogitare cœpi, qualiter eumdem locum ad pristinum honorem valerem reducere. Omnibus certe notum est fidelibus, quoniam sancti confessores Christi Audomarus atque Bertinus, dum adhuc in corpore essent, cimeterium * in villa Sithiu in superiori loco ad tumulanda sua et monachorum corpora communi opere fecerunt: in cujus medio basilicam in honore S. Mariæ construxerant, quam etiam B. Audomarus S. Bertino suisque successoribus donans, per privilegium quoddam episcopale confirmaverat, et suum inter eos corpusculum sepeliri in eodem privilegio rogaverat.

* *Ms.* cimiterium

qualecumque jus in ecclesiam S. Audomari monachis restituit ;

104 Quam prædictus abbas Fridogisus non solum S. Bertino tulit, sed etiam (quod dictu horribile est) monachos ejus Deo honeste ibidem servientes cum magno dedecore expulit, canonicosque ibi constituit, dum scilicet a temporibus sanctorum Audomari atque Bertini religio monachica ibidem famulans religiosissime floreret. Quorum lacrymosæ injustitiæ reclamationique incessabili compatiens, et petitioni Hugonis venerabilis abbatis adquiescens, æditu D tem seu custodiam ipsius basilicæ S. Petro sanctoque Bertino reddendam, et monachum ad custodiam ibi ponendum censui et statui, ut et quatuor temporibus in anno Missarum solemnia celebrarent, stabilivi, hoc est, in feria tertia dierum Rogationum, in festivitate quoque B. Johannis Baptistæ, et in depositione S. Audomari, in festivitate Omnium Sanctorum: et quidquid ad ipsum altare veniret, monachi sancti Bertini absque ulla contradictione juxta morem pristinum secundum decretum beati Audomari, quod in privilegio de traditione ipsius loci cœnobitis scripsit et interdixit, haberent, tenerent, et in perpetuo perenni jure possiderent. Nec * episcopus aut archidiaconus ejus, seu aliquis clericorum, vel judex forensium rerum, aliquid sibi exinde vindicent.

* *Ms.* ne

ut intelligitur ex litteris S. Folquini,

105 Denique jam quidam emerserant audacia temeritatis decepti, dicentes primatum locorum ad se pertinere debere. Quorum præsumtuosæ superbiæ resistens, per descriptionem capitularem coram quibusdam primatibus regalis palatii et hujus patriæ eos huic loco subegi, et E conatum eorum annihilavi. Hoc etiam scriptum posteris relinquendum fore ratum duxi, ut per hoc quandoque resistatur inimicorum * malæ voluntati, et hoc infringere volentium iniquo conatui. Quod quicumque futuris temporibus vel annihilare, vel infringere * præsumserit, quod absit, auctoritate Patris et Filii et Spiritus sancti anathema sit, nisi digna pœnitentia resipuerit. Actum est anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo trigesimo nono, Indictione secunda; imperii autem Ludovici regis anno vigesimo sexto, præsulatus quoque nostri anno vigesimo tertio, in ecclesia sanctæ Mariæ, duodecimo Kalendas Julii, præsente universali synodo. Ego Folquinus ex consensu et præcepto domini Ludovici Imperatoris hæc voluntarie firmavi, et cum episcopali interminatione subscripsi. Ego Maximus archidiaconus subscripsi. Ego Hugo abbas subscripsi. Signum Adalardi monachi, signum Amalberti monachi, signum Mori monachi, signum Henrici * comitis, signum Odgini * advocati, signum Everwini militis, signum Berarii militis. Ego Guntbertus levita et monachus jussu domni Folquini præsulis hanc chartam F scripsi et subscripsi.

* *Ms.* invidorum

* *Ms.* vel infringere vel annihilare

* *ibid.* Unrici

* *ibid.* Edguni

quæ non probantur supposititia.

106 *Cointius ad annum* 839 *num.* 25 *de hoc privilegio ita scribit:* In dubium non vocamus, quin Folquinus episcopus Sithivensi monasterio, ubi tunc monachi degebant et canonici, privilegium rogante Hugone abbate concesserit... Privilegium tamen, ut editum est a Folcardo *(imo a Scriptore anonymo)* non existimatus sincerum, quia in eo Fridogisus Sithiviensis abbas, Hugonis decessor, atrocioribus verbis impetitur, inveniturque character chronologicus ab Incarnatione Dominica ductus. *Plures improbandæ dictæ chartæ rationes non allegat, sed hasce pluribus verbis explicat, dicens necdum in usu fuisse tempore Ludovici Pii,* ut publicis instrumentis anni Dominicæ Incarnationis apponerentur. *At monachis imputat verba duriora in Fridogisum, cujus* vitam et mores a calumnia *se vindicasse ait ad annum* 820 *num.* 12 *et* 13. *Mabillonius in Annalibus tom.* 2 *pag.* 612 *post laudatas Folquini litteras de Cointii objectionibus hæc addit :* Non immoror censuræ Caroli Cointii, qui hoc privilegium ob leves

A ves causas suspectum reddere conatur, nempe quod duriora verba in Fridugisum abbatem contineat, de Sithiensibus sane haud bene meritum, quos Folquinus diligebat; et ob annum Incarnationis appositum, quod in ecclesiasticis litteris tunc temporis receptum fuisse, aliis exemplis constat. *Talia exempla adducit in Opere de Re diplomatica lib.* 2 *cap.* 2 *num.* 17 *et* 18. *Quod vero spectat ad Fridogisum, non ea in defensionem ipsius argumenta adducit Cointius, ut S. Folquinus non potuerit factum ipsius gravioribus verbis improbare. Iperius ipse de Fridogiso cap.* XI *part.* 4 *dixit,* Qui præter hujus ecclesiæ divisionem supradictam, satis eleganter rexerat annis quatuordecim *etc.; at idcirco divisionem ipsam probare non debuit. Quapropter rationes Cointii satis a Mabillonio refutatas puto. Quæ vero insuper contra Folquini chartam objecit nuperus scriptor Audomarensis satis pro majori parte jam refutata sunt: ad reliqua vero respondit scriptor Bertinianus. Itaque plura de hisce non addam, nec examinabo, quamdiu statuta hæc Folquini episcopi ac Hugonis abbatis fuerint observata, ut ad gesta* S. Bertini *redeamus.* B

§ X. Adventus S. Winnoci ejusque sociorum, qui se S. Bertini disciplinæ subjiciunt : gesta cum Walberto comite : Sanctus subscribit testamento S. Amandi.

Ad S. Bertinum cum tribus sociis venit S. Winnocus,

Iperius cap. I *part.* 8 *ait* S. Bertinum *sæpe venisse ad S. Judocum eremitam in pago Pontivo, et S. Richarium abbatem Centulensem cum eodem illuc ivisse,* ut invicem consolarentur in verbo Dei. *At ignoro, unde id hauserit scriptor ille, nisi forte mera sit conjectura, qua crediderit Sanctos, non nimio locorum intervallo disjunctos, etiam familiares fuisse; sed de ea* C *familiaritate in Vitis ipsorum nihil invenio. Idem Iperius part.* 9 *de adventu S. Winnoci et trium sociorum ad* Bertinum *hæc scribit:* Circa idem tempus *(regnante Clotario III)* beatus Christi confessor Winocus, Judicaïl regis Britonum filius sanctique Judoci frater, spreto mundo, regni coronam tonsura sortis Domini, sceptrumque regale virga regularis disciplinæ commutans, sub beatissimo patre Bertino in hoc Sithiu monasterio monachus efficitur, cum tribus fratribus suis, Bradanoco scilicet, Ingenoco et Madoco. Præerat tunc pater noster Bertinus turbæ monachorum centum quinquaginta, inter quos Winocus quasi stella matutina præ ceteris clarescebat. *Hæc relatio in variis corrigenda est. Primo, qui hic* Bradanocus, *in Vitis S. Winnoci vocatur* Quadanocus. *Secundo tres illi comites Winnoci, non fuerunt fratres ipsius. Tertio Vita antiqua non habet, Winnocum fuisse regio natum genere, aut consanguineum Judicaëlis aut Judoci, nedum filium facit Judicaëlis aut Judoci fratrem.*

qui se cum illis ejus disciplinæ subjicit,

108 *Cum tamen Vita S. Winnoci, quam edidit Mabillonius sec.* 3 *Benedict. pag.* 304 *Winnocum* ex regali prosapia *ortum asserat, de stirpe ejus accuratius disputari poterit ad diem* VI *Novembris, quo colitur, ubi et alia ad Winnocum solum spectantia examinabuntur. Interim audiamus ex laudata Vita, quæ ad* Bertinum *simul pertinent.* Igitur, *inquit auctor,* post longa viarum spatia, *(quatuor illi socii)* regioni tandem appulere Morinorum, ubi, fama vulgante, religionem compererant tunc floruisse Sanctorum. Erat tunc temporis in præfata Morinorum seu Tarvennensium regione B. Bertinus, in ornamento Ecclesiæ Dei lapis pretiosus, in Sithiu monasterio merito et officio abbas. Hic sanctitatis suæ aromata longe lateque spiraverat, et in militiam Christi exemplo sui quamplures attraxerat. Cujus laudabilia gesta nosse qui velit, ex libello plenissime actibus ejus inscripto palam habebit. Tanti ergo Patris regimonio præfati viri debito se subdidere obsequio, et egregium omnino duxere, ad doctrinam Sancti animo pervigili pendere. Quarum laudabili devotioni congaudens memoratus Vir Dei, sub norma pii patris Benedicti edocuit ferre jugum Christi; et ut monasticis deservirent sanctionibus, et verbis instituit et actibus. *Hactenus de adventu S. Winnoci ejusque sociorum, quibus ille junior fuisse dicitur. At nolim affirmare, adventum ejus recte ab Iperio* E *fixum esse sub Clotario III, id est, inter annum* 656 *et* 670. *Nullum quoque mihi est dubium, quin adventus ille ab eo perperam relatus sit ante donationem ecclesiæ S. Mariæ modo narratam, ut infra magis patebit, ubi agetur de donatione villæ Wormholt, ubi Winnocus cum sociis monasterium erexit.*

AUCTORE J. S.

Walbertus comes miraculo sanatus, multa S. Bertino donat,

109 *Primum factum, quod narratur in Vita prima post mortem et sepulturam S. Audomari, est infortunium et sanatio Walberti seu Walderti viri nobilis ac comitis. Cum autem mors S. Audomari locanda videatur circa aut post annum* 670, *potest hæc sanatio ex conjectura figi inter annum* 670 *et* 680. *Walbertus porro sanatus multa* S. Bertino *ejusque monasterio donavit. At primi Vitæ scriptores non exprimunt, quæ prædia aliave bona a Walberto donata sint; neque edicunt, utrum Walbertus bona ista statim donaverit, an solum testamento post mortem: ac demum, utrum Walbertus in seculari Vita permanserit, an monachus sit factus. Verum posteriores Vitæ scriptores omnia enucleatius enarrare conati sunt; at non satis constat, an etiam* F *verius enarraverint. Post tres primos anonymos, qui de prædictis nihil explicuerant, Folcardus primum seculo* XI *asseruit, Walbertum factum esse monachum in Luxoviensi cœnobio. Plura explicare voluit anonymus compilator apud Mabillonium cap.* 7; *ubi relato Walberti casu ac prodigiosa sanatione sicut refertur in Vitis edendis, hæc subdit:* Cordisque compunctione repletus, magnam hæreditatis suæ partem, villam scilicet Arkas, et multa alia (sicut antiquitas adserit) prædia B. Bertino tradidit, et usibus fratrum in Sithiu Christo famulantium perpetuo delegavit. Sicque paullatim rebus secularibus renuntians, omnique studio cælestibus inhians, jamque monachus fieri desiderans, S. Bertini hortatu et consilio fretus, in Luxovio habitum religionis suscipere irrevocabili spondet devotione.

inter quæ numeratur villa Arkæ: filius ipsius monachus dicitur factus:

110 *Simon abbas in Vita metrica historiam illam Walberti prolixo expolire conatus est carmine. Dona vero Walberti sic enumerat:*

Servos, ancillas, reditus dans, prædia, villas,
Sanctum ditavit *etc.*

At non explicat aliquod prædium aut villam nominatim.

AUCTORE J. S.

minatim. Verumtamen, cum etiam Iperius villam Arkensem asserat donatam a Walberto, quem Mabillonius aliique recentiores Arkensem *vocant* comitem, *negare nolim villam illam a Walberto abbatiæ* S. Bertini *donatam. De loco Mabillonius tom.* I *Annalium pag.* 480 *hæc notat :* Est autem villa Arkæ haud procul ab Audomaropoli, quam villam cum aliis prædiis Walbertus dedit Bertino abbati Sithiensi. *Consentit sæpe laudatus adjutor noster Bertinianus, notans, pagum esse distantem* Audomaropoli media leuca, *qui* adhuc juris et dominii *est* S. Bertini. *Quapropter dubitare nequeo, quin abbatia Bertiniana pagum illum a Walberto, ejusve filio Bertino, aut saltem a posteris Walberti acceperit, cum hac de re Bertinianis ipsis maxime credendum sit. Dixi autem locum donatum esse a Walberto aut filio ipsius, quia Iperius hæc scribit :* Filius vero ejus *(Walberti)* sanctus Bertinus hic in Sithiu monasterio sub beato patre Bertino professus, religiosam vitam sancto fine concludens, ad Dominum gloriose migravit. Cujus corpus cum corpore beati Arkenbodonis et aliorum Sanctorum supra majus B altare in ecclesia canonicorum S. Audomari repositum veneratur. *Hæc qui expenderit, in eam facile conjecturam poterit adduci, ut suspicetur Bertinum illum, memorem sanationis paternæ, se cum possessionibus suis Bertiniano dedisse monasterio.*

Walbertus etiam monasticam vitam amplexus dicitur ;

111 *Quod vero spectat ad vitam monasticam Walberti cõmitis, ea tot erroribus est implicita, ut mihi non satis appareat probabilis. Primus auctor Folcardus Walbertum non solum monachum facit Luxoviensem, sed etiam deinde abbatem. Simon abbas monachum Luxoviensem, abbatem, miraculisque coruscantem et Sanctum facit. Confuderunt nimirum hunc Walbertum cum S. Walberto abbate Luxoviensi et successore. S. Eustasii, uti etiam facit Iperius, errorem illorum amplectens, explicansque et augens, dum part.* 10 *Walbertum hunc facit SS. Pharonis, Chagnoaldi, ac Faræ fratrem, atque ita de eo pergit :* Sanctus autem Walbertus successione paterna Pontivensis, Tornensis et Arkensis comes, uxorem habuit sanctam Regentrudam, *(de hujus sanctitate nihil invenio)* de qua filium genuit, C quem beatus pater Bertinus de sacro fonte levans, Bertinum nominavit et utrisque pater confessionum verbum vitæ sæpius proponebat. *Deinde, relato breviter lapsu et sanatione Walberti, subdit :* Sospes gratias referens, magnam hereditatis suæ partem Deo et beato obtulit Bertino, Archensem scilicet villam et comitatum cum omnibus appendiciis ejus, et sæculo renuncians, hic primum sub beato Bertino, dein in Luxovio monachus est effectus sub beato Eustasio. Post quem ipse Walbertus immediate est in abbatem assumtus, et demum, ut aliqui referunt, post beatum Pharonem fratrem suum est Meldensis episcopus sublimatus. *Plurimi in hisce verbis sunt errores.*

at cum anachronismo apertissimo confusus sit cum S. Walberto abbate,

112 *Primo error Folcardi, Simonis abbatis, ac Iperii apertissimus est, dum hunc Walbertum Arkensem dicunt fuisse abbatem Luxoviensem, adeoque S. Eustasii successorem. Quippe mortuus erat S. Eustasius, et Walbertus erat abbas Luxoviensis aliquot certe annis prius, quam* S. Bertinus *ad partes Morienses venit, id est, plusquam quadraginta annis, antequam Walbertus comes a* S. Bertino *sanatus est. Ex hoc tam turpi anachronismo magna oritur suspicio, vitam monasticam Walberti comitis assertam esse ex sola conjectura, quod Walbertus iste comes idem* D *esset cum Walberto abbate Luxoviensi ; præsertim quia primi scriptores Vitæ* S. Bertini, *etsi sanationem Walberti referunt, de vita ejus monastica altum silent, cum tamen videantur illam scripturi fuisse, si scivissent Walbertum factum fuisse monachum, quod primus eorum non facile ignorare poterat, utpote temporibus istis satis vicinus.*

primique biographi taceant, res admodum est incerta :

113 *Quare miror Mabillonium in Annalibus tom.* I *pag.* 480 *non saltem dubitasse de monastica comitis Walberti vita, sed eam ita narrare, acsi certa esset, licet ibidem observaverit errorem eorum, qui Walbertum comitem cum Walberto abbate confundunt. Etenim cum ii soli Walbertum fecerint monachum, qui apertissimo errore abbatem dixerunt Luxoviensem ; ipso errore eorum vita illa monastica fit suspecta, additoque antiquiorum scriptorum silentio ne quidem manet satis probabilis. Secundo hunc errorem auctem ab Iperio monui, qui Walbertum dixit primo monachum fuisse sub* S. Bertino, *quod alii non dixerunt, et quia Walbertum abbatem Luxoviensem fratrem facit SS. Pharonis* E *et Chagnoaldi, ac demum quia Walberto comiti plures attribuit titulos quam ei videantur congruere ; sed hæc latius non deduco, quod parum spectent ad* S. Bertinum.

Sanctus subscribit testamento S. Amandi.

114 *Anno* 2 *Theodorici III, die* XVIII *Aprilis, id est anno Christi* 675, *S. Amandus in monasterio Elnonensi testamentum suum condidit, eique cum aliis Sanctis, partim episcopis, partim abbatibus, subscripsit* S. Bertinus *post episcopus primus, ut videri potest in Amando tom.* I *Februarii pag.* 872. *Liquet ex hoc facto, magnam fuisse de* S. Bertino *existimationem S. Amandi, qui eum invitare voluit ad hunc actum, Iperius cap.* I *part.* 12 *refert translationem S. Vedasti, cui cum S. Audomaro testatur adfuisse* S. Bertinum. *Verisimile id est, licet ea de re nihil legatur apud Vitæ scriptores. Memorat ille hanc translationem ad annum* 680 ; *sed haud dubie citius peracta est, cum adfuerit S. Audomarus, qui non videtur vixisse usque ad annum* 680.

§ XI. Variæ donationes S. Bertino factæ : monasterium Wormholtense excitatum, eique præfectus S. Winnocus. F

Privilegium a Sancto obtentum : Folquinus

Iperius cap. I *part.* 12 *ad propositum nostrum hæc adducit :* Acquisierat S. Bertinus in mero Attiniensi fisco terras, quas a Theodorico confirmari fecit. Concessit etiam ipse rex, ut nec ipse, nec successores sui, vel quisquam ex judiciaria potestate, possint in terris nostris acquisitis vel acquirendis quascumque factiones *(id est, functiones)* publicas exercere : quod privilegium sic incipit : Si aliquid ad loca Sanctorum etc. Datum sub die decimo Kalend. Novembris anno decimo regni nostri Compendio palatio. *Totum Theoderici III diploma ex Chartulario Folquini recitat Mabillonius de Re diplomatica lib.* 6 *pag.* 606 *et* 607 *cum epocha hic data atque hac subscriptione :* Signum gloriosi regis Theoderici. *Verum*

A *rum hasce quoque adjungit annotationes:* Theoderici sollemnis subscribendi modus is erat. † In Christi nomine Theudericus rex subscripsi, ut rex relatis ejus formulis constat. Unde asserere licet, hic non bene redditam fuisse Theoderici ipsius subscriptionem a Folquino, qui in superiori, uti et in isto, Chlotharii diplomate formulam initialem, ad hæc etiam regis ac Baltechildis reginæ atque cancellarii subscriptiones prætermisit.

in chronotaxi hujus et aliorum passim aberrat:

116 *Similia observat de aliis diplomatis ex Folquino editis, idque notandum censui, ne quis auctoritatem Folquini alterius objiciat pro vindicandis subscriptionibus Chartæ S. Audomari, quas superius improbavi. Tempus dati diplomatis laudatus Folquinus apud Mabillonium sic exprimere voluit:* Anno autem Dominicæ Incarnationis DCLXXVI, Indictione IV, regnante glorioso Francorum rege Theodorico, qui erat frater præfati regis Chlothacarii, anno X, fecit idem rex Theodericus Præceptum securitatis domno Bertino de eo, quod comparavit in Attinio fisco. *At annus Christi* 676, *quo erat Indictio* 2, *nequaquam* B *componi potest cum anno decimo Theodorici III, qui regnare cœpit anno* 673 *ante medium mensem Septembris, si credimus Pagio, istud ad annum* 673 *num.* 12 *probanti. Nam secundum hanc Pagii sententiam diploma Theodorici, cum datum sit mense Octobri, datum est anno* 682, *quo currebat annus decimus Theodorici. Porro non hic solum, sed ubicumque annos Christi ex annis regum assignare voluit Folquinus, passim aberravit a vero. Qua de causa nemo mirari debet, me ejus auctoritatem in similibus nihili facere: miror ego magis Mabillonium lib.* 2 *pag.* 192 *Folquini calculo, et quidem aberrante, uti voluisse, ut probaret Clodoveum II anno* 654 *abiisse: neque enim viro erudito ignotum esse poterat, quam frequenter aberret Folquinus.*

donatio Amalfridi viri illustris,

117 *Anno* XII *Theodorici regis alia donatio* S. Bertino *facta est mense Februario, ita ut innectenda videatur anno* 684. *Folquinus apud Mabillonium pag.* 607 *rem in Chartulario suo breviter sic enarrat:* Anno ab Incarnatione Domini DCLXXVII, Indictione VI, vir quidam inclytus, nomine Amalfridus, tradidit domno Bertino C monasterium, quod ipse construxerat in proprietate sua, nomime Hunulficurte, in pago Camaracense, super fluvio Scald, ubi et filia ipsius, Auriana nomine, abbatissa sanctimonialium rectrix esse videtur. *Hisce verbis subjuncta est donationis Charta, quæ sine ullis subscriptionibus finitur hoc modo:* Actum Vermandis, quod fecit mensis Februarius dies VIII, in anno XII regni domini nostri Theuderici gloriosissimi regis. *Porro observat Mabillonius subscriptiones omissas esse a Folquino, sed eas ipse addidit. Initium quoque chartæ prætermissum a Folquino, sed istud expressum apud Iperium part.* 12, *ubi idem finem paullo diversum recitat hoc modo:* Actum Viromandis quando fecit Februarius dies VIII, anno DCLXXIX, undecimo regni domini nostri Theoderici gloriosissimi regis. *Notat editor Martenius annum Incarnationis ab interpolatore additum esse. At insuper hic ponitur annus* undecimus *Theodorici, apud Mabillonium vero* duodecimus; *sed hic videtur præferendus, et revera annus duodecimus prælatus est a Mabillonio tom.* I *Annalium pag.* 572, *ubi donationem narrat ad annum* 684. *Eam deinde anno* 14 *regni sui confirmavit Theodoricus rex, cujus diploma sequitur apud Mabillonium ex Folquino.*

AUCTORE J. S.

qui monasterium a se conditum S. Bertino subjicit:

118 *Anonymus compilator in Vita de hisce ita scripsit:* Vir quidam inclytus, nomine Amalfridus, tradidit domno Bertino monasterium, quod ipse construxerat in proprietate sua, nomine Hunulfricurt, in pago Cameracensi super fluvio Scald, ubi et filia ipsius illustris viri, Auriana nomine, abbatissa sanctimonialium rectrix esse videtur; eo tenore, ut hoc ipse, dum adviveret, per precariam haberet, ac post suum obitum ac filiæ ejus Aurianæ supradictus abbas Bertinus seu successores sui hoc habeant, teneant ac possideant: et quemcumque præpositum ibi præponere voluerint, licentiam habeant, sicut etiam exemplar illius traditionis apud nos hactenus conservatum testatur. *Hæc ille ex Folquino. Iperius eadem narrat, atque hæc addit:* Deinde Amalfrido Aurianaque defunctis, moniales ibi succedere sancti Bertini successores inhibuerunt, et monachos ibi statuerunt. Ecclesia illa subjecta fuit abbati sancti Bertini. Quomodo vero sit abalienata, et ab hac obedientia nostra recesserit, scripta nostra non continent. *Hisce* E *antiquior Baldericus episcopus in Chronico Cameracensi lib* 2. *cap.* 10 *de eodem monasterio sic habet:* Transeamus ad monasterium sancti Petri in villa Hunulcurt, ubi sanctam Pollinam requiescere, scripto reperi. Hæc nimirum illustris vir, Amalfridus nomine, cum uxore Childebertana fundavit, deputatisque sanctimonialibus filiam suam Aurianam præfecit, fuitque olim religione florens et opibus, nunc autem, postquam viris militaribus beneficiatum est, ad paucos canonicos derivatur. *Surrexit tamen ab hac clade, postquam rediit ad monachos Benedictinos, Hunnocurtense monasterium, vulgo* Honnecourt *dictum, situmque ad Scaldim flumen quatuor fere milliaribus supra Cameracum. De eo agit Dionysius Sammarthanus tom.* 3 *Galliæ Christianæ recusæ col.* 112 *et seq.*

obtentum a Clodovero III privilegium.

119 *Donatio istius monasterii insinuat, quanta fuerit fama* S. Bertini, *cui Amalfridus subjicere voluit monasterium satis longe dissitum. Multa vero privilegia, quæ Sanctus a regibus Francorum obtinuit in commodum monasterii sui, luculenter ostendunt, eum temporalium æque ac spiritualium rerum insignem habuisse curam.* F *Præter varia jam data Iperius ad hoc propositum part.* 13 *rursum scribit sequentia:* Theodorico Francorum regi successit filius ejus Clodoveus puer *(hujus nominis tertius)* qui anno suo primo privilegium dedit beato Bertino, in quo confirmat omnia a prædecessoribus huic loco concessa, præcipiens ut nulla judiciaria potestas aliquid possit intra nos: quod sic incipit: „ Clodoveus „ rex Francorum. Si illa beneficia, quæ parentes nostri etc. Actum sub die primo Kalendas „ Maii anno primo regni nostri „. *Totum privilegium ex Folquino recitat Mabillonius lib.* 6 *Rei diplomaticæ pag.* 607 *et* 608, *sed ibi legitur:* Actum sub die I Kal. Junias *etc. Utraque epocha probabilius ad annum* 692 *referenda est. Nam Pagius ad annum* 688 *num.* 3 *vult* certum esse, *Theodoricum III obiisse anno* 691: *sed non constat, quo mense obierit, et Clodoveus regnare cœperit. Verum si regnum adeptus est anno* 691, *inchoato Junio aut serius, sive ante Majum anni* 692; *privilegium istud ad annum* 692 *referendum est.*

120 *Iperius, relata morte Clodovei III et successione Childeberti III, part.* 13 *aliam refert*

AUCTORE J. S.

Heremarus donat Bertino villam Wormholt, ubi monasterium constructum;

fert donationem his verbis: Hoc tempore Heremarus vir nobilis villam suam, Wormhoult dictam, in Flandria super fluvium Pena beato tradidit Bertino, qui considerans viros Dei Winocum et tres fratres *(imo comites)* ejus in Dei servitio plus ceteris profecisse, eos illo misit monasteriolum construere, conventum congregare, Bristique pauperibus hospitia præparare. Quibus Heremarus jam dictus villam suam Wormhoult cum appenditiis ejus privilegii sui assertione firmavit, quod sic incipit: « Omnibus præsentibus « et futuris, qui Christiana censentur etc. Actum « in Sithiu monasterio Kalendis Novembris anno I « Hildeberti regis ». *Epocha hæc designat annum* 695, *quo Childebertus III regnare cœpit ante finem Martii, ut ostendit Pagius ad illum annum num.* 6. *Compilator anonymus in Vita apud Mabillonium cap.* 5 *hanc donationem narravit longe citius quam oportebat, deceptus videlicet a Folcardo, cujus verba fideliter exscripsit, ita ut necesse non sit ea huc transferre, cum infra legi possint in Vita tertia num.* 18 *et* 19.

B

varii in hisce errores Mabillonii,

121 *At dictus anonymus Mabillonium quoque in errores deduxit varios, cum in Annalibus tom.* I *pag.* 454 *ad annum* 660 *ita scribat:* Crescente monachorum numero *(in Sithiensi monasterio)* et religione, crevit et possessionum copia. In primis vir quidam prædives ac pius proximum Worimholtum Sithiensibus concessit: quo in loco sancti Martini oratorium erectum est cum exiguo fratrum conventu, quem sanctus Winnocus principio illustravit. Nunc parochialis est sancti Martini ecclesia in insula. *Præter nomen male scriptum, quod* Wormholtum *aut* Wormhoutum, *scribi debuit, non* Worimholtum, *cum locus vulgo dicatur* Wormhout, *et vetusto sermone* Wormholt; *quadruplex in allegatis verbis est error. Primus est in tempore, cum donatio multis annis serius sit facta. Secundus est in loco, qui proximus non erat Sithiensibus, sed quatuor fere milliaribus Audomaropoli distans, situsque ad Penam * fluviolum inter Casletum, ab aliis* Castellum Morinorum ** dictum, et* Winnocibergam. *Tertius error est, quod dicat modo esse ecclesiam parochialem S. Martini in insula, nam hæc est Audomaropoli, a qua multum distat vicus Wormholt, ubi nunc est præpositura* S. Winnoci *dicta. Quartus demum error est in S. Winnoco, quem monasterio isti statim præfectum insinuat; cum ille tantum successerit post mortem aliorum.*

* Peene

* Cassel

C

qui de eadem fundatione his scripsit diverso modo

122 *Laudatus Mabillonius ad annum* 695 *seu pag.* 603, *de eadem donatione ac fundatione, acsi diversam credidisset, aut oblitus fuisset præcedentium dictorum, rursum ita scripsit:* Majoris perfectionis causa *(S. Winnocus)* patriam ac parentes deseruit, et cum sociis Quadanoco, Ingenoco ac Madoco, qui genere itidem spectabiles erant, in Sithiense monasterium se contulit ad sanctum Bertinum abbatem, ut ab eo disciplinis regularibus erudirentur. Cum brevi tempore multos progressus fecissent, in locum ab aliis remotum, quo liberius divinis rebus vacarent, secedere jussi, cellam construunt sacris occupationibus congruentem. MONTEM SANCTI WINNOCI posteri appellarunt. Degebat illis in locis vir illustris ac prædives, Heremarus nomine, qui novorum incolarum religione captus, quoddam juris sui prædium, quod Woromholtum vocabant, Winnoco tradidit. Locus est in Morinorum et Flandriæ confinio, ad fluviolum Penam, pingue solum et frugibus abundans. Donationis instrumentum apud Iperium in Sithiu datum legitur anno primo Childeberti regis. *Minus clare hic aberravit, nec tamen omnia sunt accurrata, ut infra ostendam.*

D

Donatio primum facta videtur S. Bertino, deinde S. Winnoco confirmata

123 *Porro Vita prima habet, donationem hanc esse factam* S. Bertino. *At Iperius et Vita S. Winnoci apud Mabillonium cap.* 3 *videntur insinuare, donationem Heremari factam esse S. Winnoco. Verum apparens hæc contradictio facile tollitur. Donatus primum est locus* S. Bertino, *qui eo misit S. Winnocum cum tribus sociis, quibuscum ex Britannia ante advenerat, et cum aliis monachis, sicut habet Vita prima num.* 17, *ut ibi monasterium erigerent. Erecto autem monasterio, mortuisque post aliquot annos tribus istis monachis, qui ex Britannia venerant cum Winnoco, hic a* S. Bertino *monasterio præfectus est; et tunc demum Heremarus scripto donationis instrumento locum S. Winnoco confirmare potuit, consentiente atque ita cupiente* S Bertino, *quemadmodum ante dixi villam Sithiu primum S. Audomaro datam videri; deindeque, eo volente, scriptis litteris* S. Bertino *ejusque sociis traditam. Hanc conciliationem utcumque exigit annus datarum donationis litterarum, si is conferatur cum variis, quæ de ætate S. Winnoci dicuntur. Quippe hic dicitur juvenis venisse ad* Bertinum, *eratque* ætate dispar *tribus suis sociis in Vita num.* 18. *Fuit tamen deinde* venerabili senectute adgravatus *ante mortem, ut legitur in Vita Ms.; ac obiisse creditur circa annum* 717. *Hæc omnia simul consistere nequeunt, si* parvo temporis spatio transacto, *ut habet Vita num.* 17, *cœpta est structura monasterii, et hæc solum sit cœpta anno* 695, *quo datæ dicuntur Heremari litteræ: nam inter annum* 695 *et* 717 *tantum non est spatium, ut Winnocus ex juvene senex fieri potuerit.*

E

peractis omnibus eo ordine qui hic datur.

124 *Quapropter ex Vita prima, quæ scriptoris supparis, hic statuendus videtur rerum ordo. Primo ad* Bertinum *venerunt quatuor Britones, quorum natu minimus erat S. Winnocus, monachique facti sunt in cœnobio Sithiensi. Id fieri potuit inter annum* 660 *aut* 670 *et* 680. *Secundo, cum post annos aliquot Heremarus locum Wormholt* S. Bertino *donasset, hic quatuor prædictos monachos* cum aliis Fratribus *eo misit,* ad construendum *Wormholtense monasterium, quod illi fecerunt. Tertio in illo monasterio* per multa annorum spatia *habitaverunt usque ad mortem trium sociorum S. Winnoci, antequam hic loco præficeretur. Quarto intra illud tempus anno* 695 *Heremarus dedit litteras donationis, si accurata si relatio Iperii num* 120 *data: nam asserit per hasce litteras locum fuisse confirmatum missis a* Bertino *Britonibus. At cum Vita S. Winnoci apud Mabillonium cap.* 3 *habeat, locum esse ab Heremaro oblatum* Deo sanctoque Winnoco; *dubitari potest, an jam tempore confirmatæ per litteras donationis Winnocus non præesset monasterio. Id accuratius investigari poterit in ejus Vita. Interim hic duo, in quibus errasse Mabillonium monui, magis probanda et elucidanda judicio.*

F

Winnocus non ab initio fuit abbas Wormholtensis; sed post mortem sociorum:

125 *Primum est, quod S. Winnocus non fuerit statim præfectus illis, quos e Sithiensi monasterio ad inchoandum Wormholtense demisit* Bertinus. *Quippe id clare habemus in Vita prima, quæ longe anteferenda est aliis. Accedit Folquinus diaconus, cujus verba de hac fundatione mihi ex Chartulario ejus communicavit sæpe laudatus*

A *datus adjutor Bertinianus, quæque huc transfero :* Sanctus vero Bertinus Servorum Dei multiplicare volens habitacula, hoc ipsum cœnobium *(Wormholtense)* quatuor viris ad se a Britanniæ partibus advenientibus ad construendum regendumque commisit, Quadanoco videlicet, et Ingenoco, Madoco, sanctoque Winnoco. . Post decessum vero supradictorum trium virorum, Quadanoci videlicet, et Ingenoci, et Madoci, S. Bertinus conventiculo Fratrum inibi degentium beatum concessit præesse Winnocum. *Hisce demum consentit Vita S. Winnoci per Mabillonium edita cap.* 4, *ubi hæc leguntur :* Contigit interea post discessum trium sanctorum virorum superstitem fieri S. Winnocum, qui regularibus adprime imbutus disciplinis, profecerat sane in omnibus fidei doctrinis, proferens de thesauro cordis nova et vetera. Cumque sæpe memorati tres viri extremum clauderent diem, perpetuam translati in requiem, S. Bertinus virum Dei gregi monachorum elegit præesse, quippe quem jam didicit humiliter subesse. Nam B præfatis tribus viris minor quidem ætate, sed non inferior sanctitate etc. *Itaque si S. Winnoco Heremarus locum Wormholt anno* 695 *confirmavit, jam tunc mortui erant tres ejus socii, monasteriumque Wormholtense multis annis erat constructum ; at incertum dixi, utrum soli Winnoco, an omnibus simul locum confirmaverit Heremarus.*

ante monasterium Wormholtense

126 *Alterum, quod hic item probandum censui, id est, quod nulla alia S. Winnoci fundatio Wormholtensem præcesserit. Quippe Mabillonius sec.* 3 *Benedict. in Appendice ad Acta S. Winnoci pag.* 327 *hæc scribit :* Antequam Woromholtense manasterium conderet S. Winnocus, aliquamdiu cum sociis consederat apud Scovebergam, nunc Bergas vocant; ibique ædicula et oratorio extructis, circumpositos incolas ad veri Dei cultum hortatus est. *Idem scribit Malbrancus lib.* 4 *de Morinis cap.* 21, *factumque refert ad annum* 685. *Mabillonius vero in Annalibus ipsum monasterium Wormholtense, quod primo locaverat Audomaropoli, deinde verbis num.* 122 *datis in Monte S. Winnoci posuit, Winnoci-Bergam intelligens. Decepit Mabillonium, quantum conjectura assequi possum, hic locus Vitæ* C *S. Winnoci cap.* 2 *:* Cumque eos *(Winnocum et socios Britones* Bertinus) inter ipsa primordia conversionis culmen miraretur attigisse perfectionis locum eis, quo singularius Domino vacarent, delegavit, et ut cellam in ea sacris occupationibus congruentem struerent, imperavit. Parent imperio, ædificando incumbunt ædificio. Est autem idem locus Morinorum regione situs, MONS S. WINNOCI usque in præsentem diem vocitatus, ubi viri Dei aliquamdiu positi, se mundo, mundum crucifixere sibi. *Hic, inquam, locus Mabillonio imposuisse videtur : nam, ut ex annotatis ipsius patet,* Mons S. Winnoci *idem ipsi est, ac oppidum* Winnoci-Berga, *atque id revera quilibet facile credat ex etymologia vocis Belgicæ* Winocks-Bergen.

non videtur aliam cellam exstruxisse Winnoci-Bergis.

127 *Verumtamen omnino mihi persuadeo, aut verba allegata ab eo auctore non fuisse scripta, aut aliam fuisse mentem ipsius : alio enim modo loquitur de oppido Bergensi cap.* 16, *ubi ecclesiam S. Martini et S. Winnoci Bergis structam narrat, corpusque S. Winnoci eo translatum. Quippe primo Montem S. Winnoci ponit in* regione Morinorum, *Bergas in Flandria. Secundo oppidum Bergense semper* Bergas *vocat, numquam* Montem S. Winnoci. *Tertio ecclesiam SS. Martini et Winnoci ibi structam a Balduino Calvo Flandriæ comite affirmat sine ulla mentione, quod S. Winnocus ibi aliquando habitasset aut oratorium struxisset. Iperius cap.* 21 *part.* I *refert constructionem ecclesiæ SS. Martini ac Winnoci Bergis, ac translationem S. Winnoci ad dictam ecclesiam pro canonicis structam. Deinde cap.* 36 *part.* 2 *narrat constructionem abbatiæ Bergensis, translatumque eo S. Winnoci corpus ex canonicorum ecclesia. Rursum cap.* 38 *part.* 4 *et locis aliis de eadem agit abbatia. At nullibi affirmat S. Winnocum Bergis aliquando habitasse ; nec ullus scriptor Vitæ* S. Bertini *de ea S. Winnoci habitatione mentionem facit. Itaque omnino existimo, unicam S. Winnoci ejusque sociorum fundationem esse monasterium Wormholtense, quod Mabillonius in Annalibus perperam confudit cum Bergensi longe posteriori. De Wormholtensi cœnobio deinde everso et de Bergensi etiamnum florente videri ulterius potest Gallia Christiana recusa tom.* 5 *col.* 325 *ac* 332 *et* 333, *ubi utrumque recte distinguitur et posterioris initia referuntur ad seculum* XI.

AUCTORE J. S.

E

§ XII. Postrema Sancti gesta : beatus obitus et sepultura : annus emortualis, annique regiminis et vitæ investigantur.

Privilegium impetratum a S. Bertino, qui Rigobertum

Anno 697 S. Bertinus *regimen abbatiæ Sithiensis nondum deposuerat : ad hunc enim referendum est privilegium, quod ab eo obtentum narrat Iperius cap.* I *part.* 13 *his verbis :* Hildeberti regis anno tertio beatus Bertinus ab eo privilegium impetravit confirmationis omnium honorum nostrorum, et quod nulla judiciaria potestas ingrediatur in nos, quod sic incipit: " Hildebertus rex Francorum. Si illa beneficia, " quæ parentes nostri etc. Actum sub die Ka- " lend. Junias anno tertio regni nostri ". *Verumtamen postea non diu solus regere perrexit, sed anno* 700 *Rigobertum jam habebat substitutum, ut colligo ex verbis Fotquini diaconi mihi communicatis. Asserit enim Folquinus sacellum S. Martini, quod constructum videbimus tempore Rigoberti substituti, ædificatum esse anno sexto Childeberti, id est, anno Christi* 700, *licet Folquinus annum* 689 *cum sexto Childeberti male componat. At considerandi non sunt anni æræ vulgaris, in quibus Folquinus aliique scriptores Bertiniani istius temporis perpetuo fere errant ; sed anni regum, quos exprimunt, pro chronotaxi potius sequendi sunt, quod hos in antiquis monumentis reperire potuerint, non illos. Hinc Iperius part.* 15, *ubi notaverat se multum differre ab aliis quibusdam in assignandis Christi annis, ita subdit :* Nos vero non tantum in hoc opere sequimur fidem historiarum, sed magis sequimur fidem privilegiorum nostrorum, et sigillorum authenticorum regum vel aliorum. Sigillum enim regum nec fallit nec fallitur. *Itaque substitutionem Rigoberti collocandam censeo inter annum* 697 *et* 700.

129 *Substitutionem hanc Compilator anonymus cap.* 9 *narrat his verbis :* Sanctis igitur Christi

AUCTORE J. S.

sibi substituit abbatem; ab eo constructa S. Martini ecclesia:

Christi confessor Bertinus, postquam Adroaldus in Sithiu locum tradiderat, quinquagesimum septimum *(imo quadragesimum circiter)* annum regiminis sui agens, virum venerabilem suum monachum, Rigobertum nomine, successorem sibi ordinavit: ipse vero privatim agens reliquum vitæ suæ, in divina se contulit contemplatione. . . . Venerabilis igitur abbas Rigobertus vices excubiarum ejus in gregem Domini industria exsequens, ejusdem patris jussu monasterium in honore B.[ti] Martini paucis temporibus magno opere ædificavit. Erat enim summæ devotionis in hunc confessorem Domini, ejusque memoriæ plurimum inserviens et dilectioni. *Mabillonius notat per* monasterium S. Martini *ecclesiam intelligi; eamque asserit nunc esse parochialem. Credidit nimirum de eadem agere Iperium cap.* 3 *part.* I *his verbis:* Beato vero Martino facta fuit ecclesia juxta illam, quæ nunc est parochialis ecclesia S. Martini in insula. *Verum si recte attendamus ad verba Iperii, videbimus eum agere de gemina S. Martini ecclesia. Prima constructa est vivente* S. Bertino, *altera, quando colebatur ut Sanctus. Folquinus diaconus de constructa S. Martini per Rigobertum basilica ait:* Quod nunc loci caput et totius abbatiæ principatus existit. *Cletyus, qui verba Folquini nobis exscripsit, ex illis observat, hoc monasterium constructum* in honorem S. Martini non aliud fuisse quam oratorium, quod adjunctum fuit ecclesia majori. *Tale fuisse existimo vivente* Bertino, *cujus corpus in eo oratorio sepultum videbimus. Verum basilica sive ecclesia illa ab Erlefrido abbate instaurata est forma longe ampliori, et forsan ab eo tempore evasit præcipua abbatiæ Sithiensis ecclesia, qualem fuisse suo tempore testatur Folquinus, De Rigoberto structaque per eum hac ecclesia Iperius part.* 14 *sic habet:* Domino sancto Bertino jam in senium vergente, sui regiminis anno LVII cœnobii sui regimen Rigoberto venerabili viro commisit, qui jussu beati Bertini construxit ecclesiam B. Martini episcopi. Erat enim beatus Bertinus in hunc Sanctum Dei devotus. *Deinde cap.* 3 *part.* I *docet, hanc ecclesiam fuisse ampliatum ab Erlefrido abbate post mortem* Bertini.

B

C

dicitur S. Bertinus a dæmone sub specie mulieris tentatus, ac fraudem agnovisse ope S. Martini:

130 *Causam hujus ecclesiæ construendæ fuisse devotionem* S. Bertini *erga S. Martinum facile credimus. At dubitari potest, an occasio istius devotionis, quam narrat Folcardus num.* 73, *recte et vere sit exposita. Eamdem tradidit Compilator anonymus cap.* 10, *et paulo brevius Iperius hoc modo:* Dicitur enim in beati Bertini Legenda, eum quodam Sabbatho sanguine minutum, et a maligno spiritu specie puellæ regiæ fuisse tentatum, nec cito percepisse dolos insidiarum: sed sanctus Martinus ei apparens, fraudes inimici detexit: quem statim Bertinus signo sanctæ crucis abegit, confestimque veniens ad Mandatum *(lotio est pedum Regula S. Benedicti præscripta)* Fratrum, eis rei seriem patefecit, ostendens monachis non expedire consortia feminarum: et ideo eis aditum monasterii sui sub anathemate interdixit. *Simon abbas prædictam tentationem longe prolixius narrat: at non ausim eam pro certa et indubitata habere, cum antiquiores Vitæ scriptores de eadem taceant. Cletyus tamen in observationibus mihi missis notat, eam relationem a Folcardo desumptam esse* ex Opusculo Fremboldi monachi Sithiensis, qui scripsit ante tempora *Folcardi.*

131 *Verum quidquid sit de illa* S. Bertini *tentatione, quam nec omnio asserere velim nec negare, constat de ingressu in monasterium Sithiense per* S. Bertinum *feminis interdicto. Servatam quoque fuisse legem illam Sancti de feminis non introducendis usque ad tempora Arnulfi, qui Flandriæ comes erat et abbas* S. Bertini, *consentiunt scriptores Bertiniani. At nequeo probare annotationem Mabillonii, quæ ita habet:* Istius interdicti usus perseverabat adhuc sub finem seculi tertii decimi, ut patet ex Iperio cap. LII part. IV. *Quippe, licet Iperius ibidem revera insinuet, interdictum istud* S. Bertini *usque ad istud tempus fuisse servatum, verba ipsius non sic intelligenda sunt, aut erroris sunt arguenda, si alio nequeant sensu exponi. Nam ipse Iperius primum multeris ingressum narrat cap.* 23 *part.* 2, *hoc præfixo titulo:* De primo ingressu feminarum in hoc monasterio. *Factum refert scriptor ille ad annum* 938, *ut et anonymus apud Mabillonium lib.* 2 *Miraculorum cap.* 12, *qui etiam assignat annum quintum Ludovici Transmarini Franciæ regis, cujus annus quintus alias connectitur cum anno* 940.

D

certe ingressum monasterii sui omnibus mulieribus severe interdixit;

E

id præceptum diu observatum, deinde vero mitigatum:

132 *Prima autem illa mulier erat* Adala *vel* Athala *Flandriæ comitissa, et Arnulfi comitis uxor. Hæc ob corporis infirmitates ab episcopis Fulberto Cameracensi et Witfrido Taruannensi, atque a monachis impetraverat licentiam adeundi altare* S. Bertini: *ideoque* Feria secunda Paschæ *inquit Iperius,* introduxerunt eam prædicti episcopi in hoc monasterium, non sine timore magno, quia hoc feminarum prima ipsa facere præsumpserat, quod antea reginarum nulla concupiscere vel audebat. Sicque introducta, et ante altare beati Bertini prostrata, devote oratione fusa, plenam corporis sospitatem accepit. *Simon abbas, qui scripsit seculo* XII, *idem factum pluribus versibus expressit, relataque sanatione comitissæ ejusque munificentia in* S. Bertini *monasterium, hunc subjunxit versiculum:*

Hacque patent causa mulieribus ostia clausa.

Itaque seculo X *ea occasione severum istud* S. Bertini *interdictum, quo nulli prorsus mulieri patebat ingressus, aut abrogatum aut certe ita mitigatum est, ut mulieres omnes non prorsus excluderentur.*

miraculum hac occasione patratum.

F

133 *Ipsum miraculum, quod suo tempore factum asserit Folcardus num.* 39, *nisi forsan verba antiquioris cujusdam exscripserit, sicut ipsa verba expressit compilator anonymus mox laudandus: hoc, inquam, miraculum satis insinuat, licentiam ingrediendi eo tempore mulieribus datam fuisse, sed unam mulierem præ summa erga* S. Bertinum *reverentia uti noluisse ea facultate. Reverentiam hanc viventis comprobavit Deus in corpore defunctæ. Audiamus anonymum Folcardi verba describentem cap.* 10: Quod nostro tempore a quadam religiosa servatum muliere, ut scilicet ulterius nollet ire, quam ipsum Virum Dei didicerat constituisse: ea quoque mortua, corpus servavit exanime. Nam eam in feretro positam ferentes, cum in ipso ejus antiquæ adventionis pervenisset limite, tanto confestim divinitus figitur pondere, ut ultra ferri non posset, coacta etiam ad ferendum præsentium multitudine. Sicque anus præceptum, quod ad reverentiam Sancti excoluit, dum vixit, defunctum corpus ad votum viventis animæ transgredi non potuit. *Iperius de iisdem sic habet:* Unde semel accidit miraculum post obitum Viri Dei de quadam muliere, quod sibimet in corde suo statuit hoc interdictum numquam præterire: et

A et quod ipsa veniens * tenuit, hoc etiam corpus ejus servavit exanime : nam dum illud ad ecclesiam ferentes venissent ad illum, quem Sanctus præfixerat, limitem, tanto figitur pondere, ut eam ulterius ferre non possent, etiam coacta populi multitudine. *Dabatur jam mulieribus facultas ingrediendi, eaque verisimiliter paulatim dilatabatur : at necdum oblivioni datum erat præceptum* S. Bertini, *quando hoc factum est Folcardi tempore, seu seculo* XI : *alioquin mulier illa tantum fuisset, quod omnes aliæ facere cogebantur.*

* *forte vivens*

Anni regiminis Rigoberti : huic substitutus Erlefridus :

134 *Porro quot annis Rigobertus abbatiæ* S. Bertini *præfuerit, non invenio. Iperius cap.* 2 *dicit :* Rigobertus hujus loci abbas secundus, non tamen proprie, sed substitutus beati Bertini, pauco tempore sed eleganter rexit : et propter ætatem et corporis gravedinem, utque liberius sanctæ contemplationi vacare posset, a prædicto beato patre Bertino indulgentiam et requiem temporibus suis impetravit. *Anonymus ait id factum* post paucorum annorum sudorem. *Præerat adhuc Rigobertus anno* X *Childeberti, id* B *est, anno Christi* 704, *ut colligitur ex Iperio part.* 14, *ubi emptio villæ* Rumilico *facta a Rigoberto notatur die* XVI *Maii, annoque decimo Childeberti. At anno* XIII *Childeberti Erlefridus jam successerat Rigoberto, ut rursum habemus ex Iperio part.* 15, *ubi emptio bonorum quorumdam per Erlefridum notatur contigisse* sexto Nonas Maii, anno decimo tertio domini Hildeberti gloriosi regis. *Annus is erat* 707, *quo adhuc vivebat* S. Bertinus *secundum plerosque Vitæ scriptores et Iperium, qui part.* 15 *de Erlefrido substituto sic habet :* Monachorum hic turba crescente, beatus P. Bertinus Rigoberto substituto suo requiem indulgens, venerabili viro Erlefrido a se nutrito cœnobii sui regimen commisit.

multa a Sancto in commodum monasterii Sithiensis peracta.

135 Ipse vero divinæ contemplationi totus intendit, plurimum in capella beatæ Virginis pernoctans in precibus, diesque nihilominus explebat jejuniis. Pluraque per eum Dominus operatus est miracula, quorum multa sunt scriptis commendata, pluraque sui humilitate ac celandi gratia prætermissa. Quibus tamen miraculis labor in Dei servitio præferendus est, et cura C pervigil animarum sibi commissarum. Cujus etiam laboribus Deus sic affuit, ut hoc monasterium suum suo tempore tam in Sanctorum reliquiis, quam etiam privilegiis, possessionibus et rerum abundantia regalibus monasteriis æquaretur. *Idem inferius :* Cartæ seu privilegia per beatum Bertinum acquisita seu impetrata sunt numero undecim, *annumeratis scilicet iis, quæ per Rigobertum et Erlefridum, vivente Sancto, impetrata sunt aut transacta. Laudatus scriptor, ubi narraverat Sanctum fuisse sepultum in proprio suo monasterio, de industria ac labore ipsius rursum observat sequentia :* Ex quo clare conjicitur, ipsum beatum P. Bertinum in hac sui monasterii fundatione multum et diligenter insudasse seu laborasse : nam locum, quem a principio sic paludosum invenit, ut sepulturæ non esset idoneus; et ideo atrium in arce villæ a beato Audomaro consecrati impetravit, ... ipse tempore sui regiminis, id est, septuaginta trium vel circiter annorum, materialiter elevavit ædificia lapidum terræ, ceterarumque rerum congestionibus, ... fossatisque et aquarum commeatibus exsiccavit, ut sufficeret sibi ad sepulturam.

AUCTORE J. S.

Observatio hæc non inepta est ; at assignati regiminis anni multum sunt diminuendi.

Mors Sancti, qui sepultus est in ecclesia S. Martini :

136 *Compilator anonymus apud Mabillonium cap.* 12 *de morte* S. Bertini *et sepultura sic loquitur :* Condigna sancti Viri laboribus Christus rependere præmia volens, vocatum ad se transire fecit plenum dierum perfectorumque meritorum. Quem præfatus abbas Erlefridus omnisque cœtus monachorum cum honore maximo, ut tantum decebat Patrem, conditum sepelierunt in cœnobio proprio, quod constructum erat in honore sancti præsulis Christi Martini. *Priora verba adoptavit Iperius, sed posteriora nonnihil mutavit hoc modo :* Conditum sepelierunt hic in monasterio suo proprio Sithiu, quod ipse fundaverat, in quo ipse fuit primus sepultus. *Mirum apparet, quod anonymus dicat, cœnobium* S. Bertini *fuisse constructum in honorem S. Martini, cum constet S. Petro fuisse sacrum. Verum variæ erant ecclesiæ seu oratoria ejusdem monasterii ; atque unum ex hisce oratoriis, quod Rigobertus construxerat, mandante* S. Bertino, *sacrum erat S. Martino Turonensi episcopo, in quo Sanctus fuit sepultus. Hinc Iperius cap.* 3 E *part.* I *sic habet :* Post obitum vero beati Patris Erlefridus basilicam beati Martini supra beati Viri tumulum ampliori opere, quam antea fuerat, ædificavit, constructa venerationis ara ad caput tumuli. *De hac ecclesia jam supra actum est num.* 129.

annus emortualis quo modo expressus a scriptoribus

137 *Annum emortualem, ætatisque ac regiminis annos Iperius sic expressit :* Transiit autem idem Athleta Domini Nonas Septembris anno Domini DCXCVIII : anno, ex quo monasterium suum fundavit in Veteri monasterio, LXXIII ; anno vero a sui monasterii fundatione in hoc loco LIX ; ætatis vero suæ centesimo duodecimo. *Eumdem annum* 698 *morti* S. Bertini *assignat Folcardus num.* 46 ; *sed addit annum Childeberti regis decimum quintum. De ætate ac de anno conditi Veterismonasterii prorsus silet ; at annum quinquagesimum nonum conditi monasterii Sithiensis primus produxit. Simon abbas, reliquis temporis notis prætermissis, annum* 698 *emortualem* S. Bertini *dixit. Compilator anonymus apud Mabillonium cap.* 12 *hasce adduxit notas :* Transiit autem idem Dei Athleta nona *(in Ms. nostro* Nonas) Septembris, anno In- F carnati Verbi sexcentesimo nonagesimo octavo, ætatis vero centesimo duodecimo (*in Ms. nostro :* CXII, alius CX,) Childeberti vero Francorum regis quinto decimo *(in eodem Ms.* XIV,) anno, ex quo eumdem locum construere cœpit, quinquagesimo nono. *Additur in laudato exemplari Ms. :* Anno a fundatione Veteris monasterii LXXIII.

Bertinianis : neotericorum de eo sententia :

138 *Mabillonius in Annotatis adjungit :* Folquinus Bertino annos regiminis dumtaxat LIV tribuit in Chron. lib. I cap. 21, an librarii errore ? *Cur hic vir eruditus librarii errorem suspicetur, non satis intelligo, cum ipse etiam pauciores annos regimini* S. Bertini *attribuere potuerit, si ab anno* 659 *aut* 660, *quo regimen* S. Bertini *exorditur tom.* I *Annalium pag.* 454, *annos numerare voluisset usque ad annum* 709, *quo defunctum* S. Bertinum *scribit tom.* 2 *pag.* 23. *Minus etiam capio, cur ibidem dicat, Sanctum obiisse* anno ætatis centesimo duodecimo, a prima conditione monasterii Sithiensis quinquagesimo nono. *Neque enim annus ille quinquagesimus nonus convenit ulli ex epochis ante ab*

AUCTORE J.S.

ipso datis. Malbrancus de Morinis lib. 4 cap. 49 sine multo examine Sancti mortem refert ad annum 698 cum scriptoribus Bertinianis, qui omnes in eam abierunt sententiam. Cointius ad annum 702 num. 31 et 32 de hisce etiam disputat. Mortuum credit S. Bertinum anno 702, quia Folquinus diaconus annos quinquaginta et quatuor attribuit regimini S. Bertini, atque hos Cointius inchoat ab anno 648. Calculus Cointii exactus est, sed nec anni regiminis S. Bertini inchoandi sunt ab anno 648, nec vera Folquini videtur sententia, ut probabimus. Idem Cointius annos ætatis nonaginta dumtaxat Sancto adscribit, sed rationes non affert idoneas.

obiit Sanctus circa annum 709:

139 Jam vero, ut accuratior fiat horum omnium investigatio, pauca sunt observanda. Primo antiquiores Vitæ scriptores nec annum emortualem memorarunt, nec annos ætatis aut regiminis. Attamen secundus anonymus aliquid lucis subinfert, quando narrat, Sanctum viventi sibi substituisse Rigobertum, ac deinde Erlefridum, obiisseque demum regnante Childeberto. Cum enim Rigobertus adhuc præesset anno decimo Childeberti, id est, Christi 704, ut ostendi num. 134, vivebat eo certe anno Bertinus. Secundo Folquinus diaconus seculo x chartas omnes Bertiniani monasterii collegit, atque ex iis annum Sancti emortualem propius investigare potuit. Hic autem, teste Cletyo in annotationibus mihi transmissis, asserit Bertinum obiisse anno Childeberti decimo quinto, quod Folcardus, Compilatorque anonymus apud Mabillonium fideliter sunt secuti. Omnes quidem illi annum decimum quintum Childeberti componunt cum anno 698; sed in eo errarunt more sibi consueto, quoties annos regum cum annis Christi componere tentarunt. Itaque cum solos regum annos in chartis illius temporis invenerit Folquinus, hujusce sententiæ auctor; hi soli considerandi sunt. Annus autem Childeberti decimus quintus concurrit cum anno 709, quem hac de causa recte expressit Mabillonius. Hunc vero non longe abesse a vero, collige ex charta per Erlefridum anno XIII Childeberti, id est, biennio ante, impetrata, quia hanc obtentam, vivente Bertino, scribit Iperius. Quia tamen Folquinus tam propinquus non fuit S. Bertino, nec tam exactus chronographus, ut uno alterove anno aberrare non potuerit, annum 709 non certo determino, sed mortem S. Bertini circa annum 709 collocandam censeo.

regiminis et ætatis anni a scriptoribus non recte enumerati,

140 Porro quod spectat ad annos ætatis et regiminis S. Bertini, asserta Vitæ scriptorum de hisce exiguam merentur fidem, tum quia in annis enumerandis perpetuo errant, tum quia antiquiores de hisce tacuerunt, ita ut certum videatur, posteriores de annis ætatis et regiminis nihil in momentis antiquioribus invenisse, sed suas solum conscripsisse conjecturas, ex subductis regum annis aut ex aliis enumerationibus haustas. Solos regiminis annos dedit Folquinus, eosque dixit esse quinquaginta et quatuor. At ea sententia nequit subsistere, sive regimen Sancti ordiamur a constructione Veteris monasterii, sive a fundatione Sithiensis abbatiæ, sive ab eo tempore, quo S. Bertinus revera creatus est abbas post Mummolinum: nam a tempore constructi utriusque monasterii usque ad mortem Sancti plures reperiuntur anni; a tempore suscepti regiminis pauciores. Folcardus a constructione cœnobii Sithiensis usque ad mortem Bertini annos posuit quinquaginta et novem, idque adoptarunt Compilator anonymus et Iperius. Hic calculus non longe abest a vero, et omnino exactus esset, si constaret Sanctum obiisse anno 707. At cum illi ipsi mortem illigaverint anno Childeberti decimo quinto, qui est annus 709; ab anno 648, quo constructa est abbatia, usque ad 709, numerandi sunt anni 61. Tempus vero a Veteris monasterii constructione, quod primus expressit anonymus seculi XIII Compilator, adoptavitque deinde Iperius, non existimo esse annorum 73, ut illi habent, sed annorum fere septuaginta, qui reperiuntur ab anno 639 usque ad 709.

hic accuratius exprimuntur.

141 Demum de ætate S. Bertini, quam Iperius cum anonymo laudato extendit usque ad annos 112, id certum est, Sanctum pervenisse usque ad ætatem valde longævam. Addo etiam, non satis verisimiliter vitam Sancti nonaginta annis circumscribi a Cointio, cum sic tantum viginti circiter annorum fuisset, quando venit ad S. Audomarum, quod verisimile non est. Quare Cointius fortasse non minus longe aberrat quam Iperius: nam si annos ætatis numeraverit triginta aut plures, quando venit ad Audomarum, ut satis verisimile est, centum ætatis annos implevit aut superavit. Verum vitæ annos accurate exprimere velle, id divinare est sine sufficienti ratione. Id igitur solum de ætate mihi dixisse sufficiet, Sanctum vixisse usque ad ætatem omnino decrepitam, quæ a centum annis non longe abesse potest, et hosce etiam superare: defunctum vero esse annis fere septuaginta post primum adventum ad sanctum Audomarum et constructionem primi monasterii; sexaginta et uno circiter post fundationem abbatiæ Sithiensis; atque anno fere quinquagesimo post regimen ejusdem abbatiæ susceptum, cum hujus initium locandum sit circa annum 659, ut dictum est num. 69.

§ XIII. Cultus Sancti seculo VIII inchoatus: memoria in Fastis: duæ corporis translationes.

Cultus Sancti inchoatus annis paucis post mortem:

Mabillonius in Opere de re Diplomatica lib. 6 pag. 610 testatur, in charta Felicis cujusdam presbyteri, data anno 3 Childerici III, de monasterio Sithiensi hæc legi: Ad monasterium Sithiu, quod est in honore S. Petri et S. Pauli apostolorum, et S. Martini, vel S. Bertini confessoris, ubi ipse Domnus in corpore requiescit etc. Ex eo autem, quod in hac charta primum aliquid legatur de cultu S. Bertini, ait Mabillonius: Ex his litteris discimus, quo tempore Bertinus Sancti nomine donatus sit. Idem observat tom. 2 Annalium ad annum 743 pag. 121. At mentem ipsius non recte percepit Vir Clarissimus Dominicus Georgius, qui Martyrologium Adonis multis annotationibus illustratum anno 1745 Romæ edidit, quando ad V Septembris notavit allata superius verba haberi in charta Childerici regis, cum illa Mabillonius dederit ex charta Felicis, anno III Childerici data. Annus autem tertius Childerici concurrit cum anno 744 vel 745: multi enim scriptores volunt Childericum III nomen regis adeptum esse anno 743; at Pagius contendit jam anno 742 regem fuisse dictum. Videri potest ad annum 742 num. 18 et seqq.:

AUCTORE J. S.

A *et seqq. : neque enim ad propositum nostrum necesse est, annum* I *Childerici studiosius investigare. Jam vero ex observatione data recte quidem colligitur, illo tempore Sancti nomine gavisum fuisse* Bertinum ; *at nihil attulit Mabillonius, ex quo certo colligatur, cultum* Bertini *nomenque Sancti non cœpisse aliquot annis citius. Quapropter, cum Iperius num.* 136 *laudatus dicat, ab Erlefrido abbate, qui annis circiter duodecim Sancto superfuit, structam esse* venerationis *aram* ad caput tumuli, *existimo cultum* S. Bertini *inchoatum esse paucis annis post beatum ex hac vita transitum. Eodem seculo corpus verisimiliter elevatum esse, ostendam infra.*

memoria Sancti primum sacris Fastis inserta ab Usuardo,

143 *Memoriam* S. Bertini *a Floro, Adone, et Usuardo sinceris Martyrologiis insertam asserit Mabillonius. At id verum non est de Adone, et ea de causa verisimilius est, Flori quoque verba non esse, quæ de* Bertino *ejus Martyrologio inserta sunt, licet Flori nomine ea etiam verba laudet Sollerius in Observationibus ad Usuardum die* V *Septembris, quia legitur in additionibus* B *Flori ad Bedam, editum apud nos ante tomum* 2 *Martii. Quippe cum scripta Flori æque ac Bedæ præluxerunt Adoni, Wandelberto et Rabano, quorum nullus* S. Bertini *memoriam celebravit, dubitare vix possim, quin a Floro item prætermissus seu potius ignoratus sit* S. Bertinus; *præsertim cum Sollerius ipse in præfatione ad Usuardum cap.* I *art.* 2 *satis ostenderit, Floro non esse attribuendas additiones illas, quas ei adjudicaverat Papebrochius in laudato Martyrologio. Quapropter primus* S. Bertinum *annuntiavit Usuardus, et unicus inter antiquos, his verbis ad* V *Septembris :* Eodem die, sancti Bertini abbatis. *In codice Pratensi, quem sine nomine edidit Bouillartius, quemque autographum esse contendit, legitur :* In pago Tarvenensi, sancti Bertini abbatis. *Fatetur editor in autographo Usuardi, quod oblatum est Carolo Calvo, priora fuisse verba, adeoque agnoscit illa certo Usuardi esse. Verum observat sequentia :* Quod cum esset contra morem nostri *(Usuardi, quia locus erat omissus)* totum versum delevit, minutiorique litterarum forma instauravit, ut esset spatium, quo locum, ubi potissi- C mum Bertinus colebatur, designaret. *Conjectura est, quam omnino probarem, si constaret mutationes illas, quæ in codice Pratensi factæ sunt post Operis publicationem, certo esse ipsius Usuardi. Verum cum probabile non sit, Usuardum ante editionem Operis sui ignorasse locum,* ubi potissimum Bertinus colebatur, *cumque tamen locum illum tunc non expresserit; non admodum verisimile sit, hanc ejus esse correctionem.*

a multis deinde recentioribus annuntiata :

144 *Annuntiatio, quæ Flori credita est, sic habet :* Eodem die depositio S. Bertini confessoris et monachi : qui in divinis rebus prudens et in malis simplex virtutibus claruit divinis. *In auctariis Adonis apud Georgium supra laudatum :* Eodem die, natalis sancti Bertini abbatis, magnæ sanctitatis et ignocentiæ * viri. *Aberravit hic auctor a mente Sollerii, dum hæc notavit :* A Floro sumpsisse Usuardum potius, quam ab aliis, censet Sollerius, quia ab Adonis exemplaribus Bertinum abesse vidit. *Nam de elogio, quod Floro attribui noverat, ait :* Hoc vidisse Usuardum, haudquaquam verosimile est. *Florarium nostrum Ms.* Bertinum *ita celebrat :* Eodem die S. Bertini abbatis, magnæ sanctitatis et innocentiæ viri, in loco, qui vocatur Sirius *(Sithiu)* quem ipse construxit in honore S. Petri apostoli, ubi in divinis rebus prudens, in malis simplex, divinis claruit virtutibus. *Martyrologium Autissiodorense, quod edidit Martenius tom.* 6 *Collectionis amplissimæ, breviter hoc modo :* Eodem die natale S. Bertini abbatis. *Hisce addi possunt neoterici plurimi, quorum alii longiora texuerunt elogia, alii breviora. At satis erit, verba addere Martyrologii Romani, quod breviter Sanctum annuntiat hoc modo :* In pagu Taruanensi, monasterio Sithin *(imo* Sithiu) sancti Bertini abbatis. *Menda, quæ in prolixioribus quorumdam elogiis occurrunt, corrigi possunt ex ante dictis in hoc Commentario.*

* i. e. innocentiæ

item Fastis adscriptæ duæ translationes et inventio corporis.

145 *Præter festivitatem præcipuam duæ corporis translationes, uti et inventio, Fastis inscriptæ sunt. De hisce Mabillonius in Observationibus præviis ita scripsit :* Præterea S. Bertini Absconsio a Folquino seculo IX facta antiquis Kalendariis inscribitur XVII Kalend. Augusti; Elevatio seculo XI celebrata a Widone Remorum archiepiscopo VI Nonas Maii; Translatio denique in thecam pretiosiorem sæculo XIII per Petrum Morinorum episcopum XVII Kalend. Augusti. E *Tres quidem Translationes istis verbis complexus est Mabillonius, sed duos tantum assignavit dies, quod prima et tertia eodem sit peracta die* XVI *Julii, quo die primam translationem seu Absconsionem corporis maxime celebratam invenio : an vero tertia simul celebrata fuerit, non reperio. Accipe verba Molani in Auctariis ad Usuardum :* Monasterio Sithiu, sancti patris Bertini corpus a beato Folquino transfertur et reconditur anno DCCCXLVI. *Inventio corporis a multis neotericis item commemorata est die* XVI *Junii, quo eam contigisse videbimus anno* 1050. *Audiamus rursum Molanum :* Monasterio Sithiu, inventio pretiosissimi corporis sancti Bertini, quod repertum est sub capitaneo altaris * sancti Martini, ubi olim a beato Folquino translatum et reconditum fuerat anno DCCCXLVI. Jacuit autem ducentis et sex ferme annis *(antequam elevatum sit anno* 1052) cum primitus in sepulcro suo quievisset CXLIX annis. *Idem demum Molanus ad* 2 *Maii de Elevatione sic habet :* Monasterio Sithiu, gloriosa Elevatio corporis pretiosissimi confessoris Christi Bertini abbatis, quæ facta est anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo. F *De hisce ulterius videri potest Opus nostrum in Prætermissis ad* XVI *Julii,* XVI *Junii et* 2 *Maii, ubi plures laudantur martyrologi.*

* altari

Prima translatio facta anno 846;

146 *De prima ex his translationibus agit Bovo abbas in Opusculo infra edendo num.* 22, *factamque ait anno tertio Adalardi abbatis, Christi* 843, *si locus recte sit impressus, nec mendum irrepserit vitio transcribentium. Scriptor anonymus, qui auxit librum* I *Miraculorum, quique omnia ex Bovone sumpsit, apud Mabillonium pag.* 125 *tempus translationis sic expressit :* Regnante eodem Carolo *(Calvo,)* tertio regiminis Adalardi abbatis anno, præfatus præsul *(Folquinus)* emeritos sancti Bertini artus anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo sexto, *(in Mss.* 843) secretiori, quam prius fuerat, loco mire compositum locavit... solemnemque diem hunc nobis esse sancivit, qui est septimo decimo Kalendas Augusti : ubi usque ad hæc nostra novissima tempora, scilicet ducentis quinquaginta annis, Altor et Pastor noster latuit. *Ipsa fere Bovonis verba dedit auctor. Verum non videtur translatio facta*

AUCTORE J. S.

cta anno 643, sed 646; nec latuit ibi ducentis quinquaginta annis, *ut utroque loco impressum est; sed annis tantum 204 usque ad inventionem, aut annis 206, si usque ad elevationem annos numeremus. Iperius cap.* 13 *part* I. *Adalardum abbatem creatum asserit* anno Domini DCCCXLIV; *translationemque subjungit his verbis :* Hujus abbatis anno tertio beatus præsul Folquinus, prophetico spiritu præsentiens hujus loci per Danos destructionem in brevi futuram, corpus B. Bertini transtulit, et terra recondidit sub secreto abbatis et aliquorum seniorum de collegio : cujus translationis festum fieri constituit XVII Kalendas Augusti. *Annus tertius Adalardi concurrit secundum Iperium cum anno* 846, *ita ut vehementer suspicer Bovonem ejusdem fuisse sententiæ : quin imo ea de re dubitare vix possum : nam in charta, quæ in elevatione corpori apposita est, laudataque in instrumento tertiæ translationis dando num.* 152, *corpus usque ad elevationem reconditum fuisse dicitur* ducentis et sex annis. *Quapropter probabilius existimo primam illam translationem peractam esse anno* 846.

B

inventio anno 1050,

147 *De inventionis secutæque elevationis die et anno Bovo, anonymusque ipsius verba exscribens, consentiunt cum reliquis monumentis Bertinianis: nam ubique inventio contigisse dicitur die* XVI *Junii, et anno* 1050; *elevatio vero* 2 *Maii anni* 1052. *Iperius tempus inventionis non expressit, sed elevationis dumtaxat, ita de utraque scribens cap.* 37 *part.* I : In hujus ecclesiæ reparatione corpus beati Bertini abbatis, dudum a beato Folquino terra reconditum, nunc sub altari capitaneo sancti Martini, ubi plusquam ducentus latuerat annis, domnus Bovo abbas noster invenit; multis miraculis attestantibus, solemniter elevavit, et diem elevationis ejus solemniter celebrandum instituit annis singulis sexto Nonas Maii, quo scilicet tempore nundinæ tunc in hac villa tenebantur ex more. Facta fuit hæc elevatio anno Domini MLII, domni Bovonis abbatis IX, regnantibus Leone Papa IX, imperatore Henrico II, rege Francorum Henrico I, comite Flandriæ Balduino Insulano, Ghisnarum vero Eustachio. *Nihil in hisce corrigendum video, nisi forte annum nonum Bovonis abbatis : nam in scripto, quod anno* 1237 *cum corpore inventum est, res peracta dicitur* anno regiminis domni abbatis Bovonis quinto decimo. *Utrumque nequit esse verum : mendum est in eo scripto, aut erravit Iperius, mirorque illud non vidisse Mabillonium in Annalibus tom.* 4 *pag.* 665, *ubi mortem Bovonis et annos ejus regiminis secundum Iperii sententiam narravit.*

C

et elevatio seu translatio secunda anno 1052.

148 *Relatio prædictæ inventionis et elevationis ex Ms. Catalogo abbatum* S. Bertini *talis olim transmissa est Majoribus nostris* : Bovo abbas S. Bertini XXXVIII *, dum Sithiensis ecclesiæ reparationi advigilat, absconsum pluribus seculis D. Bertini feretrum invenit anno ML, ad XVI Kalendas Julii, argentea sub dextrum ejus inventa cruce tali cum inscriptione, SANCTUS BERTINUS ABBAS : quam ubi Leoni IX Pontifici summo, toto insuper Romæ coacto Patrum concilio, transmisisset; Apostolico mandato postmodum elevavit Wido Remorum pontifex ad VI Nonas Maii, astantibus Drogone Morinorum episcopo, Heremaro S. Remigii, Alfrido S. Vulmari, Gervino S. Richarii, Fulberto S. Bavonis, Rumolo * S. Winoci, Herberto S. Judoci supra mare, et Walone * S. Walarici, abbatibus; Athela item nobilissima Roberti Francorum regis filia, Balduini Insulani conjuge, præsente cum fratre suo Eudone, quæ brandeum sacrorum pignorum susceptivum contradidit sancto devota Bertino, regnantibus Leone Papa IX, imperatore Henrico II, Francorum rege Henrico I, Balduino Insulano Flandriæ comite, Ghisnarum vero Eustachio. *Hæc relatio congruit cum charta tempore tertiæ translationis apud corpus inventa, in qua eædem personæ præsentes fuisse dicuntur; et ex qua quorumdam nomina hic mendose scripta correxi.*

* *apud Iperium* XXXVII

* *al.* Renaldo

* *al.* Wasone

D

Corpus delatum dicitur ad alia

149 *Cum data inventionis ac elevationis epocha, quæ certissima est, componere nequeo ea, quæ leguntur in edito Iperii Chronico cap.* 26 *part.* 2, *ubi hic est titulus :* De delatione corporum sanctorum Audomari atque Bertini ultra Rhenum, et miraculis ibidem per eos patratis. *Deinde res ita narratur :* Abbas Regenoldus jussu comitis Arnulfi reliquias sanctorum Audomari et Bertini trans Rhenum ultra Neomagum, ubi tunc imperator residebat, detulit, ut terras suas sibi vindicarent. In qua deportatione miraculum accidit in Thialæ portu de custode illius E ecclesiæ dictos Sanctos blasphemante, et eis ingressum ecclesiæ prohibente, confestim ibi a Deo percusso et mortuo. Quod miraculum imperatorem et populum valde ad devotionem incitavit. Prospere tandem peracto negotio, et ecclesia Fresquenas regia donatione percepta, cum prædictis Sanctorum reliquiis ad propria est reversus. *Cum hæc facta referantur post medium seculi* X, *quando abbas erat Regnoldus; vera esse non possunt de corpore* S. Bertini, *quod tunc latebat. An autem vera sint de S. Audomari corpore, de quo solo id relatum invenio in Miraculis ipsius Mss. ; ad* IX *Septembris examinabitur. Ceterum imperator, hic sine nomine positus, est Otto I;* Neomagum *est urbs Geldriæ ad Vahalim flumen, cui item adjacet* Tiala *oppidum, vulgo* Tiel *dictum, septemque circiter milliaribus Neomago distans.*

quædam loca : sed pleraque de parte reliquiarum intelligenda.

150 *Porro quod sequitur apud Iperium de circumlato* S. Bertini *corpore ob signum crucis in vestibus hominum apparens, eadem de causa verum esse nequit, nisi forsan utrumque intelligendum sit de reliquiis, quæ in cœnobio Sithiensi servabantur tamquam reliquiæ* S. Bertini, *quæque, invento corpore, judicatæ sunt esse alterius Sancti, ut videre licet in Opusculo Bovonis abbatis num.* 25 *et* 26. *Quod vero narrat idem scriptor cap.* 39 *part.* 2 *de corpore delato* in Ostresela, *ut præsente Sancti corpore lites sedarentur, factum dicitur anno* 1087, *ideoque verum esse potest. Verum res exigui est momenti, quæque parum facit ad propositum nostrum; atque ea de causa ad alia progredior. Bollandus tom.* I *Februarii pag.* 48 *in Actis S. Euberti episcopi laudat Meierum lib.* 3 *Annal. Fland., scribentem de dedicatione templi Hasnoniensis in Hannonia anno* 1070 *peracta, asserentemque illi dedicationi adfuisse corpus* S. Bertini *cum corporibus viginti quatuor aliorum Sanctorum aut Sanctarum. Suspicor ad intelligendum esse de particula quadam reliquiarum, cum parum verisimile sit tot corpora Sanctorum ex locis longe dissitis ad unam dedicationem fuisse delata. Eodem fortasse modo intelligendum est, quod narratur in Vita S. Gudwali episcopi tom.* I *Junii pag.* 743 *de* reliquiis SS. Audomari et Bertini *seculo* X *delatis Harlebekam, et ad monasterium Blandiniense, quod tunc prope Gandavum erat, ac nunc*

F

A *nunc urbi auctæ includitur. Latebat eo tempore S. Bertini corpus, sed reliquiæ mox memoratæ una cum S. Audomari reliquiis eo portari poterant, ut honorarent corpora SS. Gudwali et Bertulfi, quæ Blandinium deferebantur.*

§ XIV. Translatio corporis in thecam elegantiorem, quæ tertia est vulgo nota et postrema : at alia corporis elevatio aut translatio verisimiliter præcessit omnes prædictas : caput atque aliæ reliquiæ seorsum servatæ.

Translatio anni 1237,

Anno 1237 *alia facta est sacri corporis translatio, de qua breviter scribit Iperius, sed triennio aberrans in assignando anno.* Gloriosa translatio sancti Bertini, *inquit cap.* 47 *part.* 3, domino Petro episcopo Morinensi, ad requestam * domni abbatis nostri Jacobi, astantibus episcopo Atrebatensi, Willelmo abbate S. Winoci, Johanne Alchiacensi, et aliis quamplurimis, facta est. anno MCCXXXIV; *imo* 1237, *ut patet ex ipso translationis instrumento. Insertum hoc est Vitæ editæ per Mabillonium pag.* 152 *: referuntur in eo duæ præcedentes translationes : ipsumque etiam scriptum, quod in secunda translatione corpori appositum fuerat, totum continet. Quapropter instrumentum istud ex Mabillonio huc transfero.* B

* i. e. preces

cujus instrumentum,

152 Petrus Dei gratia Morinorum, et Asso Dei gratia Attrebatensium episcopi, universis Christi fidelibus, ad quos præsentium notitia pervenerit, æternam in Christo salutem. Cum ad honorem Dei, qui in Sanctis suis creditur honorari, de corpore B. Bertini abbatis fieret translatio a scrinio, in quo per centum et octoginta quinque annos jacuerat, sicut ex scripto ibidem reperto perpendi potuit evidenter, inventum est sanctissimum illud C corpus scrinio memorato pannis sericeis, licet vetustate vehementer attritis, diligenter involutum et ligatum, et sigillis authenticis consignatum : et cum solutum et apertum fuisset, inventa est inter ipsa sancta ossa crux argentea, in qua fuit manifeste litteris capitalibus exaratum, SANCTUS BERTINVS ABBAS. Deinde a perquirentibus studiosius intra pannos prædictos inventum reconditum illud scriptum, de quo supra fecimus mentionem, cujus tenor talis erat.

cum inserto præcedentis translationis instrumento,

153 " Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo, Indictione quinta, regnante Francorum rege Henrico anno vigesimo quarto, et octodecimo anno præsulatus domni Widonis Remensis ecclesiæ archiepiscopi, anno vigesimo nono Drogonis Tarvanensis ecclesiæ episcopi, principatum Flandriæ regionis tenente inclyto marchione Balduino anno septuagesimo *, anno regiminis domni abbatis Bovonis quintodecimo *, corpus beatissimi patris Bertini, quod biennio necdum expleto sub capitaneo S. Martini altari fuerat repertum, levatum est sexto Nonas Maii ab iisdem dominis episcopis de plumbeo scrinio ab eo loco, ubi olim a sancto Folquino translatum et reconditum fuit. Hæc autem inventionis, immo levationis hujus fuit causa. Monasterium incendio dissipatum minabatur ruinam : cujus restaurationi dum fieret crypta, et ejus jaccrentur fundamenta, insperato apparuit tam sanctissimi corporis gleba. Jacuerat in sarcophago, quo ab Helfrido *, quem ipse adhuc vivens abbatem ordinaverat, sepultus est, annis fere centum quadraginta novem : in plumbeo vero scrinio, quo (ut diximus) a S. Folquino sub altare terra reconditus est, ducentis et sex annis usque ad tempus nostrum : quo levatus præsentibus vitis boni testimonii et vitæ probabilis, videlicet Widone archiepiscopo et Drogone episcopo, in præsentia dominæ Athletæ * comitissa, uxoris prædicti marchionis, quæ in hoc officio devotissimo deservivit Deo et sancto Bertino; præsentibus quoque abbatibus his, Bovone abbate hujus loci, Heremaro abbate cœnobii S. Remigii, Renuldo abbate S. Winnoci, Gervino abbate S. Richarii, Folberto abbate S. Bavonis, Heriberto abbate S. Judoci, Wasone abbate S. Walrici, Alfrido abbate sancti Vulmari; canonicis vero Remensis ecclesiæ Olrico, Constantio, Hugone; E Tervanensis ecclesiæ clericis Johanne archidiacono, Theodorico, Gozelino, Balduino, et aliis quampluribus; S. Audomari Regardo, Norberto, Auberto, Odberto, Margero, Remboldo. His omnibus cum innumera multitudine (præsentibus) est levatus et in hoc scrinio repositus per omnia Benedictus. Amen ". Quo etiam die Dominus per ejus merita tria miracula operatus est.

* mendum est.

* Forte est mendum

AUCTORE J. S.

* al. Erlefrido

* Adalæ vel Athalæ

totum recitatur :

154 Igitur memoratum corpus a prædicto scrinio in aliud novum decenter transpositum, translatum est a nobis, et repositum in capsam novam, de auro et argento et lapidibus pretiosis ad hoc honorifice præparatam, XVII Kalendas Augusti, quarta scilicet feria ante festum Mariæ Magdalenæ, anno gratiæ millesimo ducentesimo trigesimo septimo, regnante excellentissimo Francorum rege Ludovico filio Ludovici, et fratre ejus inclyto Roberto comitatum Atrebatensem obtinente in principio comitatus sui, præeunte ab omnibus et cooperante gratia Dei Salvatoris nostri, qui sanctorum corpora reformabit, claritati sui corporis conformata. Facta est autem hæc translatio sollemniter a nobis et per nos in ecclesia prædicti Sancti, præsentibus quampluribus abbatibus et præpositis ceterisque ecclesiarum prælatis et aliis bonis viris, Jacobo tunc ecclesiæ B. Bertini venerabili abbate præsidente. In cujus rei testimonium præsentes litteras sigillis nostris fecimus roborari, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo septimo, septimodecimo Kalendas Augusti. F

variæ ad illud observationes.

155 *Pauca ad hoc instrumentum sunt observanda. Primo Sanctus in sarcophago, in quo primum sepultus est, jacuisse dicitur* annis fere centum quadraginta novem. *Ita creditum est seculo* XI, *et ex eo calculo mortuus esset anno* 697, *quia translatum a Folquino crediderunt anno* 846. *Verum serius obiisse Sanctum suo loco ostendi : neque opinio seculi* XI *multum habere potest momenti, cum seculo* VII *anni non numerarentur ab Incarnatione Domini, quos scriptores illius temporis ex assignatis regum annis male collegerunt. Secundo anni a prima translatione usque ad secundam accurate numerantur* ducenti et sex, *videlicet ab anno* 846 *usque ad* 1052. *Tertio*

AUCTORE J. S.

Tertio anni a secunda translatione usque ad tertiam recte computantur centum et octoginta quinque, *nimirum ab anno* 1052 *usque ad* 1237. *Quarto Robertus Artesiæ comes creatus erat eodem anno a fratre suo S. Ludovico rege, ut videri potest in Actis hujus sancti regis tom.*5 *Augusti pag.* 352 : *atque ex eo etiam firmatur assignata translationis epocha. Quinto, corrigendum tamen in hoc instrumento, quod translatio facta dicitur feria* quarta, *legendumque* quinta, *ut jam monuit Mabillonius, cum anno* 1237 *dies* XVI *Julii in feriam quintam incideret, ut colligitur ex littera Dominicali D.*

Alia verisimiliter corporis elevatio facta

156 *Hactenus egi de translationibus totius corporis vulgo notis et omnino certis. Verum sæpe laudatus adjutor Bertinianus me docuit, aliam verisimiliter corporis elevationem aut translationem esse factam ante omnes modo memoratas. Ratio hæc est. Folquinus diaconus in Chartulario suo scribit se* S. Bertino *a parentibus oblatum et ad monasterium ductum* anno Incarnationis felicissimæ Domini nostri Jesu Christi CMXLIX, die festivitatis Elevationis S. Bertini, quæ succedit B Omnium Sanctorum festivitati. *Itaque seculo* X *celebrabatur Elevatio* S. Bertini *die* 2 *Novembris, cum festum Omnium Sanctorum ab eo tempore celebratum huc usque fuerit* I *Novembris. At festivitas translationis primæ, quæ facta est seculo* IX *per S. Folquinum, non agebatur* 2 *Novembris, sed* XVI *Julii. Festivitas igitur* translationis *distincta erat a festivitate* elevationis; *et jam seculo* X *facta erat aliqua corporis elevatio præter translationem a S. Folquino peractam, cum verisimile non sit geminam festivitatem institutam esse ob unam translationem. Qua de causa admodum verisimile est, sacrum* S. Bertini *corpus prima vice elevatum fuisse seculo* VIII, *aut ante medium seculi* IX : *neque enim hæc elevatio facta esse potest post reconditum anno* 846 *Sancti corpus.*

ante primam translationem.

157 *Objici quidem potest primo, quod in dato mox translationis instrumento num.* 153 *dicatur corpus in sepulcro jacuisse* annis fere centum quadraginta novem *sine ulla elevationis mentione. Secundo objici potest, quod de hac elevatione apud omnes scriptores Bertinianos altum sit* C *silentium ; quodque dicta elevationis festivitas in nullis Fastis legatur commemorata, aut post celebrata. Verum silentium tam scriptorum quam Fastorum parum obesse potest, loquente saltem Folquino : nam similia sæpe omittuntur a Vitæ scriptoribus et historiographis, nec semper innotescunt martyrologis. Hæc autem elevationis festivitas omissa postea videtur, forte quia alia elevatio seculo* XI *celebrari cœpit, qua facilius prioris festivitas abrogari potuit. Quare neque silentium scriptorum, neque omissio festivitatis efficere possunt, ut non sit verisimile,* S. Bertini *corpus elevatum fuisse, priusquam a S. Folquino reconderetur. Quod vero in instrumento translationis insinuetur annis fere* 149 *in sepulcro jacuisse, ex errore fieri potuit, quod elevationis nulla esset servata notitia.*

Theca primum anno 1393 *aperta fuit ;*

158 *Post alias translationes supra relatas, quarum ultima est anni* 1237, *nullam deinde factam reperio. Hinc arca pretiosa, in quam sacrum corpus anno* 1237 *transpositum est, illa ipsa videtur, in qua etiamnum servatur. Aperta hæc fuit et visitata tribus vicibus, videlicet anno* 1395 *per abbatem* S. Bertini *Jacobum III, qui sacra ossa invenit* pannis lineis honestissime *involuta, et* quatuor magnis et authenticis sigillis *obsignata ; atque instrumentum ultimæ* D *translationis sacris ossibus superimpositum, quod perlegit. Verum sigilla servans integra, instrumentumque translationis loco suo reponens, arcam rursum clausit, omniaque in eodem statu reliquit ; quemadmodum ipse testatur in Actis de ea visitatione factis.*

deinde rursum anno 1464, *quando pars capitis in aliam thecam translata:*

159 *Altera sacri corporis visitatio facta est anno* 1464 *per Guillielmum II abbatem Bertinianum et episcopum Tornacensem. Hujus visitationis Acta modo non inveniuntur, sed ex aliis monumentis Bertinianis sequentia mihi sunt communicata. Componendam curavit episcopus abbas elegantem ex argento inaurato statuam dimidiatam, eamque gemmis, lapillis pretiosis atque adamantibus splendidissime exornavit. In hanc porro thecam die* V *Septembris in ipsa* S. Bertini *festivitate transtulit magnam partem capitis ejusdem Sancti. Pretiosissima hæc theca cum præcipua capitis parte hactenus seorsum a reliquo corpore servatur cum aliis reliquiis in sacrario ecclesiæ Bertinianæ, ubi illam anno* 1746 *præsens lustravi. Exponitur vero venerationi fidelium in festivitatibus* S. Bertini *et in aliis quibusdam.* E *Eam ex delineatione minoris formæ, quam Audomaropoli humaniter submiserunt Religiosi Bertiniani, hic æri incisam exhibeo in sequenti pagina. Hanc autem capitis partem in illa visitatione corporis anno* 1464 *separatam fuisse a reliquo corpore, satis videtur certum, tum quod eo tempore a Guillielmo episcopo et abbate, præsentibus episcopis Ambianensi et Atrebatensi cum quindecim abbatibus, dimidiatæ statuæ impositam testetur sæpe laudatus Cletyus ex Annalibus Bertinianis, tum quo ex nullo monumento colligatur, sacrum istud pignus citius a reliquo corpore separatum fuisse, aut seorsum conservatum. Incredibile non est, plures reliquias eadem occasione separatas esse; at de aliis nihil invenio.*

tertio anno 1688, *quando reliquiæ Poperingam missæ.*

160 *Tertia corporis visitatio facta est anno* 1688 *per abbatem Benedictum ad preces, opinor, cleri et magistratus oppidi Poperingæ in Flandria. Quippe, teste Cletyo, laudatus abbas clero, magistratui et populo Poperingano* X *Augusti donavit* partem mandibulæ inferioris, cui duo adhærebant dentes, ut honorarentur Poperingæ in ecclesia S. Bertini, quæ prima ibi est F parœcia. *Magistratus vero Poperinganus, de accepto beneficio se gratum exhibens, quotannis in festo translationis* XVI *Julii Audomaropolim mittit cereum duarum librarum, ut ardeat in ecclesia* S. Bertini *ante thecam, in qua sacrum corpus servatur.*

Describitur theca, quæ in necessitatibus circumfertur.

161 *Porro sacer hic thesaurus eidem etiamnum thecæ, cui anno* 1237 *impositus est, servatur inclusus ; sed nova subinde ornamenta thecæ accesserunt per abbates Bertinianos. Cletyus eam Gallice mihi describit, prout verba ejus Latine exprimo :* Composita est ex argento et ære inaurato, longa septem pedibus, larga duobus, alta tribus circiter. Opera aurificis, quibus obtegitur, repræsentant historiam vitæ S. Bertini. Frons prima ornata est effigie Servatoris, quem duo comitantur angeli ; altera effigiem Virginis exhibet et duorum item angelorum. Tota quam longa est theca exhibet statuas SS. Audomari, Bertini, Folquini, Silvini, duodecim Apostolorum et quatuor Prophetarum. *Eodem teste,* posita est in summitate altaris principis. Usu antiquo et religiose observato, dum populus, sive ob temporis necessitatem, sive ob morbos contagiosos,

AUCTORE J. S.

A tagiosos flagitat, ut theca S. Bertini ex alto demittatur, id non fit, nisi eodem temporis momento, quo demittitur theca S. Audomari, in hujus ecclesia conservata, ære campano utriusque ecclesiæ signum dante. Deinde duæ illæ thecæ non iterum elevantur ad locum suum, antequam sint circumlatæ in longo et generali supplicantium agmine. *Hactenus de corpore Sancti.*

Reliquiæ aliquæ aliis locis servatæ.

176 *Ceterum dubitari non potest, quin aliquot sacri hujus thesauri particulæ ad alia loca fuerint deportatæ. De portatis Poperingam supra egi. Hic pauca, quæ se offerunt, subjungo. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico recensens reliquias ecclesiæ cathedralis Brugensis, S. Donatiano dicatæ, inter eas pag.* 200 *numerat* S. Bertini dentem et os de manu. *Idem pag.* 128 *in sacro thesauro parthenonis Burburgensis Ordinis S. Benedicti recenset aliquid* de S. Bertino abbate. *Plures aliis locis servari suspicor ; at omnes reliquiarum particulas investigare, longe majoris esset laboris quam utilitatis.*



§ XV. Variæ festivitates S. Bertini.

Præcipua Sancti festivitas cum vigilia et octava celebratur,

H*actenus de antiquitate cultus* S. Bertini, *de Fastis eum memorantibus, et de corporis ac reliquiarum variis translationibus solum egi. Ad plenam igitur elucidationem gloriæ posthumæ hujus Sancti superesse videtur, ut variæ ipsius solemnitates etiam breviter exponantur. Harum prima et præcipua celebratur die* v *Septembris, qua Sanctus ex mortali vita ad immortalem transivit. Solemnitas hæc in veteri Martyrologio Ms. cœnobii Sithiensis ad Nonas Septembris sic memoratur :* In pago Tarvanensi, monasterio dicto Sithiu, depositio almi patris nostri Bertini abbatis et confessoris, qui vita et miraculis insignis, anno ab Incarnatione Domini DCXCVIII migravit ad Dominum. *De anno emortuali*

AUCTORE J. S.

tuali disserui § 12 : *hic autem de sola ago solemnitate diei emortualis. Hæc in abbatia Bertiniana peragitur ritu maxime solemni cum prævia vigilia et Octava sequente. Et vigilia quidem eo peragitur modo, quo vigilia Nativitatis Domini, ita ut Officium vigiliæ a Laudibus cantetur ritu duplici. Missam solemnem pontificio apparatu in illa vigilia celebrat abbas S. Silvini Alciacensis, qui semper ex abbatia* S. Bertini *assumitur. In primis Vesperis abbas Alciacensis simul cum abbate* S. Bertini *Officium peragit. In ipsa vero festivitate Missam solemnem cantat abbas* S. Bertini; *tunc vero abbas Aliacensis cum duobus cantoribus* Alleluia *in choro canit. Secundæ demum Vesperæ peraguntur ut primæ. Hæc de communicata mihi notitia festivitatis paucis exposui, ut ex iis de tota solemnitate facilis sit conjectura.*

ac olim etiam feriatione ab opere

164 *Præterea hæc festivitas olim usque ad initium hujus seculi celebrata est a populo Audomaropolitano feriatione ab opere, prout nunc fit intra septa abbatiæ : et* S. Bertinus *Audomaropoli semper habitus est pro patrono secundario et Apostolo istius territorii. Hinc sermo habitus in* B *Sancti solemnitate, quem in fine Actorum edidit Mabillonius, si inchoatur* : Gaudete, dilectissimi fratres, in Domino, qui ad sanctissimi patris et protectoris nostri, sancti scilicet Bertini, sollemnia convenistis, et spirituali jucunditate lætamini, et ex intimo cordis affectu clementiam Domini nostri Jesu Christi collaudate : qui nos ab idololatriæ erroribus ad agnitionem sancti sui nominis per hujus sancti Sacerdotis prædicationem perducere dignatus est. *Verumtamen, cum anno* 1703 *aut* 1704, *ut mihi prescripsit Cletyus, multa simul festa, quæ feriatione ab opere celebrabantur, abroganda censeret illustrissimus Ludovicus Alphonsus de Valbelle episcopus Audomaropolitanus,* S. Bertini *festivitatem iis admiscuit : quod fortasse peractum non est sine dolore populi, qui patronos suos præ ceteris Sanctis venerari consuevit, præsertim cum urbs Audomaropolitana incrementa sua tam* S. Bertino *debere videatur, quam ipsi S. Audomaro.*

Translationis festum etiam solemne XVI *Julii ;*

165 *Alterum* S. Bertini *festum, quo opera servilia etiam cessant intra monasterii septa, celebratur* XVI *Julii. Ejus causam laudatum Mar-* C *tyrologium Sithiense declarat his verbis :* Eodem die sancti patris Bertini corpus a B. Folquino transfertur et reconditur anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo sexto. *Antiquam esse hanc festivitatem, et ab ipso S. Folquino institutam, colligitur ex Opusculo Bovonis infra dando num.* 22 *: nam, eo teste, translationes tam* S. Bertini *quam S. Audomari* distinctis temporum diebus a cuncto populo diœcesis suæ magnificentius celebrandas sancivit. *Hæc aliaque ibidem subjuncta insinuant, voluisse S. Folquinum, ut translationis festivitas celebraretur feriatione ab opere. At id clarius colligitur ex tribus primis miraculis, quæ infra in Appendice legi possunt. Nunc minor est minusque late patens hujus festivitatis celebritas ; magna tamen etiamnum hæc est in abbatia* S. Bertini, *ubi ejus Translatio colitur Officio duplici secundæ classis.*

Elevationis festum olim 2 *Maii, nunc* IV *ejusdem mensis :*

166 *Elevationem corporis primam verisimiliter celebratam fuisse die* 2 *Novembris, probabili ratione ostendi num.* 156. *At cum hæc festivitas ex uno tantum loco innotescat, ideoque non omnino certa videatur, ad alterius transeo elevationis festivitatem, per quam prior abrogari potuit, si revera fuit usitata. Sithiense Marty-* D *rologium de illa sic habet ad diem* 1 *Maii :* Monasterio Sithiu gloriosa elevatio corporis pretiosissimi confessoris Christi Bertini abbatis, quæ facta est anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo secundo. *Elevationem illam die* 2 *Maii diu celebratam esse, testatur Cletyus in litteris ad me nuperrime datis.* Verum, *inquit,* ab aliquo tempore locum cessit festo S. Walberti, quod celebratur Officio duplici secundæ classis. Elevatio vero nunc celebratur die IV Maii ritu duplicis majoris.

Inventio inserta quidem Martyrologio, non tamen Officio celebrata.

167 *Quod spectat ad inventionem corporis, quam in Fastis quibusdam neotericis commemoratam vidimus, locum illa etiam habet in Martyrologio Sithiensi, ubi refertur hoc modo ad diem* XVI *Junii :* Ipso die inventio pretiosissimi corporis sancti patris Bertini, quod anno Dominicæ Incarnationis millesimo quinquagesimo repertum est sub capitaneo altari S. Martini, ubi olim a B. Folquino translatum et reconditum jacuit ducentis et sex ferme annis, cum primitus in sepulcro suo quievisset centum ac quadraginta novem fere annis. *Hæc quidem verba nonnullam ingerere possunt suspicionem de festo inventionis olim celebrato : at testatur Cletyus nullum in Kalendariis aut Breviariis Sithiensibus reperiri vestigium istius festi aliquando celebrati : indeque merito existimat numquam fuisse usitatum, sicut in usu non est hoc tempore. Sane si rem ipsam inspiciamus, verisimile non apparebit, aliquod inventionis festum fuisse institutum, priusquam facta erat corporis elevatio. Peracta vero elevatione, una instituta videtur festivitas, qua inventio et elevatio simul celebraretur titulo* Elevationis, *ad quam inventio fuerat necessaria. Poterat tamen inventio seorsum etiam Martyrologio inseri, ut felicis istius eventus melius conservaretur memoria. Hisce de cultu* S. Bertini *expositis, Acta subjungo varia, quæ utinam tam copiosa essent et accurata, quam tanti Viri Sanctitas meretur.* E

VITA

auctore anonymo

F

Ex codice nostro Ms.

CAPUT I.

Adventus S. Bertini ejusque sociorum ad S. Audomarum : geminum monasterium constructum : Bertinus fit abbas post Mummolinum : sepelit S. Audomarum.

S. Bertini et sociorum adventus ad S. Audomarum,

Post hoc non multo temporis intervallo, ad beatum Audomarum *a*, de prædicta Constantinense *b* regione, tres una cum mente viri, Mummolinus et Bertramnus sanctusque Bertinus, pariter venerunt, relinquentes etiam, secundum Domini præceptum, parentes, patriam, omnesque

A que propinquos. Sanctus vero Audomarus prædictos Dei famulos gratifice recepit, immensasque omnipotenti Domino gratia agens, qui tales sibi ad prædicandum Euangelium adjutores deduxit. Erant enim præfati viri in fide perfecti Catholica, et in ecclesiasticis disciplinis, atque in divina Scriptura eruditi. Parvo post hæc temporis spatio transacto, S. Audomarus cum prædictis beatis viris, divina sibi stimulante gratia, monasterium cogitavit in Dei fundare nomine. Ad habitandum enim monachis, divina sibi largiente misericordia, locum habebat aptum.

cujus auxilio monasterium Vetus dictum construunt:

2 Erat enim vir quidam potens, Adrowaldus nomine, in divitiis hujus seculi vanis valde dives: quem beatus Audomarus de errore gentilitatis ad fidem convertit Catholicam, quemque cum omni sua baptizavit familia. Adrowaldus vero prudenti consilio fallaces divitias præsentis seculi spernens, nec ullum habens filium, magnam suæ hæreditatis partem cum omni sua multiplici substantia Deo et beato optulit Audomaro, videlicet *c* quæ noto nomine vocatur Sithiu. Beatus vero Audomarus in prædicta villa ante adventum B prædictorum ad eum virorum ecclesiam *d* ædificavit in eo etiam loco, in quo suum pausat in pace corpusculum. Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis, ut monachorum habitaculum ædificassent*, ubicumque illis in prædicta placuisset villa. Sancti igitur viri Mummolinus atque Bertinus cum ceteris eorum in Christo sociis monasterium ædificare in quodam loco ceperunt, quod usque hodie Vetus vocatur monasterium.

* apud Mab. ædificarent

deinde alium quærunt locum per stagnum navigando,

3 Sed in eo loco paucis morantes annis, divina eis suadente gratia, alium voluerunt eligere locum. Beati igitur viri in Domini confidentes misericordiam*, perfectum invenerunt consilium. Protinus enim in navem ascendentes, sine gubernatore et remigio, ac sine ulla cibi et potus cura, huc atque illuc in * spatioso stagno, adhærente prædicto eorum habitaculo, navigantes, omnipotentem rogabant Dominum, ut in * locum, quem sua illis præparavit misericordia, eos deduceret inlæsos, dicentes invicem, quod non ascensuri essent de prædicto stagno, nisi quando, navicula eorum aptum tenente * portum, contiC gisset illis secundum ordinem Psalterii subsequentem cantare versiculum: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Misericors igitur Dominus, qui suis ubique præsens est famulis: prope est enim Dominus omnibus * invocantibus eum, navem, in qua beati fuerunt prædicti viri, post aliquod prævisum sibi spatium, ilico deduxit ad terram. Tunc etiam illi, prædictum canentes versiculum, sine mora navem relinquentes, læti intraverunt in terram, cognoscentes etiam locum illum a Domino sibi traditum.

* *ibid.* misericordia
* *ibid.* in omissum
* *ibid.* ad
* *ibid.* tenendo
* *ibid.* hæc vox omissa

ubi condunt cœnobium Sithiense, cujus primus abbas Mummolinus secundus Bertinus:

4 Dehinc beato Audomaro pio eorum favente patre, monasterium nomine Sithiu, ex * prædicta villa nominatum, super Agnionam *e* fluvium in Dei nomine ædificare cœperunt: confluentibusque undique religiosis viris ad prædictos Dei famulos, beatus Audomarus Mummolinum multitudini præposuit monachorum. Sed non multo post hæc temporis intervallo, præfatus venerabilis abbas Mummolinus ad Noviomensis urbis episcopatum, divina largiente gratia, provectus est . . . Gloriosus igitur pontifex Audomarus post Mummolinum in prædicto monasterio sancto monachorum choro beatum præposuit Bertinum *f*. Sanctis enim fratribus, in eodem loco sub districto * Regulæ rigore Deo servientibus, dilectus atque amabilis beatus fuit Bertinus. Erat enim vir venerabilis, in divinis rebus prudens, et providus gregis sui pastor; in malis vero simplex et innocens secundum Domini præceptum: Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. . . .

* *ibid.* ex omissum

A. ANONYMO.
* *ibid.* strictæ

hic defunctum Audomarum sepelit.

5 Prædictus ergo * venerabilis abbas Bertinus, divina sibi gratia revelante, statim ad locum *g*, ubi venerabilis senex obiit, cum suis pergendo monachis, sacrum beati Audomari corpus cum palmis et hymnis et canticis ad locum sepulturæ deduxit: eumque in prædicta ecclesia, quam ille beatus pontifex in Sithiu ædificavit, cum immenso circumstantis populi sepelierunt luctu. Sanctus autem * Audomarus beato prædixit Bertino, cunctisque Fratribus tempore illo Domino in Sithui servientibus, ut, quando ei fors * incerta extremæ contigisset horæ, in prædicto loco suum sepelirent corpusculum. . .

* *Mab.* vero
* *Mab.* enim
* *Mab.* mors

ANNOTATA.

E

a *Hoc totum primum caput Vitæ S. Audomari inseruit auctor. Ex eo huc transtuli spectantia ad* Bertinum, *omissis aliis.*

b *Natum* Bertinum *in territorio Constantiæ Alemannicæ, consentiunt scriptores, ut ostendi in Commentario num.* 29. *At non recta ex patria ad S. Audomarum venit* Bertinus *cum sociis, sed prius disciplina monastica institutus est Luxovii, ut ibidem probatum est num.* 33 *et* 34. *Hic scriptor vitam illam monasticam Luxovii inchoatam prætermittit, quia festinabat ad enarranda S. Audomari gesta; dicitque ex regione Constantiensi venisse Sanctos, quia inde revera prius exiverant Luxovium.*

c *Apud Mabillonium in Vita S. Audomari additur* villam, *quæ vox facile in transcribendo excidere potuit, ita ut probabilius sit legendum*, villam videlicet. *Quæ autem ad donationem Adrowaldi et utriusque monasterii constructionem spectant, fuse disputata sunt in Commentario* § 5 *et* 6.

d *De hac ecclesia, quæ deinde donata est* S. Bertino, *multa sunt disputata* § 7.

F

e Agnio, *alios* Agniona *fluvius, vulgo* Aa *dicitur. Modicus est, utpote in ipsa ortus Artesia, et prope Graveligam Flandriæ oppidum mari illabitur.*

f *Quo anno S. Mummolinus ad episcopatum promotus sit, ejusque successor* S. Bertinus *abbas creatus investigavi* § 7.

g *Mors hic relata erat sine loco et tempore, de quibus disputabitur accuratius ad* 9 *Septembris. Interim moneo neque annum* 667 *recte statui a Mabillonio, cum sanctus antistes adhuc viveret anno* 670, *ut observavi in Commentario num.* 86; *neque adoptari posse annum* 695, *quem assignat Iperius, cum eo usque Vitam non produxerit.*

A. Anonymo.

CAPUT II.

Virtutes Sancti : vinum divinitus acceptum , eoque sanatus comes Walbertus : aliud miraculum ad sepulcrum Sancti.

Sancti virtutes ac prudens regimen :
* i. e. vixit

Agius igitur prædictus abbas Bertinus post beati Audomari obitum multis in servitio Dei vixerat * annis : turbamque monachorum a Domino sibi creditam sub districto sacræ Regulæ jugo mente solicita agius custodiebat Pastor, sciens quod scriptum est: Cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Beatis enim Dei famulis, sub sua cura consistentibus , Dominica atque apostolica prædicando præcepta , sua B cottidie districta conversatione ac religiosis actibus suis magnum bene vivendi præbebat exemplum , implens quod scriptum est : Sic luceat lux vestra coram hominibus , ut videant bona opera vestra et glorificent Patrem vestrum , ne secundum apostolicum præceptum * , aliis prædicans, ipse reprobus inveniretur. Largus igitur bonorum operum retribútor contra diabolicas persuasiones indefessam sui militis Bertini aspiciens pugnam : Oculi enim Domini aspiciunt super justos , et aures ejus in preces eorum : magnamque ejus de ovibus sibi creditis intuens curam, almificis eum signis ac virtutibus glorificavit. De quibus, favente Domino, pauca subsequente narrabimus sermone.

* i e. dictum

Waldbertus comes, S. Bertino peccata sua confiteri solitus, a b

7 Fuit igitur quidam vir nobilis , honorificus etiam comes secundum vanam hujus sæculi dignitatem, nomine Walbertus *a* : uxor vero ejus Regendruth fuit nuncupata. Huic vero Waldberto et conjugi suæ pater confessionum beatus fuit Bertinus , nec non et compater *b* fuit, secundum laudabilem ritum inter Christianos ad C conjungenda fraternæ caritatis fœdera consecratum. Beatus igitur Bertinus utrisque verbum sæpe prædicabat divinum. Quapropter enim pius vir prædictus Waldbertus ad Bertinum sæpe venire solebat, ut a beato Viro divina præcepta audiret : et ut a sacro hujus ore post communicationem Corporis et Sanguinis Christi more benediceretur solito. Quadam igitur die ad ecclesiam, in qua beatus Audomarus pausat, Waldbertus veniens , ibidemque orationem complens, aliqua eum necessitate subito retrahente, ad beatum neglexit venire Bertinum ; sed ad suam propriam remeaverat domum.

dum ex Sithiu domum revertitur. c

8 Tunc suus discipulus , nomine Duodo , beato nuntiavit Bertino , dicendo : Valde venerabilis Pater, admiror, quod vir fidelis in Christo amicus Waldbertus in beati Audomari *c* hodie basilica orationem complendo , sine vestræ benedictionis petitione ad suum subito perrexerat * domum. Tunc agius Christi confessor Bertinus , prophetico spiritu plenus , prædicto ait discipulo : Ante enim, fili, quam ad suam Waldbertus perveniat domum , ad quam nunc properando se credidit cito esse venturum, valde se pœnitebat * , quod sine nostræ benedictionis munere de hoc perrexerat loco. Quod secundum præscientis beati viri verbum effectus probaverunt rei. Eodem enim die post solis occa- D sum nuntius, a Waldberto velociter secundum sui senioris præceptum equitando, ad beatum venit Bertinum. Statimque, postquam ad sancti Viri præsentiam pervenit , ejus provolutus vestigiis , tremula ad eum ait voce : Domine , vester benevolus in Christo amicus Waldbertus modo in confinio mortis et vitæ positus, vos in Dei postulat nomine, ut pro eo secundum solitam vestræ caritatis pietatem misericordem deprecemini Dominum , ut per vestras in conspectu æterni Regis gloriosas preces de mortifero periculo , quod sibi nuper accidit , solamen recipiat.

* i. e. perrexerit

* forte pœnitebit

lapsu ex equo graviter vulneratur :

9 Postquam enim in hac die de basilica beati Audomari ad suam volens properare domum perrexerat, subito in medio viæ spatio de suo , in quo velociter equitabat , equo dejectus , super petrosam incautus corruit terram. Multisque in hujus corpore membris conlisis , femoreque hujus , beatissime Pater , penitus confracto , mortem sibi subitam adesse putat, nisi illum, ut credit, per vestras sacras orationes pietas liberet divina. Scit enim , quod hoc sibi periculum per E suam contigit negligentiam, quia sine vestræ benedictionis tutamine, per hostis callidi astutiam aliqua necessitate se retrahente, de hoc hodie loco perrexit. Idcirco vos in Dei nomine, de prædicta negligentia *d* veniam petendo, precatur, ut potum ex vestro sacro ore benedictum, sacrisque vestris manibus signatum, ad eum, antequam moriatur, transmittere dignemini.

d

huic Sanctus rogatus vinum divinitus impetratum
* i. e. œnophoro

10 Tunc venerabilis Senex , casu fidelis amici commotus , suo incunctanter prædicto jussit discipulo , ex enoforo * , quod in sacrario positum fuerat, vinum propinaret , ut ad ægrotantem celerrime transmitteretur amicum. Tunc juvenis leniter sancto respondit Abbati : Est , ut reor , beatissime Pater , spatium mensis integrum , aut eo amplius , quo nec in eo , de quo dicis , vasculo una folia *e* fuit vini. Hinc agius Christi Confessor, fide perfecta et caritate plenus , suo dixit discipulo : Vade , fili , in Dei nomine ad illud, de quo dicis , vasculum : Dominus enim noster , cui omnia possibilia sunt , qui adest adjutor in opportunitatibus : Prope est enim Dominus invocantibus eum omnibus ; nostro ægrotanti amico , credo , salutiferum dabit potum. Hinc juvenis, sancti Viri præcepta secutus, in prædictum intrando sacrarium , illud F vas , de quo paulo ante sancto dixit Abbati , quod nec una in eo vini fuisset folia, divina largiente gratia , hac vice plenum optimo invenit vino, cujus mirabilis odor prædictam compleverat domum.

e

mittit, quo sanatur : multaque deinde donat Bertino.

11 Tunc sanctus Christi confessor Bertinus , immensas omnipotenti Domino gratias agens , Waldberti ait discipulo : De hoc vino aliquid tecum portando , ad tuum velox recurre seniorem. Tunc ille in eadem nocte , immenso repletus gaudio, ad suum reversus est dominum , totumque ei, quod factum fuerat, narrando miraculum , salutiferum sibi potum de prædicto propinaverat * vino. Postquam vero de eodem benedicto biberet potu , in eadem hora , divina medente manu , sanus effectus est. Immensasque omnipotenti Deo salutis suæ auctori gratias referens , cordisque compunctione repletus, magnam suæ hereditatis partem *f* Deo et beato obtulit Bertino.

* i e. propinavit

f

12 In hoc , fratres carissimi , sicut et in cæteris gloriosis actibus suis, immensa omnipotentis

A tis Domini admiranda atque laudanda misericordia, eo quod in diversis mundi partibus per suos indesinenter servos implet, quod promisit. Qui derelinquit patrem aut matrem et cætera propter me, in præsenti seculo centuplum accipiet, et vitam æternam in futuro possidebit; sicut de his sanctis Christi confessoribus Audomaro atque Bertino probare possumus. Hi enim, ut prædiximus, parentes patriamque propter Deum relinquentes, centuplum in hoc seculo, divina eis largiente gratia, acceperunt : insuper inmarcescibilem eis in vita perpetua tribuit coronam. Et non solum eos, quamdiu in carnis fuerunt præsentia *g*, signis atque virtutibus glorificavit; sed etiam adhuc per alta in conspectu ejus eorum merita gloriosas efficit virtutes; sicut per suum agium confessorem præfatum etiam Bertinum nuper mirabilem egit virtutem. Quod illi nobis testati sunt, in quorum conspectu *h* hæc gloriosa virtus fuit facta, quam, favente Christo, subsequente narrabimus sermone.

Quanta sit Dei munificentia in relinquentes pro se omnia.

B 13 Tres igitur viri, in piscationis arte periti, in nocte Dominica in Rhodano flumine juxta beati Mauritii *i* martyris monasterium (servi enim illius erant loci) navem ascendentes, retia ad capiendos extenderunt pisces. Dein insolita eorum retibus in eodem nocte piscium intravit multitudo, ita etiam ut nec illis per prolixum annorum spatium, quo in prædicto flumine retia solebant extendere, tales magnitudine apparuerunt pisces : nec talem ante piscium multitudinem una ceperunt nocte. Hinc læti navigantes ad portum, in quem soliti erant post piscationem intrare, nec se potuerunt de prædicta movere navicula. Duo enim ex ipsis pedum et manuum officio privati, toto fuerunt corpore contriti : tertius autem officio pedum privatus, surdus effectus est : super eos enim propter noctis Dominicæ Resurrectionis transgressionem ultio supervenit divina.

Piscator nocte Paschatis cum sociis punitus,

14 Hinc ille, qui auditum et ambulandi amisit usum, duobus enitendo fustibus, atque aliorum comitantium suffragio fultus, loca sancta orationis causa circumire decrevit, ut juxta venerabilia servorum Dei sepulcra divinam postulasset misericordiam, ut amissam per suam negligentiam C corporis sui sanitatem per gloriosa eorum merita recipere meruisset. Post intervallum igitur, multis ab eo peragratis locis, ad prædicti confessoris Christi Bertini in Sithiu monasterio positum venerabile venit sepulchrum. Et cum Fratres in prædicto loco commorantes in nocte Dominicæ Resurrectionis in eadem ecclesia, in qua corpus beati pausat Bertini, nocturnas cantarent vigilias; tunc ille vir prædictus, immensa ægritudine correptus, a suis sociis in ecclesiam ad orationem deductus fuit. Et cum longo spatio cum lacrymis orando suam sanitatem per merita beati Bertini a Domino postulasset, quando lectio Euangelii more solito recitata fuit; tunc ægrotus multa vidit circa se lucere luminaria : et paulatim ab eo infirmitas recedendo, auditu recepto, pedumque recuperato officio, subito divina largiente gratia, in prædictorum præsentia Fratrum sanus effectus est.

surdusque et claudus factus, sanatur ad sepulcrum Sancti :

15 Et post synaxim inmensas omnipotenti Domino et beato Bertino gratias agens, suis gradiendo pedibus lætus et sanus ad suam remeaverat domum. Et alii in eadem ecclesia juxta venerabile beati viri Bertini sepulchrum de tali sæpe in Dei nomine fuerunt ægritudine liberati. His ergo indiciis manifestum est nobis, quam magna et inenarrabilis est Sanctorum in conspectu Regis æterni gloria. Illorum enim animæ inter innumeras cælestium myriadum fulgent turmas; ipsorum venerabilia corpora inter homines pausantia, ab angelis visitata, signis ac virtutibus per gloriosa opera multis declarata populis, magno venerantur honore : omnia enim prætereunt : sanctorum gloria manet in Christo in æternum.

alia etiam ibi facta miracula.

A. ANONYMO.

ANNOTATA.

a *De Waldberto comite aliqua dicta sunt in Commentario num.* 109 *et seq.*

b *Iperius asserit, filium Waldberti* de sacro fonte *levatum per* S. Bertinum. *Folcardus vero num.* 22 *a Sancto baptizatum dicit. Utroque hoc modo* compater *Waldberti* Bertinus *fieri poterat, et alterutro factus est.*

c *Ex hoc loco colligo ecclesiam B. Mariæ, quæ deinde* S. Audomari *nomen habuit et etiamnum habet, eo nomine jam vocari solitam, quando hic auctor scribebat. Crebra miracula, quæ fiebant ad S. Audomari sepulcrum, nomen istud* E *paulatim videntur induxisse, donec tandem prævaluerit.*

d *Negligentia comitis magna non fuit, si omnia recte sint relata.*

e Folia *forte corruptum est a* phiala : *nam secundus anonymus habet* fiala. *Potest tamen* folia *idem significare ac* folietta, *quæ vox medio ævo usitata fuit pro mensura quadam vinaria, Gallice* feulliette *aut* fillette, *Italice* Foglietta. *Quidquid vero sit de voce, significatur exigua vini mensura.*

f *De donatis a Waldberto actum in Commentario num.* 109 *et* 110.

g *De morte Sancti nuspiam scribit hic auctor : ex quo patet, eum non voluisse plenam Vitam conscribere, sed tantum aliqua narrare facta.*

h *Ex hoc loco clare patet, hunc esse primum Vitæ scriptorem ex iis, qui innotuerunt : nam alii non asserunt, se id miraculum audivisse a testibus oculatis, quamvis idem ipsi quoque referant.*

i *Hoc monasterium alias* Agaunense *vel* Agaunum *dicitur : situm est in Vallesia inferiori* F *ad Rhodanum inter Sedunum, in cujus diœcesi est, et lacum Lemanum, in quem Rhodanus influit.*

CAPUT III.

Gesta S. Bertini cum S. Winnoco ejusque sociis.

Quando *a* agius Christi confessor Bertinus, signis atque virtutibus decoratus, in Sithiu monasterio multitudini præerat monachorum, ex multis undique partibus, divina eos stimulante gratia, religiosi ad eum veniebant viri, optantes etiam, ut sub sacræ Regulæ jugo secum * in Dei perseverassent servitio. Inter quos quatuor religiosi viri ex longe remota Brittonum terra, qui his nominibus nuncupati fuerunt, Quadanocus, et Ingenocus, et Madocus, sanctusque Winnocus, parentes patriamque secundum Domini præceptum relinquentes, ad eum unanimiter

Monasterium Sithiense ingrediuntur S. Winnocus et tres ejus socii, a

* *i. e.* cum eo

A. ANONYMO.

nimiter venerunt, postulantes etiam ut inter agium monachorum gregem, sub sua cura constitutum, eos in Dei reciperet nomine. Beatus igitur Bertinus eos in Dei amore flagrare cernens, perfectamque bene vivendi in eos cognoscens fuisse voluntatem, benigne eos recipiens, sanctæ monachorum sine mora sociavit multitudini *b*.

b quos Bertinus, accepta donatione Heremari, mittit ad monasterium erigendum,

17 Post hæc vero parvo temporis spatio transacto, agius abbas Bertinus intuens, prædictos Dei famulos sagaces sacræ Regulæ sectatores fuisse, nec non perfecta caritate et vera refertos humilitate: eosque cum magna obedientiæ industria animadvertens labori manuum operam dare, eis in pago Terwanense aliquam in Dei nomine jussit ædificare cellam. Quidam enim vir dives, Heremarus nomine, suam in prædicto pago fructiferam hereditatem, quæ Wormolt *c* vocatur, (et ideo eodem nomine prædicta vocatur cella) Deo et beato optulit Bertino. Sanctus igitur Bertinus Dei famulus, multiplicare volens habitacula, et Christi pauperibus hospitia præparare, quæ eo tempore rara in prædicto fuerunt pago, B præfatos Christi milites cum aliis fratribus, eorum præcepto obedientibus, in prædictum transmisit pagum, ut in præfato loco aptum Dei famulis constituerent habitaculum.

conditoque Wormholtensi cœnobio post aliorum mortem S. Winnocum præficit.

18 Religiosi igitur viri, cor unum et animam unam apostolico habentes exemplo, actualem sectantes vitam, plus de pauperibus atque hospitibus Christi solliciti, quam de semetipsis, secundum sancti abbatis Bertini jussionem, in præfato pago commodam, favente Domino, ædificaverunt cellam, atque in ea per multa annorum spatia in Dei perseverantes servitio, extremum sortiti sunt diem. Post obitum vero prædictorum sanctorum trium virorum, Quadanoci videlicet, et Ingenoci et Madoci, beatus Bertinus conventiculo servorum Dei, in prædicta cella commoranti, sanctum præesse concessit Winnocum: qui a pueritia a beato Bertino et a prædictis suis sanctis pagensibus sub sacræ Regulæ jugo fuit nutritus: qui licet præfatis Dei famulis ætate dispar fuit, perfecta tamen caritate atque obedientia illorum erat sectator *d*.

ANNOTATA.

C

a *Hæc omnia, quæ sequuntur, desumpta sunt ex tertia parte Opusculi ejusdem Ms., seu ex Vita S. Winnoci.*

b *De S. Winnoci ejusque sociorum adventu ad* S. Bertinum *egi in Commentario* § 10, *dixique deinde num.* 124 *adventum illum ex conjectura figi posse inter annum* 670 *et* 680, *aut latius inter* 660 *et* 680, *aut quod in S. Winnoco magis examinari poterit ad* 6 *Novembris.*

c *De loco* Wormholt, *deque condito cœnobio Wormholtensi, aliisque huc spectantibus, varia disputata sunt in Commentario num.* 120 *et seqq.*

d *Plura ex hoc Opusculo non adduco, quia ad* S. Bertinum *alia non spectant, sed solum ad S. Winnocum.*

D

VITA ALTERA

auctore anonymo

Ex codice nostro Ms.

PRÆFATIO.

De missione Christi ad salutem humani generis, et Apostolorum

Domino omnipotenti bonorum munerum largitori multiplices gratiæ laudesque sedulæ sunt referendæ: qui omnium creaturarum visibilium et invisibilium conditor et gubernator existens, filium suum Unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum ad docendas redimendasque omnigenas gentes misit ad terras. Qui causa salutis humanæ ex Maria Virgine carnem sumens immaculatam, omne humanum genus, a primo homine diabolica persuasione seducto E venditum, zabulique sub cruentissimo jugo redactum, morti pœnisque addictum, de potestate tenebrarum principis dignatus est eripere. Dehinc omnes homines ab Adam usque ad Christum, dæmonica fraude peccatorum catenis ligatos, maximisque scelerum ponderibus oppressos, ex omnibus orbis climatibus nunc per se liberatos vocavit ad vitam, ita dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos. Qui duodecim Apostolos de turba totius generis humani electos, alios quoque alterius ordinis LXXII, factis regionibus albis, ne multæ operarii deessent messi, jubet omnes discipulos esse suos, hosque in cænaculo Syon sancto Spiramine repletos, omniumque linguarum mirabili ditatos dono, ad docendas baptizandasque omnigenas gentes ire præcepit, dicens: Ite, baptizate omnes gentes.

prædicationibus et laboribus: inter horum successores Audomarus et Bertinus,

2 Hii vero Christi discipuli omnibus linguis loquentes, in omnibus gentibus et provinciis Verbum Domini prædicantes, multasque per Dei gratiam virtutes operantes, variaque tormentorum genera sævo paganorum furore ferentes, sanctumque pro Christo fundere cruorem optantes, per orbem perexere triquadrum. F Post hos postque ipsorum successores, alios gratia Dei præditos, eodemque Spiritu repletos, (neque enim est apud Dominum personarum acceptio) implens, quod promisit, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, apostolorum Vicarios in omnibus partibus mundi esse concessit. Unde Deus omnipotens, cui cura est de omnibus, qui vult omnes homines salvos fieri, populis in Occidentalibus mundi partibus positis, errorum tetris caliginibus cæcatis, diaboloque subjectis, peccatorum mole depressis, facinorumque cloaca convolutis, divinis muneribus decoratos, signis ac virtutibus in multis orbis partibus notos, Audomarum episcopum et Bertinum *a* abbatem, apostolicos donavit doctores.

a quorum Vitam separatim se scripturum ait auctor.

3 Ideo te, Deus omnipotens, per gloriosa eorum patrocinia precamur, ut largiflua tuæ sapientiæ de supernis fluenta nostris, licet maculatis, mentibus rorare concedas, ut de tantorum virorum meritis atque virtutibus, quæ per illos tua gratia gessit, scire volentibus, licet de magnis parva, ac de multis pauca, depromere possimus. Quis enim cotidianam eorum conversationem

A conversationem atque in Dei servitio constantiam, cunctosque labores, quos in occulto, Deo tantum teste, operati sunt, scire atque enarrare potest? Quia igitur sancti viri loca regiminis sui discreta habuerunt, honeste gubernantes, sanctus videlicet Audomarus episcopatum Tarvennæ; beatus vero Bertinus cœnobium suum proprium Sithiu; de eorum Vita et virtutibus singulatim *b* pauca nobis sunt expedienda.

ANNOTATA.

a *Tota præfatio huc usque exscripta est, paucissimis verbis mutatis, ex præfatione, quam auctor primæ Vitæ præfixit Vitæ S. Audomari. Hic vero* Bertinum *adjunxit hic auctor, ac deinde in sequentibus plura mutavit, adaptans nimirum utrique Sancto partem reliquam, cum prior in præfatione sua de solo loqueretur Audomaro.*

b *Ex hisce colligo, eumdem scriptorem anonymum etiam scripsisse Vitam S. Audomari.* B *Quænam ex multis S. Audomari Vitis hæc sit, investigabimus ad diem* 9 *Septembris.*

CAPUT I.

Adventus Sancti cum sociis ad S. Audomarum : constructio utriusque monasterii et gesta alia : beatus obitus ac sepultura.

Adventus Bertini et sociorum ad S. Audomarum :

Cum sanctus Audomarus episcopus ecclesiam Morinensem regeret, et sanctæ Trinitatis fidem stolidorum cordibus frequenti prædicatione imprimeret, tres una cum mente de patria propria, id est, Constantinense ad eum venerunt; sanctus videlicet Bertinus *a*, Mummolinus, Ebertramnus, relinquentes secundum Domini præceptum parentes, patriam, omnes-C que propinquos. Sanctus vero Audomarus eosdem Dei famulos gratifice recipiens, omnipotenti Deo gratias egit, qui tales sibi ad prædicandum Euangelium adjutores misit. Erant enim in fide perfecti Catholica, et in ecclesiasticis disciplinis atque in divina Scriptura eruditi. Subibant igitur officium legationis suæ labore prædicationis continuæ.

constructio Veteris monasterii;

5 Interea quidam vir nobilis, valde prædives opum, Adroaldus nomine, nullum habens filium, tractare cum beato Audomaro et prædictis Dei famulis *b* cepit, qualiter possessionum suarum Ecclesiam heredem faceret. Quem beatus Audomarus, inspirante gratia Spiritus sancti, hortatus est, ut sancto Bertino sociisque ejus prænominatis, quæque habere poterat, conferret, quatinus ibidem cœnobium in honore beati Petri principis Apostolorum construendo, turbam monachorum non modicam coadunarent. Quod Adroaldus, præsente beato Audomaro, cunctisque proceribus urbis Tarvennæ, magna cordis alacritate complevit, tradens villam suæ proprietatis nuncupatam Sithiu, anno undecimo Clodovei filii Dagoberti *c*, VIII Idus Septembris. In territorio igitur quoddam ipsius villæ monasterium ædificare ceperunt, qui locus usque hodie vetus vocatur monasterium. A. Anonymo

item cœnobii Sithiensis,

6 Interea decedente Alchario *d* episcopo urbis Noviomæ, ad episcopatum ejusdem urbis venerabilis vir Mummolinus provehitur, et Ebertramnus cœnobio sancti Quintini a Mummolino præfertur. Sanctus vero Bertinus in loco sibi a Deo collato resedit, cepitque cum sibi coadunatis ædificandi cœnobii aptiorem quærere locum. Sed dictum Dominicum animo revolvens, Sine me nichil potestis facere, perfecto usus consilio, Dei providentiæ cuncta disponenti sese ex animo committens, protinus navim conscendit sine gubernatore et remige. Per spatiosum stagnum, cui adhæret prædictum monasteriolum, Dei tantum nutu navis agebatur angelico ministerio. Cerneres carinam contra fluenta præcipitis fluvii *e* impingi, quousque aptum tenendo portum consisteret, et venerabilis vir Bertinus hunc versiculum ex ordine decantati Psalterii promeret: Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Cognoscens igitur a Domino sibi locum illum electum, sine mora navim relinquens monasterium, nomine Sithiu, in eodem loco in Dei nomine, et in honore sancti Petri ædificare cœpit *f*. E

quod sanctus Abbas optime regit.

7 Confluentibus undique religiosis viris, intra modicum tempus multitudinem monachorum coadunavit, cum quibus multis in Dei servitio vixerat annis turbamque sibi a Domino creditam sub districto sacræ regulæ jugo mente sollicita vigil custodiebat pastor, sciens, quod scriptum est, Cui plus committitur plus ab eo exigitur. Beatis enim Dei famulis sub sua cura consistentibus Dominica atque apostolica prædicando mandata sua cotidie districta conversatione ac religiosis actibus magnum bene vivendi præbebat exemplum, implens, quod scriptum est: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificent Patrem vestrum, ne secundum apostoli præceptum aliis prædicans, ipse reprobus inveniretur. Largus igitur bonorum operum retributor contra diabolicas persuasiones indefessam sui militis Bertini aspiciens pugnam, (Oculi enim Domini aspiciunt super justos, et aures ejus in preces eorum) magnamque ejus de ovibus sibi creditis intuens curam, almificis eum signis ac virtutibus glorificavit, de quibus, favente Domino, pauca subsequenti narrabimus *g* sermone. F

Waltbertus comes,

8 Fuit igitur quidam vir nobilis, honorificus etiam comes, secundum vanam hujus seculi dignitatem, nomine Waltbertus; uxor vero ejus Regentrudis fuit nuncupata. Huic vero Waltberto et conjugi suæ pater confessionum beatus fuit Bertinus, necnon et compater fuit secundum seculi laudabilem ritum inter Christianos, ad conjungenda fraternæ caritatis fœdera conservatum. Beatus igitur Bertinus utrisque verbum sæpè prædicabat divinum. Quapropter pius vir prædictus Waltbertus ad beatum Bertinum sæpe venire solebat, et ut a sacro hujus ore post communicationem Corporis et Sanguinis Christi more benediceretur solito. Quadam igitur die ad basilicam fanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, ubi etiam beatus Bertinus sanctum Audomarum sepelivit, supradictus Waltbertus veniens, ibidemque orationem complens, aliqua eum necessitate subito retrahente, ad beatum neglexit venire Bertinum: sed ad suam propriam incaute remeaverat domum. Tunc suus discipulus, nomine Dodo, beato nunciavit Bertino,

A. ANONYMO.

tino, dicendo: Valde venerabilis Pater, admiror quod vir fidelis in Christo amicus Waltbertus, in proximo nobis hodie iter faciens, sine vestræ benedictionis petitione ad suam insolenter perrexerit domum.

qui domum revertens,

9 Tunc sanctus Christi confessor Bertinus, prophetico spiritu plenus, prædicto ait discipulo: Antequam, fili, ad suam Waltbertus perveniat domum, ad quam nunc properando se credit cito esse venturum, valde illum pœnitebit, quod hodie sine nostræ benedictionis munere de hoc perrexerit loco. Quod secundum beati Viri præscientis verbum effectus probaverat rei. Eodem enim die post solis occasum nuncius a Waltberto velociter secundum Domini sui præceptum equitando ad beatum venit Bertinum: statimque, postquam ad sancti Viri præsentiam venit, ejus provolutus vestigiis, tremula ad eum ait voce: Domine, vester benevolus in Christo amicus, Walbertus nomine, in confinio mortis et vitæ positus, vos in Dei postulat nomine, ut pro eo secundum solitam vestræ caritatis pietatem B misericordem deprecemini Dominum, ut per vestras in conspectu æterni Regis gloriosas preces de mortifero periculo, quod sibi nuper accidit, solamen recipiat.

equo lapsus graviterque erat vulneratus,

10 Postquam enim in hac die sine vestra benedictione ad suam volens properare domum perexerat, subito in medio viæ spatio de suo, in quo velociter equitabat, equo dejectus, super petrosam incautus corruit terram, multisque in ejus corpore membris collisis, femoreque ejus, beatissime Pater, penitus confracto, mortem sibi subitam adesse putat, nisi illum, ut credit, per vestras sacras orationes pietas liberet divina. Scit enim quod hoc sibi periculum per suam contigit negligentiam, quia sine vestræ benedictionis tutamine per hostis callidi astutiam, aliqua se necessitate retrahente, de hoc hodie loco perexit. Idcirco vos in Dei nomine de prædicta negligentia veniam petendo precatur, ut potum vestro sacro ore benedictum, sacrisque vestris manibus signatum, ad eum, antequam moriatur, transmittere dignemini.

vino per S. Bertinum divinitus impetrato.

* œnophoro

* i. e. phiala

11 Tunc venerabilis Senex, casu fidelis amici commotus, suo incunctanter jussit discipulo, ex enoforo *, quod in sacrario positum fuerat, vinum propinare, ut ad ægrotantem celerrime C mitteretur amicum. At juvenis leniter sancto respondit Abbati: Est, ut reor, beatissime Pater, spacium mensis integri, aut eo amplius, quo nec in eo, de quo dicis, vasculo una fiala * fuerit vini. Hinc sanctus Christi Confessor, fide perfecta et caritate plenus, suo dixit discipulo: Vade, fili, in Dei nomine ad illud, de quo dicis, vasculum. Dominus enim noster, cui omnia possibilia sunt, qui adest adjutor in opportunitatibus, (Prope est enim Dominus omnibus invocantibus eum) nostro ægrotanti amico, credo, salutiferum dabit potum. Tunc juvenis sancti Viri præcepta secutus, in prædictum intrando sacrarium, illud vas, de quo paulo ante sancto dixit Abbati, quod nec una in eo fuisset vini fiala, divina largiente gratia hac vice plenum optimo invenit vino, cujus mirabilis odor prædictam compleverat domum.

confestim sanatus, multa donat Sancto.

12 Tunc sanctus Christi confessor Bertinus immensas omnipotenti Domino gratias agens, Waltberti ait puero: De hoc vino aliquid tecum portando ad tuum velox recurre Dominum. Tunc ille in eadem nocte immenso repletus gaudio ad suum reversus est Dominum, totumque ei, quod factum fuerat, narrando miraculum, salu- D tiferum sibi potum de prædicto propinaverat vino. Postquam vero de eodem benedicto biberat potu, in eadem hora, divina medente manu, sanus effectus est, immensasque omnipotenti Deo salutis suæ auctori gratias referens, cordisque conpunctione repletus, magnam suæ hereditatis partem Deo et beato optulit Bertino.

Virtutes Sancti, qui primo Rigobertum, deinde Erlefridum sibi substituit abbatem:

13 Præterea plurima per sanctum Virum mira Divinitas egit, quamvis ea partim ipse celandi studio, partim tunc præsentium negligentia occuluerit. Sed omnibus miraculis labor in Dei servitio indeficiens est præferendus, et cura pervigil animarum sibi commissarum. Omni itaque tempore vitæ suæ in præparatione loci sibi a Deo traditi sudavit: cujus labori a Deo divina gratia affuit, ut suo tempore priscis monasteriis regia affluentia constructis, et numero pignerum Sanctorum et rerum abundantia coæquaretur. Se igitur adhuc vivente, successorem sibi Rigobertum *h* ordinavit: cui etiam post paucorum annorum sudorem requiem indulgens, Erlefrido venerabili viro a se nutrito cœnobii sui regimen E commisit.

mors et sepultura.

14 Sub principe igitur Francorum religiosissimo Hildeberto *i*, condigna sancti Viri laboribus Christus rependere præmia volens, vocatum ad se transire fecit Nonis Septembris, plenum dierum perfectorumque meritorum. Quem præfatus abbas, omnisque cœtus monachorum cum honore maximo, ut tantum decebat Patrem, conditum sepelierunt in cœnobio proprio *k*, cooperante Domino. Post cujus obitum plurima circa venerabile sepulcrum per merita beati Viri Dominus peregit miracula; e quorum numerositate, Deo favente, paucissima *l* promemus.

ANNOTATA.

a *Clarum est, hæc ex Vita prima fuisse desumpta, cum hic auctor æque ac primus habitationem Sanctorum Luxovii omiserit, ipsaque prioris verba mox adoptare incipiat,* Bertinum, *quem ille postremum nominaverat, dumtaxat præponens, et alia quædam subinde immutans.*

b *Quæ hic narrantur de Adroaldo, restituenda sunt secundum Vitam primam num.* 2.

c *Annus undecimus Clodovei II concurrit cum anno* 648. *Litteras donationis dedi in Commentario* § 5; *sed ibidem etiam ostendi, donationem illam, quatenus facta est* S. Bertino *ejusque sociis, collocandam esse post constructionem Veteris monasterii; hunc vero scriptorem multa mutasse, multaque ab Audomaro et Mummolino ad* S. Bertinum *perperam transferre voluisse: idque magis firmavi* § 6. *Donavit primum Adroaldus bona multa S. Audomaro, atque eatenus ex ejus etiam donatione constructum est Vetus monasterium. Eadem vero deinde donavit, S. Audomaro suadente et consentiente,* S. Bertino *et sociis, indeque ædificatum et dilatum est hodiernum cœnobium Sithiense.* F

d *Legendum* Achario. *Verum Achario non successit S. Mummolinus, ut hic dicitur, sed S. Eligius, ac S. Eligio demum Mummolinus anno* 658 *aut* 659, *ut dictum in Commentario* § 7.

e *Factum hoc narratur in prima Vita num.* 3. *At ibi nihil de progressu navis* contra fluenta præcipitis fluvii. *Itaque miraculum hoc parum est probabile, præsertim cum non per fluvium,*

A *vium, sed per stagnum duntaxat dicantur navigasse.*

f *Quæ narrantur de loco quæsito et monasterio Sithiensi condito, Mummolino simul et Ebertramno attribuenda sunt. Verum scriptor hic fide non satis bona, ut omnia attribueret* S. Bertino, *Audomarum adjutorem et Mummolinum antesignanum, in prima Vita commemoratos, prætermittere voluit. Consule igitur Vitam primam num.* 3 *et* 4 *ac Commentarium* § 5 *et* 6.

g *Omnia toto hoc numero relata tam fideliter ex prima Vita sunt exscripta, ut vix pauculas voces reperiam mutatas. In facto Waltberti, quod sequitur, idem observo.*

h *De tempore, quo Rigobertus præfuit, ac deinde Erlefridus, consule Commentarium num.* 134.

i *Childebertus III regnare cœpit secundum Pagium anno* 695, *atque ejus anno* 15 *obiisse Sanctum, asseruerunt posteriores biographi aliique scriptores Bertiniani. Hac de causa obitum* Bertini *circa annum* 709 *fixi in Commentario num.* 139.

B k *Videlicet in oratorio seu ecclesia S. Martini. Vide Comment. num.* 136.

l *Miraculum primum, quod mox sequitur, desumptum est ex prima Vita, cujus auctor num.* 12 *ait :* Quod illi nobis testati sunt, in quorum conspectu hæc gloriosa virtus fuit facta. *Cum autem hic auctor nihil simile dicat, et ne quidem asserat miraculum* nuper *fuisse factum, ut etiam affirmaverat primus, evidenter ostendit se illo scriptore non modo posteriorem esse, sed tanto etiam tempore ab eo remotum, ut non potuerit vere dicere miraculum nuper fuisse patratum.*

CAPUT II

Miracula post mortem Sancti facta.

Quidam surdus et claudus factus, *a*

Tres igitur viri in piscationis arte periti nocte Dominica in Rodano flumine juxta beati Mauricii martyris monasterium *a* (servi enim illius erant loci) navim ascendentes, retia ad capiendos extenderunt pisces. Dein insolita eo- C rum retia in eadem nocte piscium intravit multitudo, ita etiam ut nec illis per prolixa annorum spacia, quibus in prædicto flumine retia extendere solebant, tales magnitudine apparuerint pisces, nec tantam ante piscium multitudinem una ceperint nocte. Hinc læti navigantes ad portum, quem soliti erant post piscationem intrare, nequiverunt se de prædicta movere navicula. Duo enim ex ipsis pedum et manuum officio privati, toto fuerunt corpore contriti. Tertius autem officio pedum privatus, surdus effectus est : super enim eos propter noctis Dominicæ Resurrectionis transgressionem ultio supervenit divina.

ad Sancti sepulcrum sanatur :

16 Hinc ille, qui auditum et ambulandi amisit usum, duobus enitendo fustibus, atque aliorum comitantium suffragio fultus, loca sancta orationis causa circuire decrevit, ut juxta venerabilia servorum Dei sepulchra divinam postularet misericordiam, ut amissam corporis sanitatem per gloriosa Sanctorum merita recipere mereretur. Post intervallum igitur temporum, multis ab eo peragratis locis, ad prædicti confessoris Christi Bertini in Sithiu monasterio positum venerabile venit sepulchrum. Et cum fratres in prædicto loco commorantes nocte Dominicæ Resurrectionis in eadem ecclesia, in qua corpus beati pausat Bertini, nocturnas cantarent vigilias, prædictus vir immensa ægritudine correptus, a suis sociis in ecclesiam ad orationem deductus est. Et cum longo spacio cum lacrymis orando suam sanitatem per merita sancti patris Bertini a Domino postulasset, quando lectio Euangelii more solito recitata fuit, ægrotus ille vidit circa se lucere multa luminaria, paulatimque a se sentiens infirmitatem recedere, auditu recepto, pedumque recuperato officio, subito, divina largiente gratia, in prædictorum præsentia fratrum sanus effectus est. Et post synaxim omnipotenti Domino et beato Bertino gratias agens, suis gradiendo pedibus lætus et sanus propriam repedavit ad domum. A. Anonymo.

fur vasa argentea in ecclesia Sancti furatus,

17 Quidam homo, ex parte nobis incognitus, sed, sicut postea probavit eventus, maligno spiritu repletus, cum cujusdam religionis se esse simulasset, per tres continuo dies, quasi E orandi gratia, ecclesiam prædicti patris nostri Bertini ingressus, multotiens se humo postravit, quasi compuncto corde funderet preces : sed quotiens exiit, seras valvarum diligenter consideravit, aliud tamen in præsentia custodum fingens. Nam aliquando se incurvavit, quasi inibi dissolutas religaret corrigias, aliquando vero casum simulans manicharum *, in eodem exitu curvatus collegit. Expertus tamen totum, quod voluit, notavit horam, qua fratres post Sextam *b* causa refectionis ad panem percipiendum peterent refectorium. Sicque aggressus, cultro arrepto, pressit lignum per vincturas valvarum, quo ambæ in transversum stringebantur, cum aliunde ferreo pessulo firmatum non esset, ita ut, capite vectis ejusdem sursum elevato, aditum præberet intrandi. Tunc miser ille, sed non miserabilis, malitiæ suæ pandebat effectum. Nam ingressus furatus est vasa argentea, quæ sub coronis ac lampadibus coram retroque pendebant altari.

* manicarum

b

egredi nequit,

18 At dum egressus cœpisset quærere aditum portæ, mirum in modum vidit, sicut postea narravit, quam plurimos sibi et terribiles assistere F inimicos. Nam temptatus a diabolo, permissus quidem est avidus rapere prædam, sed penitus auferre non est permissus. Unde contigit, ut dum portis patentibus minime pateret sibi regressus, revertens per medium monasterium iter arriperet, insulamque peteret, quæ intra paludem ejusdem monasterii sita est, ut ibi apud quemdam sibi cognitum reponeret, quod furtim a sacris abstulerat. Interea custodes ecclesiæ una cum fratribus refectorium exeuntes, dum perspiciunt sacrorum dampna vasorum, mox coadunatorum concursus factus est monachorum; et in tantum sunt mente consternati, ut quid dicerent, vel quid agerent, quo se verterent, non repperissent; sed suis hoc exigentibus peccatis evenisse concorditer clamabant. Misericors autem Dominus meritis sancti Bertini confessoris sui non diu est passus jugiter sibi servientium animos periclitari.

capiturque et punitur.

19 Fur enim infelix jam memoratus, dum hinc cuneos inimicorum, inde aquarum ac paludis impedimenta cerneret, (nam ut nescientibus loquar, locus ille talis est, ut per mille passus et multo amplius nisi navigio non habeat ingressum,

A. ANONYMO. gressum, excepta una porta ab Occidente, per quam pedites et equites plaustraque ducentes liberum solent habere ingressum) concitos quasi per præcipitia parietum atque tectorum cœpit dare saltus. Quod cum vidissent ibidem degentes, sublata prorsus ambagine totius dubitationis, hunc esse reum, hunc clamitant sancti furem extitisse thesauri; et ideo taliter a dæmonio agitari. Cum autem detinuissent eum, quolibet ingenio interrogatus est, quid sibi evenisset, vel quare dementasset *, et statim exposuit totius rei veritatem. Quid plura? Prævaluit contra eum jus arbitrorum : unde missus est in nervum *c* in loco famoso, Castello videlicet Menapiorum *d*. Condoluit autem super eo unanimitas jam dictæ congregationis, miseruntque ad comitem ejusdem loci, et redditum est ei liberum exire. Sed quia in aliis quam pluribus tentus erat flagitiis, ut postea compertum est, ideo fore permodicum habuit pœnitentiæ tempus : septimanam enim tantummodo supervixit. O quam breve est præsentis vitæ tempus ad comparationem æternitatis! Hortamur ergo omnes, qus hæc audierint, omittere mala fectarique bona.

* i. e. mente captus esset

B

Monachus ob gravia peccata monasterio ejectus,

20 Multis igitur secularium hominum turbis ad sæpe dictum monasterium ob amorem Dei confluentibus, et monachicæ religionis desiderio ardentibus, inter cæteros, Benjamin nuncupatus, generis secundum seculum nobilitate pollens, plurimum ex hereditate propria monasterio conferens, aditum petiit conversionis, laudabilique, ut facie tenus videbatur, simplicitate totum se contulit monasterio. Susceptus itaque hic atque inter fratres collocatus est ceteros. Sed non post multum temporis sagitta percussus diaboli, cœpit sua mala opera defendere, ac nimio instinctu inimici illudi, mortiferisque persuasionibus consensum præbere. Cumque a fratribus spiritualibus sæpissime corriperetur, non modo non emendatus est, verum exosos eos habuit, quos ob suam perversitatem plurimum contristari conspexit. Diu itaque in hac perversitate toleratus tandem de monasterio est egressus.

excitateque a Deo punitus,

21 Igitur monasterium relinquens, cœpit lustrare domos propinquorum, et quærere, qui illi secum habitandi assensum præberet, nequam scilicet ejus operibus consentiendo. At cum nullum reperiret, omnesque eum propter amissionem propositi sui exosum haberent; cœpit demum frequentare furta, cœnosisque nimium inquinari stupris, et alia nefanda exercere facinora. Cum talia ergo solibus * insequeretur cotidianis, omnipotentis clementia Domini, quæ ingratos quosque per flagella vocat ad regnum, fecit eum ex nimio capitis dolore lumen amittere corporale. Vix autem post tam diram carnis afflictionem obtinuit a propinquis suis, ut quocumque illis videretur modo, solatium ei propinquitatis aliquod impenderent. Susceptus ergo est ab illis, sed jugiter verborum contumeliis verberatus. Propter salutem enim suam misericors Dominus lumen illi abstulit oculorum, et solatio non sivit adesse propinquorum.

C

* i. e. diebus

ad portam monasterii pœnitentiam agit,

22 Quadam igitur die, cum valde contumelia frequenti mœstus foret, divino compulsus instinctu, ducatum sibi ad monasterium beati Bertini præberi rogavit. Quod cum factum fuisset, coram ecclesiæ januis prostratus, cotidie Dominum de præteritis negligentiis placare studuit, insistens jejuniis et orationibus lacrymisque assiduis; psalmodiansque dicebat : Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, exaltabis caput meum. At pater monasterii, ejus videns humilitatem, a Domino cor ejus intellexit visitatum, et ad portam eum collocavit, præbendo victum cotidianum. Ille autem, sicut jam dictum est, in pœnitentia perseverans, animum ut arcum habuit extentum, quatinus sæpissime humum lacrymis rigans mereretur audire : Dimissum est peccatum tuum. Quadam ergo die, cum synaxis horæ tertiæ a fratribus cantaretur, memoratus frater juxta altare, quod in media ecclesia situm est, ubi venerantur reliquiæ Dominicæ Nativitatis, stetit, casuque subitaneo in terram proruit.

D

tandemque invocatione Bertini sanatus, gradui suo restituitur.

23 Quem fratres citissime accurrentes, a terra levaverunt, eumque aciem oculorum clarissime protendentem videntes, protinus rogitavere, qualiter sibi a Domino foret salus data visionis. Dicebat autem eis, quod cum pura mentis intentione Dominum exoraret, duas faculas ex sepulchro sancti Bertini vidit jactatas, oculis suis clarissimum lumen infundentes, sicque lumen oculorum reparatum fore. Tunc omnibus claruit, quod per merita beati Bertini pristinæ redditus sit sanitati. Statimque sine mora eum in priorem revocavere locum, propensius ei multam honoris, quam primis in initiis vitæ monasticæ, venerationem adhibentes. Ille vero nec in priori dejectione delapsus, nec præsentis honoris cumulo in se elevatus, rectissimo pede fidei per semitam bonæ operationis ex hinc agebat itinera Christi, ac ei frequenter concinebat : Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me, Domine, eduxisti ab inferno animam meam. Sicque paulatim crescendo pervenit ad caritatem, quæ perfecta foras mittit timorem. Igitur post in sancta conversatione plures vixit annos, potitus gratuita misericordia Domini Christi, qui est benedictus in secula.

E

Vincula pœnitentis ad sepulcrum soluta : *e* *f*

24 Quidam vir, civis Aurelianensis, Adam nomine, de vico Primiaco *e* ob fratricidium jussu episcopi urbis Aurelianensis ferreis nexibus ventrem brachiaque constrictus *f*, cum per plures annos Sanctorum loca visitando tantæ incommoditatis molem sustineret, tandem a beato Petro apostolo, cujus limina Romæ frequentabat, duorum nexuum solutionem adeptus, per visionem, ut ipse testabatur, admonitus est, ut cœnobium Christi militum Audomari atque Bertini per longa terrarum spacia exquirendo, eorum se patrociniis devote committeret. Qui monitis ejus parens per diutinos anfractus locum designatum adiit, et nocte octavis * Apostolorum 2 Nonas Julii in basilica sancti Petri apostoli fratribus nocturnas laudes celebrantibus, primamque lectionem lectore pronunciante, horrore non modico circumfusus, pronus * cecidit, statimque ferreus nexus confractus, longiusque e brachio propulsus est. Quem vocibus lacrymabilibus Deo et sancto Bertino gratias referentem Fratres a terra levaverunt, simul etiam ipsi auctori Deo et patrono suo Bertino debitas grates laudesque referentes.

F

* *apud Mab.* Octavæ

* *ibid.* protinus

clauda sanat

25 Puella quædam de familia ipsius Sancti, de territorio nuncupato Mellingasele, a primævo tempore officio ambulandi penitus privata, ita ut vix manibus rependo spacia necessaria sibi manibus permearet, VIII Kalendas Julii, concurrentibus nostris provincialibus more regionis ad

A ad festivitatem Johannis Baptistæ, ipsa quoque amminiculo necessariorum fulta interfuit. Et cum signum vespertinæ synaxis jam tertium sonaret, ipsa procul ab ecclesia, quousque fœminarum accessus licitus est, sese in terram dedit, et omnipotentem Dominum per beati Viri patrocinium propitiari sibi deprecabatur. Statimque horrore concussa, omnibus cœpit membris distendi : protinusque crepta pedum recepit officia, gratias agens Creatori suo, qui eam meritis sancti patroni sui Bertini diu optatæ reddidit sanitati.

ANNOTATA.

a *Consule de loco annotata ad Vitam primam lit.* i, *totumque miraculum ibi relatum vide num.* 13 *et seqq.; nec difficulter videbis, prioris verba ab hoc anonymo exscripta esse.*

b *Post horam canonicam, quæ* Sexta *vocatur, et ante prandium cantatur circa meridiem.*

c In nervum *legitur in omnibus Mss. etiam apud scriptorem anonymum, cujus compilationem edidit Mabillonius. Hic tamen pag.* 118 *edidit* in B Nervium, *credititque* Tornacum *intelligi, sed parum probabiliter, cum Tornacum longius distet Audomaropoli, quam ut verisimile fiat furem eo ductum. Per* nervum *compedes significantur, nec ullum est dubium, quin* missus est in nervum *significet,* in vincula conjectus est, *seu in carcerem.*

d *Tornacum non designari, jam monui, nec verisimile est significari oppidum aliud Audomaropoli longe dissitum. Quapropter omnino existimo, significari oppidum quatuor milliaribus Audomaropoli distans, et in monte situm, quod* Castellum *antiquitus dictum est, hodie vero* Casletum *vocari solet, vulgo* Cassel. *Valesius quidem in Notitia Galliarum pag.* 132 *existimat, istud oppidum esse* Castellum Morinorum; *at fatetur dici* castellum Menapiorum *in tabula Theodosiana, nec adducit ullum auctorem antiquum, qui nominat* Castellum Morinorum. *Unica ratio, cur Valesius aliique cum ipso crederint, istud esse Castellum Morinorum, hæc esse videtur, quia existimabant Morinos eo usque se extendisse, Menapios* C *vero longe ab eo loco abfuisse. Verum ex variis horum Actorum locis liquet, Menapios fuisse in maritimis Flandriæ partibus, eorumque fines non longe Audomaropoli abfuisse. Unum subjungo locum ex libro Miraculorum huic vitæ subjuncto, ubi num.* 2 *de Normannis Galliam vastantibus seculo* XI, *ecclesiamque* S. Bertini *spoliare conantibus hæc leguntur :* Applicuerunt in finibus Menapum * in sinu, qui vocatur Iseræ-Portus. *Neoportus oppidum maritimum Flandriæ hic necessario intelligendum, ut in annotatis ostendam. Itaque inhabitarunt aliquando Menapii aliquas saltem partes Flandriæ et confines fuere Morinis, quibus eos Cæsar sæpe jungit. Plura de hisce dixit Henschenius in S. Amando tom.* 1 *Februarii pag.* 818, *quæ videri possunt. Hadrianus Valesius pag.* 335 *et* 336 *plura de Menapiis adducit quam elucidat, sententiamque Josephi Scaligeri, qui Menapios etiam in Flandria hodierna posuit, male refutare nititur ex eo, quod in Vita Ms. S. Ursmari* Flandrenses et Menapes junguntur quidem ut confines, nominibus tamen distinguuntur ut diversi. *Nam neque Flandri tunc totam incolebant Flandriam hodiernam, nec totam Menapii, ita ut id argumentum Valesii sententiam nostram potius confirmet, quam infirmet. Observat tamen Henschenius alios quoque fuisse* Menapios *seu* Genapios *ad Rhenum in hodierna Clivia, eorumque cum præcedentibus confusionem fuisse causam, cur tam varia de situ Menapiorum sint scripta.*

* al. Menapiorum

A. Anonymo

e *In Ms. Bertiniano et apud Mabillonium scribitur* Pruniaco, *notaturque ibidem in margine Gallice dici* Prunay.

f *Mabillonius ad hunc locum ita scribit :* Sic passim homicidia luebant illius temporis homines : alii vero dato pretio.., alii verberibus et membrorum mutilatione. Qui ad ecclesiam confugiebant, aut deprecatores mittebant, levius puniebantur, aut ferreis nexibus, aut pecuniæ mulcta. *Deinde, allatis aliquot exemplis, subjungit :* Ex quibus patet, non fortuita solum, sed voluntaria homicidia, non pœna capitis, sed levioribus pœnis expiari tunc solita, et pœnas diminui ob confugium in loca sancta.

E

LIBER

MIRACULORUM,

auctore anonymo forsan eodem

Ex codice nostro Ms., collato cum editione Mabillonii, et Mss. Bertianis.

PROLOGUS.

Hiis * a itaque a reverentissimis patribus nostris sui temporis omnium bonorum studiorum non solum appetentissimis, verum etiam status sui loci tam columnis solidissimis quam luminibus præclarissimis non minus veraciter quam fideliter de virtutibus beatissimi Patroni nostri facete prælibatis, plurima postmodum, non (quod absit) inopia dictatorum, vel defectu scriptorum, sed multimoda insurgente adversitate temporum, extant intermissa relatu dignissima. Quorum e numerositate pauca, ac ne forte frivolitatis vel mendæ notemur noxa, solum ea, quæ aut ipsi vidimus, aut ab idoneis personis visa cognovimus, non propriæ temeritatis fisi audacia, sed potius illius freti fiducia, qui linguas infantium fecit * disertas, quamquam minus eleganter, subinferre satagimus humiliter. Et licet ingenio tardi, sermone imperiti, hæc qualitercumque aggredimur notificanda, non ventosæ jactantiæ vanitate, sed simplicis animi devotione, ac præsumtibili humilitate, malentes potius, si qui æmuli fieri volunt, patere morsibus degannientium, quam miracula ad laudem et gloriam nominis Dei, Electi sui meritis, nobis præsentibus, celeriter * perpetrata segniter reticere, et a memoria aboleri succedentium. Unde, quamquam simus inertes, nunc cordi adest proposita inchoare, et inchoata summa cum devotione pro posse edere b.

Docet auctor, quo modo hæc miracula diccrit.

* Mab. his

a

F

* Mab. facit

* Mab. celebriter.

b

A. ANONYMO

ANNOTATA.

a *Mabillonius hunc Miraculorum librum edidit, prout a compilatore seculi* XIII *insertus erat Vitæ* S. Bertini : *at agnovit alium hujus esse auctorem, ideoque hunc præfixit titulum :* Liber secundus Miraculorum, ab alio auctore anonymo scriptus circiter initium seculi x, ex cap. x. *Videri hunc auctorem eumdem cum eo, qui Vitam præcedentem ex aliis compilavit, observavi in Commentario num.* 16 *et* 17. *Attamen hanc opinionem non omnino certam esse existimo : nec multum refert, idemne sit auctor an alius, cum constet eum scripsisse circa initium seculi* x, *adeoque sit comtemporaneus.*

b *Hactenus præfatio auctoris, prout est in Ms., ubi subditur :* Explicit prologus. Incipiunt Miracula. *Editio Mabillonii satis congruit : nam unam tantum vocem* facete *omissam inveni præter variationes in margine notatas.*

B

CAPUT I.

Primus Danorum seu Normannorum adventus ad spoliandum Sithiense cœnobium : opifex in lapsu illæsus : surdus et mutus sanatus ac deinde cæcus.

Normanni veniunt ad monasterieum Sithiense.

Temporibus divæ memoriæ Caroli *a* filii Ludovici, prius regis, postea imperatoris, cum sæva tyrannides * paganorum emergeret, famosa flumina Sequanæ ac Ligeris advolans, et per totam grassando Neustriam, ferro igneque non tantum circumjacentes terminos, verum etiam Armoricæ magnam partem consumeret, post non multorum tandem annorum rotatus partim ingeniose adacti, præsertimque respectu miserationis divinæ repulsi, abscedentes repatriaverunt, protestantes nullo modo usquam se amplius illius regni fines vastandi læsione repetituros. Quod tamen non multo post amica sibi fraude inficiati, more canino, qui quanto plus alliciuntur, tanto magis insequuntur, pecunia avidi, rapina usitati, præda famelici, sanguineque mentiebantur sitibundi. Nam anno Incarnationis Domini Christi octingentesimo sexagesimo, immodica iterato coadunata navium plurima *b*, classe iter notum repetentes, ac toto nisi alto mari velificantes, spumantia certatim sulcabant freta, pertinacique cursu applicuerunt in finibus Menapum * in sinu, qui vocatur Iseræportus *c* : et ibi prosilientes nulloque a publico pervio divertentes, incendiis quoque ac cædibus illius non *d* indulgentes, ut ad famosissimum locum pausationis Christi confessorum Audomari atque Bertini furtim properarent, aviditate thesauros ecclesiarum latenter subripiendi, ac spe servos Dei *e* inibi comprehendi, brevibus noctium meatibus, scilicet Sabbato hebdomadis Pentecostes hora secunda pervenerunt ad locum, quo tendebant.

a

* i. e. tyrannis

C

b

* Mab. Menapiorum

c

d

e

3 Sed provisione jugiter in se confidentium * tutantis Dei, nullos ex Fratribus ibidem reperérunt : verum monitu jubentis Domini obtemperantes, quo dicit : Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam ; subduxerunt se ad tempus, servantes secundis et melioribus rebus, præter quatuor, qui devoverunt se (si Deo placuisset) ibi martyrio potius velle vitam finire, quam desolationi sui loci supervivere. Quod quia ex parte aliter Deus fieri disposuit, subsequenti eventu patuit. Nomina autem illorum, qui se taliter devoverunt, hæc sunt : Woradus * et Winebaldus sacerdotes, Gerwaldus, et Raynardus * diaconi. Quorum Woradus, qui ab ipsis pæne cunabulis sub norma monasticæ religionis educatus, et veluti tunc jam decrepitus, ita et in Christi tyrocinio emeritus miles erat, diris colaphorum tunsionibus ictus, nuditateque triduana et algu fere letotenus profligatus exstitit; Winebaldus autem licet pro afflictione nimia sui corporis macrore attenuatus pro Dei nomine fuisset, acribus verberibus maceratus, atque etiam per nares infusione viscerum * distentus, semivivus est relictus. Gerwaldus itidem, quamquam senior, quoniam vegetior et fortior aliis videbatur, licet diversis multoque gravioribus vexatus fuisset ludibriorum suorum irrisionibus, servante eum tamen Domino, etsi non pristinæ sanitati, saltem est vitæ concessus : ac sic non sunt frudati desiderio martyrii *, quod inhianter toto appetebant voto.

D

ubi, ereptis fuga reliquis, quatuor monachos graviter affligunt,

* al. confidentes

* al. Worardus

* al. Regenhardus

* al. viscera

E

* al. martyrio

4 Quartus proinde eorum, qui et junior ac succulentior (ut prætulimus) Raynardus nomine, variis contritionibus fractus, illisque abscedentibus et secum ducere conantibus, cum viribus, quibus potuit, ne cum eis iret, obniteretur, eligens potius in Christi nominis confessione, si id quoquo modo ab inimicis extorqueri quivisset, martyrio ibi animam Deo commendare, et corpus paternis cimeteriis concinerari, nomenque fraternis dypticis inscribi, quam ludibriorum suorum exsecrabilissimis * spurcitiis pollui; diris tamen ut erat nexibus vinctus, miserabiliter protractus est ad villam propriæ humanitatus de matre profusionis *f*, distantem a monasterio tertio miliario ad aquilonalem plagam, dictam Munnio *g*. Stipatus itaque multitudine iniquorum ; ac tam pro plurima * vallantium quam densitate noctis, quia in ipso crepusculo per eam transierunt, nesciens ubi esset, dictum est ei a concaptivis notis : Ecce e regione portæ quondam nativitatis tuæ imus. Quod cum advertisset, subito in terram corruit. Cumque aversis telis ab inimicis ducentibus tundendo cogeretur ut surgeret, et ille protestaretur se nullo pacto velle, sed magis inibi pro Christo oppetere ; crebris lancearum punctionibus perfossus una cum sanguinis effusione animam efflans Christo libavit *h*.

et unum ex iis occidunt :

* al. execrabilibus

f

g

* i. e. turma

F

h

5 Nec etiam reor silendum rei eventum, divino judicio meritis B. Bertini in ipsa egressionis hora peractum. Donaria enim immodica conjicientes argenti, super altare ecclesiæ requiei ejus cumulaverunt, et uni ex jam dictis Fratribus, ne ab aliquibus raperetur, servandam delegaverunt. Illis autem * cuneatim globatimque exire quæpropere certantibus, restiterunt latenter quidam illorum, temere pecuniam involantes. Quod cum primoribus innotuisset jam egressis, subsistentes insonuerunt tubis in interstitio duum monasteriorum, subsistentes et coadunantes * se sibi, quoadusque rei sunt requisiti et inventi coramque deducti : eisque convictis et judicio sacrilegorum condemnatis, suspensi sunt in

aliquos quoque ex suis suspendunt.

* al. vero

* al. adunantes

A in Australi parte juxta introïtum portæ monasterii, evidentissime promulgante Domino, judicio etiam infidelium, pœna brevi, quali cruciatu plectendi sunt perpetuo sub prætextu * Christianitatis, nisi resipiscant sacrilegi. Unde, carissimi, elucubratissima diligentia advertendum nobis est, quam clementer Dominus trahentes quasi longum funem irrumpibiliter peccata nostra improvisa immo invisa hostium invasione dignanter castigando nos redarguit: parique modo exactissima circumspectione considerandum, quod misericorditer et locum tunc servavit, et habitatoribus gratuita pietatis miseratione pepercit. Meritis quoque patronorum loci dignum adnumerari, quod eodem tempore captivati in brevi reversi sunt gaudentes universi et læti.

* Mab. prætentu

Cum turris erigeretur supra ecclesiam S. Bertini,

6 Post discriminis præfati liberationem Fratres ejusdem cœnobii convenientes, lacrymisque non minus gaudii quam mœroris illiti, post tamen animæquiores facti, cœperunt præcordialiter tractare, qualiter Domini offensam placabilem sibi potuissent facere, seseque ei placabiles reddere. In argumentum etiam hujus rei, ve-B luti mansueti filii admonitionem Patris pii generali pacto consenserunt, gratiosiores se super hac castigatione, immo emendatiores fieri velle. Sollerti quoque priores cura cum senioribus consuluerunt, quibus potissimum occupationibus quivissent priorum negligentiarum redhibitionem reddere. Sicque communiter tractatum est, ut tecta ecclesiarum vetustate consumpta et demolita *i*, ceterarumque officinarum perstillantia non solum resarcirent, verum sine intermissione vel alterius negotii interpositione pleniter renovarent. Quod sicut summa devotione inchoatum, ita nostro opere ocius quam putabatur, Deo effectum subministrante, pulcre * strenuissimeque est perfectum. Ecclesia quoque requiei S. Bertini celerrime exstitit miro opere plumbo cooperta. Sed et turrile ipsius, licet noviter esset superpositum, quia antiquo more erat factum, deposuerunt, et aliud miræ magnitudinis mirabilisque fabricæ studuerunt ædificare, cujus longitudo consistentis in terra æquebat altitudinem culminis ecclesiæ, cui superponendum erat. Nec mirum, tristegum enim (ut vulgariter loquamur) C trium tripodum ordinibus factum fuerat, excepta summa claxendice *k*.

* al. pulcherrime

opifex ex suprema turris parte lapsus est, mansitque illæsus

7 Itaque ecclesiæ superposito et erecto, per singulasque compagines juncto, cum tholus pomifer in edito una cum triumphali signo crucis erigeretur ac in gyro ejusdem stipitis superrima* rota, ubi haustulæ et tabulæ præfatæ claxendicis superinniti ac configi debuerant, humerando copularetur; unus artificum, nomine Bertus, stans super eodem circo arripuit malleum, et quasi gratulabundus pro appropinquata pæne consummatione tam miri operis, ictum veluti jactanter longius colligens incaute jecit. Sed eheu! resiliente rota et quatiente vacillans pedibusque lubricans, de tanta altitudine præceps terratenus venit. Sed mirum dictu mirabiliusque miratu, adeo nullam læsionem passus, nisi quod tantæ altitudinis præcipitatione consternatus fuit, quatenus ambiguum fieri fas non sit supportatum esse eum alis subventionum beatissimi patris, cui servivit, Bertini. Adstipulationique tanti miraculi apponimus, quam risibile et plausibile responsum accurrentibus, et aquam sibi quasi pro refocillatione offerentibus, sine doloris anxietate protulit, scilicet quoniam in opere suo semper et labore jucundus erat, pro certo aiebat eos scire, quod sitim restinguere potius gaudebat jugiter vino quam aqua, nec oblato tunc egere lymphæ liquore. Actutum enim quasi tanti opinione infortunii Fratres cum cetera familia mixtim manipulatimque sicut ad exsequias illius lapsi accurrentes, cum comperissent stare incolumem, duxerunt eum gaudentes in ecclesiam, fletus tristes in lætitiæ lacrymas permutantes; campanas solito prolixo clangore grandisonas* increpitantes pariter, simulque sollemniter odas Deo * auctori et B. Bertino ejusdem miraculi subventori psallendo ferentes. Artifices quoque hac virtute nedum dicamus animati, quin etiam roboratiores et audaciores effecti, inchoatum opus explicuerunt constantes et læti.

* suprema

A. Anonymo.

* al. gaudisonas

* Mab. Domino

Surdus et mutus natus

8 Succedente quoque tempore accidit, ut quidam et natione et nomine ignotus, nec mirum, quia gemino miserabiliter morbo fuerat constrictus, (auditu etenim a primævæ profusionis hora * exstitit vacuus, et loquela privatus) veniret peregrinando ad monasterium præfati Patris. Qui cum ibi multum temporis perageret, utque prætulimus, quia fari non potuit, E pulsatibus taratarantium tabellarum *l* stipem mendicaret, nulloque se alicubi diverteret, ejus* continuæ constantiæ jugitatem ecclesiarumque frequentiam Christicolæ loci retractantes *, conferentesque non sine nutu Dei talem significantiam fieri; cœperunt eum humanius colligere, et in xenodochio, quotidianæ receptionis pauperum delegato, mansionem illi designare. Ibi autem pæne annum conversatus, post hebdomadæ dominicæ Resurrectionis completionem, decimo die, id est, quarta feria, monachis vespertina debita in ecclesia persolventibus, et cantore inchoante antiphonam ad crucem salutandam, ita incipientem, „Ite, nuntiate fratribus meis”, pueroque subsequenter pronuntiante versum, „Dicite in nationibus”, ceteris etiam sueto more ipsum tractim ac summisse persequentibus; in ipsa quasi silentii hora cœpit jam dictus surdus ac mutus blaterando imitari auditas psallentium voces.

* i. e. ab hora natali

* Mab. ejusque

* Mab. detractantes

in Sanctie ecclesia sanatur.

9 Fratres itaque ad tam insolitum horrendumque sonum pavefacti, substiterunt annuentes œconomo pauperum, ut inquireret causam. Qui cum solito ei annueret, nec proficeret, irascibilis ut erat, cœpit eum verbis increpare. At ille ipsa eadem verba, quia aliud loqui nescivit, F blissando * respondere temptabat. Tunc Fratres protinus intelligentes ei a Domino meritis B. Bertini concessum esse auditum et fatum, hymni canoris psallentiis cum signorum pulsatibus Deo grates ac Sanatori ejus totis referebant viribus. Hujusque enormis *m* virtutis exhilarati tripudio, quia in primis auspiciis floridæ juventutis erat, miserunt eum ad canonicorum scholam, litterarum studiis, quantulo posset, imbuendum, continuoque, ubi diurnalia capitula cum vespertinalibus psalmis didicit, comam sibi capitis deponere poposcit. Ac * non longo post tædere cœpit, professusque est cordi sibi fore Romam petendi, acceptaque licentia, junxit se Saxonibus ultramarinis Romam pergentibus *. Cumque una cum illis pervenisset ultra Lingonum civitatem *n*, consociaverunt se eis Viridunenses negotiatores, eamdem viam tendentes usque ad divaricationem viæ ducentis Hispaniam. Ibique tunc innotuit, quod antea fuit ignotum, civem videlicet ipsum esse Viridunensem: quia ibi agnovit suos, licet difficiliter ab eis posset ipse cognosci * propter insperatam reformationem ingenitorum

* i. e. balbutiendo

* Mab. at

* al. petentibus

* al. agnosci

A. Anonymo

genitorum morborum. Iter tamen cœptum strenue peragens, indeque rediens, sine divertendi ad propria desiderio directim * locum sanationis suæ revisit, ac Deo et Reparatori suo gratias retulit. Nomen etiam in baptismo sibi inditum, quod prius nescivit quam a notis didicit, tunc notificavit; Ermenfridus enim vocabatur: sicque suis benefactoribus valedicens, refertus benedictionum copia, lætus remeavit ad propria.

* *al.* directum

Laboranus in festivitate Sancti cæcus fit:

10 Sicut nonnulli suæ negligentiæ tepore * periclitantur, ita divinæ dispensationis saluberrima castigatione (ut in præsenti eventu perspicue claret) multi salvantur. Quidam enim vir coloniæ ejusdem ecclesiæ, de oppido ei appendente, nuncupato Gimiaco, Letfridus * nomine, in Christianitatis devotione (ut rei congruentia post declaravit) ceteris communicipalibus suis minus curiosus exstitit. Ideoque et accidit, ut dum quadam die Dominica cives illius more solito ad ecclesiam non minus intima mentis devotione anhelarent, quam gressibus pedum properarent, et ipse ut solito mulcimine blandiloquii affatus a privatioribus *, ut secum iret, appellaretur; nedum dicamus, ivit, verum etiam
B monita salubria adversus audire dissimulavit, pergens ad paucula pecora, quæ videbantur esse sui juris procuranda. Cui, priusquam pervenissent ad pascuarum loca, accessit angor animi cum timore intolerabili et nimia horripilatione: atque ut ab ipso post didicimus, videbatur ei quasi totum perfusum se fuisse calore ferventis aquæ: et veluti ignotis loquamur, quia situs ejusdem fundi, ubi hoc provenit, talis est, ut illic viantium obtutibus clarescat prospectus ecclesiarum Christi confessorum Audomari atque Bertini; miser ille, licet ob duritiam sui, seu obsequens * miraculum minime miserabilis, nisus eo, quamquam sero, se divertere, quatenus illorum precibus juvaretur, non potuit; sed pæne examinis ante in terram proruit, nequaquam ut passione scotomatica *o* ictus, sed pro animæ illius (ut postea claruit) salvatione, immo magis nominis Dei laude, ipsiusque dispositione luminum delectabilium visu privatus, ac bimatu vel eo amplius in hujus cæcitatis permansit amaricatu.

* *Mab.* tempore
* *al.* Ledofridus
* *al.* primatioribus
* *Mab.* subsequens
o

C

sed deinde, voto nuncupato, sanatur.

11 Qui cum adhuc torporis sui teperet desidia, quasi funditus de suæ sanitatis reformatione diffidens, hortatu tandem suorum beatissimi patris Bertini perrexit visitare limina, adferens, quæ obtinere potuit, maxime cerea munera, quo si Deo et clementissimo jam dicto Patri placuisset, ejus meritis recipere mereretur amissa captorum orbium lumina, spondens ac confirmans quidquid super eo divinæ pietati placeat *, reliquum vitæ suæ spatium ibi peragere velle. Quam ejus intimam cordis devotionem constantissimamque professionem * inspiciens occultorum cognitor Deus, meritis et precibus clementissimi Patris reddidit illum visui et visum sibi, tanta scilicet perspicuitatis claritate, ut quoniam a pueritia in domo cujusdam nobilissimi ejusdem regionis viri adulto tenus educatus et altus fuit, atque in genecio * ipsius nendi, cusandi *p*, texendi, omnique artificio muliebris operis edoctus, quidquid in prædicta postmodum ecclesia palliorum * ornari habuit et emendari, seu ecclesiasticarum vestium lavari, ipse sollicita intentione procuraret, anhelanter adspirans et suppliciter implorans, quo velut ipse elaborando desudat quæque emendare necessaria et emundare lurida; sic divinæ miserationis clementia de inquentiarum suarum omnium dignetur ablui inquinamenta, quo mereatur ad Auctoris suæ reformationis feliciter pervenire vocamina. D

* *Mab.* placeret
* *idem* confessionem
* *id est*, gynecæo
p
* *Mab.* palliorum

ANNOTATA.

a *Ad hunc locum Mabillonius annotavit sequentia:* Id est, Caroli Calvi, qui anno DCCCXL successit in paterni regni portionem, anno DCCCLXXV imperator salutatus. In Chronico Nortmannico edito apud Chesnium tomo 2 Histor. Franc. dicuntur Nortmanni bis Sithivense monasterium diripuisse, nimirum anno DCCCXLV et DCCCLXXXI. *Verum tom.* 3 *Annalium pag.* 84 *primam direptionem, de qua hic agitur, narrat ad annum* 860. *Iperius cap.* 14 *part.* I *eamdem referens invasionem Normannorum, tempus sic expressit:* Sabbatoque Pentecostes hebdomadæ huc advenerunt, anno Domini DCCCLXI. *Pagius ad annum* 860 *num.* 7 *existimat irruptionem relatam in Chronico Normannico ad annum* 845 *distinctam esse ab ea, quæ hic refertur ad annum* 860. *Verum, etsi Normanni variis vicibus ad Sithiense monasterium venerint, omnino* E *existimo primum eorum adventum contigisse anno* 860, *prout hic auctor asserit: errasseque auctorem Chronici Normannici tam in tempore hujus irruptionis, quam in tempore irruptionis secundæ, quam decennio citius, quam oportuit, ab eo relatam videbimus. Audiamus tamen ex illo auctore pœnam sacrilegorum hic omissam, sed breviter perstrictam apud Folcardum num.* 50. Demum, *inquit auctor Chronici,* cum a quodam monasterio, nomine Sithiu, direpto incensoque, oneratis navibus, repedarent; ita divino judicio vel tenebris cæcati, vel insania sunt perculsi, ut vix pauci evaderent, qui Dei omnipotentis iram ceteris nuntiarent. *De aliis Normannorum in Galliam irruptionibus, quas auctor breviter attingit, consuli possunt historici.*

b *Vox* plurima, *quæ huic scriptori familiaris est, ab eo usurpatur pro multitudine, copia, aut turma. Mabillonius verba utcumque mutavit, dum edidit,* immodica iterato coadunata manu, plurima classe iter notum repetentes *etc.*

c Iseræ-Portus, *modo* Neoportus *et vulgo* Nieupoort *dicitur, quod oppidum necessario hic* F *intelligendum est, cum sit maritimum cum portu ad ostia Iseræ fluvii, distans Audomaropoli duodecim circiter milliaribus Belgicis. Menapios in iis partibus habitasse, observavi ad Vitam cap.* 2 *lit.* d.

d *Mabillonius omisit particulam* non, *et substituit* ergo. *Verum vox* non *reperitur in Ms. nostro, et sensum reddit perfectum: nam abstinebant tantisper a prædationibus, ut* furtim *pervenirent ad monasterium.*

e *Apud Mabillonium additur* improviso.

f Ad villam propriæ humanitus de matre profusionis, *id est, ad villam, in qua natus erat. Ita clare habet codex noster. Mabillonius pro* humanitus *edidit* humanitatis, *sed mendose.*

g Munnio *habet codex noster, Mabillonius* Miramo, *codices duo Bertiniani* Munmnio. *Credit Cletyus locum Gallice dici* Meuth, *esseque juxta pagum* Leulingem.

h *Hic capiti, quod hic finitur, apud Mabillonium, titulus est:* De adventu paganorum: *Sequenti vero hic præfixus est:* Qualiter Dani Danos suspenderunt. *Verum cum nec in codice nostro, nec in antiquioribus Bertinianis tituli capitibus*

A *pilibus legantur præfixi, de iis mentionem deinceps non faciam.*

i Et demolita *omissum est apud Mabillonium.*

k *Apud Cangium in Glossario hic locus adductus sic exponitur :* Id est, supremo ordine campanularum, qui in eminentiori parte campanarii collocari solet, ut in inferiori majorum campanarum ordo.

l *Tabellæ* taratarantes *significant crotalum seu crepitaculum, quo muli utuntur, quando mendicant.*

m *Vox* enormis *omissa est a Mabillonio. At habetur in codice nostro et in Bertinianis, significatque miraculum esse grande præter modum.*

n Lingonum civitas, *vulgo* Langres, *urbs est satis nota in Campania Gallica.*

o Scotomatica passio *non est* vertiginosa, *ut Mabillonius notat in margine, sed visus est obtenebratio. Significat auctor non naturali modo fuisse cæcitate correptum, sed divinitus eo malo punitum.*

p Cusandi, *id est, suendi, a Gallico* coudre.

B

CAPUT II.

Altera Danorum seu Normannorum irruptio ad spoliandum cœnobium Sithiense : repulsi divina ope barbari.

Normanni, obsesso frustra Noviomo, Ea etiam tempestate, qua prægravantibus ac præponderantibus multimodis, non modo solius vulgaris populi, immo omnium dignitatum et ordinum delinquentiis *, non tantum Franciæ fines, sed etiam totius regni principalia quæque loca, Armoricaque provincia diutina (quod nunc enumerare longum est) sacrilegæ Danorum gentis oppressione crudeliter, licet juste, invaderentur ab illa classe; plurimaque * pro sui numerositate (veluti epitheticos loquamur) magnus exercitus ab omnibus dicebatur : anno adventus sui in regnum duodecimo, ab C omni plaga, ubi diffusus erat adunatus in loco, qui ob concursum insignium inibi aquarum Confluentia vocatur, adscendit flumen dictum Isara *a*, pervenitque et equitatu et navigio subusque Noviomam *b* civitatem, faciens ibi munitionem circa villam ex Australi plaga, natura munitam, scilicet aqua et silva, vocatam Kirisiacus *c*, intendens si in brevi nequiret arta et diutina obsidione civitatem, quia parva videbatur, capere posse.

* *i. e.* delictis

* *i. e.* turmaque

versus Brabantiam cursum dirigunt, parsque ab aliis separata 13 Sed cum hemisphærium, nihil ibi prævalentes, consummarunt *d*, et (nedum dicamus) aliquid proficerent, verum magis fame ac siti omnique penuria artati pæne deficerent; consultum (ut eventum subsequens patefecit) habuerunt, in regno quondam Lotharii *e* irent, tractantes per maritima transire, et castella ibi recens facta obtinere, incolasque omnes, nisi se dederent, mortificare. Quo comperto, pars juvenum, qui sibi ceteris agiliores audacioresque fieri videbantur, numero quingenti quinquaginta, selegerunt se insciis aliis abripientes clam noctu quasi solito in aliam partem pergendo, arreptoque itinere insubsistibili cursu directim tendebant ad munitiunculam *f* paupere (pro dolor!) sumtu parvoque licet strenuo incolarum comitatu factam in pago Tarvennensi in loco, qui vocatur Sithiu, circa monasterium eximii præsulis Audomari, fuste, gleba et cespite, sicut artificiosissime, ita etiam firmissime constructam, jactanter in via proludentes primo impetu eam infringere velle, ac pro tenuitate seu paucitate inhabitantium facile capi posse. Auxiliante tamen illis Deo, et patrociniis Sanctorum, qui requietionis ibi elegerunt sibi locum, more solito intervenientibus, indignante Christo, præsumtuosa illorum jactantia versa est comminus in dignam vindictam, ad quam promulgandam calamum nunc vertimus nostrum. A. Anonymo.

venit ad oppugnandum Sithiense munimentum : 14 Nam post sanctum Paschalis Resurrectionis diem transcursis quatuordecim diebus, die Dominico, hora, qua cardinalis *g* Missæ conventus publice agebatur, apparuerunt protinus præfati invasores, descendentes per clivum montis prominentis villæ, quæ Locus-Ecclesiæ *h* vocatur, pro eo quod beatissimi martyres Fuscianus et Victoricus in fronticipio * Christianitatis incolarum terræ primarium feruntur ibi construxisse ecclesiam, respiciens contra monasterium ex parte Occidentali. Quod cernentes excubiæ, autumantesque quod plurima * totius subsequeretur, veluti prius essendi fama percrebuit, exercitus, protinus populo in ecclesia consistenti notificaverunt. Illi vero non adeo tali nuntio consternati, immo magis animæquiores facti, Deo et patrociniis Sanctorum causam sui commendaverunt, et compunctive mutua confessione rebaptizaverunt, ac humili perceptione mysterii Corporis et Sanguinis se munerunt dantes invicem dextras pro libertate et loci tuitione se velle aut agiliter oppetere, aut strenue defendere, murumque protinus optimis (ut mos incolarum regionis est) armis præparati conscendentes, una cum prius præparatis bellicis instrumentis munitissime arcem vestierunt. Tali eorum constantia paullo ante arrogantes inimici comperta, necnon et parte inclusorum audacter sibi obvios ire extra munitionem visa, Deo illos quam maxime terrificante, animositatis superbia mollita, jactantia pressa, audacia remissa ac liquefacta, minime audentes agredi cœpta, diverterunt se ad pecora per agros pascentia capienda, ocius repedare cupientes vel cum tantilla præda.

* *i. e.* initio

E

* turma

F

at Normanni cæduntur a Sithiensibus, 15 Residui vero virorum nostrorum hac invasione commoti, præsertimque de Dei auxilio testatorumque propriorum interventu fisi, repente eruperunt de munitione, irrumpentes post eos, equites quidem per compendia præanticipando illos in planitie montis, unde ante descenderant, quia lentim pecora minabant, habentes contemtui talia eos audere; pedites autem post tergum insequentes, ponentes hostes in medio. Itaque comperientes cinctos * se undique, secus fugam molientes, desperabiliter ruperunt ad Orientalem plagam per sinistrum cornu vallentium, tendentes ad quemdam quernum * lucum, putantes se ibi frustra aut defendere aut effugere posse. Nostri itaque eos occidendo insequentes (hora enim fuit nona, quando exibant de castello) antequam pervesperasceret, omnem illam plurimam, ut ipsi jactabant, selectorum pugnatorum Dei bello consumserant, licet non sine nostro damno, majore tamen suo *i*. Omnes enim ibi occisi sunt, præter quodquod de nostris mortui, tot sunt ex illis fuga elapsi, novem autem tantummodo ex omni illa plurima evaserant, et ex ipsis etiam a persequentibus eos in via mortui sunt

* *Mab.* cunctos.

* *al.* quercuum

A. Anonymo. sunt quinque reperti, quatuor tantum protendentes, ut postmodum ab eis, qui tunc interfuere exercitui, didicimus, pervenerunt ad socios, temeritatis audaciam vituperantes, tamquam, præsumtivæ rei eventum elucubratim perscrutantes. De exuviis quoque tres divisiones fecerunt, unam ecclesiis consedentes, aliam oratoribus et pauperibus dantes, tertiam æqua lance nobiliores cum inferioribus compartientes: et merito.

quorum victoria divino favori attribuitur.

16 Scrutemur enim humanitus verbi gratia, quibus magis addicenda sit hujusmodi victoria, oratoribus an bellatoribus *k*. Sed quoniam locum illum certaminis a meniis Castelli facile fuerat prospectari, quis valet effari, quam intimis præcordiorum suspiriis oratores in scammatis *l* ipsiis lucta pro sua liberatione Christo totis nisibus flebiliter fuderint preces: quam crebra et alta suspiria cum fletibus comas et facies laniando incessabiliterque lacrimando anhelanter reciprocabant cum parvulis matres: quosque imbelle vulgus gemituum mugitus ad cælum mittebat, brachiis infatigabiliter tensis palmisque pansis finem certaminis Dei miserationi commendantes, B atque ideo siquis vel inimice contentiosus esse cœperit: cui ordini potius hæc reputetur causa, dicamus, karissimi, dicamus immo veraciter testemur, ac remota omni ambagine asserere non dubitemus, quod in hujus certaminis anxietate oratores et imbecilles pulsatibus et improbitatibus* orationum aures Dei ad clementiam inclinabant, quantinus propriis viribus minime præsumentes adjuvaret, ac intercurrentibus electorum suorum Audomari atque Bertini meritis, potenti sua virtute sui ad perficiendam suorumque vindictam manus pugnantium misericorditer roboraret. Sicque et eis addicatur merito victoria, et oratoribus infatigabiliter Christo fine tenus famulantibus corona. Ante omnia vero datori et auctori non modo præsentis triumphi, verum etiam largitori bonorum omnium Deo cum Sanctis maneat laus et gloria per infinita secula seculorum.

* i e. assiduis precibus

Cum munimenta, in Sithiu cœpta, manerent imperfecta,

17 Præterea, fratres dilecti et communitiones Christi, quibus cordium votis vel laudum psallentiis idonei esse poterimus agendis Deo gratiis pro inopinata ereptione tanti discriminis, quave C temeritate possumus dicere, quod istiusmodi ausus esset cœptus, nisi magno zelo misericordis Dei fuisset instinctus? Horibilis enim fuit dictu, horribilior et cœptu: quia pæne nobilitas terræ illius ex multo jam tempore ob amorem vel dominatum sibi dominorum carorum abscesserat, nativitatis patria relicta, præter paucos, qui ita hereditariis prædditi erant patrimoniis, ut non esset eis necesse subdi nisi sanctionibus publicis. Horum pars cum nobilissimis ac religiosis illius loci monachis simulque Deo devotissimis ac strenuissimis canonicis, quos numquam persecutionis ulla tribulatio exterrere prævaluit, locum propositi sui derelinquendi sustentabant, pariterque confortabant reliquiarum remissos fere animos et invalidam plebeam manum. Hoc præsertim in tutissimæ spei anchoram præsumtibilisque in Dominum fiduciæ: (ac quia pro vita res erat necessariæ audaciæ indubitanter assumentes, quod anteactis temporibus, Folconis *m* videlicet generosissimi ejusdem loci tunc abbatis, post vero sanctæ matris Remanæ *n* ecclesia reverendissimi archiepiscopi, incolis terræ adhuc omni abundantia refertis et absque sui diminutione integerrime vigentibus, ambitus castelli cum concensu populi et procerum condictatus *o*, mensuratus, ac per potestates et ministeria ad perfi- D ciendum distributus, receptus *p* ex immodica parte jam cœptus, sed pro dolor! tam præpedientibus peccatis inconsummatus, quam pro gyri amplitudine excusatione nefaria atque infelici fuit impeditus et intermissus.

S. Audomarus monacho apparens, monet, ut perficiantur,

18 Processu autem temporis *q*, cum tota jam terra incensa et depopulata et plurima * hominum fere consumpta, fame attenuata, dispersioneque fugæ propulsata exstitisset; respectu tandem clementis superque paucas reliquias miserantis Dei, ostendens quod non in multitudine populi salus ejus consistit, sed potius in misericordiis et miserationibus suis, propalans etiam quod competentibus necestuosorum vicissitudinibus dignatur precibus electorum suorum pro sibi votivis supplicatibus præbere effectum; voluit B. Audomarum exorabilissimum antistitem cuidam monacho cœnobii S. Bertini, æditituo scilicet ecclesiæ præfatu præsulis, memorabilis personæ viro, nomine Herrico *r*, apparere in visione. Qui, ut ipse postmodum delectabiliter multis audientibus referre solebat, proceræ erat staturæ, venerandæ canitiei, habens in fronte E stigmata nitorem * pulcherrimæ calvitiei divaricantia, facie venustus et gracili, naso mediocriter longo et parum abunco *, manibus cum digitis longissimis pulcherrima macroris tenuitate lucentibus *, infula episcopali vestitus, quem sibi protestabatur dulci famine subinferre ita appellando: Gravarisne, Frater, sopore, an vigilas? Qui cum ei pro tam insolita visitatione personæ tremens nec in totum se dormire respondisset, nec pro insita generaliter angustia (quia timor somnolentiam solet ingerere) posse se contineri, quo nimio labore fessa et anxietate laxa non refocillaret membra, exserto brachio manum quasi versus illum porringens subintulit: Vigilandum potius vobis est et animo et corpore, monitisque meis salubrius summopere insudandum, quum segni pigritia tricandum. Unde surge, et reliquiis populi ex asse devotis * salvationis suæ tenore obnixe contestare, quatenus juxta quod sibi videtur prævalere posse, non cessent arcem die nocteque firmare.

* i. e. multitudo
* i. e. indigentium
* al. nitore
* Mab. adunco
* al. translucentibus
* al. devoti

quod sit a Sithiensibus.

19 Qui cum partim gaudio refertus, partim visionis terrore pavefactus, post consultum tamen super eo, prius idonearum personarum po- F pulo convocato, præfatam visionem patris monentis, affectuose hortantis, studiose jubentis strenue intimasset; compunctivo corde lætantes, lacrymis gaudiosis flentes, omnes unanimiter cælo pansis utrimque volis * succlamare cœperunt, dicentes: Gratias omnipotenti Deo referimus, qui nos salutari visitatione patris nostri providendo, monendo, consolandoque reficere et confortari dignatus est: monita salubria viribus, quibus possent, studiosissime adimplere velle promittentes, quamque promissionem instantissimo protinus inchoaverunt cœptu, ac quam pernicissimo * quiebant perficere satagebant effectu, digneque non modo de jam dicto, sed et quod majus multo ac periculosius fuit, subsequenti discrimine tam clementis Dei provisione adjuti, piique Patris hortatu animati, immo de experta patrum intestatorum solita et provida defensione salvati, merito exhinc profusius Dominum et proprios protectores inibi devotissime jugiter collaudant et læti.

* al. votis
* Mab. pervicacissimo

ANNOTATA

ANNOTATA.

a *Mabillonius contra consensum codicum edidit* Iseram. *Oritur Isera non longe ab Audomaropoli, aliisque fluviolis junctus prope Neoportum in mare decurrit.*

b Noviomam, *alias* Noviomum *aut* Noviodunum *dictum, et vulgo* Noyon. *In Chronico Normannico ante laudato ad annum* 890 *dicuntur Normanni fuisse diu prope Noviomum, indeque mense Novembri discessisse.*

c *In codice nostro* Kirisiacus, *in uno Bertiniano* Kyrisiacus, *in altero* Cyrisiacus, *apud Mabillonium* Chrysiacus.

d Hemisphærium consummare *hic significat tempus terere.*

e In regno *habet codex noster, Mabillonius* in regnum. *Porro* regnum Lotharii *nomen habuit a Lothario rege, filio Lotharii imperatoris, indeque ortum est nomen* Lotharingia. *Verum regnum Lotharii multo latius erat, quam sit hodiernus ducatus Lotharingiæ, atque inter alia hodiernam Brabantiam comprehendebat. Itaque*
B *Normanni non ibant in Lotharingiam hodiernam, sed in Brabantiam, vicinasque Belgii provincias.*

f *Iperius hoc factum narrans cap.* 19 *part.* 3 *de munitiuncula ista sic loquitur :* Nempe hoc fortalitium a B. Fulcone tunc abbate nostro inceptum, incuria civium remanserat imperfectum.

g *Hic auctor voce* cardinalis *utitur pro præcipuo seu principali : atque hic per Missam cardinalem significat solemnem, aut illam forte, ad quam monachi conveniunt, quæque a multis vocatur* Missa conventualis.

h *Laudatus mox Iperius ita habet :* Excubiæ nostræ seu speculatores annuntiant se videre Danos descendentes per clivum montis, in quo SS. Victoricus et Fuscianus quondam primam hujus patriæ ecclesiam ædificaverant, ideoque SANCTUS CAMPUS vulgariter, HELECHBELT nunc vero corrupto nomine HELLEFANT nominatur. *Loci nomen Belgicum fuit, opinor*, Heyligh-velt, *id est*, Campus Sanctus: *ex quo anonymus nomen Latine* Locus-ecclesiæ, *quod rei magis respondet, quam nomini vulgari, formaverit. Vicus* Helfaut *quem designat*
C *Iperius, distat duobus fere milliaribus Audomaropoli.*

i *Hic apud Mabillonium interponuntur hæc verba, quæ non reperiuntur in vetustioribus codicibus Bertinianis, nec in nostro :* Facta est autem cædes hæc in loco nomine Windigamo. *Verba hæc postmodum assuta sunt, vera tamen esse possunt. Iperius sic habet :* Cives autem nostri in Domino confortati, scientes ibi non totum esse exercitum, ad eos exierunt in equis et armis, et in Windegaenio eis occurrentes, de Danis plusquam trecentis occisis, reliquos in fugam propulerunt anno Domini DCCCXCI. *Idem annus notatur infra apud anonymum, ubi narrat Danos deinde majori numero rediisse. Locum* Windigamo, *alias scribi* Windigahamo, *testatur Cletyus in annotatis suis asseritque modo* Wins *dici, supraque fluvium Agnionam situm ad radicem montis Hellefaut.*

k *Sequentia usque ad finem numeri omisit Mabillonius.*

l Scamma *pro arena, seu loco certaminis, apud aliquot scriptores usurpatur : hic sumi videtur pro ipsa pugna.*

m Folco *vel potius* Fulco *apud Iperium et Dionysium Sammarthanum vocatur* Sanctus. *Verum, licet in quibusdam Martyrologiis neotericis ejus habeatur memoria, apud nos die* 17 *Junii locatus est inter prætermissos, quia cultum non habet ecclesiasticum.* A. ANONYMO.

n Remanæ *legitur in codicibus Bertinianis, teste Cletyo. In nostro tamen codice mendose* Romanæ, *uti edidit Mabillonius, qui notat, Fulconem Remensi ecclesiæ præfuisse post Hincmarum* ab anno DCCCLXXXII ad CM. *Abbas non erat, sed archiepiscopus Remensis, quando hæc facta sunt.*

o *Id est, communi populi et procerum consensu decretus.*

p *Post* receptus, *in uno codice additur* immo. *Cœptam fuisse hujus arcis constructionem, postquam Dani secunda vice concremaverant monasterium* S. Bertini, *ait Iperius cap.* 18 *part.* 2 ; *sed opus intermissum fuisse dicit, quando Fulco discessit, creatus ex abbate archiepiscopus. Illa secunda monasterii combustio in Chronico Nortmannico refertur ad annum* 881, *et distinguitur ab irruptionibus, quæ hic narrantur.*

q *Hic apud Mabillonium addita est epocha temporis his verbis :* Videlicet anno gratiæ octin- E
gentesimo nonagesimo primo. *At codices verba illa non habent.*

r Henricus *vocatur apud Iperium, qui idem narrat cap.* 19 *part.* 3.

CAPUT III.

Normanni majori multitudine redeunt, et oppugnant arcem Sithiensem; sed repelluntur ope divina.

Normanni toto agmine veniunt, a

Nec etiam longa post prædictam hostium cædem intercurrente mora *a*, neque enim patitur ille antiquus Leviathan, inexplebiliter esuriens ac sitiens humano generi moliri insidias, habere membra sua moras in persecutione ac læsione pio- F
rum. Siquidem invidiæ succensus livore, quoniam nostro recenti beneficio ac summa devotione doluit fervere. Nec mirum, quia eo tempore maxime tanto adsistit infestior, quanto quosque in proposito voluntatis Dei persenserit fieri fortiores. Ideoque occumbentium cognatos vel socios contribulesque ac complices * totis suæ crudelitatis viribus furendo excandescere compulit in iram, sævissimamque suorum (si Deus permisisset) vindictam. Pondus enim hostium totius regni adunari suggessit in brevi artissimas in angustias unius fundi. Nam peracta post præfatam stragem revolutione, ni fallor, proximi Dominici diei hora secunda, nebula pro natura loci manicanter * nata adhuc aerem maculante, apparuerunt pedites inæstimabilis plurimæ * eodem clivo, quo et anteriores, descendere, cursuque concito castellum tendentes minime introïerunt, subsequendos ante januam exterioris introïtus præstolantes. Equites vero, quasi arena innumeræ multitudinis, diverterunt ad locum quemdam * certaminis, nil secus quam sicuti prospectu novæ visionis dolore suorum occisorum recrudescente, more elephantum, qui sanguinis visione excitantur in iram ad præliandum;

* *Mab.* complures

* *i. e.* mane

* *i. e.* multitudinis

* *al.* quondam, *id est* priortis

A. ANONYMO. dum; ita isti exacuerunt ad suorum severius et crudelius sanguinem vindicandum.

et acriter oppugnant castellum Sithiense:

21 Et cum aliquamdiu dolendo ibi deliberarent, nilque aliud proficerent, nisi quod tabida et putrida corpora conspicerent; facto præpeti cursu, tamquam primo impetu munitiunculam capturi, pervenerunt ad socios: unaque rabido cum fremitu irrumpentes, predeiibus * decretum est diro impugnatione castellanos incessere *. Equites quidem, Deo tribuente, properabant ad locum naturaliter munitum, scilicet S. Bertini piissimi suorum protectoris ac promtissimi maximis in necessitatibus liberatoris monasticum *b* monasterium. Talia quoque nec sine Dei dispensatione exstitisse credimus, sicuti protinus perspicue experti sumus nutu, ut ubi major fienda erat communis victoria, et perficienda cælitus auxilii divini copia, numerosior ibi congregaretur fortiorque hostium plurima. Venientes autem statim eodem momento, reniserunt equos per pabulatores in pascua ad villarum loca, talique studio acceleraverunt mansiones ædificare, veluti post munitiunculæ infractionem pro firmitate B loci gromnarumque *c* opportunitate longo tempore inibi velint consistere. Interim pedites ex tempore introïtus totam diem cum agilioribus equitibus ad castelli munitionem pugnare non cessantes, diversis et insolitis artificiorum generibus per vices successionem globatim et cuneatim contrarios lacessendo respirare vel ad modicum non patiebantur. Siquidem ignita utensilia et frusta candentis ferri more grandinis fundibulis * in eos jacientes, sagittarum quoque imbres in eos pluere non intermittentes, multaque alia, quæ enumerare et fastidit et difficile fit, offendicula molientes; ad postremum fossas circa munitionem miræ et altitudinis et amplitudinis factas munientes, ceu vimineis parietibus stramine et omnigeno siccamine compleverunt, conantes incendio profligare, quibus aliorum artificiis argumentorum non potuerint prævalere.

* al. pedibus
* al. incedere
b
c
* Mab. fundibilis

sed magno damno repelluntur,

22 Sed aliquantisper eis se subtrahentibus, nostri in eosdem straminum aggeres lignorumque strues, Deo donante, prosperoque eis venti turbine flante, ignem caute immittentes, illisque id nescientibus minusque sperantibus, æque ignem ut idipsum eis facerent inserentibus, excandescente stramine plerique eorum ustulati sunt, vix subrepti mortis discrimine. Deo autem C propitio nulli ex nostris in tam *d* * prolixo scammatis spatio magnopere periclitabantur, nisi tantum unus Frater monastici Ordinis ictu sagittæ inter duo tabulata propugnaculi, ubi stabat, percussus est sub inguine *: qui et ipse convaluit. Verumtamen ad vindictam minus armis excitati *, ac ideo minus cauti plagiatique sui famuli, alium æque ejusdem Ordinis Fratrem permisit retribuere hostibus dignam repensionem.

d
Mab. vitam
* al. inguina
* al. exercitati

occisoque quodam exantesignanis,

23 Fuit namque tyrannus quidam partis contrariorum ceteris omnibus, ut videbatur, asperior et robustior, ac in arte pugnandi argumentosis factionibus astutior, qui nec ad punctum cessavit fortiter pugnare, aliosque, quasi sine mora mœnia capturos, instigare. Ex nostra quoque parte, quamquam pro crebra hostium ingestione tenacius instarent defensioni quam objectioni, artibus tamen viribusque, quibus poterant et habile fuit, strenue atque agiliter resistebant, omnes intentissime omnimodis certantes, si quo modo infestissimum illum quivissent impedire inimicum. Sed non fuit ulli eorum tributum, pro eo quod voluit illos Deus intelligere, D et in confinio vitæ mortisque constitutis significare, ex qua parte imminentis levamen periculi deliberaret eis clementer transmittere. Ac ideo decrevit, ut prætulimus, monastici habitus juvenem arcum arripere, quamquam illicitum vel inhabile sit huic Ordini arma tractare; intendensque idem illum diligenti consideratione jactanter prosiliendum *e*, de propriis viribus licet dubius, sed Dei tamen auxilio minime ambiguus, inserta arcui sagitta, implorans Dei adjutorium * tensa chorda traxit fortiter, ac divinæ impulsionis datione infixit fronti jam dicti tyranni viriliter. Hoc autem mortuo, cessaverunt alii ab impugnationis tumultu, mittentes protinus, qui eventum rei senioribus eorum nuntiarent, morando in atrio jam dicti monasterii, curialibus tamen in ecclesia beatissimi Petri in concilio residentibus: quod factum cum a referentibus illis conquereretur, eosque hoc aliquantisper, non tamen magnopere gravaret, lentiusque ac securius quid illo vesperi agendum esset deliberarent, in tali interstitio cucurrit aliquis ex eis, et deposuit crucem retro altare B. Bertini stantem: reversusque ad socios, irreverens coram eis, cœpit eam defabricari E stilo fereo, qui suol *f* vocatur, unde solet excuti ignis a silice.

e
* al: auxilium
f

alioque, qui sanctam Crucem violabat, divinitus punito,

24 Nuntii autem præfati tantæ morositatis spatio in iram accensi, procacibus conviciis aggressi sunt eos increpare durius, dicentes: Calumniosa multum res fuit et indigna, quam agitis: non enim de vindicta occisorum nostrorum indignamini, nec de nobis certantibus partimque pro nobis deficientibus succensemini, nec super castelli captione, quæ nihil tardaret, solum si libuisset illos impetere, studetis: insuper quoque nec de præda inhabita advertitis, quoniam si hi tantum habuerunt spatium noctis, omnia sua aut infodient, aut in puteis, seu abditis quibusque locis abscondent: quia timent se pro certo in deditionem vel in mortem ire. Atque illi in iram versi furibundi exarserunt, continuo de sessionum locis exsilientes, suisque diis vota solventes, scilicet si munitionem illo vesperi capere potuissent, nemini masculini sexus usque in mane parcere. Cujus fastuosæ jactantiæ superbissima verba horrendæque temeritatis minacia prolata, nulli fas est fieri ambiguum interventu B. Petri apostoli precibusque exaudibilis Christi confessoris Bertini, in quorum, quasi in eorum contumeliam, ecclesiis hæc fuerunt facta et dicta, ad aures pietatis Dei super his indigne ferentis fuisse suppliciter prolata. Actutum etenim jam fatus violator salutiferi signi, ut credimus, ad impeditionem tam crudelis edicti, percussus protinus est plaga insanabili. Nam os ei subito contractum est cum aure adusque occipitium, oculique subversione retorti, et spumans et tremens volutabatur per terram *g*. F

g

præcipiti fuga se eripiunt,

25 Quod cernentes paulo ante arroganter sævientes, cœperunt angustiari, pallere, tremere percussoque commanipulares, dilectos prius, tunc velut abominabiles exsecrari, solum sibi asylum perfugii reputantes, si viam prius ventam repetere concederetur. Tali itaque Dei vindicta alii icti, alii territi, præpropere arripuerant propria vexilla parietibus ecclesiarum innixa, quæ, inibi missa byssino splendore candentia, recipientes, mirati sunt piceo colore nigrantia; sicque rapido cursu per medias præcipites vacillando proruperunt ecclesias, non vino ebrii, sed indignatione Dei et offensis Sanctorum consternati: tardumque eis videbatur monasterii portas attingere,

A attingere, ita ut potius lætarentur tunc de exitu, quam paullo ante super diu desiderato introitu. Egressi vero, et aliquantisper pæne elapso spiritu resumpto, residuorum recordati sunt debilium. Nec tamen ullus eorum ausus est pro eis reverti, sed vocantes ad se quemdam strenuum juvenem, quondam captivatum de colonia S. Vulmari *h*, qui ab initio huic facto interérat, præceperunt ei, ut quantocius tentaret redire, ac, si vivi fuissent, eos adduceret. Qui reversus injuncta perficere, reperit, ut ante, errando huc illucque eos palpitantes, ac contractum ut prius jacentem fere exanimem, qui et inibi, quia egredi nequivit, remansit, plurimisque diebus miserabiliter tabescens eleemosynis bonorum hominum vixit, latratibusque, quibus valuit, miracula Dei illic effecta testificatus fuit.

magna accepta clade.

26 Præfatus vero juvenis, data uni ex cæcis manu, sicque unus post unum sibi hærentes, protracti sunt ad ceteros: qui etiam interim horrore mortis trepidi, clangore frequenti increpare citabant, stridentibus tubis sonitu magis significante, immo compellente fugam, quam hortante ad pug-B nam. Quod audiens omnis plurima, ubicumque fuerant, sive circa castellum, seu in tabernaculis vel in pascuis constituti, noto clangore fugæ pavefacti, magisque divina virtute conterriti, nec dominos, nec socios, nec notos repetentes, præcipiti fuga, ubi ubi cuique * visum fuerit, quo ocius aut fugere, aut abscondere potuissent, tendebat. Principes autem præfati cum eis, quos secum habere poterant, se adunantes, et e regione munitionis per portam introitus sui exire velociter anhelantes, nedum dicamus quod illo propinquassent, nec vultum illuc divertere, vel quamvis tunc vesperasceret, illa nocte infra sex miliaria restare audebant, sed directim tendebant adusque arcem quondam opinatissimam Menapum *i*, Domino Jesu * Christo sicut suos misericorditer liberando, ita alienos a se dignis calamitatum cruciatibus percutiendo, divinitusque terrendo, longe perditione tenusque propulsando. Relatione enim eorum fidelium, qui prælio interfuerunt, didicimus, quod pervenientes ad locum, quo tendebant, in uno prœlii congressu duodecim nobilium pugnatorum de illis profligati C sunt, Deo illis dignanter in numerum occisionum et sacrilegiorum meritam pensionem recompensante.

* *Mab.* ubicumque

* *Mab.* illo

Labarum suum Normanni, quod mundum fuerat,

27 Antelatis etiam dignum ducimus cælitus transmissum et eodem in tempore visum. Post exterius atrium portæ cœnobialis monasterii non longe retroactis temporibus a religioso quodam ejusdem loci monacho nemus quoddam frugiferum pulcherrime plantatum fuit, cujus in medio quasi collis tumbalis exstitit, habens in summitate sui pirum, quæ * pira nimiæ grossitudinis dulcissimique saporis erant; referebaturque a senioribus, ex plantariis fuisse beatissimi patris Bertini. Quam ob rem patrum sancivit industria, Fratres omni anno sollempniter vestitos secunda feria Paschæ cum reliquiis et psallentiis (sicut mos est totam illam hebdomadam per diversas officinas facere,) idem pomarium visitare, et in ipso monticulo completa oratione, ad publica sollempni reverti. Quod nemus, quia inter duo monasteria erat, ne forte latibulo inimicis esset, Christiani exstirpare decreverunt. Venientes itaque, ut prætulimus, pagani, in antefati collis cacumine, principale vexillum, quod labarum vocari fertur, alto stipiti pro terrore incuteret.

* *al.* cujus

fixerunt, quo eminus prospicientibus terrorem incuteret.

* A Anonymo.

nigrum referunt: nebula tempore prælii visa.

28 Sed e regione eodem in loco misericors Dominus evidentissime declarare voluit, quod ipse de cælo respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Nam labarum præfatum, quod nitidissimum fuerat ibi positum, abreptum inde, teterrimum evulsum est: ac in tempore inceptionis mirabilium præfatorum nebulosa caligo totum jam dictum texit nemoris locum, ita ut nec montani ab minoribus *k*, nec inferiores a superioribus videri possent. Columpna quoque nubea in medio caliginis cælitus pendula super ipsum collem videbatur, simulans speciei suæ colore pluvialis iridis varietatem, coæquans sua etiam amplitudine suppositi collis latitudinem: nec antea se fidelium intente eam considerantibus subduxit obtutibus, quam omnis illa hostium plurima funditus discessit; evidentissime visibiliter omnipotente monstrante, immo provocante misericorditer nos Deo, ut illuc jugiter omni mentis intentione totaque cordis devotione debeamus oculos tam exteriores in omnibus necessitatibus figere, quo nos pretiosissimi Filii sui sanguinis redemtione dignatus est invitare, qui cum eo vivit, gloriatur et regnat Deus in unitate Spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum. Amen *l*. E

ANNOTATA.

a *Apud Mabillonium titulus huic capiti præfixus tempus proprius indicat, cum talis sit:* Quod sequenti die Dominico venerit reliquus exercitus paganorum: sed meritis S. Bertini nihil prævaluerunt *Codices Mss. hoc titulo æque ac aliis carent, ideoque non est magnæ auctoritatis. At auctor infra, uti et Iperius cap.* 19 *part.* 3, *idem designat tempus, ita scribens:* Dominica sequente circa meridiem venerunt Dani in majori satis multitudine, et dantes insultum pugnaverunt usque ad vesperum: sed Dei Sanctorumque Audomari, Folquini atque Bertini miraculo castigati sunt, sicut in ejusdem patris Bertini Legenda legitur de Danorum excæcatione, ac etiam vexillorum suorum mutatione seu decoloratione.

b Monasticum *vocat, designans monasterium* S Bertini: *nam monasterium S. Audomarij am tunc erat canonicorum.* F

c *Ad hanc vocem Mabillonius:* GROMNÆ seu GRONNÆ, loca palustria et herbosa. In alio Ms. legitur GRUMARUM. Groma *vel* gruma, *etiam significat locum, in quo viæ quatuor conveniunt. At prior expositio magis congruit huic loco, cum herbarum copia opportuna sit equitibus.*

d In tam *habent omnes codices, Mabillonius mendose edidit* vitam. *Vox* scamma, *quæ sequitur, pro conflictu sumitur.*

e *Mabillonius edidit* jactante prosiliendum, *quod mendosum videtur. In codice nostro legitur* jactanter prosiliendum. *At suspicor scriptum fuisse* prosilientem.

f Suol *habet codex noster cum uno Bertiniano. In altera* sool. *apud Mabillonium* sol.

g *Hic, teste Cletyo, in codicibus Bertinianis aliqua sequuntur, quæ nec apud Mabillonium, nec in codice nostro reperiuntur. Primus post voces* per terram *habet,* sociosque suos. In eodem momento

A. ANONYMO. momento duodecim oculorum privati sunt lumine, ita ut claro die errando per cancellos ac parietes hærerent ecclesiæ. *Alter :* Sociorumque suorum in momento duodecim oculorum privati sunt lumine, ita ut claro die errando *etc. ut supra. Antiquiores sunt hi codices, ita ut hæc videantur excidisse in scriptione aliorum codicum : nam sequentia etiam insinuant plures fuisse divinitus percussos.*

h *De S. Vulmaro actum est* 20 *Julii. Oppidum S. Vulmari est in agro Bononiensi, et corrupte* Samer *vulgo dicitur.*

i *Per arcem* Menapum *vel* Menapiorum *Casletum intelligi, jam ante ostendi ad caput* 2 *Vitæ lit.* d.

k *Ita codex noster. Mabillonius habet,* ab junioribus, *codex unus Bertinianus* imiroribus, *alter* imioribus. *Hoc ultimo modo auctorem scripsisse suspicor, facto comparativo* imior *a voce* imus.

l *Subditur in codice nostro rubris litteris :* Explicit Vita S. Bertini abbatis.

B

VITA TERTIA

auctore Folcardo monacho Sithiensi.

Ex codice Ms. Bertiniano, collato cum duobus aliis Mss.

DEDICATIO

AD BOVONEM ABBATEM SITHIENSEM.

Auctor exponit, cur nihil hactenus scripserit, *a* *b*

Domino *a* suo Bovoni patrique desiderantissimo Frater Folcardus, nulli inserendus paginæ, quod summum est coram summo Opifice *b*. Fortassis, pater mi, in tuum vernaculum, tuo quondam lacte, tuisque educatum alimentis, merito frequentius stomacharis, quod solum terram occupem, ut C ficus illa inutilis, nec quidvis tuæ, qua quondam puerum insevisti, promam institutionis. Jus, fateor, esset, quæ insevisti, etsi non digno, tamen quocumque pullulare germine : sed cupido vires deficiunt, pater optime ; quo cogor inter privatos ignobilis delitescere. Cujus meæ invalentiæ te quidem possem arguere, quod immaturum nimis impulisti, ut narrem sine cortice ; ni mala mentis rubigo tam a tenero expedisset *c* ungue, studium minus intendens eo, quo plus posset capessere. Dilectionis enim tuæ erga me affectus, ubi quidvis doctrinæ tuæ admisisse persensit, acsi illud quidvis magnum sive præcipuum foret, libertum esse dedit : qui cum jam non libertum, sed liberum esse, vellem, illudque pravo usu insuescere liberius, uti fit, cum qui aurem vellat puero, castigator absit ; in vitium libertas excidit. Hinc te sæpius rite indignatum meæ intertiæ concesserim, hocque a te summum in me beneficium libens conceperim.

et qua de causa nunc scribat hanc Vitam,

2 Unde, quæ hactenus minus consulte egi, ad jussum paternitatis tuæ in melius transferre curavi. Quod meditanti occurrit in medio, Vita beatissimi patris nostri Bertini, quam rescribere orsus sum, impellente causa multiplici : quod D si sic, ex re constabit, examinis tui trutina probabit. Bona siquidem dicturus facturusve, a nullo malim quam ab ipso principium sumere, qui tot commodis inservit nobis omnibus quotidie. Dein vero quod quorumdam Fratrum devotæ petitioni oportuit me satisfacere : qui dum aliquid apud tantillum videntur petere, magis imperare ex ipsa noscuntur petitione. Nec eo, fateor, ipsi petunt, ut reor, aut ego subaudio, ut, veteri posthabito sive neglecto, hoc Opus rapiatur in publico : quod absurdum nimis esset : nec tale aliquid inter tot et tales, ut ita dicam, nubigenas moliri, sed si ita jubes, secundum illud quod lignea, et fictilia vasa cum aureis, aiunt, in templo Domini ; sic hæc meæ parvitatis descriptio servetur cum veteri.

quam Bovonis examini subjicit.

3 In qua coercenda limæ laborem et moram exosus, nec longa die nec multa litura sum usus ; idoneum fuit consilium tuis primum offerre auribus, si tamen tu idem, venerabilis pater, te in hoc velis præbere idoneum, ut scilicet recidas omne, quod trahitur ultra profectum, parum claris lucem inferas, incompositis atrum E signum allinas, et ubi tua opera indiget, servo tuo alter Aristarchus fias. Quæ si tuo favore donatur, sit secretis membranulis tradita, si ita videtur, donec aliud quidvis, te imperante, quod otiosum exerceat vel moretur, chartis illudatur *d*. *d*

ANNOTATA.

a *Hæc dedicatio in solo legitur codice Bertiniano, ubi hæc præfixa sunt verba :* Incipit prologus in Vitam S. Bertini.

b *Mabillonius in Observationibus præviis ad Vitam* S. Bertini *partem hujus dedicationis adduxit, ediditque* coram summo Pontifice, *at mendose.*

c *Dictio obscura est et forte mendosa ; sed satis intelligitur auctor conqueri, quod minus diligentem studiis navasset operam in juventute.*

d *Post hanc dedicationem, in qua Vitæ antiquioris iterata fit mentio, in Ms. additur :* Explicitur epistola.

F

PRÆFATIO

Plurima Dei in homines beneficia recensens auctor, *a*

Deificæ *a* Trinitatis clementia, fragilitatis nostræ præscia, tanto excelsioribus Sanctorum suorum meritis Ecclesiæ suæ statuit initiari principia ; quanto fragilioris opificii futuros præcedentis structuræ novit egere constantia : quod nimirum clementi providit consideratione, ut, quos perditos omnique reparationis efficacia destitutos beneficio prævenit visitationis suæ, æternaque morte damnatos sua vivificavit morte ad vitam, intra sinum suæ foveret Ecclesiæ, quam non habentem maculam aut rugam sua redemit incarnatione, munivit tentatione, roboravit passione, animavit morte, sanguine decoravit, resurrectione lætificavit, ascensione fidelem reddidit, illustratione sancti Spiritus instruxit. Tot tantisque pietatis suæ prærogativis benignus Jesus Ecclesiam suam fundavit, cujus bases mox in Apostolica soliditate constituit, martyrum constantia erexit, dein fideli sanctorum confessorum doctrina superædificavit, se ipso horum omnium authore summo angulari lapide Jesu

A Jesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.

Sanctorum exempla iis quoque annumerat,

* *al.* Domino

5 Et ne peccatis nostris aggravati, tam divino operi diffidamus nos posse inseri, idem Redemptor noster apprime persecutores suos in unitate corporis sui adscivit, qui coram Deo * positi, dum de peccatis nostris compuncti eos precamur, ex sua quondam fragilitate, ut pro nostra intercedant, admoneantur, nobisque spem dent, quæ consecuti sunt, consequi; si cum eis in novitatem vitæ studuerimus innovari. Unitatis autem tantæ gratiam nactis, ut virtutibus augere contendant profectus sui commercia, velut pro exemplari speculo, gloriosa Sanctorum suorum supponit * merita, qui cum lacte matris bonæ exercitationis potarunt desideria, ipsumque iter justitiæ, a cunis adgredi tota maturarunt diligentia mentis; et in cœpto perseverasse inventi, emensis mortalitatis hujus laboribus, ad æterna migrarunt gaudia.

* *al.* opponit

atque ideo de S. Bertino scribit.

6 Inter quos omnibus sæculis prædicandum, beatum et prædilectum patrem nostrum Bertinum, quanto sanctitatis Dominus titulaverit privilegio, B dignosci potest, æstimato evidenti conversationis ejus præconio. Et quoniam eo cœptum est de Ecclesiæ Christi ædificatione sermocinari, ut, quem se in ipsa Vir Domini exhibueri, manifesto debeat sermone probari, officium sui * stylus exequatur, favente in omnibus et administrante gratia Spiritus sancti, qui tunc laudabiliter de illo, quem septiformi donorum suorum integritate donavit, concedit narrari, si ea, quæ in eo, et per eum gessit *b*, audientium inseruerit utilitati.

* *al.* suum

b

ANNOTATA.

a *Huic præfationi, quæ in omnibus tribus Mss. legitur, in Bertiniano hæc præfixa sunt verba:* Incipit Vita sancti Bertini abbatis glorisissimi Christi confessoris. *In Corsendoncano autem:* Prologus in Vitam S. Bertini abbatis et confessoris. *In Accinctino primæ voces mutatæ sunt hoc modo:* Omnipotentis Dei pietas, fragilitatis nostræ præscia *etc. In ceteris consonant, exceptis mendis quibusdam, quæ diversorum exemplarium ope passim potero corrigere.*

C b *Vox* gessit *in solo erat Ms. Accinctino, sed videtur necessaria.*

CAPUT I.

Sancti patria et natales: vita monastica, adventus ad S. Audomarum.

Sancti natales et pueritia:

a

Beatus puer Bertinus generosa progenitorum stirpe ortus traditur in Constantiæ finibus, quam Rhenus subterfluens, sub ejusdem urbis muros in Apothamo *a* lacu ferme tribus stagnatur millibus: quæ hinc e vicino Baioariam, illinc Burgundiam, ab Austro autem Alpina suspicit juga. Hic itaque, suis pignus admodum dilectum progenitoribus, nutriebatur diligenter infantulus, uti tantus in Domino post futurus. Cui, cum ad mundi gloriam adeo terrenæ nobilitatis suffragaretur dignitas, ab ipsis infantiæ cunis major servitutis Christi coadolevit caritas: quod exhibens, mox ut ad id ætatis pervenit, pueritiæ suæ principia euangelica perfectione Deo dicavit: parentibus enim et patriæ, Dominum secuturus, abrenunciavit.

A. Folcardo.

vita monastica Luxovii:

8 Et ut perfectionis nihil Dei servo abesset, monachum in Luxoviensi cœnobio sub patre Eustasio *b* professus est. Cujus vita, et doctrinæ institutio, quam spiritualis gratiæ compos fuerit, scire datur in ipsa excellentia gregis, cui præfuit; præsertim nunc, cum evidentioribus sanctitatis eorum pateat signis, quos pluribus terris coram Deo suis scimus patrocinari meritis. Horum revera vitam, moresque Bertinus, puer *c* quidem ætate, sensu autem senior, imitari, Spiritu sancto inspirante, contendit; quem postquam gratiæ suæ charismatibus * mancipavit, inter tales tantosque patres, ut eorum exemplis instrueretur *, adscivit. Omnibus tandem perfectioribus * vitæ auctum muniis in pueritia, inexhausto cælestis desiderii vigore præditum provehit in adolescentia.

b

c

* *duo Mss.* chrismatibus

* *in uno*, instrueret

* *al.* perfectioris

adventus ad S. Audomarum,

d

9 Ergo cum jam Dominus Militem suum mundo manifestius propalare disposuisset, ne in absconso lucerna tantæ claritatis lucens, tot mortalium spiritualia commercia differret, egressis *d* duobus tantum comitibus, Mummolino et Ebertramno, magnæ scilicet sanctitatis viris tertius E adjunctus, sanctæ Trinitatis perfectus cultor, Morinensium fines pervenit *e*, quibus tunc ejus compatriota, et, ut fertur, consanguineus *f*, egregius Christi præsul Audomarus larga divinorum dogmatum fluenta propinabat. Qui ubi tantæ sanctitatis viros agnovit advenisse, eos sibi in auxilium prædicationis credens divinitus missos fore, Domino immensas gratiarum solatii hujus actiones non neglexit reddere, seque petentes multa suscepit mentis alacritate: quos quia sacræ Scripturæ peritos a puero noverat, atque ejusdem loci, quo ipse primitias laborum suorum in Dei servitute instituerat, sanctæ prædicationis officio mox jussit insistere.

e

f

cujus jussit Morinis fidem prædicat.

10 Cujus præcepto ut Domini parentes, agrestia adhuc Morinorum corda cælestis verbi exercent cultura, et quod diutina meditatione inter secreta felicium exercitiorum adhibuerunt ocia, torrenti in salutem plurimorum eructarunt doctrinæ instantia. Quibus adeo Dominici favoris adfuit manus, ut sicut ipsi extrinsecus, sic in F audientium cordibus cooperaretur gratia Spiritus sancti: et quoniam eos Dominus operarios suæ prævidit messi, prævidit etiam, quibus largitatis suæ incrementis innotesceret, se eorum favere labori. Morinis igitur conceptum cælestis sati semen germinat; et Dominica purgante manu, uberiores fructus in cælestibus horreis condere properat. Qui, dum æterna datur plenius cognoscere, terrena dat, ut cognita æterna possit acquirere.

Adroaldus, suadente S. Audomaro.

11 Quidam siquidem terrenis opibus pollens, Adroaldus nomine, virili carens sobole, possessionum suarum quia terrenum non habuit heredem; habere instituit cælestem. Super qua re consultum petit beatum et Deo dignum pontificem Audomarum, ut quem Spiritus sancti illustratione noverat inspiratum, ejus salutari consilio ageret, quod instituit agendum. Cujus sane salutiferæ meditationis propositum, cum præsul percepisset inclytus, inspirante Spiritu sancto, geminæ dilectionis, Dei videlicet et proximi, ferventi amore perfectus, consulit uti, quod Deo dare disposuerat, beato Bertino sociisque ejus prætitulatis conferat, quatenus eorum opera in ejus

A. Folcuino. ejus donationis fundo cœnobium in veneratione Dei sanctique Petri Apostolorum principis construatur, perpetualiterque ibidem Deo deserviens monachorum turba coadunetur, quorum Christo servientium devotum famulamen æternaliter cœlis ejus commendet devotionis oblationem.

villam Sithiu donat: constructio Veteris monasterii.

12 Quod continuo prædictus vir magna cordis perfecit alacritate, tradens pontificis admonitione et consilio beato Bertino ejusque sociis sui juris villam, Sithiu dictam nomine, traditionisque suæ manumissionem publica confirmans privilegii descriptione, præsente eodem dilecto Dei Audomaro pontifice, cunctisque proceribus urbis Teruanæ, anno sexcentesimo vigesimo sexto Dominicæ Incarnationis, anno autem undecimo *g* regnantis Clodovei filii Dagoberti regis, octavo Idus Septembris. Mox ergo in territorio quodam ejusdem villæ pariter insistunt operi, qui locus usque ad præsens Vetus monasterium ex re ipsa dignoscitur censeri: sed interea decedente e medio Novione *h*, episcopo venerabili viro Achario, Mummolinus ad præsulatum ejus provehitur, opitulante beato Audomaro, itemque Ebertramnus * a Mummolino sancti Quintini Viromandensi præfertur cœnobio.

* al. Bertramnus

Bertinus locum ampliori cœnobio quæsiturus, navi se committit,

13 Beatus autem Bertinus, jam in camino probatus humiliationis, dignusque repertus respectu divinæ pietatis, in loco sibi divinitus concesso, Dei gratia multorum saluti eum reservante, resedit, aptioremque cœnobitis locum quærere instituit. Ut enim situm ejus loci loquamur nescientibus; hinc idem locis in humili colle situs fluvium Agnionam cum aquis palustribus; illinc silvam longis supereminentem habet tractibus: verum collis idem permodicus, minusque spaciosus constructionem alicujus magni non caperet apparatus. Sanctus itaque Bertinus spem suam omneque consilium ponens in Domino, (sciebat enim se nihil posse facere sine ipso) eum petitione invocavit humili, quo cordis sui desiderium ad effectum perduceret placentis sibi consilii, ascensaque solus *i* rate, Eia, inquit, Domine, quo tibi placet, Servum tuum dirige: nam quo me dederis consistere per me servum tuum tuosque, Domine mi, fideles locus construetur habitationis tuæ. Provide, Domine, servis tuis locum, in quo tibi serviant in pace et concordia, quatenus per piam inhabitantium vitam nomen tuum, Domine Deus, ab omnibus benedicatur et glorificetur in sæcula.

delatusque ad terram,

14 Orantis ergo supplicis sui pio affectui virtus adfuit Domini, navisque absque impellentis remigii adminiculo labitur alta secans fluctuque æstuque secundo. Tum vero venerabilis vitæ Juvenis, extensis ad Dominum palmis erectisque in cœlum luminibus, inter prædulcia suspiria, cælestisque lætitiæ lacrymas, tum gratiarum actionibus, tum Psalmorum insistit decantationibus. Illic enim gloriam et meritum Athletæ Dei fuit videre, cum ad ejus preces carinam contra præcipites decurrentis fluvii undas impingi cerneres sine remige, perque spatiosum alvei sinum divino tantum ferri regique Numine. Tanti igitur miraculi *k* illustratione Dominus Militem suum eo usque insignivit, quo ad locum divinæ electionis pervenit: ad cujus recognitionis evidentiam psalmi, quem in ore habuit, decantatio ubi *l* stationi convenit.

cantat versiculum: Hæc requies mea etc.

15 Mox navis in cursu portum stationis immobilis efficit, sanctusque Bertinus Psalmum prosequens: Hæc, inquit, requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. O Dominum semper in Sanctis suis gloriosum et mirabilem! O Dominum in omnibus operibus suis prædicandum et laudabilem! Ad preces in se confidentis Amici, naturam mutavit elementi; suisque juris exors unda famulatur Servo Domini, cujus imperio quondam induruit sub vestigiis Petri apostoli. O præelectum felicis tirocinii Juvenem, quem tantæ apud se excellentiæ Dominus haberi voluit efficacem, ut in eodem elemento faceret gloriosum, quo Principem quondam glorificavit Apostolorum tantæque collationis *m* dignitatem ejus invocationi aptaret, ut in uno eodemque momento, et navis unda famulante cursum subsistens figeret, et cur hoc esset, in ejus ore Spiritus sancti harmonia personaret. Sic nimirum, sic Dominus noster voluntati et obsequio Sanctorum subjicit omnia, qui ipsum desiderant et quærunt ante omnia.

condit cœnobium Sithiense,

16 Earum ergo rerum evidentibus signis beatus Bertinus locum illum a Deo sibi electum cognoscens, quamquam natura sui * operosæ molis fuerit impatiens, (erat enim a colle Occidentali cespes vergens, et in modum linguæ devexa planitie vicinam paludem ingrediens, atque ex ipsa palustri lue, quæ utrimque exundat, dissolutus salicibus alnisque frequens). Egressus e navi, putri profundo petrinam molem firmare tentat, divinoque fretus adjutorio, pravam loci naturam magna laboris sui instantia superat, atque nobile templum brevi perfectum in honore Dei sanctique Petri consummat. Deinde cæteris, in quibus spiritualia animæ exercentur instrumenta, parandis insistit officinis: cunctisque ejus opera paratis, Fratribus congregatis præfuit *n*, uti pater, usibus filiorum omnibus provisis.

* i. e. sua

illudque abbas sancte regit.

17 Erat enim in eo perspicere totius speculum perfectionis, uti quem a puero Dominus accensum spiritus sui fervore, vas summæ providit electionis, statura discretionis mediæ, clara quidem sed severa facie, nec obeso, sed deducto corpore. Vigiliarum et orationum, laborumque usu jam media insenuit ætate, cum nondum reputans se aliquid egisse, emeritus Christi Miles in dies Domino contendit crescere; et ut sanctitatis ejus brevi tituletur status, Vir totus ex virtutibus ad unguem factus. Vitam vero gregis sibi commissi quam dignis ejus vitæ ac doctrinæ documentis Dominus provexerit, in ipsis a sancto Patre nutritis, summo divinæ dignitatis honore exaltatis, manifestum fieri voluit: quos unanimi plebis suæ electione episcopos et abbates Ecclesiæ suæ præfecit: e quibus etiam nunc in locis suis multarum virtutum signis glorificatos populo suo ad salutem, et ad profectum patrocinari *o* concedit.

ANNOTATA.

a Apotamus *vel* Apothamus lacus, *ut hic vocatur, alias* lacus Podamicus, *nunc sæpius* Constantiensis *aut* Brigantinus *nominatur ab urbibus adjacentibus. Porro nec Bavariæ, nec Burgundiæ adjacet Constantia, inter utramque tamen media est, ac sita in Sueviæ circulo.*

b *Quamvis hic biographus primus sit, qui* S. Bertinum *Luxovii disciplina monastica institutum asseruit, de eo tamen merito dubitari non posse, dixi in Commentario num.* 33, *ibique num.* 34 *et* 35 *ostendi incertam esse et minus probabilem sententiam illorum, qui voluerunt* Bertinum *venisse Luxovium post mortem Eustasii abbatis sub ejus successore Walberto. Multos S. Eustasius habuit*

A *habuit discipulos sanctos, ut videri potest in Vita ipsius, quæ data est ad 25 Martii.*

c *Quod Sanctus pueritiæ annis venisse dicatur Luxovium, ibique in adolescentia profecisse, conciliari nequit cum sententia Cointii, cujus chronotaxis sex tantum annos ejus ibidem habitationi assignat, ut observavi in Commentario num.* 34.

d *Legendum esse* egressis, *non* egressus cum, *ut habetur in exemplari Bertiniano, patet ex aliis exemplaribus, atque ex ipsa dictione, quæ alias imperfecta est.*

e *Observet studiosus lector, nihil hic dici de prævia per Galliam prædicatione, quam Compilator anonymus et Iperius asseruerunt post Vitam S. Mummolini Ms. Consule Commentarium num.* 36 *et seqq.*

f *De hac opinione disserui in Comment. num.* 32.

g *Annus Clodovei II recte expressus, sed annus Incarnationis Dominicæ perperam additus, cum scribendus fuisset annus* 648. *Alter error est, quod donatio hæc relata sit ante constructionem Veteris monasterii, cum ea sit aliquot an-* B *nis posterior, ut probavi in Comment.* § 5 *et* 6.

h *Urbs est episcopalis in Suessionibus, alii* Noviomagum Veromanduorum, *plures nunc* Noviodunum *vel* Noviomum *vocant, vulgo* Noyon. *Hic* Novione *scribitur, acsi* Novio *diceretur ab auctore. In aliis Mss.* Noviome *legitur : at suspicor legendum* Noviomæ. *Verum, quidquid sit de hac lectione, civitas satis nota est ; atque æque notum est eruditis, Achario non Mummolinum, sed Eligium fuisse suffectum episcopum, Eligio vero deinde Mummolinum successisse.*

i *Non solus, sed cum Mummolino et Ebertramno id fecit. Consule Vitam primam num.* 3.

k *Cum jam observaverim ad Vitam* 2 *lit.* e *de progressu navis contra fluxum undarum in prima Vita nihil legi, ideoque miraculum istud non satis esse probabile : nullum in facto toto clarum invenio miraculum ; sed idcirco non negaverim singulari providentia Dei Sanctos fuisse directos ad locum, in quo deinde monasterium ædificarunt.*

l *Phrasis hic in omnibus Mss. luxata est. At corrigi potest Ms. Bertinianum, modo omittatur vox* ubi : *sic enim sensus erit satis perfectus.*

C m *Collatio hæc nimis longe quæsita est, multaque alia nimis sunt exaggerata.*

n *Non statim condito monasterio præfuit, sed post Mummolinum, quem perperam excludit auctor. Adi Comment.* § 6.

o *Multos non modo episcopos et abbates, sed Sanctos etiam ex Sithiensi cœnobio prodiisse, certum est. Iperius in præfatione viginti et duos Sanctos Bertiniani monasterii in Ecclesia coli asserit ; at eorum nomina non recenset.*

A FOLCARDO.

CAPUT II.

Donatio Heremari et fundatio monasterii Wormholtensis, cui præfectus Winnocus : cœmeterium ac ecclesia B. Mariæ condita, ibique sepultus S. Audomarus : Walbertus comes duplici miraculo sanatus.

Crescente interea fidelium religione, tantaque ejus per totam regionem divulgata sanctitate, pluribus utriusque conditionis suas soboles Christi obsequio nutriendas ei offerentibus, nonnullis vero sub ejus magisterio se ipsos subdentibus, Deo eos augente et regente, centum quinquaginta *a* fratres suis adunavit temporibus. Nec deerant, providente Domino, vitæ eorum necessaria : affines enim et quique nobiles, Christo ejus admonitione devoti et doctrina, plurima terrarum fundorumque illi conferebant donaria. Post prædictam etiam venerabilis memoriæ Adroaldi traditionem, qua se in ejusdem loci constructionis primitias primum exhibuit, quidam prædives Heremarus *b* suæ proprietatis villam, Wormholt dictam, Deo sanctoque Bertino contulit. Qui scilicet beatus Vir tantorum divinæ largitatis impensorum non ingratus, quidquid sibi a Dei conferebatur fidelibus, eorum saluti revera consulens, supernis sancivit usibus.

Crescente monachorum numero, Bertino donatur villa Wormholt, E

a

b

19 Nam in prædicto fundo sanctum Winnocum *c*, a puero sua disciplina instructum, cum ejus aliis commilitonibus direxit ; quibus, ut ad pauperum receptionem cellam, ecclesiamque in honore sancti Martini ædificarent, jussit. Quod prædicti viri unanimes in Domino instanti labore compleverunt tempore modico : statuto etiam Fratrum conventiculo, suum in omni sanctitatis exercitio æmulum discipulum sanctum scilicet Winnocum præfecit. Qui quotidie pii Patris institutione de virtute in virtutem progressus, summæ humilitatis contemptusque sæculi virtute potissimum invaluit. Nec mirum : nam, uti ante nos dictum est, domi habuit, unde disceret. Taliter ergo beatus Bertinus omnium cœnobiorum Teruanensis territorii auctor et pater extitit, tantoque germine in proventus * Ecclesiæ Christi fructificavit. Omissis tandem omnibus, quanta industria cuncta necessaria loco propriæ habitationis curavit providere, subsequenti narrabitur serie.

ubi fundat monasterium, cui præfectus S. Winnocus : c

F

* al. provectu

20 Omnibus igitur commodis ejusdem loci sui Fratribus perquisitis, cœmeterium parari non potuit, uti in palude. Super qua re in omnibus sui adjutoris dilecti Dei antistitis Audomari consilium et opem non distulit quærere. Qui * præclarus pontifex solita charitatis affuit exhibitione ; ejusque consilio communicato et labore, fossa ambiens cœmeterium, eidem cœnobio consecravit in prædicti collice vertice, constructa in ejus medio basilica, in veneratione sanctæ Dei Genitricis Mariæ : quam, communi *d* perfectam opere, sancto Bertino ejusque cœnobitis concessit integre anno sexcentesimo sexagesimo

cœmeterium facit et ecclesiam S. Mariæ accipit donatione S. Audomari,

* al. cui

A. FOLCARDO. gesimo Incarnationis Dominicæ, donationem suam confirmans facta per privilegii descriptionem *e* traditione, in qua se ejusdem beati Patris cunctorumque Fratrum sub ejus patrocinio Deo servientium orationibus commendavit, utque in eodem cœmeterio, eo totius carnis viam ingresso, corpus exanime humarent, petiit.

quem deinde defunctum in ea sepelit. 21 Eadem siquidem tempestate idem gloriosus Christi athleta insenuerat ætate, qua etiam corporalium oculorum caruit lumine *f*; cui Deum verum lumen, perspicaci concessum erat contemplari mentis acie, qui factus hostia vivens, sancta, rationabilis, Deoque placita, post innumera corruptibilis vitæ gloriose triumphata certamina, usque ad exitum suum de hujus sæculi ærumnis sancti patris Bertini ejusque congregationis auctor, amator, et adjutor, ad regna migravit cælestia. Cujus corpus mœrens monachorum turba, cum beato Patre luctu et gravibus deducit * lamentis, atque condigno honore condit * inter monachorum, ut petierat, corpora in templo sanctæ Dei Genitricis *g*. Cujus in carne viventis et defuncti virtutes quam gloriosæ fuerint, lectis ejus vitæ gestis scire possunt, qui legerint. Cunctis autem virtutum titulis prædictus beatus Bertinus tam vicini et specialis amici vitam habens quasi pro speculo, cunctæ perfectionis virtutibus adcrevit, instruente Spiritu sancto. Cujus humilitatis devotio quam grata divino conspectui fuerit, manifestis miraculorum indiciis propalare Domino placuit, de quibus, ipso favente, vel unum, et duo in eodem uno, subsequens scriptum percurrit.

* al. deduxit
* al. conditur

comes Walbertus S. Bertino confiteri solitus, 22 Inclitus comes Walbertus *h*, generis dignitate clarus, divitiarumque exuberans opulentia, et ad omne opus bonum devotus Christicola, plurimum utebatur jam dicti Patris familiaritate et gratia, eoque mutua processit dilectis; ut præfati principis filium idem Vir Dei per cælestis lavacri undas regeneraret *i* Christo; sicque vera caritatis connectione conjuncti, fœdus, quod foris pepigerant, ad spirituales animæ profectus transferre parabant. Religiosus enim comes sua beato Bertino confitebatur peccata: beatus autem Bertinus, ipse ejusque generosæ conjugi, Regentrudi dictæ, de amore cælestis vitæ salubria inferebat monita, quæ ille sitibundo ebibens pectore, frequenti reditu a beato petebat Patre: peractaque sacra Missarum celebratione, cælestis mensæ, eo administrante, participatus Eucharistia, accepta benedictionis ejus licentia, lætus redibat ad propria, utque sic solito ageret, devotio bonæ voluntatis, usum præbuit executionis.

cum, eo insalutato, redit domum, 23 Hic ergo quadam die basilicam sanctæ Dei Genitricis, in qua idem sanctus Vir beatum Audomarum sepelivit, oratum venit: sed, instante necessitate, usque ad sanctum patrem Bertinum solito venire neglexit, domumque suam sub omni celeritate, ascenso equo, tendit. Quod cum quidam vernaculorum *k*, Dodo dictus, sancto Viro mirando referret, quod præfatus comes, extra solitum agens, tam proximus eum non invisisset, sic miranti Vir Domini vatidico afflatus flamine, dixit: Quod refers, fili, non latet, sed antequam is pervenerit, quo nunc tendit, parvitatem *l* meam neglexisse pœnitebit. Quæ, quia carnis aut sanguinis revelatione non didicit, sed ab inhabitatore Spiritu sancto futurum cognovit, quod prolatum est, rei effectus probavit.

equo excussus graviter læditur: at petita ope Sancti, 24 Ille enim cum festinus volucri cursu fertur, equino dejectus impulsu, ad terram præceps excutitur, membris gravi ruina colliditur, femore etiam adeo læso, ut penitus confractum videretur; totius tandem corporis debilitate ingente, cari Protectoris sero meminit, doletque neglexisse: speque notæ pietatis præsumens, actutum unum e militibus quantocius ipsum jubet petere: quod commiserat, sub ejus vice apud eum accusare, veniam commissi *l* deposcere, utque jam morituro, nisi subveniat, fideli suo eum moneat succurrere, se per ejus merita super pristinæ sanitatis recuperatione multum confidere, si potum, ejus ore et sanctis manibus signatum, mereretur accipere. Advolat ille pro domino beato Viro satisfacturus, qui intromissus ejus provolvitur pedibus, negligentiam domini sui fatetur, casus tanti periculum indicat, eumque jam emori, nisi subveniat: dominum suum precari, ut potum a se benedictum ei mittat; quod ejus potatione se convalescere fideliter credat.

hic vinum afferri jubet ex vase vacuo, 25 Beatus autem Bertinus, quem ipse totius pietatis fons sua infuderat gratia, super tanta amici sui commotus invalentia, accito Fratre procuratori imperat, ut de vino, quod in sacrario habebatur, quæ petierat, fideli amico suo propinet pocula. Cui ille, Est, inquit, Domine mi, mensis integer aut eo amplius, ut æstimo, ex quo in ejusdem sacrarii cella nec una hujus liquoris habetur propinatio. Tum vero Dei Famulus, memor Domini adjutoris in opportunitatibus, præsumens de benigna largitate ejus, cui se totum ab annis devovit puerilibus, Vade, ait, fili, confisus Dominum posse omnia, cujus consolatio et respectus servis suis sunt propriora * eum invocantibus in angustia. Credo equidem in ejus pietate, quod falutiferum in se fidentibus potum concedit manare, qui aquas sitienti populo affluenti copia in vasta produxit solitudine. Sciebat enim Vir Dei, cui crediderat, et quia is potens esset depositum meritorum ejus, prout sibi placeret, detegere, certus erat.

* forte propiora

idque divino favore obtentum, 26 Quid plura? Minister paret, dubius abit; sed antequam ad locum pervenit, quo suo fructifero palmiti vera Vitis mirabili * affluentia vindemiavit, odorem exuperantis * meri jam ebibit, quantique Patris imperio paruerat, tum demum stupens agnovit. Nimirum Dominus astipulationis suæ memor, Servum se dignantem sibi dignum demonstravit, cujus virtutum principia ejusdem miraculi materiæ dotavit, qua se Deum primo innotuit *m*. Qui etiam, ut fidem augeret pollicitationis suæ, qua fideles posteros suis actis majoris signorum donavit efficaciæ, aliquid mirabilius suo Fideli quam sibi, sua præstitit pietate: illic enim miraculi materiam, aquam in vinum versam, exhibuit; hic solum Fidelis sui meritum cum gratia sua cooperari voluit, et in arenti œnophoro * vinum ea dictione produxit, qua quondam aquas e silice torrentis * effluentes impetu virga bis feriente elicuit.

* al. multiplici
* i. e. exuberantis
* al. amphora
* al. torrenti

mittit Walberto, qui eo mox sanatur: multa donat cœnobio Sithiensi, 27 Cælesti igitur dato sanctus pater Bertinus in Domino gaudens, et pro ejus tanto munere gratias agens, medicam crucis intulit benedictionem: et ex eo ad debilitatum quam celeriter proferri jubet principem. Quo ille hausto pristinam epotavit sospitatem. Signum enim, quod Dominus Athletæ sui concessit declarationi, ægrotantis amici ejus præstitit liberationi, utque pro devoto suo idem Dominus, dives in omnibus, operaretur integre; quem per eum corporea roboravit sanitate, ad exsequenda potiora provexit

A provexit commercia animæ: nam ubi, excedente grassantium dolorum debilitate, se non modo levatum, verum etiam incolumem persensit, gratias Deo * agit, Patronum suum revisit, hæreditatisque suæ prægrandem partem ei ejusque loco devote adscribit. Cujus donatio quam proficua etiam adhuc ejusdem loci fuerit congregationi, eisdem cœnobitis quotidie datur experiri.

* al. hæc vox omissa

et vitam monasticam, ut vult auctor, deinde amplectitur.

28 Ille autem, acsi ex castigati corporis levamine nactus esset remedium, quod a beato Patre de contemptu sæculi crebro perceperat documentum, ne diutius surdus langueret auditor, ad boni effectus negocium perducere meditatur: relictaque patria et omnibus, in prædicto Luxoviensium cœnobio religiosus infertur monachus *n*, delegatis reliquis, quæ sui juris erant, ejusdem loci fratribus; quorum vitæ speculo suos adeo composuit mores et actus, ut post, commissa ei prælationis dignitate *o*, conversationis ejus exemplis prælucentibus, sanctæ Regulæ non modicum proficerent institutionibus: tantoque in se satorum germine incrementa lucri Doctoris sui cælestibus thesauris hausit *. B Exemplo enim actuum ejus, et doctrina bona, et laudabili imitationis suæ æmulatione sic se melioratum patefecit.

* al. auxit

Observatio pia

29 Hoc ergo tanto miraculo tam laudabili fine cœlitus consummato datur intelligi, quantæ apud Dominum hic ejus Servus constet acceptionis et meriti, cum omnia ejus cœpta tam falici commendaverit perfectioni. Per hæc enim in tanto Patre filiis annuitur fidere, ut scilicet, unde ille corporis meruit recipere, inde nos, quæ longe potior est, curationem speremus animæ; si studium fuerit ipsius imitatores existere, et cum sanato sanandi quoque ejus præceptis voluerimus obsequi et parere. Quibus si quando, impediente humanæ fragilitatis negligentia, aberrare perque vitiorum abrupta præcipitis ruinæ contigerit læsionem incidere, missa ad eum vigiliarum et orationum cunctæque sacræ exercitationis legatione, Fontem supernæ pietatis super nostra movebit ariditate, salutiferæque compunctionis flumina impetrabit emanare: quibus epotatis, et lotis doloribus languentis animæ, incolumitati restituet pristinæ, solidata in nervum C statusque sui compaginem fractura, et collisione veteris ruinæ.

in laudem Sancti.

30 Curatis autem sua ope et industria mentibus, quæ mundi esse videntur, dabit vilipendere, quæ autem Dei sunt, tota intentione meditari et inquirere: hocque pari modo quotidie prope est in se fidentibus: eadem salubriori repetere operatione, quæ tunc ejus meritis et precibus divina virtus in prædicto operata est principe. O Virum cunctarum laudum præconio dignissimum! quem tametsi carnalis corruptelæ contineat habitaculum; tamen, quia omni cordis custodia eum Dominus munivit: hac animi virtute in terris angelus vixit. Quod ut sic constare liquidum fieret, vis divina aptum et evidens hujus testimonii indicium præbuit.

ANNOTATA.

a Ducentos *habet Ms. Accinctinum, ut etiam legi in exemplari Cisterciensi, testatur Mabillonius in annotatis ad Vitam a se editam, in qua legitur* centum et quinquaginta.

b Heremarus *in Ms. Bertiniano legitur. Corsendoncanum habet* Heremarius, *Accinctinum* Heromarus. *De hac autem donatione, quæ hic nimis cito relata est, secutaque fundatione Wormholtensi, consule Commentarium* § XI, *et Vitam primam cap.* 3.

A. Folcardo.

c *De S. Winnoco egi in Commentario num.* 107 *et seq.*

d *Communi perfectam opere basilicam illam dixi in Commentario num.* 75, *etsi jam ante S. Audomarus ecclesiam ibi ædificaverat; quia vel instaurata vel ampliata illa, vel certe aucta adjuncto monasterio. Hanc porro ecclesiam cum omnibus adjunctis S. Audomarus, quatenus ad se spectabat, donavit* S. Bertino *ac monachis Sithiensibus, a quibus diu possessa fuit, ut ostendi in Comment.* § 9.

e *Ipsas Audomari litteras, quales hodieque exstant, dedi* § 7, *et mox* § 8 *examinavi argumenta contra earum veritatem prolata. Cum autem notatæ sint anno* 6 *Clotarii III, incidunt in annum* 661 *vel* 662; *neque tamen idcirco negaverim donationem ipsam fieri potuisse ab anno* 660, *si facta sit ante datas litteras, iisque solum confirmata.*

f *Cæcum fuisse S. Audomarum sub finem vitæ, omnino certum est ex ejus Vita. Verum an* E *jam cæcus esset, quando facta est donatio prædicta, non æque est certum, ut ostendi in Comment. num.* 86: *neque auctoritas hujus scriptoris tanta est, ut rem istam faciat certam.*

g *Consule de hisce Vitam primam num.* 5.

h *In prima Vita* Waldbertus, *in secunda* Waltbertus.

i *Iperius scribit de sacro fonte levatum. Priores Vitæ litem non dirimunt, cum solum asserant* compatrem *Walberbi fuisse* Bertinum. *Malim tamen Folcardo ut seniori adstipulari quam Iperio, præsertim cum etiam verisimilius sit, baptizantis munus obiisse* Bertinum *quam patrini.*

k *In prioribus Vitis Dodo vocatur* discipulus.

l *Hæc nonnihil exaggerata sunt, cum in* S. Bertinum *non videatur peccasse Walbertus. Omnia simpliciori modo exposita sunt in Vita prima cap.* 2.

m *Loquitur de aqua in vinum mutata in Cana Galilææ, et cum hoc primo Christi miraculo comparat miraculum vini ex vase ante vacuo impetrati.*

n *Non satis probabilem, aut saltem incertam,* F *esse vitam monasticam Walberti hujus, ostendi in Comment. num.* 112 *et* 113.

o *Hic confunditur cum. S. Walberto tertio abbate Luxoviensi.*

CAPUT III.

Varia de conversione Morinorum et virtutibus Sancti: substituit sibi abbatem Rigobertum, deinde Erlefridum: tentatio dæmonis ope S. Martini superata.

Alia etiam quam plurima virtutum signa Dominus per eum dignatus est exercere, quæ partim ille veræ humilitatis compos, suique pervigil custos, sedula oppressit * occultatione, partim autem

Post. SS Victoricum et Fuscianum, qui Morinis prædicarunt,
* al. repressit

A. Folcardo.

autem scriptorum incuria inolucrunt, nulli tradita notitiæ. Ante adventum siquidem ejus in regione Tarnanensi, exceptis his, qui jam conversi erant per doctrinam sanctissimi præsulis Audomari, omnes reliqui indigenæ idolorum adhuc deserviebant cultui. Quamquam jam dudum a
a sanctis martyribus, Victorico et Fusciano *a*, qui de illo candenti Quintinianæ cohortis collegio divisi, ad prædicandum primi Christicolæ fines penetrarunt Morinorum, nomen Christi præostensum quidem fuit, non prædicatum : quos beatum Quin-
b tinum *b*, qui jam pretiosæ necis triumpho martyrium adeptus, e medio excesserat, suum investigantes collegam, dira persecutione Rictiovari, crudelis lictor ad permanentis vitæ impegit coronam. His quidem cælestis gloriæ plena laborum suorum effulsit laurea ; Morinis autem in suæ vocationis tempore suos ductores jam divina inspexerat providentia.

iis doctores dati Audomarus et Bertinus : hic signa quidem fecit,

32 Apostolatum enim ejus partis Galliæ sanctis patribus et protectoribus nostris, Audomaro scilicet et Bertino, in salvandis delegaverat filiis; cum jam in omnem terram sata Apostolorum et martyrum uberioribus turgerent culmis in provectu sui germinis. Quorum alter, unde nunc nobis
B sermo est potissimum, in ipsa sui prædicatione multis claruit signis, quamvis nos lateant, uti jam est prælibatum. Sed quis ignavus adeo sit, qui super hoc queratur, præsertim cum summa nullius virtutis hoc secularis gloriæ limite contineatur? Sed et si qua esse videtur, ea vigente,
C imminuta deteritur *c*. Revera signis, quæ sequi credentes pollicitus est Dominus, quod pluris cum eo pensatur, spiritualiter magis usum novimus, quod quanto apud homines gloriæ minoris, tanto apud Deum præmii habetur majoris. Et cur in hoc fides suum minuat meritum, quæ solida tanti culminis dignitatem obtinet apud Deum?

sed virtutum exercitium miraculis præposuit :

33 Puerulus siquidem parentes euangelicis jussis posthabuit, juvenculus patriam, ut Christum haberet, reliquit; exul Catholicam fidem euangelizavit, adolescentiæ suæ continuos labores pene decrepitæ senectæ conjunxit : quodque his est laudabilius, non intumuit, cum tot tantisque polleret virtutibus. Fidenti prolatu dicimus, quia si
C hunc mundo progenitum Neroniana vel Deciana aspirasset rabies, Tironem Dei ultro ignibus insilientem cerneres, in exhibitione omnium suppliciorum constantiorem, non cruci, non equuleo, non gladiis, non mille mortis generibus cedentem, quominus eam, quæ est in Christo Jesu, servaret charitatem. Sed quia ea tempestate, devotis fidei Christianæ regibus et principibus, hæc Dei Agonista non pertulit; quod omnibus pœnis majus est, omne, quod vixit, continuata martyrii dignitate decoravit : excepto enim, quod cum indesinenter impugnatione spiritualium nequitiarum non incircumspectus Satelles impeteretur; sibi commissorum animas pervigili regiminis sui cura tutaretur; quotidiana forensium negotiorum, quæ in suis administrabat, sollicitudine urgebatur, et super constructione loci, quem Deo auctore regendum susceperat, tanta intendit sedulitate, ut antiquis cœnobiis, opibus regiæ constructis munificentiæ, et Sanctorum pigneribus, et rerum opulentia, suo æquaretur tempore.

Sanctus Senex sine alia cura Deo servire cupiens,

34 Quia ergo Sancti quique summæ divinitatis propinquiores excellentiæ, illo suo speciali non privantur munere, quo scilicet, quanto superna vicinius irradiantur claritate, tanto altius firmata humilitatis radice, se omnis boni deputant D
expertes esse, tantoque tenacius bonis cœptis adhærentes, bono appetunt recipi fine : hic beatus Bertinus a pulsante Domino paratum se desiderans inveniri certius, ante diem obitus sui Domino decrevit famulari, acsi nil a se tanto tempore actitatum esset boni. Eminus siquidem Domini sui reditum speculatus e nuptiis, præcinctus lumbos mentis et carnis cingulo egregiæ castitatis, sanctæ conversationis ardentem lucernam servare studuit in manibus bonæ operationis. Sua quoque vice, loco *d*, et fratres perpen- d
dens, a se non perperam operatum fore, uti qui jam vices peregit Marthæ, laborandum sibi prævidit etiam in optima parte Mariæ; ut etiam omnium præcedentium Sanctorum vitam proclivem in publicam profectus sui transferret commoditatem. Regimen ergo cœnobii sui cuidam viro venerabili, suo scilicet commisit monacho, Rigoberto nomine.

in præfecturam monasterii sibi substituit Rigobertum,

35 Ipse vero privatim agens, reliquum vitæ suæ in divina se contulit contemplatione. Ædificaverat etiam oratorium quoddam, adhuc vivente suo prædilecto Audomaro Dei antistite, quod ab Orientali plaga templi sancti Petri con- E
structum dedicari fecit ab eodem pontifice in veneratione sanctæ Dei Genitricis Mariæ : quo potissimum pernoctans *e*, in precibus dies non mi- e
nus indefessus Christi Miles supplebat jejuniis, illud Davidicum frequentans Domino, Quando, inquit, Domine, veniam, et ante faciem tuam apparebo? Ut cervus sitiens fontium flumina, sic te, Deus meus, mea desiderat anima.

sibique de inceps pie vivit

36 Gloriosus enim Dei Athleta ac eximius Sacerdos sibi suoque gregi, in continuæ oppugnationis acie laboranti, succenturiatus, ut hostem eo perturbaret robustius, insompniis et inedia vitiorum aculeos in suo detinuit corpore penitus, quo hostiles vires novit incumbere valentius. Cujus luctæ cœptum ut felici terminaret exhibitione operum, tum senium, tam approbabilis palæstræ gymnasio exercitatum, tum sanctæ voluntati æternæ vitæ et permanentis gaudii pro emolumento victoriæ subveniebat desiderium : sicque angelicus Pater carnali virtute defectus, quanto morti ex ipso senectutis morbo videbatur vicinior, tanto in bonis actibus erigebatur constan- F
tior, ipsum, quod vix supererat, corporeum vivere non suis, sed profectibus compellens famulari animæ. Filiis autem, quos iterum, dum Christus in eis formaretur, parturivit, quia se a priori frequentia eis subtraxit, non minus carus fuit, quibus utique quanto rarior, tanto desideratior cernebatur : unde quid colligat, sapienti satis dictum videtur.

Ecclesia S. Martino constructa, quod factum dicitur

37 Venerabilis igitur abba Rigobertus vices excubiarum ejus in gregem Domini industria exequens laudabili, ejusdem Patris jussu monasterium *f* f
ædificavit in honore sancti Martini : erat enim summæ devotionis in hunc confessorem Domini, ejusque memoriæ plurimum inserviens et dilectioni. Fertur siquidem a senioribus nostris *g*, g
eundem Virum Dei quodam Sabbato sanguine minutum, a maligno spiritu sub specie puellæ regiæ personæ tentatum; nec primum dolos tantarum percepisse insidiarum.

ob tentationem ope S. Martini apparentis superatam.

38 Sed cum jam Fratribus eum ad mandatum *h* Domini, quod apud monachos singulis h
Sabbatis ex more celebratur, opperientibus, vellet abire, illaque eum retinere tentaret, loquens quasi de monasterii necessaria utilitate, magis autem anhelans, ut, si posset, captivum duceret

A duceret Servum Domini sua turpi commixtione, prædictus Dei pontifex * sanctus Martinus ei apparuit, Fratrem et amicum dulci compellans affatu, insidiantis in pellice inimici cavillationes dolosque retexit: quos mox idem Tiro *i* Domini a se crucis signo abegit: surgensque Fratres se ad mandatum Domini præstolantes, Dominum laudans super ejus tanta pietate, petivit. Tanta nimirum de ejus sanctitate lætitia erat cælicolis, ut non modo eos intercessores apud Dominum mereretur in supernis, sed etiam ut salutis ejus obsequio inservire præsentialiter parerent in terris, ne videlicet tantum remunerationis et gloriæ suæ Coheredem amitterent in cælis.

Sanctus mulieribus interdicit ingressum monasterii: hoc præceptum a mortua etiam servatum: k l

39 Considerans ergo pius Pater omnino monachis non expedire sexu fœmineo quovis modo communicari *k*, penitus exclusit sub anathemate ingressum fœminarum de aditis ejusdem cœnobii. Quod nostro tempore *l* a quadam religiosa servatum muliere, ut scilicet ulterius nollet ire, quam ipsum Virum Dei didicerat constituisse, ea quoque mortua, corpus servavit exanime: nam eam in feretro positam ferentes, cum in ipso ejus antiquæ adventionis pervenisset limite, tanto B confestim divinitus figitur pondere, ultra ferri non possit, coacta etiam ad ferendum præsentium multitudine: sicque anus præceptum, quod ad reverentiam Sancti excoluit, dum vixit, defunctum corpus ad votum viventis animæ transgredi non potuit.

Rigoberto abbas suffectus Erlefridus: m

40 Utque superiora repetamus, jubenti sancto patri Bertino, se tanti beneficii non ingratum exhibenti, Rigobertus paruit in omnibus, magnoque opere templum paucis constructum reddidit temporibus. Post hæc, impetrata pii Præceptoris sui indulgentia, et ipse se in otium spirituale contulit *m*, perfectumque tanti Patris discipulum, doctrina ejus et exemplis instructum, hac sui imitatione ostendit. Qui egregius Pater Erlefridum, suum a puero nutritium, abbatem successorem ordinavit: qui alteri * non inferior, a paterna institutione non degeneravit: quamquam adhuc primo juventutis premeretur tirocinio, meritis morumque constantia talem se, C ut servum Dei decebat, in omni sanctitatis præbuit exercitio.

** e. i. altero*

multiplex Sancti benedictio. n

41 Et adhuc ille Dei Athleta gloriosa agens sæcula, quæ puer cœpit, senex quotidie sancta meritorum augere studuit præconia. Verum quid supplementi *n* sanctitatis ejus perfectioni, cum patenter ipsa meruit benedictione divinitus insigniri, qua per Prophetam suum se timentes Dominus spopondit benedici. Ecclesia quippe, quam regebat, sicut vitis abundans in domus suæ viguit lateribus; filii autem ut novellæ olivarum in circuitu mensæ ipsius. Bonis vero, quæ sunt in Hierusalem, usus est in omnibus diebus vitæ suæ: filiosque filiorum suorum pacem super Israël euangelizantes promeruit videre; jamque tempus instabat, quo Servi sui memorati Dominum decebat, cui sibi advocato * mercedem laborum suorum reddere disponebat.

** i. e. ad sevocato*

ANNOTATA.

a *SS. Victoricus et Fuscianus, qui cum hospite suo S. Gentiano Ambiani martyrio coronati sunt sub Rictio Varo, creduntur revera prædicasse Morinis. Quantum vero ibidem profecerint: magis inquiri poterit ad* XI *Decembris, quo coluntur. Verum et alii non pauci prædicarunt apud Morinos ante Audomarum et* Bertinum, *ita ut Folcardus nimium dicat, dum asserit omnes fuisse idolorum cultores, quos necdum converterat S. Audomarus, dum advenit* Bertinus. *Crediderim potius multos jam tunc fuisse Christianos, quos excolerent, nec defuisse tamen gentiles, quos converterent.*

A. Folcardo

b *S. Quintinus sub eodem tyranno passus est, et colitur* 31 *Octobris, ubi examinari poterit, an inter socios habuerit Victoricum et Fuscianum, ut hic dicitur.*

c *Duo sic habent exemplaria. At Accinctinum habet:* immunita detegitur. *Auctor extenuat gloriam, quæ Sanctis oritur ex miraculis.*

d *Phrasis est mendosa in utroque Ms.: nam tertium exemplar Accinctinum, quod aliis erat correctius, jam deficit, utpote mutilum. Legendum itaque suspicor:* Suas quoque vices, locum, et Fratres perpendens, *addendumque* existimavit, *aut quid simile.*

e *Si hæc vera sunt, habitasse videtur Sanctus eo tempore in secundario monasterio B. Mariæ. At de precibus tota nocte in oratorio B. Mariæ continuatis, rigidisque illis jejuniis tacent priores biographi; nec illa decrepito Seni, qualis tunc* E *erat Sanctus, nimis congruunt. Facile tamen crediderim* S. Bertinum *precibus et jejuniis multum fuisse deditum etiam in senectute.*

f *Voce* monasterium *hic quidem ecclesia, seu oratorium aliquod intelligitur, ut observat Mabillonius; at non existimo eam modo esse* parochialem S. Martini *ecclesiam, prout adjungit. Consule Comment. num.* 129.

g *Qui seniores erant tempore Folcardi, seu seculo* XI, *multis seculis distabant a* S. Bertino, *ideoque eorum auctoritas non magni potest esse momenti pro facto hic relato, quod non omnino certum videri, monui in Comment. num.* 130.

h Mandatum *vocatur lotio pedum, quæ præscribitur in Regula S. Benedicti, quæque nomen accepit ab antiphona tunc cantanda, quæ incipit:* Mandatum novum do vobis.

i *Hæc vox insinuat, non fuisse senem* S. Bertinum, *dum ea tentatio ei creditur supervenisse. At factum est relatum extra ordinem occasione ecclesiæ S. Martino ædificatæ.*

k *Lege,* cum sexu femineo... communicare.

l *Cletyus ad hunc locum observat, licitum fuisse ingressum mulierum ante tempora Folcardi, ideoque credit verba antiquioris cujusdam scriptoris ab eo adoptata. Observatio vera est: sed Folcardus non dicit præceptum Sancti suo tempore viguisse, sed mulierem illud observasse* ad reverentiam Sancti; *quo tantum probatur, necdum eo tempore datum fuisse oblivioni. Consule Comment. num.* 132 *et* 133. F

m *Post aliquot regiminis annos inter annum* 704 *et* 707 *munus abbatis Rigobertus deposuit, ut dictum in Comment. num.* 134, *ubi etiam de successore ejus Erlefrido.*

n *Videtur addenda vox,* defuit, *legendumque:* Quid supplementi defuit *etc.?*

CAPUT

A. Folcardo.

CAPUT IV.

Sancti postrema gesta, beatus obitus, sepultura, et miracula breviter perstricta.

Pia Sancti, morte appropinquante, ad suos monita :

Celebrem ergo obitus sui diem beatus pater Bertinus intentius bonis operibus invigilans prævenit : quem sibi imminere mœrenti astantium filiorum turbæ innotuit. Quos quia tanti Patris ministerio suoque sanguine sibi Christus Dominus acquisierat, indesinenti admonitionis ejus doctrina docere non cessabat, ut cœpto sacri ordinis proposito adhærentes; locum tam præclaræ habitationis non desererent, sed in eo finetenus * Christo servientes permanerent, ejusque apud Dominum suis precibus memores essent; se vero, si quid posset, apud Deum intercessorem perpetuum pollicitus est pro omnibus eundem incolentibus locum. Hanc nimirum spem piissimus Pastor suis conferre dignum duxit, tantaque paternæ pietatis pactione in se fidentes præmunivit, ut scilicet grex ei devotus sciret, posthabito omni dubio, quia tanto Intercessore ejus coram Deo commendari posset devotio, assignari humilitas, comprobari stabilitas, roborari fragilitas. Nec poterat ferre Pater cælesti imbutus dulcedine, cum tot filiorum plangentium et lamentantium pro affectu indicibili premeretur amore, quin dolentes consolaretur, pollicita ope intercessionis suæ.

al. ferventius

B

morbus, extremus ac beatus obitus.

43 Acri igitur ægritudinis fatigatione ingravescente, carnali debilitatur dissolutione, cum victor spiritus, indefessa quæ Dei sunt volvens meditatione, iter, quo ad Dominum conscenderet, perspicua emetiebatur contemplatione. Advenit tandem illa beata dies, quæ tantum Christicolam cœlis inferret, quam tanto securior excepit, quanto eminus futuram prævidit. Munitus ergo cælestis Sacramenti viatico, inter verba, quibus suum Deo, cui vixit, commendabat exitum, plenus dierum perfectorumque meritorum, corporeo eductus ergastulo, inter manus flentium discipulorum excipitur a Domino occurrente, et hymnizante militia superni exercitus : et inter præcipuos cælestis curiæ duces tanto divæ remunerationis triumpho infertur coronandus *a*.

C

a

Gloria Sancti,

44 O gloriosa hujus Patris anima, quam omnis cælorum dignitas tam festiva excepit gloria, tam præclara deduxit jucunditate ad æternæ exultationis præmia, 'quam modulatis laudibus supernæ processionis ambit chorus, super qua ipse, qui pro omnibus immolatus est, exultat Agnus, et suavibus cælestis melodiæ demulcet concentibus. O beatum Virum, cujus animam patriarchæ et prophetæ ad suos complectuntur et fovent sinus, Apostoli suis invitant sedibus, martyres laureati constantiæ suæ sibi consignant imitatorem, confessorum numerosus ordo jam suum suscepit coheredem, virginum quoque candens turba tam exoptatum recepisse gratulatur Concivem. Revera Deus in conspectu suo pretiosa eum donavit morte, quam tanta cælicolarum accumulavit exultatione; uti enim se decuit, memor factus est Dominus suæ sponsionis, ut centuplicata mercede Servo suo, qui bene ministraverat, vicem recompensaret bonæ servitutis.

D

cui Dominus magna largitus est.

45 Se quippe, quod primum præcipuumque est, dedit, et cognosci se concessit, ut cognovit. O vere beatum Virum, qui sic servivit, cui nunc discumbenti ipse Dominus transiens ministrat. Hinc tibi, Jesu clementissime, nos servi tui gratias reddimus, qui conditionis nostræ fragilitati consulis, provisis hujus apud te excellentiæ patribus, quos dum tantis gloriæ tuæ fascibus tibi adjungis; nos peccatores in eorum meritis confidere posse concedis. Petimus ergo supplices tuam pietatem, ut sicut tunc omnis militiæ tuæ lætitia ejus prosecutus es assumptionem, sic spirituali gaudio tibique acceptis laudibus in ejus honore hunc festivum hodie nos annuas celebrare diem, et eo intercedente quandoque ad eam perducas, quam fidelibus tuis æternam largiris solemnitatem.

Annus emortualis, dolor de morte ipsius, *b*

46 Transiit autem idem Dei Athleta Nonas Septembris, anno Incarnati Verbi sexcentesimo nonagesimo octavo, Hildeberti vero Francorum regis quinto decimo *b*, anno, ex quo eumdem locum construere cœpit, quinquagesimo nono. Qui excepto quod familiari luctu nimium lamentabatur privatorum, publicum totius patriæ eum maximo plangentis mœrore factus est justitium. Recolebatur enim ejus, qua nihil melius est, cœlebs vita, in divinis meditatio continua, omnia ejus opera secundum Deum facta, dulce colloquium et nil habens, nisi quod Dei honorem et salutem spectaret animarum. Iterabatur sæpius ab illa cum deflentium frequentia, quia illiusmodi civium jam magna nobis est penuria.

E

honorifica sepultura :

47 Quanta autem multitudo ad ejus triumphales exequias confluxerit, non facile verbis datur probari; intelligentium autem conceditur æstimationi, cum ejus monachus *c* tunc * ecclesiæ præfuerit Morinensi, et qui in eodem pago, ubi vis *d* fuerat mundo abrenunciantium, congregatio institutionis ejus constare dignoscebatur initio, præsertim cum, uti prædictum est, prædicatione omnibus indigenis Christiana informata sit religio. Cujus decenter conditum tumulatur corpus in templo sancti Martini *e* retro altare principale, constructa venerationis ara ad caput tumuli, quo plurimis annis requiescens, multis glorificatus est signis ad honorem Domini. Post cujus obitum præfatus abbas Erlefridus super ejus tumbam majori opere * ecclesiæ erexit ædificium, condignoque reverentiæ cultu eumdem requietionis tanti Patris decoravit locum, ita ut absque indice religione *f*, quis quantusque esset, qui illuc conditus veneraretur.

c *al. huic* *d* *e* F *al. apice* *f*

Miracula aliqua

48 En quam fideli fœnore accepta divinæ inspirationis talenta geminavit hic Famulus Domini, quamque felici ædificatione fabricam erexit Ecclesiæ Dei. Adamantinæ si quidem naturæ virtutem in cœpta conversationis suæ præfixit soliditate, qua post se ad Deum traxit omne, quod visus est obtinere. Et quia se tam sedulum divinæ voluntati exhibere studuit, quanti apud se cælo * constiterit, Dominus ad ejus tumulum demonstravit. Infectum natale passo *g* cuidam vocem et auditum supplevit. Claudum æque et surdum *h* integra sospitate donavit; cæci *i* quam plurimis amissam lucem restituit, vinctosque *k* ferreis nexibus sæpius absolvit. Hæc quoque, prout fides tenebat poscentium, sæpenumero et vidimus *l* et legimus operatum, quæ si singulatim sermo exprimeret, minus gratus studiosis lectoribus fieret; magisque tædium quam profectum

i. e. in cælo *g* *h* *i* *k* *l*

A etum generaret. Artificem *m* operi ejus ecclesiæ insistentem de ipsius summo culmine excepit ruentem, eademque hora operi suo sanum misit et lætantem. Monacho etiam suo profugo *n* oculos extinxit: dehinc, ubi cordis tenebras pœnitudinis medela pepulit, revertenti et pœnitenti lumen, quod abstulit, reparavit.

breviter perstricta.

49 Alium etiam loci sui monachum *o* diabolica invasum tyrannide super ipsam requietionis ejus tumbam salvavit, excluso dæmone. Quo pietatis suæ beneficio primum in eodem loco usus est in quadam energumena muliere. Alio quoque tempore eodem celebritatis suæ die spicas avulsas sanguine affluentes *p* imbuit; sicque humanis usibus inutiles reddidit, vestesque eo die abluendas lotio in cruorem versa *q* infecit. Sacrilego *r* eosdem, quos in admisso scelere hortatores habuit, ultores dæmones visibiliter ostendit; et aufugere conantem cum præda, quam furto abstulit, in manus arbitrorum * conjecit. Prædonum, qui ad ejus loci direptionem venerant, signa niveo colore candentia, picca nigredine *s* tinxit B horrentia; e quibus quosdam excæcavit, quosdam autem immisso ultionis suæ terrore fuga præcipites egit. Sæva etiam Danorum rabies cum totam Neustriam, immissis pelago piratis, flamma et armis premeret, earumque sæva ferocitas plurimis regionibus incumberet, tantique Patris locum pro diripiendis ecclesiæ thesauris maxima manu invaderet; eorum crudelitati profanæ furenti ad horam quidem consensit se spoliari; eos autem de spoliis nequaquam passus est lætari: nam multos rabie, nonnullos vero perculit cæcitate; reliquum autem, quod superfuit tantæ cladis, exercitus, extrema et proxima persecutus est internecione.

* *i. e.* judicum

Conclusio Opusculi.

50 Hæc dicta sufficiant pauca e pluribus, quæ compendiosa quidem terminavimus definitione, sed patentioris textus serie disponimus elucidare *t*. Solent enim cælestes divitiæ tanto ardentius recipi a fidelibus, quanto delicatior earum præmonstratur usus. Hinc nos fastidiosis satisfactum, si ita volunt, putavimus; sedulo autem lectori respirare concedimus; quo ad legendum recreato spiritu vigoratus infra recognoscat, quæ scire velit apertius: sicque hunc vitæ tantum beatissimi patris et protectoris nostri Bertini librum, C titulatis potius quam scriptis ejus post obitum miraculis, claudimus. Sub fasce enim voluminis gemeret, nimiæque infestationis ponderi robustus lector succumberet, si de tanti Patris vita delectatum importunus sermo superurgeret: quia, uti ante nos expressit vetustas, Omne supervacuum pleno de pectore manat. Ejus ergo nos accomodantes satisfactioni, acsi jam de vita refecto Patris clarissimi, subsequenter scriptis textum exequemur *u* signorum, quæ per eum gessit Dominus Deus virtutum, cujus æterna potestas dominatur et imperat per infinita sæculorum sæcula. Amen *w*.

ANNOTATA.

a *Quæ hoc capite huc usque relata sunt, majorem haberent auctoritatem, si scripta essent ab auctore antiquiore; sed pleraque Folcardus primus scripsit.*

b *Hunc annum convenire cum anno Christi* 709, *observari in Commentario num.* 139, *ubi etiam ostendi mortem Sancti circa annum* 709 *figendam esse.*

c *Cletyus ad hunc locum sequentem adjecit observationem:* Tunc huic sedi præerat Ravangerus, successor Baini, qui successerat Drausio, S. Audomari successori immediato. Breviarium ecclesiæ cathedralis Morinensis tradit S. Bertinum ab ibso Ravangero tumulatum fuisse.

A. Folcardo.

d Vis *legitur in exemplari Bertiniano, in alio* jus: *dubito, an legendum non sit* ejus. *At tota phrasis obscura est, et verisimiliter mendosa. Significat auctor celebres fuisse exsequias, quia fiebant in eo loco, ubi et monachorum congregationem instituerat, et fidem prædicaverat Sanctus.*

e *Locum sepulturæ explicui in Commentario num.* 136.

f *Id est, absque religioso cultu, ex solo sepulturæ loco patebat, Virum esse venerandum, qui illic erat sepultus.*

g *Id est, muto et surdo nato. Latius hoc miraculum narratur lib. Miraculorum num.* 8 *et* 9.

h *Hoc latius refertur in Vita prima num.* 13 *et seq.*

i *De lumine cæcis restituto varia habet corporis Elevatio.*

k *Vide Vitam* 2 *num.* 24, *et Appendicem Miraculorum num.* 22. E

l *Videre potuit auctor miracula facta in elevatione corporis, quæ tempore ipsius facta est, et relata in Comment. num.* 148. *Miracula autem, quæ hic breviter perstringuntur, fusius relata sunt in Vitis jam datis, aut in Appendice dabuntur, paucissimis exceptis.*

m *Vide hoc miraculum in libro Miraculorum num.* 6 *et* 7.

n *Narratur hoc in Vita* 2 *num.* 20 *et seqq.*

o *Nec hujus nec sequentis miraculi mentionem alio loco inveni.*

p *Idem habetur in Appendice num.* 2.

q *Vide Appendicem num.* 1.

r *Consule Vitam* 2 *num.* 17 *et seqq.*

s *De hisce irruptionibus Normannorum consule librum Miraculorum cap.* 1, 2, *et præcipue caput* 3, *ubi num.* 24 *et* 25 *leguntur mirabilia hic perstricta.*

t *Loquitur auctor de solis miraculis breviter perstrictis: nam gesta satis prolixe enarrata sunt.*

u *An aliud Opusculum de miraculis scripserit Folcardus, non constat. Potuit impedimentum aliquod intervenire, quominus propositum suum exsequeretur. Certe nullum ipsius de miraculis* S. Bertini *Opusculum innotuit, ut observavi in Comment. num.* 7. F

w *Subditur in M.:* Explicit Vita S. Bertini.

INVENTIO

A

INVENTIO

ET ELEVATIO CORPORIS

auctore Bovone abbate

Ex editione Mabillonii.

PRÆFATIO

Epistola, qua auctor consulit Widonem Remensem archiepiscopum, et hujus responsio : dedicatio Operis ad Widonem.

B

Auctor Widonem archiepiscopum, qui corpus elevaverat, a

Domino præstantissimo archiepiscopo Widoni *a* frater Bovo indignus abbas Sithiensis cœnobii, inter benedictos benedici. Dum in corpore sanctæ Dei Ecclesiæ sub Christo summo capite eminentius membrum, domine pater, sis constitutus, et ut ita dicam, collum te capiti oporteat uniri atque inhærere vicinius; utriusque partis, animæ videlicet et corporis, valetudine omnimodis tuam reverentiam pollere desidero, quatinus nos suprema atque debilia membra, te salubriter mediante, tam sano capiti Domino nostro possimus concorporari : ne (quod absit) secus agentes, penetrabiliore ejus gladio scindamur juxta illud Euangelii : Non veni, inquit, mittere pacem, sed gladium. Quod autem sublimitatem tuam talibus imperitiæ meæ convenerim verbis, haud tantum temeritatis, quantum instinctu agitur caritatis, quæ juxta Apostolum, Omnia sperat, omnia credit, omnia sustinet. Salus etenim pastoris tuta spes est gregis. Nam postquam promerui ad tuæ paternæ C caritatis benignitatem notificari, tametsi minimum profuerit, semper tamen tuæ salutis sollicitus fui, et quosque ad nos de illis partibus supervenientes de fortuna tui percunctari solitus, dum incolumem ac valentem tuam haberi nobilitatem comperiebam, gaudebam; sicut econtra, dum ægram, condolebam : quippe qui pater noster spiritalis ac summus pastor haberis. Præterea devotio paternitatis tuæ, quæ elevandi corporis S. Bertini causis dudum tam promte tamque devote deservivit, nos fidelitati tuæ gravioris debiti obnoxios reddidit, ut jugiter salutem tuam suspirare, eademque continua intercessionum vota divinis auribus debemus infundere. Quæ res etiam, ut caritas tua meminit, adprimum meam exiguitatem tuæ magnificentiæ notificari compulit. Cujus rei gratia cum tuam adissem paternitatem, super hoc tuæ experientiæ consultum quæsiturus, non modo ad investigationem meam satis utili consilio instructus, verum etiam exspectata adventus tui sponsione domum redii lætus.

2 Ubi, domine pater, cum dicto die una cum sancto cleri tui conventu adesses, atque elevandis sacris artubus ipse satis devote inservires, D quam honorifice quamque mirifice ipsa celebris Sancti elevatio peracta sit, nullus tua experientia profecto melius norit : quippe quæ celsitudinis tuæ potentia sublimata, auctoritate consistit subnixa. Quod cum ita sit, ad describendum id ipsum ac posteris notificandum meæ imperitiæ manum caritativa Fratrum nostrorum exactio suggerit, non quia illis quavis præstem scientia, cum cuncti me probitate, nonnulli etiam intellectus præcellant perspicacia : verum ut ipsa sanctæ elevationis series dignior censeatur, si majoris nominis titulo, scilicet abbatis nomine insignatur. Quorum tamen conatibus nec in totum renitens, nec in totum cedens, tuæ magis judiciali sententiæ relinquo, meque sequendum profiteor quidquid super hoc potissimum judicaverit paternitatis tuæ celsitudo : ita tamen ut si relatu dignum duxeris, meamque exiguitatem imperiosa auctoritatis tuæ potentia ad id denotandum impuleris, cum tuis sanctis promtus pro posse paruere jussionibus, tuæ paternitatis excellentiæ utcumque congestum venerit ad manus, quæque ejus superflua apostolicæ auctoritatis confodiatur obelis, minus dicta dilucidentur asteriscis; quatinus sicut tua gloriosissima et ex- E spectata sanctæ auctoritatis præsentia eadem sacra elevatio magnifica habetur, sic ejusdem denotatio eodem adstipulatore ac præside corroboretur.

consulit, an hanc inventionem et elevationem scripturus :

3 Wido Remorum archiepiscopus venerabili abbati Bovoni. Quoniam opera Domini narrare honorificum est, dignum ducimus tuæ consulere inquisitioni, quam pro describenda inventione pariter et elevatione corporis S. Bertini nobis effudisti. Gaudemus enim et judicamus id ipsum gestis litteralibus mancipari, unde Deo placuit ecclesiam vestram tam sublimiter insigniri. Et ut tuis apicibus denotasti, cum hæc tuo stilo descripta fuerint, nobis referenda mandamus, tuæ paternitati injungentes, ut sicut vere factum est describas : quatinus descriptioni tuæ, cum in manibus nostris venerit, nihil sit addere necessarium vel auferre. Fideliter plane veraciterque talia oportet describi, ut hæc ipsa ei placeant, qui se veritatem innotescit. Vale.

quod eum facere jubet Wido.

4 Glorioso Dei gratia domno Widoni archiepiscopo cum omni suæ curæ credito sanctæ ecclesiæ Remensis clero frater Bovo peccator, quem F dicunt Sithiensium abbatem beatam cum dextræ partis ovibus portionem. Suscepto reverentiæ tuæ mandato, o præsul magnificentissime, quo elevationem sacrosancti patris nostri Bertini jubes pauperis stili nostri ordiri denotatione, tum ejusdem Sancti pia devotione, tum tuæ apostolicæ auctoritatis præceptione, tum Fratrum nostrorum quotidiana obsecrationis importunitate, ne tuæ celsitudinis jussioni contrarius videar, pro captu ingenioli nostri, quamquam minus idoneus, cam utcumque narraturus aggrediar. Cumque veritatis viam cursurus, nostræ imbecillitatis manibus jam ventis vela prætenderim, si forsan æmulæ tempestatis turbines naufragosa discrimina intentaverint, tuæ ad hæc stationis sinu recreandus excipiar, bene fidæ manus tuitione defenser. Par est enim me tuæ nobilitataís tutela confidentem muro tuæ defensionis protegi, cujus jussu tantæ molis onera quamquam fragilis perferenda suscepi.

Hinc auctor Widoni Opus dedicat,

5 Dehinc vos sanctæ Remensis ecclesiæ filios, dominos nostros supplex deposco, quatinus fraterni pacti reminiscentes, nunc mihi sitis præsidio : et quandocumque hæc nostræ nugacitatis

uti et clero Remensi,

A tatis congeries, apostolica porrigente dextera, vestras devenerit in manus, eidem vestros reverendos ne avertatis intuitus; sed quæque ejus insulsa sale vestræ peritiæ jussu domini archipræsulis condire non negetis, sicque fratres fratris onera ad jussum Apostoli ferre juvetis. Non autem congestum est, ut hoc sibi peritorum sollertia dignetur, sed ut in hoc vel simpliciores nostri meditantes occupentur, aut saltem parta dictandi materies inde perito cuiquam quomodocumque habeatur, ut etiam juxta Apostolum, qui non laboravit sibi soli, sed omnibus, sedulo in Christo laborare volentibus series nostræ orationis ordiatur, tum vero exemplar Justi, tum quidem viri speculum pro posse nostro imitetur. Sic ergo fiat, ut et deliciosi reperire valeat, quid optent, et fame sitique gravati viatores, unde Dominum sibi concilient. At vero, qui sunt, et quæ ac quibus infundant, puer Ægyptius in via lassescens, a domino suo Amalecite abjectus, congrue dilucidat: qui a David persequente repertus ac ejusdem dapibus sufficienter refectus, eidem non solum ad insequen- B dum Amalecitam conjungitur, sed et eo duce profanus ille inventus perimitur.

docens deinde, unde scribenda noverit,

6 Ad has quoque quibusdam invitatis, dum varias occasionum suarum causas prætendunt, pauperes, debiles, cæci et claudi ad exitus viarum reperti admissi sunt. His igitur simpliciores nostri accumbentes consedeant, hi soli lac nostrum sumturi participi congaudeant. Et ne vestram magnificentiam, o viri apostolici, illarum sufficientia divitiarum tam quotidiana tamque sedula fastidiat, his abjectionis nostræ oleribus aliquantisper vobis cum vestris intendere libeat, donec examinis vestri sententia discernatur, utrum vel parvulorum usibus digna an indigna habeatur. Hinc affectu infantis quodcumque audierit fari volentis, sed necdum verba ad plenum formare potentis, cum nonnullas rerum convenientias scribendis gestibus antehac pervenisse meminerim, quorum plura ego ipse viderim, quædam majorum haud spernendorum virorum relatu didicerim, eademque hic utcumque balbutiens prælibare quam tacere malim: quatinus his aliis admixtis, quomodo hoc tempore circa nos, in quos finis sæculorum devene- C runt, mirificaverit misericordias suas Dominus, lucidius cunctis emicet, et ex hoc dignius in laudes Dei sanctique sui Bertini totus nostræ religionis incolatus tripudiet.

et qua intentione scribat.

7 Dehinc diligens lector haud mihi nunc indignetur, si simplicioribus nostris notandi Opusculi intentio prælibetur, ne cum solito duriora legentes offenderint, extimescant; sed quomodo, et ad quod dicantur, significantius capiant. Dulcior quippe nobis est apum labor, si prius ora tinxerit malus sapor. Gratius astra micant, ubi notus nubes fugaverit densissimas. Haud secus dominicas imprimis comminationes atque castigationes re gesta cum subsequente provectu divinæ misericordiæ posterorum traditurus memoriæ, pium ac justum Judicem Dominum nostrum nos multipliciter delinquentes nunc minis suis terrificasse, nunc duris objurgationum suarum immissionibus digne multoties dixerim correxisse: quatinus nobis ejusdem mali saporis gustu ad tempus exacerbatis, post supervenientis grex Dei gratioribus exhilaremur donis; atque toties super nos factæ visitationis semper memores, in reliqua vitæ nostræ tempora simus emendatiores. Verumtamen non hæc Dominicæ invectionis flagella cujusquam aures offendant, sed potius quicumque his se correxerint, in susceptionem filiorum recipiendos congaudeant, recolentes quod sacra Scriptura nos instruit: Flagellat Dominus omnem filium, quem recipit, etc.

A. Bovone Abb.

ANNOTATIO.

a *De Widone archiepiscopo videri possunt Sammarthani in Gallia Christiana et Marlotus in Metropoli Remensi. Post episcopatum viginti et duorum annorum mortuum dicunt anno* 1055 *aut* 1056.

CAPUT I.

Combustio cœnobii Sithiensis: pestis ibidem sæviens: his castigationibus emendati monachi.

E Cunctis namque sanctæ Dei Ecclesiæ filiis habetur notissimum, civitatem Hierusalem quondam, sicut euangelica approbat adsertio, misericorditer deflevisse Salvatorem nostrum, ejusdemque civitatis comminando futuræ ruinæ cuncta prædixisse dispendia, ac postea ad dictum Domini contigisse omnia. Haud secus modernis temporibus, exigentibus iniquitatibus nostris, ut oraculo cælesti ostensum est, utque digestum penes nos invenitur in memoria S. Vincentii a martyris, ultio super nos divinæ pendebat indignationis: nosque usque ad animam perculisset, nisi idem sanctus martyr cum sanctis patronis nostris, Audomaro videlicet atque Bertino, intercessores pro nobis coram Domino adsurrexissent. Verum miserator Dominus piis Sanctorum suorum interventionibus flexus ad pietatem, indignationis suæ ad tempus distulit correptionem, confessionis nostræ pœnitudines ac sanctæ conversationis præstolans meliorationem. Ut enim Propheta memorat, Non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Hac itaque redargutione immaniter perterriti et ad tempus F pœnitentia ducti, cum fine tenus in novi hominis sinceritatem æmulatione sancta foret enitendum, a nonnullis more suillo iterato reditum est in luti volutabrum.

Cœnobium Sithiense, ante Sanctorum patrocinio ab incendio servatum,

9 Tandem iniquitatum nostrarum enormitate irritatus supernus Arbiter, exteriorem domum suam, sed malis nostris urgentibus speluncam latronum factam, uti longe antea divinitus comminatum fuerat, igni miserabiliter ad devorandum deliberarat. Nulli autem sit dubium, utrum casu fortuito, an prælibatæ rei gratia hujus combustionis super nos ingruerint dispendia; cum procul a monasterio illo igne exsurgente ac crescente, et ventus ei consurrexerit et concreverit, ac nonnulla domata * transgressus, versus templum vehementiore flabro, immo peccato urgente impulerit. Et ut dictum est, a Sanctuario meo incipite, sedes Dei subito igne invaduntur, lamentabiliterque edacis flammæ voracitate liquantur; et quod diutino multoque sudore elaboratum exstitit, tunc pro dolor! unius diei hora consumsit. Dehinc rapacitate sua totius

totum comburitur,

* i. e. domos

A. Bovone abb. tius claustri gyrat confinia, et nihil intermisso exterminat omnia *b*.

b

quod auctor divinæ punitioni attribuit :

10 Verum, ut dictum est, nihil in terra fieri sine causa; haud credendum est Dominum domum suam dimisisse perire frustra : sed ut diutinis malis penitus expiaretur, et ut domus sua interior, ibidem videlicet commanentes, a pravis actionibus suis deterrerentur, ne si malis suis nollent renuntiare, deterius ignis æterni post in æternum punirentur damnatione. Huc etiam illud memoriæ occurrit, quod Quadragesimæ observatione illud discrimen nobis acciderit, quando cuncti sanæ fidei cultores potissimum errata aliorum temporum punire, atque ab his digna pœnitudine se operam dant expiare. Sic sic longanimis et multæ misericordiæ et verax Dominus illo in tempore hoc cœnobium cœnobitasque nos tanta incendii percussione multatos a cunctis peccati spurcitiis examinasse, et in reliquum vitæ tempus o utinam velit emendatiores esse : quatinus hoc rogo exstinguibili effecti castigatiores, æterni ignis cruciatus possimus evadere inexstinguibiles. Sic etenim plerumque Dei sapientia in B corripiendo immissionem virgæ suæ modificat, ut et delinquentium emendanda pie puniat, demumque in ipsa castigatione quiddam boni miseratione sua foveat, quod post in tempore suo opportune demonstrat, quemadmodum loco suo diligens lector inveniet.

visio monacho oblata : instauratio monasterii : peste afflicti monachi,

11 His ita consumtis, insecuta nocte cuidam nostrorum seniorum (quem, quia adhuc superest, nolo nominare) in somnio visum est videre quemdam magnificum virum habitus candore niveum, vultus splendore fulmineum, quodam claustri loco perstitisse, diligentique obtutu circumspectis omnibus extenta dextra omnem cœnobii locum benedixisse. Qua de re etiam colligitur, locum a quibusdam commissis jam expiatum, demumque in pristinum vel priorem decorem aliquando miseratione Dei convertendum *c*. Interea nobis divo expositis, ac murorum parietibus tectorum suorum honestate nudatis, denuo necessitudine urgente tecta reparentur; murisque utcumque adhuc stantibus supponuntur *. Quid plura? Cunctis pro tempore ac pro posse reparatis seu potius dealbatis, quidam nostrorum citius recto C non multo post tempore visitationis suæ obliti, et ad abrenuntiata irreverenter reversi, necdumque fæce malorum suorum exinanita, demum diabolicæ malignitatis illaqueantur pedica : cum ecce divina Majestas nos territura, demum post aliquorum annorum curriculum in nos gladium suum vibravit, ac subita peste multam partem nostrorum leto tenus perculit. Nec erat tunc ulla morientium requies, sed dietim corruebant velut morbidæ oves. Cum illo vel illis defunctis adhuc eorum sepulturis inserviretur, ecce aliorum exitus subiti denuntiantur.

c

* *forte* superponuntur

pœnitentia ad disciplinam reducuntur.

12 Plurimi interim ejusdem pestis horrore affecti, atque singuli super se subito futuræ mortis suspecti, multam malorum suorum pœnitudinem iterato cœperunt gerere, ac intimis lacrymarum suspiriis exacerbatam malis suis Domini nostri faciem placare. Tunc cerneres illud Apostolicum bene compleri : Confitemini alterutrum peccata vestra, et Orate pro invicem, ut salvemini. Nec minus omnis peculiaritatis recula in medium proferri, ante pedes domini abbatis Roderici cunctas exponi, dignæ pœnitudinis et lacrymarum fluentis rebaptizari; et ut brevius concludam, his cunctisque malis abrenuntiari, et omnibus bonis inniti *d*. Nec tamen sic omni Quadragesima cessatum est ab hujusmodi lue letifera, D donec undecim nostrorum defunctis, ac totius anni diebus, quibus diutius abusi sumus, in tali mœrore atque anxietate decimatis, festivum Paschale sollemnium instaret, omnemque ejusdem cladis lacrymam ab oculis nostris pietas Dei abstergeret. Quod undenarius numerus ad peccatum pertineat, sacræ auctoritas Scripturæ satis demonstrat : quia sicut Decalogus denarii summa completur, sic undenarii incremento transcenditur. Quare quemadmodum per denarium Decalogi observatio, eodem modo per undenarium peccati figuratur transgressio. Cur et hæc Quadragesimæ tempori convenerunt, et quod de eodem tempore supra notatum sit, diligens lector videat : ac quomodo res rebus, temporaque temporibus hic consequantur, rationis vivacitate colligat. At paullulum cœptæ narrationis digressus textum, ad idem jam nunc reflecto calamum.

E

ANNOTATA.

a *Quod hic de servatione monasterii ab incendio breviter attingitur, latius relatum vide in Appendice Miraculorum num.* 5 *et sequentibus.*

b *Iperius cap.* 36 *part.* I *id infortunium contigisse ait* anno X Roderici abbatis, *qui Bovonem præcessit, testeque Iperio* abbas consecratus *est* anno Domini MXXI. *Incendium id evenisse in pœnam laxatæ disciplinæ idem auctor miro candore scribit, dicens Rodericum abbatem frustra laborasse, ut disciplinam monasticam restitueret, subdensque :* Unde sit, ut qui pii patris monita contemnebant, sunt ad viam veritatis Deo vindice redire coacti. Ignis namque de quadam domuncula surgens, et plusquam duo millia domatum transgressus, ventorum, immo peccatorum, flabro in hoc monasterium impulsus, primo ad claustrum, inde ad dormitorium, totum denique monasterium unica die vorax flamma consumsit, nihil omnino relinquens inustum. Et hæc est quarta hujus loci destructio, quæ accidit anno X hujus domni Roderici abbatis.

c *De hac visione laudatus Iperius sic habet :* F Sequenti nocte in visione apparuit uni de senioribus in certo loco claustri vir celebris, amictu niveus, vultu fulmineus, qui circumspiciens et dexteram levans locum benedixit.

d *Audiamus de hisce etiam Iperium :* Hac visione, *inquit*, Deum pacatum præsumentes abbas et conventus, in opus reparationis materialis fabricæ unanimiter accinguntur; sed de spirituali fabrica, piique patris jussibus non curavit conventus. Propter quod Deus huic flagello secundum addidit subitæ mortalitatis in tantum, ut dum unius sepulturæ inservitur, alterius exitus nuntietur. Multis monachorum sic mortuis, alios timor subitæ mortis invasit : unde ad pœnitentiam et pii patris monita redierunt, quibus Rodericus vitæ puritatem et S. Benedicti Regulam observare docuit, cujus et ipse firmus amator exstitit, et in finem permansit.

CAPUT

A

CAPUT II.

Instauratio ecclesiæ, ac corporis S. Bertini inventio.

Dum Bovo abbas ecclesiam Sithiensem instaurat,

Interea sic nobis virga Domini flagellatis ac meliori viæ impulsis, paucorum annorum tempore emenso, sanctuarii parietes partim antiquitate, partim in incendio cœperunt dissolvi, atque se cernentium capitibus ruinam minari. Unde consultu principum nostrorum meliorandi gratia ad destruendum illud manus injecimus, quatinus hoc renovato, in reliqua renovanda operam extenderemus. Interim quidam de nostris simplicioribus nos adeuntes, hortati sunt cœpto constanter insistere operi, pollicentes Dominum nobis cooperari, atque post non multum temporis Sithiense cœnobium
B magnifice a Domino visitandum, et quiddam magni circa idem declarandum. Quibus tunc parvipensis, ad alia me mox convertebam, et maxime opportunis cœpti operis administrationibus sedulus intendebam. Sic inter operandum cum tempora forent emensa quatuor annorum, ac quinto dehinc anno exterior murus jam aliquantisper exsurgeret in altum; ædificandæ ibidem cryptæ causa cardinale * sancti Martini altare mutandum fuerat, quod sine pontificis fieri præsentia minime decebant. Quod post octavas Paschæ dum pararetur, dum absente episcopo ingentes terrarum moles, quibus ara circumcingebatur, interim jussu nostro exportarentur; subito vehementioris ægritudinis molestia me graviter invasit, debilitatumque sine mora lecto tenus prostravit : sicque servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens plagis vapulavit multis. Nec credo me tantum peccatorem cuncti reatus obnoxium tam sanctæ rei futuræ aliquo modo promereri interesse, ni prius tanto Domini castigatus *a* expiarer verbere.

* i. e. præcipuum

C

fodientibus, sub ara S. Martini apparet loculus, b

14 Ideoque aliquamdiu res destruendi altaris tunc differebatur, ac interim copia terræ usque ad altare circumfossæ exportabatur; cum jejunio quarti *b*, jam me a languoris vexatione aliquantulum convalescente, quidam seniorum nostrorum me adiere, dicentes, aram illam jam, exportata, quæ in circuitu ejus erat, congerie, nutare, et ni cito subveniretur, casuram fore; et ob id episcopum, quoniam tunc Tarvennæ fuerat, celerius mandari oportere. Cujus rei gratia accitus satis benevole accurrit, sextaque feria ejusdem jejunii quarti aram destructurus cum multis accessit, illaque subversa, eadem die, nobis invitis, domum rediit. Quo in loco dum sequenti die, hoc est septima feria jejunii, uti ad locanda fundamenta altus foditur, dum multa terrarum copia effertur, ecce sub ipso sancto altaris loco quoddam apogæum duris lapidibus, tegulis, antiquoque cæmento operose conditum offenditur. Hoc comperto, nos quidem idipsum visuri accurrimus, et videntes super eo admodum mirati sumus. Nec tegi, nec detegi ultra illud permittitur, ne forsan, si absque bonorum virorum testimonio detectum solveretur, aut tectum aliquamdiu occultari conaremur; nos nostra imprudentia quorumcumque æmulorum derogationibus criminaremur. Neque ea die episcopus attingi poterat, quoniam præterita die statim, evulso altari, ut dictum est, domum redierat. Tunc huc, tunc illuc vertitur animus, quod potissimum eligat valde anxius.

A. Bovone abb.

qui coram multis testibus

15 Tandem, super hoc communicato nostrorum consilio, huc nos converti visum est melius, ut his, quos eadem dies attulerat, innixi testibus, ad investigandum quodcumque esset procederemus. Tunc post * vicedominum et castellanos et quosque majores cleri directo nuntio, ut nos omnes citi adeant, invito. Et quoniam Sabbatum erat, quibusdam vero ad forensium legum jura convenientibus, nec mora haud contemnendus spectabilium personarum adest populus. Præterea fama hujuscemodi exciente, plebeiam multitudinem eadem res non quivit latere : segregatim perstrepentes occurrunt stupide. Ut autem majoribus cessimus ad accedendum, data copia videndi loculum, actutum Landbertus prætor urbanus, aliis itidem personatis viris conclamantibus, nequaquam se inde inquit amoturum pedem, donec rei inibi latentis dignosceret veritatem. Jam tum enim a nobis certum habebatur, quod ibidem aliquis Sanctorum corpore detineretur : verum de nullo minus quam de illo, qui E præter spem reperiendus erat, sperabatur. Interea cunctis circumstantibus investigandæ tantæ rei gratia cum processionibus, crucibus, et cereis peractis acceditur, et nobis, ut decebat, interim litanias cantantibus, cunctisque demirantibus detegitur, ac multo multorum sudore a prima diei hora usque in vesperum ferreis instrumentis vix dissipatur.

* i. e. ad

aperitur, corpusque S. Bertini continere deprehenditur:

16 Quod tandem opertum grandi satis artificii molimine, plumbeum scrinium omnium adstantium oculis apparet continuisse : illoque soluto, cunctis circumstantibus dum panditur, emeriti cujusdam Sancti membra revelantur. Deinde nondum apparente ejus Sancti nominis titulo, omniumque oculis ad hoc ipsum intentis, bis terque scrutato totius busti loculo, novissime sub dextro ejusdem Sancti humero crux argentea reperta extrahitur, nobisque ad manus præfertur, his tantum trium verborum insignita notulis : SANCTUS BERTINUS ABBAS. Nec horret ab hujus Sancti præconio, quod nobis adhuc insciis, neque de hoc, donec contigit, quidquam præmeditatis animo, satis congrue in jejunio quarti mensis tam dilecti Patris sancta contigerit inventio. F Condecens enim fuit et valde commodum, ut ad tam sacrosanctum accessuri commercium, quartæ et sextæ septimæque feriæ ejusdem jejunii parsimonia aliquantisper effecti purgatiores, ad tam venerandos Sancti artus investigandos properaremus aliquanto digniores. Quæcumque vero antequam fiant possunt præsciri, ea pro modulo suo providentia valeant gubernari. Verum ista, unde nulla cuilibet nostrum fuit notitia, quis ita disposita moderaretur, nisi solius Dei præscientia? etc.

terræ siccitas eodem momento sublata ;

17 Talibus ergo indiciis pretioso super aurum et topazion invento ac comperto beatissimi Patris corpore, cum eatenus diutina et gravissima omnis terra decocta pessumdaretur siccitate, ita ut universa segetum spe jam penitus sese frustrari quererentur agricolæ; ecce eodem momento, præmissis multis tonitruis atque coruscantibus fulminibus, plurima subsecuta est inundatio pluvialis, qua sufficientissime debriata tellus, mox fructificando virescere, atque cultoribus suis in novos fructus sese rediviva spe jamjamque cœpit dilatare. Itaque extunc salubri rore omnes segetes confotæ adsurgunt auris spirantibus,

A. Bovone abb. bus, ac jam maturæ messi quamvis ingens vix sufficit operarium numerus, ut instantis anni rotatus terrigenas Dei gratia omni segetem educaret sufficientia.

Inventio nuntiata S. S. Leoni IX:

18 His ita dictis, sacrum corpus jam revelatum ac detectum eadem urna sua retegi, et loculus, ut pridem fuerat, jussum est remuniri, quousque majorum consultu, quid super hoc ipso foret agendum, esset deliberari. Quantis interim vexationibus, blasphemiis affecti sumus, nobis ad purgationem noscat, ac illis ignoscat Dominus. Hac tempestate domnus Papa Leo *c*, cognomento Bruno, sanctæ Romanæ præsidebat Ecclesiæ, cujus sagacitatis ac probitatis fama per totum orbem spirabat odorem suavis fragrantiæ. Ad quem, necessitate urgente, quo majorum auctoritate corroboraremur, fidelis legatus exquisitus et repertus dirigitur, quatenus quidquid ipse de his Apostolicus cum gravioris consilii viris egregium sentiret, nobis pro nomine Domini mandare eodem legato non differret. Quem cum adisset, ac jam coram eo admisso sibi data copia fandi esset, rem gestam per B ordinem domno Papæ succincte, prout in multis tunc occupato, exposuit, testimoniaque scripturæ et crucem cum sacro corpore repertam, quæ secum pro testimonio tulerat, obtutibus ejus præsentavit. Quibus visus, et his, qui tunc forte secum aderant, uti qui ad Romanum concilium *d* tunc convenerant scilicet, patriarchæ Aquileiæ, archiepiscopis, præsulibus, abbatibus ducibus ac primoribus demonstratis, talibus ait veritatis indiciis nequaquam debere diffidi, sed tutius ac firmius credi, præsertim cum in multis Annalium gestis satis possit inveniri, cunctos pæne Galliæ terminos, maximeque vestra ac cetera maritima loca frequentibus Danorum incursionibus, deprædationibus, incendiisque populata; et ob id multa Sanctorum corpora quædam a locis minus tutis translata, quædam vero clanculum (sicut de sancto Bertino factum constat) vel maceriis vel terris sint recondita.

inquisitum a Bovone, quo modo sacrum corpus ibidem fuerit depositum.

19 Quibus responsis Apostolicis nobis nostro nuntio relatis, ex hoc ad memetipsum reversus meminisse cœpi Vitæ S. Folquini, quiddam super hoc ipso loquentis: eaque allata, quod volebam, exquisitum recitabatur, quomodo idem sanctus pontifex venerandum Sancti corpus translatum recondiderit, et quod ejusdem Translationis festivum diem singulis annis agi per omnem C diœcesim suam instituerit. Quod exempli etiam causa hic denotari placuit, S. Bertini corpus transtulit et recondidit, sollemnemque hunc diem nobis esse sancivit, qui est septimodecimo Kalendas Augusti. Diu rei etiam hoc vulgaris opinio adjecit, quod prælibatus præsul id nullis præter paucos agnoscentibus clanculum fecerit, ac ne palam quoquo modo fieret, gravibus eosdem interminationibus ac sacramentis constrinxerit. Hoc igitur viso, et necdum cujus necessitatis gratia, vel quoto Dominicæ Incarnationis anno id factum sit, satis manifesto: nec mora quoslibet Annales ac antiquorum gestorum historias recitando percurrens, eorumque discerpta, quæ investigationi nostræ videbantur opportuna, conferens, pro nostræ parvitatis modulo commentatus sum hoc magno divinæ dispensationis præsagio factum, scilicet venerabile corpus opera prædicti pontificis de noto loco in secretius penetral translatum. Quod ut dilucidius aperiatur, eorumdem excerptorum collatio aperiatur. Sed ne cœptæ rationis ordo aliquantulum intermitti videatur hæc alias plenius texenda conserventur. D

ANNOTATA.

a *Magna Bovonis humilitas et non minor pietas in toto Opusculo relucet. Abbas factus, teste Iperio cap. 37, ecclesiam instaurare cœpit,* sed morte præventus non totam complevit.

b *Jejunium* quarti, *videlicet* mensis, *unum est ex jejunius* quatuo temporum, *quod a S. Leone vocatur jejunium* Pentecostes, *quia in hebdomada Pentecostes solet observari. Alias* æstivum *vocatur, alias* quarti mensis, *id est Junii, ut hic. Porro istud quarti mensis jejunium non semper eadem hebdomada Pentecostes ob omnibus servatum est, ut ostendit Natalis Alexander in Historiam ecclesiasticam seculi* 2 *dissert.* 4 *art.* 4. *Multis locis jejunium tribus diebus, ut fit in hebdomada Pentecostes, observatum fuit hebdomada secunda Junii, atque id ipsum etiam hic factum est. Nam corpus detectum est* feria septima *seu Sabbato jejunii. In Miraculis autem apud Mabillonium pag.* 147 *detectum dicitur anno* 1050, decimo sexto Kalendas Julii, *id est, die* 16 E *Junii. At, cum anno* 1050 *Pascha esset* 15 *Aprilis, Pentecoste* 3 *Junii, dies* 16 *Junii incidebat in Sabbatum hebdomadæ primæ post hebdomadam Pentecostes, quæ erat hebdomada secunda Junii.*

c *S. Leo IX, qui ex episcopo Tullensi Pontifex creatus est anno* 1049.

d *Vita S. Leonis data est ad* 19 *Aprilis, ubi in Commentario prævio* § 3 *altera synodus Romana memoratur anno* 1050, *altera anno* 1051.

CAPUT III.

Qua occasione corpus sacrum antea a S. Folquino esset depositum in loco, ubi inventum: Bovo abbas Remensem archiepiscopum et episcopum Taruannensem ad elevationem invitat. F

Refert auctor facta per Fridogisum abbatem

Glorioso igitur imperatore Ludovico, Caroli Magni æque imperatoris filio regnante, cum eatenus hoc antiquum et tunc regale cœnobium ex tempore beatissimi Bertini, ejusdem fundatoris præcipui, sacra monastici Ordinis religione admodum nobilitaretur, atque secundum instituta canonum Fratrum adoptione ipsius regimen commendaretur; tunc cuidam canonico, genere Anglo, Fredegiso *a* nomine, in beneficium pro dolor! data, ac totius sanctæ religionis candore marcescere, in externas manus devenire, et minorari a sua cœpit integritate. Denique numerum monachorum ibidem Domino militantium, qui octoginta tres erant, ad sexaginta diminuit, villas et fertiliora prædia victui monachorum deputata, in dominium sibi usurpavit. Monasterium vero S. Audomari, quod cum monasterio S. Bertini idem erat, penitus evertit: quoniam quadraginta monachis eliminatis,

A tis, triginta canonicos loco eorum substituit, tertiamque partem omnium bonorum, ad monasterium S. Bertini pertinentium, eorum usibus deputavit. Quid igitur iste aliud quam hujus monasterii flagellum fuit? Qui etiam a beato Bertino in numero abbatum merito undecimus exstitit, quia in eo quod ea, quæ a decem prædecessoribus suis bene ordinata fuerant, evertit, Decalogi metas excessit. Omne enim peccatum undenarium *b* dicitur, quoniam quandocumque aliquod illicitum committitur, Decalogi summa, quantum in peccante est, violatur. Merito igitur præsumtor iste, Fredegisus videlicet, quasi Frigidus vocatus est : quia nisi cordis ejus aquilo ille possessor exstitisset, ad hujusmodi præsumptiones nullatenus adspirasset. Quia ergo præsumtio hujus Frigidi monasterio huic tanti excidii caput et causa exstitit, actio ejus perversa et peccatum fuit, et pœna peccati, et causa alterius peccati.

in damnum cœnobii Sithiensis, bellaque inter filios Ludovici Pii orta,

21 Peccatum etenim vel etiam sacrilegium fuit, cum illud, quod mensæ monachorum delegatum erat, in jus alterius cessit. Pœna quoque peccati exstitit, quia nisi in Fredegiso aliquod peccatum gravissimum præcessisset, unde, cum sordidus esset, magis adhuc sordescere deberet, nunquam eum Dominus adeo excæcari permi- B sisset, ut de tanto sacrilegio cogitaret. Causam vero alterius peccati illud idem peccatum Fredegisi successoribus propinavit, quia quod ipse in dominium sibi vindicavit, apud omnes successores ipsius usque ad modernum tempus inextricabile perduravit. Tantilla vero hæc pueris nostris me tetigisse sufficiat, ut quibus peccatis, a sanctuario Dei exortis, tanta mala consurrexerint, pateat, ac quibus urgentibus causis sancti corporis margarita recondita sit, manifestius pateat. Imperatore præfato decedente a sæculo, filii ejus Lotharius, Ludovicus et Carolus *c*, singuli paternum imperium æmulati, mox ab invicem dissentire cœperunt, atque ferocissima inter se pugna inserta in pago Autisiodorensi bellum cruentissima * commiserunt : ubi cum Francorum proceribus et cum cunctis nationibus sibi subjectis mutua se cæde prosternentibus, tandem Lodoïcus et Carolus fugato Lothario triumphum adepti sunt. Cujus seminarii discordia C durante per quinquennium, ubi pæne omnes Francorum regiones cum habitatoribus suis ad nihilum redacti sunt, tandem pace facta, Francorum regnum sibi diviserunt, tuncque nostræ partes Occidentales Carolo regi cesserunt. Cujus obtentu pacis nequaquam mala desierunt : sed tripartito paterno imperio, dum singuli per singula regna patrizare, seque secundum paternam magnificentiam protelare cupiunt, seque suaque confundentes dejiciunt. Non enim verbum Domini excidit : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

* forte cruentissimum

et occultationem corporis S. Bertini metu Danorum,

22 Regnante eodem rege Carolo, tertio regiminis Adalardi obbatis anno, præfatus præsul emeritos S. Bertini artus, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo tertio *d*, secretiori quam prius fuerat loco mire compositum * locavit : sicut paullo ante S. Audomari *e* venerabile corpus furtim ereptum, sed suæ diligentiæ divinitus concessum loco suo restituit, ne hæc patria tanto unquam fraudaretur patrono, haud dissimiliter abditioribus locis mandavit. Quorum etiam sanctas Translationes distinctis temporum diebus a cuncto populo diœcesis suæ magnificentius celebrandas sancivit, ut quidquid in eorem depositionibus sanctis, mense Septembri concurrentibus, urgente mensis necessitate, minus digne celebrarent, his sanctarum translationum solemnitatibus liberius exsolvere possent. Tanto igitur thesauro abditis locis adsignato, non multo post temporis intervallo omnes istius patriæ nationes, hinc surgentis gravissimæ famis angustia consternati *, illinc subitam Nortmannicæ incursionis rabiem suspecti *, omnis pæne nobilitas istius terræ præter paucos, quos operum ac fundorum copia et castellorum vel munitionem fiducia detinuerat, post dominos suos, vel quocumque tutius eis videbatur, discedebant. Præterea residuos immani famis utcumque exutos periculo demum rabida Danorum crudeliter laniatura invasit insectatio : qui postquam rabiem suæ tyrannidis exacturi huc hostiliter irruperunt, nullum hic Fratrum præter quatuor *f* palmam martyrii præstolantes invenerunt. Quorum tres quantis pœnis affecerunt, qualive quartum leto multati sunt; ac quomodo cunctis, quæ invenire poterant, direptis, monasteria cunctasque officinas incenderint, cunctaque exterminaverint; textus vitæ sancti Bertini satis evidenter disserit. E

* Lege compositos

A. Bovone auct.

* consternatæ

* timentes

qui monasterium Sithiense graviter afflixerunt.

23 Quid igitur? Si tunc præfatorum Sanctorum corpora eminentioribus vel certis locata locis debite venerarentur, exportandane putaris in valida manu Domini *g* eriperentur? An non tunc multum oportebat, quod jam dictus sacerdos Dei tantorum malorum præsagus conservandis Sanctorum pigneribus paullo ante effecerat? Necdum locum hunc aliqua castelli vel valli defensabat munitio : et ideo, magis autem peccatorum mole urgente, huc perfacilis iniquorum irrupit incursio. Nec modo semel, verum bis terque Sithienses fines redivivis irruptionum suarum vastationibus repetentes profligare non cessarunt, donec prædictorum Sanctorum meritis divina ultione multipliciter attriti, in vaginam suam compulsi sunt regredi *h* : Dehinc ut tertia quoque orbis examinaretur plaga, demum famis et barbaricæ cladis residuos ubicumque locorum rabies insequitur belluina, quos miserabiliter suffocatos trucidat, atque inhumatos membratim discerpens exterminat. Tantis divinæ ultionis cladibus hanc terram ferme centum F annis occupantibus, denuo quasi quodam diluvio diluitur his decocta tribulationibus. Tantorum ergo malorum sacerdos Dei Folquinus sancti Spiritus illustratione præmonitus, dum adhuc vixit, venerabile S. Bertini corpus ignoto loco, et ubi minus putaretur, occuluit; ubi usque ad hæc nostra novissima tempora, scilicet ducentis quinquaginta *i* annis, Altor et Pastor noster latuit, donec fundandæ cryptæ causa, uti jam prænotatum est, eumden subversio principalis aræ detexit.

Bovo consulit de invento corpore præsulem Remensem, epistolam ei præbens

24 Quibus indiciis jam certior factus, suscepta ab episcopo nostro epistola, Remis ad archiepiscopum proficiscor super his consultum quæsiturus : ubi cum venissemus, domno archiepiscopo locuturi processimus. Nobis quoque coram se intromissis, moxque sese toto exposito ad seriem nostræ dicendæ rationis, gestæ rei novitatem ei per ordinem primum retulimus, ac deinde epistolam domni episcopi cum teste scriptura, super hoc ipso loquente, ac crucis titulo, ipsi dedi in manus. Qui mox convocatis abbatibus, archidiaconibus, et quibusque sanioris mentis monachis atque canonicis, in conspectu ducentorum,

A. Bovone abb. ducentorum, tertio *k* Idus Januarii in festivitate depositionis S. Remigii in hæc verba eadem recitata est epistola : « Domno Widoni Dei gratia « Remorum archipræsuli Drogo episcopus eo« rum, qui dicuntur Morini. Cum divino mu« nere apicem summæ dignitatis obtineas, et « pastoribus sub te constitutis uti præcluens pa« stor auctoritate simul et vigilantia consulas, de « te actus nostri pendent, ad te respiciunt con« cilia : quæ si deifice et laudabiliter disponan« tur, tua est utilitas simul et nostra. Unde si « quando in ecclesiis nostris aliquid contingit « solitum, ubi pro rei magnitudine seu novita« te non satis plene nobis sufficimus ad consu« lendum consequenter, ad te, quippe ut ad « caput a membris, recurritur, quatinus in du« biis nostris certiores nos tua auctoritas faciat, « quorum humilitas nihil per se temere definit, « quod altiorem considerationem et deliberatio« nem requirat. Noverit itaque Paternitas tua, « in diœcesi nostra his diebus novum quiddam « contigisse et mirificum, quod ut tibi scribe« rem, tamque super hoc efflagitarem senten« tiam, visum est mihi fuisse consilium. Locus « dictus Sithiu vicorum Dei est cœnobium et se« dis nostræ parochia, eorum quoque non ulti« mum, quæ olim a regibus fundata simul et « ditata antiquitatis reliquit memoria. Celeber« rimum sane est multis Sanctorum inibi quie« scentium pigneribus, inter quæ quasi quodam « specialis meriti privilegio beatus eminet Ber« tinus, ipsius videlicet loci rector præcipuus. « Res postulabat ut pro construenda crypta mu« taretur cardinalis ara, quod altiore consilio « abbas facere instituit in nostra præsentia. Ubi « dum post altaris destructionem terra altius ef« foditur, reconditorium quoddam lateritio ope« re ac cæmento pæne indissolubile oculis ad« stantium offertur. Quod tandem multo sudore « destructum, scrinium plumbi et ossa cine« rati corporis monstrat contineri cum sigillino« tamine satis evidenti. Sigillum crux fuit argen« tea, titulus vero, S. Bertinus Abbas.

episcopi Taruannensis, qua exponitur dubitandi ratio :

25 « Hæc res tam mira, tam insperata cum « quosdam perfunderet gaudio, quosdam vero « diffidentia turbaret et stupore nimio; abbati « et Fratribus super hoc testimonium redit ad « memoriam et ad aliorum minus credentium « perducitur notitiam, cujus etiam tibi breviter « perstrinximus sententiam. Legitur in ipsius « loci archivis publicis, quod S. Folquinus nostræ sedis episcopus (cujus etiam corpus magnis « celebre virtutibus in eadem quiescit eccle« sia) grassante igne et ferro Danorum barba« rie per loca maritima, paullo ante hanc vasta« tionis luem corpus hujus Sancti certa die « terra recondiderit : ceterum quando vel a qui« bus post inventum sit, ne mentio quidem ali« qua, excepto populi rumore, qui sicut certa « pro incertis, ita plerumque falsa pro veris in« ducit. Hujus rei testatio ad rei fidem nobis « satisfacit : sed est aliud, quod partim nos, « vulgus autem minus intelligens non mediocri« ter angit. Nam quid de reliquis sub ejusdem « Sancti nomine in eadem ecclesia in reveren« tia habitis fieri oporteat, si recens inventum « Sancti corpus ad debitum honorem transfera« tur, nulla nobis ad votum definitio suffraga« tur. Precamur itaque per eum, qui te nobis « præfecit antistitem, per sancta caritatis mu« tuam connexionem, ut adscitis viris, quos « divinæ legis illustret scientia, vitæ etiam lau« dabilis approbent testimonia, super hoc utro« que consultum habeas, et auctoritatis tuæ re« scripto nobis super utroque consultum facias : « ut omni nebula ambiguitatis remota, dissen« sionis etiam totius pellantur scandala, et pa« cis concordia in nobis augeatur, et laudetur « nomen Domini in omnibus operibus nostris, « Amen ».

Wido archiescopus elevationem suadet, seque adfuturum pollicetur ;

26 Qua perlecta, omnium consultu, omnium votis aliam jussit rescribi epistolam, continentem hujusmodi responsa. « Wido Remorum ar« chiepiscopus Drogoni fratri et coepiscopo, fe« liciter vivere in utroque sæculo. Quia sapien« tia semper sapienter agit, et Salomon dicit, « Fili, omnia fac cum consilio, et post factum « non pœnitebit; laudamus, Frater carissime, « prudentiam tuam, a nobis uti par est consi« lium petentem, super recens inventi Sancti « reliquiis. Nos autem consilio super hoc ipso « cum nostris habito, ut petiveras, corpus qui« dem repertum S. Bertini esse decernimus, quia « incerta certis omnino postponimus, quod et « scripturæ, quam nobis misisti, confirmant te« stimonia, et loci, in quo repertum est, di« gnatio, ac evidens indicium, crucis videlicet « nota. Ipsum itaque sanctum corpus, cum de« bito honore levatum, in reverendo (uti de« cet) loco ponite : sed et alterius incerti, ut « dicitis, Sancti reliquias juxta ipsius S. Bertini « corpus locate, confidentes de misericordia Dei, « quia et ipsæ cujus sunt, in ipso revelabitur « tempore. Ceterum tam ad incerti Sancti *l* re« velationem quam ad certi revelationem tridua« num jejunium populo indici statuimus, ut ora« tionibus ac jejunio populi sui complacatus, « quando vult et quomodo vult, nobis aperiat « Dominus, Amen ». His peractis, quibusdam domesticis ejus seorsum excitis, eumden summum præsulem his internuntiis deprecamur supplices, quatinus dies Dei auxilio agendæ elevationis futurus sui adventus præsentia honoraretur, suæ dignitatis auctoritate solidaretur. Qui mox tempus diemque percunctatus, quando id Domino suffragante acturi essemus, ut primum vel secundum Maii mensis diem nostro responso percepit, sese futurum, vita tamen ac salute sibi comite, benigne spopondit. Unde aliquantulum jam effecti animæquiores, suscepta descriptionis epistola acceptaque licentia *, domum regredimur celeres.

* i. e. dicto vale

Bovo igitur omnia præparat ad solemnitatem.

27 Ubi autem Tarvennæ pervenitur, domnus episcopus ibi offenditur : cujus præsentiæ admissi, epistolam ad verba sua renotatam dexteræ ejus injecti. Qua recitata, sese ad summi præsulis consultum cuncta pollicitatur per diœcesim suam indicenda. Dehinc nobis domum digressis, obsecrationibus, jejuniis, vigiliis, pro modulo nostræ exiguitatis misericordiam Dei patrociniaque Sanctorum medullitus quærere, jamjamque appropinquantis agendæ festivitatis apparatibus omnimodis studuimus intendere : cum quidam pro hoc ipso grandes contradictionum inquietudines, molestias, persecutiones, injurias nobis inferre, et agendis Sancti mysteriis plurimum moliebantur impedire. Ut autem de nobis sileam, quippe qui non satis dignam malis nostris recepimus pœnam; sed in Sanctos Dei quidlibet moliri, quanti sit criminis, arca illa testamenti, bobus calcitrantibus inclinata, evidentibus monstrat figuris : quoniam dum eam levites temere tractando relevare nititur, divina mox ultione addictus mortali vita frustatur. Haud secus quicumque quodlibet

A libet a servis Dei dispensatorie factum objurgare moliuntur, caveant ne quandoque, ni pœnituerint, vehementiore animarum damnatione percellantur. Multis dehinc vexati tribulationibus, tandem ab his, Christo propitio, liberati sumus.

ANNOTATA.

a *De factis per Fridogisum in detrimentum cœnobii Sithiensis egi in Commentario num.* 99 *et seqq.*

b *Hæ numerorum subtilitates cum sequente nominis etymologia poterant omitti, cum nihil ad rem faciant.*

c *Obiit Ludovicus Pius anno* 840, *relictis tribus filiis superstitibus, nimirum Lothario imperatore, Ludovico Germaniæ rege, et Carolo Calvo in parte Galliæ regnante. Hisce accedebat Pippinus nepos, qui etiam partem regni desiderabat. Prædicti filii jam reges erant constituti, vivente Ludovico. De eorum discordiis et bellis, tam patre vivente quam eo defuncto gestis, videri possunt historici. Pugnam ad Fontanetum in pago Autis-*
B *siodorensi, ubi victus est Lotharius, refert Pagius ad annum* 841.

d *Consule Commentarium num.* 146, *ubi ostendi numeros verisimiliter hic corruptos esse, cum non congruat chartæ apud corpus inventæ in translatione tertia.*

e *Anonymus apud Mabillonium inter miracula* S. Bertini *pag.* 123 *et Iperius cap.* 12 *part.* 3 *factum hoc fusius narrant. Paucis eorum mentem explicabo, cum res magis spectet ad S. Audomarum. Hugo abbas Sithiensis simul erat abbas S. Quintini in Veromanduis, ac corpus S. Audomari ad hanc abbatiam translatum cupiebat. Usus ad id est Moro, monacho Bertiniano, qui æditus erat constitutus ecclesiæ S. Audomari. Morus enim Sancti corpus clanculum cepit, et cum Hugone abbate aliisque id portavit usque ad villam* Liesgensburtz, *ut habet anonymus, Iperius* Lisbourg *nominat. Pagus est in Artesia ubi Lisa flumen oritur. Verum cum ibi morarentur cum sacro thesauro, S. Folquinus furtum edoctus, eo cum multis accurrit, fugienteque Hugone cum suis, sacrum corpus reportavit. Vide scriptores*
C *laudatos.*

f *Consule librum Miraculorum post Vitam* 2 *cap.* 1, *ubi prima Danorum irruptio narratur.*

g *Deest aliquid, forte* ut eriperentur, *cladi videlicet Normannicæ.*

h *De secunda tertiaque Danorum oppugnatione, eorumque clade vide caput* 2 *et* 3 *laudati libri Miraculorum.*

i Immo ducentis novem annis, *inquit Mabillonius,* tot quippe anni ab anno DCCCXLIII, quo S. Bertini corpus humi absconsum dicitur supra, ad annum MLII factæ translationis. *Verum hallucinatur ipse Mabillonius : nam pag.* 125 *observat, corpus a Folquino tectum esse anno* 846, *detectum a Bovone anno* 1056, *ideoque legendum vult,* ducentis decem annis. *Tot Sphalmata faciunt, ut etiam merito dubitem, an verba Bovonis recte impressa sint. Verum quidquid sit de editione, cum dixerim corpus occultatum videri anno* 846, *illudque detectum sit anno* 1050, *latuit annis* 204, *et ibidem mansit annis* 206 : *translatio enim anno* 1052 *facta.*

k *S. Remigius obiit Idibus, seu* 13 *Januarii, ideoque existimo male impressum esse* tertio Idus. *A. Bovone auct.*

l *Mabillonius hic ita notat :* Aiunt posteri, istas reliquias, hactenus cum reliquiis S. Bertini abbatis uno scrinio inclusis, esse S. Bertini junioris, filii Walberti comitis *etc. Verum sæpe laudatus Cletyus istam negat traditionem, observans sequentia :* Adhuc hodie istæ reliquiæ inclusæ sunt una cum reliquiis S. Bertini in scrinio bipartito. Eas esse S. Bertini junioris, filii Walberti comitis Archarum, nulla est apud nos memoria vel traditio. Immo juxta Iperium *(cap.* 1 *part.* 10*)* corpus S. Bertini junioris cum corpore S. Erkembodonis et aliorum Sanctorum supra majus altare in ecclesia canonicorum S. Audomari repositum veneratur.

CAPUT IV.

Elevatio ac translatio corporis, variaque miracula tunc patrata. E

Præsentibus archiepiscopo, episcopo, Flandriæ comitissa, multisque aliis, a b

Quid plura ? Primo Maii mensis die domnus Wido summus pontifex cum multis spectabilibus personis, Drogo etiam episcopus noster cum suo honorabili clero, diversique cum suis domni adsunt abbates. Nec deest domina Adhela *a*, fratre suo Odone *b* multoque procerum stipata milite. Nihilo minus e diversis locis adventantes innumeræ populi huc ruunt multitudines, ecclesiæ implentur parietes. Verumtamen domno archiepiscopo cum suis ceterisque hospitibus, quoniam ex itinere fatigati erant, ea die quiescentibus, interim nos quibuscumque necessariis præparandis intendere procuramus, ac omnia de Sancto agenda in crastinum differimus. Cum enim jam pridem prima Maii mensis die idipsum faciendum deliberarem, ac super hoc domni episcopi nostri adsensum misso ei nuntio quærerem; ille mox salubriore consilio in secundum ejusdem mensis diem potius indixit differri, ne celeberrima sanctorum apostolorum Philippi F et Jacobi sollemnitas, quæ eadem die esset, a sua celebritate videretur minorari; utque eadem præcedente, et demum salutiferæ Crucis inventionis festivitate subsequente, quique huc adventantes vel hinc revertentes festiva otii perfruerentur exsultatione. Qua de re nobis necdum id cognoscentibus divina factum esse dispensatione credimus, ut futura dies jam quidem convenientia decoraretur : ut sicut sancti Walberti *c* depositione magnificata, sic demum sancti Bertini elevatione magnificanda haberetur, quos unius vitæ lectiones commendarent, eademque responsoria concelebrarent. *c*

sacrum corpus elevatur :

29 His omissis sequentis diei primo mane paratis præsulibus, abbatibus, monachis atque canonicis, quibusdam etiam laicorum majoribus in testimonium intro admissis, cum processionibus ad sacrosanctum locum acceditur, litaniæ canendæ incœptantur, missisque operariis scrinium sacrati corporis effodi jubetur. Nec jussa differuntur; sed ejecta humo, sacer locus eo usque paratur, quo ad extrahendum Sancti scrinium facilis accessus cunctis daretur. Tunc pontifice nostro cum quatuor abbatibus probatioris vitæ

A. Bovone abb. vitæ viris, qui tractarent sacri corporis artus, circumpositis, panso scrinio, summus præsul Responsorium, DIRIGATUR ORATIO MEA, cantando incœptat, choroque suscipiente, SICUT INCENSUM IN CONSPECTU TUO DOMINE, idem intus extraque thurificat. Hoc præcantato, dum eodem præcinente ejusdem Responsorii versus, ELEVATIO MANUUM MEARUM SACRIFICIUM VESPERTINUM subsequeretur, quod antehac cujuscumque rei gratia a nonnullis tentatum difficultate quadam denegabatur, tunc paucorum manibus incertis cum agilitate ac facilitate extrahitur, in eminentiores scamnorum apparatus effertur, nobis terram cunctis petentibus veneratur, itemque thurificatur, nostris quoque tunc maculosis conspectibus tam sacrata membra revelantur, aqua vinoque rorata piantur.

clericus uno oculo cæcus sanatur :

30 Interea quidam clericus, Berwoldus nomine, unius oculi lumine orbatus, seorsum adstabat, qui jam pridem eo usque utrosque oculos perspicuitate pares habebat, sed nescio cujus mali causa antehac quamdam venam secandam contiguam oculo, ut medicaretur, sibi incidi fecerat, B unde omne lumen ejusdem oculi amiserat : sed id præter paucos et domesticos suos ruboris causa pæne cunctis celaverat. Hic sancti Bertini patrocinium, ut a Domino sibi reddi lumen amissum obtineret, intimis precibus deposcebat, atque quolibet Sanctorum membrorum, quæ ibi tractabantur, tangi sibi oculum, multopere anhelabat, sed appropiare minime sibi permitti metuebat. At nobis tantæ rei sollicite intendentibus, ac interim quibusdam canticis dictis eidem sacramento convenientibus, Responsorioque sanctæ Trinitatis adsignato, „ Quis Deus magnus „ sicut Deus noster, tu es Deus, qui facis mi„ rabilia „, decantato; item ejusdem Sancti Responsorium, „ Gloriosus igitur Dei athleta, ac „ eximius sacerdos Bertinus, in prolixa ætate „ jejuniis et orationibus famulans Regi super„ no „, a choro morose cantandum suscipitur; sicque inter canendum jam dictus clericus rebus sufficiens, sed oculi unius lumine carens, cum sanctis artubus (ut jam dictum est) vereretur accedere, quemdam Fratrum nostrorum aliquod sacrorum membrorum summotenus di- C gitis suis obsecrat attingere, suoque cæcato oculo eisdem digitis signamen imprimere. Quod nobis insciis dum fieret, magis autem ob devotionem præsentis Sancti hic finis Responsorii animos adhuc psallentium demulceret, „ Hodie suscipit meritorum præmia in Angelorum choro „; mox ille lumine datur exspectato. Et sane quod Dominus ad laudem sui nominis, et ad Sancti meritum propalandum, concessit fieri in se, ipse stulto pudore reticeri voluit : sed forte tunc cuidam Arnoldo sibi familiariter adhærenti mussando intulit, bono omine suo se illuc admissum, eo quod præsentis Sancti attactu diu amissum receperit visum, eidem omnino attestans, ut hoc taceret, nulli umquam aperiret. Verum alter nequaquam tantæ ejus insensibilitati adquievit, sed circumstantibus mox detexit. Quod quidam Walterus vere contigisse comperiens, extenta manu cunctis silentium indicens, eumdem unius oculi visu diu damnatum, tunc vero meritis Sancti exspectato luminis dono clamitat reparatum. Quibus auditis plurimum exhilarati, præ gaudio infundimur lacrymis, hac jam quadam spe consolamur, quod quibuscumque divinæ gratiæ indiciis omnibus a cordibus diffidentium dubitatio pelleretur.

31 Tum quidam etiam domesticus noster, sed D nimis catenus nobis hac parte dissentiens, nimiumque huic rei insolens, tunc primum multa pœnitudine ductus, multo lacrymarum fonte perfusus, sed necdum eidem rei satis credulus, votis, quibus valebat, ipsum pietatis fontem Dominum suppliciter orabat, ut si id corpus S. Bertini foret, quod ibidem tunc attractabatur trino miraculorum signo cunctis declarare dignaretur. Interea candido linteo pretiosoque pallio, quæ comitissa ad hæc libens paraverat, sanctis membris, ut olim concorporata fuerant, compositis, ac in immodico scrinii busto a domno archiepiscopo reverenter collocatis, item præfata venerabilis matrona magnæ devotionis suæ, quæ erga Sanctum habebat, propalans desideria, quamdam salinarem terram coram cunctis, qui aderant eidem Sancto, donatione tradidit legaliter facta.

servi de reliquiis dubitatio comitissæ dona :

translatio corporis :

32 His ita gestis, cum ingenti psallentium tripudio in ulnis extollitur, ac foras crypta in sacrarium venerandum defertur, cum ecce reliqua Sanctorum inibi quiescentium corpora præ foribus cryptæ protenduntur obvia. Nec archiepiscopo tunc Missas celebraturo, turbis com- E primentibus et accurentibus, facilis dabatur exitus : ideoque extra limina monasterii tunc cuncta jussa sunt efferri, quatinus ea comitante majoris multitudine populi, summus pontifex Missas acturus, sancta sanctorum *d* sine impe- *d* dimento posset ingredi. Quod cum opportune efficeretur, maximeque partes totius plurimæ Sanctorum pignora subsequerentur, summo pontifice sanctuarium ingresso Missæ cardinales agebantur.

puer contractus, prævia visione monitus,

33 Interea mulier quædam cum filio, brachia cruraque contracto, S. Bertinum pro illius salute rogatura, foris extra templum perstabat in atrio. Quæ etiam antehac cum eumdem duodennem Coloniam ad S. Heriberti *e* ceterorum- *e* que Santorum inibi quiescentium suffragia cogitaret devehendum, quatinus eorum meritis obtinere forsan mereretur officia membrorum; ad hæc idem quamquam puer inquit se per visum jam ter admonitum, ne quoquam deportaretur, nisi prius ad S. Bertinum latus ejusdem merita experiretur. Cumque illic etiam per visum ventum esset et oratum, item idem quatuor colum- F bas candidissimas vidisse se ait avolantes foras monasterium, ipsumque altare concussum instar folii contremere, seseque coram eo prosternentem, nec mora inde meritis Sancti sospitem surrexisse. Id igitur puero genitrici referente, jamjamque fama elevandi Sancti adsequente, eadem cum puero multos * comitatu advolat, proventumque Domini interventu S. Bertini præ foribus præstolans monasterii supplex cum filio perstabat.

* *forte* multoque

vigore donatur :

34 Cumque ipsa inter comprimentes turbas ad osculandum Sancti feretrum impingeret, ac repulsa importuna repeteret, puerumque Sancti feretro apponere multo conamine niteretur; Deo annuente, idem puer brachia cruraque directus sospitati donatur. Quod multi cernentes, quidam adstantium oppressæ matri succurrunt, quidam vero puerum comprehensum efferunt. Quo facto tumultuantis innumeræ multitudinis clamor attollitur. Deus mirabilis in Sanctis suis vulgo prædicatur : quoniam puerum quem paullo ante vix repentem noverant, hunc præ oculis suis incedentem, prævia matre, cernebant. Nobis interim in choro ad Missas psallentibus, hujus rei

A rei odor nobis illabitur suavissimus. Quod dum a nobis utrum verum foret, adhuc quæreretur, idem puer meritis sancti Bertini sanatus ingreditur, erectusque in medio nostrum, ducente matre, coram altari secundum modulum suum Deo gratias acturus prosternitur. Et dicto Euangelio domnoque archiepiscopo coram altari hymnum Te Deum laudamus inchoante atque multipliciter choro subsequente, multos Christo in re gesta conjubilantes, multos lacrymari præ lætitia cerneres.

cæcæ visus restituitur.

35 Necdum vero hymno completo, et adhuc nonnullis nobis flentibus præ gaudio, quædam etiam mulier cæca hujus civitatis mansionaria, ideoque cunctis nostris notissima, tunc visum recepisse denuntiatur, ipsaque in conspectu omnium nuntium hujusmodi illuminata comitatur, ac puero ad laudem Dei et ad meritum S. Bertini protelandum prostrata admiscetur. Quanta vero exultatione quantave dignitate ea die in Domino exsultatum ac delectatum est, nullius adsertio ad plenum expedire sufficiet. Nam quorumdam inquietudinibus, molestiis, ignominiis B eousque exacerbati; tunc Dei nostri super nos gratius coruscante gratia, facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione. Jam nunc prælibatæ singularis gratiæ causa emicat, jam illud quiddam boni quod miseratione Dei confovendum, temporeque suo perducendum prædixisse memini, infulminat. Nullum nostrorum hæc gratia ingratum habeat, omnes nos Christo deinceps devotiores exhibeat, omnes ad laudem Dei vigilantiores impellat. Dum profecto his intendo, etiam trium verborum in inventa crucicula sculptorum mihi incidit mentio. Ut enim tunc tribus evidentioribus signis claruit elevatio. Nam sicut in inventione quisnam esset nesciretur, ni tria verba loquerentur; sic quoque in elevatione ne haud satis ab omnibus crederetur, nisi his trium miraculorum indiciis veritas clarificaretur. Quid igitur? Tantane nihil harum rerum convenientia moveremur? Tria verba inventionem, tria miracula prædicant elevationem. O quanta operum Dei consequentia, quanta lucet concordia! Hac verborum signorumque * omnia ab omnibus Dei gratia pelluntur umbracula, hac tanti Patroni nunc fulgorant * merita.

* supple luce
* fulgent

Corpus scrinio inclusum aliis reliquiis adjungitur:

C 36 Ceterum peractis cum tantæ gloriæ magnificentia sacrosanctis Missarum officiis, ceterisque Sanctorum corporibus locis suis deportatis, scrinium sancti Bertini adhuc immunitum super aram sanctæ Crucis, populo frequentandum exponitur, jam sole ad occasum vergente, positis custodibus in diem crastinum signandum conservatur. His bene gestis, corpora rebus procurantur, atque sic celeberrima dies illa cum inenarrabili gloria consummatur. Sequente vero die item acceditur, atque testis gestæ rei cautio ordinem, tempus, personam ac testes continens, adstante innumera populi multitudine, recitatur, ac perlecta cum inventa cruce sacrosancto corpori componitur, sicque compositum summi præsulis sigillo signatur, scrinium clauditur, ferreis circulis clavisque artatur, consuitur, vincitur, indissolubiliterque connexum cum innumeræ multitudinis tripudio in sancta sanctorum cum reliquiis inducitur magnificandum: ubi nunc usque veneratur, et domino annuente venerabitur in sæcula sæculorum.

A. Bovone abb. festum Elevationis: reliquiæ aliis datæ: f

37 Dehinc autem sacræ Elevationis diem *f* memorialem summus præsul ac domnus episcopus noster a cuncto populo hujus diœcesos deinceps venerandum, multaque devotione singulis annis indixerunt colendum. His ita peractis, et domnis præsulibus et abbatibus quiddam sanctarum reliquiarum impetratis, *, singuli singulis donati muneribus ad sua remearunt lætius.

* consecutis

cæcitas dente Sancti admoto sublata. g

38 Quorum unus, videlicet abbas S. Walerici Wazo *g*, sanctarum reliquiarum quiddam adeptus, postquam peracto sacræ elevationis sollemnio, gaudens domum est regressus, quidam rusticus utrorumque orbium pupillis gravibus maculis obductis cæcatus, puero sibi dirigente gressus accessit ad eum, quidlibet medicationis postulaturus. Cui ille: Nihil, inquit, antidoti tali morbo novi salutiferum, præter cunctipotentis salutarisque Domini nostri Jesu Christi proventum. Verumtamen cujusdam celebris Sancti sanctissimo elevationis obsequio nuperrime, nonnullis concurrentibus, et ego conveni, sanctoque hujuscemodi negotio quamvis immeritus interfui: ibi quoque quanti idem Sanctus fuerit, diversis miraculorum magnalibus Dominus cunctis nobis declaravit. De quo etiam unius sanctorum dentium dono ditatus huc regrediens attuli, tali munere gavisus: et si fidem adhibueris E ejusdem meritis Sancti te posse sanari, actutum tibi jubebo præsentari. Ad hæc ille: Confido, inquit. Isque mox in conspectu adstantium adferre præcepit. Quo allato et utrisque ejus luminibus adhibito, confestim revelatis oculis clare videre cœpit, atque super hoc nomine Domini benedicto, sospes hilarisque domum rediit.

ANNOTATA.

a *Adhela erat filia Roberti Galliæ, regis uxorque Flandriæ comitis Balduini Insulani, ut habet Iperius cap.* 36 *part.* 3, Athelam *vocans.*

b *Odo erat filius Roberti regis, sed numquam matrimonio junctus fuit.*

c *S. Waldebertus aut Walbertus abbas Luxoviensis colitur* 2 *Maii; at suspicor hunc a Bovone etiam, sicut ab aliis factum vidimus, confundi cum Walberto Archarum comite, de quo agitur in lectionibus* S. Bertini.

d *Habet hic auctor nonnullas expressiones minus usitatas. Archiepiscopum vocat* summum pontificem; *ad altare procedere, hic dicit* sancta F sanctorum ingredi: *mox multitudinem populi vocat* plurimam, *et Missas solemniores,* Missas cardinales.

e *Colitur S. Heribertus archiepiscopus Coloniensis* 16 *Martii quo de eo actum est in Opere nostro.*

f *De festivitate Elevationis consule Commentarium num* 166, *de reliquiis vero alibi servatis num.* 160 *et seq.*

g *Abbatia S. Walarici est in Picardia prope fluvium Somonam mari influentem, ut dictum est in Vita ejusdem Sancti ad diem* 1 *Aprilis, quæ videri potest.* Wazo *abbas ex hoc solo loco commemoratur in catalogo abbatum S. Walarici apud Sammarthanos.*

APPENDIX

MIRACULA ALIA NECDUM DATA CONTINENS

auctoribus incertis et diversis

Ex editione Mabillonii.

CAPUT I.

Quidam festivitatem Sancti violantes, puniti: ægri sanati: periculum incendii sublatum.

Pœna prodigiosa festum a

Dies *a* festus translationis corporis beati patris Bertini, quæ celebratur septimodecimo Kalendas Augusti, instabat, et presbyter futurum celebrandumque digno more ac solita consuetudinis reverentia indicebat. Eumdem itaque festum Translationis diem quædam mulier postponens neglexit, opusque servile usque ad mediam diem peragere studuit: post vestes sibi munditie parandas abluere festinavit: sed aliud quam rata erat, eadem hora sibi contigit. Nam subito primum rubræ effectæ sunt, tum infectæ cruore sanguinem distillare cœperunt. Instat illa lotum * vestes superare accrescentem nitens sanguinem: sed quo magis abluebat, eo magis ipse sanguis incremento abundabat. Nam inprimis guttatim stillavit, postea, uti per stillicidium aqua distillare solet, fluxit. Quid ageret? Stabat stupefacta, superque tanto miraculo attonita. Protinus fama signi volat, concurrunt vicini, præsentes mirantur. Et quidam ex illis verum protulit, inquiens: Festum diem hunc solvisti, operata est, cum minime tibi licuisset operari. Acceleratur ad ecclesiam, venia petitur, pœnitentia indicitur, cruor fluere desinit.

* lavando

translationis non colentium.

2 Altera autem mulier eodem die, vanno annonam purgavit, purgatam molere volens. Verum antequam id operis aggrederetur, a nonnullis, quod minime observaret festum diem, reprehendebatur. Quorum verbis irritata, fertur respondisse: Quot sunt, quotque numerantur anni soles, tot nostri presbyteri codex inscriptas habet festivitates. Dixit, et omnino molere voluit. In primo molæ rotatu lignum palmæ digitisque adhæsit, tum brachium quoque totum diriguit. Mox etiam mola immobibis stetit, adhærens manui lignum ad sese traxit; conata est avellere, sed non potuit. Tandem rubore confessa verecundiam, dextram ligno adhærentem ostendit, noxamque errati confitens, ecclesiam adiit. Monitu sacerdotis orationem præsentes fundunt, lignumque cecidit; ipsa læta domum rediit: cui usque omnis festus dies timori fuit. Alio quoque tempore eodem celebritatis suæ die spicas avulsas sanguine affluenter imbuit, sicque humanis usibus inutiles reddidit.

3 Cum venerandus pater noster Bertinus postquam diabolo in specie mulieris tentatus esset, et a S. Martino visitatus et liberatus, considerans omnino monachis non expedire sexu femineo quovis modo communicari, sub anathemate ingressum feminarum de additis ejusdem cœnobii penitus exclusit. Quod ab ipsius B. Bertini tempore bene ab omnibus observatum est usque ad illud tempus, in quo *b* Adala nobilissima conjux Arnulfi *c* comitis et abbatis istius loci, cum sæpissime magnis infirmitatibus esset aggravata *d*, desiderare cœpit, ut in hoc monasterio ei licentiam monachi darent intrare, ut coram altari sancti Bertini pro salute deprecatura liceret se prosternere. Hujus igitur rei causa advocatis venerabilibus episcopis Wicfrido Tarvennensis ecclesiæ episcopo et Folberto Cameracensis, denudavit eis desiderium suum; accepta etiam a monachis licentia, anno Nativitatis Domini nongentesimo trigesimo octavo, annoque quinto Ludovici *e* regis, feria secunda Paschæ, introduxerunt eam præfati episcopi in eodem monasterio, non sine tremore maximo: quoniam hoc illa prima facere præsumserat, quod antea reginarum nulla concupiscere vel andebat. Sicque introductæ et ante altare B. Bertini prostrata, devote oratione fusa plenam corporis sospitatem recepit. Intrando autem plurima huic loco ornamenta *f* contulit, et quamdiu vixit, numquam donare cessavit.

Adala Flandrix comitissa, ecclesiam Sancti prima ingressa ibique sanata:

alia sanatio subita.

4 Eodem tempore Rodulfus, ipsius castelli prætor urbanus, filium suum nomine Walterum cum morbo, quem medici variolam *g* vocant, morti videretur esse proximus, ulnis propriis sustollens ante S. Bertini altare deportavit, monachumque effecturum, si ejus pia juvaretur intercessione, spopondit. Quem mox saluti restitutum ac Omnipotenti famulum et S. Bertino obtulit monachum perpetualiter permansurum.

Cum festum S. Vincentii martyris solemnius factum esset apud Sithienses,

5 Veridicorum *h* virorum, qui interfuerunt, sedula compertum est relatione, quomodo tempore viri venerabilis domni Odberti abbatis locus Sithiensis cœnobii meritis S. Vincentii Christi martyris et sanctorum confessorum Audomari atque Bertini dudum divinitus ereptus sit *i* ab incendii discrimine. Quod quia videtur adeo audientium utilitati congruere, licet tamdiu celatum sit scriptorum negligentia incuriæ, tamen dignum ducitur officio stili commendari memoriæ. Nulla istic antiquitus de præfato Christi martyro custoditio agebatur sollemnitatis, nisi tribus lectionibus totidemque responsoriis: at ubi propria ipsius a quibusdam Fratribus huc allata devenere Responsoria, extemplo a Fratribus eorum suavis mulcedinis percepta harmonia, uti sunt admodum delectabilia, his Fratrum juventus plurimum est delectata, atque futuræ ex tunc observandæ celebritati adplene instructa. Exin depositio supradicti Sancti singulis annis præter solitum duodecim lectionibus decentius cœperat, ac Fratrum devotio magis magisque erga Sanctum Dei quotidie crescebat.

orto gravi incendio in vicina domo, tres candidæ columbæ cernuntur;

6 Quod cum aliquorum annorum fieret revolutione, nec Fratres desisterent ab hujusmodi sancta devotione; contigit uno anno paullo post, transacta decenter ejusdem celebri depositione, scilicet in ipsa S. Gregorii *k* festivitate, quæ constat quadragesimali tempore, magnam domum unius advocatorum, claustro atque monasterio contiguam, ex immortuo cerei fungo succensam ardere. Quæ, ut erat valida, horribiles flammas evomens, claustrumque illa parte, qua steterat, fumo igneque velans, omnibus monasterii officinis excidium minabatur, Fratresque

A tresque jam de tanti loci desperati liberatione lum ad extrahendos ecclesiæ thesauros et quæque supellectilia occupabantur : cum propitia Dei providentia tres columbæ instar nivis candidæ, cælitus (ut credo, utque post res edocuit) clapsæ, campanarium palam multis videntur ter circumvolitare, et nunc hic, nunc illic super pinnacula sessiones alternare. Quod nonnulli cernentes, a Domino talia effici existimabant, talibusque indiciis locum istum a tanto incendii discrimine servatum iri orantes exoptabant. Cumque adeo ingens esset, uti principis * adeo claustro immineret, ut vix aliquod intervallum interfuisset; tantumque incendii ex hac grassaretur, ut longe hinc distantia domata * exinde invaderentur, magna etiam pars ipsius castelli consumeretur; Deo gratias, non solum omnis hic locus a tanto periculi dispendio ereptus, verum etiam ejusdem ereptionis manifestiori revelatione non multo post glorificatus est.

* *forte* principi *i. e.* præcipuo

* *i. e.* domus

apparensque S. Vincentius in somno cuidam monacho revelasse dicitur,

* Ms. monasteriolum

B 7 Adhuc autem duraverat illud avitum S. Petri monasterium *, a S. Bertino patrono nostro (ut dicebatur) constructum, ad quod crypta quædam permodica ab oratorio S. Martini præbebat accessum. Quod quidam Fratrum, Rambertus nomine, hujus loci monachus, ob amorem S. Petri Apostolorum Principis sanctique Bertini ejusdem structoris recolens, singulis noctibus, peractis Matutinorum excubiis, frequentare ac ibidem psalmodiis et sanctis meditationibus pernoctare solebat. Hic cum in eodem quadragesimali tempore, paullulum post præfatam illius combustionis comminationem, quadam nocte, peractis Matutinis, talibus operam daret, et quoniam Matutini solito citius ipsa nocte sonuerant, vigiliis fatigatus sessum peteret, atque, sicut est infirmitatis humanæ, ibidem somno gravatus paullulum dormitare cœpisset; visum est ei videre quemdam magnificum virum dalmatica leviticisque *l* cultibus candidatum sibi adstitisse, seque an dormiret rogasse. Cum vero præ timore nihil, ut sibi videbatur, ad hæc posset respondere; Noli, inquit is, qui videbatur metuere. Adjecitque : Sed nosti, quis sim ego! Ad hæc ille : Ignoro, domine. Tunc ille; Ego sum, ait, frater Vincentius, et gratias refero vobis pro observatione meæ celebri- C tatis atque proba devotione, quam circa me geritis.

l

cœnobium ab incendio servatum SS. Vincentii, Audomari et Bertini patrocinio ;

* Ms. *addit* fuerunt

8 Numquid etiam vos latet, quid illæ tres columbæ super nivem candidæ *, quæ istic, in immensum furente Vulcano, apparuerunt? Cui ille : Latet nos, Sancte Dei : auspicato nostræ protectioni a Domino talia arbitrabamur propalari. Et ille : Rite, inquit, arbitrabamini. Ego enim eram cum sanctis Audomaro atque Bertino, qui huc vobis venimus præsidio. Nam quorumdam culpis exigentibus omnis locus iste in deditionem flammæ a Domino fuerat traditus, verum causa meæ memoriæ, quæ hic in tam longinquis oris a vobis agitur, et quia tam devote festivitas meæ depositionis observatur, ego cum Sanctis, quorum hic emerita corpora venerantur, coram majestate Domini pro vobis opportunus interventor adfui, et a benignissimo Jesu ereptione hujus impetrata cœnobii, nec mora huc adventavimus vestræ conservationi. Quæ omnia abbati Odberto, cunctæque congregationis Fratribus detege, et ut ex his miserantis Domini objurgationibus emendatiores fiant, commone, ne aliquando districtius feriantur correctione : meaque ex parte magnas gratiarum actiones cunctis ne negligas reddere, quod tantum devotionis affectum circa me gerere, quodque mei natalis observationem tam decenter tamque humiliter instituerunt colere. His dictis, somniator evigilavit, et is, qui videbatur, disparuit. Cujus revelationis nectare Frater ille mellificatus animum, imbre perfundebatur lacrymarum.

uti monachus ille abbati reliquisque monachis declaravit :

9 Mane autem facto cum in utroque nutaret, scilicet utrum reticeret, an palam faceret; quemdam priorum, nomine Grimwaldum, accersitum consuluit super hoc, quid facto opus esset. Illo autem hortante ac suggerente Sancti ipsius jussionibus parendum esse, nec occultari debere; una utrique * Patri vadunt indicare, deinde ejusdem Patris jussu omni congregationis phalangulæ. Testabantur vero Fratris ipsius lacrymæ, quarum ubertim in referendo manabat inundatione, omnia, quæ dicebantur, vera fuisse. Cumque inter plorandum et hæc inter dicendum audissent Fratres, gratias sibi referri ex parte tanti martyris, actutum cuncti prorupti in lacrymis terras petiere osculis, ac plurimum conjubilantes, super his benignissimum Dominum E laudaverunt et benedixerunt in canticis labiorum et citharis, qui sic placatur, et fertur in iniquitatibus nostris Sanctorum suorum intercessionibus ac meritis. Qua de re prædictus abbas cum sibi subjectis omnimodis excogitans, quo pacto præcipuum militem Christi dignius valerent extollere ac venerari, quatenus tantum pro se intercessorem coram divina majestate jugiter possent promereri; peracto, quod nunc superest, oratorio B. Petri apostoli, aram ipsius martyris in eodem jussit constitui, et extunc omni anno ejus natalem in albis cum omni devotione decentissime custodiri.

* *i. e.* ambo

qui se divinitus servatos crediderunt.

10 Nos autem, Fratres carissimi jam districtiorem prælocutæ comminationis correctionem experti, utpote qui nostro tempore omnem locum nostrum traditum desolationi oculis nostris, peccatis nostris hoc promerentibus, perspeximus igne devorari, tandem tempus visitationis nostræ in hoc nos oportet cognoscere, et quidquid in nobis Domino nostro perspeximus displicere, a sanctuario suo, hoc est a cordibus nostris festinemus auferre, atque gentes vitiorum, quæ in hereditatem suam venere, ne ponant Jerusalem F in pomorum custodiam, eminus a nobis studeamus propellere. Illius quoque Dominicæ super Jerusalem factæ comminationis memores simus, quod non relinqueretur in ea lapis super lapidem, qui non esset destruendus, eo quod non cognoverunt suæ visitationis tempus : atque post tantam incendii desolationem jam Dei gratia monasterio nostro ac omnibus reædificatis et restauratis in melius, hoc speculo castigatiores atque emendatiores effici omni conamine procuremus, atque innumerabilium vitiorum exercitus, qui Jerusalem sanctam Domini, scilicet nos, oppugnare non cessant, diebus ac noctibus repurgantes Christo nobis præsule effugemus, ac sacraria sua Domino nostro sanctarum virtutum decoremus ornatibus, quatenus ejus ad nos adventum quandoque promereri possimus. Sanctos etiam et electos Dei ad nostrum jugiter invocemus auxilium, quos ita promptos per hanc revelationem novimus novis ad succurrendum, ac eorum exempla sequentes crucifigamus nos mortificatione vitiorum et concupiscentiarum : quatenus nos Dominus noster possideat filios mortificatorum,

A. ANONYMO.

tificatorum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Miracula, quæ recito hoc loco, collecta sunt seculo* 13 *ab auctore anonymo, cujus compilationem edidit Mabillonius. Verum longe plura ille compilavit, sed pleraque Vitarum auctoribus restitui. Aliqua etiam in Opusculo Bovonis jam dato leguntur ordine tantum mutato. Reliqua, quæ ad* S. Bertinum *spectant, huc transfero, quæ vero ad alios pertinent Sanctos, omitto. Porro tria prima miracula leguntur apud Mabillonium pag.* 125 *et* 126. *Primum breviter perstrinxit Folcardus in Vita* 3 *num.* 50, *uti et tertium.*

b *Hoc factum compilator annexuit libro* 2 *Miraculorum pag.* 138. *Cletyus de eo hæc notavit :* Hæc excerpta sunt ex Folquini levitæ Cartulario, ubi hic ingressus comitissæ Adalæ fusius narratur; et ex membranis Eremboldi, qui eodem seculo vi-

B vebat. *Factum refertur ad annum* 938 *vel* 940. *Folquinus igitur et Eremboldus sunt coævi. De tentatione* Bertini, *deque ingressu mulierum prohibito ac postea utcumque concesso consule Comment. num.* 130 *et seqq.*

c *Arnulfus erat Flandriæ comes et simul abbas* S. Bertini, *sicut jam fuerat pater ejus Balduinus. Verum cum videret ex eo multum pati monasticam disciplinam, abbatiam reformandam curavit per S. Gerardum, quem sibi abbatem substitui voluit, ut narrat Iperius cap.* 23 *et* 24.

d *De Adala vel Athala laudatus Iperius cap.* 23 *part.* 2 *sic loquitur :* Habuit hic domus noster abbas et comes uxorem nobilissimam Athalam, filiam Heriberti comitis Viromandensis, de qua genuit filium Balduinum juvenem. Hæc domina Athala cum sæpissime magnis infirmitatibus gravaretur, in mentem venit ei, ut, si in hoc monasterio coram altari S. Bertini pro sua salute deprecatura sibi liceret accedere, sanaretur. *Deinde rem narrat, prout hic relata est.*

e *Jam monui in Comment. num.* 131 *annum quintum Ludovici regis, cognomento* Transmarini, *connecti cum anno* 940.

C f *Inter hæc ornamenta Mabillonius in annotatis ad hunc locum perperam recenset* cortinam miræ magnitudinis operisque præcipui, *de qua agit Iperius cap.* 28 : *nam hic testatur eam donatam a comitissa Mathilde, et multo serius.*

g *Idem plane habet Iperius cap.* 23 *part.* 2 : *et ante utrumque Folquinus, teste Cletyo.* Variola *autem morbus est notissimus, qui vocatur a Gallis* la petite vérolle.

h *Unde hoc factum auctor habuerit, sæpe laudatus Cletyus indicat his verbis :* Caput XIV VERIDICORUM *etc.* verbatim ut continentur in libro, qui adhuc asservatur in bibliotheca Bertiniana, et quem seniores nostri vocabant PASSIONALEM, eo quod referuntur in illo Acta sanctorum martyrum et Vitæ aliorum Sanctorum pro quolibet anni die. Scriptus fuit jussu Johannis abbatis, qui vita functus est anno MXCV.

i *Teste laudato adjutore, aliqua hic desiderantur in Ms. Bertiniano, in quo sic legitur :* Veridicorum virorum, qui interfuerunt, sedula compertum est relatione, quomodo locus Sithiensis meritis S. Vincentii testis Christi dudum divinitus ereptus sit *etc. Omittitur hic Odbertus abbas, cujus tempore id contigisse testatur etiam* D *Iperius cap.* 34, *asserens Odbertum abbatem factum anno* 1000, *periculumque incendii discussum scribens* per sanctos Vincentium, Audomarum atque Bertinum, in specie trium columbarum candidarum hunc locum circumvolitantium, et se contra flammas objicientium. *Res igitur contigit sub initium seculi* XI, *ut etiam innuit Bovo in Opusculo suo num.* 8, *ubi id factum breviter perstringit. Verum Iperius plus dicit, quam primus auctor. De S. Vincentio martyre, ad quem res præcipue spectat, actum est a Majoribus nostris ad* 22 *Januarii.*

k *Festivitas S. Gregorii Magni celebratur* 12 *Martii, ideoque semper tempore Quadragesimalis jejunii.*

l *Id est, vestitu diaconi fuit enim S. Vincentius diaconus Cæsaraugustanus.*

CAPUT II.

Sanctus certanti in duello favisse creditus : raptor bonorum villæ cœnobii Sithiensis subitanea morte percussus. E

Cum de villa quadam cœnobii Sithiensis lis orta esset, a

Sancti *a* patris nostri Bertini hereditatis pars Noviomæ urbi habetur contigua : nam ibidem villa de Çaumont adjacet, quæ tota juri ejusdem Patris debetur : tradita enim illi ab antiquo tempore titulis auctoritatis sancitur. Verum hujus villæ colonus quidam tyrannica abutens potestate nimiumque opprimebat bona illorum, modo vi quidem, tum autem quocumque modo poterat auferens. Hujus itaque insania ad id quidem deflectitur criminis, inque deterius evasit, ut partem coloniæ ipsius villæ invaderet, pervasamque suo juri ac ditioni vindicaret. Cujus vim invasionis cernens ministerialis, qui ab abbate positus in sui loco cuncta villæ providebat, nefaria machinanti totis viribus obviabat, furibundo resistebat, atque fieri Deo sanctoque Patri injustitiam proclamabat. Tandem adeo multum ac sæpenumero F reclamante, nonnullis æque etiam scientibus hujus rei veritatem, contradicentibusque insano cœpto illius, in jus ventum est : tantum enim suis præsumebat viribus. Ab hoc itaque injuriæ causa demonstratur, ab illo vero minime quidem fore injustitia denegatur *b*. Sic sic controversia agitur, et *b* ab utraque parte discurritur. Opponitur primum causa, ea palam statuitur, post eadem deliberatione sancitur. Tum demum ultima judicialis causæ res subsequitur.

eaque duello esset decidenda

12 Si negas, inquit noster propugnator, Dei ditioni sanctique Bertini juri hujus coloniam villæ, quam injuste tibi vindicas, deberi; victus tamen confitebere, suam Sancto victus reddes, et istam tuam minime recognosces : opponam, inquit, enim caput (et monstrat dextra caput) periculo, tantum ob Dei justitiam ipsius confisus auxilio. Et econtra, inquit alter, me ipsum invenies paratum certare, numquam victum fore dices. Vades itaque dantur, duellum firmatur, dies statuitur. Post itaque rem tali jure *c* firmatam minime sui villicus obliviscitur, sed adit Odbertum Abbatem, (is enim eo in tempore Sithiu regebat cœnobium) omnem rei seriem ordine *c*

A dine pandit, orat sibi subveniri, ut constituto die aut idem præsens adsit, aut in sui loco aliquos boni testimonii viros illo mittat, maxime autem orabat, quod idem Abbas præsens esset. Spondet is id quidem sese facturum, et auctoritate sui præsentialiter subventurum. Tum vero prostratus ante sanctum altare, Dei providentiæ sedulo diuque se totum commisit, suique misereri oravit : ac tandem petita benedictione abbatis, utens quasi quadam agilitate, magis solito raptim revertitur. Primum tamen sæpe et multum obnixe orabat, ne sui oblivisceretur. Veniente igitur statuto die, se duello præparabat, tamen juxta promissum aliquos suo venturos auxilio, sive ipsum abbatem exspectabat. Itaque post celebratam a presbytero Missam, devote finita prece, Eucharistia digne percepta, quod extra ecclesiam forte jacebat, super saxum magnum adsedit, versus locum Sithiu superius dictum erigens lumina, tensas palmas, vultum tenuit, solumque movens labia, magne puro corde clamavit.

B *pugil Sithiensium adversarium vincit, ope S. Bertini, ut credidit,* d

13 Forte Dei providentia ut declararet dignum meritum sui Militis, abbas alias intendens promissum neglexit *d*. Tum vero adversarius minas ingerens, verbis lacessens, moram facientem incusabat, et nonnulli suæ parti faventes probra contumeliarum ingeminabant, eum timoris arguentes. Ille tamen manebat, exspectabat, orabat, parvipendens exasperantes. Et tandem erumpens in vocem : Adhuc, inquit, una morula meum operibor dominum. Post vero ecce eminus adspexit, et duas columbas *e* nive candidiores aera secare pennis vidit. In has ita diu lumina fixa tenuit, quorsum tenerent volatum, quodve signi volatus portenderet scire desiderans. Audierant enim quondam se dignari ostendere pium patrem Bertinum, et in visione tenere hujus avis similitudinem. Itaque veloci volatu omnem procinctum ter ambiunt, postque ab oculis videntium evanescunt. Ilico surrexit et horrendum tonans, clypeo fulminans, cum baculo in hostem venit. Fertur denique quia dum surgeret, versoque baculo saxum percussisset, hoc ex se sanguinis rivulum emisisse. O digna, quæ roboratur adstipulaturque altero signo, mirum dictu, mirum visu sanguinem de saxo manare, C verum quidem Dei est omnia posse. Tandem perfidus invasor crebris ictibus victus superatur et solo prosternitur. Tum adeo male multatus sese victum multoties profitetur *f*, injuste invasisse villæ illius coloniam proclamat. Igitur vix ereptus a manibus victoris domum deportatur, et post triduum mortuus est. Omnis vicinia hoc merito factum esse dixit, miraculi signa celebravit, sanctumque patrem Bertinum devote extollendo coluit.

Nobilis prædo,

14 Verum quod nonnumquam bonis formidini est, et unde virtuti studentes maxime corriguntur, atque interius divino munere nitescunt, inde reprobi exterius audaciam sumunt, peccatum peccato addunt, verum postponentes, cæcatique nube mortalis rei deterius sequuntur, et in eis illud propheticum impletur, Sanguis sanguinem tetigit, id est iniquus prava sive pessima malis sedulo factis addit. Igitur alter tyrannus in nutritus sceleribus in prædicta urbe Novioma exstitit, ferox animo, immanior scelere, ante omnes alios die noctuque sanguinem sitiens. Itaque cum talis fama foret suæ iniquitatis, dolos, fraudes hac illacque expandebat. Nam strages miseri populi dabat, non viro, non mulieri, nec parvulo parcens quidem. Sed cum jam maxima ex parte quæque villarum adjacentia devastasset, Caumont villa minime quidem secura ab ejus insania exstitit, timens valde, quod sibi timebat, postea evenit. Et cum audisset et revera sciret peremtum sorte duelli, et injuste agentes in villam admittentesque injuriam sanctum patrem Bertinum vindicare; nullo modo insana mens ejus a solita rabie seu ab adsueto furore requiescendo cessabat, verum quidem opportunum locum conveniensque tempus, quo villam invaderet, volvebat. Sed cum deesset, ubi suæ rabiei audaciam verteret, (jam enim incendio, rapina cetera pæne omnia consumserat;) armat ducentos equites, versus Caumont villam iter arripuit.

A. Anonymo.

cum spoliasset villam cœnobii Sithiensis,

15 Attamen primum per devia tendebat, simultates fingens, quasi alio festinaret : forte e regione in villam irruit, armatis circumdedit, tum cuncta, quæ infra erant, bona diripuit. Casu omnia sua animalia, pecudes, pecora ad pastum extra villam die illo ierant : quæ cum redirent, passim pascentia campis invenit. Heu heu! duplex infortunium illis subito advenit. Infra villam quidquid habebatur melius, diripitur ; E extra vero quæcumque pecora pascebantur, abducuntur; cum ecce monachus, nomine Winradus, bonæ memoriæ vir dignus laude, missus ab abbate Roderico *g*, utili quidem ecclesiæ Dei nostrisque necessario temporibus, depopulata villa, supervenit. Duplicatur ergo clamor ejulatusque, postquam eum videre : Succurre, succurre, optime vir, bone domine, iterant, accelera vadens post hostem, ad ipsum verba precantia funde, certi sumus, ut, quando te viderit, ilico tibi reddet cuncta, quæ per se ducit, quia omnia, quæ infra villam erant, deprædatus est. Tactus igitur mitis vir intrinsecus cunctarum magnitudine querelarum, velociter post ipsum admisso equo festinavit, consecutus eum salutavit. At ille typo * superbiæ ferocitate animi minime quidem respexit, nec salutanti monacho servo Dei reverentiam exhibuit, quo saltem verbulum redderet.

* typho

et ablata restituere nollet,

16 Urgens tamen isdem calcaribus equum, habenis moderans propius accessit, audacius locutus est : Prædam hanc a villa sancti patris Bertini abripiens, injuste ducis : redde igitur, ne F ob injustitiæ temeritatem, ne propter injuriæ severitatem, iram Dei digne incurras. Noluit respicere, dedignatus est oranti reddere responsum. Ignorat is, quid ageret : dubitabat enim ignorando, ignorabat dubitando, ad quid rationis seu consilii se vertere posset. Videbat enim se contemni, cernebat preces suas despici : verumtamen præmeditabatur, quod ferocitatem animi ejus pollicendo aliquid molliret. Duo igitur illi offerre, cæleste et terrenum bonum, sententiæ fuit. Obtulit primum, alterum quidem haud obtulit, non enim effectus, non causa, non tempus fuit. Hic equidem submissa voce, humili oratione hæc cœpit proferre, vultu ordinis servans reverentiam, quam et habitu et mente gestabat. Oravit equidem, non autem peroravit. Vere spondeo, ait, certe promitto tibi ducentas Missas : cum perorare voluit. Verum ille indignans imperfectam orationem ab illius ore tulit, (et ut communi vulgarique verbo utamur) monachus pie ducentas Missas, alter prave despectiveque protulit ducentas fessas *h*. Ter denique eadem verba repetit, et ferum * calcaribus urgebat.

* i. e. equum

17 Adhuc

A. Anonymo. *subita morte punitur.*

17 Adhuc itaque verbum contemtibile in ejus ore versabatur, cum subito de equo cadit, in caput ruit, galea terra figitur, collum ruinæ casum sentit : tum quoque humana et secreta alvi per naturalem meatum erupere. Merito ergo ex illa parte plectitur dignaque multatur pœna, unde in sanctum Patrem emanavere opprobria : et juste digneque quidem inferius putorem emisit, qui superius similem fœtoris causam labiis et lingua in ore revolvit. Interea sui ducebant prædam, ignorantes dominum suum passum fuisse talis casus ruinam : et tamen fama cogente prædam dimittunt, ad dominum suum festinant, mortuum quidem et multatum vindicta cælestis iræ reperiunt. Tandem præda reducitur ad propria, nomen Domini ab omnibus laudatur, sanctique patris Bertini patrocinium veneratur. Hi læti insignis triumphi gaudia celebrant, illi tristia funera ducunt. O Dominum omnipotentem in Sanctis suis gloriosum ! o Deum in altitudine majestatis, in potentia magnitudinis mirabilem ! Quis dubitet hanc palmam nobilis triumphi adscribi posse meritis sancti patris Bertini ? In argumentum itaque fidei monachus supervenit, B accedens humiliter oravit, verba precantia coram Deo fudit, qui numquam despicit sperantes in se, superbos semper humilians, et humilibus dans gratiam, redditurus unicuique secundum opera sua, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum.

ANNOTATA.

a *Relata cap.* 15 *et* 16 *apud Mabillonium, id est, contenta hoc capite, Cletyus in nullo alio auctore antiquiore potuit invenire. At hoc factum narrat breviter Iperius cap.* 34.

b *Id est, negatur injustitia.*

c *Perniciosus duellorum usus ad dirimendas lites frequens tunc erat in Gallia, ut vel ex hoc facto videre licet. Guibertus abbas lib.* 3 *de Vita sua cap.* 14 *refert duellum, in quo fur accusatorem suum occidit : legemque de probatione per duellum, suo tempore vigentem, improbans, ait :* Huic enim legi certum est nullum canonem convenisse. *Legem de duellis abrogavit, duellaque prohibuit S. Ludovicus, ut dictum est* C *in ejus Actis tom.* 5 *Augusti pag.* 469.

d *Forsan abbas judicio tam dubio adesse noluit ; quamvis alias videatur consensisse pro consuetudine sui temporis, quo similia duella licita esse credebant multi, ut satis patet ex pia hujus pugilis præparatione.*

e *Signum id erat valde incertum, sed ita ad fiduciam animabatur pugil.*

f *Qui se victum fatebatur, causa cadebat ; et cum eo dominus, pro quo dimicabat.*

g *Rodericus, teste Iperio cap.* 36, *ex monacho sancti Vedasti Atrebatensis , agente Balduino Flandriæ comite, factus est abbas Sithiensis anno* 1021, *ut languentem a multo tempore disciplinam monasticam restitueret. At id frustra conatus est, et monasterium Sithiense ejus tempore combustum.*

h *Ex Gallico* fesses, *quod nates significat.*

D

CAPUT III.

Blasphemus in Sanctum punitus : sanationes quædam, et aliorum pœnæ.

Quidam de injuria frustra monitus, a

Quidam , Bodera nomine , subministerialem agebat causam cujusdam, majoris *a* prædìti potestate, advocationemque sibi vindicantis villæ proprii juris S. Bertini, Caumont nomine. Hic quia una et timeri ac placere desiderabat, nimium nimiumque vicicolas * labore usque impense acto premebat. Verum pro causa hujus moliminis et pro tantæ controversia injustitiæ, quidam monachus, Heribertus *b* nomine, qui abbati Bovoni in regimen hujus cœnobii successit, ex præcepto venerandæ memoriæ jam dicti Bovonis agens curam ipsius villæ, curavit hunc sæpius admonere, ut desisteret a nequam actu et E ab omnium oppressione. At palam arguentem sceleris velut metuens fugiebat, clam autem illi detrahens, subdolus machinamenta instruebat. Super his vero dolens monachus, dominum illius adiit, suorumque ac suam injuriam patefecit. Ego ipse, inquit, per me hunc primum curabo minari : et si deinceps hæc admiserit, pecuniæ sentiet damnum. Revertente vero monacho, forte alter jam dictus advenit. Cui dominus ejus : Heribertus, inquit, monachus tibi succenset, dicens, quia ruricolas meo servitio subdis. Redit siquidem ille armatus præcepto domini, malumque evomit latentis veneni. Nam apprehendit boves illius in agro pascentes, et servitio domino sui subdidit, eosque per totum triduum tenuit. Ut autem placuit, macilentos multumque afflictos, uti fit, tot laboribus reddidit.

* *i. e.* incolas vici

b

blasphemansque S. Bertinum, subita pœna percutitur :

* *i. e.* villa seu prædium

19 Inde adeo motus quidem monachus, nequam hunc verbis aggreditur : Usque ad id temporis libera exstitit nostra curtis * ab omni servitio, fuitque suæ potestatis, nec quis priorum ausus fuit in ea sibi vindicare aliquod jus sive vim invasionis. Quamobrem ergo nostros boves abegisti, et F in servitium alterius vindicasti ? Non mirum quidem, si nequam prava ore profert, majus est opus ac si esset dictum : Si tuus, inquit, sanctus Bertinus hos esset, jugo meo jungeretur, subque labore ingemeret, qui tuos quereris meo labori insudasse. At ille inquit : Quod dixisti, nequam vir ? etsi cogitares, quod nefas dicti est, nequaquam palam preferres. Plectere miser, merita plectere pœna, multabere cælestis iræ virga. Dum igitur isdem valde motus super his pedem averteret, merito digna percussus est plaga. Nam facies illius ad posteriora ilico flectebatur, adeo ut occiput, quod erat sinciput, et sinciput, quod erat occiput, haberi videretur, præter quod facies suis formis insigniri deberet : collum enim distortum et tumidum, labia æque quidem tumentia , et aliorsum ac deberent versa, lumina quoque oculorum inversum adspicientia cernere erat. Quid plura referam ? Quod mirum dictu magisque visu est, nihil humani in eo intuebantur. Talis itaque domum deportatur. At taurinos mugitus emittens, omnem viciniam suæ pœnæ cruciatu movebat. Erat enim in homine videre miseriam.

20 Verum suis * precibus aliorumque rogatu

deinde meliora promittens sanatur, * i. e. ejus

A tu, et quia voluit videre multatum, una cum aliis noster monachus Heribertus illo venit. Cujus præsentiam intelligens voce (non enim visu hunc ipsum agnoscere quiverat) quo pro se oret, deprecatur iutente, ac sæpe multum rogat. At ille compatiens misero, (quis enim mortalis hunc hujusmodi cernens non compateretur?) sciscitatur, an velit amodo resipiscere, funditusque priorem vitam corrigere. Eadem, inquit, passio et incurabilis percellat me feriens, si sane sanatus in omnibus emendari neglexero. Credidit igitur bonus vir sponsioni illius, reversus est continuo, oravit, sanitati restitutus est. Sequente autem die claris indutus vestibus, valentior atque sanior solito apparuit. Mirantur omnes, qui eum novere perculsum, tam repente convaluisse: sed ipse alia fingebat, componebat orationem, aliorsum verba detorquens ac deberet.

relapsusque ad injuriam, horrenda morte perit.

21 Verum cum sæpe mendacio contra verum stare homo adsuesceret, faciendi assiduitas aluit audaciam, audacia vero congeminavit crimen, crimen quoque meritam intulit mortem. Necdum triduo post hæc transacto, boves cujusdam pau- B peris rapuit, ditioni falsi juris subdidit, nimiisque laboribus pro libito sui proque temporis quantitate insudatum tenuit. Necdum boves reddiderat, et majora quidem actum ire forte cogitatu volebat, cum forte eadem passione, qua primum, percutitur, cadit in terram, miser tum quoque non homo esse, non mortale sonare videtur. Nam pro humanis verbis mugitus dat, pro planctu, pro querela rabiem agrestium ferarum imitatur; orat amicos quo pro se rogent, nec refert quidem: deprecatur nuntiis, ut sese visitatum veniat monachus: id quoque minime quidem meretur. Igitur eodem die, quo rursus percussus eadem infirmitate est, vitam, quam postposuerat, perdidit; mortem, quam secutus fuit, vidit, invenit, sensit *c*.

Mulier vinculis soluta, d

22 Mulier *d* quædam de Lotharingia, vinclis ferreis brachia utraque habens pro pœnitentia constricta, in hoc cœnobio anno Verbi Incarnati millesimo centesimo vigesimo quinto, multis adstantibus, precibusque sanctissimi patris nostri Bertini a dictis vinculis solvitur.

alia sanata:

23 Puella quædam, Goduina nomine, mem- C bra habebat integra, sed nervis contracta: ad sepulcrum beati Viri anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo sexto sunt ei crura erecta.

ecclesia quædam vento disjecta:

24 Quidam abbas Lobiensis. nomine Leonius, postea in regimen hujus Sithiensis cœnobii postulatus et adsumtus, in parochia S. Bertini, in territorio Furnensi *e*, quamdam ecclesiam anno gratiæ millesimo centesimo trigesimo quinto sine adsensu capituli ejusdem Sancti construxit: quam ita ventus vehemens meritis *f* Sancti jam dicti concussit, ac de terra evolare fecit, ut nec junctura lignorum alteri remaneret.

abbas quidam, ut vult auctor, ob injuriam punitus:

Anno adsumptæ humanitatis Christi millesimo centesimo septuagesimo primo, tempore bonæ memoriæ domni Godescalci hujus loci abbatis, res accidit celebri et illustri digna memoria, et omnibus Sithiensium possessionum pervasoribus terribilis et formidanda. David enim non multo postquam consecratus est abbas in ecclesia de Claromarisco *g*, levato calcaneo contra ecclesiam B. Bertini, conductus aquarum et fossata per mediam terram prædictæ ecclesiæ in villa de Arkas molitus est facere *h*. Quæ villa ab antiquis temporibus absque omni calumniæ inquietatione ejusdem ecclesiæ propria et libera fuisse dignoscitur. Nec hac præsumtione contentus, insuper ecclesiam S. Bertini ingressus, quod præsumtuose inceperat, effectui se daturum secundum voluntatem suam, licet contradicentibus monachis, superbe et arroganter comminatus est. Verum tantæ arrogantiæ et præsumtionis impatiens ultio divina haud longe post subsecuta est, ut illud impleretur: A. Anonymo.

Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum *i*.

Nam sequenti die prædictum opus aggressus, operarios suos pro libito suo de conductu faciendo docturus, in eodem loco, equo suo sub eo calcitrante, humi prostratus est: ibique confracto cure, qui sanus equi transvectatione advenerat, famulorum manibus domum in lectica deportatus est, ab invasione terræ nostræ deinceps desistens, et terribile et formidandum invasoribus terræ Sanctorum (ut dictum est) exemplum relinquens.

blasphemi

25 In burgo S. Audomari anno Verbi Incarnati millesimo ducentesimo quartodecimo, homo quidam, Michaël nomine, professione tonsor, in die depositionis B. patris nostri Bertini, cum a nonnullis vicinis suis objurgaretur, quod festum E Sancti non observaret: nec ideo minus operabatur, sed Sanctum verbis convicians et in contumelias prorumpens, a dæmonio correptus, per longum tempus in vase ligneo, quo pasta pistari *k* solet, funibus ligatus jacuit: quem tamen aliquanta sanitate per Dei misericordiam et Sancti patrocinium recepta, melioratum *l* in ecclesia nostra ante sanctum altare in choro vidimus, adstante domno abbate Johanne tertio *m* et monachis quampluribus, Dei exorantem humiliter et devote clementiam, et Sanctorum suffragia implorantem.

in S. Bertinum n

26 Cum presbytero de Remynghem *n* anno Domini millesimo ducentesimo nonodecimo non licuerit comedere in refectorio in depositione B. Bertini, iratus in burgo comedit. Qui cum domum rediret, cum canonicis Watiniensibus *o* in navi sanctum Dei Bertinum cœpit maledicere et excommunicare, et omnia, quæ ad eum pertinent. Quem gladius Dei vindictam sumens ab eo, fere medium secuit, cum in amne, nescius a quo præcipatus, fuisset submersus, nisi canonici extraxissent eum. Quod quia blasphemo ore F et corde maligno iteravit, iterato factum est. *p*.

divinitus puniti.

27 Eodem anno Johannes presbyter de Rubroch *q*, cum talis ludens ad aleas nescio seu ad scacos *r*, dum perdidit, sanctum Dei Bertinum maledicere cœpit, et omnia, quæ ad eum pertinebant: et cum improperium ejus quamplurima blasphemiæ verba protulisset, acsi ventus validus veniret, sonitum audivit, et alapam magnam in maxilla recipiens super scacarium vel alearum tabulam recidit, et per triduum mansit incibatus, neque audiens, neque videns.

ANNOTATA.

a Major *hic urbis cujusdam præfectum videtur significare, nisi forte vici dominum designet: nam vox illa variis modis sumitur.* Subministerialis *vero est, qui illius negotiis præfectus erat in illo vico.*

b *Heribertum hunc abbatem factum, mortuo Bovone anno* 1065, *asserit Iperius cap.* 18, *ubi et hoc factum narrat, et præclarum Heriberti habet elogium.*

c *Cletyus*

A. ANONYMO.

c *Cletyus notat totum hoc miraculum legi in Chartulario Simonis abbatis*, qui obiit, *inquit*, anno MCXLVIII.

d *Hoc eodem modo narrat Iperius cap.* 41 *part.* I.

e Furna *modicum est Flandriæ oppidum, decem circiter milliaribus Belgicis Audomorapoli dissitum.*

f *Non video, cur ruinam hujus ecclesiæ* meritis S. Bertini *adscribat auctor. De Leonio seu Leone abbatæ agit Iperius cap.* 43, *narratque ecclesiam illam vento dejectam.*

g Clarus-mariscus, *Gallice* Clair-marais, *abbatia est Ordinis Cisterciensis, uno fere milliari distans Audomaropoli, sitaque in terra paludosa atque aquis cincta.*

h *Utrum injuste egerit David Clari-Marisci abbas, judicare nec possum nec debeo. Suspicor tamen controversiam talem fuisse, ut abbas ille crederet se recte facere. Persuadet id mihi religio Cisterciensium, qui adhuc in primo erant fervore. Nam quod abbas hic ego dejectus sit ac crus confregerit, cum nullum in eo sit miraculum, Dei judicio erat relinquendum. Iperius cap.* 44 *part. tam hoc quam plurima alia refert exempla principum et virorum illustrium, quos castigatos divino judicio asserit, quod læsissent jura abbatiæ. Sithiensis. Verum quæ ipse candide narrat de disciplina Sithiensium illis temporibus, non favent istis cogitationibus, ideoque omnia melius fuissent omissa.*

B

i *Scio constantiam sæpe traduci ab æmulis pro arrogantia et superbia: atque idcirco dubito, an David abbas fuerit potius superbus et arrogans, quam fortis et constans in jure suo defendendo. Imo si scriptor ille tanta fuisset modestia et humilitate præditus, quantam in aliis requirit, ausus non fuisset id factum divinæ vindictæ adscribere; timuissetque merito, ne sibi potius ita judicanti et scribenti adaptari posset allegatus verisiculus, quam abbati jus suum bona verisimiliter fide prosequenti. Hæc æquo animo studiosus lector accipiat; cum solo veritatis et æquitatis amore sint observata.*

D

k Quo (*vel* in quo) pasta pistari solet *hic est, in quo massa farinacea subigi solet.*

l *Iperius cap.* 46 *part.* 16 *idem factum refert, sed quod hic dicitur, nonnihil auget, dicens:* Quem tamen adstante domno abbate Johanne et pluribus de monachis vidimus in choro ecclesiæ nostræ, Dei et Sanctorum misericordiam implorantem, sanitati pristinæ restitutum: *nam hic scriptor non dicit omnino restitutum sanitati pristinæ, sed* melioratum *seu utcumque melius habuisse,* aliquanta sanitate recepta.

m *Joannem III abbatem egregio elogio exornat Iperius cap.* 46.

n *Apud Iperium cap.* 46 *part.* 18. *ubi idem narratur*, Rumeghem *legitur. Pagum* Ruminghem *in tabulis Artesiæ notatum invenio prope confinia Flandriæ et medio fere itinere inter Andomaropolim et Gravelingam Flandriæ oppidum maritimum.*

o Watinensibus *apud Iperium. Porro* Watene *pagus est Flandriæ prope confinia Artesiæ, inter Audomaropolim et Burburgum, aliud Flandriæ oppidum.*

E

p *Nec hoc satis apertum est miraculum: nam labi in flumen, etiam iterato, aliunde causam habere potest, quam ex punitione divina. Forte etiam presbyter ille magis oblocutus est monachis Bertinianis quam ipsi Sancto. Si collector, qui solum sex septemve facta suo stylo narravit, dubia interpretatus fuisset in partem benigniorem, mitius scripsisset, quantum conjicio.*

q Rubroch, *apud laudatum Iperium* Rubrouc, *in tabulis quibusdam* Rubroek. *Pagus item Flandriæ est tribus fere milliaribus Audomaropolis distans versus Winnoci-Bergas.*

r Scacorum *lusus*, *nomen accepisse videtur a voce Persica* Scach *quæ regem sonat; quod calculus ille, qui* rex *vocatur, primas agat partes. Romani* Latrunculos *vocarunt, ut plerique existimant.*

C

DE S. TAURINO EPISC. ET MART.

F

AUGUSTÆ AUSCORUM

IN NOVEMPOPULANIA.

J. S.

SYLLOGE HISTORICA

De cultu, ætate et gestis Sancti.

SEC. III, IV, AUT FORSAN VIII. *Cultus S. Taurini,*

Antiqua *veneratio* S. Taurini, *quem Auxitani hoc die colunt Officio duplici inter patronos secundi ordinis, longe certior est, quam sint omnia illa, quæ de gestis ac ætate ipsius vulgo circumferuntur. Ignotum quidem est* S. Taurini *hujus nomen præcipuis Martyrologiis: nam qui hodie in antiquis Fastis reperiuntur* Taurini *duo, alter est Ostiensis aut Portuensis, alter Alexandrinus, et uterque ab hoc distinctus. Eum tamen ut* Elusanum episcopum *annuntiavit* in Aquitania *Castellanus in Martyrologio universali. Cultum quoque hodiernum abunde asseruit Simon de Peyronet in Catalogo Sanctorum pag.* 350, *ubi scribit:* S. Taurinus archiepiscopus Auscitanus, qui colitur V Septembris in ecclesia Auscitana sub ritu duplici, uti patet ex Kalendario ejusdem ecclesiæ. Asservatur in templo collegii Societatis Jesu Tolosanæ pars costæ mendosæ, et medium os unius digiti S. Taurini, quam reliquiam ipsi dedit illustrissimus Leonardus de Trapes archiepiscopus Auscitanus anno MDCXX, XIII Januarii. *Quæ de cultu hodierno dicta sunt, confirmavit R. P. Cæsar Forel rector Collegii Auxitani per litteras hoc anno* 1746 *humanissime ad me scriptas, quique transmisit lectionem Officii mox dandam.*

2 *Amplissimus*

A *et memoria ipsius in Fastis :* 2 *Amplissimus dominus Daignan du Sendal, canonicus archidiaconus et vicarius generalis Ausciensis litteris hoc item anno ad me datis eadem confirmat, asseritque numerari Sanctum inter patronos secundarios diœcesis Ausciensis. Idem pari humanitate et diligentia collegit alia quædam ad cultum spectantia, quæ huc transfero. Martyrologia antiqua ecclesiæ Ausciensis et Lactorensis ita habent die* v *Septembris :* Nonis Septembris in territorio Auscensi S. Taurini episcopi et martyris ejusdem sedis Auxitanæ. *Martyrologium abbatiæ Pessanensis in diœcesi Ausciensi :* Nonis Septembris apud civitatem Auxitanam sancti Taurini episcopi et martyris. *Missale Ausciense anni* 1555 : In natali S. Taurini archiepiscopi Auxitani et martyris omnia ut unius martyris. *Hisce laudatus dominus jungit inscriptionem, quam testatur haberi in ecclesia metropolitana Ausciensi prope altare princeps ad latus Evangelii, atque incisam esse marmori nigro litteris aureis :* Sanctus Taurinus ep. Aux. Sedit an. XIX. Passus est sub Diocletiano et Maximiano, sede Rom. vacante, anno CCC. *Si hæc satis antiqua esset inscriptio, multum valeret ad*
B *ætatem Sancti figendum : at id necdum hic agimus.*

lectio Officii ejus proprii, 3 *Hæc sufficiunt ad ostendendum* S. Taurini *cultum ecclesiasticum et immemorabilem. Addam tamen ex Officio lectionem illam secundi nocturni, quæ de gestis ipsius agit, ut intelligatur, qualis sit de hoc Sancto Ausciensis ecclesiæ traditio. Hæc de eo leguntur propria :* Taurinus episcopus Auscitanus quantas ante Deum virtutes operatus sit, novit ille, qui nihil ignorat. Si quas enim litteris antiqui posteritati mandaverant, ecclesia Auscitana pluries cum præcipuis documentis combusta, illas e memoria hominum excidisse quis dubitet? Traditio tamen ejus martyrium, ut virtutis consummatæ præmium, servavit illæsum. Passus est, grassante Diocletiani et Maximiani persecutione, die quinta Septembris, anno Salutis trecentesimo. Mortem ejus miraculo Deus reddidit gloriosam; cum ab oppido Albineto, ubi eam subiit, magnam capitis partem, gravi clava obtruncatam, duabus leucis Auscis distante, ad ecclesiam suam præ mani-
C bus sanctus Martyr reportavit. Corpus ejus supra altare, in illius honorem dicatum, magna veneratione in cryptis colitur : et dolore capitis afflicti ad ejus sepulcrum sanitatem aut levamen intercessione beati Martyris episcopi a Domino merentur accipere.

Ausciensium de morte ipsius opinio, 4 *Testatur laudatus dominus Daignan du Sendat in eadem ecclesia servari statuam dimidiatam argenteam, quæ composita est manibus sic elevatis, acsi auctor statuæ relatam capitis gestationem voluisset indicare : aitque, partem cranii, quæ in illa dimidiata statua servatur, eamdem credi cum ea, quam Sanctus gestasse dicitur. Traditionem Ausciensium de occasione et modo martyrii, uti et de parte capitis gestata sic explicat : Turma idololatrorum in silva prope oppidum Albinetum* * *congregata erat ad sacrificia idolis offerenda. Cum autem sacrificia illa turbare vellet sanctus Antistes, irruerunt in ipsum idololatræ, atque unus ex ipsis seu clavæ seu securis ictu caput illi secuit. Hinc Sanctus defunctus caput aut partem capitis sui gestasse dicitur ad urbem Ausciorum usque ad plateam, quæ hodieque* S. Taurini *nomen retinet. Verumtamen ipse fateor illam capitis gestati traditionem non esse magni faciendam. Sane similes traditiones tanto minoris sunt momenti, quanto plures reperiuntur ejusdem generis, quæ sufficienti carent fundamento. Hæc autem ne quidem asseritur in Rhythmis mox dandis, in quibus non foret prætermissa, si communis fuisset et abunde testata.*

* Aubiet

AUCTORE J. S.

Rhythmi de eodem utcumque antiqui, 5 *Rhythmos illos, seu hymnum ex Officio antiqui Breviarii Ausciensis, valde antiquum esse existimant Auscienses, ut me docuit dominus Daignan. Illum jam edidit Labbeus tom. 2 Bibliothecæ manuscriptorum pag.* 598, *ex qua eumdem hic transcribo :*

Ave protopræsul almifice,
Taurine, martyr inclyte,
Qui, civitate Elisana demolita
A Vandalis et eversa,
Transtulisti altare B. Mariæ
Ad vicum Vallis claræ,
Ut Paternus prophetaverat.
Præsulando Elisæ et dixerat :
Post me tres, et postea nullus
Elisanæ civitati episcopus.
Vallem claram erexisti
In civitatem, cui præfuisti
Uno de vinginti annis prædicando, E
Hæreses extirpando, ecclesiam consecrando
In honorem Nativitatis B. Mariæ,
Annis ducentis sexaginta a Passione
Domini nostri Jesu Christi,
Et ecclesiam martyrio consecrasti.
O valde felix dies illa !
Qua civitas ista Auxia,
Taurinum habuit patronum,
Archipræsulem et sponsum.

Hactenus hymnus, qui in pretio est apud Ausciense saltem aliquos; at clarum est, vera non esse omnia, quæ in eo hymno asseruntur; fieri tamen potest, ut aliqua sint vera.

alia seculi 12 scriptura. 6 *Dionysius Sammarthanus tom.* I *Galliæ Christianæ col.* 969 *producit verba quædam ex instrumento, quod scriptum esse asserit anno* 1108, *et in quo hæc haberi testatur :* In Elisana igitur civitate fuerunt quatuor tantum episcopi priusquam Auscis (sedes) transferretur, Paternus, Optatus, Servandus, Pompidianus, quorum primus Paternus scilicet prophetavit dum viveret, his verbis dicens : Ego unus, tres post F me, nil amplius, ex quo mutabitur sedes, et qui altare et pignora B. Mariæ hinc detulerit, me et illos non relinquat. Quod ita factum est. Procedente itaque longo tempore, facta persecutione Wandalorum, qui destruxerunt civitates Guasconiæ et civitatem Elizonam, translata est sedes, sicut sanctissimus Paternus prophetaverat in Villam-claram, quæ nunc vocatur Auscia, a Taurino, qui fuit post quatuor præfatos quintus pontifex in Auscia civitate. Ipse namque transtulit Auscis altare B. Mariæ, quod nunc cernitur, attulitque quatuor sanctissimos prædictos episcopos in ecclesia B. Petri sepultos, tumulavitque in ecclesia circa altare B. Johannis Baptistæ et Euangelistæ, quæ nunc vocatur ecclesia S. Orientii. Quos post multorum curricula annorum Bernardus Prior ipsius loci, postea archiepiscopus Toletanus effectus, in prædicto loco honorifice tumulatos invenit. Deinde tam episcopi quam clerici, aliique viri civitatis sepulturam apud S. Orientium habuerunt. *Hæc traditionem Ausciensium, qualis etiamnum apud quosdam perseverat, apte exponunt. Singula modo asserta*

AUCTORE J. S.

la de S. Taurino *breviter expendam; ac deinde ostendam, quo modo aliquid veri inesse possit assertæ S. Paterni prophetiæ.*

Observatur, Elusam verisimiliter seculo 8 destructam esse a Saracenis, Eause

7 *Primo apud omnes in confesso est, sedem metropolitanam Novempopulaniæ, quæ nunc Augustæ Auscorum est, olim fuisse Elusæ *, quæ urbs eversa est aut per Saracenos, ut probabilius est, aut per Normannos, ut vult mox laudatus Dionysius Sammarthanus. Nolim quidem diu disputare de epocha eversæ Elusæ; attamen paucis dico, probabilius eversam esse ab Abderame Saracenorum duce, quando circa annum* 732 *Novempopulaniam et vicinas provincias vastavit, post victum prælio Eudonem Aquitaniæ ducem. Ratio autem, cur non putem Elusam superfuisse usque ad irruptiones Normannorum seculo* IX *factas, hæc est. De nullo episcopo Elusano mentionem reperit Sammarthanus post seculum* VII, *quo ponit Paternum, hæc addens verba:* Post Paternum desiderantur plurimi præsules Elusanæ ecclesiæ : in hoc enim loco perseveravit adhuc sedes Metropolitana usque ad seculum IX, quo urbs a Normannis destructa est, et sedes
B Ausciensis metropolis honore fuit ceteris Novempopulaniæ anteposita. *Destructam a Normannis seculo* IX *Elusam, nullo teste nullaque ratione probat. Quare silentium de episcopis illius urbis, et de urbe ipsa toto seculo* VIII, *facit, ut probabilius seculo* VIII *destructam putem per Saracenos. Elusam a Wandalis excisam, habent monumenta ante allegata, Saracenos autem eo tempore ab aliis etiam scriptoribus* Wandalos *fuisse nominatos, observavi tom.* VI *Augusti pag.* 97, *ita ut nomen* Wandalorum *etiam opinioni nostræ faveat.*

et Paternum quemdam post medium seculi 7 Elusanæ ecclesiæ præfuisse,

8 *Jam vero* Paternum *quemdam post medium seculi* VII *præfuisse Elusanæ ecclesiæ, probabili ratione ostendit Sammarthanus col.* 970. *Quippe privilegio Corbeiensi, quod refertur apud Mabillonium ad annum* 663 *num.* 28, *subscripsit cum multis aliis episcopis* Paternus Egloënsis, *qui creditur fuisse Elusanus, nam et alias Elusanus vocatus reperitur* Elosensis, [et Elosanus. *Præterea si hic Paternus ex abbate Moïssiacensi factus est episcopus Elusanus, ut rursum probabiliter suspicatur Sammarthanus, jam sanctus*
C *aliquis Paternus præfuerit ecclesiæ Elusanæ circa annum* 663 : *nam Paternum suum Moissiacenses* Sancti *titulo honorant. Moissiacenses quidem tradiderunt,* Paternum *abbatem suum tertium ad ecclesiam Ausciensem esse translatum; at Ausciensis ecclesia, cum ab Alusana acceperit dignitatem metropolicam, facili errore pro Elusana substitui potuit, satisque est verisimile, id revera factum esse, quia Othenartus in Notitia utriusque Vasconiæ recensens episcopos Ausciensesp ag.* 448 *et seq., Paternum hunc non agnoscit : ex quo probatur, eum non haberi in Catalogo Ausciensis ecclesiæ. Itaque ætas hujus Paterni satis congruit cum tempore destructæ postea Elusæ, ut credi possit tres tantum antistites post ipsum Elusæ sedisse ante urbis destructionem. Quare celebris illa prædictio de sedis metropoliticæ translatione eidem probabiliter attribui poterit, modo inveniri possit* Taurinus *Ausciensis qui eodem tempore metropoliticam dignitatem sic fuerit adeptus.*

uti et Taurinum quemdam ecclesiæ Ausciensi verisimiliter seculo 8;

9 *Nicolaus Bertrandi in Opere de Gestis Tolosanorum fol.* 16 *narrat vastationem Novempopulaniæ per Normannos, atque indicat* Taurinum *aliquem Ausciensem episcopum his verbis :* Fuit autem ista desolatio Vasconiæ temporibus præfati principis Totili, et Taurini Auxiensis, et Seraldi egregii præsulis Bigorritanæ urbis. D *Othenartus hunc* Taurinum *inter episcopos Auscienses posuit circa annum* 844, *et satis recte, si vixerit tempore incursionum Normannorum. Verum cum Nicolaus Bertrandi post memorata quædam longe anteriora, sine ulla mentione cladis, Novempopulaniæ aliisque provinciis Galliæ a Saracenis illatæ, mox ad irruptiones Normannicas transeat; verisimile est, scriptorem parum accuratum, et tempora non recte distinguentem, confudisse clades a Saracenis illatas cum vastationibus Normannorum; ideoque valde incertum manet, an* Taurinus *ille potius vixerit tempore irruptionis Normannicæ quam Saracenicæ. Si autem revera vixit circa annum* 732, *quo Elusam probabilius eversam dixi, translatio metropolitanæ dignitatis ipsi sine difficultate poterit attribui, veraque esse poterit S. Paterni prædictio : nam si Paternus circa annum* 663 *aut multis etiam annis serius prædixerit, tres tantum post se futuros Elusæ antistites, hi facille præesse potuerunt usque ad annum circiter* 732, *eoque tempore, aut finito illo bello, potuit* S. Taurinus *corpora S. Paterni et aliorum* E *quorumdam præsulem Elusanorum transferre, et ecclesiam cathedralem sub titulo Nativitatis beatissimæ Virgini dedicare, ac demum martyrio coronari, sive per Saracenos, sive alia quapiam occasione.*

atque ex his colligitur, posse S. Taurinum primum esse archiepiscopum Ausciensem seculo 8:

10 *Sane de metropoli ad urbem Ausciensem translata constat; traditio vero Ausciensium habet, id factum esse per* S. Taurinum, *neque nupera est illa traditio, sed jam vigebat seculo* XII. *Traditio quidem illa crassis intricata est erroribus, dum ætas* S. Taurini *refertur ad seculum tertium, aut ab aliis ad quartum, quia certo constat seculo* VI *metropoliticam dignitatem fuisse Elusæ, nec dubitari potest, quin ibidem permanserit usque ad urbem eversam. Non video tamen, cur traditionem ipsam ob dictos errores, quos amor antiquitatis et ignorantia invexit, prorsus repudiare debeamus, modo errores agnosci possint et corrigi, cum satis sit verisimile, conservatam fuisse memoriam illius, qui civitatem Ausciensem ad dignitatem metropoliticam evexit; neque ullum alium nominet traditio quam* Taurinum, *de quo agimus. Quæret aliquis,* F *an non potius duos Paternos Elusæ, et duos* Taurinos *Augustæ Auscorum attribuere oporteret, quam credere S. Paternum vixisse seculo* VII, *ac* S. Taurinum *ad seculum* VIII *retrahere, cum* S. Paternum *et* S. Taurinum *seculo* III *attribuant Auscienses? Respondeo, me nulla hactenus vidisse monumenta, ex quibus colligere possum, S. Paternum Elusæ aut* S. Taurinum *in urbe Ausciensi episcopum fuisse alium, quam Paternum et* Taurinum, *quorum priorem seculo* VII, *secundo seculo* VIII *probabiliter attribui posse dixi. Immanem vero illum anachronismum, in quem inciderunt Auscienses, si revera seculo* VIII *vixerit* S. Taurinus, *non magis mirari debemus, quam miramur, quod ab initio seculi* XII *crediderint, non plures quam quatuor fuisse Elusæ episcopos, cum, præter quatuor ab ipsis nominatos, plures alii conciliis legantur subscripti.*

an Airardus primus fuerit seculo 9,

11 *Hæc sic disputata credat studiosus lector, ut potius voluerim in verum investigare, quam aliquid certi statuere. Si eruditi Auscienses mirentur, me tantum detraxisse antiquitati sancti antistitis sui* Taurini, *majorem ipsius antiquitatem*

A *tem idoneis rationibus dignentur ostendere, et me primum omnium habebunt consentientem. Verum, si consilium meum audire voluerint, numquam duo simul tentabant; non simul, inquam, ostendere conabuntur, Sanctum seculo* III *aut* IV *vixisse, et metropoliticam dignitatem ecclesiæ suæ Ausciensi addidisse: nam duo illa simul consistere nequeunt. Dionysius Sammarthanus col.* 977 *existimat, dignitatem metropoliticam primum fuisse obtentam ab Airardo, qui ecclesiæ Ausciensi præerat anno* 879, *quo Joannes Papa VIII ad eum scripsit, et* archiepiscopum *nominavit. Rationem hujusce opinionis exponit his verbis:* Airardum primum fuisse episcoporum Ausciensium, qui metropolitani jure potitus sit, non obscure significat Odo levita, scribens ad Garsiam archiepiscopum, quem dicit esse septimum ordine pontificem summo jure ligandi et solvendi præditum. *Epistola Odonis hic laudata legitur inter Instrumenta istius tomi pag.* 159.

12 *Verum illa magis barbare et obscure scripta est, quam ut mens scriptoris clare possit intelligi. Primo itaque dubito, an illud velit Odo, quod ex ejus verbis colligit Sammarthanus. Secundo si id omnino diceret Odo, dubitari potest, an numerus archiepiscoporum præcedentium ei satis fuerit cognitus. Tertio si supponamus Garsiam revera septimum fuisse archipræsulem, quod non credo; necdum ex eo certo constare poterit, quis fuerit primus. Certe ipse Sammarthanus sex præsules inter Airardum et Garsiam numerat: itaque, si hi omnes eo ordine sederint, jam Garsias erit octavus: si ex eis aliqui sint dubii, jam primus cognosci nequit ex septimo cognito. Plus ergo tribuendum videtur traditioni Ausciensi, quæ* Taurinum *primum archiepiscopum facit, quam ineptæ epistolæ cujusdam diaconi, cujus verba trahi possunt ad varias significationes incertas, sed nihil certo significant. Ceterum corpus* S. Taurini *in ecclesia metropolitana servari testatur Sammarthanus col.* 972.

AUCTORE J. S.

B

DE SS. ROMANO ET DAVIDE

E

ALIAS BORISO ET GLEBO AUT HLIBO

PRINCIPIBUS RUSSIS

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. S.

§ I. Horum Sanctorum cultus antiquus, qui perseverat tam apud Catholicos quam apud Schismaticos: Acta edenda unde accepta et qualia.

An. MXV. *Sancti in variis Fastis annuntiati ad* XXIV *Julii:*

Fasti, in quibus annuntiatur SS. Romani *et* Davidis *memoria, jam enumerati sunt a Sollerio nostro ad* XXIV *Julii in Prætermissorum catalogo, ubi hæc scripsit:* Boryssus et Glebus ut principes martyres annuntiantur in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum primum Maii, quemadmodum et in variis aliis Fastis Ruthenicis, Menologio Sparwenfeldiano Slovo-Russico, nec non Polonicis, unde ipsos verisimiliter eduxit Spicilegis Ferrarius, ex quo et in Castellani Martyrologium migrasse videntur. *Laudati Fasti Sanctum utrumque conjungunt ad* XXIV *Julii, quo simul coluntur a Russis; excepto tamen Castellano, qui eos disjunxit, et* Borisum, *in baptismo* Romanum *dictum, memorat eodem die* XXIV *Julii, quo cum fratre colitur;* Glebum *vero, in baptismo* Davidem, *retulit ad hunc diem* V *Septembris, quo fuit obtruncatus. Hæc ratio est, cur Sollerius, moras de industria quærens, quod de Catholico cultu dubitaret, utrumque Sanctum ad hunc diem remiserit, ut hic demum statueretur, utrum eorum Acta Operi nostro inserenda essent, an vero omnino prætermittenda.*

C

fuerunt hi certo Catholici

2 *Cum autem perspicerem, longiori opus esse disputatione, ut dubitatio Sollerii prudenter deponi posset, cumque adverterem idem dubium moveri posse de pluribus, qui tamquam Sancti coluntur apud Russos, Dissertationem huic tomo præfigendam credidi, ex quo colligi possit, quinam ex iis, quos colunt Russi, pro Catholicis certo haberi possint, qui contra certo fuerint schismatici, ac demum de quibus possit dubitari. Ex ea porro Dissertatione* § 3 *clare patet,* Borisum *et* Hlibum *(sic nomina a Ruthenis Latine scribuntur) certo fuisse Catholicos, cum conversi sint et occisi, antequam schisma ad ecclesiam Russorum pervenerit, quando ipsa quoque ecclesia Constantinopolitana, cui illa suberat, cum Romana Ecclesia erat unita. Ex hisce tamen necdum sequitur, eos a nobis pro Sanctis haberi, posse, nisi etiam ostendatur, eosdem non solum a schismaticis, sed etiam a Catholicis ab immemorabili tempore cultos esse, et pro Sanctis agnitos. Hoc igitur nunc probare aggredior: nam soli Fasti ante laudati id satis non evincunt.*

F

et ut Sancti a Catholicis coluntur hoc tempore:

3 *Primo Poloni et Lithuani, qui notitias de Sanctis huc miserunt, inter eos passim recensent* Borisum *et* Hlibum, *seu* Glebum, *ut ipsi scribunt, alias* Romanum *et* Davidem, *et nonnulli ex eis diserte observant, hosce Sanctos etiam coli a Catholicis seu a Ruthenis Romanæ Ecclesiæ unitis. In una ex dictis notitiis, qua scrupulose inquiritur in cultum Ruthenorum, hæc ipsa reperio verba:* Solum nominarem Vladimirum cum duobus filiis Romano et David, qui vere pro Sanctis a tota Russia, vel maxime ab unitis habentur. *Huic notitiæ, quæ multis aliis, quos*

aliqui

AUCTORE J. S.

aliqui inter Sanctos numerant, cultum abjudicat Catholicum ; quamque idcirco tuto sequendam existimo ; consonat catalogus Sanctorum Polonorum, quem nobis descripsit anno 1723 *P. Franciscus Molitor Societatis Jesu ex libello Christophori Varsevicii, edito Romæ anno* 1601. *In hoc enim catalogo satis prolixo multos quidem invenio* Beatos *dictos, de quorum cultu potest esse dubium : at nullum prorsus reperio, qui suspectus esse possit de schismate, nullum, qui a solis schismaticis colitur. Attamen* SS. Romanus *et* David *in eo recensentur hoc modo :* SS. Glebus et Boryssus fratres et martyres, filii ducis Kyoviæ. *De hodierno igitur horum Sanctorum cultu plura non addo, cum is ex dictis satis videatur certus.*

cultus ille antiquus est,

4 *Antiquum porro esse* Romani *et* Davidis *cultum, facile ostendi potest. Koialovicius in Miscellaneis Lithuaniæ recensens patronos sanctos magni Lithuaniæ ducatus, interque eos numerans* Davidem *et* Romanum, *horum elogium pag.* 5 *concludit his verbis :* Frequentia sunt apud Russos sub horum beatorum Martyrum nomine B templa erecta. Pulchrum est, quod ad Dunam ex adverso Polocensis civitatis simul cum abbatia extat antiquitus fundatum, nunc sub administratione unitorum. *Templum, quod* antiquitus fundatum *erat, quando auctor ille anno* 1650 *libellum suum, edidit, antiquitatem cultus probabiliter insinuat. Dlugossus tamen, utpote scriptor seculi* XV, *certius de antiquo cultu protulit testimonium, quando ad annum* 1005, *relata morte sanctorum Principum, hæc subjungit :* Colit hos duos Fratres Ruthenica ecclesia Ruthenicusque populus pro martyribus et sanctis, astruens illos nonnullis coruscare miraculis. *Non desunt alia de antiquitate cultus testimonia : at hæc addita Ephemeridibus Græco-Moscis, quæ eodem seculo* XV *compositæ sunt, sufficere mihi videntur ad hoc propositum, præsertim cum mox plura sint dicenda de cultus antiquitate, ubi ejus initium investigabitur.*

et seculo XI inchoatus videtur per metropolitam Catholicum,

5 *Alia enim oriri potest dubitatio, videlicet utrum horum Sanctorum cultus primum fuerit inchoatus per Catholicos, an vero per schismaticos sit exortus. Ad hanc dubitationem respondeo, cultum videri inchoatum per metropolitam* C *Catholicum. Quippe Ignatius Kulczynski in Specimine Ecclesiæ Ruthenicæ pag.* 111 *et* 112 *de quinto Russorum metropolita scribit sequentia :* Georgius I indigena gregi Russorum præesse cœpit anno MLXVIII, ut scribit Stricovius lib. V cap. III. Hic metropolita decrevit ac promulgavit cultum venerationemque sanctorum Borisi et Hlibi, qui nati e divo Vladimiro, et in baptismo Romanus ac David dicti, a Suatopelco fratricida per submissos sicarios anno MX *(imo probabilius anno* 1015) trucidati fuere. Honorat ipsos ecclesia Ruthenica ut martyres, fortassis quia Suatopelcus meditans tyrannidem apostasiamque a fide, in odium religionis eos mactaverit, quamquam coætanei scriptores consulentes honori Vladimiriani sanguinis id subticuerint. Sacra eorum corpora translata fuere ad novum templum, honori eorum constructum in urbe Vissegorodo , anno MLXXII. Quam translationem solemniter celebrarunt Izaslaus, Suatoslaus et Usevolodus principes ; Georgius metropolita, Petrus Perejaslaviensis , Michaël Persiensis episcopi, Theodosius hegumenus Pieczarensis, multique alii prælati ac magnates.

6 *Nicolaus Cichovius in litteris ad Bollandum, Ostrogii anno* 1647 *datis, dictam translationem eodem fere modo narrat, et Georgio I metropolitæ Kioviensi attribuit. Addit tamen aliqua hic omissa, nimirum Georgium metropolitam, qui* horum Sanctorum corpora *ante* parvi fecit, *sententiam mutasse et veniam de errore petiisse, quia* tam suavis ab apertis sarcophagis fusus est odor. *Cetera consonat, et præter personas hic nominatas duo alii solum adduntur hegumeni. Jam vero ex adductis testimoniis, quæ recte consonant, et invicem in nullo articulo repugnant, non solum collige, cultum horum Sanctorum inchoatum esse seculo* XI ; *sed etiam infero, illum fuisse decretum per metropolitam Catholicum : nam Georgium Catholicum fuisse ostendi in Dissertatione prævia* § 7 *num.* 69. *Quare nihil jam restat, quod dubitationem movere possit de Catholica et legitima* Romani *et* Davidis *veneratione. An titulus* martyrum *proprie ipsis congruat, certo sciri nequit, quia nescitur, an alia de causa mortem ipsis machinatus sit frater Suatopelcus, quam ut ditiones ipsorum possideret. Suspicor titulum* martyrum *ipsis datum a Ruthenis, quia sublati sunt* E *morte violenta, sicut factum est de aliis pluribus. Cum autem sola mors violenta martyrem non faciat, nec martyrium eorumdem ex Actis probari possit,* Martyres *non vocavi ; nec tamen idcirco negaverim* Martyres *vocari posse, tum quia multis seculis ut Martyres sunt culti, tum quia revera martyres sunt, si ob fidem vel aliam quamlibet virtutem ad Deum relatam fuerint mortui.*

D *qui corpora transtulit : martyres passim vocantur, quia morte violenta sublati :*

gemina eorum festivitas. Officium proprium.

7 *Verum quidquid sit martyrio proprie dicto* Romani *et* Davidis, *Kulczynskius in Specimine ecclesiæ Ruthenicæ pag.* 33 *de celebri eorum cultu et gemina festivitate ita scribit :* Synodus Zamosciana tit. de jejun. et fest. pag. CXXI festum horum sanctorum Romani et Davidis tum die præsenti (XXIV *Julii,)* qua obitus, tum die secunda Maii, qua translatio eorumdem recolitur, inter festa de præcepto connumeravit, et ita in Lituania celebrare jussit. *Idem scriptor in Appendice sua pag.* 14 *proprium de iisdem Sanctis edidit Officium, quod concinnatum est ritu Ruthenico seu Græco. Officio talis præfixus est titulus :* Officium de sanctis martyribus ac fratribus secundum carnem, Boriso et Hlibo, dictis in baptismo Romano et Davide. F *Facti historice in eo non enarrantur ; attamen Sanctorum virtutes et miracula subinde breviter perstringuntur. Totum igitur istud Officium recudere non lubet ; sed nonnulla ex illo de virtutibus et miraculis Sanctorum suo loco inseram. Hactenus de legitimo cultu, nunc pauca de Actis edendis.*

Acta unde accepta et qualia

8 *Accepimus horum Sanctorum Acta cum pluribus aliis ex Lithuania, ubi eadem anno* 1621 ex archivis fide dignis et manuscriptis antiquissimis. . fideliter desumpta et typo ac cognitione fidelium digna *judicavit, suppositoque nomine et sigillo suo testatus est illustrissimus dominus Georgius Tyskevicius episcopus tunc Methonensis, ac postea ad Vilnensem episcopatum promotus. Non tamen exprimitur, quis Actorum sic auctor, nec exponitur, quo fere tempore conscripta fuerint. Imo dubitare potest, utrum Latine primum fuerint exarata ; an vero ex alio sermone ad Latinum postea translata. Horum omnium ignorantia facit, ut non ausim indubitatam hisce Actis fidem vindicare, præsertim cum methodus narrandi, qua usus est auctor, tam accurrata non sit, ut hæc sola sufficiat ad auctoritatem*

A *ritatem irrefragabilem Actis conciliandam. Nam multa quidem Sanctorum dicta factaque tam minutatim enarrat, acsi singulis præsens adfuisset; aut certe didicisset ab eis, qui adfuerant: attamen verisimile non est, ipsum de singulis tam accurate fuisse informatum, cum nullibi dicat se Sanctorum cædi adfuisse, aut quidpiam intellexisse ex ullo, qui adfuerat. Quin longe verisimitius est, Acta non esse exarata a scriptore contemporaneo: et fortasse conscripta sunt aliquot seculis post mortem Sanctorum. Verumtamen præcipua Actorum capita non repudianda existimo, quia satis congruunt cum iis, quæ scriptores Poloni et Rutheni de hisce Sanctis commemorarunt. Dabo igitur memorata Acta more nostro divisa, iisque annotationibus illustrata, ut ex iis lector instrui utcumque possit de probabilitate factorum relatorum.*

B

§ II. Varia dantur de Sanctis elogia, partim manuscripta, partim impressa.

Recitatur Ms. Sanctorum elogium,

Præter *Acta memorata* SS. Romani *et* Davidis, *alia quædam de iisdem invenio elogia, partim manuscripta, partim impressa. Hæc autem cum obvia non sint, huc transferre lubet, ut ex iis utcumque appareat, quænam in Actis sint probabiliora. Inter scripta, quæ Janningus noster Romæ anno* 1700 *accepit ex relictis per P. Melchior Inchoffer Historiæ Hungaricæ scriptorem, sine ullo auctoris nomine elogium, aut Actorum compendium occurrit, quod ita habet:* Borissus dux Rostoviensis, parte Vladimiro duce Russiæ natus, una cum duodecim fratribus et eodem parte baptismatis fonte renatus, commisso sibi a patre exercitu contra Pecenienses, in Russiam irrumpentes, profectus, in reditu insidias vitæ suæ intentari a fratre Suiatopolco ducatum ambiente, et patris obitum occultante, edidicit. Rem Deo commendat cum lacrymis, potiusque Deo victima fieri, quam fratris majoris natu victor effici, delegit. Itaque frater impius Kiuoviæ tum residens, cum Wiszogrodensibus conspirat

C in necem Borissi, quem ad se specie fraterni amoris, et favoris amplificandi patrimonii illius invitat.

quod Actis ita in plerisque consonat,

10 Sed B. Borissus Altæ tum commorans, nec, quem nobiles militem suppeditarent, acceptans, solus cum pueris * remansit, ac demum in tentorio pernoctans, cum dies Dominicus illucesceret, cum sacerdote suo hymnos et psalmos decantabat. Quam vocem sicarii audientes in tentorium irruunt, ac crudeliter Beatum lancea configunt. Cujus puer Georgius, natione Ungarus, aureo torque a Domino donatus, supra corpus Domini sui corruens, et Principem deplorans, transfixus obiit. Beatus vero, vulnere accepto, ex tentorio exsiliit : ac Deum pro suis occisoribus et germano orans vitam finivit XXIV Julii, anno MDCXXXII *(forte auctor scripsit* 1032.*)* Cujus corpus tentorio involutum et plaustro superpositum secum avexerunt. Ad silvas cum venissent, Martyr caput erigere cœpit: quod cum Suiatopolco innotuisset, cor ejus transfigi curavit. Complures tum, qui cum Martyre erant, occisi sunt.

* *i. e.* servis

11 His peractis, impiissimus fratricida reliquis fratribus parem exitum intentat. B. Glebum, David nuncupatum, parentis nomine invitat. Ad quem cum festinus tenderet, et lapsus ex equo aliquantum pedem attrivisset, Smolenscum transiens, naviculam Smadinæ conscendit. Jaroslaus a Pereslavia sorore de nece fratris obituque parentis certior factus, B. Glebo denuntiat. Ex improviso sicarii advolant : et quos supplices præstolatur, strictis gladiis feroces experitur. Et cum pro temporanea vita preces non reciperent, iisdem pro æterna ad Deum conversis *(mendum est, lege* idem . . . conversus *etc.)* cultro a Torcim, coquo Boryssi confossus, V Septembris obiit. Corpus in deserto loco inter duos truncos projectum, sæpius luce desuper instar igneæ columnæ et angelicis modulis honoratum fuit. Quod cum post plures annos a Jaroslao (is sanguinem fratris divinitus ultus, duplici prælio Suiatopolcum stravit, qui profugus a dæmone correptus, omnibusque membris convulsus in lectica deferebatur, continuo inclamans : Fugite, fugite, sequuntur nos, errabundus a nescio quo occisus periit) requireretur, a quibusdam Smolenscensibus indicatum, a presbyteris studiose requisitum, honorifice Wiszogrodum delatum, una cum corpore B. Borissi variis clarum miraculis, in æde S. Basilii requiescit. *Hactenus auctor hujus elogii, quod totum fere ex Actis desumptum est, Actorumque compendium dici potest. Annus tamen emortualis hic alius assignatur quam in Actis.* E

AUCTORE J. S. ut Actorum compendium videatur.

Secundum elogium scriptum,

12 *Brevius est, quod Nicolaus Cichovius ex libris ecclesiasticis Ruthenorum collegit, atque huc anno* 1647 *scripto transmisit. Totum, excepta translatione corporum ante memorata, huc traduco:* Boris et Hleb, Vlodimiri magni ducis filii, barbara nomina nominibus Romani et Davidis, sacro intervenente baptismo, commutarunt : et post mortem patris sui a fratre Suatopelco occisi sunt. Is enim, cognita partis sui Vlodimiri morte, dum Borissius armis Piecinigum distinetur, occupavit Rossiæ metropolim Kioviam : quæ sibi ne eriperetur, Visogrodanos instruxit, ut Borissium reducem occiderent : quod et fecerunt ; piumque Ducem die Dominico orantem, et in obtutu imaginis Christi defixum, gladiis confoderunt, una cum famulo ejus Georgio Hungaro. Hlebum vero vel Davidem, ducem F Muromensem, idem Suatopelcus tali fraude circumvenit. Dissimulata patris Vlodimiri morte, finxit se gravi detineri morbo, cupereque ut se invisat. Credidit David seque itineri dedit : cujus cum magnam partem confecisset, cumque unum a Smolensco milliare esset, mitites eum Suatopelci invaserunt et occiderunt : corpusque in loco deserto defoderunt. Supra quod cantus angelici auditi et lucernæ ardentes visæ sunt. De eis Menologium XXIV Julii ita habet : Eodem die obitus sanctorum martyrum ducum Rossiæ, fratrum secundum carnem, Borissii et Hlebi, vel Romani et Davidis, qui a fratre suo Suatopelco occisi sunt, Boris lanceis confixus, Hleb vero cultro.

tertium impressum ex Koialovicio,

13 *Tertium elogium subjicio ex Miscellaneis Lithuaniæ, ubi Koialovicius pag.* 5 *inter patronos Lithuaniæ Sanctos hosce sic memorat :* SS. David et Romanus MM., filii Vlodimiri monarchæ Russorum, patria lingua antiquoque ethnicorum more Hlebus et Borysius dicti, nomina in sacro fonte mutarunt. Mortuo parente Vlodimiro, Romanus (olim Boris dictus) dux Rostoviensis, incitatus a suis ut patri succedere vellet, fratremque

AUCTORE J. S.

tremque suum Suantopelcum, hominem truculentum et fratrum reliquorum cædi intentum, aut exigeret aut auferret, sanguinolenta consilia respuit : quin imo ipse se ad illum contulit, suam ei obedientiam probaturus. In eo itinere, cum ad Altam sub tentorio matutinis Sabbati horis oraret, inter preces laudumque divinarum cantum a sicariis, quos Vissogrodo Suantopelcus submiserat, lancea confossus in terram concidit. Puer, qui forte aderat, Georgius, patria Hungarus, ut ab ulterioribus vulneribus objectu sui corporis Herum tueretur, eidem incubuit : et puer quidem ibi a parricidis confectus est, Herus vero, cum prius extra tentorium prorupisset, et a coortis rursus in se latronibus tempus aliquod orationi impetrasset, efflavit inter orandum animam, ipsisque lacrymas parricidis excussit.

in quo nonnulla aliter exposita :

14 Hæc gesta esse anno MXXVIII, XIV *(alias* XXIV) Julii, testantur veteres codices Slavonici. Paulo post David seu Hlebus, cum ab eodem Suantopelco evocatus per Dunam navigaret, a Jaroslao fratre de insidiis monitus, antequam sibi consuleret, a submissis parricidis in navi, post impetratum orationi tempus, cultro confixus occubuit V Septembris. Corpus ejus in ignotum locum inter silvas projectum, symphonio cælesti, cujus concentum sæpius e propinquo pecuarii audiebant, longe post tempore indicatum, integrum inventum, et a Jaroslao fratre (qui jam, exacta Suantopelco, solus Russiam obtinebat universam) honorifice Vissogrodi in templo S. Basilii tumulatum, quo loco ante Romanus quoque sepultus fuerat. *His addit nonnulla de cultu utriusque Sancti , quæ jam data sunt superius.*

quartum ex Kulczynskio,

15 *Quartum demum elogium adjungo ex Specimine ecclesiæ Ruthenciæ Kulczynskii, qui ad* XXIV *Julii ex Synaxario Ruthencio hæc Latine reddidit :* Sancti et gloriosi martyres Borisus et Hlibus fuere filii Vladimiri, qui baptismo Russiam illustraverat. Habuit ipse duodecim filios, quibus distribuit suas ditiones hoc modo, Visseslao Novogorodum, Izaslao Polocum, Suatopelco Turoviam, Jaroslao post obitum Visseslai Novogorodum, Boriso Rostovum, Hlibo Muromum, Suatoslao Dereva, Usevolodo Vladimiriam, Mstislao Tmutorokaniam, Stanislao Smolenscum, Bracislao Luceoriam, Sudislao Pscoviam. Vocavit vero Vladimirus Borisum Kioviam ; is enim erat ipsi charior præ reliquis filiis : et cum nuntiatum esset Pecenigos invadere Russiam, lecto magno exercitu, expedivit eumdem Borisum ultra Boristenem : ipse enim infirmus jacebat et paulo post obiit. Post cujus obitum Suatopelcus ingressus Kioviam, occupavit solium paternum, et repletum est iniquitate cor ejus, dixitque in se : Mactabo omnes fratres meos, et fiam monarcha in Russia. Hæc cogitans, profectus est noctu Vissegorodum, et convocatis suis magnatibus, Putza, Jelovicio, et Lasco, dixit ipsis : Euntes occidite fratrem meum Borisum, et eritis intimi mei familiares. Promiserunt ipsi scelus. Et cum Borisus, non inventis Pecenigis, ac dimisso exercitu, rediens cum pauco comitatu, pernoctasset ad fluvium Altam, huc venientes sicarii, hastis eum confoderunt, impositumque currui corpus conduxerunt Vissegorodum, et in templo D. Basilii tumulaverunt.

16 Misit post hæc Suatopelcus nuntium ad Hlibum dicens cum dolo : Veni absque mora ; parens enim noster infirmatur. Hlibus ignarus fraudis fraternæ, accinxit se itineri, et cum esset ad Volgam, ob repentinum ex equo casum læsus uno pede, conscendit currum, quo properanter vectus cum intrasset silvam Smiadinam, exceptus fuit a sicariis, duce Horasiro, quo jubente circumdederunt currum. Unus autem e famulis Hlibi, nomine Torcinus, qui erat præfectus culinæ, educto ense confodit dominum suum divum Hlibum, qui migravit ex hac vita die V Septembris. Corpus ejus projectum in silva inter duo ligna, luce cælitus labente, Deus revelavit pastoribus, qui nuntiarunt incolis Smolenscensibus. Ipsi vero venientes cum crucibus ac cereis, tulerunt reverenter sacras exuvias, et posuerunt in templo. Profligato postmodum Suatopelco, et occupata urbe Kiovia, pius princeps Jaroslaus jussit transferre corpus S. Hlibi Vissegorodum, ubi positum fuit ad latus D. Borisi. Utrumque vero Dominus clarificavit miraculis : morbos enim curant, lumine captos illuminant, claudis gressum restituunt, dæmonia e corporibus obsessis expellunt, e carceribus vinculisque liberant, et principes Ruthenos præliantes contra infideles precibus juvant. Utinam et nos humiles ipsorum intercessione consequi divinam gratiam hic et nunc ac in die judicii digni efficiamur. Hactenus Synaxarium, *inquit auctor.*

in quo alia quædam cum Actis non consonant.

§ III. Assignantur certiora Vitæ capita, et alia quædam examinantur : annus emortualis investigatur.

Quæ de Sanctis certiora sunt, recensentur.

Si quis quatuor elogia jam recitata diligenter cum Actis contulerit, facile videbit omnia satis consonare in factis præcipue ad Sanctos nostros spectantibus. Primo enim omnium consensu Borisus *et* Hlibus *asseruntur filii fuisse Vladimiri Russiæ ducis. Secundo dicuntur ambo post patris mortem occisi dolo fratris Suatopelci, et quidem ante bellum, quod inter Vladimiri filios ea occasione ortum est. Tertio ambo abhorruerunt a bello fratribus inferendo, contentique erant ditione a vivo patre accepta,* Borisus *nimirum ducatu Rosthoviensi,* Hlibus *Muromensi.* Borisi *ducatus Rosthovia inter præcipuos erat. Metropolis ejus* Rosthow *sita est ad lacum, e quo oritur Cotorea fluvius, qui prope Jaroslaviam illabitur Wolgæ* Muromum Hlibi *metropolis, quæ alias* Merum *et* Morum *in tabulis notatur, ad Occam flumen posita est, ubi infra eam Clesma in Occam influit. Quarto ambo dicuntur sepulti, diverso tamen tempore,* Vissogrodi *aut* Vissogorodi, *ibique miraculis claruisse. Vissogrodum autem in quibusdam tabulis geographicis notatum invenio non longe ab urbe Kiovia ad Borysthenem. At corpora utriusque deinde per schismaticos Moscuam creduntur translata, ibidemque etiamnum servari. Hæc præcipua et certiora sunt Vitæ utriusque capita ; attamen ex aliis scriptoribus contra primum et secundum formari potest non levis objectio.*

Ditmarus tres tantum filios attribuens Vladimiro,

18 *Ditmarus auctor synchronus tres tantum filios attribuit Vladimiro, ita scribens lib. 7 paulo ante finem de Vladimiro :* Hic tres habens filios, uni eorum Bolizlavi ducis, nostri persecutoris, filiam in matrimonium duxit *etc. Et infra,*

postquam

A *postquam narraverat filium illum, cui Boleslai Poloniæ ducis filia nupserat, a Vladimiro carceri fuisse mancipatum, rursum ita habet:* Post hæc rex ille plenus dierum obiit, integritatem hæreditatis suæ duobus relinquens filiis, tertio adhuc in carcere posito : qui postea elapsus, conjuge ibidem relicta, ad socerum fugit, *Boleslaum nimirum Polonum. Si autem Vladimirus tres tantum filios moriens reliquerit, nequeunt hi duo Sancti ambo filiis ipsius annumerari, cum Jaroslaus et Suatopelcus, qui post mortem patris de imperio contenderunt, certo ejus filii fuerint. Fateor hanc rationem non esse contemnendam : nam et Annalista Saxo ad annum* 1018 *tres tantum Vladimiri filios memorat, atque ex iis nominat solos Jaroslaum et Suatopelcum, qui soli item nominantur a Ditmaro, quem ille secutus est.*

non videtur omnes novisse : certe Borisius et Hlibus ejus filii creduntur.

19 *Respondeo igitur ex dictis auctoribus revera dubitari posse, an omnes illi duodecim, quos alii scriptores enumerant, filii fuerint Vladimiri : nam post mortem ipsius duo tantum vel tres apud Dlugossum filii de regno contendisse leguntur, atque alii duo occisi. Præterea varios habuit filios Jaroslaus, atque hi potuerunt a posteris*
B *facili errore haberi pro filiis Vladimiri, cum tres primi ex illis apud Dlugossum ad annum* 1052 *dicantur* Zaslaus, Wsewoldus *et* Suantoslaus, *quæ nomina sunt trium, quos Vladimiro filios posteri attribuunt. Verumtamen respondeo probabilius esse, duodecim fuisse filios Vladimiri, cum præter Acta et elogia data de omnibus distincte admodum scribat Dlugossus ad annum* 1005. *Quippe fieri potuit, ut non omnes innotescerent Ditmaro longe a Russis dissito : nisi forte Vladimirus solum tres filios habuerit legitimo thoro natos, eosque solos numeraverit Ditmarus. Verum quidquid sit de omnibus duodecim, major est scriptorum concensus pro* Boriso *et* Hlibo, *quam ut merito de iis dubitari possit, quia unum ex iis videtur ignorasse Ditmarus. Suspicor enim huic tantum innotuisse eos, qui rebus gestis aliquod nomen acquisierant, nempe Suatopelcum Poloniæ ducis generum, Jaroslaum prioris æmulum, et verisimiliter* Borisum, *qui omnes exercitibus præfuerant; reliquos vero eidem fuisse ignotos, quod nullus eorum rebus bellicis*
C *inclaruisset, dum scribebat Ditmarus.*

De anno emortuali diversæ sunt sententiæ:

20 *Altera ex verbis Ditmari objectio oritur, sed commodius diluenda inferius, ubi annum emortualem utriusque Sancti et alia quædam examinavero. Consentiunt scriptores Sanctum utrumque occisum eodem anno, quo defunctus erat Vladimirus : verum assignando illo anno in diversas abierunt sententias. Kulczynskius in Appendice pag.* 110 *et* 111 *mortem Vladimiri illigat anno* 1008. *Dlugossus mortem ejusdem narrat ad annum* 1005. *Koialovicius, cujus verba data sunt num.* 14, *annum* 1028 *assignavit. In Actis num.* 1 *Vladimirus obiisse dicitur* vigesimo octavo anno post susceptum baptisma : *quæ epocha ducit ad annum* 1015, *cum Vladimirus probabilius baptizatus sit anno* 988, *ut ostensum est in Dissertatione de conversione Russorum* § 2. *Et sane quæ in Actis dicuntur de die emortuali utriusque Sancti, optime congruunt anno* 1015 : *et quæ Ditmarus de bellis in Russia secutis enarrat, clare innuunt mortem Vladimiri non longe amoveri posse ab anno* 1015, *ut paulo magis probare aggredior.*

21 *Nullum potest esse dubium, quin Suatopelcus per Boleslaum Poloniæ ducem, cujus gener erat, Russiæ ducatum recuperaverit anno* 1018 : *nam, teste Ditmaro tunc scribente lib.* 8 *circa finem, Boleslaus insignem de Jaroslao victoriam retulit mense Julio anni* 1018, *ac mox Kioviam progressus, hunc urbem obsedit :* Defensa est autem *(Kiovia)* ab suis habitatoribus, sed celeriter patuit extraneis viribus : namque a rege suo in fugam verso relicta, XVIII Cal. Septemb. Bolizlavum, et quem diu amiserat, Zuentipulcum seniorem * suum . . . suscepit. *Ex his verbis ulterius colligo, præcedentem pugnam, qua Suatopelcus a Jaroslao victus est in Poloniam fugere coactus, referri non posse ad annum* 1017, *sed verisimiliter contigisse anno* 1015 *aut* 1016 : *nam vox* diu, *qua item utitur Ditmarus lib.* 7, *ubi ait Suatopelcum* diu expulsum *a Boleslao postea restitutum esse, exigit saltem, ut credamus inter expulsionem et restitutionem plus temporis intercessisse quam unum annum. Præterea lib.* 7 *pag.* 416 *editionis Leibnitii dicitur Henricus imperator mense Novembri anni* 1017 *intellexisse*, Russorum regem *aliquid molitum fuisse contra Boleslaum, sed irrito eventu. Itaque Jaroslaus ipse anno* 1017 *bellum Boleslao intulisse videtur, quando hic jam aliquot* E
annis bello implicitus erat contra Henricum imperatorem.

AUCTORE J. S.

verum ex anno 1018, quo per Boleslaum Suatopelcus Kioviam recepit,

* *i. e. dominum*

collato cum notis chronologicis, quæ habentur in Vitas,

22 *Ex dictis clare consequitur, victoriam Jaroslai figendam non esse post annum* 1016. *Ex iis tamen tuto nequit inferri, affigendam esse eidem anno* 1016, *nec rationem ullam invenio, qua id ostendatur. Dubitari etiam potest, an Suatopelcus a Jaroslao primum victus sit eodem anno, quo Vladimirus,* Borisus *et* Hlibus *vitam finiverunt, an vero anno sequenti. Potuit Jaroslaus, audita patris et fratris* Borisi *morte, statim arma arripere, fratremque sub finem ejusdem anni vincere, atque id verisimilius apparet, cum tempus non defuerit, ut ostendam in annotatis ad Vitam. Verum, sive Suatopelcus eodem anno, quo patris defuncti solium occupaverat, ex Russia pulsus sit, sive anno sequenti ; Acta argumentum suggerunt, quo mors Vladimiri probabiliter admodum illigari possit anno* 1015. *Nam Borisus in Actis occisus dicitur die Dominico et* XXIV *Julii : Hlibus vero feria secunda seu die Lunæ et* V *Septembris, et demum Vladimirus in morbum supremum incidisse narratur vigesimo octavo anno post susceptum baptisma. Hæc omnia congruunt anno* 1015, *qui erat vigesimus octavus post baptizatum Vladimirum, quoque dies* XXIV *Julii erat Dominicus, et dies* V *Septembris concurrebat cum feria secunda, ut intelligitur ex littera Dominicali* b. *Itaque hæc trium notarum chronologicarum consonantia probabile præbet argumentum, quo mors Vladimiri,* Borisy *et* Hlibi *anno* 1015 *affigatur, præsertim cum ex Ditmaro probatum sit, eam ab hoc anno non longe amoveri posse.* F

statuendus videtur annus 1015.

23 *Potest quidem objici, quod in Actis num.* 8 *mors* Borysi *adscribatur anno* 1028, *qui longe a vero abest : indeque inferri, nullam tribui debere auctoritatem notis illis chronologicis, quas ex Actis produxi. Verum respondeo, annum illum videri a quodam recentiore adjectum : nullibi enim in Actis exprimitur annus a nato Domino, ideoque credere nequeo ibidem etiam expressum fuisse. Præterea certum est, Russos solitos non fuisse annos numerare ab Incarnatione Christi, sed more Græcorum a mundo condito. Itaque annus ille* 1028 *attribuendus est interpreti*

AUCTORE J. S.

preti Actorum aut interpolatori, non ipsi auctori. Si quis velit Acta esse scriptoris Latini, quod parum est verisimile, male ille ex monumentis Ruthenicis annum illum collegerit, aut ex levi quapiam conjectura in eam deductus fuerit opinionem. At eadem ratio non videtur de diebus mensium et hebdomadarum, quibus occisi sunt Sancti: nam hi verisimiliter ab auctore Actorum in antiquis monumentis sunt reperti; tantoque majorem habent auctoritatem, quanto rectius secum et cum relatis a Ditmaro consonant. Itaque mortem utriusque Sancti et patris Vladimiri figam anno 1015, *donec certiora quis doceat.*

Bella deinde secuta in Russia:

24 *Secuta vero bella sic ordinabo. Mense Augusto anni* 1015 *Jaroslaus exercitum collegit, quem contra fratrem Suatopelcum duxit, eumque inchoata hyeme, videlicet mense Novembri vel Decembri ejusdem anni vicit et ad Boleslaum fugere coegit. Anno* 1016 *et* 1017 *Boleslaus bello occupatus contra Henricum imperatorem nihil tentavit pro Suatopelco contra Jaroslaum. At inita pace cum Henrico, ad generum suum in ducatum Russiæ restituendum adjecit animum,* B *idque effectum dedit anno* 1018, *profligato primum Jaroslao et capta deinde Kiovia cum aliis Russiæ urbibus, non tamen expulso prorsus Jaroslao, qui postea desertum a Boleslao Suatopelcum iterum vicit, et tota Russia expulit. At ultima hæc Jaroslai victoria contigit post mortem Ditmari, anno* 1019 *defuncti; ideoque illius annus tam certo nequit ostendi. Ad propositum quoque meum non est necesse examinare, quo anno Suatopelcus ex Russia omnino pulsus sit, et deinde occisus. Verum discutienda est objectio, quæ contra primam Jaroslai victoriam, et contra cædem* Borici *et* Hlibi, *machinatione Suatopelci factam, formari potest ex Ditmari verbis, ut antea insinuavi.*

respondetur ad objectionem alteram,

25 *Etenim hic scriptor lib.* 7 *sub finem, postquam narraverat uni e filiis Vladimiri, Suatopelco nimirum, nuptam fuisse filiam Boleslai Poloniæ ducis, de iis et episcopo Reinberno, simul in Russiam misso, ita deinde loquitur:* Quem *(Reinbernum)* prædictus rex *(Vladimirus)* audiens filium suimet hortatu Bolizlavi tacito reluctaturum sibi, cepit cum eodem et uxore, et in singulari C custodia claudit. *Mortuum deinde dicit Vladimirum,* tertio *filio, nempe Suatopelco,* adhuc in carcere posito: qui postea elapsus, conjuge ibidem relicta, ad socerum (*Boleslaum*) fugit. *Hæc verba videntur insinuare Suatopelcum, simulatque elapsus est e carcere, fugisse ad Boleslaum; non vero fugisse post occisos* Borisum *et* Hlibum, *neque post cladem sibi a Jaroslao illatam. At respondeo, Suatopelcum verisimiliter, mortuo parente, statim e carcere evasisse, sibique animos Kioviensium conciliasse, ac tum Fratribus duobus mortem machinatum esse, tertio vero armis restitisse, donec victus in Poloniam fugerit. Nisi ita exponatur Ditmarus, non recte dixit de urbe Kiovia per Boleslaum intercepta:* Quem diu amiserat, Zuentipulcum seniorem suum, . . . suscepit. *Suatopelcus enim dominus non fuit Kioviensium, antequam Boleslaus Kioviam expugnavit, adeoque hæc urbs dominum illum non amiserat; nisi eam occupaverit Suatopelcus post mortem Vladimiri.*

quæ formari potest ex Ditmaro,

26 *Qua de causa respondeo omnium scriptorum Polonorum et Ruthenorum consensum unius Ditmari, quantumvis coævi, præferendum esse auctoritati, præsertim cum hic clare aliis non contradicat, sed solum non referat primam Suatopelci cladem, sive quod omnia ad Russos spectantia enarrare non curaverit, sive quod longe* D *distans multa aliam ignoraverit. Non scripsit Ditmarus Russorum historiam, ideoque non curavit omnia investigare; sed pauca tantum de Vladimiro, Suatopelco et Jaroslao narravit, eaque fere, quæ cum rebus Polonicis aut Germanicis erant connexa. Quapropter nec silentium Ditmari de cæde* Borici *et* Hlibi, *ac de prima Suatopelci clade; nec dicta ejus de tribus Vladimiri filiis, quæ silentio de aliis æquivalent, nimis urgenda sunt contra consensum Polonorum et Ruthenorum. Nam hi, etsi tempore posteriores sint, majorem tamen auctoritatem habere debent, dum scribunt de rebus, quas studiose pertractant, quam ille, dum silet dumtaxat ea, quæ nec investigare curavit nec scribere. Contrarium tamen dicendum est, ubi Ditmarus clare aliquid de hisce asserit, aut tempora rerum gestarum assignat. Hac de causa usus sum auctoritate Ditmari ad annum emortualem Sanctorum determinandum; et vera credo, quæ ille scribit de carcere Suatopelci, licet Acta taceant, et Dlugossus etiam contraria narret.* E

Dlugossus de morte Borisi et Hlibi satis recte scribens, errat tamen,

27 *Quippe scriptor hic Polonus ad annum* 1005 *pleraque Actis de* Boriso *et* Hlibo *consententia narrans, in uno capite tam Actis quam Ditmaro repugnat, dum pro Suatopelco Jaroslaum patri Vladimiro rebellem facit,* castrum Kioviense *cum thesauris paternis ab eo occupatum asserit, reliquaque sic enarrat:* Quod pater Wolodomirus accerbissime ferens, copias ex omnibus principatibus, quos inter filios diviserat, contrahit, cum Jaroslao filio pugnaturus. Quo Jaroslaus comperto, mittit et conducit Pieczyngos et Varahos, patri resistentiam facturos. Interim Wolodomirus dux et pater propter filii Jaroslai rebellionem et hostilitatem ex dolore proveniente gravi languore correptus, filium Borysz exercitui præficiens, contra Jaroslaum mittit: ipse, morbo invalescente, paucis post in castro Berestow moritur . . . Ignari patrem suum, scilicet ducem Wolodomirum, hi duo filii, Borysz et Suatopelkus, e vita excessisse, certamen cum Jaroslao et gente sua ineunt, et victus Jaroslaus cum Pieczyngis et Varahis adjutoribus suis fugit. Suatopelkus vero occupat Kioviam et rapit principatum, altero fratre Borysz paternæ mortis luctui vacante. Et licet dux præfatus Borysz in agmine militum, quatenus F Suatopelko fratre pulso, principatum Kioviensem ipse possideat, urgeretur, militum tamen instantias abnuens, respondit, Suatopelkum fratrem, patre absumpto, patris se culturum loco, nec quicquam adversi illi se umquam moliturum.

dum Jaroslaum patri suo rebellem facit.

28 Verum Suatopelkus disparem gratiam fratri referens, subornat Novogrodenses *(imo Vissogrodenses, ut omnes alii asserunt)* viros Belial, qui Borysz ducem in cubili suo orantem lanceis transfodiunt, sed et armigerum ejus Gregorium, natione Hungarum, dominum suum protegentem, secum una necant. Mittit deinde Suatopelkus ad alterum fratrem Gleb in dolo, invitans eum ad se; sed a fratre Jaroslao nuper conflicto avisatus ad occisionem se vocari, presso gradu substitit, et magno ejulatu et patris mortem et fratris necem plangit. Veniunt tandem alii viri a Suatopelko missi, et Gleb ducem, abscisso capite interficiunt. *Hactenus Dlugossus, cujus relatio de morte* Boriso *et* Hlibo *illata satis congruit cum Actis et cum elogiis ante datis. Cum Actis etiam consentit, quod asserit* Borisum

A risum *a patre ægrotante ductorem exercitus creatum. Verum in Actis* Borisus *cum exercitu missus non dicitur contra Jaroslaum, sed* contra Pecinienses, *qui hic* Pieczyngi *vocantur, alias* Pecinaci, *et communius a Græcis* Patzinacitæ *aut* Pazzinaci *dicti. Vicini hi erant Russis et ipsis olim non inferiores, ui videri potest apud Constantinum Porphyrogenitum in libro de Administrando imperio cap.* 1, 2, *et sequentibus, maxime cap.* 37. *Verisimile quoque non est Jaroslaum cum Patzinacitis fœderatum fuisse, cum illi postea auxilium dederint Suatopelco, teste ipso Dlugosso ad onnum* 1008 : *imo et Bolestao Patzinacitæ contra Jaroslaum adfuerunt, ut habet Ditmarus lib.* 8, *ubi* Petineos *vocat. Itaque aut Patzinacitæ proprio motu Russiam invaserunt, aut id fecerunt pro Suatopelco, tunc ob rebellionem captivo, ut habemus ex Ditmaro. Dlugossus vero rebellionem Suatopelci, sive hæc in apertum bellum erupit, sive ante carcere ipsius compressa fuit, perperam videtur transtulisse ad Jaroslaum. Hisce demum Acta subjungo, brevius in annotatis expositurus, si qua ulteriori discussione indigeant.*

B

ACTA

auctore anonymo

Ex Ms. Vilna huc misso.

CAPUT I.

Vladimiri Russorum ducis, cum duodecim filiis conversi, morbus et obitus; S. Borisus fratris machinatione occisus.

C *Borisus ab ægrotante patre exercitui præfectus, audita patris morte,* Magnus ille totius Russiæ monarcho Vladimirus *a* cum, divina favente gratia, sacro fonte lustratus cum duodecim filiis *b*, Wiseslao *c*, Izaslao *d*, Jaroslao *e*, Boriso, Glebo, Suatoslao *f*, Usevolodo *g*, Mstislao *h*, Stanislao, Sudislao *i*, Suatopolko *k*, Christiana suscepit sacra: universam quoque Russiam salutifera Baptismatis unda expiari et illustrari curavit. Vigesimo ergo octava anno post susceptum Baptisma rex Vladimirus in gravem incidit infirmitatem. Venerat autem tunc temporis ad patrem infirmum dux Borisus Rostoviensis, pius pientissimi regis filius, in sacro fonte Romanus appellatus: cui parens universum commisit exercitum, ac contra Pecinienses *l*, qui valida manu in Russiam irruperant, expedivit, maximopere dolens, quod ob defectum sanitatis ac imbecillitatem corporis sibi ipsi propria persona non liceret hostium repellere audaciam. Borisum quocirca vocatum protinus contra hostes misit. Qui extemplo patri obtemperans discessit: sed inimicos non reperiens, dum revertitur, triste accepit nuntium, scilicet patrem jam esse defunctum: Suatopolkum *m* vero occultare mortem patris, ut interim clam fratribus solus totum posset occupare regnum. A. Anonymo

fratris Suatopelci insidias timet; 2 Hæc ut beatus rescivit Borisus, cœpit deplorare mortem parentis intimo affectu dicendo: Hei mihi! lumen oculorum meorum, semita juventutis meæ etc. Hei mihi! pater mi, domine mi etc. Væ mihi, qui præsens non fui! Ipse tuum sepelivissem corpus. Et multa alia dicebat præterea: Cor mihi ardet, anima sensum turbat. Et: Ad quem convertar, ignoro, hancque meam significem tristitiam. Num ad patrem *n*, quem patris loco haberem? Sed hic hujus mundi gloriam sequitur, ac mortem mihi meditatur: sed interficiet me. Domino Deo martyr efficiar: non contradico. Secundum Scripturam, Dominus Deus resistit superbis, humilibus vero dat gratiam. Apostolus quoque dixit: Siquis ait, Amo Deum, et odio habet fratrum suum, mendax est. Hodie autem adibo fratrem. Dicamus illi: Tu mihi, O mi frater, sis pater, sis soror, sisque frater. Hæc et similia dicebat beatus Borisus, cursumque ad fratrem dirigebat. Loquebatur autem secum: Videbo *o* adhuc fratrem meum minorem natu Glebum. E

at mori mavult, quam principatum invadere. 3 Iterum dicebat: Fiat voluntas Domini. Ac secum nominando dicebat: Si intravero domum patris mei, malorum linguæ scutum mihi prævertetur *p*, persuadebuntque ut expellam Suatopelkum, ac injuriam illi faciam propter gloriam principatus. Omnis autem gloria hæc citius quam tela araneæ commutatur: et cum hanc debuero mortalem relinquere vitam, quale responsum acquiram? Ubinam occultabo multitudinem peccatorum meorum? Quidnam pater meus ac fratres mei de hujus mundi gloria secum abstulerunt? Ubinam est gloria vitæ illorum? Ubi aurum et argentum? Omnia ista evanuerunt: nec ullum contulit auxilium gloria mundi. Bona solummodo opera et sincera charitas auxilium adferunt. Eundo autem totus perfundebatur lacrymis, nec se a fletu cohibere poterat: omnesque, eum videntes tantopere lacrymantem, lacrymabantur: apparebat namque Beatus facie fatigatus et corde contritus. Renovavit itaque iterum sermonem beatus Borisus, dicens: Scio quod mali homines compellent fratrem meum, ut me interficiat: quod si me interfecerit, ero martyr Domino. Consolatus igitur verbis divinis, ac inter eundum confortabatur in passione Domini, ajebatque; Non despicias me, misericors Domine, sperantem in te: sed salva animam meam propter misericordiam tuam. F

Interim Suatopelcus subornat Vissogrodenses, ut eum interficiant: 4 Suatopolkus autem residebat Kioviæ post mortem patris Vladimiri, et mittebat subdole ad Borisum, dicens: Frater mi, cupio tecum stabilire charitatem, tuumque amplificabo patrimonium. Hæc vero fraudulenter dicebat; venitque noctu Visogrodum; et clam vocabat ad se Putsium *q* et Visogrodenses, quibus dicebat: Omnem mihi narrate veritatem: mecumne habetis amicitiam? Cui respondit Putsius: Imo omnes pro te capita nostra exponemus. Diabolus autem ut advertit, beatum Borisum omnem fiduciam in ducem * collocasse, necem illi parare aggreditur: et quemadmodum quondam Cain gratis in Abelem excitavit, sic miserum decepit Suatopolkum excitavitque, ut fratres interficeret suos, solusque regnum possideret Ruthenicum. Tunc iis ad se vocatis Visogrodensibus, miserrimus hominum Suatopolkus ait Putsio: Quandoquidem, frater promittitis vestra pro me

* forte Deum

A. ANONYMO.

me interponere capita, euntes clam fratrem meum Borisum interficite. Ille vero se dictis satisfacturum promisit.

Borisus vero, frustra sollicitatus ad solium occupandum,

5 Interim beatus Borisus commorabatur Altæ *r*: quem nobiles dictis suis incitabant ad occupandum patris solium, ostendentes paratam ac præsentem copiam militum. Verum B. Borisus respondit: Absit a me erigere manus contra majorem natu fratrem, quem loco patris habeo. Quibus præceptis, milites discesserunt *f*. Beatus vero solus remansit cum puero suo. Erat id temporis dies Sabbati, ac beatus Borisus in suum se contulit tentorium: cum lacrymis et gemitu Deum invocans, dicebat: Lacrymas meas, Domine, ne silueris, quia in te confido: servis tuis conjungas me, Domine. Et reminiscebatur quoque martyrii S. Nicetæ *t*, et S. Wenceslai, qui similiter a fratre interemptus obiit, et S. Barbaræ, quæ a parente. Considerabat etiam sapientissimi verba Salomonis, dicentis: Justi in æternum vivent, et a Domino mercedem capient: his itaque sententiis consolabatur. Cumque jam vesperasceret, vespertinas preces decantare jussit. Ipse quoque suam in decantandis laudibus divinis vespertinis assiduis lacrymis impendebat operam. His finitis, cubitum se contulit, multa solicitudine secum perpendendo, qualiter se ad mortem et passionem offerre debeat, cursum perficere, fidem conservare, et fidelitatis coronam a Deo recipere.

et desertus a militibus, piis exercitiis ad mortem se parat.

6 Summo ergo mane diei Dominici expergefactus, quum animadvertit tempus matutinarum orationum adesse, sacerdotem suum excitavit ad inchoandas laudes Servatoris nostri. Ipse quoque Beatus, postquam indutus faciem suam lavisset, protinus ad preces Deo solvendas se contulit. Interea missi parricidæ a Suatopolko in Altam venerunt noctu, cumque propius accessissent, ac vocem beati Borisi, decantantis psalmos matutinos percepissent, tunc significatum est ei de occisione. Sanctus ergo incepit recitare psalmos, dicens: Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt adversum me etc.: et reliquos psalmos matutinos ad finem usque addidit, cantando: Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium. Domine Deus meus, in te speravi: demum canonem. Finito vero matutino, convertit se ad imaginem Salvatoris supplex orando, atque dicens: Domine Jesu Christe, qui taliter apparuisti in terris, et qui dignatus es voluntarie clavis affigi, et mortem in cruce suscepisti propter peccata nostra; concede et mihi pati. Interim circa tentorium exaudivit sibilum malignantium hominum intra mugitus, ac lacrymando precatus est: Gloria tibi, Domine Jesu, propter invidiam me pati dignatus hanc tribulationem, et propter verbum tuum: nolui enim me ipsum quærere nec aliquid concupiscere secundum Apostolum: Charitas omnia patitur, omnia credit, non quærit quæ sua sunt: in charitate non est timor: charitas perfecta expellit timorem: namque, Domine, omnia mea semper in manibus tuis, qui Legis tuæ non sum oblitus: ut tibi, Domine, placet, ita fiat.

Sanctus vulneratur, et famulus ejus occiditur,

7 Sacerdos autem cum puero, videntes Dominum suum adeo afflictum, commiseratione ducti collacrymabantur, dicentes: O perdilecte Domine, quanta bonitate repletus es! Ergo tantam militum copiam in manibus habens, noluisti adversari fratri propter amorem Christi. Interim derepente irruperunt in tentorium perditi illius Suatopolki perditissimi famuli, sanctumque martyrem Borisum crudeliter lancea perfoderunt Putsso, Talec, Elovis, Liassho. Id advertens dilectus S. Borisi puer Georgius, Ungarus natione, cui beatus Princeps aureum torquem dederat, corruit supra corpus Domini illacrymans: Utinam non te deseram, Domine mi præstantissime: moriar et ego, ubi tua emeruit pulchritudo. Quod cernentes miserrimi illi homicidæ, etiam hunc transfoderunt. Sanctus autem Borisus, accepto vulnere, exiluit ex tentorio. Illi vero circumstantes exclamaverunt: Quid statis eum intuentes? Accedentes finiamus jussa. Beatus Martyr hoc audiens, supplex precabatur, dicens: Fratres mei charissimi, parum, obsecro, concedite temporis, ut preces fundam ad Dominum Deum meum.

deinde et Sanctus, impetrato prius aliquo tempore ad orandum,

8 Elevatis ergo ad cælum oculis, cum lacrymis ac suspiriis orabat: Domine Deus clemens ac misericors, gloria tibi, qui concessisti mihi de fraude fraudulentæ vitæ hujus exire: gloria tibi, benignissime Largitor vitæ, qui me participem fecisti laborum sanctorum martyrum tuorum: gloria tibi, Amator hominum, qui concessisti mihi perficere desiderium cordis mei: gloria, Christe, multæ tuæ misericordiæ, qua direxisti pedes meos in viam pacis, ut ad te sine offendiculo currerent: aspice de excelso sancto tuo, et respice dolorem cordis mei, quem suscepi a meo germano. Notum est tibi me non adversari nec contradicere: habui enim in manu mea omnem patris mei militem, ac omnia patri meo dilecta. His et similibus dictis addidit: Sed tu, Domine, respice, et sis inter me et fratrem meum, et non statuas illi hoc peccatum: sed recipe in pace animam meam. Hac finita oratione, respexit eos oculis commiseratione plenis, ac totus natans in lacrymis, eos affatus est: Fratres, accedentes perficite opus, quod jussi estis, sitque pax fratri meo et omnibus vobis.

occiditur et Vissogrodi sepelitur.

9 Hæc illi audientes nullum respondere verbum poterant; sed timore et angore pleni lacrymabantur: ac quilibet intra se dicebat: Væ nobis, Princeps noster dilectissime, beatissime Dux cæcorum, Vestitus nudorum, Scipio senum, Instructor rudium, quomodo respuisti gloriam mundi hujus? Quis non mirabitur tantam humilitatem? Et quis non humiliabitur tuo ductus exemplo? Sanctus ergo Borisus confestim beatam Creatori reddidit animam Julii XXIV, anno MXXVIII *u*. Impii autem illi parricidæ plures alios beato Martyri præsentes interfecerunt: inter quos Georgium dilectum Beati puerum, cujus caput amputavit, qui non poterat auream detrahere torquem . . . Quocirca corpus ejus truncum agnosci non poterat. Sancti autem Martyris corpus tentorio involutum, curruque impositum, secum avexerunt. Cum autem in silvis essent, Beatus caput cœpit erigere *x*. Quod cum miserrimus Suatopelcus rescivisset, duos confestim misit, qui cor sancti Martyris gladio transfixerunt: sicque Beatus immarcessibilem adeptus est coronam. Corpus itaque vexerunt usque Visogrodum *y* ibidemque in templo, D. Basilio consecrato, in terra sepelierunt.

ANNOTATA.

a *De Vladimiri conversione factisque ipsius ad fidem promovendam, disputavi in Dissertatione de conversione et fide Russorum huic tomo præfixa.*

b *Non*

A b *Non videntur omnes filii Vladimiri eodem tempore cum patre baptizati : nam eorum aliqui verisimiliter nati sunt post patris baptisma. Auctor igitur solum indicare voluit, quantum opinor, duodecim fuisse Vladimiri filios, omnesque æque ac patrem fuisse baptizatos.*

c Wisculaus *ab aliis item numeratur primus, eique Novogorodum a patre datum, cum aliis scribit Dlugossus ad annum* 1005. *Intelligenda autem est Novogardia magna, a Russis* Novogrod Weleki *dicta, quæ sita est ad Ilmenum lacum in partibus Occidentalibus Moscoviæ. Addunt scriptores Wiseslaum esse defunctum ante patrem.*

d Izaslaum *item secundum recensent Dlugossus et Kulczynskius, eique a Vladimiro* Polocum *donatum scribunt. Urbs illa deinde Lithuaniæ accessit, ibique adjacet Dunæ fluvio, vulgo* Poloczki *dicta aut* Polocko. *Plura de Izaslao nullibi invenio, sed Jaroslaus item habuit filium Izaslaum, qui Russiæ principatum obtinuit.*

e *Jaroslaus post mortem fratris Wiseslai a patre constitutus dicitur dux Novogardiensis aut Novogrodensis, cum ante esset Rosthoviensis. De* B *eo, ejusque fratribus* Boriso *et* Glebo *multa in Commentario sunt dicta.*

f *De Suatoslao, quem* Suentoslaum *scribit Dlugossus, nihil invenio, nisi quod pater ei tradiderit* Drzewiany, *ut vult Dlugossus,* Dereva *scribit Kulczynskius. Habuerunt Jaroslaus et Vladimirus II filios ejusdem nominis.*

g *Huic iidem scriptores* Wolodimiriam *datam asserunt, nec plura de eo addunt. Fuit et Jaroslao ejusdem nominis filius, et alii principes Russi id nomen habuerunt. Wolodimiria autem satis nota est, et post Kioviam fuit Russorum metropolis, donec magni duces Moscuam se contulerint.*

h Mstislao *attribuit Kulczynskius* Tmutorokaniam, *Dlugossus* Timutokany *nominat. Ducem hunc Mstislaum deinde fratri suo Jaroslao duci Kioviensi bellum intulisse, narrat Dlugossus ad annum* 1014, *quem consule.*

i *Inter* Stanislaum *et* Sudislaum *unus omissus hic est filius, ut numeranti patebit.* Bracislaus *ille vocatur a Kulczynskio, a Dlugosso* Posvisd. *Non convenit etiam inter hos scriptores de hereditaria* C *portione tribus hisce junioribus per patrem attributa. Dlugossus nihil ipsis a vivente patre donatum scribit, sed* Kioviensem et Berestow principatus *ipsis servatos ait, ut eos post mortem patris possiderent. Alter singulis principatus suos adscribit,* Stanislao Smolenscum, Bracislao Luceoriam, Sudislao Pscoviam. *Nolim hisce me judicem interponere, cum ne consentientibus quidem de filiorum numero, et divisione principatuum data, indubitatam ausim adhibere fidem.*

k Suatopelcum, *qui hic ultimus recensetur, laudati scriptores tertium nominant, nimirum ante Jaroslaum, illique* Turoviam *aut* Turow *a patre concessum dicunt.*

l *Patzinacitas vicinos et æmulos Russorum designari, observavi in Commentario num.* 28. *Plura ibi de Patzinacitis assignavi, ac de iisdem uberius egi tom.* I *Septembris in Commentario prævio ad Acta S. Stephani Hungariæ regis* § 5 *et* 6.

m *Cum Ditmarus testetur, Suatopelcum in carcere fuisse, moriente patre; necesse est, ut ex illo mox evaserit per amicos, qui etiam ad reliqua peragenda ipsi auxilium præbuerint.*

n *Lege* fratrem, *ut exigit phrasis : nam et plura menda in exemptari Ms. reperio. Verum pleraque, ubi clara sunt et solum legibus Grammaticæ repugnant, corrigenda censui : nec credidi operæ pretium fore, si de singulis monerem lectorem, cum Acta non sint tanti momenti.*

o *Vos hæc ambigue erat scripta, totaque phrasis mendosa, quam ex conjectura restitui. Porro omnes hæ sermocinationes* Borisi, *potius meditationes sunt auctoris, qui istis internas ipsius affectiones exponere voluit.*

p *Phrasis est ambigua et ambigue scripta : at sequentia clara sunt, quod sufficit ad mentem auctoris intelligendam.*

q *Dlugossus ad annum* 1005 *de iis, qui Sanctos occiderunt, sic habet :* Principalium virorum, qui duces Borysz et Gleb occiderunt, hæc sunt nomina, Puchsza, Halicz, Lowicz et Lasko. *Tres etiam nominantur in Commentario num.* 15.

r Altæ *hic et in primo elogio, acsi urbis aut oppidi nomen esset. In tertio elogio, in Commentario num.* 13 *dato,* ad Altam, *et in quarto num.* 15, ad fluvium Altam. *Dlugossus ad an-* E *num.* 1010 *alia occasione locum cædis* Borisi *statuit* circa Olham fluvium. *Omnia hæc mihi valde obscura esse profiteor, cum nec locum nec fluvium alterutrius nominis invenire potuerim, qui satis probabiliter possit designari. Attamen satis perspicio locum nec longe admodum abfuisse Kiovia, et quærendum in hodierna Volkynia ac verisimiliter ultra Borysthenem. Nam inter Kioviam et confinia Patzinacitarum* Borisum *tunc fuisse, omnia insinuant : confinia autem Patzinacitarum ab utraque Borystenis parte versus Kioviam se extendebant, ut facile evinci potest ex Porphyrogenito lib. de Administrando imperio cap.* 9 *et alibi.*

s *Consentiunt scriptores, noluisse* Borisum *armis principatum invadere. Itaque exercitus, peracta expeditione, ab eo dimissus est, aut sponte defluxit, quod ducibus consentire nollet Sanctus, aut etiam quod per mortem Vladimiri imperium* Borisi *esset finitum.*

t *Quem* Nicetam *ex variis istius nominis Sanctis designatum voluerit auctor, non facile dixero. S. Wenceslaus Bohemiæ dux et martyr, qui colitur* 28 *Septembris, et S. Barbara, quæ* 4 *De-* F *cembris, clarius indicantur. Verum tam hæc quam sequentia meditatus est auctor.*

u *Sanctum verisimiliter occisum anno* 1015, *et sine ullo dubio ante annum hic assignatum, ostendi in Commentario* § 3.

x *Hoc factum (etsi item asseratur in primo elogio in Commentario num.* 10) *parum est credibile, sed fictitium apparet ; præsertim ob ea, quæ de corde transfixo sequuntur. Nam si Sanctus ex vulneribus acceptis non fuisset omnino mortuus, qui id primi advertissent, haud dubie inchoatam cædem perfecissent.*

y *Oppidum hoc frustra quæsivi in Dictionariis geographicis ; at tandem inveni in tabulis aut mappis, in quibus notatum est ad Borysthenem paucis milliaribus supra Kioviam, scriptumque* Wyszgrod, *ut etiam in primo elogio scribitur. Sanctum Vissogrodi sepultum in æde S. Basilii, consentiunt elogia in Commentario data. At Dlugossus de sepultura utriusque Sancti sic habet :* Corpora autem tam Borysz quam Gleb in Kiow deducta, in ecclesia S. Basilii in uno sepulcro tumulantur. *Malim assentiri omnibus aliis quam uni Dlugosso, nisi forte Vissogrodum inter suburbia fuerit Kioviensis urbis, quæ eo tempore*

A. Anonymo.

tempore maxima fuisse dicitur, ideoque Vissogrodum a Kiovia non distinxerit.

CAPUT II.

S. Glebus ejusdem fratris Suatopelci machinatione in itinere occisus : corpus in loco deserto projectum, deinde, victo per Jaroslaum Suatopelco, incorruptum invenitur : sepulcrum utriusque Vissogrodi miraculis clarum.

S. Hlibus dolo fratris Kioviam invitatus,

Interim impiissimus ille fratricida Suatopolkus, tali commisso scelere, minime ad probitatem conversus, verum suggestione diabolica
B de salute sua desperans, alios quoque fratres interimere in animum duxit. Misit ergo nuntios ad beatum Glebum, in sacri fontis susceptione David appellatum, fraudulenter dicens : Venito cito : pater te vocat, graviter namque infirmatur. Beatus ergo Glebus, ut rescivit, ascenso equo quam citissimo, iter cum parvo comitatu aggressus est. In itinere autem lapsus sub ipso equus in quadam fossa, pedem ei parumper attrivit. Cumque venisset Smolenscum *a*, ac Smolensco discessisset ad ictum oculi, Smadinæ naviculam ingreditur. His se ita habentibus, ad Jaroslaum pervenerat rumor a sorore Pereslavia de morte patris Vladimiri, et interfectione Borisi. Quocirca Jaroslaus quantocius direxit nuntios ad fratrem Glebum, significando : Noli, frater, discedere : pater enim noster e vivis excessit : frater tuus Borisus crudeliter a Suatopolko interfectus est.

dum iter instituit,

11 Hæc ut percepit beatus Glebus, amare lacrymans exclamavit, dicens. Hei mihi! hei mihi! Duabus de causis lacrymor et suspiro. Ploro super te, pater mi : iterumque vehementer ploro super te, frater mi et domine Borise,
C quomodo crudeliter es transfossus? O dilecte mi frater, si accepisti confidentiam apud Dominum, ora pro vilitate mea, ut et ego dignus sim hæc pati, et tecum vivere. Cum beatus Glebus hæc et similia diceret, gemitus et suspiria geminando, creberrimisque singultibus Deum invocando, non minus in lacrymis quam in fluvio natabat. Ecce ex improviso appulerunt a Suatopolko missi improbi homicidæ, immisericordes sanguifugæ, pessimæ feræ, furibundos habentes animos. Beatus autem navigabat in Scopsa *b* non procul Smadina. Hos ergo cum animadvertisset Beatus, exultavit in anima. Qui ipsi agnoscentes contristati sunt, appropinquantes ad eum. Sanctus amicam præstolabatur ab eis salutationem : cumque jam adnatassent, protinus pessimi illi latrones in cymbam Sancti prosiluerunt, evaginatos manibus tenentes gladios. Extemplo e manibus cunctis remi exciderunt, omnesque præ timore præmortui sunt.

a sicariis per Suatopelcum subornatis

12 Hæc Beatus conspiciens, seque ab illis interfectum iri advertens, supplicibus eos intuebatur oculis, faciemque suam lacrymis abluendo, iteratis suspiriis, voce commiseratione plena eos alloquebatur : Parcite obsecro, mihi :
D parcite, fratres mei dilectissimi : parcite mihi, qui nihil commisi mali. Non offendite me, domini mei. Quam injuriam feci fratri meo et vobis? Si aliquam habetis injuriam, ducite me ad principem vestrum, fratrem meum et dominum. Miseremini servitutis * meæ : miseremini mei, domini mei. Sim vester servus : estote domini mei. Quidnam mali commisi? Perhibete testimonium, et non dolebo, si sanguine meo satiari optatis. En sum in manibus vestris, paratus fratri meo et vestro principi. His et similibus dictis illi minime attendentes, instar ferocissimarum bestiarum rapuerunt Beatum. Qui ut advertens, nihil eos sua curare verba, patris defuncti Fratrisque occisi opem implorabat, matremque ingeminando : Salva me, pater etc. Tum etiam : Salva tu quoque te ipsum, frater et inimice mi, Suatopolke.

* *forte* juventutis

in via occiditur.

13 Tandem protestabatur innocentiam suam coram cælo et terra, inferendo : Frater mi Borise, intercede pro me [apud] communem omnium Dominum, ut habeam fiduciam et assistere valeam throno illius. Demum flexis genibus orabat, dicens : Benignissime et misericordissime Domine, lacrymas ne despexeris etc. Vide, Domine, et judica : ecce enim parata est anima mea ante te, Domine, et tibi reddo gloriam Patri et Filio et Spiritui sancto etc. Finita oratione, placido vultu suos aspexit interfectores : humilius voce allocutus est eos : Fratres, occidentes perficite opus vobis commissum. Tunc miserrimus Florazer *c* ocius illum mactare jussit. Coquus ergo Borisi, nomine Torcim *d*, cultro beatum mactavit Glebum, tanquam innocentem agnum, feria secunda, Septembris v. Illi vero projecto beati Martyris corpore in loco quodam deserto inter duos truncos, ad impium Suatopolkum reversi, a quo infelici gaudio suscepti sunt.

E

Corpus in silva projectum prodigiis divinis honoratur;

14 Dominus autem, qui custodit ossa Sanctorum suorum, hujus quoque Sancti cadaver illæsum incorruptumque longo temporis spatio conservavit. Sæpe autem a pastoribus et venatoribus, aliisque circa illum locum iter facientibus, videbatur ignea columna, faces accensæ, et nonnumquam musica cælestis, et angelici videbantur cantus *e*, omnibus stupentibus, nemine
F causam sciente, nimirum hoc sancti corporis gratia fieri. Nec alicui, divina sic permittente providentia, ad inquirendum sancti Martyris corpus in animum *f* veniebat : donec princeps Jaroslaus, impatiens tanti fratricidii, arreptis armis, exercitum contra impium Suatopolkum mitteret. Orabat Deum dicebatque : Non ego, Domine, non ego hujus fratricidii auctor sum, sed ille. Tu, Domine, vindica sanguinem fratrum meorum Borisi et Glebi innocenter effusum. Ne, obsecro, et ego hac morte inteream, sed juste judica, ut malitia peccatoris finiatur etc.

victoque per Jaroslaum Suatopelco.

15 Suatopolkus quoque, quam primum percepit Jaroslaum castra movisse, universam commovit Russiam et innumerum conscripsit exercitum, et trans Borystenem castra metatus est; Jaroslaus vero ex altera fluvii parte. Cumque tribus mensibus ex utraque parte nihil certatum esset, et jam hiems glaciem instar marmoris congelaret, nocte quadem Suatapolkus cum suis inebriatus nihil mali suspicabatur. Interim Jaroslaus cum suis transportavit [exercitum] feliciter, et scaphas a ripa repulerunt, agressique [sunt] *g* pugnam. Suatopolki autem exercitus inter

A interduo stagna ingentia distributus erat; itaque, cum ab altera exercitus parte nihil auxilii haberet propter intermedias aquas stagnorum, milites Suatopolki, impetum hostium non sustinentes, super glaciem recedebant, sed fracta cum illis glacies, multique submersi aquis, alii cæsi. Sic victus fratricida Suatopolkus, ad Boleslaum principem Polonum se contulit, Jaroslao solium patris Kioviæ occupante *h*.

eoque deinde iterum profligato et mortuo,

16 Suatopolkus, impetrato auxilio a Polonis, magna militum manu reversus, vicit et profligavit Jaroslaum *i*. Novo conscripto exercitu, in Altha *k* constitit, ubi beatus Borisus occisus. Ibi elevatis ad cælum manibus et oculis, dixit: Ecce sanguis fratris mei clamat ad te, Domine, ut Abelis etc. His et similibus dictis, fecit congredi exercitum. Ubi, cum triduo fortiter concertatum fuisset, palmam obtinuit Jaroslaus. Suatopolkus vero fugit, et inter fugiendum correptus est a dæmone *l*, omniaque membra ejus dissoluta sunt: nec equo jam poterat insidere, sed lecticis portabatur: fugitque usque ad Bresctum *m* assiduo. Clamabat autem: Fugite, fugite: ecce enim insequitur me; quamquam a B nullo insequebatur. Cumque sic timidus ac vagabundus nullo in loco pacifice consistere posset, totam pererravit, justa Dei ira persecutus, Poloniam. Tandem in silvis inter Poloniam et Bohemiam, a nescio quo occisus, impiam miserrime efflavit animam.

cura Jaroslai quæsitum, sepelitur Vissogrodi:

17 Jaroslaus interim principatum Russiæ solus adeptus, de sanctorum Martyrum sepultura studiose inquirebat. De sancto igitur Boriso narratum est, illum in Visegrodo sepultum esse in D. Basilii basilica. Beatus autem Glebus omnium effugerat notitiam, nisi quod quis noverat eum Smolensci *n* occisum esse. Nonnulli ergo Smolenscenses præsentes narrabant, qualiter circa Smolenscum in loco quodam deserto appareat lux et faces accensæ. Respondet Jaroslaus: Fratris mei Glebi corporis indicia sunt. Misit ergo sacerdotes ad inquirendum sancti Martyris corpus, quod in prædicto loco invenit. Sacerdotes ergo et diaconi, ac reliqua plebs cum thuribulis ac facibus accensis acceptum sacrum corpus Visegrodum deportarunt, ubi honorificentissime penes S. Borisi corpus sepelierunt.

C *miracula apud sepulcrum utriusque.*

18 Accidit autem res omnium memoria dignissima, nimirum beati martyris Glebi corpus, quod tot annis *o* insepultum jacuerat, totum illæsum et incorruptum inventum est, a nulla avi vel bestia carnivora læsum, colore lucido et pulcherrimo, integerrimumque et suavissimos spargens odores, Domino sic glorificante et custodiente Martyris sui corpus. Plurima autem, divina concedente gratia, ad Martyrum sepulcra facta miracula: cæci namque visum, claudi gressum, et a dæmonibus obsessi liberationem consequebantur *p*, cum fidei reverentia ac timore ad sanctam illam ecclesiam confugientes. Ad majorem Dei optimi maximi honorem et gloriam. Amen.

ANNOTATA.

a *Smolenscum urbs nota est ad Borysthenem, sitaque inter Muromum et Kioviam, non tamen linea recta. At eo itinere Sanctus uti potuit, ut non recederet a terra Russica, aut ut per Borysthenem commodius navigaret Kioviam.* Smadinam, *aut* silvam Smiadinam, *in qua occisum dicit Kulczynskius in Commentario num.* 16, *nullibi invenio. At certum est, scriptorem illum aberrasse, dum Sanctum in itinere perducit* ad Volgam: *neque enim Muromo Kioviam proficiscenti adeundus est fluvius Volga, nisi velit in Septemtrionem prius discedere aut in Orientem, ut perveniat ad Australes et Occidentales Russiæ partes.* A. Anonymo.

b *Vox hæc tam ambigue scripta est, ut recte legi nequeat. Quare ignoro, an sit nomen fluvii aut loci aut navis. Locus, quo occisus est, in ducatu vel palatinatu Smolenscensi fuisse dicitur infra num.* 17. *Atque ita etiam insinuatur in Commentario* § 2 *in elogio primo, secundo et quarto. Tertium elogium num.* 14 *habet, occisum esse* cum . . per Dunam navigaret. *Verum Duna satis longe abest Smolensco, nec ducit Kioviam.* Dziesna *fluvius, qui supra Kioviam illabitur Borystheni, forsan indicatur. At sic occisus non fuerit Sanctus in vicinia urbis Smolensci, nec Smolenscum usque venire debebat, ut per fluvium illum navigaret Kioviam. Quare si in navi cædes facta est, cum plerique asserant factam esse non longe a Smolensco, probabilius existimo Sanctum navigasse per Borysthenem. Ceterum certo sciri non potest, utrum in navi an in curru* E *fuerit occisus, cum scriptores dissentiant et divinare cogantur.*

c *Ducem horum sicariorum* Horasirum *vocat Kulczynskius in Commentario num.* 16. *Forte* Horazer *scribi debuit vox, quæ tamen* Florazer *videtur scripta in exemplari Ms.*

d *Laudatus scriptor loco indicato* Torcinum *dicit fuisse e* famulis Hlibi . . . , qui erat culinæ præfectus. *At vix crediderim, Sanctum a proprio famulo occisum, quando constat de sicariis aliis subornatis. Idem rursum scriptor recedit ab aliis, dum addit* educto ense *confossum: nam reliqui* cultro *occisum dicunt, ut habent Acta.*

e *Fuisse quædam prodigia in loco, ubi projectum est* S. Hlibi *corpus, omnes consentiunt. In Officio apud Kulczynskius in Appendice pag.* 16 *utrique idem male attribuitur prodigium his verbis:* Quorumve sacra cadavera, in locis inviis ac desertis projecta, columna ignea indigetavit, *id est,* indicavit. *At id de uno* Hlibi *corpore intelligendum.*

f *Kulczynskius in Commentario num.* 16 *ait, corpus a Smolenscensibus sublatum ac Smolensci* F *primum sepultum. At id neque cum Actis neque cum aliis elogiis congruit.*

g *Duas voces uncis inclusas addidi, ut phrasim explerem. Porro cum Vladimirus obiisse dicatur* 15 *Julii, et* Borisus *peremptus asseratur* 24 *ejusdem mensis, verisimile est, Jaroslaum jam circa finem Julii et mense Augusto exercitum collegisse, raptimque collectum versus Borysthenem duxisse, ita ut pugna illa prima post tres menses committi potuerit eodem anno mense Novembri aut Decembri. Quapropter omnia illa probabilius illiganda sunt anno* 1015, *quo Vladimirum verisimillime obiisse ostendi in Commentario* § 3. *Si quis tamen malit credere pugnam illam contigisse uno anno serius, opinio ipsius statuto anno emortuali non repugnabit.*

h *Dlugossus hisce consona scribit ad annum* 1008, *nimirum de conscripto ab utroque exercitu, de pugna post tres menses inita, de clade Suatopelci ac de multorum submersione per glaciem fractam. Fugam vero Suatopelci hic explicat:* Suentopelcus autem dux vix manus hostiles evadens, repenti cursu in Poloniam aufugit, et ad Boleslaum Polonorum regem se conferens, supplex

A. Anonymo. supplex sibi contra fratrem ferri Jaroslaum auxilia, plurima offerens, plurima pollicens, expetiit. Capit autem Jaroslaus dux Suentopelkonem, et exercitu ejus conflicto, castrum Kiow, tradentibus se illi Kioviensibus, et sedit in principatu Kioviensi habens annos 28. *Error haud dubie irrepsit in illa verba,* Capit autem Jaroslaus dux Suentopelkonem, *cum non solum aliis omnibus scriptoribus sint contraria, sed ipsius quoque Dlugossi dictis de fuga Suatopelci ad Boleslaum. Existimo legendum :* Capit autem Jaroslaus dux, Suentopelkone et exercitu ejus conflicto, castrum Kiow *etc.*

i *Hanc Suatopelci, aut potius Boleslai Poloniæ ducis victoriam contigisse anno* 1018, *ostendi in Commentario num.* 21. *Dlugossus fuse de ea scribit ad annum* 1008.

k *Dlugossus narrans secundam Jaroslai victoriam ad annum* 1010, *locum assignat* circa Olham fluvium, in loco, ubi a Suantopelcone occisus erat Borysz. *Tempus pugnæ ex conjectura figi potest circa annum* 1020.

l *Hoc forlasse in odium ipsius conficlum est.*

m *Voce* Bresctum *auctor designal, opinor, urbem Lithuaniæ, Brescianensis palatinatus caput. Sita est hæc urbs ad Bugum flumen, ubi Muchavecium recipit.* Brzescie *scribitur apud Dlugossum ad annum* 1010, *qui de fuga et morte Suatopelci sic habet :* Suentopelkus fuit victus, et venit in Brzescie, quod a Boleslao Poloniæ rege, in suo præfecto atque præsidio tenebatur. Exinde vero clementia Boleslai regis plurimum fidens, Poloniam procedebat, nova auxilia ad restituendas suas calamitates a Boleslao Polonorum petiturus : sed in itinere repentino languore correptus, moritur, et a comitibus suis in loco deserto et ignoto sepelitur. D

n *Id est, in territorio Smolenscensi.*

o *Quinque forsan aut sex annis. Al dubilari potest, an* insepultum *jacuerit, et sallem terra non fuerit contectum.*

p *De miraculis consentiunt elogia, et Officium frequentissime sanationes aliaque beneficia generatim prædicat, sed nullum particulare miraculum ullibi scriptum inveni.*

B E

DE BEATO ALBERTO ABBATE

PONTIDÆ PROPE BERGOMUM IN ITALIA.

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ 1. Memoria in Fastis, loci notitia, scriptores Vitæ.

Circa finem seculi XI. *Beati memoria*

Sacri *Benedictini Ordinis martyrologi Fastis suis hac die inscribunt* B. Albertum *patria Bergomatem, professione monachum Benedictinum, monasterii S. Jacobi in Pontida in agro Bergomensi, abbatem primum ac fundatorem.* In cœnobio sancti Jacobi de Pontida *(inquil Wionius)* juxta Bergomum, sancti Alberti, primi ejusdem cœnobii abbatis, miraculis et sanctitate C clari. *Eisdem plane verbis ullum annuntiat Menardus in Ordinis sui Marlyrologio, uti et Bucelinus in Menologio Benedictino, ubi jam citatæ annuntiationi hoc elogium subjicit :* Fuit Albertus natione Bergomas, non solum primus sui cœnobii abbas, sed et ejusdem fundator primus, cui ipse a sancto Cluniacensi abbate præfectus, vitæ et actionum suarum directorem ab eodem accepit beatum Vitum eximia sanctitate monachum, qui Alberto in monachica disciplina instituenda solertissimus cooperator adstitit. Fuit Albertus gravissimorum miraculorum gratia et gloria a Numine honoratus, obiitque anno Christi MXCIX, Pontidæ primum sepultus, inde autem postea ad basilicam sanctæ Mariæ Majoris Bergomum translatus ; ubi frequenti fidelium concursu religiosissime colitur. *Eadem fere habet laudatus Wionius in Notis suis.*

in sacris Fastis,

2 *Benedictinis accedit Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non habentur. Verba ejus accipe :* Apud Bergomum, S. Alberti, primi abbatis Pontidæ : *in Notis vero addil, illum Kalendis Septembris obiisse, sed hac tamen die ejusdem memoriam celebrari. At Mabillonius Annal. Benedicl. tom.* 5 *pag.* 240 *salis jejune ail :* Hunc Albertum pro Sancto habent Bergomenses, teste Cælestino in Historia Bergomensi. *Merito id a Cœlestino asseri, manifestum est ex omnibus scriptoribus, qui de Sanctis Beatisque Bergomatibus scripsere : hi enim omnes* Albertum *sanctitate ac miraculis (quæ tamen nusquam produnt) claruisse testantur, et pro certo cultus indicio, translationem sacri ejusdem corporis assignant. Hagiophilos hosce scriptores recensitos lector infra reperiet : sufficiat unius et alterius testimonio nostro dicta confirmasse.* F

et apud scriptores Bergomates : corporis translatio.

3 *Antonius Guarnerius de Vita et gestis Sanctorum Bergomatum, in* B. Alberto *hæc scribil :* Albertus tandem cum et summis viris gratus esset, et longe ante alios acceptissimus pauperum animis, vita sanctissime acta, immortalibusque editis operibus, in Beatorum sedes concessit, anno a partu Virginis MXCV, IV Non. Septembris, et in templo, quod extruxerat, sepultus est. Ejus mortem in conspectu Dei preciosam fuisse, crebra testata sunt miracula. *Narrat deinde, post* 277 *annos templum istud direptum incensumque fuisse, eaque occasione* B. Alberti corpus Bergomum translatum et in æde S. Mariæ Majoris collocatum *fuisse. Cœlestinus in Historia quadripartila parte* I, *lib.* 5, *cap.* 16, *relato ejusdem templi hostili flamma incendio, quod anno* 1373 *illigat, in hunc modum Italico sermone prosequitur :* Corpus sancti Alberti, fundatoris et primi abbatis dicti loci, et corpus cujusdam discipuli ejus, tunc abscondita, deinde mense Octobri ab episcopo, clero ac populo Bergomum translata, et in ecclesia S. Mariæ Majoris deposita sunt ; ubi hodiedum in quodam altari

A tari asservantur. *Altare istud sacratissimo Corpori Domini sacrum esse, tradit oculatus testis Marius Mutius in Vita.* S. Alberti. *Verba ejus ex Italico hæc sunt.* Sepultus fuit in suo templo ante altare majus : inde ob direptionem et incendium monasterii et ecclesiæ facta a Barnaba Visconti, translatus est una cum ossibus beatorum Henrici et Viti, in ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris, quæ eadem illa putantur, quæ anno MDLXXX in altari Corporis Domini ejusdem ecclesiæ inventa sunt, una cum laciniis tunicarum, calceis et corrigiis secundum usum Patrum Cluniacensium : cui inventioni ego etiam feliciter interfui. *Denique post pauca concludens ait :* Hujus beati Patris reliquiæ quædam honorantur in sancti Pancratii.

Logi et monasterii situs

4 *Porro ad loci cognitionem pertinent ea, quæ habet laudatus Guarnerius in Vita, narrationem sic prosequens :* Patrimonio in duas partes cum fratre diviso, nonnulla prædia Pontidæ posita Alberto forte obtigerunt. Is vicus in valle agri Bergomatis, qua in Occidentem spectat, non magna adjecta planitie, situs est : a flumine B Abdua mille et quingentos passus distat. Saltus tum erat totus ferme vastus et sylvestris, et a perditis et facinorosis hominibus, qui rapto vivebant, obsidebatur : nunc cultorum diligentia et studio fertilis et fructuosus est. A Septentrione et Oriente æstivo colles terrenos placide acclives habet, suavissimique vini adeo feraces, ut nihil nec usu uberius, nec specie lætius esse videatur : a Meridie editi montes vestiti densissimis castaneis objiciuntur. Ad hanc fæcunditatem amœnitatemque summa cæli salubritas accedit, locusque solitudinem et recessum quærenti maxime opportunus existimatur. Ibi Albertus primum humile et parvum oratorium, ut sunt ferme rerum initia, construxit ; inde erogata a piis hominibus pecunia, magnificum templum condidit : ipse magnam patrimonii partem in usum et ornatum templi contulit.

et aliqualis cognitio.

5 *De eodem monasterio agit Mabillonius tom. 5 Annal. Benedict. ad annum* 1087 *num.* 30, *ubi ait :* In Bergomensi comitatu, sed in diœcesi Mediolanensi, conditum est hoc anno S. Jacobi monasterium, de Pontida a loco, ubi positum est, nuncupatum, dotatum ex bonis, quæ C Odo clericus eidem loco donaverat. Hoc monasterium Cluniacensi abbatiæ subjectum fuit, ejusque regimen Alberto priori commissum a venerabili Hugone abbate. *Mox in dictorum confirmationem profert sequentia, quæ in margine uncinis distinguit, licet, unde hauserit, non indicet :* Hic (*Hugo*) in atrio ecclesiæ sancti Romani haud procul Cluniaco exsistens, cum consilio monachorum et custodis cœnobii sancti Petri, in præsentia famulorum suorum, facultatem indulget Alberto Priori sancti Jacobi de Pontida, disponendi de rebus ejus prioratus, ut ipsi consultius videretur, (attendendo tamen, ut bona fama Ordinis illæsa servaretur) et maxime de bonis ab Odone clerico et ordinario, ut vocat, S. Faustini Brixiæ concessis. *Sed non satis assequor, quomodo ex his verbis eruerit, cœnobium illud anno* 1087 *primum conditum esse. Quod autem ait, Pontidam in diœcesi Mediolanensi sitam esse, id aperte negat laudatus Cœlestinus parte* 2 *lib.* 17, *pag.* 252, *contendens, locum illum ad diœcesim Bergomensem pertinere. Ejusdem rursus monasterii meminit ad annum* 1113, *num.* 77, Perstat, *inquiens,* etiam nunc celebre in agro Bergomensi monasterium, situm ultra flumen Abduam, Pontidense appellatum.

AUCTORE C. S.

Vitæ scriptores neoterici.

6 *Scriptores Vitæ suæ varios nactus est B. Abbas noster ; sed neotericos, si unum Teutaldum excipias. Recitat eos omnes Donatus Calvi in Scena litteraria Scriptorum Bergonensium, in qua de Teutaldo hæc lego Italice :* Teutaldus Cluniacensis scriptor antiquus et magnæ auctoritatis, cujus schedæ multum profuerunt ad perficiendam Vineam Peregrini, fuit monachus Pontidensis, et istius venerabilis monasterii S. Jacobi abbas tertius. Scripsit historiam S. Alberti primi abbatis et fundatoris monasterii Pontidensis. *Hæc historia non exstat in Museo nostro : verum si de ea judicare liceat ex Vinea Bartholomæi de Peregrinis, illa aut interpolata est, aut contemnenda ; adeo improbabilia, imo inter se pugnantia narrat, ut num.* 9 *et* 10 *sumus ostensuri. Inter neotericos præcipui numerantur Bartholomæus de Peregrinis, Marius Mutius, Antonius Guarnerius, qui opus Marci Antonii Benalii perfecit, et Cœlestinus Capucinus, ex quibus nullus seculo* XVI *antiquior est. Quapropter operæ pretium non duxi eorum Opuscula recudere ; ratus sufficere, si quæ ipsi fusiori stylo pertractarunt, in quoddam compendium contraherem.* E

§ II. Ætas, et corporis translatio.

Ætas, qua floruit, inquiritur.

De *suprema, qua Beatus vixit, ætate gemina est scriptorum sententia : altera eam ad medium seculi* X, *altera ad finem* XI *refert. Posteriorem, quæ communior est, sequitur Guarnerius citatus, qui* Alberti *mortem* IV *Nonas Septembris anni* 1095 *affigit. Eumdem annum emortualem statuunt Marcus Mutius in Vita edita anno* 1610, *Bartholomæus de Peregrinis in Vinea Bergomensi parte* 2, *cap.* 16, *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, Carolus Sigonius tom.* 2*: de Regno Italiæ col.* 601 *apud Lud. Muratorium : quibus consentiens Mabillonius Annal. Benedict. tom.* 5 *ad annum* 1095 *sic scribit :* Interim Albertus seu Adelbertus Bergomas, vir sanctus, monasterii Pontidensis in diœcesi olim Mediolanensi, nunc Bergomensi, conditor et abbas moritur Kalendis Septembris hujus anni (1095) eique beatus Henricus Cremonensis subrogatus. Sancti Alberti Vita a Cælestino scripta dicitur in Historia Bergomensi, eumque S. Hugonis abbatis Cluniacensis discipulum fuisse tradunt. Falluntur itaque, qui eum seculo nono vixisse putant. Rectius Ferrarius et Sigonius ejus obitum hoc anno reponunt. *Hisce omnibus proxime accedunt Wionius et Bucelinus, secundum quos mors Beati incidit in annum* 1099. *At laudatus supra Cœlestinus annum circiter* 940 *ipsi supremum fuisse contendit. In eamden fere sententiam postmodum ivit Maurius Mutius in Sacra historia Bergomensi Italice excusa anno* 1621, *ubi* Albertum *circa annum Domini* 950 *obiisse opinatur.* F

Accessus Thietbergæ a Lothario repudiatæ.

8 *Priorum sententia, quæ pro fine seculi* XI *certat, mihi longe probabilior videtur, propterea quod in illa temporis ratio rectius congruat cum personis et factis, quæ in* Alberti *Vita a variis referuntur, et quorum pleraque fictitia sint oportet, si beatus Abbas ad seculum* IX, *et medium decimi.*

AUCTORE C. S.

decimi referendus sit: prout evidenter apparebit ex observationibus, quas in discutiendis ejusdem Actis adhibebimus. Interim præcipuum adversariorum argumentum examinemus. Unicum, quod ipsi proferunt, est, quod velint, Theutbergam, quam Lotharius Francorum rex, ducta Waldrada pellice, repudiaverat, ad B. Albertum *fama sanctitatis allectam accessisse, ejusque piis monitis instructam monasterium Fontanellæ et ecclesiam S. Ægidii non procul a Pontida condidisse, ibidemque post vitam pie actam marmoreo tumulo conditam fuisse. Hinc Cœlestinus in Historia quadripartita Bergomensi, parte 2, lib.* 17, *sic Italice ratiocinatur:* Adventus Theutpergæ (aliis Toperga, Theberga et Thietperga vocatur) ad Albertum in Pontidam, asseritur in Vinea, a Guarnerio, a Mutiis patre et filio, ab Hieronymo Terzi; ei quod magni momenti est, a Theodaldo secundo *(imo tertio)* abbate Pontidensi in Historia, quam conscripsit de actis ac vita sancti Alberti magistri sui et primi abbatis: ita ut hac super re nullum dubium remaneat. *Deinde accessum Teutbergæ anno* 868 *affi-* B *git. Hoc fundamento posito, ita fere ratiocinatur: cum ad* B. Albertum *Teutberga accederet, numerabat ille* 40 *circiter ad minimum annos: militaverat enim in seculo, et annos aliquot in solitaria vita posuerat; quippe cujus fama sanctitatis jam late sparsa erat, quique jam numeroso monachorum gregi abbas præerat, cum a prædicta regina inviseretur. Si itaque ad annum* 1095, *aut* 1099 *pertigerit, necesse est, ut* 267 *aut plurium annorum senex obierit; quod incredibile videtur.*

ad Beatum nostrum sec. IX,

9 *Recte: nec mihi tantum senium probabile apparet. At quidni liceat simili plane ratiocinio ad hoc argumentum respondere? Facta, quæ relaturi sumus, asseruntur passim a Bergomensium rerum scriptoribus, nominatim a Bartholomæo de Peregrinis in Vinea, a Guarnerio, a Mutio filio, aliisque, et quod magni momenti est, a Teutaldo seu Theodaldo: ea autem omnia ad seculi* XI *finem pertinent: si itaque Teutberga anno* 368 *ad* Albertum *jam quadragenarium accesserit, oportet, ut* 266 *vitæ suæ annum attigerit, quod incredibile videtur. Quod vero* Albertus *ad postremos seculi* XI *annos pervenerit,* C *habemus ex ipso Teutaldo in laudatæ a Cœlestino Vineæ parte* 3, *cap.* 17. *Verba accipe.* Hæc vinea multa damna sustinuit circa annum Domini MXCIV, quando Novocomenses et Insulani ripæ Adduæ territorii Bergomensis inter se fecerunt magnum bellum. At beatus Albertus Pontidensis abbatiæ fundator adeo laboravit, omnique diligentia * in tam atroci Novocomensium sedando bello adhibuit, maxime quod datis obsidibus, Novocomenses Insulanis fidem fregerunt, ac maximis contra Insulanos copiis irruerunt: verum beati Alberti orationibus et meritis tandem Novocomenses ab Insulanis fusi ac fugati fuerunt: et tunc erat hujus vineæ præsul Attho hujus nominis primus. Hæc domnus Theutaldus tercius Pontidensis abbas in historia ipsius S. Alberti capitulo XXIII.

* *l. omnemque diligentiam*

commentitius videtur;

10 *Quale istud bellum fuerit, compertum non habeo: at debuit aliquot annos citius accidisse, si Atto I obierit anno* 1077, *ut habet Ughellus Italiæ sacræ tom.* 4 *col.* 449 *novissimæ editionis. Quidquid sit, ex hoc testimonio habemus,* Albertum *circa seculi* XI *finem inter vivos adhuc censeri a Theutaldo: adeoque non est, cur Cœlestinus biographi istius auctoritate tantopere nitatur; cum non minus nobis, quam ipsi faveat.* D *Restat igitur, ut vel Teutbergæ ad* Albertum *accessum, vel pleraque, quæ de B. Abbate memorantur, inter fabulas numeremus: utrum probabilius sit, judicent eruditi: mihi interim accessus ille tam certus non videtur, ut propter illum reliqua pro fictitiis habenda censeam; præsertim cum ex dictis pateat, Teutaldum aut interpolatum esse, aut sibi non constare, dum tam male cohærentia narrat. Accedit, quod Joannes abbas S. Arnulfi Metis, in Actis S. Glodesindis tom.* 6 *Julii pag.* 220 *diserte scribat, Theutbergam Lotharii viduam Metis ejusdem sanctæ monasterii regimen suscepisse, in eoque fuisse sepultam: unde Eccardus Franciæ Orientalis tom.* 2 *pag.* 548 *eam Metis obiisse insinuat: idem habet Daniel in Historia Franciæ ad annum* 769, *ubi de ea hæc Gallice scribit:* In Franciam redux in quoddam monasterium Metis se recepit, ubi vitam posuit. *At fuerit sane sepulta prope Pontidam, non propterea dicenda erit beato Abbati nostro convixisse, cum reliqua omnia, quæ de ipso narrantur, contrarium evincant, ut ostendimus, et ostensuri sumus.* E

ostenditur, unde is error oriri potuerit:

11 *Sed unde, inquies, scriptoribus supra recensitis in mentem venit iste Theutbergæ ad* Albertum *accessus? Mihi valde verisimile apparet, Teodaldum aut male intellectum, aut interpolatum fuisse. Occasionem præbere potuit alia quadam Thetberga nobilissima femina, quæ post medium seculi* XI *in Italia floruit, et Abbatem nostrum potuit convenisse. De illa sic meminit Ughellus Italiæ sacræ tom.* 3, *col.* 69 *et seq. novissimæ editionis, de archiepiscopis Florentinis agens:* Gerardo sedente anno MLVIII, assurrexit nobilissima quædam matrona, Thetberga nomine, quæ, extincto viro, vitæ religiosæ se addixit, amplissimamque donationem contulit in canonicos S. Joannis episcopi *etc. Deinde post multa subdit:* Thetberga, seu Tisberga, ut vidimus, canonicorum benefactrix, illa eadem esse putatur, quæ paulo post S. Felicitatis monasterii Ordinis S. Benedicti celeberrimi evasit abbatissa, meruitque pro se, suisque successoribus in eodem cœnobio a Nicolao II reædificato, sequenti privilegio exornari. *Mox subjungit privilegium præfati Pontificis, signatum anno* 1059. *Potuit, inquam, hæc* nobilissima matrona Albertum *accessisse;* F *et de ejusdem accessu egisse potuit Teutaldus: cumque hæc cognominis esset cum repudiata a Lothario regina, non difficulter interpolator quispiam induci potuit, ut crederet, Teutbergam reginam a Teutaldo designari; eoque facilius potuit induci, quod (si vera narret laudatus Mutius pag.* 215, *secundæ editionis) Fontanellæ in templo S. Ægidii non procul a Pontidensi cœnobio, posterioris sepulcrum ostendatur cum hac inscriptione:* B. Thetberga Lotarii Regis Francorum uxor.

Obiit circa finem seculi XI

12 *In opinionis nostræ confirmationem unum hic addo argumentum: quod etsi non convincat, si tamen cum adductis adducendisque ponderetur, sua vi non caret. Teutaldus seu Theodaldus ab omnibus recensetur Pontidensis abbas tertius; in quod munus Henrico Cremonensi anno* 1119 *e vivis erepto, successisse dicitur, in Vinea, parte* 2, *cap.* 18. Operatus est etiam in hac vinea, *inquit,* B. Henricus Cremonensis civis, dicti S. Alberti socius, cui successit in munere abbatis, justissimeque abbas annos XXIV vixit; annoque MCXIX ad cælestia regna ejus anima migravit, . . . eique Theodaldus olim dicti S. Alberti

A berti socius ac discipulus successit... Hæc ex memorata historia (*scilicet* Alberti , *ut præmiserat*) cap. XXI et XXV. *Calculus hic confirmari potest ex Tristano Chalco apud Puricellum in Monumentis Ambrosianæ basilicæ, tom.* I *pag.* 556 *editionis Mediolanensis anni* 1645 , *ubi* Thebaldus prior *Pontidensis dicitur anno* 1119 *Mediolanum venisse , ut de fundato , exstructoque (id est reparato auctoque, opinor) Mediolanensium munificentia, Pontidensi cœnobio gratias ageret , et immunitates quasdam impetraret. Sane Thebaldus hic idem cum Theodaldo videtur, ut ex ejusdem prioratus tempore non obscure elicitur : si vero idem sit, qua ratione tertius dumtaxat abbas potuit evadere in sententia adversariorum , qui* Alberti *mortem anno* 940 , *aut* 950 *affigunt ? In ea certe opinione ad minimum* 169 *anni inter primum et tertium præsulem intercedere debuissent. Verum hac de ætate sufficiant : modo Beati Vitam , prout a laudatis num.* 6 *scriptoribus refertur , examinemus ; ex quibus nostra sententia multum confirmabatur.*

B

§ III. Compendium Vitæ ex variis.

Beati patria, adolescentia : initia monasterii :

Albertum *Bergomi ex honestis parentibus natum , in adolescentia strenue militasse tradunt , donec lethali vulnere ex pugna saucius voto se obstrinxit , fore ut sanctioris vitæ normam sectaretur, si præsens periculum evasisset. Voti reus cum adscito sibi socio Henrico quodam Cremonensi, Hierosolymam religionis gratia peregrinari voluisse perhibetur : at mutato consilio Compostellam adiisse; indeque in patriam redux, divisa cum fratre hæreditate , in prædia quædam Pontidæ in agro Bergomensi posita, quæ ei forte obtigerant, secessisse : ubi primum humili sacello, deinde vero ex suis piorumque hominum facultatibus magnifico exstructo templo, monasterii sui incunabula posuerit. Aucto subinde discipulorum numero, a S. Hugone Cluniacensi abbate impetrasse dicitur insignis pietatis ac doctrinæ cœnobitam Vitum nomine , qui novæ isti familiæ*
C *vivendi teges præscriberet. Idem Hugo post annos aliquot in Italiam profectus* Albertum *nostrum monasterio suo abbatem præfecisse narratur. Ita fere omnes laudati scriptores , præter Cœlestinum, qui pro Hugone Bernonem , eiusve successorem S. Odonem seculi* X *abbates substituit : verum id ipse egit videlicet , quia noverat, S. Hugonis ætatem cum reginæ Teutbergæ ad* Albertum *adventu non posse conciliari. Sed priusquam progrediamur , pauca notanda sunt.*

quænam ex his certa.

14 *Ex hisce omnibus nihil certius videtur , quam quod Beatus noster monasterii Pontidensis fundator et præsul fuerit : in hoc enim omnes , nemine contradicente, consentiunt. Quæ vero de S. Hugone addunlur subsistere nequeunt in sententia eorum , qui* Albertum *seculo* X *obiisse opinantur. Sanctus enim Hugo anno* 1024 *primam lucem aspexisse, ostenditur in Actis nostris tom.* 3 *Aprilis pag.* 629 : *si itaque circa medium seculi* X, *Abbas noster jam obierit , qua ratione a sancto illo Cluniacensi abbate id temporis nondum nato cœnobiticas leges ac moderatorem petere, ab eoque suis monachis præfici potuit ? At in nostra sententia nulla hic difficultas occurrit : quippe S. Hugo, ut ex citatis Actis habemus , S. Odiloni anno* 1049 *vita functo suffectus , usque ad annum* 1109 *vivis superfuit , adeoque* Alberto *nostro diu synchronus vixit. Conatur quidem Cœlestinus argumenti vim elidere, substituendo , ut supra monui , in S. Hugonis locum Bernone aut Odone ; sed quo fundamento nixus id agat, a num.* 9 *examinatum est. Præterea Beatum nostrum S. Augoni Cluniacensi subjectum fuisse , num.* 5 *ostendit Mabillonius , quamquam instrumentum , ex quo illa excerpsit, memoriæ lapsu, ut reor , indicare prætermiserit. Videri possunt num.* 7 *et sequentes.*

Dissidium : quod inter ipsum

15 *Guarnerius sæpe laudatus prædictis subjungit grave quoddam dissidium, quod* B. Albertum *inter et episcopum Bergomensem morum disparitas excitaverat. Rem ex ipso accipe.* Arnulfus episcopus tum ecclesiam Bergomatem administrabat , qui pelle ovina speciosus , introrsum immanitatem lupi gerebat. Is Alberto honoribus virtutibusque eximio invidere cœpit... Ea item re maxime exacerbatus est , quod injuriose sacerdotem quemdam pium et Alberti necessarium in vincula duci episcopus jusserat : quo cognito , E Albertus Bergomum accurrit, et carcerem ingressus , prius inde extrudi non potuit , quam sacerdos emissus est. Aversissimus hic Arnulfi animus Albertum non fallebat : quare cum templum, quod ædificaverat, consecrandum curaret, magnis precibus a summo pontifice Urbano contendit , ut , cui vellet episcoporum externorum, hoc onus imponeret. Is labor Otryco episcopo Hymolæ, qui ad concilium, quod Placentiæ habebatur , convenerat , delegatus est.

et Arnulfum Bergomensem episcopum

16 Lætis aliis hac re impetrata, Arnulfus magnam invidiam tristitiamque præ se tulit : nam cum Otrycum Pontidam pervenisse, ei renunciatum esset , fremens ira perinde acsi omne jus episcopatus ereptum esset, caterva suorum stipatus Pontidam præcipiti celeritate advolat. *Mox impotentem antistitis , qui vix a violentis manibus temperabat , orationem , placidumque ad hanc* Alberti *responsum satis prolixe texit : quo dum nihil proficeretur, circumstantem populum pro beato Abbate multis perorantem inducit : ac tandem sic progreditur :* Albertus interim in templum ad orationem, qua plurima alia consecutus erat , confugerat : et illis instantibus monentibusque, et hoc F Deum suppliciter orante , contentionibus finis impositus est , datisque dexteris , omnibus collaudantibus ex summi Pontificis decreto , magna hominum frequentia et studio consecratio perfecta est. Ut Albertus faventium multitudine , quam parta victoria felicior dicebatur ; sic episcopi intolerandam superbiam sævitiamque Deus haud diu inultam est passus : nam non longe post , coacto Mediolani concilio, episcopo crimini datum est , res sacras quæstui habuisse : cum non solum non se purgaret , sed etiam confessione sua urgeretur , damnatus est, eique episcopatus abrogatus. *Hæc Guarnerius, quæ fixæ a nobis ætati probe congruunt.*

ortum dicitur,

17 *At Bartholomæus de Peregrinis, in Vinea parte* I , *cap.* 27 *scribit, Pontidense templum ab ipso Arnulpho consecratum fuisse.* Hic , *(Arnulphus) inquit ,* anno Domini MXC consecravit ecclesiam abbatiæ S. Jacobi Puntidæ Ordinis S. Benedicti. *Cœlestinus quia nec Arnulphi nec Otryci ætas cum reginæ Teutpergæ sæpe memorato adventu stare potest, præfatam ecclesiam a neutro consecratam opinatur , contendique , Guarnerium in assignandis tempore et personis hallucinatum*

AUCTORE C. S.

cinatum fuisse. Itaque eadem fere ac Guarnerius, de consecrando templo referens, ait hæc sub Hagannone seculi IX *episcopo Bergomensi contigisse : causam vero acciti ad id opus ex altera diœcesi antistitis non aliam profert, quam quod Haganno Lotharii partes in repudianda innocentissima Teutberga secutus, ab Apostolica sede anathemate tunc temporis esset illigatus. Cœlestino in postrema hac parte opponit se Guerrinus in Synopsi rerum et temporum ecclesiæ Bergomensis pag.* 53, *editionis anni* 1734 : *ubi probare nititur, Haganonem Teutbergæ favisse, nedum fuisse adversatum.*

examinatur,

18 *Sed quidquid sit de illa controversia, mihi Guarnerii narratio non quidem ut certa, sed ut magis probabilis placet præ opinione Cœlestini, tum propter supra dicta, tum quia Bartholomæus de Peregrinis, ut jam vidimus, Arnulphum ad* Alberti *ætatem non obscure refert, licet in reliquis hoc loco refragetur Guarnerio. Adde, quod, quæ hic de Arnulpho memorantur, ejus moribus plane congruant. Constat id ex epistola S. Gregorii VII anno* 1079 *data ad Rainal-*
B *dum episcopum Comensem, in qua ei mandat, ut in varia, quæ de Arnulpho delata ad se erant, diligenter inquirat, et pro meritis aut absolvat aut damnet. Inter objecta autem crimina, simonia et sanctorum virorum vexatio numerantur.* Præterea, *inquit sanctus Pontifex*, pestiferas simoniacæ hæresis nundinas exercere... perhibetur. Huc accedit, quos servos Dei, quos, ut virum religiosum decet, tueri, et in cunctis adjuvare deberet, e contrario infestare et molestare conatur. *Epistolam hanc studiosus lector totam reperiet apud Labbeum tom.* 10 *Concil. col.* 224 *et seq. Ex hisce duo habemus : unum est, quod Arnulphi præsulatus in fixam a nobis* Alberti *ætatem inciderit : alterum quod episcopus ille hujusmodi fuerit moribus, ut quæ contra* Albertum *molitus dicitur, turbulento ejusdem ingenio quadrent quam maxime. Quinimo non immerito quis suspicetur, inter* servos Dei, *quos* infestare et molestare *conatus dicitur a S. Gregorio, Beatum nostrum et familiarem ei presbyterum numerari.*

et ut probabiliter verum ostenditur.

C 19 *Ceteræ etiam circumstantiæ veritati satis consonæ videntur : nam Urbanus II, teste Pagio in Breviario tom.* 2, *ab anno* 1088 *S. Petri cathedram tenuit usque ad annum* 1099 : *concilium vero celebravit Placentiæ anno* 1095. *Arnulphum autem seculo* XI *jam senescente, anno videlicet* 1077, *nominari electum Bergomensem episcopum, tradit Ughellus in Italia sacra tom.* 4, *col.* 449 *novissimæ editionis ; additque, eumdem in concilio provinciali, habito Mediolani, anno* 1098 *de simonia convictum et episcopatu exutum esse. Verumtamen in Otryco erratum videtur : Ughellus enim inter episcopos Imolenses nullum Otricum agnoscit ante annum* 1122, *ad quem eum refert in Supplemento col.* 274. *Quam ob rem si prædictum templum ab episcopo Imolensi re vera tum consecratum fuerit, Otryco substituendus est Oldo, qui teste laudato Ughello tom.* 2, *col.* 624 *id temporis Imolensi ecclesiæ præsedit, quique* anno MXCV Novocomi ecclesiam de Vostemati consecravit ex auctoritate Urbani II.

Reliqua Beati acta, mors, monasterii

20 *De* Alberto *nihil præterea narrant, nisi quod prophetiæ spiritu clarus principibus viris in veneratione esset : quod ejus arbitrio bella sopirentur : quod religiosis exercitiis addictissimus noctes integras in sacris ædibus excubaret, ac* D
tres quadragesimas religiosissime Romæ traduxerit. Quænam autem vaticinia protulerit, quæ bella sedarit, non exprimunt. Denique Alberti *historiam sic prosequitur Guarnerius :* Albertus tandem cum et summis viris gratus esset, et longe ante alios acceptissimus pauperum animis, vita sanctissime acta, immortalibusque editis operibus, in Beatorum sedes concessit anno a partu Virginis MXCV, Non. Sept., et in templo, quod extruxerat, sepultus est. Ejus mortem in conspectu Dei preciosam fuisse, crebra testata sunt miracula. Interjecto deinde CCLXXVII annorum spacio, ejus loci incolæ, qui Barnaboni tum Bergomatibus imperitanti infensi erant, Ambrosium ejus filium ex concubina genitum, insidiis collocatis, adorti fœde trucidarunt. Quo facto, quod intelligebant, quantum facinus commisissent, pro magnitudine periculi defensionem parare cœperunt, templumque S. Jacobi occuparunt, et amicorum præsidiis et armis firmarunt, tum opere tumultuaria arcis in modum munierunt. Pater interfecti filii injuria accensus partem suarum copiarum, quæ templum expugna- E
rent, misit. His Anotum vicecomitem, Paganinum Panicum Bononiensem, Nicolaum Tertium Parmensem præposuit.

excidium, corporis translatio

21 Ii circumjecta templo multitudine, id magno impetu oppugnare aggressi sunt. Pontidenses duce Clerico Caprinati Tedeschi filio, quem sibimetipsis præfecerant, se primo constanter tutabantur, totumque quatriduum impetum hostium fortiter sustinuerunt : sed eum magnis tormentis muri quaterentur, et ex paucis quotidie aliqui eorum caderent, amissisque duobus monachis, et Nantellino Rivola, Guilielmo Colleone, Simone Brolo, viris insignibus occisis ; qui supererant, fessi et corporibus et animis essent, pacti, ut inviolati abirent, se dediderunt. Promissum id facilius, quam præstitum : omnes contra interpositam fidem interfecti sunt, templum direptum et incensum.... Omnibus ferro et igne vastatis,... B. Alberti corpus Bergomum translatum, et in æde S. Mariæ Majoris collocatum.

Bergomum.

22 *Eadem plane habet Marius Mutius in Vita, et Cœlestinus citatus parte* I, *lib.* 5, *cap.* 16 ; *et* F
parte 2, *lib.* 17. *Nihil tamen apud alios scriptores de hoc Pontidensis abbatiæ excidio literis consignatum reperio. Annales Mediolanenses ab auctore anonymo conscripti apud Ludovicum Muratorium Rerum Italicarum tom.* 16 *col.* 755, *meminere quidem de interfecto Ambrosio, Bernabovis filio : ajuntque patrem ea nece tantopere contristatum fuisse, ut* velut amens præ nimio dolore *redderetur : at de relata modo vindicta nullum verbum faciunt. Fatendum tamen est, Bernabovem illum impotenti adeo crudelique indole in laudatis Annalibus depingi, ut similis perfidia ac ferocitas ab ejus genio neutiquam abhorreat. Hæc autem Ambrosii cædes ibidem anno* 1373 *illigatur. Porro Guerrinus supra laudatus, pag.* 77 *scribit, translationem hanc factam esse a Lanfranco de Salvettis Ordinis Minorum, qui ab anno* 1349 *usque ad* 1381 *Bergomensem ecclesiam rexit. Verba ejus accipe :* Corpus B. Alberti civis Bergomensis ex abbatia sancti Jacobi de Puntida ab eodem fundata, *ad ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris Bergomi transtulit. Cetera, quæ ad Beati corporis translationem spectant, dedimus supra num.* 3.

DE BEATO JORDANO

ORDINIS PULSANENSIS ABBATE GENERALI

IN APULIA

SYLLOGE

J. S.

De cultu et gestis

Circ medium sec. XII. Memoria Beati in Fastis,

Ordinem Pulsanensem e tenebris eruere conatus est Papebrochius noster occasione S. Joannis Matherensis, qui istius Ordinis fundator fuit ac primus abbas, dum hujus Vitam illustravit tom.* IV *Junii pag.* 37 *et sequentibus. In Commentario prævio ad eamdem Vitam num.* 15 *gemino testimonio probavit, coli item successo-*
B *rem S. Joannis Matherensis* B. Jordanum *cum aliis quibusdam ejusdem Ordinis. Idem Beatus memoratur hodie in codice Florentino Usuardini Martyrologii apud Sollerium his verbis :* In monasterio Pulsanensi, diœcesis Sipontinæ, juxta Manfredoniam, depositio sancti Jordani abbatis dicti monasterii. *Miratur quidem Sollerius nullam* B. Jordani *mentionem haberi in codice Pulsanensi; at id cultui ipsius obesse nequit, cum codex ille Usuardinus, seu Martyrologium istud Pulsanense, scriptum videatur* B. Jordano *vivente, ut advertit Papebrochius num.* 8, *et magis probat Sollerius in præfatione ad Usuardum pag.* 58. *Quapropter dubitandum non est de antiquo cultu* B. Jordani, *quem etiam affirmat variis locis Jordanus generalis Ordinis Montis Virginis in Chronico, uti et laudatus ab ipso Octavius Beltranus in Descriptione regni Neapolitani, cujus verba Jordanus adducit pag.* 498.

C *et cultus :* 2 *Verumtamen, quia monachi Ordinis Pulsanensis paulatim defecerunt, ipsumque monasterium Pulsanense deinde inhabitatum fuit a paucis Franciscanis Conventualibus, non satis constat, an Officio et Missa cultus fuerit* B. Jordanus, *neque scitur, quo die ipsius festivitas fuerit celebrata. Hac de causa* Beati *solum utor titulo, licet* Sanctus *vocetur a variis; et hunc elegi diem, quo habetur in laudato codice Florentino. Testimonium de cultu* B. Jordani *huc missum anno* 1642 *a vicario monasterii, quia etiam de reliquiis agit, partim repetam. Verba accipe :* Et in eadem ecclesia *(Pulsanensi)* sunt alia quoque duo corpora, scilicet S. Joëlis prædicti et S. Jordani monachi : quæ corpora reposita sunt uno in loco, ad cornu Euangelii altaris majoris, multaque in veneratione habentur. Declaramus denique prædictum S. Joannem de Mathera, et B. Joannem Bonum discipulum ejus, et S. Joëlem, et B. Jordanum haberi pro Sanctis et adorari a fidelibus harum partium : quorum etiam referuntur miracula, hoc tempore facta. *Alii aliis diebus celebrantur, et suis locis dabuntur. De solo* Jordano *hic observo,* monachum *vocari, non* abbatem; *at id factum videtur ex ignorantia, cum constet ex Vita S. Joannis Matherensis* Jordanum *fuisse secundum Ordinis Pulsanensis abbatem generalem; cumque verisimile non sit, alium esse* Jordanum, *cujus corpus hodieque in ecclesia Pulsanensi servatur : nam scriptores varii cum Martyrologio Florentino* Jordanum *abbatem nominant* Beatum *aut* Sanctum, *nec ullus aliam istius Ordinis* B. Jordanum *agnoscit.*

E *dicitur rogatus intercedere pro defuncto :* 3 *Tam hujus Beati, quam aliorum ejusdem Ordinis Sanctorum gesta, excepto fundatore, valde manserunt obscura. Vita S. Joannis de Mathera de* B. Jordano *pauca habet, nisi de eodem plura dicantur tecto nomine : nam varia narrantur de Joannis discipulis sine nomine addito, ita ut quædam esse possint de* B. Jordano, *at non constat, quædam de illo aut de aliis sic fuerint relata. Primum factum, in quo nominatim* Jordanus *exprimitur, refertur in Vita num.* 39 *et* 40, *ac tale est. Monachus Pulsanensis, cujus nomen non dicitur, tale habuit somnium, ut sibi videretur deductus ad cœleste quoddam palatium, ubi inter alios monachos defunctos vidit quemdam, nomine Oddonem. Hic autem Oddo, necdum plena fruens requie, cum de aliis rogavit, tum* præcipue de quodam fratre sigillatim, qui familiarior et amicabilior exstiterat B. Joanni, reverendissimo scilicet Dei famulo Jordano, qui post ipsum patrem Joannem totius congregationis regimen, in prote-
F ctione Dei cæli commorans, strenue, juste, pie, atque fideliter gubernavit vir bonus ac justus, et Deo et hominibus rationabilis. *Postquam audisset Oddo* Jordanum *recte habere, indicavit se ob inobedientiæ defectum hactenus carere gloria sibi parata, et adjunxit :* Sed roga, obsecro, devotissimum virum Jordanum, ut pro me patrem spiritualem sanctissimum Joannem deprecetur, quatenus mihi culpas, quas in eum commisi, dimittat *etc. Si quis huic somnio non magnam habeat fidem; negare tamen non poterit,* Jordanum *magni factum esse ab hoc scriptore coævo, et insigni hic ornari elogio.*

simul orat cum S. Joanne Matherensi pro periclitante, qui liberatur : 4 *Aliud factum, quod etiam innuit* B. Jordani *familiaritatem cum S. Joanne Matherensi refertur num.* 52 *et* 53, *atque istud compendio sic exprimo. Quidam e monachis, Guilielmus nomine, cum equo, quo vehebatur, in præcipitium lapsus erat, id S. Joanni Matherensi, quocum in via tunc erat* sanctissimus famulus Domini Jordanus, *divinitus innotuit, fratrisque periculum* Jordano *indicavit. Ambo igitur ad locum properant; cumque humano subsidio nullus juvare auderet; S. Joannes* ex divina confisus misericordia, cum beato pariter Jordano, in oratione se protinus gravi cum mœrore prostravit.

AUCTORE J. S.

stravit. *Finita vero prece, apparuit splendidissimus juvenis, qui monachum præcipitio et periculo extraxit. Illi angelum crediderunt, quia subito ab oculis omnium rursus evanuit. Attribuitur quidem divinum istud subsidium precibus S. Joannis; attamen etiam* B. Jordano *pars quædam laudis attribui potest, quia simul cum S. Joanne oravit.*

electus generalis sui Ordinis vocatur ad regem,

5 *Si luberet conjecturas sequi, alia quædam probabiliter* B. Jordano *attribuere possemus ex relatis in eadem Vita. Verum missis istis, subjungo, quo modo S. Joannis defuncti successor fuerit electus, quidque electo acciderit. Laudata Vita num.* 59 *post relatam S. Joannis mortem, aliaque mox secuta, sic habet:* Tanti igitur patris corporali præsentia destituti, ita fere omnis valetudo et mentis robur doloris magnitudine a nobis aufugit, ut quasi vecordes, quid agere deberemus, ignoraremus. Tunc quidam de Fratribus, cui intellectus erat sanior, in medio Fratrem assistens, taliter eos est affatus: Si corruptibili carnis mole, Fratres mei, detentus sanctus pater noster viam Dei nos docuit, et B docendo monstravit; quam vehementius terrenis vinculis liber, sapientiæ Dei longe alio modo quam prius inhærens, æstimatis non posse nobis temporalia et spiritualia ministrare? Ad hanc igitur vocem tamquam de somno excitati, illum quem in cujus institutione potiorem, et scientiorem apud Deum et homines reperire valuerimus, nobis in pastorem erigamus. Quod audiens rex Siciliæ Rogerius, per cartulas et nuntios creberrimos (qua occasione impulsus nescio) nostrum ad se vocabat electum. Pastor namque, disciplina sancta edoctus (erat enim sapiens et providus) ne ulterius in hac electione suum * quæreret suffragium, vel ultra quam deberet videretur ejus exstitisse dominium, non ire an eum disposuit. Cumque legati ejus non deficerent, et potius per dies singulos increscerent, invasionem quoque non tam rerum quam personarum acriter minarentur, ab ipsis confratribus suis, ipse reverendissimus Dei famulus Jordanus abbas electus, ut ire deberet, compel- C lebatur.

* *i. e.* regis

sed orans ad sepulcrum S. Joannis, monetur ne eat:

6 Qui cum quadam die apud S. Jacobum esset, et precibus Fratrum compulsus, equos, ut iret ad regem, invitus sternere jussisset; ad beatissimi patris sui Joannis sepulcrum primitus accessit; ibique talem fertur orationem fudisse ad Dominum: Trine et Une Deus, incomprehen- D sibilis et immense, qui tua Majestate orbem imples universum, qui etiam nobis hunc sanctum famulum tuum in terra concessisti, tua ineffabili pietate et meritis hujus sanctissimi servi tui Joannis, nobis insinuare digneris, utrum ad hominem istum ire debeam, an non. Hac oratione peracta, mox de sepulcro clarem insonuisse vocem hanc persentit, Ne ire, inquit, debeas, admoneo; ego namque pro te sufficienter regi locutus sum: sed mitte cum eis, quos tecum ducere disposueras, et fratrem Johelem. Tali denique accepto oraculo, jussit eos cum fratre, de quo monitus fuerat, festinare ad regem. Qui aliquantulum in principio itineris pro Patre, quia cum eis non ibat, tristes effecti; perrexerunt tandem ad curiam; et ita familiariter a rege sunt recepti, et in doctrina moniti et hortati, ut non ad regem timendum, sed ad dilectionem fratris se venisse gauderet. Post multa itaque verba illis familiariter prolata, rogat eos ipsemet rex, ut ex parte sua proprium salutarent Pastorem, et pro excessibus suis cum congregatione sibi devote commissa Dominum dignaretur exorare. *Hæc eodem modo, sed brevius, narrantur in* E *Rhythmo, quo Vita S. Joannis exposita est apud Jordanum abbatem generalem Montis Virginis pag.* 526.

ætas utcumque assignata.

7 *Quamdiu porro Ordinem suum gubernaverit* B. Jordanus, *nullibi expositum reperio, uti nec reliqua gesta. Verum cum successor ipsius S. Joël, de quo supra mentio facta est, in Martyrologio quodam Pulsanensi apud Jordanum pag.* 498 *dicata præfuisse annis triginta tribus; cumque Joël verisimiliter non esset juvenis, dum* B. Jordanus *factus est generalis; non videtur hic multis annis præfuisse, nisi S. Joël pervenerit ad ætatem omnino decrepitam. Non obstat tamen hæc ratio, quo minus decem aut duodecim annis præesse potuerit* Jordanus, *et fortasse etiam pluribus. Quapropter cum S. Joanni Matherensi successerit anno* 1139, *quo ille obiisse dicitur in Vita num.* 55, *mortem* B. Jordani *ex conjectura fixi circa medium seculi* XII, *non negans tamen eum obire potuisse aliquot annis citius, aut pluribus etiam serius vivere. Plura de hoc Beato se mihi non obtulerunt; verum ex dictis abunde colligitur, Virum fuisse multis virtutibus insignem.* F

DIES

DIES SEXTA SEPTEMBRIS

SANCTI, QUI VIII IDUS SEPTEMBRIS COLUNTUR.

Sanctus Zacharias propheta in Judæa.

S. Onesiphorus Apostolorum discipulus, S. Porphyrius ejus servus — MM. Parii in Hellesponto.

S. Faustus presbyter, S. Bibus vel Abibus diaconus, S. Dionysius lector, S. Cyriacus acolythus, S. Andronicus miles, S. Theoctistus nauclerus, S. Macarius, S. Andreas, S. Sarapambo, S. Cyriacus alter, S. Andropelagia virgo, S. Thecla virgo, S. Calodota conjugata — martyres Alexandriæ in Ægypto.

S. Sanctianus, S. Augustinus, S. Beata V., S. Felix, S. Aubertus — MM. Senonis in Gallia.

S. Cottidus vel Quottidius diaconus M. cum Sociis, inter quos forsan Eugenius, in Cappadocia.

S. Frontinianus M. Albæ Pompeiæ in Italia.

S. Imperia in vico Mauprouvoir apud Pictones in Gallia.

S. Petronius episcop. Veronæ in Italia.

S. Sapphirus ad S. Julianum diœcesis Bituricensis in Gallia.

S. Donatianus, S. Præsidius, S. Mansuetus, S. Germanus, S. Fusculus — confessores; S. Lætus martyr — Episcopi Africani.

S. Eleutherius abbas Romæ.

S. Faustus abbas prope Syracusas in Sicilia.

S. Chagnoaldus episc. conf. Lauduni in Gallia.

S. Bega abbatissa in Cumbria Angliæ provincia.

S. Magnus abbas Fuëssæ in Suevia.

S. Gondulphus episc. conf. Metis in Gallia.

B. Limbania virgo monialis Genuæ in Italia.

PRÆTERMISSI ET AD ALIOS DIES RELATI

Sancti Potiti *M. memoria ex unico codice Florentino legitur apud Sollerium nostrum in auctariis Usuardinis. Suspicor illum esse* S. Potitum, *de quo Majores nostri disputarunt ad diem* XIII Januarii.

Sancti Ampeli *memoria est in Kalendario Carthaginensi, quod edidit Mabillonius tom. 3 Analectorum pag.* 399, *pro hoc aut uno e sex sequentibus diebus : nam legitur : . . .* Idus Sept. *sine numero adjuncto. Locum habet* Ampelius *inter plurimos martyres Africanos, quorum Acta sunt data* XI *Februarii. An hic idem sit, non constat. Verum, si alius est, nihil de eo nobis præterea notum. Vide igitur* *Vide Append. ad tom. VIII septemb. pag. 771 not. 5*

A *Acta ibi data, aut edita deinde apud Baluzium Miscellaneorum lib. 2 pag.* 56. xi Feb.

S. Aselus *M. colitur in basilica Antoniana Viennensi, ut habemus ex Kalendario. Verum de eo aliisque Sanctis ibi enumeratis simul actum est* xiii Martii.

Humberti *abbatis hodie in Addendis ita meminit Martyrologium Parisiense.* In territorio Nivernensi, S. Humberti abbatis miraculis et virtutibus clari. *Nihil de hoc* Humberto *rescire potui, idque mirum apparet, cum clarus dicatur* miraculis et virtutibus, *nise forte ibi etiam colatur* Humbertus *Maricollensis in Hannonia, qui hodie multis Fastis insertus est et variis locis cultus ob translationem corporis. Hujus Acta data* xxv Martii.

B. Redempti episcopi, alias presbyteri, qui convertit B. Magnum martyrem, *memoria habetur in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis. Datus est* S. Redemptus *episcopus* viii *Aprilis. Hunc vero, si alius est, necdum satis novimus.* viii Aprilis.

S. Mamertinus, *ut* abbas *S. Germani Autissiodorensis annuntiatur hodie apud Grevenum et* B *Molanum in auctariis Usuardi. Acta ejus data sunt* xx Aprilis.

S. Petri *Tarantasiensis antistitis translatio celebratur apud Wionem, Menardum et Ferrarium. Vita data est* viii Maii.

S. Medimnus *navigio impositus et submersus commemoratur in Menologio Sirletiano et in Menæis impressis. Verum mors et nomen satis indicant, non alium esse a* Menedemo, *qui die* v *Septembris cum Urbano, Theodoro et Sociis celebratur in Martyrologio Romano, et cum iisdem apud nos datus est* xviii Maii.

S. Eleutherius *Papa hodie videtur annuntiari in Hieronymianis aliisque Fastis : qua de re vide dicenda hac die in* Eleutherio *abbate. De Eleutherio Papa actum est* xxvi Maii.

S. Chlodulfi *episcopi Metensis translatio in Fastis variis memoratur. Vita data* viii Junii.

S. Eugenius *episcopus Carthaginensis in agro Albigensi hodie annuntiatur a Gallis. Vita ejus data est* xiii Julii.

B. Liberatus de Lauro *Ordinis Minorum, de quo apud nos actum est* xxvi *Augusti, hac die rursum annuntiatur in Martyrologiis Franciscanis ab* C *Arturo et Huebero, verum ita, ut ipsi nesciverint, se illum annuntiare Beatum, quem* Incognitum *dicunt et nominant, acsi a* B. Liberato *diversus esset : nullum tamen mihi est dubium, quin plane sit idem. At cum istud necdum perspexerit Pinius noster, quando egit de* B. Liberato, *elogium* Incogniti, *quod dictis de* B. Liberato *adjungi potest, hunc transferam. Audi Hueberum, qui istud ex Ulyssiponensi, Pisano, Waddingo et Arturo collegit :* Suffiani in Piceno circa annum mccxxxiv Incognitus quidam (sic nominatus) singulari sua virtute et sanctimonia se fecit omnibus cognitum. Enimvero tantæ erat virtutis et gratiæ, ut totus videretur divinus, et sæpe in Deum absorptus. Cum a sua redibat contemplatione, veniebat cum tanta mentis lætitia, ut homo vel potius angelus alterius seculi appareret; nam tunc facies ejus ex Divinæ allocutionis consortio, admirabiliter resplendebat, ita quod admirationem et stuporem aspicientibus ingereret. Manebat semper solitarius, et rarissime loquebatur : quando vero de aliquo interrogabatur, respondebat acsi esset angelus, eratque D sermo ejus gratiosus omnibus, semperque divino sale conditus. Non cessabat neque diebus neque noctibus a divina contemplatione, nec a sempiterni luminis Christi meditationibus invictum animum relaxabat. Quare Fratres propter divinam gratiam, quæ in eo relucebat, quasi alterum Moysen cordialissimo venerabantur affectu : ipse vero in tam laudabili studio perseverans, usque ad finem vitæ deveniebat. Tandem in ultimo vitæ die, cum Fratribus loquens et gaudens, magna animi lætitia et jubilo cordis, ad Dominum suum Jesum Christum tendebat. Erat quidem Suffiani conditus, sed post tempus ad locum Barfortii translatus. *Waddingum etiam audire lubet, quia habet quædam a posterioribus omissa. In Annalibus Minorum ad annum* 1234, *post alios quosdam commemoratos* in Marchia in loco Suffiani, *quorum ultimus est* Liberatus, *eumdem tamquam ignotum, sic laudare pergit :* Præter hos jacet ibi alius Vir sanctissimus, sed anonymus, tantæ contemplationis et extasis, ut semper Deo inhærere E videretur. Cum aliquando staret absorptus in silva, diversæ volucres in scapulas, humeros, caput et brachia advolarunt mira melodia concinentes. Cum a contemplatione redibat, tantam mentis lætitiam præferebat, ut angelus vel quispiam alterius seculi videretur. Facies ex consortio divini sermonis a longe resplendebat ad modum Moysis, ita ut eum aspicientibus admirationem et stuporem ingereret. Quando interrogabatur a quoquam, respondebat tamquam si esset angelus Dei, mira suavitate, et modesto lepore. Neque diebus, neque noctibus cessabat ab oratione, neque a contemplatione rerum cælestium animum in hoc genere invictum relaxabat. Fratres propter divinam gratiam, quæ in eo fulgebat, quasi alterum Moysem carissimo venerabantur affectu. In his sanctis exercitiis assiduus et constans, tandem pervenit ad vitæ terminum, præsente diutino languore, quem summa tulit patientia, neque medicamine ullo petiit allevium. Solum illud adhibebat verum et optimum solamen, sæpius, aut frequentius refici pane salutari vivifici Sacramenti. Voluit et beata Virgo aliam addere mirificam conso- F lationem : nam cum jam pene deficeret, et ardentius solito cruciaretur doloribus, apparuit ei cœlestis medicinæ Apotheca, tribus associata virginibus, tres pixides ferentibus, e quarum una post dulcia colloquia cochleari mirificum intulit ori electuarium, ad cujus gustum odoremque adeo mirifice et vehementer exultavit, ut tantum gaudium sub angusto pectore continere non posset, quin statim exclamaret : Non plus, o Mater dulcissima, non plus, o Medica benedicta; tantam suavitatem, Consolatrix generis humani, amplius ferre non valeo. Cum illa ad secundam pixidem manum apposuisset, altius exclamavit, dicens : Si primæ pixidis pretiosum reconditum ferre non valeo, quid si secundi vasculi tradas potiora medicamenta? Cui illa. Si hæc tibi nimis bona videntur, potiora tibi dabit Filius meus, propter quem amara et aspera hujus vitæ alacriter tulisti ; neque amplius senties corporis dolores ex rei suavitate perceptæ, donec ego infra paucos dies cum Filio meo redeam, te ex hoc ergastulo eductura. Quod

A Quod ille summo suo bono probavit nihil illis diebus manducans neque bibens, omnibus transactis in summo jubilo, et perpetua cordis lætitia, in qua absque mortis angustiis, alacriter ex hoc seculo migravit in prædicto loco Suffiani, licet postea cum ceteris translatus sit Brufortium. *Jam vero hunc* Incognitum *non distingui a* Liberato de Lauro, *disco ex instrumento, quod paucis diebus post ipsius mortem confectum est publico consilio terræ Sernani (notatur* Sernane *in tabulis Marchiæ Anconitanæ ut vicus) quodque anno* 1698 *accepit Janningus noster, tunc Romæ degens. Germinum est ejus instrumenti exemplar, alterum scriptum* XXV *Septembris anni* 1698 *in conventu Lauretano S. Benigni per R. P. Joannem Baptistam a Portu, secretarium provinciæ Fratrum Minorum; alterum* ex originali *scriptum per notarium publicum, Nicolaum Angelum Silvictum, die 2 Octobris ejusdem anni. Audiamus hujus notarii præfationem :* In nomine Domini. Amen. Hæc est copia cujusdam resolutionis, factæ a publico B et generali consilio perillustris communitatis terræ Sernani, prout apparet registrata in quadam antiqua carta pergamena per dictam communitatem inter alias publicas et antiquas scripturas ac resolutiones ejusdem publici et generalis consilii diligenter conservata in quadam capsa bene clausa in sacrario divæ Mariæ de Platea superiori ad perpetuam rei memoriam. *Subdit deinde ipsum instrumentum his verbis :* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Anno a Christo nato MCCLVIII septimo Kal. Octobris. Intimato ac convocato per publicum præconem, et sonata de more campana, generali consilio in palatio nostræ residentiæ terræ Sernani, habitus fuit sermo de quodam viro religioso, qui paucis abhinc diebus fama sanctitatis obiit in conventu Fratrum Minorum Rivi Suffiani, et resolutio unanimis et universalis fuit, nemine discrepante aut contradicente, videlicet : Cum proximis diebus, octavo Idus Septembris, in loco Suffiani Fratrum Minorum S. Francisci, in pede montis Ragnoli comitatus Camerinensis, decesserit estaticus * et contemplativus servus Dei, cogno- C mento INCOGNITUS SANCTUS, Liberatus de Lauro, de nobili et potenti familia de Brunforti, nostra concive, divinitus, dum agebat animam, a Matre Dei confortatus et recreatus; Commune et populus Terræ Sernani in obsequium Seraphici patris S. Francisci, qui nobis cælitus dedit insignia Seraphinum, ob benemerentiam potentis familiæ de Brunforte, et ob devotionem et venerationem tanti Servi Dei, convocato specialiter ad hoc generali consilio, decrevit, et plena et publica voce resolutum fuit, ut ad sepulcrum ipsius ad perpetuam rei memoriam sumptibus et expensis ipsius communis terræ Sernani fieret et poneretur tabula lapidea cum titulo nominis, familiæ, apparitionis, gestorum, et mortis ipsius. Actum in publico palatio dicti Communis Terræ Sernani septimo Kal. Octobris MCCLVIII.

* exstaticus

Et Ego Munaldus Gambii de Gualdo publicus Dei et imperiali auctoritate notarius et procancellarius scripsi, et signum dicti Communis terræ Sernani apposui. *Additur deinde testimonium notarii Silvicti, qui anno* 1698 *ex autographo descripsit exemplar nostrum, cui alterum ante dictum accurate consonat.* D *Jam vero ex hoc monumento clare patet* Incognitum *illum esse* B. Liberatum de Lauro, *ex cujus cognomine orta est opinio illa, quod esset incognitus. Dubitari tamen potest, utrum istud cognomen fuerit solum* Incognitus, *an* Incognitus Sanctus, *quod pendet ab interpunctione. Postremum censeo probabilius, quia alias jam titulo* Sancti *exornatus fuisset eodem mense, quo obiit; quod verisimile non est. Ceterum ex hoc etiam instrumento intelligitur,* B. Liberatum *multo serius obiisse, quam crediderunt scriptores Franciscani, qui obitum ipsius collocabant circa annum* 1234, *cum defunctus sit anno* 1258, *die* VI *Septembris. Reliqua de* B. Liberato de Lauco, *qui habitavit in monasterio modico inter Sernanum et S. Genesium, ibique in magna veneratione dudum fuit, videri possunt ad diem* XXVI Aug.

S. Ægidius *abbas hodie est in Martyrologio Prædicatorum. Colitur et datus est* I Septembris.

S. Victorinum *Amiternensem M. hac die celebrat Viola Sanctorum. In Romano Martyrologio, ubi apud nos de eo disputatum est, habetur* V Septembris. E

SS. Eudoxii, Zenonis, Romuli, Macarii *MM. memoria recurrit hac die apud Galesinium, Ferrarium, et in variis Fastis Græcis. De hisce cum Martyrologio Romano actum est heri, neque hodierni alii sunt ab hesternis, etsi id insinuare velit Ferrarius. Vide itaque dicta* V Septembris.

Mille centum et quatuor Martyres *seorsum annuntiantur in Menæis impressis, iisque deinde* Calodota *jungitur. At priores spectant ad martyres Militinenses* Eudoxium, Zenonem *etc., de quibus heri actum :* Calodota *vero una est ex tredecim Alexandrinis, quorum hodie agmen ducit* Faustus. *Vide itaque dicta et dicenda* V et VI Septembris.

S. Columbæ *nomine hodie Officio duplici Styræ in Austria Superiore colitur sancta Martyr incognita, cujus corpus Romæ acceptum e cœmeterio Callisti anno* 1681, *ac delatum ad abbatiam Garstensem, unde anno* 1688 *ab Anselmo abbate Garstensi translatum est ad ecclesiam parochialem Styrensem, ubi colitur. De hisce omnibus authentica monumenta huc transmissa sunt.* F

Bernardus, *septimus episcopus Mindensis, cum titulo* Sancti, *legitur apud Ferrarium. Laudat autem Albertum Krantzium in Metropoli lib.* 3 *cap.* 18, *et Democharem in Tabulis. Verum nec titulum* Sancti *invenio apud Demochratem* Bernardo *tributum; nec Krantzii verba eum ipsi titulum satis vindicant. Nam unicum, quod pro ea opinione adferri potest, est hic versiculus :*

Sanctus et electus Bernard fuit septimus heros.

Subdit Krantzius : Breve testimonium, sed fidele, sed bonum. SANCTUS ET ELECTUS : hoc moribus, hoc vita promeruit, ut eum titulum auro incomparabilem mereretur. Transisse scribitur ex hac luce ipso die S. Magni in meliorem lucem, quam inhabitat Deus inaccessibilem. *Hæc quidem probant* Bernardum *ornatum fuisse moribus sanctis in vita; sed non evincunt cultu ecclesiastico honoratum esse post mortem; præsertim cum Krantzius titulum* Sancti *nuspiam ejus nomini adjungat; nec is ei tribuatur in Catalogo episcoporum Mindensium,*

A *Mindensium, qui editus est apud Pistorium inter sex scriptores rerum Germanicarum pag.* 724.

S. Eva *annuntiatur a Castellano, et in novo Martyrologio Parisiensi. Prior sic habet* : Prope Drocas *(Dreux)* S. Evæ virginis, cujus corpus est in ecclesia S. Stephani Drocis, ubi colitur ut martyr, et ut urbis patrona. *Parisiense in addendis ad hunc diem* : Drocis in territorio Carnutensi, sanctæ Evæ virginis et martyris, cujus corpus illic in basilica S. Stephani quiescit. *Plura reperire nulla diligentia potui de* S. Eva.

Donati *episcopi memoria simul cum Eleutherio episcopo legitur in codice Usuardino Antverpiensi, et in Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis* : Via Salaria Donati episcopi. *Non dubitamus, quin* Donatus *ille alio die memoretur, sed plures sunt istius nominis Sancti, quam ut tuto possimus dicere, quis hic designetur.*

Mastulinus *episcopus annuntiatur apud Grevenum* in Hibernia, *et in Florario nostro Sanctorum Ms. sine loco. Eum nec in catalogis Sanctorum Hibernorum invenio, nec alibi plura reperio.* B

Jassai rex *in Fastis ecclesiæ Alexandrinæ reperitur apud Jobum Ludolfum, ac deinde a Castellano insertus est Martyrologio universali.*

Bassura episcopus civitatis Messalei *martyr occurrit in scheda, nescio cujus; sed ad hunc diem reposita, in qua cum tribus aliis episcopis, videlicet* Bastachio, Bastalongo *et* Theodoro, *passus narratur sub Diocletiano. Ejus memoriam in nullis invenio Fastis, et suspecta magis est scheda illa plane anonyma, quam ut sine aliis documentis* Bassuram *cum prædictis Sociis inter Sanctos ausim commemorare.*

Dedicatio *ecclesiæ majoris Interamnensis est apud Ferrarium.*

Dedicatio *ædis Sanctissimæ Dei Genitricis Constantinopoli* in Secundo *annuntiatur in Menæis.*

Licinianum, Carthaginis Spatariæ episcopum *huc remiserunt Majores nostri a die* IV *Maii,* C *quod non constaret de cultu publico, de quo nihil hactenus didicimus.*

Joanna *et* Anna *virgines cum titulo* Sanctarum *annuntiatur ab Arturo, qui eas nobilissimas facit, patriaque Tolosates, atque Ordini Carmelitarum adscriptas; sed cultum non probat.*

Thomas Tzugi *Societatis Jesu propter diuturnam fidei prædicationem in Japonia, ubi natus erat, lento igne combustus est Nangazachii, ut pluribus refertur in Ms. Menologio.*

Michaëlem *monachum in Hemmerode Ordinis Cisterciensis ut* Beatum *commemorant Kalendarium Divione excusum anno* 1617, *Henriquezius et Chalemotus. Mortem* Michaëlis *refert Manrique in Annalibus Ordinis Cisterciensis ad annum* 1179, *cap.* 6, *num.* 6, *sed nihil habet de cultu* Michaëlis, *nec* Beatum *vocat.*

Joannes *post varios episcopatus dimissos monachus Cisterciensis, ut* Beatus *occurrit apud Henriquezium, ut* Venerabilis *apud Chalemotum.*

Joannes de Laudibus *S. Francisci discipulus* Bettonii in Umbria.

Minnius Altimannus, *Thusciæ olim provincialis*, in Etruria.

Benedictus Florentinus *sacerdos*, Florentiæ. D

Ludovicus de Varka, *sacris concionibus et miraculis clarus*, Warsaviæ in Polonia.

Joannes de Povoa, *gesto septies provincialatu illustris, in Lusitania.*

Martinus Bertrannus *laïcus*, Agelli in Calabria.

Andreas *laïcus in Hispania.*

Franciscus de Oratino *laïcus*, in Apulia.

Jacobus Distemensis *laïcus*, Trajecti ad Mosam in Brabantia.

Francisca a Claromonte *abbatissa*, Avenione. *Hi decem annuntiantur apud Arturum in Martyrologio Franciscano, ultima etiam in Gynecæo, omnes cum* Beati *titulo, quem tamen nulli hodie tribuit in suo Menologio Hueberus, nec ego ullum ex iis coli invenio.*

Simon *etiam cum titulo* Beati *ab Arturo memoratur* Anconæ. *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum* 1323 *num.* 45 Beatum *item vocat, et inscriptionem affert positam in monasterio Franciscano S. Francisci Scalarum, quæ post alia sic habet :* In hac ecclesia sepulti sunt beati Fratres Simon et Amatus, sanctitate conspicui. *Hæc quidem nata sunt nonnullam de cultu suspicionem ingerere. Cultum tamen non satis ostendunt, præsertim cum de Fratre illo* Simone nihil resciri *potuerit* a Franciscanis Anconitanis, *ut notatum invenio a Bollando; cumque Hueberus ipse de eo agens* Beati *titulum omittat.* E

Anastasii *mentionem hodie invenio, uti et* Augustalis. *Uterque est in* Romano VII Septemb.

S. Adrianus *martyr in Hieronymianis hodie annuntiatur, neque is alius videtur ab eo, qui ibidem repetitur, et Romano Martyrologio insertus est* VIII Septembris.

S. Michaëlis *archangeli celebris apparitio hodie reperitur in omnibus passim Fastis Græcis. De ea agetur in præcipua S. Michaëlis festivitate* XXIX Septembris.

S. Dachonnæ *vel* Machonnæ *ut episcopi Hiberni mentio ex Colgano apud nos facta est in Prætermissis ad* XVII *Februarii, ut vel hoc die plura de eo dicantur, vel die* XVI *Novembris. Apud laudatum Colganum in Appendice* 4 *Vitæ S. Patricii pag.* 294 *memoratur etiam* S. Dochuma *eremita, remittens ad hunc diem, vel* XXX *Octobris. Neutrum satis novi. Quare vel eos remitto ad* X Oct. et XVI Nov. F

S. Consolatam *virginem et martyrem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ hodie memorat his verbis :* Sancta Consolata virg. et mart. Regii in Æmilia colitur in ecclesia cathedrali : feruntque illi in diœcesi extare ecclesiam dicatam : cujus memoria VIII Id. Septembris recolitur. Quæ illi patria fuerit; ubi et quando passa sit, haud mihi hactenus cognitum est; licet non semel inquisitum fuerit. Illud certum, hanc Virginem non extitisse Regiensem : majore enim in honore haberetur, si a Regio ortum duxisset, ut consuevit. *Deinde quidem notat, se hujus* Consolatæ *nomen vidisse* in Kalendario urbis præfatæ : *sed dubitat, an eadem non sit cum* S. Consolata, *quæ die* V *Decembris Genuæ colitur. Quare cum apud scriptores Regienses nihil inveniam, quo dubium istud tollam; cumque ipse Ferrarius in Catalogo generali serius scripto* Consolatam *Regiensem omiserit; certiora requirimus documenta, priusquam de ea aliquid statuamus. Res ulterius examinari poterit ad* V Decemb.

Othberti episcopi et confessoris *memoria est in Mss.*

A *Mss. additionibus Cartusiæ Bruxellensis. Nihil alibi de eo invenio, nisi* Othbertus *scriptum sit pro* Autbertus, *qui episcopus Cameracensis in Romano legitur* XIII Decembris. D Dagoberti regis *meminerunt laudatæ additiones. Dicitur coli* S. Dagobertus XXIII Decembris.

DE S. ZACHARIA PROPHETA

IN JUDÆA

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

J. S.

§ I. Cultus Sancti Prophetæ certus : alia de reliquiis et sepulcro incerta : gesta et scripta examinata.

CIRCA AN. MUNDI MMMDXL. *Zachariæ prophetæ memoria in Fastis diebus variis :*

Zachariæ prophetæ, *qui undecimus est inter Minores, memoriam hoc die brevissime recolunt Beda, Rabanus, Romanum Parvum, Ado, Wandelbertus, Notkerus. In plerisque Hieronymianis* Zachariam *prophetam non in-* B *venio. Attamen Martyrologium reginæ Sueciæ, apud nos editum post tomum* 7 *Junii, eodem die sic habet :* Et depositio Zachariæ prophetæ. *Usuardus paucula addidit hoc modo :* Zachariæ prophetæ, qui de Chaldæa senex in patriam reversus, juxta Aggæum prophetam jacet conditus. *Usuardi elogium secuti sunt recentiores martyrologi, idemque legitur in hodierno Martyrologio Romano. Græci vero et Mosci* Zachariam *hunc in Menæis et Menologiis suis præcipue celebrant ad* VIII *Februarii : Ægyptii die sequente* Zachariam *nudo nomine annuntiant, uti et aliis diebus fit in Fastis Ægyptiis et Æthiopicis, ita ut non omnino certum sit, eumdem ab ipsis designari. Græci in Synaxario uno Ms. etiam de* Zacharia *propheta mentionem faciunt ad* XVI *Maii, ut jam observatum est in Prætermissis ad eum diem. Martyrologium Parisiense ad* VI *Septembris* S. Zachariam *his verbis commendat :* Zachariæ prophetæ, qui una cum Aggæo itidem propheta, Judæos sub Zorobabel ad instaurandum Dei templum cohortatus est.

C *corpus inventum sub Theodosio II alterius Zachariæ : reliquiæ aliquæ :*

2 *Sozomenus lib.* 9 *cap.* 17 *narrat inventionem corporis S. Zachariæ prophetæ ; crediditque Baronius in Annotatis ad Martyrologium agi de* Zacharia, *quem memorat* VI *Septembris. At si vera narrat Sozomenus, eumque secutus Nicephorus lib.* 14 *cap.* 8, *corpus inventum non est hujus* Zachariæ *prophetæ, sed Zachariæ istius, quem Joas rex occidi jussit, ut narratur* 2 *Paralip.* 24. *Nam ad pedes Zachariæ inventus est* infans regia sepultura honoratus, *quem crediderunt esse filium prædicti regis Joæ. Non examino, an ea opinio de puero illo satis sit fundata. At solum observo, illam opinionem nasci non potuisse post corporis inventionem, nisi creditum fuisset, istud esse corpus Zachariæ filii Joïadæ. Ejusdem fortasse Zachariæ os est, quod cum aliis reliquiis Lotharius imperator donavit cœnobio Prumiensi, ut exponunt ipsius imperatoris litteræ apud Browerum in Annalibus Trevirensibus ad annum* 855 *lib* 8 *num.* 114. *Nominatur quidem in litteris* Os Zachariæ filii Barachiæ, *quod magis convenit* Zachariæ *prophetæ : sed nomen istud subinde etiam datur Zachariæ filio Joïadæ, ab iis nimirum, qui credunt eum designatum a Christo Matth.* 23, *de qua controversia disputabo inferius. Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 200 *in ecclesia cathedrali Brugensi, S. Donatiano dicata, recenset reliquias* S. Zachariæ prophetæ *una cum reliquiis S. Samuelis prophetæ. Istas verisimiliter credidit esse* Zachariæ, *de quo agimus. At eum clarius* E *designat pag.* 278, *ubi inter sacra pignora cœnobii Lætiensis in Hannonia numerat* de ossibus Zachariæ prophetæ, qui de Chaldæa senex in patriam reversus, juxta Aggæum prophetam conditus jacet. *Hæ igitur reliquiæ creduntur esse* Zachariæ *prophetæ.*

sepulcrum Zachariæ celebre, at incertum cujus :

3 *Celebre in Terra sancta est sepulcrum Zachariæ, ut scribit Quaresmius in Elucidatione Terræ sanctæ lib.* 4 *cap.* 12, *dicens hunc sextum locum peregrinationis septimæ, et sepulcrum istud ita describens :* Hoc sepulcrum est excisum ex rupe montis Oliveti, ad radices ejus solo inhærens, formæ quadrangularis, parumque acuminatum, a latere antri sive cryptæ sancti Jacobi Alphæi. Communiter appellatur ab omnibus in partibus istis, Sepulcrum Zachariæ filii Barachiæ, occisi a Judæis inter templum et altare, cujus meminit Salvator noster apud S. Matthæum. *Idem sepulcrum eodem fere modo, sed paulo prolixius, describit Cornelius de Bruyn in Itinere Orientali pag.* 264 *editionis Gallicæ, ubi et illius figura exhibetur in tabula adjuncta.* F *Porro dubitat Quaresmius prolixeque inquirit, cujus Zachariæ sit sepulcrum : demumque concludit, probabilius esse Zachariæ pontificis filii Joïadæ ; at id certum non facit. Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria martyrum cap.* 27 *videtur de eodem loqui sepulcro, idque attribuere Zachariæ patri S Joannis Baptistæ, sepulto, ut vult,* in monte Oliveti *una cum Simeone et Jacobo fratre Domini. Qua de causa nihil certi invenio de illo sepulcro. At si constaret, unum esse ex illis, de quibus Christus Matth.* 23 ỷ 29 *scribis et pharisæis dicebat ;* Ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum *etc.; posset istud sepulcrum æque probabiliter credi* S. Zachariæ *prophetæ, quam alterius cujuscumque Zachariæ ; cum ille haud dubie ob promotam templi instaurationem præclarasque prophetias in magno fuerit honore apud posteros. Ab hisce incertis ad alia progredior.*

diversa ejus elogia, partim Mss., partim impressa.

4 *Baronius in annotatis ad Martyrologium asserit, exstare* encomium in prophetam Zachariam Cosinæ Vestiarii in bibliotheca Sfortiana cod. manu crip. num. 65. *Habeo simile elogium Ms., quod olim Rosweydus accepit ex codice Ultrajectino*

AUCTORE J. S.

Ultrajectino ecclesiæ S. Salvatoris. At hoc nihil habet de Zacharia, quod ex sacra Scriptura et martyrologiis, aut ex interpretibus sumptum non sit, et quidem sine multo ordine aut crisi sufficiente. An melius sit elogium, quod vidit Baronius, mihi incompertum est : nam istud ad nos non pervenit. Simile Zachariæ elogium dat Petrus de Natalibus lib. 8 cap. 42. In libro de Vitis prophetarum, qui olim S. Epiphanio fuit attributus, eique nunc rectius abjudicatur ab eruditis, legitur item elogium Zachariæ prophetæ : sed neque istud magni est momenti, cum auctor istius Opusculi, quiscumque fuerit, non paucas fabulas immiscuerit Vitis prophetarum imperite consarcinatis. Ex hoc interim fonte manasse videntur, quæ Græci habent in Menologio Basiliano ad VIII Februarii, quæque cum iis tradidit Usuardus de sepulto Zacharia prope Aggæum. Certe in utroque elogio Zacharias varia dicitur prophetasse in Chaldæa, de quibus nihil reperitur in Litteris sacris. Fictitia igitur existimo, quæ ibidem Zacharias prædixisse dicitur Josedeco et Salathieli de filiis ipsorum nascituris ; Cyro Persarum et Astyagi Medorum regibus de eorumdem victoriis; nec satis certum existimo, quod de sepultura Zachariæ apud Aggæum idem asseruit : ac demum totum istud elogium prætermitto, quia plura continet falsa, quam vera eaque aliunde satis nota.

Præcipua Sancti gesta ex sacris litteris :

5 Ex sacris Litteris de Zacharia hæc habemus. Ipse cap. I prophetiæ suæ se vocat Zachariam, filium Barachiæ filii Addo. Esdræ 5 nominatur Zacharias filius Addo. Verum filius hic sumitur pro nepote, ut sæpe alibi in Scriptura, aut certe pro uno ex stirpe Addo, quemadmodum Christus dicitur filius David, filii Abraham Matt. I. Cœpit autem prophetare Zacharias propheta in mense octavo, in anno secundo Darii (cognomento Hystaspis) regis, id est, anno mundi 3534, ante natum Christum annis 520 secundum chronotaxim Labbei, quam non examino. Initio prophetiæ suæ populum Judaïcum, qui ex captivitate Babylonica reversus erat in Judæam, hortatur ad pœnitentiam : ac deinde per varias figuras læta prædicit, itaque Judæos una cum Aggæo propheta, qui eodem anno, sed duobus mensibus citius, prophetare cœperat, excitat ad templum instaurandum. Hinc Esdræ 5 de utroque dicitur : Prophetaverunt autem Aggæus propheta et Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa et Jerusalem, in nomine Dei Israël. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, et Josue filius Josedec, et cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, et cum eis Prophetæ Dei adjuvantes eos. Fortasse perfectum fuit templum ante mortem Zachariæ : nam Esdræ 6 ℣ 14 hæc leguntur : Seniores autem Judæorum ædificabant et prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, et Zachariæ filii Addo : et ædificaverunt et construxerunt... et compleverunt domum Dei istam usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus regni Darii regis. Non quidem certo probari potest, vixisse Zachariam usque ad finem fere anni sexti Darii : id tamen verisimile est, cum caput septimum prophetiæ suæ scripserit anno quarto Darii, mense nono : cumque postea per septem alia capita multas ediderit prophetias; nullaque mortis ipsius mentio fiat in allegatis verbis. Itaque aut templum vidit perfectum, aut certe non diu ante mortuus est, ideoque mortem ipsius fixi circa annum mundi 3540.

Prophetia Sancti : eidem Psalmi aliquot a quibusdam attributi :

6 Nullum est dubium, quin multa de Christo et Ecclesia prophetaverit Zacharias; at ea cum aliis ipsius vaticiniis videri possunt in libro ipso, qui a S. Hieronymo vocatur obscurissimus liber Zachariæ prophetæ, et inter duodecim longissimus. Hæc ille in præfatione Commentariorum, quibus totum Zachariæ librum exposuit. Porro credunt aliqui, Psalmos quoque aliquot compositos fuisse ab Aggæo et Zacharia prophetis, quia titulus Psalmi CXI talis est in Vulgata : Alleluia, reversionis Aggæi et Zachariæ : et CXLV hunc habet titulum : Alleluiæ, Aggæi et Zachariæ. Verum argumentum desumptum a nominibus, quæ leguntur in titulis Psalmorum, imbecille est, et nullo modo subsistere posse videtur, ut ostensum est a variis. Certe nomen Moysis legitur in titulo Psalmi 89, nec solum in Vulgata, sed etiam in textu Hebraïco, ubi est nonagesimus, ut videri potest in Versione S. Hieronymi. Attamen ostendi in Moyse pag. 167 Psalmum illum non posse probabiliter attribui Moysi, idque facile ostenditur de aliis. Argumentum igitur istud, etsi olim placuerit Patribus quibusdam, abunde videtur refutatum. Præterea Aggæi et Zachariæ nomina et titulis dictorum Psalmorum non habentur in textu Hebraïco, nec apud S. Hieronymum. Itaque neque duos istos Psalmos, neque alios plures, in quorum titulis nomen Zachariæ apud Septuaginta aut alibi reperitur, Zachariæ ausim attribuere aut Aggæo.

sed omnes Psalmi a pluribus solius censentur Davidis.

7 Calmetus in Dissertatione de auctoribus Psalmorum, quam dedit initio tom. 2 in Psalmos, pag. 8 existimat, multos Psalmos fuisse compositos tempore captivitatis Babylonicæ et post captivitatem, aliquosque ex iis ab Aggæo et Zacharia. Ratio est, quia in multis Psalmis videntur describi ea, quæ facta sunt eo tempore : neque enim satis probabile existimat, ea omnia Davidi revelata fuisse a Deo, aut ab eo sic conscripta. Pro exemplo afferri post Psalmus 136, qui inchoatur hoc modo : Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus; cum recordaremur Sion. Verum ad hoc argumentum respondit Ceillierus in Historia generali scriptorum sacrorum tom. I pag. 226, ostenditque plures Psalmos, qui certo sunt Davidis, ei abjudicandos fore, si admitteremus ratiocinium Calmeti ut legitimum : nam in iis etiam graphice futura enarrat, acsi præsentia fuissent. Quapropter fortius videtur argumentum ad omnes Psalmos Davidi asserendos, quod in Novo Testamento Psalmi sæpe laudentur nomine Davidis, numquam nomine alterius cujusdam prophetæ aut hagiographi. Præterea Vetus Testamentum nuspiam ullum alium Psalmorum auctorem dicit præter Davidem. Probabilius igitur existimo, nullum e Psalmis attribuendum esse Zachariæ, sicut nullus scriptis ipsius est insertus : atque hæc sententia communior est apud sanctos Patres et alios doctores; licet contraria a multis quoque fuerit defensa. Verum controversia illa accuratius examinari poterit in Davide.

§ II.

A

§ II. Utrum Zacharias propheta sit ille, quem Christus occisum dicit inter templum et altare ?

Proponitur quæstio de Zacharia inter templum et altare occiso,

Aliqui *scriptores existimant, Christum Matth.* 23 *de hoc locutum esse* Zacharia, *quando dixit Judæis :* Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem : ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. *Idem habetur Luc.* XI, *ubi mors Zachariæ exprimitur his verbis :* Qui periit inter altare et ædem. *Sententiæ apud sanctos Patres de Zacharia inter templum et altare occiso tres reperiuntur diversæ, quas refert Chrysostomus, allegatum Matthæi loco exponens : nullam tamen ex illis probat aut improbat. Hieronymus easdem memorat opiniones, et unam ceteris videtur præferre. Tribus antiquorum sententiis neoterici duas alias addiderunt antiquis incognitas. Itaque cum quinque diversi assignentur Zachariæ, quibus verba Christi adaptantur, nihil certi poterit statui, sed solum insinuari, quid appareat probabilius. Attamen tanto magis lubet celebrem hanc elucidare controversiam, quanto probabilior mihi apparet sententia eorum, qui existimant Prophetam hunc allegatis Christi verbis expressum.* B

locusque peractæ cædis hunc in finem assignatur.

9 *Tres antiquorum sententiæ aliquos e Patribus habent patronos : at cum Patrum sententia sit adeo varia, necesse non est singulos laudare. Qua de causa expendam præcipue verba S. Hieronymi in caput 23 Matthæi, ubi sic habet :* Quærimus, quis sit iste Zacharias filius Barachiæ : quia multos legimus Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est : „ Quem occidistis inter templum et altare „. *Meretur hæc observatio S. Hieronymi, ut accuratius exponamus locum occisi* Zachariæ. *Per* templum *nihil hic videtur posse intelligi, nisi templum proprie dictum, distinctumque ab omnibus atriis. Nam si per* templum *omnia simul atria aliaque ædificia ad templum utcumque spectantia designarentur, ut aliquando fieri non inficior;* Zacharias *occisus diceretur in ipso templo, non* inter templum et altare. *Altare enim non aliud designatur, quam altare Holocaustorum, quod positum erat in atrio sacerdotum ante templum proprie dictum. Itaque cædes* Zachariæ *facta est in atrio sacerdotum, quod ex omnibus atriis proximum erat templo, seu certe in illo loco, ubi esse debebat atrium sacerdotum, si forte cædis tempore atria necdum erant instaurata. Primo igitur quærendus est* Zacharias, *qui sit* filius Barachiæ : *nam et hoc ad distinctionem additum est a Christo : secundo qui sit occisus in atrio sacerdotum, non in quovis templi atrio : aut, si de nullo legatur, quod occisus sit in atrio sacerdotum, prout revera non legitur in sacris Litteris, ulterius inquirendum, de cujus cæde tali loco peracta major sit probabilitas.* C

AUCTORE J. S.

Ostenditur nihil obstare, quo minus Zachariam prophetam ibi occisum credamus,

10 *Redeo ad S. Hieronymum.* In diversis, *inquit,* diversa legi, et debeo singulorum, opiniones ponere. Alii Zachariam filium Barachiæ dicunt, qui in duodecim prophetis undecimus est : patrisque in eo nomen consentit : sed ubi occisus sit inter templum et altare, Scriptura non loquitur : maxime quum temporibus ejus vix ruinæ templi fuerint. *Clarum est, præsertim ex sequentibus, hanc sententiam haberi minus probabilem a S. Hieronymo ; certumque est, cædem hujus* Zachariæ *in Scriptura non legi, ut observat. Verum nihil quoque in sacris Litteris habetur, quod cædem hujus Prophetæ inter templum et altare improbabilem faciat : nam quod* temporibus ejus vix ruinæ templi *fuisse asserantur, accuratum non est : ostendi enim num.* 5 *instaurari cœptum esse templum anno secundo Darii Hystaspis, atque absolutum anno ejusdem sexto : vixisse vero* Zachariam *saltem usque ad mensem nonum anni quarti prædicti regis, et multa adhuc postea prophetasse. Certum igitur est tam diu superfuisse* Zachariam, *ut aut multum promota fuerit templi structura, aut perfecta : cumque altare jam ante ædificatum esset, ut narratur* I *Esd.* 3 : *nihil est, quo minus inter templum et altare occidi potuerit* Zacharias : *imo cædes eo loco peracta longe probabilior esset tempore ædificationis, quam perfecto et dedicato templo, si constaret* Zachariam *esse mortuum ante dedicationem : nam, dedicato templo, soli sacerdotes versari poterant inter templum et altare, at tempore ædificationis omnibus ad eum locum patuisse videtur accessus ; ideoque facilior tunc erat eo loco cædes Prophetæ.* E

nisi solum Veteris Testamenti silentium, ad quod respondetur :

11 *Solum igitur Scripturarum silentium de cæde* Zachariæ *prophetæ objici posse videtur. Ad hoc vero responderi potest, plerasque Prophetarum cædes præteritas esse in Veteri Testamento. Sane ex solo Testamento Veteri non innotuerunt, quæ de cædibus prophetarum scripsit Apostolus ad Hebræos cap.* XI ℣ 37 : Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. *Certa tamen sunt et indubitata. Isaïas, Jeremias, Amos, aliique violenta morte sublati creduntur, etsi id nullibi de eis referatur in Veteri Testamento. Cur igitur idem de* Zacharia *credi nequit, etiamsi non legatur in Scriptura Legis veteris ? Sane Christus ipse mortem illius satis asseruisse videtur, dum filium* Barachiæ *dixit, quod aliis non congruit ; præsertim cum iis verbis cædem prophetarum Judæis exprobraverit, ut satis insinuaverit longe plures prophetas ab eorum patribus interemptos, quam occisi legantur in Veteri Testamento. Stephanus quoque Act.* 7 ℣ 52 *multas prophetarum cædes Judæis exprobrat his verbis :* Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi. *Nullus, quantum scio, in Veteri Testamento legitur occisus propheta, qui adventum Christi prædixit. Eos tamen occisos testatur Spiritus sanctus : et scimus Christi adventum a* Zacharia *prædictum. Itaque silentium Testamenti Veteris multum obesse non potest, meritoque existimare possumus cædem* Zachariæ *ibi omissam, sicut prætermissa est cædes Isaïæ, Jeremiæ, aliorumque plurium.* F

rationes, quæ suadent Zachariam prophetam Christi verbis designatum.

12 *Breviter igitur colligamus rationes et conjecturas præcipuas, quæ impellere possunt, ut verba Christi de* Zacharia *propheta intelligamus. Prima et præcipua omnium est, quod Dominus Zachariam vocaverit filium* Barachiæ : *nam solus hic* Zacharias *scitur habuisse patrem* Barachiam,

AUCTORE J. S.

chiam, *uno forsan excepto, qui probabiliter intelligi nequit, ut infra ostendam. Hac de causa* Zachariæ *prophetæ optime congruunt verba S. Hieronymi, sine tantum mutato :* Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est : FILII BARACHIÆ : *nam patris* Barachiæ *nomen a Christo additum videtur, ut hic Zacharias ab aliis distingueretur. Secunda ratio est, quod nullus Zacharias præter hunc proprie fuerit propheta, cum tamen propheta fuisse videatur is, de quo loquitur Christus. Exprobraverat enim Judæis cædem prophetarum et justorum ; ideoque ex duobus, quos commemoravit, alter verisimiliter propheta fuit, nimirum Zacharias, alter e numero justorum, ut de Abele constat. Tertio dubitari non potest, quin ædificantibus templum sæpe adesset* Zacharias *propheta : constat etiam de prædictionibus ipsius, quibus multa infausta admodum et tristia urbi Hierosolymitanæ ejusque habitatoribus vaticinatus est. Habemus igitur de* Zacharia *propheta, quod sæpe cum hominibus infimæ sortis fuerit eo loco, ubi cædes est commissa, quodque ea præstiterit, quorum*
B *occasione multi prophetæ occisi sunt, ita ut mirari nequeamus, si et ipse a furente populo cæsus sit, et quidem loco assignato. Quare sententia de eo per Christum designato mihi tanto apparet probabilior, quanto minus probabiles videntur omnes aliæ, de quibus nunc agam.*

Altera sententia de Zacharia patre Joannis Baptistæ refutatur,

13 *S. Hieronymus secundam sententiam ita memorat et refutat :* Alii Zachariam, patrem Johannis *(Baptistæ)* intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum somniis approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris prædicarit adventum. Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. *Duplici argumento evertitur illa sententia : nam nec Zacharias ille scitur fuisse* filius Barachiæ, *nec constat de cæde ejus, nedum de cæde* inter templum et altare, *quæ verisimilis non est tempore istius* Zachariæ, *cum deberet per ipsos sacerdotes esse peracta. Origenes, qui inter præcipuos est hujus sententiæ patronos, in cap.* 23 *Matthæi eam defendere nititur traditione parum probabili, ita scribens :* Zachâriam dicit patrem Joannis, de quo per Scripturas quidem canonicas ostendere non pos-
C sumus, nec quoniam filius fuit Barachiæ, nec quia scribæ et pharizæi interfecerunt eum inter templum et altare. Sed venit ad nos quædam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, ubi virginibus quidem consistere licet et orare Deum : expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere. Maria autem, postquam genuit Salvatorem, ingrediens adorare, stetit in illo virginum loco. Prohibentibus autem eis, qui noverant adhuc eam jam filium genuisse, Zacharias stetit atque dixit prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco, cum sit Virgo. Ergo quasi manifestissime Zachariam adversus Legem agentem, et in loco virginum permittentem stare mulierem, occiderunt inter templum et altare viri generationis illius. *Tota hæc traditio improbabilis apparet et fabulosa, atque hanc etiam inter apocryphorum somnia recensuit S. Hieronymus, quantum conjicio, licet ipse aliam cædis causam ex aliis scriptoribus allatam refutaverit.*

respondetur ad argumentum Origenis.

14 *Vidit ipse Origenes, quam infirma sit ista traditio, ideoque opinionem suam alio argumento probare conatus est, ita pergens :* Tamen eos, qui hujusmodi traditioni non credunt, exigamus rationem, quomodo non quasi filios eorum, qui in- D
terfecerunt prophetas, etiam Zachariam exprobrat Jesus propter Zachariam, sed quasi qui ipsi occiderunt Zachariam inter templum et altare. Si ergo verum est verbum Christi, quod dicit ad præsentes tunc scribas et pharizæos : « Quem Vos OCCIDISTIS « inter templum et altare », non est possibile illum intelligi Zachariam, qui est ex duodecim unus. *Hæc ratio æque repugnat omnibus sententiis, quibus statuitur aliquis Zacharias, qui non vixit cum Christo. Verum verbum* occidistis *non ita refertur ad præsentes, ut Dominus dicere voluerit,* Zachariam *occisum esse ab illis ipsis, qui tunc loquentem audiebant : sed* occidistis *potius significat* natio vestra *aut* gens Judaïca *interfecit. Is loquendi modus frequens est in Scripturis, et præcedentia verba,* ut veniat super vos omnis sanguis justus *etc. eodem modo exponi debent, nimirum ut* super vos *significet* super vestram nationem, *idque facile ostendi potest de multis aliis Scripturæ locis. Quapropter videtur sententia* Origenis *et aliorum de Zacharia patre Joannis Baptistæ idoneo carere fundamento, et minus esse probabilis, quamvis multos habuerit sectatores.* E

Tertia sententia de Zacharia filio Joïadæ

15 *De tertia sententia, quam et ceteris probabiliorem existimare videtur, ita disserit S. Hieronymus :* Alii istum volunt Zachariam, qui occisus est a Joas rege Juda inter templum et altare, sicut Regum narrat Historia. Sed observandum, quod iste Zacharias non sit filius Barachiæ, sed filius Joiadæ sacerdotis. Unde et Scriptura refert : « Non fuit recordatus Joas pa- « tris ejus Joiadæ, quia sibi fecisset bona ». Quum ergo et Zachariam teneamus, et occisionis consentiat locus ; quærimus quare BARACHIÆ dicatur filius, et non JOIADÆ ? BARACHIA in lingua nostra BENEDICTUS DOMINI dicitur : et sacerdotis Joiadæ justitia Hebræo sermone demonstratur. In Euangelio, quo utuntur Nazareni, pro filio BARACHIÆ filium JOIADÆ reperimus scriptum. *Hactenus S. Hieronymus, ad cujus verba, salvo eruditissimi Patris honore, observationes nostras adjiciemus, ad examinanda fundamenta hujus sententiæ, quam multis neotericis placuisse non ignoro. Mors laudati Zachariæ refertur* 1 *Paralip.* 24 ỷ 20 *et seq. his verbis :* Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium F
Joiadæ sacerdotem, et stetit in conspectu populi, et dixit eis : Hæc dicit Dominus Deus : Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, et dereliquistis Dominum, ut derelinqueret vos ? Qui congregati adversus eum, miserunt lapides juxta regis imperium in atrio domus Domini. Et non est recordatus Joas rex misericordiæ, quam fecerat Joiada pater illius secum, sed interfecit filium ejus. Qui cum moreretur, ait : Videat Dominus, et requirat.

etiam refutatur ut minus probabilis :

16 *Locus peractæ cædis est atrium* domus Domini *seu templi, cumque Zacharias steterit* in conspectu populi, *non videtur aliud atrium intelligi posse quam atrium populi. Atqui altare non erat in atrio populi, sed in atrio sacerdotum, quod medium erat inter atrium populi et templum. Itaque non videtur Zacharias iste occisus* inter templum et altare, *ideoque non video, qua ratione* occisionis consentiat locus. *Deinde cum* Barâchias *sit nomen proprium, et satis usitatum in Veteri Testamento ; cumque alius reperiatur* Zacharias, *isque propheta notissimus, cujus pater dictus fuit* Barachias ; *non est verisimile, voluisse Christum eo nomine designare*

AUCTORE J. S.

A *signare Joiadam sacerdotem, proprio ejus nomine prætermisso: nomen enim* Barachiæ *non magis congruebat Joiadæ quam justis aliis; natumque erat in errorem pertrahere audientes aut legentes, cum ex tota phrasi non aliud possit colligi, quam nomen esse proprium, et ut tale usurpari. Quod additur de Evangelio*, quo utuntur Nazareni, *non est magni momenti: nam ipse S. Hieronymus judicavit lectionem illam non esse sequendam, sed præferendam communem aliorum omnium codicum lectionem, quando Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit. Hanc igitur sententiam minus probabilem existimo, quia nec loco per Christum designato occisus videtur Zacharias Joiadæ filius, nec videtur satis probabiliter tolli posse difficultas, quæ contra hunc Zachariam ex nomine patris* Barachiæ *in oculos statim incurrit.*

quarta sententia de Zacharia alio, qui etiam Barachiæ filius Latine dicitur,

17 *Calmetus in Matth. cap.* 23 ỳ 35 *aliam refert sententiam, nuper, ut videtur, inventam: nullus enim antiquus scriptor pro ea laudatur. De Ozia rege* 12 *Paralip.* 26 ỳ 5 *hæc leguntur:* Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis et videntis Deum. *Fuit igitur aliquis Zacharias videns aut propheta tempore regis Oziæ. Rursum tempore Achaz regis idem (ut cre-* B *dit illius sententiæ patronus) Zacharias memoratur Isaïæ* 8 ỳ 2 *his verbis:* Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. *Hunc igitur Zachariam, cum sit filius* Barachiæ, *designari potuisse a Christo, existimat auctor. Verum, ut etiam observat Calmetus, verisimile non est eumdem utroque loco memorari Zachariam. Nam Ozias, cujus consiliarius erat Zacharias ille propheta, regnavit annos quinquaginta duos, et post eum Joatham annis sexdecim, ita ut valde longævus debuerit esse Zacharias ille, si vixerit usque ad tempora Achaz, qui post Joatham adeptus est regnum. Itaque Zacharias ille* Barachiæ *filius, de quo Isaïas, alius verisimiliter est a propheta et consiliario Oziæ; et uno tantum facto nobis innotescit.*

refutatur ut improbabilis.

18 *Qua de causa ne probabile quidem est Zachariam illum, Isaïæ testem, Christi verbis fuisse designatum. Nam dubitare non possumus, quin Dominus Judæis commemoraverit virum cele-* C *brem notumque apud Judæos. At talis non est Zacharias ille, qui nec propheta scitur fuisse, nec fama pietatis, justitiæ aut rerum bene gestarum inclaruisse. Præterea non modo cædes istius Zachariæ ignota est, sed nec minima assignari potest ratio aut occasio, ob quam occisus crederetur, maxime inter templum et altare. Demum ne nomen quidem patris istius Zachariæ idem prorsus est Hebraïce cum nomine patris* Zachariæ *prophetæ, sed una littera alterum differt ab altero, ut jam observavit Gaspar Sanctius in caput* I Zachariæ *scribens, ubi hanc quæstionem diligenter tractavit, et differentiam utriusque nominis assignavit. Adire poterit studiosus lector laudatum interpretem, qui alias quasdam minoris momenti rationes, pro singulis sententiis allatas, quas brevitatis causa omittendas censui, abunde discussit. Ego ipsius sententiam ita secutus sum, ut præcipua tantum argumenta, aut certe, quæ mihi reliquis præponderare videbantur, ex eodem scriptore adoptaverim, ac meo modo proposuerim.*

§ III. Alia quædam neotericorum sententia examinatur et refutatur ut improbabilis.

Neoterici quidam Zachariam filium Baruch, qui diu post Christum occisus est a Zelotis,

L*audatus Calmetus quintam quoque affert opinionem, eamque cum Tillemontio ceteris omnibus videtur præferre. Mihi, si mentem candide eloqui velim, ea minime omnium videtur probabilis, neque ulla ex parte sacris Litteris consona. Assignant illi Zachariam filium Baruch, qui diu post mortem Christi occisus est a Zelotis, ut refert Josephus lib.* 5 *de Bello Judaïco cap.* I *secundum Rufini distinctionem; at in Græco lib.* 4 *cap.* 19. *Cædem ipsius audiamus, ut deinde argumenta et fundamenta neotericæ hujus sententiæ examinemus. Josephus relata crudelitate Idumæorum et Zelotarum, qua* duodecim millia *Judæorum* nobilium periere, *asserit eos a promiscua illa cæde ad formam quamdam judiciorum conversos esse, ita pergens:* Itaque cum illustrium quemdam Zachariam Baruch filium interficere decrevissent (irritabantur enim, quod nequissimis inimicus nimis erat, et probis amicus, itemque locuples) neque solum fortunarum ejus direptionem sperarent, sed etiam remotum iri virum ad se dejiciendos potentem, septuaginta plebeiorum honestissimos ex præcepto convocant judicum specie, potestate carentes, et apud eos Zachariam, quasi res proderet Romanis, accusant; quodque ad Vespasianum proditionis causa misisset. *Cum autem accusatio esset frivola, magnaque libertate Zacharias se defendisset, absolutus est communi judicum sententia, ut latius refert Josephus, hæc subdens:* Illo vero absoluto, Zelotarum clamor tollitur, et universi quidem judicibus irascebantur, qui simulationem datæ sibi potestatis non intellexerant. Duo vero ex audacissimis aggressi Zachariam, in medio templo interficiunt, ... eumque statim in subjectam vallem de templo projiciunt. Judices vero contumeliæ causa versis gladiis ferientes, templi ambitu pepulere. *Hactenus Josephus, ex quo nihil omissum, quod ad elucidationem controversiæ prodesse potest.* E

volunt Christi verbis prædictum. Argumenta hujus opinionis,

F 20 *Nunc argumenta audiamus allata a Calmeto, qui adoptavit ratiocinia Tillemontii tom.* I *Imperatorum art.* 54; *et sua addidit. Si credamus Calmeto, hæc verba Christi:* Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris *etc.*, *multum ponderis addunt prædictæ sententiæ: nam cum mox sequatur*, Ut veniat super vos omnis sanguis justus *etc.*; *existimat per voces* omnis sanguis justus *intelligi etiam sanguinem Christi et Apostolorum omniumque demum justorum, qui occisi sunt usque ad excidium Hierosolymæ, ita ut velit Zachariam ita esse ultimum a Judæis ante excidium urbis occisum, sicut primus injuste occisus est Abel. Porro si quis quærat, cur Christus dixerit*, Quem occidistis, *acsi Zacharias jam ante esset occisus; respondet Christum loqui* ut prophetam, *et uti* præterito pro futuro. *Contendit insuper omnia adjuncta in isto Zacharia convenire verbis Evangelii; primo nomen patris: nam* Baruch, *inquit, idem est nomen ac* Barachias, *quia Hebræi solent nomini-bus*

AUCTORE J. S.

bus propriis adjungere nomen Dei Jah. *Secundo, locus ipsius judicio recte congruit, quia Zacharias iste legitur occisus* in medio templo. *Tertio tempus, eodem judice, recte hunc Zachariam designat: occisus enim est* paulo ante destructionem templi et dispersionem Judæorum, qui finis est comminationis a Filio Dei ipsis intentatæ *Hæc argumenta laudatæ opinionis exposita leguntur apud Calmetum.*

ex quibus aliqua

21 *Verum dum dicta singula diligenter expendo, priora mihi apparent improbabilia, ac tria posteriora prorsus falsa. Ab hisce incipiam. Primo falsum est,* Baruch *et* Barachias *idem esse nomen. Quod Hebræi nomen Dei* Jah *adjungunt nominibus propriis non est verum eo sensu, ut censeatur idem nomen, sive istud additum sit, sive ablatum. Nomen* Baruch *simplex est, exponiturque a S. Hieronymo* benedictus; *nomen* Barachia *vel* Barachias *compositum, et* benedictus Domini: *nec magis eadem sunt nomina* Baruch *et* Barachias *apud Hebræos, quam eadem apud Latinos sint nomina* Carus *et* Deocarus, *etsi Latini etiam nomen* Deus *nominibus propriis addant,* B *ut fit in allato nomine* Deocarus, *aliisque non paucis passim notis. Secundo etiam videtur falsum, quod dicitur de loco occisi istius Zachariæ verbis Christi congruente: nam etsi dicatur occisus* in medio templo: *non ideo probabiliter creditur occisus* inter templum et altare, *seu in atrio sacerdotum: sed dubitari vix potest, quin occisus sit in atrio gentilium aut in atrio Judæorum. Etenim, licet Zelotæ templum profanarent, cum tamen videri vellent in causa Zachariæ formam judicii servare, probabile non est judices fuisse introductos in atrium sacerdotum, ibique peractum judicium. Imo ipsi judices, qui nullo metu adduci potuerunt, ut condemnarent innocentem Zachariam, verisimiliter noluissent atrium sacerdotum ingredi, quod sibi illicitum esse non ignorabant. Itaque cum in ipso judicii loco occisus sit Zacharias, verisimile non est, occisum esse* inter templum et altare.

probantur falsa.

22 *Tertio certo falsum videtur, quod dicitur de tempore peractæ hujus cædis cum verbis Christi congruente. Locutus est Dominus de cæde peracta, non de cæde aliqua futura: nam improbabile prorsus est, et sine fundamento asseritur,* C *Christum ibi præterito usum esse pro futuro. Alienum id est a stylo Evangeliorum, nec ullus afferetur locus, ubi ita locutus sit Dominus. Multa futura prædixit Christus in Evangeliis; sed semper ita, ut quilibet facile posset intelligere futura prædici, non vero narrari præterita. Ita hunc quoque locum,* quem occidistis, *de præterita, non de futura cæde intellexerunt sancti Patres aliique doctores antiqui: atque ita omnino explicanda esse allegata verba, ostendunt adjuncta omnia, quibus futura prædicuntur,* Ex illis occidetis *etc.: et mox* ℣ 36, Venient hæc omnia super generationem istam: *ac rursum* ℣ 38, Relinquetur vobis domus vestra deserta. *Sic sequenti capite plurima prædicuntur a Christo, sed semper eo stylo et modo, ut quilibet intelligat futura prædici. Quare probandum erat novæ istius interpretationis patronis, stylo illo prophetarum Veteris Testamenti, quo per præteritum designatur futurum, usum esse Christum Dominum, antequam id assereretur: nam, licet Christus fuerit prophetarum omnium maximus, et futura æque ac præterita habuerit perspecta, ex eo recte inferri nequit, eum de futuris locutum esse eo modo, quo de præteritis,* D *cum ex stylo Evangeliorum, atque ex sexcentis prædictionibus ibidem relatis, contrarium manifeste pateat.*

Præcipuum Calmeti argumentum expenditur,

23 *Verum, inquit, Calmetus: Cum primus injuste occisus sit Abel, ultimus vero Zacharias; cumque inter injuste occisos a Judæis etiam numerentur Christi discipuli, non possumus alium intelligere Zachariam quam filium Baruch, nisi vacuum relinquere velimus amplum temporis spatium, ad quod Domini comminatio se extendit. Obscurior est objectio, et nonnihil elucidanda. Auctor verba Christi* usque ad sanguinem Zachariæ, *explicat* Usque ad tempus Zachariæ, *acsi Christus minaretur Judæis pœnam omnium cædium, quæ factæ erant aut faciendæ a morte Abelis usque ad mortem Zachariæ. Pœna autem illa erat destructio urbis et templi, quam plurima alia mala erant præcessura, præter pœnam æternam eorum, qui morituri erant in peccatis. Vult igitur per Zachariam designari ultimum justum a Judæis occisum ante excidium urbis Hierosolymitanæ. At primo respondeo, ne quidem constare, aut Zacharias ille filius Baruch* E *numerandus sit inter justos: nam probabilius Judæus erat, non Christianus, ideoque nec justus. Josephus quidem honorifice loquitur de Zacharia; sed idem elogio longe magis honorifico exornat Ananum pontificem, cujus opera occisus est S. Jacobus. Itaque ex elogio Josephi nihil magis colligere possumus quam Judæum fuisse, et virum apud Judæos honoratum, præsertim cum Christiani Hierosolymam reliquerint ante mortem Zachariæ.*

probaturque non posse pro desse ipsius sententiæ:

24 *Secundo Zacharias ille certe propheta non fuit, aut unus ex illis, de quibus Christus dixit:* Jerusalem Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt *etc. Quis igitur prudenter credat, mortem istius Zachariæ Judæis exprobrari a Christo, qui de morte prophetarum et discipulorum suorum loquitur? Vel sola igitur hæc ratio clare ostendit Zachariam istum non esse ultimum justum a Judæis occisum ante excidium urbis. Si vero etiam Judæos istius temporis inter justos a Domino numeratos, perperam et improbabiliter contendere voluerint adversarii, legant Josephum, et invenient multos alios paulo post fuisse occisos, qui non minus aut magis etiam a Josepho laudantur, ita ut ne eo qui-* F *dem modo ultimus haberi possit Zacharias. Tertio tot mala obruebant Hierosolymam, quando occisus est Zacharias, totque nobilium et optimatum sanguis per Idumæos et Zelotas effundebatur in urbe, ut mala a Christo prædicta jam tunc essent cœpta, illæque nobilium cædes potius esset pars malorum prædictorum quam causa.*

deinde objecta ab eo Scripturæ verba elucidantur,

25 *Jam vero paulo attentius consideranda sunt illa verba,* Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare: *quærendumque, an iis includantur omnes cædes justorum, quæ patrandæ erant a Judæis usque ad destructionem templi; quemadmodum contendit Calmetus. Existimat ille id sequi ex verbis præcedentibus:* Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis *etc. At mihi contrarium videtur, idque manifestum fiet, opinor; si accurate perpendamus præcedentia; ac inquiramus, qua occasione quaque de causa discipulorum suorum cædem prædixerit Dominus. Gloriabantur scribæ et*

AUCTORE J. S.

A *et Pharisæi se abhorrere a cædibus prophetarum, ut Christus ipse testatur* ỷ 30 *his verbis :* Et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. *Hanc eorum hypocrisim, ut accurate observat S. Chrysostomus, refutat Dominus primo quidem cædem suam prædicens his verbis* ỷ 32 : Et vos implete *(id est, implebitis)* mensuram patrum vestrorum. *Nam hæc verba profert, teste Chrysostomo,* non imperans, sed quod futurum erat prænuntians, cædem videlicet suam. *Deinde vero rursum* ỷ 34 *magis explicat, quo modo mensuram patrum suorum paribus aut deterioribus sceleribus implerent, ac prædicit cædes discipulorum suorum verbis mox allegatis* ỷ 34 : Et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem.

et ex occasione, qua dicta sunt, veru eorum significatio eruitur,

26 *Prædictis tot sceleribus ac cædibus justorum, quæ delicti gravitate, maxime ob cædem Christi, non modo æquabant, sed longe etiam superabant cædes præteritas, satis refutaverat Dominus hypocrisim eorum, qui dicebant se a cæde* B *prophetarum abhorrere. Itaque ex hisce omnibus contra eos concludit, prædicitque eos ob ea crimina, quibus majorum suorum crimina erant superaturi, tantam daturos pœnam, acsi omnia majorum suorum scelera ipsi luerent. Verba accipe :* Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram *etc. Id est, Ob vestra scelera jam commemorata fiet, ut tantam detis pœnam, quantam merentur omnes justorum cædes hactenus perpetratæ, quas vos dicitis detestari. Etenim locus ita nequit exponi, ut credamus Judæos fuisse punitos propter crimina parentum aut majorum suorum, quemadmodum interpretes passim agnoscunt; et ipse etiam Calmetus. Audi Chrysostomum:* Non quod alieni peccati quis supplicium luat: sed quod ii, qui post alios multos in peccata lapsos et castigatos non meliores effecti, eadem, quæ illi, perpetrant, eadem ipsa supplicia jure luant. *Et paulo ante:* Si quis vero dixerit: Cur omnium gravissima passi sunt? Responderim ego, quia omnium gravissima scelera perpetrarunt.

qua totum Calmeti fundamentum corruit.

27 *Ex hisce ulterius infero contra Calmetum, vocibus istis*, Omnis sanguis justus, *non comprehendi cædes illas, quas Christus Judæis prædicebat, sed solum præteritas. Etenim si* Omnis C sanguis justus *significaret cædes præteritas simul et futuras, luissent Judæi sua simul et aliena peccata. Atqui secundum Ezechiëlem cap.* 18 ỷ 20 : Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. *Itaque necessario videtur dicendum vocibus,* Omnis sanguis justus, *solum significari cædes præteritas : nam eo etiam dirigitur Christi loquentis intentio, ut tam prædictione cædium futurarum, quam commemoratione pœnæ ob eas infligendæ, ostendat scribas et pharisæos parentibus suis pares aut superiores esse nequitia. Prædicit igitur Christus Judæos daturos eam pœnam, quam omnes justorum cædes ab eorum majoribus patratæ merebantur, quia ipsi eamdem suis quoque sceleribus erant merituri : at non videtur dicere, eos pro suis simul et parentum suorum sceleribus cumulata pœna afficiendos : atque ex hac observatione totum Calmeti fundamentum corruit. Eadem quoque observatione satis refutata est sententia Ruperti, qui lib.* 4 *Commentariorum in Apocalypsim suspicatus est, per Zachariam, Barachiæ filium, intelligi posse Jacobum fratrem Domini, eodem fere nixus fundamento.*

Observatio ad totam spectans controversiam :

28 *Ceterum breviter studiosum lectorem moneo, consulto me abstinuisse ab eo argumento, quo singularum fere sententiarum patroni ostendere nituntur Zachariam illum, cujus causam* E *defendunt, aliqua ratione ultimum esse prophetarum a Judæis occisorum. Abstinui, inquam, ab illo argumento, licet passim producatur ab iis, qui patrocinantur sententiæ, quam probabiliorem existimo. Etenim fateor mihi incertum esse, utrum Dominus Zachariam commemorare voluerit tamquam ultimum prophetarum a Judæis occisum, an alia de causa. Sane phrasis illa,* a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, *non necessario designat primum et ultimum occisum. Multæ ejusmodi phrases reperiuntur in sacra Scriptura. Gen.* 6 ỷ 7 *dicit Dominus :* Delebo... hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres. *Rursum cap.* 7 ỷ 23 *omnis substantia deleta dicitur* ab homine usque ad pecus. *Exod.* XI ỷ 5: Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui sedet in solio, usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam. *Plurima adduci possunt similia : nec tamen ullibi significatur, quis primo occisus sit loco, aut postremo. Itaque, etsi constat Abelem esse primum eorum, qui injuste occisi sunt, non ideo tamen* F *certo inferri potest Zachariam esse ultimum, cum alia possit esse oppositio.*

DE

A D

DE SS. ONESIPHORO APOSTOLORUM DISCIPULO

ET PORPHYRIO EJUS SERVO, MM.

PARII IN HELLESPONTO

J. S.

SYLLOGE

§ I. Sanctorum cultus : varia in Fastorum elogiis de eorum gestis et martyrio tradita.

B

SEC. I. *Onesiphorus et Porphyrius apud Græcos simul annuntiati diebus variis :*

De *sanctitate et publica veneratione* S. Onesiphori, *quem Apostolus brevi commendat elogio, nullum potest esse dubium, cum memoria ipsius plerisque Fastis legatur adscripta, cum apud Græcos tum apud Latinos, sed mensibus et diebus multum diversis. In plerisque Fastis Græcis cum* S. Onesiphoro *conjungitur* S. Porphyrius, *tamquam servus ipsius et martyrii socius. Quod vero spectat ad gesta horum Sanctorum, de hisce pauca habemus relata, et pauciora satis certa ob varietatem narrantium. Recensebo breviter dies et menses, quibus Sancti annuntiantur : deinde elogia quædam subjiciam, ac demum facta dubia examinabo. In Menologio Sirletiano ac in codice Taurinensi* SS. Onesiphorus *et* Porphyrius *memorantur ad* XV *Julii : iidem* XVI *Julii annuntiantur in Menologio Basiliano, in Menæis bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani, in manuscripto membraneo Sirmondi, ubique cum elogio ; ac brevius in altero codice Taurinensi, atque in Martyrologio Arabico-Ægyptio, quod Gratia Simonius ex Arabico Latinum reddidit. Eorumdem memoria rursum occurrit die* XVII *Julii, sed in uno tantum apographo Synaxarii Ms. chartacei Chiffletii nostri. Hæc omnia jam annotata sunt in Prætermissis ad tres dies memoratos. Accedunt hisce Menæa impressa in quibus hi Martyres simul annuntiantur cum elogio ad* VIII *et* IX *Novembris.*

C

Onesiphorus aliis quoque diebus memoratus cum discipulis Apostolorum :

2 *Præterea* Onesiphorus, *prætermisso* Porphyrio, *apud Græcos cum aliis quibusdam Apostolorum discipulis annuntiatur, tamquam unus ex septuaginta duobus Christi discipulis. Ita ad* XXIX *Aprilis memoratur in Menæis impressis cum Evodio, et apud Maximum Cytheræum ; in Menologio Sirletiano cum eodem Evodio ponitur, sed solum ibi ut* episcopus Losonis. *At in eodem Menologio ad* VII *Decembris memoratur cum sex aliis, qui omnes fere discipuli fuerunt S. Pauli apostoli, ut unus* ex numero Septuaginta,... *et* episcopus Choroneæ. *Sic etiam in Menologio Basiliano ad* VIII *Decembris cum iisdem ponitur Pauli discipulis, ut unus ex Septuaginta. Menæa impressa item ad* VIII *Decembris cum iisdem* Onesiphorum *annuntiant, ut unum ex Septuaginta et episcopum* Cæsareæ. *Eadem tamen Menæa ad* VII *Septembris* Onesiphorum *rursum conjungunt cum Evodio, et* Colophoniæ *dicunt episcopum. Videt studiosus lector, quanta in hisce sit dierum, mensium, et rerum omnium diversitas. Quid ex hisce verius sit aut probabilius, necdum examino; at unum interim observo, eumdem ubique memorari* Onesiphorum *Pauli discipulum, idque clarum esse ex elogiis, etsi subinde ex numero Septuaginta discipulorum fuisse dicatur, sed improbabiliter, ut infra ostendam. Transeamus interim ad Fastos Latinos, in quibus brevius hi Sancti commemorantur.*

E

in plerisque Latinis Onesiphorus solus annuntiatus ad VI *Septembris,*

3 *Martyrologia Latina pleraque* Onesiphorum *sine* Porphyrio *referunt ad* VI *Septembris, pauca ex neotericis* Porphyrium *adjungunt; plura ex antiquioribus, veluti Hieronymiana, Bedæ, Rabani, Wandelberti, Usuardi martyrologia, utriusque carent memoria. Primus ex Latinis Onesiphorum annuntiasse videtur auctor Romani parvi seu veteris Martyrologii, in quo ad* VI *Septembris ita legitur :* Et Onesiphori Pauli discipuli. *Secutus est Ado, hisce eumdem annuntians verbis :* Item natalis sancti Onesiphori, Apostolorum discipuli. *In libello de Festivitatibus Apostolorum idem scriptor* Onesiphorum *laudavit verbis Apostoli infra dandis. Præmissa Adonis verba adoptavit in suo Martyrologio Notkerus. In variis auctariis Usuardi apud Sollerium* Onesiphorus *etiam sine* Porphyrio *memoratur. At Molanus, qui etiam* Onesiphorum *solum ponit ad* VI *Septembris, eumdem rursus annuntiat ad* IX *Novembris, ut martyrem cum* Porphyrio. *Credidit, opinor,* Onesiphorum, *cum* Porphyrio *a Græcis annuntiatum, distinctum esse ab* Onesiphoro *Pauli discipulo. Ex prædictis porro collido, gesta* Onesiphori *ignota fuisse Latinis scriptoribus, quibus ea tantum videntur innotuisse, quæ de eo tradit Apostolus.*

F

elogia ex Petro de Natalibus et Florario Ms.

4 *Ex Apostolo quoque per conjecturam aucta videntur, quæ Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 43 *brevi elogio innexuit hoc modo :* Onesiphorus discipulus Pauli apostoli, de quo idem secunda epistola ad Timotheum mentionem facit, ejusdem Apostoli imitator, et peregrinationis ejus comes pluribus annis fuit, et ei in ministerio deservivit. Et hic prædicationis officio fideliter peracto, apud urbem Romam post Pauli passionem in pace quievit, VIII Idus Septembris, ut ait Hieronymus. *Non invenio id in Operibus S. Hieronymi. Quæ vero de morte Sancti per conjecturam*

A *cturam dicta sunt, inferius examinabo. Alia tradit auctor Florarii nostri Sanctorum Ms., tale texens elogium:* Eodem die natale S. Onesiphori Apostolorum discipuli : qui sollicitus in verbo Domini, sæpe B. Paulum et alios Apostolos et discipulos in Asia refrigeravit, et Pauli catenam et contumeliam non erubuit; sed constanter ei sociatus, Christum secum nuntiavit. Quem Paulum Onesiphorus propter dulcedinem verborum Romam sollicite visitando quæsivit et invenit : a quo devote susceptus confortabatur in omni opere perfecto. Hic demum ab eodem Apostolo ad prædicandum missus in Samaria, inibi ventilabro verbi Dei permundavit aream Christi, congregans illic triticum in horreum fidei ex paleis igni inextinguibili æternaliter comburentibus. Tandem post conversionem multorum sustinuit mortis amaritudinem brevem et modicam, et recepit dulcedinem immensam et interminabilem. Quievit in Samaria anno Salutis LXXIV. *Unde eam in Samaria prædicationem et mortem acceperit auctor, non perspicio.*

in Martyrologio Romano Sancti simul conjuncti.

B 5 *Postremorum seculorum martyrologi diversas de* Onesiphoro *opiniones amplexi sunt, et plures ex iis eum solum nominant, creduntque Romæ obiisse sine martyrio, secuti nimirum opinionem seu conjecturam Petri de Natalibus. Eminentissimus tamen Baronius Græcorum sententiam sequi maluit, et utrumque Sanctum Martyrologio Romano inseruit his verbis ad* VI *Septembris :* In Hellesponto sancti Onesiphori Apostolorum discipuli, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens : qui ibidem una cum sancto Porphyrio jussu Adriani proconsulis acriter verberatus, et a ferocibus equis raptatus, spiritum Deo reddidit. *Plura ad hæc observat in annotatis, ex quibus posteriora huc transfero :* Græci... tradunt hunc creatum fuisse episcopum COLOPHONIS, Dorotheus *(seu auctor Synopsis vulgo Dorotheo adscriptæ)* autem dicit CORONIÆ... Habetur mentio de eodem in Actis S. Theclæ. *Acta hæc, quæ Basilio Seleuciæ episcopo attribuuntur, nec tamen accurate scripta sunt, leguntur apud Surium ad* XXIII *Septembris. Secundum hæc Acta* Onesiphorus *habitabat Iconii in Lycaonia, quando eo venit Paulus Evangelium prædicaturus : nam Paulus dicitur*
C perhumaniter ab Onesiphoro acceptus, amicissimoque illius hospitio usus. *Deinde Paulus etiam* in ædibus Onesiphori *docuisse asseritur, ibique auditus a S. Thecla.*

Græcorum de iis sententia ex Menologio Basiliano,

6 *Hisce subjungo elogium ex Menologio Basilii imperatoris jussu composito, in quo ad* XVI *Julii hæc leguntur :* Onesiphorus Christi martyr, ex urbe Iconio oriundus, affinis Tryphænæ imperatricis, Iconii habitavit, ubi et suscipiens magnum apostolum Paulum, ab eo verbum veritatis edoctus, atque cum tota domo baptizatus, Christum prædicabat. Quapropter exagitatus, Iconio migrans in Parum * abiit, ibique commoratus est. Cum autem facultatibus afflueret, plurimam pauperum curam gerebat. Sed et Paulo Hierosolyma abeunti, multas opes pro fratrum ministerio contulit, eundemque vinctum Romam missum secutus est, cujus hortatu iterum in Parum * rediit. Comprehensus autem a præside una cum servo suo Porphyrio, tormentis subjectus est : dein ferocibus equis alligatus, et milliaribus quatuordecim raptatus, spiritum tradidit. Porphyrius autem una cum illo in omnibus, quæ pro Deo sustinuit, certaminibus tormenta passus, vitam finivit. *Hactenus Menologium Latine redditum editumque Urbini cura Eminentissimi Cardinalis Annibalis Albani. Simile elogium legitur in Synaxario membraneo Sirmondi, verbis tamen subinde mutatis, et additis quibusdam.*

* *Græce* Parium

* Parium

cui alia quædam addita sunt in aliis Græcorum elogiis :

7 *Ea licet levioris sunt momenti, huc transfero. Primo asseritur* Onesiphorus *fuisse* ex genere Aniciorum. *Secundo S. Thecla conversa dicitur, prædicante in domo* Onesiphori *Paulo. Tertio locus, ad quem Iconio fugit Sanctus, clarius exponitur : nam dicitur fugisse* ad Hellespontum, *et habitasse in urbe* Pario ad mare. *Nota est urbs* Parium *in Hellesponto provincia, ad mare Propontidem sita. Episcopalis erat urbs Parium a seculo* IV *et verisimiliter citius : at deinde facta est metropolitica, prout videri potest apud Le Quien in Oriente Christiano tom.* 1 *col.* 787. *In Menologio Græce item legitur* Πάριον, *etsi interpres* Parum *Latine scripserit. Ex hisce intelligimus, cur Sirletus locum martyrii dixerit* apud Hellespontum, *et Baronius* in Hellesponto, *nimirum quia Parium in Hellesponto erat situm. Quarto in Synaxario* Onesiphorus *dicitur voluisse Paulum comitari in Hispaniam,* E *sed ab eo remissum esse Parium. Quinto passus refertur sub* Andriano proconsule. *Eadem plane leguntur in Menæis Mss. bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani, præterquam quod nomen proconsulis ibi scribitur* Adrianus; *sicut etiam habetur apud Sirletum. Sexto demum plura in laudatis Mss. leguntur tormenta Sanctis inflicta, quam in Menologio Basiliano; Sanctorumque martyrium ibi exponitur eo prorsus modo, quo narratur in Menæis impressis, quorum verba mox subjiciam.*

aliud elogium ex Menæis, in quo omissa sunt gesta Onesiphori cum S. Paulo :

8 *Quippe elogium, quod Menæa impressa habent ad* IX *Novembris, cum ab aliis differat, totum recitare placet, ex versione Ms. Raderi nostri, quam cum textu Græco contuli, et satis accuratam inveni.* SS. Onesiphorus et Porphyrius, cœpta persecutione, de nomine Christiano delati sunt; ductique ad tribunal, constantes et interriti Christum Deum verum cæli terræque conditorem professi sunt. Propter quam professionem flagrorum verbera multa et ustulationes corporis pertulerunt. Deinde ita in cratibus igneis extensi, æternorum bonorum sibi præmium propositum intuiti, quamvis ab impiis atrocia paterentur, a Deo tamen revelati sunt. F Impii autem illi et crudeles cum Sanctos illæsos spectarent, majori rabie incensi, Sanctorum pedes colligatos indomitis equis alligarunt : qui a militibus agitati multis horis per spinas et tribulos asperaque loca tractorum carnes Sanctorum fœde lacerarunt : quo in supplicio etiam animas suas Deo tradiderunt. Quorum sacras reliquias Christiani clam collectas in vico Panceorum cum divinis laudibus et gratiarum actione deposuerunt. *Dato elogio in Menæis præmissi leguntur hi versiculi :*

Ἵπποις Ὀνησιφόρε πρὸς Θεὸν τρέχων
Ἔχεις συνιππεύοντα καὶ τὸν οἰκέτην.

Equis, Onesiphore, ad Deum currens,
Habes tecum equitantem et servum.

Elogium hoc cum versiculis impressum est ad IX *Novembris, sed annuntiatio cum Officio etiam impressa est ad diem præcedentem.*

§ II.

AUCTORE J. S.

§ II. Elogium Onesiphori ex Apostolo : dubia varia de Sanctis, ex præmissis elogiis orta, examinantur.

Elogium Onesiphori ex Apostolo,

Post cultum expositum, dataque ex Fastis elogia, quæ invicem non satis consonant, examinandum est, quæ ex illis veriora appareant aut probabiliora. At lubet præmittere, quid certi habeamus de Onesiphoro *ex Apostolo, ut inde lucis aliquid oriatur in obscuris. Paulus in Epistola 2 ad Timotheum cap.* 1 ℣ 16 *ita loquitur* : Det misericordiam Dominus Onesiphori domui : quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit : sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit. Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die *(judicii, seu post mortem.)* Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti. *Et cap.* 4 ℣ B 19 : Saluta Priscam et Aquilam, et Onesiphori domum. *Hæc Romæ Paulus iu vinculis et circa finem vitæ : ex quibus certum est,* Onesiphorum *recte vocari discipulum Pauli, aut etiam Apostolorum ; multaque usum esse liberalitate erga S. Paulum, tum Romæ, ubi eum vinctum studiose quæsivit, tum Ephesi, ac verisimililer multis aliis locis, licet* Ephesum *dumtaxat nominet Apostolus, quia facta ibidem notiora erant Timotheo, utpote episcopo Ephesino. Secundo ex eo, quod* Onesiphorus *Romam venerit, ut Paulum quæreret et refrigeraret, verisimile est eum ad multa alia loca profectum esse, ut Apostolo ministraret, præsertim cum hic dicat,* Sæpe me refrigeravit.

ex quo nequit ostendi, Onesiphorum fuisse mortuum, dum illa scribebat Paulus.

10 *Tertio ex verbis Apostoli recte inferri potest, nec Romæ fuisse* Onesiphorum, *nec Ephesi, dum scribebat Paulus hanc epistolam, quia nec ejus nomine quemquam salutat, nec ipse* Onesiphorum *salutat, nec ejus domum. Nonnulli ex allegatis verbis inferre voluerunt,* Onesiphorum *tunc fuisse mortuum, et ea forsan de causa aliqui mortem ipsius fixerunt* Romæ. *Verum non* C *video, quo id modo sequatur ex Pauli verbis : nam quod* Onesiphorum *non salutet, tantum insinuat, ipsum non fuisse tunc Ephesi : quod dicit,* Det illi Dominus invenire misericordiam *etc.; æque poterat dicere de vivente quam de defuncto. Itaque mors illa plane est incerta et parum probabilis, ut infra ostendam. Verisimile quoque non est, Romæ defunctum esse* Onesiphorum, *cum non legatur umquam ibidem singulari cultu honoratus fuisse. Itaque ex his saltem rationibus, quas adductas invenio apud Calmetum in locum allegatum Apostoli, non ostenditur mortuus* Onesiphorus, *dum scribebat Paulus. Ex Apostolo etiam probari nequit, utrum* Onesiphorus *Evangelium prædicaverit, an vero prædicantibus opem dumtaxat præstiterit. Primum est verisimile, quia constat eum ad diversa profectum esse loca ; nec tamen certum, quia Romam venire potuit solius Pauli amore, ut eum facultatibus suis juvaret, quantum posset.*

Dubitari potest an Onesiphorus non sit geminandus :

11 *Nunc dubia veniunt examinanda, quibus locum præbent martyrologi cum Græci tum Latini. Primo dubitatur, utrum* Onesiphorus, *ab Apostolo laudatus, idem sit cum* Onesiphoro *martyre, qui cum servo suo* Porphyrio *passus est* D *in Hellesponto. Eumdem enim faciunt Menologia et Synaxaria varia Græcorum, quibus calculum suum adjecit Baronius in Martyrologio Romano. At elogium ex Menæis impressis num.* 9 *datum videtur opponi posse, cum nihil habeat de gestis* Onesiphori *cum Paulo, ideoque alium* Onesiphorum *videatur facere* Porphyrii *socium. Accedunt multa alia Græcorum breviora elogia, et plerique martyrologi Latini, qui* Onesiphorum *Pauli discipulum passim annuntiant sine* Porphyrio, *et sine ulla martyrii mentione. Jam vero si quis consideraret, Græcos invicem non consentire; at majorem saltem esse consensum apud Latinos; facile adduci posset, ut hisce præ illis assentiretur; præsertim cum eruditi non pauci Græcis Fastis omnem fere auctoritatem nitantur abrogare. Verum candide edico, Latinos martyrologos, nimirum auctorem Romani veteris, Adonem, Notkerum et plerosque alios nullius mihi ponderis esse ad hanc dubitationem dirimendam, cum ex ipsorum verbis liqueat,* Onesiphorum *eis solum innotuisse ex Apostolo eorumque Fastis insertum esse, quia laudatur in sacris Litteris.* E *Idem fere judicium ferri debet de elogiis Græcorum, in quibus* Onesiphorus *cum aliis Apostolorum discipulis simul commemoratur. Græci enim illis locis non considerarunt gesta* Onesiphori, *sed ipsum breviter cum aliis Apostolorum discipulis memorarunt ob festivitates aliquas iis communes.*

sed Onesiphorus martyr probabilius idem est cum S. Pauli discipulo.

12 *Soli igitur ex Latinis considerari possunt Petrus de Natalibus, et auctor Florarii Ms., quorum verba dedi num. 4. Primus verbis Apostoli nihil addidit, nisi quod* Onesiphorus *Evangelium prædicaverit et Romæ obierit. Utrumque ex sola conjectura assertum videtur : credidit prædicasse* Onesiphorum, *quia Pauli erat discipulus : credidit eumdem Romæ mortuum, quia ibi cum Paulo fuit. Hic igitur scriptor inter eos etiam haberi potest, qui nihil noverant de* Onesiphoro, *nisi ex sacra Scriptura aut interpretibus. Alter Scripturæ addidit prædicationem et mortem* in Samaria *obitam : sed nullum laudat hujus sententiæ auctorem, ideoque exiguam potest habere auctoritatem aut fidem mereri. Ex Græcis vero contra sententiam Baronii solum fere objici potest elogium num. 9 recitatum; sed* F *huic prævalent Menologia et Synaxaria, quæ* Onesiphorum *martyrem eumdem faciunt cum* Onesiphoro *Apostoli discipulo et adjutore. Qua de causa non quidem omnino certum, satis tamen probabile existimo,* Onesiphorum *Pauli discipulum cum* Porphyrio *passum esse, cum non inveniam sufficientes rationes ad geminandos* Onesiphoros, *aut ad martyrium* S. Onesiphoro *abjudicandum.*

Hic non fuit ex septuaginta Christi discipulis :

13 *Quæri secundo potest, an numerandus sit inter septuaginta Christi discipulos, sicut inter illos aliquot locis numeratur in Fastis Græcis. Respondeo certum videri non fuisse* Onesiphorum *ex numero septuaginta discipulorum : nam verba Apostoli satis innuunt, Virum fuisse opibus præstantem, prout affirmant de eo Græci in elogiis. Præterea non videtur dubitandum, quin* Onesiphorus *esset ex Asia Minori, cum familia ipsius habitaret Ephesi, quando ad Timotheum scribebat Paulus. Quod vero inter septuaginta recenseatur a Græcis quibusdam* Onesiphorus, *commune ipsi est cum aliis pluribus Apostolorum discipulis, quorum aliqui certo non fuerunt*

A *runt ex discipulis Christi septuaginta, ita ut auctoritas Græcorum hac in re nullius sit momenti.*

episcopus Colophonis in Asia minore fuisse dicitur,

14 *Tertio dubitatur, utrum* Onesiphorus *fuerit episcopus : nam varia admodum sunt, quæ Græci in Fastis suis habent ad hoc propositum. Menæa impressa et Mss. Chiffletiana ad* XXIX *Aprilis* Onesiphorum *faciunt episcopum* Κολοφῶνος, *id est ,* Colophonis. *Fuit Colophon civitas episcopalis in Asia minore inter Ephesum et Smyrnam, ut videri potest apud Le Quien in Oriente Christiano tom.* I *col.* 724, *ubi alii Sosthenem et Tychicum illius civitatis episcopos faciunt. In Menologio Sirletiano* Onesiphorus *ad eumdem diem* Losonis *legitur episcopus, sed vocem* Losonis *ex* Colophonis *corruptam suspicor , quia* Onesiphorus *annuntiatur cum Evodio episcopo Antiocheno : nam ubicumque cum solo Evodio positum in Fastis invenio* Onesiphorum, *episcopatum* Colophonis *ei adscriptum lego. Sic Maximus Cytheræus habet* Κολοφῶνος *ad* XXIX *Aprilis : sic rursum Menæa impressa ad* VII *Septembris, etsi ibi legatur* Κολοφονίας, Colophoniæ. *Itaque Fasti Græci maxime conspirant in episcopatum Colo-* B *phonensem.*

et alii quoque episcopatus ei adscribuntur : sed res est incerta :

15 *Aliis tamen locis alios episcopatus attribuunt* Onesiphoro. *Menologium Sirletianum ad* VII *Decembris* Choroneæ *episcopum statuit.* Coronea *autem civitas episcopalis erat Græciæ in Bœotia, ut ostendit Le Quien tom.* 2 *col.* 193, *ubi hunc ipsum* Onesiphorum *dubitanter primum illius recenset episcopum.* Cæsareæ *episcopum dicunt Menæa impressa ad* VIII *Decembris : sed non additur , cujus* Cæsareæ , *aut in qua provincia : neque res satis est verisimilis. Ex tot variationibus episcopatus* Onesiphori *parum est certus ; præsertim cum Fasti de episcopatu ejus sileant, quando eum conjungunt cum* Porphyrio; *cumque Menologium Basilianum, quod majori certe cura collectum fuit, quam alia martyrologia Græca,* Onesiphori *episcopatum nullibi asserat. Hac de causa nullum ex tribus episcopatibus certo attribuere possumus* Onesiphoro, *ne Colophonensem quidem, licet plures in eum conspirent. Verum hac de re infra recurret sermo.*

Non est improbabile, Iconii habitasse Onesiphorum :

16 *Quarto demum quæri potest, quid censendum sit de elogio* Onesiphori *et* Porphyrii *dato num.* 6 *ex Menologio Basiliano, et de adjunctis num.* 7 *et* 8 *ex aliis elogiis, videlicet de patria, stirpe, conversionis occasione , itinere iterato in* C *Hellespontum seu Parium, genere et loco martyrii. Respondeo quædam ex iis apparere probabilia, alia fabulosa. Primo Iconii habitasse* Onesiphorum, *quando eo venit S. Paulus, atque ea occasione conversum esse, Paulumque in domo ipsius prædicasse (quæ dicuntur etiam in Vita S. Theclæ) non est improbabile , nec rationi aut sacræ Scripturæ contrarium. Nam S. Paulus* multo tempore *mansit Iconii, ibique conversa est* Judæorum et Græcorum copiosa multitudo, *ut dicitur in Actibus Apostolorum cap.* 14.

nec tamen certum, cum Scriptura magis insinuet Ephesinum fuisse :

17 *Verumtamen res dubia videtur, quia Paulus scribens ad Timotheum jubet salutari* Onesiphori domum : *cum enim Timotheus Ephesinus esset episcopus , facile hinc suspicari quis potest, Ephesinum fuisse* Onesiphorum, *ubi familia ipsius habitasse videtur , quando scribebat Paulus. Et revera* Onesiphorus *Ephesi ministravit Paulo , ut hic ipse testatur. Hæc , inquam , suspicionem ingerunt de Epheso potius quam Iconio patria* Onesiphori ; *sed neque ea suspicio pro certa opinione haberi potest, cum primi Christiani subinde cum tota familia patriam desererent, ut ex Prisca et Aquila, quos eodem loco salutat Apostolus, et ex aliis pluribus innotescit. Poterant id facere tum ob persecutiones in patria sua exortas, tum ad promovendam pro viribus fidem Christianam, tum etiam ut longe abessent a consanguineis infidelibus, et sic tutius Deo servirent. Scriptura igitur non evincit, Ephesinum fuisse* Onesiphorum ; *nec improbabile est, Iconiensem fuisse, Iconiique in domo ipsius hospitem fuisse Paulum apostolum.*

AUCTORE J. S.

alia in elogiis fabulosa de Sancti genere :

18 *Secundo fabulosum prorsus apparet, quod dicitur de genere* Aniciorum , *cum Anicii passim eo tempore fuerint Romæ, non in Asia, nisi dum ibi præfecturam aliquam exercebant. Quod de affinitate asseritur cum Tryphæna, quæ ridicule vocatur* imperatrix, *videtur quoque commentitium, nec alia de causa dictum, quam quod Thryphæna in Vita S. Theclæ etiam compareat Iconii, dicaturque illustris* regii sanguinis propinquitate. *Quod vero de opibus* Onesiphori *in elogio affirmatur, facile credi potest, quia consonum est iis, quæ Apostolus ipse narravit de servitiis sibi ab eo præstitis.* E

at prædicatio ejus et martyrium Parii in Hellesponto

19 *Tertio probabilia et credibilia sunt , quæ narrantur de gemino* Onesiphori *itinere in Hellespontum, martyrioque cum* Porphyrio *ibidem obito : nam verisimile est,* Onesiphorum *eo fuisse missum a Paulo ad prædicandum , nisi forsan Paulus ipse eo cum* Onesiphoro *venerit, eumque ibi reliquerit. Fieri id potuit in illis Pauli itineribus, quæ narrantur breviter Act.* 16 *: nam tunc iterum Iconii fuit Paulus : profectusque est ad varias provincias, inter quas Mysia est, ex qua* ℣ 7 *cupiebat ire in Bithyniam : sed, omissa Bithynia, pertransivit Mysiam et venit Troadem. Fuit igitur eo tempore Paulus in Hellesponto : provincia enim hæc partem Mysiæ et Troadis comprehendebat, et Parium æque erat in Mysia ac in Hellesponto provincia. Cum autem Parium civitas esset non ignobilis, verisimile est Apostolum ibi fuisse aut eo tempore aut postea , ita ut* Onesiphorus *ibi relinqui potuerit ab Apostolo aut eo mitti ad prædicandum. Dico igitur probabile admodum esse,* S. Onesiphorum *Parii esse passum , cum nullus alius locus martyrio aut morti ejus assignetur cum aliqua probabilitate : nam quod neoterici aliqui Romæ defunctum dicunt , quodque de Samaria dixit auctor Florarii Ms., sine auctoritate antiquorum et improbabiliter asseritur.* F

probabilia apparent :

20 *Præterea valde probabile est, Evangelium fuisse prædicatum ab* Onesiphoro *in Hellesponto, eoque Roma reversum fuisse , quando scribebat de eo Apostolus ad Timotheum* , Cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit. *Quippe videtur hæc scribere Paulus, ut doceat Timotheum , quid Romæ egerit* Onesiphorus, *et nullo modo mortem ipsius insinuat , sed reditum ad locum, unde venerat. Si enim mortem obiisset, eam non siluisset ibidem Apostolus : nam ne morbum quidem siluit Epaphroditi, qui Romam quoque venerat ad Paulum , indeque ab eo remissus est Philippos in Macedoniam, ut legitur in Epistola ad Philippenses cap.* 2. *Eodem modo ad Paulum victum ex Hellesponto venisse* Onesiphorum, *sed paulo post ab eodem remissum ad fidem in Hellesponto prædicandam, vehementer suspicor. Ex dictis ulterius sequitur, episcopatum Pariensem præ ceteris probabilius attribuendum fore* Onesiphoro , *si satis de episcopatu ipsius constaret : sed quia non omnes erant episcopi , qui tempore Apostolorum prædicabant , ipsique*

AUCTORE J. S.

ipsique episcopi non uni loco affixi, de Onesiphori *gradu nihil certi statuere possum, nedum de urbe episcopali.*

adjuncta quædam martyrii incerta: at ipsum martyrium non negandum.

21 *Quarto tempus mortis aut martyrii nuspiam exprimunt Græci, atque hac de causa tempus lato modo expressi per seculum primum ad finem vergens. Pati potuerunt Sancti in persecutione Neronis, vel in persecutione Domitiani, aut etiam tempore intermedio: si tamen quis conjecturam de tempore martyrii dare voluerit, nulli martyrium attribuet probabilius quam persecutioni Domitiani, quæ inchoata est aliquot annis ante finem seculi primi. In quibusdam elogiis Sancti dicuntur passi sub Adriano proconsule, qui ignotus est illo tempore, et verisimiliter rectius omissus in Menologio Basiliano. Tormenta etiam, quibus cruciati dicuntur Sancti, supra verum exaggerata videntur; præsertim ubi per equos feroces raptatus* Onesiphorus *dicitur* milliaribus quatuordecim. *Plura quoque tormenta recensentur in elogio ex Menæis num.* 8 *dato; quam asserantur in Menologio Basiliano et Sirletiano. Itaque difficulter dici potest, quid verius sit de adjunctis martyrii. At non video, cur non debeamus credere martyrem fuisse* Onesiphorum *cum* Porphyrio, *et utrumque Parii in Hellesponto, seu in Mysia minore, passum esse.*

DE SS. MARTYRIBUS

FAUSTO PRESBYTERO, BIBO VEL ABIBO DIACONO

DIONYSIO LECTORE, CYRIACO ACOLYTHO

ANDRONICO MILITE, THEOCTISTO NAUCLERO, MACARIO, ANDREA, SARAPAMBONE, CYRIACO ALTERO

ANDROPELAGIA ET THECLA VEL THEOCLA VIRGINIBUS

AC CALODOTA MULIERE CONJUGATA

ALEXANDRIÆ IN ÆGYPTO

J. S.

Ex Martyrologiis Græcis et Latinis.

CIRCA CCL. *Martyres Alexandrini, varie in Fastis relati,*

M*artyrologium Romanum ex Fastis Græcis varios hodie annuntiat Martyres Alexandrinos hoc modo:* Alexandriæ passio sanctorum Martyrum Fausti presbyteri, Macarii et Sociorum decem, qui sub Decio imperatore et Valerio præside pro Christi nomine abscissis cervicibus martyrium compleverunt. *Addit Baronius in annotatis:* Agunt de iisdem Græci etiam in Menologio, et nomina singulorum referunt; videlicet post Faustum et Macarium recensetur Dionysius lector, Cyriacus acolythus, alter Faustus, Andronicus miles, Theotistus nauclerus, Andropelagia et Thecla. *Plures leguntur in Menologio apud Sirletum, qui sic habet:* Eodem die natalis sanctorum Fausti, Macarii, Andreæ, Abibi diaconi et monachi, Dionysii lectoris, Cyriaci acolythi, sancti Fausti, Andronici militis, Theoctisti naucleri, et sanctarum mulierum Andropelagiæ et Theclæ, *(qui)* sub Decio imperatore, præside Valerio, apud Alexandriam propter Christiani nominis confessionem obtruncati, sanctas animas Deo commendantes in cælum migrarunt. *Martyres hic nominatos habemus undecim, quos omnes etiam enumerat Ghinius, uno excepto* Andrea. *Variat quoque in nomine* Abibi *diaconi, quem cum Galesinio* Abibam *vocat. Eumdem ab aliis* Bibum *nominatum videbimus.*

tredecim numero fuisse videntur:

2 *Quod vero attinet ad numerum horum Martyrum,* tredecim *omnino fuisse dicuntur in Menologio Basiliano, atque horum omnium nomina leguntur in Menæis Mss. olim a Sirmondo communicatis, quæ accuratiora apparent, quam sint Menæa impressa, in quibus undecim nominatim sic exprimuntur; ut non omnes iidem sint cum enumeratis undecim apud Sirletum: nam in Menæis impressis unus tantum legitur* Faustus, *quem unicum revera fuisse ostendemus, geminus vero* Cyriacus. *Hic item geminatur in Menæis Mss. ubi insuper* Parampambo *accedit et* Calodote *mulier conjugata, quæ est decima tertia, quæque etiam annuntiatur in Menæis impressis, sed seorsum. Elogium laudatorum Menæorum Latine reddam, sed prius Græce, quia ob defectum interpunctionum vocesque barbaras, et præsertim quia nomina propria non inchoantur per litteras majusculas, subinde de recta interpretatione dubitari potest; quia conjecturis in verum hic inquirendum. Poterit igitur, quiscumque meam non admittet interpretationem, suam substituere. Hisce præmonitis, verba Græca subjungo.*

horum elogium ex Menæis Mss.

3 Ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτήρων φαύστου πρεσβυτέρου, βίβου διακόνου καὶ μονάζοντος, διονυσίου ἀναγνώστου, κυριακοῦ ἐπακολούθου τοῦ μακαρίου φαύστου, ἀνδρονίκου στρατιώτου, θεοκτιστου ναυκλήρου, μακαρίου πολιττυομενοῦ, ἀνδρέου κουρεκτοριανοῦ, σαραπάμβονος βολευτοῦ, κυριακοῦ δημότου, ἀνδροπελαγίας καὶ θεοκλῆς παρθένων ἀδελφῶν, καὶ καλοδότης γυναικὸς κύρου ἐνκυμονούσης. Οὗτοι ἐμαρτήρησαν ἐπὶ τῆς βασιλείας δεκίου ἐν ἀλεξανδρία πόλει τῆς αἰγύπτου συσχεσθέντες παρὰ βαλεριανοῦ κουρίκτορος καὶ ἡγεμόνος, καὶ Διὰ τὴν ἐν Χριστὸν ὁμολογίαν πολλὰ δεινὰ ὑποστάντες τάς κεφαλας ἀπετμήτησαν, ὄντες τὸν ἀριθμὸν δεκα τρεῖς. Certamen sanctorum martyrum Fausti presbyteri, Bibi diaconi et monachi, Dionysii lectoris, Cyriaci acolythi beati Fausti, Andronici

A Andronici militis, Theoctisti naucleri, Macarii reipublicæ administri, Andreæ κουρεκτοριανοῦ, Sarapambonis decurionis, Cyriaci civis, Andropelagiæ et Theoclæ virginum sororum, et Calodotæ uxoris Cyri, quæ erat gravida. Hi adepti sunt coronam martyrii, imperante Decio, in urbe Alexandria Ægypti: capti a Valeriano judice et præside, ac propter fidem Christianam dira multi passi, capite minuti sunt numero tredecim. *Hactenus elogium, cujus interpretationem nonnullis observationibus illustrabo.*

ex cujus textu Græco ostenditur, unum dumtaxat inter illos fuisse Faustum:

4 *Primo unus tantum* Faustus *inter hos Martyres fuisse videtur, quemadmodum unus dumtaxat nominatur* Faustus *in Menæis impressis. Duos quidem* Faustos *recensuit Sirletus in Menologio, quod Latinum fecit; at id solum contigisse existimo ex verbis Græcis male intellectis. Ubi enim legitur* τοῦ μακαρίου Φαύστου *post recensitos* Bibum *diaconum*, Dionysium *lectorem et* Cyriacum *acolythum, non alius videtur* Faustus *martyr designari, sed potius videtur significari, tres laudatos Clericos fuisse* Fausti *presbyteri: nam articulus* τοῦ *ostendit agi de* Fausto *jam ante* B *nominato, idemque rursum insinuatur voce* μακαρίου beati, *quæ nullis Martyribus in toto textu additur. Præterea singulorum Martyrum qualitas exponitur, quod de secundo illo* Fausto *omissum esset, si revera secundus esset: ac demum, cum tredecim numero fuisse dicantur hi Martyres; atque is numerus habeatur sine secundo illo* Fausto, *dubitandum non videtur, quin additus sit ex errore, præsertim cum Sirletus eadem verba Græca habuisse videatur in suo Menologio Græco, ut colligitur ex voce,* Sancti, *quæ* Fausto *secundo apud ipsum præfigitur.*

observationes variæ ad officia horum martyrum:

5 *Secundo nomina Martyrum enumerata non magnam patiuntur difficultatem, quia pleraque satis sunt obvia, omniaque etiam leguntur in Menæis impressis, excepto unico* Sarapambonis *nomine, qui in Menæis impressis omissus, et tamen ad reliquos spectare videtur, tam ob numerum* tredecim *quam ex toto contextu. Tertio quorumdam officia magis dubia sunt ob vocum ambiguitatem aut barbariem. Nam* Macarius *vocatur* πολιτευόμενος: *quæ vox varia significat, ut* magistratum, publica negotia gerentem, reipublicæ administrum, curialem, decurionem, *et plura alia. Vocem genericam Latina item generica expressi, et vocavi* reipublicæ administrum. *Officium* Andreæ *exponitur voce omnino barbara* κουρεκτοριανος. *Existimo vocem derivari a voce Latina* corrector, *quæ Græcis etiam usitata fuit medio ævo. Dubito tamen de significatione et idcirco Græcam vocem reliqui sine interpretatione: nam* corrector *ipse voce* κουρεκτοριανος *non designatur: quia Valerianus ipse erat corrector seu gubernator, ut in eodem elogio dicitur, nec nisi unus corrector erat in Ægypto. Quapropter ea voce designari potest aliquis ex ministris correctoris, vel etiam fungens aliquo officio nobis ignoto, nisi* Andreæ *fuerit cognomen. Qui sequitur* Sarapambo, *dicitur* βολευτής, *quod idem hic esse opinor ac* βουλευτής consiliarius, senator, *ac medio ævo* curialis, decurio, *prout vocem Latine expressi, Demum* Cyriacus *alter* δημότης *scribitur, quæ vox proprie* civem plebeium, *vel* popularem *significat. Feminæ tres, quæ sequuntur, difficultatem non habent: id solum observo,* Calodotam *in Menæis impressis separatam fuisse ab aliis, et male conjunctam Martyribus Militinensibus.*

aliud eorumdem elogium ex Menologio.

6 *Ceterum, cum plura de hisce Martyribus Alexandrinis se mihi non offerant, nisi elogium breve in Menologio Basiliano, istud huc trans-* E *fero:* Sancti martyres Faustus, et Abibus, Decio imperatore, hic diaconus, ille presbyter ecclesiæ Alexandrinæ fuerunt, quo tempore et Fabianus Romæ patriarcha, et Alexander Hierosolymorum, pro Christo martyrium subiere. Retenti igitur ab Alexandriæ præfecto, graviterque torti, quod a Christo deficere nollent, in carcerem truduntur. Rursumque inde educti, compelluntur sacra idolis facere. Sed tantum abfuit, ut ad id faciendum animam inducerent, ut præfectum etiam redarguerent, et idolorum errorem vanitatemque contemnerent. Quamobrem sanctis Viris numero tredecim abscissa capita sunt. Sed sanctæ illorum animæ Christi Dei nostri manibus commendatæ, pro nobis Christianis incessanter intercedunt, et fidelibus imperatoribus nostris adversus inimicos robur, ac vires addunt ad gloriam Christi, pro quo sanguinem fuderunt. *Nomen præfecti hic tacetur. In Menologio Sirletiano vocatur* Valerius, *in Menæis Mss.* Valerianus: *nomen in valde eo tempore erat usitatum illustribus viris apud Romanos, et frequenter aliis nominibus conjunctum. De tempore martyrii magna nequit esse difficultas, si sub Decio fuerint passi: nam sic* F *verisimiliter passi sunt anno* 250, *quo et S. Fabianus Romæ coronatus est; licet etiam pati potuerint anno sequenti.*

C

A D

DE SS. SANCTIANO, AUGUSTINO, BEATA VIRG.

FELICE, AUBERTO MARTYRIBUS

SENONIS IN GALLIA

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Hi Sancti variis modis in Fastis memorati, et simul culti : corporum translationes : Acta trium priorum qualia.

B

Anno CCLXIII aut CCLXXIV. Memoria horum Sanctorum in Fastis et cultus :

Sanctos Martyres, quos in titulo proposui, nullibi omnes simul annuntiatos reperio, nisi apud Saussayum et in Breviario Senonensi ad hunc diem, ubi in præfixo Kalendario ita leguntur :* Sanctiniani, Augustini, Felicis, Auberti, et Beatæ virg. martyrum. *Lectiones vero Breviario anni* 1625 *insertæ de tribus fere tantum agunt, et brevissimam* Felicis *et* Auberti *memoriam eo modo in fine addunt, ut insinuare videantur, hos duos non simul cum aliis tribus Martyribus passos fuisse, sed aliis adjunctos, ut omnium simul ageretur festivitas. In codice Usuardino Pratensi tres ex hisce Martyribus, de quibus Acta sunt scripta, in margine additi leguntur his verbis :* Senones * sanctorum germanorum Sanctiani et Beatæ et sancti Augustini episcopi. *Quam antiqua sint hæc verba, non edixit editor hujus Martyrologii; sed in margine tantum legi notavit. In plerisque codicibus Usuardinis ad* XXIX *Junii annuntiatur* Beata *aliqua, sed diversimode : credunt tamen Sollerius et editor Martyrologio Usuardini Pratenses, annuntiatam esse ab ipso Usuardo his verbis :* In territorio Senonico, Beatæ virginis. *Dubitari potest, an hæc* Beata, *quæ ab aliis* Benedicta *vocatur, eadem sit cum illa, de qua agitur in Actis edendis.*

* al. Senonis

C

S. Beata, de qua Usuardus agit ad XXIX Junii,

2 *Papebrochius ad* XXIX *Junii disputavit de* Beata *vel* Benedicta *illa, quam memorat Usuardus; sed magis eo propendet, ut credat* Beatam *istam non esse sororem* S. Sanctiani. *Verum cum perspiciam Papebrochium in eam inclinasse opinionem, quia Acta* S. Sanctiani *non satis attente consideravit, et duas Sanctas in iis memoratas, nimirum S. Columbam et* S. Beatam, *non distinxit, non dubito quin mutaret sententiam, si viveret; mecumque crederet* Beatam *illam, etsi* XXIX *Junii sola referatur, probabilius sororem esse* Sanctiniani. *Observat enim ex testimonio Claudii Castelli* sub nomine S. Beatæ haberi Senonibus in suburbano pervetustam ecclesiam cum crypta, ubi festum propter concurrentiam natali Apostolorum agatur VI Septembris, die S. Sanciani, quem Saussayus putat ejus fuisse fratrem. *Agnoscit eamdem quoque germanitatem affirmari a Clario seculi* XII *scriptore. Quapropter si eam in Actis legisset, et in Breviario Senonensi; haud dubie isti sententiæ acquievisset, saltem ut probabiliori. Decepit Papebrochium præfatio, in qua hæc leguntur :* Hic denique pretiosus martyr (Sanctianus,) ætate florens juvenili, cum beata Columba virgine egregia, et sanguinis propinquitate sibi connexa, et aliis pluribus ab Hispaniis, fugitans diræ persecutionis acerbitatem, Galliarum nobilissimam urbem Senonum attigit *etc. Mox S. Columbæ martyrium breviter perstringitur, et nihil de* Beata *in præfatione dicitur. Hac occasione, quantum conjicio, vocem* Beata *deinde adjective sumpsit Papebrochius, festinanter tantum cetera percurrens, quod crederet in iis nihil reperiri ad propositum suum conducens.* E

probabilius eadem est cum Beata S. Sanctiani sorore.

3 *Certum tamen est ex num.* 5 Beatam *a Columba in Actis distingui, et sororem dici* S. Sanctiniani. *Non aliam quoque esse* Beatam, *quæ ab Usuardo refertur* XXIX *Junii, quam* S. Sanctiniani *sororem, admodum est verisimile.* Beatam *tamen solam ad* XXIX *Junii annuntiant Castellanus in Martyrologio universali, et auctor anonymus in nupero Martyrologio Parisiensi, iidemque* Beatam *silent ad* VI *Septembris, acsi credidissent eam nihil spectare ad* Sanctianum, *quem hodie ambo memorant; prior quidem sine ullo Socio, alter cum S. Augustino in hunc modum :* Senonis, SS. Sanctiani et Augustini martyrum. *Saussayus totam Martyrum classem, prout in Breviario Senonensi præterito seculo erant conjuncti, his verbis expressit :* Apud Senonas natalis sanctorum martyrum Sanctiani, Augustini, Felicis et Auberti, ac Beatæ virginis itidem purpuratæ. *Verum dum in elogio omnes itineris et martyrii Socios facit, tam Actis edendis quam Officio Senonensi utcumque repugnat : nam in Officio insinuatur,* Felicem *et* Aubertum *serius passos; in Actis vero de iis omnino tacetur.* F

Officii lectiones

4 *Quapropter lectiones ex laudato Officio, quibus continetur Actorum compendium, huc transfero :* Insignis Sanctianus cum beato Augustino ab Hispaniis se movens, una cum sua sorore virginis Beata nomine, aliisque pluribus usque Senonas, quæ est Galliarum metropolis, pervenit. Dum ergo Sanctianus cum sociis loca sanctorum martyrum orationibus insistendo frequentaret, et eorum ecclesiarum limina tereret, perlatum est ad aures Aureliani pervicassimi cæsaris, quod ipsi essent Christiani. Aurelianus autem furiarum aculeis instigatus, præcepit sibi eos adduci, et interrogato de nominibus eorum et genere,

A genere, dixit ipse imperator: Quem Deum colitis? Illi quasi ex uno ore clara voce responderunt: et Dominum Jesum Christum se colere confessi sunt.

ex Breviario Senonensi,

5 Aurelianus dixit. Intucor vos florentes ætate juvenili et ideo moneo vos, ut a cultura Christianitatis recedentes, diis meis grata libamina exhibeatis, et in aula mea summo honore vos reddam decoratos, et muneribus ditatos. Dignus puer Sanctianus respondit: Nos famuli Christi in fide radicati et fundati, et sacro baptismate tincti, tuis verbis omnino non acquiescemus, neque cultores idolorum tuorum efficiemur. Execramur enim prophanæ religionis culturam, et idola humana manu fabricata contemnimus, et Deum, qui in cælis habitat, corde et ore profitemur. Si, inquit ille, deorum meorum cultores non efficiamini, capitalem mox incurretis sententiam. Sanctianus, Augustinus, et Beata virgo dixerunt quasi ex uno ore: Inimice veritatis Aureliane, promissiones pœnarum tuarum spernimus, atque fallaces divitias, quas promittis.

B

quæ Actorum sunt compendium.

6 Imperator Aurelianus ira furoris commotus, ore nephario dixit: Hos omnes, qui deos meos spernunt, et mihi multimodas injurias verborum irrogaverunt, capitalem imperamus subire sententiam. Tunc sanguinei carnifices sanctos Dei una cum socia sibi virgine Beata extra muros civitatis eductos, in loco, qui nunc dicitur AD MARTYRES, gladio eorum capita amputant. Qui beatas animas cum triumpho martyrii transmittunt ad cælos. Corpora autem Sanctorum inibi tumulata sunt a Christianis, qui tunc latenter Christum colebant. Evoluto temporis longo intervallo, ædificata est ecclesia super horum Sanctorum membra ab incolis hujus civitatis. Viri etiam devotissimi Felix, et Aubertus, Sanctorum consortes effecti sunt per martyrium, optante Domino, cui est honor, et gloria in æternum.

Translatio corporum ad monasterium S. Petri Vivi, quæ secunda est:

7 *Odorannus monachus in Chronico S. Petri Vivi, quod seculo* XI *scripsit, referens ad annum* 883 *mortem Ansegisi archiepiscopi Senonensis, hæc deinde subjungit:* Hujus *(Ansegisi)* temporibus corpora SS. martyrum Sanctiani atque

C

Augustini de villa, quæ dicitur Sancceias, a Fratribus jam dicti loci *(id est, a monachis S. Petri Vivi Senonensis)* et presbytero ejusdem, nomine Eudaldo, translata sunt in eodem monasterio VIII Kal. Jul. *Clarius in Chronico S. Petri Vivi de eadem translatione sic habet:* Videns itaque domnus Ansegisus archiepiscopus ita destrui circumquaque ecclesias, pretiosum Christi martyrem Sancianum transtulit de villa, quæ ex ejus nomine Sanceïa vocatur, in basilicam sancti Petri, cum corpore sancti Augustini martyris, qui ibi quiescebat, Eodaldo ipsius villæ presbytero. Transtulit etiam idem subsequenti tempore corpus S. Beatæ virginis in eamdem ecclesiam. *Hanc autem translationem ex villa Sanceïa ad monasterium S. Petri Vivi alia translatio præcessit, prout asseritur in Actis num.* 9.

primæ et secundæ translationis tempus:

8 *Etenim satis verisimilia sunt, quæ in Actis traduntur de prima trium Martyrum sepultura, videlicet sepultos esse in loco, qui vocatur* AD MARTYRES: *inde vero translata esse sacra eorum corpora post destructam ecclesiam, quæ supra sepulcrum eorum fuerat ædificata. Hanc translationem seculo* VIII *factam omnino existimo, quia prima illa ecclesia dicitur destructa per Wandalos, id est, per Saracenos: nam Saraceni a Gallis scriptoribus illius temporis, quo hæc Acta scripta videntur, sæpe* Wandali *nominantur, iidemque anno* 731 *vel* 732 *usque ad urbem Senonensem populabundi pervenerunt, ut videri potest tom.* VI *Augusti pag.* 96 *et seq. in S. Ebbone archiepiscopo Senonensi. Qua de causa admodum verisimile apparet, translationem contigisse post vastitatem suburbanis Senonensibus per Saracenos illatam, id est, non diu post annum* 732. *Duplicem igitur trium horum Martyrum translationem agnoscimus, primam, non diu post annum* 732; *alteram tempore Ansegisi præsulis, id est, annis non multis ante annum* 883, *quo Ansegisus supremum diem obiisse scribitur. Petrus Mathoud in Opusculo de vera Senonum Origine Christiana cap.* 2 § 3 *scribit translationem hanc contigisse anno* 876.

AUCTORE J. S.

primus sepulturæ locus diu etiam in veneratione fuit

9 *Primus tamen sepulturæ locus in veneratione fuisse videtur saltem usque ad seculum* XII, *quo Chronicon S. Petri Vivi scribebat Clarius. Hic enim de eo loco hæc memorat:* Est autem ipse locus, ubi decollati sunt, quasi duobus millibus ab urbe juxta silvam in quodam monte. Fuit autem ecclesia ibi ab antiquis in honore ho- E rum Sanctorum ædificata, sed tempore Paganorum fuit destructa. Est adhuc ibi crux lignea posita pro Sanctorum reverentia, ubi quoddam miraculum nostris temporibus evenit. Quidam juvenis et quædam juvencula illic nocturno tempore advenientes, voluptatem suam voluerunt adimplere; qui statim defuncti sunt subitanea morte. Alio quoque tempore Warinus quidam miles injuste auferebat sancto Petro quamdam terram, in quam dum pransurus advenisset, monachi ejus adventum audientes, corpus sancti Sanciani accipientes illuc detulerunt. Ille enim * equum suum ascendens, obviam illis venit, comminans illos, ne ingrederentur in terram suam. Monachi vero fiduciam habentes in Deo, constantes stabant. Pro nihilo ergo computans virtutem Martyris, voluit percutere feretrum. Mox vero ut tetigit, percussus a Deo in terram cecidit contractus toto corpore, multos postea vivens annos in ipso languore: frater vero ejus arreptus a dæmone continuo expiravit: cernentes hoc cæteri in fugam sunt conversi. Post hæc nemo fuit ausus ex ejus progenie aliquam calumniam in terram S. Petri inferre. Vocatur F autem ipse locus AD MARTYRES, eo quod Pagani martyres illic decollare soliti erant. *Malim credere nomen ab hisce Martyribus ortum.*

* *forte* etiam

Acta sub finem seculi VIII *aut* IX *seculo scripta;*

10 *Acta horum Martyrum huc olim missa sunt* ex Legendario Senonensi, *ubi notantur haberi tom.* 6. *Titulus hic legitur inscripto exemplari præfixus:* Vita sancti Sanctiani Sociorumque ejus. *Acta hæc scripta esse post primam corporum translationem et ante secundam, verisimillimum est, quia in iis prima translatio breviter narratur, secunda vero siletur. Itaque exarata sunt aut seculo* VIII *multum provecto, aut probabilius currente jam seculo* IX, *cum prima translatio non narretur ut nuper facta, sed ut dudum præterita. Hæc autem ætas magnam Actorum scriptori auctoritatem conciliare nequit; nec methodus scribendi supplere potest ætatis defectum cum multa de aliis Sanctis referat a proposito suo aliena, in iisque secutus videatur traditiones populares. Suspicor tamen auctori in iis, quæ de* Sanctiano *et Sociis refert, præluxisse monumenta quædam antiquiora, ideoque præcipua martyrii et translationis capita probabilia existimo.*

11 *Porro*

AUCTORE J. S.

nec ea antiquiora probat Mathoud: nec indubitatam eorum ostendit fidem.

11 *Porro assignatæ Actorum antiquitati videtur utcumque repugnare, quod laudatus Clarius dicit, se non potuisse reperire* Passionis horum Sanctorum, ... quæ tempore Paganorum (*Saracenos designat aut Normannos*) fuerunt incensæ. *Verum tanta non est Clarii diligentia, ut hæc Acta exstare non potuerint ejus tempore, eumque latere. Hugo Mathoud in Dissertatione de vera Senonum Origine Christiana cap.* 2 § 3 *hæc Acta longe antiquiora facit, et* germanæ fidei *esse contendit; respondens ad argumentum, quod contra Acta objici potest ex Clario, qui de* S. Augustino *ita habet:* Narrant etiam antiqui de isto sancto Augustino, quod fuerit archiepiscopus Treviris, orationisque causa ad sanctum Martinum devenerit, et fessus a labore, hospitandi gratia in illa villa Sanceïa diverterit; ibique agrotans diem extremum clausit, sepultusque est juxta tumulum Sanciani martyris. *Assentior laudato scriptori,* Augustinum *non videri episcopum fuisse, nedum archiepiscopum Trevirensem, etsi id etiam ex Clario habeat Robertus Autissiodorensis in Chronico; sed potius habendum pro martyre et socio* S. Sanctiani *secundum*
B *Acta. Attamen Acta ipsa seculo* VIII *aut* IX *antiquiora credere nequeo; nec ausim dicere ea esse* germanæ fidei. *Si Acta integra luci publicæ exposuisset Mathoudus, forte minus fidenter eorum fidem commendasset aut antiquitatem.*

ACTA

auctore anonymo

ex Legendario Senonensi.

PRÆFATIO

Præfatio scriptoris, qui S. Columbæ

Qui aliquid utile vel honestum meditando de profundis cogitationibus cordis sui; sive de thesauro priscarum scripturarum divinarum
C conatur in prospectu legentium pauca proferre, pro viribus æquam materiam debet assumere, ne currente rota volubili eat retro finis: debet etiam assiduo oratu Dei summi, vel illius Sancti opem implorare, de quo scribere sua
a sponte vel sui superioris impulsa *a*, ut invitatus infusione sancti Spiritus desideratum condigne valeat aggredi ad perficiendum incœptum opus. Ad beati igitur Sanctiani præclari martyris gesta explicanda non ex toto, sed ex aliqua parte manus stolidæ articulos ad describendum applicare
b ausi, ut veridica fama vulgante concivibus *b*, Christo rectore, ipso vero Martyre adminiculante, extendimus enarrare. Hic denique gratiosus Martyr ætate florens juvenili cum beata Co-
c lumba *c* virgine egregia, sanguinis propinquitate sibi connexa, et aliis pluribus ab Hispaniis, fugitans diræ persecutionis acerbitatem, Galliarum nobilissimam urbem Senonum attigit; et
d ibi sub Aureliano *d* crudelissimo tyranno, qui Romanorum imperio solus potiebatur, martyrii coronam diu sibi desideratam adipisci promeruit. Et eadem ipsa jam dicta virgo jussu ipsius sævissimi principis milliario ab urbe Senonica gladio cæsa cum martyrii palma occubuit.

2 Post Severum etenim nequissimum imperatorem, qui beatum Andelum *e* subdiaconum D crudeli morte interemit; nam caput ejus in quatuor partes secuit, et cathena pedibus jam defuncto colligatis plumbo infuso, cum maximo lapide in Rhodani fluminis amnem projecit, ut in ejus passione poteris reperire: hic Aurelianus *f* nequior nequissimo in persecutione Christianorum in imperio Romano successit. Exiens vero a Roma infestus Christianis Aurelianus, partes Galliarum peragrans Lingonas *g* sanctum Symphorianum *h* et sanctos geminos Speusippum Eleusippum et Meleusippum cum avia sua Leonilla martyrio trucidavit, et ad superos cælicolas per effusionem pretiosi sanguinis transmisit. Porro beatum Benignum *i* magnificum presbyterum Divione castro, quod ipse truculenta bellua a solo ædificare *k* jusserat, lanceæ ictu peremit et martyrem gloriosum populis Gallicanis effecit. Idem autem atrocissimus persecutor Christiani nominis Aurelianus sanctorum martyrum sanguinem sitiens, etiam in loco, qui Sude-Locus * dicitur antiquitus, clarissimos martyres Audochium et Thyrsum *l* martyrisavit, et angelicis cœtibus consociavit. E

et multorum aliorum martyrium

* Saulieu Gallis.

breviter perstringit.

3 Adveniens autem furore sæviens Trecas, beatum Patroclum *m*, et sanctum Savinianum, qui nunc habentur duo luminaria civitas, diversis tormentatos pœnis, ad cælorum regna cum gaudio transmeare fecit. Autissiodoro denique in silva, quæ nuncupatur Pusceia, missis satellitibus suis, sanctum Priscum cum plurima multitudine ferro cecidit, et in putei immanis profunditatem projici imperavit. Quidam vero Christianus caput beati Prisci *n* latenter afferens quatuor millibus juxta civitatem Autissiodorum in quodam abdito loco recondidit, et ibidem diu incognitum mansit. Longo autem post tempore evenit, jam Christiani nominis gloria longe lateque coruscante, et beato Germano viro apostolico cathedræ ecclesiæ ipsius præsidente, qui ejusdem patriæ præ cæteris episcopis decus extitit, ut illi ipsi clarissimo præsuli ab angelo sancto revelaretur, ut eo loco venerabile caput absconsum perquireret, et ecclesiam ibidem construeret. Qui dicto citius sanctæ revelationi operam studiose dans, non segnis operator extitit; et ecclesiam condignam martyri præclaro F ædificavit *o*. Super Igauna *p* vero fluvium idem paganissimus cæsar sanctum Sydronium eximium martyrem in pago Senonico martyrio consummavit; et corpus ejus martyris in devexo monticulo super ripam ipsius alvei a Christianis decentissime humatum ibidem quiescit, ecclesia ipsius in honorem desuper a populo ædificata.

ANNOTATA.

a *Adde* desiderat, *vel quid simile.*

b *Vox hæc obscure et ambigue adeo erat scripta, ut fuerit divinandum.*

c *S. Columba, ut Senonis sub Aureliano imperatore passa, Martyrologio Romano adscripta est die* 31 *Decembris, ubi de ea agi poterit.*

d *Aurelianus imperator Christianos persecutus est, in Gallia fuit anno* 273, *et iterum anno* 274. *Alterutro anno locandum S. Columbæ martyrium, uti et Martyrum, de quibus Acta præcipue sunt conscripta.*

e *Acta S. Andeoli, sub Severo imperatore passi, ad* 1 *Maii data sunt, in iisque cap.* 3 *de secto Sancti capite, et corpore in Rhodanum projecto, similia leguntur. Verum Acta illa non sunt*

scriptoris

A *scriptoris coævi aut accurati, ut observavit Henschenius in Commentario prævio.*

f *Aurelianus non statim Severo substitutus est imperator, sed multi alii fuerunt intermedii; interque hos aliqui Christianorum persecutores. Verum scriptor imperitus videtur deceptus a Warnahario, qui in Actis SS. Speusippi et Sociorum, apud nos editis tom.* I *Januari, pag.* 77 *Aurelianum Severo clare substituit.*

g *Per* Lingonas *verisimiliter auctor intelligit Lingonum metropolim, Gallice* Langres *nunc dictam, ubi Speusippus, Eleusippus, Meleusippus cum Leonilla et aliis martyrio coronati leguntur. Potest tam etiam totus Lingonum pagus utcumque intelligi.*

h *De S. Symphoriano actum est ad* 22 *Augusti. At hic Sanctus non Lingonis, sed Augustoduni; nec sub Aureliano, sed sub Marco Aurelio Martyrium subiit. Sub eodem Marco Aurelio item probabilius passus est Speusippus cum Sociis hic memoratis. Verum auctor indiligens ex ante laudatis S. Speusippi Actis hos omnes erroris hausit: nam ibidem plerique martyres hic memorati dicuntur passi sub Aureliano:* B *in iis etiam mentio fit Symphoriani sanati divinitus, et postea martyris; quem hac occasione ab auctore etiam Lingonas ab Augustoduno translatum suspicor.*

i *S. Benignus Romano Martyrologio insertus est,* I *Novembris, diciturque ibidem Divione passus, sed etiam sub Marco Aurelio, Auctor rursum secutus est Acta S. Speusippi, ubi cap.* 3 *martyrium S. Benigni breviter refertur. Plura de hoc Sancto ad* I *Novembris.*

k *Utrum Divionem primus exstruxerit Aurelianus, an vero instauraverit dumtaxat, ut vult Valecius in Notitia Galliarum, hic non disputo.*

l *De SS. Andochio et Thyrso, quibuscum passus est Felix, agetur ad* 24 *Septembris. Occisi sunt prope Augustodunum, sed locus varie scribitur. Horum quoque martyrium probabilius reducendum erit ad tempora Marci Aurelii, licet in laudatis S. Speusippi Actis, et alibi sub Aureliano dicantur passi.*

m *Acta S. Patrocli data sunt ad* 21 *Januarii: Acta quoque S. Saviniani aut Sabiniani* C *Trecensis ad* 29 *ejusdem mensis. Ea consuli possunt, et dicta utroque loco de his Sanctis, qui revera sub Aureliano videntur passi.*

n *De S. Prisco ejusque Sociis, Cociaci in agro Autissiodorensi passis tempore Aureliani, consule dicta ad* 26 *Maii, ubi et Acta sunt edita.*

o *De revelatione capitis S. Prisci, reliquisque hic relatis, consuli possunt laudata S. Prisci Acta cap.* 2 *: sed omnia ibi referuntur modo nonnihil diverso, nec facile dixero, utri monumento major debeatur fides.*

p Igauna *vel* Icauna *fluvius, Gallice* l'Yonne *dictus, oritur in ducatu Burgundiæ, urbemque Senonensem præterlabitur, ac deinde in Sequanam influit. Acta S. Sidronii, sed plane fabulosa edita sunt ad* XI *Julii, ubi occisus dicitur Sanctus* super fluvium Igone, *voce quidem corrupta, eumdem tamen fluvium indicante. Hactenus auctor multa non necessaria ad propositum suum de aliis Sanctis collegit; ideoque hæc omnia dedi tamquam præfationem, ut relata de* Sanctiano *et Sociis conjungantur.*

A. ANONYMO.

CAPUT UNICUM

Relatio martyrii, sepulturæ et translationis.

S. Sanctianus cum Sociis ex Hispaniis Senonas perlatus,

Insignis igitur Sanctianus martyr, ut jam prælibatum est, ab Hispaniis se movens cum beato Augustino, et sorore sua virgine Beata, et nobilissima æque virgine Columba, aliisque pluribus usque Senonas, quæ est Galliarum metropolis, perveniens; aliquanto tempore cum præfatis virginibus inibi commorans, martyrii palmam, quam se evasisse (ut humana natura se habet) existimabat, consequi promeruit. Namque avito tempore beatus Petrus princeps Apostolorum a Roma beatos præsules Savinianum et Potentianum *a* ad urbem Senonicam dirigens, ut in gestis illorum passionis reperitur, eandem metropolim martyrii sui confessione illustrem fecerunt. E Qui infra muros civitatis tres ecclesias *b* parvo sumptu construendo ædificaverunt, unam in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, alteram in honorem sancti Joannis Baptistæ, tertiam in honorem sancti Stephani primi martyris, qui in terris positus Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei in cælis contemplari meruit.

cum iisque comprehensus, fidem confessus,

5 Dum ergo venerandus Sanctianus cum Sociis loca sanctorum martyrum orationibus et jejuniis insistendo assidue frequentaret, et eorum ecclesiarum limina tereret; perlatum est ad aures Aureliani pervicacissimi cæsaris, quod ii, qui talibus operibus se exercerent, essent Christiani. Qui furiarum aculeis instimulatus, et sanguine Sanctarum temulentus, eos e vestigio sibi adduci præcepit: et torvo vultu eos intuens, in hæc verba prorupit: Nominum vestrorum intimate vocabula. Sanctus Sanctianus respondit: A parentibus Sanctianus nomen mihi impositum est: hic autem vocitatur Augustinus: hæc vero, quæ et mea soror est, Beata vocatur. Tunc Aurelianus beatam Columbam *c* a consortio coæqualium congregari præcipiens, sine interrogatione proprii nominis mandat eam F carcerali custodiæ mancipari: quam postea (ut in passione ejus reperies) decolari fecit. Ad beatum vero Sanctianum conversus Aurelianus, dixit: Estisne indigenæ istius civitatis? an ab exteris nationibus huc adventastis? Beatus Sanctianus respondit: Hispano sumus genere oriundi, spectabili progenie. Imperator dixit: Quem Deum colitis? Illi quasi ex uno ore responderunt clara voce: Patrem colimus ingenitum, et Filium ejus unigenitum Jesum Christum, et Spiritum sanctum; tres Personas et unum Deum.

nec blanditiis flexus

6 Cæsar dixit: Hujus confessio nominis penes nos nullius est honoris nec amoris. Bonæ indolis adolescens Sanctianus respondit: quia non est vera in te sapientia, quæ Christus est, idcirco ignoras ea, quiæ Dei sunt. Aurelianus dixit: Intueor florentes vos ætate juvenili, et ideo moneo vos suasibilibus verbis, ut ab hac cultura Christianitatis recedentes, diis meis grata libamina exhibeatis: et in aula mea vos gratanter enutritos summo honore vos reddam decoratos, et muneribus amplifice ditatos, efficiam locupletes et claros. Dignus puer Sanctianus respondit: Nos famuli Christi, in Christo radicati

A. ANONYMO. cati et fundati ab ipsis pene cunabulis, et sacro baptismate tincti, tuis falsidicis et deceptoriis verbis omnino non acquiescimus : neque deorum tuorum cultores usquam efficiemur : execramur enim prophanæ religionis culturam et idola humana manu fabricata, aurea vel argentea, lignea, lapidea, vel gypsia, quæ sunt dæmonum habitacula, contemnimus : et Dominum, qui in cælis habitat, corde et ore profitemur. Imperator dixit : Miror te tam puerilis ætatis Adolescentulum tam proterve et audacter contra principem orbis terrarum loqui, et a deorum meorum injuriis linguam tuam criminosam non refrænare. Sanctianus Dei puer respondit : Cur te principem orbis terrarum inaniter esse jactitas? cum illum Deum ignores, qui totius mundi fabricator extitit, et pugillo suo terram continet, et palmo limbum maris et orbis metitur : et quidquid cæli continetur ambitu, disponit numero, mensura et pondere, quoniam hæc omnia suo continentur nutu.

B *nec minis : sed tyrannum acriter cum Sociis reprehendens,*

7 Aurelianus respondit : Multa verborum copia tibi subministratur; verum si deorum meorum immortalium cultor simplex cum tuis Sociis non efficiaris, capitalem mox subibitis sententiam, ut fiatis exemplum omnibus, qui sunt pessimi contemptores et sacrorum meorum perfidi rebelles. Tunc beati martyres Sanctianus, Augustinus et Beata virgo dixerunt, velut ex uno ore loquentes : Inimice veritatis, Aureliane tyranne, qui multa Sanctorum corpora variis angorum generibus dilaceras, animas autem illorum sanctissimas omni fæce peccatorum purgatas tenere non potuisti, promissiones pœnarum tuarum omnimodis spernimus, et fallaces divitias, quas promittis, quæ nec tecum diu permanere possunt, tamquam stercus in medio platearum contemnimus; quoniam cælestium divitiarum nos possessores esse omni spe et fiducia speramus. Tu etenim in brevi tempore in profundum inferni demergendus eris, ubi recipies congruas pœnas pro tuis operibus malignis, ubi habentur omnes dii, quos fallaciter pro Deo vero colis, igneis cathenis religati et duriter constricti, qui nec sibi valent auxiliari, nec quidquam misericordiæ suppeditare : qui enim omnium hominum nequissimorum nequiores extiterunt adulteriis, et fornicationibus et incantationibus, et omnis spurcitiæ in omni sua maligna vita inventores et executores permanserunt, tibi, omnium hominum miserrime, quomodo succurrere possunt? His ergo in proximo volens nolens sociaberis, ut prædictum est a nobis. Est enim dignissimum, ut, quos imitatus es vivendo, particeps fias et pœnarum ipsorum in futuro.

C

cum eis damnatur ad mortem. Omnes capite minuuntur,

8 Tunc in ira furoris commotus imperator Aurelianus et nimia ira fremens, quem vix capiebat aula furentem, in hæc verba protulit sententiam, ore nefario dicens : Hos omnes, qui sacra deorum meorum superbiendo spernunt, et mihi multimodas injurias verborum irrogarunt, ad incutiendum timorem mortis cum reliquis crucicolis omnibus pessimæ religionis capitalem imperamus subire sententiam. Tunc sanguinei carnifices Sanctos Dei, una cum socia sibi virgine Beata, eductos extra muros civitatis duobus fere millibus in loco, qui nunc usque dicitur AD MARTYRES, gladio illorum capita amputant et beati sanguinis unda perfusos gaudenter cum martyrii triumpho transmittunt ad cælos. Acta sunt hæc in civitate Senonensi sub Aureliano sceleratissimo Romanorum principe, octavo Idus Septembris. D

sepeliuntur vero corpora a Christianis, ac postea transferuntur.

9 Corpora autem Sanctorum Martyrum inibi, tumulata sunt a paucissimis Christianis, qui latenter ob timorem sævæ persecutionis cultores erant Christianæ decentissimæ religionis. Evoluto vero longi temporis intervallo disponente Deo sedata persecutione Paganorum, cœpit Ecclesia sancta in regione florere, et secure loca sanctorum Martyrum circuire. Tunc ædificata est ecclesia super horum sanctorum membra ab incolis hujus civitatis opere lapideo, ut testantur fundamenta, quæ nunc usque sunt patentia in eodem loco. Vandalorum *d* vero rabies insana peragrans Gallias, multas Christi subvertens ecclesias, etiam hanc est ex toto demolita coæquans illam solo, ut cernitur usque modo. Transacta persecutione memorata, transportata sunt Sanctorum præfatorum corpora a loco supradicto, qui dicitur AD MARTYRES, in alio loco, qui nuncupatur SANCEIAS, ibi in proximo, ibique recondita sunt, ædificata a populo desuper ecclesia. A nomine autem sancti Sanctiani vocatur usque in præsens locus ipse SANCEIA S *f*. E

ANNOTATA.

a *SS. Sabinianus et Potentianus Martyrologio Romano inscripti sunt ad* 31 *Decembris, ubi examinari poterit, an ad ipsis Apostolis missi sint in Galliam : nam hæc Acta non satis antiqua sunt aut accurata ad id probandum.*

b *De erectis per S. Sabinianum ecclesiis ad ejus Acta disputabitur.*

c *Constat de martyrio S. Columbæ Senonensis. An vero cum hisce Martyribus ex Hispania venerit, ac cum iisdem simul comprehensa fuerit, inquirendum erit ad* 31 *Decembris.* F

d *Per* Vandalos *intelligi Saracenos, observavi in Commentario num.* 8.

e *De translatione et loco vide ibidem dicta num* 7 *et* 8.

f *Addit alia quædam auctor de interpretatione nominis* Sanctiani, *et de reditu Aureliani in Italiam, funestaque ejus morte, cui præmittit martyrium S. Alexandri Papæ et aliorum, qui integro seculo et ultra citius coronati sunt. Nolui his chartam implere, quia plane inepta sunt et a proposito aliena.*

DE

DE S. COTTIDO, VEL QUOTTIDO DIACONO

ET SOCIIS MARTYRIBUS, INTER QUOS FORSAN EUGENIUS

IN CAPPADOCIA

J. S.

Ex Martyrologiis.

Cottidus in Hieronymianis annuntiatus cum Sociis,

Hieronymiana apud Florentinium hodie ita habent : In territorio Cappadociæ civitate Reaten natalis sancti Quottidi cum Sociis suis. *Consonat fere Corbeiense ibidem in annotatis :* In territorio Cappadociæ civitate Readden natalis S. Cottidi cum Sociis suis. *Antverpiense locum martyrii magis immutat, et Socios omit-*
B *tit hoc modo :* Cappadociæ civitate Teriaten natalis Cuttidi. *Usuardus codices priores secutus videtur : nam in genuino textu, omissis Sociis, ut sæpe alias, sic habet :* Item Cappadociæ urbe Reaten, sancti Cottidi diaconi. *Rabanus ex Sociis unum videtur nominare, cum hæc in eo legantur :* In territorio Cappadociæ, civitate Ructensi, natale S. Cuttidi, Eugenii episcopi, et Sociorum ejus. *Certe Galesinius, secutusque Baronius ita intellexit hunc locum, quando Martyrologio Romano inseruit sequentia :* In Cappadocia Sanctorum martyrum Cottidi diaconi, Eugenii, et Sociorum, *licet titulum* episcopi *non attribuerint* Eugenio, *forte quod ipsis minus verisimile esset, episcopum commemorari post diaconum. Attamen incertum esse existimo, utrum Rabanus voluerit* Eugenium *annuntiare tamquam socium* Cottidi, *an vero tamquam martyrem separatum cum Sociis suis; præsertim cum post* Eugenium *dicat,* Et Sociorum
C EJUS, *ubi Latine dicere debuerat*, et Sociorum EORUM, *si Socios anonymos* Eugenio *simul et* Cottido *voluisset adjungere.*

inter quos subinde recenseri videtur S. Eugeniu :

2 *Hæc ratio fortius urgeret, si accuratius esset impressum Rabani Martyrologium. Baronio contra favet, quod locus non varietur, atque idcirco* Eugenius *eidem Cappadociæ loco videatur adscribi. Sed neque id certum est argumentum pro Baronio, cum subinde locus martyrii omittatur apud Rabanum. Baronio partim suffragantur alia Martyrologia antiqua, quæ* Eugenium *annuntiant in Cappadocia, partim adversantur, eum alibi annuntiando, aut omittendo. Augustanum apud nos post tom.* VII *Junii sic habet :* Cappadocia, Eugenii episcopi. Gutti *. *Labbeanum vero :* Capad. Custi. * Eugenii episcopi. *Accedit* Antiquissimum, *ut vocatur, apud Martenium tom.* 3 *Anecdotorum col.* 1559, *quod habet :* Cappadocia Eugenii episcopi, *omisso* Cottido. E
Hæc tria non parum favent sententiæ Baronii, præcipue quia etiam priora Martyrologia Socios attribuunt Cottido. *Verum refragatur Richenoviense apud nos, in quo hæc leguntur :* In Cappadocia civitate Teriatina, natale sancti Guttidi. Alibi, sancti Eugenii. *Rhinoviense omittit cum aliis* Eugenium, *et* Cottidum *sic memorat :* In Cappadocia civitate Teriatin, natal. sancti Guttidi.

* Cottidi

* Cottidi

sed dubitatur, an is Cottidi Sociis sit annumerandus, et in Cappadocia passus.

3 *Vides, opinor, studiose lector, non omnino certum esse, quid statuendum sit de* Eugenio. *Addi potest et alia ratio, qua augeatur difficultas certi aliquid statuendi. Quippe Albigenses in Gallia hodie colunt* S. Eugenium *Carthaginensem episcopum, tamquam eo die defunctum Viancii in agro Albigensi, ita ut quis existimare possit, hunc annuntiari apud Rabanum. In quidem non admodum verisimile apparet ob celebritatem S. Eugenii Carthaginensis, de quo plura videtur fuisse dicturus Rabanus, si eum annuntiasset. Verumtamen ob allegatas dubitandi rationes; non ausim certo edicere, inter Socios* Cottidi *fuisse* Eugenium *aliquem : licet alias appareat probabilius*, Eugenium, *eodem die annuntiatum, esse distinctum ab Eugenio Cartha-* F *ginensi. Hac de causa* Eugenium *dubitanter titulo inserui, et titulum* episcopi *sic omisi, ut tamen nolim asserere episcopum non fuisse. Locus martyrii æque obscurus est : nullibi enim in Cappadocia apud geographos invenitur* Reaten, *aut* Readden, *aut* Teriaten, *ut in variis exemplaribus appellatur. Hinc prudenter Baronius in Martyrologio locum martyrii solum posuit in* Cappadocia. *Demum martyrii tempus prorsus incertum est, ac ne ipsum quidem martyrium in Fastis antiquis asseritur; sed satis ex voce* natalis, *ac ex Sociis adjunctis colligitur.*

DE

A D

DE S. FRONTINIANO MARTYRE

ALBÆ POMPEIÆ IN ITALIA

J. S.

SYLLOGE

S. Frontiniani memoria in solis Fastis neotericis, sed cultus antiquus :

Sanctum Frontinianum *martyrem hodie annuntiat Ferrarius in utroque catalogo, testaturque eum coli Albæ Pompeiæ in ducatu Montis-Ferrati ad Tanarum fluvium.* Frontinianum *quoque memorat Castellanus in Martyrologio universali, et quidem gemino die, nimirum ad* VI *Septembris, et iterum ad* VI *Octobris. In Fastis antiquis Sanctum hunc non reperio, de cultu tamen abunde constat. Quippe prope Albam abbatia exstat pervetusta, nomine* S. Frontiniani *insignita, in qua corpus ipsius olim fuit servatum, donec anno* 1455 *translatum est ad ecclesiam cathedralem Albensem in qua hactenus servatur, ut infra magis exponam. Nulla igitur dubitatio est de antiquo et legitimo cultu* S. Frontiniani *: at vehementer miror tam diversa scripta esse de die festivitatis, ut tres diversos dies reperiam assignatos ab iis scriptoribus, qui loco tam vicini fuere, ut singuli videantur rem facile cognoscere potuisse. Quippe Hyacinthus Baresianus in Vita Italica Margaritæ Sabaudicæ pag.* 154 *affirmat,* S. Frontinianum *festivo Officio coli in ecclesia Albensi die* VII *Augusti. Ughellus tom.* 4 *Italiæ sacræ recusæ col.* 283 *eamdem festivitatem remittit ad* VI *Octobris. Ferrarius vero tribus locis testatur, Sanctum colidie* VI *Septembris, ad quem apud nos remissus est in Prætermissis die* XIX *Februarii : nam eo die Sancti translatio memoratur a Ferrario in Catalogo generali.*

elogium ex antiquo Officio Ms. ;

2 *De Actis hujus Sancti eadem ex antiquo Officio Ms. recitant Ferrarius et Ughellus. Ea, licet non sint magni momenti, aut potius non satis certa, huc transfero ex Ughello :* Frontinianus Carcassone in Gallia Christianis parentibus ortus, a primæva ætate pie educatus, postea cum litteris et religione floruisset, diaconus ordinatus est. Quo in munere cum vigiliis, eleemosynis, precibus, sacrisque lectionibus insisteret, sanctitatis suæ magnum specimen dedit. Nam Romæ ad sanctorum Apostolorum sepulcra veneranda cum Cassiano comite profecturus, muto loquelam et cæco lumen mirabiliter restituit. Ubi ad Rhodanum flumen pervenissent, navis, quæ in alto pelago submersa fuerat, eorum precibus ad ripam incolumis appulsa est. In reditu ad patriam, apud Albam Pompeiam puellam a dæmone oppressam liberarunt. Quo miraculo parentes cum suis omnibus credentes in Christo, sacro lavacro expiati sunt. Id præfectus impius indigne ferens, satellites suos mittit, S. Frontinianum Alba cum socio, ut Carcassonem reverteretur, egressum comprehendunt, ac in Christianæ fidei confessione fortiter persistentem capite plectunt. Cujus corpus a Christianis sepultum, in ecclesia cathedrali religiose asservatur : ejusque natalis hac die sexta Octobris anniversaria celebritate colitur.

3 *Cetera sine ulla fere mutatione leguntur apud Ferrarium; at omissa ibi* sexta Octobris; *nec diem illam in Officio inventam existimo, sed ab Ughello additam : vix enim credi potest adeo hallucinatum esse Ferrarium, qui Officium Ms. ad se missum fuisse testatur, ut Septembrem pro invento in Officio mense Octobri tribus locis substituerit, præsertim cum post scriptum primum Catalogum moneri per Albenses potuerit, si in mense errasset. Porro hic scriptor in Catalogo generali ad* VI *Septembris de Actis datis ita loquitur :* Acta instar Responsoriorum, quibus olim ea ecclesia *(Albensis)* in hujus Sancti festo utebatur, accepimus manuscripta, potius inter apocrypha rejicienda. *In priori Catalogo de tempore martyrii conjecturam suam sic exprimit :* Nulla temporis, neque Cassiani *(socii)* exitus mentio in Officio Ms. ad nos transmisso fit. Verisimile tamen est, Frontinianum persecutione adhuc in Christianos perdurante passum esse. *Conjectura hæc tanto incertior est, quanto minus constat de veritate Actorum : nam* Frontinianus *etiam pati potuit tempore Longobardorum : imo, si consideremus abbatiam fuisse conditam in loco, ubi occisus creditur, probabilius apparebit, seculo* VI, VII *aut* VIII *passum esse Sanctum, quam tempore imperatorum gentilium, maxime si huic considerationi addamus silentium Fastorum antiquorum. Paucos enim reperimus primorum seculorum martyres in Fastis prætermissos, quorum deinde celebrata est memoria : plures vero reperiuntur medio ævo, quorum obscura memoria tandem e tenebris erupit.*

in quo non videntur certa omnia: ætas item incerta :

B C E

4 *De sepultura* S. Frontiniani *Ughellus post datum elogium ita scribit :* Porro ea, quæ de sepultura dicuntur, ita sunt accipienda, ut corpus ipsius manserit eo ipso loco, in quo a Christianis conditum fuit, in ecclesia scilicet in illius memoriam dicata, cui deinde addita fuit nobilis abbatia monachorum S. Benedicti, quoadusque ipsa abbatia episcopali mensæ unita, corpus vero ejusdem in ecclesiam cathedralem translatum fuit. *Franciscus Augustinus ab Ecclesia in Opusculo de Cardinalibus ac præsulibus Pedemontanæ regionis pag.* 179 *ait, abbatiam* S. Frontiniani *fuisse* olim Ordinis S. Benedicti et deinde Cisterciensis. *Idem pag.* 307 *abbates illius monasterii aliquot recensens, de eo hæc præmittit :* In Albensi diœcesi vix primo ab ipsa civitate lapide cernitur pervetusta S. Frontiniani ecclesia, olim Cisterciensis Ordinis non obscura abbatia, quæ deinde episcopali mensæ ejusdem civitatis cum Martyris titularis in cathedralem translatione unita fuit; sed quando hæc unio facta fuerit, hactenus non reperi. *Factam unionem paucis annis post corpus translatum, tradit Augustinus Lubin in Abbatiis Italiæ pag.* 5.

S. Frontiniani antiqua abbatia,

F

5 *Baresianus in Vita Margaritæ Sabaudicæ pag.* 153 *asserit, corpus ab abbatia ad ecclesiam cathedralem translatum anno* 1455, *die* XIX *Februarii.*

ex qua corpus translatum ad cathedralem Albensem :

AUCTORE J. S.

A *bruarii. Eadem in Alarino episcopo Albensi de hac translatione scribit laudatus Ughellus col.* 290, *cujus verba subjungo :* Ceterum ante annum suæ mortis, hoc est MCDLV, XI Kalendas Maii *(lege* Martii) translatum fuit corpus S. Frontiniani ex ecclesia abbatiæ ipsius in ecclesiam cathedralem Albensem per venerabiles dominos, presbyterum Andream de Tornatoribus de Garesio, et presbyterum Martinum de Vitia canonicos, nec non Petrum Boussanum massarium dictæ ecclesiæ. Ipsumque sacrum corpus collocatum fuit in armario super altari, ipsi sancto Frontiniano noviter exstructo, in dicta ecclesia S. Laurentii, in sacello magno a parte dextera. *Baresianus primum e canonicis non* Andream, *sed* Amedæum *vocat, secundum vero* Marcum. *Tertium nominat* dominum Petrum Baresano, *dicitque fuisse illius ecclesiæ* massaro. *Vocem hanc non explicuit Ughellus. At illa jam variis locis exposita est in Opere nostro. Tom.* 2 *Martii pag.* 493 *hæc leguntur :* Nunc fere nomine Massarii Quæstor capitularis, sive, ut vocant, Thesaurarius intelligitur, ab archidiacono diversus : B quandoque et gazophylax seu sacræ supellectilis custos. *Ultimo modo hic verisimiliter sumitur, cum agatur de translatione reliquiarum, quarum cura etiam spectat ad custodem sacræ supellectilis. Displicuit quidem ea expositio vocis* Massaro, *aut* Missarius, *Clarissimo Muratorio, qui eam tom.* 2 *Antiquitatum Italiæ col.* 1245 *improbat, et* Massaro *unice exponit* Caput familiæ rusticanæ : *at dubito, an vir eruditus satis expenderit contextum totum loci assignati. Sane neque eo loco neque hic vox* Massaro *exponi potest de capite familiæ rusticanæ, ut quilibet facile videbit, modo adjuncta consideret. Præterea consuli potest recusum nuperrime Vocabularium Italicum academicorum della Crusca ad vocem* Massaro *aut* Massaio ; *ubi data expositio etiam legitur.*

abbatia quoque episcopatui Albensi unita : reliquiæ ali quæ Sancti

6 *Ughellus in Bernardo Alarini successore de abbatia* S. Frontiniani *unita episcopatui Albensi sic habet :* Quo *(Bernardo, quem anno* 1456 *ad cathedram promotum dicit)* sedente, abbatia S. Frontiniani a Pio II episcopali mensæ unita fuit. *Hoc igitur contigit circa annum* 1459: *nam Pius II Pontifex creatus est* XIX *Augusti anni* 1458, *et Bernardus Albensis episcopus in necrologio obiisse dicitur anno* 1460, *vocaturque ibidem* episcopus Albensis, ac commendatarius perpetuus abbatiæ S. Quintini, et abbatiæ S. Frontiniani. *Laudatus ante Franciscus Augustinus ab Ecclesia pag.* 180 *aliam corporis* S. Frontiniani *translationem memorat seculo* X. *Recensens enim inter episcopos Albenses* Fuchardum *(ab Ughello* Flocardus *vocatur) ex monacho Bremetensi dictæ ecclesiæ præfectum, de eo hæc addit :* Qui Gezoni abbati Novaliensi corpora SS. Frontiniani et Sylvestri contulit, ut in Historia Novalesiæ. *Verum ex verbis Chronici Novaliciensis, quæ adduxit Ughellus col.* 285, *satis colligitur, non agi de totis corporibus, sed de reliquiarum parte, quæ ad abbatiam Novaliciensem, in Valle Segusina ad radices montis Cinisii sitam, translata dicitur.*

olim translatæ ad abbatiam Novaliciensem.

7 *Quapropter verba Chronici subjungo :* In illis diebus, dum Gezo abbas adveniret in Albam civitatem, quidam episcopus nomine Fulcardus contulit ei duo magna pignora, scilicet SS. Frontiniani et Silverii. * Receptis autem pignoribus, dum ad Tanagrum fluvium advenisset, E aqua divisit se in duas partes, et domnus Gezo transivit per siccum in medio ejus. Ideo hoc irrationabilis creatura egit, ut patefaceret, quibus meritis apud Deum obtinent Sancti, ut nec vectoris humida faceret vestimenta. Is Fulcardus nostrum dilexit locum, quia monachus fuit. *Ita in Chronico ipso col.* 741 *legitur apud Muratorium, qui illud edidit tom.* 2 *Scriptorum Italiæ part.* 2 : *at contextus apud Ughellum non parum luxatus est. Laudatus mox editor in præfatione observat, Chronicon istud scriptum videri circa annum* 1050 ; *sed non carere narrationibus fabulosis. Non ausim igitur spondere pro veritate miraculi hic relati; sed minus dubitandum videtur de reliquiarum parte translata ad abbatiam Novaliciensem, quæ eo tempore celebris erat; at nunc a paucis monachis Fuliensibus inhabitatur.*

* *apud Ughellum* Silvestri

C

DE SANCTA IMPERIA

F

IN VICO MAUPROUVOIR APUD PICTONES

IN GALLIA

J. S.

Cultus Sanctæ apud Pictones :

De S. Imperia *in Martyrologio Gallicano tom.* 2 *pag.* 1251 *mentionem fecit Saussayus ex monumentis ecclesiæ Pictaviensis serius acceptis, hæc scribens :* S. Imperia (saincte Impere) quæ virgo an martyr fuerit, nescitur. Festum habet VI Septembris : et parœcialem ecclesiam in vico de Mauprouvoir diœcesis Pictaviensis ; ubi sita est abbatia S. Salvatoris de Carrofo. *Hæc repetiit Peyronet in Catalogo Sanctorum pag* 409 *et* 483, *addens tamen* S. Imperiam *unam esse* e patronis diœcesis Pictaviensis, *et vel lapsu memoriæ vel errore typothetæ festivitatem Sanctæ perperam referens ad* XXVI *Septembris. De* festivitate B. Imperiæ virginis, *ut ibi vocatur, mentio fit tom.* 2 *Galliæ Christianæ col.* 578 *occasione sepulti abbatis S. Augustini Lemovicensis, ibique festum etiam connectitur cum* VIII Idus Septembris. *Ex festivitate autem apud Lemovicenses memorata colligitur, ibi etiam aliquando cultam fuisse* S. Imperiam.

corpus ubi servatum :

2 *Dubitari potest, an corpus* S. Imperiæ, *aut certe quædam ejus reliquiæ non fuerint conservatæ in diœcesi Lemovicensi. Nam Gaufredus prior Vosiensis, qui scripsit circa finem seculi* XII, *in Chronica sua apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Mss. pag.* 286 *agens de Sanctis diœcesis Lemovicensis,* Imperiam *memorat his verbis :* Monasterium de Charmis beata decorat Imperia. *Deinde Bernardus Guidonis apud laudatum Labbeum tom.* 2 *pag.* 632 *scribens item de Sanctis diœcesis Lemovicensis, ita habet :* Sancta Imperia monasterium de Charnix honorando decorat. *Verum*

AUCTORE J. S.

Verum cum non inveniam ullum monasterium de Charmis *aut* de Charnix *in diœcesi Lemovicensi, vix dubito quin nomen istius monasterii sit luxatum; cumque abbatia* Carrofum *(Gallis* Charroux*) non longe distet a diœcesi Lemovicensi, utpote sita ad fluvium Carentonum in pago Briocensi*, vehementer suspicor hanc ipsam fuisse designatam a laudatis scriptoribus.*

* de Briou

gesta et ætas ignota.

3 *Prior enim pag.* 285 *dicit, se recitaturum* nomina eorum, qui in toto episcopatu præclariores habentur. *Alter profitetur pag.* 629 *se etiam daturum* nomina quorumdam Sanctorum, qui fuerunt de Lemovicensi oriundi, aut conversati in eadem, *licet corpora eorum alibi conservarentur. Itaque, cum teste Saussayo, cui etiam accedit Castellanus,* S. Imperia *etiamnum colatur et ecclesiam parœcialem habeat* in vico Mauprouvoir prope abbatiam Carrofensem *hanc voce luxata indicatam fuisse existimo. Ceterum laudatus Castellanus* S. Imperiam *vocat* mulierem maritatam. *Hanc ipsius conditionem unde cognoverit post alios, qui de ea nihil præter cultum didicerant, quamque certo asseruerit ejus matrimonium, prorsus ignoro: nam ne tempus quidem, quo vixit, ullibi scriptum reperio.*

DE SANCTO SAPPHIRO

J. S.

AD S. JULIANUM DIOECESIS BITURICENSIS

IN GALLIA

Cultus Sancti, et locus, in quo colitur:

Solus *Castellanus in Martyrologio universali hodie annuntiat* S. Sapphirum *(Gallice* Saffier*) confessorem* in vico S. Juliani propè Bituriges in archidiaconatu Sicaloniæ. *Nihil vero de hoc Sancto nosse potui præter cultum, de quo mihi pauca perscripsit R. P. Berthier Societatis nostræ, unus e scriptoribus diarii Trivultiani et continuator Historiæ ecclesiæ Gallicanæ. Testatur ille sibi ex civitate Bituricensi perscripta sequentia; nimirum* S. Sapphirum *secundarium esse patronum parœciæ S. Juliani ad Carum fluvium prope oppidum Villam Francam (Gallice* Ville Franche.*) Olim* S. Sapphirus *patronus erat vicinæ ecclesiæ parœcialis in loco* Vallette *dicto. Verum destructa illa ecclesia, parochia translata est ad prioratum S. Juliani, ibique* S. Sapphirus *patronus factus est secundarius.*

reliquia omnia ignota.

2 *Porro ignoratur in dicta parœcia, quo Sanctus ille vixerit tempore: nec notum esse intelligo, utrum fuerit martyr an confessor, episcopus an abbas; repræsentari vero in picta tabula ecclesiæ S. Juliani cum mitra in capite. Hæc tabula mihi suspicionem ingerit de dignitate episcopali aut abbatiali: sed nihil certi potest statui, quia nescitur, quanta sit tabulæ auctoritas aut vetustas. Hac de causa amplissimus dominus decanus ecclesiæ cathedralis Bituricensis, qui hæc ipse declaravit, quando novum Breviarium Bituricense fuit compositum, propriam* S. Sapphiro *fecit antiphonam, quod ignoraret, cui Sanctorum ordini ipsum adscriberet. Ceterum hinc collige,* S. Sapphirum *coli in diœcesi Bituricensi.*

DE S. PETRONIO EPISCOPO

VERONÆ IN ITALIA

J. S.

SYLLOGE

Sec. v. post medium. Sancti cultus et breve elogium:

Sanctum Petronium *episcopum Veronensem hodie annuntiat Martyrologium Romanum his verbis:* Veronæ sancti Petronii episcopi et confessoris. *Eadem verba habet Galesinius, eademque repetiit Castellanus, sed hic notat in margine, incognitum esse omnibus Fastis præcedentibus, quod verum est de Martyrologiis editis et passim notis, quamvis alioquin de legitimo* Petronii *cultu nullum sit dubium. Quippe Augustinus Valerius antistes Veronensium in Antiquis monumentis episcoporum Veronensium generalim primo, et deinde singulatim, probat cultum triginta sex episcoporum Veronensium, inter quos recensetur* S. Petronius. *Deinde fol.* 41 *tali eum celebrat elogio:* S. Petronius, Veronæ episcopus, vir fuit admirabili vitæ sanctitate, eximia doctrina, et singulari quadam eloquentia. Hujus Episcopi temporibus Dei cultus mirifice in ecclesia Veronensi amplificatus est: miracula etiam edidit quam plurima. Obiit octavo Idus Septembris: sepultus est in basilica sancti Stephani. *Hæc omnia adoptavit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad* VI *Septembris, ubi hanc addidit annotationem:* Corpus in æde S. Stephani una cum corpore S. Andronici et aliorum conditum est, ut tabula antiqua marmorea indicat. *Servatum deinde fuisse in eadem ecclesia corpus* S. Petronii, *probat laudatus Valerius fol.* 10 ex tabula marmorea,... ex tabula vetusta, ex membranis,... ex arca marmorea,... ex Francisco Corna, et ex tabula Sanctorum die VI Septembris.

floruisse videtur post medium seculi v.

2 *Vitam* S. Petronii *nullam exstare, aut certe nullam, quæ accurate scripta sit, colligo ex Aloysio*

AUCTORE J. S.

A *Aloyso Lipomano Veronensi item episcopo, qui in præfatione tomi 4 Vitarum Sanctorum se excusat, quod non ediderit Vitas Sanctorum Veronensium, faleturque Vitas eorum aut scriptas non esse, aut indignas, quas ederet, licet alioquin in insigni illa ecclesia, eodem teste,* XXXIII episcoporum sanctorum celebris agatur memoria, et anniversaria festa cum solennibus Missis recolantur. *Itaque gesta hujus Sancti parum sunt nota, nec plura de iis inquiram: sed paucis solum examinabo, quo fere tempore videatur floruisse. Si talis est successio episcoporum Veronensium, qualis recensetur apud Ughellum tom.* 5 *Italiæ sacræ, a qua alii catalogi non longe recedunt, episcopus fuit* Petronius *trigesimus primus et successor S. Manii, seditque seculo* V, *ac verisimiliter obiit post medium istius seculi, cum inter* S. Petronium *et S. Simplicium, qui circa finem ejusdem seculi floruit, unus tantum ponatur medius S. Cerbonius. Hieronymus Dalla Corte in Historia Veronensi part.* I *lib.* 4 *pag.* 197 *scribit* Petronium *Manio successisse seculo* IX*: at non dubito, quin longe a vero aberret: nam catalogus episcoporum Veronensium seculis* VI, VII, VIII *et* XI *plenior est apud Ughellum, successioque episcoporum iis seculis magis probata, quam ut probabile fiat, Manium et* Petronium *seculo* IX *sedisse, præsertim cum utrique locus sufficiens sit seculo* V, *quo passim locantur ab aliis.*

DE SS. DONATIANO, PRÆSIDIO

MANSUETO, GERMANO ET FUSCULO CONFESSORIBUS,

B

AC LÆTO MARTYRE

E

EPISCOPIS IN AFRICA

SYLLOGE HISTORICA

J. L.

§ I. Martyrologia; Acta ex S. Victore Vitensi; episcopi confessores in eadem, in qua Sancti, persecutione passi.

Post annum CDLXXXIII. Elogia in Martyrologiis

In *Martyrologio Romano parvo hodie memoria celebratur* confessorum Donatiani et ceterorum. *Unum dumtaxat martyrii laurea et quatuor confessionis gloria insignes episcopos* S. Donatiani *socios nominavi, quia non plures ei*

C *adjungunt Ado, Usuardus et alii martyrologi; licet omnium dux Romani parvi auctor per vocem* ceterorum *plures intelligere potuerit, de quibus inferius sermo redibit. Adonis hæc est annuntiatio:* Apud Africam beatissimorum confessorum et episcoporum Donatiani, Præsidii, Mansueti; Germani, Fuscoli, qui persecutione Wandalica apud Africam jussu Hunnerici regis Ariani pro assertione Catholicæ veritatis durissime fustibus cæsi et exilio damnati sunt. Inter quos etiam episcopum, nomine Lætum, strenuum ac doctissimum virum, post diuturnos carceris squalores incendio concremavit. Tunc etiam decreto publico per diversas provincias executores dirigens, episcopis quasi ad concilium Carthagine congregatis, una die universas ecclesias Africæ clausit, universamque substantiam episcoporum et ecclesiarum suis episcopis condonavit. *Omnia fere Adonis verba transcripsit Notkerus.*

classicis, ac cepta ex fide dignissimo S. Victoris Vitensis Opere;

2 *Usuardus elogium Adonianum hoc modo contraxit :* In Africa beatorum confessorum et episcoporum Donatiani, Presidii, Mansueti, Germani, Fuscoli, qui pro assertione Catholicæ veritatis dirissime cæsi et exilio eliminati sunt. Inter quos etiam episcopus, nomine Letus, strenuus atque doctissimus vir, post diuturnos carceris squalores incendio concrematus est. *Solius Martyrologii Romani, quo nunc utitur Ecclesia, textum adjungo, licet ab Usuardino parum differat.* In Africa sanctorum episcoporum Donatiani, Præsidii, Mansueti, Germani et Fusculi, qui in persecutione Wandalica jussu Hunnerici regis Ariani F pro assertione Catholicæ veritatis dirissime cæsi, exilio eliminati sunt. Inter quos etiam episcopus, nomine Lætus, strenuus atque doctissimus vir, post diuturnos carceris squalores incendio concrematus est. *Ado, quem juniores martyrologi sunt secuti, suum de Sanctis elogium accepit ex Wandalicæ sub regibus Genserico et Hunerico persecutionis Historia, a S. Victore episcopo Vitensi pie fideliterque conscripta. Auctorem istum appello* sanctum, *quia hunc ei titulum sufficienter vindicavit noster Cuperus tom.* IV *Augusti a pag.* 628. Episcopum Vitensem, *non* Uticensem *agnomino; quia non hujus, ut multi putarunt, sed illius sedis antistitem fuisse, extra omne dubium ponitur ibidem pag.* 629 *et seq. Dein pag.* 630 *demonstratur, sanctum scriptorem Historiam suam litteris mandasse anno* 487, *id est, tribus quatuorve annis post* SS. Donatiani *et Sociorum confessorum exsilium ac* S. Læti *martyrium, uti ex dicendis palam fiet. Aureum S. Victoris Opus typis Parisiensibus anno* 1694 *in lucem prodiit opera et studio noti eruditis Ruinartii; cujus editione utar, utpote ceteris accuratiore.*

3 *Rex*

AUCTORE J. L. *e quo huc transferuntur*

3 *Rex Hunericus, Arianorum erroribus addictissimus, rem Catholicam in Africa barbara immanitate affligere cœpit, cum S. Eugenius episcopus Carthaginensis ordinatus esset, quemadmodum patet ex S. Victoris Historia lib.* 2 *num.* 3 *et seqq. apud Ruinartium: qui in Commentario historico de Persecutione Wandalica cap.* 8 *num.* 2 *illius consecrationem anno circiter* 481 *consignandam esse ostendit. Persecutionis ab Hunerico motæ primordiis enarratis, S. Victor ibidem a num.* 8 *usque ad* 13 *egregia Christianæ fortitudinis exempla proponit, videlicet* episcopos, presbyteros, diaconos et alia Ecclesiæ membra, id est, quatuor millia nongentos septuaginta sex: *qui, postquam angustis carceribus non tam inclusi quam acervatim congesti et ipsis in sordibus quasi sepulti fuissent, ad horribilis eremi exsilium a Mauris abducti fuere; in quod tamen omnes non pervenerunt, cum multi in itinere varie excruciati obierint. In Martyrologio Romano Baronii illustre istud partim Confessorum partim Martyrum agmen ad* XII *Octobris annuntiatur, ad* 4966 *contractum, licet in laudata Historia editionis Ruinartianæ,* B *Romano parvo, Adone, Usuardo et Notkero numerus* 4976 *clare exprimatur. Exsilium et martyrium passi fuere anno circiter* 482. *Ob rationem num.* 14 *adferendam sanctum nostrum* Donatianum *inter laudati agminis Confessores fuisse credo: qui quam gravia in teterrimis carceribus, in itinere ad exsilium atque in exsilio ipso incommoda pertulerint, hic sigillatim non commemoro; quoniam S. Victoris ea exacte describentis narratio data fuit tom.* III *Julii a pag.* 498, *ubi de S. Eugenio episcopo Carthaginensi agitur, et ad* XII *Octobris haud dubie recudetur.*

certamina nostrorum

4 *Tantus Catholicorum exsilio et martyrio affectorum numerus præludium fuit majoris persecutionis.* Cogitat *Hunericus, inquit S. Victor num.* 13, acriora adversus Ecclesiam Dei, ut qui membra aliqua absciderat, totum laniando perderet corpus. *Ea de causa Orthodoxis universæ Africæ episcopis edicto imperat, ut cum Arianis de fide disputaturi, et Filium Patri consubstantialem ex sacris Litteris probaturi, Carthagine conveniant* ad diem Kalendarum Fe- C bruariarum proxime futurarum. *Datum autem fuit edictum* sub die decimo tertio Kalendas Junias, anno septimo regni Hunerici, *qui erat Christi* 483. *Cum edictum præsules Catholici suscepissent, S. Eugenius Carthaginensis coëpiscoporum nomine communique consilio respondit, non Africæ dumtaxat, sed ecclesiarum totius orbis causam agi, ideoque transmarinos etiam episcopos ad collationem vocandos esse.* Hoc agebat Eugenius, non quod deessent in Africa, qui adversariorum objecta refellerent: sed ut illi venissent, qui alieni ab eorum dominatu, majorem fiduciam libertatis haberent, pariterque oppressionis nostræ calumnias universis terris et populis nuntiarent. Ille autem, qui nectebat dolos, audire noluit rationem, agens argumentationibus crebris, ut quoscumque episcoporum audierat eruditos, variis insectationibus agitaret. Jam ad exsilium Vibianense secundo Donatianum, impositis centum quinquaginta fustibus, miserat episcopum, nec non et Sufetulensem Præsidium, virum satis acutum. Tunc et venerabiles Mansuetum, Germanum, Fusculum et multos alios fustigavit. *Ita S. Victor num.* 15 *et* 16; *qui, paucis interjectis, S. Eugenium cæco cuidam visum restituisse refert, cum festo Epiphaniæ Domini baptismum, pro ecclesiæ Africanæ more, solenni ritu administraret.* D

Sanctorum et aliorum

5 *Dein narrationem suam num.* 18 *ita prosequitur:* Appropinquabat jam futurus dies ille calumniosus Kalendarum Februariarum, ab eodem Hunerico statutus. Conveniunt non solum universæ Africæ, verum etiam insularum multarum *(illi subjectarum)* episcopi, afflictione et mœrore confecti. Fit silentium diebus multis, quousque peritos quosque et doctissimos viros interim separaret *, calumniis appositis enecandos. Nam unum ex ipso choro doctorum, nomine Lætum, strenuum atque doctissimum virum, post diuturnos carceris squalores incendio concremavit, æstimans, tali exemplo timorem incutiens, reliquos se elisurum. Tandem venitur ad disputationis conflictum, ad locum scilicet, quem delegerant adversarii. *Ex iis, quæ in famoso congressu Carthaginensi accidisse narrat S. Victor, sequentia huc solum transfero, quorum mentio recurret num.* 16. Videns *Cyrila, Arianorum pseudo-patriarcha,* Catholicos episcopos ad conflictum magis fuisse paratos, omnino volebat audientiam di versis cavillationibus declinare. Quod ante nostri prævidentes, libellum de fide conscripserant, satis decenter sufficienterque conscriptum, dicentes: Si nostram fidem cognoscere desideratis, hæc est veritas, quam tenemus. *Hic subjungitur dictus libellus, seu professio fidei præsulum Orthodoxorum, quæ Historiæ S. Victoris librum tertium constituit, et in qua ex sacris Scripturis egregie contra Arianos probatur, unam in Deo esse naturam seu substantiam, in tribus Personis subsistentem, ac proinde Patrem et Filium et Spiritum sanctum recte dici consubstantiales.* E

* *al.* exinde superaret

præsulum, quos exsilio aliisque pœnis mulctavit Hunericus:

6 *Librum quartum ita exorditur S. Victor:* Qui *(episcopi Ariani)* cum noster libellus legeretur, oblatum veritatis lumen nequaquam sufferre oculis potuerunt insanientes, vocibus infrementes, graviterque ferentes, quare nos nomine nostro Catholicos dixerimus. Statimque mentientes suggerunt regi de nobis eo quod strepitum fecerimus, audientiam fugientes. Qui eadem hora accensus et credens mendacio, festinavit facere quod volebat. Et jam conscriptum decretum habens, et occulte cum eodem de- F creto per diversas provincias suos homines dirigens, episcopis Carthagine positis, una die universæ Africæ ecclesias clausit, universamque substantiam episcoporum et ecclesiarum suis episcopis munere condonavit, *omnesque cujusvis conditionis Catholicos, nisi ante Kalendas Junii veram fidem desererent, iisdem pœnis subjecit, quas olim imperatores adversus Arianos aliosque hæreticos decreverant. Subjicitur impii regis edictum, datum* sub die Kalendas Martias Carthagine *anno* 484. *Deinde enarratur, quam crudeliter quamque indignis modis venerabiles episcopi pro Christi fide ac divinitate tractati, quibus injuriis affecti, qua fraude circumventi, quam durum denique coacti fuerint in Africa vel Corsica exsilium pati. S. Victoris relationem, quam modo paucis attigi, Cuperus ad* XIII *Julii edidit, S. Eugenii episcopi Carthaginensis Actis a num.* 33 *insertam. Ego illustrium istorum præsulum, qui post congressum Carthaginensem varie vexati et in exsilium depulsi fuere, memoriam hic renovo: quia licet ipsis inter hujus diei cœlites locus non concedatur, aliquibus tamen eo non indigni videri possunt. At hac de re pluribus*

A *pluribus agetur, ubi nonnulla præmisero de pretioso sacræ antiquitatis monumento, quod Ruinartius S. Victoris Historiæ aliisque vetustis Opusculis pag. 123 subjecit, quodque in Commentarii decursu identidem citabitur.*

secundum Notitiam ecclesiæ Africanæ in tyranni istius persecutione * Carthaginem

7 *Monumentum, cujus jam statim memini, hunc titulum præfert* : Incipiunt nomina episcoporum Catholicorum diversarum provinciarum, qui Carthagine * ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei die Kalend. Februarias, anno sexto regis Hunerici. *Hunc Catalogum deinceps Notitiam ecclesiæ Africanæ vocabo, quia ab eruditis istud nomen obtinuit. Ruinartius in Notis pag.* 217 *monet, codicem Ms. Laudunensem, quo usus fuit, in titulo mendose habere* anno sexto regis Hunerici; *cum legi debeat* anno VIII; *nam ex S. Victore certum est, Hunericum anno regni sui septimo indixisse collationem Carthaginensem, anno sequente Calendis Februarii celebrandam. In fine Notitiæ præsulum in ea memoratorum summa ita subducitur* : Ac sic fiunt omnes episcopi diversarum provinciarum numero CCCCLXVI.
B *Additur* : Ex quibus perierunt numero LXXXVIII... Permanserunt numero CCCCLXXVIII. *Legendum, ut mox patebit,* CCCLXXVIII. *Sequitur.* : Corsica relegati numero XLVI. Hic relegati numero CCCII. Fugerunt numero XXVIII. Passus numero I. Confessor numero I. *Qui omnes simul accepti constituunt* CCCLXXVIII *episcopos, qui permanserunt. His adjunge* LXXVIII, *qui perierunt, æquabis summam* CCCCLXVI, *primo loco adductam. Si tamen omnes antistites in Notitia allatos seorsum recenseas, invenies tantum* CCCCLXI, *qui nominantur, et duos anonymos in provincia Byzacena, quorum sedes exprimuntur. Sed cum ex jam dictis manifestum sit, numeri* CCCCLXVI *lectionem genuinam esse; relinquitur, ut e Notitia quinque episcoporum et trium sedium episcopalium nomina exciderint.*

pro fide passi fuere episcopi 378, qui in varias classes distribuuntur.

8 *Tillemontius tom.* 16 *Monumentorum ecclesiasticorum pag.* 567 *auctorem Notitiæ per vocem* perierunt *designasse censet præsules, qui persecutioni succumbentes a fide defecerunt. Sententiam Tillemontii aliis, quam ipse adfert, argumentis stabilirem, si id hic necesse arbitrarer. Inter* CCCLXXVIII *episcopos, qui* permanserunt *in fide Ca-*
C *tholica,* XLVI *in insula Corsica etc.* CCCII *in Africa violentum exsilium passi fuere. Postremis* § *sequente accensebuntur* SS. Donatianus *et* Præsidius, *ante collationem Carthaginensem exsulare coacti. De* SS. Mansueto, Germano *et* Fusculo *nihil asseveranter dicam, nise eos exsulasse. Qui, finita collatione, in Corsicam et ad diversa Africæ loca vi abducti fuere, ligna cædere agrosque colere debuerunt, teste S. Victore in fine libri* 4. *Præsules* XXVIII, *quos Notitiæ auctor* fugisse *ait, in voluntarium exsilium secessisse puto, priusquam alii, de quibus agit S. Victor jamjam citatus, vi in illud detruderentur. Hoc certum est illos, quia Catholici erant, sedibus suis extorres vixisse, eorumque ecclesias clausas et bona Arianis tradita fuisse : nam contra omnes promulgatum fuit ferale istud Hunerici edictum, cujus num.* 6 *mentio facta est. Ille unus, qui* passus *dicitur, est noster martyr* S. Lætus. *Etsi ceteri omnes honorificam* confessorum *appellationem mereantur; in Notitia tamen asseritur fuisse* confessor numero I. *Huc Tillemontius citatus eum esse credit, qui inter Numidiæ episcopos septuagesimus sextus ita memoratur* : Domninus Moxoritanus metallo, *id est, ad metalla fodienda damnatus.*

AUCTORE J. L.

Ex illis sex tantum referunt martyrologi juniores auctore Romani parvi, qui multos alios,

9 *Martyrologia Romano parvo recentiora ex episcopis, exsilium aliasque pœnas pro fide passis, qui in Notitia ecclesiæ Africanæ* CCCLXXVIII *numero difiniuntur, ad* VI *Septembris non alios ut Sanctos annuntiant quam* Lætum *martyrem cum confessoribus* Donatiano, Præsidio, Mansucto, Germano *et* Fusculo. *Ceteros tamen non omnino tacitus præteriit Ado, dum illorum elogiis ista subjecit* : Tunc etiam *Hunericus* decreto publico per diversas provincias executores dirigens, episcopis quasi ad concilium Carthagine congregatis, una die universas ecclesias Africæ clausit, universamque substantiam episcoporum et ecclesiarum suis episcopis condonavit. *Hæc vel similia etiam adjunxere Notkerus, Beda Plantinianus et alii juniores martyrologi; at eo omnes modo, ut non secus atque Ado censendi sint noluisse reliquos episcopos tamquam Sanctos commemorare, sed solum voluisse Ecclesiæ persecutoris Hunerici impietatem referre. At quomodo Martyrologii Romani parvi exponenda est hæc annuntiatio* : Confessorum Donatiani et ceterorum? *An ad quinque dumtaxat illius socios restringenda est vox* ceterorum? *In S. Victoris Historia legitur Hunericus post collationis* E
Carthaginensis indictionem, quoscumque episcoporum audierat eruditos, variis insectationibus *agitasse. Primi ex illis laudantur* SS. Donatianus *et* Præsidius *fustibus cæsi et in exsilium pulsi. Proxime sequitur* : Tunc et venerabiles Mansuetum, Germanum, Fusculum et MULTOS ALIOS fustigavit. *Post alia intermedia* S. Læti, *strenui et doctissimi viri, martyrium narratur. Ecce hic* multos alios *præsules eruditos* S. Donatiano *socios adjunxit sacer historicus, ab Adone et sequacibus de eorum et Sanctorum numero exclusos; sed quos ego generali* ceterorum *voce comprehensos fuisse arbitror in Romano parvo, cujus auctor primus* S. Donatianum *cum sociis annuntiavit.*

imo omnes ad 6 Septembris forte voluit anuntiare.

10 *Imo suspicio mihi est, ejusdem Romani auctorem voce* ceterorum *complexum fuisse omnes episcopos, quos Hunericus anno* 483 *ad collationem Carthaginensem evocavit, et veræ fidei causa exsilio aliisque pœnis affecit. S. Victor tria celebrat confessorum agmina ab Hunerico exsulare jussa; videlicet* 4976 *Catholicorum promiscui sexus, ætatis ac conditionis, quorum* F
num. 3 *memini; episcoporum, de quibus nunc sermo est; et omnium clericorum ecclesiæ Carthaginensis cum suo episcopo S. Eugenio, qui numero fuerint* fere quingenti vel amplius, *ut idem S. Victor lib.* 5 *num* 9 *scribit. Ex tribus hisce confessorum classibus nullam invenio in Martyrologiis antiquioribus auctore Romani parvi, qui postremam ad* XIII *Julii ita annuntiavit* : SS. confessorum Eugenii episcopi et universi cleri ecclesiæ *Carthaginensis*; *primam ad* XII *Octobris hoc modo* : Apud Africam sanctorum Confessorum, quatuor millium DCCCCLVI *etc. Quidni et brevi hoc elogio* : Confessorum Donatiani et ceterorum, *nobilissimam illam laudatorum Præsulum turmam referre voluerit, eorum vero quasi ducem constituere* S. Donatianum, *quod a S. Victore primus memoretur, in quem sæviit Hunericus? Quia tamen hæc conjectura valde incerta est, et ceteri omnes martyrologi* S. Donatiano *quinque dumtaxat Socios attribuunt, nec satis certo evincere possim, Adonem, qui eorum numerum primus determinavit, Romani parvi annuntiationem ad nimis paucos restrinxisse, ego illam ad plures extendere non ausim, et*

AUCTORE J. L.

et inter hujus diei Sanctos iis locum dare, quos nullus sacrorum Fastorum scriptor ut tales manifeste proponit. His itaque missis, ad sex nostros Præsules redeo, quos in Ecclesia pro Sanctis haberi et VI *Septembris coli certo constat ex Martyrologiis.*

§ II. Sanctorum Præsulum sedes; variæ in eorum certamina observationes.

Assignantur 4 episcopatus, quorum uni verisimiliter præfuit S. Donatianus :

In *Notitia ecclesiæ Africanæ quatuor episcopi occurrunt, quibus nomen* Donatianus, *nimirum* Vesclitanus *et* Teglanensis *in provincia Numidiæ,* Eliensis *in Byzacena, et* Usinadensis *in provincia Mauritaniæ Cæsariensis. Eorum aliquis idem est cum nostro* S. Donatiano; *si tamen apud Ruinartium mendosus non sit hic S. Victoris locus :* Jam ad exsilium Vibianense secundo Donatianum... miserat episcopum, necnon
B et Sufetulensem Præsidium. *Petrus Franciscus Chiffletius, qui illius historiam Divione anno* 1664 *edidit, variique scriptores, qui locum istum suis operibus inseruerunt, habent* Vibianensem, *adeo ut sensus sit,* S. Donatianum *fuisse episcopum* Vibianensem. *Et sane videri potest S. Victor, uti* Sufetulensem S. Præsidii, *sic et* Vibianensem S. Donatiani *sedem exprimere voluisse. Si ita sit, hic Sanctus administravit episcopatum, aliunde nullis, quod sciam, auctoribus sacram vel profanam Africæ geographiam illustrantibus ne nomine quidem notum ; atque inter præsules, quorum nomina et sedes in Notitia desiderantur, recensendus est. At hoc mea opinione non tam facile statim concedi debet : loci vero* Vibianensis *tanta obscuritas, ut nudum ejus nomen ex solo S. Victore innotuerit, nonnullam suspicionem injicit, illum sede episcopali insignem non fuisse. Ruinartius sanctum Præsulem* ad exsilium Vibianense secundo *missum fuisse scribit, secutus quatuor codices Mss. et duos impressos; in quibus, uti in Notis pag.* 171 *et seq.*
C *videre est,* Vibianense *vel,* Vinianense *habetur. Secundum hanc lectionem, quæ mihi magis placet, Sanctus non distinguendus est ab aliquo ex quatuor* Donatianis, *quorum sedes episcopales ex Notitia ecclesiæ Africanæ adduxi*, Vibianensis *autem exsilii locus in iis solitudinibus Africæ quærendus, in quibus prima vice exsulavit. Adi infra num.* 14.

SS. Præsidii, Mansueti et Germani patris S. Leontiæ M. sedes certæ; at S. Fusculi incerta est :

12 *Inter episcopos provinciæ Byzacenæ vigesimus ita Notitiæ inscribitur :* Præsidius fusetulensis in exsilium *Is ipse est noster* S. Præsidius; *cum etiam S. Victor eum episcopum* Sufetulensem *dicat. Inter dictæ provinciæ Byzacenæ præsules quartus notatur* Mansuetus Afufeniensis, *ac trigesimus primus* Germanus Peradamiensis. *Illi duo procul omni dubio iidem sunt cum nostris* SS. Mansueto *et* Germano *quia utrumque nomen non nisi semel in Notitia memoratur.* Leontia filia sancti Germani episcopi *a S. Victore lib.* 5 *num.* I *laudatur inter Martyres post collationem Carthaginensem anno* 484 *in Africa coronatos, et Fastis sacris ad* VI *Decembris adscriptos S. Leontiam M. nostri* S. Germani, *episcopi deinde Peradamiensis, filiam esse credam, donec alius ejusdem nominis in Africa præsul assignetur, qui sanctæ pater esse potuerit. At cujus sedis antistes fuit*
D S. Fusculus? *Ruinartius] in Notis pag.* 172, Fusculum, *inquit,* reperire non liquit, nisi forte fuerit Filtiosus Aggaritanus, in eadem Byzacena provincia *ab auctore Notitiæ loco vigesimo nono* memoratus. Certe pro Fusculus in Usuardi autographo habetur Fulcolus. *In Usuardinis musei nostri codicibus ubique fere est* Fuscolus, *nullibi* Fulcolus, *ne quidem in Pratensi, quem pro Usuardi autographo PP. Benedictini nuper typis vulgarunt. Cum Romano Baronii* Fusculus *scripsi, quia ita legitur in S. Victore. Si alata Ruinartii conjectura minus arrideat, Sanctum ex omissis in Notitia unum esse puta.*

S. Lætus fuit episcopus Neptensis.

13 *Baronius ad hodiernam in Martyrologio Romano annuntiationem de* S. Læto *martyre istud annotavit :* Fuit episcopus Leptinensis civitatis, ut scribit S. Isidorus *Hispalensis* in Historia Wandalorum. *Pro* Leptinensis *vel, ut alibi est,* Leptensis, *Isaacus Vossius et Philippus Labbeus laudatæ S. Isidori Historiæ editores posuerunt* Neptensis. *Atque hoc verum civitatis, in qua* S. Lætus *M. sedit, nomen esse, tum ex Victoris Tunnonensis S. Isidoro antiquioris Chronico, in quo ad tertium Zenonis augusti consulatum* E
Neptensis ecclesiæ episcopus *vocatur, tum ex Notitia ecclesiæ Africanæ didici, in qua unus dumtaxat* Lætus *occurrit, isque* Neptitanus; *atque inter præsules Byzacenos decimus quartus notatur. Qui eo tempore, quo* S Lætus *martyr* Neptensis *vel* Neptitanus, *utriusque* Leptis, majoris, *scilicet et* minoris, *episcopi fuerint, eadem docet Notitia; in qua inter Byzacenos trigesimus sextus legitur* Fortunatianus Leptiminensis, *id est,* Leptis minoris; *primus vero inter Tripolitanos* Calipides Leptimagnensis, *id est,* Leptis majoris. *Qui plura de hactenus memoratis sedibus episcopalibus scire desiderat, eruditas Ruinartii in sæpius laudatam Notitiam ecclesiæ Africanæ Observationes consulat.*

Singula, quæ S. Victor

14 *Sanctum* Donatianum *sub Hunerico bis exsulasse hisce verbis affirmat S. Victor :* Jam ad exsilium Vibianense secundo Donatianum .. miserat episcopum. *Tyrannus, ut num.* 3 *dictum fuit, anno circiter* 482 *ad exsilium condemnavit* 4976 *Catholicos, quorum aliquos idem S. Victor diserte testatur episcopos fuisse, nominatim ex hisce laudans Felicem Abbiritanum. Ex* F
præsulum istorum numero etiam. S. Donatianum *fuisse judico, et consequenter primum, quod sub Hunerico tulit exsilium, contigisse circa annum* 482. *Ratio est, quia inter consecrationem S. Eugenii episcopi Carthaginensis, qua anno* 481 *peracta, persecutio incepit, et secundum* S. Donatiani *exsilium, quod ultra initium anni* 484 *differri nequit, nullos alios episcopos exsilio mulctatos memorat exactissimus ejusdem persecutionis scriptor, quam qui inter dictos* 4976 *Confessores fuere. Hos omnes, inquit num.* 8, ad exsilium eremi destinavit *Hunericus, eo perducendis a Mauris, qui multos in via, ut num.* 12 *narrat, martyrio affecere* Reliqui ad solitudinis loca perveniunt, in quibus collocati hordeum ad vescendum ut jumenta acciperunt. Ubi etiam venenatorum animalium atque scorpionum tanta esse dicitur multitudo, ut ignorantibus incredibilis videatur. *Si mecum opineris in editione Ruinartii recte legi* ad exsilium Vibianense *bis missum fuisse* S. Donatianum, *et simul admittas, quod prudenter mihi non videtur posse negari, Sanctum prima vice in istis Africæ desertis exsulasse ; etiam fatearis necesse est,* Vibianensem

AUCTORE J. L.

A nensem *exsilii locum situm fuisse in iisdem desertis : quæ alicubi in Mauritania verisimilius collocabis, quod gloriosorum exsulum agmen, cui* S. Donatianum *adjunxi, a Mauris in illa fuerit abductum.*

de omnibus

15 *Ubi Hunericus mense Maio anni* 483 *omnes præsules Catholicos per universam Africam constitutos Carthaginem evocasset, ut collationi* I *Februarii anni sequentis cum Arianis habendæ interessent*, S. Donatianus *rediit ex primo suo exsilio. Rediit quoque S. Felix episcopus Abbiritanus, de quo ad* XII *Octobris agetur : nam in Notitia ecclesiæ Africæ seu Catalogo antistitum Orthodoxorum, qui ex præcepto regio Carthaginem venerunt inter Proconsularis provinciæ præsules secundum locum occupat. Rediit etiam* S. Præsidius, *si* S. Donatiani *in primo exsilio socius fuerit ; quod incertum est. Audi iterum et expende verba S. Victoris :* Jam ad exsilium Vibianense secundo Donatianum, impositis centum quinquaginta fustibus, miserat episcopum, necnon et Sufetulensem Præsidium, virum satis acutum. *Licet obvius hujus loci sensus sit, non modo*
B S. Donatianum, *sed etiam* S. Præsidium *ab Hunerico* ad exsilium Vibianense secundo *fuisse amandatum : dubito tamen, an sensus iste conformis sit menti autoris, qui forte significare tantum voluit,* S. Præsidium *relegatum fuisse* ad exsilium Vibianense *cum* S. Donatiano, *cui soli ejusdem exsilii pœna* secundo *fuerit irrogata. Illud :* Impositis centum quinquaginta fustibus, *ad utrumque Sanctum refero. Eodem tempore* SS. Mansuetum, Germanum *et* Fusculum *fustibus cæsos fuisse scribit S. Victor ; qui paulo post S. Eugenium anno* 484 *in Epiphania Domini cæco visum restituisse narrat. Unde cognoscitur, sanctos Confessores non serius passos fuisse, quam uno circiter mense ante Calendas Februarii, quo die collationem Carthagine haberi jusserat Hunericus.*

memorat,

16 *Quæret hic forte aliquis, ubi quinque sancti Confessores fustibus percussi, et unde priores duo, scilicet* SS. Donatianus *et* Præsidius, *in exsilium missi fuerint ? An Carthagine ? Ita ad utramque quæstionem respondere malim ; quia de plerisque nullum potest esse dubium, quin eorum*
C *nomina habeantur in Notitia ecclesiæ Africanæ seu Catalogo episcoporum,* qui Carthagine * ex præcepto regali venerunt pro reddenda ratione fidei die Kalend. Fabruarias *anno* 484. *Neque obstat, quod uno vel etiam pluribus ante istum diem mensibus exsilio et fustium ictibus puniti fuerint: nam causa, cur citius quam ceteri episcopi Carthaginem advenerint, inter alias esse potuit, quod a S. Eugenio totius Africæ primate acciti fuissent, ut operam suam conferrent ad componendum egregium illum ac satis prolixum contra Arianos libellum de trium Divinarum Personarum consubstantialitate, quem, ut S. Victor supra apud nos num.* 5 *affirmat, episcopi Orthodoxi conscripserunt ante congressum Carthaginensem ; in quo etiam recitatus fuit, aut saltem recitari cœpit. Suspicari licet, dum libellus iste conficiendus erat, advocatos fuisse nostro Episcopos confessores ; cum eorum eruditionem commendet sacer historicus,* S. Præsidium *speciatim laudans ab acumine ingenii. Accersiri etiam potuit* S. Lætus *martyr, quem ille* strenuum atque doctissimum virum *appellat.*

* Carthaginem

discutiuntur

17 *Certum est* S. Præsidium *socium fuisse* S. Donatiani, *pro secunda vice in exsilium abeuntis : sed an hunc quoque comitati fuerint* SS. Mansuetus, Germanus *et* Fusculus, *ex historia S. Victoris non liquet; qui hos tantum fustibus cæsos fuisse testatur, quando priores in exsilium misit Hunericus. Non pulem tamen tres posteriores sanctos Præsules collationi Carthaginensi adfuisse : nam eos viros eruditos esse tyrannus intellexerat, qui, teste S. Victore, circa initium Februarii* peritos quosque et doctissimos viros *ab aliis collationi interfuturis separavit,* calumniis appositis enecandos. *Sed nemini mortem intulit, præterquam* S. Læto, *quem* post diuturnos carceris squalores incendio concremavit; *nam in fine sæpius memoratæ Notitiæ tantum dicitur* passus numero I. *Ratio autem, cur exsilio, carcere, aliisque modis episcopos, quos ad veram fidem contra Arianos propugnandam maxime idoneos noverat, a ceteris separarit, ea sine dubio fuit, quam adfert Baronius in Annalibus ad annum* 484 *num.* 47, *scilicet* ut qui relicti essent ad conventum hujusmodi celebrandum, ut minus periti, dantes manus causa caderent, et sic de fide Catholica impietas Ariana trophæa victoriæ erigeret.

E et observationibus

18 *Licet* SS. Mansuetus, Germanus *et* Fusculus *eodem, quo* SS. Donatianus *et* Præsidius, *tempore in exsilium pulsi non fuerint ; nullum tamen potest esse dubium, quin exsularint : quia omnes totius Africæ episcopos, qui in vera fide perstiterunt, de ecclesiis et sedibus suis dejectos nudatosque bonis omnibus, extorres vivere compulit iniquissima sententia, quam post collationem Carthaginensem exeunte Februario anni* 484 *tulit Hunericus. At ambiguum manet, ad quam exsulum episcoporum classem referendi sint ; an ad eorum, qui ultro sedes suas deseruerunt seu voluntarium in exsilium fugerunt ; an vero aliorum, qui post dictæ sententiæ promulgationem ad insulam Corsicam vel ad diversa Africæ loca exsules vi abducti fuere, coactique vel ligna cædendi vel agros colendi servitutem pati. Quia tamen secundum auctorem Notitiæ, uti num.* 7 *et* 8 *videre est, voluntariorum exsulum exiguus fuit numerus, si hic cum aliorum, quibus violentum exsilium tolerandum fuit, numero comparetur ; his potius quam illis tres sanctos Præsules accensebis ; et faventia etiam habebis Martyrologia, in quibus* exilio damnati, *vel* eliminati *fuisse asseruntur.*

F illustrantur.

19 *Sanctus Isidorus Hispalensis in Historia Wandalorum de* S. Læti *martyrio ita meminit apud Labbeum tom.* 1 *Bibliothecæ Mss. pag.* 71 : Tunc Lætus Neptensis civitatis episcopus, quem contagii labes Ariani maculare non potuit, victor repente cælos obtinuit. *S. Isidoro antiquior Victor Tunnonensis in Chronico ad tertium Zenonis augusti consulatum, qui in annum Christi* 479 *incidit*, Tunc, *inquit*, Lætus Neptensis ecclesiæ episcopus glorioso martyrio coronatur IIX Kalendas Octobris. *Ad hunc diem Castellanus in Martyrologio universali* S. Lætum *seorsum annuntiavit, ejus passionem affigens anno* 479. *Ad* VI *Septembris recte assignarat annum* 484, *quo illum martyrium consummasse ex Historia S. Victoris Vitensis manifestius patet, quam ut id probare sit necesse. Uti annum, ita etiam diem alienum a Victore chronographo determinatum fuisse censet Tillemontius tom.* 16 *Monumentorum pag.* 559, *asserens sibi ex S. Victore historico clarum videri*, S. Lætum *coronatum fuisse mense circiter Februario dicti anni* 484. *At ego nondum satis perspicio, quomodo ex ipsius verbis, quæ num.* 5 *relata considerari possunt,*
clare

AUCTORE J. L.

clare demonstrari queat, errasse Victorem Tunnonensem, dum Sanctum XXIV *Septembris martyrii coronam consecutum fuisse scribit. Apud auctores antiquos neque de sanctorum quinque Præsulum confessorum vita, postquam in exsilium discesserunt, acta, neque de loco, tempore aut mortis genere quidquam inveni. Verisimile non est, quemquam eorum obiisse ante annum* 484, *quo passus fuit* S. Lætus : *atque ideo superius ad num.* 1 *hujus Commentarii in margine posui, omnes* post annum CDLXXXIII *ad vitam feliciorem transiisse.*

Tuto credi nequit, Justinianum imp. hortatu S. Læti Wandalis bellum intulisse.

* martyris facti

20 *Laudatus Victor Tunnonensis in Chronico, quod ad imperium Justini II seu annum* 565 *perduxit, ad quartum Justiani augusti consulatum hæc habet :* Justinianus imp. visitatione Læti episcopi, ab Hunerico Vandalorum rege martyre facto *, exercitum in Africam, Belifario magistro militum duce, contra Vandalos mittit etc. *Similia ex ejusdem Victoris Chronico haud dubie accepta, leguntur apud S. Isidorum Hispalensem citatum. At utroque antiquior Procopius Cæsariensis, qui Constantinopoli degebat, cum bellum adversus Wandalos Justinianus anno Christi* 533 *susciperet, episcopum quemdam* B *Dei monitu ex Oriente illuc advenisse asserit, cujus exhortatione incitatus imperator bellum istud decreverit. Rem ita enarrat Procoponi, a Claudio Maltreto nostro Parisiis anno* 1662 *Græco Latine editus, lib.* 1 *de Bello Wandalico cap.* 10 : Joannis *præfecti prætorio expeditionem dissuadentis* orationi assensus imperator, studium ingens belli remisit. Tum quidam ex ordine sacerdotum, quos episcopos vocant, ab Oriente profectus, habere se dixit, quæ cum augusto communicaret. Ad colloquium introductus, asseruit se a Deo secundum quietem mandata hæc accepisse; ut imperatorem adiret incusaretque, quod cum Africæ Christianos tyrannide exempturum se recipisset, vano deinde metu esset deterritus. At, inquit, hæc dixit Dominus : " Bellanti ipsi adero, subque ejus imperium Africam subjungam ". Quo audito, continere se augustus non potuit, quin milites ac naves cogeret, arma et commeatus pararet ac præciperet Belisario, uti se accingeret ad exercitum, primo quoque die ducendum in Africam. *Bellum successu mire felici confecit Belisarius : nam capta Carthagine devictoque Gelimere ultimo Wandalorum rege, Africam Justiniano subjecit, qui Catholicam in ea religionem pristinum in statum restituit. Sed imperatorem istum ad Wandalos debellandos inductum fuisse* visitatione Læti episcopi, E *ut Victor Tunnonensis scribit, tuto credi nequit, nisi Procopii adversantis gravior auctoritas elevetur.*

DE S. ELEUTHERIO ABBATE

ROMÆ

J. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

Memoria Sancti in Fastis recentioribus: cultus antiquus: nonnulla de gestis, ætate et elogio edendo.

CIRCA AN. DLXXX AUT DXC. *Memoria Sancti in Fastis recentioribus :*

Grevenus et Molanus in additionibus ad Usuardum hodie memorarunt S. Eleutherium *abbatem Spoletinum, sed Romæ defunctum. Hosce secuti sunt Galesinius et Baronius in* C *Martyrologio Romano, quod ita habet :* Romæ sancti Eleutherii abbatis, servi Dei, quem sanctus Gregorius Papa scribit oratione et lacrymis mortuum suscitasse. *Maurolycus eumdem annuntiat his verbis :* Romæ Eleutherii abbatis apud Spoletum tempore beati Gregorii Papæ. *Menardus quoque, Wion, Bucelinus, aliique martyrologi Benedictini* Eleutherium *abbatem ad eumdem diem celebrarunt. In Martyrologio Parisiensi commemoratur eodem die et ornatur hoc elogio :* Romæ, sancti Eleutherii abbatis, qui in monasterio sancti Gregorii vita functus est post multa precibus et lacrymis patrata miracula, ipsique Gregorio restitutam sanitatem. *Secutus est etiam Castellanus in Martyrologio universali, sed addens annotationem marginalem, qua dicitur* S. Eleutherius *abbas* hac die positus *in Romano Martyrologio* occasione S. Eleutherii Papæ, qui in manuscriptis non agnoscebatur titulo episcopi.

quibus non videtur insertus ex errore :

2 *Sane in Hieronymianis apographis die* VI *Septembris annuntiatur Eleutherius aliquis, nec statim in oculos incurrit, quis sit ille Eleutherius. Apud Florentinium in textu Hieronymiani sic legitur :* Romæ via Salaria natalis sancti Eleutheri episcopi. *Ad hæc verba multis disputat* F *Florentinius, utrum designetur S. Eleutherius Papa, an alius sanctus Eleutherius; creditque* Eleutherium *abbatem ea de causa a Galesinio, Maurolyco et Baronio ad hunc diem fuisse commemoratum, quia putabant hunc designari in Hieronymianis; idque etiam de Baronio credidisse Castellanum, insinuant verba ipsius mox data. Verum facile quidem assentior Castellano, Eleutherium Papam esse, qui in plerisque Hieronymianis die* VI *Septembris, aliquando cum titulo episcopi, aliquando sine illo titulo, legitur memoratus idque etiam existimarunt Majores nostri, quando ad diem* XXVI *Maii de Eleutherio Papa disputarunt : attamen idcirco non credo* Eleutherium *abbatem ex solo errore ad hunc diem fuisse relatum; sed commemoratum hac die a Baronio post Grevenum et Molanum existimo, qui credidit sanctum Abbatem die* VI *Septembris obiisse. Certe Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* 8 *cap.* 45 *longum ex S. Gregorio texens elogium, in fine diem emortualem sic exprimit :* Ipse autem Vir sanctus in eodem monasterio inter brachia Gregorii spiritum feliciter emisit VIII Idus Septembris. *Hanc sententiam,*

A *sententiam, quantum conjicio, secuti sunt Grevenus, Molanus, Baronius, aliique scriptores laudati : neque enim in Annotatis suis Baronius asserit* Eleutherium *abbatem legi in Hieronymianis, sed Bedam et Adonem perperam laudat, cum hi nullum hodie in sinceris Martyrologiis habeant Eleutherium.*

sed quia eo die, licet etiam annuntietur aliis diebus, obiisse creditur.

3 *In Kalendario quodam Benedictino Ms.* Eleutherius *ponitur in pervigilio S. Gregorii, seu die* XI *Martii, ut ibi apud nos legitur in Prætermissis. Philippus Ferrarius* S. Eleutherium *in utroque Catalogo memorat ad* XVIII *Aprilis, sed varia habet de die emortuali. Nam in Catalogo Sanctorum Italiæ prius scripto ita de morte* S. Eleutherii *habet :* Tandem Abbas senio confectus in monasterio S. Andreæ in manibus S. Gregorii suum Deo reddidit spiritum XIV Kal. Maii, anno Salutis DC. *At in Catalogo generali in Annotatis ad eumdem diem hæc observat :* Ex tabulis ecclesiæ Spoletanæ hac die... Videtur idem cum eo, de quo in Martyrologio Romano ad diem VI Septembris. Corpus Spoleti in æde Cathedrali.
B Hæc autem dies *(*XVIII *Aprilis)* translationis esse videtur. *Suspicor Ferrarium de die emortuali primum scripsisse ex conjectura, illumque notasse* XVIII *Aprilis, quia eo die Spoleti olim colebatur Sanctus : deinde vero credidisse, eum esse translationis diem. Ludovicus Jacobillus in Vitis Sanctorum Umbriæ, quas tribus tomis Italice edidit, tom. 2 pag.* 209 *non modo asserit* S. Eleutherium *obiisse* VI *Septembris, sed geminam quoque corporis translationem fuisse affirmat. Hic auctor, qui Fulginii scripsit, ideoque Spoletinorum sententiam melius perspectam habere potuit, accedente Petro de Natalibus, mihi persuadet, Baronium aliosque non temere, neque ex solo errore,* S. Eleutherium *ad diem* VI *Septembris retulisse, sed id fecisse, quia eo die defunctus creditur.*

Publica Sancti veneratio longe videtur antiquior, quam voluerunt aliqui neoterici,

4 *Publica* S. Eleutherii *veneratio longe etiam antiquior est, quam suspicatus est Bailletus in* Eleutherio *ad* VI *Septembris, ubi ait verisimiliter cultum non esse publice* Eleutherium *ante seculum* XVI, *quia Baronius Eleutherio episcopo substituit* Eleutherium *abbatem, ut ipse quidem credidit. Nam ea, quæ sacra* Eleutherii *veneratione scribit Jacobillus, omnino insinuant eam esse an-*
C *tiquorem. Verba ejus Latina reddo :* Sacrum ipsius corpus translatum est die XVIII Aprilis ad ecclesiam suam Spoletinam S. Marci : et post multos annos fuit transportatum ad ecclesiam S. Petri, istius civitatis olim cathedralem : atque hac de causa clerus Spoletinus, ejusque diœceseos festivitatem ipsius celebrat ritu duplici hac die sexta Septembris, et translatio olim celebrabatur XVIIII Aprilis. *Deinde, laudatis aliquot Martyrologiis, in quorum uno dicitur* XVIII Aprilis est Spoleti festum ejus translationis, *iterum addit Italice, quæ Latine reddo :* Plures in honorem ipsius erectæ sunt ecclesiæ, una nominatim in diœcesi Spoletina. *Alteram addit in diœcesi Reatina ecclesiam cum monasterio : at cum alius S. Eleutherius, de quo actum apud nos* XVIII *Aprilis, a Reatinis colatur, nihil ausim de illa ecclesia certi affirmare : noverint ipsi Reatini utrius sit Eleutherii. Ex dictis tamen concludo, cultum* S. Eleutherii *satis antiquum esse, et verisimiliter inchoatum multis seculis ante seculum* XVI.

AUCTORE J. S.

et forsan inchoata est seculo VIII *aut citius.*

5 *Imo, ex translatione* S. Eleutherii *ad ecclesiam monasterii S. Marci, non videtur dubitandum, quin jam seculo* XIII *cultus* S. Eleutherii *viguerit, et verisimiliter inchoatus sit multo citius. Nam Mabillonius tom.* 1 *Annalium pag.* 170 *de monasterio S. Marci ita scribit :* Sub medium seculum tertium-decimum abbas et monachi ibidem defecerunt. *Itaque verisimile est, translationem corporis ad monasterium S. Marci contigisse ante medium seculum decimum tertium ; adeoque et cultum Sancti ante istud tempus inchoatum. Demum si consideremus verba Adriani Papæ I in epistola ad Carolum Magnum tom. 7 Conciliorum Labbei col.* 955, *vix dubitabimus, quin jam seculo* VIII S. Eleutherius *fuerit in veneratione fidelium. Verba ipsa Pontificis subjungo :* Sed et sanctus Gregorius Papa in monasterio suo pulcrum fecit oratorium, et ipsum diversis historiis pingi fecit, atque sacras ibidem erexit imagines : ubi et cum BEATO Eleutherio pro ægritudine stomachi sui ingressus, in oratione pariter exauditi sunt. Et ille vir SANCTUS Eleutherius, quem dicunt et mortuum suscitasse, ante ipsas sacras imagines se prosternens, divinam exorare clementiam cum sancto Gregorio non dubitavit : sed fidem ferentes perfectam, pariter exauditi sunt et usque hactenus E
apud nos venerantur. *Cum* Eleutherius *ab Adriano* beatus *vocetur et* Sanctus, *jam tunc videtur ecclesiastica veneratione honoratus fuisse ; uti et ultima Adriani verba indicarent, nisi is de sacris imaginibus ageret, et tam antecedentia quam sequentia insinuarent, de iis dici hæc verba :* Et usque hactenus apud nos venerantur. *Verum hæc sufficiant de antiquitate cultus. Ceterum Piazza in Hemerologio sacro Urbis ad* VI *Septembris scribit, Romæ in ecclesia S. Gregorii Magni fieri festivam commemorationem de* S. Eleutherio.

Aliqua gesta memorata a S. Gregorio,

6 *Nonnulla hujus Sancti gesta innotuerunt ex Dialogis S. Gregorii Magni, qui de eo varia narravit lib. 3 cap. 33. Hæc deinde ediderunt Lipomanus, Surius, Gononus, Mabillonius, atque ex iis elogia formarunt Bellovacensis, Trithemius, Petrus de Natalibus, aliique plures, quos enumerare non est necesse. Recudam et ego prædictam S. Gregorii relationem, eamque annotatis illustrabo. Verum cum et aliis locis S. Gregorius de* S. Eleutherio *meminerit, aut quædam narraverit ad eum utcumque spectantia, quæ fere neglecta sunt ab aliis, ea primum colligam, atque huc transferam.*

F

qui Eleutherium testem subinde laudat : Italus natione fuisse videtur non Syrus :

7 *Gregorius lib. 3 cap. 14 agens de S. Isaaco abbate, cujus Acta apud nos data sunt* XI *Aprilis, de* S. Eleutherio *sic meminit :* Multa autem de eodem viro, narrante venerabili patre Eleutherio, agnovi, qui et hunc familiariter noverat, et ejus verbis vita fidem præbebat. *Ex his verbis primo habemus S. Gregorium varia in Dialogis relata didicisse ab* Eleutherio, *quem item testem laudat lib. 3 cap. 21 et lib. 4 cap. 35 : secundo* Eleutherium *fuisse familiarem Isaaco abbati alterius monasterii Spoletini. Tertio mox subdit Gregorius, Isaacum non fuisse ortum* ex Italia, *sex venisse* de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem. *Idem de* S. Eleutherio *affirmat Jacobillus, sed sine ulla auctoritate antiquorum, ideoque improbabiliter, præsertim cum S. Gregorius id de Isaaco studiose observet, de* Eleutherio *autem ejusque fratre Joanne nihil simile uspiam dixerit. Probabilius igitur est,* Eleutherium *natione Italum fuisse, atque in Italia natum.*

energumenus liberatus

8 *Gregorius rursum lib. 3 cap. 21 sic habet :* Rei namque, quam narro, vir sanctissimus Eleutherius

AUCTORE J. S.

therius senex pater, cujus memoriam superius feci, testis extitit, mihique hoc intimare curavit; quod in Spoletana urbe puella quædam jam nubilis cujusdam primarii filia, cælestis vitæ desiderio exarsit, eique pater ad viam vitæ resistere conatus est : sed contemto patre, conversationis sanctæ habitum suscepit. Qua ex re factum est, ut eam pater suæ substantiæ exheredem faceret, nihilque ei aliud nisi sex uncias unius possessiunculæ largiretur. Ejus vero exemplo provocatæ cœperunt apud eam multæ nobilioris generis puellæ converti, atque omnipotenti Domino dedicata virginitate servire. Quadam vero die idem Eleutherius abbas vir vitæ venerabilis, ad eam gratia exhortationis atque ædificationis accesserat, et cum ea de verbo Dei colloquens sedebat; cum repente ex eodem fundo, quem in sex unciis a patre perceperat, cum xenio rusticus venit. Qui dum ante eos assisteret, maligno spiritu correptus cecidit, fatigarique nimiis stridoribus atque balatibus cœpit.

B *per virginem piam jubente verisimiliter Eleutherio.*

9 Tunc sanctimonialis femina surrexit, atque irato vultu magnis clamoribus imperavit, dicens: Exi ab eo, miser, exi ab eo, miser. Ad cujus vocem mox per os vexati diabolus respondit, dicens : Et, si de isto exeo, in quem intrabo? Casu autem juxta porcus parvulus pascebatur. Tunc sanctimonialis femina præcepit, dicens : Exi ab eo, et in hunc porcum ingredere. Qui statim de homine exivit, porcum, quem jussus fuerat, invasit, occidit, et recessit. *Hactenus Gregorius, doctrinam moralem mox subdens, nec improbans mandatum de porco ingrediendo, quia idem dæmoni Christus concessit. Totum autem hoc factum huc transtuli, quia dubitandum non videtur, quin* S. Eleutherius *partem in eo habuerit, sed id modeste tacuerit. Primo enim sancti Abbatis consilio usa videtur puella, quando nuptias aversata est, et vel invito patre virginitatem professa. Deinde dæmonem a sancta illa puella fugatum, jubente aut certe hortante* S. Eleutherio, *prorsus mihi persuadeo : neque enim id virgo sancta prudenter aut decenter tentare poterat coram* S. Eleutherio, *nisi ipso jubente aut hortante.*

C *Joannes Sancti frater moriens alium ad se vocat,*

10 *Lib.* 4 *cap.* 35 *aliud factum mirabile narrat Gregorius, quod huc transfero, quia fratrem et discipulum* Eleutherii *spectat :* Solet autem, *inquit,* plerumque contingere, ut egressura anima eos etiam recognoscat, cum quibus pro æqualitate culparum, vel etiam præmiorum, in una est mansione deputanda. Nam vir vitæ venerabilis Eleutherius senex, de quo præcedente libro multa narravi, in monasterio suo germanum fratrem nomine Johannem se habuisse perhibuit, qui ante dies quatuordecim, suum fratribus exitum prædixit. Cumque decrescentes quotidie computaret dies, ante triduum, quam vocaretur ex corpore, febre correptus est. Ad horam vero mortis veniens, mysterium Dominici Corporis et Sanguinis accepit. Vocatisque fratribus, coram se psallere præcepit, quibus tamen antiphonam ipse per semetipsum imposuit, dicens : « Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt per eam ». Cumque coram eo assistentes fratres psallerent, emissa subito et producta voce clamavit, dicens : Urse veni. Quod mox ut dixit, eductus e corpore mortalem vitam finivit. Mirati sunt fratres : quia hoc, quod moriens frater clamaverat, ignorabant. Quo defuncto, in monasterio facta est magna tristitia. D

illeque eodem tempore moritur : distinctus hic Joannes ab alio synonym :

11 Quarto autem die quiddam fratribus necessarium fuit, ut ad monasterium aliud longe positum transmitterent. Illuc ergo euntes fratres, omnes ejusdem monasterii monachos tristes vehementer invenerunt. Quibus cum dicerent : Quid habetis, quod vos in tanto mœrore deprimitis? Responderunt, dicentes : Loci hujus desolationem gemimus, quia unus frater, cujus nos vita in hoc monasterio continebat, hodie quartus est dies quod ex hac luce subtractus est. Cumque fratres, qui venerant, studiose inquirerent, qualiter dictus fuisset, responderunt : Ursus. Qui vocationis ejus horam subtiliter inquirentes, ipso eum momentum cognoverunt exisse de corpore, quo per Johannem, qui apud eos defunctus est, fuerat vocatus. Qua ex re colligitur, quia utrorumque par fuerat meritum, eisque datum est, ut in una mansione socialiter viverent, quibus e corpore contigit socialiter exire. *Hæc S. Gregorius de fratre* S. Eleutherii, *quem cum alio Joanne confusum invenio apud Jacobillum. Certe hic scriptor asserit Joannem hunc* S. Eleutherii *fratrem Romæ defunctum esse, et memorari in Martyrologio Romano die* XVII *Januarii cum SS. Antonio et Merulo, ideoque et Joannem* Eleutherii *fratrem* Sancti *honorat titulo. Verum manifesta hæc est duorum confusio, quæ ex solo S. Gregorio facile tolli potest. Primus Joannes, de quo S. Gregorii verba jam dedi, frater erat* S. Eleutherii, *et defunctus est ante ipsum in monasterio Spoletino. Alter Joannes, de quo agit Gregorius lib.* 4 *Dialogorum cap.* 47, *erat* magnæ indolis adolescens, *et defunctus est Romæ in monasterio S. Gregorii, ita ut luce clarius a fratre* S. Eleutherii *sit distinctus. Ille autem annuntiatur cum Antonio et Merulo in Martyrologio Romano ad* XVII *Januarii, ubi de Sanctis istis etiam apud nos actum est. An simili cultu honoretur Joannes* Eleutherii *frater, hactenus mihi non liquet.* E

annus emortualis incertus.

12 *Nunc, priusquam elogium Sancti ex Gregorio subdam, pauca restant dicenda de anno emortuali. Ferrarius ex monumentis ecclesiæ Spoletinæ notat annum* 600, *sed ipse deinde observat errorem esse manifestum. Jacobillus mortuum statuit* Eleuterium *circa annum* 585; *Mabillonius in Actis tom.* 1 *pag.* 305 *ponit* circa DLXXXVI. *Id certum est ex elogio dando,* Eleutherium *defunctum esse, priusquam Gregorius Dialogos suos scripsisset, quod factum est anno* 593 *aut* 594. *Bailletus ad* VI *Septembris in* Eleutherio *asserit, ipsum non esse defunctum, antequam S. Gregorius anno* 585 *a legatione sua Constantinopolitana reversus est : at non video id certo probari posse. Credunt quidem aliqui id sequi ex* dispositione monasterii, *de qua loquitur Gregorius post relatam sanationem suam, precibus* S. Eleutherii *obtentam Sed difficulter ostendent, nullam monasterii dispositionem pertinuisse ad Gregorium ante prædictam legationem. Quapropter incertum mihi est, utrum* Eleutherius *sit defunctus ante istam legationem, an tempore legationis, aut post reditum Gregorii, aut etiam post pontificatum ab eo susceptum anno* 590 : *ideoque mortem* Eleutherii *latiori modo notavi circa annum* 580 *aut* 590. F

ACTA

A

ACTA

auctore S. Gregorio Magno

Ex lib. 3 Dialogorum cap. 33.

Sanctus vixit cum S. Gregorio : dicitur mortuum suscitasse :

Eleutherius pater monasterii beati euangelistæ Marci, quod in Spoletanæ urbis pomœriis situm est, diu mecum est in hac urbe in meo monasterio conversatus, ibique *a* defunctus est. Quem sui discipuli referebant orando * mortuum suscitasse. Vir autem tantæ simplicitatis erat et compunctionis, ut dubium non esset, quod illæ lachrymæ ex tam humili simplicique mente editæ, apud omnipotentem Deum multa obtinere potuissent. Hujus ergo aliquod miraculum narro, quod inquisitus mihi simpliciter et ipse fatebatur.

a

* *al.* plorando

B

puerum dæmonis vexatione liberat :

2 Quadam namque die dum iter carperet, facto vespere cum ad secedendum locus deesset, in monasterium virginum devenit : in quo quidam puer parvulus erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consueverat. Sed sanctimoniales fœminæ, ut virum Dei susceperunt, eum rogaverunt, dicentes : Tecum, pater, hac nocte puer iste maneat. Quem ipse benigne suscepit, secumque eum nocte eadem jacere permisit. Facto autem mane, cœperunt sanctimoniales fœminæ eundem patrem vigilanter inquirere, si quid ei puer, quem dederant, nocte eadem fecisset. Qui miratus, cur ita requirerent, respondit, Nihil. Tunc illæ ejusdem pueri innotuerunt causam, et quod malignus spiritus nulla ab eo nocte recederet, indicaverunt, summopere postulantes, ut hunc secum ad monasterium tolleret, quia jam vexationem illius videre ipsæ non possent. Consensit senex : puerum ad monasterium duxit. Qui cum multo tempore in monasterio fuisset, atque ad hunc antiquus hostis accedere minime præsumpsisset, ejusdem senis animus de salute pueri immoderatius per lætitiam tactus est. Nam coram positis fratribus dixit : Fratres, diabolus ibi * cum illis sororibus jocabatur : at vero ubi ad servos Dei ventum est, ad hunc puerum accedere non præsumpsit. Post quam vocem hora eadem ac momento idem puer coram cunctis fratribus, diabolo se invadente, vexatus est. Quo viso, Senex se protinus in lamentum dedit. Quem dum lugentem diu fratres consolari voluissent, respondit, dicens : Credite mihi, quia in nullius vestrum ore hodie panis ingreditur, nisi puer iste a dæmonio fuerit ereptus. Tunc se in orationem cum cunctis fratribus statuit, et eousque oratum est, quousque puer a vexatione sanaretur. Qui tam perfecte sanatus est, ut ad hunc malignus spiritus accedendi ausum ulterius non haberet.

* *al.* sibi

C

A. S. Gregario Magno.

Petrus. Credo, quod ei elatio parva surrepserat : sed ejus discipulos omnipotens Deus facti illius esse voluit adjutores.

Gregorius. Ita est. Nam quia pondus miraculi solus portare non potuit, divisit hoc cum fratribus, et portavit.

S. Gregorius Eleutherii precibus sanatus.

3 Hujus Viri oratio quantæ virtutis esset, in memetipso expertus sum. Nam cum quodam tempore in monasterio positus, incisionem vitalium paterer, crebrisque angustiis per horarum momenta ad exitum propinquarem, quam medici molestiam Græco eloquio syncopin vocant : et nisi me frequenter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditus intercidi videretur, Paschalis supervenit dies. Et cum sacratissimo Sabbato, in quo omnes et parvuli pueri jejunant, ego jejunare non possem, cœpi plus mœrore, quam infirmitate, deficere. Sed tristis animus consilium citius invenit, ut eundem Virum Dei secreto in oratorium ducerem, eumque peterem, quatenus mihi, ut die illo virtus ad jejunandum daretur, suis apud omnipotentem Dominum precibus obtineret : quod et factum est. Nam mox ut oratorium ingressi sumus, a me humiliter postulatus E *b* sese cum lachrymis in orationem dedit, et post paulolum completa oratione exiit. Sed * ad vocem benedictionis illius, virtutem tantam meus stomachus accepit, ut mihi funditus a memoria tolleretur cibus et ægritudo *c*. Cœpi mirari quis essem, quis fuerim : quia et cum ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his, quæ memineram, recognoscebam. Cumque in dispositione monasterii mens occupata esset, obliviscebat funditus ægritudinis meæ. Si vero (ut prædixi) rediret ægritudo ad memoriam, cum tam fortem me esse sentirem, mirabar si non comedissem. Qui ad vesperam veniens, tantæ me fortitudinis inveni, ut, si voluissem, jejunium usque ad diem alterum transferre potuissem. Sicque factum est, ut in me probarem ea etiam de illo vera esse, quibus ipse minime interfuissem.

b

* *al.* et

c

ANNOTATA.

a *Non dicit Gregorius, se præsente aut in monasterio tunc degente defunctum esse* Eleutherium, *ut aliqui perperam asseruerunt. Hac de causa annus emortualis incertus est. Consule commentarium num.* 12.

F

b *Ita habet editio novissima Operum S. Gregorii, quam ubique secutus sum. In aliis editis legitur :* Nam mox ut oratorium ingressi sumus, humiliter sese cum lacrymis in orationem dedit.

c *Hæc sanatio etiam refertur in Vita S. Gregorii a Petro diacono, ibique ponitur ante legationem S. Gregorii. Frustra igitur laborant, qui ex hoc facto probare volunt, non obiisse* Eleutherium *ante annum* 585, *ut observavi in Commentario num.* 12.

A D

DE S. FAUSTO ABBATE

PROPE SYRACUSAS IN SICILIA

C. S.

SYLLOGE

Circa annum dcvii. Memoria in sacris Fastis.

Syracusis *antiqua nobilique Siciliæ civitate, hoc die celebratur memoria* S. Fausti, *abbatis monasterii S. Luciæ non procul a prædicta urbe distantis. Inter martyrologos, quorum paucis notus est, Philippus Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, ad* viii *Idus Septembris sic illum annuntiat :* Syracusis, S. Fausti, abbatis monasterii sanctæ Luciæ : *in Annotatis citat Tabularium ecclesiæ Syracusanæ et Martyrologium*
B *Siculum. Ad eumdem diem refertur a Menardo in Martyrologio Benedictino :* Syracusis, sancti Fausti abbatis : *et a Gabriele Bucelino in ejusdem Ordinis Menologio. Eumdem diem ipsi sacrum assignant Franciscus Carrera in Pantheo Siculo, et Rocchus Pirrus Siciliæ sacræ lib.* 3 *pag.* 139, *laudans Kalendarium Syracusanum, et Octavium Cajetanum, qui in Idea Operis de Vitis Siculorum Santorum, illis præivit. Videtur autem vel statim, vel saltem non diu post obitum suum, cultum apud Syracusanos obtinuisse , cum anonymus quidam Siculus, scriptor coævus Vitæ S. Zosimi episcopi Syracusani, qui Sancti nostri discipulus fuit, illum jam tum* Sancti *titulo celebrarit, ut mox ostendemus.*

Fuit abbas monasterii S. Luciæ : discipulum habuit S. Zosimum,

2 *De Sancti Actis nihil habemus, nisi quod abbas fuerit monasterii S. Luciæ virginis martyris, prope Syracusas, et S. Zosimum, qui ei postea in abbatiam successit. ac denique ad Syracusanam cathedram evectus est, disciplina monastica pie sancteque imbuerit. Id habemus ex laudata Vita S. Zosimi, quam Majores nostri tom* iii *Martii a pag.* 839 *ex Octavio Cajetano recuderunt. In*
C *hac num.* 6 *biographus sic scribit :* Sanctus enim Zosimus cum ætate, tum virtutibus inter Sanctos proficiens, custos pretiosi loculi sanctæ virginis Luciæ constituitur a S. Fausto abbate ipsius monasterii, cujus ut vitam moresque est imitatus,ita dignus, qui illi succederet,habitus est.*Eadem fere dicuntur in Responsoriis* i *Nocturni in Officio proprio ejusdem S. Zosimi, olim in Syracusana ecclesia recitari solito. Verba accipe :*

Sanctus Faustus pater ædis et adjutrix dextera
Æmulanti sanctos actus et Sanctorum corpora
Sacræ martyris commisit pretiosa funera.

Deinde in Responsorio 2 *Noct. dicitur S. Zosimus sancto Abbati nostro successisse :*

Sanctus Faustus cunctæ carnis viam ut ingreditur *etc.*

Incertum utrum Basiliani, an Benedictini

3 *Cujus autem Ordinis abbatia S. Luciæ, adeoque et Sanctus noster fuerit, certo non liquet ; communior tamen opinio pro Benedictino stare videtur. In ea, quantum apparet, fuit Mabillonius tom.* i *Annal, ad annum* 591, *ubi ait :* Duo tunc erant apud Syracusas monasteria : unum S. Luciæ extra muros situm eo in loco, ubi beata virgo martyrium passa est : alterum S. Petri ad Bajas *etc. Rocchus Pirrus Siciliæ sacræ lib.* 3, *notitia* 2, *pag.* 204 *id pro certo habet : sic enim inquit :* Omnium antiquissimum Ordinis D: Benedicti sub titulo S. Luciæ Syracusanæ eo situm in loco est, ubi præclarissima virgo martyrium Christi fidei fecerat. *Mox inter sanctos hujus loci viros* S. Faustus *ita ibidem commemoratur :* Faustus anno dxcv sub Tiberio et Mauritio imperatoribus : ejus festum die vi Septembris. *Hæc ipse : verum Benedictini Ordinis fuisse non probat. Adducit quidem locum ex epistola* i *lib.* 8 *S. Gre-* E
*gorii, quæ in novissima editione est prima lib.*10, *sed is nihil minus, quam istud probat. Verba S. Gregorii audiamus :* Præterea petiit a nobis supra Trajanus frater noster *(episcopus Melitensis, non Milevitanus, ut habet Pirrus,)* ut de monasterio suo, quod in civitate Syracusana situm est, ei quatuor vel quinque dari monachi debuissent. *Quis hinc deducat, monasterium* S. *Luciæ Ordinis S. Benedicti fuisse, aut ex eo monachos Benedictinos a Trajano petitos? Sane prius ostendere debuisset Pirrus, Trajanum illum Benedictinum fuisse: quamvis nec sic quidquam evinceret, cum S. Gregorius agat de monasterio, quod situm erat non prope Syracusas, sed* in civitate Syracusana, *adeoque loqui potuerit de quolibet alio monasterio intra urbem condito.*

Ordinis fuerit.

4 *Menardus lib.* 2 *Observationum ad Martyrologium sui Ordinis tantum ut probabile admittit, illum Benedictinum fuisse; de Octavio enim Caietano ait:* Etsi dubitet,an hic S.Faustus fuerit Basilianus, an Benedictinus, probabile est tamen, eum fuisse ex prima propagatione discipulorum S. Placidi in Sicilia. *Similiter dubitanter loquitur Gabriel Bucelinus ad hunc diem laudans Octavium et Menardum.* Fuit hic, *inquit,* nonnullorum opinione ex prima discipulorum sanctissimi Placidi F
protomartyris nostri in Sicilia propagine, abbas Syracusani, conditi in honorem S. Luciæ virginis martyris cœnobii. *Sed nec quidquam luminis hac in parte affundit coævus ille S. Zosimi biographus, cujus num.* i *memini; quippe qui de Regula vetusti istius monasterii altum silet; præterea S. Gregorius, licet ejusdem cœnobii in epistolis suis semel et iterum faciat mentionem. Quare cum nihil certi in alterutram partem occurrat, utrique, siqua est, suam probabilitatem relinquo. Notat porro laudatus Pirrus, idem istud monasterium post varios casus, suo tempore, id est anno* 1617, *ab episcopo Joanne Torres datum fuisse Fratribus Minoribus reformatis de Observantia.*

Suprema Sanctitas.

5 *Ætatem, qua Sanctus vixit, manifeste discimus ex sæpe laudata vita S. Zosimi, ejusdem primum discipuli ac deinde in monasterii regimen successoris. Annum emortualem certo definire non licet, quia Zosimi incertus est : verumtamen non procul a vero aberrare nos sinit posterioris biographus. Secundum hunc sanctus ille Syracusanus episcopus* S. Fausto *in abbatiam succedens*

A *succedens, eam annis quadraginta rexit, quibus elapsis, sub Theodoro Pontifice maximo Syracusarum episcopus ordinatus est, quo in munere tredecim alios annos explevit : adeoque* 53 *annis sancto Abbati suo superfuit. Quare si de Zosimi emortuali anno constaret*, S. Fausti *supremus vitæ annus extra dubium foret : verum cum ille incertus sit, hic pariter incertus manet. Octavius Caietanus in Vitis Sanctorum Siculorum pag.* 226 *S. Zosimi mortem anno Christi* 656, S. Fausti *vero pag.* 223 *anno* 602 *illigat. At Henschenius noster tom.* III *Martii, pag.* 838 *ejusdem sancti episcopi obitum circa annum* 660 *statuit*, sive sint anni, *inquit*, duo tresve auferendi, sive adjiciendi. *Rationes, ob quas sic opinetur, loco citato num.* 3 *studiosus lector reperiet. In hac sententia mortuus est Sanctus noster circa annum* 607 *: etenim si illos* 53 *annos, quibus S. Zosimum ipsi superstitem fuisse ostendimus, annis* 660 *substrahas, prodibit annus* 607, *circa quem eum obiisse necesse est, sic tamen, ut quot annis S. Zosimi mors serius aut citius statui potest, totidem pariter hujus felix e vivis excessus differendus aut maturandus sit.* AUCTORE C. S.

DE S. CHAGNOALDO EP. ET CONF.

LAUDUNI IN GALLIA

COMMENTARIUS HISTORICUS

C. S.

B § I. Varia Sancti annuntiatio : Acta unde concinnanda. E

INTER AN. DCXXXI ET DCXXXVIII. *Sancti varia memoria*

Inter *sanctos Laudunensis ecclesiæ in Belgica præsules hac die cultum obtinet* S. Chagnoaldus, *qui ab aliis* Chainoaldus, Chanoaldus *et* Agnoaldus *appellatur. Martyrologia classica nusquam, quod sciam, ipsius meminerunt : at in recentioribus satis frequens est memoria, non eodem tamen die signata. Kalendarium vetus Ms. Sanctorum Ordinis Benedictini illum ad diem* XXXI *Januarii annuntiat, nec sine mendis, quæ infra corrigemus ; interim verba accipe :* Sancti Chalnoaldi, ex monacho Luxoviensi archiepiscopi Lugdunensis, fratris sanctorum Pharaonis et Walberti. *Florarium nostrum Ms. die* VIII *Februarii eumdem designare videtur, dum sic annuntiat :* Eudoaldi alias Oudoaldi Lugdunensis episcopi; *eumdem inquam designare videtur, prout jam suspicati sunt Majores nostri in Prætermissis ad citatum diem : nam et* Chagnoaldus *etiam ab aliis Lugdunensis episcopus perperam statuitur et inter hujus ecclesiæ antistites nullus* S. Eudoaldus *vel* Oudoaldus *occurrit, et* Chagnoaldi *nomen a variis varie scriptum legitur. Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino bis illum commemorat, et primo quidem* XXXIII *Augusti, ac deinde hoc die, sive* VI *Septembris : utrobique satis prolixum elogium texit, quod infra recitabimus : cur autem bis annuntiet, non edicit ; suspicor tamen non aliam ob causam id illum fecisse, quam quod primum prædictorum dierum apud suos Benedictinos, alterum apud Laudunenses Sancto sacros reperisset.* C

in sacris Fastis.

2 *Ut vero sic existimem suadet Mabillonius, qui tom.* I *Annal. ad annum* 632 *num.* 29 *de Sancti apud suos cultu ait :* Ejus obitus Augusti die XXIII colitur in Martyrologio Benedictino ; *ubi nullam facit de* VI *Septembris mentionem, quamvis in Indice Sanctorum, quem Seculo* 2 *præmittit, utramque annuntiationem agnoscat his verbis :* Colitur XXIII Augusti et VI Septembris. *Suadet etiam ipse Bucelinus, qui ad hunc diem laudat monumenta ecclesiastica et Officium proprium Laudunensia, quod non facit ad* XXIII *Augusti. Ad alium rursus diem,* IV *videlicet Septembris, Sancti memoriam consignat Castellanus in Martyrologio universali Gallice edito, sed nullam pariter particularem festivitatem designans :* Lauduni S. Chagnoaldus, hujus urbis episcopus, frater sanctæ Faræ. *Consonat Martyrologium Parisiense anno* 1727 *excusum, quod ad præcitatum diem sic habet :* Lauduni, S. Chagnoaldi episcopi, fratris S. Faræ abbatissæ, qui concilio Remensi sub Sonnatio subscripsit. *Denique ad eamdem diem illum refert Simon Mothier in Indice Sanctorum Galliæ, quem Romano Martyrologio Gallice verso subtexuit.*

Elogia

3 *Ast alii* VI *Septembris sanctum Episcopum nostrum celebrant. Inter hos Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano ipsum sequenti elogio exornat :* Apud Laudunum Clavatum S. Chagnoaldi episcopi et confessoris gloriosi ; qui sanctorum Pharonis et Walberti episcoporum, sanctæque Pharæ abbatissæ frater, beatorumque Columbani et Eustasii in cœnobiarcha Luxoviensi discipulus, jam a pueritia divinis operibus præstans, cum mentis pietate vitæque sanctitate niteret, post Richbertum episcopus Laudunensis electus est. Quo in divino munere (quod F non nisi ægre subiit, latebris pio humilitatis studio deditus) ita se gessit, ut cœleste Christi regnum et vitæ Euangelicæ exemplis et miraculis divine editis propagarit. Itaque cum egregiis monimentis ecclesiam suam instruxisset, meritis ornasset, legibusque sacris vindicandis indictæ synodo Remensi cum multis Gallicanæ ecclesiæ patribus ætate et virtute conspicuus interfuisset, demum pontificatu et vita feliciter consummatis, occulos carnis in mortem clausit, æternumque cum Christo victurus ad cælum perrexit.

hinc inde mendosa.

4 *Gabriel Bucelinus, qui, ut jam monuimus, eum* XXIII *Augusti honorifico elogio celebrat, eumdem pariter ad præsentem diem hisce encomiis prosequitur :* Lauduni Clavati in Gallia, S. Chanoaldi episcopi et confessoris. Chanoaldus, Chagnoaldus, sive Cainaldus (nonnullis etiam Rainaldus) generosissimo illecebrarum mundi hujus contemptu illustrissimus, Hagnericum,

AUCTORE C. S.

cum, Burgundiæ potentissimum comitem, patrem, matrem pari nobilitate Leodegundem habuit. Terreni autem principatus et Galliarum regis favores aspernatus, solam regum Regis gratiam paupertate et humilitate solida exambiit, monachumque in sanctissimo Luxoviensi cœnobio professus, pulcherrima contentione cum germanis fratribus sanctissimis, Farone, Walberto et Fara, in stadio ac studio perfectionis decertavit, cumque iisdem felicissimæ æternitatis bravium meruit. Extractus autem pro meritis vitæ ad pontificatum Laudunensem, in candelabro positus, radiis sanctitatis late et mire resplenduit, cathedramque suam æternis meritis exornavit, cui annis plurimis utilissime præfuit et sub annum Christi DCXL sancto fine decessit. *Hæc ipse laudans monumenta ecclesiastica et Proprium Laudunensia, Flodoardum, Thuanum, Menardum, Chenu, Claudium Robertum, et Severtium, qui Sanctum nostrum Lugdunensi ecclesiæ præfuisse opinatur, sed male, ut infra videbimus. Porro hoc utrumque elogium suo loco discutiemus : interim alios martyrologos audiamus.*

Cur de eo hoc die agatur

B 5 *Ad eumdem hunc diem* Chagnoaldum *refert Menardus in Martyrologio Sanctorum Ordinis S. Benedicti sic scribens :* Lauduni Clavati in Gallia, S. Canoaldi episcopi et confessoris. *Menardum secutus est Simon Peyronetus in Catalogo Sanctorum in observationibus suis citans Breviarium Laudunense, Vitamque Sancti in eo contentam. Hisce martyrologis accedunt Mabillonius et Jacobus Longuevallius, quorum prior in Indice Sanctorum ad Seculum 2 Benedictinum, posterior in Historia ecclesiæ Gallicanæ Gallice vulgata, tom.* 3, *pag.* 471, *diem* VI *Septembris* Chagnoaldo *nostro sacram esse, testantur. Vix dubito, quin hi omnes agant de festivitate, qua in sua Laudunensi diœcesi Sanctus gaudet, et de qua Cointius tom.* 2 *Annal. Franc. ad annum* 625, *num.* 58 *scribit :* Sancti Chainoaldi episcopi Laudunensis festum diem colunt solemni Officio Laudunenses : *nam et Bucelinus et Peyronetus ad* VI *Septembris monumenta et Proprium istius ecclesiæ laudant, et Longuevallius in Ecclesia Gallicana haud dubie diem illum præ reliquis assignare voluit, quo Sanctus in sua diœcesi colitur : denique scheda continens Lectiones* C *proprias, quas Chiffletius ex Breviario Laudunensi descriptas ad nos olim transmisit, pro* VI *Septembris inscribitur. Quamobrem cum in Opere nostro de eo agere hucusque dilatum fuerit, visum est id hoc die præstare.*

Acta unde concinnanda.

6 *Acta* S. Chagnoaldi *nemo veterum ex professo litteris mandavit, aut si quis mandaverit, ea ad nos non pervenerunt : sunt tamen nonnulla aliorum Sanctorum Vitis hinc inde inspersa, quæ ipsius memoriam ab ingratæ antiquitatis oblivione vindicant, nec omnino ignotam esse patiuntur. Præcipuus scriptor, qui illius meminit, est Jonas monachus Bobiensis in Italia, auctor Sancto æqualis aut suppar. Hic in Vitis SS. Columbani et Eustasii, quorum* Chagnoaldus *discipulus fuit, quædam refert, quæ Sancti Actis utcumque concinnandis opportune usui esse possunt. Vita utraque exstat apud Mabillonium seculo* 2 *Benedictino, posterior etiam in Opere nostro tom.* III *Martii. Præterea* Chagnoaldi *illustrem familiam, vitam monasticam, operam in regendo Evoriacensi S. Faræ, seu Burgundofaræ, sororis suæ, puellari monasterio collatam, ac Laudunensem denique episcopatum, paucis memorat anonymus quidam in Actis S. Agili abbatis primi Resbacensis, quæ apud nos tom.* VI D *Augusti pag.* 571 *probabilius ante annum* 690 *scripta esse ostenduntur. Ex hisce igitur, dum alia desunt, qualecumque sancti nostri Antistitis Vitæ compendium concinnabimus : lectiones vero, quæ de eo in Laudunensi Breviario recitantur, præmittemus, cum nihil contineant præter ea, quæ ex antiquioribus monumentis traditurí sumus.*

§ II. Sancti illustres natales, familia, patria et domus paterna, monachatus Luxovii.

Sancti parentes, Frater et soror :

Chagnoaldus *ex illustri apud Francos genere ortus patrem habuit Chagnericum seu Agnericum, Theodeberto Austrasiarum regi a consiliis et familiarem ; matrem Leudegundem a Christiana pietate et sapientia commendatam Frater ipsius Faro sive Burgundofaro, primariis* E *in aula muniis functus, dimissa velataque conjuge sua, ad Meldensem episcopatum evectus est, et post vitam sanctissime actam inter Sanctos relatus. Nec minori sanctitate floruit ejusdem soror Fara nomine, alias etiam Burgundofara appellata ; quæ virginitatem suam Christo consecrans, Evoriacensem parthenonem in pago Briegio condidit, in eoque sacris virginibus præsidens ad cælos evolavit Sanctarum pariter numero inserta. Porro si a laudatorum fratris sororisque nominibus conjecturam sumere velimus, videtur sanctus noster Antistes gente Burgundio fuisse aut saltem ex Burgundionum genere oriundus : etenim, prout notat Mabillonius in observationibus præviis ad Vitam S. Burgundofaræ, sec.* 2 *Benedict. pag.* 438, *ex Fredegarii Chronico cap.* 44 *per* Burgundofarones *optimates Burgundiones sive* Burgundiæ farones, *id est* barones *designantur, quemadmodum eos reipsa appellaverat cap.* 41. *Similiter Paulus diaconus lib.* 2 *de Gestis Longobardorum cap.* 9 *diserte tradit*, Longobardorum faras *esse* generationes vel lineas. *Adeo ut Burgundofaro Burgundiæ baronem seu optimatem sonet. Illustrissime sane familiæ fuisse, tum ex infra dicendis* F *patebit, tum manifestum est ex Epitaphio sororis ipsius S. Faræ, quod Mabillonius sec.* 2 *Benedictino, pag.* 449 *ex codice, ut ait, tempore Caroli Calvi, manu descripto excudit, in quo hæc leguntur :*

Francorum soboles regum, virgo inclyta Fara
Huic sanctas tumulo credidit exuvias.
Virtutum lux clara fuit, pharusque pudoris
Fara, et Burgundo sanguine progenies.

Ex quibus consequens fieret, ut sancta illa adeoque et germanus illius S. Chagnoaldus, *ex Francorum regio, et illustri Burgundo sanguine ortum duxerint.*

Prope Meldas natus videtur

8 *Verum quidquid ea de re sit*, Chagnoaldi *pater Chagnericus prope Meldas, Briensis provinciæ caput, habitabat in villa Pipimisio, et Theodoberti Austrasiæ regis obsequiis erat addictus. Ita discimus ex Jona in Vitis SS. Columbani et Eustasii apud Mabillonium seculo* 2. *Benedict., ubi in prioris Vita iter S. Columbani e Theodorici regno expulsi describens, hæc habet :* Deinde ad Meldense oppidum properat : quo cum venisset, quidam vir nobilis Hagnericus *(alibi*

AUCTORE C. S.

A *(alibi* Chagnericum *appellat)* Theodoberti conviva, vir sapiens et consiliis regis gratus et nobilitate ac sapientia vallatus, erat. Is virum Dei miro gaudio recepit, seque habere curam ejus spopondit, qualiter ad Theodeberti accederet aulam... Benedixit ergo vir Dei domum ejus, filiamque ejus, nomine Burgundofaram, quæ infra infantiles annos erat, benedicens eam Domino vovit. *Fusius idem auctor loquitur in Actis S. Eustasii num.* I, *dum de hujus sancti abbatis ad Clotarium regem profectione agens, sic scribit :* Fuit ergo arrepti itineris via per saltum pagumque Briegium : perventumque est ad quamdam villam Chagnerici, quo dudum aliquantisper moratus fuerat. Villæ vocabulum Pipimisium dicitur, distans ab urbe Meldorum circiter millibus duobus. Ibi nunc Chagnericus cum conjuge sua Leudegunde nomine, Christiana et sanæ mentis femina morabatur, et suum filium Chagnoaldum, cujus superius *(in Vita S. Columbani)* fecimus mentionem, penes se habebant. Viso itaque Eustasio, Chagnericus miro cum gaudio recepit : eratque simul cum patre B matreque filia, Burgundofara nomine, quam, ut superius *(in laudata Vita)* diximus, B. Colombanus Domino sacraverat.

in villa Pipimisio :

9 *Quis sit* Pipimisii *locus, quove nunc vocabulo appelletur, non satis constat. Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum existimat, esse vicum hodie* Poinsy *dictum, qui Matronæ flumini adjacet, distatque Meldis duobus aut tribus passuum millibus. Mabillonius tom.* I *Annalium, pag.* 304 *de eodem loco ita disserit :* Pipimisium nonnulli putant esse vicum Poinsy, supra Meldos situm ad Matronam, una fere leuca distantem a Meldica urbe, cui vico adjacet, fluvio intermedio, Trajecti-portus parœcialis ecclesia, S. Petro dicata. Ast Gallicus Vitæ S. Feræ interpres ex veteri traditione Pipimisium reddit Opigny, qui locus nunc redactus in simplex prædium rusticanum, pertinet ad monasterium S. Faræ. Hinc non longe abest ecclesia S. Petri, in loco Bregy vulgo appellato, cum prioratu abbatiæ Resbacensi subjecto : quæ forte illa sit S. Petri, ad quam S. Fara confugisse dicitur, *ut patris violentiam, qui invitam nuptui tradere constituerat, evaderet :* Priori loco melius convenit C et analogia Gallica Pipimisii nominis et distantia ab urbe. At Jonas, homo extraneus, facile errare potuit in assignanda loci accurata distantia; et pleraque prædia posteriori loco vicina ad Meldensem ecclesiam pertinent, ex dono scilicet S. Faronis, B. Faræ germani. Forte Pipimisium olim vernacule dicebatur Au Pimy, quod deinde Opigny corrupte vocatum sit. *Hæc Mabillonius, qui prius seculo* 2 *Benedictino ad Vitam S. Eustasii locum* Opigny *in Bria ignorans, opinatus fuerat, vicum vernacule* Changy, *mutuato, ut putabat, a* Chagnerico *nomine, duabus fere leucis supra Meldas positum, ipsum esse Pipimisium : verum hanc opinionem in Annalibus, ut ostendimus, ipse deseruit.*

qui locus hodiedum incertus est.

10 *Tossanus du Plessis in Historia ecclesiæ Meldensis, Gallice edita, tom.* I, *Nota* 13, *existimat, Pipimisium verisimilius fuisse, ubi modo est* Champigny, exiguus vicus duas leucas a Meldis, juxta abbatiam Pontis dominarum, *(Gallice est* Du pont aux Dames) in via, quæ ab hac abbatia ducit Cresciacum. *Addit* Champigny *Latinde verti posse* ager Pipimisii. *Sententia autem Mabillonii, quæ* Opigny *assignat, minus ipsi probabilis apparet, propterea quod vicus ille, ad dexteram Matronæ situs, numquam provincia Briæ comprehensus fuerit, contra ac Jonas de Pipimisio asserit, dum ait :* Fuit ergo arrepti itineris via per saltum pagumque Briegium : perventumque est ad quamdam villam Chagnerici :.. villæ vocabulum Pipimisium dicitur. *Res ut patet, incerta est : verumtamen Du Plessis opinio mihi magis arridet. Atque hæc de Sancti natali, aut certe paterno loco observasse sufficiat : de ejusdem illustri familia pauca dicenda supersunt.*

S. Faro Sancti frater, S. Agilus patruelis fuit :

11 *Sanctum Faronem Meldensem episcopum* Chagnoaldi *fratrem fuisse, diserte traditur in ipsius Vita, cujus auctor creditur Hildegarius, quem Mabillonius in Observationibus laudatæ Vitæ præviis, Sec.* 2. *Benedict. pag.* 607, *ab anno circiter* DCCCL *usque ad* DCCCLXXIV *episcopalem Meldorum sedem tenuisse asserit. Idem habemus ex testamento S. Faræ, in quo* Chagnulfum, *(qui videtur idem fuisse cum* Chagnoaldo) *et Burgundofaronem germanos suos, Agnetrudem sororem agnoscit : dicitur enim instrumentum istud confectum fuisse,* faventibus dulcissimis germanis suis, Chagnulfo, Burgun- E dofarone et Agnetrade : *vide laudatum Annalistam ad annum* 642 *num.* 50. *Ad eamdem præterea familiam pertinet S. Agilus, primus abbas Resbacensis; quippe ex Agnoaldo, sancti Episcopi nostri patruo genitus, ut legere est in prædicti Agili Actis aqud nos tom.* VI *Augusti, pag.* 577, *unde sequentia excerpo :* Ingrediens Agilus ævum pueritiæ committitur Eustasio sacris litteris erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis, qui postea ecclesiarum præsules extiterunt, Agnoaldo scilicet *(id est,* Chagnoaldo) et Waldeberto, Hagnerici patrui ejus filiis, qui monasterio, quod soror illorum Fara in paterno solo inter Albam et Mucram in loco, qui dicitur Eboriacus, ædificavit, construendi et docendi regulares magistri claruerunt, quorum alter Lugduno clavato, alter Meldensibus est episcopus ordinatus.

an S. Waldebertus frater fuerit, incertum.

12 *Eadem fere de S. Waldeberto leguntur in Vita S. Faronis supra laudata : verum itla displicent eruditis, qui Waldebertum S. Eustasii in Luxoviensi abbatia successorem agnoscunt, sed eumdem* SS. Chagnoaldi, *Faronis et Faræ fratrem, aut Meldensem episcopum fuisse, passim negant.* F *Videri potest Mabillonius in Elogio historico S. Waldeberti Sec.* 2 *Benedict. pag.* 503 *et sequenti, et in Actis nostris tom.* VI *Augusti pag.* 578 *: pauca tamen hic observanda sunt. Waldebertus, de quo loquitur laudatus auctor, haud dubie idem est cum eo, de quo Jonas meminit in Vita S. Eustasii : etenim uterque scriptor tradit, eum una cum* Chagnoaldo, *S. Faræ germano, parthenoni Evoriacensi ædificando, ordinandoque præfuisse, quamvis Jonas non addat, Waldebertum, quem* Walbertum *vocat, S. Faræ germanum fuisse. Porro Walbertus ille, teste Jona ei contemporaneo, S. Eustasio in Luxoviensis cœnobii regimen successit, quod ab anno* 625, *quod Eustasius obiit, usque ad* 665, *tenuit, ut ex Waldeberti Actis habemus. Quod si ita est, non satis perspicio, qua ratione dici possit errasse scriptor Vitæ S. Agili, dum S. Waldebertus* SS. Chagnoaldi, *Faronis et Faræ germanum et Meldensem episcopum fecit. Non satis id, inquam, perspicio, si vera sint, quæ de laudati scriptoris ætate et professione monastica referuntur in Commentario S. Agili Actis prævio tom.* VI *Augusti, pag.* 571. *Etenim si*

AUCTORE C. S.

si biographus ille scripserit inter annum 684 *et* 690, *et jam monachus, ut ibidem tamquam probabile asseritur, in Luxoviensi monasterio aliqua ex S. Donato didicerit, consequens fit, ut dictus biographus sub S. Waldeberto in præfato cœnobio vixerit : Donatus enim verosimiliter tantum circa annum* 660 *obiisse ibidem dicitur ; Waldebertus vero post* 40 *annorum regimen anno demum* 665 *e vivis excessit. Hæc autem si vera sint, difficile intellectu est, qui potuerit S. Waldebertum, quondam abbatem suum, Meldensem episcopum dicere, si re vera non fuerit. Quare nihil restare videtur, quam ut dicamus, vel Waldebertum abbatem post scriptam SS. Columbani et Eustasii Vitam, ad Meldensem cathedram evectum fuisse, vel Jonam, licet opusculum suum Waldeberto abbati inscripserit, duos Waldebertos confudisse, aut certe Vitam S. Agili non tam vetustam esse, quam perhibetur. Sed ad alia progredior.*

Fit discipulus et minister S. Columbani ;

13 Chagnoaldum *adhuc juvenem una cum aliis nobilium virorum filiis sacris litteris imbuendum, traditum fuisse S. Eustasio, discipulo S. Columbani, in Luxoviensi cœnobio, au-* B *ctor est biographus S. Agili, cujus verba num.* II *recitavimus. De tempore, quo primum monasterium ingressus est, non constat : at quantum ex Actis S. Agili colligere licet, factum id est circa annum* 690 *aut potius aliquanto serius. In Vita S. Faronis dicitur a S. Columbano* puer Deo Devotus *fuisse Acta ipsius sub SS. Columbani et Eustasii disciplina, defectu biographi, oblivionis tenebris involuta latent, præter unum et alterum, quæ ejusdem abbatum Vitis inserta sunt, et ex quibus de ipsius sanctitate, ceterisque, quas ignoramus, virtutibus conjicere liceat. Fuit* Chagnoaldus *S. Columbani non modo discipulus, sed et* minister, *quemadmodum eum non semel appellat Jonas. Nam* abbatibus, *inquit Mabillonius tom.* I *Annal. ad annum* 610, *num.* 51, ministrare quemdam ex monachis moris erat. *Hujus vero muneris fuisse videtur, ut abbati suo semper adesset, etiam cum solitudinis ergo in eremum secederet, prout ex Vita S. Columbani manifestum est, et mox dicturi sumus. De eodem officio ita meminit biographus S. Faronis :* Chagnoaldus ibi aderat, qui minister Dei viri Columbani in officio clericatus puer C Deo devotus *fuerat. Occasione hujus ministerii Sanctus Columbano familiaris fuit et virtutum ejusdem præ reliquis spectator. Hinc Jonas de iis agens, ita scribit :* Nec mireris, cur sic bestiæ ac volucres viri Dei parerent imperio : nam Chagnoaldo Lugduno Clavato pontifice, qui ejus et minister et discipulus fuit, cognovimus referente; qui se testabatur sæpe vidisse, cum in eremo vel jejunio vel orationi vacans deambularet, sæpe solitum feras, bestias ac aves accersire, quæ ad imperium ejus statim veniebant, quas manu blandiens attrectabat *etc.*

quo in exsilium pulso, Luxovii remanet.

14 *Non solus autem* Chagnoaldus *eo munere apud Columbanum factus est ; nam et* in ejus ministerio puerulus quidam nomine Domoalis *fuisse et ipse* S. Eustasius, discipulus et minister sancti viri *apud Jonam dicitur. Ceterum de gestis ejus in Luxoviensi cœnobio nihil memoriæ prodilum legi. Columbano, jussu Theodorici Burgundiæ regis a Brunichilde instigati, in exilium anno* 610 *proficiscente, Sanctus verisimiliter Luxovii remansit, vetantibus regiis ministris, ne quis, qui Scotus aut Britannus non esset, sanctum abbatem suum sequeretur.* Cum æquo animo, *ait Jonas*, de custodia pastoris sui segregari *Luxovienses monachi* non vellent, custodes regii inquiunt, nequaquam hunc sequi alios permissuros, nisi quos sui ortus terra dederat, vel qui e Britannico arvo ipsum secuti fuerant; ceteros, qui alio essent orti solo, præceptis regiis ibi esse remansuros : *quod quidem tam severe observatum est, ut etiam post discessum Columbani nec pedem e monasterio impune efferre liceret, donec S. Agili opera Theodoricus et Brunichildis placati istud edictum revocaverint, teste ejusdem Agili biographo, apud nos tom.* VI *Augusti, pag.* 577. D

§ III. S. Columbanum exsulem adit : gesta prope Brigantiam : Luxovium reditus : cura Farensis monasterii.

Aliquanto post ad S. Columbanum profectus

Sublato, de quo mox locuti sumus, edicto regio, S. Chagnoaldus *ad Columbanum profectus, solito apud ipsum ministerio functus est.* E *Potuit istud iter arripere una cum S, Eustasio, qui licet in primo persecutionis fervore abbatem suum sequi prohibitus, ab eoque violenter avulsus fuerit, postmodum tamen eidem prope Brigantiam in Suevia moranti adfuit, ut auctor est Jonas in Vita sæpe laudata. Porro Columbanus ad Theodebertum Austrasiæ regem contendens per viam ad Chagnericum* Chagnoaldi *patrem divertit : a quo perbenigne exceptus Bergundofaram Sancti germanam Deo vovit. Incertum est, an jam tum ei adfuerit* Chagnoaldus *: id tamen verisimile est, si, ut suspicor, Eustasium hujus itineris socium habuerit. Nam Jonas narrans alterum Eustasii ad Chagnericum accessum, qui post aliquot annos accidit, ita scribit :* Perventumque est ad quamdam villam Chagnerici, quo dudum aliquantisper moratus fuerat : *quibus verbis agere videtur de hac ipsa commoratione Columbani, præsertim cum supra dixerit, Chagnericum sategisse,* ut virum Dei *(Columbanum)* secum, quamdiu valeret, tenere F potuisset, et ejus doctrina domus sua nobilitaretur.

cum eodem prope Brigantiam commoratur ;

16 *Mabillonius tom.* I *Annalium ad annum* 910 *num.* 49 *de hac Columbani apud Chagnericum mora agens, perquam obscure loquitur in hæc verba :* Ambos conjuges *(Chagnericum et Leudegundam)* cum universa familia vir Dei benedixit; in primis Burgundofaram eorum filiam tum infantem, quam etiam Deo vovit, uti Chagnoaldum eorumdem filium, qui postea Lugduni-clavati episcopus factus est. *Ubi si vir eruditus velit, Columbanum Sancto nostro tum primum bene precatum fuisse, Deoque consecrasse, hallucinatur, sibique contradicit ; cum ipse ejusdem religiosæ vitæ exordia referat ad annum* 594. *At forte nihil aliud hic dicere voluerit, nisi quod Burgundofaram Deo consecraverit, ut olim consecraverat* S. Chagnoaldum. *Hinc Columbanus, et cum eo* Chagnoaldus, *si non fallitur nostra conjectura, Theodeberto Austrasiæ rege adito, dataque in ipsius regno ubi voluisset, habitandi facultate, locum prope Brigantiam Sueviæ oppidum selegit, ibidemque cum suis commoratus est, donec cæso Theodeberto, ejusque*

A *ejusque regno in Theodorici potestatem anno* 612 *redacto, in Italiam commigravit.*

ubi cum reliquis fame pressus

17 *Cum vero apud prædictam Brigantiam morarentur, insigne divinæ in suos providentiæ miraculum experti sunt, quod Jonas ab ipso Eustasio, qui tum aderat, edoctus posteritati commendavit. Hujus prodigii* Chagnoaldum *etiam participem fuisse, satis clare insinuat idem biographus, dum mox alterum* ipso tempore *ab eo patratum subjungit : quare juverit illud huic Commentario inseruisse.* Vacante itaque Columbano, *inquit laudatus scriptor,* cum suis penes Brigantiam urbem, duræ egestatis tempus obvenit. Sed quamvis alimoniæ deessent, manebat intemerata atque inconcussa fides, quæ necessaria apud Dominum impetraret. Cumque jam triduo jejunio fessa corpora essent, repererunt tantam copiam alitum, velut Israëlitarum castra coturnix olim operuit; ita ut omnem pagum loci illius alitum multitudo oppleret. Intellexit vir Dei, suam suorumque ob salutem has dapes terræ diffundi, nec prorsus alibi evenire, præter eo, quo ipse moraretur in loco.

B

divinitus pascitur.

18 Jubet suos prius grates laudesque rependere Conditori, sicque alitum dapes capere : eratque mirum et stupendum miraculum : capiebantur aves, prout patris imperium urgebat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur. Mansit ergo alitum manna per triduum diffusa; quarto vero die quidam pontifex ex vicinis urbibus frumenti copiam, divina admonitus adspiratione, ad B. Columbanum direxit : sed mox Omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps advenit, alitum phalanges imperavit abire. Nam Eustasium hoc cognovimus referentem, qui eo tempore inter reliquos sub viri Dei obedientia ibidem tenebatur adnexus, quod nullus fuerit in caterva, qui ante talium genera alitum se vidisse referret : et tantus sapor in cibo aderat, ut reges dapes vinceret. *Hæc Jonas : ex quibus tum austeram Sancti vitam sub Columbani disciplina actam, tum admirabilem fiduciam in Dei providentiam, et hujus paternam benignitatem licet admirari. Post hæc idem biographus illustre obedientiæ specimen a* S. Chagnoaldo *exhibitum proponit, quod totidem verbis huc transfero.*

C

Ursum sibi obsequentem habet :

19 Ipso itaque tempore cum sub quodam scopulo inter vasta eremi jejunio corpus conficeret *(Columbanus)* et nihil aliud præter ruris poma . . . in cibos caperet, venit assueta abditæ * voracitatis fera ursus, cœpitque necessarios delambere cibos, ac poma ore detrahere. Cumque hora refectionis advenisset, Chagnoaldum ministrum suum dirigit, ut consuetam mensuram pomerum deferret. Qui cum abiisset, ursum interiores frutices rubosque pervagari perspexit, ac poma lambendo carpere. Festinus redit, patrique indicat : ille imperat, ut eat, partemque fruticum in cibos feræ dimittat, aliamque partem sibi reservare jubet. Abiitque Chagnoaldus ac jussa implevit, divisitque virga frutices rubosque, quæ poma ferebant, et partem suam juxta viri Dei imperium egit *, ut fera comedat, aliamque partem in usus viri Dei reservat. Mira in fera obedientia! nequaquam ex prohibita parte ausa est capere cibos, sed in segregata permissaque sibi fruticum parte tantummodo pabula requisivit, quoadusque vir Dei in eo loco commoratus est.

* al. avidæ

* l. dedit

20 *Morabatur autem ibidem adhuc et cum eo* Chagnoaldus *anno Christi* 612, *quo Theodebertus Austrasiæ rex a fratre suo Theoderico Burgundiæ rege prope Tulbiacum cæsus captusque et aviæ suæ Brunichildis jussu necatus est. Occasione hujus pugnæ rursum Sancti nostri mentionem facit Jonas, ita narrationem suam secutus :* Eo igitur tempore vir Dei in eremo morabatur, contentus tantum unius ministri Chagnoaldi famulatu. Ea ergo hora, qua apud Tulbiacum commissum est bellum, supra quercus putrefactæ truncum vir Dei librum legens residebat : quem subitus sopor oppressit, et quid inter duos reges ageretur, vidit. Moxque excitatus Ministrum vocat, cruentamque regum pugnam indicat, multum humanum sanguinem fundi suspirans. Cui temerario conatu Minister ait : Pater mi, Theodeberto tuis præbe precibus suffragium, ut communem debellet hostem Theodericum Ad hæc Columbanus : Stultum ac religioni alienum consilium administras : non enim Dominus voluit, qui nos pro inimicis nostris orare præcepit : in arbitrio est jam justi Judicis, quid de eis fieri velit. Inquirens ergo post Minister eam temporis diem et horam, reperit ita fuisse, sicut viro Dei revelatum fuerat.

AUCTORE C. S.

ob indiscretum zelum a Columbano corripitur.

E

Columbano Italiam petente, Luxovium redit :

21 *Discedente in Italiam Columbano sub annum* 613, Chagnoaldus *Luxovium rediit, ubi tum S. Eustasius præerat. Acta ipsius sub hoc sancto abbate nos omnino latent ; unum hoc scimus, quod monasterii, cui soror ejus S. Fara seu Burgundofara præficienda erat, ædificandi curam, una cum S. Waldeberto susceperit, jubente Eustasio, et ab eodem novello isti virginum cœtui præpositus fuerit, ut eas religiosæ vitæ normam sub S. Columbani Regula edoceret. Ita tradit sæpe laudatus Jonas in Vita Eustasii, ex qua, quæ huc spectant, transfero sequentia :* Igitur venerabilis Eustasius, ut superius *(in Vita Columbani)* diximus, a B. Columbano ab Italia paterno affectu directus, dum æquo jure subditas regeret catervas monachorum, evenit, ut pro communi necessitate ad regem Chlotharium pergeret, qui eo tempore in ultimis Galliæ finibus Oceani maris habitabat. Fuit ergo arrepti itineris via per saltum pagumque Briegium, perventumque est ad quamdam villam Chagnerici . . . Ibi nunc * Chagnericus cum conjuge sua Leudegunde... morabatur, et suum filium Chagnoaldum... penes se habebant. *Sed antequam pergo, observandum est, in Ms., quod Henschenius noster tom.* III *Martii, pag.* 786 *edidit, plane aliter legi in hunc modum :* Hujus *(Chagnerici)* filium secum habebat : *unde consequens fieret, ut Sanctus non apud parentes suos versaretur, cum Eustasius eo venit, sed ut simul cum abbate suo e Luxoviensi cœnobio ad eos accesserit. Nunc cœpta resumamus.*

* al. tunc

F

curam monasterii sororis suæ suscipit :

22 *Narrat deinde sanatam a S. Eustasio Burgundofaram fuisse, et post edita heroicæ constantiæ specimina tandem collaborante eodem sancto, a patre impetrasse, ut assumpto velo virginitatem Christo servaret. Mox in rem nostram de S. Eustasio sic prosequitur :* Monasterium quoque virginum Christi supra paternum solum inter fluvios Mugram et Albam ædificat, Fratresque, qui ædificandi curam habeant, deputat, germanum puellæ Chagnoaldum et Walbertum, qui ei postea successit, ut Regulam doceant decernit. *Quod quam strenue exsecuti fuerint, colligere licet ex sanctitate alumnarum, quæ in eo statim floruerunt, ut in Vita ejusdem Burgundofaræ videre est apud Mabillonium sec.* 2 *Benedict. a pag.* 439. *Porro monasterium hoc olim Brigense*

AUCTORE C. S.

Brigense et Evoriacense, nunc vulgo S. Faræ (Gallis, Farc-Moutier) *appellatur et Regulam S. Benedicti districte servat nomine ac opibus florens, inquit Mabillonius, qui tom.* I *Annal. pag.* 304 *et seq. hæc refert ad annum* 614, *quia existimat, Eustasium ea omnia disposuisse, cum Italia reversus Columbani responsa ad Clotarium relaturus accederet, ab eoque rediret Luxovium. Verum hæc opinio mihi minus probabilis apparet. Etenim si Burgundofara* infra infantiles annos erat, *dum anno* 610 *a Columbano devota Deo est, ut asserit Jonas et Mabillonius admittit, vix quatuor annis infantia egressa fuisset, cum præfatum monasterium condere cœpisset, et reliquis sanctimonialibus abbatissa præfecta esset. Deinde Jonas præsens, de quo agimus, iter satis clare distinguit ab eo, in quo Columbani litteras Clotario detulit; ut patet ex ipsius verbis num.* 21 *relatis, et in quibus nulla facta Columbani epistolæ mentione, dicitur evenisse,* ut dum æquo jure subditas regeret catervas monachorum pro communi necessitate ad regem Chlotarium pergeret. *Quam ob rem præfati monasterii fundatio fortasse melius aliquot annis serius statueretur: verum hæc discuti potuerunt in Actis S.* B *Burgundofaræ, quæ ad* IV *Decembris illustranda venient.*

§ IV. Fit episcopus Laudunensis, interest synodo Remensi; tempus mortis; sepultura.

Fit episcopus Laudunensis, non Lugdunensis,

Itaque cum in Eboriacensi parthenone instituendo utilissimam operam collocaret *Chagnoaldus, ad Laudunensem cathedram evectus est. Jacobus Severius in Chronologia historica archiepiscoporum Lugdunensium, num.* 39, § 1, 2 *et* 3 *contendit, eum non Lauduni sed Lugduni sedisse. Laudat in hanc sententiam Vitas SS. Columbani et Eustasii, quas non soli Jonæ, ut debuerat, verum etiam Bedæ attribuit, quia scilicet inter hujus opera a quibusdam referun-* C *tur. Ex hisce, inquam, duos textus recitat, quibus sententiam suam stabilire conatur. Prior est ex Columbani Vita, in qua sic legitur :* Chagnoaldum Lugduni pontificem, qui ejus minister et discipulus fuit, cognovimus referentem. *Alter ex Eustasii Actis ita habet :* De Fratribus sub ejus regimine constitutis postea plures ecclesiarum præsules extiterunt : Chagnoaldus Lugduni *etc. Verum in editione Mabillonii utroque loco diserte dicitur fuisse episcopus* Lugduni Clavati. *Primum recitavimus num.* 13, *posteriorem subjicio :* Multi eorum post ecclesiarum præsules extiterunt, Chagnoaldus Lugduni Clavati *etc.*

ut perperam vult Severius.

24 *Quinimo licet utrobique vox* Clavati *abesset, non propterea per Lugdunum metropolis intelligenda esset, tum quod* Lugduni *nomine Laudunum apud antiquos sæpe appelletur, ut in Hadriani Valesii Notitia Galliarum videre est; tum quod teste Flodoardo, eodem tempore, quo* S. Chagnoaldus *Laudunensi ecclesiæ præerat, Theodericus Lugdunensi præsederit. Etenim lib.* I *Hist. ecclesiæ Remensis, cap.* 5 *recensens episcopos, qui sub Sonnatio Remensi synodo circa annum* 625 *interfuerunt, sic ait :* Ubi etiam S. Arnulfus Metensium præsul invenitur D interfuisse, cum Theoderico Lugdunensi.... Chainoaldo Lauduni Clavati *etc. Videri potest Menardus in Observationibus in Martyrologium Benedictinum lib.* 2, *ad diem* VI *Septembris, ubi Severtii opinionem solide refutat. Rectius igitur Galliæ Christianæ scriptores tom.* 4, *col.* 39, *sancto nostro Antistiti inter Lugdunenses episcopos locum negant, monentque, eumdem inter Laudunenses collocandum esse : uti jam fecerunt Sammarthani fratres in sua item Gallia Christiana, ubi Sanctus* VI *Laudunensium episcopus recensetur.*

Inquiritur initium episcopatus,

25 *De tempore, quo episcopalem sedem adeptus est, nihil exploratum habeo. Laudati Sammarthani tantum ajunt, illum vixisse anno* 623, *et successisse Roberto I, de quo præter nomen nihil noverant. Cointius tom.* 2 *Annal. Eccl. Franc. pag.* 709 *existimat, eum anno* 619 *episcopatum inire potuisse : idem censet Claudius Robertus Galliæ Christianæ pag.* 377, *ubi Sanctum* V *Laudunensium præsulem recenset. Accedunt Scriptores rerum Gallicarum, qui tom.* 3 *pag.* 504 *hæc notant :* Episcopatum Laudunensem iniisse creditur Chanoaldus anno DCXIX : E *at nullus eorum suum hac in parte assertum probat. Verumtamen hæc opinio non procul a vero abesse videtur, quamvis nihil obstet, quominus aliquot annis episcopatus exordium differri possit, aut forte etiam citius collocari. Etenim prima illius ut episcopi mentio fit in synodo Remensi, cui, teste Flodoardo, interfuit, ut num. superiori ostendimus. Celebrata autem fuit hæc synodus circa annum* 625, *ut apud Cointium in Annalibus, Pagium in Critica, Labbeum et alios videre est.*

et Sancti emortuale tempus.

26 *Gesta Sancti in pontificatu omnino latent : sed de anno emortuali certiora habemus. Vivebat etiamnum anno Christi* 631, *cujus mense Novembri die* XXII *subscripsit chartæ cessionis per S. Eligium factæ in favorem monasterii Sollemniacensis, cui tum S. Remaclus præsidebat. Exstat illa apud Mabillonium inter Additiones ad seculum* 2 *Benedict. pag.* 1091 *et seq., notaturque facta* sub decimo die Kalend. Decemb. anno decimo regni D. nostri Dagoberti regis; *qui annus in Christi* 631 *incidit. Subscriptio vero sancti Antistitis nostri sic habet :* Chanoaldus F episc. rogatus ab Eligio hanc cessionis suæ chartulam subscripsi. *Proximo post signatam chartam anno e vivis excessisse, colligit Cointius ex epistola Pauli Virodunensis episcopi ad S. Desiderium, antistitem Cadurcensem, in qua* S. Chagnoaldi *mors et genus mortis annuntiantur. Habes eam totam apud Chesnium Hist. Franc. tom.* I, *pag.* 885, *unde quæ huc spectant, excerpo :* De regis conditione innotescimus, nuper per Virodunum Remos pergit, ibique Nativitatem Domini expectat. Inde autem Leuduno accedit, et inde in Masao, ac post ripa Reno pergit. Cognoscatis Chainoaldum episcopum ictuatum etiam fati munus implesse.

Sententia Cointii illud ad annum 632 referentis

27 *Ex illo autem regis itinere, quod ibidem describitur, infert laudatus Cointius, epistolam istam exaratam fuisse circa finem anni* 632 : *agi enim in ea de itinere Dagoberti, quem constat anno regni sui* XI, *qui in* 632 *et proxime subsecutum incidit, in Austrasiam profectum, ut filium suum S. Sigebertum Metis regem constitueret. Audiamus Cointium.* Ista, *inquit,* cum festum Dominicæ Nativitatis immineret, exeunte hoc anno (632) scripta sunt, siquidem ad hunc annum pervenit

A pervenit Chainoaldus, qui fundationi Solemniacensis monasterii, x Calend. Decembris, anno x regni Dagoberti, subscripsit, ut anno priori observatum est; et ad Deum migravit octavo Idus Septembres, quo die colitur a diœcesanis. *Ita Cointus, cui et alii quidam consentiunt eruditi, quorum sententiæ ego libens subscriberem, si tam certum esset, quam ipsi existimant, agi ibidem de itinere Dagoberti, in quo anno regni sui* xi *Sigebertum filium Austrasiis regem dedit. Verum id ex tota illa epistola extundi non potest, cum nulla in ea de Dagoberto, nulla de Sigeberto fiat mentio, nec quidquam aliud contineat, quod prædictum iter præ quovis alio designet. Diffiteri nequeo, Dagobertum eo circiter tempore in Austrasiam venisse, cum id diserte tradat Fredegarius in Chronico his verbis :* Dagobertus anno regni sui xi Metis urbem veniens . . . Sigebertum filium suum in Auster regnum sublimavit : *sed unde probabit Cointius, ad illud ipsum iter esse, de quo loquitur Paulus? sane posterius non Metas deducit, sed ab ea urbe abducit. Et quidni potuit loqui de aliquo itinere S.* B *Sigeberti jam regis, qui cum Majore domus suæ aliquot urbes adire potuit, ut Austrasios, qui diu regem proprium desiderarant, sua præsentia in fide confirmaret? Certe huic suspicioni nihil contrarium continet laudata epistola.*

probabilis quidem est,

28 *Præterea mortem Sancti uno saltem aut altero anno serius statuendam esse, probabiliter suadet testamentum S. Burgundofaræ collatum cum die, quo Sanctus obiisse perhibetur. Tossanus du Plessis tom.* 2 *Hist. ecclesiæ Meldensis istud inter instrumenta primo loco recitat ex tabulario monasterii Eboriacensis, seu S. Faræ; idemque recenset laudatus Cointius ad annum* 632 *num.* 23, *cum aliquo tamen discrimine. Sic autem exorditur :* Anno quinto regnante domno Dagoberto rege gloriosissimo, sub die septimo Kal. Novembris. *Confectum igitur fuit die* xxvi *Octobris anni* 632, *quo Dagoberti in Neustria regni annus* v *jam inchoatus erat. Idem postea recognitum fuisse videtur, cum in fine addatur :* Ego feci fierique mandavi, dum testamentum meum mihi sæpius volui revisere *, et per singula recognovisse, constipulatione subnixa. Actum in cœnobio Eboriaco, sub die se- C ptimo Idus Octobris; *sed quo anno non additur. Porro in eo instrumento præfata sancta de* Chagnulfo *germano suo tamquam de adhuc vivente loquitur : ita enim habet apud du Plessis :* Propterea dono, dulcissimis germanis meis faventibus, Chagnulfo, Burgundofarone et Agnetrade, portionem meam de villa vocabulo Luvra *etc. Cointius legit :* Propterea dono, dulcissimis germanis meis faventibus, centum libras Chagnulfo, Burgundofaroni et Agnetradæ portionem meam *etc. Itaque die* xxvi *Octobris anno* 632 *vivebat quidam* Chagnulfus, *Burgundofaræ germanus; hunc vero eumdem esse cum* S. Chagnoaldo *existimat Mabillonius tom.* i *Annal. ad annum* 614, *num.* 10, *et mihi plane verisimile est, cum constet, posteriorem sanctæ germanum fuisse, de alio autem* Chagnulfo *non item; cumque cæteroquin nullam* Chagnoaldi *mentionem fecerit, ubi tamen locus faciendi non deerat, dum de paternæ hæreditatis partitione loquebatur. Contra ejusdem* Chagnulfi *iterum meminit his verbis :* Dare volo vineas, . . . quas contra germanum meum Chagnulfum in concambio visa sum accepisse.

* *Coint.* recensere

29 *Nunc ut ad rem veniamus, si ista ita se habeant, non subsistit sententia Cointii, qui Sanctum* vi *Septembris anni* 632 *ad Deum migrasse statuit, cujus scilicet anni die* xxxi *Octobris adhuc in vivis fuisse dignoscitur ex laudato germanæ suæ testamento. Multo minus cum prædictis conciliari potest suspicio Mabillonii, qui ejusdem mortem in mensem Augustum incidisse opinatur, tom.* 1 *Annal. ad annum* 632, *num.* 29 *sic scribens :* Eodem mense *(Augusto, ut præmiserat)* et forte eodem anno, Chagnoaldus episcopus Laudunensis fati munus implevit ictuatus. *Suboluit tamen, opinor, hæc difficultas Mabillonio, qui propterea tum hoc loco, tum num.* 30 *de anno emortuali dubie locutus videtur. Posteriori loco Chagnulfo, quem prius ipsum* Chagnoaldum *indubitanter dixerat, hæc ait :* Si Chagnulfus idem est cum Chagdoaldo, quem germanum ejus *(Burgundofaræ)* fratrem fuisse, ex Jona indubium est; in vivis adhuc erat Chagnoaldus, cum testamentum condidit Burgundofara, *id est* xxvi *Octobris anni* 632; *adeoque ejusdem mense Augusto non potuit obiisse. Hæc sunt, quæ me impediunt, quominus Cointii sententiæ tamquam certæ subscribam;* E *non tamen inficior, probabilem esse, tum quia de Dagoberti, paulo antequam Sigebertum regem constitueret, per Austrasiam itinere S. Pauli Verodunensis epistola non incommode intelligi potest, et dies Sancti emortualis perperam in Martyrologiis notari; tum etiam quia ista sententia non longe a vero potest aberrare, quantum aliunde colligere licet.*

auctore C. S. sed non certa.

30 *Attola enim, sive Attila, ut eum vocat Flodoardus lib.* 2 *cap.* 6 *Ecclesiæ Remensis, secundum omnes* S. Chagnoaldi *successor fuit. Hic autem, testibus Sammarthanis, Galliæ Christianæ auctæ tom.* 3 *col.* 6 *interfuit ordinationis S. Autberti episcopi Cameracensis, quam Cointius ad annum* 633, *Henschenius ac Papebrochius in Annotatis ad Vitam S. Lundelini abbatis pag.* 1066 *tom.* 2 *Junii, ad annum* 637 *referunt, quæque certe ante* 638 *Dagoberto emortualem contigit, cum hic S. Autberto jam episcopo familiaris et erga eum munificus fuisse tradatur in hujus Vita, quam excudit Surius ad diem* xiii *Decembris, quæque ad prædictum diem in Opere nostro discutienda veniet. Hæc vero S. Autberti consecratio sit anno* 633, *ut vult Cointius, illiganda fit, procul dubio Sancti nostri obitus anno* 632 *consignandus est; sin vero illa ad* 637 *differenda, nihil obstat, quominus et hic ad aliquot annos differatur. Quam ob rem cum incerta pro certis venditare non lubeat, malui Sancti mortem inter annum Christi* 632 *et* 638 *collocare. Quod autem Trithemius lib.* 3 *de Viris illustribus, cap.* 69 *ait, Sanctum nostrum claruisse* anno Domini dcxl, *omnino improbabile est, ut liquet ex dictis.* F

Ultra annum 637 differri non potest.

31 *Quod ad supremi morbi genus pertinet, vidimus supra, eum* ictuatum *obiisse : quæ vox cum cæsum vel percussum significet, Mabillonius aliique passim arbitrantur, illum apoplexia sublatum fuisse : neque improbabiliter; cum tamen ea vox latius pateat, non video, cur pro qualibet alia subita morte usurpari non potuisset. Sæpe laudatus Du Plessis lib.* 1, *num.* 37 *scribit, illum sepultum fuisse in monasterio S. Vincentii non procul ab urbe sua episcopali. Exstat istud monasterium, inquit Sammarthani Galliæ Christ. tom.* 4, *pag.* 944, *in suburbiis Laudunensibus uno ferme lapide Lauduno dissitum, estque Ordinis S. Benedicti; addunt fuisse antiquitus*

Sancti supremus morbus, sepultura, reliquiæ.

AUCTORE C. S.

antiquitus mausoleum episcoporum istius sedis, prout patet ex diplomate Roricii seu Roriconis episcopi Laudunensis, qui anno 961 *abbatiam illam monachis restituit : in quo diplomate ait, se ad eam restaurandum inductum fuisse* maxime, quia non tantum hujus sedis episcoporum, sed etiam canonicorum. . . habebatur sepultura.

D *Porro in eodem monasterio Sancti corpus permansisse videtur, cum laudatus Du Plessis citans in margine archivium parthenonis S. Faræ, asserat, hujus sanctimoniales anno* 1623, XII *mensis Novembris aliquas Sancti nostri reliquias inde impetrasse.*

DE SANCTA BEGA ABBATISSA

IN CUMBRIA ANGLIÆ PROVINCIA

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Memoria in Fastis variis diebus adscripta, varia Sanctæ nomina, ecclesia antiquitus erecta, Officium ecclesiasticum, corporis translatio.

B

E

Post medium sec. VII. Sanctæ memoria a martyrologis

Martyrologium Anglicanum Joannis Wilsoni *opera anno* 1608 *editum, et post hoc alia hac die annuntiant* S. Begam *virginem, primam, ut ferunt, e muliebri sexu in Northumbria monasticæ vitæ alumnam et propagatricem.* In Cumbria, *inquit,* commemoratio S. Begæ, virginis, quæ ex valde nobili stirpe progenita est, instructaque in fide Christiana in nostram Magnæ Britanniæ insulam venit, vitamque multis virtutibus refertam duxit in prædicta Cumbriæ provincia; ubi in insigni vitæ sanctimonia ac miraculorum operatione tandem animam cælesti Sponso suo reddidit. Antiquis Catholicis temporibus olim in ipsius honorem erectum fuit in Cumbria amplum templum ac monasterium, ubi ipsius corpus magna cum reverentia et veneratione asservari solebat ab incolis istius comitatus : qui locus tum temporis celebris erat peregrinatione, præsertim populi ex borealibus Angliæ plagis.

C

variis diebus affixa.

2 *Post laudatum Wilsonum ad eumdem diem illam referunt P. Henricus Fitz-Simone Societate Jesu in Catalogo præcipuorum Sanctorum Hiberniæ anno* 1615 *in lucem dato, et* 1619 *et* 1621 *recognito : Ferrarius in Catalogo generali, Arturus in Sacro Gynæceo, et Wionius in Appendice ad lib.* 3 *ligni Vitæ : qui omnes locis citatis ipsam* Begam *appellant. His accedit Thomas Dempsterus in Menologio Scotico* VI *Septembris sic scribens :* In Scotia loco Kilbeg, Begæ virginis magnorum operum, quæ Norvegiam laboribus suis Christo lucrata dicitur; unde Norvegia, quasi Norbegia : *verum hæc de Norvegia fabulis annumera. Ast alii eamdem Sanctam nostram sub eodem aut etiam alio vocabulo aliis diebus annuntiant. In primis laudatum Martyrologium Anglicanum recusum anno* 1640 *eam ad diem* XXII *Novembris commemorat simili fere quo supra elogio. Camerarius de Scotorum pietate lib.* 3 *diem* VIII *Septembris ipsi sacram assignat : Gabriel Bucelinus in Nomenclatore Menologii Benedictini, diem* XXVIII *Decembris statuit : Grevenus in Auctariis Usuardi ad* XXXI *Octobris, quo die etiam in Breviario insignis ecclesiæ Aberdonensis in Scotia, edito anno* 1509, *ipsius memoriam ecclesiastico officio celebrari solitam reperio.*

Ab aliquibus sub eodem, vel vario nomine

3 *Sunt, qui geminam* S. Begam *virginem agnoscunt : inter hos Philippus Ferrarius utramque ad hanc diem* VI *Septembris refert, in Catalogo generali sic scribens :* In Cumbria, sanctæ Begæ virginis. *Et aliquibus interjectis tamquam de altera ab hac distincta :* In Scotia sanctæ Begæ virginis. *Ferrarium secutus est Arturus in Gynæceo : uterque autem annotat, eam etiam* Bedam *appellari. At Castellanus in Martyrologio universali Gallice edito duas itidem commemorans, primam hoc ipso die Gallice sic annuntiat :* Prope Egremondam * in comitatu Cumbriæ, in Anglia, S. Bega virgo Hyberna, patrona regni Norvegiæ. *Alterius memoriam alligat diei* XXXI *Octobris his verbis :* In comitatu Northumbriæ, sancta Bega Virgo. *In margine observat sequentia :* Bega diversa est a S. Bega Egremontana, dicta etiam S. Vega. *Præterea nonnulli eamdem, ut ostendemus, sanctam Virginem sub gemino nomine variis diebus commemorant. Utraque enim editio laudati Martyrologii Anglicani ad* XXX *Maii celebrat memoriam* S. Hieu, *seu* Heynæ virginis *in civitate* Calcariæ, *quam prior editio* Colcestriam *in Essexia Angliæ provincia interpretatur; altera* Tadcaster *in provincia Eboracensi. Anglicanum secuti sunt Ferrarius in Catalogo generali et Arturus in Gynæceo.*

* Egremond

F

perperam geminatur.

4 *Verum mihi una eademque sancta Virgo est, quæ* Bega, Beda, Vega, Heyna *vel* Heju *seu* Hieu *fuerit appellata. Advertit id Michaël Alfordus in Annalibus Anglo Saxonicis tom.* 2, *pag.* 291, *ubi hoc solide probat in hunc modum :* Moritur hoc anno, ut in nostro Martyrologio legitur, S. Heyna Virgo, quam Beda passim Heju vocat, alii communius Begam. Hæc cum Heorthu monasterium fundasset, Hillamque ei præfecisset, ad Tadcaster oppidum fecisset, ibique sancto fine quievit. In eo singulariter memorabilis, quod prima fuerit e Northumbriæ virginibus, quæ religiosum habitum suscepit. Scio, aliquos Heynam hanc a Bega distinguere; quos sequi videtur nostrum Martyrologium, ubi ad XXII Novembris Bega legitur sancte mortua anno Domini DCL : Heyna autem DCLVII ad XXX Maii.

A Maii. Sed cum de utraque dicatur ibi, quod prima fœminarum monasticam vestem induerit in regno Northumbriæ a S. Aidano episcopo; eo ipso satis innuitur, unam eamdemque esse. Nec multum obest, quod Heina dicatur e Northumbriæ regibus descendisse; Bega vero Hiberna vocetur; quia Hiberniceæ insulæ Northumbris vicinæ frequenter sanguinem miscebant.

Cur hoc die detur,

5 *Huic Alfordi sententiæ adhærendum puto, tum ob rationes ab ipso allatas, tum quod nullam necessitatem videam duas* Begas *adstruendi.* Heynam *aut* Heju *sive* Heru, *eamdem cum* S. Bega *esse, manifestum est ex Bedæ Historia collata cum iis, quæ de* S. Bega *nostra reliqui omnes tradiderunt, quemadmodum per decursum probabimus. Quod autem quidam scribant, eam Norvegos Christo lucratam fuisse, morari nos non debet, cum id nullo idoneo teste confirment; auctoremque habere videantur Thomam Dempsterum, quem in patriæ suæ gratiam nimium fabulis indulsisse, notum est. Porro Majores nostri ad diem* XXX *Maii* S. Heynam *sive* Hieu *inter prætermissos retulerunt, monueruntque, de* B *ea agi posse vel ad* XXXI *Octobris, quo die in Auctario Greveni ad Usuardum* Begæ *virginis nomen legitur, vel* XXII *Novembris, quo a Wilsodo annuntiatur. Breviarium Aberdonense de anno* 1509, *Officium Sanctæ proponit ad* XXXI *Octobris, quo obiisse ibidem traditur. Verum cum plures martyrologi prædicto Breviario recentiores ejusdem memoriam huic diei affigant, cum hisce de ea hodie agendum censui. Quod si in re incerta conjecturis quidquam tribuere licet, si Sancta re vera mortua sit* XXXI *Octobris, ut in ipsius Officio asseritur, forte hac* VI *Septembris ejusdem Translatio celebratur, quam post quadringentos circiter ei sexaginta annos peractam fuisse, idem Officium affirmat.*

Cultus antiquus probatur ex ecclesia ipsi

6 *Quod ad cultum Sanctæ exhibitum spectat, non dubito, quin is antiquus sit et immemorialis. Hujus enim rei certam fidem facit carta fundationis cellæ* S Begæ, *in comitatu Cumbriæ, quam Rogerus Dodswort et Guilielmus Dugdale, in Monastico Anglicano pag.* 395 *et seq. totam recitant, desumptam, ut asserunt, ex autographo, servato in turri B. Mariæ Eboracensis. In eo instrumento Guilielmus Meschi-* C *nes, dominus Couplandiæ in Cumbria, inter cetera sic ait:* Dedi et præsenti chartula confirmavi ecclesiæ sanctæ Mariæ Eboracensis cœnobii ecclesiam sanctæ Begæ, quæ est sita in Caupalandia, et septem carucatas terræ quietas et solutas ab omni seculari servitio. *Subjungit et alia multa dona ac privilegia, et tandem subdit:* Et sciendum, quod omnes has eleemosinas dedi prædictæ abbatiæ Eboraci consilio Turstini archiepiscopi et uxoris meæ Ceciliæ et hominum meorum et concessione Ranulphi filii mei, tali conventione et pacto, ut ibi sit cella monachorum et abbas Eboraci et capitulum semper mittant et habeant in ecclesia sancta Begæ Priorem et cum eo sex monachos ad minus residentes et servientes ibidem Domino.

dicata jam a seculo XII

7 *Tempus, quo hæc carta confecta est, facile eruimus ex iis, quæ mox subjungit in hæc verba:* Hanc autem eleemosynam feci pro salute domini mei Henrici, regis Angliæ, et pro anima Matildis reginæ et Willielmi filii eorum et pro salute Turstini archiepiscopi et pro remedio antecessorum meorum et meo et uxoris meæ et liberorum meorum et fidelium meorum: testibus hiis, Turstino archiepiscopo *etc. Ex hisce, inquam, discimus, chartam illam circa annum* 1121 *conscriptam fuisse: hoc autem sic ostendo. Facta est ea donatio sub Henrico* I *Angliæ rege post obitum Matildis reginæ, et eorum filii Guilielmi Normanniæ ducis, ut indicare videntur hæc verba fundatoris:* Hanc eleemosynam feci pro salute domini mei Henrici regis Angliæ, et pro anima Matildis reginæ et Willielmi filii eorum. *Cumque prædicta Matildis anno* 1118 *e vivis excesserit, Guilielmus autem anno* 1120, *incurrente in scopulum navi, naufragio perierit, teste Alfordo tom.* 4 *Annal. eccles. Anglicanæ ad annos citatos, consequens fit, ut laudata charta anno* 1120 *aut aliquot annos post fuerit conscripta.*

AUCTORE C. S.

aut diu ante.

8 *Verum cum in eodem instrumento nulla fiat mentio de Adelica regina, cujus cum Henrico nuptias citatus Alfordus anno* 1121 *illigat, probabilius apparet, fundationem illam factam fuisse ante Adelicæ nuptias, pro cujus salute alioquin etiam facienda fuisse videtur. Eo etiam tempore donationi interesse potuit Turstinus, si-* E *ve Thurstanus, qui anno* 1119 *Eboracensis archiepiscopus a Calisto II ordinatus, post multas simultates anno demum* 1121, *permittente Henrico, in Angliam reversus suam cathedram adiit, si vera narret laudatus Annalista. Idem Monasticon exhibet aliud instrumentum ejusdem Guilielmi, continens donationes varias* Deo et sanctæ Mariæ Eboraci et sanctæ Begæ et monachis ibidem servientibus *factas. Huic et alia carta ex eodem loco deprompta subjungitur, qua Ranulphus Meschinus, Guilielmi filius,* ecclesiam sanctæ Begæ, quæ est in Couplandia, *a patre suo abbatiæ Eboracensi donatam, concedit, fundationemque confirmat atque amplificat. Denique exstant ibidem carta Guilielmi de Forz comitis Albemarliæ, et aliud regium quoddam diploma facta in favorem ejusdem* ecclesiæ santæ Begæ in Coupelandia. *Ex quibus omnibus manifeste liquet, Sanctam nostram seculo* XII *adolescente jam habuisse templum suo cultui dicatum in Cumbria, cujus pars est Coupelandia. Sed a quo tempore* S. Begæ *nomine nuncupari cœperit, nusquam memoriæ proditum reperi: quare potuit jam aliquot seculis prius istud sacellum ipsi jam erectum fuisse, cum videatur fuisse primum Sanctæ monasteriolum, ut num.* 13 *videbimus.* F

Officium ecclesiasticum, translatio corporis

9 *Alterum cum antiqui tum recentioris cultus indicium habemus ex Breviario Aberdonensi anno* 1509 *Edimburgæ excuso. In eo ad* XXXI *Octobris recitandum proponitur Officium novem lectionum de* S. Bega *virgine, et S. Quintino martyre: ex lectionibus tres priores totidemque posteriores sunt de Sancta nostra, tres mediæ de S. Quintino: oratio isthæc præscribitur:* Deus, qui cunctarum virginum castitatis es custos, beatæ virginis tuæ Beghæ precibus aures pro nobis supplicantis tuas conferre dignare, et tibi fideliter servientibus omnem extingue libidinis flammam. Per Dominum *etc. Lectio octava de cultu hæc habet:* Revolutis.. pluribus annis.. pridie Kal. Novembris... anima sanctissima a corpore divisa, excelsas penetravit super æthera nubes, corpusque terræ tradebatur pulveribus; quod in eisdem per annos circiter quadringentos et sexaginta cunctis mortalibus incognitum jacebat; quod divinitus revelatum, nunc digno cum honore translatum est in monasterio de Whitbe in magno habetur pretio, languidis in præsens sanitatem præbens. *Quibus verbis citatum Breviarium luculenter testatur, corpus Sanctæ*

AUCTORE C. S.

ad monasterium Whitbense, cujus notitia

Sanctæ olim translatum, etiamnum miraculis claruisse initio seculi XVI.

10 *Monasterium Whitbe seu Whitbyense, antiquitus dictum* Strenshalh *sive* Streaneshalh, *conditum fuit a* S. Hilda, filia nepotis Edwini regis, vocabulo Hererici, *teste Beda Hist. eccles. gentis Anglorum lib.* 4 *cap.* 23, *ubi ait:* Contigit eam suscipere etiam construendum sive ordinandum monasterium in loco, qui vocatur Streaneshalh, quod opus sibi injunctum non segnitur implevit. *Loci fundator creditur fuisse Oswius, Northumbriæ rex, qui contra Pendam Merciorum regem pugnaturus votum conceperat de consecranda per virginitatem filia sua Elfleda Deo; quod relata memorabili victoria fideliter adimplevit, prout videre licet apud laudatum Bedam lib.* 3, *cap.* 24. *Pauca, quæ huc pertinent accipe:* Intravit autem, *inquit*, præfata regis Oswi filia Deo dicanda monasterium, quod vocatur Heruteu (id est Insula cervi,) cui tunc Hilda abbatissa præfuit. Quæ post biennium comparata possessione decem familiarum, in loco, qui dicitur Streaneshalh, ibi monasterium construxit; in quo memorata regis filia, primo discipula vitæ regularis, deinde etiam magistra extitit... In quo monasterio et ipsa et pater ejus Oswi et mater ejus Eanfled et pater matris ejus Edwinus et multi alii nobiles in ecclesia S. apostoli Petri sepulti sunt. *Hæc Beda.*

B

datur.

11 *Alfordus tom.* 3 *Annal. ad annum* 869 *laudatus Harpsfeldium sec.* 9 *cap.* 14 *Historiæ Anglicanæ, scribit, illud monasterium a Danis eversum esse. Monasticon Anglicanum tom* I, *pag.* 71 *et seqq. restauratum fuisse ostendit circa annum* 1067, *adeoque quinto post* S. Begæ *obitum seculo, ut proinde ipsius sacræ exuviæ post quadringentos et sexaginta annos, quemadmodum in Breviario asseritur, eo transferri potuerint. Porro antiquato prisco nomine nunc* Withby *appellari solet, situmque est in Septemtrionali Eboracensis comitatus plaga, vulgo* Northriding *nuncupata. De eo Camdenus in Britannia pag.* 587 *hæc scribit:* Inde Dunus Sinus, a Ptolomæo memoratus..., cui Dunesley viculus assidet, et huic contiguum Whitby, Saxonice Streanes-heale, quod Beda Sinus Phari interpretatur. *Et post aliqua:* Edelfleda Oswini regis filia amplissimis redditibus hoc postea adauxit, ubi et patri justa solvit: sed demum Danicæ deprædationis tempestas omnino evertit; et quamvis Serlo Percius instaurarit, nunc tamen antiquæ dignitatis vix tenue præ se fert vestigium. *Ceterum de hoc Whitbyensi monasterio paulo latius egi, ut loci, in quem sanctæ Virginis nostræ corpus translatum cultumque dicitur, notitiam darem.*

C

§ II. Sanctæ gesta, mors, sepultura.

Sancta gesta ex illius Officio et Beda potissimum desumenda.

Acta Sanctæ nulla exstant præter jam laudatas lectiones in Breviario ecclesiæ Aberdonensis, quæ an ex antiquiori scriptore deromptæ, an initio seculi XVI *ex traditionibus certis incertisve conflatæ fuerint, omnino me latet; quare nec certum judicium de rerum veritate, quæ in iis narrantur, ferre mihi licet: nihil tamen continent minus credibile aut a veritatis specie abhorrens, nisi quod uno et altero loco a vero aberrent, quem propterea aliunde emendabimus.* D *Prædictas lectiones ob Actorum penuriam ex Mss. excudemus, postquam ea, quæ apud alios scriptores de ea reperimus, curioso lectori exhibuerimus. Venerabilis Beda Historiæ eccles. gentis Anglorum lib.* 4, *cap.* 23 *honorifice de Sancta nostra meminit, occasione B. Hildæ hæc scribens:* Post hæc facta est *(B. Hilda)* abbatissa in monasterio, quod vocatur Heortheu, quod videlicet monasterium factum erat non multo ante a religiosa Christi famula Heru; quæ prima fœminarum fertur in provincia Northanhymbrorum propositum vestemque sanctimonialis habitus, consecrante Aidano episcopo, suscepisse. Sed illa post non multum tempus facti monasterii secessit ad civitatem Calcariam, quæ a gente Anglorum Kalcacester appellatur, ibique mansionem sibi instituit. *In Beda, cetera prosequens spectantia ad Hildam. Quod autem* religiosa Christi famula Heru, *de qua ipse, eadem sit cum* S. Bega *manifestum est ex eo, quod eadem prorsus, quæ de* Heru *ex Beda retulimus, a reliquis scriptoribus de* S. Bega *narrentur.*

E

Monacha facta condit cellam in Cauplandia:

13 *Sæpe memoratum Monasticon Anglicanum tom.* I, *pag.* 395 *laudans Vitam Sanctæ nostræ et Lelandi Collectanea, quatuor monasteria per* S. Begam *in Anglia exstructa asserit. De primo sic habet:* Bega primum humile monasteriolum construxit in Cauplandia versus Carlelan in extremis Angliæ finibus, ubi nunc sunt aliquot monachi Mariani urbis Eboracensis et vulgo vocatur Sainct Beges. *De hoc monasterio sive cella* S. Begæ *jam egimus num.* 6 *et seqq. Addo aliqua de ejusdem situ ex Britannia Camdeni, qui pag.* 630 *in descriptione Cumbriæ de eo ceu promontoriolo ita scribit:* Littus in Occasum pedetentim se provehit, promontoriolumque efficit, quod S. Bees, pro S. Bega, vulgo vocatur. Bega enim virgo Hibernica pia et religiosa vitam illic solitariam egit, cujus sanctitati miracula adscribuntur de tauro cicurato et copiosissima nive, quæ solstitiali die, illa precante, valles et montium summitates alte intexerat. Vix mille hinc passus Egremont castrum colli imponitur, sedes olim Guilielmi des Meschines *etc. In hoc ipso loco conditam fuisse cellam* S. Begæ, *de qua superius, liquet ex cartis fundationis per Guilielmum et Ranulphum de Meschines, quas supra retulimus, et in quarum altera Guilielmus ita loquitur:* Reddidi etiam et dedi eidem ecclesiæ parochiam suam... videlicet quidquid continetur a Witohona usque Chechel et sicut eadem Chechel cadit integre et egre in mare et nominatim capellam de Egremund, quæ est sita intra prædictos terminos *etc. Exstabat etiamnum prædicta cella seculo* XVI, *ut fidem facit catalogus sacrarum ædium in Anglia, jussu Henrici* VIII *anno regni ejus* 26 *confectus, et postmodum in libros Primitiarum et Decimarum relatus, teste laudato Monastico pag.* 1038 *et* 1045: *nunc cetera prosequamur.*

F

non exstruxit monasterium ad Wirum flumen, sed bene Heorthense,

14 Deinde ad Septentrionalem partem Wire fluminis monasterium construxit, *inquit idem Monasticum loco num. præced. citato: sed verisimilius perperam; Beda enim. lib.* 4 *cap.* 23 *istius cœnobii fundationem ad S. Aidanum episcopum Lindisfarnensem et Hildam referre videtur. Bedam audiamus de vita et obitu Hildæ ex professo scribentem.* Deinde ab Aidano episcopo in patriam revocata *(Hilda)* accepit locum unius familiæ ad Septentrionalem plagam

Wiri

A Wiri fluminis; ubi æque anno uno monachicam cum perpaucis sociis vitam agebat. *Certius est, quod iidem collectores subjungunt:* Herutey *(ab aliis* Herthu *dicitur,)* qui locus Latine sonat Cervi insula, commigravit, cœnobiumque virginum ibi condidit, pauloque post Hildæ sacræ virgini cessit. *Quo in loco monasterium istud conditum fuerit, certo non constat: Camdenus in Britannia censet fuisse in* Hartlepole *celebri emporio, quod in episcopatus Dunelmensis Orientali oceani littore collocat.* Littus inde, *inquit,* promontoriolo solum uno prominet vix septem supra Tesis *(fluvii)* ostium milliaribus, cui Hartlepole, emporium celebre et statio fida situ percommodo insidet. Heortu Beda vocare videtur, (quod Huntingdonensis Cervi insulam interpretatur) ubi Heju mulierem religiosam monasterium olim fundasse memorat: si Heorteu non sit potius territorioli illius nomen, quod Dulnemensis liber innuit, et Heort-nesse alibi appellat, quod in mare longius procurrit. *Consuli etiam potest Bollandus noster in Vita S. Elfledæ tom.* 2 *Feb. pag.* B 181.

in Dunelmensi comitatu, non multum

15 *Tempus conditi cœnobii Heorlhensis eruimus ex iis, quæ de ætate B. Hildæ, quæ sanctæ Abbatissæ nostræ successit, tradit venerabilis Beda lib.* 4, *cap.* 25. *Bollandus mox laudatus de ætate illa agit* § 4 *num.* 19 *et duobus sequentibus; quare ne longior æquo sim, in compendium contraham, quæ ibi curiosus lector prolixiori stylo ex Beda reperiet. Obiit Hilda anno Christi* 680, *ætatis suæ* 66, *ex quibus triginta tres posteriores* in monachica vita Domino consecravit: *anno igitur* 647 *vitam monasticam, teste Beda, amplexa est. Biennio ante quam* S. Begæ *successit, in Orientalium Anglorum apud quos propinquus ejus regnabat, provinciam recessit, ut inde ad monasterium Calense in Gallia, ubi soror ipsius Hereswit Deo serviebat, virginitatem suam Christo sponso consecratum trajiceret. Verum in ea provincia per annum integrum retenta est.* Deinde ab Aidano episcopo in patriam revocata, accepit locum unius familiæ ad Septentrionalem plagam Wiri fluminis; ubi æque anno uno monachicam cum perpaucis sociis vitam agebat. Post hæc facta est abbatissa in monasterio, quod vocatur Heortheu, quod videlicet monasterium factum erat C non multum ante a religiosa Christi famula Heru: *ut habet Beda.*

ante annum 649:

16 *Bollandus, qui inter triginta tres annos, quos S. Hilda in monachica vita Domino consecrasse dicitur, annum illum numerat, quo in Orientalium Anglorum provincia commorata est, ex dictis deducit, eam anno* 647 *secularem habitum posuisse, anno* 648 *monacham factam, ac denique anno* 649 *monasterio* S. Begæ *abbatissam præfectam fuisse. Hinc ulterius conficitur, præfatum monasterium non multo ante annum* 649 *a Sancta nostra conditum fuisse. Quamdiu autem cœnobium istud floruerit, incompertum mihi est; cum post Hildæ tempora nullam de eo fieri mentionem reperiam. Forte eadem Danica irruptione, qua post medium seculi* IX *monasterium Streaneshalense cum multis aliis periit, hoc quoque destructum est, nec postmodum reparatum. Sed ad Monasticon Anglicanum redeamus.*

hinc Calcariam secedens, novam cellam sibi condit.

17 Bega autem, *inquit,* relicta insula de Herutey contulit se Calcarium, quæ a Saxonibus vocatur Helcacester, et novum sibi monasterium condidit. *Hausta hæc sunt ex laudato Beda, qui cum dixisset, S. Hildam in Heorlhensem abbatiam* S. Begæ *successisse, mox de hac ita prosequitur:* Sed illa post non multum tempus facti monasterii secessit ad civitatem Calcariam, quæ a gente Anglorum Kalcacester appellatur, ibique mansionem sibi instituit. *Verum an mansio illa cœnobium fuerit, ex citatis verbis non satis liquet: probabile tamen apparet, cœnobiolum aliquod aut cellam fuisse, in qua ipsa seu sola seu cum aliquot virginibus reliquum vitæ traduxerit. Quod ad Calcariam spectat, Camdenus putat esse* Tadcaster, *quam in comitatus Eboracensis Occidentali parte statuit ad Wherfum amnem.* Wherfus, *inquit,* per Tadcaster exiguum quidem oppidulum defluit, quod tamen Calcariam fuisse ex distantia, soli natura et nominis notatione non possum non sentire... Ad nonum enim milliare Italicum ab Eboraco abest, uti Calcariam statuit Antoninus. Calx etiam, quæ... vix alibi in hoc tractu reperitur, hic copiose effunditur... Cum autem illa Britannis Saxonibusque olim et Septemtrionalibus Anglis Calc Romano nomine dicatur... et Calcariensis in Codice Theodosii dicantur, qui sunt calcis excoctores, non absurdum videatur, si E nominis ratio a calce petatur,... maxime cum etiam Calca-cester Bedæ dicatur, ubi meminit Heinam mulierem, quæ primæ in hac regione sanctimoniales vestem suscepit, ad hanc civitatem secessisse, et mansionem sibi instituisse.

AUCTORE C. S.

Sancta nostra videtur alia ab illa Begu,

18 Bega tandem a Calcaria peregre proficiscens, obiit apud Hacanos, monasterium velatarum virginum, *ait idem Monasticon et hujus exemplo Mabillonius tom.* 1 *Annal. pag.* 436: *utrobique vero Hacanos seu Haconos tertio milliari dissitum dicitur a Scardoburgo, quod Angliæ castrum est in Septentrionali Eboracensis comitatus plaga, et oræ maris Germanici insidet. Monasterium istud a S. Hilda conditum fuisse anno* 680, *quo obiit, auctor est Beda; qui addit, distantiam inter hoc et Streaneshalense cœnobia fuisse trecedim ferme mille passuum. At quod in eodem* S. Bega *vixerit, obieritque, nusquam quod sciam tradit, saltem clare: nihilominus existimo, præcitatos scriptores id non aliunde, quam ex Beda conjecturando desumpsisse. Hic enim lib. et cap. citatis agens de obitu S. Hildæ, hæc scribit:* Qua videlicet nocte *(qua prædicta Hilda obierat)* Dominus omnipotens obi- F tum ipsius in alio longius posito monasterio (quod ipsa eodem anno construxererat, et appellatur Haconos) manifesta visione revelare dignatus est. Erat in ipso monasterio quædam sanctimonialis fœmina nomine Begu, quæ triginta et amplius annos dedicata Domino virginitate, in monachica conversatione serviebat.

cui mors S. Hildæ

19 Hæc tunc in dormitorio Sororum pausans, audivit subito in aere notum campanæ sonum, quo ad orationes excitare vel convocari solebant, cum quis eorum de seculo fuisset evocatus, apertisque (ut sibi videbatur) oculis, aspexit, detecto domus culmine, fusam desuper lucem omnia replevisse. Cui videlicet luci dum solita intenderet, vidit animam præfatæ Dei famulæ in ipsa luce, comitantibus ac ducentibus eam angelis, ad cœlum ferri. Cumque somno excussa videret cæteras pausantes circa se Sorores, intellexit, vel in somnio, vel in visione mentis ostensum sibi esse, quod viderat. Statimque exurgens nimio timore perterrita cucurrit ad virginem, quæ tunc monasterio abbatissæ vice præfuit, cui nomen erat Frigyth, fletuque ac lacrymis

AUCTORE C. S.

lacrymis multum perfusa ac suspiria longa trahens, nunciavit, matrem illarum omnium Hildam abbatissam jam migrasse de seculo *etc. Quæ omnia ex ipso eventu verissima comperta fuisse, affirmat.*

in monasterio Hacanos dicto

20 *Ex hoc, inquam, loco Monastici collectores hausisse suspicor, quæ de Sanctæ nostræ in monasterio Haconos habitatione scribunt. Favet ipsis tum nominis affinitas, tum tempus, quod in monastica vita egisse dicitur :* Bega *enim nostra a S. Aidano episcopo, qui ab anno* 634 *vel* 635 *usque ad* 651 *Lindisfarnensem cathedram tenuit, velata fertur, ac propterea si circa postremos S. Aidani annos monacham induerit, et ad annum* 680 *pervenerit, jam* triginta et amplius annos dedicata Domino virginitate, in monachica conversatione serviebat; *quod ipsum hic de Begu asseritur. Verumtamen mihi probabilius apparet, hanc Begu a Sancta nostra distinctam esse. Nam primo, quorsum Beda illam in ejusdem orationis contextu eodemque capite, modo* Heru *sive* Heju, *modo* Begu *appellasset, non monito lectore, eam binominem fuisse? Secundo si* S. Heru *ex urbe Calcaria in Haconos secessis-* B *set, videtur id Beda verbo indicaturus fuisse : nota enim* Heru *sive* Begæ *sanctitas revelationis fidem magis commendasset, quam alterius cujuslibet triginta aut plurimum annorum in monasticis disciplinis transacta vita. Id tamen neutro loco facit : imo contrarium insinuat, dum priori loco de Calcaria tamquam ultimo Sanctæ domicilio ait :* Secessit ad civitatem Calcariam, ibique mansionem sibi instituit: *in secundo autem tamquam de alia quadam ait :* Erat in ipso monasterio quædam sanctimonialis fœmina, nomine Begu *etc.*

revelata traditur.

21 *Denique si Sancta nostra anno* 680 *superfuisset, quadraginta potius aut forte plures religiosæ vitæ annos tum numerasset : ipsa enim, ut habet Beda,* prima fœminarum fertur in provincia Northanhymbrorum propositum vestemque sanctimonialis habitus, consecrante Aidano episcopo, suscepisse; *idque si vera narret Breviarium Aberdonense, regnante sancto rege Oswaldo, qui anno* 642 *martyrio coronatus est, ut ostenditur in Actis tom.* 2 *Augusti pag.* 85. *Mihi itaque multo verisimilius apparet, virginem* C *Begu, cui mors S. Hildæ divinitus revelata dicitur, fuisse unam ex ascetriis Heorthensis cœnobii, in quo religiosam vitam profiteri potuit sub* S. Bega *nostra, vel quæ ei anno* 649 *vel sequenti successit, sub S. Hilda, a qua in monasterium Haconos recens a se conditum, missa videtur, cum jam triginta aut plures religionis annos numeraret.*

Probabilius obiit Calcariæ,

22 *Quare ego Monastico, quod Sanctam nostram apud Hacanos obiisse, ex hoc, ut apparet, capite censet, consentire non possum. Breviarium Aberdonense alium mortis locum, monasterium scilicet Heorthense assignare videtur : etenim illius auctor cum dixisset, sanctam Abbatissam monasterii sui Heorthensis curam et moderamen in S. Hildam transtulisse, mox subdit :* Sub cujus custodia B. Begha usque ad vitæ suæ exitum sancte vivendo permansit. Revolutis itaque in ea pluribus annis, . . . anima sanctissima a corpore divisa excelsas penetravit super æthera nubes, corpusque terræ tradebatur pulveribus, *etc., quæ infra num.* 5 *legere est. Duo hic asseruntur : primum est, Sanctam abdicato abbatissæ munere, sub S. Hildæ moderamine reliquum ætatis exegisse ac vita functam* fuisse; *alterum illam suo eadem abbatissa fuisse* D *sepultam : cumque de solo Heorthensi cœnobio meminerit, consequens fit, ut ex istius auctoris sententia* S. Bega *in eodem monasterio post depositam prælaturam sub S. Hilda vitam duxerit, obierit, in eodemque fuerit sepulta. Prima hujus asserti pars satis a nobis refutata est supra num.* 20, *ubi ex Beda ostendimus, illam relicto præfato cœnobio Calcariam secessisse, nec inde reversam videri ; cum laudatus venerabilis scriptor civitatem Calcariam velut ultimam Sanctæ* mansionem *assignet. Verum igitur non est, eam sub S. Hildæ custodia usque ad vitæ suæ exitum permansisse, nisi forte Calcariensis cella monasterio Heorthensi ejusdemque abbatissæ fuerit subjecta.*

et sepulta est in monasterio Heorthensi.

23 *Quod vero ad secundam partem, sepulturam scilicet, attinet, lubens admitto, Sanctam nostram in Heorthensi cœnobio mandatam terræ fuisse : quippe valde verisimile est, demortuæ corpus Calcaria illuc translatum fuisse, ut in suo ipsius monasterio sancta Fundatrix quiesceret. Præterea alterum argumentum eruitur ex præcitato Breviaro ; ita enim habet :* Corpus terræ E tradebatur pulveribus; quod in eisdem per annos circiter quadringentos et sexaginta . . . jacebat; quod divinitus revelatum nunc digno cum honore translatum est in monasterio de Witbe *etc. : ex quibus liquet,* S. Begæ *corpus in Heorthensi cœnobio, de quo solo ibidem agitur, primum sepultum fuisse, nisi quis aut aliam quamdam priorem translationem fingere velit, aut eam, quæ in Breviario traditur, sine fundamento negare. Porro ex hac Heorthensi sepultura auctor Breviarii male deduxisse videtur,* S. Begam *in eodem monasterio post depositam prælaturam, postremam ætatem suam exegisse : quippe cum de sepulto ibidem ipsius corpore constaret, pronum erat scriptori minus diligenti existimare, eam in eodem loco obiisse.*

Obiit post medium seculi septimi.

24 *Ex hactenus dictis liquet, Sanctam circa medium seculi* VII *floruisse : at quo anno nata aut denata fuerit, cum divinare non lubeat, determinare non possumus. Divinat enim Martyrologium Anglicanum Wilsoni, dum ad diem* XXX *Maii* S. Hienæ, *quam eamdem cum* Bega *diximus, mortem anno* 657 *illigat, et ad* VI F *Septembris in priori editione, in posteriori vero ad* XXII *Novembris,* S. Begam *obiisse statuit anno* 650. *Unum hoc certum est, quod ad medium prædicti seculi pervenerit, cum anno* 648 *aut* 650, *relicto S. Hildæ Heorthensi cœnobio, Calcariam commigrarit, ibique sibi domicilium exstruxerit, ut supra vidimus : sed quamdiu in eo deinde vixerit, nec Beda tradit, nec aliunde discere potui. Nihil etiam erui potest ex translatione, quæ* annos circiter quadringentos et sexaginta *ab ejus obitu in Breviario Aberdonensi facta refertur, tum quod annos tantum* circiter *assignet ; tum quod annum, quo translatio facta fuerit, non determinet. Probabile tamen est, eam aliquos, saltem paucos, annos Calcariæ in vivis superfuisse, cum de ejusdem in hanc urbem secessu conditoque inibi domicilio, non vero de morte meminerit Beda. Ob hasce rationes Sanctæ obitum post medium seculi* VII *fixi.*

VITA

A

VITA

Ex lectionibus propriis in Breviario Aberdonensis ecclesiæ in Scotia.

S. Bega ex Hibernia fugiens in Britanniam, LECTIO I. Begha virgo gloriosa cum a parentibus conjugali daretur thoro, audiens, quod tanta Christi fides in Britannia floreret, Hyberniam, unde duxerat ortum, et parentes reliquit, acceptoque oraculo ab angelo in somnis, dum sopor omnes, qui intra paternos lares erant, oppresserat, clam regia deseruit palatia *a* et ad marina littora confestim properabat, et ad portum quemdam aptum perveniens, navim præparatam juxta divinum promissum adinvenit.

B 2 LECT. II. Illamque ingressa prospero cursu in Scotiam pervenit; quæ post longam suam et diuturnam peregrinationem, in jejuniis et vigiliis et orationibus continuis corpus suum castigando, a beato patre et sanctissimo viro Aidano episcopo *b*, tempore, quo Oswaldus *c* in Northumbria rex regnavit Christianissimus, primum benedictionis velamen in Britannia accepit, quam primam monialium religionis constituit abbatissam. *prima in Northanhymbrorum provincia sanctimonialis facta,*

3 LECT. III. Constructaque cellula per præfatum regem Oswaldum in insula quadam deserta *d*, quam plurimas virgines Deo sanctas et corpore castissimas sibi sociavit; quas Begha beata cum omni diligentia et cordis vigilantia in divina instruxit lege, et ut mater sibi charissimas filiolas ad Deo serviendum quam benigne persuasit et exhortabatur *e*. *condito monasterio præest,*

4 LECT. VII. Sed B. Hilda virgo Deo deditissima a Galliæ confinibus reversa, quæ ibidem in monialium Regula erudita erat *f*, auditaque per præfatam S. Begham ejus fama et monasticæ conversationis regularis observantia, ut ocius contemplationi vacaret, accessit ad Aidanum episcopum, petens ab eo, ut virginem Hildam consecraret abbatissam, et eam * a dicto officio exonerare. Beatus C vero episcopus votis Virginis annuens, eamdem absolvit, et omnium virginum consensu in abbatissam B. Hildam elegerunt; sub cujus custodia B. Begha usque ad vitæ suæ exitum sancte vivendo permansit *g*. *quod deinde S. Hildæ regendum tradit.* * se

5 LECT. VIII. Revolutis itaque in ea pluribus annis, in magna mentis puritia, pridie Kal. Novembris *h*, omnibus angelicis sociata virtutibus anima sanctissima a corpore divisa excelsas penetravit super æthera nubes, corpusque terræ tradebatur pulveribus *i*; quod in eisdem per annos circiter quadringentos et sexaginta cunctis mortalibus incognitum jacebat, quod divinitus revelatum nunc digno cum honore translatum est, in monasterio de Witbe *k* in magno habetur pretio, languidis in præsens sanitatem præbens. *Moritur; et transfertur ad monasterium Whitbyense,*

6 LECT. IX. Beata igitur Begha rebus humanis jam corporaliter exempta, quam speciosa fuerat * in conspectu Dei ejus sanctissima anima, crebra in diversis locis attestantur facta miracula. Nam territorium ejusdem undique ejus meritis a quibuscumque furtis, rapinis, molestiis aut injuriis gaudet immunitate *l*. De Gallia vir etiam quidam dives Cartiotensis *m* urbis, qui duos habuit filios, unum paralyticum et a nativitate mutum, qui sua hæreditati de jure succedere debuerat; alterum fistula occupabat; qui plurima Sanctorum suffragia postulaverat; tandem divinitus admonitus, B. Begham et sepulchrum ejus cum filiis suis visitavit; qui in oratione paululum perseverantes una hora sanitati restituebantur *n*. D *ubi miraculis claret.* * *l.* fuerit

ANNOTATA.

a *Retulimus num.* 4 *in Commentario,* Heinam, *quam eamdem cum* Bega *putamus*, *in Martyrologio Anglicano e Northumbriæ regibus ortam dici, sanctam vero* Begam *ex nobili Hybernorum sanguine, ibidemque ex Alfordo respondimus, qua ratione utrumque verum esse passit: nolim tamen alterutrum pro certo affirmare, cum nihil in hanc rem tradat Beda, qui in eodem capite* 23 *de S. Hilda scribens, hujus illustres natales tam studiose commemorat. Porro quæ hic tum de angelico oraculo, tum de fuga ex Hybernia narrantur, nescio, qua auctoritate nitantur.* E

b *De S. Aidano episcopo Lindisfarnensis actum est in Opere nostro tom.* VI *Augusti, a pag.* 688, *ubi ostenditur anno* 634 *vel proximo subsecuto episcopum ordinatum fuisse, anno vero* 651 *obiisse. De velata ab ipso* S. Bega *vide Comment. num.* 12.

c *Fuit hic S. Oswaldus Northumbriæ rex et martyr, de quo vide tom.* 2 *Augusti, a pag.* 83. *Regnum iniit anno Christi* 634, *optimeque de Christiana religione meritus, occisus est anno* 642, *ut ibidem videre est.*

d *Ex consequentibus liquet, hic agi de monasterio Heorthensi, de quo multa diximus num.* 14 *et duobus sequentibus. At cur in deserta quadam insula conditum dicatur, non perspicio: an forte prima* S. Begæ *cella, quam num.* 13 *Commentarii Camdenus collocat in promontoriolo Oceani, cum Heorthensi confunditur, et quia in mare procurrebat,* insula *appellatur?*

e *Post lectionem tertiam in nostro Ms. sic notatur:* Mediæ lectiones *(tres scilicet) de* S. Quintino.

f *S. Hilda relata est apud nos inter prætermissos ad diem* V *Martii et* XXV *Augusti, ubi ejus Acta dilata sunt ad diem* XVII *Novembris. De eadem satis prolixe agit Beda lib.* 4, *cap.* 23, *ex quo aliqua in Commentarium transtulimus. Dum autem hic dicitur e Galliæ confinibus reversa, ubi in monialium regula erudita erat, adstrui videtur, eam in Calensi Galliæ monasterio, ubi soror ejus Hereswita Deo sese consecraverat, aliquo tempore commoratam fuisse, prout aliqui existimarunt: verum huic opinioni manifeste refragatur venerabilis Beda, qui loco mox citato Vitam S. Hildæ ex professo conscribens ait, illam quidem ad monasterium Calense in Galliam trajicere voluisse, sed in provincia Orientalium Anglorum, quorum regis propinqua erat, retentam fuisse anno integro, indeque a S. Aidano revocatam, monasterii Heorthensis regimen suscepisse. Videtur igitur Breviarii auctor hoc loco a vero aberrasse.* F

g *Quod S. Hilda Heorthense monasterium post* S. Begam *rexerit, diserte tradit laudatus Beda verbis, quæ in Commentario num.* 12 *dedimus: verum quod hæc sub illius custodia sive disciplina reliquum vitæ traduxerit, eidem Bedæ aperte adversatur, cum de Sancta nostra eo-*

A *dem loco dicat :* Sed illa post non multum tempus facti monasterii secessit ad civitatem Calcariam, quæ a gente Anglorum Kalcacester appellatur, ibique mansionem sibi instituit. *Quare lectionum auctor hic rursus errasse videtur, nisi forte Calcariensis cella monasterio Heorthensi ejusque abbatissæ Hildæ subjecta fuerit : verum cum satis insinuet,* S. Begam *in Heorthensi cœnobio obiisse, malim credere, hic erratum fuisse, Sanctamque nostram in civitate Calcaria, quod superaerat ætatis exegisse, ut Beda insinuat.*

h *Unde hunc diem obitus didicerit Breviarii editor, mihi omnino incompertum est : forte non aliunde quam ex eo, quod hac die in Kalendariis annuntiaretur ; sed quam incertum sit hoc fundamentum, patet vel ex eo, quod ipsius memoria diebus variis a martyrologis affigatur, ut initio Commentarii ostendimus. Nec magis certus est annus emortualis, de quo egimus a num.* 18.

i *Ubi ? In monasterio Heorthensi Vide dicta num.* 23 *et* 24. D

k *De hoc monasterio egimus in Commentario num.* 10 *et* 11. *Ceterum de revelatione translationeque jam dictis nihil quidquam apud alios scriptores reperire potui. Breviarium autem unde hæc desumpta sunt, excusum notatur anno* 1509, *adeoque id temporis sacrum sanctæ Abbatissæ corpus etiamnum ibidem in honore erat fulgebatque miraculis, nisi forte laudatæ lectiones ex antiquiori Breviario editioni anni* 1509 *insertæ sint.*

l *Quid de hac immunitate verum sit, plane ignoro.*

m *Forte mendose pro* Carnotensis, *ita ut Carnutum, seu* Chartres, *Galliæ civitas significetur.*

n *His subjungitur, in Officio recitanda esse* cætera omnia de communi unius virginis non martyris, cum oratione prædicta, *quam num.* 9 *recitavimus.*

DE SANCTO MAGNO

B E

MONASTERII FAUCENSIS ABBATE PRIMO

FUESSÆ IN SUEVIA

C. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Vitæ Scriptor et interpolatores, antiquitas, auctoritas, apographa, editiones : recentiores biographi, Acta edenda.

Probabiliter dclv. *Acta Sancti, quæ a Theodoro scripta,*

Sancti Magni *acta illustraturus labyrinthum ingredior, cujus speciosus ingressus non paucas fefellit, incautosque in multiplicem rerum, personarum ac temporum confusionem pertraxit. Totius mali caput est Vita quædam, quæ sub* Theodori monachi *vel* eremitæ Campidonensis *nomine circumfertur. Hic* S. Magni *sodalem se facit, ejusdemque in exantlandis apostolicis laboribus socium, prodigiorum fere omnium oculatum testem, fidelem denique in morte ac sepultura amicum describit. Juverit ex Vita, quam daturi sumus, his pauca delibasse, ut pateat, quam pronum fuerit, hisce Actis indubitatam fidem adhibere. Relata* S. Magni, *sodalis seu potius magistri sui, morte, ita auctor ille progreditur :* Purgato ergo ipso sarcophago *(lapideo, quem opportune invenerant)* assumpserunt *(S. Tozzo et Theodorus)* sanctum corpus et recondiderunt in loco; ubi Pater ipse oraculum sibi construxerat. . . ponentes ejus Vitam in capite suo, scriptam virtutibus plenam sub auctoritate Theodori, *cum hac subscriptione :* Ego itaque Theodorus monachus ex monasterio sancti Galli, jussu Tozzonis episcopi, sicut a Theodegesilo monacho sancti Columbani de tanti Viri conversationibus simul cum beato Columbano comperi, et post oculis meis ipse vidi, et auribus audivi, seu posteaquam me reliquit in cellula Campidonensi, et sicut postea a præfato venerabili episcopo Tozzone de virtutibus ejus didici, plurima, sed non omnia, in pictatio meo scribere curavi, et ad caput ejus posui reconditum in sepulcro.

C

2 *Verumtamen Vita hac, prout a Theodoro conscripta dicitur, si tamen ab ipso conscripta est, ad nos non pervenit : quippe cum seculo* IX *Sancti corpus elevaretur, episcopus qui sacra illa ceremonia fungebatur, inventam in loculo pene putridum cuidam Ermenrico corrigendam tradidit.* Et accersivit, *inquit interpolator,* quemdam monachum prudentem et industrium ex monasterio Elewanga, nomine Ermenricum, tradiditque ei ipsos quaterniones ad legendum atque emendandum. Ille autem asserens, se minime ita doctum esse, ut talia innovaret, atque, prout dignum erat, inserere valeret, necessitate obedientiæ constrictus, suscepit illud pictacium, et secundum virium suarum considerationem, jussionem pontificis contemnere nolens, adimplevit, quæ ibi invenit, scripta innovans, et corrigens omnia, atque, Domino annuente, seriem confusam, capitulorum luminibus emendavit. *Hucusque Vita circa finem ; ex quibus consequens fit, Acta, quæ modo habemus, ab alio emendata (imo viciata) in ordinem redacta, et prout dignum existimabat et inserere valebat, aucta atque interpolata esse. Verum utinam secundum* virium suarum considerationem *fidelem potius amanuensem, quam emendatorem interpolatoremque imperitum agere studuisset ; utinam inquam ipsa Theodori verba, confusa utcumque gestorum serie, integre fideliterque posteritati tradidisset.* *et ab Ermenrico emendata dicuntur,*

F

3 *Nolim tamen vitiosas omnes interpolationes,* *ab aliis*

A *nes, quas infra examinabimus, Ermenrico certo adscribere, cum alium auctorem habere potuerint: imo reipsa habuisse, non inaniter suspicatur Mabillonius in Actis Benedictinis sec. 2, in Elogio* S. Magni; *cujus verba, quia in Ermenrici notitiam inducunt, huc transfero.* Ermenricus monachus Elewangensis ac levita, quem alii Ermenoldum vocant, is est, qui Vitam sancti Solæ monachi scripsit, eamque prout in tomo IV Canisii reperitur, Ruodolfo didascalo suo nuncupavit; vixitque tempore Hrabani Mauri, quem in illo Opere commendavit; ac tandem abbas anno DCCCXLV electus, septimo loco præfuit monasterio Elewangensi diœcesis Augustanæ ... An vero S. Magni Vitam, qualis typis edita est, exaraverit, certo pronuntiare non licet. Sane ex verbis paulo ante, de ipso relatis conjicimus, expolita quidem ab ipso fuisse B. Magni Acta, sed ab alio quopiam temere aucta fuisse: Neque enim se industrium, prudentemve jactasset Ermenricus, qui in Epistolis ad Gundramnum et Ruodolfum longe modestius de se ipso sapit. Sed quisquis ille est, qui vulgatam S. Magni Vitam consarcinavit, male omnino meruit de B S. Magno: *ita ille.*

temere interpolata sunt. 4 *Suspicionem de nova interpolatione facta in Opere Ermenrici auget exemplar quoddam ejusdem Sancti Vitæ manuscriptum, quod apud nos servatur et de quo infra agemus. In hoc, inquam, exemplari circa prodigium in servanda cerevisia patratum, quod vide in Vita, num.* 3, *in margine notantur sequentia:* Nota bene huic margini tenuissima, sed antiquissima manu adscriptum ex priori per Ermenricum conscripta Vita: „ Cum autem cervisa defluens urnam suppositam implesset, mirum in modum instar coronæ super urnam excrescens stetit „. *Quæ periodus, quamvis in exemplaribus tum manuscriptis, tum excusis, quæ vidi, habeatur quoad substantiam, in nullo tamen eorum reperitur quoad ipsa verba: unde, ut jam dixi, non levis oritur suspicio, Vitam Sancti, prout ab Ermenrico primum aut correcta aut interpolata est, non esse illam, quæ modo sub Theodori et ipsius nomine circumfertur. Quin et magnam illius partem et Ermenricus non pertinere, probabilissimum sit ex eo, quod plurima Actis illis per-* C *peram inserta sint ex Vita S. Galli scripta per Walafridum Strabonem, qui eodem prorsus, quo Ermenricus, tempore floruit, adeoque hunc infamis plagii arguere potuisset, si aliena male detorta pro suis venditasset.*

Eorumdem antiquitas 5 *Quidquid sit de incerto hujus Vitæ scriptore, illud certum est, eam jam seculo* XI *Theodori ac Ermenrici nomine venisse. Id vero liquet ex exemplari ejusdem Vitæ ab anonymo quodam, Ratisponensi monacho interpolatæ, quodque in fronte sequentes notas præfert:* Ex pergam. antiquiss. codice Ms. Augustæ ad SS. Udalr. et Afram, ab ann. 700 conscripto, in 4. Tit. Legendæ aliquot SS. lit. z. n. 36. *Hujus vitæ scriptor nomen suum nusquam indicat; sed post medium seculi* XI *scripsisse, facile ostenditur. Exstat apud Mabillonium in Veteribus Analectis libellus cujusdam anonymi, monachi Ratisponensis, quem de tentationibus suis conscripsit. Is parte* 2, *secundum distinctionem a Mabillonio factam, elucubrationes suas enumerans, inter cetera ait:* Postquam vero redii *(ex monasterio Fuldensi ad suum Ratisponense)* Vitam S. Magni scripsi, compulsus fratrum duorum precibus intimis et assiduis, Wilhelmi scilicet ex congregatione nostra, et alterius, qui ad nos discendi causa ex monasterio S. Magni venit, Adalham dictus, quique nunc in S. Afræ cœnobio abbas est constitutus. *Præmiserat autem, se anno Domini* 1062 *ex Ratisponensi S. Emmerami monasterio secessisse: adeoque* S. Magni *Acta post medium seculi* XI *ab ipso exarata sunt.* *AUCTORE C. S.*

et larvata auctoritas 6 *Porro hunc ipsum esse prædictæ Vitæ, quam habemus, emendatorem, ex ejusdem prologo, manifestum est; sic enim exorditur:* Juxta intelligentiæ meæ parvitatem complevi, quod tibi, dilecte frater Adelhalme, promisi. Te enim petente una cum alio charissimo Fratre nostro, ut S. Magni Vitam, visioso nutantique in pluribus locis ab institutione grammatica stylo antiquitus prolata emendarem *etc. Deinde post multa prologum his verbis concludit:* Etsi ignari sint *(lectores)* personæ meæ, sciant, me esse unum ex sancti Emmerami congregatione. *Ut autem, unde digressi sumus, redeamus, anonymus ille, relata sacri corporis Vitæque juxta positæ inventione, ita prosequitur:* Et advocans *(episcopus)* quemdam prudentem monachum ex monasterio Elewanga, nomine Ermenricum, E tradidit ei ipsos *(quaterniones inventos)* ad legendum atque corrigendum... Similiter quoque ego feci, qui diu postulatus, hanc iterum Vitam correxi. *Quibus sane verbis manifeste evincitur, illa* S. Magni *Acta jam seculo* XI, *ut antiquitus a Theodoro conscripta et ab Ermenrico emendata, habita fuisse.*

diu multis placuit. 7 *Atque hinc factum, ut hac speciosa larva decepti non pauci, iisdem, prout modo exstant, certam fidem adhibere, non dubitarint. Nec mirum: nam, ut recte advertit citatus Mabillonius,* quos non credat homini pio ac testi oculato, qualem fuisse Theodorum, existimare par est? *Hinc ipsius auctoritatem passim secuti sunt, qui Augustanorum antistitum catalogus texuerunt; et ipse Bollandus et Henschenius multa ex eadem in Acta Sanctorum transtulerunt, adjuncta tamen, quam meretur correctione. Nam prior quidem tom.* III *Februarii, in Vita B. Pippini, quædam huic beato duci attribuit, quæ in illa de Pippino rege falso asserebantur: monet autem pag.* 254, *num.* 26 *et* 28, *eam vitiosa chronologia laborare, esseque interpolatam. Henschenius tom.* 2 *Januarii ad diem* XVI, *Acta* F *S. Tozzonis, rursumque tom.* 2 *Aprilis, ad diem* XVIII, *S. Wicterpi, ex eodem Theodori ac Ermenrici Opusculo illustravit: verum hic non, secus atque Bollandus, de inepta interpolatione conqueritur. Quod quam juste meritoque faciant, infra demonstraturi sumus, ubi et alias imperiti scriptores imposturas lectori ob oculos ponemus, postquam hujus larvati Operis exemplaria, ejusdemque editiones enumeraverimus.*

Varia hujus Vitæ exemplaria 8 *Varia hujus Vitæ apographa exstant in museo nostro, inter quæ, quia reliquis integrius quamvis non purius, primo loco nominandum venit, quod descriptum notatur* ex Ms. S. Maximini Treviris. *Quadruplicem hujus copiam habemus, cum eo tamen discrimine, quod non omnibus idem sit titulus: earum quippe una hunc præfert:* Vita S. Magnoaldi, qui et Magnus discipuli S. Columbani et Galli. *Altera vero hunc:* Vita sancti Magni seu Magnoaldi, ex monacho Luxoviensi, abbatis monasterii Faucium, in diœcesi Augustana, a Theodoro ejus socio primum conscripta, deinde ab Hermenrico, Elewangensi monacho, recensita et aucta. *Reliquæ duæ relatis verbis recte addunt:* denique ab

AUCTORE G. S.

ab anonymo recentiore digesta et aucta. *Præterea geminum exemplar nobis olim transmisit P. Gamans ex Societate nostra, vir ob præstitam museo nostro operam sæpe memorandus. Utrumque ex Augustana SS. Udalrici et Afræ bibliotheca prodiit, non tamen eodem codice, nec eodem stylo conscriptum.*

manuscripta,

9 *Horum alterum conscriptum notatur* ex Ms. codice pergameno vetustissimo, ab annis 800 et pluribus conscripto, ex biblioth. SS. Udalrici et Afriæ, Augustæ, tit. Vitæ SS. Magni, Wenzelai, Arnolfi. z. 59. *Vix tamen credere possum, hanc Vitam tempore patris Gamans, id est, circa medium seculi* XVII, *jam ab octo seculis, adeoque non diu post primam ipsius emendationem per Ermenricum factam, præfato codici inscriptam esse; neque enim verisimile apparet, eam jam tum tam fœdis parachronismis scatuisse, nisi horum omnium auctorem facere Ermenricum velimus. Ceterum istud exemplar cum enumeratis satis convenit, præterquam quod pluribus in locis mendosum sit. Denique alterum ab eodem Gamansio transmissum, est illud, quod ab anonymo Ratisponensi emendatum diximus num.* 5 *et* 6, *differtque a prædictis non modo penis stylum, verum etiam alia quædam, quæ ipse, eo quod* incongrua *aut* impossibilia, *ut loquitur, sibi viderentur, pro sua censoria arte immutavit: suis tamen, ut cetera omnia, non caret erroribus.* B

variæque editiones recensentur.

10 *A manuscriptis ad editas Vitas progredior. Henricus Canisius Antiq. lect. tom.* 5, *eam* ex membranis Mss. monasterii S. Magni, in pede pontis Ratisponensis, *typis Ingolstadiensibus vulgavit anno* 1604. *Eamdem inter Alamannicarum rerum scriptores, altero post anno, Melchior Haiminsfeldius Goldastus, retulit cum sequenti epigraphe, quam in nullo alio reperi :* S. Theodori eremitæ de Vita S. Magni confessoris, sodalis sui, ab Ermenrico Elewangensi monacho emendatus et distinctus. *Deinde post caput* 13, *nova inscriptione continuatorem Operis indicat in hunc modum :* Ermenrici Elewangensis monachi supplementum. *Hæc editio multis differt a Canisiana, nam ut minutias prætercam, integræ periodi, imo et capita ex hac in illa desiderantur, ut utramque editionem conferenti manifestum erit. Quam ob rem oscitasse mihi videtur Mabillonius, dum in Actis seculi 2 Benedictini, pag.* 505 *hæc monuit :* Goldastus hoc solo differt a Canisio, quod ipsam Vitam in duos libros ac in varia partitur capita, et quod libri secundi caput ultimum, in quo Ermenrici interpolatoris opera memoratur, Canisianæ editioni deest. *Goldastum recudi curavit anno* 1661 *Joannes Porssius; Canisius vero cum annotatis Jacobi Basnage prodiit typis Amstelodamensibus anno* 1725 *: denique eadem* S. Magni *Vita ex Canisio ab anno* 1617 *relata fuit in tertiam Surii editionem, ad diem* VI *Septembris.* C

Biographi recentiores: Acta unde edenda.

11 *Præterea Sancti nostri Acta Latino idiomate edidit anno* 1621 *Martinus abbas Faucensis, quæ mihi videre non licuit; sed nec necesse putavi, cum non deessent aliorum Opuscula ex iis partim concinnata. Inter hos Matthæus Raderus e Societate nostra, in Bavaria pia ex laudato abbate Sancti Vitam conscripsit, ut ipse notat in margine. Rursum alia prodiit anno* 1721 *Latine itidem exarata a P. Ludovico Rabenstuber, Benedictino ad B. Virginem Ettalensem in superiori Bavaria; ac denique alia anno* 1729 *Germanice evulgata est, auctore anonymo quodam, cœnobita Faucensi : in utraque plurima prodigia* S. Magno *patrocinante concessa, referuntur. Porro ego manuscriptum S. Maximini collatum cum reliquis edam, ita ut varias eorum, quæ alicujus momenti sint, lectiones in Annotata relaturus sim, ne quid lector desideret. Vitæ subjiciam miracula ex duobus laudatis scriptoribus, uti et ex manuscriptis annotationibus Henrici ejusdem monasterii abbatis.* D

§ II. Commemorata Acta discutiuntur.

Larvatus biographus Vitam infideliter

Mabillonius *Sec. 2. Benedictino, a pag.* 505 S. Magni *Acta examinans, eorumdem auctorem, quem* Pseudo-theodorum *appellat, manifesti plagii convictum tenet, totque in iis deprehendit nævos, ut ea vel invitum omittere compulsum se fateatur. Nec immerito : quod enim ad plagium attinet, negari non potest, quin Vita illa magnam partem ex S. Columbani Actis per Jonam conscriptis compilata sit, prout collatis utriusque scriptoris verbis luculenter probat laudatus Mabillonius et nos latius ostensuri sumus. Neque porro solius Jonæ lucubratione, sed etiam Walafridi Strabonis, abbatis Augiensis, Opusculo de Vita S. Galli usus est Pseudo-Theodorus, pessima utrobique fide. Utrumque mox probabimus, postquam ostenderimus, cur biographum nostrum potius, quam Jonam aut Walafridum de plagio accusemus. Jonas Bobiensis in Italia monachus Vitam S. Columbani circa medium seculi* VII *exaravit, eamque Bobolene Bobiensi et Waldeberto Luxoviensi abbatibus inscripsit : fatetur autem, multa se in hoc argumentum didicisse a SS. Attala et Eustasio S. Columbani discipulis atque aliis Bobiensis monasterii cœnobitis, qui non audita, sed visa narrarent. Non potuit igitur Jonas* S. Magni *Vitam legisse, quæ in Sancti sepulcro per Theodorum deposita, primum seculo* IX *reperta est. Neque dixeris potuisse Jonam aliquod istius exemplar a Theodoro accipere : quid enim causæ afferes, quod ipse, qui in præfatione sua lucubrationis suæ vades, ut diximus, diligenter laudat, nullam hujus Vitæ aut Theodori mentionem faciat, nihilque de* S. Magno *narret, qui inter præcipuos S. Columbani discipulos frequenter in ea laudatur ? Adde, quod larvatus noster biographus infra in Vita cap.* 2, *num* XI *aperte fateatur, se aliquam S. Columbani Vitam præ oculis habuisse, dum ait :* Sicut in B. Columbani Vita continetur. E F

compilavit ex Jona et Walafrido Strabone.

13 *De Walafrido Strabone magis dubium videri potest, cum ipse in præfatione Vitæ S. Galli præfixa dicat :* Alienis insisto vestigiis, veritatisque tenendæ lineam novis tantummodo cogor passibus dimetiri. Vitam igitur sancti... Galli.. sensu nobilem, scripto degenerem vultis a me lumine rectæ locutionis ornari et seriem confusam capitulorum distingui limitibus : *quibus verbis clare invincitur, Walafridum in concinnanda S. Galli Vita alterum scriptorem præ manibus habuisse. Favet etiam tempus ; quippe Walafridus hoc Opusculum suum Gozberto seu Cotzperto Sancti-gallensi abbati dedicavit; qui teste Mabillonio, anno* 837 *abbatiam resignavit. At multa sunt, quæ omnem plagii suspicionem a Walafrido*

AUCTORE C. S.

A *Walafrido quam longissime removeant. In primis fuit ipse vir eruditus, qui tantummodo* annos triginta quinque natus erat, cum *anno* 842 monasterii *Augiensis* regimen subiit, jam clarus ingenii sui monumentis, quibus deinceps plura alia adjecit, *inquit Mabillonius tom.* 2 *Annal. ad datum annum, num.* 62 : *at scriptor noster tam fœdis laborat annchronismis, ut a supina in multis inscitia excusari non possit. Deinde si Walafridus Vita* S. Magni, *saltem qualis nunc exstat, usus est, alienis non institit vestigiis, nec veritatis tenendæ lineam novis tantummodo passibus dimensus est, sed aliqua etiam infideliter omisit et immutavit; quod de ipso nolim suspicari. Adde, quod certum sit, larvatum biographum multa ex Jonæ Opusculo deprompta, mutatis subdole nominibus et quibusdam adjunctis, licet iisdem sæpe verbis, libello suo inseruisse: nil mirum igitur, eum in reliquis simili plagio usum fuisse. Ut autem existimem, illum Walafrido potius, quam antiquiori anonymo, quem Walafridus ipse secutus est, usum fuisse, omnino persuadent integræ sententiæ ex Walafridi lucubratione in* B *Sancti nostri Vitam paucis mutatis translatæ. Sed hæc omnia per decursum cum Commentarii, tum Vitæ, manifestiora fient: quare rem ipsam aggrediamur.*

Factum Autierni monachi

14 *Laudatus Jonas apud Mabillonium sec.* 2 *Benedictino, in Vita S. Columbani num.* 18 *sic scribit:* Eo itaque tempore *(quo S. Columbanus cum sociis Luxovii morabatur)* quidam frater, nomine Autiernus, pulsare cœpit, ut peregrinandi in Hiberniam causa perveniret. Cui Columbanus ait: Pergentes in eremum, voluntatem Dei probemus, utrum desideratum iter arripias, an in cœtu Fratrum permaneas. Pergentes ergo simul tertium adolescentem, nomine Somarium . . . in comitatu sumunt, et ad destinatum in eremo locum pervenerunt, unius tantum panis cibo contenti: cumque jam duodecimus transisset dies, nec quidquam de panis fragmento remansisset, horaque refectionis appropinquaret, imperantur a patre, ut per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perveniant, et quidquid ad cibum opportune reperiant, deferant. Ovantes illi per concava vallis Mosellatenus advenerunt, capturamque piscium olim a pisca- C toribus consertam et undis oppositam cernunt, accedentesque quinque magnos reperiunt pisces, sumentesque tres, quia viverent, patri præsentandos vehunt. At ille; Cur, inquit, non quinque detulistis? Respondent, mortuos reperisse duos, proinde reliquisse. At ille ait: Nequaquam ex his comedetis, nisi, quos dimisistis, venerint. At illi miraculo perculsi de providentia divinæ gratiæ, pernici cursu repetunt, increpanturque, cur repertam mannam reliquissent, et sic cibum parare jubentur. Nempe Spiritu sancto repletus noverat, sibi a Domino passim dapes paratas *Hæc Jonas.*

male detortum S. Magno

15 *Ab hoc loco Theodorus noster Vitam* Magni *auspicatus,* Autierno *in* Magnoaldum *transformato, aliam condit historiam. SS. Columbanum et Gallum peregrinandi causa in Hiberniam inepte deducit: mox* Magnoaldum *profert, in eorum disciplinam transire postulantem. Tum Columbanum eodem fere modo loquentem facit:* Pergentes, filii ad heremum, voluntatem Dei probemus, utrum propositum animi desideratum arripias, an non. *Post hæc subdit iisdem prope verbis, quæ de Somarii comitatu, unius panis comeatu, quæsitis et inventis piscibus, ex Jona recitavimus, adjunctis tamen mutatisque quibusdam circumstantiis, quæ scriptoris imperitiam et malam fidem manifestant, quæque propterea paucis castiganda sunt. In primis Autierni facta* Magnoaldo *adscribit; sed in contrariam partem detorta; iste enim, teste Jona, S. Columbano valedicere et ex Vosagi solitudine in Hiberniam peregrinari cogitabat, hic in ipsa Hibernia eumdem Columbanum peregrinantem accedens, in ejusdem familiam recipi postulat. Panem non post duodecimum, sed tertium diem defecisse asserit, nihilque dicit de relictis duobus, et S. Columbani iterato jussu allatis piscibus.*

imperite adscribit.

16 *Præterea ait, inventam fuisse illam* capturam piscium olim a pastoribus consertam in amne, qui vocatur Lignona: *at non advertit imprudens, Lignonem (vulgo* Loignon*) non Hiberniæ, sed Burgundiæ amnem esse. Verum non difficile est divinare, unde in hunc errorem lapsus sit: legerat scilicet apud eumdem Jonam post verba numero superiori data, Gallum, cum alia vice a Columbano jussus esset in flumine Brusca piscari, irrito labore in* Lignone *piscatum esse: hinc ipse aut oblitus aut ignorans,* E *scriptorem illum agere de Columbani in Vosago mora, se vero de ejusdem sancti in Hibernia peregrinatione,* Lignonem *intrepide in textum suum transtulit. Dubitavi equidem primum, an* Magnoaldus *forte idem fuisset cum Autierno; sed postquam rem maturius consideravi, hunc scrupulum deposui: neque enim biographus noster opus habuisset Jonæ dicta tam infideliter torquere, si* Magnoaldum *eumdem cum Autierno credidisset. Conferat modo curiosus lector Jonæ narrationem a num.* 14 *relatam, cum iis, quæ infra in Vita a num.* 1 *habentur, et imperita mox furta agnoscet.*

Miraculum circa cerevisiam unde depromptum:

17 *Pergit Pseudo-Theodorus vel Ermenricus ex alienis laciniis suum fœtum exornare, aliquantulum majori veritatis specie. Jonas (apud laudatum Mabillonium, quem intellectum volo, quoties Vitas SS. Columbani et Galli cito) num.* 26 *narrat prodigium,* quod per B. Columbanum et ejus cellarium factum fuit, *eratque hujusmodi. Circa horam refectionis minister, cujus nomen tacetur, cum cerevisiam e dolio depromeret, jussu Columbani per quemdam e Fra-* F *tribus arcessitur: ille ardore obedientiæ fervens, non obturato dolii meatu, ad nutum volat: post accepta mandata suæ negligentiæ memor, ad cellam recurrit, ratus omnem cerevisiam effusum iri. At mox promptæ obedientiæ præmium tulit: stetit sequidem in coronæ modum supra suppositum vasculum liquor, ne minima quidem stilla in terram delapsa. Cellarium hunc Theodorus* Magnoaldum *facit, ministrum Soniarium: miraculum vero totum, judice Columbano,* Magnoaldi *meritis attribuit:* Nam ego vidi, *inquit S. Columbanus,* angelum Dei ante te præcedentem, quando Soniarium vocabas, qui * facto signo supra typrum, stetit sicera in modum coronæ, sicut vidistis. O magnum divinæ potentiæ donum, qui adhuc neophito suo Servo tantam gratiam conferre dignatus est, ut jam Magnus inter fratres voceris. *Ita ipse: at Jonas de angelo et* Magnoaldo *silens, memoratum prodigium, non Fratris, qui alium vocaverat, sed imperantis Columbani simul et obedientis cellarii merito totum attribuit hoc epiphonemate:* Quantum fuit imperantis meritum! quanta obedientia subsequentis! ut sic utriusque tristitiam Dominus

* *l.* a quo

AUCTORE C. S.

Dominus voluisset avertere *etc. Unde consequens fit, ut, si Frater ille, qui cellarium Columbani jussu appellavit, fuerit* S. Magnoaldus, *nulla hujus prodigii pars, teste Jona, ad ipsum pertineat: sed cum infra dicturi simus, Sanctum nostrum probabilius numquam fuisse in familiam S. Columbani adscitum, probabilius etiam est, tam hæc, quam reliqua sub Columbani disciplina a Sancto patrata, mera esse scriptoris commenta. Miraculum ipsum vide in Vita cap.* I, *a num.* 3.

Chagnoaldi mirabile in ursum imperium Sancto adscribit:

18 *Commemorato prodigio subdit aliud, de quo hæc observat Mabillonius:* Nec solum Authiermi factum larvatus ille auctor S. Magno, sed etiam Chagnoaldi res gestas eidem accommodat; et facili oculorum lapsu Magnoaldum in Chagnoaldum transformat . . . Refert iste auctor *(Jonas)* S. Columbanum, dum a Theodeberto e Gallia expulsus cum suis in eremo Brigantiæ urbi proxima moraretur, nec quidquam alimenti præter ruralia poma haberet, Chagnoaldo in mandatis dedisse, ut urso poma devoranti partem suo suo-B rumque usui cessuram interdiceret, partem aliam urso permitteret. Rem ita, ut præcepta fuerat, impletam fuisse. Quæ eadem Pseudo-Theodorus totidem pene sententiis in Magnoaldum transfert. *Confer, si lubet, quæ referuntur in Actis Columbani cum verbis biographi nostri a num.* 5 *in Vita, simulque adverte, utriusque narrationem in eo discrepare, quod prior scribat, Chagnoaldum, conspecto inter frutices urso, sine mora ad Columbanum remeasse, ad eoque redire jussum, suam urso pomorum partem assignasse: alter vero asserat,* Magnoaldum *clam magistro suo Columbano mirabile istud in feram imperium exercuisse. Equidem Mabillonio libens assentior: id enim probat utriusque textus conformitas, nec obstat integritas auctoris jam alias in plagio deprehensi.*

sed perperam,

19 *Favet nihilominus Theodoro nostro editio Suriana, quæ in S. Columbani Vita hoc loco non* Chagnoaldum *sed* Magnoaldum *legit: favet etiam eadem Vita inter opera Venerabilis Bedæ excusa tom.* 3, *col.* 302, *editionis Basileensis anni* 1563, *quæ hac in parte Surianæ consentit.* At mendum in Jonæ lectionem seu librarii vitio, seu ipsius Surii interpretatione irrepsisse C constat *Mabillonio; qui haud dubie idem de Basileensi editione censurus fuisset:* Quippe Mss. codices, *inquit,* quibus usi sumus, constanter Chagnoaldum præferunt. Immo etiamsi membranæ veteres pro Chagnoaldo Magnoaldum substituerunt * omnes, corrigendæ utique essent. Ibi enim sermo est de ministro Columbani: Chagnoaldum ministrum suum dirigit, inquit Jonas. Porro ex superioribus ipsius verbis, Chagnoaldum Lugduni Clavati pontificem, Columbani ministrum ac discipulum *fuisse, convincitur. En Jonæ verba apud Surium num.* 16 *relata, quæ in nostra editione num.* 30 *habentur:* Chagnoaldum Lugduno Clavato pontificem, qui ejus et minister et discipulus fuit, novimus referentem *etc.:* quæ cum S. Magno seu Magnoaldo, qui numquam episcopus fuit, aptari nequeant, eidem etiam nec posteriora possunt convenire. *Hæc Mabillonius: quibus ego et alium locum addo, in quo Chagnoaldus S. Columbani minister quater appellatur in laudata Vita apud Mabillonium num.* 37; Ego igitur tempore vir Dei *(Columbanus)* in eremo morabatur contentus tantum unius ministri Chagnoaldi famulatu. *Dein post pauca:* Moxque excitatus ministrum vocat. *Et rursus:* Cui temerario ausu minister ait D *etc.* Inquirens ergo minister *etc.: quo loco manifestum est, consentientibus editionibus Suriana et Basileensi, Chagnoaldum ministrum S. Columbani designari, et tamquam ex munere ipsi proprio* ministrum *appellari.*

* *l.* substituerent

ut ostenditur.

20 *Quare ego verissimum judico,* Magnoaldum *pro* Chagnoaldo *in utramque editionem irrepsisse, sive id ex librariorum errore, in quem utriusque nominis affinitate facile potuerunt induci, sive ex eorumdem interpretatione contigerit; cui hæc ipsa* S. Magni *Vita occasionem potuit præbere. Ne vero id gratis asserere videar, exemplum accipe. Patricius Flemingus Minorita Hibernus, in Collectaneis sacris per Thomam Sirinum ejusdem Ordinis castigatis et auctis, Jonæ lucubrationem, qua de agimus, edidit, usus ad hoc, ut in præfatione indicat, vetustissimo codice monasterii S Maximini Treverensis, cujus ipsi copiam fecerat Rosweydus noster. Hic codex itidem* Chagnoaldum ministrum, *non* Magnoaldum *legit:* Magnoaldum *tamen in textum retulit. Rationem dat in Commentario pag.* 351 *num.* 133 *sic scribens:* Ms. codex Chagnoal- E dum *(habet)* sed perperam: sermo est enim non de Chagnoaldo Lugdunensi pontifice, qui teste Jona, . . . Columbani minister et discipulus fuit: sed de alio ejusdem sancti viri ministro discipuloque et concive, S. Magnoaldo, quem Columbanus . . . Magni nomine a Deo donandum prædixit, ut in ipsius Magni Vita, a collega et concive Theodoro collecta narratur cap. VII. *Ecce sola biographi nostri auctoritas palliata nomine Theodori sufficiens Flemingo visa est, ut a vetusto Jonæ exemplari discederet, intruderetque* Magnoaldum, *cujus nec hoc nec alio in loco scriptor ille meminit.*

Rursus Chagnoaldum

21 *Ex dictis collige, erudite lector, quid censendum sit de iis, quæ plagiarius noster in Vita cap.* 2, *a num.* 10 *circa pugnam Theodebertum inter et Theodoricum enarrat, more suo Magnoaldo adaptans, quæ de Chagnoaldo alibi tradita repererat. Juvat Jonæ textum recitare, ut cum Theodori verbis commodius conferri possit. Jonas igitur in Vita S. Columbani apud laudatum Mabillonium num.* 57, *relato apud Tulbiacense castrum infelici prælio, ita sermonem prosequitur:* Ego igitur tempore vir Dei *(Columbanus)* in eremo morabantur, contentus tan- F tum unius ministri Chagnoaldi famulatu. Ea ergo hora, qua apud Tulbiacum commissum est bellum, supra quercus putrefactæ truncum vir Dei, librum legens, residebat. Quem subitus sopor oppressit, et quid inter duos reges ageretur, vidit: moxque excitatus ministrum vocat, cruentamque regum pugnam indicat, multum humanum sanguinem fundi, suspirans. Cui temerario conatu minister ait: Pater mi, Theodeberto tuis præbe precibus suffragium, ut communem debellet hostem Theodoricum. Ad hæc Columbanus: Stultum ac religioni alienum consilium administras; non enim ita Dominus voluit, qui nos pro inimicis nostris orare præcepit: in arbitrio est jam justi Judicis, quid de eis fieri velit *etc.*

in Magnoaldum transformat.

22 *Adi modo, lector, biographum* S. Magni *loco citato, et miraberis hominis in imponendo impudentiam. Jonas, qui ab ipso Chagnoaldo multa de Columbano acceperat, diserte tradit, Columbanum id temporis in eremo degisse* contentum tantum unius ministri Chagnoaldi famulatu: *Theodorus Chagnoaldo* Magnoaldum

AUCTORE C. S.

A dum *substituit*: *at solum fuisse inficiatur. Ille soli Columbano oblatam visionem scribit : hic eamdem eodem tempore* Magnoaldo *exhibitam ait. Jonas Chagnoaldum, qui solus aderat, stulte consulentem, et propterea a Columbano increpitum inducit : Theodorus insanum consilium in alterius cujusdam fratris nomine Eunuchi caput detorquet : ipsam vero increpationem inter SS. Columbanum et* Magnoaldum *æqualiter partitur : postquam enim primam ejusdem partem illi adscripserat, hunc dictis ita applaudentem profert :* Vere, domine, vestra sanctitas bene de hoc sentit, quoniam in arbitrio justi judicis esse debet, quid de eis fieri velit. *Dein subnectit ex eodem procul dubio auctore Theodeberti cædem, divinam in Theodericum ejusque liberos vindictam, ac dignas denique de impia Brunichilde exactas per Clotarium pœnas; quæ utroque citato loco latius videre est. Pergo ad alia.*

Alia ex eodem Jona deprompta

23 *Post enarratum prodigiosum* S. Magni *in feram imperium, de quo num.* 18 *egimus, aliud divinæ in suos providentiæ miraculum refert num.* 7, *non ex alio, quam ex quo superiora,* B *fonte haustum. In Actis S. Columbani num.* 54 *res in hunc fere modum describitur : cum præfatus sanctus prope Brigantiam cum suis alimentorum inopia premeretur, tolerata jam triduo inedia, ingens alitum copia loco, in quo morabatur, incubuit. Qua re cognita, Columbanus missas sibi divinitus dapes colligi jubet :* Eratque mirum, *inquit Jonas,* et stupendum miraculum : capiebantur, aves, prout patris imperium urgebat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur. Mansit ergo alitum manna per triduum diffusa; quarto deinde die quidam pontifex ex vicinis urbibus frumenti copiam, divina admonitus adspiratione, ad B. Columbanum direxit : sed mox Omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps advenit, alitum phalanges imperavit abire. *Hæc ipse ex S. Eustasio teste oculato et beneficii participe.*

et Magnoaldo parum fideliter

24 *Hoc divinæ providentiæ miraculum biographus noster ex eodem Jona refert, sic tamen ut* S. Magnoaldo *primas aut saltem præcipuas* C *post Columbanum in eo partes tribuat, et quædam insuper pro libitu suo mutet. Ut enim cetera prætereain, de tempore, quo hoc prodigium duravit, sic scribit :* Capiebantur aves, prout patris imperium erat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur, donec B. Magnoaldus ait; Si placet patri nostro, habemus per triduum aves sufficienter, et ideo bonum est, ut recedant : et sic alitum phalanges jubet abire : et sumpto volatu, qui remanserant, recesserunt; sicque divina misericordia ex vicinis urbibus frumenti copiam per bonos viros in gyro manentes ad B. Columbanum per manus felicis Galli et Magnoaldi direxit. *Secundum hunc igitur avium copia, quæ in triduum sufficeret, simul et semel capta est, ac deinde reliquæ ex* Magnoaldi *consilio jussæ sunt avolare : secundum Jonam vero per triduum se se capiendas præbuerunt, donec frumento aliunde allato, sponte sua demigrarent. Utri credendum sit, nemo prudens potest dubitare : ego quidem quæcumque hic de* Magnoaldo *narrat, inter fabulatoris figmenta reputo, cum infra ostensuri simus, Sanctum nostrum verisimillime numquam discipulum S. Columbani fuisse.*

accommodata.

25 *Quæ cap.* I, *num.* 9 *tradit de capto adeundi Slavos consilio, oblataque visione, deprompta sunt ex iisdem S. Columbani Actis, cum hoc rursum discrimine, quod in hisce nihil de* SS. Magnoaldo *et Gallo memoretur, et angelus soli Columbano apparuisse dicatur. Nec aliunde hausit, quæ habet cap.* 2, *num.* 10 *et* 11, *de facta a Theodeberto rege, ubicumque voluissent, in ditione sua habitandi potestate, concessisque per Moguntinum antistitem divinitus monitum alimentis : quod ipse compilator diserte fatetur his verbis :* Sicut in B. Columbani Vita continetur, *apud Mabillonium num.* 51 *et* 52. *Denique biographus postquam commissum a Theodeberto et Theodorico regibus prælium, et quæ inde secuta sunt, commemoravit (vide supra num.* 21*) Opusculum suum usque ad S. Columbani in Italiam discessum perducit. Ex quibus omnibus hactenus commemoratis nemini dubium esse potest, quin hæc* S. Magni *Vita usque ad num.* 14 *ex Jonæ lucubratione male et infideliter consarcinata sit, adeoque Theodoro adscribi non possit.*

§ III. Discutiuntur reliqua. E

Ex Walafrido S. Galli biographo

Perducta ad Italicam profectionem Columbani Vita, nihil præterea subsidii apud Jonam reperit compilator : alia itaque adeunda fuit officina, ex qua perficiendo Operi suo centones compararet. Et opportune obtulit sese Vita S. Galli a Walafrido Strabone abbate Augiensi, seculo IX *conscripta. Quis fuerit Walafridus, docuimus num.* 13 ; *unum hic locum ex Hepidanni cœnobitæ Gallensis Annalibus addo:* DCCCXLIX... Walahfredus abbas Augiensis obiit. Ille vir litteratus Vitas SS. Galli et Othmari ad petitionem Gozperti abbatis compilavit eleganter. *Reliqua huc spectantia dedimus numero mox citato. Quam multa vero ex laudato scriptore mutuaverit noster Pseudo-Theodorus, nemo non perspiciet, qui Acta, quæ edituri sumus, a num.* 14 *usque ad* 33, *cum S. Galli Vita conferre voluerit. Exstat ea apud Mabillonium Sec.* 2 *Benedictino a pag.* 228, *quam intellectam volo, quoties S. Galli Vitam laudabo.*

plurima mutuavit compilator :

27 *Porro ne lectori tædium pariam, singula compilatoris plagia in hoc commentario non enucleabo operose, ratus consultius fore, si unde* F *quælibet excerpta sint, in annotatis ad Vitam indicarem. Unum tamen specimen, ut ex ungue leonem agnoscas, exhibebo: deinde subjiciam, quæ ipse in rem suam textui intrusit, aut immutavit, ut facilius* S. Magnoaldo *adaptaret : cetera paucis verbis suffecerit indicasse. Fatendum tamen est, Acta hac in parte sinceriora esse, quam in priori : neque enim jam Autiernus aut Chagnoaldus in* Magnoaldum *transformatur, sed quæ de hoc reipsa apud Walafridum referuntur, ejusdem Sancti Vitæ, licet hinc inde paululum immutata, inserta sunt. Dubitat quidem Mabillonius in Elogio historico jam sæpius citato, an apud Walafridum pro* Magnoaldo *legendum non sit* Magnus; *sed utrolibet modo legas, eadem Sancti nostri persona designatur. Nunc propositum exsequamur.*

quibus aliqua

28 *Laudatus Walafridus caput* 9 *exorditur in hunc modum :* Post hæc igitur cum proficiscendi tempus instaret, B. Gallum repentina febris invasit. Unde abbatis sui pedibus advolutus indicavit, se infirmitate vehementi laborare, et ideo iter propositum non posse perficere. Ille vero

AUCTORE C. S.

vero existimans, eum pro laboribus ibidem consummandis amore loci detentum, viæ longioris detractare laborem, dicit ei : Scio, frater, jam tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari : tamen hoc discessurus denuntio, ne, me vivente in corpore, Missam celebrare præsumas. Et cum ei licentiam per se conversandi dedisset, viam ingressus est abeundi. Post discessus magistri et sociorum, Gallus retia sua et sagenam navi imponens, ad Willimarum presbyterum venit; et cum obtulisset ei retia, inter lacrymas et suspiria, retexuit omnia, quæ gesta fuerant circa fratres suos. Deinde infirmitatis suæ causas aperiens, rogavit eum, ut sui curam dignaretur habere. Qui suscipiens eum cum omni caritatis obsequio, domum vicinam ecclesiæ ejus necessitati concessit, et duobus clericis suis Magnoaldo et Theodoro hanc sollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi servirent. Exactis aliquot diebus, Domino, qui medicus est verus, medelam impertiente, cœpit sumere cibos et per incrementa temporum confortatus, perfectam indeptus est sanitatem.

B *corrupto Walafridi textu,*

29 *Consule nunc* S. Magni *Vitam cap.* 2, *a num.* 14, *et utriusque textus omnimodam similitudinem agnosces, præterquam quod posteriori quædam de* Magnoaldo *inserta sunt, quæ priori contraria apparent. In primo siquidem narrationis limine inducitur* Magnoaldus *postulans, ut sibi Gallum sequi liceat; postulanti non modo annuit Columbanus, verum etiam Theodorum socium adjungit, et utrique dat in mandatis, ut Gallum quam studiosissime curet, ejusdemque imposterum imperiis pareat. Addit vaticinia Columbani de* Magnoaldo, *de violando Galli sepulcro etc : de quibus omnibus verbum nullum in Vita S. Galli legere est. Imo vero contrarium satis clare asseritur, dum de sociis, qui cum Gallo manserint, nulla prorsus facta mentione dicitur* : Post discessus magistri *(Columbani)* et sociorum, Gallus retia sua et sagenam navi imponens, ad Willimarum presbyterum venit *etc. Quod si ulterius omnia mature consideremus, non satis verisimilis apparebit hæc compilatoris narratio, ut ex sequenti observatione palam fiet.*

C *improbabilia adjunxit.*

30 *Cum Gallus ob afflictam valetudinem Italico itineri aggrediendo sese imparem causaretur, Columbanus male de ipso suspicatus, id adeo ægre tulit, ut acriter increpitum pœna mulctarit, viro religioso sane gravissima, videlicet ne se vivo umquam Missam celebrare præsumeret. Quis neget hanc S. Columbani severitatem alios a simili petitione deterrere debuisse, ne simili pœna castigarentur? Nihilominus* Magnoaldus, *si compilatori credimus, veniam Gallo adhærendi petit, et facile obtinet, adjuncto insuper altero comite Theodoro. At enim illi, inquies, a Columbano relicti sunt, ut Galli valetudinem curarent. Ita quidem ait biographus : sed si Columbanus Gallum re vera infirmum agnoverit, cur tam acri increpatione tamque gravi et diuturna pœna castigavit? Sin vero morbum ejus ex ignavia simulatum censuerit, cur, quæso, severitatis suæ immemor duos socios imo discipulos obsequiis ipsius mancipat, quem velut simulatorem altari interdictum volebat? Sane hæc mihi non satis verisimilia videntur. Addit quidem idem scriptor,* Magnoaldum *ideo præsertim cum Gallo relictum fuisse in Alemannia, quia noverat Columbanus, illius ope plurimos ex ea gente Christi sacra amplexuros : at vereor, ne vaticinium istud merum figmentum sit, præsertim cum* Magnoaldus *verisimilius numquam fuerit discipulus Columbani, prout* § 7 *probabimus.* D

Reliqua

31 *Ex dato specimine erudito lectori pronum erit de reliquis ex eodem Walafrido desumptis vel potius magnam partem descriptis judicare. Illa ego, ut supra jam monui, hic enucleate non exhibeo, tum ne longior sim, tum quia in annotatis ad Vitam aptus de singulis monendi locus erit. Interim observo ea, quæ a num.* 15 *usque ad* 32 *referuntur, ex sedecim ad minimum Vitæ S. Galli capitibus deprompta esse. Ut autem magis magisque constet, larvatum Theodorum Opusculum suum ex laudata Vita compilasse, observo secundo, quod quemadmodum multa narrat, ubi prolixum reperit Walafridum, ita etiam brevissimus sit, dum nihil in eodem occurrit, quod* Magnoaldo *adaptaret. Primum manifestum erit cuilibet utriusque textum conferenti : alterum non minus clare probabo. Numero* 28 *ita scribit* : Interea itaque commanens B. Magnoaldus cum S. Gallo fere annis decem post perpetratum iter ab Italia; decimo vero anno videns eum infirmari..... misit nuntium E ad Joannem Constantiensis ecclesiæ præsulem etc. *: deinde enarrat mortem S. Galli ejusdemque sepulturam a* S. Magno, *Joanne episcopo et Theodoro curatam. Rursum num.* 30 *sic habet* : Igitur post triennium, *(a morte Galli)* ut compleretur prophetia sanctissimi Columbani, *violatum est ejusdem S. Galli sepulcrum. Quid vero totis illis decennio, triennioque Sanctus egerit, non commemorat; non alia utique de causa, quam quod nihil reperiret in Walafrido, qui inter allatum ex Italia per* Magnoaldum *S. Columbani baculum et Galli mortem nihil scriptum reliquit præter unicum S. Galli miraculum, et Luxoviensium eumdem in abbatem suum postulantium legationem. Quis autem credat, Sanctum nostrum tot annorum spatio nihil memorabile patrasse, quod ipsius socius Theodorus memoriæ proderet, si hic re vera ejus Vitam tam prolixe conscripsisset?*

unde desumpta; quid ex toto Opusculo

32 *Neutra igitur ex hisce duabus partibus Theodoro adscribi potest, sed Jonæ et Walafrido, ab imperito compilatore pessime interpolatis :* F *ea denique, quæ a num.* 33 *usque ad finem referuntur, aut aliunde desumpta sunt, aut proprius sunt compilatoris fœtus non sine fabulis et anachronismis compactus, ut non semel observabimus. Quid igitur? Nullamne totius Operis partem Theodoro aut Ermenrico relinquemus? Mabillonius Theodorum, quem* Pseudo-Theodorum *appellat, omnino excludere videtur : de Ermenrico autem dubitat : verba ipsius dedimus num.* 3. *At Jacobus Basnagius in observationibus prævviis ad hanc Vitam, ita totam tribuit interpolatori, ut nihil Theodoro, nihil Ermenrico vendicari posse arbitretur. Cui ego libens assentior, si velit, nullam Vitæ partem, prout modo circumfertur, genuinum esse Theodori aut Ermenrici fœtum : id enim jam satis probasse videor, et ex sequentibus magis magisque confirmabitur : si vero contendat, nihil a laudatis viris de* S. Magno *memoriæ umquam proditum fuisse, quod compilator quidam partim ex Jona et Walafrido male interpolaverit, partim pro suo sensu auxerit, et depravaverit : id argumenta ab ipso proposita, neutiquam evincunt.*

Theodoro et Ermenrico attribui possit:

33 *Quinimo mihi probabilius apparet, utrique aliquid tribuendum esse. Hoc utcumque suadet*

A *det vetus de hac Vita existimatio, quæ jam seculo* XI *eam ad Theodorum et Ermenricum ferebat; quod ut de toto Opusculo ob allatas rationes verum esse non potest, ita nihil obstat, quominus id de aliquibus ejusdem partibus intelligamus. Potuit enim Theodorus, qui, teste Walafrido,* Magnoaldi *sub Gallo sodalis fuit, cum eodem ad Fauces contendere, ac post ejusdem obitum breve quoddam Vitæ compendium, per modum epitaphii seu elogii concinnatum, demortui sepulcro imponere; quod per* pictatium *seu* pitatium *in Vita designari videtur. Potuit Ermenricus idem istud compendium, in elevationem corporis repertum, pene putridum, novis characteribus restituere, eique elevationis relationem subtexere: quæ omnia deinde quidam sciolus insulse ampliata in integræ Vitæ formam redegerit. Huic opinioni favet, quod suprema Sancti ætas a compilatore assignata recte cohæreat cum numero annorum, quos a Columbani in Italiam aditu usque ad Sancti mortem computat;*
B *licet eadem ætas minime stare possit cum ejusdem prætenso monachatu in Hibernia sub Columbani disciplina suscepto. Hinc enim conjicere licet, quod compilator, qui passim nulla temporis ratione habita, fœdis anachronismis laborat, hisce in locis certius aliquid præ manibus habuerit, quod sequeretur: cumque prædictum annorum numerum ex Walafrido discere nequiverit, verisimile fit, ut ex laudato epitaphio mutuaverit. Idem computus recte convenit cum iis, quæ* § 7 *dicturi sumus; videlicet,* Magnum *verisimilius non Hibernum, sed Alemannum fuisse, ejusdemque monachatus initium ab Italica Columbani profectione repetendum esse. Quod vero spectat ad Ermenricum,* § 8 *ostendemus, nihil obstare, quominus sancti corporis Elevatio ipsi attribuatur.*

quo tempore Vita compilata sit, incertum.

34 *Ætatem compilatoris divinare non lubet: nullam enim chronologicam notam Vita præfert, nisi quod elevationem corporis referat, quam probabilius ante medium seculi* IX *institutam fuisse,* § 8 *ostendemus. Nihil quidem habet de translato sub ejusdem seculi finem Sancti brachio*
C *ad Sancti-gallenses; verum ex hoc silentio nihil certi concludi potest, cum scriptor vel ignorare eam potuerit, vel de industria prætermittere, ut majorem antiquitatem suo Operi conciliaret, et sub Ermenrici nomine tutius tegeretur. Id unum asserere possumus, Vitam illam jam seculo* XI *ut antiquam reputatam fuisse, ut ex anonymo Ratisponensi non semel monuimus. Porro universim notare licet, eam partem Vitæ, quæ ex Jona et Walafrido deprompta non est, fabulis hinc inde respersam esse: eadem præterea cum sana chronologia quandoque tam manifeste pugnat, ut Theodoro neutiquam adscribi possit; imo nec Ermenrico, nisi eum historiæ prorsus ignarum fuisse, dicere velimus.*

§ IV. Sancti ætas inquiritur.

Interpolator Sanctum ad seculum VI,

Qui ætatem Sancti definire voluerit ex iis, quæ compilator variis in locis sparsim narrat, is statuat oportet, eum seculo VI *natum, post medium seculi* VII, *anno ætatis suæ 74 obiisse, et tamen circa medium seculi* VIII *monasterio suo fundando incubuisse. Mirabile paradoxum paucis expono. In ipso Vitæ exordio dicitur* Magnoaldus *a S. Columbano in familiam suam admissus, cum adhuc versaretur in Hibernia, ex qua secundum Mabillonium ante annum 590 in Burgundiam trajecit: cap. autem 4, num. 30 idem Sanctus noster narratur triennio circiter consedisse ad sepulcrum magistri sui S. Galli, atque inde ad Fauces Julias commeasse; ubi condito Faucensi monasterio, post 26 annos vivere desiit* VIII *Idus Septembris, annis natus 73, ut habetur Cap. 7 num. 65. Ex his habemus sanctum Abbatem S. Gallo supervixisse annos circiter 29: cum vero Galli obitus non diu post S. Eustasii, abbatis Luxoviensis, mortem, quæ in annum Christi 625 incidit, ut dicitur in Actis nostris ad diem* XXIX *Martii, apud Walafridum contigisse tradatur, consequens fit, ut* S. Magnus *circa annum 55 seculi* VII *obiisse dicatur: vel si Gallus usque ad annum circiter 646 vitam protraxerit, ut placet Mabillonio (qua de re postea) ultra annum ejusdem seculi 75 mors Sancti differri non poterit. Contra vero idem Theodorus eumdem sanctum Abbatem usque ad tempora Pippini regis et Carlomanni jam monachi, id est ad medium seculi* VIII *inter vivos producit.* E

AUCTORE C. S.

VII et VIII inepte refert:

36 *Operæ pretium arbitror scriptoris verba ex cap. 6 num. 54 huic loco intexere:* Profectus est cum eo, *inquit,* suprascriptus episcopus Wichterpus ad gloriosum regem Pipinum, qui tunc temporis Germaniam totamque Galliam regebat, cum epistola B. Columbani, quam ad Lotharium direxit, flagitans pro sanctis viris Gallo et Magno consistentibus in regno suo, ut eos benigne in amore Domini foveret, eisque familiaria loca, prout opportunum foret, in sua ditione tribueret: sed quoniam Lotharius rex minime adimplere valuit, . . . præfatus gloriosus rex propter amorem et petitionem fratris sui charissimi Karolomanni, qui propter Deum relinquens temporalem regni gloriæ pompam, monasterio se tradidit, et eleemosynæ suæ largitatem, nec non et petitionem præfati episcopi ipsum locum sublimare in aliquo largitionis suæ solatio dignaretur. *Subjungit vere regiam Pippini erga S. Magnum munificentiam, regiis litteris firmatam: dein pergit;* His regiæ potestatis præsul Wictherpus adornatus solatiis et sublimatus honoribus, impartitisque donis optimis beato Magno a rege Pippino, lætus ad patriam regreditur, injungens beato Viro ea omni diligentia, dansque ei potestatem, ut in loco sibi commendato ad supplendas beatæ Mariæ excubias et sanctæ Afræ, omnem ordinem et canonicam institueret vitam. *Ecce, quem annis 29 post S. Galli obitum adeoque seculo* VII, *ætatis suæ anno quarto et septuagesimo e vivis excessisse, supra tradiderat, eumdem hunc circa medium seculi* VIII *apud Fauces Julias degentem, terris bonisque a Pippino rege, suffragante Carlomanno monacho, auctum scribit.* F

hinc Bruschius illum

37 *Ex hoc, quantum apparet, loco Gaspar Bruschius in Epitome episcopatuum Germaniæ, anno 1549 Norimbergæ excusa,* S. Magnum *ad seculum* VIII *protraxit, dum in Catalogo episcoporum Augustanorum de S. Wictherpo, quem Victerbum appellat, scribit sequentia:* Eligitur tandem in Augustanum episcopum a rege Galliarum Pipino: præfuit ibi laudabiliter ac summo Christianæ pietatis promovendæ et ampliandæ studio, annis sedecim. Ad hunc Victerbum venit sanctus Magnus, S. Galli discipulus, petens ab eo veniam ac potestatem ædificandi pro se ac discipulis suis cœnobii, quod sumptibus re-

AUCTORE C. S.

gis Pipini, et hujus episcopi auxiliis construxit . . . Obiit Victerbus XVIII Aprilis anni a nato Christo septingentesimi quinquagesimi secundi.

ad seculum VIII refert:

38 *Secundum hæc oportet, Fuëssense monasterium a Pippino rege et sancto Abbate nostro fundatum fuisse inter annum* 736, *quo S. Wicterpum Augustana insula auctum censet, et* 752, *quo eumdem obiisse arbitratur. Idem auctor in Centuria prima monasteriorum Germaniæ, pag.* 120 *fundationem illam paulo citius statuit, sed eodem tamen seculo :* Fundatum est, *inquiens*, anno Domini DCCXX, ad preces S. Magni, unius ex omnium primis Germaniæ apostolis, a potentissimo Francorum rege Pipino. *Et pagina versa :* Hujus loci abbatum talis reperitur catalogus. 1. S. Magnus S. Galli discipulus, primus hujus cœnobii una cum Francorum rege Pipino fundator, ejusdemque primus abbas : præfuit XXV annis . . . Obiit anno Christi DCCXLV. *Sed cum idem Bruschius in laudato Opere pag.* 113 *S. Gallum* Magni *magistrum anno* 640 *vita functum scribat, aut sibi contradicit, aut Discipulum magistro annos omnino* 100 *et* 5 *superstitem facit, quod non est verisimile. Præterea donationem illam a Pippino rege* S. Magno *etiamtum in vivis superstiti factam, in qua ipse opinionem suam fundat, merum esse scriptoris figmentum, probabimus* § 13 : *quare non est, quod ob eam Sanctum nostrum ad* VIII *seculum referamus. De S. Wicterpo multis etiam disputabimus* § 6.

alii melius ad seculum VII :

39 *Propius ad verum accedunt sententiæ eorum, de quibus Raderus noster in Bavaria pia pag.* 188 *ita meminit :* De S. Magni extremo vitæ anno inter scriptores valde certatur, dum alii defunctum ajunt DCLIV, alii DCLXXIII, alii DCLXXXIII, alii DCLXXI. *In idem seculum conspirant Bernardus Hertfelder et Carolus Stengelius; quorum primus in Basilica SS. Udalrici et Afræ parte* 3, *in Chronico, mortem illigat anno* 670 : *alter in Commentario Rerum Augustan. parte* 2, *cap.* 8 *incidisse refert in annum* 689 *vel* 691. *Mabillonius annum circiter* 665 *assignat, cujus rationes infra examinabimus. Horum sententia in quantum Sancti obitum seculo* VII *affigit, satis mihi certa apparet. Constat enim ex Walafrido,* Magnoaldum *discipulum fuisse S. Galli, cujus disciplinæ una cum Theodoro sese tradidit, cum ille ob afflictam sanitatem Columbano valedicens ad Willimarum presbyterum apud Arbonam secessit. Idem testatur B. Notkerus, cognomento Balbulus, qui floruit seculo* IX *et initio* X, *in Martyrologio suo ad præsentem diem sic annuntians :* Nativitas sancti Magni confessoris, discipuli et comitis beati Galli, mirabilis et sanctissimi viri. *Consonant carmina ab Henrico Canisio tom.* 5 *Antiq. lect. edita, quorum quædam composita videntur occasione translati ad Sangallenses* S. Magni *brachii seculo* IX. *In eorum altero, quod* § 9 *daturi sumus, quodque Ratperto adscribitur, dicitur Sanctus*

Auctus a Gallo Superis amando
dogmate largo.

Et rursum :

Ille post clarum remanens magistrum,
Ejus exemplis inhians beatis *etc.*

cujus anno 55 probabilius obiit.

40 *Porro, eodem teste Walafrido,* Magnoaldus *clericus jam erat anno* 612, *cum a Willimaro sacerdote ad curandam S. Galli valetudinem deputatus est : atque adeo jam tum id ætatis habebat, ut centenario major obiisse dicendus sit, si ad seculi* VIII *initium pervenisse statuatur. Quoto autem seculi* VII *anno defunctus sit, non adeo certum est, verumtamen ob rationes num.* 33 *allatas, probabilius ad annum* 655 *pervenit, isque illi supremus fuit, ut ex sequenti calculo verisimile fiet. Cap.* 7, *num.* 65 *hæc lego :* B. Magnus per dies sedecim laborans, expletis viginti sex annis commorationis suæ in illo cœnobio *(Fuëssensi)* ætatis vero suæ annis septuaginta tribus, in die sancto Dominico, et in octava Idus Septembris, commendans se Deo et venerando pontifici, in senectute bona, circa horam nonam diei ipsius Dominicæ sanctam animam Deo reddidit. *Hæc compilator, quæ cum reliquis ipsius calculis a morte Columbani initis recte cohærent. Cap. enim* 3, *num.* 28 *dicitur Sanctus post mortem S. Columbani annis fere decem Gallo adhæsisse; post quos defuncto Gallo, apud ejusdem sepulcrum triennio commoratus est, ut traditur cap.* 4, *num.* 30 : *sepulcro subverso et restituto, ad Fauces penetrasse narratur cap. citato et seqq., ubi in condito Fuëssensi cœnobio expletis viginti sex annis, ad meliorem æternamque vitam evocatus sit. Secundum hæc vixit* Magnus *annis* 39 *post S. Columbanum : at quoniam inter eversum Galli sepulcrum* Magnique *ad Fauces adventum annus circiter intercessisse potuit ejusdem obitus statui potest anno quadragesimo post mortem Columbani : hæc autem incidit in Christi* 615, *cui si quadraginta addideris, prodibit annus* 655, *cujus* VIII *Idus Septembris dies Dominicus erat, quo in vita dicitur obiisse.*

Vitæ Sancti qualiscumque chronotaxis.

41 *Ex dictis deducitur sequens qualiscumque chronotaxis. Sub annum* 582 *Sanctus nascitur : anno* 612 *jam diaconus ætatis suæ circiter* 30 *vel* 31, *Willimaro presbytero in castro Arbonensi prope Brigantinum lacum addictus, ægrotanti Gallo inservit, et una cum Theodoro in ipsius disciplinam transit. Anno* 615 *a magistro suo mittitur in Italiam ad monasterium Bobiense, ut de S. Columbani morte inquirat: qua comperta, demortui baculum, quam* cambottam *vocant, in reconciliationis tessaram Gallo defert. Anno* 625 *Gallus vita fungitur: post triennium ejusdem sepulcrum violatur; sanctus vero* Magnus *et Theodorus vulneribus pene confecti, resumptis viribus sepulcrum restaurant. Inde anno* 629 *ad Fauces Julias contendit; ubi condita cellula, quæ postmodum celebris sub ejusdem Sancti nomine abbatia evasit, post viginti sex annos ad cœlum evolavit anno Christi* 655, *ætatis suæ* 74. *Procedit quidem hæc chronotaxis ex vitiata tot erroribus Vita; verumtamen cum omnia tam recte cohæreant, merito suspicari licet, Ermenricum eas temporum notas ex genuino Theodori manuscripto didicisse, ut num.* 33 *observavimus. Et vero, si Theodorus compendium aliquod Vitæ apud Sancti corpus seposuerit, verisimillimum est, quod in eo expresserit non modo supremam ætatem, verum etiam temporis spatium, quo sive cum communi utriusque abbate Gallo, sive in suo Fuëssensi cœnobio versatus est. Quare cum nihil certius, quod sequamur, occurrat, prædictis calculis adhæremus.*

§ V.

AUCTORE C. S.

§ V. Respondetur ad argumenta nostræ opinioni contraria.

Examinantur Mabillonii

Mabillonius in elogio historico jam sæpe laudato pag. 505, *annum circiter* 665 *Sancti emortualem statuit, et nihilominus pag.* 509 *num.* 14 *ita scribit :* Quamdiu S. Magnus B. Gallo supervixerit, incertum. Pseudo-Theodorus viginti quinque annos superstitem fuisse scribit; quod quidem non rejicimus. *Sed priusquam progrediar, observo, falli Mabillonium, si velit, sanctum abbatem Fuëssensem ex biographi mente annis dumtaxat* 25 *S. Gallo superfuisse : nam quod ad minimum* 29 *post hujus. mortem ipsi tribuat, supra satis ostendimus. Nunc, unde digressi sumus, redeamus. Cur annum circiter* 665 *figat, nullam prorsus adfert rationem : imo vero, si sibi constaret,* 671 *circiter signare debuisset. Etenim tam in Actis, quam in Annalibus, arbitratur S. Gallum obiisse circa annum* 646; *cui si* 25 *annos, quos Sanctum superfuisse non negat, adjeceris, ad* 671 *pervenies, quem* S. Magno *supremum fuisse, consequenter dicere debuisset. Non est igitur quod in hac parte nos moretur Mabillonius : at quoniam mortem Galli, post quam anno trigesimo* Magnum *defunctum diximus, multo serius, quam nos, statuit, argumenta, quæ in hanc rem adducit, examinanda sunt.*

argumenta, petita

43 *Walafridus Strabo in Vita S. Galli apud Mabillonium sec. Benedictino* 2, *cum cap.* 28 *narrasset, monachos Luxovienses, defuncto S. Eustasio abbate suo, communi consilio apud Gallum institisse, ut in demortui locum succederet, illum vero id oneris subire recusasse, mox cap. seq. Galli mortem relaturus sic orditur :* Non multo post cum jam bonorum omnium Auctor et Propagator athletam suum de mundi agone sublatum præmiorum laureis vellet perennibus adornare *etc. : dein subdit, eum post paucorum dierum morbum prope Arbonam humanis exemptum fuisse. Igitur ex Walafridi sententia Gallus obiit* non multo post *Eustasium, qui* XXIX *Martii anni* 625 *vivere desierat, ut in Actis nostris tom.* III *dicti mensis ostensum est : ex quibus commode intelligi potest, Galli obitum, qui* XVI *Octobris signatur, eodem anno* 625 *contigisse : quod apprime concordat cum verbis compilatoris nostri, qui Gallum* fere annis decem *superstitem facit S. Columbano, anno* 615 *defuncto. Vidit id Mabillonius; at cum idem Walafridus Gallo annos vitæ* 95 *tribuat, ab eo dissentiens notat sequentia :* Ex dictis hujus capitis initio, B. Gallus obiit non multo post B. Eustasium, quem anno DCXXV ad Superos migrasse probavimus. In Vita S. Magni, seu Magnoaldi, Gallus B. Columbano anno DCXV denato, annis dumtaxat decem superfuisse dicitur : ut proinde anno DCXXV mundo excessisse videatur : verum multa hunc calculum evertunt.

ex ætate aliisque,

44 Si Gallus annos natus nonaginta quinque decessit, quis putet, Constantiensi clero ante annos decem venisse in mentem, ut hominem decrepitæ ætatis, ultra annos quinque et octoginta provectum, in sedem vacuam (uti supra cap. XXII legitur) promoveret? Immo quis credat, monachos Luxovienses post Eustasii mortem de Gallo, jam fere centenario, cogitasse, ut illum ex remota regione abbatem sibi arcesserent? *Hoc primum est Mabillonii argumentum, quod haud scio, an apud eruditos tantum roboris habiturum, sit, quantum habere visum fuit suo auctori. Insolitum est, fateor, tam decrepitæ ætatis viros ad episcopales cathedras evehi : at non defuere, quibus id ætatis sat virium esset ad tale munus pro dignitate obeundum. Unde ergo probabit eruditus vir, illum ad similes curas præ senio non fuisse idoneum? Poterat igitur Constantiensis clerus, eximia Galli sanctitate zeloque perspectis, suam illi cathedram offerre, gnari utique, viri pietate, prudentia et zelo facile compensandum, si quid attritæ corporis vires negarent.*

quæ de S Gallo

45 *Nec plus difficultatis habet altera pars argumenti : nam quid, obsecro, in eo tantopere mirandum, quod Luxovienses Gallum, sancti patris sui Columbani quondam socium, in abbatem expeterent, quem et morum sanctitas, et acta sub Columbano magistro vita, maxime commendabant? At enim senium obstabat, inquit. Cui rei? an muneri? Atqui mens et consilium et ratio, quæ solet esse in vegetis senibus (qualem ipsum non fuisse, non probat) procul dubio præcipuæ prælati sunt dotes. An suscipiendo itineri? Sed enim eremicola, qui peregrinationibus insenuerat, hanc etiam viam non tam difficulter confecturus credi poterat. Quin et ipse Mabillonius factum huic prorsus simile admittit in Columbano. Quippe Annal. tom.* I, *ad annum* 615, *num.* 17, *ita scribit :* In Carmine ad Fedolium Columbanus ipse de se ipso ita canit :

Hæc tibi dictaram morbis oppressus amaris,
Corpore quos fragili patior, tristique senecta :
Nam dum præcipiti labuntur tempora cursu,
Nunc ad Olympiadis ter senæ venimus annos.

Ad quæ verba notat sequentia : Ubi si Olympias pro annis quinque sumitur, ut quidem sumi solet (*imo pro quatuor accipi solet*) annos nonaginta tunc attigerat, cum prædictos versus scribebat. Neque hoc insolens apud Scottos, ut S. Galli ætate liquet.

narrat Walafridus

46 *Admittit igitur ad minimum ut probabile, S. Columbanum ad nonaginta annos pervenisse : atqui tamen idem Benedictinus asserit, eumdem sanctum anno* 610, *id est, quinquennio circiter ante mortem, Luxovio pulsum, anno* 612 *in Italiam pervenisse, ibique cœnobium Bobiense condidisse, prout ad citatos annos videre est. Ex quibus consequens fit, ut admittere etiam debeat, S. Columbanum* 85 *annos numerasse, cum Luxovio excederet, et octogesimum septimum ad minimum attigisse, cum Bobiensi monasterio ædificando occuparetur. Rursus ad annum* 613, *num.* 3, *ait, eumdem Columbanum biennio ante mortem a Clotario rege per S. Eustasium invitatum fuisse, ut in Gallias adeoque ad suum Luxoviense monasterium reverteretur; ac proinde Clotariumre ipsa de Columbano jam prope nonagenario* cogitasse, ut illum ex remota regione, *Bobio videlicet,* arcerseret *Luxovium.*

in ejusdem Vita.

47 *Alterum argumentum laudatus Benedictinus format a Galli ætate, quam* 95 *annorum facit Walafridus :* Jam grandævum fuisse, *inquit*, Gallum ac B. Columbano magistro suo ætate superiorem, dum in Galliam venit, dicere necesse est, si nonagenario major anno DCXXV

AUCTORE C. S.

DCXXV mortuus est, *quod adversatur Walafrido. At pace Mabillonii dixerim, secunda ratiocinii pars in ipsiusmet principiis concidit : nam si Olympias ipsius judicio pro quinquennio sumatur, atque adeo Columbanus nonagenarius, aut eo major, anno* DCXV *obierit; Gallus vero anno* DCXXV *moriens, annos tantummodo* 95 *numeraverit, debuit hic ad minimum quinquennio minor fuisse magistro suo, cum in Galliam appelleret. Fateor tamen hoc exiguum ætatis discrimen non apparere sufficiens, ut concilietur cum Walafridi cap.* I, *ubi Gallum multo juniorem Columbano facere videtur. Deinde cum Olympias non pro lustro seu quinquennio, sed pro quadriennio accipi soleat, major esset objecta difficultas, si tam de tempore, quo laudatum carmen conscriptum est, quam de suprema Columbani ætate constaret : at cum utrumque incertum sit, nihil inde certi erui potest. Incertum etiam est, an in assignando tempore, quo Eustasium Gallus superavit, Walafridus erraverit potius, quam in Vitæ annis exprimendis : sane si mors Galli usque ad annum* 646 *differenda sit, ut vult Mabillonius, quia annum vi-* B *tæ* 95 *explesse dicitur : dicendus erit Walafridus annos* 21 *particulis* nec multo post *conclusisse, dum eum non multo post Eustasium obiisse scribit. Verum hæc latius discuti poterunt ad* XVI *Octobris, quo die S. Gallus in Romano annuntiatur : ego interim prædictis calculis adhæreo.*

Alterum ejusdem argumentum ex Ratperto.

48 *Postremum denique argumentum idem auctor proponit his verbis :* Denique Gallum B. Dagoberto Chlotarii filio supervixisse, jam ad caput XIV (*lege* XV) notavimus. Cui rei argumento est, quod Talto vir illustris, Tagoberti, regis camerarius, S. Gallum cum in corpore viveret, coluisse dicatur *a Ratperto lib. de Casibus S. Galli cap.* I, *ut ipse citat in margine. Verum adductus Ratperti locus tantum probat, Gallum ad Dagoberti regis tempora pertigisse, ut recte notavit Pagius in Critica, ad annum* 627, *num.* 31 : *cumque Dagobertus ante annum* 625 *Austrasiæ regnum tenuerit, nihil obstat ista Taltonis cum S. Gallo amicitia, quominus hic assignato anno obiisse dicatur. Quod autem* C *ait,* Gallum B. Dagoberto Chlotharii filio supervixisse, *id non probat, sed mere divinat Mabillonius, dum ad cap.* 15, *ubi dicitur Gallus expulisse dæmonem ex Fridiburga, regi Sigeberto Theodorici filio desponsata, observat, narrationem illam, si tamen vera sit, convenire non posse* Sigiberto Theodorici filio, . . . sed vel Sigiberto Dagoberti filio (quemadmodum vetusta abbatiæ S. Martini Mettensis instrumenta docent apud Meurissium Medaurensem episcopum in Hist. Mettens. episc. in Pappolo) vel certe Sigiberto, seu Sigberchto Orientalium Anglorum regi etc. *Porro hanc ipsam suspicionem ipse improbat in Annalibus ad an.* 613 *num.* 8, *scribens :* Neque hæc narratio tribui potest Sigiberto Dagoberti filio, qui ineundo conjugio habilis non fuit, vivente Gallo.

Difficultates a Pagio objectæ

49 *Antonius Pagius in Critica Baronii tom.* 2, *ad annum* 627, *num.* 31, *nobiscum sentit, S. Gallum eodem, quo Eustasius obiit, anno, aut saltem altero post illum, animam Deo reddidisse; sed in eo dissentit, quod Eustasii mortem ad annum* 627 *referat. Rationem loco citato, num.* 27 *repetit ex eadem S. Salabergæ Vita, ex qua Henschenius et Mabillonius eamdem illigant anno* 625. *Summa rei in eo consistit, quod in præfata Vita S. Eustasius ad Deum* D *migrasse dicatur,* cum curam Fratrum (*Luxoviensium*) post discessum magistri *(S. Columbani)* tribus non parum minus egisset Lustris. *Horum* 15 *annorum initium, quod proxime laudati scriptores referunt ad annum* 610, *quo Columbanus Luxovio pulsus est, Pagius repetendum censet* ab anno DCXII, quo Theodebertus rex obiit, aut potius ab anno DCXIII, quo Clotarius II totius Franciæ monarchiam adeptus est. *Argumenta, quibus id a se demonstratum opinatur, proponit ad annum* 613, *num.* 6, *et huc fere reducuntur. Videtur Eustasius secutus fuisse Columbanum, dum Italiam peteret : quamvis enim a regiis ministris prohibitus fuerit, postmodum tamen magistro suo in Austrasia occurrit, et sub ejusdem disciplina vixit.*

ex Vitis SS. Columbani

50 *Hoc vero ex Jona Columbani biographo erui putat, eo quod de miraculo quodam tempore famis sub eodem sancto apud Brigantiam patrato, ait :* Eustasio, hoc cognovimus, referente, qui eo tempore inter reliquos viri Dei E obedientia ibidem tenebatur. *Subjungit et aliud ex scriptore Vitæ S. Walarici, primi abbatis Leucaniensis, qui cum dixisset, quod sanctus ille pastores, qui post Columbani discessum partem monasterii Luxoviensis occupaverant, cœperit ejicere, sic prosequitur :* Inter hæc B. Austasius *(id est* Eustasius) a B. Columbano fuerat destinatus ad hoc ipsum cœnobium regendum, cum adhuc quadam ex parte fines ipsius monasterii quidam utique seculares possiderent. Cum autem de ipsis secularibus dejiciendis calumnia et lis insurgere conaretur, tunc B. Austasius, cum esset et ipse nobilitate generis et moribus decoratus, una cum famulo Dei Walarico, sic illos suasoriis et suis mellifluis eloquiis, auxiliante Domino, de prædictis finibus monasterii promoverunt, ut de ipsorum secularium controversia nullum inter eos scandalum exurgeret. *Hæc ipse ex laudata Vita, post pauca concludens :* Non videtur Eustasius ante præsentem annum (DCXIII,) quo Clotarius universam Francorum monarchiam obtinuisse, anno sequenti ostendemus, suæ præfecturæ, seu abbatiæ possessionem iniisse. F

et Walarici

51 *Inficiari nequeo, ex allatis testimoniis deduci posse, S. Eustasium aliquo tempore abfuisse Luxovio et apud S. Columbanum degisse : sed quod anno* 613 *prædictæ abbatiæ præesse primum cœperit, ex iisdem non probatur. Potuit quippe Eustasius magistrum suum Columbanum prope Brigantiam commorantem adire, ibidemque sub ejusdem* obedientia teneri, *tum ut de rebus suæ abbatiæ cum eo ageret, tum etiam ut tam chari patris consuetudine, quamdiu res sinerent, frueretur. Quod autem eumdem in Italiam secutus sit, minus mihi probabile apparet ex ipso Jona, qui diserte tradit, S. Eustasium a regiis ministris prohibitum fuisse, Columbano in exsilium proficiscenti adhærere : in Italiam postmodum comitatum, aut inde ab eodem Columbano sub monarchia Clotarii remissum fuisse, ut Luxovio præsideret, nusquam scribit : imo vero contrarium innuere videtur, dum de Clotarii jam rerum potiti benevolo erga Columbanum ejusque discipulos animo ait :* Interea memoratus rex Chlotarius, viri Dei prophetiæ *(qua monarchiam ei prædixerat)* effectum in se fuisse impletum cernens, venerabilem Eustasium, qui ejus in locum Luxoviense monasterium regebat,

A gebat, ad se venire imperat: quem pio affamine rogat, ut sibi cum supplemento publico legationem fungi curet, sociosque, quos vellet, nobilium virorum haberent, qui sui vadimonii arbitri essent, post B. Columbanum pergerent, et quocumque loco eum reperissent, eleganti suasu ad se venire hortarentur. *Nullum hic de restituto in Luxoviensem abbatiam Eustasio verbum facit Jonas; sed potius supponit, eum illi jam præfuisse, cum Clotarius solus Francorum monarcha evasit.*

discutiuntur. 52 *Præterea quæ ex Vita S. Walarici adducta sunt, ea Clotarii regno minus convenire videntur: cum enim ipse erga Columbani socios optime affectus esset, non fuisset necesse, seculares illos* suasoriis et mellifluis eloquiis *a monasterii finibus amovere, qui sola regis auctoritate coercendi expellendique fuissent. Et quid causæ esse dicemus, quod laudatæ Vitæ auctor, nulla Clotarii regis ratione habita, generis nobilitati, moribus ac eloquentiæ Eustasii acceptum referat, quod intentata ab invasoribus lis fuerit sopita? Crediderim itaque, in primo persecutionis sub* B *Theoderico fervore monasterii fines, sive caulas et extimas officinas a laicis illis occupatas fuisse, ex quibus eos paulo post S. Walaricus, et reversus a Columbano, ut supra diximus, S. Eustasius, jam abbas designatus, suavi eloquentia expulerint. Favebat hac in parte utrique sanctitas, et Eustasio præterea generis nobilitas, et forte etiam potens cognatorum patrocinium: nam supra dicitur* nobilitate generis et moribus *decoratus, et in præfatione ipsius Vitæ præfixa in Opere nostro ad diem* XXIX *Martii,* e Burgundionum genere nobilis natione *fuisse; in Vita vero S. Columbani avunculum habuisse Mietium,* qui Lingonicæ ecclesiæ pontifex erat. *Non est igitur, cur cum Pagio initium præfecturæ Eustasii ad monarchiam Clotarii, aut Theodeberti obitum disseramus.*

Alia difficultas ex loco Walafridi 53 *Superest maxima ex Walafrido in sæpe laudata S. Galli Vita difficultas, quæ, nisi in eum locum mendum irrepserit, plane inextricabilis est. Auctor ille violationem sepulcri S. Galli, quam ex Vita* S. Magni *triennio post Galli mortem contigisse diximus, anno post ejusdem* C *obitum quadragesimo adscribit: unde consequens fieret, ut* S. Magnus 66 *annis illi supervixisset, et ad annum Christi* 691 *pervenisset. Utri e duobus scriptoribus Theodoro an Walafrido, credendum sit, ex adjunctis certo determinari non potest. Otwinus enim sive Othwinus ejusque præfectus Erchanoldus, seu ut in aliis exemplaribus scribitur, Erchonaldus et Erwinus, ex solis laudatis Vitis noti videntur, uti etiam Bosonis episcopatus. Mabillonius in annotatis ad Vitam S. Galli dubitat, an librariorum hallucinatione in Walafridi textum hoc loco mendum non irrepserit. Rationem dubitandi addit in hunc modum:* Certe cum in capite proximo, Walafridus Magnoaldum ac Theodorum isti impressioni superstites memoret, certumque videatur (si quid in S. Magni historia veri est) eos longe postea devixisse; tantum intervallum a morte S. Galli ad cladem hic descriptam effluxisse non potest.

probabilius mendoso. 54 *Verumtamen idem Benedictinus tom.* I *Annalium ad annum* 687 *num.* 61 *prædictam sepulcri violationem post quadraginta a Galli obitu annos statuit, nixus Walafridi auctoritate; argumentum autem mox relatum ne attingit quidem. At scriptores Galliæ Christianæ auctæ tom.* 5 *col.* 894, *assumpto Mabillonii ratiocinio malunt, quamvis dubitanter, compilatori nostro adhærere, eamque anno* 619 *affigunt; quia S. Gallum anno* 646 *obiisse cum laudato Annalista arbitrantur.* Melius fortasse, *inquiunt,* revocanda fuerit illa renovatio *(sepulcri per Bosonem, de quo ibi agunt, facta)* ad annum DCXLIX, post triennium a morte S. Galli, quo tempore et longe postea superstites fuere Magnus et Theodorus. *Carolus Cointius (qui S. Galli obitum nobiscum illigat anno* 625*) Annal. Eccl. Franc. tom.* 2 *violationem hanc ad annum* 628 *refert, ductus auctoritate Theodori, cui, ut verum fatear, nimium tribuit. Attamen ipsius sententia, uti et Sammarthanorum, in quantum hi triennio favent, mihi probabilior videtur, tam quia id suadent rationes tam hic, quam* § 3 *num.* 33 *et* § 4 *a num.* 40 *propositæ, tam quia nulla apparet probabilis ratio, ob quam compilator, qui tam multa ex Walafrido mutuatus est, triennium pro quadraginta annis signasset, si quadraginta annos apud Walafridum legisset: quare mihi valde verisimile fit, eum sive in suo Walafridi exemplari, sive in* S. Magni *elogio per Ermenricum* E *restituto, reipsa triennium istud reperisse. Adde, quod ex posteriore sententia Mabillonii sequeretur, Sanctum nostrum prope centenarium fuisse, cum ad Fauces accederet, si, ut ipse nobiscum sentit, anno* 612 *jam diaconus fuerit, et nihilominus primum anno ejusdem seculi* 87, *violato Galli sepulcro, iter ad Fauces arripuisset.*

AUCTORE C. S.

§ VI. Utrum S. Magnus convixerit SS. Wictherpo et Tozzoni episcopis Augustanis.

Interpolator SS. Wictherpum, et Tozzonem *Biographus seu interpolator noster cap.* 4 *tradit, sanctum presbyterum quemdam Tozzonem nomine, divinitus admonitum ad S. Galli sepulcrum accessisse, seque* S. Magno, *qui ibidem degebat, et ad Fauces proficisci constituerat, itineris comitem ductoremque exhibuisse. Deinde capite* 5 *narrat, eos ad locum quemdam, quem* Eptaticum *appellat, in diœcesi Augustana situm, pervenisse, ibidemque a S. Wictherpo ejusdem ecclesiæ episcopo benigne exceptos, multisque donis auctos fuisse. Denique cap.* 6 *et* 7 *addit, S. Wictherpum sacrum presbyteratus ordinem conferre voluisse* S. Magno, *Tozzonem vero præfato antistiti post ejus excessum e vivis in episcopatum successisse. Verum idem scriptor narrationi suæ hujusmodi circumstantias adjungit, ut cæcus sit, qui ipsius imperitiam et turpissimos errores non deprehendat. Quippe ut* § V *ostendimus, si illius auctoritate stare velimus, dicendum erit,* S. Magnum *ultra centum et septuaginta annos numerasse, cum S. Wictherpus ad fundandum cœnobium annuos reditus et saltum a Pippino rege impetraret; et nihilominus anno vitæ suæ* 74 *ad Superos demigrasse. Verum ea jam superius satis discussa sunt.* F

Pippino regi et Carlomanno synchronos facit. 56 *Superest hic alia quæstio, videlicet, an quemadmodum interpolator* S. Magnum *Pippino regi ac Carlomanno perperam synchronum fecit, ita etiam ejusdem Sancti ætatem cum temporibus SS. Wictherpi et Tozzonis male connexuerit.*

AUCTORE C. S.

rit. Augustanorum antistitum catalogi omnes, præfatos Sanctos inter ejusdem sedis episcopos recensent: sed qui in illos scripserunt, non iisdem annis aut seculo alligant. Catalogus Kruegeri opera editus Augustæ anno 1614, S. Wictherpi ordinationem refert annum 646, mortem vero ad 662: hujus successorem S. Tozzonem anno 676 defunctum subdit, citans pro utroque Vitam S. Magni. *Bernardus Hertfelder in Basilica SS. Udalrici et Afræ parte 3, in Chronico, initium episcopatus S. Wictherpi anno 646, finem 662 aut proxime subsecuto adscribit; S. Tozzonem 676 defunctum statuit; utrumque* S. Magno *contemporaneum affirmans. Ad idem tempus S. Tozzonis obitum refert Raderus noster in Bavaria pia pag. 187, secutus, ut ad marginem notat, Vitam sancti Abbatis nostri a R. D. Martino Fuëssensi prælato editam.*

Variæ de prædictorum Sanctorum ætate

57 *At vero alii præfatos sanctos antistites ad seculum* VIII *trahunt, et cum iis* S. Magnum. *In hac sententia sunt Gaspar Bruschius in Opere de Episcopatibus Germaniæ, et Petrus Cratepolius de Sanctis Germaniæ, scribentes, tam* B *S. Wictherpum, quam Tozzonem a Pippino Galliarum rege ad Augustanam cathedram evectos esse, et horum alterum anno 752, alterum 765 mortuum, utrumque* S. Magno *convixisse. Viam mediam ingressus est Carolus Stengelius abbas Anhusanus, Rerum Augustanarum parte 2 ubi cap. 5 et 6 S. Wictherpum anno 755, S. Tozzonem circa annum 768 obiisse, arbitratur: cap. vero 3 emortualem* S. Magni *annum cum Christi 689 ex sententia Tschudii, aut 691 ex Judoci Mezleri placito, connectit. Consequenter ad hanc sententiam præmiserat cap. 2 de Wichone, quem seculo* VII *Augustæ sedisse statuit, hæc verba:* Sub Wichone, non Wicterpo, ut a nonnullis perperam creditum fuit, floruit S. Magnus, diœceseos Augustanæ patronus. *Similiter Mabillonius in Actis Sanctorum, sanctum Wictherpum, de quo Vita, ad seculum* VIII *refert, quamvis* S. Magnum *sæculo* VII *adscribat. Hos duos postremos scriptores sequitur Corbinianus Khamm in Prodromo Auctarii partis* I *Hierarchiæ Augustanæ, præsentem controversiam multis tractans, contendensque,* S. Magnum *una cum Theodoro monacho seculo* VII *in Algo-* C *viam venisse sub episcopatu Wichonis, aut Mannonis qui illum præcesserat, ibidemque a Pippino I Majore-domus regum Austrasiæ accepisse facultatem condendi monasterium Faucense; cui deinde seculo* VIII *S. Wictherpus episcopus privilegia a Pippino III, Francorum rege impetraverit: denique S. Tozzonem proxime nominato sancto antistiti suffectum fuisse; adeoque conficta, quæcumque interpolator de horum cum* S. Magno *familiaritate enarrat. Nunc utriusque partis argumenta perpendamus.*

sententiæ.

58 *Quicumque* SS. Magnum, *Wictherpum ac Tozzonem contemporaneos faciunt, nituntur sola, quantum hucusque deprehendere potui, auctoritate Vitæ Sancti nostri, quæ sub nomine Theodori ac Ermenrici, ut sæpe monuimus, circumfertur. Ex his, qui eos seculo* VII *affigunt, pro Pippino rege substituunt Pippinum I, Majorem-domus regum Austrasiæ; reliqua vero, quæ ad alterum seculum spectant, interpolatoris imperitiæ adscribere debent: qui autem illos seculo* VIII *vixisse opinantur, pro iis præter citatam Vitam militant argumenta, quæ pro SS. Wictherpi et Tozzonis ætate in medium adducunt scriptores, qui* S. Magnum *ab his separan-* D *dum contendunt. Verum cum § 4 et 5 satis ostendisse videamur, sanctum Abbatem Faucensem floruisse* VII *seculo, hinc qui eum ad* VIII *referunt, nos morari non debent, quo minus ad aliorum sententiam examinandam properemus.*

Argumenta, quæ S. Wictherpum

59 *Carolus Stengelius Rerum Augustan, parte 2, cap. 5, num.* I *Wictherpum, de quo agimus, S. Bonifacio Germaniæ apostolo, seculo* VIII *synchronum facit, citans hanc in rem ex Fundatione monasterii Benedictoburani verba sequentia:* Beurn fundatum consilio Augustensis Bicterpi; valde venerandi viri. In Franciam profecti conductu et annisu B. Bonifacii Moguntini archipræsulis, a piissimis regibus Carolomanno atque Pipino irrefragabilia perpetuæ libertatis privilegia Burensi ecclesiæ acquisierunt: quam etiam ab eodem tantæ auctoritatis et sanctitatis metropolitano dedicari, regalique edicto publice honorificari, iidem principes percepere *. Mox convenientibus illustribus et Catholicæ excellentiæ personis, a supra memorato pontif. et Bicterpo reverendissimo Augustense episcopo, XI Cal Novemb. die, in nomine S. Trinitatis, in honore S. Benedicti et B. Jacobi, necnon E plurimorum SS. memoriam, quorum et plurimas congregaverunt reliquias, hæc ecclesia dedicata est etc. *Idem num. 7 asserit, monasterium S. Michaëlis Fultabacense circa annum 733 fundatum fuisse ab eodem Wictherpo, hortante S. Bonifacio. Stengelio fere consentit Bucelinus, Germaniæ sacræ parte 2, pag. 35, verbo* Fultenbach.

* *l.* præcepere

ad medium seculi VIII

60 *Præterea laudatus Stengelius in eodem Opusculo num. 15, S. Wictherpo Augustano attribuendum putat libellum quemdam anno 754 conscriptum, qui in Ratisponensi S. Emmerami monasterio servari perhibetur, atque ita subscribitur:* Scripsi ego ipse Vichterbus, quamquam peccator, episcopus jam senex, puto, nonagenarius, aut supra, dolentibus membris et caligantibus oculis.... Tertio anno regnante Pippino filio Caroli, rege Francorum, in mense Junio, in diebus decem scripsi hunc libellum, hoc est anno DCCLIV a Nativitate Christi, VII Indict. *Hunc libellum in manibus habuit Aventinus, qui lib. 3 Annal. Bojorum pag. 280 sic illius meminit:* Servatur ibi *(Ratisponæ in præfato monasterio)* libellus, in quo episcopus F hortatur amicum ad pietatem: adeo vetustis literarum notis scriptus est, ut mihi de integro in literarum pistrinum redeundum, et elementorum figuræ condiscendæ fuerint. Ad umbilicum hæc verba adscripta sunt: Scripsi ego ipse Vichterpus etc. *Pagius in Critica Baronii ad annum 756 num. 9 hunc Aventini textum recitans, monet in eo mendose legi:* anno DCCIIII *pro* DCCLIV, *uti in editione anni 1554, qua usus sum, reipsa legitur.*

referendum

61 *Corbinianus Khamm ejusdem cum Stengelio est sententiæ in Prodromo ad Auctarium partis* I *Hierarchiæ Augustanæ, ubi Relat. 2, num. 58 approbans, quæ Stengelius habet de fundatione dedicationeque cœnobii Benedictoburani, addit, huic narrationi suffragari manuscriptum codicem et Antiquitates prædicti monasterii: quæ tamen quantæ vetustatis aut notæ sint, non edicit. Aliud insuper argumentum profert Relat. 3 num. 36, ita scribens:* Monasterii Benedictoburani codices vetustissimi, a Wicterpo episcopo Augustano Lantfridum, hujatis monasterii anno DCCXXXVI fundatorem, et circa annum DCCLIV mortuum, esse terræ mandatum,

A datum, diserte affirmant, atque expresse, N. B., Sanctum nominant. *Denique post multa num.* 51 *concludit :* Assero (salvo aliorum judicio) cum Mabillonio in Actis SS. Ord. Benedict. Seculi 2, fol. DVII; S. Magnum Eptaticum accedentem, a S. Wicterpo Augustæ Vindelicorum episcopo fuisse exceptum, esse commentitium.

et a S. Magno 62 *Et vero ex prædictis confici posse videtur, Wictherpum aliquem circa medium seculi* VIII *episcopum in Germania fuisse : quod autem idem ille sit, de quo Vita, suspicari facit ipse interpolator. Manifestum esse enim, Pippinum regem, ejusque fratrem Carlomannum monachum ad tempus assignatum pertinere, ac proinde si vera narrat, etiam Wictherpum, quem cap.* 6 *his synchronum facit. Nec ad aliud seculum spectant Utilo, sive Otilo Bojoariorum dux, et S. Othmarus abbas Sancti-gallensis, quorum ultimum cap.* 3 *asserit, a SS. Gallo et* Magno *eruditum scholaque magistrum constitutum fuisse ; alterum Theodoro Sancti nostri socio convixisse, tradit cap.* 7. *Ita ut luce clarius* B *appareat, personas varias, quas seculo* VIII *floruisse constat, ad* S. Magni *tempora, in ejusdem Vita perperam referri. Novi equidem, responderi hic posse, personas illas ab imperito et historiæ ignaro interpolatore intrusas esse : quemadmodum de Pippino rege et Carlomanno reipsa existimarunt Bollandus et Henschenius, ut num.* 7 *dictum est. Sed quidni eodem jure suspicari liceat, acta S. Wictherpi huic Vitæ, quam elucidamus, male inserta esse ?*

removendum 63 *Enimvero hujusmodi scriptor non potest non esse suspectus. Et tamen omnia illa, quæ* S. Magno *cum Wictherpo intercessisse narrantur, hujus solius auctoritate nituntur. Atque hoc jam olim advertit Paulus Bernriedensis presbyter seculi* XII *scriptor, in Vita B Herlucæ virginis, quam Henschenius tom.* 2 *Aprilis, ad diem* XVIII *edidit, ubi cap.* 4 *de S. Wictherpo observat :* A diebus S. Magni confessoris, quem idem præsul apud Eptaticum primitus vidit cælesti lumine coronatum, et paulo post ibidem gratulabundus ordinavit presbyterum, nullatenus ejus mentionem vel audiendo vel legendo suscepimus usque ad tempora S Herlucæ excepta dumta- C xat translatione, quam senes, qui viderant, ipsi Herlucæ sic referre solebant. *Nec aliter sensit Henschenius, Vitam S. Wictherpi, loco citato in hæc verba exordiens :* Minime omnium videntur a vere aberraturi, qui dicerent, nihil sciri posse de rebus gestis S. Wicterpi, antequam fuerit ad sedem pontificalem promotus : imo de rebus in pontificatu gestis solum sciri, quæ in Actis S. Magni continentur : atque ita recte dixisse Paulum in Vita B. Herculæ, nullatenus se aliam ejus mentionem vel audiendo vel legendo suscepisse.

suadent, 64 *Ex solo igitur biographo seu interpolatore ista habemus ; qui cum Pippinum regem, Carlomannum monachum, Utilonem, sanctumque Othmarum, omnes circa medium seculi* VIII *celebres, cum eodem S. Wictherpo connectat, merito censeri potest de Wictherpo, qui seculo* VIII *floruit, egisse, eumque non secus atque laudatos viros,* S. Magni *gestis ex errore et ignorantia temporum immiscuisse. Suspicionem auget laudatus Carbinianus, dum supra notat, Wictherpum Augustanum antistitem, qui circa annum* 754 *Landfredum sepeliisse dicitur, in vetustissimis codicibus diserte* Sanctum *appellari ; atque adeo, si hic alius a nostro fuerit, duos SS. Wictherpo Augustanæ sedis episcopos agnoscendos esse ; unum seculo* VII, *ex auctoritate biographi, alterum circa medium seculi* VIII, *ex fide codicum Benedicto-buranorum : cum tamen non nisi unicum referant catalogi.* Dein omnes, *inquit, laudatus Corbinianus relat.* 3, *num.* 36, quos legi, historici et chronographi, Wicterpum episcopum Augustanum, S. Bonifacii anno DCCXL in vinea Domini cooperatorem venerantes, intelligunt Wicterpum sanctum, in templo SS. Udalrici et Afræ, Augustæ beneficiis clarum ; *eumdem videlicet, quem alii ex fide Theodori statuunt* S. Magno *contemporaneum.*

AUCTORE C. S.

expenduntur : 65 *Adde, quod Bernardus Hertfelder, et qui cum eo auctoritate Vitæ hac in parte standum arbitrantur, consequenter dicere debeant, Augustanam cathedram post S. Tozzonem, S. Wictherpi successorem, ultra centum annos vacasse, aut saltem nomina præsulum, qui tot annorum spatio in ea sederint, penitus intercidisse. Quippe inter S. Tozzonis mortem, quam anno* 676 *intelligant, et S. Simperti præsulatum, cujus initium ad annum circiter* 800 *referunt,* E *nullum numerant intermedium. Neque id ipsi diffitendum putant : nam laudatus Hertfelder parte* 3 *Basilicæ ; ad annum* 676 *diserte hæc habet :* Tosso episcopus cum magna sanctitatis opinione moritur. Vacat sedes Augustana c annis, et quod excurrit. *Similiter auctor catalogi anno* 1614 *Augustæ Vindelicorum excusi, postquam S. Tozzonem anno* 676 *obiisse dixerat, subdidit :* Post hæc vel sedem aliquamdiu vacasse, vel aliquot episcoporum nomina intercidisse, temporum ratio ostendit.

quæ licet 66 *Atque hæc sunt præcipua, quæ pro S. Wictherpi ætate ad seculum* VIII *rejicienda producuntur, quæque a nobis nunc paucis pensanda sunt. In primis subscriptio libelli, qui Ratisponæ asservari dicitur, probat quidem, Wictherpum quemdam circa seculi* VIII *medium floruisse ; sed quod idem ille sit cum sancto Augustano antistite, non probat : imo diversum fuisse, non levis est suspicio. Audiamus Aventinum num.* 60 *citatum de laudati libelli auctore opinantem.* Hunc ego, *ait,* Vichterbum in carminibus, quæ sub Ludovico Pio Augusto, filio Caroli, de episcopis F Boioariæ scripta exstant in eo monasterio *(S. Emmerami Ratisponæ)* pontificem Reginoburgensem fuisse, reperio ; cui a D. Bonifacio et Utilone Boiorum regulo suffectus sit Geovalda. *Carmina ille edidit Mabillonius inter Vetera Analecta, unde excerpsi sequentia* ·

Hic Reginensis sedis vocitatur ab urbe,
Quam rexit primo Wicterpus episcopus ille ;
Post alius, Cauvipaldus qui nomine dictus.

id probabile faciant, 67 *Aventini opinionem sequitur Pagius in Critica Baronii ad annum* 756, *ibidemque alium præterea locum profert ex veteri additamento ad Annales Mascianenses, apud Labbeum in Bibliotheca tom.* 2, *pag.* 733, *ubi hæc leguntur :* Anno DCCLVI, anno V regnante Pippino rege, obiit Wicterbus episcopus et abba sancti Martini. Fuit autem Baugoarius, genere Heilolvingus, senex et plus quam octogenarius, usque ad id tempus sedebat propria manu scribens libros. *Hunc laudatus criticus eumdem putat cum Ratisponensi. At Marcus Velserus Rerum Boicarum lib.* 5 *ad annum* 754 *affirmare non dubitat,* Vhicterbum ubivis terrarum potius, quam Reginoburgi extitisse episcopum. *Utrum horum*

AUCTORE C. S.

horum verum sit, non est hujus loci discutere : sed hæc ideo tantum adduxi, ut ostenderem, non posse ex isto libello aliquid certi statui pro sententia Stengelii ; cum auctorem habere possit Wictherpum quemdam, Ratisponensis aut alterius sedis episcopum. Certe et ætas et scribendi in ea studium, quæ in laudatis additamentis de Wicterbo notantur, suadent, ut hic libelli auctor credatur : at cum idem episcopus et abba sancti Martini *appelletur, diversus ab Augustano Wictherpo merito censeri potest.*

non tamen certo evincunt.

68 *Efficacius foret argumentum, quod ex codicibus Benedicto-Buranis depromptum vidimus, si illi vetustate Vitæ* S. Magni *certo præstarent. Vocat quidem illos Corbinianus Khamm* vetustissimos ; *sed cum ætatem non exprimat, dubitare licet, an laudata Vita eis in hac parte non sit præferenda : hæc enim certe etiam antiqua est ; quippe quæ ut talis jam seculo* XI *habebatur. Quam ob rem non possumus codicibus illis certam et indubitatam fidem adhibere. Quod autem ait idem Corbinianus, ab omnibus historicis ac chronographis,* B *qui S. Wictherpum Augustanum antistitem, S. Bonifacii in apostolis laboribus socium venerantur, intelligi Wictherpum illum, qui in templo SS. Udalrici et Afræ in urbe Augustana beneficiis claret, nihil evincit. Nam quinam sunt illi historici et chronographi? Suntne antiqui, an neoterici? Si antiqui ; proferantur : ego enim apud veteres S. Bonifacii biographos mentionem de S. Wictherpo episcopo Augustano factam nusquam reperi ; sed bene S. Wigberto abbate Fritislariensi, cujus Acta elucidata sunt ad diem* XIII *Augusti, quemque forsitan aliqui cum Augustano præsule confuderunt. Si vero scriptores illi sint neoterici, nihil agunt, nisi id ipsum solide probaverint, quod hucusque tam efficaciter factum non vidi, ut ab interpolatore certe antiquo discedere debeam. Libens tamen fateor, rem dubiam esse, ac propterea eam eruditi lectoris judicio relinquo, qui eadem opera de S. Tozzonis ætate arbitrabitur, si hic illi, ut communis sententia est, in episcopatum successerit. Verum utramlibet partem elegeris, frustra fundationem Fuëssensis monasterii, prout a compilatore narratur, cum veritate conciliare tentabis, quam fabulosam esse, probabimus* § 13.

C

§ VII. An Sanctus fuerit Hibernus et regio sanguine progenitus : an S. Columbani discipulus.

Sanctum e regio Scotorum sanguine

Sanctum Magnum *patria Hibernum fuisse, diserte tradit larvatus Theodorus biographus, cujus auctoritatem secuti sunt fere omnes, qui ipsius gesta conscripserunt. Ex his aliqui eumdem ex regio Scotorum sanguine, patre Severo, Theoclea matre natum asseverant, quamquam id nusquam indicet biographus. Henricus abbas Fuëssensis in annotationibus suis Mss. super hoc argumento habet sequentia :* Notandum, quoad historicos constare, S. Magnum fuisse Scotum ex provincia Hyberniæ oriundum : sed quo sanguine, nobili vel ignobili, sit ortus, Legenda ejus non manifestat. Attamen ex traditione D jam inolita dicitur progenitus ex regio Scotorum genere, cujus pater fuerit Severus, mater Theoclea. Hoc docuit anno MDXV, tempore abbatis Benedicti, quidam orator regis Franciæ, nomine Petrus Cordier, episcopus Parisiensis, decretorum doctor, qui tunc temporis ambassiator* præfati regis *i. e. legatus* apud imperatorem Maximilianum aliquo tempore hic in Fuessen propter quædam negotia moram trahebat, et erat abbati Benedicto valde familiaris et homo in historiis antiquis multum versatus.

natum quidam affirmant :

70 Hic ergo reliquit in scriptis abbati Benedicto, quod S. Magnus de præfatis parentibus ex regio Scotiæ sanguine sit progenitus. Quod didicisse se, ajebat, in ipsa Hybernia, quam tamquam Francorum ambassiator peragraverat. *Anonymus Fuëssensis in Vita Germanica cap.* I, § 2 *pro regia Sancti prosapia similiter certat ; in cujus rei confirmationem meminit de quadam pervetusta pictura, in qua exhiberi ait* S. Magnum *adolescentis principis habitu, patri in regali solio considenti et juxta adstanti reginæ genitrici valedicentis. Citat præterea librum* E *quemdam Ms. a sexcentis annis, ut ait, exaratum, et Joannem Leslæum in Descriptione Scoriæ cap. de Orcadibus insulis. Hibernum etiam et regia stirpe procreatum facit P. Ludovicus Babenstuber lib.* I, *cap.* I : *notat tamen ab aliis Alemannum haberi.*

verum isti confundere videntur

71 *Quid de hac Sancti patria et regiis natalibus censendum sit, clare patebit ex num.* 75 *et seqq., ubi probabimus, cum verisimilius Alemannum fuisse et Willimari apud Arbonam diaconum, dum se S. Gallo adjunxit. Quod si verum est, frustra ipsi natale solum in Hibernia, regalemque in ea insula prosapiam quærimus ; cum parentes ipsius, cujuscumque demum fuerint conditionis, at certe non regiæ, extra Alemanniam non videantur quærendi. Verum age ; rationes examinemus, quibus oppositæ opinionis assertores nituntur, quasque illi ab auctoritate biographi et Petri Cordier, antiqua pictura vetusto codice, et Joannis Leslæi testimonio repetunt. Quod spectat ab biographum, qui Hiberniam Sancto patriam assignat, ad eum latius infra respondebimus. Quantæ eruditionis fuerit Pe-* F *trus Cordier (quem Sammarthani inter episcopos Parisienses non recensent) non disputo : at mihi certo persuadeo, illum, quæcumque hac super re in Hibernia intellexit, ea non de* S. Magno *abbate Fuëssensi, sed de cognomine Orcadum principe accipienda esse. Eadem opera, qua id ostendero, ad reliqua simul argumenta respondero.*

Sanctum nostrum cum S. Magno Orcadum principe

72 *Seculo* XI *et initio* XII *floruit in Orcadibus Sociæ insulis S. Magnus, earumdem insularum comes, qui sanctitate conspicuus, ab impio Hakone, patruele suo, circa annum* 1106 *occisus est, coliturque ut martyr et gentis suæ contra hostes patronus. Acta illius habes in Opere nostro tom.* 2 *Aprilis ad diem* XVI, *qua in sacris Fastis ipsius memoria celebratur. Ea autem sic Exordiuntur :* Beatus Magnus apud Orcades insulas oriundus, nobilissimus genere et alti sanguinis parentela fuit Pater illarum insularum comes et dominus, nominatissimus fuisse dicitur juxta nomina magnorum, qui sunt in terris ; mater vero haud minoris sanguinis propagine decorata. *Ad hunc, inquam, referenda existimo, qua de S. Magni natalibus in Hibernia*

acciperat

AUCTORE C. S.

A *acceperat laudatus Petrus Cordier, quæque ipse similitudine nominum deceptus sancto Abbati Fuëssensi perperam adscripsisse videtur.*

et martyre. 73 *Rem ita, ut dixi, se habere, solide suaderi potest ex Scoticarum rerum scriptoribus, apud quos S. Magnus, Orcadum comes, celebratissimus est, Fuëssensis Abbas passim ignotus. De priori agit Thormodus Torffæus in Historia Orcadum variis in locis, asserens illum ab earum incolis sanctum tutelarem haberi: verum hic patrem ipsius Erlindum, matrem Thoram appellat. Ejusdem meminerunt Hector Boëthius Deidonanus Historiæ Scotorum lib.* 14, *ubi de insigni quadam Scotorum de Anglis victoria agens, ita scribit:* Quo die autem pugnatum fuit, eques quidam fulgentibus armis Aberdoniam transiens, victoriam Scotorum maximam nunciavit, idemque visus est Pictorum Bosphorum equo trajecisse. Vulgo autem habitus fuit divus Magnus, Orcadum quondam princeps. *Nec de alio agit Joannes Leslæus in Descriptione Scotiæ loco citato, quem anonymus Fuëssensis male pro se laudat, ita enim habet:* Ipsi *(Orcadenses)* divo Ma- B gno suo patrono proxime post Deum plurimum attribuunt, quem et contra hostes sibi in summo discrimine positis sæpe apparere in præsidium dicunt. *Thomas Dempsterus in Menologio Scotico utrumque* Magnum *confudit, dum ad diem* VI *Septembris, qui Fuëssensi Abbati sacer est, sic annuntiat.* In Orcadibus, Magni illarum gentium apostoli et martyris, quem Scotum faciunt *K. C., id est* Kalendarium Adami Regii, Jacobi Cheynæi etc. Collectanea Gilberti Bruni etc. *Vides lector, unde ea de* S. Magni *Fuessensis abbatis regia stirpe opinio oriri potuerit, videlicet dum huic attributum est, quod de sancto cognomine Orcadum comite apud alios memoriæ proditum legebatur: nunc reliqua examinemus.*

Examinantur reliqua eorumdem argumenta. 74 *Argumentum, quod a pictura petitur, de cujus vetustate non constat, infirmum est, præsertim dum alia desunt, imo dum in contrariam partem majora inclinant pondera rationum. An eodem cum Dempstero et anonymo Fuessensi errore laboret vetustus ille codex, de quo supra, affirmare nequeo, cum nec mihi eum consulere licuerit, nec ipse textum recitet: verum* C *cum ipse anonymum illum pro eodem Magno laudet, de quo agit Leslæus, suspicari licet, in eo quoque agi de Orcadensium comite, non de Abbate Fuessensi. De antiquitate prædicti codicis mihi plane ignoti nihil disputo: at sit sane sexcentorum annorum, diserteque loquatur de Sancto nostro, non propterea ejusdem regia prosapia aut Hiberna patria admittenda erunt: cum prior tam Walafrido, quam Theodoro vel Ermenrico, aut quisquis hujus Vitæ compilator vel auctor est, præfato codice antiquioribus penitus ignota fuerit; posterior vero cum utriusque scriptoris historica narratione minime cohæreat, quemadmodum nunc probare aggredior.*

Magni monachatus sub Columbano commentitius 75 *Compilator Vitæ Sanctum nostrum Hibernum faciens, sanctique Columbani in Hibernia discipulum, tam imperitis plagiis commentisque usus est, ut manifestum sit, eum fabulam texuisse, quam ad finem usque prosequi non potuerit. Etenim ut* Magnum *ex Hibernia oriundum persuadeat, SS. Columbanum et Gallum* ad diffamandum verbum Dei et peregrinandi causa in Hiberniam pervenisse *fingit, qui in Hibernia nati in Galliam peregrinati sunt. Ut autem Columbani discipulum faciat, non uno opus habuit commento. In primis Autiernum in* Magnoaldum *transformat, iltiusque factum in Gallia, mutata scena, ad hunc transfert in Hibernia commorantem, prout supra num.* 14 *et seqq. clare probatum est. Alibi cujusdam cellarii, alibi Chagnoaldi res gestas, quas apud Jonam reperérat, eidem Sancto adscribit, ut in hoc Commentario num.* 17, 18, 21 *etc. videre est. Denique nihil profert pro Sancti patria Hibernia, ejusdemque sub Columbano monachatu, quod ex Jona non hauserit, et infideliter immutatum depravatumque* Magnoaldo *non scripserit. Quæ omnia jam clarius ostendisse me arbitror, quam ut necesse sit ea hoc loco repetere.*

76 *Porro ut in commentitiis narrationibus fieri assolet, non potuit compilator totam historiam suam contexere, quin in fœdam contradictionem incideret, atque ita imprudens ostenderet, quam fidem mereatur. Ut enim prætereeam, quod Lignonem Sequanorum amnem in Hibernia collocet, posteriores ipsius calculi susceptum a* Magnoaldo *in Hibernia monachatum prorsus elidunt. Rem paucis enucleemus. Secundum compilatoris calculos obiit* S. Magnus *anno ætatis suæ* E 74, *Christi* 655, *ut num.* 40 *ostendimus. De anno, quo S. Columbanus in Galliam trajecit, non convenit inter eruditos: Cointius id ad* 568 *refert, Mabillonius paulo ante* 590 *contigisse contendit. Utrum horum verum sit, necesse non habeo discutere: at cum neutra sententia compilatoris calculus potest conciliari: etenim si vera sit Cointii opinio, debuisset* S. Magnus *tredecim aut quatuordecim annis antequam natus est, in Columbani disciplinam transire, cum inter annum* 568, *in quem Columbani in Galliam adventus incidisset, et annum* 655 *Sancti emortualem anni* 87 *intercesserint. Sin vero prædictus adventus cum Mabillonio paulo ante annum* 590 *statuendus sit, non potuit* Magnoaldus *nisi sexennis fuisse, cum Columbanus ex Hibernia emigraret; quod omnimodis pugnat cum compilatore nostro, qui eum jam virum aut saltem maturum adolescentem facit, dum sub Columbano in Hibernia commorante monasticum vitam auspicatus, et mox cellæ penuariæ præfectus est.* F

ostenditur:

probatur, Sanctum verisimilius Alemannum fuisse 77 *Vides, studiose lector, quam putrido fundamento nitatur Sancti nostri patria Hibernia, susceptusque sub Columbano monachatus. Hinc Cointius, qui Vitam hanc alias magni facit, hoc in loco mendum agnoscit: quod ut corrigat, statuit,* Magnoaldum *circa annum* 600 *ex Hibernia Luxovium advenisse, ubi a Columbano in religiosam familiam admissus sit. At ego cum Mabillonio credere malo, eum nec Hibernum nec S. Columbani discipulum fuisse; sed Alemannum et Willimari presbyteri apud Arbonam in Suevia diaconum, dum Columbano in Italiam proficiscente, Gallus ad præfatum presbyterum valetudinis causa divertit. Nititur hæc sententia Walafrido Strabone S. Galli biographo, cujus verba recensuimus num.* 28: *quem locum compilator noster infideliter depravavit, ut* Magnum *Columbani discipulum fuisse persuaderet, quemadmodum num.* 29 *et* 30 *probavimus.*

et sub S. Gallo monasticam vitam amplexum. 78 *Est quidem Walafridus duobus circiter seculis* S. Magno *posterior, sed tamen antiquior est compilatore, quem multa ex illo mutuasse jam variis in locis demonstratum est. Favet mihi præterea silentium Jonæ, qui in Vita S. Columbani nusquam* Magni *aut* Magnoaldi *meminit: unde et compilator non modo plagii, sed et impostu-*

AUCTORE C. S.

ræ convincitur ; siquidem ipsius verbis usus contra ejusdem expressam sententiam multa Magoaldo *adscripsit, ut* § 2 *non semel observavimus. Favet etiam B. Notkerus Balbulus in Martyrologio ad hunc diem, ubi non alium* S. Magni *magistrum præter Gallum agnoscit, sic scribens :* Nativitas S. Magni confessoris, disciputi et comitis beati Galli. *Unde ego sic existimo, duos illos Willimari clericos* S. Magnoaldum *et Theodorum, cum febricitanti Gallo, ut jussi erant, inservirent, perspecta ex continuo usu viri sanctimonia, eidem sese socios discipulosque adjunxisse : quod si verum est, ad commenta rejicienda sunt, quæcumque de Sancti patria et monachatu sub Columbano compilator enarrat, adeoque et ea, quæ de ejusdem regio sanguine alii addiderunt.*

B

§ VIII. Corporis elevatio : quo tempore et sub quo episcopo facta sit.

Lanto episcopus Augustanus,

Auctor Appendicis ad Vitam Sancti nostri, quem verisimillime alium ab Ermenrico fuisse jam monuimus, tradit S. Magni *corpus sub Lantone episcopo Augustano, et Otgario archipræsule Moguntino, regnante Ludovico, Ludovici imperatoris filio, inventum, ac solemniter elevatum fuisse. Rei totius relationem, quam ipse prolixe describit in Vita cap.* 8, *in compendium contractam accipe. Defuncto S. Simperto, qui Fuëssense cœnobium, bellicis tumultibus multa passum, restaurare cœperat, in Augustanam cathedram successisse ait Hattonem, et huic Nittarium, (ab aliis Nidgarius appellatur) a quo* S. Magni *ecclesiam a fundamentis reædificari cœptam asserit, sed nec ab ipso, nec ab ejus successoribus perfici potuisse, donec Lanto ejusdem sedis episcopus, anno quinto præsulatus sui eam tandem ad perfectionem perduxerit.*

cum consilio Otgarii archiepiscopi, Sancti corpus elevat.

80 *Perfecto itaque opere, Lanto, eodem auctore teste, consilium iniit cum Otgario archiepiscopo Moguntino, ceterisque coepiscopis suis, de elevando* S. Magni *corpore, quod eo usque in medio ecclesiæ sub terra latuerat, et in locum* C *honoratiorem transferendo. Placuit omnibus Lantonis consilium ; quare hic, convocato clero suo, triduanum jejunium indixit, monuitque divinam misericordiam implorare, ut sacrum illum thesaurum revelare dignaretur. Nec irritæ preces fuere : quippe postrema triduani jejunii nocte, Sanctus ipse placidi senis habitu apparuit monacho cuidam, qui ex diuturna infirmitate pessimisque ulceribus contabuerat ; apparuit, inquam, ei spondens, fore, ut ea ipsa die invento corpore suo, pristina sanitate donaretur. Ille his promissis lætus, rem totam episcopo exponit, qui nihil ultra moratus, egesta terra, in lapideo sarcophago Sancti corpus integrum reperit, sublatumque ad præparatum locum transtulit.*

Miraculum ea occasione impetratum : Vita inventa.

81 *Deinde Frater cui Sanctum apparuisse diximus, ad vacuum tumulum admissus eum veneratus est, et tumuli pulvere aqua et oleo mixto ulcera sua ungi curavit, atque ita sanitati pristinæ restitutus, postera die una cum episcopo ad novum Sancti sepulcrum Deo debitas grates persolvit. Porro in hac sacri corporis inventione simul reperta dicitur Vita* Magni, *quæ a Theodoro primitus scripta perhibetur :* Aperto itaque eo *(sarcophago)* inventum est corpus ejus D totum illæsum, et Vita ejus ad caput posita, sed membrana tantum fuerunt tabida, ut vix a quoquam legi potuisset, *inquit auctor appendicis, addens præfatam Vitam ab episcopo Lantone traditam fuisse cuidam Ermenrico, cœnobitæ Elewangensi, ut eam emendaret, quod ipse diu reluctatus, tandem perfecerit. Hæc omnia cap.* 8 *lector fusius descripta reperiet : verum hocce loco aliqua examinanda veniunt, quæ relationem hanc non parum de falsitate suspectam reddunt.*

Aliqua apographa habent, elevationem hanc

82 *In primis aliqua hujus Vitæ exemplaria ab omnibus nostris in hac parte paululum variare videntur. Illud enim, quo Carolus Stengelius usus est, addit, Lantonem, priusquam de elevando corpore cum Otgario archipræsule suo ageret, consensum Hadriani secundi in eumdem finem impetrasse. Id porro liquet ex laudato Stengelio, qui Rerum Augustinarum parte* 2, *cap.* 14 *num.* 2, *ex biographo recitat sequentia :* Cum Lanto episcopus templum restauraret et ornaret, sacrum D. Magni corpus in medio ecclesiæ requiescere sinens, sicut prius positum fuerat, E donec cum omni diligentia ac reverentia consensum ab Hadriano summo Pontifice expetiisset : deinde venerabilis præsul Lanto Othgarium seu Otgerum S. Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopum accessit, suumque illi affectum aperuit. Tum Metropolitanus omnes fratres suos episcopos ac suffraganeos convocavit, quatenus cum eis consultaret, si eum ausus esset ab illo loco in alium transferre. Concluserunt autem, dignum fore, pretiosum ac sanctum corpus in meliorem atque sublimiorem locum, si Deus vellet, transponere. Sicque reversus est cum licentia piissimi regis Ludovici ad propria etc.

Hadriani II Pont Max. consensu factam esse : sed perperam.

83 *Eodem modo legit Henricus abbas Fuëssensis, in annotationibus suis manuscriptis ita observans :* Lantho episcopus Augustanus *(anno* 870 *ut ipse præmiserat)* consensu et jussu Hadriani secundi Papæ, et de voluntate Ludovici regis, consilio et auxilio archiepiscopi Moguntini Othcarii, aliorumque coepiscorum, corpus D. Magni de primo suæ sepulturæ loco sublevavit. *Quantæ fidei fuerint apographa illa, mihi incompertum est ; at in nullo e nostris, quæ supra recensuimus, ulla fit de Hadriani secundi consensu mentio ; nihil de eo etiam habet anonymus ille* F *Ratisponensis, S. Emmerami monachus, qui eamdem Vitam seculo* XI *emendavit, ut jam sæpe monuimus : nihil etiam Goldastina editio. Præterea cum constet, Otgarium jam* 20 *circiter annis obiisse, priusquam præfatus Hadrianus anno* 867 *universæ Christi Ecclesiæ præficeretur, planum etiam est, locum hunc vitiosum interpolatoris cujusdam imperitiæ adscribendum esse : quare ego manuscriptis nostris inhærebo ; ac proinde examinandum est, utrum eorum fides hoc loco sarta tecta consistat.*

Translationis tempus inquiritur.

84 *Tota, ut patet, difficultas versatur in personarum, quæ in hac elevatione memorantur, ætate ac prælatura conciliandis. Hæ autem quatuor sunt ; videlicet, Otgarius archiepiscopus Moguntinus, Ludovicus rex, Ludovici Pii imperatoris filius, Ermenricus monachus Elewangensis, et Lanto episcopus Augustanus. De tribus prioribus nulla potest esse controversia : nam Otgarius ab anno* 825, *ut habet Pagius in Critica, vel a proxime subsecuto, ut aliis præplacet. usque ad* 847 *Moguntinam ecclesiam rexit ; Ludovicus Baioriæ regno anno* 817 *a patre donatus,*

A natus, omnem præterea Germaniam usque ad Rheni fluenta anno 843 obtinuit, teste Annalista Metensi; Ermenricus denique abbatiæ Elewangensis moderamen anno 845 adiisse et usque ad 862 tenuisse perhibetur in Catalogo abbatum Elewangensium, apud Corbinianum Khamm in Auctario partis I Hierarchiæ Augustanæ. Optime igitur Ermenrici ætas cum Otgari archiepiscopatu et Ludovici regno cohæret: at quominus idem dicatur de Augustano episcopatu Lantonis, obstant omnes ejusdem sedis Catalogi, quos Bruschius, Bucelinus, Demochares, Stengelius, Joannes Kruegerus, Corbinianus Khamm, aliique edidere, et quorum aliqui Lantonis episcopatus initium ad annum 869, alii ad 870, et alii denique ad 878 referunt, nullus cum Otgarii archiepiscopatu connectit; ac proinde secundum eorum placita elevatio corporis S. Magni sub prædictis Otgario et Lantone peragi nequivit.

Conjura Stengelii rejicitur.

85 Hinc laudatus abbas Stengelius, suspicatus, rei gestæ seriem ab interpolatore confusam B fuisse, dum uni attribuit, quod duobus aut forte etiam pluribus adscribendum fuerat, nodum solvere conatur in hunc modum: Si quid ex conjecturis assequi licet, ut ista omnia melius concilientur, putarem, inventionem corporis S. Magni Hantonii adscribendam esse: fuit enim contemporaneus Otgero, moguntino archiepiscopo: deinde Nitgario inchoationem structuræ templi Fuëssensis; Vodalmanno vero consensum a summo Pontifice impetratum; denique Lantoni perfectionem structuræ et translationem ipsam: Ermenricum vero ab Hantone (dudum enim in vivis esse desiit, antequam Lanto fieret episcopus) jussum esse scribere Vitam S. Magni. Et sic omnia salva erunt: certum est enim, Ermenricum non esse auctorem appendicis illius, salvo interim meliore judicio. *Hæc Stengelius: cui ego libens assentirer, duo rerum capita, quæ ipse ut certa supponit, certa esse, ostenderet. Asserit enim Hantonem, non Lantonem, eodem tempore sedisse Augustæ, quo Otgarius præerat Moguntiæ; Ermenricum vero diu obiisse, antequam Lanto fieret episcopus: sed utrumque probandum erat, quod non facit.*

Probabilius facta est sub Lantone intra annos 825, et 847.

C 86 *Imo vero mihi probabilius apparet, elevationem hanc sub Otgario ac Lantone, florente Ermenrico contigisse. Id suadet in primis ipse auctor appendicis qui licet Ermenricus non sit, antiquus tamen scriptor est, seculo* XI *ut talis jam habebatur, ut supra jam ostendimus. Quin et verisimile est, appendicem illum ab ipso Ermenrico primitus conscriptam fuisse, quamvis postea ab alio quopiam fuerit interpolata. Etenim si ille Vitam* S. Magni *corrigendam, post translatum corpus, susceperit (quod nec ipse Stengelius inficiatur) omnino verisimile est, eum præfatam translationem, adeoque et episcopos, sub quibus instituta fuit, eidem Vitæ subtexuisse: quam ob rem non adeo certum est, quam existimat Stengelius,* Ermenricum non esse auctorem appendicis, *si hæc verba ita accipiat, ut omnem Ermenrici operam ab ea penitus excludat. Equidem fateor, auctoritatem scriptoris illius hujusmodi non esse, ut ea sola tuto stari possit: nec tamen sine solida ratione rejicienda est, præsertim si dicta ipsius probabiliter admitti possint, prout reipsa admitti posse, suadent sequentia.*

87 *Secundum dicta num. 84 elevatio ex mente scriptoris fieri debuit intra annos 825 vel 826 et 847: his enim terminis quibus archiepiscopatus Otgarii circumscribitur, Ludovici regnum, vitaque monastica Ermenrici recte conveniunt: omnia itaque salva erunt, si Lantonem id temporis Augustæ sedisse ostenderimus. En tibi vero apud Labbeum tom. 8 Concil. col. 39, inter episcopos, qui synodo Mogutinæ I sub Rabano Mauro anno 847 coactæ interfuerunt,* Lanto *episcopus memoratur. Non additur quidem, cujus sedis fuerit; sed Augustanæ fuisse, duo faciunt verisimile. Primum est, quod constet, nullum ex reliquis episcopis, qui ibidem undecim numerantur, istius ecclesiæ antistitem fuisse; cum tamen dubitandum non videatur, quin Augustanus episcopus isti concilio interfuerit. Alterum est, quod præ reliquis cathedris Augustana Lantoni illi probabilius attribuatur. In hac sententia est Eccardus Franciæ Orientalis tom. 2, pag. 394, ubi episcopis in ea synodo præsentibus suas diœceses assignans, Lantoni Augustanam adscribit. Juverit ipsiusmet verba recitasse, ut ex tota serie lector de hac opinione facilius dijudicet.*

AUCTORE C. S. quo tempore Lantonem aliquem

E *Augustæ episcopum fuisse, probabilius apparet*

88 *Sic itaque habet:* Samuel erat episcopus Wormatiensis. Pro Egorbaldo substituendum est nomen Gozbaldi, episcopi Wirceburgensis. Baduradus sedem Paderbornensem obtinebat. Hebonem Schatenius Hildeshemensem episcopum fuisse, asserit. . . . Gorbrathus est Gerbrachus, episcopus Curiensis; Hemmo Halberstadensis; Waltgarius Verdensis; Anscharius Hamburgensis; Otgarius Eichstettensis; Lanto vel Lando Augustanus; Salomon Constantiensis et Gebehardus Spirensis. *Hæc Eccardus: quæ an omnia exacta sint, nec hujus loci est inquirere, nec ad propositum necessarium: id unum hinc colligo, Lantonem, qui anno 848 laudatæ synodo subscripsisse legitur, probabilius fuisse episcopum Augustanum: quod si verum est, nihil obstat, quominus aliquot annis ante translationem, qua de agimus, curasse dicatur.*

89 *Neque alium hoc loco episcopum, quam Augustanum, Lantonis nomine designare potuerunt Carolus Stengelius, Corbinianus Khamm et anonymus Kruegeri opera Augustæ editus anno 1614: quare, ut hanc difficultatem evadant, adstruere coguntur, Hantoni etiam nomen Lan-* F *tonis fuisse.* Hanto, *inquit Stengelius,* aliis Lanto, Baronio Sancto dictus: *et paulo post:* Eum ferunt sedisse annos VII et interfuisse synodo Moguntinæ anno DCCCXLVII. *Deinde cum adverteret, hæc non satis cohærere cum sententia sua, qua statuerat, Simpertum Hattonis decessorem, anno circiter Christi 818 vivere desiisse, paucis interjectis subdit:* Ceterum sive in numero septem annorum episcopi nostri *(Hattonis)* erratum; sive sedis a Simperii morte per aliquot annos vacavit. Si conjecturis locus esset, mallem XLVII illi tribuere; at nihil definio. *Eodem plane modo loquitur laudatus anonymus, præterquam quod ultiman conjecturam non addat. Quodsi ab iis petas, unde habeant, quod Hanto etiam Lanto fuerit appellatus, respondet anonymus:* In Vita S. Magni Lanto appellatur: Lanto autem episcopus (Baronius Sancto habet) interfuit synodo Moguntinæ, anno DCCCXLVII. *Ita ipse: Stengelius vero nullum testem citat. Utrique favent exemplaria Canisii et Goldasti, in quibus Simperti successor non* Hanto, *sed* Lanto *dicitur: sed in eo, quo seculo* XI *usus est anonymus Ratisponensis, etiam* Hanto *habebatur. Verum etsi demus, illum eo quoque nomine appellatum*

AUCTORE C. S.

pellatum fuisse, verisimilius tamen alius fuit a Lantone, de quo agimus, ut num. 93 *ostendemus.*

Teste Reginone, Lanto non est suffectus

90 *At, inquient, obstant catalogi Augustanorum præsulum, qui cum Lantonem statuant, Witgarii successorem, manifeste ostendunt, illum ad Moguntinam synodum venire non potuisse : Witgarius enim, teste Regione, excessit e vivis anno Christi* 887. *Recte sane, si Lanto re vera successerit Witgario, ut volunt citati catalogi. Verum id diserte negat Laudatus Regino sic scribens :* Eodem anno (887 *ut præmiserat)* Vuitgarius episcopus de Augusta civitate obiit, et Abaldero, nobilis generis magnique ingenii ac prudentiæ vir cathedram ejus obtinuit, et ci in episcopatum successit. *Adalberonem igitur, non Lantonem, Witgarii successorem statuit Regino, auctor non modo utrique synchronus, sed qui etiam hoc ipsum Chronicum suum eidem Adalberoni inscripsisse ab aliquibus creditur. Notandum vero est, ab hoc ipso Adalberone S.* Magni *brachium ad Sanctigallenses translatum esse, ut § sequenti docebimus ; ex quibus contra*
B *Stengelii conjecturas sequitur, primam* S. Magni *translationem, de qua in Vita, a Lantone, qui Witgarii successor fuerit, perfici non potuisse.*

Witgario,

91 *Agnoverunt Reginonis auctoritatem catalogis Augustanis contrariam laudati Stengelius et anonymus, cujus pondus ut excuterent, ad novas recurrere conjecturas. Prior postquam adducta verba recitasset, sic suam instituit :* Quibus verbis Lantonem manifeste exclusit *(Regino :)* unde credi posset, abeunte Witgario in Helvetiam, vicarius quodammodo coadjutor, vel ut nunc loquimur, suffraganeus, non pleno jure episcopus fuisse. *Verum hæc conjectura est ad eludendam Reginonis auctoritatem unice excogitata. Magis frivolum est alterius effugium, dum ait :* Regino Lantonem exclusit, forte, quod eumdem cum superiore *(Witgario)* crederet. *Quam inanis hæc conjectura sit, nemo non videt ; quare non lubet ei refutandæ inhærere : tantum observo, utrumque scriptorem circa duas personas, de quibus quæstio, Lantonem scilicet ac Hantonem maxime laborare ; ut hunc ad synodi Moguntinæ tempora admoveat, illum ab iisdem dimoveat.*

sed probabilius præcessit.

C 92 *Ut igitur in re perobscura aliquid statuamus, dicendum videtur, Lantonem Witgario præponendum esse : hac enim ratione intelligi potest anno* 847 *sæpe dictæ synodo interfuisse, et aliquot annis ante sub Ludovico rege et archiepiscopo Otgario, corpus* S. Magni *transtulisse, inventamque in sarcophago Vitam Ermenrico, jam monacho Elewangensi, recensendam emendandamque commisisse. Novi equidem huic opinioni meæ multum refragari Catalogum abbatum Ottoburanorum, apud Bucelinum Germaniæ sacræ parte* 2, *et Corbinianum Khamm Hierarchiæ Augustanæ parte* 3, *pag.* 346, *in quo S. Neodegarius, aliis Nidgarius et Nidgerus, inter quem et Witgarium Vodalmannus medius ab aliquibus recensetur, anno primum* 864 *ad Augustanam cathedram evectus, annoque* 869 *defunctus scribitur : quod si verum est, non potuit Lanto, Nidgarii et Vodalmanni successor, tempore a nobis supra assignato Augustæ jam sedisse.*

Errores catalogi Ottoburani circa ætatem Nidgarii

93 *Sed catalogum illum in calculis suis errare, suadent varia instrumenta, quæ tam Nidgarium, quam Witgarium episcopos appellant multis annis ante tempora in illo designata, ut modo ostendendum est. Carolus Meichelbeckius* D *in Historia Frisingensi, tom.* I, *parte* 2, *edidit varia instrumenta, quorum primam partem usque ad medium seculi* IX *excerptam ait dissert.* VI *pag.* XXXIV, *ex vetustissimo codice tabularii Frisingensis, quem vocant* librum antiquum traditionum, *scriptumque asserit jussu Hittonis, ejusdemque successoris Erchamberti, cujus mortem circa annum* 854 *contigisse scribit. Inter hæc num.* CDLXX, *refertur instrumentum, in quo præfatus Hitto, secundum Meichelbeckium sextus Frisingensium episcopus, repetit a* Nitkero *(ita etiam Nidgarius seu Nitger appellatur)* ecclesiam in Chemperc, quam Hanto Nitkeri decessor *ibidem dicitur* evendicasse, ad episcopatum Augustæ civitatis ad sanctam Mariam. *Notatur autem hæc charta* in II Kalendas Septembris anno gloriosissimi Hludowici imperatoris VIIII, Indictione I; *ubi sumpto a morte patris exordio, annus Christi* 832 *designatur ; sed pro* Indictione I, *videtur* XV *substituenda. Ex quibus habemus, Nidgarium jam anno* 822, *id est,* 42 *annis prius quam in Ottoburano catalogo statuatur, Augustanam diœcesim rexisse : ex quo rursus adver-* E *tere licet, Hantonem illius decessorem Moguntinæ synodo anno* 847 *sub nomine Lantonis interesse non potuisse. Contra vero recte intelligitur, quomodo Lanto, Witgarii vel Vodalmanni successor, prædictam translationem cum Otgario Moguntino archiepiscopo curare, et Moguntinæ synodo, sub Rabano Mauro præcitato anno celebratæ, subscribere potuerit.*

94 *Manifestius errat catalogus in Witgario, cujus episcopatus initium anno* 888, *mortem* 902 *illigat ; cum tamen constet ex Regione, eidem anno* 887 *defuncto Adalberonem successisse, ut vidimus supra num.* 90. *Nec desunt alia, quæ Witgarii adeoque et Nidgarii episcopatum multo citius statuendum suadent. Tradunt enim rerum Augustanarum scriptores, in cathedrali ecclesia sua servari zonam seu cingulum beatissimæ Dei genitricis Mariæ, a regina Hemma Lodovici regis conjuge Witgario episcopo donatam, prout ei superinducta inscriptio fidem facit his verbis :*

et Witgarii

Hanc zonam regina potens sanctissima Hemma
Witgario tribuit, sancta spiramine plenam. F

Obiit autem Hemma anno 876, *adeoque, si ista donatio vera sit, Witgarius jam tum erat episcopus Augustanus. Quam ob rem Stengelius hic notat :* Hinc erroris facile convincas, qui Wiggerum *(sic Witgarium nominat)* DCCCLXXXVIII anno episcopatum accepisse fabulantur. *Nemo igitur miretur, quod tam vitiosi catalogi calculis stare recusem.*

95 *Ex quo autem tempore episcopatum inierit, non constat ; verum illum circa annum* 860 *jam eo auctum fuisse, colligimus ex epistola Nicolai I Pont. Max. apud Martenium et Durandum Collect. ampliss. tom.* I, *col.* 149. *Scripta illa est ad Carolum archiepiscopum Moguntinum, ejusque suffraganeos, qui in causa cujusdam incestuosi conjugii congregati, ea de re prædictum Pontificem consuluerant. Porro inter episcopos illos, quibus epistola inscribitur, diserte nominatur* Witgarius : *et hunc Augustanum fuisse merito censet Eccardus, Franciæ Orient. tom.* 2 *pag.* 473, *ubi singulis suam sedem assignat. Et vero nisi per Witgarium Augustanus antistes intelligatur, huic inter Mogumtinæ sedis suffraganeos locus nullus fuisset. Advertunt autem laudati*

ostenduntur.

A *laudati collectores, epistolam, qua de agimus, nec ante annum* 860, *quo Nicolaus creatus est Pontifex, nec post* 863, *quo Carolus archiepiscopus obiit, scriptam videri. Præterea apud Hansizium Germaniæ sacræ tom* 1 *pag.* 161, *ex Ms. Bibl. Cæs. dicitur* Witgarius eps *interfuisse synodo Wormatiensi anno* 868 *: apud Schatenium vero Annal. Paderborn. parte* 1, *lib.* 3, *in eodem concilio legitur* signum Luitgarii Augustburgensis episcopi, *pro quo lege* Witgarii; *cum tunc nullus Luitgarius istam sedem tenuisse inveniatur. Exstat concilium istud apud varios : at episcopi, qui ei interfuerunt, diu ignorati sunt, donec, teste Schatenio, eos vetustis tabulariis suæ sedis eruit Ferdinandus episcopus Paderbornensis.*

Respondetur.

96 *At quoniam contrariæ sententiæ propugnatores pro se citant Augustanorum episcoporum catalogos, qui Witgario Lantonem sufficiunt, eorum auctoritas hic paucis ponderanda est. Antiquissimus, quem quidem viderim, is est, quem Joannes Kruegerus bibliopola Augustanus typis edi curavit,* totidem litteris *descriptum, ut ipse præfatur*, ex catalogo manuscripto, qui exstat in B codice bibliothecæ SS. Udalrici et Afræ, signato 7. H. 4. *Notat autem idem editor, illum duabus partibus constare, quarum prior, una eademque vetusta manu exarata, desinit in Embricone, qui in adjecta eodem charactere notatione, an.* 1064 *episcopus creatus dicitur. Alteram partem alia variaque manu conscriptam asserit, terminarique in Friderico I, quem anonymi observationes statuunt obiisse anno* 1330. *Denique pars utraque præter nomina episcoporum sibi invicem succedentium, nihil habet de eorumdem gestis aut tempore, quo vixerunt, nisi pauca de solo Embricone, sub quo prima pars concinnata perhibetur : proinde quidquid apud neotericos reperitur de annis, quibus singuli episcopatum adepti sunt, aut tenuere, id omne postmodum pro cujusque scriptoris sensu adjectum est.*

ad catalogos Augustanos

97 *Cum itaque catalogus ille non ante annum* 1064, *id est duobus circiter post Lantonem et Witgarium seculis confectus sit, quid mirum, si in uno alteri postponendo errasset, ut re vera in successore Witgarii errasse, ex scriptore synchrono Reginone probavimus. Multo minus movere* C *rari nos debet catalogus ab Eccardo in Corpore historico medii ævi tom.* 2 *col.* 2239 *excusus et, ipso teste, ad Frederici Imperatoris tempora perductus. Quare ex hactenus dictis concludere licet, Lantonem Witgario præponendum esse : nemo enim est, qui neget Augustanum episcopatum Lantonis : sed hunc illius successorem non fuisse demonstravimus ex Reginone scriptore synchrono : ut autem ejusdem decessor credatur et circa annum* 847 *sedisse, favet concilium Moguntinum num.* 87 *commemoratum; favet etiam Nidgarii ætas ex traditione* 470 *Frinsingensi data num.* 93, *et quidquid denique de Nidgarii Witgariique ætate hucusque attulimus : ex quibus omnibus commodo intelligitur, Lantonem circa annum* 840 *Augustæ sedere potuisse, adeoque et* S. Magni *corpus transferre sub Otgario archiepiscopo Moguntino, et Ludovico Germaniæ rege, Ermenrico jam monachum induto in Elwangensi cœnobio. Quare non video, cur hac in parte a scriptore appendicis recedendum sit, qui utut interpolator fuerit, antiquior tamen est catalogis, qui in contrarium citantur, quosque in errore teneri, jam ostendimus.*

98 *Superest ex ipso auctore appendicis scrupulus.* Primus, *inquit*, Nitcarius cœpit a fundamentis ecclesiam B. Magni construere; cæteri vero præsules cum subsequentes, prout potuerunt, similiter construxerunt,. . donec.. Lanto ipsam sanctam sedem adeptus est. *Quibus verbis auctor inter Nidgarium ac Lantonem plures, quam unum, episcopos supponit; cum in nostra opinione unus tantummodo intermedius occurrat. Candide fateor, quod præter Vodalmannum, qui Nidgario suffectus dicitur, nullum possim producere : sed si verba illa in rigore accipienda sint, videtur unus aut alter catalogo excidisse, quod in istis antiquitatis tenebris facile potuit accidere. Nam quod obscura episcoporum istius temporis memoria, dubiaque series sit, constat tum ex dictis, tum etiam ex eo, quod apud Bruschium, et Bucelinum, quibus non refragatur Corbinianus Khamm, Waltherus et Adelgerus medii recenseantur inter Hantonem et Nidgarium, qui alibi sibi successisse traduntur. Denique quam incerta sit prædictorum præsulum series, lector facile colliget ex sequenti specimine.* E

auctore C. S. et difficultatem ex scriptore appendicis :

99 *In syllabo apud Bruschium et Bucelinum inter ceteras successisse sibi leguntur sequentes episcopi hoc ordine :* Hauto *sive* Hanto, Walterus, Adelgerus, Neodgarius, *sive* Nitgarius, Lantho *sive* Lancko *seu* Dancko, Udalmannus, Widgarius *aliis* Widogerus, Adalberus. *Corbinianus Khamm* Walterum et Adelgerum *in dubium revocans*, *subdit* Vodolmannum, *alias* Udalmannum, *dein* Witgarium, Lantonem *et* Adalberonem. *Carolo Stengelio displicent* Waltherus *et* Adelgerus, *ideoque apud ipsum Hantoni sufficitur* Nitgarius *et huic* Vodalmannus, Wigger *seu* Widegarius, Lanto, Adelbero. *In Catalogo Kruegeri opera edito præter Waltherum et Adelgerum deest præterea Udalmannus, atque ita legitur :* Hanto, Nitger, Wigger, Lanto, Adalpero. *Contra rursus Catalogus, quem Eccardus in Corpore scriptorum medii ævi tom.* 2, *col.* 2241 *vulgavit, sic habet :* Hanto, Nitger, Odalman, Wigger, Lanto, Adalberto. *Hæc circa præsentem controversiam notasse sufficiat, ut ostendamus, catalogos prædictos non satis certos esse, ut propter eos auctorem appendicis in re, de qua agimus, rejicere debeamus : illum igitur sequimur, donec eruditi* F *Augustani de episcoporum suorum serie certiora protulerint. Porro quamquam annum, quo hæc translatio instituta est, determinare non possimus; si tamen Ermenricus anno* 845 *abbas electus est, ut habet catalogus Elewangensis apud Bucelinum Germaniæ sacræ parte* 2, *pag.* 29, *ante prædictum annum probabiliter statui potest. Id utcumque colligo ex eodem appendicis auctore, qui Ermenricum, cum ipsi Vita emendanda a Lantone episcopo committeretur, dicit fuisse* monachum prudentem et industrium ex monasterio Elewanga, *quem probabilius abbatem dixisset, si jam tum ea dignitate præditus fuisset.*

et statuitur translatio sub Lantone,

100 *Locum, in quo depositum fuit sacrum corpus, non satis determinat idem scriptor : at cum de nullo alio templo fiat mentio, omnino verisimile est, in eodem, quo ante, collocatum fuisse, sed in novo sepulcro et ante altare eum in finem forte constructum : in Vita enim num.* 74 *Sanctus cuidam ulceribus afflicto apparens, inter cetera ait :* Postula, fili, ab episcopo, ut quando hodie corpus meum invenerit, illudque a cripta, in qua nunc jacet, abstulerit, ipsam

et facta intra eamdem ecclesiam.

AUCTORE C. S.

ipsam criptam te osculari permittat.... et ante altare novum, quod constructum est,.. prosterne te : *quibus verbis veteris ac novæ sepulturæ locum non improbabiliter videtur designare. Abbas Henricus in suis annotationibus Mss. opinari videtur, novum tumulum populo celatum fuisse : nam de scriptoris hac super re silentio agens, ait eum de industria siluisse :* Noluerunt enim, *inquit,* illi antiqui tantum thesaurum temporibus tam bellicosis omnibus esse manifestum : *addit tamen, ipsum intra eamdem ecclesiam in choro sub ipso altari depositum fuisse. Forte determinatus sacris corporis locus populo clam fuit, licet in qua templi parte is esset, minime ignoraretur. Postremum satis patet tum ex dictis, tum ex eo, quod in Vita num. ultimo dicatur, quod* plurima signa ante sepulcrum B. Magni post... corpus reconditum Dominus ibi revelare dignatus est; *nisi hæc de vetere sepulcro sint accipienda.*

B

§ IX. Brachiorum alterum ad Sancti-gallenses transfertur : tempus hujus translationis, hymni hic occasione compositi : an Sanctus fuerit canonizatus.

Brachium Sancti transfertur ad Sanctigallenses

Circa ejusdem seculi finem, S. Magni *reliquiæ, brachium videlicet, ex Faucensi monasterio, magna cum pompa et celebritate, ad cœnobitas Sancti-gallenses in Helvetia translatæ fuerunt, et in templo recens extructo honorifice collocatæ. Translationem hanc curavit Salomon cognomento Ramschwagius, vir illustris ac potens, qui ab Isone S. Galli monacho puer eruditus, postmodum ejusdem loci monachus et abbas, tandemque Constantiensis episcopus, ejus nominis III, creatus est. Hic nondum monachus, tamquam frater conscriptus, ut vocant, apud Sancti-gallenses crebro versabatur : quod ut sine* C *monasterii incommodo fieret, collem quemdam amœniorem ultra rivum Iram nomine, ut qui modo oppidum S. Galli interfluit, facta permutatione sibi comparaverat, condito ibidem ædificio, quo diverteret. In eodem colle templum excitavit, dotavitque munifice : quo perfecto, Adalbero Augustanæ sedis antistes, ejusdem rogatu, brachium* S. Magni *eo solemniter transtulit.*

in sacellum a Salomone, postmodum episcopo Constantiensi, erectum.

102 *Discimus hæc ex Ekkehardo juniore, qui libro de Casibus S. Galli, cap.* 1 *de laudato Salomone sic scribit :* Tradidit autem de prædiis, quibus habundaverat, S. Gallo locum, qui Golda dicitur, concambium sibi faciens, ut.... collem quemdam, qui ultra Iram amœnior sibi videbatur, cum patris sibi et agellis adjacentibus possideret. *Tum post aliqua ita prosequitur :* Incipit igitur tandem in colle concambii sui ecclesiam in honorem et modum S. Crucis ædificare, in quam ad unguem perductam S. Magni brachium, Adalberone episcopo dante et prosequente, de Faucibus sumptum, magnis hinc inde velut triumphis trepidus * intulit, et in honore eam S. Crucis et ejusdem privati Patroni nostri dedicavit, et prædiis suis, id est, Tegerinouua, Bernhardicella, Stirundorf, Goldahun etiam, quam, ut diximus, concambians jam loco tradiderat, et aliis quibusdam eam dotaverat. Harmuti tunc quidem abbatis concessione, ut in die Sancti ipsius Fratres convivarent, constituerat; se etiam, si Deo placeret, ibi sepeliri velle, aiebat. *Reliqua ad hanc ecclesiam spectantia dabimus* § 13, *in quo de templis, sub* S. Magni *invocatione Deo consecratis, agemus.* D

* *al.* triumphi tripudiis

Tempus hujus translationis.

103 *Annum, quo hæc celebris translatio instituta est, non indicat Ekkehardus : sed quantum tum ex ipso, tum aliunde colligere licet, videtur intra annum* 887, *quo Adalbero, teste Reginone, episcopatum auspicatus est, et* 889, *ad quem initium vitæ monasticæ Salomonis referunt scriptores Galliæ Christianæ tom.* 5 *col.* 901 *novissimæ editionis, peracta fuisse. Primum manifestum est ex ipso Ekkehardo supra disertis verbis asserente, has sacras reliquias ab Adalberone episcopo Augustano donatas, translatasque fuisse. Alterum eruitur ex eodem auctore, qui hæc omnia narrat, antequam de Salomonis monachatu loquatur : sed cum scriptor vix ullam temporum rationem servet, non possumus hoc pro certo affirmare. Errat tamen Mabillonius, dum in sæpe laudato Elogio historico, num.* 15 *ait :* S. Magni corpus sepultum est in Faucensi monasterio, ex quo sub annum DCCCXCV ipsius brachium in monasterium S. Galli curante Salomone abbate delatum est. *Errat, inquam, cum eo tempore Adalbero nondum fuerit episcopus Augustanus. Illud indubitatum est, prædictam solemnitatem ultra annum* 898 *differri non posse, prout ex diplomate Arnolphi imperatoris, hac super re dato, quod* § 13 *recitabimus, clare apparebit. Unde etiam erroris convincitur P. Babenstuber, qui lib.* 3 *Vitæ cap.* 5 *translationem hanc anno* 908 *innectit, perperam pro se laudans Mabillonium.* E

Hymni occasione

104 *Occasione prædictæ translationis compositus videtur hymnus, quem inter ceteros, e Sancti-gallensis bibliothecæ vetustis codicibus Mss. a Judoco Metzlero excerptos, edidit Henricus Canisius tom.* 5 *Antiquarum lectionum, unde huc transtuli. Auctorem nullum præfert, at procul dubio fuit is aliquis monachus e Sancti-gallensi cœnobio, ubi eo seculo ars poetica florebat. Quatuor primi versus Sapphici sunt, reliqui Adonii : priores post quinos Adonios, ut intercalares perpetuo repetuntur. Totum vero carmen festivam invitationem complectitur, qua Sanctus rogatur, ut ad Sancti-gallense monasterium, in quo olim cum S. Gallo vixerat, placidus redire, incolasque ut patronus tueri dignetur. Exstat autem apud laudatum collectorem in hunc modum.* F

105 Invitatio S. Magni.

Miles, ad castrum properes novellum,
pridem et notos repetas locellos,
posside terram tibi præparatam,
jam comes Gallo, sociare illi.

Nos sua, Magne, | pignora Gallus,
miserat ad te; | teque venire
oppido poscit. | Miles etc.
Nunc studet ille | Rus laquearque,
te veniente, | comere laute;
nil remoreris. | Miles etc.
Sexus uterque, | vir mulierque,
turba pedestris, | cœtus equestris
vociferantur. | Miles etc.
Te, Pater, ætas | expetit omnis,

ut

A ut veniendo
et modulantur.
Quando parata
tecta, Patrone,
ipse tuere.
Ad tua quisquis
te sibi poscat,
esto misertus.
Igne nocivo,
dæmonis astu,
protege cives.
Corporis ut qui
condere partem
juveris illos.

cuncta mederis;
Miles etc.
ingrediaris,
nos famulantes
Miles etc.
limina stratus
Sancte, favere,
Miles etc.
grandine, morbo,
Marte, fameque
Miles etc.
relliquiarum
promeruerunt,
Miles etc.

hujus translationis

106 *Exstat et aliud carmen apud eumdem Canisium, quod Mabillonius tom 3 Annal. pag. 178 in margine citat inter festivos applausus, quos Patres Sancti-gallenses sacro brachio excipiendo accinuere. Auctorem præfert Ratpertum præfati monasterii monachum, qui tamen nullum de eo verbum facit, sed tantummodo in Sancti laudes per octo Evangelicas beatitudines excurrit.*

B

Versus Ratperti de S. Magno

Mire cunctorum Deus et creator,
mitis et fortis solidator orbis,
vota servorum tibi subditorum
accipe clemens.
Pangimus clarum cupidi triumphum,
mente gaudentes simul et precantes,
Sanctus ut præsens super astra gaudens,
nos benedicat.
Ille dum vita fruitur caduca,
lucis æternæ radios videre
visibus cordis subiit sub imis,
fretus ab alto.
Nomen hic Magni reserando plebi
viribus magnis colitur celebris,
auctus a Gallo Superis amando
dogmate largo.
Hostis immitem domuit furorem,
pacis authorem comitando suavem,
omnibus sanctæ placidæque vitæ
normula factus.
Ille post clarum remanens magistrum,
C ejus exemplis inhians beatis,
turbidum mundi reprobans honorem,
terrea sprevit.
Spiritu pauper fuit hic Minister;
hinc et in regno micat ille dexter:
mitis exstabat, tenet atque terram
viva gerentem.

a Sancti gallensibus compositi.

107 Fervido planctu simul hic dolebat;
inde solatum Dominus coronat,
tristibus spretis, lachrimisque tersis,
perpete regno. Mire etc.
Famis en justæ pariter sitisque
damna perpessus fuit hic Beatus;
unde divinis dapibus repletus
gaudet in astris. Mire etc.
Hic fuit clemens, miserans misellos:
ejus et Judex miseretur altus,
tota cum mundi species abibit
fine sub uno. Mire etc.
Corde nam mundo fuit atque puro;
hinc Deum clare meruit videre,
filius summi simul et vocari
pacifer orbis. Mire etc.
Persecutorem toleravit iste,
justa dum vovit, Dominoque reddit;
inde cælestem merito decorem
possidet ipse Mire etc.
Bis quater summis speciebus ecce
præditus, splendet Pater hic beatus;
omnibus nobis veniam benignus
conferat idem. Mire etc.
Inde nunc cæli rutilans in aula,
cujus * æternæ sociusque turmæ
nostra placatus, pius et benignus
crimina tergat.
Præstet hoc nobis Genitor perennis,
Natus et plenus patrii vigoris,
Spiritus sancti moderante nostros
lumine sensus. Mire etc.

AUCTORE C. S.

* l. civis

Alter hymnus, quem Mabillonius

108 *Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis seculi 2, in Elogio historico* S. Magni *recitat præterea partem alterius carminis, quo in hac ipsa translatione Sancti-gallenses Sancto nostro applausisse arbitratur: verum mihi multo probabilius apparet, istud de translatione S. Othmari agere; quam ob rem huc transferendum non censui, præsertim cum curiosus quilibet lector illud apud laudatum Canisium tom. 5 lect. antiq. legere possit. Rationes, propter quas a Mabillonio* E *dissentiam, accipe. Unicum, quod pro Mabillonio militat, est, quod de S. Gallo, quem poeta celebritati e cælo adesse fingit, sic dicatur:*

Omnes qui pariter sancta de voce salutat,
Et proprios lares, Magne, subire rogat.

In toto reliquo carmine nulla fit Magni *mentio: at quæ prædictis versibus mox subduntur, neutiquam videntur ad præsentem translationem posse pertinere; ita enim pergit poeta:*

Ut quos ætherei retinet communio templi,
Hic quoque consortis jungat honoris amor
Interea Othmari præstabit cura beati
Mansio constructa quoque parata fuit.

huc spectare censet,

109 *Hæc, inquam, ultima carmina translationem non* S. Magni, *sed S. Othmari sonare mihi videntur, quod ut pateat, pauca notanda. Iso magister monachus Sancti-gallensis lib. 1 de Miraculis S. Othmari cap. 3, 4 et 5 scribit, hujus sancti corpus sub Grimaldo abbate anno 864, ab episcopo Constantiensi Salomone, ejus nominis primo, magna cum pompa translatum fuisse ex oratorio S. Petri in ecclesiam S. Galli, ibidemque juxta hujus altare honorifice primum depositum ac deinde post S. Joannis Baptistæ* F *aram collocatum, donec ecclesia ipsius S. Othmari perficeretur.* Per numerosæ multitudinis populos, *inquit cap. 4*, magno cum honore ductus *(S. Othmarus, seu potius ipsius corpus)* ecclesiam S. Galli ingreditur ac juxta ejus altarium in dextera parte deponitur. *et cap. 7:* In proximo quoque Sabbatho, id est quarta die a beati translatione, sanctum corpus post aram S. Johannis Baptistæ interim collocatur, donec nova basilica, sub ejus honore dedicanda, ipsius habitationi ædificaretur: *in quam triennio circiter post, eodem teste lib. 2, cap. 2, solemniter denuo translatum est.*

verosimilius agit de translato

110 *Quis non videat, primam S. Othmari translationem, ab Isone descriptam, a poeta designari? Tria enim disticha mox a nobis recitata, non alium nisi hunc sensum habent: videlicet, S. Gallus omnes salutat, et Sanctum, cujus corpus transfertur, ad suum templum invitat, ut quibus templum æthereum, seu cælum commune est, iis etiam commune sit terrenum; dum interea curetur ipsi etiam propria basilica exstrui et decenter ornari. Hæc autem ut translationi S. Othmari rectissime congruunt, ita*

AUCTORE C. S.

ita translationi S. Magni *minime conveniunt, quantum apparet ex verbis Ekkehardi num.* 102 *allegatis. Præterea in hoc carmine certe agitur de paranda S. Othmaro ecclesia; quæ cum teste Isone anno* 867 *jam perfecta, illius sacrum corpus exceperit, non potuit in translatione brachii* S. Magni, *quam ante annum* 887 *non contigisse ostendimus, non potuit, inquam, de illa paranda tum mentio fieri.*

corpore S. Othmari.

111 *Denique huic sententiæ favet idem poeta, dum de angelis canit:*

Qui sancti feretrum circumvolitando beatum,
Alarum expansu undique membra tegunt.

Quæ sane aptius de integro S. Othmari corpore, quam de S. Magni *brachio intelliguntur. Quid igitur respondendum est ad hunc versiculum:*

Et proprios lares, Magne, subire rogat?

Respondeo, vocem Magne *hic non ut nomen proprium, sed ut appellativum usurpari, quo modo in eodem hymno poeta supra dixerat:*

Jam nunc servitiis famulum consuesce tuorum,
Prosper et huc vultum flecte, serene, tuum.

Ubi patet, voces prosper *et* serenus *accipi non ut* B *nomina sancti alicujus propria, sed ut appellativa. Atque hæc sunt, propter quæ a Mabillonio uti et Canisio, qui illum hymnum* S. Magno *etiam inscribit, discedendum putavi. Sunt et alia carmina in laudatis lectionibus antiquis Canisii, quæ de Sancto nostro meminerunt, sed ea, ne nimius sim, prætermitto.*

Aliqui Sanctum canonizatum dicunt a Joanne IX, alii ab Hadriano II,

112 *Ex dictis manifeste patet, cultum sancti Abbatis nostri seculo* IX *in Germania celebrem fuisse: quæri hic jam potest, utrum idem Sanctus canonizatus fuerit. Ita plane asserit Officium ipsius proprium in ecclesia Constantiensi, anno* 1725 *editum et anno* 1739 *recusum, in quo lectio* 3 *secundi Nocturni his verbis concluditur:* Quem miraculis clarum Joannes IX, Pontifex Maximus, in Sanctos adscripsit. *Consonat aliud antiquius, vulgatum videlicet anno* 1671, *annoque* 1687 *recognitum. Denique et his vetustius, quod serenissimus et eminentissimus episcopus et Cardinalis Andreas ab Austria anno* 1599 *edi mandavit; verum istud paulo aliter, sed male (ut infra ostendemus) habet in hunc modum:* Quem miraculis clarum Joannes IX Pon. Max., qui creatus legitur anno Christi octingente- C simo septuagesimo, Dantonis Augustani episcopi precibus in Sanctos adscripsit. *Faucensis abbas Martinus in Vita Sancti Latine edita anno* 1621, *capiti* 37 *hunc etiam titulum præfigit:* De translatione et canonizatione S. Magni: *sed canonizationem illam Hadriano II adscribit; forte quod in Ms. suo legisset, hujus Pontificis consensum pro sacro corpore transferendo a Lantone Augustano antistite impetratum fuisse. Ejusdem etiam sententiæ fuit Henricus, abbas item Faucensis, in suis observationibus Mss. sæpe memoratis, in quibus translationem sub Lantone factam, ad quam Hadriani II consensum accessisse etiam existimavit, non uno in loco* canonizationem *appellavit.*

quidam alius a Joanne VIII:

113 *Præterea est in museo nostro libellus quidam, Italico idiomate Romæ anno* 1726 *editus occasione canonizationis SS. Aloysii et Stanislai. Habet hic libellus duos catalogos, quorum primus continens nomina Sanctorum privatim canonizatorum a summis Pontificibus, canonizationem* S. Magni *etiam adstruit; at eam nec Hadriano II, nec Joanni IX, sed Joanni VIII adscribit. Verba accipe:* A Joanne VIII S. Ampelius episcopus, S. Magnus abbas. Prædicti D canonizati sunt anno DCCCLXXIII. *Scriptor hujus Opusculi nusquam se prodit, ita ut de ejus auctoritate nihil statuere possimus: at quisquis ille fuerit, parvæ fidei esse patet ex eo, quod de S. Rosalia in eodem catalogo scribat:* A Benedicto VI S. Rosalia, virgo Panormitana, ex sanguine Caroli Magni, anno DCCCCLXXII: *unde consequens fieret, ut prædicta sancta, cujus mors post medium seculi* XII *contigit, jam ultra centum annos, prius quam nasceretur, canonizata fuisset.*

sed res

114 *Sed nec Breviariis recensitis certo stari potest; recentiora enim sunt, quam ut indubitatam fidem faciant, præsertim cum in antiquioribus, quæ vidi, ea de re nullum verbum fiat. Certe Breviarium Constantiense, quod illustrissimus Hugo de Landenberg anno* 1499 *typis Augustanis excudi jussit, uti et aliud, quod Christophorus Mezlerus, ejusdem sedis episcopus, anno* 1561 *Lugduni imprimi curavit, præfatam canonizationem non commemorant: lectiones ex utroque descriptas nobis Constantia transmisit idem, de quo jam sæpe memini R. P. Chardon, qui et aliam addidit ex Breviario* E *quodam antiquiori Ms. fere toto pergameno, cujus tamen ætatem, quia capite et calce mutilum erat, agnoscere non poterat: sed in hoc quoque de canonizatione nihil prorsus reperire est. De eadem altum pariter silent Officia Sancti propria Augustanum et Curiense; silet etiam Sancti-gallense et vetus Sorethanum, quod R. P. Evermodus Lorinzer in annotationibus suis ad me missis jam seculo* XV *aut* XIV *in ecclesia Sorethana* (Schussenriedt) *recitari solitum fuisse, affirmat.*

omnino incerta est.

115 *Adde, quod Breviarium Constantiense anno* 1599 *ab Eminent. Andrea de Austria, ut diximus, editum, in eo ipso loco, quo Sanctum canonizatum asserit, excusari ab errore non possit, dum initium Pontificatus Joannis IX anno* 870 *affigit; cum constet, illud ad minimum* 28 *annis serius statuendum esse. Errorem hunc advertere posteriorum editionum curatores, qui annum creationis Joannis IX, uti et nomen Dantonis, qui cum istius Pontificatu non recte cohærebat, caute expunxerunt, quamvis ipsam canonizationem ipsissimis, quibus in priori concepta erat, verbis retinendam censuerint. Cum itaque cano-* F *nizatio ista tam vitioso testimonio nitatur, non possumus illam ut certam admittere. Nec magis certa est aliorum sententia, quæ eam ab Hadriano secundo factam statuit: procul dubio enim nititur exemplaribus Vitæ, in quibus dicitur Lanto, episcopus Augustanus, consensu et jussu Hadriani secundi Papæ, corpus* S. Magni *transtulisse: qua de re quid censendum sit, abunde diximus* § 8, *num.* 82 *et* 83.

§ X. Corpus Sancti deperditum: reliquiæ ejus in monasteriis Fuessensi, Sorethano et Salemitano.

Corpus jam aliquot seculis deperditum est: conjectura

Jam diximus supra, locum, in quo Sancti corpus post elevationem in Fuëssensi templo factam, reconditum fuit, a scriptore appendicis ad Vitam non satis determinate indicari. Lapsu temporis corpus ipsum deperditum fuit,

A *fuit, sive quod sepulturæ memoria paulatim exciderit, sive quod a barbaris Alemanniam devastantibus erutum, dispersumque fuerit, aut horum metu absconditum, aut alio denique casu perierit. Ex quo autem tempore cœperit latere, nihil compertum habeo, nisi quod jam tribus seculis et ultra latuerit. Discimus hoc ex Henrici abbatis annotationibus, qui ad rem præsentem hæc observat :* Incidi in librum quemdam vetustum, in quo abbas Joannes Heff de sepultura S. Magni conjecturando ita scribit. *Sequuntur Joannis verba Germanice conscripta, quæ mihi Latine reddita sic sonant.* Item erat quoque exstructum magnum sepulcrum ex lapide in medio templi; quod dicitur esse sepulcrum S. Conradi, qui dicitur fuisse secundus abbas post S. Magnum. Et cum inferius seu profundius fodiebamus, inveniebamus sepulcrum muratum, supra quod erat positus. Et in sepulcro inveniebamus corpus totum consumptum ; non aliter acsi fuisset impositum et sepultum in suo habitu monachali. Illius ossa deposuimus in sacristia : et dictum sepulcrum est prope altare, spatio duorum pedum B distans a sepulcro presbyteri, quod est in templi medio. Ego credo firmiter, quod prædictum corpus sit corpus S. Magni. Utinam Deus id revelet : confido ejus gratiæ. *Dein subdit Henricus :* Hæc præfatus abbas Joannes Heff anno MCDLXVII.

Henrici abbatis Fuëssensis incerta.

117 *Verum hæc mera conjectura est, nullo argumento subnixa : addi saltem oportuit, an corpori isti brachiorum alterum, quod ad Sancti-gallenses translatum diximus, deesset, necne: hinc enim in alterutram partem solidum argumentum haberemus. Porro ossa ista servabantur etiam in sacristia, seculo* XVII *jam aliquot annos inchoato, nec adhuc ut* S. Magni *certo agnoscebantur, quemadmodum ex eodem Henrico habemus, tum hoc loco, tum alibi, ubi rursum de Sancti corpore inquirens, prosequitur in hæc verba :* Sufficiat nobis, quod S. Magnus in sua canonizatione *(ita elevationem appellat)* de suo primo sepulchro fuit sublevatus, et in eadem nostra ecclesia et quidem in choro et subtus altare sit reconditus; illiusque reliquiæ non paucæ tum corporis, tum aliæ adhuc penes nos sint. *Denique anonymus quidam Faucensis cœnobita, qui anno* 29 *la-* C *bentis seculi Vitam Sancti Germanico idiomate vulgavit, lib.* 3 *cap.* 5 § 3 *fatetur, sancti Abbatis corpus eo, quo scribebat tempore, nondum in lucem erutum fuisse.*

Reliquiæ Sancti Fuëssæ, cento cuculli, stola, manipulus,

118 *Ceteras sancti Abbatis reliquias recenset P. Babenstuber lib.* 3 *cap.* 5 *in hunc modum :* Visuntur in hierophylacio, præter centonem cuculli, quo amiciebatur, stola et manipulus, ut vocantur : quibus indutus ad aram faciebat. Adest præterea calix argenteus, in quo itidem operari Sacris consueverat. Monstratur etiam argentea crucicula . . . Asservatur denique celebris illa cambatta (*baculus seu pedum*) ut olim in boas et feras validior omni clava Herculis, ita hodiedum vermium, murium, noxiorumque insectorum generi universo terribilis et exitiabilis. *Tum paucis interjectis, assignat beneficia per usum harum reliquiarum a Deo impetrari solita.* Et de lacinia cuculli quidem, *inquit*, fama fert antiquissima, sæculis jam anterioribus solitam ægrotis ac præsertim fœminis in partu laborantibus, religiose applicari, optato lætoque eventu. Stolæ et manipulo (*confectis ex holoserico viridis coloris, teste anonymo Faucensi in Vita Germanica*) nihil peculiaris oppi-

tulationis adscribitur : applicantur tamen cum cæteris aliquando reliquiis. Jam vero de Cruce plus quam notum exploratumque est, ea, dum tonanti cælo, cladcmque agris minanti objicitur, disjici nubila, serenari aerem, fugari tempestatum concitatores dæmones, frugesque impendentis a grandine vastitatis præstari immunes. AUCTORE C. S.

calix, crux, eorumque virtus,

119 Porro e calice multi hactenus sanitatem incolumitatemque biberunt : illi quidem crebrius, quibus aut febris, aut venenum, aut magica maleficentia perniciem consciverat: sed et aliis inde hausisse, multoties remedio fuit præsenti, qui vertigine rotabantur, dolore dentium cruciabantur, syncopen patiebantur, aut aliis quibusdam ægritudinibus conflictabantur. *De pedo mox latius agemus, postquam pauca de cruce notaverimus. Hæc crux illa ipsa creditur, qua Sanctus, dum viveret, usus dicitur cap.* 5 *num.* 49. Habebat autem B. Magnus diaconus pendentem in collo crucem, in qua continebantur reliquiæ beatæ Dei genitricis Mariæ, et de ligno sanctæ Crucis, atque sanctorum martyrum Mauricii et sociorum ejus, necnon beatorum confessorum Columbani et Galli. E *Easdem illas reliquias hodiedum cruci adhuc inclusas esse, scribit anonymus Faucensis : idem seculo proxime elapso testatus est sæpe laudatus abbas Henricus, qui illam aperiens, septem in ea particulas deprehendit, sine ulla inscriptione. Juverit ipsius verba retulisse, ut quid de his statuendum sit, eruditus lector ipse dijudicet.*

et aliqualis notitia.

120 Notat, *inquit*, quod illæ reliquiæ in legenda positæ, absque dubio usque hodie in crucicula S. Magni sunt inclusæ, maximeque venerandæ. Nam ego abbas Henricus hæc scribens anno MDCVII, die XIV Augusti, hanc cruciculam in præsentia Fratris Abrahami Hayl supprioris, et F. Caspari Weber custodis, ac quorumdam sæcularium, aperire feci, et inveni septem particulas (*sic divino, Germanice enim legitur* **siben penggelin**, *quam vocem nusquam reperire potui)* recte et affabre inclusas : sed non habent schedas; vel si habuerunt, antiquitate sunt corrosæ. *Quod ad formam ac materiam spectat, traditur in Vita Germanica lib.* 3 *cap.* 5, § 3, *diciturque tota esse argentea, nisi quod crucifixi Domini imago deaurata sit. Stipes cruciculæ in longitudinem* F *porrigitur quinque unciis cum dimidia, pars vero, quæ stipiti transversa incumbit, quatuor et media: latitudo ubique semiunciam paululum excedit. Additur in quatuor crucis extremitatibus, pretiosos lapillos fulgere, quorum nomina ac pretium ignorentur.*

Baculus, vel pedum a SS. Columbano, Gallo et Magno tractatus:

121 *Venio nunc ad prodigiosum illum baculum continuis beneficiis per universam Sueviam longe celeberrimum. In Vita* cambuta, cambutta *et* cambotta, *vocatur; qua voce modo pedum pastorale, quali antistites utuntur, modo sustentaculum axillare, modo scipio viatorius denotatur : in posteriori significatione adhiberi in Vita, ex gestarum rerum contextu manifestum est. Sanctus Columbanus eo primum usus dicitur, eumdemque, cum supremo morbo conflictaretur, S. Gallo, discipulo quondam suo, in reconciliati animi tesseram, post mortem suam deferendum legasse, quod et* S. Magni *opera adimpletum est, ut habet biographus in Vita cap.* 3. *Post aliquot annos defuncto Gallo, scipionem hunc adeptus* Magnus, *ad Fauces Julias pertulit : in quo itinere prope Campodunum, oppidum Algeæ in Sueviæ circulo, hoc ipso baculo enor-*

 mem

AUCTORE C. S.

mem draconem peremisse perhibetur, in eadem Vita cap. 4; *ubi tamen tam incredibilia immiscentur, ut non difficulter hac in parte fabulatoris cujusdam interpolatio agnoscatur. Non inficior equidem, draconem aliquem id loci a Sancto nostro interfectum, vermesque aut serpentes Campodunum, aut vicina huic loca infestantes, prædicti scipionis usu abactos fugatosque fuisse, quemadmodum hisce temporibus frequènter fieri constat : sed totum istud oppidum solis vermibus habitatum, ac propterea ab incolis penitus desertum fuisse, nugator iste mihi non persuaserit.*

in monasteriis Fuëssensi et Sancti-gallensi

122 *Incertum est, quamdiu salutifer ille baculus, translato ad Superos* Magno, *apud Fuëssenses permanserit. Rationem dubitandi præbet Ekkehardus, dictus* Junior, *seculi* XI *scriptor, qui de Casibus monasterii S. Galli cap.* 3 *tradit, eum ætate B. Notkeri Balbuli, id est seculo* IX *et initio* X, *in præfato Sancti gallensi cœnobio inter sacra cimelia servatum fuisse. Ait siquidem B.Notkero,cum in crypta duodecim Apostolorum, sanctique Columbani piis lacrymis indulgeret,*
B *dæmonem forma canina apparuisse; quem ille arrepto SS. Columbani et Galli baculo probe mulctatum abegerit. Verba ejus hæc sunt :* Festinato autem aram S. Galli adiens *(Notkerus)* cambocam suam * et magistri ejus (*Columbani*) multarum virtutum operatricem cum spera illa S. Crucis notissima rapuit, et in introitu cryptæ dextero spera posita, cum baculo sinistrorsum caninum illum aggressus est diabolum. *Subdit deinde, eum tot ictus tentatori inflixisse, ut baculum ruperit; quem proinde, ut res lateret, clam refici curavit.* At ille, *inquit*, cum ei ictum ultimum fecisset, baculum sanctum fregit. *Et post pauca :* Baculo per fabrum reparato, quod factum est, ad tempus occultavit.

* *i. e.* Galli

in veneratione servatus.

123 *Hunc baculum eum ipsum esse, qui in Fuëssensi monasterio servatur, liquet ex Vita ejusdem B. Notkeri, per alterum Ekkehardum Sancti-gallensem decanum,seculo* XIII *conscripta, quam Papebrochius noster tom.* I *Aprilis ad diem* VI *edidit. In ea enim num.* 39 *expresse dicitur Notkerus eam* cambotam *in cædendo dæmone adhibuisse,* quam sanctus magister Colum-
C banus per Magnoaldum diaconum miserat cum epistola absolutionis, felici discipulo suo Gallo, multarum virtutum operatricem. *De eodem baculo rursum mentio fit in Processu canonizationis prædicti beati, sub Julio* II *anno* 1513 *inchoato, in quo in Actis nostris num.* 38 *hæc leguntur :* Idem etiam testis (Ulricus Herr monachus professus, et conventualis monasterii S. Galli, *ut præmittitur)* baculum valde antiquum, habentem fracturam, de quo in XXVI *(apud Papebrochium num.* 39 *et* 40) capitulo Vitæ B. Notkeri fit mentio, attulit; qui dicitur baculus S. Columbani, cum quo idem B. Notkerus dæmonem verberasse asseritur. *Verba hæc me dubium relinquunt,utrum laudatus Ulricus Herr baculum illum ex Sancti-gallensi,an Fuëssensi abbatia attulerit, atque adeo an initio seculi* XVI *in hac, an in illa servaretur. Sed quidquid sit de tempore, quo sive ad Sancti-gallenses, sive ad Fuëssenses pervenit, jam diu apud hos, nemine,quod quidem sciam, contradicente, custoditur, magno circumjacentium agrorum bono, ut ex sequenti paragrapho apparebit.*

ejus descriptio et forma.


124 *Formam baculi ac longitudinem R. P. Columbanus Zeiller, ejusdem cœnobii professus, anno* 1745 *transmisit ad R. P. Mauritium Chardon, Societatis Jesu collegii Constantiensis in* D
Suevia rectorem, a quo, ut plurima alia, eam acceptam æri incidendam curavi, servata, quantum chalcographus potuit, partium proportione. Notat autem laudatus P. Zeiller, materiam ejusdem lignum esse, incognitum tamen : argenteas laminas, quibus ipse baculus includitur, partim ad ornatum, partim conservationis causa additas fuisse : ne scilicet vetustate sua, longoque usu paulatim tereretur. Ad ornatum item spectat Sancti effigies (deaurata, an aurea sit, ignoro imposita. Totus scipio ad tres pedes Antverpienses extenditur; figuram sequens tabula exhibet. Videtur autem quasdam sacras reliquias inclusas habere; nam Henricus abbas postquam de Sancti crucicula annotavit ea, quæ num. 120 *retulimus, ita prosequitur :* Hac occasione et baculum S. Magni aperire curavi, ubi inveni reliquias divæ Virginis, S. Benedicti, S. Magni, S. Galli, S.Udalrici, S. Sebastiani, S.Eustachii et Mauritii, cum schedis suis, *nomina continentibus.* Item aliam particulam absque scheda legibili. *Hæc ipse anno* 1607. E

Ejusdem particula servatur apud Sorethanos, Ordinis Præmonstratensis,

125 *Porro frequentissima beneficia, quæ Deus in Sancti sui gloriam per eumdem baculum conferre dignatus est, non immerito alios etiam religiosos viros impulere, ut aliquam ex eo particulam obtinere satagerent. Inter ceteros Sorethani canonici regulares, Ordinis Præmonstratensis, de quibus* § 12, *a num.* 148, *iterumque* § 13 *agemus, notabilem particulam impetrarunt, quam pretioso pedo inclusam, non minori, quam Faucenses successu, contra noxia agris hortisque insecta adhibent. Accipe, quæ in hanc rem communicavit mihi sæpe laudatus P. Lorinzer :* Inter cæteras, quas possidet Sorethum, et universa Suevia veneratur, reliquias, minime postremum locum sibi vendicat baculus prodigiosus S. Magni, abbatis confessoris et patroni nostri. Hunc quasi jure hæreditario accepit a SS. patribus Columbano et Gallo, Sorethum vero a monasterio Faucensi, non quidem integrum baculum, sed solum partem illius notabilem de vero baculo sumptam, et a prædicto conventu Sorethensibus donatam. Quo autem tempore hæc donatio facta fuerit, determinare non possumus: etenim variæ temporum revolutiones, tot bellici tumultus, tot invasio- F
nes, expilationes ac devastationes monasterii, quæ a prima fundatione usque ad hæc postrema tempora contigerunt, omnem retro memoriam obliterarunt, et authentica monumenta penitus abstulerunt.

pretioso pedo inclusa, cujus formam exhibemus :

126 Interim tamen communis et certa et perpetua traditio tenet, a nemine hactenus impugnata, atque ab ipsis monachis Fiëssensibus ultro asserta, particulam nostram de vero baculo S. Magni fuisse sumptam : idque innumeris prodigiosis effectibus, qui ex baculi nostri contactu et devota applicatione hactenus subsecuti sunt, sufficientissime comprobatur, et quasi ad oculum demonstratur, *Hæc de sacra particula Lorinzer : de pedo vero, cui ea inserta est, ait, illud totum argenteum esse auro obductum, variisque distinctum gemmis, a capite ad calcem quatuor pedes Sorethanos, totidemque pollices in longitudinem extendi. Unde obiter adverte, errasse Annalistam Ordinis Præmonstratensis,dum tom.* 2 *Annal. col.* 834 *baculum illum vocavit* altitudinis portentosæ : *in quem errorem lapsus videri potest ex male intellecta voce :* prodigiosus, *quæ baculo addi consuevit; quamque ipse de altitudine interpretatus sit, cum de prodigiis per* eumdem



eumdem palrari solitis explicare debuisset. Deinde dum laudatus Annalista col. 833 *de Didaco Slrobele, qui anno* 1719 *Sorethensis abbas electus est, ait :* Prodigiosum S. Magni abbatis baculum pretiosis acclusit lipsanis; *aut ita intelligendus est, ul velit prædictum præsulem parliculam baculi, jam a multo tempore in abbalia asservatam, pretioso pedo inclusisse, aut pugnat cum verbis Lorinzeri, qui sacrum istud donum multo facit anliquius. Nunc cœpta resumamus. In ipso pedi apice fulget Sancti statua, ex eodem pretioso metallo elaborata, in cujus pectore commemorata sacra particula, duos fere pollices longa, dimidium lala, sub crystallino vitro asservatur, populique venerationi exponilur. Ceterum rem non ingratam Suevis me facturum arbitratus sum, si et hunc baculum, cujus salutifera ope toties gavisi sunt, lectorum oculis objicerem. Habe itaque illum in sequenli tabula pag.* 726 *una cum sacra particula, secundum delineationem a sæpe laudalo Lorinzero mihi transmissam.*

AUCTORE C. S.

item alia apud Salemitanos, Ordinis Cisterciensis.

127 *Aliquod etiam frustulum ex eodem Faucensi baculo obtinuit monasterium Salemitanum, Ordinis Cisterciensis, in Suevia; ut discimus ex* E *epistola a quodam ejusdem monasterii religioso, ad supra memoratum P. Chardon anno* 1744 *hac super re data, in hæc verba :* Ultimus Reverendissimus et pientissimus abbas noster, Stephanus Jung, cum visitaturus monasteria sua, qua vicarius generalis S. Ordinis nostri per superiorem Germania, Fuëssam venisset, non partem, sed particulam de baculo ibidem asservato obtinuit, et baculum prorsus ad imitationem illius Fuëssensis fieri jussit, eique prædictam particulam de baculo S. Magni inclusit. Ante annos autem quatuor, scilicet MDCCXL, die S. Joannis Baptistæ, obtulit Reverendissimo DD. nostro præsuli Constantino Muller partem de cuculla S. Magni, quam ab ejusdem monasterii abbate, cum sigilli abbatialis impressione obtinui supplex Dein prænominatus R. D. Constantinus tam baculi, quam cucullæ particulam baculo argenteo, ad normam prioris lignei facto, indidit. Mittitur hic baculus ad loca monasterio nostro ubilibet subjecta; et profecto uberrima contra vermes et alia noxia insecta beneficia inde sentimus. F


§ XI. De miraculis per S. Magni invocationem, et usum baculi fieri solitis.

Mirabilis sacri baculi vis contra insecta

Ludovicus *Babenstuber lib.* 3 *Vitæ, cap.* 5, *prodigiosi scipionis admirabiles effectus his verbis complectitur :* Ejusdem Cambattæ vis adversus insecta, aliasque bestiolas frugibus infestas, plane admiranda est : quod vere et æstate satis superque demonstrant quotidiana fere experimenta, quibus manifeste deprehenditur, illiusmodi animalcula eamdem inter preces ritusque usitatos terræ infixam ferre non posse; sed vel extemplo emori, vel migrare alio vel in fovearum latebras properare, ut præsenti exitio se eripiant. Fugantur præterea, aut necantur, insecta ramis, frondibus, ramentis, aut terra hoc baculo (vel etiam cruce S. Magni) lustratis, dum illa hortis, pratis, agris inseruntur,

hac





hac in pulveres comminuta solum conspergitur. D Atque hinc fit, ut sacrum hoc Alexicacon certatim expetant Tirolii, Algoii, Acroniani, Brigantini, Helvetii, Suevi, Boii aliique populi. *Similia habet Gabriel Bucelinus, in Menologio Benedictino ad diem* VI *Septembris sic scribens :* Expetitur in diversas superioris Germaniæ provincias lituus sanctissimi Abbatis, argento hodie auroque affabre circumdatus, contra frequentes insectorum plagas et miserandas pratorum atque agrorum vastitates; magnoque occurrentis populi plausu, pompaque solemni excipitur, deducitur, et terræ infixus, perpetuato, tanto decursu sæculorum, miraculo, prodigiosissime interfectis, an depulsis ejusmodi bestiolis, afflictissimis populis opitulatur. *Hæc ipsi, quæ modo idoneis testimoniis confirmabimus.*

129 *Ac primo quidem, ut ab antiquiori ordiamur, in Annotationibus manuscriptis Henrici abbatis Faucensis ante annum* 1611 *exaratis, reperio sequentia :* Quoad ejus baculum experientia hactenus abunde docuit, quod, dum in terra figitur, ubi vermes demoliri conantur frumenta et alia terræ nascentia, quod vermes illico decidunt, abscendunt et moriuntur. Et sic divus Magnus quoad mortificationem vermium, a Domino Deo peculari est gratia donatus, ut vix similis inventus sit illi, qui ita expellat, mortificetque vermes, ciniphes, erucas et reliqua nociva frumentis, arboribus, segetibus, herbisque : adeo ut horum mirabilium fama attractis hominibus, experientiaque edoctis, sæpissime reliquiæ præfatæ sint petitæ, asportatæ et circumductæ in regionibus Atticis, Bavaricis, Suevicis, Helvetianis ac consimilibus, ubi Dominus Deus, per merita sanctissimi patroni nostri Magni, magna valde est operatus; adeo ut in ipsa processione et circumductione reliquiarum, vermes a frugibus terræ ceciderint, recesserint et mortui fuerint. *variis prodigiis* E

130 Sic sub abbate Benedicto rogavit abbas Staingadiensis, ut dirigeret noster abbas custodem nostrum cum reliquiis S. Magni in Staingaden, quia vermes, vulgariter dicti crucæ, herbas arrodere parabant. Cui abbas noster favens ut vicino, misit ei custodem, qui reliquiis divi Magni benedixit illa olera et terræ nascentia. Et cum postea ille abbas nostro custodi humanitatis obsequia exhiberet, ecce cum gaudio advenit pavonum curator de Staingaden ad mensam abbatis edentis cum custode nostro, et acclamavit comedentibus, ut accurrerent et viderent mirabilia, quia re vera recederent omnes vermes ex hortis, relinquentes herbas et olera; nec amplius comparuerunt. Similiter factum anno MDLIII. Item anno MDLX, anno MDLXVIII. Item anno MDLXXX, anno MDLXIII, anno MDLIV. Item anno MDLXXXV, anno MDLXXXVI, anno MDLXXXVII, anno MDLXXXII, anno MDCVI; et aliis in plurimis locis, præsertim circa loca Brigantina, in Schongau; in Vils, in Seckh et Riekhholz, Ayttwang, Rettenberg, Immenstat etc. Ita ut propter præsentissimam virtutem tres pagi dinastiæ Brigantinæ, nempe Krüuenbach, Kestras et Rettenbach, diem S. Magni singulis annis feriari promiserint datis litteris; quod eos diligentissime observare experimur. *Observandum porro est, laudatum abbatem beneficiis, quæ refert, scriptorem esse contemporaneum, quippe qui anno* 1604 *ad* S. Magni *prælaturam primum evectus est.* *seculo* XVI, XVII F

131 *Recentiora sunt, quæ in idem argumentum* *et* XVIII *explorata*

A *tum accepimus ex Suevia. Reverendus P. Columbanus Zeiller, abbatiæ Faucensis professus, in litteris suis ad R. P. Chardon, anno* 1745 *datis super hoc argumento, sic scribit :* Quod beneficia attinet, sciendum et secure patribus Antverpiensibus insinuandum est, ea singulis annis in benedictionibus agrorum, pratorum, hortorum etc., nocivis animalibus infectorum contingere, uti abunde testantur Suevia, Bavaria, Tyrolis, Brisgoia ; et præcipue sæpius, nominatim anno MDCCXXXI, experta est Helvetia, fere attonita ob insolitos favores, et depulsos aut statim emortuos ejusmodi noxiorum insectorum greges. Advertendum insuper, pro locorum qualitate, ubi sanctæ reliquiæ desiderantur, advenientem P. Custodem, baculum S. Magni ferentem, summa cum pompa excipi, incolas sub pulsu campanarum, supplice agmine extra portas obviam venire, sicque reducem comitari etc. *Hæc P. Columbanus : at quoniam domesticum testimonium quibusdam male criticis forte suspectum videri possit, addo et alia aliunde petita. Diligentissimus adjutor noster, præfatus R. P. Chardon scripserat ad monasterium Campodunense* B *Ordinis S. Benedicti in Suevia, ut si qua in archivio suo de* S. Magni *actis aut miraculis monumenta haberent, ea communicare ne gravarentur.*

et variis testimoniis confirma

132 *Responsum tulit perhumanum, monumenta nulla. Quippe post rebellium rusticorum furorem, quo monasterium istud anno* 1525 *penitus devastatum fuit, nihil propemodum ex sacris reliquiis et antiquis Mss. superfuisse, et hoc ipsum bello Suecico, quo eadem abbatia anno* 1632 *extrema passa est, omnino sublatum fuisse. Addebant tamen præfatæ litteræ insigne testimonium, quod totidem verbis huc transfero.* Non obstante tamen deploranda hac nostra penuria, abundamus vivis testibus de magna S. Magni apud Deum æstimatione ; cum vix ullus in hoc territorio et viciniis homo sanæ mentis reperiendus sit, qui non jurato affirmare possit, se suosque parentes ac vicinos multoties per intercessionem S. Magni liberationem ab infestatione murium et insectorum obtinuisse. Statim enim ac hujusmodi plaga, in hisce regionibus haud rara, sese insinuare videtur, pie recurrunt C agricolæ ad Faucense monasterium, supplicant pro ablegando baculo S. Magni : quo obtento, et peracta cum congruis orationibus supra agros, prata etc., benedictione, mures et alii ingrati messores agrorum, quasi instantanee disparere solent. *De iisdem, nisi fallor prodigiis loquitur Carolus Meichelbecius Benedictinus Benedicto-buranus Historiæ Frinsingensis tom.* I, *Dissert.* 2, *pag.* XIII, *ubi de* S. Magno *agens hæc habet :* Cujus sanctitatem quotidiana omnes naturæ vires excedentia beneficia etiamnum testantur, ipsisque etiam heterodoxis lumen Catholicæ fidei aliquando accendunt.

Litteræ, quibus magistratus Ingolstadiensis

133 *Hæc autem quam vere asserantur, colligere licet ex authenticis litteris, a magistratu Ingolstadiensi, anno* 1729 *ad abbatem Faucensem datis, quibus simile prodigium, ope baculi impetratum, cum gratiarum actione Ingolstadienses attestantur. Scriptæ eæ sunt idiomate Germanico, et a Proprætore ac ædili majore, necnon a civitatis capitaneo, ut vocant, et ædili minore, et universa fabricæ præfectura subscriptæ. Earumdem copiam manu propria Reverendissimi domini Benedicti, pro tempore abbatis Faucensis subnotatam, ejusdemque sigillo ad fidem faciendam munitam, procuravit nobis amicissimus noster R. P. Chardon, qui et eas Latine vertit in hunc modum.*

prodigium anno 1718 in murium expulsione

134 Reverendissime, prænobilis et amplissime domine, domine Prælate, domine gratiose.

Deo optimo maximo infinitæ sint grates, quod anno elapso eam nobis indiderit mentem, et prodigiosum S. Magni baculum contra mures aliaque noxia insecta huc mittendum expetierimus : reverendissimæ vero et prænobili amplitudini vestræ, et toti laudabili conventui ac monasterio nos cum universa fabricæ præfectura in omne ævum obstrictos fatemur ; utpote quæ ad preces nostras in extrema, qua affligebamur, necessitate et calamitate, prodigioso hoc S. Magni baculo nobis illico succurrit, et eumdem per admodum R. P. Augustinum Wündt, rarum omnino zelotem et laudatissimum sacerdotem (cui Superi ardentissimas suas preces, quibus Deus in nostra vota flecti debuit, indefessam operam et laborem, æternis præmiis remunerari velint) gratiose submisit. Et sane prodigiosam hanc Sancti, nomine et re Magni, opem ita sumus experti, ut per integrum postea annum in agris nostris, hortis et domibus, nec murem, nec aliud E quodpiam insectum, vel videri vel sentiri sit datum, adeoque nunc divite et ubere messe fruamur.

patratum, gratus testatur :

135 In levidense summæ gratitudinis nostræ signum, legamus decem florenos in arculam reponendos, et gratiosæ dispositioni relinquimus, num reverendissimæ et prænobili amplitudini vestræ placeat, ut duo vel tria Sacra in honorem S. Magni ex hoc ære legantur : nos ipso S. Magni festo in gratiarum actionem, et ad impetrandos ulteriores Divi favores, solenne Officium decantari curabimus, nec umquam permittemus, ut hic Ingolstadii cæleste hoc beneficium ingratæ oblivioni tradatur, adjectis demissis precibus, dignetur reverendissima et prænobilis amplitudo vestra apud S. Magni pretiosos cineres pro nobis intercedere, ut ejusdem auxilio etiam deinceps frui mereamur ; qui hoc gratioso annutu freti, omni possibili modo et devotione, in gratiosos et perennes favores nos obsequiose commendamus. Ingolstadii XXV Julii MDCCXXIX.

Reverendissimæ, prænobilis et amplissimæ domi- F nationis vestræ,

Obsequiosi

Joannes Reüsch, J. U. lic., urbis Pro-prætor, et p. t. Ædilis major.

Vitus Kleydorster, civitatis Capitaneus, et pro tempore Ædilis minor ;

Atque universa Fabricæ præfectura.

Ad calcem autem copiæ nostræ Germanicæ ipse abbas, apposito sigillo suo, adscripsit : Hanc copiam suo originali de verbo ad verbum esse consonam, sub fide abbatiali testatur Benedictus abbas ad S. Magnum in Fuessen. VI Jan. MDCCXLV.

circa quas pauca notantur.

136 *Ex hac epistola duo hic obiter observanda. Alterum est, quantam Sueviæ et adjacentium regionum incolæ in* S. Magni *meritis spem fiduciamque collocent ; cum Ingolstadienses, inter quos et Faucense monasterium, Tabulæ F. De Wit distantiam viginti milliarium communium Germanicorum collocant, baculum illum* in extrema, *ut aiunt,* necessitate et calamitate *ad se deferendum curaverint, quod profecto non videntur facturi fuisse, nisi de ejusdem salutifera ope ex certa fama aut experientia sibi satis*

AUCTORE C. S

tis constitisset. Alterum est, quam utiliter feliciterque spem suam collocarint Ingolstadienses; quippe qui ex extrema, ut ipsi loquuntur, necessitate et calamitate non modo liberali sunt, sed ita liberati, ut per integrum postea annum in agris suis, hortis et domibus nec murem nec aliud quodpiam infectum vel videri vel sentiri sit datum; *unde et pro frugum inopia, quam a noxiis insectis verebantur, divite et uberi messe lætati sunt.*

Similia beneficia per particulam Sorethanam

137 *De Sorethano prorsus similia ad me perscripsit sæpe laudatus P. Lorinzer, inter cetera asserens, baculum illum suum non a vicinis modo, verum etiam a procul dissitis vicis contra ejusmodi agrorum pestes frequenter expeti: unde fiat, ut Sorethani sacerdotes subinde tres aut etiam plures hebdomadas hoc benedicendi munere occupati a monasterio abesse cogantur. Ne vero hæc speciose magis, quam vere dicta quis arbitretur, in novissimis litteris suis, hoc anno* 1747, *die* XV *Martii ad me datis, recentissimum exemplum profert his verbis*: Hac ipsa hora, dum hæc scribo, traduntur mihi litteræ, B directæ ad Reverendissimum D. nostrum præsulem, in quibus consul et magistratus Uberlinganus instantissime rogant, mitti unum ex sacerdotibus nostris, ad loca nocivis animalibus infecta, ibidem benedicenda, cum baculo S. Magni, cujus opem toties et tam mirabiliter experti fuerint temporibus anteactis. Distat Uberlinga, urbs imperialis, XII leucis Soretho. *Quo porro modo et populi applausu salutifera illa virga excipi soleat, enarrat alio loco in hunc modum:* Quando eadem sacra reliquia ad loca aliqua benedicenda portatur, sacerdos benedicturus honorificentissime excipitur, et sub pulsu omnium campanarum, cum clericorum præsentium comitatu, populique numerosissimo ac devotissimo concursu, ad loca postula deducitur.

et Sancti dentem molarem exhiberi solitia.

138 *De beneficiis autem impetrari solitis, sic habet:* Hoc irrefragabiliter certum est, et innumeris exemplis demonstrari potest, eumdem *(baculum,)* quoties cum vera fide et sincera devotione applicatur, admirabiles producere effectus. Id præsertim palam fit in vere et æstate, quando videlicet C in agris, hortis, vineis, pestiferi grassantur vermes, aut alia demum quæcumque nociva animalcula, quæ radices segetum arrodunt, aut inficiunt, vel folia, flores aut fructus arborum devorare incipiunt, quam primum sacer iste baculus cum solitis precibus et benedictionibus terræ infigitur, ubi pestis illa grassatur, confestim cessat et exstinguitur, ipsique pestiferi vermes milleni ac milleni quam velocissime migrant, vel in se ipsis deficiunt, aut in momento dispereunt. *Deinde addit de dente, quam apud se servatum*, S. Magni *esse credunt:* Similem et fere eamdem virtutem habet dens, qui unus ex molaribus S. Magni traditur, atque ut talis semper est habitus ab ecclesia nostra, et per plures annorum centurias religiosissime cultus. Hic, inquam, cum sacer baculus abest, in aliena territoria forte delatus vices illius subit in præstandis beneficiis supra commemoratis.

Pestis pecorum cessat post factum votum, et pascua baculo lustrata.

139 *Aliud præterea beneficium R. P. Columbanus Zeiller tamquam minime dubium Actis nostris inserendum, anno* 1745, *die* XXVII *Januarii perscripsit ad amicum nostrum R. P. Chardon jam sæpe laudatum virum, quod propterea ipsissimis illius verbis recitare visum est.* Anno MDCCXLIII, cum pestis animalium nostris in partibus grassaretur, et in urbe Fuëssensi jam D aliquot pecora interiissent, senatus populusque Fuëssensis, inito consilio, votum concepere, oblaturos se S. Magno vaccam, quæ vesperi prima a pascuis portam oppidi ingrederetur, ut ope S. Patroni lues pecorum cessaret. Voto ita facto, et benedictione pascuis ac animalibus baculo divi Magni impertita, illico cessavit lues, nec ullum ab ea die animal in urbe periit. Quod beneficium grato animo civitas Fuëssensis testatur. *Potuere Fuëssenses id consilii capere ex felici eventu, quem majores eorum anno* 1498 *in simili pecudum lue, post nuncupatum ejusmodi votum, fuerant experti, teste Henrico abbate in Annotationibus manuscriptis, prout infra in Miraculis ostendemus.*

Filius illust. comitis de Spaur, nuncupato voto, subito convaluit.

140 *Neque hic tacitum præterire possum aliud beneficium ab eodem Sancto collatum juniori comiti De Spaur, cum jam de ipsius salute pene desperatum esset. Ne vero quidquam aut addidisse aut dempsisse videri possim, huc transfero iisdem verbis, quibus istud R. P. Chardon ex Faucensi monasterio accepit.* Anno MDCCXXXIX illustrissimus dominus comes De Spaur cum lectissima conjuge et geminis liberis, Sonneburgum, celeberrimum *(nobilium virginum)* Ordinis S. Benedicti *(in comitatu Tyrolensi)* monasterium, ad quædam ibi pertractanda negotia, E peregre profectus est: cum subito proles utraque cœpit ægrotare; et adeo malum invalescebat, ut medici de iis conclamatum esse, haud ex vano augurarentur. Et enimvero altera mox die filiola vitam finiit. Perterruit hoc fatum illustrissimum comitem: utque nimiæ tristitiæ modum poneret, eidem Sonneburgenses moniales suadent ac persuadent, pro servanda filioli vita votum ad S. Magnum conciperet: concepit, et ab illa hora juvenis comes convaluit. Quam primum integræ rediere vires, Fuëssam contendit illustrissimus comes, beneficium collatum multis deprædicavit, et gratiis cælesti Sospitatori actis, præsente illustrissima conjuge et juvene comite, oblatum argenteum anathema Divi aræ appendit in æternum gratitudinis suæ monumentum. *Plura miracula dabimus post Vitam.*

F

§ XII. Sancti cultus celebris in Germania.

Celebris Sancti veneratio in Suevia: præcipue Fuëssæ,

Celeberrima apud Germanos, præsertim in Suevia est S. Magni *gloria posthuma, celeberrimus cultus, ob frequentissima prodigia in mortalium solamen jam a multis seculis in hodiernum usque diem continuata. Venerationis locus non unus est: præcipuus tamen et antiquissimus monasterium Fuëssense seu Faucense, quod sancti Abbatis sui sepulcro olim nobilitatum fuit, nunc, perdito, quantum apparet, sacro corpore, ejusdem prodigiosum baculum, aliasque quasdam reliquias, religiose servat, et ad publicas privatasque calamitates arcendas, perutiliter adhibet. Situm est hoc monasterium ad Lycum amnem in Suevia Germaniæ provincia, in oppidulo cognomine, quod a multis etiam* Abusiacum *appellatur. Michaël Baudrandus in Novo Lexico geographico Philippi Ferrarii, hanc illius notitiam tradit:* Abusiacum, seu Abodiacus, Fuëssen, oppidum alias Vindeliciæ in Rhætia, nunc Sueviæ, provinciæ Germaniæ, in ipso limite Bavariæ,

A variæ, in ditione episcopi Augustani. Distat XII milliaribus Germanicis ab Augusta Vindelicorum in Meridiem.

cujus loci brevis notitia datur.

142 *Idem ex Ferrario præmittit sequentia:* Abusiacum, seu, ut alii codices habent, Abusacum et Abuzacum, Fuissen, oppidum Rhætiæ ad Lycum fluvium, intra montium angustias situm, quod propterea Fauces (unde Faucense cœnobium) etiam Latine dicitur, a Campidona III leucis *(Ferrarius in Catalogo generali SS., 5 millaria statuit)* in Eurum, in via, quæ Tridentum ducit, occurrens. *Non placet etymologia Melchiori Goldasto, qui ad cap.* I *Ekkehardi junioris de Casibus S. Galli hæc notat:* Fauces (Fuesson) ad pedes Alpium Juliarum, unde et nomen invenit, ut ab antiquis Fauzin, id est Pedes, diceretur: ita enim veteres pronuntiabant. *Et post pauca:* Monachi nostri imperite FAUCES reddidere. *Verum hæc eruditis Germanis examinanda relinquo. De monasterio plura trademus § sequenti. Interim ad Sancti memoriam in ecclesiasticis Fastis et variarum diœcesium Breviariis celebratam propero.*

B *Nomen Sancti Martyrologio Romano inscriptum non est:*

143 *Mirum sane,* S. Magni *nomen nondum Romano Martyrologio inscriptum esse: cujus rei causa non alio forte ex capite repetenda est, quam quod ii, quorum maxime intererat, apud summos Pontifices non institerint, ut eum honorem Patrono et Auxiliatori suo concederent. Quidquid sit, frequentissima est ipsius annuntiatio apud martyrologos, qui magno numero* S. Magni confessoris *sacram memoriam hoc die consignant: ex his aliquot accipe. Beatus Notkerus Balbulus, qui seculo* IX *et initio* X *floruit, ad diem* VI *Septembris sic eum annuntiat*: Nativitas sancti Magni confessoris, discipuli beati Galli, mirabilis et sanctissimi viri. *Martyrologium Richenoviense seu Augiæ divitis, quod Sollerius noster tom.* VI, *Junii parte* 2 *inter Hieronymiana contracta edidit:* VIII Id. Sept... natale sancti Magni confess. *Ibidem Martyrologium Augustanum monasterii S. Udalrici ad citatum diem:* Magni conf. *De utroque consuli potest laudatus Sollerius in Præfatione ad Usuardi editionem: sed a quo tempore Sanctus noster iis inscriptus sit, exploratum non habeo.*

C *at in pluribus aliis*

144 *Hisce consonat antiquum Calendarium ex Ms. Lirinensis monasterii a Martenio tom.* 3 *Thesauri Anecdot. excusum, quod ipse ante annos* 600 *scriptum arbitratur. Consonat et aliud vetus Verdinense, a præfato collectore editum tom.* 6 *Collect. ampliss. col.* 682. *Accedit Trevirense S. Martini Martyrologium, itidem Ms., quod laudatus Sollerius pag.* XII *inter Hieronymiana collocans, suspicatur, ad usum ecclesiæ alicujus aut Trevirensis, aut etiam Belgicæ, primitus concinnatum fuisse. In hoc ad* VIII *Idus Septembris similiter legitur:* Ad Fauces, Magni confessoris. *Inter Kalendaria, quæ Dominicus Georgius anno* 1745 *cum Martyrologio Adonis Romæ edidit, duo etiam ejusdem Sancti meminerunt. Primum vocat Kalendarium Palatino-vaticanum, Sacramentario Gregoriano seculi* XII *præfixum: alterum, cujus ætatem non exprimit, inscribit: Kalendarium Mediolanense* II*: utrumque ad præsentem diem* S. Magnum confessorem *annuntiat. Nec minus frequens est ejusdem memoria in Auctariis Usuardi, quæ apud Sollerium nostrum videre est, quæque brevitatis gratia prætermitto. Eadem de causa prætereo recentiores martyrologos, quos longo ordine possem recensere.*

AUCTORE C. S. frequentissime memoratur.

145 *Proderit tamen Galesinii textum attulisse:* Ad Fauces, *inquit*, sancti Magni confessoris: qui sancti Galli discipulus, divino prædicandi munere multorum animos ad pie agendum inflammavit, miraculorumque ac vitæ religiose actæ laude nobilis, in Sanctos summi Pontificis auctoritate ab episcopo Augustano adscriptus est. *Honorificum præterea de eodem elogium exstat apud Bucelinum in Menologio Benedictino, ex quo, quia prolixius est, excerpsi sequentia.* Decessit, ut annis, sic meritis cumulatissimus, in suo, quod condiderat, ad Fauces Julias (vulgo Fuëssen) cœnobio tumulatus; cujus memoria apud Germanos longe est celeberrima: ita ut propter continua miracula, quæ per ejus venerandas reliquias, tam in agris, quam in jumentis et hominibus, passim patrantur, quatuordecim Sanctis, ut vocant, AUXILIATORIBUS, memorabili sane meritorum commendatione, decimus quintus ipse adjunctus sit. *Hæc ipse, subjungens miracula, quæ per Sancti baculum divina clementia in miserorum levamen frequenter operatur; de quibus egimus § præcedenti. De receptione inter Germaniæ Auxiliatores hoc ipso paragrapho loquemur. An jussu Pontificis Sanctorum canoni adscriptus sit, discussimus* § 9. E

Tamayi commenta explodunlur.

146 *Porro ex hactenus dictis, infraque dicendis nemini dubium esse potest, quin* S. Magnus *in Suevia vixerit, obieritque, et post mortalem vitam sanctissime actam, in Fuëssensi Sueviæ monasterio præcipuum cultum obtinuerit: quare risu dignus est Joannes Tamayus, dum in Martyrologio suo Hispanico Sanctum nostrum in Hispania sic annuntiat:* Ad Fauces, oppidum in Vettonia Hispaniæ, sancti Magni, qui cum Hispanias cum S. Columbano venisset, et monasterium S. Martini in Placentinæ urbis territorio abbas inclytus construxisset, et alia plura contra hæreticos machinasset, post hujus vitæ excursum miraculis celebris et sanctitate conspicuus, ad æternam quietem confessor properavit strenuus. *Hæc et similia, quæ ibidem de* S. Magni *in Hispanias adventu, monasteriorum erectione, canonizatione per* Bentonum *seu* Lanthonem Cæsaraugustanum vel Augustanum in oppido Lusitaniæ ad Fauces episcopum *facto, hæc inquam, quæ ibidem ex supposititiis Juliano et Luitprando frustra probare conatur, risu digna sunt, nec refutari merentur.* F

Cultus in variis diœcesibus

147 *Quam vere autem idem Bucelinus asserat,* S. Magni *memoriam apud Germanos longe celeberrimam esse, probant variæ Germaniæ Breviaria et Missalia, ex quibus discimus, Sancti cultum non modo in Suevia, verum etiam in Bavaria, Rheni circulis, Franconia, Alsatia, imo et in Belgio receptum fuisse. Quippe ex Breviariis, quæ in museo nostro exstant, diœceses omnino sedecim reperi, quæ illum annua veneratione prosecutæ sunt, aut etiamnum prosequuntur. Hujusmodi sunt archidiœcesis Moguntina, ejusque suffraganeæ Augustana Vindelicorum, Argentinensis, Herbipolensis, Constantiensis, Eistadiensis, Spirensis, et Wormaciensis: item ecclesia Viennensis in Austria, Pataviensis ac Ratisbonensis in Bavaria, Vratislaviensis in Silesia, Mindensis in Westphalia, ac denique Coloniensis ad Rhenum. His accedunt duo Breviaria Belgica, Tungrense scilicet et Ultrajectinum, utrumque antiquum. Neque dubitandum est, quin et in aliis, præter jam enumeratas, diœcesibus cultum obtinuerit: id enim et continua beneficia*

AUCTORE C. S.

beneficia et Auxiliatoris *Germaniæ titulus exigere videntur.*

Cultus antiquus

148 *Item procul omni dubio statuendum de monasteriis, quæ ipsius nomini erecta, inferius ostendemus. Non possum tamen hic tacitus prætertire celeberrimam abbatiam Sorethanam, sacri Ordinis Præmonstratensis, in superiore Suevia; cujus zelus in promovendo* S. Magni *cultu non parum elucet. Accipe igitur, quæ mihi in hanc rem inter cetera humanissime transmisit Rev. et eximius dominus Evermodus Lorinzer, ejusdem abbatiæ canonicus regularis et S. Theologiæ doctor*, Quo zelo et fervore, *inquit*, quo itidem pietatis et singularis devotionis affectu, patres et majores nostri semper coluerint S. Magnum abbatem, et patronum nostrum, ex eo satis colligitur, quod non contenti communi Officio, quo sancti abbates et confessores celebrantur ab Ecclesia, novum et proprium composuerint, ex Vita ejusdem Sancti desumptum, illudque quotannis in die ejus festo et per totam Octavam solenniter decantarint. Duravit hic cultus per ducentos circiter annos; B quibus evolutis, paulatim desinere cœpit, ac tandem ingruente bello Suecico sub annum MDCXXXII, quo religiosi omnes in exilium pulsi sunt, ipsumque monasterium combustum, omnino cessavit.

in abbatia

149 *Officium hoc præ manibus habeo a laudato domino Lorinzero missum. Antiphonas proprias habet ad omnes Horas, uti et responsoria Nocturnorum : lectiones 2 Nocturni item proprias, necnon et hymnos et reliqua fere omnia : nihil tamen, quod ad Sancti acta pertineat, continet, præter ea, quæ in Vita enarrantur. In primis Vesperis hic hymnus præscribitur.*

Sydus refulget jam novum,
Magni clarum solemniis,
Germaniam et Galliam
Novo beat Apostolo.
Lætare plebs solemniter,
Vexata quondam graviter
Dæmoniorum, vermium,
Et bestiarum furiis.
Jam luce Christi fulgeas,
Et pace cordis gaudeas,
Deumque laudes jugiter,
Et Magnoaldum prædices.
C Has Magnus ipse plantulas
Virtutis arvo condidit,
Virtutisque cultoribus
Pie fovendas tradidit.
Precamur ergo Cœlites,
Nostras vias ut muniat,
Quo post eum securius
Vitæ teramus semitas.
Laus Trinitati simplici,
Et unitati triplici,
Patri, Patrisque Filio,
Spiraminique compari. Amen.

Sorethana

150 *Hymnus ad Matutinum excerptus est ex versibus, qui apud Henricum Canisium Antiq. lect. tom. 5 adscribuntur Ratperto, quos num. 106 jam dedimus : in Laudibus vero sequens cantabatur.*

Vox clara laudes resonet
Noctis quieto tempore,
Magni patris encomiis
Miscens devotos jubilos.
Hic Magnus alta cœlicæ
Perfectionis culmina
Prendens, gerebat Angeli
Vitam mortali corpore.
Perampla patris prædia D
Sprevit et matris gremium ;
Desertaque perambulans
Quæsivit oves perditas.
Absolve nos, Jesu bone,
Magni beati meritis ;
Delens malum, quod respuis,
Addens bonum, quod respicis.
Laus Trinitati, *etc. ut supra.*

in Suevia.

151 *Præterea die* XXII *Martii iidem Sorethani Præmonstratenses translationem* S. Magni *recolebant eodem Officio, præterquam quod lectionibus 2 Nocturni substituerunt Sermonem Venerabilis Bedæ presbyteri in Natali S. Benedicti :* Audiens a Domino Petrus etc. ; *ac pauca etiam alia mutarent. Neque hic stetit eorum in Patronum suum pietas : sed qualibet insuper Feria* V *per annum, festo duplici non impedita, in Laudibus ac Vesperis sequens Antiphona cum Oratione dicenda præscribitur :* Laudemus virum gloriosum et parentem nostrum sanctum Magnum in generatione sua, cujus intuentes exitum, conversationis ejus sequamur vestigia. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei. *Oratio.* Sancti Magni confessoris tui, quæsumus, E Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Christum *etc. Hic fuit antiquitus apud Sorethanos* S. Magni *cultus, de hodierno sic prosequitur.*

Cultus hodiernus

152 Quod vero cultum modernum attinet, Officium nunc fit de Communi Abbatum, præter Lectiones 2 Nocturni, quæ sunt ex Proprio Constantiensi. *Deinde paucis descripta Constantiensis diœceseos amplitudine, subdit :* Per totam hanc numerosissimam et spatiosissimam diœcesim colitur Sanctus noster quotannis VI Septembris ; sed majore præ cæteris cultu in ecclesia Sorethana, tamquam Patronus illius, et post divam Virginem in cælos assumptam specialis et primarius : in hac quippe colitur non solum in choro, sed etiam in foro, cum præcepto et obligatione audiendi Missam, et abstinendi ab opere servili per totum tractum Sorethanum. Eamdem obligationem in foro non ita pridem sibi imposuerunt plura alia loca et integræ civitates, propter recentissima beneficia, quæ per intercessionem Sancti obtinuerunt. F

in eadem abbatia

153 Concursus populi in ipso festo ad ecclesiam nostram propemodum infinitus : plures ecclesiæ cum solemni clericorum comitatu eo processionaliter veniunt, et S. Magnum, cujus statua in naturali magnitudine, pretiosis induta paramentis, in medio ecclesiæ exponitur, devotissime venerantur. Pro concione dicit prædicator extraneus, inter omnes, qui haberi possunt, celeberrimus et disertissimus : Sacrum solemne cantatur a proprio abbate in pontificalibus, cum insigni tam ministrorum, quam musicorum apparatu : vel a prælato extraneo, cui hoc honoris officium ex humanitate fuerit oblatum. Finito Sacro, populus sacrum baculum a canonico sacerdote exhibitum pio osculo veneratur. Præter diem obitus, qui est VI Septembris, celebrat ecclesia Sorethana festum translationis S. Magni quotannis die XXII Martii : necnon qualibet Feria III per annum, festo aliquo non impedita, cantatur de eodem sancto Patrono nostro Missa major, seu conventualis, præter suffragium commune, quod de eodem dicitur ad Laudes et Vesperas. Et hæc de cultu S. Patroni nostri tam antiquo, quam moderno.

154 *Deinde*

et diœcesi Constantiensi invocatur

A 154 *Deinde cultum, quem in Constantiensi diœcesi obtinuit, laudati Lorinzeri schedulæ hisce verbis breviter complectuntur :* Per totam quoque reliquam diœcesim colitur et invocatur ut Thaumaturgus, ut Apostolus, ut Communis Pater et auxiliator omnium mœrentium et afflictorum. *At quoniam ex Bucelino supra intelleximus, eumdem quatuordecim* Auxiliatoribus *decimum quintum adjunctum esse, locus et ordo postulat, ut id ipsum paucis explicemus.* Sanctos Auxiliatores *suos Germani eos vocant, quos ex veteri quodam instituto præcipue invocant, tamquam peculiares apud Deum patronos, sive ad arcendas ingruentes calamitates, sive ad beneficia impetranda. Reverendissimus dominus Thomas abbas Lanchemiensis, Ordinis Cisterciensis, peculiare Opusculum Germanico idiomate circa medium proxime elapsi seculi edidit de Sanctis Auxiliatoribus, qui Lanchemii in diœcesi Bambergensi sub eo titulo invocantur. Quatuordecim recenset, inter quos* S. Magnus *non nominatur, uti nec in Missa de ipsis celebrari solita. Grevenus in auctariis Usuardi, ad diem* VIII *Augusti,* B *quindecim enumerans, gloriosam Dei Genitricem præponit iisdem quatuordecim, quos laudatus libellus ac Missa recensent; nulla itidem* S. Magni *mentione.*

inter sanctos

155 *At in veteri Missali diœcesis Ultrajectinæ in Belgio, inter Sanctos Auxiliatores locum habet. Liber ille excusus Leidæ anno* 1514, *inter Missas pro variis calamitatibus legendas, unam proponit* De quindecim Auxiliatoribus : *collecta autem est hujusmodi :* Omnipotens ac mitissime Deus, qui electos Sanctos tuos, Georgium, Blasium, Herasmum, Pantaleonem, Vitum, Christoferum, Dionisium, Ciriacum, Achatium, Eustachium, Magnum, Egidium, Margaretam, Barbaram, et Katherinam, specialibus privilegiis decorasti; quæsumus, ut omnes, qui in necessitatibus eorum imploramus auxilium, secundum tuæ promissionis gratiam, petitionis nostræ salutarem consequamur effectum. Da nobis, Domine, veniam peccatorum, et ipsorum intercedentibus meritis, ab omnibus adversitatibus libera, et deprecationes nostras benignus exaudi. Per Dominum *etc. In Secreta et Complenda eadem repetuntur nomina. Simi*C*lem Missam legere est in antiquo Missali archidiœcesis Moguntinæ, anno* 1493 *excuso, quæ etsi titulum præferat.* De quatuordecim Adiutoribus sanctis, *nihilominus in collecta quindecim, et inter hos* S. Magnum *expresse veneratur. Eumdem etiam inter illos recenset Missale Ordinis Prædicatorum anno* 1550 *excusum.*

Auxiliatores.

156 *Dubium quidem esse potest, an* Magni *nomine sanctus Abbas noster hic veniat; cum et varii ejusdem nominis in Ecclesia celebrentur, et a Joanne Baptista de Franchis in Opusculo Italico Panormi excuso, inter Sanctos Auxiliatores S. Magnus episcopus Opitergiensis recenseatur. Malim tamen credere, Abbatem Faucensem designari in Moguntino ac Ultrajectensi Missalibus : cum enim utraque diœcesis ad Germaniam pertineret, probabilius est, Sanctum aliquem in Germania beneficiis celebrem, potius quam episcopum Opitergiensem in Italia, utriusque ecclesiæ Auxiliatoribus adjunctum fuisse. Porro eumdem titulum ei attribuit Babenstuber Opusculum suum his verbis inscribens :* Sanctus Magnus Algoiorum apostolus, Germanorum communis Auxiliator. *Consonat Franciscus Petrus canonicus regularis S. Augustini, in sua Suevia ecclesiastica pag.* 326 *dicens :* Etiam apud longe dissitas et exteras nationes S. Magnus honore, festoque die solemniter colitur, iterque eos Divos, quos ob speciales quasdam prærogativas Auxiliatores vocamus, præsentissimus patronus habetur.

Auctore C. S.

§ XIII. Templa et monasteria sub Sancti invocatione Deo erecta.

Fundatio Fuessensis, prout in Vita

Inter sacra loca ad S. Magni *gloriam per Germaniam Deo dicata, antiquissimum est monasterium Fuëssense, quod eumdem Sanctum suum primum abbatem ac fundatorem veneratur. De fundatoribus, quorum opibus primum conditum ac deinde restauratum auctumque fuit, sequentes versiculi circumferuntur :*

Cœnobium Fuëssen regali dote Pipinus
Fundavit, sancti permotus numine Magni : E
Vastatum cæsar reparavit Carolus idem,
Atque Augustana Simpertus præsul in urbe :
Austriacæ posthæc Leopoldus marchio terræ,
Guelpho Suevorum dux ampliter augmentarunt.

Pippinum hunc interpolator noster regem facit et Carlomanni fratrem, asseritque illum hujus jam monachi gratia, litterisque olim a S. Columbano ad Clotarium datis et a S. Wictherpo exhibitis permotum fuisse, ut ædificando monasterio monachisque in eodem alendis locum et annuos reditus munifice suppeditaret. Verum cum Pippinus iste rex integro pene seculo S. Magno *sit posterior non potuit præfatam donationem* Magno *in vivis superstiti facere. Miraberis forsan, qui in tam fœdos parachronismos, crassosque errores labi potuerit : sed tale scilicet erat hominis ingenium, ut ex aliorum lucubrationibus suum opusculum consarcinasse contentus, minime curaret, utrum ea, quæ ex iis sua fecerat, rerum, quas tractabat, ætati convenirent.* F

narratur, commentitia

158 *Ne vero id gratis dixisse videar, juvat ipsa Walafridi verba recitare, ut iis cum compilatoris textu collatis, lectori hac super re nullum dubium relinquatur. Itaque Walafridus lib. de Miraculis cap.* XI *apud Mabil. Sec.* 1. *Benedict. pag.* 255 *et seq. hæc habet :* Carlomannus... ob amorem regni cælestis, sæcularis gloriæ pompam deposuit; et cum causa quietioris vitæ Romam tenderet, ... ad idem monasterium *(Sancti-gallense)* causa orationis accessit : audiensque assiduis signorum virtutibus eumdem locum pro beati viri meritis a Domino illustrari, dixisse fertur : Tenuis quidem hic locus est facultate, sed pro meritis B. Galli celebri diffamatus rumore. Cumque vellet ibidem degentibus aliquod suæ largitatis conferre solatium, sed retractaret, negotiis se regni disjunctum explere non potuisse, quod voluit; fratri scripsit, ut sui amoris intuitu eidem monasterio aliquod regiæ largitatis solatium dignaretur impendere.

ostenditur :

159 *Subdit, annuisse Pippinum, sanctoque Othmaro mandasse,* ut in loco sibi commendato, ad supplendas B. Galli excubias, regularis ordinem institueret vitæ : *deinde concessisse illi* quosdam tributarios de eodem pago... et vectigalia, quæ annuatim regiis redditibus inferre debebant.

AUCTORE C. S.

bebant. Et ne cujusquam, *inquit*, avaritia tanti incrementis obsisteret boni, diuturnæ firmitatis epistolam fecit conscribi, et ut moris est, circumspecta roborari cautela *etc. Denique caput his verbis concludit* : His regiæ pictatis Othmarus abba donatus solatiis et sublimatus honoribus, monasterium lætus regreditur; et ex illo tempore monasticæ vitæ in cœnobio S. Galli exordium quidem cœpit, augmentum autem et profectus hodieque laudabiliter dilatari non desinit. *Ex hoc, inquam, Walafridi loco compilator fundationem monasterii Fuëssensis concinnans, in tam crassum errorem incidit, ut cuilibet utrumque scriptorem conferenti manifestum fiet. Quod autem tradit de epistola S. Columbani ad Clotarium regem; id procul dubio fecit, quia apud Jonam in istius sancti Vita num.* 61 *repererat, illum ad prædictum regem litteras ex Italia dedisse,rogasseque,*ut sodales suos,qui Luxovium incolebant,regali adminiculo ac præsidio foveret.

forte B. Pipino regi adscribenda.

160 *Bollandus noster tom.* III *Februarii pag.* 254 *et seq. hanc illustrem donationem S. Abbati factam censet a B. Pippino, duce et Majore-domus regum Austrasiæ, cujus Acta ibidem illustrat. Neque improbabilis est hæc Bol-*

B *landi opinio : certum enim est, Pippinum Martelli filium, Carlomanni fratrem monasterium istud vivente* Magno *fundare non potuisse. Forte etiam non procul a vero aberrabimus, si dicamus, utrique Pippino aliquid tribuendum esse; et B. Pippinum quidem aliquos reditus Sancto donasse, quod deinde altero post seculo Pippinus rex confirmaverit, auxeritque. In hac conjectura non difficulter intelligitur,qua occasione interpolator in parachronisnos,de quibus supra sæpius, lapsus sit. Pronum siquidem erat homini imperito duos illos Pippinos confundere, atque ita uni eidemque adscribere, quæ duobus erant tribuenda ; ex quo errore perturbatio temporum necessario consequebatur ; ut Pippinus rex, Carlomannus monachus, S. Othmarus abbas, Otilo Boiorum dux circa medium seculi* VII S. Magno *contemporanei statuerentur, qui sub iis adjunctis ad medium seculi* VIII *pertinent.*

Fuessensis monasterii primordia et progressus :

161 *Quidquid sit, Faucensis monasterii primordia repeti solent ab exiguo quodam sacello, quod* S. Magnus *in honorem S. Salvatoris condidisse, in eoque cum discipulis suis divinas laudes celebrasse perhibetur. Sacellum hoc, una*

C *cum cœnobio semel iterumque destructum, restauratumque tradunt; donec tandem seculo* IX *ab episcopis Augustanis a fundamentis rursum exstrui cœptum, amplior ecclesia evasit; quæ a Lantone episcopo in S. Salvatoris ac* Magni *honorem dedicata, istius viciniæ parœcialis,constituta sit. Denique anno primo labentis seculi idem monasterium templumque denuo multum augustius renovari cœpit sub Reverendissimo domino Gerardo, ejusdem loci abbate* LII, *ac tandem anno* 1717, *die* XV *Februarii consecratum est a Reverendissimo ac Serenissimo domino Alexandro Sigismundo, episcopo Augustano, comite Palatino etc. Splendidum sane ac magnificum templum esse, licet colligere ex ejusdem graphica descriptione, quam R. P. Chardon collegii Constantiensis Societatis nostræ Rector a Faucensibus acceptam, nobis pro more suo humanissime transmisit, quamque ad Sancti gloriam posthumam, iisdemverbis subjungo.*

descriptio

162 Facies ecclesiæ interior crucis figuram exprimit : longitudo illius ad ducentos pedes porrigitur; altitudo ad sexaginta : ubi vero tabu- D latum amplam circumferentiam ad supremam usque superficiem vastæ adinstar turris aperit, ad centum omnino pedes ascendit. Latitudo, quæ crucis figuræ, quam ecclesia refert, conveniat, octoginta quatuor pedes continet, reliqua sexaginta. Duodecim columnis, ficto per artem marmore mire fulgentibus, quas totidem sanctorum Apostolorum ex pretiosissimo marmore artificiosissime elaboratæ rotundæ imagines magnifice exornant, tota moles innititur : per sexaginta triplicis speciei fenestras, oblongas, rotundas et lunatas, lucem accipit. Infra fenestras lunatas ingens projectura, tres circiter pedes lata e pariete prominet, ut quis percommode totam ecclesiam obire, et tam picturis, quam aliis ex gypso celaturis, quibus totum tabulatum excultum est, infestum pulverem abstergere valeat.

163 Paulo inferius quatuor oratoria, ut vocant; duo majora musicis, reliqua orantium *novi templi Fuessensis* devotioni accommodata, e pariete prominent : ex uno horum patet aditus ad cathedram, ingeniosa sculptoris manu e ligno nobiliori artifi- E ciosissime elaboratam ; ex qua divini verbi præco pro concione dicere solet. Tabulatum decem magnificis arcubus mira arte distinguitur : quos inter ingentia rotunda spatia tendentur, in quibus felicissima pictoris manus, ad Zeuxis et Apellis invidiam, immortalia suæ artis posuit monumenta. Reliquum tabulati varia ex gypso celatura, interjectis itidem minoribus picturis, quæ divi Magni vitam et miracula silenti ore loquuntur, splendide exornat. Chorus ad divinam psalmodiam diu noctuque persolvendam, in rotunditatem, ita tamen ut circulum integrum haud perficiat, longiuscule ductus est; ubi præcipue insigne artis sculptoriæ ingenium demirandum et commendandum : lignum haud vulgare, sed plerumque nobile, et cui natura ipsa varias ad ornatum aspersit maculas, stationes suas psallentibus assignat.

164 Pavimentum chori nigro et albo mar- *anno* 1717 more pulcra varietate et ordine stratum est : chorum claudit altare summum, pretiosissimo ex marmore magnifice juxta ac artificiose elaboratum. Interjecto triginta circiter pedum quadrato spatio, cancelli marmorei miri splendoris a sum- F mo altari populosam et importunam plebem prohibent. Reliquum templi spatium in octo capellas dispescitur, duas majores, quæ crucis, quam ecclesia habet, transversam partem efficiunt, ceteras minores ; omnes marmoreis altaribus conspicuas. In duabus majoribus eminent altaria, quorum altitudo ad quadraginta sex pedes ascendit majestate plena. Tria organa, unum altero majus et insignius, invitant musices peritos ad laudandum Deum in tympano et choro, in chordis et organo. Sellas omnes oranti populo sculptor eximio artificio ex ligno haud vulgari elaboravit.

165 E majori ecclesia pauci gradus deducunt *consecrati.* subtus terram ad sacellum divi Joannis Baptistæ, et divi Magni patroni ecclesiæ. Prius quatuor columnæ marmoreæ suffulciunt : a latere juxta aram divo Joanni sacram, fons Baptismalis, marmoreo clausus baptisterio, abluendos exspectat. Præcipue autem enitet sacellum divi Magni, huic S. Joannis sacello contiguum (quod ex authenticis documentis cella sancti Viri creditur, cujus non solum ara, sed et parietes, et pavimentum, mira varietate, insigni artificio et splendore

A splendore, vario marmore artificiosissime elaboratis insigniter exornatum est. *Post pauca subjungitur de commemorato sacello sequens annotatio:* Sacellum S. Magni ab initio et prima monasterii fundatione erectum, antiquissima documenta dicunt fuisse habitaculum et ipsissimam cellam, in qua S. Magnus primus fundator et patronus noster habitavit in vivis; et ideo semper in summo honore habitum, sæpius cum monasterio et ecclesia, partim incendio, partim devastationibus destructum, sed semper iterum innovatum, cum ecclesia et monasterio anno MDCCI noviter e fundo erecto et hoc sacellum e fundo noviter exstructum et pulcherrime exornatum fuit, uti hodie visitur; ita tamen ut eumdem semper locum servaverit, quem habuit, vivente S. Magno, post cujus obitum posthac in sacellum mutatum est. *Hac de Fuëssensi monasterio: nunc ad alia progredior.*

Templum e apud Sancti-gallenses sec. 9 erectum:

166 *Diximus supra § 9, a num. 101, aliquot annos post Sancti elevationem, seculo* IX *jam senescente a Salomone Ramschavio non procul a monasterio Sancti-gallensi in Helvetia templum in honorem S. Crucis, sanctique* Magni B *erectum dotatumque, et hujus reliquias in istud solemniter translatas fuisse: cætera quæ huc spectant, accipe. Idem Salomon prædictæ ecclesiæ quosdam canonicos addixit, qui ibidem divina peragerent, et jam abbas Sancti-gallensis et episcopus Constantiensis creatus, novis eam bonis locupletavit. Exstat apud Marquardum Herrgott, in Genealogia Gentis Habsburgicæ, tom. 2, parte* I, *instrumento* 103, *pag.* 62, *diploma Arnulphi imperatoris, quo fundatio ejusdem ecclesiæ regia auctoritate confirmatur. Quia vero tum ad comprobanda, quæ de translatione sacri brachii supra commemoravimus, multum conducit, tum ipsam fundationem illustrat, studiosis lectoribus gratum fore arbitratus sum, si illud totum, prout a laudato Marquardo rex archivo S. Galli depromptum recitatur, huic Commentario insererem. Sic itaque habet.*

ejusdem dotatio diplomate

167 In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Arnolfus, divina favente clementia, imperator. Si loca a Dei cultoribus nova institutione Domino dicata, immo competenti ornatu culta, doteque suffulta, nostra relevamus auctoritate, mansura nobis gaudia inde provenire C posse, non dubitamus. Idcirco omnium Christi fidelium tam præsentium, quam futurorum, cognitum esse volumus generalitati, quia Adalbero, sanctæ Augustensis ecclesiæ venerabilis præsul, nostris patefecit auribus, Salomonem Constantiensem episcopum quamdam in monasterio sancti Galli, consentiente atque cooperante Fratrum illic Deo et sancto Gallo famulantium collegio, super fluvium Nigra aqua vocitatum, basilicum in honorem sancti Magni confessoris construxisse, in qua etiam quia ipsius Dei Electi pignora sancti corporis venerabiliter reconduntur, loca quædam de eadem abbatia in servitium Dei et sancti Magni, cum consensu monachorum, ipsi loco conferre placuit: id est, in pago Turgowe, comitatu Adalperti, ad longum Rihhanpah, hobam unam illuc pertinentem, et in Brisihgowe com. Wolfun i, in loco Rotileim, arpennas duas, in pago vero Thurico com. Adalgozzi, in villa Hoenka, baptismalem ecclesiam cum terra salica et illuc pertinentibus hobis.

168 Hæc omnia quippe idem reverendus pontifex, qui ipsi monasterio præesse dinoscitur, per manus advocati sui Askerici in dotem prædictæ ecclesiæ sancti Magni, cum convenientia ac voluntate Fratrum, perenniter tradidit atque delegavit; ea videlicet ratione, ut procurator ipsius cellulæ ex his rebus tres monachos et totidem clericos, cæteramque familiam ibidem semper procuret, et omni anno in festivitate sancti Magni copiam servitutis in refectorio sancti Galli universis monachis ipsius cœnobii impendat et parafredum onustum saumate semel in anno abbati in hostem pergenti, cum homine ipsum equum trahente præstet. Unde quoque hoc præsens confirmationis nostræ præceptum fieri jussimus, firmiter præcipientes, ut hujusmodi institutio prælibat ecclesiæ firma et stabilis in æternum perseveret absque ullius personæ offendiculo. Et ut hæc confirmationis nostræ auctoritas inviolabilem in Dei nomine per omnia tempora obtineat stabilitatem, manu nostra subter eam roborantes, annulo nostro assignari jussimus. Signum Domini Arnolfi imperatoris Aug. Eugilpero notarius, ad vicem Deotmari archicappellani, recognovi et subscripsi. Data III Id. Octob. anno Domini DCCCXCVIII, Indictione 2, E anno XI regni Arnolfi piissimi regis, imperii vero III. Actum Rigina civitate, in Dei nomine feliciter. Amen.

AUCTORE C. S.

Arnulphi imperatoris confirmata:

circa quo

169 *Hucusque diploma, circa quod quædam elucidanda sunt. Laudatus Herrgott observat, omnes notas chronologicas recte se habere præter Indictionem, quæ anno* 889 *prima recurrebat, non secunda. At mihi non minus Indictio, quam ceteræ notæ, rectissime apposita apparet. Quamquam enim anno designato Indictio* I *curreret, potuit ea a mense Septembri, puta* XXIV *anni præcedentis inchoari, quæ propterea eadem die signati anni* 898 *terminabatur, a qua die Indictio* 2 *initium desumebat: cum igitur prædictum diploma* III *Idus Octobris datum sit, recte Indictioni* 2 *illigatur,* Hoba, *quæ in diplomate occurrit, et alias etiam* huba, gova, hobunna *etc. vocatur, modus agri est cum habitatione coloni, inquit Cangius in Glossario, et sæpe in antiquis chartis reperitur, prout apud ipsum, videre licet. De* terra salica *consuli potest idem Glossarium ad vocem* Lex salica, *ubi ex Eccardi sententia, quæ ibidem reliquis præfertur, terra salica ea dicitur, quæ spectat ad præcipuam* F *curtis domum, quæ* sala *et* domus salica *consueverat appellari.*

pauca notantur.

170 *Per* copiam servitutis, *convivium intellige, quod istius ecclesiæ procurator in* S. Magni *festo quotannis pendere tenebatur: de eo meminerunt Ephemerides Sancti-gallenses, quas anno* 1272 *conscriptas Goldastus Alaman. rer. tom.* I, *parte* I *exhibet: in quibus ad diem* VI *Septembris sic legitur:* Ex institutione Salomonis episcopi et abbatis, datur præbenda de Golda Fratribus in honorem S. Magni confessoris. Parafredus *est equus agminalis;* sauma, *apud Cangium, idem quod* sagma, *et sarcinam denotat:* parafredus *igitur* onustus saumate, *equum sarcinarium cum sua sarcina significat. Denique de institutis ibidem canonicis, dotationeque per Arnulphum confirmata rursum meminit Ekkehardus junior de Casibus S. Galli cap.* I *dum ait, Salomonem inter suprema mandata a Sancti-gallensibus monachis vehementer postulasse,* quatinus ecclesiam ab eo in loco S. Galli, in honore S. Crucis, sanctique Magni constructam et sub regiæ auctoritatis privilegiis dotatam tuerentur, ibique servitium canonicorum minui

AUCTORE C. S.

minui non paterentur. *Alia Ekkehardi in hanc sententiam verba dedimus num.* 192.

Prædictum templum incendere

171 *Exstat in Opere nostro tom.* I *Maii, die* 2 *Vita S. Wiboradæ ac B. Rachildæ virginum Ordinis S. Benedicti, quas* Reclusas *vocant. Ex hac discimus, præfatum* S. Magni *templum earumdem virginum sepulcris nan sine divina revelatione nobilitatum fuisse : prior illud etiam, in cellula ipsi contigua a præfato Salomone reclusa, sanctissimo vitæ instituto ac demum martyrio, anno* 925 *ab Hungaris illato, consecraverat. Memorabile est, quod hujus occasione martyrii de hac ecclesia a barbarorum incendiis præservata tradit Hepidannus lib.* I, *cap.* 6. *Ait quippe, Hungaros, cum irruptione in Germaniam facta, omnia ferro flammaque vastarent, præfatam sacram ædem, apud quam S. Wiborada se Deo consecraverat, aggesto rogo exurere frustra molitos fuisse.*

frustra conantur Hungari.

172 Tali, *inquit*, vastatione basilicam S. Magni adeuntes, voluerunt et illam rogo exstructo concremare : sed ... divina potentia eis resistente, eorum voluntas caruit effectu. *Con-* B *sonat Ekkehardus Junior cap.* 5 *de eadem Hungarorum irruptione sic scribens :* Nequaquam templum Galli, sicut nec Magni *incendere* quiverant. *Perseverasse ibidem post S. Wiboradæ martyrium cellas virginum Reclusarum, docent tum proxime laudatus auctor, tum Ephemerides num. superiori citatæ, quæ ad* X *Kal. Feb. et* V *itidem Kal. Jan. notant anniversarium Juntæ et Irmingardæ celebrandum* de ortis juxta capellam Sororum apud S. Magnum. *Denique Goldastus Alaman. rerum tom.* I, *in cap.* I *Ekkehardi docet, templum, de quo agimus quod, olim situm erat extra oppidum, postmodum ejusdem muris, sed extimo loco, pariter cum cœmeterio inclusum fuisse ; atque ita etiam illud exhibet Matthæus Merianus in Topographia Helvetiæ, addens idem Calvinianæ hæresis, quam Sanctigallenses cives, proh dolor! amplexi sunt, exercitio postmodum cessisse.*

Templo et monasteria Sorethanum

173 *Præter hæc, duo alia* S. Magno *templa antiquitus dicata reperio, quibus et monasteria deinde in ejusdem Sancti gloriam addita fuerunt. Horum alterum est Sorethanum, indigenis* Schussenriedt, *inter oppida Biberacum, Sulgarium et* C *Waldseam situm fere æquali trium milliarium Germanicorum distantia. Castrum ibi quondam fuerat,* Schussenriedt *pariter nuncupatum ; nec procul inde ecclesia parœcialis sub invocatione* S. Magni : *quæ quo tempore primum erecta fuerit, nusquam reperi memoriæ proditum. Accessit postmodum abbatia sacri Ordinis Præmonstratensis ; cujus primordia ad annum* 1188 *referunt ejusdem Ordinis Annales, anno* 1736 *editi, tom.* 2 *a pag.* 820, *citantes Chronicum Ms. auctoris, ut ajunt, pene æqualis. Verba accipe :* Clemente III Pontifice, et Frederico I, cognomento Barbarossa, Romanorum imperatore, erant Beringerus et Conradus, ipsi imperatori satis accepti, in castro Schussenriedt : qui cum haberent * filios, divina inspirante gratia, placuit eis, ut in eodem loco, ubi castrum eorum erat, fundarent claustrum alicujus Ordinis, ad honorem Dei et S. Mariæ semper virginis, sanctique Magni confessoris, qui erat patronus in parochiali ecclesia, quæ erat extra castrum, et omnia prædia sua conferrent illi claustro, ipsum Christum faciendo sibi hæredem.

* *l.* non haberent

174 *Deinde subdit, hanc piam fratrum voluntatem, annuente imperatore, anno* 1188 *ex-* D *secutioni mandatam esse, fundata ibidem Præpositura, ut vocant, Ordinis Præmonstratensis, cui prædicta parœcialis ecclesia cum cura animarum perpetuo fuit annexa. Lapsu temporis, teste Annalista, ad liberæ et imperialis abbatiæ dignitatem evecta et insignibus prærogativis ornata est. Alterum, quod insinuavi monasterium, erectum fuit in Bavaria ad pedem pontis Ratisponensis, estque canonicorum regularium Ordinis S. Augustini. De eo Andreas presbyter, ejusdem monasterii canonicus, in Chronico suo generali apud Bernardum Pez, Thesauri Anecdot. tom.* 4 *hæc habet :* Anno Domini MCXXXVIII incarnati Salvatoris, qui est tertius inchoati pontis supra Danubium Ratisponæ, ripensis agricultura, id est monasterium S. Magni, in præurbio Ratisponæ mutari cœpit in ædificia per venerabilem dominum Gebehardum, presbyterum canonicum Ratisponensis ecclesiæ, ad cujus petitionem rex Conradus, ... cum consilio fratris sui Henrici, ducis Bavariæ, præurbium Ratisponæ monasterio S. Magni largitus est. *Plura legere licet apud Hundium in Metropoli Salisburgensi tom.* I, *pag.* 197, *tom.* 2, *pag.* 450 *et alibi.*

et Ratisponense Sancto consecrata.

175 *Fabulosa apparent, quæ de hujus* S. Magni E *sacelli, cui postmodum prædictum cœnobium additum est, primordiis narrantur apud P. Babenstuber, cujus verba dabimus infra in Miraculis num.* 135 *et seqq. Ait siquidem, sub annum Domini* 1134, *cum Danubius apud Ratisponam ponte nondum stratus esset, SS. archangelum Michaëlem et* Magnum, *hunc venerabilis senis habitu, illum elegantis oris juvenis, Danubium transmissos esse : atque in hujus rei perpetuam memoriam sacellum primum* S. Magno *excitatum fuisse, addito deinde monasterio. Verum si hæc reipsa se ita habeant, cur non æque S. Michaëlis, quam* S. Magni *memoriæ sacellum istud consecrarunt ? Porro idem scriptor subjungit, sacellum istud anno* 1633 *a Suecis Ratisponam obtinentibus eversum fuisse, creditumque fuisse eosdem hujus sacrilegii pœnas dedisse, cum anni proxime subsecuti* VI *Septembris, qui dies* S. Magno *sacer est, prope Nordlingam memorabili prælio victi cæsique sunt. Sunt et alia loca* S. Magno *consecrata, cujusmodi est monasterium virginum Chiebachense seu Kuebachense, in cognomine vico Bavariæ, quod Hundius in Metrop. Salisburg. tom. , pag.* 246, *initio seculi* XI *conditum arbitratur : apud Steinbachenses, in Suevia sacellum, prope Huglfingam in Bavaria parœciale templum, excitata* F *dicuntur infra in Miraculis num.* 89 *et* 134 : *sed pluribus supersedeo : libuit tamen hæc paulo fusius tractare, ut de insigni Sancti cultu manifesta indicia lector haberet.*

Quid censendum de posterioris primordiis? alia loca Sancto dicata

VITA

A

VITA

Auctore, ut fertur, Theodoro monacho Campodunensi *a*, ab Ermenrico Elewangensi aucta, et ab alio interpolata,

Ex Ms. S. Maximini Trevirensi, collato cum editionibus Henrici Canisii et Melchioris Goldasti, necnon cum sex aliis Mss. exemplaribus.

B

CAPUT I.

Sanctus Magnus inter monachos admissus a S. Columbano, suis meritis cerevisiam sistit, ne diffundatur: urso imperat, aves divinitus missas capit, ab angelo edocetur.

S. Magnus a S. Columbano b c d e f

Tempore illo, cum beatissimus Columbanus *b* simul cum beato Gallo nepote suo *c* diversa loca perlustrarent, et ad diffamandum verbum Dei, et peregrinandi causa in Hibernia *d* pervenirent, quidam frater, nomine Magnoaldus *e* ex præfata patria Hibernia *f* procreatus, pulsare cœpit aures beati Galli, discipuli sanctissimi Columbani, ita alloquens: Beate namque magister et domine, video vos in servitio Dei C tantum sollicitari, ut heremum concupiscentes, quantisper * ibi morantes feræ bestiarum, scilicet ursorum, bubalorum, luporum, multitudo frequentet, et ad vestrum imperium recedant *g*. Unde vestris vestigiis provolutus deposco, ut spretis faleramentis sæculi, et præsentium pompam facultatum contempnens, æterna præmia capere merear. Quod beatus Gallus cernens, eum videlicet ad pœnitentiæ medicamenta concurrere, et uniuscujusque * cœnobii septa, ubicumque Dominus juberet, per ejus orationem concupisci, visitare velle; beato Columbano hoc indicans, obtulit eum suis obtutibus, sciscitans ab eo consilium et voluntatem. Cui beatus Columbanus respondit: Pergentes, filii, ad heremum, voluntatem Dei probemus; utrum propositum animi arripias, an non *h*.

* al. aliquantisper
* al. uniusque

in eremo probatus, vitam religiosam amplectitur.

2 Pergentes ergo simul, tertium adolescentem nomine Soniarium * in comitatu sumunt, et ad destinatum in heremo locum pervenerunt, unius panis tantum cibo contenti. Cumque jam tertius transisset dies, nec aliquod panis fragmentum remansisset, horaque refectionis appropinquaret, imperantur a patre, ut per prærupta ruris eant, atqna ad ima vallis perveniant, et quidquid ad cibum opportunum reperiant, deferant. Ovantes illi icrunt per concava vallis, invenerunttque capturam piscium, olim a pastoribus consertam in amne, qui vocatur Lignona *i*, undique * obpositam. Quod inspicientes et Deo gratias agentes, sumentesque, quos reperierunt pisces *k* venerabili Patri præsentaverunt. At ille nempe Spiritu sancto plenus, noverat sibi passim a Domno dapes paratas, et cum gratiarum actionibus sumpserunt cibum, et post cibum iterum gratias egerunt Conditori. Quod inspiciens Magnoaldus, sequens beatum Gallum, læto animo promisit, se imperiis eorum pariturum, Domino * jugiter serviturum: quem vir sanctus Columbanus suis beatis manibus receptum in obedientia posuit, donatumque juxta magnificentiam suam nomen imposuit dicens: Magnum te faciat Dominus in sapientia et astutia, a cujus magno nomine Magnoaldus vocaris *l*. Et iterum addidit: Cognita tibi sint omnia ministeria monastica, a quibus cognomen habes * Magnoaldus. E

* Canisius Sonarium, Jonas Somarium
A. Theodoro, ut fertur, etc.
i
* al. undisque
k
* al. et Christo Domino
l
* al. habebis

Dum cellæ curam habet, cerevisia prodigiose servatur; m n o p

3 Factoque monacho tradidit ei clavem cellarii *m*. Statimque aperuit Deus voluntatem suam adversus beatum Magnoaldum *n* in isto miraculo patrato. Cumque jam hora refectionis appropinquaret, et minister refectorii, Soniarius nomine, cerevisiam administrare conaretur, vas, quod tiprum *o* nuncupant, ad cellarium deportavit, et ante vas, quo cerevisia condita erat, apponit, tractoque serraculo *p* meatus, in tiprum currere sinit. Quem subito patris imperio Magnoaldus Soniarium celeriter vocavit: at ille ardens obedientiæ igne, obserare meatum oblitus, pernici cursu ad beatum pergit Virum, et serraculo, quod duriculum * vocant, manu delato, ante conspectum Magnoaldi adstitit, videntibus sanctissimis viris Columbano et Gallo. Postquam autem sibi vir Dei Magnoaldus *q* quæ voluerat imperare, deprompsit, interrogavit eum: Quid est, quod tenes in manu tua? At ille, viso serraculo, recordatus negligentiæ, velociter ad cellarium rediit, æstimans nihil in vase, de quo cerevisia decurrebat, remansisse. Intuitus ergo vidit, supra tiprum cerevisiam crevisse, quatinus, qualis et quanta rotunditas infra tipri inerat coronam, talis in altum crevisse urna videretur *r*, et ne minimam stillam foras cecidisse. F

* l. duciolum
q
r

hinc oritur pium inter SS. Magnum et Columbanum certamen. s

4 Præfatus vero Soniarius illud miraculum inspiciens, ad pedes beati Magnoaldi accessit, narrans ei ea, quæ de sicera vidit. Ille pavore perculsus, quid agere deberent, ignorans, concitus perrexit ad Winigozum *s* presbyterum, eumque adsumens secum ad cellarium duxit, et omnia secundum narrationem pueri Soniarii invenit. Corruens ergo ad pedes ejus, ita locutus est: Domine Winigoze, quid dicturi sumus patri nostro beato Columbano, si hæc audierit? At ille respondit; Absit, Frater, ut misericordia Christi tanto viro patrique nostro celetur *t*: et concito gradu perrexerunt ambo, veneruntque ad pedes beati Columbani, et narraverunt ei omnia, quæ acciderant. Quibus beatus Columbanus ait: Fratres mei, hoc non meis meritis actum est; sed intercessione viri istius Magnoaldi: ille hoc audiens prostravit se ad pedes ejus, et dixit: Domine pater, noli hoc dicere: quia scio, pro vestris sanctis meritis hoc actum esse, non meis. Respondens beatus Columbanus dixit: Nam *u* ego vidi angelum Dei ante te præcedentem, quando Soniarium

t
u

A. Theodoro, ut fertur, etc.

rium vocabas: qui facto signo supra tiprum, stetit sicera in modum coronæ, sicut vidistis. O magnum divinæ potentiæ donum, qui adhuc neophito suo Servo tantam gratiam conferre dignatus est, ut jam Magnus inter fratres voceris. Ad hæc conticuit beatus Magnoaldus, gratias agens Deo in corde suo de tanta misericordia sua.

Poma carpere jussus, urso imperat, w

5 Eo itaque tempore *w* cum sub quodam scopulo inter vasta heremi jejunio corpus afficerent beatus Columbanus et Gallus, et nihil aliud præter ruris poma in cibos capere valerent, venit quadam die assueta abditæ * voracitatis fera ursus, cœpitque necessarios delambere cibos, ac passim poma ore distrahere *. Cumque jam hora refectionis advenisset, dixit sanctus Columbanus ad beatum Magnoaldum: Frater, tibi cognita sunt poma meliora; vade et defer nobis consuetam mensuram pomorum: qui cum abisset, ursum inter densarum * frutices rubosque perspexit, ac poma lambendo carpere: videns namque eum Magnoaldus, jussa patris implere volens, timuit valde; sed confortatus *x* in Domino, muniens se signaculo sanctæ Crucis, ait ad feram: In nomine Domini mei Jesu Christi sta paulisper, usque dum eligam poma, quæ fratribus * nostris sunt ferenda, et tibi partem ex aliis dem comedenti *.

* al. *melius* avidæ

* al. detrahere

* l. densos

x

B

* al. patribus

* Can. comedere *ne poma devoret.*

6 Mira in fera obedientia! severitatis quippe suæ oblita stetit, caput inclinatum tenens: tum ille divisit virga frutices rubosque, quæ poma ferebant; et elegit partem ex hiis, quæ juxta viri Dei imperium meliora erant ad opus suum ferenda; aliamque partem dedit feræ, ut comederet: et dixit ei: Comede ista tu, aliaque ista in usus sanctissimi viri Columbani et beati Galli reserva. Fera ergo tantæ obedientiæ exstitit, ut nequaquam ex prohibita sibi parte ausa esset carpere cibos; sed in segregata permissa sibi parte tantummodo pabula requisivit. Alia vero die iterum beatus Magnoaldus requirens poma, invenit salva et bene reservata, et gratias agens Deo, ait ad feram: In nomine Domini ita age cottidie: auditus * autem a fera, poma procul dubio salva reservavit quoadusque Vir Dei illo in loco commoratus est.

* al. audiens autem fera

C

Alimoniæ inopia laborantes, hortante Sancto, y

7 Quarta vero die *y* iterum Dominus cibum præbens suis discipulis, tanta copia avium advenit, ut omnem plagam loci illius alitum multitudo suppleret. Beatus vero Magnoaldus hoc videns, intellexit, ob necessitatem patris, suorumque a Deo has dapes terræ diffundi; et ait ad beatum Gallum: Jubeat pater hæc altilia capere ad usus fratrum, si placet; quoniam a Deo datæ sunt dapes. Hæc dicente eo ad beatum Gallum, ait beatus Columbanus: Tu Magnoalde, qui in nomine Domini urso jussisti reservare poma ad opus nostrum, fac iterum juxta tuum nomen magnum opus, et impetra a Deo, ut volatilia maneant, donec capiantur a fratribus ad usus necessarios. Ille ammirans, quomodo palam factum fuisset *z* beato viro de fera, tamen non audebat interrogare; sed jussu ejus prosternens se in orationem, cum beato Columbano pariter et Gallo orabat.

z

aves divinitus missas capiunt.

8 Erigens autem se abbas dixit beato Magnoaldo; Surge, præcipe capere aves: surgens Magnoaldus et gratias agens Conditori omnium, cœpit aves capere cum reliquis fratribus. Miraculum valde mirum et stupendum! Capiebantur aves prout patris imperium erat, nec abscedere pennigera fuga nitebantur, donec beatus Magnoaldus ait: Si placet patri nostro, habemus per triduum aves sufficienter, et ideo bonum est, ut recedant; sicque alitum phalanges jubet abire, et sumpto volatu, qui remanserant, recesserunt; sicque divina misericordia ex vicinis urbibus frumenti copiam per bonos viros *aa* in gyro manentes ad beatum Columbanum per manus felicis Galli et Magnoaldi direxit. D

aa

Angelus iter ad Slavos dissuadet. bb

9 Interea ruit cogitatio in mentem sancti Columbani, quatenus Sclavorum *bb* terminos adiret, eorumque cæcos mentes Euangelica luce illustraret, ac ab origine per avia errantibus veritatis viam panderet. Cumque hæc beatis Gallo et Magnoaldo narrasset, et ita patrari se velle profiteretur, beatus Gallus dixit Magnoaldo: Frater, quid tibi de illo itinere nostri abbatis videtur? Respondit; Domine magister, perquirite in primis Domini voluntatem, et postea si dignum duxeritis ad proficiscendum, proficiscimini. Hoc audiens beatus Columbanus, jussit triduanum jejunium fieri, Domini misericordiam implorans, ut eis indicaret suam voluntatem. Tertia vero nocte angelus Domini per visum illis tribus apparuit, et ambitu parvo, quasi solet paginali stylo orbis describi, circulum mundi compage monstravit, dicens: Cernitis, inquit, quod maneat totus mundus desertus: dicite Columbano: Perge dextra levaque, quæ legis *, ut comedas laboris tui fructum: non est tibi opus illuc properandi. Hæc audiens beatus Columbanus, intellexit similiter per visionem sibi monstratam, non esse gentibus * illis in promptu fidei profectum, et ideo quievit in loco, solummodo contentus tantum unius ministri Magnoaldi famulatu, donec aditus ad Italiam viam panderet *cc*. E

* *Canisius*, ubicumque eligas

* al. gentis illius

cc

ANNOTATA.

a *Quid de hac inscriptione censendum sit, fuse ostendimus in Commentario* § I *et seqq., ubi diximus, Vitam hanc ab imperito quodam interpolatore tot plagiis fartam esse, ut certe minima pars Theodoro adscribi queat. Damus tamen sub eo titulo, tum quod ita circumferatur, tum quod non improbabile sit, eam a Theodoro per modum elogii primum conscriptam fuisse, quam deinde Ermenricus Elewangensis, et post hunc alii auxerint et interpolaverint. Consule Comment.* § I *et seqq.* F

b *Colitur hic sanctus abbas Bobiensis* 21 *Novembris, quo die illum cum Romano Martyrologio daturi sumus. Videri interim potest Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis, sec.* 2, *ubi ejus Vitam tradit ex* Jona monacho Bobiensi fere æquali.

c *S. Gallus in prædicto Martyrologio annuntiatur* 16 *Octobris, ad quam de eo agemus. Acta ipsius, auctore Walafrido Strabone, abbate Augiensi, vide apud laudatum Mabillonium. Porro voces illæ* nepote suo *desunt in editione Melchioris Goldasti, et in uno Ms. Chiffletii: in reliquis, uti et in editione Henrici Canisii habentur. Mabillonio displicuisse videntur, dum elogium* S. Magni *texens, illas sic excipit:* Nemo id dixit: *sed non est hujus loci istud examinare.*

d *Anonymus S. Emmerami Ratisponensis cœnobita, qui, ut in Comment.* § I *ostendimus, hanc Vitam post medium seculi* XI *pro suo sensu correxit, hunc etiam interpolatoris errorem merito emendavit, in hunc modum:* In tempore

A re illo, quo beatus Columbanus sanctusque Gallus virtutibus magnificis pollentes, in Hibernia clarissimi habebantur, frater quidam, nomine Magnoaldus, ex eadem Hibernia oriundus, ad beatum Gallum accedens, ita eum alloquitur *etc. Et merito, inquam, sancti enim Columbanus et Gallus ex Hibernia oriundi, non in Hiberniam, sed ex Hibernia in Gallias peregrinati sunt: verum nec sic omnem errorem sublatum esse, mox apparebit.*

e *Jonas in Vita S. Columbani apud Mabillonium in Actis sec. 2, narrat, fratrem quemdam* nomine Autiernum *monachum Luxoviensem, cum a S. Columbano postulasset, ut in Hiberniam sibi peregrinari liceret, ab eo ductum fuisse in solitudinem, ut divinam voluntatem explorarent, ibidemque deficiente pane, ad Mosellam fluvium pisces opportune reperisse; verba dedimus in Comment. num.* 14. *Quæ omnia ineptus interpolator male distorta* Magnoaldo *in Hibernia adaptat.*

f *Sanctum nostrum verisimilius non Hibernum, sed Germanum fuisse, docuimus in Com-*
B *mentario* § 7.

g *Hæc periodus tam in excusis, quam Mss. exemplaribus vitiosa est: Ratisponensis vero anonymus eam prætermisit.*

h *Goldastus, Canisius, et unum Ms. legunt:* utrum desideratum arripias iter, an non: *quæ verba ex Jona deprompta sunt, in quo S. Columbanus Autiernum monachum sic alloquitur:* Pergentes in eremum voluntatem Dei probemus, utrum desideratum iter arripias, an in cœtu Fratrum permaneas.

i *Hic oblitus est interpolator, se cum SS. Columbano, Gallo et* Magno *in Hibernia versari:* Ligno *enim (vulgo* Loignon, *seu ut in aliis Tabulis legitur,* Lougnon*) Galliæ fluvius est in comitatu Burgundiæ. Unde in errorem hunc lapsus videri possit, vide in Comment. num.* 16.

k *Jonas, qui, ut monuimus, hæc omnia de Autierno narrat, ait, hunc cum Gallo et Somario quinque pisces reperisse, ex quibus cum tres, relictis duobus, qui mortui apparebant, ad Columbanum attulissent, ab eo increpitos fuisse, jussoque relictos quærere. Consule num.* 14 *in Commentario.*

C l *Editio Goldastina et unum Ms. habet* voceris. *Sed numquid jam prius non vocabatur* Magnoaldus? *Ita supra eum nominat dicens:* quidam frater Magnoaldus nomine.

m Cellarius *est, qui cellæ vinariæ et penui præest, sive cui cibi potusque ministrandi cura incumbit.*

n *Laudata editio et Ms. legunt:* statimque divinum in eo manifestatur miraculum.

o *Apud Canisium est* typrum: *Mabillonius in Vita S. Columbani num.* 25, *ubi hoc miraculum, suppresso nomine ministri, Jonas refert, legit* tybrum: *monetque in annotatis, in alia ejusdem Vita per anonymum conscripta legi* gillonem. *Est autem gillo vas figulinum vel vitreum ad potum excipiendum conflatum. Apud Cassianum lib.* 4 *Institut. cap.* 16 *dicitur:* Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, aut hujusmodi aliud casu aliquo fregerit, *etc.*

p *Per* serraculum *intelligit* paxillum, *ori epistomii insertum, quique educitur, cum e dolio promendus est liquor: infra* duciculum *vocat.*

q Magnoaldus *hic insertus est ab interpolatore: Jonas enim de S. Columbano loquitur.*

r *Varia hic occurrit lectio. Goldastus habet:* Intuitus ergo, vidit tiprum in tantum cerevisiam crevisse, ut non jam plus profunditatis in vase, quam supra vas cumulata altitudinis habere videretur. *Ms. nostrum ex antiq. codice bibliothecæ Augustanæ SS. Udalrici et Afræ in margine hæc monet:* Nota bene: hic *(in dicto codice)* margini tenuissima, sed antiquissima manu adscriptum, ex priori per Ermenricum conscripta Vita: „Cum autem cervisa defluens urnam sup„positam implesset, mirum in modum instar „coronæ super urnam excrescens stetit„. *Jonas, unde hæc deprompta sunt, ita scribit:* Intuitusque supra tybrum cervisiam crevisse, et nec minimam stillam foris cecidisse, ut crederes in longitudinem tybrum geminatum esse; ut qualis et quanta rotunditas infra tybrum inerat coronæ, talis in altum crevisset urna.

s *Goldastus et unum Ms. legunt:* Winiachum, *Canisius* Winniacum: *quis hic fuerit, ignoro. In sæpe laudata S. Columbani Vita, num.* 24 *et* 28, *quidam* Winnocus presbyter *memoratur, qui S. Columbano familiaris fuit: ex hoc forsitan* Winiachum *vel* Winigozum in presby- E
terum *fecit.*

t *Editio Goldastina addit:* qui absque nostra narratione, per spiritum et cum Deo omnia, quæ facta sunt, se cognovisse, lætatur.

u *Eadem editio cum Canisio et duobus Mss.:* Tace, frater, scio utique: nam ego vidi *etc. Porro totum hoc pium certamen et quidquid hoc num.* 4 *continetur, invenire non est apud Jonam, qui etiam hoc loco de* Magnoaldo *non meminit. Consule Comment. num.* 17. *Patricius Flemingus in Collectaneis S. Columbani, ad miraculum, de quo agimus, notat sequentia:* Hujusmodi olim in monasterio Sancti-gallensi exemplum contigit; cujus rei testes usque in hunc diem remanent versus aliqui in porta capituli, ubi tum loci cella vinaria fuerat, appensi. Perfecta obedientia sua imperfecta relinquit: *hæc ipse.*

w *Miraculum, quod enarrare aggreditur, secundum Jonam accidit, postquam S. Columbanus anno* 610 *Luxovio expulsus, prope Brigantium in Rhætia moraretur. Monuimus autem in Commentario, hoc prodigiosum in feram imperium a prædicto Jona adscribi Chagnoaldo: quare ne* F
actum agam, vide quæ ibidem disputavimus num. 18 *et seqq.*

x *Jonas scribit, Chagnoaldum, viso urso, ad Columbanum properasse, ab eoque redire jussum, prædictæ feræ tam mirabiliter imperitasse.*

y *Apud Jonam num.* 54 *miraculum hoc præcedenti præponitur, diciturque contigisse tempore* duræ egestatis,... cumque jam triduo jejunio fessa corpora essent: *sed nulla hic quoque de* Magnoaldo *mentio: vide dicta in Comment. num.* 23 *et seqq., ubi utriusque scriptoris discrepantem narrationem notavimus.*

z *Atqui tamen Jonas, ut supra lit.* y *diximus, diserte tradit, rem hanc conscio et jubente S. Columbano contigisse.*

aa Quarto deinde die (*verba Jonæ sunt*) quidam pontifex ex vicinis urbibus frumenti copiam, divina admonitus aspiratione, ad B. Columbanum direxit; sed mox Omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps advenit, alitum phalanges imperavit abire. *Quam parum fidelis sit interpolator noster, ex numeris lit.* y *citatis deprehendes.*

bb *Apud Jonam legitur:* Interea cogitatio in

A. Theodoro, ut fertur, etc. — in mentem ruit, ut Venetiorum, qui et Sclavi dicuntur, terminos adiret, *etc.*

cc *Quæ hoc numero* 9 *relata sunt, paulo aliter narrantur a sæpe dicto Jona: consule Commentarium num.* 25.

CAPUT II.

Mora in regno Theodeberti: pugna inter hunc et Theodericum: Theodeberti cædes, pœna Theoderici et Brunichildis: profecto in Italiam S. Columbano, SS. Gallus et Magnus permanent in Germania.

B *S. Columbanus cum suis a Theodeberto benigne exceptus*

Interea orta est lis inæstimabilis inter Theodericum *a* regem et Theodebertum *b*, utrisque gentium robore in invicem superbientibus. Inter quæ vir Dei ad Theodebertum venit *c*, eumque suis sedibus atque intra suos fines libentissime recepit, deditque ei optionem, quacumque in parte voluisset, experimento quærere locum, qui sibi suisque placeret ad habitandum: inquisitoque loco, audivit a beatis viris Gallo et Magnoaldo, qui jam perlustrata habebant spatia locorum, locum laudabilem fore intra Germaniæ terminos, situm in Alemannia circa Renum fluvium, oppidumque olim dirutum, quod Brigantiam *d* nuncupabant; quem procul dubio ratum ducebant fore, ut impetratur a rege, et partem saltus ipsius juxta ipsum oppidum stantem, ubi apta loca invenire quiverant ad manendum. Dedit ergo eis rex juxta petitionem beatorum Columbani et Galli atque Magnoaldi, præfatum oppidum, locaque vasta intus in saltu consistentia, sed non plurima nisi pauca, ubi invenire potuissent apta loca ad cellulam construendam.

C *in ipsius regno cellas exstruit.*

11 Sicque per alveum Reni navigantes pervenerunt Magontiam, ibique ab episcopo *e* ipsius loci sumptibus necessariis suffulti, sicut in beati Columbani Vita continetur, pervenerunt ad præfatum oppidum, et ibi morati sunt exspectantes eventum rei inter Theodericum et Theodebertum. Beatus vero Magnus cum beato Gallo, relictis Fratribus, cum beato abbate, qui jam ex Luxovio venerant ad eum quasi ab hostium præda *f*, ingressi sunt in saltum, et in eo huc illucque pergentes, diversa loca circueuntes, reppererunt intra ipsius saltus terminos loca venusta et famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximasque nationes undique haberi ad prædicandum. Reversi ergo iterum ad virum Dei sunt, et laudantibus eis loca, quæ invenerunt, vir Dei ait: Ovantes * illuc, moremur aliquod temporis spatium ibi, et construamus cellulam, usque dum Dominus det nobis aditum proficiscendi in Italiam. Perrexerunt ergo ad locum, unde beatus Gallus ortus erat, id est circa lacum Turicinum *g*: inde perovantes ad locum antiquum destructum, qui vocatur Arbona *h*, ibique morati sunt, construentes cellam et exspectantes eventum inter Theodericum et Theodebertum. D

* *i. e.* lætanter euntes

Pugnam inter reges SS. Columbanus et Magnus absentes intuentur.

12 Dum hæc agerentur ab illis *, inter Theodericum et Theodebertum ortum est bellum inter eos juxta Tulbiacense *i* castrum, ibique prælio inito, innumera hominum multitudo ex utroque exercitu perierunt: victus tandem Theodebertus fugit. Ea ergo hora, qua apud Tulbiacum bellum commissum est, vir Dei Columbanus, operantibus discipulis Gallo et Magnoaldo cum cæteris Fratribus, qui ex Luxovio venerant, supra truncum quercus sedens librum legebat; quem sopor oppressit subitus, dormiensque, quid inter duos reges ageretur, vidit: expergefactus ministrum vocat Magnoaldum *k*, qui et Magnus, cruentamque regum pugnam indicat, et humanum sanguinem multum fundi suspirat. Respondit Magnoaldus, qui et Magnus, prostratus ad pedes ejus: Et ego pater domine, sopore oppressus jacebam subter unam arborem abietis, et videbatur mihi, simul eos conflictum inter se habere: arreptoque baculo, volebam percutere Theodericum, et liberare Theodebertum: sed prohibuit me species quædam dicens: E Non est tibi necesse eum percutere, quoniam Dominus cito vindicabit magistrum tuum Columbanum de eo in interitu ignis. Illico evigilans festinabam huc ad vos venire, et narrare hanc visionem, vos me interim vocantem audivi *l*. Dum ergo mirarentur ambo de iis visionibus, alius minister astans Eunuchus *m* nomine, temerario conatu ait; Pater mi, tuis precibus præbere deberes suffragium Theodeberto, ut hostem communem Theodericum debellare queat. Cui beatus Columbanus ait; Stultum ac religioni nostræ alienum administras consilium: non enim Dominus ita vult, qui nos pro inimicis nostris orare præcepit: et Magnoaldus ait; Vere Domine vestra sanctitas bene de hoc sentit; quoniam in arbitrio justi Judicis esse debet, quid de eis fieri velit.

* Goldast. addit seditione firmata

Mors Theodeberti divina vindicta in Theodericum supplicium Brunichildis: Clotharius rex.

13 Theodoricus vero persecutum Theodebertum apprehendit, et ad aviam Brunichildem *n* direxit, ipsaque eum clericum factum, non post multos dies impie nimis perimi jussit *o*. Theodoricus itaque morans penes Metense *p* oppidum, divinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia *q* mortuus est, et beatus Columbanus a Deo * vindicatus. Porro Lotharius, collecto exercitu, fines regni, quæ suæ ditioni debebantur, præcepit *, perempto Sigeberto, qui ei resistere volebat, cum quinque filiis Theoderici *r*; Brunichildem vero captam indomitorum equorum caudis ligatam, miserabiliter vita privavit *s*: memor vero prophetiæ viri Dei *t*, funditus radicitusque deletam Theodorici stirpem *, trium regnorum solus potitus est monarchia. Cognoscens quippe in hoc facto, viri Dei beati Columbani prophetiam in omnibus impletam fore, præfatus Lotharius voluit beatum Columbanum magnis honoribus ditare *u*: Sed ille hoc respuens, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingressus est, ubi ab Egilolfo Longobardorum rege honorifice susceptus est, largita ei optione, ut infra Italiam quocumque in loco voluisset habitaret. F

* *Can.* cælitus

* *al.* recepit

* *al.* delata stirpe

S. Columbano in Italiam proficiscente, S. Gallus

14 Qualiter autem beatum Gallum et Magnoaldum discipulos suos in Alemannia reliquit, non est silendum, quoniam hoc Dei consultu actum est. Peragratis igitur locis circa lacum Turicinum, et pervenientibus ad caput laci ipsius in

A in locum, qui Tuconia *w* dicitur; inde venerunt ad lacum Brigantium, qui nunc Constantiensis dicitur *x*, ad præfatam cellulam, quam apte construxerant, prædicantes populo Christum colere, et simulachra vana et surda in frusta comminuere: ob quam causam zelo diabolico populus inflammatus propter simulachra diruta in frusta comminuta, cœperunt cum Sygeberto *y* principe tractare, ut eos a finibus suis ejiceret. Egit hoc arte sua diabolus, ut populum, quem in præsentia lucis per prædicationem beatorum virorum amittere cœpit, discedente sanctitatis fulgore, tenebris occuparet antiquis. Igitur sancti viri moleste ferentes, quod sede pellerentur amabili, consilio communi inito, Italiam petere decreverunt, relinquentes beatum Gallum et Magnoaldum cum nonnullis aliis clericis *z*, ita dicentes: Deus, cui servimus, angelum suum mittat nobiscum, qui nos perducat ad Egilolfum regem Longobardorum, ubi ejus clementia præparante humanos affectus, et plenum habitationis locum inveniamus; vos autem æquo animo estote fratres.

cum S. Magno et Theodoro in Germania permanet:

B 15 Igitur cum jam proficiscendi tempus instaret, beatum Gallum repentina febris invasit; pro qua re advolutus abbatis sui pedibus indicat, se infirmitate vehementi laborare, ideoque propositum iter non posse perficere; ille vero existimans, eum pro laboribus ibidem consummatis amore loci detentum, viæ longioris detractare labores, dixit ei: Scio, frater, jam tibi onerosum esse tantis pro me laboribus fatigari: tamen hoc discessurus denuntio, ne me vivente in corpore, Missam celebrare præsumas: et cum ei licentiam per se conservandi dedisset, viam ingressus est *. Audiens hoc Magnoaldus *aa* procidit ad pedes ejus et dixit: Domine pater, quid me vis agere? Si reliquero eum absque adminiculo, destitutus erit et deficiet; tamen sequar te, si volueris, ipso relicto, sicut Petrus secutus est Dominum, relictis retibus suis. Respondit ei beatus Columbanus: Scio, te Magnoalde, magnum futurum esse, et lucrari Deo ex populis Orientalibus *bb* plurimum; ideoque nolo te mecum proficisci *, sed relinquo te et Theodorum fidelissimum * nostrum, Galli obsequiis parituros, ut cum omni diligentia ejus recuperationi serviatis. C Dico tamen tibi, Magnoalde, quid te volo esse acturum, et quomodo cum eo morari debeas: futurum est enim, ut peractis aliquot diebus, diaconatus officium ab episcopo Constantiensi accipias.

* Can. et Gold. addunt: abeundi

* al. noli mecum proficisci

* Can. felicissimum

S. Columbanus S. Magno varia prædicit

16 Sic volo, ut moreris cum Gallo, usque dum tempus veniat, me ut hac luce discessurum. Itaque si fieri potest, ad me ægrotante, tibique Spiritu sancto revelante, ad me venire potueris, gratum mihi est; alias mihi defuncto quoquo modo sic Domino annuente, revelatum fuerit, accelerare festina ad sepulchrum meum, et ad confratres meos, et inde accipies epistolam meam et cambutam *cc*, quam affer Gallo, ut eum absolvas a meo judicio. Nuntio autem tibi, quia defuncto Gallo, post triennium *dd* vastandum erit sepulchrum ejus a raptoribus, te et Theodoro inspiciente, et ut hoc actum fuerit, restaurato sepulchro ejus, sic properare festina ad locum, ubi auditum habemus, quod sanctus Narcissus *ee* episcopus diabolo præcepit draconem interficere; ibique Domino opitulante, plurimos ad fidem convertes, animas eorum Domino lucraturus eas, atque habebis ibi nomen tibi a Deo impositum, sicut te sublimare vult, et vocaberis a populo terræ illius Magnus *ff*, propter fidem, quam prædicaturus eris, convertens eos ex inanitate et cultura dæmonum ad fidem Christi. Ibi enim occurrent tibi dæmones mala multa tibi ingerentes; sed tu confortatus eris a Domino, qui te illuc deputavit ad morandum atque manendum: et his dictis, profectus est.

A. Theodoro, et fertur, etc.

ANNOTATA.

a Theodericus I *patri suo Childeberto Austrasiæ et Burgundiæ regi, anno* 596 *defuncto, in Burgundiæ regnum successit.*

b Theodebertus *itidem* II, *præfati Childeberti filius, paternum Austrasiæ regnum anno* 596 *obtinuit.*

c *S. Columbanus, idque anno* 610 *secundum Mabillonium in Annal. ad hunc annum num.* 49.

d *Brigantium oppidum Germaniæ est in Suevia, comitatus cognominis caput, incolis* Bregentz *dictum. Situm est ad lacum Brigantinum, alias Podamicum et Constantiensem, Germanis* Bodenzée *et* Constantzer-zee *appellatum. In Itinerario Antonini Pii per Simlerum edito,* Brigentia *et* Brigandia *nuncupatur.* Augusta Vindelic. M. P. XXVII. Rostro Nemaniæ. M. P. XV. Campoduno M. P. XXXII. Væmania M. P. XVI Brigandia M. P. XXIIII. Arbore felice M. P. XX. *Folio autem* 142: Vemania M. P. XV. Brigantia M. P. XXIIII. Arbore felice M. P. XX. *Canisius in Vita Sancti perperam legit* Prigantium.

E

e *Videtur is Leonisius seu Leunisius fuisse, quem Galliæ Christianæ scriptores tom.* 5 *novissimæ editionis, hoc tempore Moguntiæ sedisse, statuunt. Porro qua ratione præfatus episcopus S. Columbano et sociis inopia laborantibus succurrerit, legi potest in sæpe citata S. Columbani Vita num.* 52, *ex qua more suo hæc mutuatus est interpolator: quod et hic ipse fatetur, dicens:* Sicut in beati Columbani Vita continetur. *Notandum tamen, hanc periodum et quidquid de navigatione hic dicitur, desiderari in editione Goldastina: unde suspicio esse possit, ea ab alio quodam interpolatore intrusa fuisse.*

f *Id est, opinor, qui Luxovio, belli metu aufugerant.*

F

g *Goldastus et unum Ms. legunt* Brigantinum, *reliqua* Turicinum, *et ita etiam est apud Walafridum Strabonem in Vita S. Galli. De Brigantino egimus supra lit.* d. *Per* Turicinum Tigurinus *Helvetiæ lacus, indigenis* der Zuricher-zee *denotatur, mutata littera* T *in* Z. *Ita hic locus Strabonis explicatur apud Goldastum Alamannicarum rerum tom* I, *parte* 2, *ubi inter cetera hæc reperio:* Veteres Alamanni τὸ T mutare amabant in Z. Turcinum, Zurich; Tabernæ, Zabern; Duræ aquæ, Zurzach. *Lacus autem hic a præfato oppido Tiguro, quod ipsi adjacet, nomen sortitus, ex adverso opponitur lacui Brigantino, qui interjectam Turgeam, Helvetiæ tractum, ad Ortum disterminat. Sed quomodo ex hoc loco beatus Gallus ortus erat, quem constat hibernum fuisse? Forte id verius de* S. Magno *asseruisset. Adverte tamen, errorem hunc in Goldastina editione minime reperiri.*

h Arbona, *olim* Arbor felix, *de qua supra ex Itinerario Antonini, lit.* d, *castrum est ad prædictum Brigantinum lacum.*

i Tulpiacum *et* Tolbiacum *oppidum olim Ubiorum, nunc oppidulum Germaniæ,* incolis

Zulch,

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

Zulch, *in ducatu Juliacensi, sed juris Coloniensis ad Nafelam amnem situm est,* x mill. pass. a Colonia Agrippina in Occasum, uti XVI a Bonna, Aquisgranum versus XVIII, *inquit Baudrandus in Lexico. Porro Fredegarius in Chronico ad annum* 612 *scribit, inter Theodericum et Theodebertum bis pugnatum fuisse, ac primo quidem prope Tullum : unde Theodebertus ingenti clade affectus, fugit : deinde apud Tolbiacum, ubi Theodebertus novis copiis auctus Theodericum denuo infeliciter aggressus, cæso exercitu suo, e fuga retractus in Theoderici manus venit. Eadem habes apud Jonam in Vita S. Columbani, num.* 57.

k *Jonas loco citato diserte scribit, solum Chagnoaldum ipsi adfuisse. Audi ipsum :* Eo igitur tempore vir Dei in eremo morabatur, contentus tantum unius ministri Chagnoaldi famulatu. *Hinc statuat lector, quid de* SS. Magni, *Galli et Luxoviensium monachorum præsentia judicandum sit.*

l *Nihil de hac* Magnoaldi *visione apud Jonam reperire est.*

B m *Editiones Goldasti et Canisii uti et anonymus Ratisponensis legunt,* Eunochus : *Jonas autem hæc Chagnoaldo ministro attribuit, quo, ut monuit, tum solo ministro utebatur Columbanus. Verba dedimus in Comment. num.* 21, *quem consule.*

n Brunichildis *Athanagildi Hispaniarum regis filia, Sigeberto* I *Austrasiæ regi nupta, ei Childebertum genuit, qui in paternum regnum sub tutela ejusdem Brunichildis matris suæ anno* 575 *successit. Childebertus filios habuit Theodebertum et Theodericum, quorum primo Austrasiæ regnum, alteri Burgundiæ reliquit. Porro Brunichildis, teste Fredegario cap.* 19, *ab Austrasia ejecta, a Theoderico nepote suo benigne excepta est, cujus deinde partibus adversus Theodebertum favit.*

o *Audi Jonam :* Persecutus est Theodebertum Theodericus, et suorum proditione captum ad aviam Brunechildem direxit : quem cum avia recepisset, quia Theoderici parti Brunechildis favens erat, furens Theodebertum fieri clericum rogavit : at non post multos dies, impie nimis post clericatum perimi
C jussit.

p Metæ *seu* Mettæ, *urbs Mediomatricum, vulgo* Metz, *vetus regum Austrasiorum sedes, condita est ad Mosellam fluvium, ubi Saliam recipit. Plura de hac urbe curiosus lector inveniet apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum.*

q *Ita etiam Jonas, unde hæc excerpta sunt : at Fredegarius in Chronico cap.* 39 *ait :* Theudericus Mettis profluvio ventris moritur. *Mortem hanc, qualiscumque fuerit, interpolator noster Theoderico incussam insinuat ob expulsum e regno suo S. Columbanum.*

r *Hanc tragicam historiam pluribus enarrat laudatus Fredegarius, ex quo eam compendio accipe. Spoponderat Theodericus Clothario Suessionum regi ducatum Dentelini, sive Denzelini, se daturum post devictum Theodebertum, ea lege, ne huic suppetias ferret. Itaque cæso Theodeberto, Clotharius ducatum illum, qui sibi ex pacto debebatur, occupat : opponit se Theodericus : sed dum contra eum exercitum educit, Metis moritur. Mox Brunichildis Sigebertum Theoderici filium in patris solium subrogat, qui cum Clothario confligens, a suis proditus, captusque, Clotharii jussu interfectus est. E Sigeberti fratribus alterum Childebertum victoris manus fuga evasisse, duos alios Corbum et Meroveum pariter captos tradit, et Corbum quidem enecatum, Meroveum autem fido custodi commissum plures post annos superfuisse. Hinc corrigendus videtur Jonas, dum Sigebertum,* fratresque ejus quinque Theoderici filios *a Clothario peremptos tradit.* D

s *Brunichildis supplicium idem Fredegarius cap.* 42 *his verbis describit :* Per triduum eam *(Clotharius)* diversis tormentis adfectam jubet prius camelo per omnem exercitum sedentem perducere; post hæc coma capitis, uno pede et brachio ad vitiocissimi *(alii* ferocissimi) equi caudam ligare : ibique calcibus et velocitate cursus membratim disrumpitur.

t *S. Columbani, qui apud Jonam num.* 48 *monarchiam ipsi prædixerat.*

u *Ista perperam huic loco inserit interpolator, quæ Jonas post Columbani in Italiam discessum narrat. Ait siquidem num.* 59 *Columbanum, cum cæso Theodeberto, hujus ditiones in potestatem inimici sui Theoderici redactas videret, in Italiam profectum et ab Egilolfo Longobardorum* E
rege benigne exceptum fuisse. Deinde num. 61 *scribit, Chlotarium jam monarcham, vatis sui Columbani minime immemorem S. Eustasio Luxoviensium abbati mandasse, ut ei reditum ex Italia suaderet : ad quæ omnia noster Pseudo-Theodorus non satis advertit. Ceterum hucusque* S. Magni *Acta consarcinata sunt ex Jona S. Columbani biographo : quæ sequuntur, maximam partem deprompta sunt ex Walafrido Strabone, biographo S. Galli.*

w *Goldastus in glossis ad Vitam S. Galli ait, Tucconiam hodie* Tugium, *indigenis* Zug, *vocari. Est autem Tugium Helvetiæ oppidum, Tugiensis pagi caput, colli impositum ad lacum cognominem, habetque ab Ortu Lucernam, a Meridie Tigurum, distans ab hoc* 18 *mill. passuum, ab illa vero* 12, *teste Baudrando in Geographia.*

x *Canisius habet :* qui tunc Constantiensis dicebatur. *Utraque lectio, quæ interpolatoris operam manifestat, in Goldastina editione deest.*

y *Ænigma est, quem hic Sigebertum principem designet. Certe non potest hic intelligi Sigebertus Theoderici II filius, qui, Fredegario teste, anno* VII *vel* VI *regni patris sui, adeoque* F
Christi circiter 601 *aut* 602 *natus, anno* 613 *jussu Chlotarii, interfectus est vix duodennis. Walafridus in Vita S. Galli, apud Mabillonium in Actis sec.* 2, *pag.* 234, *ubi hanc persecutionem latius describit, pro Sigeberto habet* ducem Gunzonem : *de utroque infra cap.* 3 *sermo redibit.*

z Relinquentes B. Gallum et Magnoaldum cum nonnullis aliis clericis, *desideratur in editione Goldastina. Desunt hinc inde et aliæ minutiæ, quas imposterum præteribo.*

aa *Quæcumque hic de* S. Magno *ac Theodoro usque ad num.* 17 *referuntur, verisimilius ab interpolatore conficta sunt, ut colligere licet ex dictis* § 3 *a num.* 28, *et* § 7 *num.* 75 *et seq.*

bb *Suevos intelligit, qui Austriæ regibus parebant.*

cc *Goldastus habet* cambocam, *Walafridus in Vita S. Galli,* cambottam, *Babenstüber* cambattam : *omnes baculum significant. Sed num pastoralem, an viatorium? Nil obstat, quominus utrumque fuisse dicamus, nam si quid Sancti nostri biographo, aut ejus interpolatori credimus, eo certe in suo ad Fauces itinere usus est.* Quin

A *Quin et Thomassinus De veteri et nova Ecclesiæ disciplina, parte* I, *lib.* 2, *cap.* 58, *num.* 2 *de pastoralibus baculis episcoporum agens, conjicit*, ejusmodi baculos, seu regum, seu episcoporum manu gestarentur, vere baculos illos ipsos fuisse, quibus gradum fulciebant, ubi longum emetiendum erat iter; ideoque nec materiæ ejus pretium, nec formæ artem, curæ magnopere fuisse. *Talis igitur S. Columbani baculus fuisse videtur. Quod spectat ad vocem* cambuttam *sive* cambottam *etc., Cangius in Glossario eam a voce* cam-bot *vel* bot-cam, *quæ Armoricanis Britonibus, inquit, est* ramus a summitate recurvus, *deducendam monet. Nec inficior : verumtamen, an hic baculus, de quo agimus, extremorum alterum incurvatum habuerit, nec asserere nec negare possum. Dedimus eum, qualis nunc in Fuëssensi abbatia asservatur, in Comment. pag.* 725, *num. autem* 124 *eumdem descriptum reperies.*

dd Post triennium *etiam habent omnia exemplaria tam Mss., quam excusa : ita etiam legit anonymus Ratisponensis seculi* XI : *at Walafridus in Vita S. Galli apud Mabillonium scribit,*
B *eam sepulcri violationem post quadraginta annos a S. Galli obitu contigisse : Vide dicta in Comment.* § 5, *num.* 53 *et seq.*

ee *De S. Narcisso episcopo et martyre actum est tom.* 2 *Martii ad diem* 18. *Quod spectat ad draconem jussu ejusdem Sancti a dæmone intersectum, et quid de hac mirabili historia sentiendum sit, consule Acta S. Afræ martyris, tom.* 2 *Augusti die* 5, § 2 *Commentarii, et in annotatis ad cap.* I *Conversionis prædictæ S. Martyris. Videri etiam meretur Marcus Velserus in Commentario ad Conversionem S. Afræ, a notatione* 89.

ff *Quantopere laborat auctor, ut Sancto nostro nomen* Magnoaldi *et* Magni *a S. Columbano impositum persuadeat ! Cap.* I, *num.* 2 *Columbanus ait, illum a magno Dei nomine* Magnoaldum *vocandum : paulo post idem vocabulum a ministeriis monasticis ei tribuit : nunc ab apostolico munere* Magnus *appellandus prædicitur : cap.* 4, *num.* 35 *in itinere Campodunensi ob illuminatum cæcum*, ab incolis terræ illius vocatus est Magnus.

C

CAPUT III.

S. Gallus cum S. Magno et Theodoro ad Willimarum divertit; energumenam liberat, mittit S. Magnum in Italiam.

SS. Gallus et Magnus ad Willimarum presbyterum divertunt : a b c

Post *a* ejus quoque discessum Gallus retia sua et sagenam navi imponens, cum duobus clericis suis Magnoaldo et Theodoro *b* ad Willimarum *c* presbyterum venit; qui susceptus ab eo et cum omni diligentia suis adminiculis præparatis, a Magnoaldo et Theodoro procuratus est. Transactis aliquot diebus, Domino medelam impertiente, qui verus est medicus, cœpit sumere cibos, sicque per incrementa recuperationis temporum confortatus, pristinæ est sanitati restitutus. Beatus vero et felix a tanto languore liberatus, cœpit laborare in populo, ut eis viam veritatis ostenderet, et animarum morbos sua sacra prædicatione depelleret. Investigato a quodam diacone nomine Hiltiboldo *d*, qui omnes semitas heremi ipsius notas habebat, invenit locum spatiosum et planitie formosum atque bene aptum ad manendum, circumquaque per gyrum montes excelsos, torrentemque optime fluentem ; sed et feris ac bestiis atque serpentibus, nec non et diabolicis habitationibus plenum.

A. Theodoro, ut fertur, etc. d

18 Assumens ergo secum duos discipulos beatum Magnoaldum et Theodorum *e*, ad ipsum locum pervenit, cooperanteque divina gratia suis sanctis intercessionibus Magnique sui pedissequi, locus ille a feris et vermibus seu diabolicis habitationibus mundatus est; et cella facta, cœperunt ibi habitare et Deo servire. Porro beatus Magnoaldus, expulsis a sancto Gallo ab illo loco dæmonibus, perrexit rursum in montem, qui vocatur Himilinberg *f* : ibique inveniens ursum, præcepit ei in nomine Domini, ut abscederet, et continua audita ejus voce, discessit *g*. Nuntians itaque hoc beato Gallo, retulerunt pariter gratias Domino, qui salvat sperantes in se. Interea illis ibidem commorantibus, nuntius venit ad præsbyterum indicans, Constantiensem episcopum nomine Gaudentium *h* de hac vita migrasse : et hoc audito, unanimes pro requie pastoris precibus instituerunt et lachrimis.

deinde in Eremum secedunt. e f E *g h*

19 Denique non post multos dies epistola cujusdam nomine Gunzonis ducis *i* venit ad Beatum Gallum postulans, ut quantotius properaret ad eum, veniensque filiam *k* ejus, quæ illi erat unica, et a maligno spiritu invasa, a dæmonio liberaret. Ille vero omnino interdixit, dicens, tale quid acturum se esse indignum : et ideo refutavit venire. Iterum atque iterum præfatus dux deprecans per legatos vel epistolas * eum accelerare, indicavit, jam continuato puellam triduo sine alimonia perdurare; et nisi celeriter veniret, ipsa spiritum cum diabolo exhalaret. Hæc igitur audiens beatus Gallus prostratus in oratione diutissime oravit, et confisus de Dei misericordia et pietate, sumens secum duos discipulos suos Magnoaldum et Theodorum, surgens profectus est post legatos, et venit ad ducem *l*.

S. Gallus semel iterumque rogatus i k

* vel epistolas *deest in Can.*

F *l*

20 Domino igitur gratias referens, vidit puellam a maligno spiritu valde conturbari ; et orante beato Magnoaldo, imperavit beatus Gallus dæmonio in nomine Domini, ut exiret; et recessit in similitudinem avis nigerrimæ cum fœtore nimio, atque eadem hora apprehendens manum puellæ, elevavit eam, et surrexit sana, redditaque est matri cum gaudio. Manifestavit autem Dominus in hoc signo, cujus meriti erant beatus Gallus et Magnoaldus, typum sequentes beatorum apostolorum Petri et Pauli, ut sicut, orante beato Paulo apostolo, Petrus dæmonibus, qui ferebant Symonem magum in aera, imperavit, ut eum relinquerent, et relictus cecidit, sicque divisa sunt omnia viscera ejus, mortuusque simul cum dæmonibus ad inferna deductus jacet *m*, ita et isti : orante enim Magnoaldo, et imperante Gallo, dæmon a puella abscessit.

filiam ducis Gunzonis energumenam liberat : m

21 Hiis ita, Domino annuente, patratis dux jussit ei dona offerri magna, et insuper ut gradum pontificalis *n* officii dignaretur assumere, postulavit. Cui vir beatus ita respondit : Ecce testis

oblatum propterea episcopatum recusat. n

A. Theodoro, ut fertur, etc.

testis meus, mihique valde amabilis Magnoaldus scit, qui hoc vidit, quod altaris officium interdixit mihi beatus Columbanus magister; et hoc usurpare non audeo nisi ab eo permissus, ipso vivente : qua de re pondus hujus regiminis, quod offers, suscipere non possum. Verumtamen si hoc indubitanter fieri cupis, sustine me interim, donec præsentem Sodalem meum cum epistola mea mittam ad abbatem meum, beatum Columbanum; et si cognovero ejus voluntatem et licentiam habuero, tunc demum oblatum onus curæ pastoralis a te suscipiam. Et dux ad eum; Fiat, inquit, secundum verbum tuum. Sicque susceptis donis ei a duce oblatis, dux dimisit eum in pace.

donaque egenis distribui jubet, et cellam exstruit.

22 Vir ergo Dei Magnoaldus sumens, quæ donata fuerant, detulit ad navim, impositisque humeris discipulorum suorum, Theodoro et Othmaro *o*. Venerabilis autem Pater impetravit a duce, ut juberet Arbonensi præfecto solatium ei præbere ad conficiendam cellulam suam; et continuo dux, tam manifesto compunctus indicio sanctitatis ejus, jussit omnia fieri, quæ poscebat, B et construi cellam juxta suam dispositionem. Valedicens vero Pater duci recessit, ascendensque navim, venit ad castrum Arbonense: et præcepit Magnoaldo, ut faceret convenire omnes pauperes, quoscumque invenire posset, et dona, quæ a duce data detulerat, illis distribueret. Cui beatus Magnoaldus dixit : Pater, omnia, quæ præcipisti, libenti animo complebo : sed habeo vas argenteum pretiosum; vis, ut servem illud, ut sacrum vas ministerii ex eo faciamus? Ille respondit : Fili, vas, quod possides, cum ceteris pecuniis pauperibus conferre curato, ne contrarius inveniaris exemplo salubri, in memoria retinens beati Petri apostoli sententiam, quam paralitico postulanti pecuniam protulit; Argentum et aurum non est mihi. Hæc audiens beatus Magnoaldus gratias agens Deo de tanti viri jussione, omnia pauperibus erogavit. Et hiis expletis reversi sunt ad dilectæ solitudinis locum, et cœperunt construere cellulam *p* cum ingenti prudentia.

Idem Sanctus Joannem, quemdam diaconum consecrari episcopum,

23 Nam non multo post tempore misit *q* epistolam beatus Gallus ad Joannem diaconum, rogans eum ad se venire. Qui cum venisset ad eum, erudivit eum divinæ libris scientiæ, et cooperante gratia Dei, constituit eum coram duce plenum scientia et virtute, atque divinarum Scripturarum intelligentia, dicens : Hic est indigena vicinorum locorum, cui merito potest C testimonium aptari, quod sancto viro * decet : divino eum credens electum judicio, vobis offero promovendum. Cumque hac attestatione vir sanctissimus Joannem laudaret, dux eum cum electione populi et congregationis et ceterorum episcoporum diutissime laudibus prosecutus, pontificatum Constantiensis civitatis ei tribuit. Qui a vicinis episcopis ductus ad altare, solempni benedictionis officio eum consecraverunt antistitem *r*.

* *al.* sanctum virum

S. Magnum vero diaconatu initiari curat.

24 Doctor itaque venerabilis, hiis perpetratis, memor sancti viri prophetiæ Columbani de diaconatus officio beati Magnoaldi; futurum a Constantiensi episcopo fore *s*, inter multa salutiferæ consolationis verba hæc sæpius narravit, ut beatum Magnoaldum qui erat jam cum eo omnium veneratione sublimis, congruo tempore adveniente initii Quadragesimalis jejunii primo Sabbati jejunio perpetrato, divino eum commendaret judicio ad diaconatus officium peragendum. Cui Joannes episcopus ita respondit : D Magister, paterna sollicitudine mecum hiis diebus relinquite, ut adveniente jejunio Quadragesimali quatuor temporum futuri, faciam, quod hortaris. Quo audito, beatus Gallus paterno honore omni necessitatum subsidio relinquens * cum justissimo Magnoaldo, ingenti venerabilis Patris familiaritate confisus, eum multiplicato commendavit amore. Adveniente autem sancta solemnitate venturæ Quadragesimæ, beatus Magnoaldus accepta a Joanne antistite sacra benedictione diaconatus officii, reversus est cum gratiarum actionibus Deo relatis ad cellulam patris sui sanctissimi Galli *t*.

* *supple* Joannem

SS. Gallus et Magnus monasterium condunt, priori mors S. Columbani revelatur :

25 Cœperunt autem tunc temporis beatus Gallus et Magnoaldus ædificare ecclesiam, construere monasterium, mansiones per gyrum ad commanendum fratribus præparare, suffulti Sigiberti *u* regis adjutorio et ducis Gunzonis. Construxeruntque monasterium miræ magnitudinis *w*, fratres sibi coadunatos doctrina et exemplis ad æternorum desideria concitarunt, Othmarum *x* puerum Alamannorum genere curiose nutrientes, E atque juxta doctrinam magistri Columbani, disciplinam Grammaticæ artis, seu ceterorum librorum divinorum, eum erudientes, magistrum scolæ constituerunt. Die itaque quadam dum post laborem matutinalis officii, quiescendi gratia lectos suos reviserent, primo diluculo vir Dei vocavit Magnoaldum diaconum suum, dicens illi; Instrue sacræ oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille; Num, inquit, tu Pater Missam celebrabis? Dixit ergo ad illum : Post hujus vigilias noctis cognovi per visionem, dominum et patrem meum Columbanum de hujus vitæ angustiis hodie ad Paradisi gaudia commigrasse *y* : pro ejus itaque requie sacrificium salutis debeo immolare.

hinc Missam celebrat, et S. Magnum ad monsterium Bobiense mittit,

26 Et signo pulsato oratorium ingressi, prostraverunt se in orationem, et cœperunt Missas agere et precibus insistere pro commemoratione beati Columbani. Finito sacræ devotionis officio, venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum diaconum : Fili, non tibi grave videatur petitionis F meæ pondus, sed arripe viam, et Italiam petito, pertransiensque usque ad monasterium, quod Bobium *z* nominatur, diligenter perquirito, quid actum sit circa abbatem meum. Nota et ergo diem et horam, ut si eum compereris esse defunctum, possis agnoscere, utrum visio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia sollicita, investigatione perdiscens, regressus nuntiabis mihi. Diaconus ad pedes magistri provolutus, ignotum sibi iter conquestus est : sed vir benedictus voce blanda eum, ne timeret, ammonuit: Perge, inquiens, et Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pii doctoris Alumnus præcepto paruit, et accepto benedictionis viatico, viam festinanter agressus est, memor prophetiæ beati Columbani, qui asseruit, eum venturum esse ad sepulchrum suum in Italiam, et cambutam * suam assumere, sanctumque Gallum per eam absolvere *aa*.

* Goldast. baculum

qui inde baculum S. Columbani ad S. Gallum defert

27 Cumque pervenisset ad monasterium, ut volebat, invenit omnia ita contigisse, sicut patri suo per visionem fuerant revelata. Mansit autem ibi una nocte, et accepit a fratribus epistolam ad beatum Gallum, continentem venerandi transitum Columbani. Qui et baculum ipsius, quem vulgo cambutam vocant, per manum Diaconi transmiserunt, dicentes, sanctum abbatem suum

A suum ante transitum jussisse, ut per hoc notissimum pignus Gallus absolveretur. Dimissus autem ab illis iter acceleravit, et prospere in omnibus agens, die octava pervenit ad dominum suum et patrem, ferens epistolam relationis, et absolutionis indicium. Lecta epistola, sanctus Gallus charissimi patris amorem pleno retinens corde, lacrymas profudit uberrimas, et collectis fratribus causas mœroris apperuit; deinde tanti patris memoriam precibus, sacris et sacrificiis salutaribus frequentarunt.

S. Gallus moritur *bb*

28 Interea *bb* itaque commanens beatus Magnoaldus cum sancto Gallo fere annis decem post perpetratum iter ab Italia: decimo vero anno videns eum infirmari, et a febrium contractione * valde languere, misit nuntium ad Joannem Constantiensis ecclesiæ præsulem, invitans eum ad visitationem beati Galli *, qui valde in infirmitate febrium jam detinebatur. Audiens ergo Joannes, eum infirmari, velociter properare cœpit in illas partes, secum assumens potuum et ciborum diversa genera ad refocillandum eum *cc*: cumque jam prope oppido Arbonensi Joannes præsul appropinquaret, beaB tus Gallus a febrium vi fatigatus, expletis suæ annis ætatis nonaginta quinque, in senectute bona sancta illa anima carne soluta est *dd*, et ab ergalusto sæculari liberata, reddens Domino spiritum cum pace. Itaque præfatus præsul audiens beati viri ab hac luce discessum, flens et ejulans pervenit ad locum, ubi corpus jacebat exanime.

* *Can.* constrictione
* *idem* ad B. Gallum

et sepelitur.

29 Expletis vero officiis, quæ fieri debebant in obsequio tanti viri, simul cum beato Magnoaldo facta oratione et benedictione, feretrum cum corpore sancto imposuerunt super equos indomitos *ee*, et absque freno vel duce eos dimiserunt ire, ubi Dominus juberet. Equi autem indomiti suscipientes feretrum, mansueti acsi domestici fuissent, in neutram partem declinantes, recto itinere pervenerunt ad cellam, quam vir Dei ante construxerat, ferentes sanctum corpus valde æquanimiter. Et cum pervenissent ante oratorium, steterunt; depositoque feretro, discipuli ejus beatus Magnoaldus et Theodorus elevantes pii doctoris sanctum corpus intulerunt C infra ecclesiam, et ante altare posuerunt. Deinde pariter cum episcopo orationem pro illo facientes, præmissis congruentibus officiis, sepelierunt eum. Post hæc cum episcopi benedictione omnibus rite consummatis, ipso episcopo ad propria remeante, relictus est beatus Magnoaldus et Theodorus, seu vir pulcherrimus Othmarus cum cæteris fratribus non plurimis ad custodiendum sancti viri corpus.

ANNOTATA.

a *Quæcumque hic usque ad num.* 23 *narrantur, desunt in Goldastina editione, in qua cap.* 8 *ea breviter dumtaxat perstringuntur his verbis:* Non post multum vero temporis B. Gallus divina pietate convalescens, postquam filiam ducis Guntzonis a dæmonio liberavit, oblatumque sibi ab eodem principe Constantiensis ecclesiæ pontificatum humiliter recusavit, misit epistolam ad Johannem diaconum *etc.*

b *Walafridus, ex quo hæc omnia desumpta sunt, solum Gallum a S. Columbano relictum ad Willimarum accessisse scribit, qui* duobus clericis suis Magnoaldo et Theodoro hanc sollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi servirent. *Consule, si lubet, Comment.* § 3 *a num.* 28 *et* § 7 *a num.* 75.

A. Theodoro, ut fertur, etc.

c *Canisius legit* Willimakum: *at Walafridus in Vita S. Galli plus vice simplici etiam* Willimarum *habet. Fuit Willimarus parochus apud Arbonam, ut ex laudato Walafrido discimus.*

d *Prædicti Willimari diacono*, *ait Walafridus.*

e *Credibile est,* S. Magnum *et Theodorum, perspecta Galli, cujus valetudinem curaverant, sanctitate, ei sese discipulos tradidisse: Walafridus enim, qui* Magnoaldum *Willimari clericum appellaverat, postmodum eumdem S. Galli discipulum nominat.*

f *In Ms., quod excudo perperam legitur* Himilbre, *quare illud ex reliquis restitui. De monte hoc sic scribit Goldastus in glossis ad Vitam S. Galli:* Mons Cœlius nonnumquam a monachis, interdum Mons cœli, olim Monkelen, nunc Menkelen, dictus. *Consonat Matthæus Merianus in topographia Helvetiæ pag.* 59, *ubi montem illum non procul ab oppido S. Galli statuit.* E

g *Vehementer vereor, ne interpolator noster, acta Galli Sancto nostro accomodando, hoc loco lectori rursum imponat. Ita suspicandi causam præbet sæpe laudatus Walafridus, qui apud Mabillonium cap.* II *scribit, S. Gallum, dum in eremo cum Hiltiboldo diacono aptum exstruendo domicilio locum quæreret, urso cuidam imperasse, ut ex valle, quam elegerat, perpetuo excederet, et in proximis montibus nulli homini aut pecori noxius vagaretur.*

h *Cointius in Annalibus tom.* 2 *Gaudentii mortem refert ad annum* 614.

i Scilicet Alamanniæ seu Sueviæ, auctoris illorum nummorum, qui hodieque a Suevis, vocantur Gunzenpfenning, de quibus in libro De nummis Germanorum vetustis: *ita Goldastus.*

k *In Vita S. Galli* Fridiburga *vocatur, diciturque tum desponsata fuisse Sigeberto Theodorici filio, sed expulso per S. Gallum dæmone, religiosam vitam regio thalamo prætulisse, et parthenoni S. Petri in urbe Metensi ab ipso Sigeberto præfecta fuisse. Verum multa sunt in hac relatione, propter quæ eruditi eam ad fabulas relegant, ut videre est apud Cointium tom.* 2 F *Annal. Eccles. ad annum* 614 *a num.* 6: *ubi ipse biographum* S. Magni *tamquam scriptorem synchronum præfert Walafrido: et merito quidem, si certo constaret, Acta illa quæ Theodori nomen præferunt, Theodori esse: sed cum eorum interpolatione dubitari non possit, incertum quoque est, utrum in hac parte pura permanserint. Fatendum tamen, ea hoc loco iis vitiis carere, ob quæ Walafridi narratio eruditis merito displicet.*

l *Qui* ad Iburningas villam, *teste Walafrido, cum filia energumena morabatur: de quo loco hæc notat Goldastus:* In dextro litore lacus Pontamici, tum Alamanniæ ac Sueviæ ducum sedes, nunc libera imperii Romani urbs, Uberlingen.

m *De hac historia consule, si lubet, Acta SS. Petri et Pauli, tom.* 5 *Junii ad diem* 29, *pag.* 427.

n *Constantiensis scilicet, cujus sedes per obitum Gaudentii vacabat.*

o *Lege* Theodori et Othmari; *imo potius cum Canisio et Ms. Augustano SS. Uldarici et Afræ, isthæc omitte: neque enim S. Othmarus, quem hic*

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

hic designat, ut infra videbimus S. Galli discipulus esse potuit.

p *Cella hæc primordia dedit celeberrimo illi monasterio Sancti-gallensi Ordinis S. Benedicti, et cognomini oppido, vulgo* S. Gallen, *in Turgea, Helvetiæ tractu, condito unum. circiter milliare a lacu Constantiensi, et quatuor Lindavia, si recte notavit Baudrandus.*

q *Hic Goldastus, omissis, quæ de Gunzonis filia reliqua exemplaria habent, narrationem suam resumit.*

r *Hoc loco nonnihil variant Canisius et Goldastus. Prior sic habet :* Dux eum cum electione populi, vellet, nollet, collecta congregatione cæterorum episcoporum, pontificatum Constantiacensis civitatis ei tribuit, immo a vicinis episcopis ductus * ad altare, solenni benedictionis officio ordinaverunt antistitem. *A Canisio parum discrepat Goldastus. Walafridus Strabo in Vita S. Galli apud Mabillonium electionem hanc latius tractat cap.* 24 *et* 25. *Scriptores Galliæ Christ. tom.* 5, *col.* 893 *noviss. edit. Joannem cum titulo* Beati *collocant decimum*
B *Vindonissensium et Constantiensium episcopum, monentque exstare apud Canisium, Antiq. lect. tom.* 5, *et tom.* 6 *Bibliothecæ Patrum Germanicæ editionis, orationem, quam S. Gallus hac occasione ad populum dixerit.*

* l. ductum

s *Hæc periodus vitiosa est in omnibus exemplaribus tum editis, tum Mss.: Goldastus paulo aliter legit in hæc verba :* Memor prophetiæ S. viri Columbani, quam prædixerat de diaconatus officio B. Magnoaldo fore futurum *etc. Ut sensum integrum habeas, substitue:* qua prædixerat, quid futurum esset de diaconatus officio S. Magnoaldo conferendo. *Ceterum, priusquam progredior, monendus est lector, conficta mihi videri, quæcumque hic de collato per Joannem diaconatu* S. Magno *referuntur. Walafridus enim contrarium aperte tradit, dum cap.* 24 *de S. Gallo ituro ad concilium, in quo Joannes episcopus electus est, ita scribit :* Cumque hæc synodus tantæ multitudinis celebraretur accessu, et trium spatio denuntiaretur futura dierum, beatissimus Gallus divino plenus consilio, assumptis Johanne et Magnoaldo diaconatus officio sublimatis, perrexit ad oppidum :
C *deinde post pauca subdit electionem Joannis. Secundum hæc Sanctus noster jam erat diaconatu insignitus, antequam Joannes episcopatum accepisset, adeoque eo Ordine a Joanne initiari non potuit. Novi equidem, Walafridum suis etiam erroribus non carere : sed cum satis a nobis ostensum sit, interpolatoris dicta de vita monastica Sancti nostri, sub Columbani moderamine in Hibernia suscepta, non subsistere ; suspecta mihi etiam est ejusdem Columbani prædictio de diaconatu suscipiendo, adeoque et ipsa diaconatus tum temporis susceptio, quæ ex prædictis consequitur : præsertim cum Pseudo-theodorum nostrum tot in locis infidelis plagii convictum teneamus.*

t *Si vera narret biographus, hæc contigere anno verisimilius* 614 : *Gallus enim in æstate vel sub autumnum anni* 612 *ad Willimarum divertit adversa laborans valetudine : a qua dum convalescit, dum locum in eremo inhabitandum eligit, dum Gunzonis filiam dæmone liberat, ac præsertim dum Joannem diaconum divinis scientiis erudit, ad minimum ad anni* 613 *Pascha pervenit : ac proinde si* S. Magnus *diaconatu a Joanne episcopo initiatus sit Quadragenarii jejunii initio, ordinatio hæc ante annum* 614 *non potuit contingere. Walafridus cap.* 23 D
ait, prædictum Joannem triennio a Gallo exultum fuisse, antequam episcopus eligeretur : verum id minus probabile apparet.

u *Vide annotata ad cap.* 2, *lit.* y. *In Goldastina editione rectius prætermissa sunt, quæ ab initio hujus numeri usque ad* Die itaque quadam *etc. narrantur.*

w *Hic certe interpolator manifestat, se diu post tempora S. Othmari scripsisse : hic enim, teste Walafrido in lib. de Miraculis S. Galli cap.* XI, *cellam S. Galli adhuc exiguam seculo* 8 *regendam accepit, eamque in monasterii formam redegit. Hinc Mabillonius in Actis Sanctorum sui Ordinis sec.* 3, *parte* 2, *pag.* 154 *sic scribit :* Monasterium S. Galli in diœcesi Constantiensi situm . . . sua debet primordia et incrementa Othmaro abbati, qui cellam exiguam a S. Gallo conditam et pene destitutam amplificavit et necessariis instructam ædificiis monachis Benenedictinis adsignavit.

x *S. Othmarum, qui illi monasterio seculo* 8 *præfuit, interpolator designat, ut infra ex cap.* 7 *apparebit : sed quam imperite, liquet ex emortuali ejusdem Sancti anno, qui fuit Christi* E
circiter 759, *quemadmodum apud Mabillonium mox laudatum videre est pag.* 158. *Qua igitur verisimilitudine S. Galli discipulus esse potuit et quidem ante Columbani obitum, id est, ante annum* 615 : *sane si ita est, oportet, eum plures, quam* 150 *annos numerasse, dum ad Superos evolavit. Carolus Cointius Annal. eccles. Franc. tom.* 3 *ad annum* 661 *num.* 2 *et alibi, motus auctoritate Theodori, contendit, geminum Othmarum Sangallensi monasterio præfuisse, unum seculo* 7, *qui a SS. Gallo et* Magno *educatus postea Theodorum recepit, ut dicitur in Vita cap.* 7 : *alterum seculo* 8, *qui inter Sanctos relatus est : utrumque autem ab Ermenrico, cui Appendicem Vitæ adscribit, confusum fuisse. At mihi tam vitiosa Vita tanti non est, ut propter eam Othmarum, ceteroquin omnino ignotum, Sangallensem abbatem statuendum putem. Fateor tamen absolute fieri potuisse, ut aliquis Othmarus a laudatis Sanctus eruditis eo tempore in Sangallensi cella præesset, cum Walafridus cap.* XI *dicat :* Post venerandi patris beati videlicet Galli. . . depositionem, quotidianas excubias apud F
sacri corporis ejus reliquias quidam religiosi clerici vel discipulatus ejus memoria vel divino amore succensi per multa annorum curricula scilicet quasi a temporibus Dagoberti regis usque ad Carolum patrem Carlomanni et Pippini ad laudem Christi ministrabant.

y *Anno* 615, XI *Kal. Decembris, ait Mabillonius in Vita S. Columbani.*

z *Conditum est in confinis ditionis Januensis et ducatus Placentini, ad Trebiam fluvium. Lapsu temporis ædes circa illud exstructæ in urbem coaluere, modicam quidem, sed episcopalem, suffraganeam primum archiepiscopo Ravennati, at nunc Januensi.*

aa *Id est sublati interdicti a celebranda Missa indicium ostendere.*

bb *Quæ hoc et sequenti numero referuntur de obitu et sepultura S. Galli, in Goldastina editione dumtaxat perstringuntur paucis his verbis :* Commoratus est autem B. Magnoaldus cum S. Gallo fere annos decem post perpetratum iter ab Italia : decimo vero anno defunctus est B. Gallus.

cc *De allato commeatu nihil habet Canisius.*

dd *Verisimilius*

A

dd *Verisimilius anno 625, ut ostendimus in Commentario § 5.*

ee *Walafridus, a quo hæc mutuatus est interpolator, rem paulo verisimilius refert. Ait enim præfatum episcopum cum S. Magnoaldo, Willimaro presbytero ac Theodoro, corpus sancti in Arbonensi ecclesia (Arbonæ enim obierat) tumulare voluisse: at cum nulla vi feretrum e terra levare valerent, episcopum ratum, quod res erat, aliud ipsi sepulcrum deberi, tum demum indomitos equos adhibuisse, Deumque orasse, ut eos ad locum illum deduceret, quem sua providentia sepulturæ sancti destinaverat.*

CAPUT IV.

B

S. Magnus et Theodorus a violatoribus sepulcri S. Galli male multantur: ab episcopo Bosone reficiuntur: ad Fauces Julias contendunt: acta in itinere.

Sepulcro S. Galli ab hostibus violato, S. Magnus et Theodorus graviter vulnerati,

Igitur post triennium *a*, ut compleretur prophetia sanctissimi Columbani, quam ante prædixerat beato Magnoaldo, quasi in ultionem sui venturum fore de sepulchro beati Galli, Otwinus *b* pessimus dux, et Erchonaldus consimilis ejus tamen præfectus, collecta multitudine populi, vallaverunt ipsum cœnobium evaginatis gladiis, et frangentes ostia, devastaverunt totum monasterium, sumentes omnia, quæ ibi repperent in auro et argento et cæteris utensilibus; nec non oratorium ingressi fregerunt sepulchrum beati Galli, putantes ibi magnum thesaurum repositum esse. Ut autem in eo nihil invenerunt, relicta ossa beati Galli inhumata, * interfecerunt omnes, quos invenerunt, præter beatum Magnoaldum et Theodorum, quos etiam flagellatos et vulneratos atque spoliatos reliquerunt jacentes in atrio.

a b

* *l.* relictis ossibus inhumatis

C

et ab episcopo Bosone refecti, sepulcrum restaurant.

31 Audiens autem hoc Boso *c* nomine sanctæ Constantiensis ecclesiæ præsul, quod violatum esset sepulchrum sancti Galli, celeriter partes in illas properavit, et veniens illuc, invenit cœnobium desolatum et destructum, altaria nudata et beatum Chagnoaldum vulneratum seu * Theodorum, qui sacri corporis reliquias tumulo restituere volebant, sed vires non habebant. Tunc præscriptus episcopus misericordia motus super eum, consolatus est valde, et iterum sacrum corpus beati Galli cum suis clericis venerabiliter cum psalmis et hymnis cæterisque orationibus in eodem sepulchro *d* repositum recondidit, fossamque terra replevit. Data ergo benedictione duobus Fratribus Magnoaldo et Theodoro, largitus est eisdem sua vestimenta *, necnon alimenta præbens, dedit eis licentiam, sanitate recepta, proficiscendi, ubi Dominus dispositum habebat, quod venirent.

c

* *i. e.* et

d

* *Can.* de suo vestimento

Divina in eosdem violatores vindicta.

32 Misit autem post Othmarum *e* præclarum virum, qui fugam iniens evaserat, et accersivit eum ad commanendum illum locum *, donec a Pipino *f*, qui tunc temporis major-domus vocabatur, interrogaret, quid de ipso cœnobio fieri vellet. Ultio itaque divina venit super Erchonaldum auctorem hujus sceleris et Otwinum ita. Nam non post multum temporis Pipinus exercitum copiosum misit ad devastandum Alemannorum provinciam, suæque dicioni et Francorum subjugandum. Cumque tota terra hostili repleretur incursu, Otwinus et Erchonaldus nescientes, qua parte propter prædones, qui aderant, se se flecterent, semetipsos gladio interfecerunt, quatinus ultionem divinam in eos peractam, collata signa manifestarent *h*,

e f

A. Theodoro, ut fertur, etc.

* *Can.* et commendavit illi locum

g

Voluntatem Dei inquirentibus S. Magno et Theodoro,

33 Beatus *h* igitur Magnoaldus et Theodorus simul prostraverunt se in orationem, Domini misericordiam implorantes, ut disponeret iter illorum secundum suam voluntatem partibus Orientis: ne quasi fraudulenter abscedentes, beati patris corpus relinquerent: memores iterum prophetiæ beati Columbani, qui dixit, venturum fore Magnoaldum in heremo Orientali ad fontes Alpium Juliarum *i*, ubi beatus Narcissus, episcopus Tolesanæ *k* civitatis, jussit diabolo draconem interficere, quando sanctam Aphram *l* convertit ad fidem. Sequenti vero nocte per visionem sancto Magnoaldo monstratum est, ut fiducialiter pergeret, et Domini adminiculum sibi semper nosset adesse: facto igitur mane, iterum orationibus attentius exorati sunt *, ut Dominus eis demonstraret viam et iter commodum, quomodo vellet, illuc veniendi.

h i k l

E

* *i. e.* exoraverunt

adest S. Tozzo, qui eos ad Fauces Julias deducit.

34 Adveniente ergo meridie, præsbyter quidam ex ipso pago venit, nomine Tozzo *m*, qui jam auditam habebat famam beati Galli, et ideo causa orationis veniebat ad sepulchrum ejus, ferens ardentem cereum in manu, quem cereum miro modo illuc attulit: scilicet, ut quando noctu proficiscebatur, cereus ardebat *, et nullo modo a vento extingui poterat; die vero astante, lux ab ipso cereo per se illico subtracta est. Cumque eum viderent beatus Magnoaldus et Theodorus venientem (cereum quippe minime minui, mirati sunt) obviaverunt ei et interrogaverunt eum, unde veniret: at ille per ordinem exposuit, unde erat, et quomodo ei revelatum fuit, ut visitaret sepulchrum sanctissimi Galli; imo eos, quos inveniret velle proficisci partibus Orientis *, recto itinere duceret, usque dum ad locum desideratum venirent. Illi autem hæc audientes, prostraverunt se in orationem, Domino gratias referentes, qui talem ducem illis ostendere dignatus est, ut neque per angustam viam eos errare permitteret. Et tunc demum susceperunt presbyterum, deosculantes eum duxerunt in ecclesiam ad sepulchrum beati Galli, et facta oratione, miserunt eum in hospitium suum, tribuentes ei, prout poterant necessaria, et conviatorem eligentes. Sicque præfatus presbyter pernoctans cum eis, orto mane, orantes coram sepulchro beati Galli, et benedicentes Deum atque valedicentes Fratribus, qui ibi erant, simul profecti sunt. Arripientes ergo iter juxta lacum Brigantinum, relinquentes eum in sinistra parte usque ad locum, qui dicitur Brigantia, ibique morati sunt dies duos.

m

* *l.* arderet etc.

* *Gold.* ad partes Orientales

F

S. Magnus in via cæcum illuminat:

35 Tunc vero illis ibi commanentibus, cæcus quidam, qui multorum hominum cognitioni pago in illo consistentium notissimus erat, obvius fit beato Magnoaldo, postulans ab eo alimentum necessarium. Ille autem reminiscens sententiæ Apostolicæ, dixit: Non sum ego dignus me æquiparare ejus sanctitati, qui dixit; Argentum et aurum non est mihi *n*: sed in nomine ejus, qui ipsam potestatem dedit, ut faceret,

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC. * al. aperire

ceret, quod fecit, et cæcum illuminavit; aperiri * oculos tuos imploro, ut videas, et manibus tuis laborando victum acquirere possis. Et hoc dicto lenivit oculos ejus cum saliva sua, nec mora plurimus sanguis ex oculis ejus prorumpens, aperti sunt, et videns corruit ad pedes ejus et dixit: Domine, video, quoniam magnus es tu, et magna opera tua; si vis, sequar te, quocumque ieris. Ille respondit; Si vis Domino servire, tunc sequere me. Sicque post signum hoc perpetratum, ab incolis terræ illius vocatus est Magnus. Et profecti sunt ambo, scilicet beatus Magnoaldus et Theodorus, secutusque est cæcus, Domino gratias agens de recepto visu, comitans * eum eis dux itineris presbyter præfatus nomine Tozzo.

* Gold. comitaturque prope Campodunum

36 Venerunt itaque post aliquos dies ad locum, qui vocatur Campidona *o*, ubi reppererunt oppidum valde formosum, sed ex toto desertum. Tunc interrogavit beatus Magnoaldus præfatum presbyterum, quomodo ille locus vocaretur, vel fluvius, qui ibi defluebat. Ille respondit: Locus iste ab incolis terræ hujus sæpissime visitatur, et vocatur Campidona; sed non sunt ausi saltem una nocte hic manere propter diversa genera vermium qui hic sunt. Fluvius vero vocatur Hilara *p*; quod non est, quia multos homines conturbat propter velocissimum cursum suum, eosque potius in mœrorem vertit, quam in gaudium. Nos autem oportet velocius transire, ne sentiant, nos hic esse: quoniam si sentient, magnum impetum facient super nos ad devorandum. Plurimos namque homines, qui causa venationis huc venerunt, devoraverunt, non permittentes eos saltem una nocte hic jacere. Respondens beatus Magnoaldus dixit: Vere Dominus noster Jesus Christus potestatem habet similiter hos vermes de isto loco ejicere, sicut habuit ejiciendi ursos et lupos, cæterasque feras, imo et vermes, necnon et dæmones per orationem domini et magistri nostri Galli, de loco, quem elegit ad construendam cellulam, et ad corpus suum sanctum sepeliendum. Nos ergo, permittente Domino, oportet hac nocte hic manere.

terribilem draconem baculo

37 Et dixit ad Theodorum: Frater Theodore, tuum est orare, et Dei misericordiam implorare, ut nobis auxilium præbeat ad ejiciendos vermes de loco isto, et dæmones, qui in eis latitant; quoniam a te est locus iste construendus et ædificandus; ideoque oremus pariter, ut Dominus nos exaudire dignetur, et mundare istum locum, qui est ab hominibus propter timorem vermium inhabitabilis: et hæc dicens, prostraverunt se in orationem. Dum ergo orarent, egressus est foris de oppido vermis magnus, cui vocabulum erat a vocis sono Boas *q*, et impetum faciens super beatos Viros jacentes in oratione. Præsbyter ergo Tozzo, qui eos ducebat, videns eum, exclamavit voce magna dicens: Heu mihi, quia vos adduxi! Ergo in fugam versus simul cum eo, qui cæcus fuerat, festinabant ad unam arborem, ut se liberaret.

interficit, et abactis serpentibus, urbem habitabilem reddit, * adde sunt

38 Itaque beatus Magnoaldus et Theodorus confisi * de Dei misericordia; surgensque Magnoaldus, orante Theodoro, et faciens signum sanctæ Crucis coram se, arripiensque cambutam, quam a beato Gallo acceperat, et crucem, quam secum gerebat, perrexit in occursum vermis, et dixit; Impero tibi in nomine Domini mei Jesu Christi, ut hic jaceas, et diabolus, qui in te latitat, ipse te interficiat adjuratus per Deum vivum et verum. Et cum hoc dixisset, percussit eum de cambuta sua in capite; et confestim vermis crepuit medius, et mortuus est: cæteri vero vermes, qui intus in oppido, et circa ipsum oppidum morabantur, omnes in fugam versi sunt, et nusquam comparuerunt. Sicque mundatus est locus; et morati sunt ibi unam hebdomadam, Domino gratias referentes, qui eos exaudire dignatus est, et præparare ipsum locum ad habitationem hominum.

in eaque sacellum ædificans,

39 Theodorus itaque ut vidit tam magnum signum factum a Domino et a beato Magnoaldo, surrexit de loco, in quo jacebat orans; et elevatis manibus ad cælum dixit; Domine Deus omnipotens, qui fecisti cælum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; tibi gratias refero, te invoco, te adoro, tibi laudes psallo, qui nos liberare dignatus es a tanto periculo et a tali devoratione vermium. Et cum hoc dixisset, concurrit ad beatum Magnoaldum, flexoque poplite osculatus est genua ejus, necnon quasi lingens manus ejus et oculos, et dixit: Vero non vocaberis ultra Magnoaldus, sed Magnus; quoniam tibi Dominus tantam gratiam contulit, ut per te locus iste purificetur non solum a vermibus, verum etiam a dæmonibus. Ad hæc beatus Magnoaldus; Noli dicere, frater, non sum magnus, sed minimus servus servorum Dei, qui nos liberare dignatus est de tali periculo. Tuæ ergo orationes exauditæ sunt a Deo, et ideo non meis meritis, sed Dei jussione isti vermes recesserunt. Nunc autem voca conviatorem nostrum, et pergemus ad locum istum, quia Dominus eum vult præparare ad ædificandam cellam. Memento *r*, quomodo domino et patri nostro sanctissimo Gallo accidit in loco suo, quem ipse elegit ad manendum; ita et nobis, suis meritis intervenientibus, a Domino ordinatum est: idcirco nulli dubium est, quin Dominus velit sibi præparare istum locum.

multos ad fidem convertit:

40 Tozzo autem ut vidit, eos ambos fore incolumes, descendens de arbore, ad quam confugerat, et cæcus, qui visum receperat, simul cum eo, prostraverunt se ad pedes eorum, et ait Tozzo: Vere Dominus est in loco isto, qui beato Magno tantam gratiam contulit, ut cum sua cambuta tale signum inauditum faceret: nunc ergo fiducialiter ducam vos per deserta et angusta loca usque ad locum, quem electum habetis ad manendum; quia video vobis tantam a Deo datam potestatem, ut per vestra merita, diversa loca hiis in partibus consistentia purificentur, Domino annuente habitabilia efficiantur. Respondens beatus Magnus, dixit: Præsentem hebdomadam hic moremur, et ædificemus oraculum *s* parvulum, ut discat populus terræ istius qualem misericordiam eis Dominus inferre * dignatus est in isto loco: manseruntque ibi istam hebdomadam. Tozzo vero cucurrit per vicina loca sibi cognita ad homines, qui ibi morabantur, et diffamavit hoc signum: veneruntque ad locum, et attulerunt alimoniam præfatis Fratribus sufficienter nimis, valde admirantes de tanta virtute Dei; et plurimi per prædicationem beati Magni diaconi ad fidem conversi, baptizati a præfato presbytero Tozzone, et Domino gratias agentes manserunt ibi, colentes terram illam et construentes cellulam simul cum beato Magno et Theodoro.

* all. conferre

hinc dæmones in SS. Tozzonem

41 Transactis igitur tribus diebus illis pernoctantibus in oratione, die vero laborantibus, cum matutinale officium tertia nocte, oriente aurora

A aurora diei surgentes celebrare vellent, subito dæmones in aere volitantes et ejulantes, atque cum magno strepitu vel fremitu voces emittentes, atque impetum quasi supra Tozzonem præsbyterum facientes, clamabant: Tu inimice senioris *t* nostri et noster, ut quid induxisti Virum istum cum socio suo in locum istum, qui et nos et membra nostra, per quæ multas animas lucrabamur, de isto loco fugavit? Magister autem illorum semper nos cum suis maleficiis, sicut et iste, invocato nomine Domini, vincere consuevit. Ille vero non solum nobismetipsis *, verum etiam in membris nostris cum terribili nomine Adonai victos habet et expulsos. Hoc audiens prædictus præsbyter tremefactus, tamen muniens signaculo sanctæ Crucis, festinus perrexit ad Virum Dei, et indicavit ei, quæ viderat et audierat.

t — *supple in* : *Gold* nosmetipsos. membra nostra.

42 Tunc Bellator fortis et electus Dei * pariter cum beato Theodoro prostravit se in orationem, et hujusmodi verbis Dominum deprecatus est dicens: Deus omnipotens, ineffabilis Bonitas, inæstimabilis Pietas, qui nos secundum misericordiam tuam, non secundum merita nostra, a membris istorum dæmonum, et a venenis mortiferis illorum eripere dignatus es, audi-B tu placido has a nobis suscipe preces, sicut suscepisti in hiis ipsis verbis magistri nostri Galli, et jube hos dæmones locum deserere, ut sit sanctificatus in honorem nominis tui, cottidie cantantibus gallis *u*. Et surgentes ab oratione, egredientesque ab oratorio, audierunt eos clamantes et ejulantes atque dicentes: Tu Magne tria nomina portas in capite tuo et cum Trinitate nobis tanta mala objicis: et tu Theodore, qui tibi est nobiscum? Venient dies, quando non habebis Magnum juxta te, et tunc pugnaturi erimus adversum te, per varios errores homines terræ istius adversum te excitantes.

et Magnum, et in Theodorum invehuntur, * *Gold.* Tunc S. Magnus

43 Sanctus vero Magnus respondens dixit: Miseri, confitemini, si scitis, sanctam Trinitatem Dei: et illi dixerunt, Scimus, eam ineffabilem esse et immensam: et beatus Magnus: Nunc jam, quia confessi estis sanctam Trinitatem, impero vobis, non meis nominibus * infimis, sed per immensam potentiam Trinitatis, ut hunc locum deserentes, in montes desertos eatis, ubi Dominus voluerit, et huc reverten-C di ulterius potestatem non habeatis. Ad hanc vocem continuo dæmones dixerunt: Heu! quid faciemus? alium Gallum hic habemus: imo iste Gallus pejor est priori, quia cum suis galliciniis *w* nos et membra nostra pariter ejicit: sed nec in heremo manere permittit. Porro ex illa die tam pleniter abscesserunt et in fugam versi sunt, ut postea ibi non comparerent: dignum quippe erat, ut jam quia servi iniqui et venenosi discesserant per deprecationem tanti Viri, venena animarum recederent, et habitationi cederent sanctitatis: *x* sicque factum est, ut ab illa die omnes homines in illo loco tranquille Domino gratias agentes habitare permissi sunt.

quos Sanctus ex illo loco excedere jubet. * *Can.* meritis

ANNOTATA.

a *Consule Commentarium num.* 53 *et* 54. *In editione Goldasti desunt, quæ hic narrantur usque ad num.* 33.

b *In Vita S. Galli dicitur* præfectus, *et* partium earumdem potestate præditus: *at mihi Otwinus seu Othwinus plane ignotus est. Felix Fabri Hist. Suevor. lib.* I *cap.* 19 *apud Goldastum in glossis ad præfatam Vitam eumdem nonnisi ex hac Vita novit. Æque incognitus mihi Erchonaldus, qui alibi* Erchanoldus *et* Erwinus *scribitur, et in laudata Vita vocatur* Præfecti *(Otwini)* vicarius.

c *Neque hic aliunde, quam ex SS. Galli et Magni Vitis notus videtur. Sunt, qui eum etiam Busonem, Buffonem, Obihardum, vel Obbaldum dictum putant.*

d *Id est eodem loculo, quantum colligo ex Walafrido, qui sic habet: Episcopus* sumens loculum, in quo sanctum corpus erat, posuit super terram, inter parietem et altare, et desuper, ut moris est, arcam altiorem construxit, fossam vero terra replevit.

e *Vide dicta cap. præced. ad lit.* x, *et dicenda ad cap.* 7 *lit.* u.

f *Si vera narret interpolator, fuit is B. Pippinus Senior, cujus Acta illustrata reperies tom.* 3 *Februarii pag.* 250.

g *Ineptus compilator geminam S. Galli sepulcri violationem, quam apud Walafridum repererat, in unam conflavit: quare utramque ex Walafrido breviter accipe. Primam, de qua hic* E *agitur, describit lib.* 2 *de Miraculis, cap.* I *apud Mabillonium, quamquam eam verisimilius nimis sero statuat, ut jam alias monui. Divinam in hosce violatores vindictam exponit in hæc verba:* Huic sacrilegio inservientes, invasit eos tremor immensus. Qui in fugam conversi, dum ostium oratorii singuli præoccupare niterentur, insania agitati, evaginatis gladiis invicem se conciderunt. Erchonaldus vero hujus auctor sceleris, timore cogente, volens exsilire per ostium, caput superliminari illisit, et ad terram concidens, alienatus mente jacebat. Cumque a suis perduceretur ad propria, nimia infirmitate et novis doloribus cœpit urgeri. Toto itaque ipsius anni curriculo fortissimis maceratus molestiis, capillorum honore et cutis superficie spoliatus, etiam digitorum ungues amisit: et ut omnibus longo tempore ultionis in eum divinitus collatæ signa paterent, cunctis vitæ suæ diebus hac deformitate notabilis fuit. *Hæc de prima violatione: de secunda agit cap.* 3. Post multum vero temporis, *inquit,* misit Pippinus Major-domus exercitum copiosum ad devastandam Alamannorum provinciam et iterato F Francorum ditioni subjugandam... Quinque autem supra memorati principis satellites ingressi oratorium, repererunt ibi quasdam ancillas ejusdem loci cum parvulis earum,... et adduxerunt eas captivas in Franciam. Eodem vero anno a malignis spiritibus arrepti et amentes effecti, nudi circumquaque discurrebant etc. *Pippinum hunc Caroli Magni patrem fuisse, existimat Mabillonius, qui violationem hanc anno* 745 *innectit. Porro ex Walafridi verbis cum interpolatoris nostri textu collatis clarum est, hunc utramque irruptionem confudisse, indeque unam male consarcinasse.*

h *Hucusque compilator omnia mutuatus videtur ex Vitis SS. Columbani et Galli. Quæ sequuntur, ea proprius ipsius fœtus esse apparent. Apud Goldastum hic incipit* Liber secundus.

i *Marcus Velserus annotatione* 89 *ad Conversionem S. Afræ observat ex Simlero, Alpes Julias triplices esse, unas apud Taurinos, alteras in Rhætia, tertias apud Venetos. Deinde subdit:* De quibus Narcisso sermo fuerit, *(dum scilicet dæmonem, ut sequitur, eo misit)* dubitare licet. Me certæ conjecturæ ad Ræticas trahunt,

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

A THEODORO, UT FERTUR, ETC.

hunt, quæ a Septimo usque Braulium montem late patent, et in quibus Oenus fluvius oritur *etc. Rhæticas hic certe intellexit biographus.*

k *De S. Narcisso actum est tom.* 2 *Martii ad diem* 18, *ubi ostenditur, fuisse episcopum non* Tolosanum, *sed* Gerundensem *in Hispania Tarraconensi.*

l *Reclius alia exemplaria habent* Afram. *Hujus sanctæ Martyris Acta illustrata reperies tom.* 2 *Augusti ad diem* 5. *Adi supra annotata ad cap.* 2, *litt.* dd.

m *Acta S. Tozzonis dala sunl in Opere nostro tom.* 2 *Januarii ad diem* 16, *sed ex hac Vita, quam præ manibus habemus præcipue excerpta. Dicitur postmodum parochum egisse in Waldenhoven, ac deinde ad episcopatum Augustanum evectus, ut infra videbimus.*

n *Vide historiam in Act. Apost. cap.* 3.

o Campidona *alias* Campodunum *(indigenis* Kempten) *Germaniæ urbs est in Sueviæ circulo ad Ilarum fluvium in confinio Bavariæ, estque imperialis et libera. Martinus Crusius in Annalibus Suevicis parte* I, *lib.* 9, *cap.* 3 *occasione B. Hildegardis reginæ, Caroli Magni conjugis, de ea hæc notat :* Campidoni.. vel Campidone, in arce Hillemontana, sive Ilermontona (ab Ilaro vel Hilaro fluvio) habitare soliti sunt prædicti duces *(Sueviæ)* Hiltegardis majores : quæ arx hodie nulla est, sed ambitum adhuc tantum muri videmus, Burckhaldam nomine.

B

p *Vulgo* Iler; *oritur in episcopatu Augustano in confinio comitatus Tirolensis; unde in Septentrionem fluens, Campodunum alluit, et juxta Ulmam Danubio miscetur.*

q A vocis sono *melius omittitur in editionibus Canisiana et Goldastina. Cajus Plinius Historiæ naturalis lib.* 8, *cap.* 14 *aliam etymologiam tradit, dum de ejusmodi monstris scribens, hæc subdit :* Faciunt his fidem in Italia appellatæ boæ, in tantam amplitudinem exeuntes, ut, divo Claudio principe, occisæ in Vaticano solidus in alvo spectatus sit infans. Aluntur primo bubuli lactis succo, unde nomen traxerunt. *Aliud sed magis mirabile vocis etymon tradit S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis, ubi similem draconem a prædicto Sancto prope Epidaurum, Dalmatiæ oppidum, interfectum tradens ait :* Draco miræ magnitudinis (quos gentili sermone boas vocant ab eo, quod tam grandes sint, ut boves glutire soleant) omnem late vastabat provinciam; nec solum armenta et pecudes, sed agricolas quoque et pastores, tractosque ad se vi spiritus sui absorbebat. *Plura exempla lege, si lubet apud Velserum in Commentario ad Conversionem S. Afræ martyris, annot.* 90 *: ubi etiam recte monet, antiquitatem multa fabulosa circa dracones sibi indulsisse, atque adeo ejusmodi historiis non temere atque indiscriminatim fidem esse adhibendam. Inter fabulosa numerandam esse hanc, de qua agimus, historiam, suadent omnia: quis enim credat, urbem Campodunensem ob serpentium infeslationem penitus vacuam ab incolis fuisse? Adeone parum frequens erat tum temporis Rhætia, ut serpentes integrum* oppidum valde formosum *occuparent? Prælerea quid aliud, quam fabulam sonat boæ istius ex oppido egressus, et reliquorum vermium post hujus necem repenlina fuga? Diceres, cæso duce, militares copias e suis stationibus aufugisse. At enim diaboli suis præstigiis hæc monstra agebant: ita quidem innuit scriptor, sed is talis non est, ut statim fidem mereatur.*

C

D

r *Quæ sequuntur usque ad numerum sequentem, desunt in Canisii Lectionibus.*

s *Id est sacram ædiculam oralioni destinatam.*

t *Id est* domini *sive* principis: *in qua significatione exempla plura congerit Goldastus in suis observationibus ad hanc vocem.*

u Cottidie cantantibus gallis *non habet Goldastus. Canisius legit* cantanti gallis, *sed, ut patet, mendose: monet autem in margine, forte legendum esse* S. Galli, *ut sensus sit:* sit locus iste sanctificatus in honorem nominis tui et S. Galli. *Ego per* cantantibus gallis *gallicinium intelligo atque ita scriptoris mentem interpretor:* Locus iste quotidie sub gallicinium laudibus tuis resonet.

w *Ludunl dæmones in voce æquivoca* Gallus, *quæ et* S. Magni *magistrum et gallum gallinaceum significat.*

x *Contenta parenthesi desiderantur apud Can. et Goldast.*

E

CAPUT V.

Reliquum iter ad Fauces, alius draco interfectus, expulsi dæmones, sacella condita.

Relicto Campoduni Theodoro, Sanctus ad Fauces proficiscens

Hiis ita gestis, beatus Magnus diaconus dixit ad Theodorum; Deo gratias, frater, agamus, quia dæmones recesserunt : nunc bonum est, ut locus iste a te construatur et custodiatur *a*, ut sanctificetur populus istius loci, qui deinceps venturus est huc ad orandum potius, quam ad venandum. Theodorus respondens dixit : Mi domine, juxta præceptum facio; sed ut audiero, te consolidatum in loco a Deo tibi electo, veniam ad te et visitabo te. Et hiis dictis, valedicentes simul, seque invicem deosculantes, profectus est beatus Magnus, accepto secum socio conviatore et duce itineris præsbytero Tozzone, relinquens cum Theodoro cæcum, qui visum receperat. Itaque cœpto itinere, transitoque fluvio, perrexit recto tramite, sicut eum viator ducebat; sicque venerunt ad locum, qui vocatur Eptaticus *b*, et invenerunt ibi episcopum sanctæ Augustæ Vindelicensis ecclesiæ, nomine Wictherpum *c*. Tozzo igitur propter notitiam, quam in episcopo habebat, præcessit beatum Magnum, venitque ad præfatum episcopum et narravit ei omnia de sancto Viro, quæ viderat et audierat, seu de itinere ejus, necnon de adventu suo ad eum, immo et de loco, ad quem eum Dominus destinatum habebat ad manendum. Præfatus autem episcopus interrogavit, de qua origine esset ; et respondit Tozzo: Domine, sicut audivi a Theodoro, qui nunc derelictus apud Campidonam, de Hibernia *d* provincia est ortus.

F

a Wictherpo antistite Augustano benigne excipitur,

45 Ut autem audivit episcopus ejus famam bonam, suscepit eum benigne, cœpitque cum eo loqui, atque cum honore fovere : et moratus est cum eo paucos dies, sciscitans ab eo quotidie episcopus Wictherpus de beato Columbano et Gallo,, seu de itineribus eorum, necnon

A non de conversatione et fide vitæ eorum, seu de virtutibus, quas fecerunt. Deinde interrogavit eum, ubi voluntas sua esset proficiscendi. Respondens beatus Magnus diaconus dixit : Domino annuente, directus sum ad locum, qui vocatur
e Fauces *e*, ubi prope sunt fontes Alpium Juliarum, et ubi draco fuit, qui jubente Narcisso
f episcopo, a diabolo interfectus est *f*; quatenus Domino annuente, quidquid boni ibi ædificare potuero, faciam. Nunc igitur paternitas tua de-
* i. e. agere cernat, quomodo tua voluntas sit me agendi*; quoniam ad tuum imperium prompto animo agere debeo, sicut Dominus mihi revelaverit per os tuum. Ego autem jam senex et grandævus cupio in ultimo meo tempore illum locum, si tuæ paternitati placet, invisere et Deo ad serviendum præparare, exemplum sequens dominorum beatissimorum meorum, Columbani et Galli. Ad hæc Wictherpus episcopus respondit: Locus iste valde est angustus et inhabitabilis hominibus; et etiam feræ diversæ ibi morantur; id est cervi, apri multi, plurimi ursi: et propter illorum
g multiplicationem dominus rex Pipinus *g* ad suam
B venationem exercendum, illum saltum ad opus suum tenet. Vermes etiam plurimi et diversi generis ibi morantur.

ab eoque dimissus, 46 Beatus Magnus diaconus arripiens statim
h boni pastoris initia *h*, dixit : Pater, tale mini-
* Gold. talem gratiam sterium * habuerunt magistri mei Columbanus
* l. expulerit et Gallus, ut quando ad talia loca venerunt, Dominus noster Jesus Christus feras diversi generis et vermes per orationes illorum illico expulit * ab illis locis, in quibus manere decernebant. Similiter ego credo, quod Dei misericordia non permittet, eos manere in ipso loco, dum advenero. Adquievit autem Wictherpus episcopus verbis ipsius et dedit eis solamina ciborum, præbens ei conviatorem supradictum præsbyterum nomine Tozzonem, et duces itineris, qui eum perducerent ad locum a Deo sibi destinatum. Cumque venissent ad locum, qui
i vocatur Caput equi *i*, jacebat ibi in uno loco augusto draco magnus, qui non permittebat ullum hominem per illam viam transire, neque equum; et idcirco vocatus est iste locus Caput equi, quia omnes venatores reliquerunt ibi ca-
C ballos suos, et pedestres ibant, quocumque po-
k terant ad venandum *k*. Cumque ergo beatus Magnus diaconus jam prope isti loco esset, dixit ad Tozzonem præsbyterum : Frater, construamus nobis tabernaculum hic hac nocte ad manendum et oremus Deum, ut expellat præsens membrum diaboli ab isto loco, atque aditum permittere dignetur nobis ad properandum. Fecerunt itaque, ut imperaverat; et manserunt ibi.

in via post prolixas preces, horrendum draconem 47 In tota autem nocte non cessavit beatus Magnus orare, et Domini misericordiam implorare, ut draconem subvertere dignaretur. Circa mediam vero noctem surgens beatus Magnus diaconus, dixit ad Tozzonem præsbyterum : Mitte mecum hominem, qui me ducat ad locum angustum, ubi draco jacet. Et dixit Tozzo : Timeo ego, ne, si te illuc induxero, ab eo devoreris. Ad hæc Vir sanctus : Et si Deus
l pro nobis, quis contra nos *l*. Pergamus ergo fiducialiter; qui qui liberavit Danielem de lacu leonum, potest et me eripere de manu hujus bestiæ pessimæ. Itaque cum hoc dixisset, misit in peram panem sanctificatum, et manu sua sumens picem et resinam atque cambutam sancti Galli, crucemque appendens in collo suo, perrexit et dixit : Deus omnipotens, qui eduxit me in regionem longinquam, ipse, sicut Tobiæ famulo suo mittet angelum suum mecum, qui me liberet de ore istius draconis, et ostendet nobis locum desideriis aptum salutaribus. Et hæc dicens munivit se signaculo sanctæ Crucis, et de pane sanctificato misit in os suum et paululum aquæ; sicque venit ad locum, ubi draco jacebat, relinquens omnes socios in tabernaculo, præter unum solum ducem itineris. A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

48 Cumque vidisset eum draco, illico surrexit, impetum faciens super eum : ille autem habens in manu picem et resinam, projecit in ore ejus, inquiens : Adjuva me, Domine Deus meus. Et cum hoc dixisset, confestim cœpit ardere, crepuitque medius, et mortuus est *m*. Ut autem vidit ille, qui cum eo erat, hoc actum, surrexit continuo et pervenit ad socios, atque dixit: Surgite, egredimini et venite; quia iste magnus Vir draconem mortuum habet. Surrexerunt ergo, et invenerunt beatum Magnum diaconum in oratione jacentem et gratias Domino referentem : dignum quippe erat, ut, quod divino inchoabat amore, instantissima prece semetipsum * Domino commendaret : quoniam Dominus, sicut per os beati Narcissi episcopi ipsum diabolum compulit, ut alium draconem interficeret, ita et per manus tanti Viri fecit socium * ejus per ardorem ignis et flammarum crepidines *n* interire. Ut viderunt autem draconem mortuum, descenderunt ad rupem, de qua idem draco impetum facere visus est super sanctum Virum. Tunc præsbyter Tozzo dixit : Gratias tibi agimus, Domine, qui nobis talem Virum et tam magnum ostendere dignatus es, ut per merita ejus ista loca purificentur, efficianturque habitacula *, quæ ante erant inutilia. *mirabiliter occidit.* m E * semetipsum abundat * i. e. similem n * al. habitabilia

49 Facta vero oratione, transierunt illum angustum locum, et pervenerunt per viam juxta Lycum flumen ad locum spatiosum, qui non habebat nomen *o*, erat tamen ibi planities bona. Habebat autem beatus Magnus diaconus pendentem in collo crucem *p*; in qua continebantur reliquiæ beatæ Dei Genitricis Mariæ, et de ligno sanctæ Crucis atque sanctorum martyrum Mauricii et Sociorum ejus, necnon beatorum confessorum Columbani et Galli. Invenit ergo juxta præfatum flumen locum valde honestum et formosum, in quo loco a littore præfati fluminis spatio quasi cubitis triginta invenit arborem *q* pomiferam valde decoram; suspenditque cruciculam in ipsa arbore, et vocavit præsbyterum Tozzonem, atque prostraverunt se pariter coram crucicula in oratione. Tunc vir venerabilis beatus Magnus diaconus hujuscemodi preces emittit : Domine Jesu Christe, qui pro salute generis humani de Virgine nasci et mori dignatus es; ne despicias deprecationem meam pro peccatis meis ; sed permitte nos construere in hoc loco oraculum ad honorem * Genitricis tuæ, et præpara hic habitationem tuis servitiis aptam *r*. *Inde profectus, juxta Lycum amnem* o p F q * Gold. in honorem nominis tui et S. Genitricis tuæ r

50 Finita vero oratione, cœperunt construere in hoc loco fundamentum, et ædificaverunt ecclesiam : qua perfecta, invitaverunt Wictherpum episcopum, ut veniret et eam Domino et sanctæ Mariæ consecraret. Venit ergo præfatus episcopus ad illum locum, admirans valde, quomodo illuc pervenire possent *, nisi per gratiam Dei; et dedicavit ecclesiam in honore Dei Genitricis Mariæ et sancti Floriani *s*, et sic administrare *sacellum exstruit.* * Gold. potuissent s

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC. nistrare cœperunt ad laudem Christi divina officia. Igitur *t* cum fama virtutum quas Dominus per beati Confessoris sui merita pie quærentibus exhibere dignatus est, ut * longe lateque circumpositorum mulceret aures populorum, cœperunt undique alacri devotione ad tanti Patris suffragia postulanda concurrere, eumdemque locum ob suæ dignitatis memoriam, Cellam sancti Magni nuncupare; et multiplicibus substantiæ suæ possessionum amplificare donariis.

t

* ut *abundat*

Non procul inde secedens, audit dæmones

51 Cumque res hac largitate fidelium accidissent collatæ, secessit beatus Vir propter multitudinem hominum, et perrexit ad vicina loca supradicta, quæ vocantur Fauces, quatenus ibi familiariorem locum, Domino annuente, sibi construeret ad manendum, relinquens præfatum præsbyterum Tozzonem in ecclesia sanctæ Mariæ ad populum illuc venturum custodiendum *u*; vocavitque ipsum locum Synagoga, id est Congregatio populorum. Ergo cum circa meridiem causa quietioris vitæ ad parvum locum tenderet, in supradicto loco requiescens, subito dæmones *w* a monte vicino cum magno strepitu

B de vertice montis proximi quasi una voce vocaverunt alios in pelago Lici * fluminis consistentes quasi nominatim: cumque et hii, qui vocabantur, præsto se esse, quasi de profundo responderent, ajunt ipsi de monte: Surgite, inquiunt, nobis in adjutorium, ut Peregrinum istum pessimum et magnum ejiciamus de his sedibus; quoniam ipse more Galli sui, simulachra nostra contrivit, et populum, qui nos sequebatur, post se avertit, insuper et dracones nostros interfecit. Commoveat autem vos injuria, quam patimur, et uniti viribus communem præsentem Hostem a nostris terminis funditus expellamus.

u

w

* *Can.* Lechi

de se multa conquerentes: quibus expulsis

52 E contrario ipsi de profundo responderunt: Heu! quod de vestris narratis angustiis, nos ex nostris percipimus calumpniis: nam angelus ejus jam nos in pelago premit, et nec ausi sumus ex pelago exire, nec quicquam ejus contingere, quia invocato nomine Domini de ore ejus ideo angelus cum flagellis igneis nos flagellat et recedere compellit: quapropter nec vobis pro-

C desse valemus, nec nobis; quia tam sortis Bellator est iste, ut nostræ versutiæ saltem nec fimbriam vestimenti ejus superare queant. Hiis auditis, vir Dei beatus Magnus munivit se undique signaculo sanctæ Crucis, et dixit illis: In nomine Domini nostri Jesu Christi, non per mea merita, sed per merita beati Galli confessoris Christi et per ejus gloriosam depositionem, adjuro vos, ut recedatis de isto loco et ulterius neque hic manere, neque aliquem nunc recedentes lædere præsumatis.

in eodem loco aliud sacellum ædificat.

x

53 Et hiis dictis, festinus rediit trans flumen *x* ad ecclesiam sanctæ Mariæ, quam construxerat; narravitque Tozzoni præsbytero omnia, quæ audierat in loco illo. Cumque voluissent tempus vespertinum psallere, auditæ sunt voces dæmoniorum per montium summitates quasi discedentium ejulatus cum terrore confusi. Et hæc audientes Servi Dei prostraverunt se in orationem, Domino laudes et gratias persolventes, qui eos liberare dignatus est de terroribus malignantium spirituum: sicque regressus est beatus Magnus sequenti die ad præfatum locum, et Tozzo præsbyter cum eo, atque cum adminiculo suorum construxerunt oraculum parvissimum in eodem loco, accersitusque est a Tozzone Wictherpus episcopus et dedicavit ipsum oratorium in honore Domini nostri Jesu D Christi sub nomine sancti Salvatoris *y*.

y

ANNOTATA.

a *Conditum fuit postmodum in hoc loco,* nobile in primis cœnobium, nobilium Suevorum feminarium ac totius Sueviæ monasterium facile princeps, cujus abbas inter principes Imperii quatuor-viros locum habet, *teste Mabillonio tom.* 2 *Annal. ad annum* 752, *num.* 65. *Porro ex hisce* S. Magni *Actis* Theodoro primam *hujus* Campidonensis monasterii originem tribunt, *inquit idem Benedictinus*, quæ sine dubio Audegarium *(idque anno* 752*)* auctorem habet. *Ita ipse: at fuerit sane primus monasterii fundator Audegarius, non obest, quominus integro seculo ante ibidem cellam exstruxerit, habitaritque Theodorus noster: atque hinc factum puto, ut apud Canisium* Campedonensis abbas primus *vocitetur.*

b *Goldastus habet* Epthaticus, *Canisius* Eptaticum, *Raderus in Bavaria sacra* Heptaticum. *Posterior addit, fuisse pagum in Boica inter Landspergam et Schongaviam ad Lycum amnem, quod infra confirmabitur in annotatis ad cap.* 6. E

c *S. Wictherpi episcopi Augustani Acta extant tom.* 2 *Aprilis ad diem* 18. *Consule Commentarium nostrum* § 6.

d *An Hibernus fuerit Sanctus noster, examinavimus* § 7.

e *Adi Comment.* § 12, *num.* 141 *et seq.*

f *Vide, si lubet, dicta ad cap.* 2. *lit.* ee.

g *Pippinus cognomento* Brevis *anno primum* 750 *ad regnum pervenit; qua igitur ratione* S. Magnus *diu ante medium seculi* VII *ad Fauces sub ejusdem regno commigrasse dicitur? De hoc parachronismo, qui etiam infra recurret, egimus in Comment.* § 13; *ubi num.* 160 *notavimus, non hic alium intelligi posse Pippinum, quam B. Pippinum seniorem, regum Austrasiæ Dagoberti I et S. Sigeberti Majorem-domus.*

h *In Goldastina editione:* B. Magnus diaconus Spiritu sancto repletus dixit *etc. Occurrunt sæpe alias ejusmodi lectiones variantes, quas consulto prætereo, ne nimiis annotatis lectorem gravem.* F

i *Indigenis* Rosshaupten: ross *enim Germanis* equus *est*, haupt caput: *hinc Raderus Græca interpretatione habet:* Hippocephalum. *Notatur autem pagus hic in tabula, quam Carolus Stengelius Commentario rerum Augustanarum præfixit, ad Lycum amnem paulo plus uno milliari communi Germanico a Fuëssensi oppido, Augustam Vindelicorum versus.*

k *De hac etymologia nominis, et venatoribus nihil dicitur in exemplari Canisii, et anonymi Ratisponensis.*

l *Goldastus habet:* Non possum timere, quia Deus illum tradet in manus meas. *Priori modo etiam legit laudatus anonymus.*

m *Goldast.* Cœpit ardere, et crepens mortuus est. *Sed multum vereor, ne interpolator noster præ oculis habuerit historiam draconis a propheta Daniele simili fere modo interfecti, Dan.* 14, *eamque* S. Magno *adaptaverit. Non est quidem abbreviata manus Domini, qui dum lubet, miracula renovat; verum scriptoris nostri auctoritas ea non est, ut quælibet asserenti facile credamus.*

n Per ardorem ignis *etc. non legitur apud. Canisium.*

A *sium. De S. Narcisso vide annotata ad cap. 2, litt. ee.*

o *Locum hunc in opposita Lyci ripa in Bavaria collocat Raderus noster, Bavariæ piæ pag.* 186, *aitque nunc* Waltenhofen *appellari.*

p *Hæc eadem creditur, quæ etiamnum in abbatia Fuëssensi asservatur. Adi Comment.* § 10 *num.* 120, *ubi ex Henrico abbate diximus, eam anno* 1607 *apertam, inventasque in eadem sacras reliquias fuisse, sed sine epigraphis. Porro hæc crucicula eadem videtur, quam Walafridus Strabo in Vita S. Galli* capsellam *vocat, aut certe reliquiæ, quæ in hac servabantur, in illam inclusæ sunt, ut mox apparebit lit.* r.

q *P. Ludovicus Babenstuber in Vita Sancti ad cap.* 5 *lib.* 2 *notat sequentia :* Arbusculam illam adhuc stare ac virere perhibent in horto cujusdam Adami Mayr Waltenhofensis, prope templum parochianum : et tametsi aliquando per imprudentiam temere abscissa mutilataque sit, iterum fronduisse ac floruisse ; nec defuisse advenas, etiam per plura milliaria, qui surculos et folia inde decerpta in agris pratisque depangerent adB versus mures, eosque hac ratione mox solum vertere compellerent. Ita retulit Joannes Adamus Truckmiller, parochus Waltenhofensis, anno MDCCXII, XXI Augusti. *Hæc ipse; sed qua verisimilitudine, lectoris judicio permitto.*

r *Hæc tota narratio suspecta mihi est: vereor enim, ne interpolator noster S. Galli acta* S. Magno *adscripserit. Quippe sæpe laudatus Walafridus referens, qua ratione S. Gallus in eremo prope Arbonam ædificandæ cellæ suæ locum selegerit, inter cetera sic scribit :* Sumens virgam colurneam, fecit crucem et fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capsellam, in qua continebantur reliquiæ beatæ Dei Genitricis Mariæ et SS. martyrum Mauricii et Desiderii. Quam cum in ipsa cruce suspendisset, vocavit diaconum, et prostraverunt se pariter in oratione. Tum vir venerabilis hujusmodi preces emisit : Domine Jesu Christe, qui pro salute humani generis de Virgine nasci et mortem subire dignatus es, ne despicias desiderium meum pro peccatis meis; sed in honore sanctæ Genitricis tuæ et martyrum, confessorumque tuorum præpara in hoc loco habitationem tuis aptam servitiis.

C s *Colitur S. Florianus martyr* 4 *Maii, ad quem diem ejus Acta data sunt. Carolus Stengelius in Monasteriologio intellexit hæc de dedicatione ecclesiæ monasterii Fuëssensis : sed perperam, nam Waltenhofium plus quam dimidio milliari Germanico a prædicto cœnobio distat, idque in altera Lyci ripa, prout in ipsa etiam tabula, ejusdem Commentario Rerum August. præfixa notatur. Neque solus tamen hac in parte erravit Stengelius; nam abbas Henricus in annotationibus suis Ms. ait :* Collige falli eos, qui hanc ecclesiæ dedicationem attribuunt ecclesiæ Faucensi : nostra enim prima ecclesia non in honorem divæ Virginis et S. Floriani, sed in honorem Salvatoris nostri est dedicata. *Deinde recte notat Henschenius noster in Vita S. Tozzonis, sanctum hunc in hac ecclesia relictum fuisse, cum* S. Magnus ad loca vicina, quæ vocantur Fauces, *pergeret : alia ergo est a monasterio Faucensi.*

t *Quæ sequuntur usque ad cap.* 6 *desiderantur in editione Goldastina.*

u *S. Tozzo hic parochum egisse, indeque ad episcopalem Augustanæ civitatis cathedram evectus dicitur in ipsius Actis ad diem* 16 *Januarii illustratis. De eodem loco ait Raderus :* Waltenhofen hodie parœciam vocant, qui decurio sacerdotum etiam nunc præest.

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

w *Lectorem præmonitum velim, aut sequentem de dæmonibus relationem a plagiario nostro ex Vita S. Galli infideliter huc translatam esse, aut eadem prorsus, quæ olim S. Gallo contigere,* S. Magno *accidisse. Tædet furta longo sermone detegere : curiosus lector adeat modo Walafridum in Vita S. Galli apud Mabillonium cap.* 6, *moxque deprehendet, quam audacter interpolator ea, quæ S. Gallo prope Brigantium accidere,* S. Magno *apud Faucenses agenti eisdem sæpe verbis adscribat. Quam ob rem nemo miretur, quod has dæmonum querelas et fugam inter fabulosa adjuncta reputem.*

x *Recte : nam Waltenhofen et Fauces oppositas Lyci ripas tenent. Ludovicus Babenstuber hunc locum quadam traditione non satis certa, ut apparet, illustrat.* Extra suburbicen Fuëssense, *inquit,* ubi est fullonia, in utraque ripa Lyci notantur partes petræ depressiores cæteris, quas vulgus S Magni vestigia (S. Mangen schritt) nominat; quæ Divus destituerit ibi impresa, quando E amnem superavit, seu vado, seu portatus ab angelo. Non tamen referunt ea, ut satis agnosci queat, figuram plantarum humanarum : in causa ajunt esse vetustatem, quæ madore imbrium, nivumque adjuta, manifestiora lineamenta exederit. *Hucusque Babenstuber : Henricus abbas meminit quidem de loco ad Lycum* S. Mangen schritt *appellato, sed de impressis vestigiis nihil habet.*

y *Hoc fuit primum sacellum Faucense, et cognominis abbatiæ primordia. De eo laudatus abbas hæc observat :* Nota.., oraculum illud, quod S. Magnus in loco nostro Faucensi primo construxit, et episcopus Wicterpus in honorum Salvatoris dedicavit, fuisse (mea quidem opinione) supra petram majoris nostræ ecclesiæ, horto nostro conventuali contiguam, ubi jam constructa manet ecclesia nostra major. *Plura lector reperiet in Comment.* § 13.

CAPUT VI.

F

Monasterium Faucense fundatur : Sanctus sacerdotio initiatur, incolas ad Fidem convertit, venas ferri mirabiliter reperit.

Sanctus discipulos congregat : Wictherpus

Igitur *a* cum fama virtutum per Confessoris sui merita, quas Dominus cum illo in eodem loco exhibere dignatus est, venerabili episcopo nota facta sunt, quosdam religiosos clericos in disciplinatus ejus memoriam commendavit; qui divino amore succensi, per triginta *b* annorum curricula, obsequia præbentes, laudem Christi die ac nocte, horis atque momentis jussu suo administrabant. Relictis itaque venerabili Patri, quæ necessaria erant ibidem degentibus cum eo, profectus est supradictus episcopus Wictherpus ad gloriosum regem Pippinum *c*, qui tunc temporis Germaniam, totamque Galliam regebat, cum epistola beati Columbani, quam ad Lotharium

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

d rium direxit *d*, flagitans pro santis viris Gallo et Magno, consistentibus in regno suo, ut eos benigne in amore Domini foveret, eisque familiaria loca, ut opportunum foret, in sua ditione * tribueret. Sed quoniam Lotharius rex minime implere valuit hoc propter inimicorum diversorum Dei infestationes *e*, præfatus gloriosus rex propter amorem et petitionem fratris sui charissimi Karolomanni, qui propter Deum relinquens temporalem regni * gloriosæ pompam, monasterio se tradidit *f*, et eleemosynæ suæ largitatem, necnon et petitionem præfati episcopi, ipsum locum sublimare in aliquo largitionis suæ solatio dignaretur.

** Can. mercede*

** Gold. regalis*

a Pippino rege

55 Cumque gloriosus princeps præfatus accepisset epistolam, compunctus ex petitione fraterna, diligenter interrogare cœpit suis precibus *g* ex Alamannia, qualis iste locus esset, quem præfatus episcopus postulabat sublimari. Tunc dux Gunzo *h* ex provinciis Augustensis * Retiæ respondens dixit: Vere domine rex, ille locus tenuis quidem est facultate, sed optimus, si impeditio vermium deesset, ad venandum;

** Gold. Augustæ et Retiæ*

B quia plurimi servi, damulæ et hinnuli, ibicesque diversi ibi morantur; ursorum quoque ac luporum multitudo plurima. Wicterpus vero episcopus cœpit narrare de virtutibus beati Viri, quomodo, Domino adjuvante, draconem interfecit, et cæteras virtutes, quas Dominus per merita ipsius et orationes ostendere dignatus est, vel quomodo ille locus purificatus sit, ubi beatus Magnus morabatur. Et hæc audiens gloriosus rex Pippinus commotus valde animo dixit: In veritate comperi, quia quamvis ille locus tam tenuis sit facultate, tamen pro meritis tanti Viri celebris erit diffamatus rumore; sicut auditum habemus, jam locum esse, ubi corpus beati Galli requiescere videtur. Inquisivit ergo a præfato Gunzone, ubi vicinis locis potuisset tributarios invenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim reditibus regis inferre debeant: et invenit in ipso vicino pagum, qui vocatur Geltenstein *i*, sibi per omnia annuatim tributa persolvere.

C 56 Inter cætera ergo munificentiæ suæ dona, quæ impertivit beato Viro, dedit ei totum ipsum saltum cum marcha firmitatis *k*, quæ in epistola sua fecit conscribi; et vectigalia centum viginti tria *l*, quæ ex præfato pago inferre * debeant annuatim, quatenus pro memoria beneficiorum ejus perpetuo ibi permaneret *. Et ne cujusquam umquam ex successoribus suis tanti obstaret incrementi contradictio, fecit conscribi suæ firmitatis epistolam, atque, ut mos est regum, circumspecta roborari cautela, quatenus deinceps tam ipse dum viveret, quam omnes loci illius, sicuti marcha continetur, in eodem saltu ad sanctam Mariam et ad sanctam Afram, per regiam traditionem, absque illius violentia, præfatus episcopus Wictherpus, omnesque successores ejus, obtinerent auctoritatem *m*. His regia potestatis præsul Wictherpus adornatus solatiis et sublimatus honoribus, impartitisque donis optimis beato Magno a rege Pippino, lætus ad patriam regreditur, injungens beato Viro ea omni diligentia, dansque ei potestatem, ut in loco sibi commendato ad supplendas beatæ Mariæ excubias et sanctæ Afræ *n*, omnes ordinem et canonicam institueret vitam. Ex illo tempore ipse locus a beato viro Magno exordium sanctitatis accipiens, augmentatus autem et sublimatus a pontificibus Augustensis ecclesiæ, Christi nomen usque hodie ibi laudabiliter dilatari non desinit. D

annuos reditus pro Sancti monasterio impetrat.

** Gold. inferri*

** idem permanerent*

S. Magnus cum Theodoro accedit Wictherpum,

57 His itaque prælibatis, cum audisset Theodorus, qui apud castrum Campidonense morabatur, beatum Magnum consolidatum in loco, quem Dominus disposuerat; cœpit properare partes in illas, ut videret, qualiter et quomodo, Domino annuente, in illis locis moraretur. Ut autem ad eum pervenit, salutantes se invicem et deosculantes oculos pariter et manus, narravit ei Theodorus diversa et innumerabilia, quæ passus est a pagensibus Hilargaugensibus *o*; sed tamen, quamvis tantas injurias et calamitates ab eis sustineret, ædificavit ibi ecclesiam parvam super littus Hilaræ, quam postulabat, ut apud Wictherpum episcopum impetraret, quatenus illuc proficiscens, ipsam basilicam in honore sanctæ Mariæ Genitricis Dei consecraret. Venerunt ergo ambo ad locum, qui vocatur Eptaticus, inveneruntque ibi prænominatum episcopum in oraculo *p* suo sedentem et orantem. Ergo ut obtutibus ejus præsentati sunt, narravit ei beatus Magnus abbas de Theodoro, qualiter cum magno labore ecclesiam construxisset in loco E Campidonensi, et quomodo ille deprecabatur, ut ipse illuc properaret, ipsam ecclesiam Domino consecraret.

apud quem ex humilitate recusans sacerdotium

58 Audiens hæc venerabilis episcopus, respondens dixit ad eos: Dicam prius, vobis venientibus, quæ cogitabam, et sic congruo tempore, Domino annuente, proficiscar. Vere charissime pater Magne, nunc sedens cogitabam, ut quia Deus omnipotens ita te magnificavit * in loco illo per multa miracula sua, accersirem te venturæ solempnitatis jejunii septimi mensis *q*, et ad sacerdotii dignitatem superna gratia favente, promoverem. Inclinato denique capite, beatus Magnus inquit: Cur hanc objectionem asseris, pater? Peccatorum meorum squaloribus et flagitiis fœtere me video: idcirco vita mea non est talis, ut amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promovere queat. Ergo noli deprecationem nostram pro peccatis nostris abjicere; sed provocatus Domini mandatis, incipe salubre iter, viamque veritatis desiderantibus aperi: postea mihi servo Dei indigno, quando paternitati tuæ placuerit, sanctum benignitatis munus impende, ne refutare videar, quæ a Deo disposita sunt F super me servum suum.

** al. magnificatum habet*

cœlesti lumine irradiatur:

59 Et dum hæc diceret, viderunt ambo, id est, Wictherpus episcopus et Theodorus, coronam splendidissimam adhærentem capiti suo * in modum rotæ circa solum in nubibus fulgentem. Continuo autem surgens amplexatus est eum, et osculatus oculos et os ejus dixit: Dominus omnipotens, qui per potentiam majestatis suæ in te tantam virtutem ostendere dignatus est, ut pro ejus amore patriam tuam derelinqueres et præcepta ejus conservares, ipse te faciet * locum ab eo tibi destinatum, custodire et sublimare, cooperante gratia Spiritus sancti: et respondit: Theodorus Amen. Ad hæc iterum inquit episcopus: Bene vocatur iste locus Eptaticus *r*, quia in medio constat inter monasterium beatæ Afræ *s* et cellulam tuam: ideoque scias, quia post meum discessum hanc hæreditatem permanere cupio ad sanctam Mariam et ad sanctam Afram; quatenus quasi mediator sit locus iste successoribus nostris inter monasterium tuum et civitatem sanctæ Augustensis ecclesiæ *t*.

** S. Magni*

** Can. faciat*

60 His dictis, surrexit venerabilis episcopus et profectus est ad castrum Campidonense, descenditque

A scenditque cum eo beatus Magnus, comitante simul cum eo Theodoro, et venerunt ad castrum. Convocata autem multitudine populi in die solempni dedicationis ipsius ecclesiæ, venerabilis episcopus prædicationis dulcedine amborum * corda refecit; sicque jussu suo beatus Magnus ea, quæ dixerat, tanta sapientia luce vestivit populorum corda, ut summa cum gratulatione auditus et ineffabili veneratione a cunctorum sit ore laudatus *. Biduo itaque ibidem manentes cum gratiarum actione, populusque * benedictione tanti Patris armatus *, et ab episcopo osculo pacis tributo, ad sua reversi sunt venerabilis præsul et sanctissimus abbas, relinquentes Theodorum ad custodiendam ecclesiam Campidonensem. Beatus itaque Magnus morans * in cœnobio suo, quod sibi paraverat ad Fauces, per viginti quinque annos, magnas virtutes ibi operatus est Deus per eum; illuminando cæcos, præbens surdis auditum, dæmonio a pluribus ejiciens, claudicantibus tribuens gressum; sicque docuit populum et convertit ad fidem Christi et ad credulitatem ejus, ut relinquentes * idola vana et surda, et credentes in Dominum Jesum Christum.

inde cum iisdem ecclesiam in ripa Hilaræ dedicandam contendit.

* al. ipsorum, al. avidorum

* Gold. honore ornatus, Can. a cunctorum ordine sit ornatus

* Gold. populoque

* idem armato

* idem B. Magno morante

B

* idem relinquerent; *et infra* crederent

61 Insuper etiam per orationes ejus ostendit Deus venas ferri in montibus in gyro positis ita. Post susceptam benedictionem sacerdotalem, cum ipse circuiret montes et valles per diversa loca apta ad manendum, quadam die ascendens in montem excelsum, qui vocatur Suilinc *u*, invenit ibi plurimos ursos commorantes in maxima ferocitate: sed facta oratione, cœperunt ante eum tam mitis effecti ingredi, ut veluti boves, qui ante bubulcum pergunt, ita irent ante eum. Vir ergo sanctus prostravit se in figuram crucis ad terram et preces Domino devotas effudit, ut populo in illo pago commoranti aliquod adminiculum præberet ad victualia adquirenda. Interea ursus unus appropinquans ad eum cum magna mitigatione, cœpit cum pede monstrare abietem magnam, et quasi significans, quod sub ipsa arbore copia venarum ferri consisteret. Hoc ut Homo Dei vidit, dixit ad feram: Præcipio tibi in nomine Domini, ut ad ipsam abietem eas, et quia gladium * non habemus neque fossorium, ut possimus radices ejus incidere, neque effodere, tu in nomine Domini cum pedibus et dentibus tuis radices ejus evelle rumpendo, quatinus nobis Dominus demonstret suam voluntatem in adjutorium populi istius terræ.

Sacerdotio initiatus, ex indicio ursi,

u

* Gold. securim

C

62 Ad ejus ergo præceptum bellua conversa, cœpit radices arboris rumpere et cum dentibus frangere, donec ipsa arbor cum radice funditus ab urfo effossa corruit; sicque monstratæ sunt diversæ venæ ferri ad sumendum. Vir denique benignissimus gratias Deo agens, assumens panem de pera sua, quam secum habebat, integrum famulanti porrexit, et ita ei præcepit: In nomine Domini mei Jesu Christi panem istum manduca et sequere me, atque ad istum locum hominem, quem tibi monstravero, absque ulla læsione adducere stude, defendens eum ab aliis feris, si eum lædere voluerint: et hoc facto, circumpositos montes et colles cum aliis feris habeto communes, ita ut nullum hominem hic lædatis, neque pecora eorum. Et hiis dictis, reversus est beatus vir Magnus ad cellulam suam, secutusque est eum ursus sicut canis, qui sequitur Dominum suum. Ergo ut ad cellam appropinquavit, vocavit hominem suum nomine Luitonem et præcepit eum venire et afferre secum securim et fossorium atque asciam, et commendavit cum urso et dixit: Istum hominem salvum et incolumem perduc ad locum, quem Dominus ostendit nobis, et cave, ne aliquam læsionem ab aliis feris patiatur.

quem sibi obsequentem habet,

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

63 Bellua itaque conversa obediens jussioni ejus, cœpit pergere ante hominem et aperire viam atque monstrare semitam: sicque adduxit eum ad locum, ubi arbor corruerat, nullam aliam feram permittens ad eum appropinquare, donec vir effodiens complevit sarcinulam suam *, et per eamdem semitam usque ad cellulam Viri Dei reduxit. Hoc facto, ursus ad saltum reversus est: homo vero prostravit se ad pedes beati Magni et dixit: Vere, Domine mi, cognosco et certus sum, quoniam Dominus omnino est tecum, quia et bestiæ heremi obediunt tibi, veluti Jesu Christo *w*: nam me ursus tam prævidit et custodivit, ut nec saltem alias feras ad me accedere permitteret. Ille autem dixit ei: Cave diligenter, ne alicui hoc dicas, dum ego vixero; sed præpara aditum cæteris hominibus, sicut ipse ursus te duxit, quatinus viam noscant illuc proficiscendi, et, Domino annuente, deinceps opem habeant ad victualia exteraque necessaria per ferrum acquirenda. Ab illo ergo die notæ factæ sunt incolis terræ illius in illo loco et in gyro diversæ venæ ferri, quæ Domini gratia per merita beati Magni permanent usque in præsentem diem *x*.

venas ferri detegit.

* Gold. saccum suum metallo

w

E

x

ANNOTATA.

a *Hic Goldastus narrationem tandem resumit.*

b *Reliqua omnia exemplaria tam edita, quam Mss., si unum excipias, legunt* viginti quinque: *et recte, nam infra dicitur* S. Magnus expletis viginti sex annis commorationis suæ in illo cœnobio *obiisse.*

c *Consule Comment.* § 13.

d *Jonas in Vita S. Columbani scribit, eum cum a Clothario rogaretur, ut Luxovium rediret, mandasse Eustasio, ut ab eo itinere suscipiendo apud regem se excusaret, ceterum se* tantummodo poscere, ut sodales suos, qui Luxovium incolebant, regali adminiculo ac præsidio foveret. *Addit Jonas:* Litteras castigationum affamine plenas regi dirigit gratissimum munus; *at de SS. Gallo et* Magno *nullum verbum facit: non dubito tamen, quin hasce litteras interpolator noster designet. Vide Comment.* § 13, *num.* 158.

F

e *Quas hic inimicorum Dei infestationes commemorat, quibus Clotharius II prohibitus fuerit Dei servos fovere? Certe Clotharii monarchia diu tranquilla fuit et felix: et Jonas diserte asserit, illum Luxoviensibus monachis munificum se exhibuisse.* Omni denique præsidio, *inquit*, supradictum monasterium munire studet, annuis censibus ditat, terminos undique, prout voluntas venerabilis Eustasii erat, auget.

f *Carlomannus circa medium seculi 8 se religiosæ vitæ mancipavit: qui potuit ergo commendatitias litteras adolescente seculo 7 pro* S. Magno *dare? Scilicet interpolator, ut in Commentario sæpe ostendimus, personas et tempora imperite commiscet perturbatque. Vide dicta in Comment.* § 13 *a num.* 157, *ubi ostendimus, ex quo capite in tam fœdum parachronismum auctor videri possit incidisse.*

g *Rectius cum Goldasto leges* suos proceres.

h *Goldastus*

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

h *Goldastus* Cuntzo: *hic idem ille videtur, ex cujus filia Frideburga dæmonem expulisse S. Gallus supra dicitur.*

i *Canisio dicitur* Geltinstein, *Goldasto* Keltinstein, *abbati Henrico* Gelltenstain: *qui addit, pagum illum non amplius exstare sub eo nomine, putatque in Tyroli situm fuisse. Mabillon. tom.* 2 *Annal. ad annum* 839 *recitat diploma Ludovici augusti pro Campoduno datum, in quo etiam mentio fit de pago Keltenstein.*

k *Ita etiam est apud Canisium, sed mendose, quare ex Goldastino exemplari textum sic restitues:* Dedit ei totum ipsum saltum cum marcha, firmitatemque in epistola etc. *Nunc pauca notanda. Goldastus ad hunc locum ait:* Marcham vocat, quam paulo prius pagum dixerat, scilicet *Keltinstein.* Sic in chartis legimus, *Zuckuriederomarc, Gossonueromac,* etc., pro marca Zuckuriederiana, marca Gossoviana: in quibus nominibus marca nihil aliud est, quam territorium, districtus, ut nunc appellant. *Henricus abbas Fuëssensis hunc locum excipit sequenti interpretatione:* Nota saltum illum, quem Pippinus S. Magno donasse dicitur, fuisse totum B illum districtum et fundum, magnum et spatiosum desertum, quod se extendit ab Hornbach et parochia Aschauer usque ad Erspach, et quo spatio præcipue continetur toto parochia Aschaver, Saxenriedt, Hohenfursch, bona in Niderhoffen et Altenstat, Dienhausen, Weyssensee et Fuëssen *etc. Hæc Henricus: quæ an omnia recte se habeant, subdubito, cum eorum aliqua in tabulis geographicis aliter notentur: at cum ipse res domesticas accuratius explorare potuerit, ex ipsius fide referenda censui. Porro per* firmitatem in epistola conscriptam *denotat instrumentum seu diploma, quo prædicta donatio continebatur.*

l Centum et tredecim *dicitur in reliquis exemplaribus editis et Mss. Laudatus abbas Henricus circa ea vectigalia hanc notavit conjecturam:* Si conjecturari licet, puto ego esse centum et tredecim libras argenti, quæ quotannis pendendæ erant ex Aschawensi S. Magni ecclesia: nam centum et tredecim libræ faciunt sexaginta quatuor florenos, triginta crucigeros et unum halerum. Sic hodiedum nobis etiamnum pendunt Aschawenses quotannis pro censu sexaginta quatuor florenos. Quod ego pro ratione conjecturæ C meæ assertum volo.

m *Vitiosa hæc periodus, quæ in Goldastina editione rectius deest, in Canisiana vero æque vitiose exstat, male distorta huc translata est ex Walafrido de Miraculis S. Galli cap.* XI. *Verba accipe.* Et ne cujusquam avaritia tanta incrementis obsisteret boni, diuturnæ firmitatis epistolam fecit conscribi, et, ut moris est, circumspecta roborari cautela, quo deinceps tam ipse, qui aderat, quam successores ejus idem monasterium per regiam obtinerent auctoritatem. *Plura de hoc plagio disseruimus in Comment.* § 13, *a num.* 157.

n *Goldastus, omisso* S. Afræ *nomine, legit* ad supplenda B. Mariæ obsequia *etc.: per* excubias *autem et* obsequia *psalmodiam divinumque cultum intellige.*

o *Id est Hilaræ accolis, sive pagum, Hilaræ adsitum, incolentibus. Anonymus Ratisponensis substituit* ab incolis Campidonensibus.

p *Henschenius in Actis S. Wicterpi ad diem* 18 *Aprilis de loco Eptatico ejusque sacello notat sequentia ex Caroli Stengelii Commentario:* Diu investigavi, *(verba Stengelii sunt)* num adhuc D locus ille, Eptaticus, in Vita S. Magni et B. Herlucæ vocatus, extaret: pagum nunc Eppach dici, inveni. De ecclesia non ita constabat. Inquisierunt eumdem locum, cum in Vita S. Wicterpi legissent, eximii quidam viri, illuc forsan transeuntes; sed nihil hujus tituli se invenisse, testati sunt. Incidi tandem in hominem rusticanum, quem diligentius examinans, num quid ecclesiarum sub titulo B. Mariæ Virginis et S. Laurentii extaret: respondit, in pago Eppach nullam quidem ecclesiam hujus tituli extare, cum duas habeat: itinere vero unius horæ non longe a Lyco flumine, loco omnino solitario et inculto, superesse parvum omnino sacellum hujus tituli. Quo responso in eam omnino deveni sententiam, ut mihi persuaderi paterer, hanc ipsam esse ecclesiam, qua delectatum fuisse B. Wicterpum legimus, ubi postea Herluca vitam egerit, *ut tradit Paulus Bernridensis in hujus Vita.*

q *Per* jejunium septimi mensis *designat jejunium Quatuor temporum mensis Septembris, qui in prima temporis digestione per Romulum facta,* E *septimus erat a Martio, a quo annum auspicabantur: et quamvis Numa Pompilius Romuli successor Januarium et Februarium Martio præposuerit,* septimi *tamen* mensis *vocabulum retinuit: hinc S. Gelasius* I *epist.* 9: Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent; id est, quarti mensis jejunio, septimi et decimi etc. *Floruit S. Gelasius circa finem seculi quinti.*

r *Anonymus Ratisponensis in præfatione hunc locum carpit,* quasi, *inquit,* idem vocabulum (Eptaticum) interpretetur medium, et non potius numerum sonet septenarium, qui Græce dicitur ἑπτά. *Recte: sed quidsi locus ille septem circiter leucis utrimque dissitus fuerit, inter Augustam scilicet et Fauces medius? Tum sane nihil erit, quod improbet anonymus.*

s *Nisi recentioris cujusdem interpolatio hic intervenerit, per* monasterium S. Afræ *intellige cœtum canonicorum regularium, qui locum illum incoluisse dicuntur, teste Bernardo Hertfelder in Basilica, priusquam anno* 1012 *Benedictinis traderetur: quamquam nec certo asserere ausim, canonicos illos jam a* S. Magni *ætate ibi degisse.* F

t *De donatione hac, nihil habet Goldastus, apud quem tantummodo leguntur sequentia:* Ad hæc iterum inquit episcopus: Bene vocatur iste locus Epthaticus, quia in medio constat inter monasterium B. Afræ et cellulam tuam.

u *Goldasto dicitur* Swiling, *anonymo autem Faucensi in Germanica Vita* Seyling: *postremo modo montem illum vocitatum reperio in Topographia Sueviæ per Merianum, ubi notatur prope oppidum Fuëssense in adversa Lyci ripa.*

w *Veluti* Jesu Christo *rectius deest in Goldastino exemplari.*

x *Quod istæ ferri fodinæ perseveraverint usque in diem, quo hæc scriberentur, non habet Goldastus: habebatur tamen in exemplari, quo circa medium seculi* XI *usus est anonymus Ratisponensis, apud quem sic legitur:* ab illo igitur diversæ ferri venæ inveniebantur in ipso loco, usque in præsentem diem: *nisi forte anonymus indicare voluerit, fodinas illas seculo* XI, *quo scribebat, etiamnum supereuisse. Sæpe laudatus Babenstuber lib.* 3, *cap. de iisdem ita scribit:* Visuntur illæ hodieque: sed cum ferrum habeant notæ non adeo bonæ, ut aliud, quod

a

A a vicinis negotiatoribus importatur, venditurque tolerabili pretio, pridem desertæ sunt. *Ceterum historia hæc satis mirabilis est, quam propterea vellem a magis idoneo scriptore, quam interpolator noster sit, traditam fuisse.*

CAPUT VII.

Sancti mors et sepultura ; ipsius templi devastatio et restauratio.

Sanctum ægrotantem invisunt B. Tozzo et Theodorus,

Cumque transissent viginti quinque anni *a* et Dominus illum locum per merita tanti Viri sublimare dilatareque dignatus est *, Wictherpo episcopo defuncto quartodecimo Calendarum Majarum die, Tozzo per electionem beati Magni ad pontificatus honorem a Pippino glorioso rege *b* jam in ultimis suis diebus deductus est. Sed finitis viginti sex annis *c*, beatus Pater B ægrotare cœpit atque infirmitate febrium languescere. Misit ergo ad Theodorum sodalem suum, qui tunc temporis in Campidonensi cellula morabatur, et accersivit eum, ut acceleraret atque eum visitaret et sua visitatione refoveret fidelissimum Amicum. Audiens hæc Theodorus, commotione maxima de invalitudine tanti Viri, animoque mœsto, celeriter partes in illas profectus est, sumens secum, prout poterat, ea, quæ in infirmitate laboranti noverat congruere. Veniens autem ad præfatam cellulam invenit beatum Virum in maxima infirmitate detentum ; et misit celeriter ad Tozzonem episcopum, intimans ei, ut acceleraret et tantum Patronum, priusquam ab hac luce sæculari discederet, visitare veniret. Cum audisset igitur hoc præfatus episcopus, velociter partes in illas profectus est et pervenit ad cœnobium beati Viri.

(* Gold. decrevisset)

inter quorum lacrymas pie moritur

65 Cumque beatus Magnus patronus in infirmitate maxima laborasset, videns hoc Tozzo episcopus, cœpit flere et dicere : Heu pater C amande ! Heu doctor egregie, in hiis periculis me quasi orphanum dimittis ! Ad hæc beatus vir Magnus inquit : Noli flere, venerabilis præsul, qui me in tot mundialium perturbationum procellis laborantem perspicis, quoniam credo in misericordia Dei, quod anima mea in immortalitatis libertate sit gavisura : tamen deprecor, ut orationibus tuis sanctis mihi peccatori et animæ meæ non desinas opem tuæ intercessionis adhibere *. Inter hæc verba beatus Magnus per dies sedecim *d* laborans, expletis viginti sex annis commorationis * suæ in illo cœnobio, ætatis vero suæ annis septuaginta tribus, in die sancto Dominico *e* et in octava Idus Septembris, commendans se Deo et venerando pontifici, in senectute bona circa horam nonam diei ipsius Dominici *, sanctam animam Deo reddidit *f*, de hujus vitæ liberatus ergastulo. Flentibus autem ibi episcopo et Theodoro coram lectulo ejus, audita est vox de cælo dicens : Veni Magne veni, suscipe coronam, quam tibi Dominus præparavit *. Audita ergo hac voce, dixit Tozzo ad Theodorum : Cessemus flere, frater, quia potius nos oportet gaudere de animæ ejus immortalitate sumpta * in hoc signo audito, quam luctum facere : sed eamus ad ecclesiam, ut pro tam charissimo Amico salutares hosti Domino immolare studeamus.

(* Gold. me. etc. adjuvare)
(* Can. morationis, Gold. orationis)
(* Dominici non est apud Gold.)
(* Gold. et Can. præparatam habet)
(* Can. in immortalitate sumpta)

Septembris Tomus II.

A. Theodoro, et Fertur, etc. et sepelitur, imposita loculo Sancti Vita.

66 Finito itaque fraternæ commemorationis obsequio, invenerunt ambo sarcophagum optimum lapideum a quodam duce antiquis temporibus nomine Abuzaco constructum, qui et ipsum castrum *g* construxit et a suo nomine similiter Abuzacum vocavit : sed non fuit in ipso sarcophago positus neque sepultus quisquam. Purgato ergo ipso sarcophago, assumpserunt sanctum corpus et recondiderunt in loco, ubi Pater ipse oraculum sibi construxerat, et cooperuerunt humum, ponentes ejus Vitam in capite suo scriptam virtutibus plenam sub auctoritate Theodori. Ego itaque Theodorus monachus ex monasterio sancti Galli, jussu Tozzonis episcopi, sicut a Theodegisilo *h* monacho sancti Columbani de tanti Viri conversationibus simul cum beato Columbano comperi *i*, et post * oculis meis ipse vidi et auribus audivi, seu posteaquam me reliquit in cellula Campidonensi, et sicut postea a præfato venerabili episcopo Tozzone de virtutibus ejus didici, plurima, sed non omnia in pitatione *k* mea scribere curavi, et ad caput ejus posui reconditum in sepulchro *l* ; quatenus futuris temporibus, quando, Domino re- E velante, corpus ejus sanctum inventum fuerit, sicut, Domino annuente, qui tunc pastores et rectores sanctæ Ecclesiæ fuerunt, invenerint justum et dignum fore, ita ea, quæ corrigenda fuerint, corrigant, et, quæ emendanda sunt, emendent, necnon pro me servo Christi intercedere non dedignentur, quatinus orationibus tanti Patroni suffultus, anima mea in requiem sempiternam procedat.

(* post deest in Can.)

Tozzo moritur.

67 Vir *m* ergo venerabilis episcopus Tozzo post obitum beati Magni, prout potuit, ipsum cœnobium semper cum suis * custodivit, secundum facultatem loci regens et gubernans, atque disponens ea, quæ ad ipsum monasterium pertinebant * jure, custodiens sanctum corpus cum clericis et officiis divinis atque luminaribus usque ad obitum suum : qui permanens post discessum beati Magni in pontificatu annos quinque et menses tres, septimo decimo Calendas Februarii vitam sæcularem finivit *n*, tradens ante obitum suum hæreditatem suam ad sepulchrum beati Magni cum firmitate et adstipulatione F secundum legem Alamannorum *o* ; sepultusque a clero suo Augustensi sub testimonio in eadem hæreditate.

(* Can. addit custodibus)
(* Can. et Gold. pertinere debebant)

Theodorus variis injuriis affectus fugit.

68 Denique post obitum gloriosi regis Pippini *p*, filiis suis litigantibus, erectus est Utilo in ducatu Bavariorum, et Gotefrit *r* in regimine Alamannorum. Sicque orta magna seditione et rixa inter Bavarios et Alamannos, devastantes et deprædantes seu spoliantes omnia, quæ in marchis *f* duarum regionum consistebant, minime quivit Theodorus *t*, fidelis monachus sancti Galli et Magni, custodire locum Campidonensem propter varias persecutiones et malorum hominum a pagensibus ipsius loci oppressiones in suis necnon in semetipso. Idcirco relinquens illum locum profectus est iterum ad monasterium sancti Galli ; invenitque beatum Othmarum *u* abbatem ipsius monasterii, jam senem et grandævum provectæque ætatis, sed Domini gratia Spiritu sancto plenum et virtutibus divinis imbutum.

et a S. Othmaro benigne suscipitur.

69 Narravit ergo ei omnia de beato Magno confessore Christi, quæ acciderant, et de loco Campidonense, seu de persecutione plurima, quam

A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

quam passum est a paganis vel a malis Christianis. Hæc audiens beatus Othmarus dolens et mœrens de tanta persecutione, seu etiam et de sua ipsa, quam jam a pessimis comitibus Warino et Ruothardo *w*, qui tunc temporis quasi totius Alamanniæ curam administrabant, patiebatur: deinde quemdam ex fratribus suis Peretgothum *x* nomine, monachum, optimum virum et prudentem, cum quatuor monachis aliis illuc direxit, qui ipsum locum custodirent, donec, Domino opitulante, pace reddita, iterum a rege Karolo sublimaretur; permittens Theodorum morari in monasterio usque ad obitum suum.

Carolus rex ecclesiam S. Magni restaurat.

70 Igitur Karolo *y* rege consolidato et confirmato in provincia Galliæ, restaurans et reædificans ecclesias, quæ a malis invasoribus desolatæ erant, totam Germaniam Dominus ejus subjugavit imperio, interfectis principibus Germaniam possidentibus. Cumque audisset de beato Othmaro injuste acta et ad finem obitus usque perducta, necnon de cœnobio Campidonensi, imo et de civitate Augustensi, quippe de monasterio sanctæ Afræ *z*, et cellam sancti B Magni pene destructam et desolatam, compuncto corde, iterum reædificare cœpit ipsas ecclesias et sublimare. Constituit autem episcopum Sintpertum *aa* nomine in ipsa civitate, et dedit secundum morem regium per firmitatis præceptum ad præfata loca omnia, quæ ab antecessore suo Pippino illuc tradita fuerant; insuper et addidit plurima. Suscepto ergo episcopatu, Sintpertus profectus est ad Augustam Vindelicam, et per annos fere triginta rexit ipsam ecclesiam *, construens basilicam sanctæ Afræ, et restaurans cœnobium sancti Magni *bb*. Parochiam *cc* vero im ambarum partium Lici fluminis per auctoritatem *dd* domini Karoli jam facti imperatoris in utroque regno simul, Domino favente, coadunavit.

* *Gold* ipsa. monasteria

ANNOTATA.

a *Ab ejus primo ad Fauces adventu: quo annorum spatio quid egerit, antiquitatis tenebris involutum latet, præter pauca quæ commemoravimus. Sed cum Algoiorum apostoli titulo apud omnes exornetur, dubitandum non est, quin* C *omne istud tempus apostolicis laboribus impenderit, iisque prodigiis fulserit, quæ apostolicos viros comitari consueverunt, quæque supra num.* 60 *scriptor perstrinxit:* Per viginti quinque annos magnas virtutes ibi operatus est Deus per eum; illuminando cæcos etc.

b *Hic locus omnino mendosus est, sive Pippinum regem cognomento* Brevem *intelligas, sive B. Pippinum de Landis Majorem-domus. Prior enim circa annum* 654, *quo hæc facta dicuntur, natus nondum erat, nedum rex. Posterior anno* 646, *id est jam octo annis prius excesserat e vivis: prout olim observavit Henschenius in Actis S. Tozzonis ad diem* 16 *Januarii: ubi hanc addidit conjecturam:* Temere fortassis Pipini hic repetitum nomen, eique adscriptum, quod vel Grimoaldus ejus filius, vel ipse S. Sigebertus curarat.

c *Editio Canisiana, tam Ingolstadiensis anni* 1604, *quam Amstelodamensis cum Observationibus Jacobi Basnagii anni* 1725, *legit:* finitis viginti quinque annis: *at cum infra in eadem editione dicatur Sanctus post morbum tredecim dierum,* expletis viginti sex annis commorationis suæ in illo cœnobio, *obiisse, patet,* D *reliquorum exemplarium lectionem præferendam esse.*

d *Canisius et Goldastus* per dies tredecim; *anonymus Ratisponensis,* cum . . . magis magisque per dies quatuordecim in infirmitate laborasset *etc.*

e *In Goldastina editione est* in die S. Dominici: *at perperam; nam si de sancto Ordinis Prædicatorum fundatore agatur, is primum anno* 1221 *ad cælos emigravit, sed nec alium hujus nominis sanctum scio, cui dies sextus Augusti sacer sit. Præterea in die Dominico etiam legit anonymus Ratisponensis et cetera exemplaria, atque ita legendum esse ex mox dicendis apparebit.*

f *Obiit igitur anno* 655, *quo et dies sextus Septembris Dominicus fuit, et in quem scriptoris calculi conveniunt, ut ostendimus in Comment.* § 4.

g *In Goldastina editione per errorem, ut apparet, omissum est* castrum, *unde sensus exsurgit, quasi ipsum sarcophagum Abusacum appellasset. De duce Abuzaco nihil mihi occurrit: castrum vero Abuzacum, quod ab aliis Abodiacum et Abudiacum nuncupatur,* hodie volunt esse oppidum Fuëssen, *inquit Philippus Cluverius in Vindelicia et Norico, cui opinioni ipse etiam subscribit.* E

h *Idem ipse videtur, qui a Jona apud Mabillonium sec.* 2 *Act. in Vita S. Columbani num.* 23 Theudegisilus *vocatur, et cui resectum falce digitum S. Columbanus restituisse narratur.*

i De tanti Viri conversationibus simul cum B. Columbano comperi · *desunt in Goldastino et anonymi exemplaribus; et recte; nam nec* S. Magnum, *nec Theodorum sub S. Columbani disciplina vixisse ostensum est in Comment.*

k *Canisius* in epitafio meo, *Goldastus* in pictatio meo. *Apud Cangium in Glossario legitur* pittacium, pitacium, pictacium *etc. usurpaturque pro membrana sive charta.*

l *Goldastus paulo brevius habet in hunc modum:* Ego itaque Theodorus monachus S. Galli, jussu Tozzonis episcopi, sicut a Theodegisilo monacho S. Columbani audivi et postea ipse oculis meis vidi et auribus audivi, seu postquam me reliquit in cellula Campidonensi, plurima, sed non F omnia in pictatio meo scribere curavi, et ad caput ejus posui recondito eo in sepulchro, quatenus etc.

m *Apud Goldastum præponitur sequentibus hæc epigraphe:* Ermenrici Elewangensis monachi supplementum: *sed et hoc supplementum a recentiore auctore imperite interpolatum fuisse, jam ostendimus in Commentario, et ex dicendis manifestum fiet.*

n *Ex hoc loco Henschenius noster tom.* 2 *Januarii, ad diem* 16, *S. Tozzonis obitum ad annum circiter* 661 *refert. Adverte tamen locum hunc mendosum esse, et pro* menses tres *substituendum esse* menses quatuor, *tot enim a* 6 *Septembris, quo* S. Magnus *obiit, ad* 16 *Januarii, diem S. Tozzonis emortualem intercesserunt. Anonymus Ratisponensis, qui stylum mutavit, ita habet:* Post obitum B. Magni in pontificatu annos V et menses VI *(forte* IV*)* gerens, XVII Cal. Feb. vitam præsentem finiit.

o *Exstat ea Lex apud Goldastum Alamannicarum rerum tom.* 2, *parte* 1.

p *Perturbatissima hic est rerum, ac temporum series. Pippinus rex, cognomento* Brevis, *obiit*

A *obiit anno 768, ut apud omnes certum est. Pippino Carolus et Carlomannus successerunt, quorum simultates Berta seu Bertrada eorumdem mater sopire, conata est.*

q Utilo *sive* Odilo *Bajoariæ ducatum tenuit usque ad annum circiter 747, quo obiit, prout ostendit Eccardus Franciæ Orient. tom.* I, *lib.* 23, *num.* 102. *Qui potuit igitur* post obitum gloriosi regis Pippini, *qui ipsi plus quam viginti annos supervixit*, erigi in ducatu Bajoariorum? *Verius id dixisset de Tassilone Odilonis filio et successore, quem, quo tempore Carolus et Carlomannus dissidebant, nova molitum fuisse constat. Rebellavit quidem Odilo, at non sub prædictis regibus, sed sub Carlomanno et Pippino Majoribus domus, a quibus et subjugatus est. Has duas defectiones imperitus scriptor confudit.*

r *Canisio et anonymo Ratisponensi*, Gotafrid, *Goldasto* Gotefredus. *Hunc ducem Alemannorum fuisse, Francorumque jugum excussisse, habemus ex fragmento Erchanberti apud Chesnium Hist. Franc. script. tom.* I, *pag.* 780 : *eumdem*

B *obiisse anno 709, tradunt Annales Nazariani apud laudatum Chesnium tom.* 2, *pag.* 3. *Non potuit itaque hic post mortem Pippini regis, id est, post annum 768, cum Odilone Bajoariorum duce belligerare.*

s *Id est, intra terminos seu limites:* marcha *enim* terminum *sive* limitem *quandoque significat. Pro* duarum regionum *Canisius et Goldastus habent* duorum regnorum.

t *Quam inepte Theodorus* S. Magni *socius ad Caroli et Carlomanni tempora perducitur! Enimvero si vera narret interpolator, oportet, Theodorum tum annum 176 circiter egisse : quippe ab anno 612, quo S. Columbanus Italiam adiit, usque ad 768 Pippini emortualem, anni 156 effluxerunt; quibus si annos 20, quos ipse tum numerare potuit, addideris, ad 176 pervenies.*

u *Colitur S. Othmarus die 16 Novembris. Acta ejus exstant apud Mabillonium sec. 3 Benedictino, parte 2 : unde in rem præsentem noto sequentia : S. Othmarus cellam S. Galli regendam accepit anno 720, eidemque per annos 40 præsidens, Ruadhardi et Warini opera de adulterio falso condemnatus, in carcere obiit anno*

C *759. Hinc collige lector, quid de hoc Theodori ad S. Othmarum accessu censendum sit. Fabulam utique dices: præterquam enim quod Pippinus Brevis supervixerit S. Othmaro, non potuit Theodorus eum jam abbatem novisse nisi annum agens circiter 130. Vide dicta ad cap. 3 litt.* w *et* x.

w *Consule, si lubet, S. Othmari Acta apud laudatum Mabillonium.*

x *Canisius* Berthgozum, *Goldastus* Perechtgozum, *anonymus Ratisponensis* Pertgozum.

y *Carolum cognomento* Magnum *designat, qui Carlomanno fratre anno 771 defuncto, Francorum monarchiam obtinuit. Acta ejus habes tom.* 2 *Januarii die 28.*

z *In Goldastino exemplari correctius legitur:* Cumque audisset ... cœnobium Campidonense et civitatem Augustensem quippe et monasterium S. Magni et cellam S. Afræ pœne destructam *etc.*

aa *Matthæus Raderus in Bavaria sancta vol.* 3 *ipsius elogium recitans, illum* S. Simpertum *vocitat.*

bb *Huc pertinent versus, qui de Faucensis monasterii fundatoribus et restauratoribus circumferuntur :* A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

Vastatum cæsar reparavit Carolus idem,
Atque Augustana Simpertus præsul in urbe.

cc *Abbas Henricus in suis observationibus Mss. monet,* parochiam *hic accipi pro* diœcesi, *asseritque Augustanæ diœcesis limites sub S. Simperto ultra Lycum extensos fuisse : et recte, in ea enim significatione cum cap. seq. num. 73, tum alibi sæpe* parochia *usurpatur. Præterea Velserus Rerum August. Vindelic. lib. 4 testatur, compertum sibi esse,* Carolo Magno imp. divo Simperto episcopo, Augustanæ ecclesiæ diœcesim . . . auctam *esse. Et rursus post aliqua ait :* In vetusto manuscripto codice legere memini, Simpertum Augustanam diœcesim Noricorum finibus auxisse: antiquum namque Noricum. . . ad Oenum tantum, posterius ad Lycum usque pertingit. *Eadem de Simperto habet Stengelius ex vetustis, ut ait, monumentis. Hæc forte discutienda venient tertio Idus Octobris.*

dd *In Canisiana et Goldastina editionibus legitur* per auctoritatem domini Leonis tunc temporis Papæ, et confirmationem domini Karoli E *etc.: atque ita pariter sæpe laudatus anonymus. Hic* Leo *fuit ejus nominis* III, *qui anno 795 sedere cœpit.*

CAPUT VIII.

Corpus elevatur : Vita cum eo reperta Ermenrico emendanda traditur.

Qualiter ergo corpus beati Magni repertum sit, et inter cæteras virtutes, quas ante sepulchrum ejus Dominus per merita sua revelare dignatus est, quam maximam virtutem tunc, reperto corpore suo, manifestavit, non est silendum. Defuncto igitur Sintperto episcopo, successor ejus Hatto *a* in episcopatu pastoralis regiminis curam *b* sumpsit; sed cum non amplius quam septem annos in pontificatus honore, ipsam ecclesiam regere visus est, minime quivit in hiis rebus sublimari *c*, nisi tantum in Bavaria propter suam progeniem *d*, quam ibi præsentem habebat, ea, quæ potuit, ad ipsam ecclesiam acquisivit. Finitis autem transactisque septem annis, temporibus suis successores ejus, qui in ipsa sancta ecclesia constituti sunt, primus Nittarius *e* cœpit a fundamentis ecclesiam beati Magni construere; cæteri vero præsules eum subsequentes, prout potuerunt, similiter construxerunt; tamen non fuit aula basilicæ ad perfectionem operis perducta *f*, donec Domino annuente, a gloriosissimo rege Ludovico, filio Ludowici clarissimi imperatoris, Lanto ipsam sanctam sedem, eo tribuente, adeptus est *g*. *Ecclesia Sancti restauratur: Lanto episcopus* F

72 Consecratus ergo præfatus vir in pontificatus dignitate, quinto anno episcopatus sui ecclesia perfecta est * et omni pulchritudine decorata; sanctumque corpus infra mediam ecclesiam requiescere sinens, sicut prius positum fuerat, cum omni diligentia et honore, donec cum archiepiscopo suo et cæteris fratribus suis conveniret, si eum ausus esset ab illo loco ad alium transferre. Consilio autem inito cum archiepiscopo *agit de elevando corpore.* * *Gold.* ecclesiam perfecit *etc.*

A. Theodoro, ut fertur, etc.

** i. e. Moguntinæ*

scopo suo sanctæ Maguntiensis * ecclesiæ, nomine Otgario *h*, cæterisque aliis episcopis suis suffraganeis, invenerunt, dignum fore, sanctum corpus et pretiosum ab illo loco in meliorem et sublimiorem, si Deus vellet, transponi. Sicque reversus cum licentia piissimi regis Ludowici ad propria, ad cœnobium beati Magni accelerans, gratissimum omnibus, qui aderant, præbet repertum consilium.

Sanctus apparens ægro prædicit sanitatem i k

** Gold. ex liberiori genere ortus*

73 Erat autem quidam in eodem monasterio frater *i*, ex pago Duria ortus *k*, et quamvis pauperculus, tamen ex bonis parentibus * natus. Cumque ibi studio discendi moraretur et assidue quasi quotidianum victum suis laboribus quæritaret, quodam dolore percussus in latere, gravi per spatia temporum longa infirmitate contabuit, ita ut ab humero videlicet usque ad extremam corporis partem in uno latere ulcera saniem emittentia paterent quam plurima. Qua infirmitate adeo gravatus est, ut vix sine aliorum adminiculo gressum quoquam movere potuisset. Lanto vero episcopus, convocatis plurimis ex parochia sua præsbyteris, indixit triduanum jejunium, B Domini misericordiam implorans, ut præpropera festinatione *l* transactis tribus diebus, sanctum corpus revelare dignaretur, cujusque meriti esset, ostenderet. Sequenti itaque tertia nocte, dum corporale medicamentum illi ægro adhibitum nihil prodesset, et a semetipso atque a cunctis cum conspicientibus jam jamque in desperationem lapsus adesset *m*, vidit in somnio sibimet assistere gravitatis multæ Senem et placido vultu blandisque sermonibus causas infirmitatis inquirentem.

et inventionem corporis, quod ille episcopo indicat:

74 Cumque æger se interroganti totius ex ordine infirmitatis suæ replicaret eventum, dixit ad eum Senex: Postula fili ab episcopo, ut, quando hodie corpus meum invenerit, illudque a cripta, in qua jacet, abstulerit, ipsam criptam te osculari permittat; et dum osculata fuerit, sume cineres de ipso loco, et misce cum aqua atque ex oleo sancto *n* simul, et ante altare novum, quod constructum est, prout poteris, prosterne te, necnon et ulcera tua perungere roga: et si hoc feceris, Dominus te continuo pristinæ sanitati restituet. Evigilans ergo æger, facto mane venit ad ecclesiam, et quod in somC no audierat, custodi ecclesiæ retulit, et cum ipso ecclesiam ingressus, pariterque cum custode ad pedes episcopi prostratus, sicut edoctus fuerat, episcopo narravit inter angustias ac gemitus. Assumpto *o* fossorio cœpit fodere; et invenit sarcophagum lapideum splendidissimum, in quo sanctum corpus jacebat more carbunculi optimi.

deinde, invento corpore, sepulchrum veneratus,

75 Aperto itaque eo inventum est corpus ejus totum illæsum, et Vita ejus ad caput posita, sed membrana tantum fuerunt tabida, ut vix a quoquam legi potuissent. Pars vero corporis in vestimento corrupta apparebat *p*, corpus vero tantum quasi colore mutato jacebat candidum. Et congruo satis miraculo indicia sanctitatis ejus primo claruerunt: nam episcopus, elevato corpore de sepulchro, permisit custodi ecclesiæ, ut ægrum afferret, quatinus ipse secundum visionem sibi ostensam perficeret. Custos vero allatum corpus pueri *q* permisit eum osculari locum, in quo sanctum corpus jacuit, sumensque cinerem de ipso sarcophago miscuit cum aqua et oleo sancto, et perunxit puerum ægrum ea parte, ubi * dolorem possederat. Die vero altera sciscitatus est episcopus a custode, quid de

** Gold. quam dolor possederat*

ægro puerulo actum esset: custos itaque accepto D cursu, ad ejus mansiunculam cucurrit, ut videret, quid de eo Dominus promissione sancti Magni ostensum haberet.

postridie sanatur.

76 Mirum opus divinæ operationis actum rem cognitam fecit: quia sicut præterita die ulcera patebant quam plurima, ita alia die tantum sunt absque aliqua læsione sana reperta, acsi vix saltem cicatrix inveniri potuisset. Tunc demum episcopus eum suscipiens ante sepulchrum beati Magni novum *r*, ubi ejus corpus reconditum fuit, sanum incolumemque adduxit: sicque gratiarum actiones * Domino de tanto miraculo peractæ ob memoriam redditæ sanitatis: ipse puer Domino et sancto Magno semetipsum obtulit, quatinus reliquum vitæ suæ tempus deinceps in ejusdem sancti loci excubiis omnibus diebus vitæ suæ fideli devotione transigeret.

** Gold. actionibus et infra peractis*

Lanto Vitam repertam emendari curat.

77 Igitur hiis omnibus ita transactis de corpore sancti et beati Magni, assumsit secum præfatus episcopus Lanto pitatium pene putridum, sed tamen Dei gratia paginæ infra divina sanctione *s* ad legendum sunt conservatæ; et accersivit quemdam monachum prudentem et industrium *t* ex monasterio Elewanga, nomine Ermenricum, E et tradidit ei ipsum opus * ad legendum et corrigendum atque emendandum: ille autem asserens se minime ita doctum esse, ut talia innovare, atque, prout dignum erat, inserere valeret, necessitate obedientiæ constrictus suscepit pitatium et secundum virium considerationem, jussionem pontificis contempnere nolens, adimplevit, et quæ ibi invenit, scripta renovans * omnia et corrigens, atque Domino annuente, seriem confusam capitulorum luminibus emendavit.

** Gold. ipsos quaterniones*

** Idem revocans*

Conclusio auctoris.

78 Quanta vero et quam plurima signa ante sepulchrum beati Magni post orationem ejus, corpusque reconditum Dominus ibi revelare dignatus est, si omnia scribi possent, fastidium potius facerent legenti nausiantis mentem *u*, quam studiosis propter copiam possint comprehendi memoria. Nunc ergo ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui semper Sanatos suos glorificat, hæc pauca inserta sunt; quatinus lectoris animus devotus existat ad legendum, vel auditoris promptus ad audiendum, quam tædium aliquod monstrans vel nausiam rugata mente, minime F possint læto animo percurri *w*. Itaque sufficiant ista de tanto Patrono conscripta: sed obsecremus eum, ut sicut sanitatem corporum animarumque adorantium eum multis suis meritis a Domino eis contulisse, credimus; ita nostris mentibus divinæ miserationis medelam implorare dignetur, ut peccatorum remissionem consequi mereamur, et vitam æternam adipisci *x*. Celebratur autem solempnitas sancti Magni confessoris Christi octavo Idus Septembris, ad laudem et gloriam nominis Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat et gloriatur sine fine Deus per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Canisiano et Goldastino exemplari* Lanto *dicitur: at anonymus Ratisponensis cum uno exemplari Ms. legit* Hanto, *reliqua duo* Hatto. *Adi Comment. a num.* 89.

b *Apud Canisium est* pastoralidicium suscepit.

c *Can. et Gold.* minime quivit aliquid ex hiis rebus (*puta* ecclesiis) sublimare.

d *Anonymus*

A d *Anonymus Ratisponensis :* Verumtamen ex parentela, quam in Bagoaria habuit, quædam bona ad episcopatum acquisivit. *Ubi,* progeniem *interpretatus est* parentelam. *Simili modo apud Cangium in Glossario* Capitulare Compendiense anni DCCLVII, cap. 1. Si in quarta progenie reperti fuerint conjuncti non separamus. *Progenies, ut patet, hic pro cognatione usurpatur. Porro Hatto sive Hautto e nobilissima Andecensium comitum familia ortus traditur.*

e *Alibi* Nitcarius, Nidgarius *et* Nitkerus *appellatur. De tempore episcopatus ipsius aliqua diximus in Commentario num.* 93 : *plura de eodem lector inveniet apud Carolum Stengelium, Corbinianum Khamm, aliosque rerum Augustanarum scriptores, qui illum inter sanctos antistites suos venerantur.*

f *Hic desinit Canisii exemplar, reliquis omnibus, quæ sequuntur, desideratis, quamvis supra scriptor præfatus sit, se corporis inventionem traditurum :* Qualiter ergo, *inquiens,* corpus B. Magni repertum sit,... non est silendum *etc.*

B g *De Lantone episcopo et Ludovico, Ludovici Pii filio, factaque sub iis sacri corporis elevatione multis egimus in Commentario toto* § 8.

h *Anonymus Ratisponensis* Otkerum, *Goldastus* Otkarium *nominat. Adi Comment. num.* 84.

i *Per* Fratrem *intellige non monachum, sed discipulum, qui litteras discendi gratia ibidem habitabat : id autem collige tum ex eo, quod* quotidianum victum suis laboribus quæritaret, *tum etiam quod Sancti munere incolumitati restitutus sese ejusdem Patroni sui obsequiis mancipaverit.*

k *Anonymus Faucensis in Vita Germanica lib.* 3, *cap.* 5, § 2 *vocat* Durach *et in tractu Campodunensi collocat.*

l Præpropera festinatione *rectius deest in Goldastina editione.*

m *Lege cum Goldasto* esset; *id est, cum tum alii tum ipse de sua sanitate desperarent.*

n *De antiquo olei usu ad morbos infirmitatesque tollendas vide Baronium tom.* 7 *Annalium Eccles. et Mabillonium in Præfatione ad seculum Benedictinum primum* § 9 *num.* 101, C *ubi ostendit, modo oleum ex Sanctorum tumulis divinitus scatens, modo ex lampadibus ante eorum corpora ardentibus desumptum, modo etiam benedictum ad curandos infirmos adhibitum fuisse.*

o *Hunc hiulcum sensum ex Goldastino exemplari sic restitue :* Pontifex ergo diutius cum presbyteris orans, inter angustias et gemitus, assumpto fossorio *etc.*

p *De partis corruptione silet Goldastus. Ceterum annus, quo hæc acta sunt, erat ad minimum* 170 *a Sancti obitu, ut colligere licet ex Comment.* § 8 : *quamdiu autem incorruptum perseveraverit, non liquet : certe Ekkehardus Junior de brachiorum altero ad Sancti-gallenses translato agens, de ejusdem incorruptione nihil addit : abbas Henricus credidit, corpus quoddam carnibus nudatum, sub Joanne Hess, qui usque ad annum* 1480 *Faucensi monasterio abbas præfuisse dicitur a Bucelino, inventum, ipsas esse* S. Magni *exuvias, adeoque supposuit, eas communi corruptioni obnoxias fuisse. Vide Comment. num.* 116.

q *Emendatius Goldastus legit :* Custos vero ecclesiæ, ablato corpore, puero permisit *etc.*

r Novum, ubi ejus corpus *(jam recens)* conditum fuit *non habet Goldastus; rectius tamen isthæc adduntur.*

s *Correctius in Goldastina editione legitur :* Sed tamen divina sanciente providentia, paginæ, licet obscuræ, tamen ad legendum sunt conservatæ. *Porro pictatium hoc est ipsa* S. Magni *Vita, quæ a Theodoro ejusdem socio conscripta, et in sepulcro una cum Sancti corpore deposita traditur : qua de re quid probabiliter statui possit, diximus in Comment. num.* 33. A. THEODORO, UT FERTUR, ETC.

t *Merito ex hoc loco interpolatorem colligit Mabillonius; neque enim verisimile est, Ermenricum semetipsum prudentem et industrium appellaturum fuisse. Consule Commentarium num.* 2 *et* 3.

u *Mendosum sensum restituo ex Goldasto :* fastidium potius facerent nauseamque legentis menti, quam a studiosis *etc.*

w *Est et hæc periodus vitiosa : apud Goldastum sic exstat :* quatenus lectoris animus devotus existat potius ad legendum, vel auditoris promptus ad audiendum, quam tædio aliquo aut nausea rugata fronte minime possit læta mente percurri, *forte* percurrere.

x *In Goldastina editione subditur :* præstante Domino nostro Jesu Christo etc. *Deinde sub titulo* Additionis *sequitur :* Celebratur autem solemnitas S. Magni confessoris Christi atque abbatis, quarto Idus Septembris ad laudem et gloriam nominis Domini. *Adverte tamen, perperam ibidem legi* quarto Idus *pro* octavo Idus Septembris. E

MIRACULA

Auctore P. Ludovico Babenstuber Benedictino Ettalensi.

CAPUT I.

Phrenesis et rabidi canis morsus sanata, puerperæ difficili partu levatæ, proles impetrata, varii morbi, lues et dæmonis infestationes abactæ. F

Quæ opera naturæ viribus majora patravit Magnus adhuc mortalis, libris superioribus retulimus : nunc ad ea quoque convertenda est narratio, quæ cœlo jam receptus, Divusque appellatus hactenus edidisse memoratur. In quo genere merito, ut nihil nos lateret, optandum fuerit : sed quoniam, seu vetustatis minori diligentia, seu temporum injuriis, factum est, ut pleraque interciderent, pauca dumtaxat, quibus post iteratas tabulariorum clades in majorum monumentis, aut relationibus recentius annotatis, contigit superesse, in medium dabimus. Neque dubium est, vel ista suffectura piis lectoribus ad conjiciendum, quam gratiosus apud Numen omnium potens noster sit Thaumaturgus. *Ex multis pauca auctor se scribere præmonet.*

2 In vicinia Mindelhemii, quod est Sueviæ urbecula, hominem ruricolam amentia sic effe1raverat, ut noctu strata relinqueret, inque sylvas *Phreneticus ad sanam mentem reductus.*

A. P. Barenstuber.

vas profugus cum bestiis vagaretur. Familia et cognati in vestigando amissum cum diu frustra fuissent, plurium in id oculis opus esse rati, vicinorum suppetias implorarunt. Ii ducenti omnino, haud secus, ac si immanem feram quampiam persequerentur, partitis inter se indagandi studiis, sylvas ingressi, avia quævis ac invia perlustrant integro triduo; nihil tamen minus, quam insanientem exulem reperiunt. Quare, desperatis his quoque consiliis, cognati per sese soli conquirere pergunt fugitivum : sed incassum omnia. Tandem divinitus eis injecta mens est, ut opem S. Magni accerserent : quod dum faciunt, edito voto precati, ut, qui feras olim cicurasset, hominem quoque amissum pristinæ mansuetudini ac sibi restitueret, statim is, qui tot oculos pervestigantium tam diu latuerat, e silvis adest, discussa penitus amentia, sanus ac sospes, unaque cum sui inventoribus summas S. Magno agit gratias.

Morsum rabidi canis sanat

3 Communis Fussiaci, nec uno tantum experimento testata fides est, S. Magnum iis, qui a noxiis animalibus venenati inque furorem dati sunt, præsentem medelam afferre. Forte Nassarcitii * in Tyroliis rabidi canes quinque homines invaserant; qui omnes exacto post morsus pestiferos triduo, cum nemo seu mortalium seu immortalium opem ferret, mortui sunt. Juvenem præterea quempiam vegetum ac validum ejusmodi Cerberus secundum brachium immaniter laniaverat : ejus vicem vehementer anxii parentes, S. Magnum implorarunt; polliciti, si filium sibi vivum ac salvum servaret, illum Fussiacum sese adducturos, et Sospitatori præsentaturos. Mirum dictu! edito hoc tali voto tantum abfuit, ut juveni quidquam periculi crearet feralis morsus, ut ne tumoris quidem aliquid post se relinqueret : velut omnes, qui, vulgata re tanta, spectatum venerant, cum admiratione ac prædicatione S. Magni testati sunt.

* Nassareut

B

uberem quotannis messem cuidam agricolæ impetrat.

4 Agricola quidam oppido probus seque fortunasque suas assidue Deo, divisque cælitibus commendare insueverat. Cum itaque ab annonæ caritatem, quam aliquot annorum sterilitas invexerat, in magnis versaretur rei familiaris angustiis, a S. Magno precibus et concepto voto quopiam contendit, ut arva sua, jam diu messium prope inania, pristina fœcunditate bearet. Cordi fuisse Divo hanc hominis de ope sua fiduciam, luculente monstravit eventus : factum quippe est, ut semper plus frumenti horreis ac cellis inferret, quam vicini, idque non absque invidentia ipsorum. Gratum porro quotannis se stitit allato dono ex iis rebus, quas S. Magno referebat in acceptis *a*.

C

a

Phagedæna ab equo abacta. *b*

5 Alius quidam agricola equum emerat, sed invito Mercurio *b* : mox enim phagedæna, eaque, ut putabatur, prope incurabili, laborare jumentum cœpit. Commotus ea re dominus votum nuncupavit S. Magno, et equum una cum muneribus ad ædem ejusdem adduxit : cum vero illum per fores etiam intromittere albæ mentis homo pararet, P Prior, ne id fieret, intercessit. At Corydon nihilo secius S. Magnum, ut animal sanum sibi reddat, orat vehementer, imo exorat : nostri quippe cœnobitæ avenam, attactu prius reliquiarum S. Magni et sacra precatione lustratam afferunt, ex qua postquam equus voravit, convaluit, ac deinceps constanter sanus utibilem operam præstitit, donec senio tandem fatisceret.

7 Puellula fuit novennis, civis cujusdam Fuëssensis filia : hæc a somniis, quæ patiebatur horribilia, morbum contraxit adeo gravem, ac vehementem, ut integro novendio velut jam conclamatæ, et mox ituræ *c* ad plures advigilaretur. Porro morbi illius indolem memorant fuisse plane exoticam. Quoties enim virguncula in somnum concesserat, totis artubus cohorrescens, violentissima succussione e strato elevabatur, moxque in idem resupinata soporem hauriebat, usque adeo viribus ac vivido colore defecta, ut eam a mortua nonnisi ex anhelitu, quem trahebat tenuissimum, distinxisses : sex ipsis aut septem diebus tenuit ea mali ignoti sævitia, mirantibus universis, qui ex vicinia ad misellam invisebant, quo pacto fieret, ut eo usque proviveret. Mœstissima parens, ubi advertit, actum esse de salute filiolæ, nisi opem eidem mortali majorem accerseret, ad Divos primum, Divasque complures, preces inter ac vota confugit. Verum, cum iidem (ut mirabilia sunt Dei consilia) minime subvenirent, sanctum denique Magnum singillatim oravit medelam, idque fiducia eo firmatiore, quod eundem Divum jam aliquando propitium in gravi partus discrimine habuisset. Memorant, mulierem filiolæ causam egisse verbis usque adeo emphaticis, et sapientiam spirantibus fœminea majorem, ut omnes, qui aderant, summopere mirarentur. Pollicita est autem edito voto, si salutem conclamatæ impetrasset, curaturam se, ut hujusce beneficii fama undique didita, Dei divique Magni honos non vulgariter amplificetur. Quid plura? Virguncula cunctis admirantibus postea convaluit, et parentem voti ream effecit.

D

Puellæ gravissimus morbus ablatus.

c

E

Puerperæ difficili *d*

7 Donawerdæ *d* mulier quædam integro octiduo summos inter dolores parturiit; parere tamen non potuit, nec quidquam humanæ opis, qua præsenti subduceretur discrimini, suppeditavit : imo ne cælites quidem, votis jam pluribus plures incassum pulsati, velle subvenire videbantur. Quæ cum ita se haberent, iis, qui laboranti aderant, venit in mentem, divum Magnum vel maxime esse unum e Superis, qui suo patrocinio secundent puerperia. Hujus proinde auxilium fervidis precibus expetunt; imo et obtinent citra dilationem : illa enim salva et incolumis mox prolem enixa est, venitque *e* postea, interque maximas gratiarum actiones ac laudes nostri Thaumaturgi, rem gestam exposuit.

e

F

partu levatæ

8 Fuëssensem præterea quampiam octiduana itidem pariendi difficultas summos inter dolores oppresserat. Quare multæ ad eam mulieres, cum consilium laturæ, tum opem, inviserant; sed plane incassum : advertit enim obstetrix fœtum contra suetas nascendi leges partem sui posticam luci, in quam edendus esset, obvertere : quod cum cæteræ quoque fœminæ notassent, omnium judicio de salute laborantis actum esse credebatur. Imminebat tum forte dies, quem Dominicum vocamus : unde in eam sententiam itum est, ut pro misera puerpera publicæ ad Deum preces populo, rogatu concionatorum, indicerentur. Verum et istas irritas fuisse discriminis pristina contumacia docuit. De secanda proinde parturiente, ut saluti prolis saltem consuleretur, cogitari cœptum : sectaque fuisset haud dubie, nisi cruentum consilium S. Magni præsens opitulatio in tempore discussisset : nam ecce altero mane obstetrici, cæterisque mulieribus optimum factu visum, si reliquiæ S. Magni accerserentur. Adfuit haud gravate P. custos cum cuculla,

A la, baculo, et cruce divi Patroni, eaque singula jam conclamatæ, nec magis cum partu, quam morte luctanti, sacras inter preces admovit. Quibus peractis, cum idem sacra pignora domum reportasset, statim infans in utero factus anticus *f*, salva matre, in lucem prodiit: quem mulieres gaudio triumphantes e vestigio templo illatum Deo, divoque Magno inter mille gratiarum actiones præsentarunt, ac P. custodem prope vi adhibita impulerunt, ut rem miraculo plenam populo promulgaret. Gesta hæc sunt XXIII Januarii, anno MCDXCVII *g*.

Proles post tactum reliquiarum impetrata.

9 Alia quædam mulier Kaufbura *h*, ubi XXV annis habitaverat, Fussiacum cum marito migrarat. Ea sterilis erat, eoque præterea vivendo jam provecta, ut, etiamsi aliquando peperisset, deinceps parere per ætatem desineret: sed quoniam carere liberis non mediocriter calamitosum esse rebatur, divum Magnum assidue atque vehementer orare instituit, ne mori se permitteret penitus improlem. His talibus desideriis ac votis cum æstuaret in templo, a P. custode contendit majorem in modum, ut sacras sibi sancti Præsulis reliquias religioso contactu venerandas porrigeret. Id ubi obtinuit, factum est, ut conciperet. Verum circumactis, quos natura postulat, uteri mensibus, integrum triduum cum acerbissimis partus doloribus usque adeo conflictata est, ut non solum obstetrices, sed etiam alii omnem ei spem humanis viribus enitendi abjudicarent; idque præsertim, quod esset fœmina provecta ætate, et antea numquam mater. Ad cælestem igitur opem rursus fuit itum, et P. custos cum reliquiis S. Magni advocatus, quas ubi is laboranti ex more admovit, ac deinde domum reportavit, illam statim lætissime peperisse inaudiit. Anno MCDXCVII, XVIII Junii.

Duo infantes recens nati

10 Rursus alia in ea civitate mulier oppido proba pepererat quidem, sed Lucina *i* nequaquam secunda. Proles quippe in lucem prodiit exanimis, ut apparebat, ac pedibus sursum actis orique adnatis, monstro similior quam homini. Exhorruit visam puerpera, eique S. Magni opem fervidis precibus inclamavit. Hoc facto, mirum dictu! infans oculos atque os aperire, ac vitæ esse manifestus: lustrico dehinc fonti ex more Christiano admotus XVII adhuc diebus supervixit.

vitæ periculo erepti.

11 In eadem civitate quædam inter maximos dolores puellum fuerat enixa, quem cúm obstetrix, tum aliæ, quæ parienti aderant, vita cassum judicabant. Non poterant istæ initio rem ita clam habere, quin mater de tristi fato infantis dolenter mussitantes animadverteret. Ergo summopere consternata, statim S. Magnum, cujus illi species veluti præsentis objiciebatur, edito voto rogat, ut suo prolem apud Deum patrocinio vitæ reddat: secundum quæ revera puer ciere sese, ac vivere testari: mulieres gratulari, et parata aqua sacerdotem, qui Christiano ritu lustret, accersere. Verum ista dum properantur, mox altera inter mulieres oritur consternatio: infans quippe, acsi Cœlites beneficii pœniteret, desito rursus omni motu, e vivis abiisse videbatur: sed post iteratam a puerpera S. Magni invocationem, iterato miraculo revixit anno MCDXCVII, mense Septembri.

Lues fœda

12 In luem etiam, quam Gallicam vocant, magna fuit S. Magni virtus. Illa puerum matri unice charum, atque mox ipsam matrem vulgato contagio invaserat: quam rem cum fœmina dolentissime ferret, nocte quadam secundum quietem S. Magnum, quem ante et filio et sibi fervide invocaverat, visa est habere adstitem. Exinde statim, quod plane mireris, dira scabies et infames pustulæ utrimque exarescere, ac subsistere, et octidui intervallo penitus evanescere. Adfuit postea mater et sua, et filii salute læta, remque gestam inter maximas gratiarum actiones referri in tabulas petiit: nomen tamen nec suum nec filii notum esse voluit anno MCDXCVII, mense Augusto.

A. P. BALENSTUBER.

sublata

13 Cum Maximilianus I *k* in civitate Fussiaco, ac cœnobio S. Magni esset, varii ad eum legati cum a Germaniæ, tum exteris principibus confluebant; solebatque cæsar in triclinio abbatis prandere, apertis foribus. Die quodam convivarum quispiam post primum statim vini haustum pustulis *l*, Gallicanæ porriginis testibus, os sibi obseri abvertit. De sigmate *m* proinde surgit, ac plenus rubore e conclavi secedit. At cæsar ipse hominis vicem haud mediocriter anxius illi divinam opem, divique Magni patrocinium enixe implorat. Ratas fuisse preces, illico monstravit eventus, dum e vestigio, subsidentibus vesiculis, turpis lues recessit. Gratiæ dehinc, ut par erat, actæ anno præter propter MCDXCVII. E

Eadem impetigo civem quemdam Fiëssensem cum omni familia corripuerat. Is, re animadversa, seque suosque divo Magno clam devovet, sacrisque reliquiarum ejus attactibus admoveri petit. Quod ubi impetravit, testati sunt universi, id sibi saluti fuisse.

cæca illuminata:

14 Sed ad alia nunc opitulandi genera convertamur. Trimula filiola ruricolæ cujusdam Weissenseensis *n* erat: eam oculorum ægritudo adeo male habuit, ut initio cæcutiret, ac paulatim, obtusa penitus acie, cæca oberraret. Ipsas tres hebdomadas malum tenuit, quod cum abigere vis nulla mortalis posse videretur, parentes cælestem S. Magni medelam edito voto et petierunt, et obtinuerunt; statim quippe visus puellulæ ad officium rediit: id quod oculato testimonio asseruerunt Patres S. Magni anno MCDXCVII mense Augusto.

pestis pecorum exstincta:

15 Forte dira pestis Fussiaci armenta et greges immaniter populabatur; nec erat spes ulla continuas stabulorum atque præsepium clades nostra opitulatione averruncandi. Quare Fiëssenses communi consilio divum Magnum, ut ipse ferat suppetias, orant, addito voto, vaccam eidem sese oblaturos, quæcumque sub vesperam a pastu redux portam urbis prima intrasset. Hanc jussi notare apparitores, et in monasterium adductam abbati sistere: quod fecerunt mense Julio, circa diem divæ Magdalenæ sacrum. Factum deinde, ut lues penitissime extingueretur *o*. Porro eam buculam, quæ erat Joannis cujusdam Daxhardii, dato pretio redemerunt, imperatis binis quincuncibus in singula civium capita, quibus pecus erat in pascuis, anno MCDXCVIII.

malum oculi abactum:

16 Rursus alia hic fœmina visu utebatur adeo debili, ut paulatim ingravescente hebetudine periculum esset, ne oculis prorsus caperetur. Verum, ut sacris divi Magni pignoribus secundum caput attacta est, pristinam cernendi perspicaciam recepit.

equi sanati:

17 In hac eadem civitate agasoni cuidam equi erant clitellarii duo, genere illo morbi, quod a verme nominant, correpti uterque. Forte homo, ut equorum saluti consuleret, aliquot avenæ modios admotis divi Magni reliquiis, ac sacra precatione lustrari curaverat, posteaque in

A. P. BARENSTUBER. in Alpes, jumenta ejusmodi pabulo, onusta propellens abicrat. Ibi sole occaso, montanum tugurium ingreditur; et, exoneratis equis, saccum fœno fartum humi sternit, eique alterum saccum prædicta avena gravem superimponit, sui rerumque suarum securus : cum incendium repente exortum non modo tugurium, sed etiam saccum fœno turgidum haurit, sacco, cui avena inerat, illæso, licet is sacco exusto incumberet. Equis præterea, postquam eadem avena pasti sunt, pristina sanitas rediit.

periculosum pueri vulnus subito curatum : 18 Hohenfurchum haud procul Schonga *p* pagus est. Ibi agricola degebat perquam egregia virtute. In hujus sobole, quam ex conjuge, pari probitate fœmina, numerosam susceperat, duodecennis filiolus in cultrum forte erectum adeo violenter prolapsus erat, ut cuspis a tergo inter scapulas ad pectus usque penetrarit. Parentes eo casu attonitos, cum in puero vix tenues amplius vitæ notarent reliquias, omnis humana opitulatio, operaque defecere. At minime diu defuit cælestc divi Magni auxilium : noctu quippe secundum quietem patri objicitur vir senio venerabilis, B magnopere suadere visus, ut filiolum divo Magno, in cujus aliunde esset dominio; commendaret : id enim eidem saluti fore. Ille, discusso somno, paruit monenti, seque, natumque Thaumaturgo nostro devovit. Eo facto ita culter evelli se passus est, ut neque sanguis, neque dolor sequeretur, imo nec ulla cicatrix notaretur. Testatus est insuper puer, ea parte corporis, qua plagam acceperat, se contrectantibus, nullam sibi inde creari molestiam. Exercuit hanc mirabilem medelam divus Magnus in autumno anni MCDXCVIII.

dæmonis infestationes depulsæ. 19 Dæmon quoque cælestis Patroni nostri vires, ut sæpe alias, expertus est anno MDVII, quando hominem quemdam dira obsidione pressit. Solebat is prodire, dextram lævamque lapidibus armatus, ac more leonis rugiens, obviis quibusque interitum minari, et intentare. Cæterum a parentibus et cognatis ad reliquias divi Magni ductus, abjectis lapidibus omnem furorem exuit : dies postea complures a templo avelli impatiens, Sospitatorem suum calidissime oravit, ne ab orco se porro infestari, furiarique sineret.

C

ANNOTATA.

a *Pie sane : quamquam in similibus non facile miraculum agnoscatur, nisi ea messis ubertas fuerit, ut sine miraculo aut potius beneficio haberi non soleat.*

b *Id est infelici mercatura : Mercurius a gentilibus credebatur mercaturæ præesse.*

c *Id est,* morituræ : *quod autem subdit,*ad plures advigilaretur, *aut voces illæ* ad plures *significant, multos ipsi adstitisse, aut mendose expressæ sunt.*

d *Urbs Germaniæ in Suevia atque in ipso limite Bavariæ et ducatus Neoburgensis condita ad Danubium, ubi fluvium Vernitium recipit.*

e *Fuëssam, ut asserit abbas Henricus in annotationibus suis Mss., in quibus hoc ipsum miraculum seu beneficium narrat, notans Donawerdam viginti et uno milliaribus a Fuëssensi oppido distare.*

f *Id est, verso deorsum capite.*

g *Eadem prorsus refert laudatus abbas Fuëssensis Henricus.*

h *Incolis* Kauffbeurn, *urbs parva, sed imperialis in Suevia, in Algeæ tractu ad Wertacum amnem, quinque milliaribus Germanicis in Ortum distans Memminga.* D

i Lucina *a gentilibus partui præesse fingebatur. Sed cur, obsecro, profana hæc impii paganismi numina sacrarum rerum narrationi inseruntur?*

k *Maximilianus I, Frederici* III, *aliis* IV, *imperatoris filius, archidux Austriæ et imperator.*

l *Odoricus Raynaldus Annal. Eccles. tom.* 19 *ad annum* 1495 *scribit, luem veneream sub præfato Maximiliano in Germania viguisse.* Eodem, *inquit*, tempore, quo in Italia lues venerea grassata est, etiam in Germania scortatores afflixit, atque a piis existimatum est, eam pestem ad blasphemorum in ganeis et lupanaribus lascivientium coërcendam licentiam, divinitus immissam, adeo ut Maximilianus cæsar novo casu percitus sanctionem in blasphemos ediderit.

m Sigma *hic pro mensa usurpatur; est autem proprie ipse lectus, in quo veteres mensæ accumbebant, in modum ς stratus. Hinc Martialis lib.* 10, *epigrammate* 48 *de convivio, convivisque agens, sic canit :*

Stella, Nepos, Cani, Cerealis, Flacce, venitis : E
Septem sigma capit, sex sumus, adde Lupum

n Weissensee *vicus est haud procul ab urbe Fuëssensi, secundum geographicam tabulam Frederici De Wit.*

o *Simile prorsus beneficium Fuëssensibus rursum obtigisse ano* 1743, *ex litteris P. Columbani Zeiller, ejusdem abbatiæ cœnobitæ, diximus in Comment. num.* 139.

p *Alias* Schongavia, *incolis* Scongaw, *oppidum est in Bavaria superiori ad Lycum amnem, tribus cum dimidio milliaribus Germanicis Fuëssa dissitum, nisi errent laudatæ tabulæ F. De Wit.*

CAPUT II.

Divina vindicta in Sancti contemptores, varii morbi sublati usu reliquiarum, baculi mirabilis vis contra insecta. F

Vindicta divina Verum quemadmodum divus Magnus ad se confugientibus hucusque prompte adfuit, ita in sui contemptores acriter quandoque vindicare visus est, id, quod ex eventibus jam memorandis monstrabitur. In vicinia Staingadii *a*, quod est monasterium Bavariæ, rustici consultabant inter se, an non ex re ipsorum esset, si divi Magni reliquiæ per agros (ut fieri assolet) segetibus conservandis circumgestarentur? Nonnulli, qui easdem reliquias afferri curaverant, id plane volebant : cæteri tamen omnes dissenserunt : sed grandi malo omnium : statim enim altero die, orta tempestate sævissima, totam illis spem anni grando pessumdedit, anno MCDXCVII.

21 Diem divo Magno ab Ecclesia *b* sacratum quosdam

in Sancti contemptores A quosdam jam olim feriando honorasse, itaque noxia insecta ab agris suis avertisse; eos autem, qui id facere decrevissent, nec tali hoc decreto stetissent, gravibus arvorum cladibus fuisse mulctatos, a majoribus nostris accepimus. Ejusce rei unum saltem e pluribus exemplum memoremus. Non procul Prochenzella *c*, in diœcesi Constantiensi, Mathæus Mock, et Michaël Weishaupt, ut divus Magnus agros ipsorum a populatione vermium patrocinio suo tutaretur, die ejus festo ab opere faciundo sese continere statuerant, idque reipsa præstiterant: inde plane factum, ut a noxiis animalculis nihil detrimenti acciperent. Sed vir quidem nobilis, cum ejusmodi religionem insuper haberet, id non impune tulit: nam in agro illius, qui segetes duumvirum * memoratorum interjacebat medius, vermes, quidquid excreverat, depasti sunt, anno MDCXVI narravit D. Urbanus Lidel, id loci parochus, vir fide dignus.

* l. duorum virorum

ejusque festæ diei violatores: 22 Anno MDXXVIII, ipso die divo Magno sacro, sub horam septimam vespertinam, grando cecidit adeo vehemens et copiosa, ruente plusquam mediam horam glaciato imbre, ut decimo post die adhuc ejus pilæ, ac crustæ passim invenirentur. Cæterum ea tempestas fere oppidum, ac campum Fuëssensem verberavit: id ideo factum creditur, quod cives eum diem, qui simul Dominicus erat, celebratis nundinis profanassent.

B

sonus campanæ aereas potestates coercet. 23 Forte anno MDLXIV pauper quidam operarius Joannes Spetel nomine, Weissenseia oriundus, in valle binis sylvis interjecta, mediaque hora circiter a cœnobio S. Magni dissita, die quopiam æstivo fœnum rastro corradebat; cum, densatis in tempestatem nubibus, fulgure tonitruque minacem, vox grandis auribus hominis ex altero monte per abietes allapsa est hortantis quempiam: Verbera, verbera; et alterius e regione inter densas arbores respondentis: Non possum, non possum: quia canem S. Magni latrantem audio. Qua metaphorica periphrasi impius ille campanam indigitavit, quæ S. Magni dicitur, tum in turri sonantem, testatusque luculenter est, ejus sonito magorum, sagarumque conatus, in hominum, aut frugum perniciem tempestates concitantium, irritos reddi. Est autem hæc campana dicata S. Magno, ejusque cruce initiata.

C

Vinum in Sancti calice benedictum vermes expellit: 24 In eadem parochia Fuëssensi Weissenseia vermes intestini, incertum unde enati, ventrem puellæ cujusdam insederant, assidueque morsicando cruciabant acerbissime: strenue quidem tentata sunt plura medicamina, ut sede sua expellerentur diri indigenæ; sed nihil profectum. Denique parenti vicem filiolæ multum anxio mens injecta est medelam accersendi a S. Magno. Venit igitur Fuëssam, emptumque vini sextarium affert patri sacrorum custodi, orans majorem in modum, ut is fundat in calicem S. Magni, lustretque adhibita ejus cambatta, et precatione ritus consueti. Obsequitur agricolæ desiderio custos, finitoque negotio, vinum ei reddit in suam langunculam. Quam ut domum retulit, filiola inde pota primum leni sopore demulsa est, paulo vero post habuit melius; ac demum, egesto vermium vivorum ingenti glomere, penitissime convaluit: sed neque destitit, quoad vixit, tantum in se Dei, et S. Magni beneficium prædicare.

25 Rursus in eo pago Weissenseia pauperem puellulam, Joannis cujusdam Doser, et Annæ conjugis filiam, Afram nomine, octo circiter annos natam, gravis morbus non tantum acerbis exercebat doloribus, sed et quinque diebus elinguem reddiderat. Pluribus consiliis ad frangendam mali sævitiam infeliciter adhibitis, Anna Margarita Weldia, illustri loco fœmina, conjunx Wolfgangi Simonis Remersthalii, qui tum arci Fuëssensi præerat, hortata est, ut misellæ quid vini e calice S. Magni præberetur. Quod ubi factum, usque adeo increvit dolorum immanitas, ut virguncula violenter incurvata, mutataque in tetrum nigrorem facie, sui dissimilis horrorem spectantibus incuteret. Loqui deinde cœpit, remittende nonnihil cruciatu. Post alterum haustum visa est habere meliuscule. Denique a matre in templum S. Magni adducta, et e calice ejusdem tertium pota, morbi insolentiam omnem paulatim ablegavit.

A. P. Baulnstuber. *graves duarum puellarum*

morbos fugat: 26 Eadem potio salutem attulit Mariæ, filiolæ duodecenni viduæ cujusdam Fuëssensis, quæ uxor fuerat Mathæi Winter. Ea puella menses duodeviginti circumferebat ventrem fœde inflatum ac turgidum. At ubi bibit e calice S. Magni, tumor rescedit, salvamque et incolumem reliquit, anno MDCXXVII, mense Septembri.

E

ignotum pueri malum tollit, 27 Grüenbachium, quod est juris Austriaci in agro Brigantino, allatæ reliquiæ S. Magni, adhibitis, ut mos habet, sacris ritibus, insecta quidem strenue sustulerant: verum hospes, apud quem diverterat P. custos, vicem filioli lugebat, cui vel maxime opus adhuc erat ope medica S. Magni. Erat is puer decennis, Andreas nomine, lenta morbi tabe usque adeo exhaustus, emaciatusque, ut spirantis cadaveris potius, quam vivi hominis referret speciem. Omnes latebat origo mali: unde non deerant, qui stygia accusarent maleficia. Hic ergo talis puer, cui nec spes sanitatis recuperandæ, nec vitæ diuturnioris superabat, monitus a parentibus, reliquias S. Magni adesse, ingens continuo desiderium bibendi ex Divi calice concepit. Ut voti compotem fecit P. custos rogatus a parentibus, paucos intra dies salvum, sospitemque se vidit. Contigere hæc sub annum MDCVII.

acum cum cibo deglutitam expellit: 28 Joanni præterea Neümayr, civi Fuëssensi, ejusmodi haustus saluti fuit. Is opificio pellio, cum die quodam domum rediisset oppido famelicus, in fragmen panis, quod agglutinatam, incertum quo casu, habebat acum (operis pellicei faciundi instrumentum) incidit, idque una cum acu imprudens ingessit latranti stomacho. Illico sensit, quam inauspicato gulæ litasset. Verum nec ratio suppetebat, nec consilium a devorata acu corpus liberandi citra noxam. In angustiis his talibus probi quidam homines viro authores sunt, ut, si malo invenire medicum velit, opem S. Magni imploret. Paret ille lubens ac volens, conceptaque de noxiis pœnitudine, et confitendi decreto, potum e thaumaturgo calice petit. Eo præbito, statim advertit acum (etsi non citra dolores, attamen moderatos) ad ima alvi descendere: quam et postridie sub meridiem egessit illæsus *d*. Fuit is dies 2 Octobris anno MDCXXII.

F

d

intestinos dolores tollit. 29 Cum anno MDCXXXII Sueci *e* Fussiacum occupassent, cænobitæ S. Magni cum ejusdem reliquiis Silzium, quod est in Valle Lycatica *f*, se receperant perfugii causa. Erat tum D. Joanni Henseler, parocho loci, ancilla, quam oppido infestabant intestini quidam dolores. At ex calice S. Magni bibisse, eos depulisse fuit. Id factum mense Julio anni ante notati.

e

f

30 Kinsavia

A. P. BAUENSTUBER.

Aqua baculo Sancti lustrata, agrorum insecta abigit. g

30 Kinsavia *g* est in Boica infra Schongam. Ejus pagi agrestes ante annos jam XXXVI pro singulari sua, quæ in S. Magnum ferebantur, fiducia, aquam sacra cambatta lustrari curaverant, inque cuprea urna domi asservabant, rati, nullum adversus infesta agris insecta esse hac unda præsidium potentius : in quo sane minime decepti sunt; nam toto, quo aqua durabat, tempore nihil insectorum notabatur. At ubi anno MDCXXIII fervor æstatis præter morem calidæ exsiccavit urnam, iterum comparuit nota frugum pestis. Quare aliam id genus aquam procurarunt iidem pagani. Hæc S. Magni opitulatio *h* antea incognita innotuit IV Octobris, anno memorato, cum ejusdem reliquiæ late per Sueviam et Boicam circumferebantur.

Paupercula vovens munus emendicandum, acerbissimis ventris doloribus liberatur.

31 Virgo quædam Sabina Wagnerin, gente Boica, Marbachii nata, Eberfingæ, qui Boicæ subalpinæ pagus est, multis annis pauper ancilla, doloribus adeo sævis intra copus cruciabatur, ut serpente non uno assidue morsicante sibi fœta videretur. In ea calamitate ad medicam S. Magni manum confugit, edito voto, mappam aræ sternendæ curaturam, oblaturamque, nummis in id mendicando corrogatis, si pulsis doloribus inde evaderet incolumis. Quam salubre cepisset B consilium, luculente damnata voti, extemplo didicit. Porro condictam mappam, seque una inter gratiarum actiones divo Sospitatori stitit VIII Decembris, anno MDCXXVII. Affirmavit insuper rei gestæ fidem D. Nicolai curionis Eberfingani litteris.

Sancti baculus in Helvetia, i

32 Ad Helvetos quoque et lacus Acroniani *i* accolas S. Magni reliquiæ anno MDCXVII cum essent allatæ, non tantum profligarunt insecta noxia, sed accidit insuper, ut febrientes non pauci ex haustu vini, in salutifero calice consueta precatione sacrati, paucas post horas pristinam valetudinem recuperarent.

et Staingadii in Bavaria insecta noxia, k

33 Anno post Christi natalem MD cum Benedictinis Fuëssensibus jus diceret abbas Benedictus I eo nomine, cambattam S. Magni P. custos Staingadium *k* tulit adversus erucas, quæ olerum hortos populari cœperant. Finita supplicatione, rituque cætero, qui in rem opus erat, prandio accumbitur, cum ecce tibi villicus ejus C cœnobii cursu et gaudio anhelus, in triclinium irrumpit, universosque evocat spectatum, ut campe *l* hortos, oleraque desererent, utque gregatim et turmatim solum verterent. Et sane compertum est, non desitam esse fugam, usque dum universa evanescerent.

alibi mures fugat. m

34 Eadem cambatta in mures quoque cælestem vim suam hucusque exseruit multipliciter. Ex pluribus, quæ referri possent, hujus rei specimen insigne anno MDCLXXX Grosaitinga *m* mirata est. In pagi ejus arvis post autumnalem sementem mures enati erant tanta multitudine, ut cavernularum suarum mæandris innumerabilibus totos agros suffoderent, sataque aut vorarent, aut corrumperent; imo indies latius extensa vastitate campi (quem ibi vocant) inferioris, ne quintam quidem partem relinquerent intactam : quippe quam et ipsam integris jam centuriis insederant. Verum allatus S. Magni lituus non tantum stitit populationes myocephalorum *n*, sed insuper cladem ejus arvi compensavit cum fœnore, proventuque id loci inaudito. Cumulatius tamen multo, quam pagani cæteri, eam Dei, Divique liberalitatem persensit quidam Christophorus Mair, caupo tabernarius, cujus ternorum jugerum seges æstate insecuta adeo densa fuit, et opima, ut quadraginta omnino aliorum æstimationem D æquarit. Id quod idem tum voce, tum datis ad P. custodem litteris, asseverantissime testatus est.

Mulier, post invocatum Sanctum gravi malo liberata ; o

35 Cum Ursula Heblerin Gerwangæ nata, fontica *o* quadam corporis calamitate periculose confligaretur, et ipsa et maritus Georgius Weinhart salutem S. Magno instituit commendare, quam potuit, enixe. Audiit extemplo supplices Divus, et malum id omne abegit ab Ursula : Quæ una cum eodem marito salvam ac sospitem cælesti Medico se stitit, anno MDCLXXXI, XV Februarii.

implorato Sancti auxilio, altera aure surdus auditum,

36 Georgius Schnidele Berwangæ *, quæ est in Suevia, ludimagister, dextra aure, quæ dudum obsurduerat, nihil penitus percipiebat. Sed neque ratio ulla jam, aut consilium, pluribus nequicquam initis, occurrebat usum illius recuperandi. Forte accidit, ut cambatta S. Magni eo locorum adversus populationes insectorum deferretur : quod ubi accepit Georgius, nihil habuit antiquius, quam ut Divum imploraret, opemque precaretur. Eam vero brevi præstitam E sensit. Nam paulo post, cum Lembfriziam * pergeret, repente animadvertit, aurem ad officium rediisse : quemadmodum anno MDCLXXXV, I Augusti ipse exposuit P. custodi, binis parochis et Berwangensi, et Probstriedensi * præsentibus.

* Berwang

* Lentsfrid

* Probstriad

puella ex lapsu periclitans subito sanitatem, recipiunt. p p r

37 Vilsii *p* quædam Maria Ostlerin, ancilla Joannis Höfs Zythepsæ *q* fuit. Hæc anno MDCLXXXIII, IX Septembris e fœni plaustro impetu cerealis *r*, qui resilierat, mali repercussa, cum bis decidisset, omni officio sensuum aliquamdiu jacuit defecta. Unde et a circumstantibus (quos inter Andreas Geisenhoff civis Fuëssensis, itidem Zythopæus, erat) jam decessisse credi cœperat. Verum, notatis post aliquod temporis intervallum quibusdam vitæ vestigiis, domum portata, et ultimis Christiane morientium Mysteriis est procurata. Quinto dein die, cum periculum etiam tum esset præsentissimum, spesque salutis nulla affulgeret, misera puella sonum æris campani e turri S. Magni, quod forte pulsabatur, audit, statimque ea sacri metalli voce ad fiduciam in Divo collocandam mirifice excitata, clamat in hæc verba : Jesu, Maria, Josephe, et S. Magne juva me : et cum dicto (creditu mirabile !) surgit e strato sana et sospes, jungitque se cæteræ F familiæ, inopinato hoc ejus superventu haud secus, quam occursu spectri cujusdam attonitæ : cum nemini, etiam per somnium, de reddenda tam subito decumbenti salute quid venisset in mentem.

Infantem recens natam mortuæ similem subit aut resuscitat aut sanat ; s t u

38 Francisco Karg, futori Pörwangii *s*, quod est juris Campodunensis *t*, tribus horis Ottobura dissitum, XXV Novembris anni MDCLIV filiola nata erat : sed nequaquam favente Lucina *u*; quippe motus, auræque vitalis, eorum, qui aderant, judicio ita expers, ui pro mortua conclamaretur. In hac magna parentum consternatione patrocinium auxiliumque S. Magni cum enixe fuisset imploratum, pupa revixit, admotaque fonti lustrico nomen Catharinæ accepit. Retulit hæc PP. Priori et custodi parens memoratus, gratumque ob tantum beneficium oblato dono, institutaque noxiarum exhomologesi se stitit VII Junii, anni MDCLXXXV, quo tempore adhuc vivebat et valebat Catharina.

inveteratum ulcus curat.

39 Alter pedum, quem ruperat infestum ulcus, Georgium Hueber Hochenfurchensem sexto jam anno inter acerbos dolores dire cruciabat.

A. P. BAECKSTUBER.

A bat. Et quamvis chirurgi muneri suo non deessent, mali tamen pertinaciam expugnare nequibant. Quare Georgius missas jam faciens mortalium medelas, cælestem a S. Magno instituit accersere, promissa Sacrificii in ejus templo faciendi procuratione, si supplicem audiret propitius. Audiit sane, votique damnavit: quod ille penitissime sanus coram edixit, stetitque promissis, et gratias de beneficio retulit XXIII Augusti anno MDCLXXXIV.

Puerpera post diuturnum laborem, epota aqua Sancti baculo lustrata, feliciter enititur.

40 In vicinia cœnobii Vinearum *w* mulier quædam aliquot diebus nequicquam parturiit; quidquid demum humani afferretur auxilii. Verum, simul ac haustum accepit de sacra aqua S. Magni, salva peperit. Narravit P. custodi anno MDCLXXXV sacerdos, qui sanctimonialibus parthenonis Paintensis, de Cisterciensi familia, tum erat a confessionibus.

Amentes simili potu

41 Potus e calice S. Magni præbitus usum quoque rationis restituit. Anno namque MDCXCIV filia viduæ cujusdam e parochia Werttachensi *x* in æde Thaumaturgi comparuit una cum matre: quam puellam jam adultam magica (ut credi- B tum est) maleficentia omni propemodum mente everterat. Et sane eo jam deducta erat vesaniæ, ut in aquas se daret præcipitem non semel, periissetque submersa nisi tempori fuisset erepta. At quam primum hæc misera sacrum ex Divi calice sumpsit haustum, sensit malum decedere, dixitque plena gaudii: Jam optime habeo. In dies dein magis, magisque vim exserente cælesti potione, sana mens plenissime rediit. Quod novit universa id loci, quo virgo degebat, vicinia, idque ipsa internuntio curione Cellensi *y* significari curavit.

rationis usui restituti:

42 Nesselwenglium, quod vocatur, aliquot horis Fussiaco dissitum est. Ejus loci caupo Thomas Tauscher spatio temporis haud exiguo impos animi cum egisset ut plurimum, in veram denique incidit amentiam. Oppressus hac tali calamitate, venit in templum S. Magni ductu aliorum vicem viri miserantium, mense Decembri, anno MDCXCVII. Ibi sacerdos sacra prius exhomologesi (ut potuit per intervalla lucida) rite expiatum pastumque divino Epulo, potu ex calice Thaumaturgi refecit, cambattæque lustravit attactu secundum caput. Inde factum est, ut in dies haberet C melius, ac paulatim rationis usum integre recuperaret. Id quod et ipse postea, et alii fecere testatum. Sed alterius rursus generis opitulationes memoremus.

infans cæcus e cruce Sancti lustratus visu donatur.

43 Eodem anno P. custodi infans præsentatus est corpusculo misere contorto, et oculis captus, quique lucem, in quam editus fuerat, talpa cæcatior non cernebat. Eum ubi ille S. Magni crucicula lustravit, tenebras omnes integrum visu exuisse, fidem postea uterque parens fecit.

ANNOTATA.

a Staingaden *Ordinis Præmonstratensis cœnobium est in Bavaria, duobus circiter milliaribus Bavaricis ab urbe Fuessensi secundum Tabulas Meriani.*

b *Si per* ecclesiam *intelligat, Ecclesiam universalem, ut quidem vox illa accipi solet, edoceri cupio, quando illum universa Ecclesia celebret: id enim hucusque deprehendere nequivi.*

c Prochenzell *pagus est in episcopatu Constantiensi.*

d *Pie quidem expulsionem acus pellio iste acceptam retulit* S. Magno, *et re ipsa ipsi potuit debere: verumtamen id etiam naturaliter fieri potuit, præsertim cum non sine doloribus eam acum ejecerit.*

e *De bello Suecico sub Gustavo Adolpho Suecorum rege, illatisque Germaniæ sacrarum rerum profanationibus scriptores obvios consulere licet.*

f *In Vita Germanica est* Silts in Innthal.

g *In laudata Vita dicitur* Kinsen. *Porro* Schongavia *est ad amnem Lycum in Bavaria.*

h *Intellige* opitulationem *per prædictam aquam, nam usus baculi contra ejusmodi insecta longe est antiquior.*

i *Lacum Constantiensem, vulgo* Booden zee, *designat.*

k *Adi dicta superius* lit. b.

l Campe *a Græco* καμπή, eruca.

m *In Vita Germanica scribitur* Grossaitingen: *ignotus mihi est iste pagus.*

n *Id est, murium: vox Græca est conflata ex* μῦς mus, *et* κεφαλή caput.

o Sonticus *morbus usurpatur pro quovis morbo, quo a rebus agundis impedimur: aliquando etiam morbum comitialem denotat: utrum horum* E *scriptor indicare voluerit, nequeo divinare.*

p *In Vita Germanica dicitur* Vils parvum quidem, sed valde privilegiatum oppidulum in confiniis Tyrolis: *Fredericus De Wit in tabula Circuli Suevici* Vils *locat in episcopatu Augustano in confiniis Bavariæ et Tyrolis uno circiter et dimidio milliari Germanico ab urbe Fuessa.*

q *Id est,* cerevisiæ coctor, *a* zythum *cerevisia et* πέπτω *coquo.*

r *Per* cerealem malum *denotare videtur malum, quo fœnum currui impositum cohibetur, ne decidat. In Vita Germanica dicitur* Maria Osterling, *hoc malo, forte laxato fune, quo coercebatur, in altum projecta in eumdem recidisse, indeque rursus in terram jactata.*

s *In Germanica Vita vocatur* Berwangen.

t Campodunensis tractus, *vulgo* Stifft von Kempten *est in Suevia ad Ilarum amnem, juxta ditionem episcopi Augustani, estque juris abbatis Campodunensis, qui inter principes imperii locum habet.*

u *Apage cum profanis istis deastris.* F

w *Vita Germanica habet* Weingarten. *Est autem Weingartense cœnobium Ordinis S. Benedicti liberum et imperiale, in diœcesi Constantiensi, vix medio milliari a civitate Ravenspurgo.* Mons vinearum *etiam appellari solet, teste Gabriele Bucelino, ejus loci cœnobita, in Germania sacra, eo quod sacellum aulæ regiæ, quæ in istud monasterium conversa est,* S. Martini in vineis diceretur.

x Wertach *vicus est Sueviæ in tractu Campodunensi, ad fluvium cognominem, qui Latine Virdo dicitur.*

y *In Tabulis Frederici de Wit, collocatur* Cell, *duobus milliaribus a* Wertach.

CAPUT

A. P. Babenstuber.

CAPUT III.

Lues pecudum abacta, ægri curati, insecta e domibus expulsa, Lyci exundationes repressæ, varia beneficia impetrata.

Pestis pecudum subito depulsa *a* *b*

In stabula Georgii Anaser Burgbergensis *a* ex Sundhofica *b* parœcia, ignota quædam lues aliquot annos grassata, magnas clades invexerat, Nam pecus ea correptum cogebatur emori, tametsi adhibitum fuisset, quidquid avertendo exitio fore videretur. Satur denique tristium damnorum Georgius, votum nuncupavit Fussiacum iturum se, inque æde S. Magni facta noxiarum exhomologesi, epulo Eucharistico accubiturum, si suo is patrocinio finem calamitati daret. Dedit e vestigio, ut anno B MDCXCVIII, XXIX Aprilis affirmavit idem Georgius, cum voto se exsolveret, testatus, integrum jam inde quadriennium nihil morbi in pecore suo notatum. Condixit præterea, quæ voto promissa eo die peregisset, quotannis peracturum, quoad vita suppeteret.

et exclusa ex stabulis, *c*

45 Parochiani Mittelbergenses *c* jam a tempore avorum memoriam superante ad S. Magnum quotannis publice supplicatum, salutatumque ire solitant, sane perquam frequentes. Cum anno MDCLXIX obsecuti huic mori suo domum redirent, multus inter eos sermo erat de variis morbis, aliisque calamitatibus. Dehinc, quænam adversus unumquodque malorum præsidia aut remedia adhibenda, quorum potissime Divorum patrocinia imploranda, ultro citroque rogitabant, aliis hoc, aliis aliud, ut fieri amat, in medium proferentibus. Fervente amico hoc certamine inter cætera memorabatur, variis locis, imo et in vicinia grassari jam sævos morbos pecorum. Audiit hæc quidam Joannes Böck Kressanus *d*, itidem parochianus Mittelbergensis, consternationem C inter haud levem. Unde mox edito voto stabula, caulasque suas S. Magno concredidit. Quam hoc consilium e re viri fuerit, comprobavit eventus: omne quippe pecus ejus a lue perstitit intactum et incolume, quæ talis sors vicinis nequaquam obtigit.

Ex laterum dolore alioque gravi malo periclitans, facto voto, e vestigio sanatur;

46 Eundem Joannem Böck anno MDCLXX calidi genus morbi, auctis laterum doloribus sociati, qui multos ex memorata parochia Mittelbergensi tum corripuerat, lethoque dederat non paucos, extra spem vitæ ulla mortalium ope conservandæ collocavit. In supremo discrimine Joannes patrocinio S. Magni, quem rebus suis adeo habuerat propitium, se quoque committit, edito Sacrificii voto. Et ecce tibi continuo dolores undique remittere, et valetudo pristina paulatim reverti tota.

hernia pueri post emissum votum subito curata:

47 Filiolus Jacobi Mayr, lanii Fuëssensis, fuit Joannes nomine. Is in herniam ruptus, dolores oppido ingentes perpetiebatur. Cum nocte quadam tumor solito grandior appareret, cruciatusque exacuerat usque adeo, ut periculum esset, ne puerulus ferendo impar, ac velut in rabiem actus moreretur, accersita est avia Regina Mayrin. Hæc ubi venit, nepotulumque immaniter ejulantem dire excruciari conspexit; continuo, O sancte Magne, exclamat, miserere D hunc misellum! quamprimum illuxerit crastinum mane, tuis honoribus Sacrificium ut fiat, curaturam me recipio. Sic illa: at Joannes, sedatis mox doloribus, Avia, inquit, intestina sedi suæ jam reddita sunt. Unde omnibus gaudii plenis summo mane, ut Regina S. Magno promiserat, sacrificatum est. Cæterum hiernia citra ullam humanæ curationis opitulationem evanuit, nec unquam rediit Joanni per reliquam vitam, quamvis idem postea adultior Augustæ Vindelicorum septem annis cellæ vinariæ ministerio, ac deinde Zythopœiæ *e* admotus, in tollendis portandisque oneribus, corporis viribus strenue uteretur. Rogatus quoque, num molestiæ quid ex illa veteri ruptione sentiret aliquando, præsertim cum cœlum variaret? negavit, dixitque, ita se valere, ac si nihil ejusmodi vitii unquam contraxisset. Hæc parentes ejus Joannis testati sunt. Porro curationem illam patrocinio suo exercuit S. Magnus anno itidem MDCLXX.

nephritis alterius sanata: *f*

48 Adversus nephritidem quoque S. Magnus medelam tulit. Ea semestrem filiolum Josephi Holhund, molitoris Luimosensis e Seegensi *f* parochia, usque adeo corripuerat violenter, ut ternis E omnino hebdomadis lotium sisteret. Acerbissimum doloris sensum satis superque prodebat assiduus, isque vehementissimus puelli vagitus. Miserabantur quidem parentes, cognatique maxime; at opitulari misello non valebant. Tandem communi consilio nuncupant votum, infantem se Fussiacum portaturos cum dono ad S. Magnum, si saluti eum redderet. Quam ratum id votum fuerit, mox patuit: nam puellus inde indies habere melius; denique penitus convalescere; dolorem omnem exuere. Hæc testati sunt ambo parentes, eorumque Fratres Andreas Kolhund, et Joannes Geiger, atque una voto se exsolverunt XXIX Junii, anno MDCLXXI

in partu periclitans, aspersa aqua Sancti baculo benedicta mox feliciter parit. *g*

49 Quædam Afra, Uxor Michaëlis Heberle Apfeldorfensis in Rauchenlechbergica *g* jurisdictione, cum ad partum laboraret, in maximis angustiis ac doloribus, uti et vitæ periculo fuit, eoque discriminis deducta, ut omnem jam salutis spem abjiceret. Quod ubi advertit maritum probe gnarum, humanæ opis ad conjugem exitio eripiendam nihil suppeditare, cælestem statuit accersere. Itaque Deo et S. Magno parturientem fervide commendat, editoque voto F pollicetur, Fussiacum iturum se, inque templo divi Archiatri Sacrificium fieri curaturum, addita in donum ceræ libra. Aqua deinde, quæ forte aderat, sacra ejusdem cambatta ante annos jam duodecim lustrata, religiose proluit semianimem. His peractis, dolores angustiæque omnes momento temporis in gaudium et gratulationem desiere: nam Afra incolumis felicissime peperit. Votum 2 Julii anno MDCLXXII persolverunt ambo conjuges, eo cum auctario, ut facta exhomologesi ad sacrum Synaxim accederent. Memoravit inter cætera Michaël, aquam illam haud secus fuisse vivam ac limpidam, quam si e fonte recenter haustam attulisses.

Cimices, facto voto, depulsi ex ædibus in Apfeldorfio.

50 Ejusdem Michaëlis Heberle ædes ac familiam, ut ipse tum retulit, cimices, fœtentissimum genus vermiculorum, adeo moleste, tantaque multitudine exuberantes infestabant, ut nemo non diu noctuque eorum morsibus et graveolentiæ esset obnoxius, dicique posset cum Martiale: Nec toga, nec focus est, nec tutus cimice lectus. Adversus inquilinos hoc intolerabiles Michaël imploravit S. Magnum, vota Sacri

A cri in ejus Fuëssensi templo faciendi procuratione. Cujus consilii sane lætus fuit eventus: mox enim evanuere cimices, et suo seu discessu, seu interitu ædes purgarunt.

Faulenbachio,

51 Haud absimilia in ædibus suis passus est a cimicibus, idque multis annis, Jonas Heringer, plectropœus chelyopœusque Faulenbachii, quod Fussiaco proxime adsitum. Multus quidem fuit in conquirendo, adhibendoque, quæ tam invisæ pesti fugandæ esse videbantur, variis varia consulentibus ac suggerentibus; sed cassam sensit omnem operam. Optimum factu demum censuit ad S. Magnum confugere: quod ubi fecit annui muneris ferendi voto, disparuere cimices, nec ab anno jam fere trigesimo, quo Jonas hæc narravit, rediere amplius. Narravit autem XXV Septembris, anno itidem MDCLXXII vir grandævus et fide dignus.

et in parœcia Niderhofensi; h

52 In ædibus quoque Joannis Köpff ad Lycum medium, ut vocant, parochiani Niderhofensis *h*, recenter ædificatis (nam veteres deflagrarant) cimices enati erant multitudine innumerabili. Causam ejus rei esse ille credidit, B quod ligna fabricæ cæsa fuissent anni tempore ac sidere non idoneo. Fœdissimæ porro bestiolæ usque adeo invaluerant, ut viro domum demoliendi imposuissent necessitatem, ni tempori suasum ipsi esset, persuasumque, ut edito, quod videretur, voto, opem a S. Magno accerseret. Decrevit autem amplexus hoc consilium, Divi natalem anniversario honorare dono, si is tanta se, suaque molestia liberaret. Haud aspernatus est supplicem Patronus optimus: nam cimices primum fieri cœpere rariores, dein paulatim evanuere penitus. Ita retulit, testatusque est idem ipse Joannes anno MDCLXXV, VI Septembris, quando, quod voto promiserat donaturum se quotannis, donavit primum.

item scarabæi in urbe Fuëssensi.

53 Sebastianus Fischer civis pistorque Fuëssensis genus illud scarabæorum, qui e limo furnorum nasci solent, habuit infestum. Tanta quippe multitudine veluti ebullierant, ut noctu sæpenumero domus parietes omnes, ac præsertim farinæ saccos, rependo opplerent, atque obtegerent, atrosque potius, quam albos facerent apparere procul visentibus. Sed neque pelC li sedibus suis potuere furvi hospites, quidquid in eos conaretur Sebastianus, antequam idem facto voto suppetias a S. Magno accersit. His prompte obtentis, scarabæi paulatim omnes emigrarunt. Testatus est ista Sebastianus 2 Septembris, anno MDCLXXVI.

Fœdum pueri ulcus sublatum

54 Filiolus fuit Martini Erdt civis itidem Fuëssensis, opificio ephippiarii, Magnus nomine. Hujus malarum alteram genus quoddam tuberis invaserat, quales chirurgus, aliique similium intelligentes aiebant, hominum id ætatis, qua in crescendo sunt, varias corporis partes occupare solere. Verum hoc tuber, stationem suam retinere pertinax, eo usque increvit sensim, ut in ulcus demum migraverit. Quod ubi advertit parentem Martinum, et Veronicam matrem, puerum ambo commendare S. Magno maturarunt, edito cerei muneris ferendi voto: in fide tamen manuque chirurgi nihilominus esse voluerunt, sinistro sane eventu; cum artis humanæ subsidia non modo nihil proficerent, sed mali vis etiam prolixius cresceret, serperetque indies gangrænæ in morem. Deo quippe non videtur placuisse, post medelam e cœlo jam sollicitatam circumspici aliam. Unde Veronica oppido anxia, valere jussa quavis mortalium opitulatione, hoc init consilium. In ripa Lyci, uti fama fert antiquissima, hodiedum exstant vestigia S. Magni petræ impressa *i*: eo portat filiolum mater; aquam in sacris plantarum cavitatibus forte inventam manu excipit; ulcus pueli religiose lavat plena fiducia cælestis auxilii. Factum inde est, ut citra omnem medelam aliam puerulus malæ integritatem, sanitatemque recuperaret. Fidem horum omnium parentes fecerunt XV Octobris, anno MDCLXXVI.

A. P. Badenstuber. i

equus sanatus.

55 Verum hic nondum finis beneficiorum, quæ S. Magnus hoc tempore contulit in Fuëssenses. Georgius Fori inter illos fuit civis senatorii Ordinis. Ejus equorum unum vis morbi eo deduxerat periculi, ut medendi periti desperata jam curatione deglubitori adjudicarent. Uxor Georgii, qui tum aberat, hanc cladem rei domesticæ ut alia ratione averteret, jumentum S. Magno commendavit, edito cerei doni ac Sacrificii procurandi voto. Et ecce, rem mirabilem! spatio duarum horarum equus citra alia omnem medelam penitissime convaluit. Promissa præstitit ea materfamilias 2 Decembris, anno itidem MDCLXXVI, quo et res conti- E git.

Lycus ripis egressus, post varia illata damna,

56 Eodem anno urbi Fussiaco ingentes clades præterfluens Lycus minabatur: nam ripas egressus tanta aquarum ferebatur violentia, ut non modo pontem, aggeresque magnam partem, sed et molendina, fullonias, et aquæ ductus everteret, abriperetque, damnaque alia daret non reparabilia. Sedata hac eluvione, alii rursus aggeres riparii fluvio intra alveum coercendo fieri cœpti. Jamque opera ad mediam fere sui partem processerant, cum aspero frigore, quod ultra bimestre tenuit, in humidam temperiem verso, bidui spatio nivem, hoc anno oppido altam, pluviæ prope omnem solverint. Unde XVIII Januarii, anno MDCLXXVII Lycus iterato intumuit tanta aquarum accessione, ut fabri atque operæ periclitarentur, planeque metuerent, ne, si labori porro insisterent, una cum jactis a se molibus undarum impetu in exitium raperentur.

contacta scipionis Sancti, semel et iterum subito in alveum cogitur.

57 Hæc fluvii late restagnantis formidolosa tempestas cum universam oppido consternaret civitatem, senatus in S. Magni tutelam concedens, petiit majorem in modum, facileque impetravit, ut ejusdem thaumaturga cambatta adversus rabiem furentis Lyci expediretur. Itaque F populus æris campani sonitu in divi templum convocatus sacrum pignus, dum ad flumen effertur, supplex comitatur, reducitque domum eodem ordine ac publico ritu pietatis, post undas ejus contactu, consuetisque precationibus lustratas. His peractis ingens repente extitit miraculum: nam illico mutari aura, minui seque amittere minaces undæ; Fuëssenses, resque Fuëssensium discusso periculo esse in tuto. Memoriæ proditum est, haud absimile prodigium accidisse IV Novembris eodem anno, cum rebellante iterum Lyco patrocinium S. Magni publica supplicatione imploraretur.

Duo pueri maleficiati, epoto k

58 Ad alia nunc aliis impertita auxilia redeamus. Andreæ Dieffenbruggeri Roshauptensis *k* prolem adhuc infantem ægritudo quædam male ac oppido misere habebat: quam cum nemo nosset, nemo quoque medelæ quid præscribere, aut ferre poterat. Denique mater, uxor Andreæ, de consilio piorum quorumdam infantem attulit Fussiacum, petiitque, ut ei potus e calice S. Magni præberetur: quod ubi obtinuit, statim deprehensum est, orcinum fascinum totius

A. P. Badenstuber.

tius mali causam esse; id postea spatio duarum, triumve hebdomadum citra aliud ullum auxilium desiit: quemadmodum eadem mater XXV Novembris, anno MDCLXXVI coram retulit.

vino in Sancti calice benedicto, sanitati restituuntur. l

59 Placentam a quodam, seu mare, seu fæmina, famæ non adeo probæ, porrectam voraverat adhuc puer Martinus Doser Weissensensis *l*; sed gravi suo malo: mox enim incredibiles in corpore dolores perpeti cœpit. Inde tres ipsas hebdomades nec cibi quidquam admittebat, nec potus, præter fontanam puram: macie præterea inusitata usque adeo attenuabatur indies, viribusque exhauriebatur, ut ab ultima vitæ linea omnium judicio proxime abesset. Henricus parens tanto filii discrimine commotus, Fussiacum accurrit, petitque jam conclamato vinum in calice S. Magni sacratum, de quo ut puer sorbuit, non modo pristina ei mox edendi bibendique lubentia, sed etiam valetudo rediit paulatim Narravit asseveranter Henricus memoratus XIII Decembris, anno itidem MDCLXXVI. B

Cimices post editum Sancto votum ex ædibus expulsi: m

60 Domum recens ædificatam Joannis Heis, qui venator inclyti cœnobii Staingadensis *m* erat, cimices invaserant tanta infesti multitudine, ut hominem ad consilia inde emigrandi adigerent: et sane emigrasset, nisi tempori intercessisset S. Magni opitulatio, hanc quippe ubi aliorum suasu imploravit doni quotannis ferendi voto, statim inquilinis molestissimis vacuos lares habuit. Hæc idem Joannes in memorato cœnobio præsentibus, qui fidem merebantur, asseruit XXVII Januarii, anno MDCLXXVII.

Vulnus pedis insanabile, promissa peregrinatione, sanatum. n

61 Vere ejusdem anni Melchior Soier Cranzinganus e Rettenbergica parochia in Algoia *n*, cum circum arva sua sepes reficeret, haud leve adiit periculum. Securim namque, qua in opere faciundo utebatur, fallente ictu adeo violenter in alterum suorum adegit pedum, ut binas in eo venas cum nervo discinderet. Plagam tam luculentam humana arte persanatum iri spes erat sane crepera. Quare Melchior certiorem medelam circumspiciens, salutem suam ingenti fiducia, ac vota peregrinatione S. Magno commendat: statim inde pes revalescere, ut hominem nuncupati voti causa Fussiacum euntem ferret non incommode. Venit is eo XXV Maii, quamquam vulnere necdum integre coalito, reique seriem præsens exposuit, atque addidit, in ipso itinere, quod cum aliis una euntibus pedes conficiebat, pedem in horas redditum esse valentiorem, sanioremque. C

Equitem præsenti vitæ periculo invocatus eripit: o p q

62 Principio deinde autumni, aliquot illustri loco homines Reütta *o*, quæ est in Tyroliis, Fussiacum equitabant. Erat in illo comitatu juvenis e gente Fuggerorum *p* Augustanorum, ut nominantur. Hujus famulorum aliquis, ut herum assequeretur velocius, equum calcaribus in cursum exstimulare fuerat aggressus. Verum ille talium popismatum *q* impatiens ferocire, bipes erigi, altum subsilire non absque horrore aspicientium. Equiti optimum factu videbatur desilire: quod dum conatur, in altero stapede hæret implicitus nodum ephippii manu apprehendens. Quid jam agat in periculo adeo præsenti? neque e stapede quippe exsolvere se, neque in ephippium elibrare inter saltus tumultuantis equi poterat. Inopi consilii venit in mentem S. Magnus, de cujus miraculis atque in mortales quotidiana beneficentia paulo ante plura audierat: quem proinde fervide invocans, O Dive, exclamat, vermium depulsor (non enim occurrebat nomen memoriæ) juva me: cras mane, ut Sacrum honori tuo fiat, curabo. Hæc elocutus statim (quod omnes mirabantur præsentes) ex sæviente equo liber evasit. Ipsum quoque jumentum mox desiit furere, placidumque se stitit equiti, qui altero die (fuit XI Septembris) cælesti Liberatori gratias actum venit in ejus cœnobium, conductoque, quod voverat, Sacrificio religiose interfuit. D

mures agris infestos, post emissum votum pellit:

63 Non hoc modo, sed et superioribus annis, gravia damna Fuëssenses passi sunt a muribus, per omnes eorum agros ingenti multitudine invalescentibus. Neque immunem cladis hujus communis vidit se Felix Obser, civis itidem Fuëssensis. Ejus uxor, cum malum indies ingravesceret, ad S. Magnum confugit, edito voto; quod ratum fuisse, acceptumque, sane patuit luculente: extemplo namque mures ipsorum agrum, quem catervatim rursus populari cœperant, reliquere, ne quidem spica amplius violata. Retulit ista Felix XXIII Septembris; voto uxor jam ante se exsolverat. E

insecta ex ædibus adhibito Sancti baculo, mirabiliter exacta. r s

64 Anno dehinc MDCLXXXIV Joannis Schnöll ex Hopferavia *r*, ut vocant, recentes ædes multitudo incredibilis gryllorum, cimicum, aliorumque insectorum invaserat. Forte accidit mense Junio, ut P. Cælestinus Stadler, tum hierophilax *s*, ambarvalia ageret id loci, circumlata, ut mos habet, S. Magni cambatta. Quod in rem suam fore ratus Joannes, per cujus ædes necessum erat traduci supplicem pompam, rogavit Patrem, ut sacrum eum baculum, adhibitis usitatis precationibus, in diros atque intolerabiles larium suorum infessores stringeret. Fecit hoc ille promptissime, idque eventu optatissimo, quem nec domestici satis mirari poterant, nec vicini. Sub vesperum quippe insectum omne fieri alatum, in sublime ferri, atque exitum quærere. Igitur aperta sunt undique domus ostia et fenestræ, quo facto, vidisses infesta examina, ceu turbine in gyrum actos nivium floccos, qua data porta, certatim erumpere atque evanescere. Tenuit aliquot diebus hæc emigratio, nec ante finita est, quam omnes ad unam plane bestiolæ evolaverint. Sed neque postea (ut relatum est anno MDCC, XX Novembris, quando hæc annotata sunt) quid molestiæ eis ædibus crearunt amplius id genus invisi hospites. Fidem rei gestæ fecit ex narratione memorati Joannis Schnöll D. Georgius Keller tum Hopferaviæ sacellanus. F

ANNOTATA.

a Burgberg *vicus est in episcopatu Augustano: paulo plus quatuor milliaribus Germanicis dista- Fuëssa notatur in Tabulis F. De Wit.*

b Sundhofen *prope* Burgberg *a laudato geographo collocatur.*

c Mittelberg *in prædictis Tabulis ponitur in tractu Campodunensi, duobus milliaribus et dimidio ab urbe Fuëssensi.*

d *In Vita Germanica dicitur ex* Kressa, *qui locus mihi non occurrit.*

e *Id est officinæ cerevisiariæ.*

f *In Germanica Vita dicitur* Josephus Kolhund, *et ita etiam infra vocatur. Porro in sæpe laudatis Tabulis* Seeg *notatur in episcopatu Augustano, uno et medio milliari Fuëssa: huncne, an alium locum designet, incompertum mihi est,* Luimos *enim mihi non occurrit: nec operæ pretium est inquirere.*

g Rauchenlechberg

A g Rauchenlechberg *situm est in Bavaria superiori non procul a Lyco inter Schongaviam et Lansbergam.*

h *In Tabula mox laudata notatur* Niderhofen *sesqui circiter milliari Fuëssa in adversa Lyci ripa. Est et alius pagus cognominis, supra Schongaviam, paulo plus quatuor milliaribus ab eadem urbe Fuëssensi dissitus.*

i *De hoc loco P. Babenstuber lib. 2 Vitæ, cap. 6 notat sequentia* : Extra suburbicen * Fuëssense, ubi est fullonia, in utraque ripa Lyci notantur partes petræ depressiores cæteris, quas vulgus S. Magni vestigia (S. Mangen Schritt) nominant; quæ Divus destituerit ibi impressa, quando amnem superavit, seu vado, seu portatus ab angelo. Non tamen referunt ea, ut satis agnosci queat, figuram plantarum humanarum: in causa ajunt esse vetustatem, quæ madore imbrium niviumque adjuta, manifestiora lineamenta exederit. *Hæc ipse laudans Martinum abbatem Fuëssensem, cujus Opusculum mihi ad manum non est, ut jam alias monui.*

* suburbium

k *Vide Annotata ad cap.* 5 *Vitæ lit.* i. *Alius* B *item pagus* Rosshaupten *prope Burgoviam Germaniæ urbem in Suevia, et cognominis marchionatus caput, locatur in Tabulis F. De Wit.*

l *Adi lit.* n *in annotatis ad cap.* i.

m *De Staingadensi abbatia vide supra ad cap. 2, lit.* a.

n *Algoia, vulgo* Algou, *tractus est Germaniæ in Suevia, a Septentrione habens Danubium, ab ortu Lycum, ab Occasu Hengoviam et lacum Constantiensem, a Meridie vero comitatum Tyrolensem.*

o Reutte *vicus est comitatus Tyrolis, ad Lycum fluvium duobus aut tribus milliaribus Fuëssa dissitus.*

p *Comites Fuggeri, notissima opibus gens, Augusta Vindelicorum oriunda, in Suevia insignem ditionem possident,* dominium comitum Fuggerorum *nuncupatam.*

q Poppismata *sunt sibila oris et blandimenta manuum, quibus feroces equos demulcere solemus. Vox Græca est a* ποππύζω sibilo, adulor : *hic ironice usurpatur pro calcarium stimulis.*

r Hopferaw *Fredericus de Wit statuit uno circiter milliari Fuëssa.*

s *Apud Romanos idololatras* ambarvalia *vo-* C *cabatur festum lustricum, quo, ducta per arvorum fines hostia, quam propterea* ambarvalem *vocabant, arva lustrabant: hoc loco sumitur pro lustratione agrorum facta per delationem sacrarum reliquiarum et supplicantis populi comitatum.*

CAPUT IV.

Mulier puerperio, infans tuberibus periclitantes sanati, Lycus rursum exundans repressus, varia beneficia ope SS. reliquiarum obtenta.

Mulier in partu, et infans ex tuberibus

Quædam Maria Ruethin anno MDCXCIII cum gravida esset, fœtu dimidium stati temporis nondum superante, quatuordecim diebus fluxiones oppido periculosas summos inter dolores patiebatur. Unde de salute ejus jam actum esse credebant, quotquot aderant laborant: cum nec obstetricum aut opera, aut consilia quidquam proficerent. Tandem XXVI Junii parturiens ac pene certa, moriendum sibi esse, hi pareret, S. Magnum implorat ingenti fiducia clamans, ut, qui alias propitius opitulator fuisset, non desit in tam præsenti discrimine. Elocuta hæc talia, mox sensit secum agi melius. At interea soror Elisabetha sororem miserata ad cœnobium divi Thaumaturgi properat, vinum et aquam sacris ejus pignoribus, consuetisque precibus lustratam affert. Quam dum haurire aggreditur Maria, urceolumque adhuc ori tenet admotum, fœtum quoque ejicit, idque citra molestiorem doloris sensum. Hæc sancte asseveravit eadem Maria Ruethin.

A. P. Babenstuber.

66 Anno MDCXCIV Christiani Pazeller sartoris ex Hopferana infantem, etiam tum prolem, ignota quædam tabes ad ultimam prope maciem extenuaverat. Occursum quidem est malo variis cum remediis, tum consiliis, sed profectum minimo minus. Invaserat misellam nocte quadam et alia calamitas, nempe tuberum integra pene cohors, E quorum aliquod circa inguen usque adeo excreverat, ut orbem panis, qui binis tum vendebatur cruciferis, æqaurit. Novem præterea in eo ulcera eruperant. In tali infantis statu, cum nulla mortalium opitulatio superaret, ad S. Magnum confugitur, atque ex calice ejus ter potus, aliaque sacris precationibus initiata supreme periclitanti præbentur. Ingesta ea potione mox infans (quod ante per vim dolorum numquam licuerat) in somnum concedit, eumque adeo pertinacem, ut XXIV omnino horas nullo excitantium seu strepitu, seu motatione discuti se pateretur. Ultro demum evigilavit placide subridens, cœpitque statim habere melius, ac breve intra tempus penitus convaluit. Hæc idem testatus est, quem supra nominavimus, D. Georgius Keller sacellanus.

periclitantes haustis vino et aqua benedictis subito liberantur ;

67 Quinquennio post, dum agebatur annus MDCXCIX diesque Maii XXV iterum Lycus vires invictæ cambattæ sensit: cum enim aquis immodice actus, ac ripis superfusus magna undarum mole recta ferretur in Muesaviam *a*, qui F in S. Magni ditione locus est; jamque duorum hortorum victor, utrumque media sui parte abripuisset, scipio memoratus, post adhibitas de more sacras precationes, ita compescuit insolentem, ut altero mox die cursum alio flecteret, cætera innoxius.

Lycus rursus exundans Sancti baculo coercetur. a

68 Anno dein seculari MDCC Petrus Lecher Niderhofensis parochiæ, ex equo prolapsus, ingens vitæ periculum adiit. Certe spatio integræ horæ vix anhelitum trahebat, sanguine per nares, per os et aures ebulliente. Unde et factum, ut tredecim omnino hebdomadas inter vehementes dolores capitis decumberet. Denique variis medelis nequicquam adhibitis, Petrus S. Magni opem implorat, Sacrificii procurationem pollicens: ad templum præterea ejus Fuëssense equo impositum se, sæviente etiam tum eadem invaletudine, vehi curat: eo delatus pauxillum vini sacri ex Divi calice cum hausisset, indies habuit melius, brevique integre convaluit.

Lapsu ex equo graviter saucius, potus e calice Sancti convalescit ;

69 Ejusdem Petri uxor Barbara integrum annum pravis suggestionibus, et ad malum diu noctuque incitantibus, vehementer infestabatur. Verum ubi rem totam cum S. Magno inter preces communicans, venit in ejus templum, Sacrumque

mulier pravis suggestionibus tentata, facto voto, animi tranquillitatem recipit :

A. P. Bahenstuber.

crumque fieri curavit, pristinam animi serenitatem, tranquillitatemque recuperavit.

eadem cimices aqua S. Magni scipione benedicta expellit e domo.

70 Cum eidem Barbaræ in ædibus suis cimices molesti essent, ipsa mox optimi consilii dux sibi facta, aquam procurat, quæ S. Magni cambattam, additi sacra precatione, abluisset, eamque partibus ædium, quas insederant fœtida animalcula, aspergit. Non tulere hunc imbrem cimices, sed e vestigio vertere solum, non ultra reduces. Hæc tria memoratis conjugibus impertita beneficia asseverate retulit D. Joannes Essedier curio Niderhofensis.

In communi pecorum lue quidam, facto voto, sua salva servat : b

71 Anno illo seculari, cujus paulo ante meminimus, per Alpes Tirolias, quæ sunt in Erenborgica *b* toparchia, sæva lues ingentes pecorum strages edebat, adeo, ut, qui quatuor, quinque, aut sex boves in eam pastionem miserant, vix unum, alterumve salvum reciperent. Hinc metu contagii ulterioris, non modo annuus mercatus intermissus est, sed et interdictum, ne quis alio quid inde pecoris ageret; id ausi gravibus pœnis castigabantur. Quidam Salomon Berchtold, cum suo quoque armento eandem perniciem imminere facile perspiceret, S. Magni imploravit opem; eam si tulisset, donum pollicitus vivum, spi-
B ransque. Et sane tulit: Salomonis enim bubus nihil ea lues seu incommodi, seu cladis intulit: unde voti reum se fassus, anno proxime secuto XIV Februarii vitulum Divo ad fores templi sisti curavit.

hominum et alitum morbi abacti aqua Sancti scipione benedicta : c

** Airs*

72 Ejusdem anni Maio cambattam in Tirolicam toparchiam, Lanam *c* nomine, adversus infesta vinetis insecta portabat P. Dominicus Dierling, tum hierophylax in templo S. Magni. Eo in itinere cum Airam * qui itidem in Tirolicis locus est, venisset, rogatus a caupone, ad quem diverterat, aquam, salem ac terram lustravit adhibita eadem S. Magni cambatta cum ritibus usitatis. Factum inde est, ut duo febrientes ex illa aqua portarent: quod sane utrique adeo præsens medela fuit, ut eodem tempore et laticem hauserint, et ægritudinem depulerint. Quod miraculum testes habuit non modo P. Dominicum ipsum, sed etiam Adamum Nigg comitem itineris; ac præterea dominum quendam Wasenöfer, et cauponem Airensem.

Uxor quoque ejus Couponis male habebat, in-
C certum, qua ægritudine pressa. Verum potasse ex illa sacra unda, convaluisse fuit.

Cortem præterea memorati cauponis haud simplex clades affligebat, morientibus ex gente aligera oppido multis. Erant, qui id mali stygiis artibus fuisse conflatum arbitrabantur. Sed unde extiterit, illud certe stitit potentissima S. Magni opitulatio. Nam, ubi primum ex aqua ejus lustrali bibere concessum fuit ægris alitibus, omnes convaluerent.

calculus citra dolorem ejectus ope præfati baculi :

73 Porro Lanæ, cujus ante meminimus, vir quidam nobilis erat, idemque religione ac fiducia erga S. Magnum nulli secundus. Is, cum calculi doloribus acerbe cruciaretur, petiit majorem in modum, ut P. custos adhibita sacra cambatta sibi bene precaretur: quod ubi facile obtinuit, altero die citra doloris sensum egessit lapillum olivæ magnitudine, quemadmodum ipse plenus solatii ac gaudii retulit P. Placido Klainhans cœnobitæ ad S. Magnum, tum Lanæ commoranti, et Joanni Eggman cauponi id loci.

puella dira tabe liberata : d

74 Decimo dein Augusti ex Hopferavia *d* cum bienni filiola ad S. Magnum venit, opem, salutemque rogatum Joannes Schnöl. Ea pupa, Barbara nomine, integrum annum quodam tabis genere adedebatur omnibus ignoto. D
Prompta quidem sunt, admotaque artis præsidia, quorum patiens erat tenella ætas, sed studio prorsus irrito. Ad sacra proinde itum est auxilia: cum crederetur, magica quadam devotione id malum esse conflatum. Itaque ad P. Wolfgangum, qui tum exorcistam agebat apud Franciscanos cœnobitas, portata est puellula. Is pronuntiatis consueti ritus precationibus, adhibitis quoque sacris suffitibus, pane, et aqua, munus suum sedulo obibat: frustra tamen et ipse fuit. Quæ cum videret parens Joannes, omnis jam alterius consilii inops, miseram prolem S. Magno commendat, edito ad eumdem peregrinationis voto: quo promisso sancte quoque stetit die supra memorato, cum uxore, et ægra parvula simul allata. Dum voti religione exsoluti domum redeunt, ecce tibi! Barbara subito interquiescere, imo et somnum capere: quod ei ante toto anno morbus inviderat, adeo sævus, ut nullis seu matris, seu aliorum blanditiis, assidue dolentis vagitus sisterentur. Verum hic somnus omnia vertit in melius, parentes- E
que filiolam brevi integre sospitem habuere et incolumem. Hæc pro testimonio dixit is, quem aliquoties jam nominavimus, Georgius Keller sacellanus Hopferaviæ, et parens Joannes Schnöll.

amentibus

75 Quarto autem Octobris Joannem Maldoner Fuëssensem repentina quædam vertigo rotare cœpit adeo, ut ebrius esse videretur. Aliquot inde dies in lecto hæsit ignarus, quid mali esset, quo conflictaretur, quodque quotidie sentiret ingravescere. At denique in eam capitis, mentisque intemperiem prolapsus est, ut palam insaniens, omnia horrificis clamoribus impleret, diuque ac noctu per ædes cursitans fureret. Porro interrogantibus, quid ipsi accidisset adversi, respondebat, se nescire. Incisa quidem misero vena fuit, sed incassum. Applicavit etiam sacra remedia pater ille Wolfgangus ante memoratus; nullo tamen successu alicujus momenti. Unde et ipsi author fuit consilii, ejusque optimi, ut ad S. Magnum confugeretur. Sistitur itaque divo Thaumaturgo Joannes, ejusque reliquiis lustratus, calice quoque potionatur, plane salubriter: nam statim insequenti nocte homo, quod omnes mirabantur, quievit, imo et dormiit satis commode: cum deinde per octiduum continuasset eandem potionem sacram, plenissimum F
mentis usum recuperavit. Quod ipse eventurum malus quoque genius prædixerat: nam dic quodam ex arreptitio, quem penes supplex ingeniculabatur, cœpit irridere; hujus causam rogatus respondit, quod amentem hunc agitaret, pro nihilo reputandum: longe quid aliud fuisse passurum, si totum (quod tamen in eum non fuisset destinatum) liguriisset: verum octiduana ex sacro calice sorbitione malum omne discussum iri. Id re ipsa factum esse, scripto quoque testati sunt Adamus Bayrhof statuarius, et Michaël Erdt ephippiarius, cives Fuëssenses.

mens sana reddita :

76 Sub anni ejusdem exitum ad S. Magnum venit cum duabus sodalibus suis Barbara Shmidin, uxor Martini Schnöller ex Obergablio, ut vocatur. Eam tempore bene longo turbatum cerebrum ratione expedite uti non sinebat, usque adeo, ut negotia domestica inepte sane ac præpostere tractaret, sæpe propterea vapulans a marito; id tamen præ mentis intemperie minime advertens. Non defuere quidem varia remedia,

A media, etiam sacra : at nullum eorum pellendo malo sufficiebat. Verum ubi præbitus illi potus e calice divi Sospitatoris est, serenato paulatim capite, rediit totus rationis usus pristinus. Narravit hæc coram ipsa Barbara inter maximas gratiarum actiones, anno proxime secuto, die XXIII Aprilis. Anno autem MDCCII 2 Februarii confirmavit signata syngrapha D. Joannes Baptista Steffelmair, id loci tum parochus.

ægri tactu S. Magni baculi e

77 Quædam Maria Thagelin fuit Peternaviæ in Muggenthallica *e* ditione. Ea integro biennio potissimum ægra decubuerat, nec ad quidquam operis domestici habilis ; quod malum magicis artibus procreatum vulgo credebatur. Forte accidit, ut P. Meinradus Schwab id loci virgam S. Magni circumgestans, sacra ageret ambarvalia *f*. Quod ubi mulier accepit, plena fiduciæ in Cælitem beneficentissimum, collectis, utut potuit, virium reliquiis, ivit ac petiit hoc unice, ut mirificam cambattam osculandi sibi copia fieret : quam cum facile impetrasset, ocyssime, eodemque temporis momento vegeta ac plane sospes surrexit de terra, vixitque postea, domesticis B etiam par laboribus, ut ante ægritudinem fuerat. Hæc narravit Joannes Schorn, molitor in eodem pago, anno MDCCI, XII. Januarii, quando et ipse post ignotam, eamque septennem jam ægrotationem in thaumaturgis S. Magni reliquiis quæsivit salutem.

f

sanati :

78 Sub idem tempus, quo miraculum modo narratum fuit patratum, ac statim late vulgatum, infans erat octodecim mensium. Is natus Aloysio quodam ludimagistro, et Joanna Wangerin conjuge ejusdem, ægrotabat assidue, etiam post varias medelas frequenter adhibitas. Verum ad contactum sacræ cambattæ, ejusque osculum illico valuit : imo adhuc valuit, quando hoc quoque mirum retulit molitor ante memoratus.

puer nephriticus potus e Sancti calice, calculis liberatur.

79 Cum anno MDCCI, mense Februario ex calice S. Magni bibendi copia publice fieret, triennis quoque filiolus Francisci Duin, civis Fuëssensis, Alexander Sigismundus inter alios pueros accessit. Nephriticus erat, ignaris eo usque parentibus, quamvis doloribus oppido acerbis lancinaretur. Ut secundum, vel tertium venit ad sacram potionem, domum reversus bi- C nos calculos cicerum magnitudine, cum multa vi glareæ inter sanguinolentum lotium egessit. Haud multo post, cum puerulus idem poculum gustasset sæpius, summis iterum doloribus conflictari cœpit : urina quoque ei stitit aliquot diebus : unde parentes in gravi metu erant, ne filiolus ex tanta cruciatus vehementia in rabiem incidens mortem oppeteret. Qui tandem capto salubri consilio P. custodem advocant domum suam, ut misello sacris reliquiis ac precibus lustrato calicem porrigat. Vix biberat puellus, et ecce tibi ! præsente etiam tum P. custode aquam petit, ac paulo post lapillos duos e vesica protrudit in canaliculum : sed quod grandiusculi essent instar majoris ciceris, chirurgus angustias canaliculi secando laxavit, indeque ambos exemit feliciter. Rem omnem fecere testatam signata syngrapha idem chirurgus Joannes Fridericus cognomento Kurz, civis Fuëssensis, et Franciscus Duin, parens pueruli.

Cimices ex ædibus expulsi. g

80 Ædes D. Balthasaris Blaicher parochi Vilsensis *g* cimices fœtentissimi habebant infestissimas : cujus ille tantæ molestiæ impatiens ad S. Magnum confugit, donum sex crucigerorum quotannis laturum pollicitus, si tam invisos hospites patrocinio suo abigeret : quod Divum prompte præstitisse plane constitit ; ex eo namque tempore nec unus quidem cimicum conspectus fuit, aut notatus in illis ædibus, ut curio ipse narravit anno MDCCI, X Martii, qui et domum, quod promiserat, tulit annis singulis, cum recurreret dies S. Magno sacer.

A P. Babenstuber.

morbus alitum abactus. h

81 Idem parochus (quod itidem tunc narravit) Indicæ cortis gallos *h*, gallinasque alebat tredecim, quos morbus quidam omes invaserat, jamque octo eorum neci dediderat : sed neque quinos superstites aliud fatum manebat. Dominus, quod nollet omne hoc genus alitum sibi perire, S. Magno triarios promittit singulos pro singulis, si præstaret incolumes ; statimque nummos dat P. custodi reliquiarum tum præsenti ferendos in gazophylacium. Quid plura ? aves omnes inde valuere, multumque lucri fœtura sua attulere eidem parœco.

Potus e Sancti calice, puellæ dolorem capitis, i

82 Eodem mense ac anno Maria Duinin, filia civis Fuëssensis, quam acutissima cephalalgia *i* diu exercuerat, ad calicem S. Magni plena fiduciæ de ejus patrocinio inter alios, qui male habebant, accessit. Salubre fuisse consilium ostendit eventus. Nam elapso dehinc horæ quadrante puellam dolor E omnis reliquit.

et alterius gravem morbum,

83 Rursus illo mense atque anno S. Magni beneficentiam deprædicavit inter maximas gratiarum actiones alia puella, Maria Kempterin nomine. Eam (ut ipsa narravit sub eundem mensem Martium quotannis ægritudo quædam lecto solebat affigere, quo fiebat, ut templum adire) quod cæteroquin nullo die intermittebat) officiaque pietatis, quibus insueverat, præstare non posset. Verum ubi ex calice cælestis Sospitatoris (cui plurimum addicta erat) publice porrecto bibit cum aliis, vires recepit adeo validas, ut citra ullam molestiam ulteriorem solita religionis pensa redderet.

et tertiæ diuturna insomnia tollit : k

84 Porro XVII Aprilis opem a S. Magno, medelamque obtentam retulit Maria Heringerin, nata Hornii in Waltenhofensi *k* parochia. Ea judicis Hochenschwangaviensis aliquamdiu ancilla fuerat. Verum non deerant, quæ inviderent liberalem hanc servitutem. Unde cum Maria quinque omnino hebdomadas pertinaci insomnia, variisque corporis laboraret debilitatibus, creditum est, cuncta talia ex orcino maleficio obvenisse miseræ. Quæ optimi tandem ad valetudinem recuperandam sibi ipsa fit auctor consilii, ut ad S. Ma- F gnum confugiat. Itaque fervidam primum precationem ad Divum fundit quotidie, dein ternis, quaternisque diebus ex calice ejusdem gustat : cæteris præterea lustratur reliquiis. His peractis, statim somnus cum pristina valetudine rediit.

puerpera, mortuo in utero fœtu, periclitans, eodem potu hausto, facile parit.

85 Ejusdem anni mense Augusto, die XXVI uxorem Georgii Theobaldi Konig civis et aurifabri Fuëssensis, Mariam Joannam, fœtus in utero mortuus in supremum vitæ discrimen adduxerat : nam XXIV horis, quidquid niteretur parturiens, vel opis afferret obstetrix, in lucem evolvi nulla ratione potuit. Unde, quotquot aderant, actum esse censebant de salute Joannæ. At denique (consilio haud dubie cœlitus suggesto) ad S. Magnum confugiunt edito Sacrificii ejus honoribus procurandi voto. Ad patrem deinde custodem mittunt oratum, ut venire, sacrasque Divi reliquias parturienti adhibere non gravetur. Venit ille et adhibuit ; imo et noxarum confessione expiatæ calicem porrexit alexicacum *l* : ex quo illa optimæ spei plena

l

A. P. Badenstuber.

plena hausit, quantum fuit permissa, quantumvis abstemia esset. Mirum creditu! adhuc inter bibendum dolores ingruere parientibus solennes, fœtus ad egressum parari, ac demum, dum a præsentibus litaniæ S. Magni, et preces coronariæ recitantur, in lucem edi citra gravem mulieris molestiam. Exstat de hoc miro litera scripta, signataque a marito ante nominato, et a Joanne Frederico Kurz, Chirurgo et cive Fuëssensi.

ANNOTATA.

a *In Vita Germanica vocatur* Muesau *pagus in confiniis Tyrolis: in Tabula Frederici de Wit ponitur* Musach *sesqui circiter milliari ab urbe Fuëssensi.*

b Erhenbergh *castrum est in comitatu Tyroli non procul a* Reutte *sive* Reite: *huncne an alium locum designet, divinare nequeo.*

c *In Vita mox laudata dicitur* Lana in Etschland, *id est*, in agro Athesino, *qui est tractus in comitatu Tyrolis ad Athesim fluvium.*

B d Hopferaw *in mappis notatur non procul a Fuëssa.*

e *Hæc ditio nusquam mihi in Tabulis geographicis occurrit; nec operæ pretium duxi operosius inquirere.*

f *Vide annotata ad cap. præcedens lit.* s.

g *De hoc loco adi annotata ad cap.* 2, *lit.* p.

h *Id est* gallos Indicos.

i Cephalalgia *est dolor capitis.*

k *Pagus est ad Lycum in Bavaria.*

l *Id est salutaris vel malorum depulsor.* Ἀλεξίκακος, *in malis adjutor.*

CAPUT V.

C

Varia insecta ope baculi e domibus et agris expulsa, partu periclitantes, diversis malis afflicti sanati, aliaque beneficia Sancto adscripta.

Varia insecta Frisingæ a

Mense Septembri mox insequente sacra cambatta Frisingam fuit allata, petente celsissimo principe et episcopo *a*. Scarabæi namque parvuli iidem ac nigri, in zythi coquina ejusdem usque adeo invaluerant, ut hordeum populantes, exedentesque grave detrimentum crearent: compertum quoque est, nonnullos, qui de zytho inde facto biberant, in morbum incidisse. Verum, ubi ipso festo S. Magni cellæ hordeariæ, aliæque frumentariæ admirandorum effectrice virga ejus lustratæ sunt, scarabæos relicto omni hordeo mox fugam capere, atque per collem, in quo sita est ea cervisiæ apotheca, turmatim abire vidisses.

et alibi expulsa.

87 Eodem mense etiam Berchtolgadenses beneficam S. Magni manum experti sunt. In ea ditione quindecim fere annis insecta agros populata multum detrimenti dederant. Vim tamen cælestem sacræ cambattæ consuetis ritibus sibi objectam experta tandem destiterunt a noxa. Eandem sensere etiam cimices, atrique scarabæi ex ædibus, et conclavibus passim ejecti undæ aspergine, quæ potentissimam virgam abluerat. D

Mulieri felix partus,

88 Post hæc XVII Novembris quædam Maria uxor Benedicti Gröbel, civis et coriari Fuëssensis, parturiit, optima quidem spe, uti se dabant initia: sed casus inopinato incidens, nescio quis, ut integrum diem nequicquam niteretur, effecit: unde fœtus in summo versabatur periculo, ne intra uterum elideretur. Igitur, qui aderant, auxilium a S. Magno accersendum rati, P. custodem cum reliquiis ejusdem advocant, orantque, ut eas adhibeat laboranti, ac præsertim, ut e sacro calice potum præbeat. Sacrificium præterea vovent cælestis Opitulatoris honoribus fieri curaturos. His ita peractis, cum necdum abiisset P. hierophylax, mulier felicissime peperit. Quemadmodum testatus fuit maritus ante nominatus.

puero lenta tabe pene consumpto sanitas donata: b

89 Mariæ Kürcherin Hirschcellensi, Kaufburæ *b* accolæ, filiolus erat triennis, Josephus nomine. Is tota hac ætatula vitam vivebat in corpusculo adeo tenero, macilento, defectoque viribus, ut portare, aut loco movere vix esset, qui auderet, metu, ne intra manus suas E repente moreretur. Mater capto demum optimo consilio miselli salutem S. Magno commendat edito peregrinandi ad eum voto: quod et protinus præstitisset, si puerulum gestare secum fuisset integrum. Id nihilominus eo voto profectum, ut invaletudinem Josephi indies minui appareret. Unde Maria VII Decembris, quod voverat, persolvit: sacrum quoque calicem et sibi et filiolo præberi rogat: quod cum impetrasset, pusionem elapso vix spatio quatuor hebdomadum habuit plene valentem, ac pedibus (quod ante nunquam potuerat) consistentem et gradientem. Curavit hæc inter lætas gratiarum actiones mater significari P. custodi sorore sua nuntia, anno proxime insequenti, XIII Februarii. Quæ eadem ex relatione Mariæ testati sunt DD. Joannes Beirhof, et Jacobus Wanger, parochi, ille Frankenriedæ iste Hirschcellæ. Item Joannes Kürcher parens, et Philippus Haglland, judex Hirschcellensium.

puerperæ et alteri pede afflictæ subventum. c

90 Stainbachii, quod in Stettensi *c* parochia est, quædam Magdalena Geisenhöfin bis aut ter in tanta pariendi difficultate, imo et infelicitate fuit, ut partus non nisi vi extracti, iique mortui in lucem evolverentur. Cum autem anno F MDCCII iterum parturienti par discrimen haud obscure immineret, ejus digito annulus, qui in calice S. Magni jacuerat, cæterisque reliquiis religiose contactus servabatur, fuit inditus. Porro Stainbacenses pia miseratione moti in sacellum Divi, quod ibi est, communi consilio pro fœmina venere supplicatum, idque lætissimo eventu: nam inter recitandum litanias ejusdem, Magdalena vivum puerulum peperit citra sensum doloris acerbioris.

Anni superioris mense Junio Catharina Eggerin Fuëssensis, vidua oppido pauper, non modo ægrotavit gravissime, sed etiam in altero pedum dolores perpessa est intolerabiles. Verum ubi S. Magnum imploravit voto cerei pedis sigillo, dolor omnis evanuit, pristinaque valetudo rediit. Votum persolvit Catharina mense Januario anni MDCCII cum id facere maturius dura egestas non concederet.

Puer diuturno morbo liberatur: d

91 Anno primum memorato, XVI Januarii, allatus ad S. Magnum est puerulus ex Aschavia *d*, ut vocant, Joannes Beyrer nomine. Is integrum jam

A jam biennium lenta tabe adesus, nec pedibus consistere poterat, nec incedere. At ubi solitis precationibus lustratus bibit ex sacro calice, brevi convaluit, pedes in officio habuit.

genu ex gravi lapsu saucium vigori pristino restitutum e

92 Cum idem ageretur annus, Maria Schmidin, nata Obercellæ, quæ quod procul Kaufbura *e* est, ex gravi lapsu alterum genu altum intumuerat. Tempore quidem bene multo sub manu chirurgi fuit; sed is, quod videret, malum arte sua esse valentius, de curatione desperans, destitit ab irrita opera. Unde fœmina, nihil ultra morata mortalium medelas, S. Magno fervidis precibus se commendat ingenti concepta spe, auxilium ejus sibi non defuturum: et sane non defuit; postquam enim edito voto promisit, ad Divum in æde sua Fuëssensi invisuram, resedit tumor, pesque ut antea valere, ac vigere cœpit. Votum Maria peregit VII Septembris, anno MDCCIV.

ex diuturno morbo morti proximus, facto voto, convalescit. f

93 Quidam Adamus Kerff ex Mittelbergica *f* Parochia, integrum quinquennium morbo implicitus, ita demum amiserat vires omnes, ut actum de ejus salute crederetur. Certe biduum ipsum sui nescius egit, ac morti proximus. Verum ubi parumper ad se rediit, ad S. Magnum confugiens, votum edidit, in ejus ædem Fuëssensem, si ipse redderet valetudini, venturum se, B atque ibi noxorum confessione expiatum, epulo Eucharistico accubiturum, Sacrificium præterea fieri curaturum. Post hæc promissa intra corpus ægrotantis rumpi apostema, ipse dehinc indies habere melius, ac demum penitus convalescere. Votum, cujus fuerat damnatus, persolvit XXV Julii, anno MDCCII.

Scarabæi ope Sancti

94 Illomet anno Schwandorffii ædes cujusdam (nomen suum edi noluit) ingens atrorum scarabæorum multitudo invaserat, idque non citra gravem familiæ molestiam. Cui dispellendæ cum S. Magni imago papyracea, ejusque sacro baculo contacta, fuisset suspensa, ac insuper opus aliquod religiosæ pietatis erga Divum fieret quotidie, scarabæi universi hospitio cesserunt. Porro lapsu temporis factum est, ut status ille cultus, piaque precatio negligeretur, nec persolveretur amplius. Quod sancto Patrono displicuisse haud obscure constitit. Scarabæi namque in easdem rursum ædes velut agmine facto im- C migrarunt: chartam quoque, cui impressa erat sacra effigies, undique circumrodendo dedere pessum, effigiem tamen ipsam non attigere. Hæc litteris manu sua scriptis, signatisque significavit Joannes Jacobus Mechtl *g* canonicus Herriedensis, quemadmodum ea narrantem adierat P. Wenceslaum capucinum, tum, conventus Schwandorffensis præfectum.

e domibus ejecti:
** ex Buechingen*

95 In ædibus quoque Georgii Schwaiger Buechingani *, ut ipse retulit, anno MDCCIII, IV Martii, id genus scarabæi vehementer invaluerant, neque ulla arte inde pelli se patiebantur; imo prope aberat, ut homines habitatores ipsi pellerent: sane pauperes etiam viatores, qui antea frequenter ibi quærebant diversorium, talem hunc larem cœperant aversari: cum ab inquilinis illis tam infestis nihil quietis sibi concessum iri metuerent. In hoc rerum suarum statu optimum factu denique visum est ad S. Magnum confugere. Itaque in sacello ejusdem Sacrum fieri curant; donum mittunt in gazophylacium; aquam præterea sacris reliquiis lustratam secum asportant, eaque domus interiora undique perspergunt. Neque fefellit hæc Divus erga se studia: nam paucos intra dies scarabæorum nec unus quidem notatus est amplius, tota vicinia, supra quam dici potuit, admirante.

A. P. Babenstuber.

pes sanatus

96 Anna quædam Langenwalderin cum gravibus in altero pede doloribus quatuor annos fuisset cruciata, nec quidquam adversus malum proficerent mortalium remedia, id demum velut unice profuturum suasu aliorum amplexa est consilium, ut opem cælestem apud S. Magnum quæreret. Venit igitur in ejus ædem Fuëssensem anno MDCCIV, utque sacræ reliquiæ ritu consueto sibi adhiberentur, impetravit. Secutus inde eventus, quem optaverat: nam domum reversa sensit minutum quoddam ossiculum prodire ex pede male habito: qui dein abscedente omni dolore citra aliam medelam fuit persanatus.

equus a subito malo convalescit:

97 Mense Octobri, anno memorato, quidam ex S. Magni cœnobitis ex itinere quodam domum redibat eques. Utebatur equo sano prorsus ac vegeto: verum cum e loco quopiam forte discedens, vixdum spatium semihoræ confecisset, mediocri passu et nequaquam accelerato, equum repente vires usque adeo defecere, ut homines obviam facti sollicite monerent Patrem, descendendum esse, jumentum collapsurum. Ubi descendit, equum E vidit toto corpore spumare, haud secus acsi lacte undique esset perfusus. Cum deinde frœno ductus progrederetur, pedes posticos trahebat potius, quam tollebat. Pater malum adeo repentinum equo haud quamquam vi naturali obvenisse ratus, eum S. Magno devovet promissione Sacrificii ejus honori mox faciendi, si domum venisset. Numisma præterea, quod sacra cambatta religiose contigerat, mittit in aquam, eamque animali potandam exhibet. His peractis, equus altero mox die sospes ac vegetus fuit, ut antea, sessoremque per reliquum viæ portavit alacriter.

mulier surda, ac pedibus manibusque fere capta, h

98 Anna Maria Schnizerin e Bernburana *h* Parochia auribus jam capta (ut ipsa retulit VIII Decembris) manibus quoque ac pedibus capi cœperat: idque omnium judicio plane evenisset, ni S. Magni, cui facto voto fuerat commendata, intervenisset opitulatio. In ædem quippe ejus adducta, sacris reliquiis lustrata, calice pota luculente mox habuit melius, intraque breve tempus integram, ut optaverat, valetudinem recuperavit *i*. F

i puella ignoto morbi genere afflicta,

99 Filiola octo annorum itidem Berenburæ fuit. Hanc morbi genus corripuerat omnibus ignotum. Unde, cum nemo sciret medelam ferre, eo usque per duodecim ipsas hebdomadas tenuit ægrotatio, dum parens, Maria Landessin nomine, misellam S. Magno, vota ad eundem peregrinatione, commendaret. Nuncupato hoc voto, filiola intra spatium octidui integre convaluit, unaque cum matre promissam peregrinationem peregit anno MDCCV.

phrenetica curantur

100 Anno proxime insecuto alia puella, Buechingensis ortu, Barbara Vethschneiderin nomine, annos nata fere novem, in morbum inciderat diræ phrenesi haud absimilem. Ex quo aliquot hebdomadas decubuit manibus ac pedibus capta. Oculos quoque ejus sæpenumero vidisses horrifice rotatos circumactosque. Parentes, cum tantam filiolæ calamitatem dispulsam vellent, ut qui maxime, summam in S. Magni beneficentia spem collocantes, semel iterumque potum ex sacro ejus calice procurarunt laboranti. Quod consilium optime vertit: Nam paulo post tota salus ad puellam rediit, et sanitas consecuta est. Exstat scripta, signataque hac de re testificatio D. Joannis Essedinn, parochi id loci.

101 Labente

A. P. Baben-stuber.

amenti rationis usus restitutus:

101 Labente eodem anno Corbinianus Buesegger Rottenbuechensis retulit plenus gratulationis et gaudii, filium suum Georgium, qui omnem rationis usum amiserat, postquam eum S. Magno commendasset nuncupato voto, ad se, sanamque mentem rediisse.

in partu periclitanti subvenitur.

102 Ursulam Geigerin uxorem Petri Oeberle Eisenburgensis, e Cellensi *k* parochia, pariendi difficultas eo adduxerat aliquando, ut non modo ipsa versarctur in summo periculo moriendi ante partum, sed etiam fœtus, ni secaretur matris uterus. Eo discrimine feliciter demum defunctæ, alterum imminebat anno MDCCVII, dum rursus per noctes diesque binas nequicquam parturiebat. Hinc ambo conjuges oppido consternati auxilium implorant S. Magni, quod ille ferre minime distulit: cum enim maritus properaret, Fussiacum iturus, ut laboranti vinum in calice Thaumaturgi sacratum procuraret, jamque equum stravisset, subito revocatur, doceturque, uxorem felici nixu filiolam edidisse vivam ac vegetam, quod accidit XXX Maii. Testati hæc sunt iidem conjuges, et Veronica Endresin ex Eisenburgensi dominatu.

B

Equus sanatus:

103 Cuidam Joanni Steeger ex Riedensi *l* parochia equus erat strigosissimus, morboque in jura glubitoris jam adeo propinque devolutus, ut nec pabulationem amplius, nec adaquationem admitteret. Joannes damni ex jumenti jactura obventuri metuens, id S. Magno commendat doni ferendi promisso; amuletis præterea munit reliquiarum ejusdem contactu sacratis. Nec eventus fefellit hæc consilia: equus enim intra proximam mox horam habuit melius et convaluit anno MDCCVIII.

insomnia

104 Susannæ Vögelin Pfrondtensis *m* filiola quadrimula, nec pedibus incedere poterat, nec consistere: macies præterea penitus extenuatæ vix aliquid virium in toto corpusculo reliquum fecerat. Verum ut eam mater edito voto, in fidem S. Magni transcripsit, curavitque ejus lustrari reliquiis, evestigio convalescere cœpit et incedere. Patrata hæc sunt anno itidem MDCCVIII.

abacta

105 Anno insequente Magdalenam quandam, Georgii Vilser Hopfensis uxorem, repentina invaletudo per tres hebdomadas reddiderat insomnem; indeque universis viribus defectam. Ex quibus malis ut liberaretur mulier, S. Magni invocavit opem, nuncupato voto, ejusque sacris reliquiis fuit lustrata. Nec mora fuit cælestis auxilii: mox enim rediere pristinæ vires, et insomnia recessit. Quemadmodum testificatus est D. Leo Eschenauer parochus Hopfensis.

C

maleficium sublatum

106 Anno porro hujus seculi X Casparis Kaim pistoris Aschaviensis in parochia Wenglica *n*, clibanum orcina quædam (ut ipse haud immerito credebat) maleficentia panibus coquendis fecerat inutilem. Quare, prætermisso quocumque alio remedio, votum homo nuncupat S. Magno, ejusque sacrum numisma aliquod in furnum projicit. Quibus peractis statim in illo panes coquere, ut ante, potuit.

cimices depulsi

107 Ejus anni Maio Magdalena Pezin, civis Augustana, nuntiari curavit, multum molestiæ a cimicibus se perpessam, invocasse S. Magnum, nuncupato voto Sacrificii in Fuëssensi æde ejus conducendi, eaque ratione a vexatione cimicum mox liberatam Stetit quoque promisso, Sacrumque faciendum constituit.

Calvinista bene erga S. Magnum affectus, cum filio suo hæresim ejurat:

108 Cum eodem anno sacra cambatta per Helvetiam circumlata, consuetisque ritibus applicata, passim multa, atque etiam in Turgovia *o* ad S. Crucis, mira effecisset, vir quidam authoritate et opibus magnus, Calvinianæ tamen sectæ addictus, Episcopi-Cellæ *p* terræ quid et aquæ ejusdem sacræ virgæ contactu lustratæ, ab orthodoxo quopiam concessum, et ipse in agros atque arva sua sparsit adversus insecta eadem populantia, plenus fiduciæ in S. Thaumaturgum. Elapsis dein paucis hebdomadibus, hic idem cum filio, quem genuerat unicum, ejuravit Calvinum, veramque Religionem nostram, edita professione, fuit amplexus. Ubi dubium non est, quin S. Magni apud Deum patrocinium, adversus quem ille tam pie afficiebatur, suas in hoc negotio haud modicas partes habuerit. Ista perscripsit I Octobris D. Gaudentius Pfefferkorn, parochus ad S. Crucis in Turgoia: nomên tamen viri ejus non edidit.

D

beneficia

109 Cuidam in urbe Monachio (nomen fuit suppressum) instantium periculorum metus plurimum sollicitudinis trepidationisque incusserat. Quæ ut evaderet, in tutelam S. Magni concessit ·vota Sacri procuratione in ejus æde faciendi. Evasit feliciter: quemadmodum anno MDCCXI testatus est quidam sacerdos Jacobus Böck nomine, litteris XII Januarii Monachio datis.

E

Sancto adscripta:

110 In eundem annum referendum est, quod Petrus Weis, molitor Weissenseensis *q*, a S. Magno accepisse se memoravit, beneficium. Ejus nempe molendinum vitium, nescio quod, integro fere anno fecerat. Sane, cum operi faciundo circumagi sinebatur, usque adeo domus tota intremiscere; atque concuti ingentes inter fragores solitabat, ut illico ruitura videretur. Accersiti quidem sunt semel et iterum alii tres rei molariæ magistri, qui machinam inspicerent, emendarentque; sed frustra fuit omnis eorum conatus et opera, donec Petrus imploravit auxilium S. Magni; quod præstitit addito voto Sacrificii procurandi, alioque pietatis quodam opere Divum quotidie demerendi: deinde ut domus et molendinum sacra Cœlitis ejusdem cruce lustraretur, impetravit, molitoribus illis ternis præsentibus, qui postea rursus instituere machinam molariam corrigere, eventu haud paulo meliori, quam prius, imo optimo: mola quippe exinde officio suo recte, idque perenniter, fungi perrexit.

F

Sancti baculus agrum Friburgensem insectis liberat.

111 In agrum Friburgo *r*, quod est in Brisgoia, circumjectum, aliquot annis adeo copiose sæviterque grassata erant insecta, ut vix jam herbæ quid excresceret, sed omnia, veluti nimiis solibus torrida ruberent. Motus diuturno hoc malo urbis ejus magistratus enixe petiit, ut adversus diros vermes afferretur sacra cambatta. Quæ ubi allata est a quodam S. Magni cœnobita, eaque campi prataque illa lustrata, eodem adhuc anno (qui seculi hujus fuit XI) tellus læto herbarum virore convestiri; vermes pars migrare alio, pars emori. Ut tanti beneficii perennaret memoria, decrevere Friburgenses posthac natalem S. Magni habere sacrum ac festum. Hæc IX Septembris significavit datis litteris Franciscus Christophorus Hug, Kirchzartæ præfectus, prope Friburgum.

Equorum morbus extinctus:

112 Ignoti genus morbi in equile Matthæi Beis Riedensis ex Langenwangica parochia, diu grassatum clades intulit oppido magnas; quippe duodecim equis spatio tredecim annorum occumbentibus. Porro mali pertinacia omnibus, quæ adhibebantur, mortalium præsidiis fuit superior.

A perior. Quod tristi, longaque experientia doctus Matthæus, invocata S. Magni ope, amuleta cambattæ ejusdem contactu sacrata equis applicuit. Eo facto nihil ultra cornipedibus obtigit adversi: quemadmodum idem narravit, anno XII mense Martio, præsente Magno Eberle ex Waldensi parochia.

maleficia compressa s

113 Memorati anni Julio in Pascuo Weissenseensium *s*, qui cœnobio S. Magni subsunt, repentinus terror, incertum, unde ortus, adeo consternaverat equos; ut in omnem partem dissipati præcipiti fuga auferrentur. Eorum unus modicum viæ spatium emensus occubuit, quem ubi secuit glubitor, nullum seu contagii, seu alterius vitii deprehendit vestigium: cumque jam dudum notassent Weissenseenses, pastiones suas ignota quadam infestatione turbari, sacræ cambattæ petierunt præsidium; quod et obtinuerunt v Julii. Cæterum vix equus, cujus memini, conciderat mortuus, cum colonus Georgius Hauser, cujus ille erat, pedibus captus est adeo, ut ne passu quidem unico progredi posset. Quare finitis ambarvallis Pater eadem cambatta lustravit etiam colonum illum: qui sta-B tim pedes in potestate habuit, ut ante, dieque postero in opus rusticanum exiens fœnisecam egit.

ANNOTATA.

a *Fuit is Joannes Franciscus, quem Carolus Meichelbecius Historiæ Frisingensis tom.* 2, *quinquagesimum sextum Frisingensium episcopum statuit.*

b *De hoc loco aliqua notavimus ad cap.* I, *lit.* h.

c Stetten *pagus Sueviæ in episcopatu Augustano, duobus circiter milliaribus et dimidio Fuëssa distans secundum sæpe laudatas tabulas geographicas.*

d *Forte idem locus a Frederico de Wit scribitur* Aschan *vel potius* Aschaw *in comitatu Tirolensi, duobus circiter milliaribus Fuëssa.*

e *Vide supra ad lit.* b.

f *Vide dicta ad cap.* 3 *lit.* c.

g *In Vita Germanica sic legitur:* Ita ex relatione aliorum testatus est R. D. Joannes Jacobus C Mechtl SS. Theologiæ doctor, protonotarius apostolicus et canonicus in Herrieden.

h Bernbeurn *pagus est in episcopatu Augustano tribus fere milliaribus Fuëssa distans, teste sæpe citato F. De Wit.*

i *Vita Germanica beneficium hoc refert inter surdarum aurium medelas, adeoque Maria non modo pedum manuumque usum, sed etiam aurium recepit.*

k *Vide dicta ad cap.* 2, *lit.* y.

l Rieden *pagus est in episcopatu Augustano quinque circiter milliaribus ab urbe Fuëssensi.*

m Pfronta *pagus uno fere milliari Fuëssa distat.*

n Wengle *non procul abest ab* Aschan; *de quo vide annotata ad lit.* d.

o Turgovia, *incolis* Turgow, *tractus est Helvetiæ inter lacum Tigurinum ad Occasum et Constantiensem ad Ortum.*

p *Vulgo* Bishofcell *oppidum est in præfata Turgovia, estque in dominio episcopi Constantiensis.*

q *Adi annotata ad cap.* I, *lit.* n.

r Friburgum, *indigenis* Freiburg, *urbs est Germaniæ ad Threisem fluvium, Brisigaviæ tractus caput.*

s *Consule dicta ad cap.* I, *lit.* n.

A. P. BABENSTUBER.

CAPUT VI.

Varia hominum, pecorum et agrorum mala depulsa.

Nephritica simul et cacochymica persanata: a

Maria Müllerin Riedensis parochiæ Hopfensis, quinque annos non nephritide modo, sed cacochymia *a* quoque laborabat. Neque spes ulla supererat, ut judicabant medicinæ gnari, salutem recuperandi per artis subsidia, cujusmodi fuerant adhibita. Adversus tantam proinde utriusque mali pertinaciam, sollicitare opitulationem S. Magni fœminæ venit in mentem: quapropter honori ejusdem precatiunculam *b*, cujus Christus, E cum olim in terris degeret, fuit auctor, dicere quotidie instituit: quod sane consilium optime vertit; nam brevi post Mariæ integra valetudo rediit, quemadmodum ipsa, præsente marito, narravit, anno eodem, xv Augusti; quod idem testatum fecit D. Leo Eschenauer, parochus Hopfensis.

grave digiti ulcus curatum:

115 Eodem tum die adfuit Matthæus Zech Reichartshofensis, et ipse ex Hopfensi parochia. Is retulit, filiam Mariam nomine (quæ una venerat comes) cum adhuc quinquennis esset, ulcus in digitorum uno ultra anni spatium circumtulisse, adeo periculosum, et contumax adversus omnem humanam medelam, ut de resecando eo ageretur. Se vero de consilio cujusdam amicorum puellam S. Magno commendasse, promissa Sacrificii procuratione: inde factum, ut digitus intra spatium binarum hebdomadum, citra ulteriorem mortalium cujusquam opitulationem, persanaretur. Hoc testatus est insuper idem parochus Hopfensis.

morbus pecudum amotus: c

116 Augusti dein XXI voti reus comparuit ad S. Magni quidam Magnus Müller Waltenhofensis *c*. Ejus namque vaccas quinque repentina quædam inopinaque lues eo periculi deduxerat, ut, ne omnes interirent, timeret haud me- F diocriter: præsertim, quod malum nulli naturæ subsidio cedere videret. Verum, ubi rem commendavit S. Magno, votumque nuncupavit, peregrinationem peregit, donum tulit, atque insuper amuleta sacra ejusdem virga contacta pecori applicuit, id omne paulo post habuit sanum et incolume. Confirmavit hæc chirographo suo D. Joannes Adamus Truckmüller parochus Waltenhosii.

scarabæi abacti: d

117 Idem parochus et aliud mirum retulit, ut sequitur Ædes Georgii Kollman, civis et Zytheptæ Schongaviensis *d*, atri scarabæi multis annis oppido habebant infestas; idque adeo, ut noctu hypocaustum, coquinam, atque thalamum densis examinibus opplerent. Qua tanta molestia tandem defungi cupiens Georgius, una cum uxore sanctum Magnum imploravit, concepta ingenti in patrocinium ejusdem fiducia, additoque voto, Divi natalem allato quotannis dono imposterum honorandi. Nuncupato eo voto, statim evanuere scarabæi.

graves corporis cruciatus sublati: e

118 Anno postea hujus seculi XII ipso festo S. Magni retulit Georgius Holl e Cella *e* (sic enim

A. P. BAUENSTUBER.

enim vocatur locus) quatuor ipsas hebdomadas doloribus oppido gravibus per omnes artus corporis se fuisse cruciatum, remediis, quæ saluti ferendæ essent, nequicquam adhibitis. Eapropter ad S. Magnum se confugisse, edito voto, ejusque sacra virga lustratum, atque hac ratione pristinam valetudinem recuperasse.

diuturnus intestinorum dolor ablatus :

119 Eodem et anno et die adfuit ad S. Magni quidam Joannes Wolfarth ex Cellensi parochia. Huic integro triennio, cum intestino quodam morbi genere fuit luctandum. Pugnatum quidem in malum est variis mortalium subsidiis; sed profectum nihilo minus. Salutem denique S. Magnus attulit sacra cambatta sua, cujus contactu æger cum aliquoties fuisset lustratus, intra breve tempus valuit, ut ante triennium; quemadmodum et ipse narravit, et asseruit scripta, signataque testificatione D. Georgius Gom parochus Cellensis.

equorum lues arcetur :

120 Anno quoque primum memorato dira quædam lues magnis passim cladibus equilia mulctabat, malique contagium Fuëssensem viciniam pariter attigerat. Ejus averruncandi causa octonis hebdomadibus in templo sancti Magni supplicatum est quotidie, precatione coronaria, ut vocamus, idque impetratum, ut equi Fuëssensium salvi et incolumes persisterent. Si-
B milem opitulationem in eodem periculo Weissenseensibus, Rosshauptensibusque præstitit S. Magnus, stato quodam pietatis opere honoratus conciliatusque.

pedum usus mulieri redditur.

121 Ibat adhuc idem annus, cum quædam Juliana Wolfartin e Sylva, ut vocatur locus, in Cellensi parochia, repente pedum officio adeo defecta est, ut e loco in locum venire nonnisi portata posset. Verum ubi thuris aliquid, ac pulveris, quem S. Magni vocant, ex cœnobio Fuëssensi allatum fuit, et laboranti adhibitum, incedere ei licuit, et transacto octidui spatio gradiendi facultate expedite uti. Testatus id est ante nominatus Georgius Gom parochus chirographo itidem signato.

Varia beneficia uni eidemque mulieri, f

122 Huc referenda sunt beneficia, quibus Barbaram quandam Pröbstin Villensem *f*, conjugem Symperti Buechenberger, non eodem tempore S. Magnus affecit. Primum, cum adhuc septennis esset, in eam mentis intemperiem
C inciderat, ut vestium degeret impatiens, omnia quoque tuta ceu terribilia formidaret, internoctu, imo et interdiu, cum sola ageret, simulachris et larvis, nescio quam horrendis, conspectui, ut putabat, obversantibus. At ubi mater imploravit filiolæ adeo miseræ opem S. Magni, nuncupato voto, potumque obtinuit ex calice ejus, sanam suique prorsus compotem statim habuit. Eadem porro Barbara anno ætatis XVIII circiter repentino morbo correpta, omnem usum pedum amiserat. Unde relicto, in quo erat, ancillatu, otiosas horas decumbens in lecto cogebatur comburere. In hoc tali rerum statu de consilio et hortatu matris S. Magno se commendat, edito voto, idque non absque læto effectu. Pedes quippe eatenus rediere ad officium, ut ægra crederet, votam ad divum Sospitatorem profectionem haud fore sibi difficilem. Verum, ubi se dedit in viam, pedem alterum luxavit, cum haud procul jam abesset Fussiaco. Unde ægerrime, postquam multoties interquieverat, venit in ædem S. Magni: ex ejus porro calice pota, et cruce contacta illico bene, ac deinceps in dies melius habuit. Alio tempore, cum dentibus laboraret acutissime, rursus opitulationem ejusdem Medici cælestis obtinuit, eamque præsentissimam: nam post gustatum D
idem poculum, contactumque sacræ cambattæ, erumpente ex gingiva mox sanguine, dolor omnis evanuit.

ejusque filio collata :

123 Ejusdem denique mulieris filiolus, Josephus nomine, adhuc infans novem menses natus, per duodecim hebdomadas circiter ab ægritudine quadam adeo male habebatur, ut multoties videretur jam animam agere. Porro cum malum artis remedium quodvis eluderet, non deerant, qui id alteri, quam naturali causæ tribuerent: unde suasum ab iis, facileque persuasum est matri, ut S. Magnum sæpius jam sibi propitium etiam filiolo conciliaret. Ergo infantem portat in Divi templum, e sacro calice potionari curat; et, ecce tibi mirum ingens! statim, atque eodem momento sanum ac sospitem videt, stupentibus tum iis, qui aderant, tum domi familiaribus, Deoque et S. Magno effuse laudes et gratias memorantibus. Testimonium de luculento hoc miraculo dixit præterea D. Antonius Udalricus Gstöll, parochus Vilsensis, in chirographo suo dato, signatoque XIII Octobris, anno E
MDCCXII.

ditiones Ottoburanæ et Fuggeranæ g

124 Biennio post, mense Januario, sacra cambatta in ditionibus Ottoburanis *g*, Fuggeranisque, murium, adversus quos expetita fuerat, memorabiles edidit strages. Nam, quemadmodum testati sunt incolæ, cælestem vim virgæ victricis haud ferentes noxiæ bestiæ, passim aut emortuæ visebantur, aut multis locis videri penitus desierant. Iidem retulere præterea, ante annos etiam undeviginti mirabilem S. Magni opitulationem apud se in eadem cambatta extitisse: quippe vermibus agrorum populatoribus, in quos circumlata fuerat, undique pulsis adeo potenter, ut intra breve spatium temporis ne unicus quidem compareret amplius.

et cujusdam horrea noxiis insectis liberata : h

125 Illustris D. Josephus e Fuggeris comitibus *h* multo tempore gravia in re frumentaria damna patiebatur: quod frumentum non tantum comederetur ab insectis, aut vastaretur, sed aliunde quoque corruptum in volatilia desineret. Cum vero finem annuæ hujus cladis vir illustriss. non prospiceret, id demum cepit consilii, ut signum aliquod S. Magni collocaret in apotheca frumentaria. Addidit et votum Divi natalem Sacrificii procuratione quotannis honorandi, si suo is patrocinio damna averruncaret F
ulteriora. Et sane averruncasse, per multos jam inde annos frumento omni illæso et optimo, fassus est idem Dominus P. custodi, anno itidem XIV, paratus id scripta signataque litera confirmare. Memoratum S. Magni simulachrum e ligno sculptum adhuc vidit Weissenhornii *i* in apotheca illa P. custos, cum eodem cum sacra cambatta venisset.

ignotus pecudum morbus extinctus :

126 Gynzium est Ottoburanæ ditionis pagus. Hujus judici Michaëli Pfeiler (ut ipse anno primum dicto narravit P. custodi, præsentibus parocho aliisque e vicinia) ante annos haud multos ignoti genus morbi, quod omne viri pecus varie afflixerat, membrisque captum effecerat, damna intulit oppido gravia. Unde ille mali tandem fessus, S. Magni implorato auxilio, promissaque Sacrificii ejus honori faciendi procuratione, terram sacra cambatta lustratam per stabulum undique dispertit. Hoc præstito, paucos intra dies omnis animantium invaletudo evanuit, nec ultra rediit in stabulum. Imo cum una alterave pecudum in pastione subito quadam veluti

A luti paralysi icta, adeo stuperet, ut domum fuerit reportanda, statim ut in stabulo fuit, penitissime convaluit.

capti pedibus k

127 Josephus Dyrr, filius Georgii cujusdam Dyrr, ex Niderhofensi *k* parochia, utroque pede diu captus miseram agebat vitam, nec moliri ullum poterat vestigium, nisi fulcris nixus subalaribus. Eum mater Barbara post multa mortalium remedia nequicquam adhibita, tandem immortali medico S. Magno curandum credidit, edito ad illum peregrinandi voto. Consilium secundus beavit eventus: nam Josephus mox pedes habere cœpit in potestate, citraque fulcrorum adminiculum expedite votam peregrinationem cum matre lætus obiit eodem anno hujus seculi XIV, XXX Octobris. Rem gestam eadem Barbara narravit P. Magno Beyrer tum custodi.

gressu donantur: l

128 Haud absimilis ejusdem Sospitatoris beneficentia Agathæ Lorin ex Staingadensi *l* parochia obtigit. Hæc aliquot annos adeo vehementibus pedum doloribus fuit exercita, ut interdum nec stare posset, nec incedere. Accersivit quidem a chirurgis remedia non tot, quin plura; sed nullo prorsus optato effectu, imo indies augescente B malo. In ista calamitate ægra tandem S. Magni implorat auxilium, nuncupato peregrinationis et Sacrificii constituendi voto. Quod ratum fuisse, luculente patuit: nam e vestigio evanuit omnis dolor, et Agatha intra paucos dies, quæ voverat, gaudii plena persolvit, remque totam, ut gesta erat, retulit memorato P. custodi anno MDCCXV, VII Decembris.

equorum pecorumque contagium arcetur: m

129 Idem annus Laurentio Linsle cauponi Obertingano *m*, exitiali equorum, aliorumque pecorum contagio, fuit oppido damnosus. Et equorum quidem, spatio trium aut quatuor hebdomadum, optimos quinque omnino ea lues viro abripuerat. Remedia circumspicienti neque occurrebat aliquod, neque suggerebatur a quoquam. Denique accidit, ut sacra cambatta proxime Obertingam portaretur in ditionem Campodunensem. Utitur hac opportunitate in rem suam Laurentius, utque ædes suæ ac stabula lustrentur, obtinet. Ex eo tempore non modo nihil pecoris morbo correptum est amplius, sed etiam equorum unus, qui in momenta glubitorem expectabat, e vestigio C convaluit. Ajunt, rem istam toto pago omnibus fuisse notam.

usus brachii restituitur. n

130 Joannes Reli, patria Pfrontensis *n*, dextrum brachium, quo captus erat, circumferebat prorsus immobile, etiam post artis remedia quæcumque adhibita: unde et spem ejusdem persanandi jam abjecerat. Interea nonnemo amicorum homini fit auctor optimi consilii, ut nempe ad S. Magni sacris precationibus curaret lustrari se, oleumque, quod Thaumaturgam proluerat cambattam, impetraret ungendo brachio. His peractis, brachio et pristinus vigor, et tota ad quodvis opus faciundum habilitas rediit. Ita ipse Joannes narravit P. custodi anno MDCCXVI, I Februarii.

Sancti baculus in territorio Mindelhemensi mures et insecta pellit: o

131 Eodem anno sacra cambatta apud Mindelhemenses *o* mirificam vim sum in mures, frugum populatores, exseruit. Nam post usitata cum illa per omnem eam ditionem, aliaque loca confinia, ambarvalia, statim desierunt sævire mures, et nonnisi rari admodum, ut fassi sunt incolæ, in toto agro hyemali, quem vocant, apparuerunt amplius, sed debiles iidem, itaque defecti viribus, ut facile a quovis comprehendi possent et conteri pedibus. Eadem cambatta (ut iidem incolæ scripta testificatione fidem fecerunt) ante annos quoque viginti in agros memoratos allata vermes, qui lina atque olera vastabant, pari efficacitate sustulit. A. P. BAUENSTUBER.

mente captus rationis usum recipit: p

132 Matthæus Frick Tahaimensis *p*, alienatis, incertum quo casu, sensibus, e mentis quoque potestate exierat. Verum, ubi uxor eum adduxit Fussiacum, sacra cambatta lustrari, et e calice S. Magni potionari curavit, illico pulsa amentia rationi redditum habuit, quemadmodum ipse coram narravit solatii plenus XVI Augusti, anno paulo ante memorato, donumque Sospitatori suo ferens.

piscis spina gutturi inhærens, adhibita aqua reliquiis benedicta

133 Viennæ, toto orbe celeberrima Austriæ metropoli, famula quædam illustri cuidam dominæ a cubiculis, de pisce, quo forte vescebatur, spinam satis grandem tam periculose gutturi infixerat, ut, ni ocyus malo illi occurreretur, ex longiori mora ipsi etiam vitæ haud in vanum timeret: acciti ea propter plures chirurgicæ artis peritissimi suis, quibus eousque pluribus simili malo laborantibus satis feliciter succurrerant, instrumentis spinam ab ea, quam pertinacissime tenebat, statione nec latum unguem dimovere valentes, communi consilio de novis conficiendis deliberarunt: verum, cum eo, quod in novorum instrumentorum confectione insume- E batur, biduo malum nimium quantum invalesceret, doloresque de hora in horam novis augescerent incrementis, omni propemodum recuperandæ salutis spe famula afflicta excidit, citius fatale mortis spiculum, quam chyrurgi salubria expediissent instrumenta, in se torquendum haud inani timore verita. In eo vitæ mortisque confinio illustris hujus famulæ domina, reliquique domestici intimo commiserationis sensu afflictæ compassi, desperata hominum ope, divinam implorandi suggessere consilium, pro ea, qua in D. Magnum singuli ferebantur, summa religione mirificam hujus Sancti afflictis opitulandi virtutem insigni commendatione deprædicantes.

feliciter ejicitur: eadem aqua alter salutaris. q

134 Quo audito, afflicta famula in spem contra spem erecta, voto huic D. Evergetæ *q* nuncupato, pauxillum aquæ ex attactu SS. reliquiarum hujus Divi sacræ devote sumpsit, eoque haustu et fatalem spinam, et dolores, quos patiebatur, intensissimos uno eodemque momento felicissime abstersit, omnibus, qui aderant, ad F tanti novitatem miraculi stupore attonitis, et in sua, quam plane specialem erga hunc Sanctum a longo jam tempore conceperant, devotione et confidentia mirum quantum confirmatis. Ipsa illustris hujus famulæ tum prodigiose pristinæ incolumitati restitutæ domina brevi post fatali correpta morbo, et a medicis arti suæ in ea diutius conservanda diffidentibus jam penitus relicta, vitam hausta aqua, applicatis etiam afflictis membris terra et numismatibus, sacris divi Magni reliquiis consecratis, ultra semestris spatium, a die XIII Aprilis videlicet usque ad mensem Novembrem miraculose prorogavit, adhuc nondum defecturam se credens (uti repetitis vicibus ultimis vitæ suæ diebus dictitare audita est) nisi aqua illa benedicta, simul et occasio aliam transmittendi defecisset. Quæ omnia ita contigisse anno primum superiore, videlicet post reparatam salutem MDCCXX ex oculari inspectione, corporalique præsentia, fide sacerdotali testatus est, plurimum R. ac clarissimus Dom. Joannes Godefridus de Gabelkoven Cleric. Reg. Theatinus.

135 Huglfingœ,

A. P. BAUENSTUBER.

Vermes ex agris expulsi.

135 Huglfingæ, Boiariæ oppido, ad lacum vermium sito, integra vermium, ad id usque tempus gnotorum, nigro, eoque infausto notatorum calculo, examina fertiles alias illius loci napinas in ipso flore versana adeo licentia depascebant, ut cultoribus spes plane nulla affulgeret vel minimum impensæ collendis agris operæ pretium referendi : dejecti haud parum ea clade coloni, humano deficiente et consilio et auxilio, animarum suarum curatorem pagi illius parochum adiere, eundem in tam acerbo rerum articulo consilium rogaturi. Parochus pro eximio, quo flagrabat, animarum zelo, ovium suarum calamitati paterne compassus, prodigiosa divi Magni fretus ope, particulam, quam de sacra, quotidianisque insignibus prodigiis ubique terrarum inclyta, hujus Sancti cambatta prorsus exiguam, multis precibus tandem obtinuerat, in sua recens constructa, ac divi Magni honoribus dicata parochiali ecclesia reponendam, pia confidentia arripuit, illaque infectis ea peste napinis benedixit, eo felici ac portentoso effectu, ut tota illa vermium colluvies
B altera continuo die sensim hebescere ac emori cœperit, deinceps vero, nullo amplius illato agris damno, penitus disparuerit ; id quod altefatus zelosissimus pagi illius parochus Bernardus Pierling, testis ocularis, manu propria et sigillo confirmavit, anno item primum superiore, videlicet a Partu Virginis MDCCXX.

ANNOTATA.

a *Id est* redundantia vitiosorum humorum, ἀπὸ τοῦ κακὸς malus, καὶ χυμὸς succus.

b *Id est* orationem Dominicam.

c *Adi annotata ad cap.* 5 *Vitæ lit.* s.

d *De hac urbe pauca notavimus ad cap.* I, *lit.* p.

e *Vide dicta ad cap.* 2, *lit.* y.

f *De hoc oppidulo consule annotata ad cap.* 2, *lit.* p.

g Ottobura, *incolis* Ottenbeuren *abbatia est Benedictinorum in Suevia, uno circiter et dimidio milliari ab urbe Memminga.*

C h *Hic designari videtur ea comitum Fuggerorum ditio, quæ a Danubio prope Ulmam ad Wertacum fluvium porrigitur, et cujus confinia tria milliaria, aut paulo amplius distant ab Ottobura. Porro ea ditio plus octo milliaribus, qua parte proxime accedit, dissita est a Fuëssensi oppido : quod notasse juverit, ut advertat lector, quam præclara in iis partibus de* S. Magni *patrocinio vigeat existimatio.*

i Weissenhorn *oppidulum est in præfato Fuggerorum dominio ad fluviolum* Rott *adjacens, duobus milliaribus distans Ulma.*

k *Consule dicta ad cap.* 3, *lit.* h.

l *Adi lit.* a *ad cap.* 2.

m *Forte idem locus est, qui a Frederico de Wit notatur* Obtingen, *tria fere milliaria Fuëssa in Abbatia Campodunensi : at in Vila Germanica vocatur* Oberthingau.

n *Forte* Pfronta, *pagus unum fere milliare Fuëssa.*

o Mindelhemum, *indigenis* Mindelheim *et* Mundelheim *oppidum Germaniæ in Suevia, fluviolo Mindelæ* (Mundel) *adjacet, distatque Memminga quatuor milliaribus, Fuëssa septem secundum Tabulas sæpe laudatas.*

p Tahaim *pagus est in comitatu Tyrolensi.*

q Evergetes, benefactor *vox Græca est ab* εὐεργετέω, benefacio.

CAPUT VII.

Occasio exstruendi Sancto sacelli prope Ratisbonam : beneficia tum hic tum alibi impetrata.

In memoriam SS. Michaëlis et Magni

Quæ hactenus miracula scripsimus, patrata sunt patrocinio S. Magni in Faucibus Juliis, principe ejus sede, a clientibus cum vicinis, tum dissitis, invocati. Nunc consilium est quædam addere valde eximia, quibus Vir divinus sæculo Christiano XII et XIII alibi inclaruit. Quod ut explicatius atque ordine exequar, rei totius origines alius oportet repetere. Cum sub annum a Christi natali MCXXXIV suburbium Ratisbonense Danubio Regenoque interjectum restauraretur, die quodam in occasum jam præcipiti, oris ignoti hospites duo Danubium trajici petebant a portitore, qui istic transituris (quippe nondum fabricato ponte *a*) cum lembo adesse solitabat. E Eorum alter juvenem referebat elegantissima forma; alter senem ævo canitieque venerabilem. Nauta, tametsi insolita specie, habituque advenarum moveretur, primum detrectare obsequium, causarique non absque stomacho tum defatigationem ex crebris eo die trajectionibus, tum iniquitatem plurium, qui consueto naulo fraudassent : deinde sciscitari, cum jam maxime serum diei esset, quo ire destinassent? ac demum considerationis unumquemque intuitus rogare, qui genus, unde domo.

prope Ratisponam Danubium transmissorum

137 Tum juvenis personatus, ex geniis se cælestibus Michaëlem archangelum, senex Magnum abbatem esse respondet, qui quondam in Faucibus Juliis cœnobium condiderit, rexeritque. Quibus intellectis homo vehementer exterritus, veniam crudæ tergiversationis suæ, utque bene sibi precentur, supplex flagitat. Illi statim exorantur, annuuntque F postulatis : tum Charon *b* non ultra moratus in cymbam receptos celeriter transvehit, exponitque in adversa ripa. Operæ dein pretium tulit supra quam sperare audebat liberale. Nam Cælites eum ad Bernoldum, seu Berchtoldum, quendam vicinum misere postulatum suo utriusque nomine, ut, quod ipsos Danubium trajecisset, modium farris saginatumque porcum præbeat, nauli vicem ; recepturum in cœlo cum fœnore, quæ ipsorum gratia jam daturus esset: quibus sane Divorum mandatis prompte obsequutus est Berchtoldus *c*.

sacellum in S. Magni honorem erigitur.

138 Inde factum, ut id loci, Danubium inter et Regenum, excitaretur sacellum tantæ rei monumentum, idemque S. Magno dicaretur *d*. Quod quidem Divo cordi fuisse, miracula, quæ paulo post memorabimus, satis superque declararunt. Porro sacello adjunctum est templum S. Andreæ cum cœnobio Sodalium S. Augustini, quod S. Magni tot jam sæculis vocatur : quippe fama et celebritate ejus nominis, omnium aliarum appellationum luminibus obstruente. Hæc, uti narrata sunt, ex monumentis memorati

A ati collegii cum miraculis descripsit P. Franciscus Grienwaldus, Carthusianæ Familiæ in cœnobio S. Viti extra mœnia Ratisbonæ, annoque a natali Christiano MDCXXIV Martino abbati Fuëssensi communicavit. Cæterum anno MDCXXXIII non modo vetus illa S. Magni ædicula, sed major quoque ædes S. Andreæ cum cœnobio et suburbio eversa fuit a Suecis Ratisbonam tum obtinentibus: neque absurde creditum est, eos et hujus sacrilegi furoris pœnas dedisse anno proxime sequuto, quando VI Septembris, qui ipse dies S. Magno sacer est, prope Nordlingam ingenti prælio victi cæsique sunt, desideratis in acie duodecim millibus, captis sex millibus, toto exercitu disjecto *e*. Sed jam sequuntur miracula.

Vir nobilis usum membrorum hemiplexia amissum recuperat: f

139 In diœcesi Eystadiensi *f*, qua Boicam contingit, Engelhardus Aldenburgius extitit, vir nobilitate atque opibus clarus haud in paucis. Is hemiplexia ictus vitam trahebat oppido miseram. Cum enim mediam partem corporis usus membrorum deficeret, nec ipse ciere se, B nec mutare situm, aut locum citra aliorum adminiculum poterat. Quæ calamitas sua diuturnitate domesticis quoque perquam erat molesta, idque adeo, ut famulitium diurnis ministeriis, nocturnis vigiliis assidue vexatum, pene fugam meditaretur. Acciti quidem sunt varii medici ad ferendam opem: sed vis mali omni eorum arte fortior fuit. Eapropter Engelhardus tandem pertæsus mortalium consilia jam toties irrita, cœpit cælestia saluti suæ auxilia circumspicere: ubi maxime e re præsenti visum corporis adeo male affecti curam S. Magno commendare. Quare secutus hanc animi sui sententiam, fervidas inter preces voto se obstringit, Divi sacellum annuo tributo LX denariorum, quoad viveret, augendi ornandique, si ejus patrocinio salus ad se desperatum rediisset; in navigium deinde componi se, vehique ad sacellum jubet. In quod ubi fuit illatus, preces votumque domi nuncupatum prolixe integravit; nihilo tamen tum quidem cœpit esse valentior. Porro cum navi rursus, unde venerat, veheretur, plenus spe recuperandi corpori vigorem pristinum, oculis et animo in ædiculam relictam conversis, S. C Magni iterato imploravit opem, votumque prius cumulavit alio, pollicitus, vestem purpuream, quam modo gestaret, aræ ipsius ornandæ daturum, si supplicem non aspernaretur. Secundum hæc domum relatus brevi sensit, quam grata Divo esset ea sui repetita, promissoque armata invocatio: consolidatis quippe paulatim artubus, corpus post exactum quindecim dierum spatium denuo firmum vegetumque habuit. Unde et suis mox ipse pedibus cum egregio amicorum, familiariumque comitatu ad cælestem Archiatrum *g* profectus, sostrum *h* conditum exsolvit, ejusque aræ caput impressus gratias egit amplissimas. Memoratas quoque denariorum decades quotannis cum fide transmisit. Gesta hæc sunt sub annum Christianum MCLXXXVIII.

nobilis matrona filiæ suæ a natalibus mutæ

140 Nobilis quædam matrona filiolam pepererat, quæ novem jam annos nata, nec verbum adhuc loqui poterat penitissime muta. Parens calamitosam diu multumque frustra miserata, in ædiculam demum S. Magni secum adducit, et infusa lacrymis, ei fandi facultatem flagitat: cumque existimaret, suas unius preces haud suffecturas impetrando beneficio, Berchtoldum quoque, qui Augustiniano collegio *i* cum religioso imperio tum præerat, de genu supplex obsecrat, ut et ipse cum ascetis suis id rogare ne gravetur. Noctem deinde preces inter et vota ducit insomnem: puellæ tamen nihil humani sermonis exorat. Quare audito æris campani sonitu, qua cœnobitæ vocabantur ad nocturnas Dei laudes, Berchtoldo ad templi valvas mœsta occurrit, lamentaturque, se frustra jam cœlum fatigasse precibus: opus esse, ut ipse suas, suorumque iterato interponat. At præsul consolatus docet, Deo nec modos, nec tempora benefaciendi statuere æquum esse; sed rem totam ejus omnipotenti arbitrio relinquendam; nec interea cessandum a supplicando.

A P. Badenstuber. i

multis precibus loquelam impetrat.

141 Secundum hæc monita mulier ad preces reversa inter lacrymas et singultus, tensis ad cœlum manibus, Dei clementiam, et S. Magni patrocinium rursus implorat, enixissime, idque eventu lætissimo: nam virguncula paulo post circumspicere, matrem vocare, inque hæc verba, Mater, Mater, ubi pater meus? erumpere. Illa his auditis velut extra se præ stupore ferri, dein lacrymas jam non mœroris, sed gaudii testes incredibilis ubertim fundere, nullum E denique divini beneficii prædicandi modum, gratiarumque agendarum finem invenire. Sane episcopus ipse Conradus *k*, secundus eo nomine (ut qui matronam ob insignem in egenos liberalitatem familiariter norat) intellecto rei tantæ miraculo, gratulatus de obtenta loquela filiolæ, Dei, et S. Magni cum illa laudes miscuit anno MCLXXXIX.

Agnes Bavariæ ducissa, fulmine læsa, subito sanatur: l m

142 Medelam celeriorem impetravit Agnes, Henrici comitis Palatini ad Rhenum filia *l*, Ottoni Bojorum duci *m* nupta. Eam fulmen, quo erat afflata, graviter læserat in altero latere: medici quidem sedulo adhibiti sunt: sed omnis eos ars deficiebat. Desperata igitur humana ope ad divinam fiduciæ plena se convertit princeps fœmina, et S. Magnum inter crebros gemitus enixe invocat. Neque illam spes sua fefellit. Nam statim et dolor omnis, et deformis macula ambusti lateris evanuit. Quare tanto devincta beneficio e castro Regenstauffio *n*, cum comitatu se digno, pedes venit ad S. Magni ædiculam, actisque cælesti Soteri gratiis, fidem miraculi proprio testimonio publice affirmavit. Parem opitulationem ab eodem Thaumaturgo obtigisse sibi F memoravit et alia matrona itidem fulmine perstricta, quæ tum aderat in comitatu ducis Agnetis, anno MCCXXVI.

apoplexia percussus, edito voto, mox convalescit. o

143 Aliud fulmen, apoplexia videlicet, Conradum Kellhemii *o* parochum sideraverat. Cum medici tum ex aula episcopi, tum ducis Bavariæ acciti, virum jam deposuissent, quidam amicorum authores ei fiunt opem divinam et S. Magni patrocinium edito voto implorandi; paret ille ac vovet, si convalesceret, tum se quoad viveret, triginta denarios quotannis Divo laturum donum. Ratum acceptumque votum fuisse salus statim reddita monstravit, atque hinc idem curio valens ac sospes venit in sacellum Sospitatoris gratias actum, præsentatumque denarios promissos anno MCCXXXI.

Decanus quidam gravi stomachi malo liberatus p

144 Eodem anno in stomachum Henrici decani Tettenwangensis *p* dolores adeo vehementes et periculosi incubuerant, ut cibi omnis impatiens jam conclamaretur a medicis. Inter alios amicos Berchtoldus quoque antistes cœnobii S. Magni ad ægrum invisit, multa memorans de Cælitis in mortales beneficentia, plurimis miraculis comprobata, hortansque, ut et ipso salutem

A. P. BABENSTUBER.

tem ei suam commendaret. Decanus et supremæ necessitati, et monito præsulis obsequitur nuncupato voto, eodemque adhuc die habet melius. Pristinam deinde valetudinem plane consecutus Deo et S. Magno in ejus sacello memores egit gratias, posteaque, quoad vixit, denariorum decadem donum tulit.

puer submersus ad vitam revocatus ereditus :

145 Puer quidam, Gottschalcus nomine, prolapsus fuerat in aquas, subterque undas tempore haud sane exiguo jacuerat. Extractus tandem fuit, sed exanimis vitaque cassus. Id parens conspicatus edito voto S. Magnum enixe inclamat, nec profecto incassum: nam puer extemplo, quod hauserat aquæ, cœpit evomere, motum edere, esse vitæ manifestus, et incolumis: quod idem pater coram testatus est, quando puerum secum adductum Divo per omnem vitam fecit tributarium, et gratias, procurato ad id Sacrificio, egit *q*.

q

alterius comitialis morbus sublatus :

146 Eadem præstitit alius pater pro filio in ædiculam S. Magni secum adducto, quem asseruit comitiali morbo diu multumque fuisse exagitatum; hujus autem ope Thaumaturgi eam rabiem penitus exuisse. Annotatum est hoc, et proxime præcedens beneficium XXIX Septembris, anno MCCXXI.

B

pedum vitium subito emendatum :

147 Marquardus quidam Neofori *r*, urbe haud procul Norimberga *s* dissita, fuit homo mendicantis fortunæ, atque insuper gradiendi facultate ob pedum vitia multum impedita. Unde eum miseratus institorum nonnemo tabernæ suæ custodem instituerat. Is Marquardus, cum multa de S. Magno præclara accepisset ex relatione illorum, qui ad Ratisbonense ejus sacellum religionis causa peregre veniebant, ingens desiderium concepit eodem simul eundi, satis fidens, Cælitem adeo beneficum, sibi quoque apud Deum patrocinio suo adfuturum. Itaque clam omni familia discedit, sequitur, ut potest, ægris vestigiis viatores cæteros: venit, quo destinarat *t*, et (ecce tibi rem mirabilem!) in primo statim sacræ ædiculæ ingressu pedes habet sanos, vegetos, et ad officium eundi expeditos. Verum homo albæ mentis, quod magnitudinem beneficii non apprehenderet, ut par fuerat, rem totam tum quidem reticuit. Ut domum rediit, omnes mirari, ac rogare, unde salutem pedibus suis accersiisset? Quibus cum cælestis Medici sui opem enarrasset, monetur, ut ad eum recurrat, actisque gratiis Divi se devoveat obsequiis, quod et præstitit anno MCCXXXII.

r
s
t

C

puella cæca illuminata :

148 Puella pagana, Sinzingæ *u* nata, Tuta nomine, postquam diu oculis capta in tenebris misere oberraverat, ad S. Magnum, de cujus miraculis inaudierat, fuit adducta, idque eventu lætissimo: nam mox amissam videndi facultatem recepit, anno, quem proxime nominavi.

u

energumenus liberatus : gradiendi facultas impetrata :

149 Non minus in diabolis, quam aliis mortalium calamitatibus depellendis, virtus S. Magni Ratisbonæ enituit. Nam primum Reinhero cuidam ex pago Eckelbachio *w* bini filii erant, quorum alter ab atro genio tenebatur obsessus, alter pedibus captus incedere nequibat. Verum Thaumaturgus noster, cui pater utrumque nuncupato voto commendavit, alterum a stygia obsidione, alterum a captivitate pedum præstitit liberum: quod utrumque asseveravit Reinherus, quando in sacello Liberatoris memores gratias cum voto persolvit.

w

150 Mulierem præterea quandam, Bertham nomine, orcinus hospes insederat, quam tamen, ubi in ædiculam S. Magni fuit adducta, salvam incolumemque coactus est relinquere.

D

dæmones ex duabus mulieribus ejecti :

Virgo fuit Ratisbonæ, quam Liobam nominabant, jam nuptui promissa: eam quoque malus dæmon arreptam a se dire vexaverat. Hæc anno MCCXXXIII die, qui divo Gallo *x* habetur sacer, in sacellum S. Magni venit libertatem quæsitura, plurimis, qui vicem puellæ miserebantur, comitantibus, imo et lacrymis pro calamitosa, fervidasque preces apud Patronum benignissimum interponentibus. Nec sane frustra hæc eorum pietas fuit: nam secundum mediam noctem, cum cœnobitæ Augustiniani divinas laudes concinerent, infestissimus obsessor inter ingentes ejulatus emigravit. At Lioba consecuta libertatem, relicto mortali sponso, sanctius in sacro parthenone nupsit.

x

puer nephriticus,

151 Sed ad alia rursus admiranda convertimur. Puerum quendam Eckelbachii, quod superius nominavimus, calculus perquam acute cruciabat. Eum mater edito voto curandum S. Magno cum transcripsisset, mox persanatum mirata est, ejectis tortoribus binis lapidibus. Stitit deinde cum voto munere incolumem cælesti Medico, latamque ab eo filio opem publice prædicavit.

E

oculus læsus sanati : muto nato loquela donata :

152 In eodem pago lapillus pueruli cujusdam oculum, in quem insilierat, læsisse memoratur. Ei mater itidem S. Magnum, ut medicus esset, oravit, exoravitque. Integrum quippe sanumque utroque oculo postea in sacellum ejus adduxit.

Agricolæ cujusdam filius, haud procul Wartenberga *y* incolentis, a vitæ primordio agebat elinguis: quam primum vero in ædiculam S. Magni fuit perductus, fandi facultatem accepit expeditam.

y

puer mortuus ad vitam revocatus :

153 Quidam parentes filiolum repente exstinctum (quo casu, non editum est) in ædibus suis repererant: quam cladem improvisam cum acerbe lamentaretur, peregrinus quispiam illac transiens, audito miserabili ploratu, quid rei esset? rogavit: edoctus causam luctus suasit mœstissimis conjugibus, ut mortuam prolem edito voto commendarent S. Magno, addens, si id fecerint, vivam recepturos. Illi prompte obsequuntur pio consilio, Et ecce tibi! in puerulum redire primum nativus calor, inde vita et salus. Memorarunt hæc ambo parentes apud cœnobitas. Augustinianos S. Magni, ubi voti persolvendi causa eo venerunt cum redivivo filiolo, pollicitique præterea sunt, in dies singulos, quoad viverent, alendæ sacræ lampadi tres æreolos gratitudinis ergo præbituros.

F

hydrops, et duo epileptici sanati :

154 Radigerum quendam, qui Lerchenfeldii in rusticano opere serviebat, albus hydrops extra spem salutis ope mortalium recuperandæ collocarat: quod cum hominem probe adverteret, in ædiculam S. Magni venit, medelam rogavit, planeque impetravit anno MCCXXXII.

Alium quempiam, Leonem nomine, Ehbettæ natum fœda epilepsia corripuerat: cui malo abigendo alia ope opus non fuit, quam S. Magnum in Ratisbonensi sacello implorasse. Eadem rabies puerum quendam, Henricum nomine, exagitabat, quem itidem idem cælestis Archiater a matre edito voto, promissoque dono commendatum, salute donavit. Imo addidit beneficium beneficio: cum enim postea is Henricus brachium adustus, nostris artibus non videretur posse curari, a matre iterum nuncupato voto,

A to commendatum iterum jussit valescere anno MCCXXXII.

puer bis a morte resuscitatus: 155 Filiolus Meinhardi cujusdam Gebhardus nomine, cum noctu in eodem, quo Mathildis mater, cubaret lecto, somnum morte mutaverat penitissime extinctus. At ubi parentes communi consilio S. Magno votum nuncuparunt, donumque ferre polliciti sunt, si puer reviviscerct, plane revixit. Neque hic stitit Thaumaturgi in hunc Gebhardum beneficentia: nam postea aquis suffocatum iterato reddidit vitæ, a matre novum pro illo edente votum invocatus.

leprosa mundata. 156 Uxorem Henrici cujusdam Geisbacensis lepra infestabat adeo fœda, ut aspicienti horrorem nauseamque conciret. In hac ille domus suæ calamitate ad medicam S. Magni manum confugit, edito voto, idque de aliorum consilio. Neque aspernatus est supplicem Divus, sed lepram fœminæ omnem detersit.

ANNOTATA.

a *Celeberrimus ille pons e secto lapide Danu-* B *bio impositus, suburbium* Statt-am-hoff *conjungens Ratisponæ, ædificari cœptus est anno* 1135, *teste Andrea presbytero Ratisponensi in Chronico apud Bernardum Pezium Thesau. Anecdot. tom.* 4, *ac tandem anno* 1146 *perfectus fuit, teste Matthæo Meriano in Topographia Bavariæ.*

b Charon *inferorum nauta fingitur: scriptor noster, Poëseos, ut apparet, amans eum hic pro Ratisponensi portitore usurpat.*

c *Tota hæc narratio suspecta mihi est, ut jam notavi in Commentario prævio num.* 175.

d *De sacello hoc egimus in Comment. prævio* § 13 *num.* 174.

e *De memorabili hac clade consuli possunt scriptores obvii.*

f *Tractus Germaniæ est in circulo Franconiæ in limite Bavariæ et Palatinatus superioris; estque sub dominio episcopi, qui in urbe Aichstadio, ditionis metropoli, sedem Moguntino archiepiscopo suffraganeam tenet.*

g *Vox Græca est excellentem seu primarium medicum significans:* ἀρχὸς *enim est* princeps, ἰατρὸς medicus.

h *Est et hæc vox Græca* Σῶστρον, *id est mer-* C *ces medico debita: hic idem est, quod* soteria, *quæ vox significat munera, quæ Deo vel Sanctis ejus dantur ob recuperatam valetudinem.*

i *Quod Sancti sacello una cum templo S. Andreæ junctum fuisse, supra dictum est num.* 137.

k Conradus secundus de Laichling, *vigesimus octavus in successione ordinaria episcoporum Ratisponensium recensetur a Bucelino, Germaniæ sacræ tom.* I, *parte* I; *diciturque successisse Gottfrido episcopatum anno* 1186 *resignanti; obiisse vero anno* 1204. A. P. BEUMSTUBER.

l *Erat Agnes filia hæresque Henrici comitis Palatini, et per hunc neptis Henrici cognomento* Leonis, *cui Bavariæ ducatum ademerat Fredericus Barbarossa, tradideratque Ottoni I.*

m *Fuit is filius Ludovici I, nepos Ottonis I, ipse dictus Otto II, cognomento* Illustris, *qui ducta Agnete Henrici comitis Palatini hærede omnes de successione in Bavariæ ducatum controversias sustulit.*

n Regenstauff *vicus ad Reginum amnem in Palatinatu Neoburgensi duo milliaria distans Ratispona, quæ pia princeps conficere debuit, ut ad* S. Magni *sacellum actura gratias accederet.*

o Kelheim *oppidum est ad Danubium ubi Alemannum recipit, duobus circiter milliaribus cum dimidio supra Ratisponam.*

p *Hic locus mihi non occurrit in Tabulis.*

q *In Vita Germanice edita additur tempus, quo hæc acciderint: videlicet venisse patrem cum prædicto filio Gottschalco acturus Sancto gratias in sacellum ejusdem festo S. Michaëlis anno* 1221: E *hoc eodem die ac anno miraculum hoc, ex relatione utique patris, annotatum fuisse dicitur numero mox subsequenti.*

r *In laudata Vita dicitur* Neumarck, *quod Latine* Novum forum, *seu* Neoforum *vertas. Est autem* Neumark *urbs in Palatinatu Bavariæ ad ad fluvium* Sults, *quinque milliaribus Germanicis dissita Norimberga, de qua mox.*

s *Indigenis* Nurenberg. *Est ea urbs imperialis et libera in Franconia provincia, in tractu Norgoviæ ad fluvium Pegnesum* (Pegnitz) *qui non procul ab ea amnem alterum Regnesum (vulgo* Rednitz) *recipit.*

t *Ad sacellum scilicet* S. Magni *Ratisbonense, quod ad minimum septem milliaribus Germanicis distabat Neoforo, quantum apparet ex tabulis geographicis: quod iter sane perquam difficile accidere debuit homini pedum vitio laboranti.*

u *In Vita Germanica dicitur* Sinzing pagus, *puella autem* Magdalena Tuta *vocatur: hinc dum supra* pagana *nominatur, vox* pagana *in pago natam, non gentilem aut idololatriæ deditam significat.*

w *In Germanica Vita dicitur* Eckelbach pagus. F

x *Verosimiliter designatur S. Gallus abbas, cujus festum colitur* 16 *Octobris.*

y *Putem hic designari* Wartemberg *in Bavaria inferiori, duobus circiter milliaribus Landishuto.*

DE

DE S. GONDULPHO EP. ET CONF.

METIS IN GALLIA

J. L.

SYLLOGE

De cultu, gestis, tempore emortuali et episcopatus initio.

Anno DCCCXXII. Memoria S. Gondulphi in fastis sacris ad 7 et 6 Septembris: Gorziæ,

In *Martyrologio Gallicano Saussayi* S. Gondulphi (*alibi etiam* Gundulphi, Gondulfi et Gundulfi *scriptum invenies*) *Metensis in Gallia ad Mosellam episcopi memoria ad* VII *Septembris elogio celebratur, cujus mentio redibit in fine numeri* 3. *Istum quoque diem Sancto sacrum facit Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum, illum breviter ita annuntians:* Metis S. Gundulphi episcopi. *At vetusto Calendario Ms. ecclesiæ Tullensis sancti Præsulis nomen inscribitur ad diem præcedentem seu* VI *Septem-* B *bris: ad quem etiam his verbis refertur in Florario nostro Ms. Sanctorum:* Methis, beati Gondulphi episcopi et conf. *Grevenus et Martyrologium Parisiense anno* 1727 *excusum eodem die Sanctum commemorant, uti etiam a Castellanus in Martyrologio universali, cujus hæc est annuntiatio:* Metis, S. Gondulfi episcopi, cujus reliquiæ sunt Gorziæ; *ubi illum coli asserit idem Castellanus in Martyrologii sui indice, Sanctorum nomina complectente. Situs est locus iste ad rivum Gorziam, a quo nomen traxit, haud procul a sinistra ripa Mosellæ Metas fluentis, a qua urbe quatuor circiter leucis distat. Celebris ibi olim fuit abbatia Ordinis S. Benedicti, seculo* VIII *fundata a S. Chrodegango episcopo Metensi. Igne bellorumque incursibus solo æquata fuit seculo* XVI, *canonicis aliquot, qui monachis substituti fuerunt, in vicina ecclesia paræciali nunc sacra peragentibus. Legi* C *potest Calmetus tom.* 2 *Historiæ Lotharingicæ col.* 1245 *et tom.* 3 *col.* CXI.

ubi olim depositus fuit, jam non colitur, nec ullæ amplius exstant ejus reliquiæ.

2 *Ex duobus antiquis Catalogis episcoporum Metensium, quorum verba de* S. Gondulpho *num.* 6 *integre transcribentur, certum est, ipsius corpus olim Gorziæ quievisse; alter enim de Sancto affirmat:* Jacet in Gorzia; *alter vero:* Requiescit in Gorzia monasterio. *Putaveram* S. Gondulphi *corpus vel reliquias ex monasterio Gorziensi, quod cum sua ecclesia jam penitus destructum jacet, quondam translatas fuisse ad ejusdem loci ecclesiam parœcialem, nunc canonicorum collegio insignem, et in hac Sanctum ejusque sacra lipsana hodieque in veneratione haberi. In istam me opinionem adduxerat seculi hujus martyrologus Castellanus, cujus testimonium retuli. At aliter me docuit R. P. Edmundus Charon collegii nostri Metensis Rector; qui de Sancti cultu ejusque reliquiis, ibidem, ut credebam, adhuc quiescentibus interrogatus,* XXX *Septembris anni* 1747 *ista rescripsit:* Quod spectat Gorziam, dominus decanus istius ecclesiæ, quæ olim fuit monasterium, respondit litteris illi a me datis, nullum celebrari Officium de S. Gondulpho, nullum fieri commemorationem, nullum cultum adhiberi; si corpus Sancti ibi fuerit depositum, nullas superesse reliquias; potuisse fieri, si ibi depositæ fuerint, ut fuerint consumptæ, quando ecclesia fuit destructa incendio tempore bellorum. *In dubium vocari nequit, quin sanctus noster Præsul Gorziæ revera olim fuerit depositus: unde non improbabilis conjectura ducitur, ipsum aliquando ibi cultu publico honoratum fuisse; sed qui jam desierit nec monasterio nec hujus ecclesia, in qua verisimiliter colebatur, nec ullis amplius reliquiis existentibus in templo parœciali, ubi canonici,* E *monachorum in locum suffecti, officia divina persolvunt.*

Metis hoc die recitatur Officium, in quo Lectio tertia Sancto propria est.

3 *Licet comperissem, Sanctum in plerisque Fastis sacris, num.* 1 *adductis, ad* VI *Septembris annuntiari; subdubitabam tamen, an hic dies ejus venerationi esset consecratus, quod in Ferrarii Catalogo generali Sanctorum et Saussayi Martyrologio Gallicano ejus memoriam consignatam invenissem ad diem sequentem, qui ejusdem emortualis fuit, ut infra videbitur. Omni me dubitatione liberavit indicata officiosi R. P. Edmundi epistola; ex qua etiam didici, qualem cultum Sanctus Metis obtinuerit.* In ecclesia, *inquit,* cathedrali hujusce urbis celebratur Officium de S. Gondulpho die sexta Septembris. Præterquam quod id mihi asseruit viva voce dominus decanus, id ipsum legi in eorum libro cæremoniali, in quo habetur hæc Lectio de Sancto, quam ad verbum refero. „ Die VI Septembris. S. „ Gondulphi Metensis episcopi. LECTIO TERTIA. Gon„ dulphus magnarum virtutum, præsertim vero „ castitatis et charitatis decore conspicuus An„ gelramno Metensi archiepiscopo non ob natalium F „ sed meritorum sublimitatem suffectus est. Ca„ thedram hanc cum Dei honore et omnium fructu ad„ mirabili sex prope annos gubernavit. Synodo apud „ Theonis-villam, petente Ludovico Pio, interfuit: „ ubi multa pro securitate ministrorum Dei con„ stituta sunt. Tandem ad cœlum meritis plenus „ evolavit sub Eugenio secundo, Idus Septem„ bris. „ *Scribendum erat, ni fallor,* VII Idus Septembris, *quo die ad vitam feliciorem transiit. Elogium, quo Saussayus laudatus Sanctum ornat parum differt a jam data Lectione tertia Officii, quod ritu simplice seu feriali in cathedrali Metensi recitatur. Quæ illustrissimus Meurissius episcopus Madaurensis et suffraganeus Metensis in antistitum hujus ecclesiæ Historia pag.* 183 *et* 186 *de Sancto affirmat, isti quoque Lectioni consentanea sunt.*

Non cohærentia traduntur de episcopatus ejus duratione, et falsa de tempore mortis.

4 *Apud Acherium tom.* 6 *Spicilegii pag.* 655 *in Chronico episcoporum Metensium, ante medium seculum* XII *scripto, Sanctus ita laudatur:* Sublimatur post hunc *(Angelramnum)* Gundulfus trigesimus nonus Metensis episcopus, conversatione ac fide venerandus. Sedit VI annis,

A nis, tempore Ludovici Pii, sub Apostolicis Paschale et Eugenio. Obiit VII Idus Septembris. *Dicitur hinc sanctus Præsul sedisse* VI annis, *quibus octo menses in tribus, atque insuper dies septem in duobus Catalogis num.* 6 *producendis adjunguntur. His contradicit Lectio tertia. Meurissius et Saussayus, qui* S. Gondulpho *tribuunt* sex prope annos *episcopatus; de cujus duratione sermo recurret in fine hujus Sylloges. In eadem Lectione obiisse affirmatur* sub Eugenio secundo *Pontifice, sub quo etiam Metensi ecclesiæ præfuisse traditur in Chronico laudato. In altero Chronico Metensi ab anno* 511 *ad* 1279 *apud Labbeum tom.* I *Bibliothecæ Mss. pag.* 344 *legitur :* DCCCXIX [anno] Gundulfus episcopus Metensis. DCCCXXV Drogo episcopus Metensis. *Secundum præsulum hujus ecclesiæ Catalogos, quorum verba me inferius daturum promissi, mors* S. Gondulphi *differenda est ad eumdem annum* 825, *qui Drogonis in illius locum successio in posteriore Chronico illigatur. In eo itaque concordant memorata hactenus monumenta Metensia, quod Sanctus sub Eugenio PP.* B *II, qui primo semestri anni* 824 *Paschali PP. I successit, supremam diem obierit. Hunc Meurissius* VII *Septembris ejusdem anni* 824, *Cointius vero cum aliis anni* 825 *fuisse censet. Sammarthani in antiqua Gallia Christiana et Castellanus in Martyrologio universali mortem Sancti referunt ad eumdem diem anni* 823, *quo Paschalis PP. I vivebat. Circa diem illis assentior : at nego* S. Gondulphum *ad Eugenii II Pontificatum vel ad annum* 823 *vitam prorogasse. Utrumque falsum esse demonstrabitur num.* 7 *et seq.*

Adfuit synodo apud Theodonis villam, et sacros Ordines contulit S. Aldrico.

5 *Convenit inter nos et omnes alios, Sanctum inter vivos superstitem fuisse mense octobri anni* 821, *quo apud Theodonis-villam adversus percussores clericorum synodus habita fuit, de qua vide Labbeum tom.* 7 *Conciliorum secundæ editionis col.* 1519; *ubi inter ceteros illi interfuisse legitur* Hetto Trevirensis archiepiscopus cum suis suffraganeis, *Metensi scilicet episcopo, qui tunc erat* S. Gondulphus, *Tullensi et Virdunensi. Alia, quæ sanctus noster Præsul egerit, memoriæ prodicta non invenio, præter illud quod narratur in Vita S. Aldrici episco-* C *pi Cenomanensis, a discipulis ipsius scripta, apud Baluzium lib.* 3 *Miscellaneorum pag.* 3. *S. Aldricus sub Ludovico Pio militans ac vitæ sanctioris in statu ecclesiastico agendæ desiderio flagrans, missionem ab illo petiit : quam ubi cum canonicatu in cathedrali Metensi impetrasset,* ad jam dictam urbem festinando profectus est; ibique amabiliter et devote ab omnibus susceptus, et clericus ab episcopo ejusdem civitatis et cuncto clero divinis benedictionibus decantantibus et hymnis spiritualibus modulantibus confortatus est, et vestimentis clericalibus indutus, et manuum impositionibus ab episcopo et a cunctis sacerdotibus clericali benedictione consecratus, inter seniores Fratres est collocatus. . . Post duos quoque clericatus sui annos ab episcopo ejusdem civitatis, nomine Gundulfo, in ecclesia sancti Stephani diaconus est ordinatus. *Episcopus Metensis, qui S. Aldricum diaconum et biennio ante clericum consecrarat, unus idemque est noster* S. Gondulphus; *cum ante ipsum cathedra multo pluribus quam duobus annis vacarit, quemadmodum ex sequentibus patebit.*

6 *In Corpore historiæ Francicæ, edito Hanoviæ anno* 1613, *pag.* 177 *occurrit Catalogus episcoporum Metensium in Wala anno* 882 *vita defuncto desinens, et de nostro sancto Præsule ista memorans :* Gundulphus eps sedit ann. VI. mens. VIII. Obiit VII. Id. Septemb. *Calmetus in Monumentis Historiæ Lotharingicæ tom.* I *col.* 79 *et seqq. duos alios producit antistitum Metensium Catalogos, quorum posterior ad Walæ successorem Ruotbertum deductus habet :* Gundulphus decessit VII Id. Septemb. *Prior vero relata Angelramni morte, ita pergit :* Cessavit episcopatus an. XXVII et mens. IV. Gondulphus an. VI. mens. VIII. dies VII. Obiit VII. Id Septemb. Jacet in Gorzia. *In hoc Catalogo ultimus recensetur Adalbero I, anno* 964 *mortuus, uti etiam in eo, quem Marcus Antonius Dominicius inter antiquitatis Monumenta, Ansberti familiæ redivivæ adjecta, ex vetusto Metensi S. Symphoriani codice edidit : in quo pag.* 26 *sic legitur :* Cessavit *post Angelramni obitum* episcopatus ann. XXVII et mens. III. Gundulphus episc. sedit ann. VI et mens. VIII. et dies VII. Requiescit in Gorzia monasterio. Ob. VII. Id. Septemb. *Angelramnus, cui* S. Gondulphus *successit, in memoratis Catalogis dicitur obiisse* E VII *Calendas Novembris : qui dies anno* 791 *innectentus est, quemadmodum ostendit Pagius ad eumdem annum num.* 4 *et* 5. *Jam vero si assignatos annos, menses et dies, quibus secundum duos posteriores Catalogos, mortuo Angelramno cathedra Metensis vacavit et* S. Gondulphi *episcopatus duravit, annumeres tempori, quod Angelramni emortuale fuit, pervenies ad autumnum anni* 825. *At sanctus noster Præsul vita excessit* VII *Septembris .anni* 822 *: relinquitur, ut accuratæ non sint temporum notæ, quibus vel sedis post obitum Angelramni vacantis vel episcopatus a* S. Gondulpho *administrati duratio in iisdem Catalogis circumscribitur.*

AUCTORE J. L.

Ejus mentio in præsulum Metensium Catalogis, secundum quos obiit anno 825 :

at emortualem Sancti diem 7 Septembris illigandam esse anno 822 ex veterum testimoniis

7. *De Sancti die emortuali* VII *Septembris, qui in Chronico priore et quatuor Catalogis episcoporum Metensium, num* 4. *et præcedente adductis, distincte exprimitur, nulla est controversia. Nullus etiam supererit dubitandi locus, quin dies iste ad annum* 822 *pertinuerit, ubi evicero, Drogonem mense Junio anni proxime sequentis in comitiis Francofurtensibus, a Ludovico Pio imperatore celebratis,* S. Gondulpho F *fuisse subrogatum. Ex Eginhardi scriptoris synchroni Annalibus, qui in anno* 829 *finiuntur, in rem nostram ista huc transfero :* DCCCXXIII [anno] mense Maio conventus ibidem *(Francofurti a Ludovico Pio)* habitus est. *Sequuntur, quæ in illo gesta fuere, donec ex Italia rediret Lotharius, a Paschale PP. I Romæ coronatus imperator ; qui* mense Junio *venisse dicitur ad patrem suum Ludovicum Francofurti commorantem. Paulo post ita pergit Eginhardus :* Drogonem fratrem ejus *, sub canonica vita degentem Metensi ecclesiæ, clero ejusdem urbis consentiente atque eligente, *Ludovicus Pius* rectorem constituit, eumque ad pontificatus gradum censuit promovendum. *Hoc autem in comitiis Francofurtensibus contigisse, manifestum est ex iis , quæ proxime subjunguntur :* In eodem conventu locus et tempus alterius conventus habendi indicta sunt; Novembris videlicet mensis et Compendium palatium. *Idem testatur coætaneus auctor Vitæ Ludovici Pii, sub astronomi nomine eruditis notus apud Pithæum tom.* 2. *Annalium Francorum a pag.* 218 :

* suum

AUCTORE J. L.

218 : *ubi cum narrasset Lotharium mense Junio ad patrem venisse, Francofurti comitia celebrantem, ita prosequitur :* Gundulfo porro Metensi episcopo, eodem tempore defuncto, clerus omnis populusque ejusdem ecclesiæ, veluti uno spiritu animati, Drogonem imperatoris fratrem, sub canonico habitu nobilissime viventem, sibi poscunt dari sacerdotem... Ideo imperator cum summo gaudio petitioni ecclesiæ annuit; eisque quem petebant pontificem dedit. In eodem conventu mors nunciatur Luideviti tyranni *etc.*

tam clare evincitur, ut Catalogorum auctores cum multis aliis errasse dicendi sint.

8 *Coævus etiam est auctor Annotationum historicarum, quas a Blumanio Viennensi codice excerptas Florentinius ad calcem Martyrologii Hieronymiani vetustioris pag.* 1056 *subjunxit; ubi inter alias hanc invenio :* DCCCXXIII. Idus Junii natus est Karolus filius Judith. Eodem die ordinatus est Drugo. *Ademarus in Chronico apud Labbeum tom.* 2 *Bibliothecæ Mss. pag.* 159 *ad eumdem annum scribit :* Drogonem fratrem (suum) canonicum Metis cum electione civium *Ludovicus Pius* ordinavit episcopum. *Vox* ordinavit *hic idem* B *est ac* designavit. *Pagius ad annum* 823 *num.* 6 *alios veteres scriptores pro sententia nostra adfert, vocique* ordinatus, *qua utitur Annotationum auctor, eamdem tribuit significationem, in qua illam accepit Ademarus. Ibidem num.* 4 *probat, Carolum Ludovici Pii filium, qui postea imperavit et Calvus agnominatus fuit, Francofurti in lucem prodiisse anno* 823, *Idibus Junii.* Eodem die, *inquit Annotationum auctor,* ordinatus est Drugo : *Sed hoc* pridie Idus Junii *accidisse scribunt Hugo abbas Flaviniacensis in Chronico Virdunensi atque auctor Chronici S. Benigni Divionensis, quorum verba dat Pagius loco primum citato. At quidquid sit de die, quo Drogo consecratus vel designatus fuit episcopus Metensis; id pro reindubitabili admitti debet, illum mense Junio anni* 823 *in conventu Francofurtensi ecclesiæ Metensi præfectum fuisse, et consequenter* S. Gondulphi *mortem, quam* VII *Septembris obiit, retrahendam esse ad annum* 822. *Errant igitur duo posteriores præsulum Metensium Catalogi num.* 6 *allati; nam inter* D *Angelramni,* XXVI *Octobris anni* 791 *defuncti, et* S. Gondulphi *mortem* 34 *fere annos medios ponunt, qui prioribus additi ad Christi* 825 *excurrunt. Errant etiam Lectionis tertiæ et Chronicorum Metensium auctores, Meurissius, Castellanus et alii num.* 4 *memorati qui Sanctum vitam protraxisse ajunt ad* VII *Septembris anni* 823 *vel Pontificatum Eugenii II, qui anno* 824 *Ecclesiæ universæ præesse cœpit.*

Episcopus ordinatus fuit prima die anni 816 *in sententia Pagii, cui nondum assentior.*

9 *Licet incertum sit, quo die et anno* S. Gondulphus *episcopus Metensis consecratus fuerit et quam diu sacram hanc dignitatem gesserit; laudatus tamen Pagius num.* 5 *tempora illa determinat, nimis asseveranter ita pronuntians :* GUNDULFUS ordinatus fuerat episcopus Metensis die prima mensis Januarii anni octingentesimi decimi sexti festo circumcisionis Christi sacra, et e vivis excesserat die septima Septemb. superioris anni [DCCCXXII]. Marcus enim Dominicius in libro de Ansberti familia rediviva publicavit Catalogum Metensium episcoporum, in quo legitur : GUNDULFUS EPISC. SEDIT ANN. VI ET MENS. VIII ET DIES VII. REQUIESCIT IN GORZIA MONASTERIO. OB. VII ID. SEPTEMB. Quare error irrepsit in eumdem Catalogum, ubi narrata morte ANGELRAMNI archiep., quæ contigit die XXVI Octob. anni DCCXCI, E dicitur : CESSAVIT EPISCOPATUS ANN. XXVII ET MENSES III. Legendum enim ANN. XXIIII, loco ANN. XXVII, qui error facile a librariis committitur, dum priores duas lineolas conjungunt, et ex II efformant V. Is librariorum error Cointius * in transversum egit, impulitque ut GUNDULFI mortem in annum DCCCXXV, DROGONIS vero initium in annum insequentem conferret. *Miror cur Pagius annos* XXVII *quibus cathedræ Metensis vacatio definitur, a librariis potius ex* XXIIII *efformatos fuisse dicat, quam annos* VI *episcopatus* S. Gondulphi *ex* III; *cum æque facile* III *in* VI *quam* XXIIII *in* XXVII *corrumpi potuerit. Nisi itaque aliunde probetur, Sanctum pluribus annis integris quam tribus Metensi ecclesiæ præfuisse; nunquam ego magis credidero, illum Calendis Januarii anni* 816, *ut Pagius asserit, quam eodem die anni* 819 *episcopum consecratum fuisse.*

* *l.* Cointium

DE B. LIMBANIA VIRG. MONIALI

F

C

GENUÆ IN ITALIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

J. L.

§ I. Vita et miracula edenda; seculum emortuale incertum; gesta ante statum religiosum in monasterio S. Thomæ suspecta.

DIU ANTE ANNUM MCCXCIV.

Veterum scriptorum et Grimaldi de Beata silentium : Opusculum Vannini editum,

Cum B. Limbania *virgo, alumna cœnobii Genuensis S. Thomæ, quod prius moniales Ordinis S. Benedicti, ac dein ab anno* 1509 *sacræ virgines magni patris S. Augustini regulam professe incoluerunt, veneratione publica et crebris miraculis jam a seculo* XIII, *ut infra videbitur, inclaruerit : magnam spem conceperam, fore ut ejus memoriam ex rerum Genuensium scriptoribus hoc et præcedente seculo antiquioribus illustrare possem. At omnium Opera, quæ quidem typis excusa in nostro exstant museo, mihi pervolventi nihil ab illis de* B. Limbania *memoriæ proditum occurrit. Nullius vero de Beata silentium magis miror, quam Mariani Grimaldi in Sanctuario Genuensi. Non paucas Sanctorum hujus urbis Vitas istud Opus complectitur in cujus præfatione auctor quosdam alios, quorum Acta desiderabat, patriæ suæ Cœlites*

A *lites celebravit, nullo uspiam beatæ nostræ Virginis vestigio relicto; licet anno* 1613, *quo dictum Opus editum fuit, Officio ecclesiastico, ut reliquum cultum sileam, a monialibus S. Thomæ honoraretur. Eodem anno, quo Sanctuarium suum Grimaldus, Philippus Ferrarius Catalogum Sanctorum Italiæ edidit; in quo ad* XVI *Augusti* B. Limbania *elogio ornatur, accepto* ex ejus Lectionibus nuper Romæ an. D. MDCIX approbatis, *de quibus infra sermo redibit. Circa idem tempus typis Genuensibus in lucem prodiit libellus de Beatæ cultu, vita et miraculis, Romæ idiomate Italico elucubratus ab Artemio Vannino Senensi, sacerdote S. Hieronymi de Charitate. Atque hi duo, Ferrarius scilicet et Vanninus, inter auctores Operibus prelo vulgatis mihi notos primi fuerunt, qui de Beata meminerunt.*

atque alterum antiquius Ms. de cultu, vita et miraculis, cujus tamen auctor anonymus

2 *Est et alius ignoti mihi nominis auctor, qui res in vita et post mortem a* B. Limbania *gestas atque aliquot de ejus cultu notitias litteris mandavit. Ineditum hoc Opusculum a domino Joanne Bernardo Veneroso, Genii Liguris resu-* B *scitati anno* 1650 *impressi auctore, museo nostro donatum fuit; uti annotavit noster Papebrochius et in ipsius Opusculi fronte, et in Ephemeride Ms., in quam suum ac socii Henschenii iter Romanum retulit.* Adiveramus, *inquit ad* XIII *Martii anni* 1662, *quo ambo in Belgium redeuntes Genuæ morabantur*, illustrissimum D. Venerosum Cestrensis ad Occidentem oppidi pro republica gubernatorem, qui.... præter Opus a se compositum, quod Ligurem resuscitatum inscripsit, Vitam ad nos postridie detulit S. Limbaniæ Ms. cum plurimis miraculis. *Hæc Vitæ adjuncta* 44 *capitulis absolvuntur. Post cap.* 34 *seu miraculum, quod inferius apud nos num.* 21 *referetur, sequitur* Appendix aliarum gratiarum a B. Limbania præstitarum variis personis, e quibus aliquæ etiamnum vivunt in præsente monasterio S. Thomæ. *Decem ultima capitula Appendicem hanc constituunt, beneficia continentem, quorum pars maxima posterior est anno* 1509, *quo cœnobium S. Thomæ a monialibus Benedictinis ad Augustinianas translatum* C *fuit. Idem suspicor de reliquis in eadem Appendice occurrentibus beneficiis, in quorum relatione nihil exprimitur, unde tempus, quo contigerint, colligi possit.*

non ante finem seculi XVI *scripsit: alia documenta majores nostri frustra petierunt*

3 *Cum Vita et miracula priora, ceteraque, quæ Appendix complectitur, non interrupta capitulorum serie enarrentur, et sermo Italicus, quo conscripta sunt, ubique quoad stylum sibi sit simillimus; uni eidemque auctori omnia attribuo: a quo nec diversus mihi videtur, qui adjectas de Beatæ cultu notitias collegit, ex eodem, quo illa, codice avulsas eodemque charactere exaratas. Nulla in hisce fit mentio Officii de* B. Limbania *a Paulo PP. V anno* 1609 *approbati, de quo Vanninus in libelli sui prœmio agit: unde eruitur, nostrum anonymum Vannino antiquiorem esse. Citius tamen scribere non potuit, quam seculo* XVI *exeunte; cum beneficia tunc divinitus per Beatam collata referat. Papebrochius in laudata Ephemeride scribit, se* XVI *Martii anni* 1662 *cum socio accessisse moniales S. Thomæ, antiquiora, ut sperabat, de beata Virgine monumenta producturas, quam Opusculum Ms. anonymi, quod paucis ante diebus a domino Veneroso acceperat.* Eodem, *inquit*, die (XVI *Martii*) cum monialibus S. Thomæ Ord. S. Augustini, apud quas S. Limbania colitur, egimus pro obtinendis antiquioribus de ea scriptis: sed negabant præter ea, quæ Romam delata essent in ordine ad impetrandam canonizationem, quidquam haberi posse; Benedictinas, quæ isthic priores fuerant, cum loco cederent, scripta omnia vel obscurasse vel dissipasse. Interim complures narrabant gratias, meritis hujus Sanctæ obtentas, præsertim liberationem monasterii a pestilentia, qua tota nuper civitas, eaque pars maxime, infecta fuerat.

a monialibus S. Thomæ: eadem, si rem spectes, narrat uterque auctor: miracula recentiora

4 *Per* canonizationem, *de qua moniales ad majores nostros locutæ fuerant, Officii de* B. Limbania *recitandi approbationem intelligo, quam a Sede Apostolica petitam atque etiam anno* 1609 *obtentam fuisse Vanninus diserte testatur. Verba dabuntur infra num.* 20. *Quæ vero scripta moniales dixerunt Romam delata fuisse ad approbationem istam impetrandam, haud dubie illa ipsa sunt, de quibus Vanninus in epistola dedicatoria, ad Joannam Hieronymam Vivaldi priorissam, ut vocant, et moniales Genuenses S. Thomæ die* XXXI *Januarii anno* 1612 *Romæ data, ita scribit:* Ad preces illustrissimi E comitis Caroli Gabrielli Eugubini nobilis civis Romani, ex scriptis antiquis et authenticis, quæ a vobis transmissæ fuerant, collegi vitam et miracula beatæ Limbaniæ *etc. Nihil de hisce collectum profert in suo libello Vanninus, quod, si substantiam spectes, ante ipsum non protulerit noster anonymus: ex quo illum omnia hausisse crederem, nisi scripta, quibus usus fuit, antiqua et authentica vocaret. Ista tamen antiqua esse non potuerunt, ex quibus miracula seculo* XVI *patrata transcripsit; inter quæ nonnulla anno* 1595 *et proxime præcedentibus accidisse dicuntur. Vel vehementer fallor, vel illa desumpsit ex memorata anonymi nostri Appendice; quæ Latine reddita caput* 2 *miraculorum* B. Limbaniæ *post Vitam edendam conficiet. Caput* I *complectetur miracula antiquiora. Hæc Vanninus ex iisdem haud dubie, ex quibus anonymus, monumentis accepit. Qualia ea sint, ex jam statim dicendis intelliges.*

uti et antiquiora quæ fere omnia anno 1344 approbata fuere, edenda ex anonymo,

5 *Anonymus, relatis miraculis, quæ anno* 1344 *et præcedentibus contigerunt, ita prosequitur:* Omnia hactenus narrata miracula per dominum Fredericum di Molognio canonicum et vicarium archiepiscopi, ad instantiam Joannis Casasco presbyteri, qui tunc erat dicti monasterii *S. Thomæ* syndicus, examinata et correcta fue- F runt; publicumque de iis instrumentum anno MCCCXLIV die XIX Novembris confectum fuit manu Antonii Piloso de sancta Victoria notarii publici. *Iisdem miraculis alio ordine dispositis subdit Vanninus cap.* 39 *in fine:* Hactenus miracula, a vicario archiepiscopi examinata et approbata anno MCCCLIV, ut initio dictum fuit; *in prœmio scilicet pag.* 3, *ubi hæc lego:* Inde factum est, ut, cum fidelium pietas erga beatam Virginem indies accresceret, multaque per illam divinitus fierent miracula, juridica de hisce anno MCCCXLIV instituta fuerit inquisitio et processus publicus formatus a Frederico di Molongo, tunc temporis canonico et vicario archiepiscopi Genuensis, ad instantiam Joannis di Casasco, qui prædicti monasterii erat syndicus. *Miraculis anno* 1344 *discussis, approbatis et per notarium publicum scripto traditis anonymus noster et Vanninus aliud subjungunt, quod is, cui contigerat, coram notario et testibus anno* 1359 *affirmasse narratur. Hoc miraculum recentiore*

Auctore J. L.

centiore manu verisimiliter adjectum fuit instrumento, quod de prioribus anno 1344 *confectum fuit. Habes, studiose lector, ipsum fontem, ex quo profluxerunt antiquiora* B. Limbaniæ *miracula, quæ in Italicis utriusque scriptoris Opusculis leguntur, et post Vitam cap.* I *dabuntur in Latinum conversa sermonem ex breviore antiquioris anonymi relatione.*

qui cum Vannino Vita non satis antiqua usus est: quo seculo Beata floruerit, nescitur.

6 *Miraculis præviam* B. Limbaniæ *Vitam anonymus, eoque junior Vanninus ex eodem pariter fonte acceperunt; quod ex utriusque narratione inter se collata facile perspexi. Quo autem seculo Vita, quam illi præ manibus habuere, primum conscripta fuerit, me latet. Si Vannino credas, auctorem habuit antiquissimum: nam in proœmio pag.* 5 *mentionem facit* de codice antiquissimo *Beatæ vitam continente, quo se usum fuisse indicat. Supra vero num.* 4 ex scriptis antiquis et authenticis... vitam et miracula beatæ Limbaniæ *se collegisse ait. Eam biographo, quam lubet, vetustatem tribue, modo illum tam longo tempore post Beatæ mortem scripsisse fatearis, ut auctor nec synchronus nec*
B *suppar appellari queat. Et vero illum a Beatæ ætate remotiorem fuisse vel inde eruitur, quod in tota ejus translatitia apud anonymum narratione nihil adducatur, unde vel seculum, quo illa vixerit, possit extundi. Hinc Vanninus in proœmio pag.* 6 *Genuensium bella et tumultus incusat, quod in iis olim interierint documenta, ex quibus plenior rerum a* B. Limbania *gestarum cognitio acquiri potuisset: dein sibi ignosci petit, si in Vita, quam dat, tempora aliaque adjuncta, quæ quis merito desiderare posset, non exprimantur. Nonnulla tamen addidit Vanninus, quæ apud anonymum non invenio, ut mox videbitur.*

Diu ante annum 1294 obiit: minus probabilis Vannini conjectura circa tempus natale.

7 *Cum certum sit, uti ex postea dicendis patebit,* B. Limbaniæ *caput, a reliquis membris divisum, in ecclesia monialium S. Thomæ anno* 1294 *publice honoratum fuisse; admitti debet corporis in ossa et cineres dissoluti translationem vel saltem aliquam recognitionem præcessisse, in qua sacrum caput a ceteris ossibus fuerit separatum, et consequenter Beatam obiisse* diu ante
C annum MCCXCIV, *ut hic et supra ad num.* I *in margine notavi. Quam vero longo tempore ante dictum annum mors ejus contigerit, ego definire non possum; cum ne quidem seculum noverim, quo* B. Limbania *religiosam vitam egit in monasterio S. Thomæ, cujus antiquitas mihi etiam incomperta est. Vanninus cap.* I *Vitæ se ex monumentis, nescio quibus, collegisse ait, Beatam anno circiter* 1200 *in lucem prodiisse. Sed non assentiendum est scriptori neoterico, tempus istud ex conjectura assignanti, quam vel ipse postea minus verisimilem facit, dum cap.* 17 B. Limbaniam *meritis plenam atque annis gravem ad præmia cælestia* XV *Augusti evocatam fuisse scribit: nam si ante annum* 1294, *quo ejus caput, a ceteris membris in prævia translatione vel corporis recognitione divisum, publicæ venerationi de more expositum fuisse constat, in bona senectute obierit; quis non inde inferat, eam probabilius natam fuisse ante annum circiter* 1200. *Ceterum anonymus de natali Beatæ tempore, de provecta ejus ætate et die emortuali ne verbo quidem meminit.*

Quæ de B. Limbania, religiosum statum in cœnobio S. Thomæ nondum amplexa, traduntur, magis mira sunt

8 *Admodum mira sunt, quæ de* B. Limbania, *monasticæ vitæ institutum in cœnobio S. Thomæ nondum professa. anonymus et Vanninus tradunt. Ut lector ipse dijudicare possit, an et qua fide digna sint, præcipua rerum capita ex* D
utroque scriptore collecta cum iis, quæ singulariter expendi merentur, adjunctis hic proferre visum est. S. Limbania *nobilibus atque opulentis parentibus in insula Cypro nata, virginitatem in puerilibus annis Deo consecravit. Cum duodecim esset annorum, parentes de ea in matrimonium nobili ac diviti juveni collocanda cogitarunt. Quod ubi illa rescivit, Deo per orationem consulto, insciis parentibus mari se committere et ex insula in alienas terras aufugere statuit, ut cælesti suo Sponso liberius et ardentius inserviret, ab omni remota periculo fidem ei datam violandi. Animum suum Beata aperit piæ fideli suæ nutrici. Hæc sibi communicata refert suo marito. Insolens Puellæ in tam tenera ætate consilium ambo, Deo eorum mentes dirigente, non solum probant, sed etiam decernunt se fugientem comitaturos. Dein ad portum se conferunt; ubi nauclerum brevi Genuam renavigaturum inveniunt: cui nutrix rationes, cur duodecim annorum puella* Limbania *patriam ac parentes deserere* E
velit, manifestat, et se simul cum illa et marito suo in navim admitti et Genuam conduci petit. Naucleri voluntatem Deus ita disposuit, ut nil tergiversatus se id facturum sponderet; imo illis locum in vicina silva monstraret, in quo secure laterent, donec ad navim conscendendam ab ipso evocarentur. His ex nutrice intellectis B. Limbania *domo paterna clam egreditur, et cum illa ac marito ejus in silvam se abdit; ubi adventum naucleri præstolatur. At hic negotiis suis intentus facti promissi obliviscitur, et soluta navi Genuam vela facit, beata Virgine cum sociis in silva relictis. Cumque tota die iter suum prosecutus fuisset, sub vesperam navis in medio cursu, velis secundo vento distentis, derepente immobilis subsistit.*

9 *Attonitis nautis causam tanti prodigii investigantibus, nauclerus promissi non servati memor factus ad portum regredi constituit: ad quem mira celeritate, adverso licet vento, cum pervenisset; in terram desilit, sibi notum in silva locum adit, ubi cum sociis* B. Limbania *morabatur: ad cujus pedes mirabundus intuetur varias feras silvestres prostratas, quæ vestimentorum ejus oras lingebant. Cognoscit ille ex tanto miraculo sanctitatem Virginis, hanc reveretur et* F
cum sociis lætus ad navim ducit; quæ intra paucos dies felicissimo cursu Genuam devehitur. Sed in ipso urbis portu, cum nautæ jam vela demisissent, atque illam anchora in loco consueto firmare vellent, subito impetu abripitur, et in scopulos apud monasterium S. Thomæ alliditur. Præ naufragii timore clamores eduntur; quorum causam sciscitatura beata Virgo, ab oratione surgens supra navim ascendit: quam cum audiisset hærere in scopulis monasterii S. Thomæ, se ad locum divinitus destinatum, in quo reliquum vitæ tempus transigeret, appulisse palam enuntiat; nautisque bono animo esse jussis, cum sociis et nauclero in scopulos descendit. Quo facto, illis inhærens navis confestim divina vi propellitur et ad solitam stationem salva defertur. Interim nauclerus ad cœnobium S. Thomæ præcurrit, visa et audita abbatissæ et monialibus relaturus, in quarum animis ingens Limbaniæ *videndæ desiderium accendit. Dein ad Virginem revertitur, quam cum sociis ad abbatissam deducit: cujus pedibus illæ advoluta se virginitatem Deo vovisse, et ejus servandæ causa, relictis patria et parentibus,*

Genuam

AUCTORE J. L.

A *Genuam fugisse aperit, et habitum monasticum efflagitat; ad quem statim admittitur: noverant scilicet abbatissa et moniales, clandestinam ejus fugam prodigiis ex nauclero intellectis a Deo approbatam fuisse, et ex recenti miraculo, quod in portu Genuensi evenerat, divinam voluntatem esse dedicerant, ut in suum illam monasterium reciperent.*

et minus credibilia ceteris: Vita ex Officio a Paulo PP. V approbato danda.

10 *Quæ ex anonymo et Vannino in synopsim contracta huc transtuli, tam mirabilia sunt, ut credi non debeant sine gravi auctoritate. Vellem tantam biographo, quem laudati scriptores secuti fuerunt, conciliare possem, ut nemini liceret suspicari, nomen* B. Limbaniæ *occasionem præbuisse animalia silvestria vestium ejus limbos lambentia effingendi, et reliqua etiam fere omnia commentitia esse. Quæ ad religiosam Beatæ vitam in monasterio S. Thomæ spectant, multo verisimiliora sunt, sive substantiam, sive adjuncta consideres aut modum, quo ab anonymo et Vannino enarrantur. Hæc inter duo sunt, quæ firmiore, quam cetera, fide credo; quia certiora esse didici ex documentis a Vita distinctis, quæ postmodum opportunis locis adferentur.* B *Primum est, beatam Monialem impetrasse, ut speluncæ, quæ erat sub pavimento ecclesiæ, inclusa reliquam vitam in rerum cœlestium meditationibus atque aliis piorum operum exercitiis traduceret: alterum est, illam pectine ferreo, quo linum carminatur, in carnem suam sæviisse, ut eam spiritui perfecte submitteret. Italicam beatæ Virginis Vitam ex anonymo vel Vannino Latine non interpretabor; illius enim medullam continet Officium, a Paulo PP. V die* VI *Martii anno* 1609 *approbatum, in oblongis Lectionibus propriis secundi Nocturni; quas proinde cum Responsoriis itidem propriis post hunc Commentarium edidisse sufficiet. An* B. Limbania *monialis fuerit Ordinis S. Benedicti, an vero Eremitarum S. Augustini, opportuna dicendi occasio redibit* § 3.

C

§ II. Argumenta cultus, a seculo XIII usque ad XVI Beatæ exhibiti.

Occasione miraculi anno 1294 patrati plurimum auctus B. Limbaniæ cultus:

Anno 1294 *Feria tertia Pentecostes seu* VIII *Junii (in hunc enim illa diem incidebat) Deus* B. Limbaniæ *sanctitatem et publicos, qui jam tum ei deferebantur, honores illustri prodigio comprobavit. Ejus historiam summatim accipe. Dicto anno et die Obertus de Noli sacerdos, de Beatæ sanctitate et legitimo cultu dubitans, caput ejus in ecclesia monialium S. Thomæ expositum exigua cum reverentia in manus accepit, ut illud de more fidelibus exosculandum præberet. Cumque jam ad medium ecclesiæ processisset, sacrum caput, omni aspectante et obstupescente populo, ex ipsius manibus ad majorem, a qua sublatum fuerat, aram avolavit; ibique substitit. Prodigium pluribus enarrat auctor anonymus infra apud nos cap.* I *num.* 5 *et Vanninus cap.* 23; *qui de aucto illius occasione Beatæ cultu sequentia Italice subjicit:* Miraculum per urbem mox adeo divulgatum fuit, tantusque factus est concursus, ut brevissimo temporis spatio ecclesia impleta fuerit omni hominum genere, qui cum lætitia Virgini acclamantes et applaudentes ea deinde in veneratione diem istum *(Feriam tertiam Pentecostes)* habuerunt, ut in perpetuam memoriam dicti miraculi (a Sorore Franceschetta Imperiale tunc cœnobii S. Thomæ priorissa, quæ simul cum monialibus illi præsens adfuerat, in archiepiscopali curia juramento interposito affirmati) solemnissima decreta fuerit supplicatio, quotannis eodem illo die celebranda, quemadmodum hodieque celebratur. *Similia habet noster anonymus loco indicato; sed apud ipsum non leguntur, quæ præcedentibus subdit Vanninus.* Et sub Beatæ nomine instituta fuit numerosa virorum feminarumque confraternitas, qui prætérquam quod dictæ supplicationi intersunt, multa alia obeunt pietatis exercitia: et a sanctissimo Domino nostro Paulo PP. V, anno primo Pontificatus ejus, indulgentias majores, quales ejusmodi confraternitatibus a Sede Apostolica concedi solent, Feria tertia Pentecostes et aliis per annum festis diebus perpetuo lucrandas impetrarunt.

altare ipsi olim erectum et caput a corpore divisum; ut seorsum publice honoraretur:

12 *Uti ab insigni miraculo, cujus num. præcedente memini, Beatæ cultus, ita et fidelium in ejus patrocinio fiducia plurimum accrevit. Quam multi in suis necessitatibus illud deinde experti fuerint, testantur miracula et beneficia, anno* 1344, *ut num.* 5 *dictum fuit, auctoritate archiepiscopi Genuensis approbata.* E *In eorum enarratione, ex anonymo post Vitam cap.* I *edenda, lector comperiet,* B. Limbaniam *ante annum* 1344 *habuisse altare sibi consecratum in ecclesia monialium S. Thomæ, atque ejus corpus ibi quievisse in arca marmorea: hanc autem Vanninus cap.* 22 *olim collocatam fuisse ait* sub ecclesia S. Thomæ ad manum dexteram altaris majoris illo ipso in loco, ubi spelunca erat, quæ ejus *(beatæ Virginis)* habitaculum fuit. *Hisce addit, supra marmoreum Beatæ tumulum aram postea erectam fuisse:* sed an *non fallitur, dum ejus exstructionem ad tempora anno* 1294 *priora refert? Idem Vanninus* B. Limbaniæ *corpus, cum prima sepultura afficeretur, in dicta arca marmorea et spelunca depositum fuisse scribit: at neque hoc usque adeo certum est, quemadmodum apparebit ex annotatis, quæ dabuntur post cap.* I *sub litteris* c *et* d. *Sed sive extra sive intra memoratam arcam et speluncam illud prima vice sepultum fuerit; dubitandum non est,* F *quin in utraque quieverit ante annum* 1344: *id enim ex miraculis antiquioribus facile evinci potest. In dubium etiam vocari nequit, quin miraculum, quod Deus anno* 1294 *per Beatæ caput a ceteris membris divisum operatus fuit, præcesserit corporis translatio vel aliqua ejus recognitio, in qua divisio capitis a reliquo corpore facta fuerit. Secundum opinionem Vannini citati eventum istius miraculi sola præcessit corporis recognitio; sacrum vero caput, postquam ab aliis ossibus in ea separatum esset, pulcro ornatu argenteo coopertum, et in cœnobio S. Thomæ apud monialium superiorem ad sua usque tempora seorsum asservatum fuisse asserit, ut in ecclesia supra altare majus festis diebus exponeretur.*

fossa, in qua Beata vixit, conversa in sacellum; an aliud ei in Lusitania erectum?

13 *Anonymus miraculo, quod apud nos cap.* I *num.* 21 *post medium seculum* XIV *in regno Lusitaniæ contigisse narrat, hæc subjicit:* Dominus vero Lanzalottus *(vel potius, ut Vanninus scribit,* Lancellottus) Pesagno, classis regiæ præfectus, sacellum B. Limbaniæ nomini exstruendum curavit. *At ubi? An in Lusitania?*

An

AUCTORE J. L.

An Genuæ in monasterio S. Thomæ? Hic sacellum beatæ Virgini dedicatum anno 1522 *exstitisse testatur anonymus in beneficio, quod infra cap.* 2 *num.* 23 *occurret. In Notitiis vero de Beatæ cultu sacellum istud, sub cujus altari illius corpus in sepulcro marmoreo quiescere ait, non distinguit a fossa seu spelunca, in qua Beata ab hominum commercio semota soli Deo sanctissime vixit. Quia vero* B. Limbaniæ *ante annum* 1344 *altare in illa spelunca erectum fuerat, uti ex dictis num.* 12 *liquet; dubitare non licet, quin eadem spelunca ante istum annum in sacellum fuerit conversa. Hinc augetur mihi suspicio, alicubi in Lusitania sacellum a nominato classis regiæ præfecto post medium seculum* XIV *Beatæ erectum fuisse. Si tamen non alibi quam Genuæ in monasterio S. Thomæ* sacellum B. Limbaniæ nomini exstruendum curavit; *hæc ego verba ita intelligo, ut ipsius cura et sumptibus renovatum atque exornatum fuerit Beatæ sacellum antiquum, seu dicta fossa, quæ antea in sacellum mutata atque illius cultui fuerat consecrata. Adjungo hic epigramma,* B *ex Italico sermone rhythmico Latine redditum, quod Vanninus sub hoc titulo*, Supra fossam, sepulturam et altare dictæ Beatæ, *libelli sui procemio præmittit.* Hæc ipsa fossa, in qua B. Limbaniæ ossa jam asservantur, ipsi viventi locus habitationis fuit. Dici potest: Hic quasi sepulta vitam egit, hic acutis cuspidibus *ferrei pectinis* carnem transfixit, hic amaris lacrymis, vigiliis et jejuniis corpus afflictavit; ubi nunc altare erigitur in ipsius honorem: unde merito inscribitur: Hic vixit, hic mortua est, hic mortua vivit.

Centum dierum indulgentiæ,

14 *Die* XVII *Maii anno* 1472 *omnibus Christi fidelibus, altare* B. Limbaniæ *in ecclesia S. Thomæ visitaturis et pium aliquod munus pro sacri ædificii ornamentorumque reparatione et conservatione ibi oblaturis, octo S. R. E. Cardinales centum dierum indulgentias concesserunt, iis temporibus lucrandas, quæ in illorum litteris, dicto die et anno Romæ datis, indicantur. Earum apographum authenticum noster anonymus sub isto titulo:* Bullæ exemplum ex ipso originali de verbo ad verbum depromptum, *in* C *suum de Beatæ cultu, Vita et miraculis libellum transcripsit; ex quo illud in hunc Commentarium traduco.* Guilermus Ostiensis, Philippus Portuensis episcopus; Jacobus tituli sancti Grisogoni *, Oliverius tituli sancti Eusebii, presbiteri; Franciscus sancti Eustachii, Franciscus sanctæ Mariæ Novæ, Baptista sanctæ Mariæ in Porticu, et Joannes sanctæ Luciæ, diaconi, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales universis et singulis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, visuris pariter et audituris, salutem in Domino sempiternam. Ad peccandum omnis ætas de facili labitur, et vitium a primæ naturæ vestigiis imitantes; quia non humanarum, sed potius divinum existeret, si homo ex corrupta formatus materia con peccaret. Porro ut a peccatis possit elapsis resurgere, multa sunt eis proposita opera pietatis; in eaque Sanctorum ecclesias cum reverentia visitare tanto salubrius creditur, quanto idem Christicolis acceptabilius reputatur. *Initium litterarum multis apud anonymum mendis fœdatur. Aperta et levia correxi, relictis ceteris, quæ orationem maxime deformant. Si pro* imitantes, humanarum, possit elapsis, et in eaque *legas* imitatur, humanum, possint lapsi, et inter quæ, *compositura partium orationis legitima erit, et forte etiam conformis autographo litterarum exemplari; quas integras ex anonymo huc transferre pergo.* D

* Chrysogoni

quas altare B Limbaniæ visitantibus etc. anno 1472

15 Cum itaque, sicut accepimus, dilecta nobis in Christo religiosa Soror Juliana Grilla, abbatissa monasterii Sancti Thomæ Januensis, ad altare sanctæ Limbaniæ, situm in dicta ecclesia, specialem gerat devotionem et affectionem; supplicavit nobis humiliter, ut pro ipsius devotione, necnon ad aliorum Christi fidelium augmentanda spiritualia dona, de cætero thesaurum indulgentiarum dicto altari elargiri dignaremur. Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati suis *, ac favorabiliter annuentes, cupientesque, ut altare præfatum congruis frequentetur honoribus, Christique fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad illud, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius se noverint esse refectos; de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli ejus * auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui dictum altare in assumptione B. V. Mariæ, in Feria III post Pent., beatorum Apostolorum Petri et Pauli, sancti E Thomæ Apostoli, et ipsius altaris dedicationis festivitatibus et celebritatibus hujusmodi altare ipsum devote visitaverint annuatim, et ad reparationem conservationemque ædificiorum, calicum, librorum, luminarium, aliorumque ornamentorum ibi pro divino cultu necessariorum, manus in eleemosynis porrexerint adjutrices; nos Cardinales præfati et quilibet nostrorum pro singulis diebus dictarum festivitatum centum dies indulgentiarum de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, et quilibet nostrum relaxat, præsentibus vero perpetuis futuris temporibus in suo robore duraturis.

* *forte* sumus

* *vox hæc redundat vel ponenda est post* Apostolorum

octo S. R. E. Cardinales lucrandas dederunt certis diebus festis,

16 In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium præmissorum præsentes nostras litteras fieri, nostrorumque sigillorum Cardinalitium jussimus et fecimus appensione muniri. Datum Romæ in domibus nostris anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, Indictione quinta, die vero decima septima mensis Maii Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Xisti *seu Sixti* divina providentia Papæ quarti anno primo. *Subditur:* Copia a tergo. *Dein sequitur:* Ostiensis, F Bononiensis, Papiensis, Neapolitanus, Soriensis *(Legendum* Senensis, *ut mox videbitur)* Mantuanus, sanctæ Mariæ in Porticu, sanctæ Luciæ cum octo munitis sigillis appensis. *Ut lector clare cognoscat, octo S. R. E. Cardinales, quorum hic mentio fit, eosdem esse cum illis, qui in litterarum exordio memorantur, singulorum nomina et cognomina cum episcopatibus ac titulis, quos anno* 1472 *gesserunt, adjicere visum est. Guilielmus de Estoutevilla, archiepiscopus Rothomagensis, episcopus Cardinalis Ostiensis et Veliternus; Philippus Calandrinus episcopus Bononiensis, episcopus Cardinalis Portuensis; Jacobus Amanatus, Papiensis dictus ab episcopatu Papiensi seu Ticinensi, quem administrabat, presbyter Cardinalis titulo S. Chrysogoni; Oliverius Carafa, archiepiscopus Neapolitanus, presbyter Cardinalis titulo S. Eusebii; Franciscus Piccolomineus, archiepiscopus Senensis, diaconus Cardinalis titulo S. Eustachii; Franciscus Gonzaga, episcopus Mantuanus, diaconus Cardinalis titulo S. Mariæ Novæ; Baptista Zeno, diaconus Cardinalis titulo S. Mariæ*

A *S. Mariæ in Porticu ; Joannes Michaëlius diaconus Cardinalis titulo S. Luciæ. Cum in Cardinalium istorum litteris,* XVII *Maii anno* 1472 *datis, eædem sacræ dignitates titulique legantur, quibus illos tunc temporis insignes fuisse aliunde didici, cumque dicto diei et anno congruant ceteræ notæ chronologicæ, quæ in litteris illis exprimuntur ; hasce supposititiis minime accensendas judico, licet laudati Cardinales per easdem litteras largiti fuerint centum dierum indulgentias, obtinendas in Genuensi monasterio S. Thomæ, eorum ordinariæ jurisdictioni non subjecto : ad hoc enim dicendum est, illos in dictis indulgentiis concedendis usos fuisse summi Pontificis jurisdictione, sibi vel specialiter commissa, vel generaliter per consuetudinem a Sede Apostolica saltem tacite approbatam.*

e quibus Feria 3 post Pent. et forte alter dies Beatæ sacer erat, an. 1567 revocatæ sunt :

17 *Inter expressas in memoratis litteris festivitates, quibus* 100 *dierum indulgentiæ iis, qui altare* B. Limbaniæ *visitaverint etc., lucrandæ proponuntur, occurrit* Feria III post Pent. ; *qui dies qua occasione beatæ nostræ Virgini sacer esse*
B *cœperit, num.* XI *dictum fuit. Designantur etiam festivitates* sancti Thomæ Apostoli et ipsius altaris dedicationis. *At de cujus altari hic agitur ? An S. Thomæ, an vero* B. Limbaniæ ? *Vanninus in prooemio pag.* 3 *diserte scribit, indulgentias* pro festo dedicationis altaris Beatæ *anno* 1472 *impetratas fuisse. Si non errat, quo die dedicationis istius festivitas agebatur ? An* XVI *Augusti ? Hunc certe diem Vanninus ibidem a pag.* 4 *Beatæ cultui dicatum fuisse affirmat ab immemorabili tempore ante annum* 1609, *quo moniales S. Thomæ a Paulo PP. V obtinuerunt Officium de* B. Limbania *pro eodem die* XVI *Augusti. Vide infra num.* 20. *S. Pius PP. V per bullam ,* VIII *Februarii anno* 1567 *datam, omnes indulgentias abrogavit,* pro quibus consequendis , *ut loquitur sanctus Pontifex ;* manus sunt porrigendæ adjutrices , et quæ quæstuandi facultatem quomodolibet continent. *Hinc evidens est, jam a longo tempore abolitas fuisse indulgentias ab octo S, R. E. Cardinalibus anno* 1472 *concessas ; quia hanc inter alias fidelibus statuerunt conditionem :* Si ad reparationem conservationemque ædificiorum , calicum , librorum *etc.* manus in eleemosynis porrexerint adjutri-
C ces.

litteræ, quibus illæ concessæ fuerant, ex apographo authentico transcriptæ.

18 *Auctor anonymus sæpe laudatus litteras ex apographo, ut superius num.* 14 *dicebam, authentico transcripsit ; id enim sequentes, quæ illis subjunguntur, testationes probant.* † MDXCVI die XV Julii extracta est suprascripta copia ex alio * in pergameno scripto, mihi præsentato per R. D. Matthæum Astium Genuensem D. T, et curatum ecclesiæ sancti Thomæ et existente sub custodia R. D. abbatissæ *(imo priorissæ, nam anno* 1596 *cœnobium S. Thomæ abbatia esse desierat, ut in fine Commentarii dicetur,)* et monialium dictæ ecclesiæ et monasterii sancti Thomæ. Licet etc. salvo etc. Jo. Antonius Roccataliata notarius publicus et curiæ archiepiscopalis Genuensis cancellarius.

* adde exemplari

Florestanus Pepe J. U. D. vicarius archiepiscopalis Genuæ generalis universis et singulis fidem facimus et attestamur, suprascriptum magistrum Joannem Antonium Roccataliatam , qui anno et die suprascriptis extraxit , ejusque * propria manu subscripsit suprascriptam scripturam , de qua supra , tempore suprascripto ac ante , post , et de præsenti fuisse et esse notarium publicum , authenticum et fidelem de collegio et matricula magistrorum notariorum Genuæ, ejusque instrumentis et scripturis adhibitam fuisse et adhiberi plenam fidem in judicio et extra ; etiamque cancellarium * prædictæ curiæ nostræ archiepiscopalis Genuæ. In quorum fidem etc. Datum Genuæ in palatio archiepiscopali MDXCVI die XV Julii. Locus Sigilli. Horatius Fatius notarius et curiæ archiepiscopalis Genuæ cancellarius.

* suaque

AUCTORE J. L.

* adde esse

§ III. Alia venerationis indicia usque ad annum MDCIX, quo a monialibus S. Thomæ honorari cœpit Officio proprio : ad diœcesim Genuensem et Ordinem Eremitarum S. Augustini extensus Beatæ cultus ; quæ tamen Ordini Benedictino E adjudicanda est.

Campana B. Limbaniæ consecrata ; sacellum ejus restauratum ;

19 V*anninus in prooemio pag.* 4 *scribit , campanam, quæ prope monasterium S. Thomæ in littore maris inventa fuerat, denuo fusam et* B. Limbaniæ, *cum cujus imagine et nomine e fusura prodierat, consecratam fuisse. Hisce addit, illam pulsari solere, dum mare solito magis tempestuosum est, vel navis in periculo submersionis e portu conspicitur, nautasque periclitantes ad illius sonitum naufragio sæpe ereptos fuisse. Auctor anonymus in Notitiis de Beatæ cultu tres inscriptiones profert, in campana ista expressas ; quarum prima est hæc :* MCCLVIII. RESTAURATA TEMPORE SORORIS BIONÆ AN. MDCLXII DIE XX FEBRUARII ; *Secunda :* AVE MARIA S. LIMBANIA ; *tertia :* HOC OPUS REFECIT VINCENTIUS SOMARIPA D. PAULI. *Anno* MCCLVIII , *a quo prior inscriptio incipit, campanam illam primo fusam fuisse suspicor. Laudatus anonymus, qui sub finem seculi* XVI *vel sequentis initium scripsit, se in meliorem statum restituisse ait* B. Limbaniæ *sacellum seu speluncam, ipsius corpore* F *et altari venerabilem, in qua olim vivens delituit, ut rebus divinis unice vacaret. Imprimis solum novo pavimento stratum memorat, dein cæruleo lapidis lazuli colore ac stellis aureis internitentibus fornicem exornatum, ac Cherubinum in singulis ejus angulis, in medio vero positum Spiritum sanctum sub forma columbæ radiis illustratæ; insuper corollas * ex floribus utrumque sacelli latus exornantes, et ab hisce concinno de ligamine pendulum ferreum pectinem, quo beata Virgo carnem suam laceravit ; denique, ut ceterum ornatum sileam, marmor ovi figuram referens in sacelli seu sacræ speluncæ frontispicio locatum, cui hi versus insculpti leguntur :*

* Italice festoni

Limbaniæ si fossa fuit, ubi casta labores
Virginis austeros membra tulere diu ;
Condita marmoreo cum nunc sint ossa sepulcro,
Alta super Christum sydera semper habet.

20 *Nunc iterum citati Vannini verba accipe, quæ ex Italicis Latina feci :* Cum reveren-
dæ

AUCTORE J. L.

Officium proprium a Paulo PP. V concessum monialibus S. Thomæ

dæ Matres monasterii S. Thomæ beatæ Limbaniæ festivitatem in ecclesia sua, ubi sacrum ejus depositum religiose asservatur, ex antiqua et immemorabili consuetudine die XVI Augusti quotannis recolerent; ut majore deinceps solemnitate cum officio proprio et ex auctoritate Sedis Apostolicæ festi istius diei celebrationem continuare possent, per libellum supplicem ad sanctissimum Dominum nostrum Paulum PP. V confugerunt: ex cujus mandato cum sacrorum rituum Congregatio rem mature examinasset, cumque per eminentissimos Cardinales Pinellum felicis memoriæ et Bellarminum Pontifici, quid illa censuisset, relatum esset; facultatem ab eo obtinuerunt, quemadmodum ex Brevi VI Martii anni MDCIX expedito liquet, supra dicto die XVI Augusti recitandi de Beata Officium, quod secundum Breviarium Romanum dicitur in festis Virginum, cum Lectionibus propriis secundi Nocturni a sanctissimo Domino approbatis; quibus Beatæ vita summatim continetur.

B

pro die 16 Augusti; Beatæ festum deinde celebratum

21 *Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, ad* XVI *Augusti habet :* Genuæ, sanctæ Limbaniæ virginis et monialis : *in altero Catalogo Sanctorum Italiæ ad eumdem diem illam elogio ornat ex dictis Lectionibus extracto. In Opere nostro tom.* III *Augusti pag.* 261 *Sanctis ab illo ad alios dies relatis accensetur, idque his verbis, nimium festinanter chartæ et prelo commissis :* S. Limbania virgo... signatur hoc die (XVI *Augusti*) a Ferrario in utroque Catalogo, non recte, cum aliunde constet, annuam ejus festivitatem recoli VI Septembris. *Parcendum et credendum fuerat Ferrario, qui in Catalogo Sanctorum Italiæ post beatæ Virginis elogium diserte testatur, se vidisse* Romæ diploma Pauli V Pont. *anno* 1609 *datum, quo moniales S. Thomæ Officium de Beata impetrarunt pro die* XVI *Augusti. Non solum anno* 1613, *quo Catalogus iste lucem aspexit, sed etiam anno* 1625, *quo alterum suum Catalogum generalem Ferrarius typis publicavit,* B. Limbania, *nisi vehementer fallor, Genuæ in ecclesia S Thomæ eodem illo die colebatur. Is tamen non amplius illi sacer erat anno* 1657, *quando Arturus Gynæceum seu Martyrologium amplissimum sanctarum ac beatarum Mulierum*

C

edidit, in quo ad sæpe memoratum diem ita laudatur : Genuæ in monasterio S. Thomæ, sanctæ Limbaniæ virginis, vita et virtutibus insignis : *tunc enim illius cultus a cœnobio S. Thomæ ad totam diœcesim Genuensem extensus et a* XVI *Augusti translatus erat ad* XVIII *ejusdem mensis, non vero ad* VI *Septembris; quo die non nisi anno* 1676 *coli cœpit ab Ordine Eremitarum S. Augustini. Singula, quæ jamjam asserui, certa esse patebit ex sequentibus.*

die 18 ejusdem mensis per totam diœcesim Genuensem,

22 *Officiis propriis ecclesiæ Genuensis, Stephani Duratii archiepiscopi et S. R. E. Cardinalis jussu recognitis atque anno* 1640 *excusis, præmittitur Calendarium festorum ejusdem ecclesiæ Genuensis; in quo ad* XVI *Augusti legitur :* Rocchi conf. duplex; *dein ad* XVIII *ejusdem :* Limbaniæ virg. duplex. *Hinc eruitur, beatæ Virginis festum posteriori diei affixum fuisse, quod prior duplici Officio S. Rochi esset impeditus. In ipsis Officiis propriis suo loco habetur :* Die XVIII Augusti. In festo sanctæ Limbaniæ virginis duplex. Omnia de communi Virginum. Oratio EXAUDI. Lectiones I Nocturni de Scriptura occurrente. *Post Lectiones et Responsoria secundi Nocturni, post hunc Commentarium edenda, sequitur :* In III Nocturno Homilia in Euang. : SIMILE EST * REGNUM CÆLORUM DECEM VIRGINIBUS, ut in communi Virginum. *Officiis propriis subjiciuntur Sanctorum, qui in diœcesi Genuensi coluntur, annuntiationes ad Martyrologium Romanum adjungendæ et primo loco legendæ; inter quas hanc invenio :* Die XVIII [Augusti] Genuæ, S. Limbaniæ virginis, monastica observantia et gratia miraculorum gloriosæ; cujus Sacrum corpus in monasterio S. Thomæ reconditum summa religione colitur. *Additur etiam Calendarium Sanctorum, qui Genuæ in particularibus ecclesiis cultum obtinuerunt : rursus ad* XVIII *Augusti hic occurrit festum* Limbaniæ virg. cum Oct. *in ecclesia S. Thomæ. Memoria* B. Limbaniæ *in diœcesi Genuensi etiam nunc, opinor, agitur eodem die* XVIII *Augusti. Quia vero in Opere nostro Beata neque isto die data fuit, neque etiam* XVI *Augusti, quo a monialibus S. Thomæ Officio ecclesiastico primum honorari incepit; locus ipsi hic conceditur inter cœlites diei* VI *Septembris, ad quem translatam a die* XVI *Augusti festivitatem ejus totus Eremitarum S. Augustini Ordo ritu duplici nunc celebrat.*

D

* ERIT

E

et 6 Septembris per universum Ordinem Eremitarum S. Augustini;

23 *Cultus* B. Limbaniæ *ad laudatum S. Augustini Ordinem propagatus, et propter festum S. Alipii episcopi, incidens in diem* XVI *Augusti, ad* VI *Septembris dilatus fuit* XI *Januarii anno* 1676 *per sequens decretum sacræ rituum Congregationis, quod R. P. Supprior in Antverpiensi ejusdem Ordinis conventu mihi humaniter communicandum curavit.* Sacra rituum Congregatio ad preces Fratris Josephi Eusanii Aquilani, episcopi Porphyriensis, sacrarii Apostolici præfecti et Sanctitatis suæ confessarii, annuente ipso Sanctissimo *(Clemente PP. X,)* benigne concedit et extendit ad omnes et singulos utriusque sexus sui Ordinis Eremitarum S. Augustini religiosos, tam Fratres quam moniales, in quibuscumque patribus mundi existentes, Officium (et respective Missam) de beata Limbania virgine ejusdem Ordinis S. Augustini, de communi unius virginis, cum supra scriptis, *quæ post hunc paragraphum dabuntur,* Lectionibus et Responsoriis secundi Nocturni, prout olim fel. Recordat. Paulus Papa V monialibus S. Thomæ Januensis præfati Ordinis (ubi corpus beatæ Limbaniæ asservatur) suis litteris in forma Brevis in Sede Principis Apostolorum sub die VI Martii MDCIX concessit et indulsit : et, ut eædem preces continebant, festum dictæ beatæ Limbaniæ celebratur sub ritu duplici die XVI Augusti, impedita alio officio duplici *S. Alipii*, ut prædictum Officium et Missa in memorato universo Ordine S. Augustini ad primam non impeditam, nempe ad diem sextam Septembris transferri, et in Kalendario Breviarii et Missalis Ordinis præfati modo, ritu et forma prædictis apponi et imprimi posse concessit die XI Januarii MDCLXXVI. V. Cardinalis Carpineus. Loco † sigilli. Bernardinus Casalius sac. rit. Cong. secr. Romæ ex typographia reverendæ cameræ Apost. MDCLXXVI.

F

licet Limbania, quam beatam dumtaxat appello,

24 *Martyrologio Augustiniano, quod anno* 1716 *Franciscus Maria de Aste archiepiscopus Hydruntinus ad calcem Romani a se notis illustrati a pag.* 582 *edidit, beata Virgo ad* VI *Septembris his verbis legitur adscripta :* Genuæ in monasterio S. Thomæ, beatæ Limbaniæ virginis Ordinis nostri, admirabili pœnitentia et altissima contemplatione insignis; cujus anima evolavit

AUCTORE J. L.

A lavit ad cœlum decimo nono Kalendas Septembris. *De die emortuali hic determinato agetur in ultima ad Vitam annotatione.* Limbania, *ut num.* 22 *videre est, seculo superiore in ecclesia Genuensi tamquam* sancta *colebatur. Eadem appellatio num.* 14 *et* 19 *ipsi attribuitur in monumentis anni* 1472 *et* 1562. Sanctam *quoque dixerunt auctor anonymus, Ferrarius et præter alios, quos hactenus citavi, Castellanus in Martyrologio universali ad* XVI *Augusti. Vanninus et Martyrologium Augustinianum illam solo* Beatæ *titulo donant. Hunc ego elegi, secutus decretum sacræ rituum Congregationis num. præcedente allatum, in quo* Limbania *ubique* beata *vocatur, et hodiernam Ecclesiæ consuetudinem, quam docet Prosper de Lambertinis S. R. E. Cardinalis, nunc summus Pontifex Benedictus XIV, in præclaro Opere de Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione lib.* I *cap.* 39 *et seqq. Obstupui ad illa decreti memorati et Martyrologii Augustiniani verba, quibus* B. Limbania *Ordinis S. Augustini fuisse asseritur. Augustinus Torellus celeber ejusdem Ordinis*
B *scriptor tom.* 7 *seculi Augustiniani pag.* 612 *de beata Virgine et ejus cultu ad religionem suam per dictum decretum propagato ita meminit, ut simul non obscure insinuet, illam monialem Augustinianam non fuisse; cum ibidem religiosas virgines Benedictinas cœnobii S. Thomæ, in quo* B. Limbania *vitam monasticam egit, anno* 1509 *S. Augustini regulam et habitum assumpsisse narret.*

professa fuerit regulam

25 *Citat laudatus Torellus alterum sui Ordinis scriptorem eruditum Thomam de Herrera in Alphabeto Augustiniano tom.* I *a pag.* 324; *ubi hæc lego:* Genuense *monasterium* S. Thomæ, sub cura et regimine archiepiscopi Genuensis, olim sub regula S. Benedicti militavit, et tunc temporis Limbaniam virginem sanctissimam protulit: nunc Eremiticum D. Augustini institutum observat. Hæc mutatio, ut ab ipsis sanctimonialibus audivimus, an. MDIX contigit. *Fatetur hic Thomas de Herrera, non modo cœnobium S. Thomæ ante annum* 1509, *sed etiam* B Limbaniam *Ordinis S. Benedicti fuisse; quod sincerus iste scriptor tom.* 2 *Alphabeti pag.* 6 *aperte quoque declarat.* S. Limbania, virgo et
C monialis, in vita et in morte urbem Genuensem reddidit illustriorem. Quo anno obierit, aut qua tempestate floruerit, non potui investigare. Hoc unum in novo Cathalogo Sanctorum F. Philippi Ferrarii reperi sub die XVI Augusti: " Genuæ, " S. Limbianiæ virginis et monialis " et in notis ad ea verba: " Ex tabulis et monumentis cœno- " bii S. Thomæ, ubi illa vixit et condita est: " cujus Lectiones Romæ a sacra rituum Congre- " gatione approbatas legimus sub Paulo V Pon- " tifice maximo ". Fit de ea Officium ecclesiasticum, et in ejus honorem habetur Genuæ solennis processio in festis Penthecostes.

S. Benedicti in monasterio S. Thomæ, quod olim abbatia fuit.

26 Credidere nonnulli eam fuisse Augustinianam, quia ejus exuviæ depositæ sunt in monasterio S. Thomæ, cujus alumna olim fuit; illud autem est Ordinis Eremitarum S. Augustini. Cæterum curiosius indagata veritate invenio Limbaniam fuisse Benedictinam, antequam cœnobium S. Thomæ ab institutis D. Benedicti ad regulam et Ordinem S. Augustini transiret. Id notatum volui, ne quis vano aliquorum rumore decipiatur, et alienos fœtus fœcundissimæ matri supponat. *Hisce addo, quod Petrus Margiano Savonensis, uti auctor anonymus infra apud nos capite* I *miraculorum num.* 21 *narrat, coram notario Raphaële Vacca et testibus anno* 1359 *Margaritæ da Mare* abbatissæ *monasterii S. Thomæ asseveraverit, sibi graviter ægrotanti, mentis tamen compoti,* B. Limbaniam in habitu Ordinis S. Benedicti *apparuisse et pristinam valetudinem restituisse. Uti Margaritam da Mare, ita et ceteras cœnobii S. Thomæ præfectas anonymus in Beatæ Vita et miraculis antiquioribus* abbatissas *ubique vocat. In Lectionibus* B. Limbaniæ *gesta enarrantibus, quæ mox dabuntur et ab Augustinianis utriusque sexus religiosis nunc recitantur,* abbatissa *etiam vocatur ejusdem cœnobii superior, sub qua beata Virgo religiosam vitam incepit et sancta morte finivit. Præterea in litteris anni* 1472, *quas § præcedente retuli, memoratur* Juliana Grilla abbatissa monasterii S. Thomæ. *Hinc ulterius cognoscitur idem monasterium fuisse abbatiam, dum a benedictinis monialibus incoleretur ante annum* 1509, *quo Augustiniarum virginum conventus esse cœpit sub regimine priorissæ.*

VITA

E

Ex Officio, quod Paulus PP. V die 6 Martii anno 1609 approbavit a.

a

Ut votam virginitatem servet, parentes deserit, et ex Cypro, Deo factum tribus

Lectio IV. Limbania virgo sanctimonialis, in insula Cypro nobilibus ac opulentis parentibus orta, cum pari corporis atque animi pulchritudine floreret, ne domesticis illecebris ac parentum blanditiis ad matrimonium contrahendum alliceretur, et fidem virginitatis servandæ Christo datam violaret; verbis Psalmistæ permota: " Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam, " et obliviscere populum tuum et domum patris " tui, et concupiscet Rex speciem tuam ", divino Spiritu afflata, duodecim tantum annos nata, patria deserta, quocumque eam Spiritus sanctus duceret, sequi deliberat. Itaque navem Genuensem nacta, Cypro solventem, sola F nutrice ac nutritio consciis comitibusque, secreto illam conscendere parat, Genuamque deferri. Quod consilium in honesta puella insolitum, et forte inauditum, Deus triplici miraculo comprobavit: nam cum nauclerus, contra fidem datam relicta in insula Virgine ac sociis, secundo vento solvisset; ad solis occasum in medio cursu, expansis velis, derepente tam firma navis constitit, ut nec iter prosequi posset, nec loco moveri, acsi radicibus altissimis fixa esset. Hujus insoliti eventus causas cum mirabundi nautæ secum quærerent; tandem gubernator navis, recordatus promissi non servati Limbaniæ, in eam cogitationem venit, nolle Deum, ut Limbaniam in insula mœrentem desereret. Quare in portum regressus, in terram desiliens, Virginem adit, in vicina silva, optime sibi nota, cum nutrice latitantem; ad cujus pedes plurimas feras silvestres prostratas, eamque vestis lambentes intuetur: cujus novitatis aspectu Virginis sanctitatem colligens, veniam postulat, eamque lætissimo vultu ad navem cum sociis deducit, hisce Vectoribus quam mercibus jucundior.

℟ Fallax

A ℟. Fallax gratia et vana est pulchritudo. * Virgo timens Deum ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. Virgo.

miraculis approbante, Genuam aufugit : ubi in monasterio S. Thomæ religiosissimam b

2 Lectio v. E portu illico solvens gubernator brevi dierum intervallo, sereno cælo, vento secundo, tranquillo mari, felicissimo cursu Genuam devehitur; et in portum penetrantes nautæ vela demittunt, anchoram jaciunt *b*, et clavo eam ad stationem torquere contendunt; sed frustra: concito enim cursu ad scopulos adversos impellitur. Quo perspecto, cum omnes vociferarentur, ac se perditos in portu misere deplorarent; excitata clamoribus Limbania nautas, quo in loco sint, percunctatur: a quibus ubi accipit, in portu et scopulis monasterii S. Thomæ navim hærere; Bono animo estote, inquit, hic finis est itineris mei. Sinite me in terram descendere: consignate me monialibus: in quarum cura reliquum vitæ meæ tempus sum traductura. Quod ubi factum est, sine mora, sine cujusquam industria, divina vi in contrariam partem prora convertitur, atque ad solitam navium stationem defertur *c*. Limbania post gratias Deo actas, c
B quod incolumis ad optatum locum pervenisset, ad conspectum abbatissæ deducta obnixe postulavit, ut apud illam sibi vivere liceret; cum ab infantia virginitatem Deo voverit, et eo consilio, patria parentibusque desertis, Genuam per tot maria commearit. Illa vero pulchritudinem ac prudentiam Puellæ admirata, cognitis etiam ex nauclero, quæ Cypro solventi contigerant, ac viso recenti miraculo, in omnium oculis edito, Dei bonitate celebrata, quod tanto thesauro monasterium suum cumulasset, Limbaniam complexa, incredibili omnium monialium consensu eam suscipit, nec multo post monastico habitu ornat; et, peracto probationis tempore, juxta canonicas sanctiones illam ad professionem admittit: tantumque in virtute profecit, ut brevi ceteris omnibus norma fieret religiose vivendi.

d ℟. Fossam *d* sibi delegerat Limbania sub ecclesia, in qua dies noctesque non cessabat * A colloquiis divinis et contemplatione. ℣. Oculis ac manibus in cælum semper intentis invictum ab oratione spiritum non relaxabat. A colloquiis. C

singulari cum austeritate vitam agit, qua cælesti luce perfusa defungitur.

3 Lectio vi. Interim advertit Limbania, sub ecclesiæ pavimento fossam latere, arctiori vitæ et cælestium rerum contemplationi percommodam; eamque illico a præfecta monialium impetrat: ubi semel tantum in die comedens, ab esu carnium et vini potu omnino abstinebat, magnam diei partem totamque noctem insomnem, in sacrorum librorum lectione et divinarum rerum tractatione deducebat, ac pectine *e* e ferreo membra lacerando carnem spiritui subjiciebat. Demum divino plane privilegio eo deducta est, ut nullo humano cibo, sed cælesti tantum pabulo vesceretur, quod ex sacra Synaxi et oratione assidua capiebat. In his religiosis exercitationibus cum plurimos annos monasticæ vitæ insumpsisset Limbania; cupiebat ardentissime corporeæ molis vinculis dissolvi, et esse cum Christo: tantamque maciem et pallorem contraxerat, ut solo spiritu vivere videretur. Quare diem optatum sibi imminere præsentiens, quo ad immortalem vitam erat evocanda, majori contentione afflictatione corporis et orationi vacabat, Unde accidit, ut abbatissa, divino impulsu adducta; ad eam visendam certa die cum venisset, locum maxima luce undequaque circumfusum invenerit; quæ et oculorum aciem retundebat, et ab ingressu cellæ corpus arcebat. D Accurentibus ceteris Sororibus, post multam horam, ubi insolitus ille splendor abiit, cellam una omnes ingressæ, corpus Virginis, orantis specie, genibus complicatis, erecta cervice, extensis in altum manibus repererunt; exanime illud quidem, sed tepefactum adhuc, ut intelligi posset, ejus animam paulo ante, divino illo splendore ornatam, ad cælestem beatitudinem evolasse. Demortuæ Virginis sanctissimum corpus linteis obvolvunt, hymnos psalmosque ex Christiana traditione decantant, in feretro collocant omnibus conspiciendum ac exosculandum (suavissimi enim odoris fragrantiam emittebat, aspectuque jucundissimo cunctos alliciebat,) *f* luce insequenti, quæ fuit f decima septima dies Augusti, cum religiosa pompa sepeliendum.

℟. Jejunio corpus affligens carnem spiritui subjiciendo, in cælestium rerum meditatione defixa * Deum rogabat, ut se ex illo mortali corpore liberaret. ℣. Pectine ferreo pectus lacerans gemebunda Deum rogabat. Gloria Patri. E Deum rogabat.

ANNOTATA.

a *Lectiones et Responsoria secundi Nocturni, quæ hic eduntur pro Vita* B. Limbaniæ, *habentur in Officiis propriis ecclesiæ Genuensis anno* 1640 *excusis ad* 18 *Augusti, et in hodierno Breviario Ordinis Eremitarum S. Augustini ad* 6 *Septembris: illa autem partem esse Officii a Paulo PP. V approbati, me docuit decretum sacræ Congregationis rituum, quod in Commentario prævio num.* 23 *dedi.*

b *Neque noster anonymus neque Vanninus in Beatæ Vita nautas anchoram jecisse dicunt; sed navim, cum post vela contracta anchoram jacere vellent, magno impetu in scopulos maritimi monasterii S. Thomæ abreptam fuisse.*

c *Quæ de* B. Limbania, *priusquam vitam monasticam amplecteretur, in hac et priore Lectione narrantur, magis miror quam credo ob auctoritatem non satis gravem biographi, e quo illa primum accepta fuere. Vide Comment. num.* F 6, 8 *et seqq.*

d *De fossa seu spelunca, in qua beata Virgo reliquum vitæ tempus in assiduis virtutum exercitiis sanctissime transegit, atque ejus corpus depositum et singulari in veneratione habitum fuit, legi possunt dicta in Comment. num.* 12 *et* 13, *ac dicenda post caput* I *miraculorum in annotatione ad litteram* d

e *Instrumentum, quo* B. Limbania *suum corpus cruciabat, erat pecten, oblongis acutisque ex ferro cuspidibus denso ordine eminentibus instructus, quo linum carminatur; nam Italice vocatur* pettine di lino *in Vita Ms. cap.* 12, *in cujus titulo anonymus illius auctor his verbis utitur:* Quare Beata, uti post mortem ejus semper factum fuit, ita et nunc soleat depingi, manu tenens pectinem ferreum, quo linum discriminatur. *Hinc innotescit,* B. Limbaniam *a pictoribus ita repræsentari consuevisse, quod vivens in membra sua virginea dicto instrumento sævicrit.*

f *Quæ hic parenthesi includuntur, sensum perficiunt in Breviario PP. Augustinianorum, in quo sequitur:* Quod luce insequenti, quæ fuit

A fuit decima sexta dies Augusti, cum religiosa pompa sepultum est. *Hinc consequitur, ut B. Limbania obierit 15 Augusti. Ad diem sequentem Beatæ mors differtur in Lectione 6 hic edita, quæ est Officii ecclesiæ Genuensis; nam altera post obitum ejus dies ibi dicitur fuisse 17 Augusti. In Martyrologii Augustiniani annuntiatione, quam in Comment. num. 24 integram dedi, de beata Virgine ad 6 Septembris asseritur :* Cujus anima evolavit ad cælum decimo nono Kalendas Septembris, *id est, 14 Augusti. Secundum Vanninum cap. 17 et 19 emortualis Beatæ dies is fuit, quem assignat Breviarium Augustinianum, cum ejusdem Ordinis Martyrologio non cohærens. Nullum mortis diem determinat Vannino antiquior anonymus in Vita Ms. ; neque aliquem cum fundamento determinari posse arbitror.*

MIRACULA

B Ab auctore anonymo in fine seculi XVI vel initio sequentis *a* collecta,

Et ex Ms. Italico Latine reddita, interprete Joanne Limpeno.

CAPUT I.

Miracula et beneficia facta usque ad annum 1359.

Abbatissæ revelat arcam marmoream, in qua corpus suum vult deponi.

Si summus ac vivens Deus hic inferius in terra honorare velit Sanctos suos, quorum mors, ut David loquitur, ipsi adeo pretiosa est et chara, mirum non est, illum etiam sepulturæ eorum prospicere : cum legamus de S. Catharina virgine, quod ab angelis *b* in montem Sinaï C portata atque ibi sepulta fuerit. Beata igitur virgo Limbania post gloriosum suum transitum abbatissæ in somno apparuit, dicens : Hoc mane tempestive surge, et vade ad littus maris ; quoniam ibi invenies monumentum marmoreum *c*. Illud tolli et me in eo sepeliri curabis. Ad quas voces excitata abbatissa, convocavit omnes Sorores, ac, narrata visione, cum ipsis se contulit ad littus ; et quam mox pulcrum monumentum marmoreum repererunt : et cum gaudio istud accipientes ad ecclesiam iverunt, ac Beatæ sepulturam ordinarunt.

Divinitus puniuntur Beatam contemnens

2 Postquam abbatissa et moniales secundum habitam visionem, spirituali cum lætitia, benedictum istud sepulcrum invenissent et ad ecclesiam tulissent, ut postea solemniore et exquisitiore pompa majoreque reverentia ac honore corpus charæ et dilectæ virginis Limbaniæ intra illud deponerent; dum locus sepulturæ aptabatur ac præparabatur, unus ex operariis, qui terram fodiebant, Beatam irrisione contempsit, ut facere solet, cui exiguus est Dei timor, quique ipsum et Sanctos parum curat. Et ecce os ipsi in circumstantium conspectu ad aures usque distorquetur : qua re attonitus operarius peccatum suum animadvertere cœpit, et coram omnibus illud confessus, Virginis fossam *d* accessit, atque humi prostratus cum gemitu et lacrymis a Deo veniam petiit, opemque B. Limbaniæ imploravit; et subito os rediit ad debitum locum.

A. ANONYMO.

et irreverens in loco sacro ; at pœna inflicta illius ope liberantur ;

3 Patrati miraculi fama per civitatem mox divulgata, omnis populus eo concurrit, viri et mulieres, senes et juvenes, magni et parvi, divites et pauperes, verbo, omne hominum genus. Qui vero non vult intelligere, quantus Deo sit zelus ecclesiæ, quæ domus orationis vocatur, attente perpendat singula, quæ jam narrantur. Accidit igitur, ut etiam juvenis quidam venerit ad ecclesiam S. Thomæ non ex devotione, sed solum formosas mulieres aspiciendi causa. Interim dum ibi stabat oculis in eas defixis; ecce corpus ejus ad tantam crassitudinem intumescere cœpit, ut cum illo simul omnes obstupescerent : cumque vellet ecclesia egredi, nullo modo poterat. Neque subsidium, quod a multis ipsi ferebatur, quidquam effecit, nisi ut corporis crassitudine eo magis retro ageretur, quo majore conatu exitus tentabatur. Juvenis E itaque ad se rediens et dilectum suum agnoscens, sacerdotem confessarium postulavit, cui cum contritione cordis omnia peccata sua aperuit ; et post confessionem magna cum reverentia et lacrymis se ad Virginis feretrum inclinavit : cumque a Deo veniam et ab illa auxilium rogasset, statim a tumore corporis liberatus fuit. Utinam simile quid nostris aliquando contingeret temporibus, ut cessarent tot scelera et impudicæ actiones, quæ absque ullo Dei timore in ecclesiis sæpissime cernuntur committi. Quoniam alterius pœna nobis ad cautelam et medicinam sit oportet; omnis, qui hoc legit et audit, advertat quid agat ne bonorum morum disciplinam relinquens, ignominiam incurrat perpetuo erubescendam.

quam etiam experitur femina, cujus mamillam invaserat cancer.

4 Nobilis cujusdam feminæ mamillam invaserat cancer, qui illam gravibus doloribus affligebat : unde cum percepisset a medicis desperatam esse sanationem mamillæ, nisi hæc tota absinderetur, magno horrore perculsa fuit. Quapropter magna cum fiducia ad B. Limbaniam confugit, orans, ut per ejus merita a talibus angustiis liberaretur. Res mirabilis ! tota illa nocte nullum sensit dolorem. Mirabunda expectavit donec lucesceret : tollensque mane fascias, quibus affecta mamilla obvolvebatur, hanc sanam invenit, quasi nihil mali umquam habuisset; et acceptum beneficium agnoscens, gratias Deo egit, et gloriosam Sanctam, cujus meritis sanata fuerat, visitavit. F

Sanctitas ejus illustri probatur miraculo, cujus memoria agitur die, quo accidit.

5 Anno MCCCXCIV sacerdos quidam, cui nomen Obertus de Noli *, ecclesiæ S. Thomæ sacellanus, cum aliquando devotionis causa honoratis quibusdam feminis et aliis in eadem ecclesia, ubi B. Limbaniæ corpus quiescit, congregatis sacrum ejus caput monstrare atque osculandum præbere deberet; cumque hoc illicitum judicaret, quod non sciret eam umquam canonizatam fuisse; dictum caput exigua admodum cum reverentia (dubitabat enim de B. Limbaniæ sanctitate) in manus accepit, atque illud portans ab altari majore usque ad medium ecclesiæ, tum ut populo conspiciendum tum etiam ex devotione exosculandum daret; Deus valde insigni et scitu digno miraculo Virginis sanctitatem demonstravit : nam sacrum istud caput

* Vanninus da Noli

A. ANONYMO. put evolavit ex sacerdotis istius manibus, et ad majorem, a qua fuerat sublatum, aram perrexit, ibique substitit: ad quod miraculum omnes circumstantes hæserunt attoniti. Nec diu post ecclesia impleta fuit populo, lætitiam, admirationem, venerationemque, qua beatam Virginem prosequebatur, tantis acclamationibus testante, ut tandem necesse fuerit constituere, ut in memoriam hujus miraculi Beatæ festivitas solemni cum supplicatione *e* celebraretur eo, quo illud factum erat, die. Incidit hic in Feriam tertiam Pentecostes, qua singulis nunc annis agitur eadem festivitas. Miraculum istud in curia archiepiscopali testata fuit priorissa monasterii S. Thomæ, quæ simul cum monialibus et populo præsens adfuit, et domna Franceschetta Imperiale vocabatur. Porro sacerdos contrito animo dubitationem et irreverentiam suam publice confessus est, et ab eo tempore in sanctam Virginem piissimus semper fuit.

Puer sanitatem recuperat potu vini, quo fuerat ablutum Beatæ caput;

6 Degebat Genuæ medicus magni nominis, dictus magister Nicolaus, qui filiolum habebat gravi morbo oppressum. Cum vero sanitatem ipsi restituendam desperaret, id indicavit uxori: et ambo, ut in B. Limbaniam pii erant, devote se ipsi commendarunt, filioli salutem efflagitantes. Beata igitur Virgo nocte se videndam præbuit dormienti matri, dicens: Noveris me esse virginem Limbaniam, quæ tui filioli misereor. Tu vero surge summo mane, ac monasterium S. Thomæ adi, et roga, ut caput meum abluatur vino, quod dein filiolo tuo ad bibendum dabis. Atque ita tribus vicibus B. Limbania easdem voces repetens matri apparuit; quæ cognoscens se illusione non decipi, non amplius cunctandum censuit: cumque surrexisset, ad monasterium contendit, et, quemadmodum ipsi in somno a beata Virgine fuerat injunctum, ut sacrum caput vino lavaretur, effecit, ac filiolo inde bibendum tradidit. Qui statim atque gustavit, non sine miraculo sanus est inventus, et cum patre ac matre ad monasterium venit, gratias Deo agens, et quid sibi per merita sanctæ Virginis accidisset, enarrans *f*.

f quæ naufrago succurrit, * *Idem da Recho*

7 Cum quidam, nomine Martinus de Recco *, navi, qua ipse cum multis aliis vehebatur, submersa, manifestum, in quo versabatur, vitæ discrimen cerneret, et B. Limbaniæ, cui devotus erat, reminisceretur, ejusque opem imploraret; Ecce illa prope conspecta fuit, capillis periclitantem arripiens et leniter ad littus trahens.

et capto a Mauris libertatem reddit.

8 Joanni cuidam, a Mauris capto et in carcerem conjecto, in memoriam rediit B. Limbania, et ejus patrocinio devote se commendavit; cui illa subito apparens, dixit: Noli timere; et solutum vinculis deposuit per fenestram, eumque incolumem ac securum dimisit. Hic postmodum beneficii memor ad ecclesiam S. Thomæ venit, gratias acturus Deo, qui per sanctæ Virginis intervenientis merita libertatem ipsi restituerat.

Ex visione ejus virginitas, de qua dubitabatur, innotescit. *g*

9 Quædam dicti monasterii priorissa, licet in B. Limbaniam pia esset, dubitabat tamen de ipsius virginitate, dicens: Qui scimus eam esse virginem? Quadam vice illi dormienti visa est de pectore suo exire schedula, in qua legebantur hæ voces: SANCTA LIMBANIA VIRGO ET MARTYR *g*. Expergefacta dubitationem suam et habitam in somno visionem palam fecit, et semper Beatæ devota permansit.

Opitulatur paralyticæ,

10 Nobilissimam matronam ex Francia diu afflixerat paralysis; cumque præ morbi et doloris nihil remittentium molestiis, quid consilii caperet, nesciret; B. Limbania ipsi in somno se videndam obtulit, dicens: Vin tu sanari? Libentissime, respondit illa. Eja ergo, reposuit beata Virgo, Genuam proficiscere, atque ibi invenies monasterium S. Thomæ Apostoli, in quo corpus meum quiescit in monumento marmoreo. Super hoc te prosterne, et sanaberis. Venit; fecit, ut erat injunctum; et mox convaluit, egitque Domino gratias, qui tanto eam beneficio per merita suæ Sanctæ afficere dignatus fuerat.

periclitantibus h * *Idem da Monaco i*

11 Anno MCCCXXXIX *h* die XXII Aprilis, quidam, cui nomen Ugo de Monico *, stans Savonæ *i* in littore maris, e longinquo naviculam in magno, ne submergeretur, periculo conspexit: unde commiseratione motus cymbam instruxit et suppetias illi laturus accurrit, ac tres homines ab interitu servavit. Sed tanta deinde orta est tempestas et procella, ut non longe abesset, quin omnes perirent. Cumque subsidium conclamarent, nec ullum adferretur; sancta Limbania dicto Ugoni in mentem venit: qui dum alta voce eam in auxilium invocat, ecce plana in mari sternitur via, qua cymba tutissime transire poterat, etiamsi reliquum mare continua procella agitaretur. Atque ita brevi tempore via ista ad portum pervenerunt, et Deo gratias acturi beatæ Virginis sepulcrum adierunt.

in mari * *Idem de Camogli k* * *Idem Bonagiunta l*

12 Anno MCCCXXXIX, die VIII Decembris, navi Nicolai Camogli *, qua Maximus *k* di Bonagionta * Genuensis vehebatur, supra promontorium Charidemum *l* duobus a littore milliaribus contrarii venti in brevia scopulosa impulerunt: eaque penitus conquassata ac disrupta, naufragi necessitate ducti in mare se conjecerunt. Dictus vero Maximus, qui plures viderat pereuntes, et postremus in fragmine navis constiterat, tandem etiam vi adversæ tempestatis coactus mari se immisit: ac cernens se natando mortem non evasurum, B. virginis Limbaniæ memor factus, ejus apud Deum pro sua salute preces efflagitavit. Res admiranda! subito in tenebris (nox enim jam advenerat) in oculos ipsius incurrit domuncula lignea *m* cum lumine; cui ille adhærescens, paulatim sanus et incolumis in littus ejectus fuit, et postmodum corpus beatæ Virginis visitatum venit.

et mulieri, quam spina nervo pedis infixa graviter cruciabat: n

13 Eodem anno Aquis Statellis *n* mulier quædam, uxor Ottonis Stanga, cum fila duceret, vestigium impressit spinæ acutissimæ, quæ nervo pedis infixa tantis illam cruciatibus afflictavit, ut, neque medicis neque medicinis ei quidquam solatii adferentibus, vehementia dolorum et accedentibus nervorum convulsionibus quasi emoreretur. Tunc vicina quædam, rerum Genuensium gnara, illam exhortata fuit, ut se Sanctæ commendaret. Quo facto, coram omnibus illico in somnum incidit: dein paulo post expergiscens se a doloribus omnino liberam comperit et sanam.

desperantem mercatorem ad spem excitat, et desideratam ei pecuniam procurat:

14 Mercator familiæ sustentandæ onere prægravatus, domum suam summo licitatori publice vendere decrevit, ut pecunia inde accepta negotiari suamque familiam alere posset. Qui domum auctioni subjectam emit, se pretium ejus determinato die soluturum pollicitus fuit. Cum Mercator, qui in id consenserat, constitutum solutioni faciendæ tempus avide exspectaret, consanguineus uxoris ejus, cujus doti periculum ipse timebat, emptori persuasit, ne statuto

A tuto die pecuniam traderet. Hinc emptor eam solvere detrectans, cum moneretur, bona verba dabat, neque creditor urgens, ut in necessitate sibi succurreret, quidquam obtinere poterat. Quamobrem postquam nocte quadam de lecto surrexisset, domum perambulabat, Diabole, inquiens, tu mihi sis auxilio, cum Deus me adjuvare nolit. Hæc inter illi Femina, habitu monastico induta et manu crucem gestans, in gradibus occurrit; quæ, manu ejus fortiter apprehensa, dixit : Fili, noli timere, neque in tantam desperationem te abripi sine. In Deo ejusque Matre fiduciam colloca, et juvaberis. Mercator stupore simul et terrore perculsus interrogavit, quænam esset. Respondit illa : Sum sancta Limbania virgo. Subjunxit alter : Ubi est ecclesia vestra et altare? Cumque intellexisset esse in monasterio S. Thomæ, seque debere toto vitæ suæ tempore animam Deo commendatam habere; rediit in lectum et placidissime dormivit. Postridie mane aliquis comparuit, qui quis fuerit, numquam innotuit, dixitque præconi, qui do-
B mum auctione vendiderat : Ecce ego hoc jam momento promissum domus pretium parata pecunia solvo. Cum ille interim hæreret incertus animi quid faceret, quod domus in auctione alteri licitatori addicta esset; en ipse supervenit illius emptor, qui videns ab alio offerri ejusdem domus pretium, pudore suffusus statim pecuniam debitam mercatori numeravit. Hic vero animi ægritudine plurimum relevatus se contulit ad ecclesiam, et monstratis nummis, quid sibi evenisset, palam cuique enarravit.

perversionis periculo liberat et parentibus restituit filium fugitivum.

15 Odo di Parma * ludimagister filium habebat, qui certa de causa Genua Cellas *o* versus aufugit; et cum sene *p* in via invento, qui eum a semita virtutum omni modo abducere conabatur, iter suum prosecutus est. Patrem discessu filii mœrentem mater hortabatur, ut se Deo et beatæ virgini Limbaniæ commendaret. Cum ille filium insecutus Vulturum fessus adventasset, in cauponam divertit : ubi duo juvenes, causa itineris ejus intellecta, ultro obtulerunt, ad puerum et senem, qui illum perdere meditabatur, assequendum se præituros : qui cum puerum nacti essent, senex momento ex oculis evanuit.
C Patri prægressos interim juvenes secuto obviam venerunt duo armis instructi; qui dixerunt, ut metum omnem deponeret, quod filium cum duobus juvenibus sanum et salvum vidissent. Pater iter accelerans filium cum illis reperit; atque omnes postea ad monasterium S. Thomæ venerunt, Deo gratias acturi.

* *Idem* da Parma

o

p

Auxilium ejus implorat et impetrat soror fratri, cui manus fere erat abscissa,

16 Fratri dominæ Araonæ Perona manus tam graviter læsa fuit, ut sola pelle brachio adhæreret. Medicis plagam istam mortiferam, manum vero procul dubio perditam asserentibus, illa devote ad B. Limbaniæ patrocinium confugit pro salute fratris obtinenda : cui cum nocte quadam assisteret, vigilans intuita est spectabilis formæ Feminam in habitu monastico, quæ dixit : Hic sanabitur; et confestim cubiculo exivit. Quod illa cernens ancillam somno excitavit et simul cum ea totam domum perlustrare cœpit, num monialem alicubi conspicaretur. Cum nullam inveniret, exclamavit, eam, quam viderat, certo fuisse S. Limbaniam. Tribus vero inde elapsis diebus, frater mortis periculum evasit, atque intra mensem et medium manus ejus integre sanata fuit.

17 Mulier quædam, Joanna nomine, duas habebat filias, quarum altera alteri, quacum rixabatur, faciem ab ore usque ad oculum tanto vulnere perforavit, ut chirurgi affirmarent, læsam esse in periculo oculum amittendi. Mater B. Limbaniæ apud Deum patrocinio filiam commisit, pium aliquod opus vovens, et trium dierum spatio sanitatem recepit. At illa votum nuncupatum non solvente, oculus denuo ita intumuit, ut chirurgi assererent, iterato filiam versari in periculo oculum perdendi; quam proinde mater, voti non impleti recordata, rursus B. Limbaniæ commendavit cum animo sancte præstandi, quod voverat : unde et hæc exaudita et illa intra triduum secundo sanata fuit. Voto liberata mater et peccatum suum publice confessa, Deo gratias egit; et deinceps semper Sanctæ devota fuit.

A. Anonymo.

ac mater filiæ graviter vulneratæ et bis indiscrimen oculum perdendi adductæ.

Malum, quo femina palpebram oculi affectam habebat, tollit,

18 Domina quædam, cui nomen Catharina, coram vicario sequentia juramento asseveravit. Erat ipsi alterius oculi palpebra malo aliquo affecta; quo ne totus oculus operiretur, subverita, ad B. Limbaniæ, a qua multa sibi beneficia collata fuisse credebat, auxilium recurrit, atque ejus altare adivit, quod plenum rosis invenit; unamque ex iis, quæ de altari deciderant, ac- E
ceptam cum fiducia oculo applicuit. Cum per tres dies eum rosa ista tetigisset et confricuisset, in manu reperit pustulam, similem grano cocci, ex oculo delapsam : qui postquam nonnullas etiam lacrymas emisisset, integræ restitutus est sanitati, quam et retinuit.

se invocantis navim hostium manibus eripit,

q

19 Coram vicario etiam Paulus de Fronti jurejurando interposito ista affirmavit. Navim Mauri Grillo, qua ipse et alii vehebantur, aggressa fuerat altera Catalanorum *q* navis, cui illa viribus inferior resistere non poterat. Paulus accepto vulnere et viso periculo, ne a Catalanis caperetur, ad B. Limbaniam confugit : qua invocata, sociis animi redierunt, seque hostium manibus eripuerunt : et licet navis littori impacta fuerit, omnes tamen salvi evaserunt; ille vero ex vulnere convaluit.

et moribundo apparet, qui subito sanatur : miracula ejus anno 1544 approbantur.

20 Quidam, nominatus Raphaël Lunone, gravissimo morbo correptus et a medicis derelictus, per quindecim dies nec cibum nec potum ullum sumere potuit : cui ad extrema perducto, non tamen sensibus alienato, apparuit monialis, quæ totum ipsius corpus tetigit, atque ita eum al-
F locuta fuit : Age, fili, fac votum B. Limbaniæ, atque omnibus prædica, quod illa morbo te liberaverit. Fecit hæc Raphaël; nuncupato voto, pristinam valetudinem recuperavit; de lecto surrexit et per domum ambulavit. Frater, qui ægrum cum cruce ad caput decumbentem reliquerat, et pannum nigrum, quo ejus corpus secundum loci consuetudinem post mortem tegeretur, procuraturus exiverat, reversus, atque ipsum inveniens extra lectum, admiratione constitit stupefactus : cumque fratrem interrogasset, quomodo surrexisset; rem omnem ab illo edoctus fuit. Tum uterque, cognito miraculo, gratias Deo egit. Hæc dictus Raphaël anno MCCCXLIV, mense Julio, in curia archiepiscopali ex mandato vicarii testatus fuit.

Omnia hactenus narrata miracula per dominum Fredericum di Molognio canonicum et vicarium archiepiscopi, ad instantiam Joannis Casasco, qui tunc erat dicti monasterii syndicus, examinata et correcta fuerunt; publicumque de iis instrumentum anno MCCCXLIV die XIX Novembris confectum fuit manu Antonii Piloso de sancta Victoria notarii publici *r*.

r

21 Anno

A. ANONYMO. *Periculose ægrotantem mira visione recreat B. Limbania, cujus nomini sacellum exstruitur:* * *Idem* Marciani s

21 Anno MCCCLIX venit ad memoratum monasterium, et coram notario ac testibus abbatissæ (erat hæc Margarita da Mare, notarius vero Raphaël Vacca) Petrus Margiano * Savonensis affirmavit, sibi in loco Lusitaniæ, Altavilla dicto, graviter ægrotanti et a medicis desperato, mentis tamen compoti, apparuisse monialem in habitu Ordinis S. Benedicti *s*, sibique dixisse : Nolito timere, quia ex hoc morbo non morieris; at mihi promittito, te, sanitate recuperata, nudis pedibus et linteo panno indutum, ecclesiam meam reverenter aditurum et ad altare meum lumina accensurum. Dein sibi visus fuit manu apprehendi et conduci per planitiem viriditate amœnam, in qua suavissimos cantus audivit, atque inter progrediendum dixit : Domina, mihi ista referenti nemo credet. Tunc illa signum ipsi dedit, pectori imponens palmam manus, cujus formam ei impressam reliquit. Insuper ipsi tradidit pectinem cum funiculo albo, atque alterum pectinem sibi retinuit. Quam visionem cum Fratri Petro ex Ordine S. Francisci enarrasset, ex ipso intellexit,
B sibi apparuisse S. Limbaniam. Hoc miraculum ubique postea divulgavit Frater Petrus : unde multi prædictum Petrum Margiano accesserunt, visuri signum manus pectori ejus impressæ. Dominus vero Lanzalottus * Pesagno, classis regiæ præfectus, sacellum B. Limbaniæ nomini exstruendum curavit *t*.

* *idem* Lancellottus t

ANNOTATA.

a *Unde anonymi ætatem hic expressam didicerim, in Comment. num.* 3 *indicavi. In miraculis Latine reddendis eam fere, qua Italice ab ipso scripta fuerunt, styli simplicitatem studiose retinui, ut interpretationis fidelitas lectori minus suspecta esset. Si unam subinde periodum in duas vel plures, adhibitis aliis interpunctionibus, diviserim, et orationis membra paulo aliter construxerim, nonnullis hinc inde vocibus adjectis, vel suppressis; eo isthæc concilio feci, ut, salvis rerum substantia et adjunctis, obscuritatem ambiguitatemque tollerem aut minuerem, eosque, quos præ ceteris respuit Latinus sermo, defectus evitarem.*

b *Hoc et alia multa, quæ creduntur de S. Catharina virgine et martyre, ad diem* 25 *Novembris, quo in Ecclesia colitur, discutientur.*

C c *Anonymus miraculorum collector nonnulla huc spectantia observavit, quæ lectori communico. In templo S. Thomæ subter altare sacelli,* B. Limbaniæ *dedicati, sacra hujus ossa asservari ait in eodem marmoreo, de quo hic agitur, condita monumento. Hoc autem primum et unicum sepulcrum fuisse censet, quod Beatæ corpus exceperit. Illius magnitudinem his verbis describit* : La misura di esso (sepolcro marmoreo) e di longhezza pari 4, di alt^a^ p^i^ 2½, di larghezza p^i^ 2. *Quid significat illud* pari? *An ita vitiose scriptum fuit pro* piedi, *ut sensus sit, sepulcrum istud longum esse pedibus* 4, *altum* 2½ *et latum* 2? *Utut sit, non satis amplum erat, ut* B. Limbaniæ *recens defunctæ corpus caperet, vel ipso teste anonymo, qui mox ita prosequitur* : Quia vero posset mihi objici impossibile esse, ut spatio tam exiguo integrum corpus includatur; respondeo, illud non aliter esse integrum quam in suis reliquiis, *existentibus scilicet tum extra tum intra arcam seu sepulcrum marmoreum : nam paulo post manifeste indicat, numquam integrum* B. Limbaniæ D *corpus in arca ista fuisse depositum, sed, antequam sepulturæ traderetur, ab eo separatum fuisse caput, quod jam a seculo* XIII *exeunte seorsum servabatur, uti constat ex miraculo num.* 5 *referendo. Ut vero facilius lectori persuaderet, arcam illam, humani corporis non capacem, in qua ipsius ætate* B. Limbaniæ *ossa quiescebant, unam eamdemque esse cum ea, in qua Beata se velle sepeliri abbatissæ revelarat; ad singularem Dei providentiam recurrit, qui voluerit divisionem capitis a reliquis membris, priusquam hæc in dicta arca collocarentur, ut in beata sua Virgine duobus in locis honoraretur. Quomodo autem divisionem istam Deus effecerit, an carnem sacri corporis citius in cineres redigendo, an vero hominum voluntates ita disponendo, ut caput a corpore nondum corrupto absciderint, non explicat anonymus. At id non est, quod ab ipso factum fuisse vellem. Producere debuisset idoneæ auctoritatis testimonium, quo prudenti fide dignam redderet rem alioqui tam difficulter credibilem, qualis est separatio capitis* B. Limbaniæ *a reliquo corpore, intra breve illud tempus facta, quod inter ejus mortem* E *et sepulturam medium fuit. Separationem istam solum excogitasse videtur, ut declinaret vim argumenti, quod ipse sibi objecerat. Argumenti autem consequens erat, vel ut monumentum marmoreum, hominis recens mortui corpori capiendo inidoneum, in quo ætate anonymi beatæ Virginis ossa jacebant, et forte etiam nunc jacent, diversum sit ab eo, in quo illa corpus suum deponi velle abbatissæ revelavit; vel, si idem sit, ut Beata non statim post mortem suam, sed diu postea, cum jam virginei corporis caro consumpta esset, abbatissæ apparuerit et monumentum istud indicarit, ut ipsius ossa ex loco primæ sepulturæ in illud transferrentur. Hinc ulterius infertur primo, ut duo proxime sequentia miracula, quæ anonymus cum iis adjunctis narrat, acsi facta fuissent arte primam* B. Limbaniæ *sepulturam, eo tempore contigerint, quo ossa in dictum monumentum transposita fuere : secundo ut, licet in fine numeri* 20 *dicantur omnia præcedentia miracula auctoritate archiepiscopi Genuensis examinata et correcta fuisse, in publicum tamen instrumentum,* F *quod ibidem de iis anno* 1344 *confectum esse asseritur, tria priora miracula eo modo relata non fuerint, quo ab anonymo proponuntur. Consequentias hasce concedas oportet, nisi negare malis, monumentum marmoreum, in quo anonymi tempore* B. Limbaniæ *ossa quiescebant, idem cum eo fuisse, quod abbatissæ fuerat revelatum. Sed sive idem fuerit, sive diversum; id interim teneo, donec contrarium evincatur, Beatam prima vice fuisse depositam in sepulcro, quod totum ejus corpus continere potuerit, et caput ab illo postea fuisse separatum, cum sacra ossa recognoscerentur vel in arcam decentiorem transferrentur.*

d *Non in fossa seu spelunca, quæ viventi* B. Limbaniæ *virtutum palæstra fuit, sed extra illam hic statui videtur locus, qui Beatæ sepulcro ponendo aptabatur, et in quo unus ex operariis illam contemnens divinitus punitus fuit. Hic enim ex isto loco ad fossam venisse narratur et in ea liberatum fuisse pœna, quam incurrerat. Licet Vanninus cap.* 19 *æque manifeste insinuet, operarium istum cum aliis extra dictam fossam sepulturæ locum præparasse; tamen*

A *men cap.* 22 *diserte affirmat, moniales sepulcrum marmoreum, quod hic num.* I *divinitus inventum fuisse narratur, collocasse* sub ecclesia S. Thomæ ad manum dexteram altaris majoris illo ipso in loco, ubi spelunca erat, quæ ejus (B. Limbaniæ) habitaculum fuit. *Sicut anonymus, ita et Vanninus sepulcrum istud primum fuisse ait, quod Beatæ corpus receperit. Non tamen cum anonymo illud tam arctum fuisse adstruit, ut virginea membra non nisi capite ab eis separato capere potuerit : nam post verba relata sacri depositi recognitionem factam esse scribit, et in ea caput a reliquo corpore fuisse disjunctum. Supponit itaque, integrum Beatæ corpus in sepulcro positum fuisse. Si in nulla re abberret Vanninus, dicendum est primo, operarium illum fodisse terram in memorata spelunca, postquam divinitus punitus erat, ea exivisse, et ad eamdem rediisse, ut pœna sibi inflicta liberaretur : secundo geminam fuisse arcam marmoream, alteram majorem, in qua statim post mortem suam Beata deposita est; alteram minorem, quæ integrum corpus nondum* B *in cineres dissolutum continere non poterat, et in qua anonymi ætate sacra illius ossa custodiebantur. Dixi, si in nulla re aberret Vanninus : nam imprimis indubitanter affirmare non ausim, anonymum nostrum in eo præcise falli, quod Beatam ad sua usque tempora in uno eodemque monumento marmoreo quievisse censeat. Sequelas, quæ ex hac sententia fluunt, proposui in præcedente annotatione. Incertum etiam est, an* B. Limbania *primo sepulta fuerit in fossa, in qua usque ad mortem delituit. Facile concessero, si ita lubeat, anno* 1294, *quo Beatæ caput, ut num.* 5 *videbitur, in ecclesia monialium S. Thomæ publice honorabatur, reliquum ejus corpus arcæ marmoreæ inclusum in fossa ista jacuisse et in veneratione habitum fuisse; sed unde certo didicit Vanninus, nullam translationem præcessisse ?*

e *De beatæ Virginis cultu, occasione insignis hujus miraculi promoto, plura habes in Comment. num.* XI.

f. *Vanninus hic sequentia subjungit :* Atque hinc originem traxit consuetudo; quæ etiam C nunc viget, infirmis dandi vinum S. Limbaniæ, ut vocatur : quod, postquam Beatæ caput eo ablutum fuit, a sacerdote benedictum et in gossipio, quod idem sacrum caput attigerit, ægris oblatum sæpius hisce gustantibus integram valetudinem restituit : nec modo inter Christianos, sed etiam in partibus infidelium mirabiles istius vini effectus in febri, præcipue tertiana, laborantibus quotidie conspiciuntur. *Ita ille Italice, cujus verba Latina feci.*

g *Improprie; quia scilicet innocens corpus suum voluntario martyrio affecit, dum pectine ferreo illud cruciavit, atque aliis modis afflixit. Qualis fuerit iste pecten, dictum est post Vitam in annotatione ad lit* e.

h *Hoc et sequens miraculum Vanninus* anno MCCCXXXVIII *contigisse ait.*

i *Hanc urbem, in Occidentali ora Ligustica sitam, satis notam suppono. Ejus portus anno* 1523 *obstructus fuit a Genuensibus, ut Jacobus Bonfadius in eorum Annalibus testatur.*

k *Vanninus Italice pro* Masino, *ut habet anonymus*, Massimino, *id est, pro* Maximo Maximinum *posuit. Alias lectiones in nominibus propriis variantes in margine vel sequentibus annotationibus reperies.*

l *Est in Hispania ad mare Mediterraneum, in Orientali parte regni Granatensis, haud ita procul Almeria. Ab Hispanis vocatur* el cabo de Gates : *anonymus et Vanninus Italice habent* il capo di Gatta. A. Anonymo.

m *Suspicor fuisse fragmentum navis, domunculæ speciem referens.*

n *Urbs est episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi, in ducatu Montis-ferrati ad Bormiam fluvium sita; quæ vulgari nomine* Acqui *vocitatur.*

o *Pagus est in ora Ligustica Savona distans tribus milliaribus Italicis, Genuam versus.* Vulturum, *indigenis* Voltri, *quod mox occurret, oppidum maritimum est inter dictas urbes jacens; sed multo vicinius est Genuæ.*

p *Vanninus eum diabolum credidit, senis formam ementitum, idque ideo haud dubie, quia postea narratur subito ex oculis evanuisse.*

q *Catalanos inter et Genuenses acriter mari bellatum fuit anno* 1331 *et quatuor sequentibus, uti videre est apud Ubertum Folietam in Historia Genuensium. Potuit tunc contingere beneficium, quod hic* B. Lambaniæ *adscribitur.* E

r *Archiepiscopus Genuensis, cujus auctoritate hæc anno* 1344 *facto fuerunt, erat Jacobus de S. Victoria ex Ordine S. Augustini. Ejus vicarius hic cognominatur* di Molognio *et syndicus monasterii S. Thomæ* Casasco : *at Vanninus in proœmio pag.* 3 di Molongo *et* di Casasco *scripsit.*

s *Habitum Benedictinnum, in quo* B. Limbania *hic apparuisse narratur, silentio præterit Vanninus; Margaritam vero da Mare, de qua initio hujus numeri fit mentio, uti etiam alias monasterii S. Thomæ præfectas, quæ in Vita et duobus primis miraculis* abbatissæ *vocantur, ille* priorissas *dumtaxat appellat. Sed in fine Commentarii prævii sufficienter probatum fuit, monasterium illud ante annum* 1509 *abbatiam fuisse et in hac* B. Limbaniam *sub regula S. Benedicti vitam monasticam egisse : unde consequitur, ut supremam illius præfecturam non gesserint, quæ supra in miraculis num.* 3 *et* 6 *relatis* priorissæ *dicuntur.*

t *Vide iterum Comment. num.* 13.

F

CAPUT II.

Miracula et beneficia recentiora a.

Impedit, ne mulier sibi devota occidatur.

Quidam uxorem duxerat B. Limbaniæ tam devotam, ut ad ecclesiam S. Thomæ, in qua corpus ejus jacet, singulis diebus tenderet et apud ejusdem sepulcrum preces funderet. Maritus, sive quod ob pulcram juvenis uxoris formam zelotypus esset, sive etiam quod parum religionis haberet, id sæpius ipsi prohibuerat; at frustra. Nullo modo poterat illa dimoveri a pio instituto, omnem operam curamque in eo ponens, ut ejus, quam tanta pietate colebat, sepulcrum visitaret; quod si propter mariti præsentiam aliquando non adiret, ejus a domo absentiæ occasionem nacta, justum ac honestum desiderium suum implebat. Ubi hoc rescivit maritus, mortem minatus fuit conjugi, si idem facere pergeret : quæ tamen solitum pium opus ideo

A *A. Anonymo.* ideo non intermisit. Tanta erat ejus in Deum fiducia, ut per gloriosæ Sanctæ merita se ab omni periculo liberandam speraret. Forte contigit, ut maritus negotiorum causa domo fuerit egressus; at cito reversus, nec conjugem inveniens, suspicabatur id, quod erat, scilicet eam exivisse ad ecclesiam S. Thomæ: quapropter a dæmone instigatus, pugionem sumpsit, velociter ad ecclesiam cucurrit, et uxorem apud Sanctæ sepulcrum in oratione inventam capillis arripuit; cumque eam confodere vellet, jamque brachium ad percutiendum attolleret, pugionem divinitus teneri sensit. Unde animi dolore compunctus a Deo veniam petiit et auxilium a B. Limbania; erga quam uxori reconciliatus deinceps pie semper affectus fuit.

Prævis apparitionibus, cœnobium S. Thomæ servat ab insolentia militum, urbem diripientium,

23 Anno MDXXII, ultima die Maii S. Petronillæ sacra, Genuæ tumultu bellico, terrore et luctu omnia perstrepebant, Hispanis urbem occupatam diripientibus; qui etiam monasteriis tam religiosorum quam sacrarum virginum non parcebant. Eadem illa die P. F. Urbanus da Luzara, Ordinis Eremitarum S. Augustini, vir bonæ sanctæque vitæ et confessarius monialium S. Thomæ in sacello B. Limbaniæ, cui erat devotissimus, orationi vacabat: in qua Religiosas B suæ curæ commissas illius patrocinio enixe commendavit, obsecrans, ut earum in tam manifesto periculo conservationem a Domino deprecaretur. Inter orandum Pater Urbanus sanctam Dei virginem Limbaniam videt, splendidissima luce circumdatam. Quibus verbis Sancta ipsum affata fuerit, ignoratur. Ei tamen revelavit, quod futurum erat; scilicet monasterium S. Thomæ nulla molestia afficiendum: cujus rei veritatem evidenter confirmavit eventus. Dictus Pater visione ista recreatus ad reverendam Sororem Justinam Doria tunc monasterii istius priorissam venit, eamde facta sibi apparitione certiorem fecit, ac bono animo esse jussit, effecitque, ut nulla amplius monialium fugeret ad alterum cœnobium ejusdem Ordinis S. Augustini, Monialium pauperum S. Silvestri nuncupatum; quo aliquæ jam inde migrarant. Adveniens deinde hostilis militum turma nihil vi extorsit, solummodo petens cibum aliquem et potum ad corpora reficienda sibi ex charitate donari. C Cumque militibus vinum, caseus et panis largiter data fuissent, a monasterio S. Thomæ, nullum aliud damnum nec quidquam injuriæ passo, contenti discesserunt. Ad moniales, quæ inde ad cœnobium S. Silvestri transierant, etsi earum pudicitia attentata non fuerit (id enim per Dei gratiam nullis religiosis virginibus accidit;) spectatrices tamen fuerunt aliarum injuriarum, quæ non sine acerbissimo doloris sensu aspici poterant. Postea ad proprium monasterium, ubi a militibus nihil insolenter commissum fuerat, reversæ, cum ceteris, quæ ibi manserant, Sororibus Deo gratias egerunt de beneficio, per gloriosæ Sanctæ merita collato.

et illius priorissæ hydropisi graviter ægrotanti, b

24 Reverenda Soror Justina Doria, priorissa monasterii S. Thomæ *b*, diu hydropisi laborarat, et vi ingravescentis morbi in discrimen vitæ adducta erat: quapropter apud ipsam vigilias agebat una ex Sororibus, quæ ab ea numquam discedebat. Istud charitatis officium etiam aliæ per vices præstabant: omnes enim morituram credebant. Postquam ægra S. Limbaniam, quam summa pietate colebat, et a qua plurima acceperat beneficia, ardentissimis precibus invocarat; ecce nocturno tempore, cum dicta Soror ei sola adesset, vidit gloriosam sanctam Dei D Limbaniam ad se venientem in nube lucidissima: ad cujus totam infirmam obtegentis aspectum Soror, quæ vigilabat, in genua procubuit, existimans illam e vita excedere. At contrarium evenit: nam ægra se mane magna aquæ copia exoneratam, ab omni morbo liberam, recteque valentem reperit; et ad multos deinde annos vitam produxit.

atque alteri moribundo integram sanitatem reddit.

25 Dominus Joannes Baptista Saoli *, nobilis Genuensis, Cariniani *c* in domo sua decumbebat febri pestilente tam graviter ægrotans, ut a medicis depositus et extrema unctione post aliorum Sacramentorum susceptionem munitus esset, atque omnem loquelam amisisset. Moribundo assistebat reverendus Pater F. Sebastianus, conventus S. Jacobi in Cariniano, Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini: qui cum nocte solus adesset infirmo, apparuit huic in habitu monastico gloriosa sancta Dei Limbania, dicens: Quomodo vales, Joannes Baptista? Qui respondit; O dilecta Mater! maximis crucior doloribus. Tum illa: Ne dubita, non amplius male te habebis; et pallio suo ægrum operiens evanuit. Confessarius, etsi visionem non observarat, quia tamen illum loquentem audierat, dominam Aloysam ejus conjugem advocavit. E Cui cubiculum ingressæ dixit maritus: O Aloysia! sanus factus sum: nam me visitavit nostra Mater Soror Justina monasterii S. Thomæ, asseruitque, quod non amplius sim male me habiturus; et re vera me modo bene valere sentio. At deinde intelligens sibi apparuisse S. Limbaniam, perque hujus merita pristinæ se valetudini restitutum esse, Deo gratias acturus ad monasterium S. Thomæ venit simul cum sua conjuge, quæ in accepti beneficii memoriam ibi obtulit vestem sericam cocco tinctam: et ambo semper Sanctæ devoti fuerunt.

* Vanninus Sauli

c

Oleo in sui honorem absumpto aliud, quo vas vacuum impletur, substituit.

26 Femina quædam summa veneratione gloriosam S. Limbaniam prosequebatur. Inter alia pietatis opera ad lampadem, quæ apud Sanctæ sepulcrum erat, assidue oleum ferebat, ita ut illa numquam esset sine lumine. Accidit, ut maritus quartarium olei emerit, atque intra breve tempus absumptum deprehenderit: nam conjux non cessarat piam inde donationem facere. Quod ubi ex malevolorum relatione cognovit maritus, F vas inspecturus ivit; at in loco consueto illud non reperiens, severa objurgatione uxorem incessere cogitabat. Tum ipsa visura abiit, et vas oleo plenum invenit: unde maritus mitigatus fuit, et ea, qua conjux, devotione lampadi oleum, quamdiu vixit, suppeditavit.

Apparet moniali decumbenti ex periculoso morbo, qui depellitur,

27 Soror Maria Magdalena Giovo, monialis professa monasterii S. Thomæ, mense Januario anni MDXCII, adversa valetudine adeo infirmabatur, ut esset in summo vitæ discrimine. Sero vespere, ut quiete aliqua frueretur, sola relicta fuerat cum comite; quæ dum longo ei inserviendi labore fatigata in vicino lecto nonnihil quiescebat, dictæ infirmæ vigilanti apparuit ingens splendor, qui accrescens propius ad eam accedebat. In medio clarissimæ istius lucis erat sancta Dei virgo Limbania, cui fervidis precibus se commendarat. Ubi infirma illam conspexit, subito se supra lectum erigens non sine multis lacrymis dixit: Unde mihi tanta gratia, ut tu gloriosa Sancta me invisum venias. Tunc S. Limbania illam tangens ita respondit: Nihil timeas; ac paulatim ex oculis abscessit. Post hanc apparitionem ægra sudorem emisit; morbique

A morbique gravitate ita levata fuit, ut postridie mane accedens medicus extra periculum illam judicaret: quæ intra brevissimum tempus integræ valetudini restituta fuit. Hæc omnia, sicuti modo relata sunt, dicta Soror Maria Magdalena Giovo narravit coram reverenda Matre Sorore Mari Felice Doria, tunc priorissa cœnobii S. Thomæ, et coram R. P. Mathæo Aste ejusdem cœnobii curato et aliis monialibus.

et puero cæco, cui visus restituitur.

28 Puer, qui ex malo quodam oculorum cæcitatem contraxerat, audiens beneficia opem S. Limbaniæ virginis implorantibus a Deo præstita, qui in Sanctis suis mirabilem et gloriosum se ostendit; huc Genuam venire constituit: ubi singulis diebus, quantumcumque cæcus esset, optimo quo poterat modo, S. Limbaniæ sepulcrum in monasterio S. Thomæ invisebat, in oratione sua cum simplicitate dicere solitus: Sancta Limbania, meos mihi oculos redde. Puero in pia ista accessione ad Beatæ sepulcrum et oratione perseveranti, cum in ecclesia quodam mane solus esset, conspiciendam se obtulit S. Limbania, quæ oculos ejus tangens, B dixit: Lauda Deum, quia visum recepisti. Tum ille mox exclamare cœpit: Ego video; nam S. Limbania mihi visum reddidit: cujus miraculi fama per totam civitatem Genuensem divulgata fuit *d*.

d

Liberat mulierem malo, quod mamillam invaserat,

29 Blanca Torre, conjux Joannis della Torre, XXVII Aprilis anni MDLIII sequens beneficium a beata Limbania acceptum juramento confirmavit. Postquam filiam, cui Felicis nomen impositum fuit, dicto mense et anno Blanca pepererat, sinistra ejus mamilla tam gravi malo afficiebatur, ut eam amputare necesse esset: jam enim ulcus in ea nascebatur. In his constituta angustiis ad Dei virginem Limbaniam et B. Ugonem confugit, fervida prece eos ita invocans: O Sancta Dei, uti cæco visum restituisti, ita et mamillæ meæ sanitatem restitue. Tu vero S. Ugo, fac ut inde lac effluat, quemadmodum aqua manat ex tuo fonte *e*. Eadem illa nocte se tangi sensit, sibique dici audivit, ut omnem metum deponeret. Tunc lumen, quod videbatur exstingui, clarius exarsit: statimque mamilla, malo depulso, lac effundere cœpit. Mane sanata mulier ad Sanctæ sepulcrum venit et gratiarum actionem Deo persolvit. Erat tum C temporis monasterii S. Thomæ parochus R. P. magister Vincentius Montemerlo Dertonensis, et priorissa reverenda Mater Soror Limbania Spinola.

e

atque alteram, cui videndam se præbuerat, morbo gravissimo,

30 Felix Ponti, conjux Joannis Baptistæ Ponti, anno MDXCIV, die IX Septembris, Genuæ in mariti sui ædibus ex periculosissimo morbo decumbens, S. Limbaniæ vovit, se, si convalesceret, sepulcrum ejus in ecclesia S. Thomæ visitaturam. Eadem nocte Sancta ei in visione apparuit, ingenti splendore refulgens, hisque illam verbis fuit allocuta: Quando sana eris, ibis ad monasterium S. Thomæ, et efficies, ut ad portam feratur caput meum, quod devote amplecteris, quia petitum beneficium accepisti. Ad hæc respondit infirma: O benedicta Sancta Dei, moniales istam mihi gratiam præstare nolent, quia, cum laïca sim, eum favorem non mereor. Tunc Sancta reposuit: Ito et vocato Matrem Sororem Mariam Felicem, quæ priorissa est, et dicito ipsi meo nomine, ut tibi gratiam illam concedat; quod et faciet. Insuper eam moneto, ut molestias, quibus affligitur, patienter ferat, at moniales majorem mei curam gerant, et circumspectiores sint in dandis meis reliquiis; nimia enim confidentia id faciunt: unde in periculum veniunt illas amittendi. His dictis, visio cessavit, et ægra ex morbo ita recreata fuit, ut medicus ejus vitæ non amplius timendum censeret. Firma valetudine brevissimo tempore recuperata, venit ad monasterium S. Thomæ, ut votum et quæ Sancta ipsi injunxerat, impleret. Cumque visa et audita narrasset, et quod desiderarat, obtinuisset; de sanitate per Sanctam impetrata Deo gratias egit.

A. ANONYMO.

denique monialem vehementissimis brachii doloribus.

31 Soror Paula Felix di Negro, filia Nicolai di Negro, monialis professa in monasterio S. Thomæ anno MDXCV, mense Julio, quodam die Sabbathi vespere orationi vacabat in choro, quemadmodum in religiosis familiis, antequam eatur cubitum, pie fieri consuevit. Inter orandum brachium ejus dexterum dolor invasit vehementissimus. Ad cubiculum reversa in lectum se recepit, multum tegumenti sibi insterni jubens, quod ex frigore se malum istud contraxisse putaret. Sed calore nihilo remissior fiebat dolor, imo magis intendebatur, adeo ut membrorum convulsiones E sibi timeret. Cum media nox advenisset, vocavit Sororem Angelam Mariam, in altero ejusdem cubiculi lecto quiescentem, eique gravissimum, quo cruciabatur, dolorem indicavit. Surrexit illa, et flexis genibus Deum precata fuit; dein hoc consilium dedit: Parum gossipii, quod S. Limbaniæ reliquias attigit, brachio affecto applicuisse juvabit. Postquam aliquid ex isto gossipio et pane benedicto S. Nicolai *f* in forma crucis brachio cum fiducia fuisset impositum, et infirma animo votum fecisset, se, si sanaretur, oblaturam brachium argenteum, curaturamque ut ad Sanctæ altare Sacrum unum celebraretur; statim in somnum incidit, et mane omnino sanata, quod voverat, perfecit. Hæc dicta Soror Paula Felix R. P. magistro Mathæo Aste curato ecclesiæ S. Thomæ et aliis Sororibus rogata narravit.

f

ANNOTATA.

a *Miraculis, quæ cap.* I *dedi, in Ms. Italico anonymi subjicitur:* Appendix aliarum gratiarum a B. Limbania præstitarum variis personis, e F quibus aliquæ etiamnum vivunt in præsente monasterio S. Thomæ. *His verbis indicantur Maria Magdalena Giovo et Paula Felix di Negro, monialis ejusdem cœnobii, quarum prior anno* 1592 *periculoso morbo, altera anno* 1595 *gravissimis brachii doloribus ope* B. Limbaniæ *liberata fuit. Utrumque beneficium num.* 27 *et* 31 *invenies. Facillime fieri potuit, ut moniales illæ vixerint, dum anonymus Beatæ miracula et beneficia collegit: id enim non serius quam seculo* XVII *ineunte fecit, ut alibi dictum fuit. Incertum mihi est, an beneficia, quæ in hoc capite num.* 22 *et* 26 *narrantur, post annum* 1509 *contigerint, quo cœnobium S. Thomæ moniales Augustinianæ incolere cœperunt: contigisse tamen suspicor, cum cetera omnia posteriora sint; quemadmodum patet ex temporum notis aliisque adjunctis in eorum relatione expressis.*

b *Ex numero præcedente certum est, Justinam Doria ex Ordine S. Augustini anno* 1522 *præfuisse monasterio S. Thomæ: unde cognoscitur non modo hoc, sed etiam sequens miraculum,*

A. Anonymo.

lum, in quo ejusdem Justinæ fit mentio, accidisse post annum 1509, *quo monasterium istud Augustinianis monialibus traditum fuit.*

c *Olim Genuæ suberbium erat, quod Ubertus Folieta in Historia Genuensium anno* 1327 *mœnibus inclusum fuisse scribit : cœnobium vero S. Thomæ, quod olim etiam suburbanum erat, intra urbem receptum fuisse ait anno circiter* 1347. *Cœnobium istud ab Occidentali, at* Carinianum *(incolis* Carignano) *ab Orientali parte urbi Genuensi adjunctum fuit.*

d *Hoc miraculum accidisse post dictum annum* 1509, *eruitur ex eo, quod in sequentis beneficii, anno* 1553 *juramento confirmati, narratione illius, tamquam rei haud ita diu præteritæ, mentio fiat.*

e *Invocatur hic S. Ugo, quem Martyrologium Genuense anno* 1640 *excusum ad* 8 *Octobris ita celebrat :* Genuæ depositio S. Ugonis confessoris ex ordine Equitum Hierosolymitanorum, qui apud ecclesiam S. Joannis pium hospitalitatis officium erga pauperes exercuit : de quo illud celebre traditur, quod velut alter Moyses ex petra aquam signo Crucis eduxerit : quæ hodie etiam S. Ugonis nomine perenniter fluens, languores pellendi virtutem retinet. D

f *Plurima miracula, quæ Deus operatus fuit ad usum panis benedicti. qui S. Nicolai de Tolentino agnominatur, dabuntur ad diem* 10 *Septembris, quo sanctus ille colitur.*

APPENDIX

AD DIEM IV SEPTEMBRIS IN PRÆTERMISSIS.

Auctore J. S.

E

B

Memoria Girberti abbatis

Venerabilis Girbertus abbas *memoratur* in cœnobio S. Wandregisili *sive Fontanellensi apud Castellanum in Addendis et corrigendis ad hunc diem pag.* 979. *Idem tomo* 5 *Galliæ Christianæ Sammarthanorum pag.* 910 *inter abbates Fontanellenses recensetur cum titulo* Sancti, *et cum* Beati *titulo in Gallia Christiana recusa tom.* XI *col* 178, *ubi* Gilbertus aut Girbertus *nominatur, apud Sammarthanos* Gubertus. *Mabillonius in Actis Sanctorum Benedictinorum Sec.* 6 *part.* I *plures Venerabiles simul commemorat, interque eos pag.* 362 *et sequentibus* Girbertum *abbatem Fontanellensem, qui in Epitaphio ibi recitato dicitur obiisse die* IV *Septembris. Cultu publico carere venerabilem* Girbertum, *indicat Mabillonius his verbis :* Sancti titulo donatus passim occurrit apud auctores, potissimum recentiores : nullo tamen Officio publico colitur apud nostros Fontanellenses. Memoratur in Appendice Martyrologii Benedictini ab Hugone Menardo editi, et in Bucelini Menologio die VIII Februarii. *Gesta et Epitaphium ibidem consuli poterunt.*

INDEX

INDEX HISTORICUS

IN TOMUM II SEPTEMBRIS

A

† Catharina

D

F

Froitzheimius

Grilla

I

Maurilio

O

Ozias

Q

R

S

T

Thetberga

V

Visconti

Zaban

INDEX

TOPOGRAPHICUS

America

Baalmeon.

B

C

G

H

I

K

T

INDEX

ONOMASTICUS

A

Ethicus

Straneus,

INDEX MORALIS

A

D

G

H

Mortuus

FINIS.

Bruxellis, Typis F. VROMANT, via de la Chapelle, 5.